ROSETUM EXERCITIORUM SPIRITUALIUM, ET SACRARUM...

Jean Mauburne, John Jones, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
16 — N
13

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSETVM EXERCITIORVM SPIRITVALIVM,

ET SACRARVM MEDITATIONVM,

AVCTORE

IOANNE MAVBVRNO


BRVXELLENSE

Canonico Regulari, & Liuriacenſis Monaſterij olim Abbate.

Opus digniſsimum quod omnium deuotorum, maximè autem Religioſorum, manibus nuſquam excidat, ſanctiſsimis cogitationibus, & affectibus Seraphicis pariendis maximè accommodatum.

Coll. Rom. Soc. Jesu Cat. Inscr. B. S.

Nunc recens vltrà omnes alias editiones, verius, emendatius, & diſtinctius edidit & caſtigauit R. P. M. LEANDER DE S. MARTINO ordinis S. Benedicti, ſacræ Theologiæ Doctor, & linguæ Sanctæ in Academia Duacena Regius Profeſſor.



DVACI,

Ex Typographia BALTAZARIS BELLERI, ſub Circino aureo. ANNO 1620.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDIS IN CHRISTO PATRIBVS

AC DOMINIS,

SANCTISSIMI AC ILLVSTRISSIMI ORDINIS CANONICORVM REGVLARIVM

B. AVGVSTINI ABBATIBVS,

AC PRÆLATIS RELIGIOSISSIMIS

PER BELGIVM DEO GLORIOSE MILITANTIBVS.

APPORTO vobis (Religioſiſſimi Patres ac Domini) ex paradiſo ordinis veſtri ſuauiſſimis odoribus & coloribus rutilãs ROSETVM: in quo ſiquis deliciari ſerio voluerit, audeo dicere, quia in ipſa cœleſtis Paradiſi penetralia, & adyta, ineffabili modo etiam in hac vita rapietur. ROSETVM dico ſpiritualiũ exercitiorum amœniſſimis floribus diſtinctum, à R.D. IOANNE MAVBVRNO, ordinis veſtri fulgido ſidere contextũ: cuius etſi ſtylus ſimplicior, & ſæculi ſui neglectũm loquendi modum referens, quaſi ſpinas quaſdam horridulas oſtentet; gratiſſimi tamẽ & deuotiſſimi ſenſus, tanquam Roſę, animũ pij exercitatoris mira varietate, & jucunda ſuauitate recreabunt. Multi in hoc erudito & Philobiblo ſæculo extiterunt, qui de ſpiritualium exercitiorum methodis egregie, & copioſe tractarũt; & deuotis ſenſibus ornatum etiam Chriſtianæ eloquentię ſplendidum ſuperaddiderunt, qui omnium manibus, præſertim in ſęculo, cum laude & fructu teruntur. Sed neſcio quomodo fieri dicam, vt ſimplicior ille & neglectior ſtylus ſpiritualibus diuitijs magis abundet, penitiùs animos piorum infundat & ardentiore, dulciorique deuotionis flamma quodammodo ignire videatur. Nimirum vt pigmenta & colores

aſcititij non niſi in corpore natiuę pulchritudinis indigo, lucent,& vernant: corpus autem ſua ſpecie contentum, inquinant potius quam ornant: ita eloquentiæ humanæ floſculi mundanas ciuileſque materias ornare poſſunt,& amplificare, cæleſtes autem materias, diuinarum rerum contemplationes, ſeraphicos affectus deiformi pulchritudine ex ſua natura præditos, dedecorant potius, quam illuſtrant. Simplex eſt veritatis oratio: Sed multò ſimplicior eſt diuinæ charitatis loquela, ita tamen ſimplex,vt mirabile ſui deſiderium in mentibus deuotis excitet. Quare qui his in ſtudijs enutriti ſunt & exercitati, fatentur quidem laudabiliter & fructuosè materias deuotas eleganti ſtylo tractari,propter delicatum nonnullorum palatum,quibus nihil dignum lectu videtur,niſi quod Rhetorum floribus veſtiatur: ſed longè efficacius tamen eas profitentur ſimplici ſtylo doceri, longè fructuoſius legi ab illis, quibus pietas ſerio incipit eſſe cordi: quod in opuſculis ignitis S. Bonauenturę aliorumque ſimilium myſticæ Theologiæ magiſtrorum deuotiores animi ſe experiri non negabunt. Inter illos non vltimo loco Mauburnus hic veſter numerandus venit: humilis ſermone, ſed ſublimis ſcientia, cœleſtis & empyreus affectibus. Quem autorem antehac veteribus formis, non ſatis diſtinctè,& valde mendosè excuſum: viſum eſt nobis operæpretium noſtris typis reformare, & veſtro nomini (Reuerendi Patres ac Domini) inſcribere. Ex quo nimirum autore, Belgij huius noſtri laudatiſſimo indigena, intelligent lectores, quantopere eius ſæculo floruerit in Belgio ordo veſter,in quo hęc tam excelſa meditandi occupatio propria fuit & pœne tunc peculiaris; vos ipſi etiam ad manum habebitis antiqua ordinis veſtri exercitia,quibus tyrones deuotos in teneris Studiorum Spiritualium exordijs formetis, & figuretis; & (niſi me fallit animus) noſtram hac in re ſeu diligentiam, ſeu erga ordinem veſtrum reuerentiam,minimè contemnendam judicabitis.

Veſtris. R R. D D. addictiſſimus

BALTAZAR BELLERVS.

LEANDER DE S. MARTINO, BENEDICTINVS.

LECTORI DEVOTO ET BENEVOLO, SALVTEM.

QVOD *in hac deuotiſsimi huius* Roſeti *editione præcipuè ſpectauimus (Lector Catholice, & religioſe) illud fuit, vt cum quanta fieri poßet diſtinctione & claritate opus excuderetur. Fuit quidem primò editum Baſileæ valde incorrectis typis, & negligenti opera, vt autor ipſe conqueritur: poſtea, autore jam vita functo, iterum euulgauit ipſum Pariſijs anno 150. Jodocus Badius Aſcenſius, diligẽs quidem & doctus Typographus, ſed cuius ætate nondum ad eum nitorem & ſplendorem peruenerat typographia, quem nunc eam videmus obtinuiſſe; quare in tabellis & diſtinctionibus creberrimis (quibus hic liber abundat) non ita fœliciter aſſequutus eſt illam, quam autor ſequutus fuit,* ἀκρίβειαν & συμμετρίαν *ſiue proportionem. Quem defectum, vt & alios priorum editionum, emendaturus Baſilius Serenius Canonicus regularis Jtalus, anno 1603. edi curauit hoc Roſetum Mediolani charactere ſanè perquā eleganti & polito; ſed cui tamen deeſſet accurata illa, quam diximus autorem adhiberi voluiſſe, proportio, & (vt ſignificantius loquar) correſpondentia tabellarum atque diagrammatum; Titulorum etiam ac ſubdiuiſionum ſeriem, valde in aliis impreſsionibus neglectam, confuſamque, non correxit.*

Nos iſta omnia diſtinctius, clarius, & ordinatius edimus: non ſolum diuiſionẽ autoris diligentiſsime obſeruantes; verum etiam diuerſo literarum typo maiores (vt vocant) paragraphos, & ſub eis contentas, ac ſubordinatas eodemque pertinentes periodos diſcernentes; & vocabula in quibus præcipue continetur ſubdiſtinctionum, & variorum in diuiſionibus membrorum energia, differenti etiam ab ipſo contextu charactere deſignantes; vt facillimè à ſimplicioribus & deuotis lectoribus (quibus præſertim laborem hun. dicauimus) non ſolum meditationum proportio & connexio primo conſpectu animaduerti poſſet, & intelligentia concipi, verum etiam memoria ediſci, & ſine libro, mente ipſa & cogitatione circumferri. Cui rei etiam inſeruit cō-

pendiaria ſynopſis omniũ eorum, quæ in libro fuſiſsime explicantur: quæ ſummis rerum capitibus indicatis memori contemplatori ſtatim in memoriam reducet, & ante conſpectum ſtatuet totam vniuſcuiuſque meditationis amplitudinem.

Verum quidem eſt, obrepſiſſe aliquam oſcitantiam in marginalibus numeris, quos ad diſtinguendos materiarum articulos maioris lucis cauſa, loco alphabetorum (quæ autor ad eundem finem, ex imitatione Gerſonis, vſurpauit) ſubjecimus: ſed qui error nihil prorſus officit aut ſenſui, aut claritati operis. Sic etiam in vno aut altero titulo irrepſit mendum in eorum numeris, dum quartum membrum, aut caput alicuius tituli vocatur, quod fuit quintum; & ſimilia pauciſsima; vt nihil eſt ex omni parte beatum. Sed omnino putamus, nuſquam ita fuiſſe erratum, vt lectoris etiam minus periti animus in veræ ſententiarũ intelligentia difficultatem, aut etiam in facili conſequentia materiarum, atque exercitiorum confuſionem, aut perturbatum ordinem ſentiat.

Cæterum autoris vitam nullis potuimus veſtigiis aſſequi: neque Baſilius Serenius aliquid de ea in ſua editione conſcripſerat; hoc tantum in ipſo operis titulo indicat, fuiſſe natione Bruxellenſem ex Brabantia, & dignitate Abbatem Liuriacenſem; Fuit autem Liuriacum, (vulgo Liury) Canonicorum regularium cœnobium in Gallia diœceſeos Pariſienſis (vt ſcribit Doctiſsimus Myræus) in ea parte Franciæ, quam vocant L'aulnay le Pariſis. *Alios ingenij ſui fœtus edidit hic autor, vt ex hoc ipſo libro conſtat, vt* Venatoriũ de antiquitate ordinis Canonicorum regularium, *& alia quæ nondum vidimus: floruiſſe videtur ineunte ſæculo 1500.*

Quod autem nunc tibi damus opus Roſeti (beneuole lector) copioſiſsimus eſt meditationum, rerumque ſpiritualium theſaurus, ex præſtantiſsimis theologiæ myſticæ Coryphæis magna diligentia & non infelici ordine congregatus. Ex quo ipſo theſauro non dubitamus, quin multi ſpiritualium rerum tractatores ſuas cogitationes hauſerint, aut certè locupletauerint. Sane tã immenſa eſt materiarum in hunc librũ ab autore cõportatarum fœcũditas, & varietas: vt ſi, quæ ille breuiter, ſed tamen ſucculentè tradidit, velit aliquis latiore ſtylo euoluere, non pauca replere debeat volumina. Saltem diligens & humilis Contemplator, qui non quærit verborum folia, aut eloquentiæ humanæ floſculos, ſed ad pietatem, & ſpiritus pinguedinem, & diuinam mentis Rhetoricam anhelat, qua ipſe coram Deo in prætorio conſcientiæ cauſam animæ ſuæ quotidiè peroret; habebit hic abunde, quo ſuam ditet paupertatem, ſuam exornet deligentiam. Fruere benigne lector, & vale.

Digitized by Google

Iudicium Reuerendi & doctiſſimi Patris, ANTONII POSSEVINI, *E Societate* IESV, *de hoc* ROSETO, *ex apparatu Sacro.*

CÆterum, vt quod ipſe, & alij, qui ſapiunt, dicam, quid de hoc opere ſentiam; ſciendum eſt aliquando pijs quibuſdam viſum fuiſſe, non ab omnibus religioſis eſſe verſandum, quaſi omnium inſtituto non quadraret. At non vereor, quin fuiſſent mutaturi ſententiam, ſi reipſa ROSETVM hoc ad meditandum, ad exhortandum, ad concionandum adhibuiſſent. Neque enim librum ego de ſpiritualibus legi, in quo vberior materia, & quaſi opulentior theſaurus inueniatur. Scriptione quidem ac ſtilo, qualem ea ferebant tempora, ſimplici; at ſynceriſſimo ſpiritu, ordine, breuitate volumen tantum abſoluit.

ROSETVM

ALLOQVITVR ANIMAM DEVOTAM.

Mens pia, quæ Sanctis degens in amoribus annes
In ſummi amplexus concupis ire Dei;
Hic tibi ſub rutilo requieſcere poſſe ROSETO
Donec anhelantem viſitet IPSE, *datur.*
Hic tibi florentem ſternet deuotio lectum,
Quo ſomnum capias delicioſa tuum,
Et ſuffulta ROSIS, *talem ſpirabis odorem,*
Vt ſponſum è cœlis in tua vota trahas.
Sed nec quadrifidis Paradiſus nobilis vndis
Continuit læto gaudia tanta ſinu:
Quot tibi delicias hoc ſpirituale ROSETVM
Affundit, doctæ cælitus artis opus.
Hic ROSA *diuini latè flammeſcit Amoris,*
Atque humiles violas cœlicus afflat odor;
Candida virgineos pingunt hic lilia mores,
Et ſequitur ſolem ſedula caltha ſuum;
Ex his conde fauos; ex his tibi necte corollas;
Ipſum delinies hoc tibi melle Deum;
Floribus his vernans formoſa videbere Chriſto,
Cæleſteſque tibi conciliabis opes.
Ergo age florenti tacitam te abſconde ROSETO,
Et totam expanſa concipe mente Deum.

D. L. D. S. M.

Digitized by Google

APPROBATIO.

OPus hoc Spiritualium Exercitiorum quod ab admirabili deuotionis ſuauitate, quam vndique ſpirat, rectiſſime autor ROSETVM inſcripſit, totum accurate legi: ac propterea cum nihil in eo inuenerim à fide Catholica, ac bonis moribus alienum, ſed omnia valde ſana & ſancta, quæque potenter allicere poſſint legentium animos ad amorem Saluatoris noſtri Chriſti, & perſeuerantiam in ſancto religioſæ vitæ propoſito; dignisſimum iudico quod ſuo Belgio Belgijs etiam typis recuſum reſtituatur. Duaci. 10. Nouembris. 1619.

LEANDER DE S. MARTINO *Benedictinus, Congregationis Angliæ Præſes, ſacræ Theologiæ Magiſter, & linguæ ſanctæ in Academia Duacena Profeſſor Regius.*

Digitized by Google

TABVLA

ALPHABETICA,

PRÆCIPVA CAPITA COMPRÆHENDENS: QVORVM LATIOR MATERIA IN SYNOPSI SEQVENTI PARTICVLATIM QVÆRENDA EST.

A

ABſtinentia ciborum. par.1,diſt.1.titulo 8,pag.375.
Acedia. par.1,d 3,tit 12,p.449, & titulo 13,p.458
Aduentus exercitia. part.1,d.2,tit.10,p.411
Affectus erga Deum. par.1,diſt.1,tit.2,p.84
Erga proximum. ibid.87
Erga Prælatos. ibid.85
Erga ſeipſum. ibid.88
Agni portiones conſiderandæ pro Euchariſtia. p.1,diſt.1.tit.7,cap.4,pag.320
Altarium viſitatio. par.1,d.2,tit.10,c.4.p.405
Amor non datur ſine cognitione. pa.38
Amor ſui, quantum impedimentum. par.1,d.1,tit.2,c.3,§,2,pag.59
Amor Dei. vide, Dei Amor.
Angelorum conſideratio. pa.2,d.3,tit.1,p.690
Apoſtolorum contemplatio. part.2,d.2,titu.4, pag 718
Aſpirationes pro Euchariſtia per ferias. part.1, diſt.1,tit.7,cap 5,pag.359
Attentio & reuerentia in oratione. p.1,d.1,tit.5,cap.2,& 3,pag.164
Auaritia. part.1,d.3,tit.12,449,& tit.13,459

B

Beneficiarium, & beneficiorum tam in generali quam in particulari conſideratio. pa.1,d.1 tit.5,pag.218,& p.2,d.1,tit.4,576,cap.7

C

Cantus eccleſiaſticus. p.1,d.1,tit.5.p.148
Canticordum Gerſonis. part.1,d.1,tit.5,c.4, pag.177
Capitulum regulare. p.1,d.1,tit.4,c.3,pa.108
Caſtitas. p.1,d.3,tit.13,pag.465
Cellæ cuſtodia. p.1,d.1,tit 1,pag.61
Charitas. p.1,d 3,tit.13,pa.461
Chiropſalterium. par.1,diſt 1,tit.5,c.5,p.183
Chriſti corpus, anima, ſpiritus, diuinitas, labores, gloriæ & triumphi. p.1,d.1,tit.7.cap.4,p.321,& ſeqq.ad 352
Chriſti vita. par.1,d.1,tit.5.pag.208 ad 216, Item p.2,d.1,tit.15.pag.500
Chriſti paſſio. par.2,diſt.1,tit.16,pag.518
Cognitio ſui. par.2,d.4,tit.1,p.743,& p.1,d.1,tit 3,88
Communionis ſacramentalis exercitia par,1,d.1,tit.6,pag.224,latiſſime.
Completorij exercitia. p.1,d.1,tit.4,c.9,p.138, Item pa.1,d.1,tit.5,c.9.pag 386
Confeſſorum ſanctorum contemplatio. par.2,diſt 2,tit.6,pag,729
Conſcientiæ examen. part.1,d 1,tit.0,pag.387
Conuerſatio cum proximis. par.1.diſt.1,tit 3, pag.87
Correctio capitularis libenter audienda. vide Capitulum.
Creaturarum contemplatio p.2,d,3,tit.2,p.749
Crucis ſignum. par.1,d.1,tit.4,p.93

D

Deus quibus affectibus ſit colendus. part.1,diſt.1,tit.3,pag 82
Dei cultus internus & externus. pa.1,diſt.2,tit.10,pag 397

Dei amor erga nos qualis. par. 2, diſt. 4. tit. 8, p 829

Dei amor in nobis quomodo inflammandus. ibidem, pag. 829

Deſtructorium vitiorum. pa. 1, diſt. 3, tit. 12, pag 481

Deuotio in oratione & officio diuino. parte 1, diſt. 1, tit. 5, cap. 4. pag. 169

Dietarium exercitiorum. pa. 1, diſt. 1, tit. 4. pag. 90

Diſciplina morum. par. 1, diſt. 1, tit. 2, pag 60

Diſtractionum remedia par. 1, dict. tit pag. 168

Dominicarium, de dominicæ diei veneratione & cultu ſabbathi. p. 1, diſt. 2, tit. 10, p. 392

E

Eccleſiæ & eccleſiaſticorum graduũ contemplatio. parte 2, diſt. 4, tit. 3, cap. 2. pag. 764

Eccleſiaſtici debent eſſe mentalibus exercitijs addicti. par. 1, tit. 1, pag. 4

Euchariſtiæ exercitia: & contemplationes; latiſſimè. p 1, diſt. 1, tit. 6, pag 224

Exercitiorum ſpiritualium qualitas, varietas, modus, & neceſſitas. par. 1, titulo 1, pa. 2, & 34, & tit. 2, pag 36, & p. 1, d. 3, titu. 12, pa. 431

F

Feruoris multiplicitas; incitamenta, & ſubſidia. par. 1, diſt. 1, tit. 2, pag 37

Ferculariũ, per ferias pro refectione in prandio & cœna. p. 1, diſt. 1, tit. 8, pag. 384

Feſtilogium, pro ſanctorum celebritatibus exercitia p. 1, diſt. 2, tit. 11, pag. 417

Fuga ſæculi par. 2, diſt. 4, titulus 2, cap. 2 p. 760

G

Gaudiorum cæleſtium contemplatio. part. 2, d. 4, tit. 7 pag. 867, vide etiam in Beneficiario.

Geſtus diſciplina. pa. 1. diſt. 1, tit. 2, pag. 73

Gulæ vitium. p. 1, diſt. 3, tit. 12, pag. 449, & tit 13. pag. 458, vide etiam in manducatorio.

Gratificationis beneficium. vide in Beneficiario.

H

Habitus & veſtiũ diſciplina. p. 1, d. 1, tit. 2. p. 72

Horarum canonicarum conſideratio. p. 1, diſt. 1, tit 4. pag 96, & tit. 5. p. 140

Horæ B. Virginis. ibid 98

Horarum canonicarum directorium. p. 1, diſt 1, tit. 5, pag. 140, vide etiam chiropſalterium.

Horæ canonicæ quomodo priuatim dicendæ. ibid. pag. 223

Obiecta ſub horis canonicis ruminanda. ibid. pag. 208

Humilitas. p. 1, diſt. 3, tit 13, pag. 461

I

Ieſu nomen. p. 2, diſt. 2, tit 18, pag. 651

Infernalium pœnarum conſideratio. par. 2, diſt. 4, tit. 6, pag. 799

Inuidia. p. 1, diſt. 3, tit. 12, pag. 449. & tit. 13. pa. 457

Ira. ijſdem locis.

Iudicij particularis & generalis conſideratio. p. 2, diſt. 4, tit. 5 pag. 782

L

Linguæ diſciplina. p 1, d. 1, tit. 2. pag 74

Luxuria. p. 1, dict. titu. 12, pag. 449. & tit. 13, pag 459

M

Manducatorium, exercitia pro refectione corporali in prandio. p. 1, d. 1, tit. 8. pa 373

Manducatio ſpiritualis pro ſacramento. pa. 1, diſt 1, tit 7. pag. 265

Manuum opus, & labor. p. 1, diſt. 1, tit. 4, c. 5, pag. 115, & c. 8, p. 1[illegible]

Mariæ virginis horæ minores. p. 1, diſt. 1, tit. 4, pag 98

Eius ſeruitus & cultus. p. 2, tit. 2. pag. 623

Eius vita & geſta, prærogatiuæ, & beneficia. ibid latiſſimè, pag. 630

Martyrum contemplatio. p. 2, & 3, tit 5, p. 724

Martyrologium. p. 1, diſt. 1, tit 4, pag. 108

Mane quomodo ſurgendum. p 1, d. 1, tit. 4. p. 90

Matutini officij conſiderationes & exercitia. p. 1, diſt. 1, tit 4 p. 90

Meditatorium; de practicis, induſtrijſq; meditãdi mentaliter. p. [illegible]iſt. 1, tit. 14, p. 471 vide, ſcala meditandi.

Mendicatorium, modus orandi inſtar mendici ſpiritualis. p. diſt. 2, tit. 11, c. 5, pag. 424

Miſſarum celebratio. p. 1, d. 1, tit. 4, c. 4. pag. 111

Miſſæ miniſter. eodem cap 113

Miſſæ ſummæ exercitia. p. 1, d 1, tit. 4, c. 7. p. 130 & p. 1, d. 2, tit. 10, c. 3. pag. 400

Mortis contemplatio. p. 2, d. 4, tit. 4 pag 770

Mortis piæ præparatio. ibid. 778

Mundi pericula & contemptus. p. 2, d. 4, tit. 2, cap. 2, pag. 756

N

Nocturni officij conſideratio. p. 1, d. 1, tit. 4, p. 97

Nonæ horæ exercitia. p. 1, diſt. 1, tit. 4, c. 8, pag. 133

Nouitiorum admiſſio, & probatio quanti ſit momenti. part. 1, diſtinct. 1, tit. 2. p. 56

O

Obedientia. p.1,dict.tit.pag 463
Officij diuini perſolutio. vide *Horæ canonicæ.*
Oratio mentalis præfertur vocali. p.1,tit.1,p.2
Orationis vocalis præſtantia. ibid.pag.11
Ordinarium vitæ religioſæ,erga Deum. p.1,d. 1,tit.3,pag.82. *Erga Prælatum*,85, *Erga proximos*.87. *Erga ſeipſum*. 88

P

Paſſio Chriſti. p. 1,dict.tit.pag.518, *latiſſime.*
Patriarcharum dignitas. p.2,d.4,tit.2,pa.713
Patientia. p.1,diſt.2,tit.13,pag.462
Paupertas. p. 1.diſt.3,tit.12,pag.464
Perſeuerantia. p.1,diſt.2, tit.2, pag.77
Prælatorum reuerentia. p. 1,diſt.1,tit.3,pa.85
Quomodo ſubditos debeant corrigere. p.1, diſt.1,tit.4.pag.110
Prandij exercitia. par.1,diſt. 1,tit.4,pag.133, vide *Ferculariũ 3.*
Primæ horæ canonicæ exercitia. p.1,dict.tit. 4, cap.2,pag.100
Profectus ſpiritualis media, & impedimenta. p. 1,diſt.1,tit. 2,pag.52
Profectus ſpiritualis cautelæ, proceſſus, dietæ ſeu gradus. p.1,diſt.3,tit.13 pag.453
Prophetarum conſideratio. p.2,d.4,tit.3,p.716
Proprietatis vitium,& retractiuum ab eo. pa. 1,diſt.2,tit.2 pag.42
Prouidentia in agendis. p.1,d.1,tit.2,pag.76
Pſalmorum ſtudium. p.1,diſt.1,tit.5,pag.182
Pſalmus Beati immaculati exponitur. 104, *Beatus vir.* 179, *Ad dominum cum tribularer.* 203
Purgatorium. p.2,diſt.4,tit.6,pag.794

Q

Quinque aurea verba religioſi. p.1.diſt.2,tit, 2,pag.76
Quies religioſi. p.1,diſt.1,tit,4,pag 138

R

Recidiuum peccati. p.1,diſt.2,tit. 10,pag.395
Reformatio animæ. p.1,diſt.3,tit.13,pag.454
Religioſorum ordinum ruina,& cauſa eius,p.59
Remedia vitiorum in generali. p.1,d.3,tit.12, p.436. *in ſpeciali.* p.1,d.3,tit.13,p.456
Roſarium de Sacramento Euchariſtiæ. 371. *De vita Chriſti.* 506, *De paſſione*,556, *De membris Domini*,557, *De circunſtantijs paſſionis*, 563, *De gratijs Domini Ieſu.* 568, *De oratione Dominica*, 683, *De ſalutatione Angelica*, 642, *De B. virginis vita.* 630, *Doloribus*, 662 *Gaudijs*, 667, *gloria*, 672, *Præconijs*.677,
Ruminatorium cõſiderationum de Euchariſtia. p.1,d.1,tit.7,c.1,& 3,p.286
Ruminatorium nominum Euchariſtiæ. ibid. cap.2,261
Ruminatorium portionum agni. ibi.c.4,320

S

Sacramenti nomen & ſignificatio. p. 1,diſt.1, tit.7,pag.283
Sacrificij conſideratio. pa.1,d.1, tit.7,pag.281
Sanctorum cultus. p.1,d.2,tit.11,p.422, & pa. 2,d.3,tit.7,p.786
Scala communionis. p.1,d.1,tit.6,pag.224,259
Scala meditationis. p.2,d.1,tit.14,p.477
Scala paſſionis. p.2,diſt.1,tit 16,pag.518
Schola religioſorum. p.1, dict tit pag 137
Senſuum cuſtodia. p.1,diſt.1,tit.2,pag.86
Septenarum exercitium. p.1,d 3,tit.12,p.444
Sextæ horæ officium. p,1,d.1,tit.4,c.7,p.133
Silentij obſeruatio. pag.65
Sobrietas. pa.1.dict.tit.pag.464
Somni modus. p 1,d.1,tit.4,p.100,& tit.4.388
Somnolentiæ remedia. p.1,diſt.1,tit 4,pa.11
Studij & lectionis neceſſitas & modus. pa.1, diſt.1,tit.4,c.6,pag.120
Superbia. p.1,diſt.3,tit.13,p.449

T

Tentationis ſtatus. p.1,dict.tit pag.455
Tepiditas religioſorum. p 1,tit.1,pag.48
Tertiæ horæ officium. p.1,d.1,tit.4,c.7,p.128

V

Veſperarum officium. p.1,d.1,tit.4,c.9,p.138
Verbi Dei,& concionis auditio. par.1,diſt.2, tit.10,cap.4,pag.408.
Virginum gloria. p.2,diſt 3,tit.6,pag.732
Virtutum inſitio. p.1,d 3,tit.13,c.5,p.460
Virtutum & vitiorum ramificatio. p.1,dict. tit.pag.467,ala,447
Vota religioſorum. par.1,tit,2,pag.38
Vitæ actiuæ & contemplatiuæ figura,& mutua connexio. pag.33

DIVISIO OPERIS SEQVENTIS, BREVI COMPENDIO SYNOPSIM EIVS EXHIBENS.

Quia prolixitas mater faſtidij nobis eſt vitanda, diuiſimus collectarium hoc in duas partes principales, & vtramq; in ſuas diſtinctiones: diſtinctiones vero in diuerſos titulos.

PRIMA PARS principalis, quæ continet exercitia vitæ actiuæ, & habet diſtinctiones ſequentes.

PRIMA DISTINCTIO primæ partis agit de exercitijs in genere, & complectitur titulos ſequentes.

PROLOGVS totius ROSETI: In quo,

1 Ratio editionis huius ROSETI, quæ emendata fuit ab ipſo autore. *pag.1*

2 Vtilitas diſtinctæ tractationis. *pag.2*

TITVLVS primus, eſt quæſtio proæmialis, Iſagogica inuitatoria ad exercitia pietatis, & introductio in ROSETVM. *pag.2*

An exercitia mentalia præferenda ſint vocalibus.

PRIMA pars quæſtionis, De exercitiorum ſpiritualiũ neceſſaria diuerſitate.

CORRELARIVM, 1. Pro varietate animorum, varia eſt etiam qualitas exercitantium. *pag.2.num.1.*

Quidam apti ad contemplationem, inepti ad ciuilia negotia, *pag.3.n.1*

Alij apti ad ciuilia, inepti ad contemplatiua. *ibid.*

CORRELARIVM 2. Secundum diuerſam qualitatem exercitantium debet eſſe diuerſa etiam qualitas exercitiorum. *pag.3.num. 11.deeſt in marg.*

Vnuſquiſque ſequatur genus exercitiorum conſperſioni animæ ſuæ maxime conueniens. *ibid.n.111. deeſt in margine.*

CORRELARIVM, 3. Etiam ſecundum diuerſitatem ſtatuum diuerſa debent eſſe exercitia. *pag.4.nu.4.*

Eccleſiaſtici, & religioſi ſtatus eſt dedi contemplatiuę vitę. *ibid.num.5.*

Etiam apud Ethnicos, ſacerdotes debebant vacare ſacrificijs, & abſtinere à negotijs temporalibus. *ibid.num.6*

Quo magis condemnandi ſunt Chriſtiani ſacerdotes, qui in hoc ab eis vincuntur. *ibid.num.7*

Conſolatoria excitatio mentium hebetiorum. *pag.5.nu.8.deeſt in margine.*

CORRELARIVM, 4. Exercitia naturæ & ſtatui accommodata, non ſunt facile mutanda, ſed conſtanter ordinateq; ſeruanda. *pag.5.n.9*

Meliora tamen chariſmata oportet ęmulari. *ibid.*

Quatuor religioſorum exercitia ordinatè ſibi inuicem ſuccedentia. 1, Mẽtalis oratio. 2. Exercitia orationum vocalium. 2. ſtudium ſacrarum ſcripturarum. 3. Opus manuale. *pag.5. num.10.qui deeſt in margine.*

Deteſtandum propoſitum non proficiendi, ſed perſiſtendi in infimis. *pag. 6,nu.11.*

Quàm arctè obligati ad ſtatum perfectionis teneantur ad exercitia ſpiritualia. *ibid.*

Ita æmulemur chariſmata meliora, vt tamẽ ſeruetur diſcretio ſtatus, & gratiæ vnicuiq; conceſſæ. *ibid.n.12*

SECVNDA pars quæſtionis, Sitne vtilius tempus impendere orationi mẽtali, an vero vocali?

COR-

CORRELARIVM, 5, Exercitatio ſpiritualis eo præſtantior, quo in charitate radicatior, & vero affectu feruentior *pag. 6. num 13*
Quia magno mandato de dilectione obedientior. *ibid.*
Quia fini huius præcepti vicinior. *ibi. pag. 7*
Quia talis exercitatio dignior eſt ex ſubiecto ſeu potentia à qua egreditur, & ex habitu ſeu dono à quo elicitur & informatur; & ex obiecto quod immediate reſpicit. *p. 7, num. 14*
Eſt etiam prouentu vtilior *ibid n. 15*
Eſt etiam ad ſalutem magis neceſſaria. *ibid.*
Et tandem Deo acceptior. *num. 16*
Quis affectus amoris ſit verus. *ibid.*
Talis etiam exercitatio eſt magis vſurpanda à religioſis & ſpiritualibus viris *ibid num. 17*
Affectus prçferendus intellectui. *pa. 8, num. eodem.*
CORRELARIVM, 6, Tanto affectuoſior eſt exercitatio ſpiritualis, quanto viuacioribus conceptibus mentalibus affectam charitate accendit. *p. 8, n. 18*
Affectus ſequitur cognitionem, magnus maiorem, & attentiorem cognitionem attentior affectio. *ibid. nu. 19*
Aliquando tamen ex diuinæ bonitatis diſpẽſatione præuenit affectus cognitionis diligentiam *pag. 9 num. 20*
Aliquando ſubtrahitur conſolatio affectiua, etſi præceſſerit diligens exercitatio mentalis: & cauſæ cur hoc permittat Deus. *ibid.*
Verus affectus eſt, non quem parit ſubitus feruor, ſed conſtans & habitualis dilectio. *ibid num. 21*
Exercitatio mentalis debet eſſe virilis & induſtria; non ſuperficialis, aut otioſa. *ibid num. 22*
Cur multi ſcientes, pauci ſapientes; ex defectu huius conſiderationis patet. *ibid.*
CORRELARIVM, 7. Melior eſt oratio mentalis pura & attenta: quam vocalis oratio prolixa gregariæ attentionis. *pag 10, num. 23*
Differentia inter orationem mentalem puram, & vocalem meram. *eod. n.*
Oratio mentalis eſt affectuoſior, virtuoſior, conuenientior, formalior: & Deo acceptabilior. *eod. num.*
Eſt & laudabilior, iudicio Domini; & omnium ſanctorum Patrum. *ibid. nu. 24, & 25, qui deeſt in margine.*
CORRELARIVM, 8, Nihilominus tamen oratio vocalis non eſt ſpernẽda. *pag. 11, num. 26*
Sed, cum debetur, exactiſſime eſt perſoluenda. *ibid. nu 27, & 33*
Tanquam valdè congruè à ſanctis Patribus inſtituta. *pag. 12, num. 28*
Vtiliſſima etiam fuit inſtitutio cantus & modulationis in vocali oratione. *ibid num. 29*
Vtilitates vocis altè ſonãtis in oratione vocali eccleſiæ. *ibid num. 30, 31*
Oratio tamen vocalis vltrà debitum non eſt multum aſſumẽda, à religioſis. *pag. 13, num 34*
CORRELARIVM, 9, Cæterum ſimplicioribus imperfectis valde accõmoda eſt oratio vocalis in priuatis precibus. *ibid. num. 35*
Perfectis etiam pro temporum diuerſitate poteſt competere. *ibid 36*
CORRELARIVM, 10, Plærunq; tamen vocalis oratio vltra debitũ protracta, videtur perfectioribus quodammodo prohibita. *pag. 14, num. 37*
Ægyptiorũ monachorũ exẽplo. *n. 38*
Sanctorum etiam Pachomij, & Benedicti; inſuper & Caſſiani. *num. 39*
Videtur etiã iiſdem periculoſa. *nu. 40*
Inſuper & valde nociua. *pa. 15, n. 41, 42 (qui numeri deſunt in margine)*
Valde etiam indecens & dedecoroſa, ſi propter eam negligatur mentalis oratio. *n. 43, 44, 45, (qui numerus deeſt)*
Sed vtraq; ſimul eſt coiũgẽda *p. 16, n. 46*
Productior oratio vocalis eſt offẽſiua. *ibid num. 47, 48, 49*
Meditationẽ & conſiderationem diuinorum in officio diuino incluſorum impedit. *pag 17, num. 50*
Nomen Dei fruſtra & irreuerenter aſſumit. *ibid. nu 51, 52*
Eſt etiam talis orationum vocaliũ multiplicatio interdũ culpabilis. *p. 18, n. 53*
Præſertim in temporo miſſæ. *54*
Nõ eſt proinde oratio vocalis vltrà debitum aſſumenda. *ibid. num 55*
Nõ eſt gloriandum in multitudine orationum vocalium. *56*
CORRELARIVM, 11. Neutra oratio, vocalis nec mentalis eſt, perfecta ſine meditatione. *pag. 19, nu 57*
CORRELARIVM, 12, Omni exercitationi prodeſt meditatio attenta. *ibid. & pag. 20, num. 58. 59*
CORRELARIVM, 13. Meditatio magis neceſſaria eſt, quam oratio vocalis. *ibid num 60*
Ideoque eſt eadem prçſtantior, & præferibilior. *num. 61, 62, 63. 64, 65*

Laus ſapientiæ ſpiritualis. *p.* 22.*n.66.* 67.68
Oratio mentalis ita ſuadetur, vt vocalis præ illa diſſuadeatur. *nu.69*
Intenſum ſtudium ſcripturarum ſine meditatione cordis impedit potius, quam promouet perfectionem. *p.33. num.*70.71.72.
CORRELARIVM, *14.* Longe magis aſſueſaciendum orationi mentali, quã vlli exercitio corporali. *p.24. num.73.*74
TERTIA pars quæſtionis, continẽs obiectionum ſolutiones.
Soluitur prima obiectio, de exercitijs conſuetis non facile mutandis *p.25. num.*75
Soluitur ſecunda obiectio: non omnia meliora à ſimplicioribus aſſumenda. *nu. 76.*
Tertia obiectio. Etiam orationem vocalem, ſine meditatione multa perfectam eſſe. *num.*77.
Non dari amorem ſine cognitione. 78.79.
Quarta obiectio: oratio ex mente & voce prodiens, ſola mẽtali perfectior *p.* 26.*num.*70.
Quinta obiectio: vocalis oratio eſt Chriſtiformior. *num.* 81,
Sexta: vocalis oratio ſanctis vſitatior. 82.
Septima, Sãcti, qui quotidie magnum numerum vocalium orationum recitarunt. *pag.27.num.*83
Octaua, ſumpta à roſariorum inſtitutionibus, & Pſalteriorum Beatæ Virginis. *num.*84.
Nona, à verbis & modis loquendi dulciſſimis & affectuoſis orationum vocalium. *p. 28. num.* 85. 86.87.88.
Decima, vocalis oratio laborioſior. *pag.29.num.*89.90.
Vndecima: vocalem orationem reprobare eſt erroneum. *num.* 91.
Auctoritates Patrum. *p.*30.*n.92.*
Diuinorum officiorum veneratio 93.
Querela diſtractorum. 94.
Raritas hodierna contemplatiuorum. 95.
Meditatio antiquis vſitatiſſima *pag.* 31.*num.* 96.
SPECIALIS partitio Roſeti. *p.*31.
Procemium primę partis *pag.32.*
Multiplices figuræ vitæ actiuę & contemplatiuæ. *Ibid.*
Trium ſtatuum ſpiritualis vitę figuræ. *pag.33.col. 1.*
Mira varietas huius Roſeti *Ib col.* 2.
Ordo inter actiuam & contemplatiuam vitam. *Ibid.*
Mutua earundem connexio. *pa.* 34.*col.*1
PARTIS primæ, diſtinctio prima de actiuæ vitæ exercitijs. *p.*34
Proæmiolum.
TITVLVS ſecundus. Eruditorium exercitiorum. *ibid col.*2
Interna exercitia maxime amplexanda. *ibid.*
CAP. *I.* Exercitiorum certorum vtilitas, *pag.35.num.*1, qualitas, *num.* 2.
Modus, *p.36. num.*3
CAP. 2. Incitamenta feruoris. *pa.37. num.*1
Membrum 1. Multiplicis feruoris conſideratio. *pa.37.nu.*2
Membrum, 2. Votorum emiſſio ad feruorem valet plurimum. *p.38.num.*3
Trium votorum varia commendatio. *pag.39.* 40
Membrum 3. quam enorme ſit in monaſterijs tepidè viuere, *pag.*48
CAPVT Interjectum *(per errorem, caput 2.)* continens Retractiuum à vitio proprietatis. *pa.* 41
Deformatio religioſorum. *p.*42.*n.*1
Multitudo officialium deſtruit communitates. *ibi. nu.* 2
Membrum, 1, Seu retractiua à vitio proprietatis. *pag* 42.*col.* 2
§. 1. Prohibitio facta in ſcriptura, regula, & canonibus. *ibid.num.*3
§. 2. Horror exemplaris ex ſcriptura. *pag.* 43.*num.*4
Alia exempla ex ſanctis patribus. *p.*44
§. 3. Duodecim ſtultitiæ proprietarij. *pag.*45.*num.6*
§. 4. Enormitas peccati proprietatis, multa alia in ſe continens vitia. *pag.* 46.*num.6.*
§. 5. Mala quæ ex proprietatis vitio oriuntur. *p.46.nu* 7
§. 6. Seueritas pænæ proprietarijs inflictæ. *pag.* 48.*num.8*
Membrum, 2. Confutantur excuſationes proprietariorum. *pa.49.n.*10
Periculoſa diſpenſatio in vſu peculiari pecuniarum & proprij. *pag.*50. *num.*11.& 14
Officium pij religioſi inter proprietarios viuentis. *p.*51.*nu.*15.& 16
Membrum,3. Sex remedia contra vitiũ proprietatis, *p* 52.*nu.*17
CAPVT III. De medijs proficiendi. *pag.* 53.*col.*1
Membrum, 1. Generalia impedimenta profectus declinanda. *ibid nu.*1

Mem-

Membrum, 2. Specialia profectus im-pedimenta. *pag.54, num.2*
Membrum, 3. Singularia obſtacula pro fectus. *pag. 55, num.3*
Vulpes demolientes vineas: hoc eſt, qui proprio ſenſu conuellunt funda-menta religionum. *p.ead.col.2, & pag.56, col.2, num.8*
§.1, Diligentia probationis nouitiorũ. *pag.57, num.9*
In quibus probari debeant nouitij. *ibid.num.10*
§.2, Cur multi minus idonei admittã-tur ad religionem. *p.58, num.11*
Quomodo vulpes admiſſę, ſint im-mutandæ per mortificationem. *pa. 59, col.2*
Quomodo illis reſiſtendum, ſi nolint immutari. *ibid.col.2*
Amor inordinatus ſui, maximum pro-fectus impedimentum. *ibid.*
§.3, De cauſis ruinæ in obſeruantia re-ligioſa. *ibid.num.13*
§.4, (*per errorem*, 6,) Cauſæ lapſus ſin-gulorum ordinum. *pa.60, num 14*
CAPVT IV. De bonæ vitæ directiuis & promotiuis. *pa.61, col2*
Membrum, 1. De officina ſalutis, quæ eſt cella religioſi. *pag.62, n.1*
§, 1, Inductiua ad arctam cellæ cuſto-diam. *ibid.num.2*
§.2, Remedia conſeruatiua religioſi in cella. *pag.63, num.3*
Solitudo interior mentis comitari de-bet ſolitudinem externam corporis *pag.64, col.2*
Membrum, 2, De inſtrumentis ſaluti congruentibus. *pa.65, col.2*
§.1, Silentij obſeruatio. *ibid n.4*
§. 2, Cuſtodia ſenſuum. *66, num.5*
Oculorum cuſtodia. *67, col. 1*
Cuſtodia auditus. *68, col.1*
§.3, Diſciplina morum. *p.69. col.1*
Diſciplinæ neceſſitas, *ibid.* ſignificatio. *p.60, col. 1.* Vtilitas, *ibid.col.2*
Diſciplinæ defectus valde indecens. *pag.71, col. 1*
Sex promotiua diſciplinę. *p.72, col.1*
Notula, 1, Diſciplina in habitu & veſti-bus. *p.73, col.1*
Notula, II, Diſciplina geſtus, *ibid.col.2 num.12*
Notula, III, Diſciplina linguæ *p.74. n.13*
Circumſtantiæ loquutionis. *p.75. n.14*
Quinque aurea verba religioſi. *pag 76, col.1*
§.4, Conſideratio prouida agendorũ. *pa.76, num.16*
§.5, Oratio crebra. *pa.77, num.17*
§. 6, Quid veniſti? *ibi.n.18*
§. 7, Perſeuerantia & ſtabilitas. *ibid. num.19*
Remedia contra tentationem inſtabi-litatis. *pag.78, col.1*
Adiutoria ad ſtabilitatem, *p.79, col.2*
PARTIS, I. DISTINCTION. I. TITVLVS III, *p 82*
Ordinarium vitæ religioſæ.
Prologus. Ordinis decentia. *p.82, n.1*
CAPVT I. De his, quibus ordinamur er-ga Deum. *ibid. nu 2*
Membrum, 1, Quinque ordinantia er-ga Deum. *pag.83*, quorum, 1, gratitudo, 2, Recta intentio, 3, Examen conſcien-tiæ, *pag. 83*, quartum; ſolicitudo am-bulandi coram Deo. *pag.84*
Membrum, 2. Septẽ affectus erga Deũ. *pag.84, num.7*, Amor, Reuerentia, ze-lus, Honor, obedientia, Regratiatio, Delectatio.
CAPVT II. Ordinatio erga prælatum. *pag. 85*, obedientiæ gradus. *ibid.*
CAPVT. III. Ordinatio erga fratres. *p.87*
Quinque modi conuerſationis. *ibid.*
Septem affectus erga proximum *p. 88*
CAPVT IV. Ordinatio hominis erga ſe-metipſum. *pag.88*
Septemplex affectus hominis erga ſe. *pag.89*
DISTINCTIONIS I. Titulus quartus
Dietarium exercitiorum. *pa.90*
Prologus.
CAPVT I. Exercitia ad matutinum. *pa. 90. col.1*
Septem voces excitantes ad matuti-num. *ibid col.2*
Membrum, 1, Qualiter ad matutinas ſurgendum. *pag.90, num 2*
§. 1, Quæ faciant ad ſurgendum ala-criter. *pag.91, num.3*
Contra ſomnolentiam. *ibid.n 4*
Remedia ad vigilantiam. *p.92, col.2*
§. 2, Signum crucis faciendum. *pag. 93, num.5*
§. 3, Salutetur Maria. *pag 94, n 6*
Membrum, 2. Quid debeat iam veſtitus facere ante ſecundum pulſum chori. *ibid.num.7*
Excuſſio ſui. *ibid.*
Purgatio intellectus, & affectus. *pag. 95, col.1*
Gratiarum actio, & intentio emendę. *ibid. col 2*
Membrum, 3. Ad ſecundum ſignum, præparatio, & modus exoluẽdi horas. *pag.96, num.11*
§. 1. Conſideranda de ſingularum ho-rarum cauſis & myſterijs. *ibid. num.12*

Cauſæ generales. *ibid.*
Cauſæ ſpeciales Nocturnorum. *pag. 97, col. 1*
§. 2, De laudibus matutinis. *ibid col. 2*
§. 3, De horis B. Mariæ Virginis ſoluẽdis. *pag. 98, col. 1*
Membrum, 4, Quid poſt matutinas agendum. *ibid. col. 2*
Septem exercitia.
Membrũ, 5, Dormitio poſt matutinas. *pag. 100, num. 18*
CAPVT II. De exercitijs ad Primas. *pa. 100, num 1*
Quomodo ſurgendum ad primas *ibid.*
Membrum, 1, Quid agendum poſtquã quis veſtitus fuerit. *pa. 101, num. 2*
Gratiarum actio. *num. 2*, Succenſio amoris. *num. 3*, Renouatio deſponſationis, *num. 4*, Oblatio omnigenę hoſtię. *num 5*, Quæſitio regni Dei. *num. 6*
Membrum, 2. De ipſa hora primarum. *num 7*
§. 1, Laus Pſalm. 118, Beati immaculati. *pa 103, num 8*
§. 2, Septemplex expoſitio eiuſdem Pſalm. *pa. 104, num 9*
1, Morale Alphabetum. *num. 12*
2, Paradiſus voluptatis. *num. 13, pag. 105, col. 2*
3, Fluuius paradiſi. *ibid.*
4, Apotheca aromatum. *pag. 106*
5, Duplicis vitæ, actiuæ & paſſiuæ exercitium. *ibid.*
6, Secundum varium hominum ſtatum. 107
7, Vt Sol, triplici amantium affectu ardens. *ibid.*
CAPVT III. De Capitulo & martyrologio. *pag. 108*
Domus capituli. *ibid. col. 2*
Membrum, 1, Quomodo religioſus ſubditus habere ſe debeat in capitulo. *pa. 109, num. 2*
Libenter audienda vitiorum ſuorum correctio. *pag. 109, num. 3, 4*
Membrum, 2, Qualis debeat eſſe Prælatus in corripiendo. 110, *num.* 5
CAPVT IV. Exercitia poſt primas. *pag. 110*
Membrum, 1. De celebratione miſſarum. *ibid.*
Quotidie celebrandum. *pag. 111*
Modus præparandi ad miſſam. *pa. 112*
Quantum temporis in miſſa expendendum. *ibid.*
Membrum, 2, De miniſtratione ad miſſam. *pa. 112, nu. 5*
§. 1, Qualis debeat eſſe, qui miniſtrat miſſæ. *pag. 113, num. 6*
§. 2, Qualibus exercitijs deuotionem ſuam exercere debeat. *pa. 114 num. 7*
Membrum, 3, Quomodo reuertetur religioſus ad cellam poſt rem diuinam. *ibid. num. 8*
CAPVT V. De labore manuali. *pag. 115, num. 1*
Membrum, 1, Cur interdum expediat manualiter operari. *pag. 116, nu. 2*
Membrum, 2, Qualia opera præ cæteris deligenda. *pa. 116, nu. 3*
§. vnicus: de opere ſcripturæ, eiuſque laude. *pa. 117, num. 4*
Membrum, 3, De ipſo modo operandi. *pag. 118, num. 5*
§. 1, De modo quo ſe habere debeat religioſus ſub ipſo opere, dum operatur. *ibid. num. 7*
§. 2, De modo terminandi laborem. *num. 8*
CAPVT VI. De diligentia ſtudij, & lectionis. *pag. 120, num. 1*
Membrum, 1, Inductiua ad amorem ſtudij. *ibid. num. 2*
Membrum, 2, De qualitate lectionis vel ſtudiorum. *pa. 122, num. 3*
Præſertim pro nouitijs. *num.* 4
§. 1, De ordine ſtudiorum. *num. 5*
§. 2, Tabula librorum præcipuorum. *pa. 123*
§. 3, Quomodo & quo fine legendi ſint libri. *pag. 124, col. 1*
Primum de moralibus. *col. 2*
Deinde de deuotionibus. *ibid.*
Aſſiduitas & induſtria commendatur. *pag. 125*
Membrum, 3, Practica de modo lectionis, *ibid. num 18*
§. 1, Qui libri præcauendi *p. 126, nu. 10*
§. 2, Studij promotiua. *ibid.*
§. 3, Modus terminandi ſtudium. *pa. 128*
CAPVT VII. De diſpoſitione ad cantandum tertias. *p. 128, col. 2*
Membrum, 1, De ſumma miſſa & eius parte præparatoria. *p. 130, num. 2*
§. 1, De præparatione affectus & introitu. *ibid. num. 3*
De Kyrie eleiſon. Gloria in excelſis. & Dominus vobiſcum. *ibid.* 4
§. 2, Præparatio quoad intellectum. *pag. 131, col. 2*
De epiſtola, Graduali, Alleluia & Euãgelio, & Symbolo. *ibid. & 132*
§. 3, Exequutorium miſſæ. *ibid. col. 2*
§. 4, Terminatorium miſſę. *p. 133, n. 7*
Membrum 2, Diſpoſitio ad cantandum ſextam. *ibid. col. 2*

Digitized by Google

§, 1, Quid poſt tertias, vel nonas agẽdum. *ibid. num. 9*
CAPVT VIII. De refectione prandij. *pag 133, col. 1*
Membrum, 1, De nonis cantandis. *ibid. num. 2*
§, Quid poſt prandium agendum. *ibi. num. 1*
Membrum, 2. De labore manuali poſt prandium vel nonas. 135, *nu.* 4
§, 1, De opere ruſticali. *p. 136, n. 6*
§, 2, Quomodo ſe citò diſponat ad laborandum. *ibid. nu.* 7
PARTIS II. Diſtinctionis, 1. Titulus 3. ordine. 16
Scala Dominicæ Paſſionis.
CAPVT I. Inductiua ad Dominicæ paſſionis meditationem frequentandã. 518. *n.* 1
CAPVT II. Ipſa ſcala meditatoria paſſionis. 520
Membrum, 1, Gradus initiatorij ſcalæ. 521
§, 1, Gradus 1. Excuſſio. *ibid. col.* 1
§, 2, Gradus, 2. Beneuolentiæ captatio. *col.* 2
Membrum, 2, Gradus proſequutorij. 522, *col.* 2
Aduerte, quod diſtinctio vltima huius paginæ tota pertinet ad columnam ſecundam, & membrum 2.
§, 1, Gradus 1. Commemoratio. 523
§, 2, Gradus 2. Compaſſio. 524
Conſideratio, 1, perſonæ patientis. *ibi.*
Notula, 1, Qualis Chriſtus ſecundum humanitatem. *ibid. col.* 2
Notula, 2, Qualis Chriſtus ſecundum diuinitatem. 528, *col.* 1
Conſideratio, 2, Pænarũ Chriſti acerbitas & aggrauantia. *ibid. col.* 2
Notula, 1, Cauſa efficiens pœnarum. 529, *num.* 14
Notula, 2, De pæna inflicta Chriſto. 529, *num.* 16
Notula, 3. Circumſtantia loci, temporis, ſocietatis, & genus mortis. 531, *col.* 1
Notula, 4, Aggrauantiæ internę, primo ex præcognitione. 533
Gradus agoniæ in Chriſto. *ibid.*
Quantum afflixerit Chriſtum præuiſio peccatorum noſtrorum. 535
Iacturæ peccati. *ibid.*
Notula, 5. Obiectorum doloroſorum multitudo. 537
Notula, 6, Impulſio fortis. *ibid.*
Notula, 7, Plurium compaſſio. *ibid.*
Conſideratio tertia iniuſta cauſa paſſionis. 538, *nu.* 18, 29
§, 3, Gradus 3. Imitatio. *ibid. n.* 30, 31
§. 4, gradus, 4, gratiarum actio. 540 *num* 32
§. 5, gradus, 5, Admiratio. 541, *nu.* 33
§, 6, gradus, 6, Exultatio. 42
Septem ſignacula quæ ſoluit Chriſtus in Apocalypſi. 543
§, 7, gradus, 7, Liquefactio. *ibid. n.* 45
Patris dilectio erga nos. 544
Spiritusſancti dilectio. 545, *nu.* 37
Filij dilectio & ſeptemplex amor. *n.* 38
§, 8, gradus, 8, Vnio amoroſa. 546
Membrum, 3, gradus terminatorij. 548
§, 1, gradus, 1, Oblatio. *num.* 41
Comparatio ſacrificiorum legalium & mentalium. *ibid.*
§, 2, gradus, 2, Reflexio ſupra ſe. 550
CAPVT III. Scala paſſionis ſecundum ferias diſtincta. 550, *ad* 556
CAPVT IV. Varia Roſaria de paſſione. 556
Membrum, 1, Roſarium ſecundum mẽbra Chriſti Domini. *ibid.*
§, 1, Secundum internas potentias 557
Notula, 1, Vires animæ Chriſti. *ibid.*
Notula, 2, Habitus animæ Chriſti. 578
Notula, 3, Species in anima eius. *ibid.*
Notula, 4, Affectiones animæ Ieſu. 579
Notula, 5, Actus in anima eius. 580
§, 2, De membris exterioribus Chriſti. 580
§, 3, Ornamenta Pontificalia. 563
Notula, 1, Ornamenta ſacerdotalia. *ibid.*
Notula, 2, Inſignia regalia. *ibid.*
Notula, 3, Multiplices curationum modi. *ibid.*
Membrum, 2, Roſarium de circumſtãtijs paſſionis. 563
§, 1, Quis patitur. 564
§, 2, Qualis eſt, qui patitur. *ibid. col.* 2
§, 3, Quantus eſt, qui patitur. *ibid.*
§, 4, Qualiter patitur. 565
§, 5, Qualia patiatur. *ibid.*
§, 6, In quibus patitur. 566
§, 7, Aggrauantia externa. *ibid.*
§, 8, Aggrauantia interna. *ibid.*
§, 9, Quo amore. 567
§, 10, Quo fructu. *ibid.*
Membrum, 3, Roſaria de geſtis Domini in paſſione. 568
Roſarium pro feria ſecunda. 569
Pro feria tertia. 570
Pro feria quarta. 571
Pro feria quinta. 572
Pro feria ſexta. 573
Pro ſabbatho. 574
Dominica die. 575
P.P. DIST. I. Titulus 4. ordine. 17.
Beneficiarium. 576
CAPVT. I. De beneficijs diuinis in generali.

Digitized by Google

rali. *ibid.*
Membrum, 1, Incitamenta ad gratiarum actionem. *ibid.num.1*
Ingratitudinis damna 577,*col.*1
Membrum, 2, Gradus ſcalares agendi gratias. 578, quorum, 1, Excitatio.*ibid. num.2*
gradus,2, Commemoratio. *num.3*
gradus, 3, Conſideratio. *num. 4*
Quomodo tribuendum ſit beneficiū. *ibid.*
gradus,4, Dijudicatio. 580,*nu. 8*
gradus, 5, Querela optatiua. *nu. 9*
gradus,6, Profeſſio ſuſceptorum beneficiorum. *num.10*
gradus,7, Gratiarum actio. *nu 11*
gradus, 8, Oblatio. 581,*num.12*
gradus,9, Repenſio. *num. 13*
Membrum,3, Singularia beneficia. 581
Diſtributio tabellaris beneficiorum per ferias. 582,*ad* 585
CAPVT II. Beneficium creationis. 586
Membrum,1, Prædeſtinauit ante mundi fundamenta. *ibid.*
Membrum,2, Creauit in tempore. 587, *num 2*
Membrum, 3, Corporis conſideratio. 588,*num 3*
Membrum,4, Sexus conſideratio. 590 *num.4*
Membrum,5, Animæ productio. *num.5*
Membrum,6, Angelorū miniſteriū. 591
Membrum,7, Cunctarum rerum ſubiectio. 592
Membrum,8, Parentes boni. 593
CAP.III. Beneficium gratificationis. 594
Membrum, 1, Quomodo gratificauit nos Deus in ſeipſo. 594
§,1, Natum ſuum Chriſtum dedit. *ibid.*
§,2, Dedit ſpiritum ſanctum. 695
Membrū,2, Quomodo gratificauit nos Deus in medijs ad ſalutem datis. 596
§,1, Sacramenta. *ibid.col.2*
§,2, Domus eccleſiæ Catholicæ. 597
§,3, Tempus gratiæ & Euangelij. *ibid. col,2*
§.4, Baptiſmus. 598
§,5, Confirmatio. *ibid.col.2*
§,6, Nomen Chriſtiani, 599
CAPVT IV. Beneficium vocationis ad pænitentiam. 600
Membrum, 1, Longanimis expectatio vocationem antecedens. *ibid.*
Membrum,2, Ipſamet vocatio gratioſa. 601, *num.2*
§,1, Dedit bonam voluntatem, *num.3*
§,2, Læta ſuſceptio pænitentis. 602
Membrum,3, Eductio à ſæcularibus cōſolationibus. 602,*nu.5*
§,1, Fuga ſæculi quātū ſit beneficiū. 603
§,2, Loc⁹ regularis reformationis.*ib.n.6*
Membrum. 4, Tēpus & ſpatium ad pænitentiam, 604,*n.7*
Memb. 5, Deletio peccatorum. 605,*n.8*
CAP. V. Beneficium iuſtificationis. 605
*Memb.*1, Immutatio malæ voluntatis in bonam. 606. *num.1*
Memb. 2. Finalis perſeuerantia. *num. 2*
Memb. 3, Spes veniæ, gratiæ, gloriæ. 607
*Memb.*4. Gratia proficiendi. 608,*n.*4
*Memb.*5, Manna conſolationis. *nu.*5
*Memb.*6, Libri pij & vtiles. *num.*6
*Memb.*7, Ornatus animæ. 609.*n* 7
Memb. 8, Sanctorum merita, exempla, & patrocinia. 610,*num.*8
CAPVT VI. Beneficium ſingularis dotationis. 610
*Memb.*1, Singularia communia dona naturę, fortunæ gratiæ. *ibid.nu.*1
*Memb.*2, Singularia ſpecialia. 611,*nu.* 2
Memb 3, Gratia meditandi. 612,*num.3*
*Memb.*4, Guſtus deuotionis. *num.* 4
*Memb.*5, Gratiæ gratis datæ. 613,*nu .5*
*Memb.*6. Præſeruatio à peccatis. *n.6*
*Membr.*7, Fortitudo in occaſionibus. 614,*n.7*
*Membr.*8, Ordines ſacri. *num.*8
CAP.VII. Beneficium gubernationis. 615
*Memb.*1, Conſeruatio in eſſe. *num.*1
*Memb.*2, Prēſeruatio à periculis.*num.* 2
*Memb.*3, Alimenta, veſtimenta. 616,*n.5*
*Memb.*4, Omnia neceſſaria, 617 .*num.4*
*Memb.*5, Cætera propter nos regit. *n.6*
*Mē.*6, Aduerſa immiſit ad bonū. 618,*n.7*
*Memb.*7, Perpetua aſſiſtentia. *num.*8
CAP.VIII. Beneficiū glorificationis. 619
§. Exemplaris forma regratiandi. 621
SECVNDÆ Partis Diſtinctio, 2. quę eſt ordine, 5. eiuſq; titulus vnicus, ordine. 18 De Beata virgine,
CAPVT I. Præparatorię conſiderationes ad cultum virginis. 623
Membrum,1, Inductiua ad ſeruiendum Mariæ Matri Dei. *ibid.*
Membrum,2, Quales debeant eſſe ſerui Marię virginis. 625
Membrum, 3, Quomodo inſtandum laudibus B. Virginis. 626
Membrum,4, Quibus obſequijs colenda virgo. Roſarij commendatio. 627
Membrum,5, Modus Roſaria dicendi. 628
CAPVT II. Roſarium de ortu Marię virginis. 630
Membrum,1, B. Maria prælecta à Deo, & à multis præoptata. 631
Membrum, 2, Maria præfigurata multipliciter ab exordio mundi.

Digitized by Google

Membrum, 3, Maria multipliciter prophetata. *633, num. 5*
Membrum, 4, Maria multis & ſublimibus rebus comparata. *634, nu. 6*
Membrum, 5, Mariæ conceptio. *ibid. num. 7*
Membrum, 6, Læta eius natiuitas. *635 num. 8*
Membrum, 7, Maria in templo præſentata. *636, num. 9*
Membrum, 8, Mariæ conuerſatio. *637*
Membrum, 9, Mariæ mira deſponſatio. *639*
Membrum, 10, Præparatio ad conceptum filij Dei. *640*
CAPVT III. Roſarium de explanatione ſalutationis Angelicæ. *641, 642*
Membrum, 1, Immunitas Mariæ ab omni væ. *642*
Membrum, 2, De nomine Mariæ. *644*
§, 1, Dignitas nominis Mariæ, *ibid.*
§ 2, Efficacia huius nominis. *645*
§, 3, Interpretatio nominis. *646*
§, 4, Etymologia literalis. *ibid. col. 2*
Membrum, 3, Plenitudo gratiarum Mariæ. *647, 648*
Membrum, 4, Quomodo Dominus fuit cum Maria. *649 n. 15*
Membrum, 5, Maria benedicta in mulieribus, *650, n. 16*
CAPVT IV. Altera pars ſalutationis angelicæ; alio Roſario explicata. *651*
Membrum, 1, Qualis benedictio fructus ventris Mariæ. *652, num. 1*
Membrum, 2, Conſiderationes de fructu ventris Mariæ. *653*
§, 1, Cultus, præparatio, comeſtio huius fructus. *num. 2.*
§, 2, Qualitas & dulcedo fructus. *n. 3*
§, 3, Vtilitas & efficacia eius. *654, n. 4*
Membrum, 3, Benedictus venter virginis. *num. 6*
§, 1, Cóparatur figuris propheticis. *ibi.*
§, 2, Deſcribitur à proprietatibus puriſſimis. *651, num. 7*
Membrum, 4, Benedictum nomen Ieſu. *num. 8*
§, 1, Nominis Ieſu præconia. *ibid.*
§, 2, Nomen Chriſti. *6 2, num. 9*
CAPVT V. Roſarium de benedictione membrorum virginis matris. *656, 1*
Membrum, 1, Benedictio mentis Mariæ. *657, num. 2*
Membrum, 2, Benedictio corporis Mariæ. *658*
Membrum, 3, Miracula virginis. *660, num. 4*
§, 1, Peccantibus impetrat veniam *num. 5*
§, 2, Seruitoribus impendit gratiam. *661, num. 6*
§, 3, Deuotis impendit recreationem. *num. 7*
§, 4, Tribulatis præſtat ſolamen. *n. 9*
§, 5, Subuenit poſt mortem. *662, num. 2*
CAPVT VI. Roſarium de doloribus virginis. *662*
Membrum, 1, Qualis dolor virginis. *663, num. 2*
Membrum, 2, Modus quo doluit. *nu. 3*
Membrum, 3, Dolorum varietas. *664 num. 4*
Membrum, 4, Quintuplex martyrium virginis. *nu. 5*
Membrum, 5, Naturales cauſæ maternorum dolorum. *665, num. 6*
Membrum, 6, Rationes gratuitæ cópaſſionis virginis cum filio. *666, nu. 7*
Membrum, 7, Figuræ & prophetiæ dolorum virginalium. *num. 8*
Membrum, 8, Singulares quidam Mariæ dolores. *667, n. 9*
CAPVT VII. Roſarium de gaudijs dulciſſimæ virginis. *667*
Membrum, 1, Qualitas gaudiorum Mariæ. *668, 1*
Membrum, 2, Gaudiorum eius varietas. *num 2*
Membrum, 3, Teſtimonia de magnitudine gaudiorum ipſius. *669, nu 3*
Membrum, 4. Signa magnitudinis gaudiorum ipſius. *nu. 4*
Membrum, 5, Rationes generales gaudiorum virginis. *n. 5*
Membrum, 6, Rationes ſpeciales. *670 num. 6*
Membrum, 7, Præcipua gaudia. *671 num 7*
CAPVT VIII. Roſarium de gloria B. Virginis *672*
Membrum, 1, Gloria virginis quoad locum. *num. 2*
Membrum, 2, Quoad ornatum. *673 num. 3*
Membrum, 3, Glorificationis integritas. *674, num. 4*
Membrum, 4, Præmiorum ſublimium vniuerſalitas. *num. 5*
Membrum, 5, Officium & ſtatus dignitas. *675*
Membrum, 6, Cultus eius ſingularitas. *num. 7*
Membrum, 7, Rationes cur debeat coli. *676*
CAPVT IX. Roſarium generale de præconijs B. Virginis. *677*
Membrum, 1, Æterna Virginis prædeſtinatio. *ibid. num 2*

Digitized by Google

Membrum 2, Virginis votiua præoptatio & varia prædictio. 678, *num*.3
Membrum 3, Vitam Mariæ concomitantia.
§ 1, Priuilegia ſingularia. 679, *n*.4
§ 2, Priuilegia ſpecialia. 629, *n*.4
§ 3, Priuilegia communia. 681
§ 4, Eius Beneficia generalia. *n*.6
§ 5, Beneficia ſpecialia. 682, *n*.7
Membrum 4, Vitam eius ſubſequentia.
1, priuilegia, quibus excedit in gloria. 682
Subſidia quibus ſubuenit ſuis. 683
Capvt 10, Roſarium pro explanatione orationis Dominicæ. 683
Membrum 1, Captatio beneuolentiæ.
Pater. 684
Noſter. 685
Qui es in cælis. *ibid.*
Sanctificetur nomen tuum. 686
Adueniat regnum tuum. *ibid.*
Fiat voluntas. 687
Panem noſtrum. *ibid.*
Dimitte nobis. 688
Et ne nos inducas. *ibid.*
Libera nos à malo, *ibid.*
PARTIS 2. Diſtinctio 3, ordine libri totius 6. de Sanctis.
Titvlvs eius 1. ordine decimus nonus. De Angelis.
Prologvs in Pſalmum, Leuaui oculos. 690
Capvt I. De Angelicis ſpiritibus generatim, 692
Membrum 1, Quod ſint Angeli. 693
Membrum 2, Quales ſint. *ibid.col*.2
Capvt II. Angelorum officia, & actus 694
Membrum 1, Actus quoad Deum. *ibid*
Membrum 2, Actus quoad ſe inuicem. 695
Membrum 3, Actus quoad homines. 698
Membrum 4, Actus quoad alias creaturas. 697
Membrum 5, Actus quoad dæmones. *ibid*
Capvt III. Dignitas Angelorum. 697
Membrum 1, Sublimitas Angelorum ex comparationibus varijs. *ibid.col*.2
Membrum 2, Ex officijs. 698
§ Ex priuilegijs.
Numerus Angelorum. 699, *nu*.5
Conformitas ad Deum. *num*.6
Virtutum perfectio. 700, *num*.7
Specioſitas. *ibid.col*.2
Fœlicitas. 701, *num*.9
Capvt IV. Angelorum miſſio. 701
Membrum 1, Cuſtodia Angelorum. 702, *num*.2
Membrum 2, Cur, Quinam, & quos cuſtodiant. 703, *n*.4,5,6
Membrum 3, Qualis hæc cuſtodia. 704
§ 1, Circa peccatores. 705
§ 2, Circa pænitentes. *ibid nu*.10
§ 3, Circa iuſtos. 706, *num*.11
§ 4, Circa tribulatos. *n*.12
§ 5, Circa morientes. *nu*.13
Capvt V. Angelorum ordines. 707
Membrum 1, Diſtinctiones hierarchiarum generatim. *ibid.*
Membrum 2, Proprietates ſingulorum ordinum. 708
§ 1, Seraphim. *ibid.*
§ 2, Cherubim. 710
§ 3, Throni.
§ 4, Dominationes.
§ 5, Virtutes. 711
§ 6, Poteſtates,
§ 7, Principatus,
§ 8, Archangeli.
§ 9, Angeli. 712
Membrum 3, Ad proprium Angelum, *ibid*
DISTINCTIONIS 3, Titvlvs 2. ordine 20, De Patriarchis & prophetis. 713
Capvt I, De Patriarchis. *ibid.*
Membrum 1, Nominis ratio. *ibid.col*.2
Membrum 2, Sublimitas eorum ex varijs comparationibus. *ibid.*
Membrum 3, Dignitas ex varijs priuilegijs. *pa*.714
Membrum 4, Præmiatio. 715
Membrum 5, Exemplatio. 716
Capvt II. Prophetæ. 716
Membrum 1, Nomen. *ibid.col* 2
Membrum 2, Comparationes. *ibid.*
Membrum 3, Dignitas. 717
Membrum 4, Conſiderabilia de ipſa prophetia. *ibid.col*.2
Membrum 5, Exempla prophetarum. 718
DISTINCTIONIS 3. Titvlvs 3. Ordine 21, De Apoſtolis. 718
Capvt vnicum, *Membr*. 1, Vocatio 718
Membrum 2, Electio. 719, *num*.3
Membrum 3, Miſſio. 720
Membrum 4, Dotatio. *ibid.col* 2
§ 1, Varia nomina, & comparationes. *ibid.*
§ 2, Familiaritas cum Chriſto. 721
§ 3, Miraculorum poteſtas, *ibid.*
§ 4, Gratiarum plenitudo & fructificatio. 722
§ 5, Singularis veneratio debita Apoſtolis. 723, *num*.14
Membrum 6, Apoſtolorum glorificatio. 723

DIS

DISTINCTIONIS 3. TITVLVS 4. ordine 22. De Martyribus.
CAPVT VNICVM.
Membrum 1, De martyrum præfiguratione. 724
Membrum 2, Quibus rebus comparẽtur martyres. 725, *num. 3*
Membr. 3, Martyrum dignitas. 725
Memb. 4, Martyrũ in nos beneficia. 727
Membrum 5, Martyrum gloria. *ibid nu 8*
Membrũ 6, Cauſa & genera varia martyrum. *ibid. num 9*
DISTINCTIONIS 3. TIT. 5 ordine 23. De Confeſſoribus. 729
Memb. 1, Comparationes variæ. *num. 3*
Memb. 2, Denominationes. 728
Membrum 3, Priuilegia. *num. 5*
Membrum 4, Præmia confeſſorũ. 731
Membrum 5, Varia confeſſorum genera. 732
DISTINCTIONIS 3. TIT. 6. ordine 24. De Virginibus. 732
Membrum 1, Virginum ſignificationes. 732
Membrum 2, Comparationes. 733
Membrum 3, Virginum dignitas. 734
Membrum 4, Remuneratio.
Memb. 5, Virginitatis recuperatio. 735
DISTINCTIONIS 3. TITVLVS 7. ordine 25. De ſanctis in genere. 736
CAPVT I. Expedire generalem memoriam de omnibus ſanctis. 736
CAPVT II. Meditabilia particularia de omnibus ſanctis. 738
Membrum 1, Ratio nominis. *ibid.*
Membrum 2, Præfiguratio.
Membrum 3, Attributa.
Membrum 4, Celſitudo & dignitas.
Membrum 5, Beneficia.
Membrum 6, Dubia quædam.
PARTIS 2. Diſtinctio quarta: ordine libri totius 7. continens nouem regiones.
PROLOGVS. 742
§ 1, Inductiua ad regiones. 742
§ 2, Practica ingreſſus. *ibid.*
TITVLVS 1, Qui eſt ordine libri 26.
Regio 1. Perſonalis. 743, *num* 4
Cognitionis ſui ipſius vtilitas & neceſſitas. *ibid. num. 4, & 5*
Membrum 1, Plaga orientalis, quam nobiles conditi ſimus per naturam. 744, *num. 7*
Membrum 2, Quam viles per miſeriam. *ibid. num. 8*
§ 1, Miſeria ex parte mentis. 745, *num. 8*
§ 2, Miſeria ex parte corporis. *ibid, n. 9*
§ 3, Miſeria totius hominis. 746, *num. 10*
Notula 1, Miſeria hominis in ingreſſu in mundum, *ibid.*
Notula 2, Miſeria progreſſus in mundo. *ibid. num. 11*
Notula 3, Miſeria egreſſus è mundo. 747, *num. 12*
Membrum 3, Quomodo ſimus deformati per culpam. 748, *num. 13*
Membrum 4, Quomodo ſimus reformati per gratiam. *ibid. num. 14*
Membrum 5, Exercitatio contemplatiuorum in hac regione. 749, *n. 15*
PARTIS 2. Diſtinctionis 4. (quæ eſt ordine libri 7.) TITVLVS 1. qui eſt ordine 27.
Regio creaturarum, & Mundialis. *ibidem.*
CAPVT I. De regione creaturarum. 749 *num. 1*
Quam vtilis ſit creaturarum conſideratio. *ibid.*
Membrum 1, Quid hic poſſit cõſiderare ſtudioſus. 750, *num. 2*
Ad naturam; ad mores, ad vſum ſcripturæ. *ibid.*
Membrum 2, Quomodo deuotus in regione creaturarum debeat negotiari. 751, *num. 4*
Quomodo creatura eſt vmbra quædã, & riuulus, & ſpeculum, odor, & veſtigium Dei. 751, *nu. 5*
Sex voces creaturarum. 752, *num. 6*
Quomodo creatura eſt materia laudis creatoris ſui. *ibid. num. 7*
Membrum 3, Conſideranda à ſpeculatiuo. 753, *num 8*
Magnitudo & multitudo creaturarũ. *ibid 9*
Pulchritudo creaturarum. 754, *num. 10*
Creaturarum plenitudo. *ibid. num. 11*
Operationes earundem. *ibid. num. 12*
Ordo creaturarum. 755, *num. 13*
§ vnic. Speculatio Trinitatis ex creaturis. 755, *num. 14*
CAP. II. De regione mundiali, quæ cognoſcenda vt fugiatur. *ibid num. 1*
Membrum 1, Pro ſtudioſo, mundi natura, partes, & habitatores. 756, *num. 2*
Membrum 2, Pro deuoto. *ibid nu. 3*
§ 1, Cauſæ generales cur mundus ſit ſpernendus. 757, *num* 4
§ 2, Inductiua contemptus mundi ex parte noſtri. *ibid. num. 5, 6*
§ 3, Inductiua ex parte ipſius mundi. 758, *num. 7*
Not. 1, Mundi cæcitas & fugacitas. *n. 8*

Not 2, Mundi vanitas. *ibid. num 9*
Not. 3, Mundi malitia. *ibid num* 10
Miſeriæ mundi. *num.* 11
Notula 4, Pericula manentium in mundo. *759, num.* 12, 13
Notula 5, Fugiendum è mundo ad clauſtrum. *760, num.* 14
Membrum 3, Contemplatiui negotiatio in hac regione mundiali. *ibid.*
PARTIS 2. Diſtinctionis 4. (ordine libri *7.*) TITVLVS 3. ordine *28.*
Regio ſcripturalis & eccleſiaſtica. *761*
CAPVT I. Regio ſcripturarum. *ibid.*
Membrum 1, Pro ſtudioſo. *num.* 1
§ 1, Commendatio ſtudiorum liberalium. *ibid.*
§ 2, Artium origo. *ibid. num.* 2
Membr. 2, Pro deuotis. Sacræ ſcripturę vtilitas varia ad profectum. *762, num.* 4
Commendatio ſacrę ſcripturæ. *ibid. n.* 5
Dignitas, & plenitudo eiuſdem. *763, num.* 5, 6
Membrum 3, Quomodo quis affectuoſe in ſacra ſcriptura exerceatur. *ibid nu.* 7
Charitas ſcripturarum cardo. *ibid. nu.* 8
Membrum 4, Pro ſpeculatiuo. *764*
CAPVT II. Regio eccleſiaſtica & incitamenta ad ingreſſum eius. *ibid. num.* 1
Membrum 1, Pro ſtudioſo, eccleſiæ natura, ortus, cultus &c. *ibid. num.* 2
Memb. 2, Pro affectibus deuoti. *765, n. 3*
§ 1, Eccleſiaſticorum ſtatuum diuerſitas. *ibid. num. 3, &* 4
§ 2, Sanctorum Patrum exemplaritas. *ibid. num.* 5
§ 3. Conſideratio ſanctorum ordinis ſui, ſiue religionis. *766, nu 7*
Specialiter Canonicorum regulariũ.
Eorum antiquitas. *767, num 8*
§ 4, conſideratio ſæcularium. *ibid nu 9*
Membrum 3, Pro contemplatiuo. *nu.* 10
DISTINCT. 4. (ordine lib. 7.) TITVLVS 4. qui eſt ordine totius libri *29.*
De regione mortali. *768*
PROLOGVS generalis in quatuor nouiſſima. *ibid.*
Mortis meditatio quãtæ vtilitatis. *769*
CAP. I. conſideratio de morte. *770, nu.* 2
Mortis variæ ſpecies *ibid.*
Membrum 1, Pro ſtudioſis. Quid mors, vnde ſit, & quam generalis, quam varia. *771, num. 6*
Membrum 2, compunctiua circa mortem pro deuotis. *ibid. nu. 7*
§ 1, De ſignis mortis. *772, num. 8*
Membrum 3, concomitantia mortem. *ibidem.*
§ 1, Varię conditiones mortis. *ibid.*
Notula 1, Mors omnibus cõmunis. *n. 9.*
Not. 2, Quam ſit certa. *773, nu.* 10
Not. 3, Quam ſit incerta & quare. *num.* 11, 12
Not. 4, Quam facilis & velox. *nu 13*
Not. 5, Quod ſit irreuocabilis. *774, n. 14*
§ 2, Anguſtia & acerbitas. *ibid. nu. 15*
Notula 1, Prima anguſtia, amor vnionis animæ ad corpus. *774, num. 15*
Notula 2, Secunda anguſtia, Terrena affectio. *num. 16*
Notula 3, Tertia anguſtia, Pauor imminentium. *775, num.* 17
Not 4, Quarta anguſtia, dolor paſſionis & morbi. *776, n.* 18
Not. 5, Quinta anguſtia, aſpectus horrificę viſionis. *num. 19*
Membrum 4, De ſubſequentibus mortem. *777, num.* 20
Membrum 5, Practicę ad memoriã mortis melius ſentiendam. *ibid. nu.* 21
CAPVT II. Pręparatio ad mortem. *778*
Quam neceſſaria ſit. *ibid. num. 1*
Membrum 1, Quomodo & per quę ad mortem nos diſponere debeamus. *n.* 2
§ 1, Præparatio remota ad mortem fœlicem, frequens eius memoria. *779, num* 2
§ 2, Præparamenta viciniora. *num. 3*
Cautela tentationum in mortis articulo impugnantium. *num. 4*
§ 3, Ad quorum inſtar moriturus ſe diſponere debeat. *780, num. 5*
Membrum 2, Affectus & deſiderium excipiendi mortem. *num. 6*
§ 1, Quomodo mors deſideranda: documenta Nider. *num.* 8
Mors veniens libenter excipienda. *numer 9, &* 10
Membrum 3, De modo moriendi. *781, num* 11
DISTINCTION. quartę (ſeu ſeptimæ) TITVLVS quintus ordine *30.*
De regione iudiciali. *782*
Quam vtiliter conſideratur. *ibid.*
Quam lata ſit, *783, num.* 2
Membrum 1, Pro ſtudioſo. Præcurrẽtia iudicium, eius congruentia, tempus, locus &c. *num. 4, 5, 6, 7*
Membrum 2, Pro deuoto compunctiua. 784
§ 1, De ſignis iudiciũ pręcedẽtibus. *ibi.*
Notula 1, Enumeratio ſignorum in particulari. *num. 8*
Notula 2, Cur ſigna antecedent iudicium. *785, num. 9*
§ 2, De proceſſu iudicij. *786 nu.* 10
Notula 1, Forma iudicij generalis. *ibid.*
Notula 2, Iudicis maieſtas. *787, num. 15*

Notula

Notula 3, Eorum quibus fiat iudicium. 788, num. 16
Notula 4, Qualitas iudicandorum. n. 17
Notula 5, Accuſantium & teſtium veritas. 789, n. 18
Notula 6, Multiplex & varia ratio reddenda. 790, num. 28
Membrum 3, Horribilis ſententia. 791
§ 1, Sententiæ fulminatio. 36
§ 2, Bonorum & malorum ſeparatio. 792, 41
§ 3, Iudicij executio. 793, 43
Memb. 4. Practicæ circa iudicium. 44
DISTINCT. IV. TITVLVS 6, ordine 31
Regio purgatoria & infernalis. 794
CAPVT I. Purgatoria regio.
Membrum 1, Pro ſtudioſis. An, vbi, quale ſit purgatorium. 794, num. 2
Membrum 2, compunctiua de purgatorio, pro deuotis. 795, nu 4
§ 1, Quales ſint purgatorij pœnæ. ibid.
Notula 1, Aggrauantiæ pænarum. nu. 5
Notula 2, Pæna dãni in purgatorio. 796
§ 2, Inductiua ad ſuccurrendum animabus in purgatorio. nu. 7
Notula 1, Inductiua ex parte Dei. num 7
Notula 2, Inductiua ex parte animarũ. 797, num. 8
Notula 3, Inductiua ex parte noſtri. n. 9
§ 9, De ſuffragijs pro defunctis. 798, num. 10
Membrum 3, Exercitandi practica n. 12
CAPVT II. Regio infernalis. ibid. num 1
Vtilitas huius conſiderationis. ibid.
Membrum 1, Pro ſtudioſis, Quid, qualis, vbi, quamdiu duret &c. 799, numer. 2
Membrum 2, Pro deuotis, compunctiua. num. 3,
§ 1. Nomina inferni. 800, num. 3
§ 2, Qualitas loci. num. 4
§ 3, Horrenda ſocietas damnatorum. 801, num. 5
§ 4, Qualitas tortorum dæmonum. num. 6
Membrum 3, Pænarum infernaliũ qualitas. 802. num. 7
§ 1, Pænarum multiplicitas. num. 7
Notula 1, Pœna damni, 8
Notula 2, Pœna ſenſuum internorum. 803, num. 9
Notula 3, Pœna ſenſuum externorum. num 10
Notula 4, Afflictio ex omnibus elementis. 804, nu. 11
Not. 5, A cunctis rebus torquẽtur, n. 12
Not. 6, Octo miſeriarum genera. n. 13
Not. 7, Multorum priuatio 805, num. 15
§ 2, Pœnarum infernalium acerbitas num 17
Notula 1, Acerbitas ex ipſarum pœnarũ qualitate. num. 18
Notula 2, Ex ſuſtinentium diſpoſitione. 806, nu. 19
§ 3, Pœnæ infernales ſunt conformes culpis. nu. 20
§ 4, Pœnarum infernalium perpetuitas. num. 21
§ 5, Generalia quædam pœnarum infernalium aggrauantia. num. 22
Membrum 4, Particulares induſtrię ad concipiẽdum horrorem inferni. 807, num. 23
DISTINCT. 4. ſeu 7, TITVLVS 7. ſiue ordine 32.
De regione cœleſti. 807, num. 1
Iucunditas huius conſiderationis. ibid
Membrum 1, Pro ſtudioſo, inquiſitiones doctæ de beatitudine. 809, nu 5
Memb. 2, Pro deuotis affectiua. ibid.
§ 1, Cœleſtis loci qualitas & ſpecioſitas. num. 6
§ 2, Cœleſtis ciuitatis glorioſum collegium, ſeu ſocietas. 810, num. 10
§ 3. Actus Beatorum. 811, num. 15
Membrum 3, Gaudiorum cœleſtiũ qualitas. 812, num 16
§ 1, Multitudo gaudiorum cœli. ibid.
Notula 1, Gaudia ſupra ſe. 52, num. 17
Not. 2. Gaudia iuxta ſe. n. 18, p. 813
Not. 3, Gaudia ab intus. 814, nu. 19
Notula 4, Gaudia ab extra. 816, num. 24
Notula 5, Gaudia ſubtus. 817, num. 28
Notula 6, Gaudia vndique. num 29
§ 2, Cœleſtium gaudiorum magnitudo. 818, num 30
§ 3, Eorundem perpetuitas. n. 31
§ 4. Gaudia ſingularia. num. 32
Membrum 4, Specula proſpiciendorũ gaudiorum 819, nu 33
DISTINCTIONIS 4. ſeu 7. in ordine totius libri TITVLVS Octauus, ordine trigeſimus tertius & vltimus.
Philocaumarium, vel inflammatoriũ diuini amoris. 820
Excellentia charitatis. num. 1.
CAPVT I. Quomodo ignis charitatis extruendus. 821, num. 2
CAPVT II. Prima ſtrues amoris, ex inductiuorum multitudine. 821, numer. 3
CAPVT III. Secunda ſtrues ex Dei excellentia. 822, nu 4
CAPVT IV. Tertia ſtrues ex diuinis perfectionibus. 823, nu 6
CAPVT V. Quarta ſtrues ex diuinis beneficijs. 824, num. 7

CAP. VI. Quinta ſtrues ex coniunctionis affinitate. 825, nu. 8
CAP. VII. Sexta ſtrues ex cæteris amandi rationibus. 827, num. 13
CAP. VIII. Septima ſtrues ex ipſa diuinæ erga nos, dilectionis qualitate. 829, n. 17
Practica charitatis inflammandę. 833. num. 35
§ 1, Qualiter inter laborandum ſe habebit. p 137, num. 8
Membrum 3, Poſt laborem redeundū ad ſtudium. ibid. num. 9
De diſciplina in ſchola religioſorum publica. ibid. num 10
CAP. IX. De hora veſperarum. pa. 138
§ 1, Poſt veſperas manendum in choro. ibid. num. 2
§ 2, De cœna, qualis erit. p, 139, n. 3
§ 3, De completorio, ibid. num. 4
§ 4, De quiete. p. 140, nu. 5
DISTINCTIONIS I. TITVLVS V.
Directorium ſoluendarum horarum.
PROLOGVS. p. 140. num. 1
Seruitium diuinum omni ſtudio adimplendum. ibid.
CAP. I. De modo ſe præparādi ad horas. pa. 141.
Neceſſariam eſſe præparationem. ibid. num. 1
Membrum 1, Prædiſpoſitio remota, quæ eſt bona vita. ibid. nu. 2
Membrum 2, Prędiſpoſitio propinqua, iam inſtante officio. pag. 142, n 3
Quid debeamus agere. ibid.
Quid ad hoc nos inducat. ibid nu. 4
Quomodo debeamus nos diſponere. ibid. col. 2, Mentem purgare, recolligere, ſuccendere. 143, col. 1
Membrum 3, Prędiſpoſitio proxima ferventer orandi. ibid col 2, nu. 6
Cito ad currendum ad chorum dato ſigno. ibid. num. 7
Intentionis formula. p. 144, col. 2
CAP. II. De modo horas reuerēter exoluendi. pa. 145, col. 1
Membr. 1, Inductiua ad reuerentiam ſub diuinis habendam. ibid. nu. 1
Membrum 2, Qualis debeat eſſe reuerentia in officio diuino. p. 146, nu. 2
De interna reuerentia. num. 2
De externa reuerentia. pa 147, col. 1 & 2.
Membrum 3, De modo religioſi cantus. pag. 148, col. 1
Muſicæ honeſtæ efficacia. ibid.
§ 1. Qualitas & excellentia religioſi cantus in diuino officio. p. 149, num, 5
Diligenter obſeruanda natura tono rum, neumatum &c. ibid.
Corruptio cantus eccleſiaſtici. p 150 col. 1
§ 2. Ex corde cantabitur quando bene cantatur. pa 151, num. 8
§ 3, Vitanda in cantu eccleſiæ. ibid. num. 9
1. Ne aliter cantetur, quam quod notatur, num. 9
Nimia acceleratio. nu. 10
Nimia moroſitas. p. 152, num. 11
Curioſitas & vana fractio vocis. ibid. num. 12
Subtractio vocis à cantu communi. ibid. num. 13
Immoderata inaltatio cantus. pa. 155 col. 1
§ 4, Qualitas religioſi cantus in pſalmis. ibid, num. 17
§ 5, De reliquo modo cantus. p. 156, col. 1, num. 18
Membrum 3, De modo legendi in eccleſia. pa. 158, n. 20
§ 1, De abuſibus circa lectores & lectiones vitandis. ibid.
De gradu lectoratus. p. 159, col. 1
Nihil apocryphum legendum in eccleſia. ibid. col. 2
§ 2, Modus apte legendi. pa. 160, n. 22
CAPVT III. De attentione orationis. pa. 164
Membrum 1, Inductiua ad attentionē. pa, 165. num. 2
Membrum 2. Promotiua attentionis. p. 166, col. 2
§ 1, Euagationis cauſæ cauendæ. pa. 167
§ 2, Attentionis impedimenta vitanda. ibid num. 7
§ 3, Alia promotiua. pag. 168, col. 1
Membrum 3, De remedijs diſtractio. num. p 168, col. 2
CAPVT IV. De deuotione. pa. 169, col. 2
Membrum 1, Neceſſitas deuotionis in oratione. ibid.
Membrum 2, Vtilitas deuotionis. pa. 170, nu. 2
§ 1, Cauſæ indeuotionis. pa. 171, num. 4
§ 2, Cauſæ deuotionis. num. 5
§ 3, Vnde affectus deuotionis elicíantur. pa. 172, num. 6
Explanatio orationis Dominicę. pa. 173
Membrum 3. De modo & practicis deuote pſallendi. pa. 174, num. 10

Digitized by Google

§ 1, Practica deuote pſallendi ſecundũ triplicem attentionem. *ibid n.* 11
Triplex orationis fructus ex triplici attentione. *ibid.*
Notula 1, Practica prima & ſecunda pro intentione ad materiam. *p.* 176, *col.* 1
Notula 2, Practica tertia, quæ eſt manus Nyder. *ibid. col* 2
Notula 3, Cantichordũ Gerſonis. *p.* 177
Notula 4, Cythara ſpiritualis. *pag.* 178, *col.* 1
Notula 5, Practica pro attẽtione ad formam & finem. *ibid. col.* 2, *num.* 17
Exemplum in pſalmo primo. *pa.* 179
Exhortatio ad ſtudiũ pſalmorũ. *p.* 172
CAPVT V. Chiropſalterium pro deuotione diuini officij ſtabilienda. *pag.* 183
Attentio maximè procuranda in officio. *ibid.*
Membrum 1, Laus & commendatio huius exercitij. *ibid. col.* 2
§ 1, Quam ſit Deo acceptabile hoc chiropſalterium. *pag.* 184, *num.* 2
§ 2, Fructuoſitas huius exercitij. *pag.* 185, *num.* 3
§ 3, Neceſſitas huius exercitij. *ibidem.*
Membrum 2, Elucidatio & diuiſio chiropſalterij. *pag* 186. *num.* 6
Membrum 3, Exẽplificatio primæ partis pſalterij, quę eſt oratio rhetoricalis. *pag.* 187, *num.* 7,
§ 1, Captatio beneuolentię, & notula eius prima, gratiarum actio. *pag.* 188, *num.* 8
Notula 2, Admiratio. *ibid num.* 9
Notula 3, Laudatio. *ibid num.* 10
§ 2. Narratio miſeriæ. *pag.* 189, *num.* 11
§ 3, Commendatio perſonæ, vel cauſæ. *ibid. num.* 12
§ 4. Accuſatio partis aduerſę. *ibid. num.* 13
§ 5, Imploratio miſericordiæ. *pag.* 190, *num.* 14
§ 6, Confirmatio. *ibid num* 15
Membrum 4, Altera pars principalis Chiropſalterij, quæ eſt vocum in triumphante eccleſia auditio. *pa.* 191 *col.* 1
§ 1, Quod voces ſint in pſalmis audiẽdæ. *ibid nu.* 16
§ 2, Quomodo ſint audiendæ. *ibid. num.* 17
§ 3, Exẽplaris deductio ſingulatũ vocum, & *Notula* 1, de voce patris. *pag.* 192, *num.* 18
Notula 2, De voce filij in pſalmis. *ibid. num* 19
Notula 3, De voce ſpiritusſancti. *ibid. num.* 20
Notula 4, Vox Mariæ Virginis. *ibid. num.* 21
Notula 5, Voces Angelorum. *pag.* 193 *num.* 22
Notula 6, Voces aliorum ſanctorum. *ibid. num* 23
Notula 7, Scientia & attentio, qua hæ voces ſunt audiendæ. *ibid. num.* 24
Membrum 5, Tertia pars, quæ eſt ſoliloquium animæ. *p.* 193, *num.* 25
Membrum 6, Quarta pars, de diuerſis affectibus pſalmorum, & eius *Notula* 1. Actus incitatiuus. *ibid. num.* 26
Notula 2, Actus excitatiuus, *pa.* 194 *num.* 27
Notula 3, Actus hierarchici. *ibid. num.* 28
Notula 4, Refutatio aduerſæ partis. *num.* 29
Notula 5, Actus indifferentes. 30
Membrum 7, Quinta pars, voces militantis eccleſiæ. *ibid. num* 31
Membrum 8, Notulæ breues ſuperiorum declaratiuæ. *pag.* 195, *num.* 32
Membrum 9, De pictura & muſicis inſtrumentis chiropſalterij. *pag.* 197, *Error eſt in numero, ponitur enim* 8. *cum ſit* 9. *ſicut in ſeq.*
Membrum 10, Expoſitio Pſalmi, *Ad dominum cum tribularer*, iuxta chiropſalteri partes. *pag,* 203
Membrum 11, De modo horas terminandi, & exercitijs poſt eas aſſumendis. *pa.* 207
CAPVT VI. Obiecta ſub horis aſſumenda,
PROLOGVS de eorum vſu & modo. *pag.* 208
De Alleluya. *pag* 211, *num.* 6
Feria ſecunda, De IESV æternitate, & antecedentibus eius ortum, & mundi ingreſſum. *ibid.*
Feria tertia, De IESV natiuitate & infantilis vitæ progreſſu. *pa.* 212
Feria quarta, De IESV virilis conuerſationis actibus & progreſſu. *pa.* 213
Ferias quinta, De paſſionis pręambulis, & egreſſu IESV ad eam. *pag.* 214
Feria ſexta, De Paſſione IESV & diræ mortis diuortio. *pag.* 215
Sabbatho. De paſſionis & reſurrectionis intermedio. *pag. ead.*

Dominica, De reſurrectionis victoria, & glorificationis triumpho. *p.*216
Capvt VII. Quomodo beneficia Dei ſub horis ſunt aſſumenda. *p.*218
Praxis ſub *gloria Patri.* *ibid.*
Praxis eadem per ferias. *pa.*220
Capvt VIII. De obiectis per orationẽ impetrandis. *p.*221
Capvt IX. De modo priuatim recitã di horas canonici officij. *pag.*223
Verſus de hoc notandi. *p.*224
DISTINCT. primæ, Titvlvs ſextus. Scala ſacræ communionis. *pag.*224
Grauius peccant, quam Iudæi crucifixores Chriſti, qui indigne communicant. 225
Capvt I. (quod per errorem in numero ponitur 8,) Gradus præparatorij ad ſacram communionem. *pag.*225
Membrum 1, Primus gradus, excitatio ad condignam præparationem. *p.*226
§ 1, Inductiua. *ibid.num.*1
§ 2, De cordis præparatione propter indignæ præparationis pericula. *ibi.n.*2
§ 3, De præparatione ad aſſequendam fructuum ſacramentalium vtilitatem. *pag.*228, *num.*4
Membrum 2, Secundus gradus præparatorius, cõſideratione præuenire *ibid.*
§ 1, Quid debeat agere. *p.*229, *nu.*5
§ 2, Quid debeat eum ad communionem allicere. *ibid.num.*6
§ 3, Quomodo ſit accedendum *ibi.n.*7
Membrum 3, Tertius gradus præparatorius, probatio ſui ipſius. *p.*230
§ 1, Probare an careat impedimentis. *ibid.num.*8
§ 2, An habeat præparamenta. *ibid.n* 9
§ 3, An ſentiat deuotionis indicia. *pa.*231, *num.*19
Membrum 4, Quartus gradus præparatorius, expurgatio. *ibid n.*12
§ 1, Expurgatio à vitijs & peccatis. *ibi. num.*13
§ 2, A cordis impuritatibus *p.*232, *n.*14
§ 3, A peccatorum reliquijs. *ibid.n.*15
Membrum 5, *(corrige numerum.)* Quintus gradus, exornatio. *ibid. num.*16, 17
Membrum 6, (corrige numerũ) Sextus gradus, Inflammatio. *pag.*233
§ 1, Inflammatio ad reuerentiam ex diuina altitudine. *pag.*233, *num.*18
§ 2, Ex ſacramẽti dignitate *p.*234, *n.*19
§ 3, Ex conſideratione propriæ vilitatis. *pag.*235. *nu.*20
§ 4, Ex ſumentiũ periculo. *p.*236, *n.*21
§ 5, Inflammatio ad deſiderium & amorem. *ibid.n.*22
Notula, Ex inſtitutionis ratione. *ibid.*
Notula 2, Ex Dei pietate. *pa.*237, *nu.*23
Notula 3, Ex conſideratione beneficiorum. *ibid.*24
§ 6, Inuitatoria accedendi. *p.*238, *n.*25
Notula 1, Accedendi neceſſitas, vtilitas & fructus. *ibid.num.*26
Membrum 7, (*corrige numerum*,) Gradus ſeptimus præparatorius, occurſio. 238
§ 1, Primus modus occurſionis per nũciorum auditum, & reſponſiuas inuitationes. *ibid n* 27, *(deeſt)*
§ 2, Secũdus modus per ſimilitudines & conditiones. *p.*239, *nu.*28
§ 3, Tertius modus per crebra ſuſpiria & admiratiuas dijudicationes. *ibi n.*29
Notula 1, Quis ad quem. *p.*240, *nu.*30
Notula 2, Vnde tanta dignatio. *ibid n.*31
Notula 3. Quomodo veniat. *ibid.nu.*32
Quam ſapienter. *ibid.*
Quam potenter. *pa.*240, *num.*33
Quam clementer. *p* 241, *n.*34, 35
Notula 4, Quid dabit adueniens tanta cum charitate? *ibid.nu.*36
Notula 5, Vnde veniat? *ibid nu.*37
Membrum 8, *(corrige numerum,)* Octauus gradus, iterata præparatio. *pag.* 242, *num.*39
§ 1, Præmiſſio Confeſſionis. *ibid n.*40. *(deeſt.)*
§ 2, Sanctorum inuocatio & primo, B. virginis. *ibid num.*41
Angelicorum ſpirituum. *ibid.*42
Cæterorum ſanctorum. *p.*243. *num* 43
§ 3, Intentionis rectæ diſcuſſio. *nu* 44
§ 4, Paſſionis meditatio. *nu.*45
Capvt II. Gradus acceſſorij, docentes modum accedendi. *pa.*244, *nu.*1
Membr. 1, Primus gradus, Intentio. *ibid.*
§ 1, Forma quorundam, quam imitari debemus. *ibid.nu.*2
§ 2, Finalis cauſa. *p.*245, *nu.*3
§ 3, Diſpoſitio requiſita. *num.*4
Notula 1, Fides. *num* 5
Notula 2. Agnitio ſui & Dei. *n.*6
Not 3, Propoſitorũ renouatio. *p* 247, *n.*7
Not. 4, Cõiũgere ſe ſanctorum meritis & communioni. *num* 8
Not. 5, Paſſionis commemoratio. *nu* 9
Not. 6. Et amoris Chriſti. *num.*10
Not. 7, Recta intentio ſeptiformis, *n.* 11
Membrum 2, Gradus ſecundus, Adoratio. *pag.*248, *num.*12
Membrum 3, Gradus 3, Inuitatio. *ibid* 13
§ 1, Deſiderando ex intimis. *ibid.*
Conformando ſe ſanctorum patrum deſiderijs. *ibid.*14
§ 2, Inuitatio ad multorum ſimilitudinem. *pag.*249

§ 3, Aliæ ſimilitudines. 250

Memb.4, Quartus gradus, ſũptio. *p.*252

CAP.III. Gradus terminatorij, in quibus exercitãdus animus poſt communionem. *pag* 253

*Mẽ.*1, Gradus 1, Gratiarũ actio. *ibid.n.*3

Membrum 2, Gradus 2, Oratio, ſeu petitio deuota, eiuſq; effectus. *ibid.num.*4

Membr 3, Gradus 3, Oblatio. *p* 256, *n.*6

Memb.4, Gradus 4, Maſticatio *p.*257, *n.*7

Mẽb.5, Obſeruatio Ieſu recepti *ibid n.*8

§ 1, Obſeruatio ſui à vitijs. *p.*258, *n.*9

§ 2, Obſeruatio ab alijs delectationibus. *ibid num.*10

§ 3, Obſeruatio propoſitorum piorũ. *ibid num.*11

CAP.IV. Abbreuiatio ſcalæ *p* 259, & per ferias in tabellas deducta. 5. *ſeqq.*

DISTINCT. 1, TITVLVS ſeptimus. Praxis Ruminatorij *pa.*264

CA.I. Neceſſitas, praxis Ruminatorij. *ibi.*

§ 1, Quid ſit ſpiritualis manducatio. *pag.*265, *num.*4

§ 2, Qui ſint dentes & inſtrumẽta ſpiritualis manducationis. *pag.*266, *corrige numerum*

§ 3, Practica & modus ſpiritualis manducationis. *ibid nu* 5

1. Gradus prædiſpoſitio. *ibid.*

2, Gradus, Eructatio 3, Maſticatio 4, deguſtatio 5, Puri ſuctio 6, Delatio 7, Vnio 8, Iugis ruminatio. *pa.*267

§ 4, Compendioſior practica. *ibid.*

§ 5, Quæ & qualia ſunt ruminãda. *p.*268

CAP.II. Primum ferculũ, Ruminatoriũ nominum ſacramenti, *pa.*268

Memb. 1, Euchariſtiæ nomen. *pag.*269

§ 1, Euchariſtiam eſſe bonam gratiam. *ibid.num.*1

§ 2, Datur à gratiſſimo. *ibid.n.*2

§ 3, Præparatur chariſſimis, *nu.*3

§ 4, Cauſat optimã gratiam *p* 270, *nu.*4

§ 6, Eſt cumulus gratiarum. *nu.*5

§ 7, Eſt omnis gratię cõtẽtiuũ, *p.*271, *n.*6

Membrum 2, Nomen ſacramenti, quo dicitur donum. *pag* 271. *nu.*7

§ 1, Proprietates donantis, *ibid nu.*7

§ 2, Proprietates doni in ſe. *nu.*8

§ 3, Proprietates doni in accipiente. *p.*272, *num.*9

Membrum 3, Nomen ſacramenti, quo dicitur Cibus, *ibid.*

§ 1, Nobilitas cibi ſacramentalis, *pag.*273, *n.*10

§ 2, Suauitas huius cibi, *ibid.nu.*11

§ 3, Lautitio huius cibi. *pa.*274, *nu.*12

§ 4, Sanitas ſacri cibi. *nu.*13

§ 5, Quantopere nutriat. *p.*275, *nu.*14

§ 6, Quam congruat cibato, *p.*276, *n.*15

§ 7, Quam ſubtiliter penetret, *num.*16

§ 8, Quam intime vniatur nutrito. *p.*277, *n.*17

§ 9, Quã firmiter adhæreat. *p.*278, *n.*18

Membrum 4, Nomen ſacramenti, quo dicitur Potus. *p* 278, *nu.*19

*Mẽb.*5, Nomen Sacramẽti quo dicitur communio, ſeu ſynaxis. *p.*279, *n.*20

Quod per hoc ſacramentum cõmunicamus fonti omnis gratiæ. *ibid.*

§ 1, Et Angelorum gloriæ. *nu.*21

§ 2, Et õniũ ſanctorũ meritis. *p.*280, *n.*22

§ 3. Myſtici item corporis paſſionibus. *num.*23

§ 4, Facit omnia cõmunia in ſpiritualibus & corporalibus, *n.*24

§ 5, Cauſat veram communionem diuinorum & humanorum, *pa.*281, *n.*25

Membrum 6. Nomen ſacrificium ſeu hoſtiæ. *ibid n.*26

Antiquitas ſacrificij huius. *ibid.*

§ 1, Sanctitas præ alijs ſacrificijs. *n.*27

§ 2, Acceptabilitas præ alijs. *p.*282, *n.*28

§ 3, Veritas alia omnia continens. *pag.*283, *num.*29

*Memb.*7, De nomine Sacramenti, *ibid.* Eſt ſignum paſſionis, *ibid, num.*30

§ 1, Signum magni amoris. *p.*284, *n.*31

Quod maioris ſignũ amoris, traditio corporis ad patiendũ, an ad communicandum? *n.*32, *deeſt.*

Tribus modis cognoſcimus aliquid ad nos attinere, *p.* 285, *num.*33

§ 2, Signum beatificæ fruitionis, *nu.*34

CAP.III Ferculum 2, Ruminatoriũ conſiderationum. *pa.*286, *nu.*1

*M.*1, Sacramẽtũ antecedẽtia. *p.*287, *n* 2

§ 1, Quod hoc Sacramentum fuerit ab antiquis deſideratum. *ibid*

§ 2, Quam multipliciter fuerit præfiguratum. 288, *num.*3

Notula 1, Figura Melchiſedech, 289, *n.*4

Notula 2, Figura Mannę. *num.*5

Notula 3, Agnus Paſchalis, 290, *nu.*6

§ 4, Quomodo hoc ſacramentũ fuerit prophetatum, *p.*291, *nu.*7

Membrum 2, De ſubſtantialibus venerabilis Sacramenti. *ibid.*

§ 1, Ordo ſacerdotalis in miniſtro. *n.*8

§ 2, Intentio ſacerdotis. *num.*9

§ 3 Forma verborum. 293, *num.*10

§ 4, Materia debita. *num.*11, 12

Notula 1, Panis de frumento. 294, *n.*13

Notula 2, Vinum de vite. 295, *num* 14

Notula 3, Appoſitio aquæ. *nu.*15

§ 5, Quomodo Chriſtus ſub ſacramento contineatur. 258, *nu.*16

Membrum 3, Circũſtantię inſtitutionis huius ſacramenti. 297

Digitized by Google

§ 1, Perſona inſtituentis. *num.17*
§ 2, Inſtitutionis neceſſitas. *num.18*
§ 3, Temporis congruitas. 278, *nu.19*
§ 4, Recipientium qualitas, *299, n.20*
§ 5, Quid dederit. 300, *n.21*
§ 6, Modus, quo inſtituit. *nu.22*
Membrum 4, Sacramenti huius mirabilia. *p.300.n 23*
§ 1, Mira de prædicamento ſubſtantię. *302, num.24*
§ 2, De prædicamento quātitatis. *n.25*
§ 3, Qualitates in ſacramento. *nu 2.* (*corrige numerum*)
§ 4, Reſpectus ſeu relationes. *num.27,* (*corrige.*
§ 5, Actiones. *n.28,* (*corrige.*
§ 6, Paſſiones. *num. 29,* (*corrige.*
§ 7, Locus ſacramenti *30,* (*corrige & ſic deinque.*
§ 8, Ornatio ſacramenti. *31*
§ 9, Situs in ſacramento. *num.32*
§ 10, Habitus in ſacramento. *nu.33*
Quomodo hęc ſubtilia ruminanda. *num.34,* (*deeſt.*
Membrum 5, Modus vtendi ſacramento, ſeu ipſum aſſumendi. *p.*305
§ 1, Vſus ſacramenti vt ſacrificiū. *n.35*
Sacrificij excellentia. *ibid.*
Notula 1, Miniſter offerens. *nu.36*
Notula 2, Oblationis celebritas. *nu.37*
§ 2, Vſus ſacramenti vt viaticū. *307, n.38*
Notula 1, Sumptionis proprietas. *ibid.*
Not.2, Manducationis varietas. *nu.39*
§ 3. Accedentium qualitas, *308,* (*corrige num. & pre.* 40
§ 1, Qui debeant accedere. *ibid*
§ 2, Qualiter accedētes ſe debeant diſponere. 310, *num.40*
§ 3, quādo & quoties accedendū. *n. 41 42, 43*
Membr. 6, Dulcedo ſacramenti. *311*
§ 1, quales ſapores habeat. *n 44, deeſt.*
§ 2, Cur nō ſapiat ōnibus. *n.45, 46, deeſt.*
§ 3, Media obtinendi guſtum ſpiritualem. *313, num.47*
Membrum 7, Contemplatio proprietatum ſacramenti. 313
§ 1, Per conuerſionem ad Angelorum choros. *pag 314, num.49*
§ 2, Per conuerſionem ad ſanctorū cætus. *p.316, n. 50, deeſt.*
§ 3, Per mirifica exēpla *p.317, n.51, deeſt.*
§ 4, Pręparatorij & laudatorij hymni. *19*
CAP. IV. Ferculum 3, Ruminatorium ſeptem portionum agni. 320
Membrum 1, Corpus agni. *pag.*321
§ 1, Corporis agni varietas, verum, abſconditum, myſticum. *ibid. num. 2*
Quod horum præſtet alteri. *nu.3*
§ 2, Corporis huius quidditas. 322, *n.4*
§ 3, Corporis Chriſti qualitas. 323, *n.5*
Notul. 1, Nobilitas carnis Chriſti. *n.6*
Not. 2. Pulchritudo carnis eius. *324, n.7*
Not 3, Mirificentiæ eiuſdem. *n.*8
Not. 4, quibus caruit hæc caro benedicta. *p.325 n.9*
Notul 5, Decor eius & gloria. *n.10*
§ 4, Carnis huius præfiguratio. *n.12*
§ 5, Carnis ſanctæ traditio. *326, nu. 12,* (*corrige, & deinceps hos numeros,*
§ 6, Aſſumptio pœnarum propter nos in hoc corpore. *327, nu.13*
§ 7, Bona & fructus huius carnis. *328, num 14*
§ 8, Membra huius corporis. *329, nu 15*
Memb 4, Secunda agni portio Sanguis. *p.330.*
§ 1, Sāguinis Chriſti qualitas. *n.16*
Notula 1, Eius nobilitas. *ibid.*
Notula 2, Mirificentiæ. *17*
Notula 3. Acceptabilitas. 331. *n.18*
Notula 4, Venerabilitas. *n.19, 20*
Notula 5, Exaltatio. *332, nu. 21*
§ 2, Sanguinis prȩfiguratio. *ibid. n.22*
Exercitatio ad vulnera. *23*
§ 3, Sanguinis aſſimilatio. *333, nu, 24*
§ 4, Sanguinis effuſio & Notula 1, A quo effuſus. *n.25, 26, 27*
Not. 2, Quoties effuſus. *334, num.28*
Not. 3, (per errorem 4,) Cur effuſus. 336 *num 29*
Not 4, *(per errorem 5,)* Modus effuſionis. *337, num.30*
Not. 5, (per errorē 6,) Quibus profuit *n.31*
§ 5, Qualis fructus ſanguinis effuſi. *n 32*
§ 6, Sumptio ſacramētalis ſanguis. *339 n.33, (per errorem 32)*
Memb. 3, Tertia agni portio, Anima & ſpiritus eius. *339, n.34, (per errorem 33)*
§ 1, De anima Ieſu Chriſti. *ibid.*
Not. 1, Qualitas animæ Chriſti. *ibid.*
Not. 2, Vires animę Chriſti. 340, *nu.34*
Not. 3, Affectus ſenſitiui. *341, num 35*
Not. 4, Defectus aſſumpti. *nu.36*
§ 2, Spiritus Chriſti, Agni paſchalis.
Not. 1, Qualitas eius. *num.37*
Not. 2, Plenitudo chariſmatum. 342, *n.38, 39*
Plenitudo gratię 40, Plenitudo ſapiētiæ, *n.41,* Plenitudo meriti. *n.42*
Not. 3, Quam benedictus is ſpiritus. *p. 344, num.43*
Not. 4, Traditio huius ſpiritus pro nobis, *n.44, 45, (qui numerus deeſt)*
Not. 5, Spiritus huius exaltatio. *345, n.46*
Membr. 4, Quarta huius Agni portio: Inteſtina, *345, n.47 (per errorem 48)*

Digitized by Google

§ 1, Gratiæ communes. 346, nu. 48
Notula 1, Roſa charitatis. 49
Notula 2, Humilitatis viola. 347. n. 50
§ 2, Speciales gratiæ Chriſti. n. 51
§ 3, Singulares gratiæ eius. nu. 52
Membrum 5, Quinta agni Portio, Pedes. 348, num. 53
§ 1, Pes ſimiliter Chriſti, opera laborioſa. num. 54
Notula 1, Digitus primus. Conceptio Chriſti. num. 55
Not. 2, ſecundus digitus, Chriſti pueritia, 349. n. 56
Not. 3, Tertius digitus, vita Chriſti. n. 57
Not. 4 Quartus digitus, Paſſio Chriſti. num. 58
Not. 5, Quintus digitus, Sepultura. 350, num. 59
§ 2, Pes dexter, opera victoriç. nu. 60
Memb. 6, Sexta agni portio, vtilitas eius & fructus. 350. n. 61
§ 1, Fructus in terris. ibid. 62
§ 2. Fructus in cruce. 351, num. 63
§ 3, Adeps frumenti. 352, num. 64
Membrum 7, Vltima benedicti Agni portio. ſcilicet caput. 352, num. 65
§ 1, Attributa Dei & beneficia, nu. 66
§ 2, Præparamenta ad contemplationem capitis benedicti. 353, num. 67
§ 3, Inductiua cõtẽplationis. 354, n. 68
§ 4, (*per error.* 3.) Quæ ſint de Deo contemplanda. nu. 69
Not. 1, Nomina huius capitis. 345, n. 70
Notula 2, Propria eius. nu. 71
Not. 3, De moribus diuinis. 346, n. 72
Notula 4, De ſpeculis Dei. num. 73
Carmen in portiones agni. 357
CAPVT V. Supplementum ſacramẽtale, Incitationes, exclamationes, aſpirationes quibus occurritur ſacramẽto. 357
Vſus earum. 359
§ 1, Inuitationes & gratiarum actiones per ferias. pa. 360
§ 2, Aſpirationes & exclamationes rhythmicæ per ferias. pa. 364
§ 3, Septem alij affectus per ferias diſpoſiti. p. 367
§ 4, Exclamationes ſeraphicæ ante cõmunionem per ferias, & Reſpõſiones propheticæ ad eaſdẽ, per ferias. 368, 369
Seraphica quędã verba poſt communionem, ſeptem prioribus affectibus correſpondentia. 370
§ 5, Roſarium de ſacramento. 371
DISTINCTIO. I. TITVLVS Octauus. Phagilexis, ſeu manducatorium. 373
CAP. I. Modus accedendi ad menſã. ibid.
CAP. II. Modus in comedendo. 374
§ 1, Diſciplina inter comedẽdum. ibid
§ 2, (*corrigatur numerus*) Cõtra pretioſos cibos. 375
§ 3, (*corrigatur numerus*) Cõtra cibos delicatos & ſapidos. 376
Cõtra cibos raros, inſolitos, & lautos. 378. col. 2
CAP. III. Cur antiqui abſtinuerint à carnibus: & quatenus ab illis hodie abſtinere debeamus. 379
CAP. IV. Ferculariũ: ſeu modus exercẽdi ſe ſub corporali manducatione. 383
§ 1, Septem fercula per ferias hebdomadæ diſpoſita. 384
§ 2, De ſacra lectione ſub refectione audienda. 385
§ 3, De cœna. 386
DISTINCTIONIS I. TITVLVS Nonus. Quid agendum poſt Completoriũ. 386
CAP. I. Examen conſcientiæ. 387
CAP. II. Praxis examinis. ibid. col. 2
CAP. III. Exercitia ante ſomnum. 388
CAP. IV. De ipſius ſomni qualitate. p. 388
PARTIS 1. Diſtinctio ſecunda: Continens exercitia Dominicis & feſtis diebus appropriata. 392
DISTINCT. huius ſecundæ titulus primus, qui eſt ordine decimus. Dominicarium. 393
CAP. I. Inductiua ad celebrandum ſabbatum. ibid. num. 1
CAP. II. Quibus exercitijs exornãda ſabbata. 394
Membr. 1, Pręparatio Sabbatina. num 3
Membrum 2, Generalia exercitia diei dominicæ. num. 4
Membrum 3, Specialia exercitia diei dominicæ. num. 5
§ 1, Commemoratio. 395, num. 6
§ 2, Expurgatio mentis. nu, 7
Contra recidiuum peccandi, remedia. num. 8. pa. 396
§ 3. Quomodo Deus colendus. 397, n 9
Ex parte animi per fidẽ. (*deeſt n i p. 397*)
Per ſpem. & charitatem. 10
Ex parte corporis. 11
Ex parte rerum. nu 12
Not. 1, cultus potentię, per adorationẽ, exorationẽ, venerationem. 398, num 13
Not. 2, cultus diuinæ ſapientiæ, per timorem, pudorem, dolorem. n. 14
Not. 3, cultus diuinæ bonitatis per gratitudinẽ deuotionis, prõptitudinẽ dilectionis, rectitudinẽ intẽtionis. 399, n 15
CAP. III Quantum exercitium, quod eſt de audienda miſſa. 400, nu 16
§ 1, Inductiua ad miſſam deuote audiendam. num. 17
§ 2, Modus audiendi miſſam. num. 18
Notul 1, Primum exercitium ſub miſſa

Chri-

Digitized by Google

paſſionem chriſti recolere. num.19
Not,2. Secũdum exercitium, venientẽ chriſtum deuote excipere. 402,*n.*20, *(deeſt.)*
Notula 3, Tertium exercitium, oblatio. 403, *num.* 22
Notula 4,(per errorem, Membrũ 4,) Quartum exercitium, ſpiritualis communio. 403, *num.* 23
§ 3, Quid agendum poſt communionem in fine miſſæ. 404, *num.*24
CAPVT IV. De exercitijs poſt prandium in dominica aſſumendis. 404, *num.*1
Membrum 1, Viſitatio altariũ. 405, *n.*2
§ 1, Primus modus viſitandi altaria, vt loca terræ ſanctæ. *num.* 3
§ 2, Modus alter, tanquam per habitacula patriæ cæleſtis. 406, *num.*4
§ 3, Modus 3, iuxta ſtationes vrbis Romæ. *num* 5
Tabula exemplaris de diſtinctione altarium. 406, *col.*2
Viſitatio altarium, per loca celebrium peregrinationum. 408, *num.*6
Membrum 2, Auditus verbi Dei. *ibid. num.*7
Memb. 3, commiſeratio fratrũ. 409, 8
Membrũ 4, Meditabilia in Dominicis aſſumenda. 410, *num.*10
Membrum 5, Propoſitorum innouatio. *ibid. col.* 2
CAP. V. De ferijs & feſtiuitatibus Domini in ſpeciali. 411
Quinque tempora per anni circulũ in officio eccleſiæ repræſentata. *ibid.*
Memb. 1. Exercitia per aduentum. *n.*2,3
Membrum 2, Exercitia pro Natali domini. 412
DISTINCTIONIS 2. TITVLVS 2. ordine vndecimus: Feſtilogium de ſanctorum feſtis celebrandis. *p.*417
Inductiua. *ibid.*
CAPVT I. Modus feſtiuandi. *ibid.*
§ 1, Præparatio in vigilijs. 418, *nu.*3
§ 2, Exercitia in ſanctorũ feſtis in genere. *ibid. nu.*4
CAPVT II. Exercitium 1. circa Deum in ſanctis ſuis magnificandum. 419
Membrũ 1, Quomodo Deus in ſanctis ſuis laudandus. 420, *num.*2
Membrum 2, Gratitudo erga Deum in ſanctis ſuis. *num.*3
Membrum 3, cultus latriæ Deo exhibẽdus in ſanctis. 421, *nu.*5
CAPVT III. Quomodo ſancti in ſeipſis glorificandi. *ibid. num.*1
Memb.1, Venerationis modus. 422, *n.*2
Membrum 2, Congratulatio. *nu.*3
Membrum 3, Regratiatio. *num.*4
CAP. IV. Profectus noſter in ſanctorum cultu. 423
Memb.1, Torpor excutiendus. *n.*1
Memb.2, Sanctorum exempla conſideranda, vt liberemur ab errore. 423, *n.*3
Memb 3, Subſidium ſanctorum implorandum, pro curando languore. 424, *num.*4
CAP. V. Mendicatorium ad ſanctos. 424, *num.*1
Memb.1, Inductiua ad mendicandũ. 2
Membrum 2, Vbi & à quibus mendicandum. 425, *nu.*3, & 4
Memb.3, Quid petendum. 426, *n.*5
Membrum 4, Modus generalis & facilis ad mendicandum. *nu.*6,7
§ 1, Præparatio. *num* 8
§ 2. captatio beneuolentiæ. 427, *nu.*9
§ 3, Narratio miſeriæ. *num.*10
§ 4, Imploratio miſericordiæ. 428, *num.*11, & 12
§ 5, confirmatio. 13
§ 6, Obſecratio. 14. *pa.*429
§ 7, Gratiarum actio.
§ 8, commendatio. *num.*15
Membrum 5, Modus ſanctorum feſta terminandi. 430, *num.*16
PARTIS 1. Diſtinctio Tertia. De exercitijs internis, & reformatione mentis. 431
PROLOGVS, internorum exercitiorũ commendationem continens. *ibid.*
DISTINCTIO.3. TITVLVS, ordine 12, Deſtructorium vitiorum. 433
CAP. I. Inductiua ad euellenda vitia. 433
CAPVT II. Tria inſtrumenta, quibus vitia propelluntur. 434, *col.* 2
Membrum 1, Primum vitiorum propulſiuum, eſt gratia. 435, *nu.* 1. & 2
Membrum 2, Secundum propulſiuum, Neceſſitas. *num.*3
Membrum 3, Tertium propulſiuum, induſtria.
§ 1, De meditatione. *nu.*7
§ 2, Doctrina. 436, *num.*8
§ 3, De oratione. 9
§ 4, De exercitatione. 10
Notula 1, Arma certatim contra vitia. *pa* 437, *col.*2
Notula 2, Ductor ſapiens habendus. 438, *n.*11
Notula 3, Ordo præſtituendus in vitijs debellandis. 12
Notula 4, certum tempus præfigendũ expugnando vitio. 439, *num.*13
Membrum 4, Remedia vitiorum cognoſcenda. *num.*16
§ 1, Remedia à nobis ipſis adhibenda. 440.

Digitized by Google

§ 2, Repreſſio carnis. 440
§ 3, Quintuplex verbum pro remedio. 18
CAPVT III. Practica meditatoria ſuper vitijs & virtutibus, ſub torpo duarum aliarum. pag. 447
Membrum 1, Prædiſpoſitio ante volatũ. *pag.* 448, *num.* 2, & 3
Membrum 2, Alæ virtutum & vitiorũ. 449, *num.* 4
Membrum 3, Alarum vberior declaratio & practica eis vtendi. *num.* 5
CAP. IV. Exercitium ſeptenarum *p.* 444
Septenarij numeri virtus. *ibid num.* 1
Membrum 1, Ipſæ ſeptenæ per ferias. 446, *num.* 2
Earum declaratio. 448, *num* 3
Membrum 2, Septenarum recommendatio. *num.* 4
Membrum 3, Concordantia & vberior praxis earum. 449. *num.* 6
§ 1, Superbia. *num.* 7, 8
§ 2, Ira. *num.* 9
§ 3, Inuidia. *num.* 10
§ 4, Acedia. *num.* 11
§ 5, Auaritia. *num.* 12
§ 6, Luxuria. *num.* 13
§ 7, Gula. *num.* 14
DISTINCT. 3. TITVLVS 2, ordine 13.
PROLOGVS. 452
CAP. I. Cautelæ proficere volentium. 453
CAP. II, Septem proceſſus profectuum. *ibidem.*
§ 1, Prima diæta, feruor nouitialis. *n.* 1
§ 2, Secunda diæta, labor corporalis.
§ 3, Tertius proceſſus, conſolatio ſpiritualis. 454, *num.* 2
Notula 1, Deformatio virium, quomodo introducta. *nu.* 3
Notula 2, Reformatio rationis. *num.* 4
Notula 3, Reformatio memoriæ. *num.* 5
Notula 4, Reformatio voluntatis. *nu* 6
CAPVT III. De quarta diçta profectus, qui eſt ſtatus tentationis. 455, *num.* 1
CAP. IV. Quinta diæta profectus in remediatione vitiorum, (*corrige, quod ibi eſt, virtutum.* 456
Membrum 1, De remedijs morborum ſpiritualium. *num.* 1
§ 1, Remedia generalia. *num.* 2
§ 2, Remedia ſpecialia.
Notula 1, De triplici ſuperbia, eiuſque remedijs. *num* 3
Notula 2, Triplex inuidia, eiuſq; remedia. 457, *nu.* 4
Notula 3, Triplicis irę remedia. *num.* 5
Notula 4, Triplicis Acediæ remedia. *pa.* 458, *num.* 5
Notula 5, Auaritiæ remedia. *nu.* 7
Notula 6, Gulę remedia. *num.* 8
Notula 7, Luxurię remedia. *pa.* 459, *nu.* 9
Membrum 2, Sanitas animæ in quibus conſiſtat. *ibid nu* 10
§ 1, Actio. *num.* 11
§ 2, Loquutio. *num.* 12
§ 3, Morum diſciplina. 460, *num.* 13
§ 4, De exercitijs mentis. *num.* 14
CAP. V. Sexta diæta, inſertio virtutum. *ibid. num.* 1, 2
§ 1, Charitas. 461, *num.* 3
§ 2, Dilectio proximi. *num.* 4
Dilectio carnalis. *num.* 5
§ 3 Vera humilitas. 462, *num.* 6
§ 4, Patientia. *num.* 7
§ 5, Obedientia. 463, *nu.* 8
§ 6, Contemptus diuitiarum. 464, *num* 9
§ 7, Sobrietas. *num.* 10
§ 8, Caſtitas. 465, *num.* 11
CAP. VI. Proceſſus ſeptimus, de ſtatu contemplationis. 466
CAP. VII. Ramificatio virtutum & vitiorum. 467

PARS SECVNDA ROSETI.

De exercitijs vitæ contemplatiuæ.

PROLOGVS in eandem partem. 469
PARTIS 2. Diſtinctio 1, quæ eſt ordine libri quarta. TITVLVS 1. qui eſt ordine decimus quartus.
Meditatorium, ſeu de modo meditãdi.
CAP. I. Continet generale præloquium de pertinentibus ad meditationem. *pa.* 471
Membrum 1, Introductiua ſacratũ meditationum. *num.* 1
Membrum 2, Meditantium qualitas. 472
Membrum 3, Qualia ſint meditanda. 473
Membrum 4, Induſtriæ meditatiuorũ. 474, *num.* 7
§ 1, Prima induſtria, corporis diſpoſitio. *num.* 8, & 9
§ 2, Secunda induſtria: certa puncta meditabilia. 475, *num.* 10
Cur ſub quinquagenario. *num.* 11
§ 3, Praxis & modus meditandi. 476, *num.* 12
CAPVT II. Scala meditatoria. 477, *num.* 1
Membrum 1, commendatio ſcalæ ſequentis. *num.* 2
Typus ipſius ſcalæ. 479
Membrum 2, Declaratio ſcalæ. 478, *n.* 1

Digitized by Google

§ 1, Primus gradus ſcalæ, quæſtio. *num.* 1
§ 2, Gradus, excuſſio. *num.* 3
Electio. *num.* 4, 481
§ 3, Gradus procedendi, quoad monitionem: Commemoratio. *481, num.* 5
Notula 1, Conſideratio. 482, *nu* 6
Notula 2, Attentio. *num.* 7
Notula 3, Explanatio. *483, nu.* 8
Notula 4. Tractatio. *num.* 9
§ 4, Gradus doctionis & iudicij: Dijudicatio. *num.* 10
Notula 1, Cauſatio. 484, *num* 11
Notula 2, Ruminatio. *num.* 12
§ 5, Gradus affectiui & primò guſtatio. *num.* 13
Notula 1, Querela. 485, *num.* 14
Notula 2, Optio. *num.* 15
Notula 3, Confeſſio. *num* 16
Notula 4, Oratio. *486, nu.* 17
Notula 5, Mentio. *num.* 18
Notula 6, Obſecratio. *num.* 19
Notula 7, confidentia. *num.* 20
§ 6, Gradus terminatorij, & primo gratiarum actio. *num.* 21
Notula 1, commendatio. *num.* 22
Notula 2, Permiſſio. 23
Gradus vltimus: commoratio. *num.* 24
Membrum 3, Sex annotationes doctrinales circa ſcalam hanc. *487, nu.* 25
Membrum 4, Exemplum præmiſſæ meditatoriç ſcalæ. *488, num.* 31
Membrum 5. Aliud exemplum, de vita S. Auguſtini. *494. num.* 32
PARTIS 2. Diſtinctionis 1, TITVLVS 2, qui eſt ordine 15.
Modus meditandi circa vitam chriſti. 500
CAPVT I. (*per errorem membrum* 1.) Inductiua ad meditandum de vita Domini. *ibid.*
CAPVT II Qualis debeat eſſe meditator myſteriorum Chriſti. 501, *nu* 6
CAP. III. De practicis circa vitã Chriſti exercendis. 503
Aduerte hic diſtinctionem in *col.* 1. poſitã pertinere ad *col.* 2, Ac proinde illa verba (*trãsformatur in Chriſtum*) poſita ante illam diſtinctionem, continuanda eſſe cum primis verbis *col.* 2. nempe, *Sathanas hæc ſummè odiens*. Deinde poſt diſtinctionem in 2, *col.* poſitam, immediatè incipit membrum 1, *in* 1, *columna*; & vltima eius verba (*ex eius doctrinis, Sextò*) coniungenda eſſe cum primis verbis *in columna* 2, immediatè ſequentibus diſtinctionem ibi poſitam, nempe, (*caueas ne eum imiteris,*)
Membrum 1, Practica per memoriam. 503
Membrum 2, Practica per intelligentiam circa Chriſti myſteria. 504, *nu.* 8
Membrum 3, Practica per affectiuam. *505, num.* 9
CAP. IV. Meditabilia per Roſaria. *n.* 10
Membrum 1, Quomodo roſaria legenda. 506
Roſarium generale. 507, 508
Membrum 2, Roſarium ex Monoteſſaro Ioannis Gerſonis collectum. 509
Roſarium pro feria ſecunda. 510
Roſarium pro feria tertia. 511
Roſarium pro feria quarta.. 512
Roſarium pro feria quinta. 513
Roſarium pro feria ſexta. 514
Roſarium pro ſabbato. 515
Roſarium pro dominica. 516
Membrum 3. Quomodo Chriſti myſteria moroſius recogitanda. 517

Digitized by Google

PROLOGVS AVTHORIS IN ROSETVM EXERCITIORVM SPIRITVALIVM.

Eccli. 38. *COr ſuum dabit in conſummationem operum, & vigilia ſua ornabit imperfectionem.*

Rude, & inemendatiſſimum, truncum, pariter, & imperfectum collectarium, Roſetum noſtrum, quod nuper me renitente, & inuito editum eſt, atque impreſſoria arte diſperſum in auras; grauiſſimorum atque religioſſimorum virorum, crebra atque improba efflagitatione, vel tandem cõmunis vtilitatis, & charitatis amore caſtigaturi, *& in conſummationem*, atque perfectionem (vt authoritas habet) qualemcunque daturi: in hoc præmonitos pios lectores velim (vt & in alterius editionis prologo præmiſſum eſt atque proteſtatum) collectarium iſtud eſſe, & humile opus, non docendi gratia, (procul prȩſumptio tanta,) ſed ſolum occaſione afferendȩ pietatis, etiam reluctante me, & pertinacius obſiſtente, relictis tenebris, ab alijs datum in lucem. quo factum eſt, vt tanta ſcateat, ſeu librariorum incuria, vel caſtigatorum inaduertentia, corruptela, & imperfectione, vt deprauata ſint omnia, hiantia, mutilata, & manca. Quædam illic largiore tractu prolixa, & quædam contra, ſteriliq; adeo ſunt breuitate perſtricta, omiſſa pleraque, & reciſa neceſſaria multa. Quæ omnia, quatenus pro ingenioli noſtri mediocritate aſſequi potuimus, limatiora hic ſunt, atque ſuppleta: vt caſtigatius exemplar, & emendatioris archetypi copia deſiderantibus adſit ad manum.

Cæterum dedimus operam, vt prȩmitteretur non inutile introductorium operis ſubſecuturi, ex ſuborta cuiuſdam nodoſȩ quæſtionis occaſione. Adiunximus prætereà in fine appendicem, *philocaumarium*, ſeu inflammatorium diuini amoris, tanquam præmiſſorum omnium clauſulam, & fructum, & finem: Ea prȩcipuè contemplatione, ne quicquam huic labori noſtro, quod ad totius pietatis excitationem, rationemque ſpectaret, & pro omni hominum ſtatu congrueret, poſſet deeſſe. Siue enim incipientes, pro ſuæ paruitatis metro, exercitia ſacra ſibi velint; ſiue proficientes, piarum meditationum inſtrumenta requirant; ſeu etiam perfectiores quique, & altiorem, excellentiorẽ illam Apoſtoli viam obambulare pergãt; 1 Cor. 12.
in hoc collectario noſtro, horũ omniũ incentiua, & media habẽt omnes. Prima ſiquidem pars, incipientibus, vel maximè ſubſeruit, quȩ tradit exercitia omni, & tempori, & actioni, & loco accommoda; circa quȩ præcipientium eſt obuerſari.

In altera autem Roſeti parte, ſacrarum meditationum modus, formulæ, & materiæ congeruntur, quȩ proficientibus conuenire putantur.

Perfectiores, qui circa flammigeras affectiones, & mentium in Deum inflammationes vacare, & intendere habent, in huius operis concluſione, diuini amoris inflammatorium inuenient.

Duæ autē primæ partes ſingulę in quatuor diſtinctiones cōdiuiduntur; Diſtinctiones in titulos; Tituli in capitula ſecantur; Capitula in membra; Membra per paragraphos; Paragraphi aliquādo per notulas partiūtur.

Nec nimia, ſeu ſuperflua cuiquam hęc tanta ſectio videatur: Ad plurima ſiquidem confert huiuſmodi partitio tam variè ſubdiuiſa; vt pleniùs in lib. ſuo Odarum explicuit Arnoldus Buxderick Canon. Regul. rubeę vallis, decem excipiens eius vtilitates, his verſiculis,

Diuiſio,	*illuminat ſcripta,*	*intellectu obſcura,*
Sectio,	luminat,	extrahit,
Tractanda,	*lectorem,*	*aliquod gratum,*
explicat,	attrahit,	affert,
materias,	*capitula & contenta,*	*memoratur attentius,*
Diſtinguit,	numerat,	mentem iuuat,
afficit profundius,	*in materijs.*	
intrat,	abundat.	

Notat, & Albericus de Roſate in digeſtis, quod diuiſio animum legentis incitat, mentem intelligentis pręparat, & memoriam artificiosè reformat, & per diſtinctionē nominū, ſingularum rerum differentiam declarat.

TITVLVS I.

QVÆSTIO PROOEMIALIS ISAGOGICA *Inuitatoria ad exercitia pietatis, quæ eſt & Introductio in Roſetum.*

1.Cor.12. *ÆMulamini chariſmata meliora.*

Occaſione ſubſequentium meditabilium exercitiorum apud pleroſque verſum eſt in dubiam quæſtionem: *ſi melius ſit, & conſultius, mentalibus iſtiuſmodi exercitiis, & meditabilibus pietatis inſiſtere, quàm vocales orationes, aut ſcriptarum meditationum rotationes (quales plerique pro ſummis exercitijs ducunt) abſoluere ſeu vocaliter legendo, ex libris explere;* Cum horum dulcedine, (mentalium, ſcilicet exercitiorum) alliciantur parte ex vna: E regione tamen durum eis videtur, vt ſolita illa vocalium orationum, aut numeroſa conſuetarum lectionum penſa, non perſoluantur.

PRO CVIVS, quidem quæſtionis non inutilis, pleniore diſſolutione quædam hincinde, ex probatiſſimis aliorum dictis, collectario noſtro more aggregata, in operis noſtri initio ſtatuimus, quaſi pro introductorio quodam præmittenda; cum plena, & humili, horum omnium ſub iudicio, & cenſura ſanius ſapientium ſubmiſſione: vt ſic & dubia corda ſol-
1.Cor. 12. uantur; æmulentur ab ignaris (pro apoſtolico conſilio) chariſmata meliora; ſatque amicorum votis ſatis; & deſideratiùs tradenda in poſterioribus pietatis exercitia ab omnibus acceptentur. Quæ ita iamdiu apud multos abolita ſunt, & penitus reſtincta; vt etiam ab oculatiſſimis erretur circa ipſa, tota (vt aiunt) via: putantibus religionem omnem, omniſque religionis perfectionem, & culmen, conſiſtere in multiplicata illa numeroſorū vocaliū officiorum, aut lectatū orationū rotatione numeroſa, ignaris interea & incurijs omnium exercitiorū pietatis. Qui error, totius pietatis exterminiū eſt, ſubuerſioq́;, & eneruatio omnis veræ religionis.

Erunt autem circa materiam hanc quadam
- Præmittenda,
- Supponenda,
- Annectenda,

Super
- Exercitiorū, qualitate:
- Quæſtionis diſſolutione.
- Nonobſtantiarum refutatione

pro quodam quaſi introductorio operis ſubſequentis, aut inuitatorio exhortatorio, ad exercitia pietatis.

PRIMA PARS QVÆSTIONIS.

De exercitiorum ſpiritualium neceſſaria diuerſitate.

SVPER exercitiorum igitur in genere qualitate, notentur propoſitiones ſubiectæ.

CORRELARIVM I.

SIcut diuerſæ comperiuntur conſperſiones animorum: ita & diuerſa eſt qualitas exercitantium.

Facilis eſt; & ſatis omnibus confeſſa propoſitio iſta, nec multis eget, pro ſua declaratione. Sententia ſiquidem eſt B. & magni GREGO- I.
RII papæ 6. Moral. ſuper illo verbo. *Ingredieris in abundantia ſepulchrum:* vbi in hæc verba Iob 26.
ait; *Magnopere ſciendum, quod valde inter ſe diuerſæ ſunt conſperſiones animorum.*

Digitized by Google

Nonnulli namque ita otioſa mentis ſunt, & naturaliter quieti, vt ſi eos labor occupationis excipiat, in ipſa operis occupatione ſuccumbant. E diuerſo autem nonnulli, ita inquieti, vt ſi vacationem laboris habuerint, grauius laborent; quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis ad cogitandum licentius vacat.

INVENTI etenim ſunt quidam (atque vtinam tot eſſent, quot priſco æuo fuiſſe legimus) adeo otioſæ, atque quietiſſimæ mentis, vt eos ita abſorberet contemplandi ardor, quod omnia eis exteriora, veluti prophana, vileſcerent, negligerentq́ue omnem exterioris corporis cultum: Quales fuiſſe accepimus, etiam apud exteros (vt ſacros interim omittamus) *Anaxagoram*, hæreditaria prædia, contemplationis gratia contemnentem; *Carneadem*, qui tanta ad id, quod mente conceperat, intentione ferebatur, vt ad menſam ſedens, non cibum, potumq́ue ſumere, non ſumptum ad os ferre meminiſſet; niſi Melliſſa quædam, quæ ſibi pro coniuge ſeruiebat, apprehenſam leniter dexteram, ad obſequium neglecti corporis retuliſſet; *Archimedem*, quoque, ita ingens animi cura oculos, atque aures occluſerat, vt cum ſtudio pariter amitteret, & vitam; mortemq́ue necteret contemplationis ſopori. Longum eſſet non diſſimilia, vel inferiora cõmemorare ex numero quoque ſanctorum, & religioſorum quorundam æui noſtri. Cuiuſmodi nouimus poſterioribus his diebus venerabilem illum *Dionyſium Carthuſien.* Et memorabilem *D. Ioannem Rusbroeck* Canonicum Regul. vt ex geſtis eiuſdem patet, cum aliis multis.

Sunt verò econtra alij, ad ciuilia negocia paratiores; aliquantiſper autem, ad arduas res contemplandas tardiores; quibus prompta eſt lingua, expedita manus, inquietius ad vacandum corpus; ſed aut pigritans, aut craſſum fortaſſis ingenium, inidoneum ad exercitia quietis; quales complures poſterior hæc noſtra ætas enutrit.

SICVT itaque horum diuerſæ ſunt conſperſiones animorum: Itaque quoque oportebit, vt & varia ſit eis qualitas exercitiorum; vt iuxta D. Gregorium, *nec quieta mens, ad exercitationem ſe immoderati operis dilatet; nec inquieta, ad contemplationis ſtudium ſe nimium anguſtet*; pro quo ſit correlaria propoſitio ſequens,

CORRELARIVM II.

Secundum diuerſam qualitatem exercitantium: erit, & variata qualitas exercitiorum.

Non enim omnibus conueniunt omnia: Nec omnia poſſumus omnes; Suus quibuſque mos eſt, nec voto viuitur vno. *Diuiſiones ſunt gratiarum*, & cuique ſecundum diuiſam
1.Cor.12. menſuram fidei ſapiendum. Vnde exercitare ſeſe volenti, in primis opus eſt, ſubtiliter diſcutere ſemetipſum, vt ſecundum ſuæ diſpoſitionis qualitatem, aſſumat congruam ſibi exercitationem. Hinc in libro de officijs, commonet pater *Ambroſius*, in omni actu inquirendum quid perſonis conueniat, temporibus, & ætatibus; quid etiã ſingulorum ingenijs ſit accommodum. Sæpe enim quod vni congruit, non conuenit alteri; aliud iuueni, aliud aptum ſeni; operoſis, & otioſis alia debentur. Oritur enim exercitationum diuerſitas, ſecundum naturę, & complexionis diuerſitatem; Philoſophorum ſi quidem eſt effatum animas ſua corpora ſequi, & quod experimẽto intendenti patet: Non tamen quod neceſſitatis, vel coactionis dixerimus ſequelam iſtam; ſed appetitus, & inclinationis, quæ nonnihil faciunt ad opus. Viderit ergo quiſque, in qua vi mentis vigeat magis, qualique ſit operi inclinatior, & ſecundum id, formet exercitia ſibi. Cor nempe molle, amicabile, & quietum, magis eſt ap- Regula.
tum contemplationi; vbi natura vaga, & inquietior, magis conuenit actioni. Neceſſe eſt itaque iuxta B. GREGORII ſententiam præmiſſam, vt *nec quieta mens, ad exercitationem ſe dilatet operis immoderati, nec contra inquieta, ad contemplationem ſe nimis coanguſtet.* Sæpe namque, qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus preſſi ceciderunt; Et ſæpe qui occupati, bene humanis vſibus viuerent, gladio ſuæ quietis extincti ſunt. Multa itaque vigilantia hic opus eſt, vt quiſque conſideret, & ſeſe exerceat ſecundum gratiam acceptam.

Gaudeant quoq; bene nati, & Deo gratias referant ambidextri; nec omittant negociari
in commiſſo talento; ne gratiam tantam ſuſci- 1.Cor. 6.
piant in vanum: alioquin crudelior, & ditior, Sap. 6. Mat.7.
ab his exactio fiet, ſi ea abuſi fuerint, in iniuriam donatoris. Dedant ſe tales meditationibus ſacris, ſint, & internis, mentalibuſq́ue exercitijs intenti; horreſcant externarum occu-
pationum *ſtercora amplexari*, qui *croceis* poſ- Thren. 4.
ſunt *enutriri*. Naturalibus bene vtantur donis; iugiter tanti muneris datorem exorantes Deum, quo per dona gratiæ perficiat in eis dona naturę.

At contra, qui alterius ſunt conſperſionis in animo, magis ſe ſancto applicent labori; imperfectum ſuum humiliter recognoſcendo; ad id quod perfectionis eſt aſpirantes, vt ſic, cum animalibus ſanctis Ezech. quiſque *coram*
facie ſua ambulet; donatam exercitans artem; Ezech.1.
contentus ſorte ſua. Quod enim natura negat,
nemo fæliciter audet. *Nec* enim *omnia membra* 1.Cor.12.
eundem actum habent: vt inſigniter de myſtico
corpore Doctor gentium deducit. *Bonum ſi-* Matt. 18.
quidem eſt (teſte vnico illo, & ſummo magiſtro) *cum vno oculo ingredi ad vitam; quàm duos oculos habentẽ, mitti in gehennam ignis*: Hoc eſt, ſecuriùs ſolam actiuam tenens vitam ſaluatur, quàm inidonea diſcretione contemplatiuæ celſitudinem ambit ineptus.

Bona itaque eſt conſultatio illa, in vitis ſanctorum patrum, vbi *Frater interrogauit Senem*
dicens, Quæ res ſic bona eſt quam faciam, vt viuam Notabile.
in ea? Cui reſpondit expertiſſimus Senex: Deus ſolus ſcit, quod bonum eſt; ſed tamen audiui, quia interrogauit vnus patrem Abbatẽ Neſteronẽ magnũ (qui erat amicus Abbatis Antonij) dicẽs; Quæ

eſt opus, vt faciam? & reſpondit ei, Non ſunt omnia opera æqualia: ſcriptura dicit quia Abrahã hoſpitalis fuit, & Deus erat cum eo; & Helias diligebat quietem, & erat cum eo Deus, & Dauid humilis erat, & Deus erat cum ipſo. Quod ergo vides animam tuam ſecundum Deum velle, hoc fac, & cuſtodi cor tuum. Sic legitur de magno illo Patre Appollonio, quod omnem ad ſed venientem tota religione ſuſcipiens, alios ad bene operandum, alios ad bene intelligendum, pro diuerſa nimirum mentium conſperſione, prouocabat.

IAM ne torpentibus quibuſdam nimium torporis laxaſſe videamur per dictam propoſitionem habenas, neue damnandi tepoiis ex his palliamenta ſumant, notetur propoſitio ſequens.

CORRELARIVM III.

NOn modo pro natura, & complexionum quali ate, ſed & pro ſtatuum exigentia, & varietate, dirigenda exercitia ſunt, pariter & varianda.

IIII. Hanc propoſitionem, idcirco potiſſimum ſubnectimus ſuperiori, ne ſub pallio inhabilioris, aut forſan pigritantioris naturæ, torporem ſuum, aut marcorem, religioſi noſtri velare obtendant. Nam ſiqui talium, qui inquietioris ſpiritus, & animo vagi ſunt, ad ſtatum ſeu (vt purius, & caſtius dicatur) ad ſcholam, vel ſtudium fuerint perfectionis ſub ſacra Religione accerſiti; non putent impune licere ſibi, propter naturæ, vel complexionis, quam prætendunt, hebetiorem inhabilitatem, totaliter, à ſacratę contemplationis quiete ceſſa re; aut ſecurè totos ſeſe dedere rebus externis. Sciant, ſciant (vt propoſitio habet) quòd etiam pro ſtatus, & vocationis qualitate, exercitia aſſumere oportebit: *vt digne* poſſint ſecundum Beati Apoſtoli commonitionem,
Ephes.4. *ambulare in vocatione qua ſunt vocati.* Habet enim quiſque ſicut naturam, & complexionem; ita quoque & ſtatum, officiumque ſui ſtatus, aut vocationis, rite diligenterque conſiderare, & exercere, quod viderit eſſe officij,
1. Cor.12 & ſtatus. Nam ſicut in vno corpore, diuerſa membra, non omnia eundem actum habent, ſed quodlibet, quod ſui actus officijque eſt, exercet: ita & de myſtico corpore, pariformiter ſyllogizandum.

V. Porrò eccleſiaſtici ſtatus officium, præſertim religioſorum, eſt, deditos eſſe contemplatiuæ vitæ: Pro oculis ſiquidem, immo, & pro pupillis oculorum (quorum eſt *videre,*
Ps.33. *quoniam ſuauis ſit Dominus*) in Eccleſiaſt. & myſtico corpore habentur. Adeò, quòd (vt vult Venerabilis ille, & memorandus Gerſon, in cuius ſæpe vitula atamus) damnabilis eſſet omiſſio, ſaltem contemplationis inquirendæ, apud illos, qui ad quietem contemplationis tendere habent, etiam ſi vix in fine vitæ comprehenderent; quia hoc exigit eorum ſtatus. Et ſuaſit Pater Auguſtinus dicens. Quia ſi negocium charitatis nemo imponit, ſtudendum eſt contemplandæ veritati. Audiant hoc. & contremiſcant, noſtri temporis quidam religioſi (nolim Satyricus eſſe.) *Neceſſitas* tamen oſtendenda eſt, & veritas horrendæ ſententiæ Venerandi Gerſonis, quod ſcilicet damnabilis ſit omiſſio inquirendæ contemplationis, apud religioſos præſertim; quippe qui ad ſtatum ſunt ſacræ religionis à Deo ex milibus delecti & vocati, *(qui eſt ſtatus perfectionis ſaltem inquirendæ)* & poſiti in ſchola religionis, quæ vtique affectus eſt, & deuotionis officina. Qui inſuper *peccata populi*
comedunt; & ob id in quieto ocio labores Osee.4.
poſſident populorum, vt (teſte Pſalmiſta) Ps.104.
Cuſtodiant iuſtificationes Domini, & legem eius, exquirant ſemper.

Vnde & apud gentium populos, indecens, VI.
prophanum, nefas, atque crimen erat, eorum ſacrificulos flamines, & ſuperſtitioſos ſacerdotes, alijs, quam ſacris intentum ire, aut deditos fore: Quos non mediocriter ob id quoque ſtipendiarunt, quo quietius eorum ſacris vacarent; Vt de Ægyptijs hoc ſacerdotibus innui- Gen.47.
tur, dum ſcribitur ſacerdotum terra manſiſſe libera: & quòd ſub tempore diræ famis ſtatuta eis cibaria ex publicis horreis præſtabant. Apud Athenas quoque, (vt in Platonis Timæo legitur) Sacerdotij præditi honore, publico donati ære, ſeparatim, ſeorſum à cætero populo manere cogebantur, ne vel contagione aliquali eorum caſtitas pollueretur, aut ſtudiorum, ſeu contemplationis quies aliquatenus interturbari poſſet; Quos adeo etiam (vt eloquentiſſimus Chæremon refert) oportuit eſſe deditos ſacris, vt omnibus mundi negocijs, curiſque poſthabitis, nunquam cognatos, & propinquos, nec liberos quoque videre poterant, ex eo tempore, quo cœpiſſent Deorum ſacris initiari; ſed ſedulo templo præſentes erant, naturalium rerum, ſyderumque contemplationi, poſt expleta ſacra, intenti.

Pudor mihi eſt, & rubor ſcribenti iſta, & VII.
vix me capio, præ confuſionis dolore, ſuper deſolatiſſimo ſtatu præſentis noſtræ deformatiſſimę religionis: qui ſpiritum in pedibus habentes diligimus mouere pedes, circumcurſitantes, gyrouagi in omnem terram; & *lapides Sanctuarij*, non ſine Tragedia
Spiritus ſancti, *ſpargimur in capita omnium pla-* Thren.4.
tearum, proh pudor!

Sed reliqua Chæremonis proſequamur; Quorum etiam ita caſtam, parcam, ac aſperam vitam deſcribit; vt omnis Religionis noſtræ aſperior auſteritas, pro delicijs æſtimari poſſet; quippe qui non craſſioribus, aut pinguibus, ſed herbarijs ſolum, vilibuſque cibis veſcebantur, hyſopo, & ſalignis floribus, fabiſque (vnde, & fabarij dicti ſunt) vtentes: quo & contemplationi, continentiæ, atque cantui eſſent aptiores. Et hæc apud Philonem, & diuum HIERONYMVM noſtrum, latius explicantur. *O erubeſcat Sy-*
don ait *amare.* Pudeat religioſos Chriſti, Esa.23.
Gentium, atque Deorum, imò potiùs demoniorum ſacerdotibus, minus eſſe religioſos! nulluſque quantumlibet omnino rudis, aut natura ineptus, in Chriſti ſacramenta tyroiuratus, prorſus ſe ſubtrahat à fine religionis,

exercitio contemplationis ſacræ;ſed recognoſcat eiuſmodi *ſuum imperfectum*, dominum inſtantius orans, vimq; ſe faciat naturę vagantiori, ſolitudini, & quieti intendens, cogatq́ue (vt diuus monet Pater Auguſtin.) cor ſuum cogitare diuina, donec ineptitudinem naturalem ſuppleat, & ſuperet gratiæ incrementum. Sæpe ſiquidem B. Gregor. teſte, & *pigras mentes excitat amor ad opus, & inquietas in contemplatione timor refrenat*, & plus apprehendit diligens hebetudo ſenſus, quam negligens ingenioſus, vt liquidius in *6.* Moralium eſt proſecutus, ad ſententię huius confirmationem, illud Sapientis adducens, *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis*, qui nimirum Prouer. 30. Videas. illò ſimplex, & hebes per exercitationem recti operis peruenit; quo ingenioſus ſoporeſcens minime aſcendit. Nota eſt ſententia vetus, Diligentiæ opera obtuſitas quæque permollitur. Diſcretio tamen huiuſmodi adſit, ne ſubruant ſub faſce: Et inferioribus contemplatiuę actibus vtpote lectionibus, vocalibus orationibus, canticis ſpiritualibus, licentius huiuſmodi exerceantur; vbi cæteri bene nati, & mentis aptioris, ſublimioribus ſeſe dedere habent; mentalibus ſcilicet meditationibus, & exercitijs internis. Sed proſequamur cæptas propoſitiones.

CORRELARIVM IIII.

IX. E*Xercitia bene, & accommode, pro cuiuſque ſtatu, & officio ordinata; temporanea non erunt, nec faciliter (niſi grauis ratio ſubſit) mutanda; chariſmata nihilominus meliora, æmulanda ſemper.* 1.Cor. 12.

Satis & hanc propoſitionem, pro vtraque ſui parte claram putamus; præſertim cùm in eruditorio exercitiorum ſubſequentis operis, nonnulla de exercitiorum qualitate, & inuariabilitate eorundem habeantur. Quemadmodum enim leges publicæ ſine magna neceſſitate, aut ratione graui, mutari non debent; ita nec exercitia; vbi bene, & accommodè fuerint inſtituta. Crebro namque mutata medicina, non ſanat, ſed turbat; non coaleſcit, quæ ſæpe tranſfertur plantula; nec prodeſt, aut accedit corpori cibus, qui eijcitur ſtatim ſumptus; vnde & beatiſſimo BERNARDO ſuſpecta eſt leuitas animi eorundem, qui omnia, antequam tentarint, facere volunt; vbi autem experti iam guſtauerint, iam mox pertæſi nolunt vno prope momento id ipſum, & cupientes, & reſpuentes; tam leuiter, quàm imprudenter; vix vna hora, vna in voluntate perdurantes, aura quadam impulſi, inconſtantis leuitatis; vagi, & inſtabiles hac, & illac velut ebrij nutantes; tot de ſe conſilia præſumunt, quot loca reuiſunt, ſemper quod non habent cupientes, cæptorum faſtidioſi. Quod contra conſulitur, in collationibus patrum; aliorum quidem facta probanda: ſed nequaquam, niſi grauis ratio ſubſit, ab ea quam ſemel rationabiliter elegerint, exercitatione decedendum: vt latius infra. Satis igitur ex his, & illic dicendis, *prima patet pars propoſitionis quod ſcilicet non ex facili, aſſueta exercitia mutanda ſint.* Bonum enim eſt bono ſuo eſſe contentum; & præſentia bona, ſuperuenientibus bonis augere melioribus, non pro futuris abijcere incertis; leuitatis eſt leuis bonorum commutatio; ſicut virtutis melioris exercitatio; multumq́ue diuerſa via currunt, qui pro nouis vetera abijciunt, & qui ab inferioribus ad ſuperiora conſcendunt. Qui enim mutationem quærit, eſt faſtidioſus, ſicut qui profectum appetit, eſt ſtudioſus. Rectiſſimè ergo iuxta magiſtrum Hugonem incedit, qui ſic feruens eſt ad melius, vt in bono ſuo non ſit faſtidioſus; ſed ſuſtineat prius bonum inferius, donec tempore ſuo apprehendat poſterius bonum melius.

Porrò altera propoſitionis pars Apoſtolicæ eſt autoritatis, qui itidem compluribus in paſſibus ſuarum Epiſtolarum, & verbo præcepit, opereq́ue, & exemplo, *in anteriora ſi quo modo apprehendere poſſet ſeſe ſemper extendit*, vtiliora Philip. 3. teneri iubens; *Omnia* inquit *probate, quod bonum eſt tenete.* 1.Theſ. 5. Quoque, & pro Philippenſibus Philip. 1. exorat, vt abundaret eorum charitas, in ſcientia, & in omni ſenſu; vtque probarent potiora. Vbi enim alterum altero melius, delectus haberi debet: & eſt *pretioſum ſeparandum à vili*; Ier. 5. Et vbi vnum altero fructuoſius exercetur, nemo ſuam partē habet facere deteriorem, ſed ea exercitatio præeligenda, cuius exercitio vberior fructus pullulare poteſt.

Sunt autem iuxta BONAVENTVRAM, quattuor religioſorum exercitia, ordine quodam ſibi ſuccedentia. *quorum primum*, & præcipuum eſt, *ſtudium immaterialis orationis*, exercitiumq́ue internæ, & ſpiritualis contemplationis: quo homo deguſtare nititur diuinæ contemplationis ſuauitatem; Qui labor eſt perfectiſſimus, & inter cætera exercitia, primū ſibi locum vendicare debet.

Secundum locum tenent *exercitia corporis*, quæ tamen connectuntur exercitio mentis: Cuiuſmodi ſunt cantus Pſalmiſtarum, exercitium diuini officij, genuflexionum, gemituum, & vocalium clamorum; niſi vbi debitum obligationis hæc præferenda cogit, quibus tunc nihil melius, vt infra.

Tertium gradum vendicant ſibi, *exercitia ſtudij ſanctarum Scripturarum*, lectio librorum deuotorum, quibus & mens inſtruitur, & in bonum omne aptatur.

Quartum & vltimum locum tenet ſibi, *exercitium operis mechanici, & manualis*, in quo nonnunquam vtile, & perneceſſarium eſt occupari; tam pro ædificatione proximi, quàm etiam vtilitate vitandi otij, ne pareamus iaculis inimici; Ita tamen, quòd non impediamur nimium, à tribus melioribus exercitiis primis, quæ indubiè præferenda his poſtremis.

Stultum ſiquidem eſt; & extremæ dementiæ, & fatuitatis, cum poſſet quis, eodem ſudore, & labore triticum in horrea metere, neglecto frumento, infelix lolium, & ſteriles colere gith, vel hauenas; Vilis quoque

Digitized by Google

Prouer. 61. multum, cui vilia, ac pretioſa, æqua lance cenſentur. Sed & ſcribitur, maledictus, *qui partem ſuam*, dum aliter liceret, *facit deteriorem*; Et poſtremæ eſt imperfectionis, ſub ſtatu, vel ſchola perfectionis, nolle eſſe perfectum, cum *in via Dei non progredi, regredi ſit.* Vbi enim *homo* (teſte Leone Papa Magno) *proficiendi depoſuerit appetitum, mox pariter & in deficiendi incidit periculum* Non enim poteſt Iob.13. in hac via eſſe ſtatus, in qua *homo natus de muliere, nunquam in eodem permanet ſtatu*, nec aliquid ſub Sole noſtro eſt ſtabilitatis. Hinc Ezech. 1. ſancta animalia in Ezechiele, ſemper progrediebantur; hinc vel aſcendebant, aut deſcen- Gen.28. debant, in ſcala Iacob, Angeli ſancti, ſolo Domino ſtabiliter in ſummitate ſcalæ innitente; quippe apud quem ſolum *non eſt transmu-* Iac.1. *tatio* vlla.

Nota XI. Dementiſſima ergo, pariter, & deteſtabiliſſima, atque execranda prorſus, vox illa quorundam ſpecie tenus tantum religioſorum, ſubgarrientium (teſte Gerſone) ſufficit mihi vita communis; ſi cum infimis ſaluari potero, nolim præmia altiora. Mox etenim vt huiuſmodi ex ſententia effutiunt, ſeſe à perfectionis via, quam tamen, (vt oſtenſum eſt) perſequi tenentur, deciſſe oſtendunt; Et valde verendum eſt his, qui torpentes ſufficere ſibi putant, ſaluari cum imis, ne damnentur cum Matt. 25 dormitantibus, & pigris ſeruis, non tradentibus commiſſa talenta, in negociationem, & vſurarium fænus; vt latius, & vehementius, in taleſmodi dictum eſt, in altera parte Roſeti.

Stat ergo fixa, & firma Apoſtoli ſententia extrema pars propoſitionis noſtræ, quod æmu- 1.Cor.12 landa ſint chariſmata meliora. Si enim bonum, deſiderandum venit; maius bonum, iuxta regulam topicalem, magis, ſummumque maximè æmulandum erit. Præſertim ab his, qui ad id obligantur, quales ſunt potiſſimum religioſi, vt aliquatenus deductum. Quibus & doctiſſimus Gerſon pro *maxima* præſcribit, quod quilibet ad ſtatum perfectionis obligatus, non præalligatus neceſſarijs actionis, etiam ſub damnabili omiſſione, ſeſe perfectionis exercitijs dedere, & coaptare habet; vel, ſi natura inidoneus ſit, ſaltem in deſiderio habere tenetur. Vnde plurimum reprehenſibiles ducit, honorabilis Dionyſius Carthuſienſ. religioſos illos, qui, cum apta media habent, & ex vocationis ſuæ ſtatu, ad perfectionem tendere debent, ad contemplationis tamen ſacræ gratiam non aſpirant: Nec ad internæ vitæ ſacra exercitia, neque ad dulciſſimum ſapientiæ guſtum ſe transferunt, coaptant, & extendunt; ſed ſuperficiales manent, ſenſuales, carnales, & animales, pigri, irreformati, ac imperfecti; contra quos, Tragediæ ſunt, & Satyræ plures: quas conſulto nos præterimus, ceu longiori indignos de ſe ſermone.

Sed cautius à nobis, ne calumnias cauillatores præſtruant, poſterior hæc noſtra eſt pro- XII. poſitionis pars interpretanda. Neq; enim volumus, dũ cũ Apoſtolo meliora hortamur æ- 1.Cor.12. mulanda, vt cuilibet tenſis ſemper neruis, maxima quælibet, & perfectiora quæq; patrare præcipiatur; ſed pro ſtatu, & pro gratia impertita. Non enim ſimpliciter oportet quemque ſemper optima quæque ſequi, vt in tractatu ſuo de perfectione cordis doctiſſime edoctus ille Cancellarius latius deduxit: Diuerſæ ſiquidem ſunt donationes, nec omnibus vno in loco, aut modo vno, datur perfrui grata præſentia ſponſi; ſed vt cuique diſpoſitum eſt à patre; vti ſuper cantica proſecutus eſt B BERNARDVS. Et in 28. Moralium magnus GREGORIVS. Et poſtillator de itinerario æternitatis. Cuique nihilominus pro exigentia ſtatus ſui potiora æmulanda; vel in deſiderio ſaltem & conatu contendendum in perfectionis finem.

Nullatenus autem exiſtimandum, quod, qui in nullo alicui deeſt, Deus, ad aliquem ſtatum, vel actum quemque vocet, ad cuius completionem, non etiã media conferat idonea, & gratiam infundat perficiendi. Dicit.n. Doctor Sanctus ſuper 4. diſ. 24. quæſt. 1. art. 2. in ratione ad primum argumentum, quod Dei perfecta ſunt opera (vt dicitur Deu. 32.) Ideoq; cui- Deut. 32. cunque datur potentia aliqua diuinitus, etiã dantur ea, per quæ executio illius potentiæ congruè fieri poteſt, vt ex naturalibus latius deducitur. Non igitur inhabilitatẽ, aut inidoneitatem objiciant torpentes religioſi noſtri; adeſt volentibus, & quod in ſe eſt facientibus, Deus; tantum (atque vtinam) ipſi volent potiora æmulari.

SECVNDA PARS QVÆSTIONIS.

Quis modus orationis, vocalis, an mentalis ſit præſtantior.

HActenus de præludijs, quibus vtcunque demonſtratum eſt, inter varias pro diuerſis animorum conſperſionibus exercitationes, potiores æmulandas. Ad alteram iam pergendum; et ſi oſtendere poterimus, interna mentis exercitia vocalibus præſtare orationibus, putabitur propoſitæ quæſtionis nodoſitati ſatisfactum. Notentur itaque propoſitiones ſubiectæ, pro diſſoluenda nodoſæ quæſtionis noſtræ dubietate: Quarum hæc ſit prima.

CORRELARIVM V.

INter diuerſas religionis ſacra exercitationes, ea eſt præſtantior, quæ in charitate radicatior, ſeu XIII. *vero affectu fuerit flagrantior, ac per hoc, & religioſo amplectendior, quia ad talem eſt obligatior.*

Huius ecce propoſitionis tres ſunt ſingillatim particulę declarandę. Et vt paucis multa dicamus, patet breuiter *prima pars propoſitionis huius, quod ſcilicet, inter varias exercitationes, ea ſit præſtantior, quæ in charitate radicatior*, &c. Nam talis exercitatio, mandato primo, & magno obedientior; fini præceptionis vicinior; ſui natura dignior; prouentu vtilior, obſeruatu magis neceſſaria; Deoque gratior comprobatur, vt hæc, verſiculo hoc complectuntur memoriali,

Mandatum, propiùs, digna, vtile, Grata neceſſ.

Matt.22. Mandatvm ſiquidem & *primum & magnum* eſt, de Dei dilectione, & affectus in eum erectione, vt patet; in quo qui ſe exercet, omnem legem adimplet. Qui enim legem præcepit, in vno illo præcepto, tanquam cardine, legem omnem ſuſpendit, relaxans æquitatis rigorem, vt qui omnia debemus, vno diligendi officio, cunctis ſatisfaciamus. Amor enim Dei, cardo eſt, à quo, & in quo *vniuerſa lex pendet, & Prophetæ*, cui tanto quiſque obedientior, quanto amantior.

Qvod etiam talis affectuoſior exercitatio, *finı præcepti ſit vicinior*, ac per hoc præſtantior, claret; nam finis primus eſt in intentione iubentis;
Pſ.118. *Omnis autem conſummationis finis, mandatum charitatis eſt latum nimis*; *Finis* enim
1. Tim.1. *præcepti charitas eſt*, vt Apoſtolus diffinit; Finis, inquam, non terminans, & conſumens; ſed perficiens, & conſummans; in quem etiam finem, præceptum ordinatur omne; *plenitudo enim legis, dilectio*.

Est tertio, huiuſmodi exercitatio
Rom 13. XIIII, affectuoſior, *ſui natura dignior*, cum *ex ſubiecto, vel potentia*, à quo, vel à qua egreditur, vtpotè à voluntate, quæ dignior hominis portio eſt abſolute, ſecundum perfectionem loquendo; licet contra quidam de intellectu contendant: Sed id per accidens, & quo ad originem tantum, vt tenet circa primum. di.1. quæſt.2. Doctor Sanctus, licet aliquotiens alijs in locis videatur tenere contrarium. Sed eruditioribus committendum eſt hoc problema; redeundum ad rem noſtram. Qualis autem eſt ordo dignitatis in potentijs, & habitibus; talis conſtat, & in actibus: Optimi enim (ſecundum diuinum Dionyſium) eſt, optima adducere; iure ergo, vt diximus, à digniori ſubiecto, qualificatur, & dignificatur actio, &c. *Tum dignior redditur ex habitu, vel dono* quo talis affectuoſior exercitatio elicitur, informatur, & eleuatur: Qui nobiliſſimus eſt, amor ſcilicet, aut charitas, ſummum Dei donum, excellentius chariſmatum, & virtutum; adeo quod nullus illo habitus præſtantior: ideoque, nec vllius virtutis actus dignior, delectabilior, aut perfectior. *Tum ex obiecto digniſſimo*, in quod immediate, & de per ſe dirigitur; quia in perfectiſſimam, ſummi Dei bonitatem. Patet itaque paucis, quod huiuſmodi actio dignior, ex eo potiſſimum, quod finis ſit, & conſummatio cæterarum.

XV. Est qvarto, exercitatio huiuſmodi *prouentu vtilior*, adeo quod nulla altera commodioſior, aut melior, vix inueniatur. Et hoc, & quoad Deum; ſubiectum proprium; genus humanum; & ipſius humani generis inimiciſſimum, aduerſarium: vt liquidius infra, in ſupplemento ſacramentalis id deductum. Vtilior item in præſenti, & in futuro; vtpotè verus cultus, vt *pietatis promiſſionem, eius, quæ nunc eſt, vitæ habens, pariter, & futuræ*. Quo etenim quis iam Dei amantior, & in charitatis exercitio flagrantior, eo & mox omni eſt chariſmatum huius vitæ refertior, & in futuro in eſſentiali præmio futurus ſublimior. *Vix* tamen notanter adiecimus, quod affectus exercitatione vtilior actio inueniatur: propter obedientiæ, & fraternæ dilectionis bonum, quo interdum meliora, vtpotè charitatis contemplatio ſpeculatiua, propter charitatis opera practica, cum præmij amplioris lucro, fœliciter non tam deſeruntur, quam intermittuntur; vt à varijs hoc deductum.

Est qvoqve, & obſeruatu taliſmodi exercitatio, *neceſſitantior*, ita vt ſine ea, ſalus prorſus eſſe non poſſit. Quippe qua ſine, nec Dei ſimilitudo ſeruatur, nec animę vita viuitur, nec quis beatificatur: Sed exterus quis mortuus, in tenebris, & ſub graui illo anathemate manet, quod interminatur magnus ille gentiū Apoſt. in omnes qui non amant dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt *ſint anathema* 1.Cor.16.
maranatha. Ad cuius dilectionem, imò & amorem, naturaliter quiſque obligatur; nec à quoquam cuiuſuis poteſtatis, in eo diſpenſatur: & qua ſola, vtpotè cæleſtis ſanctuarij ſicli pondere, eſſentiale præmium appenditur.

Est et postremo huiuſmodi exercitatio *Deo acceptior*, præq; cæteris aliarū virtutum exercitijs illi gratior. Omnis enim reliquarum exercitationum actio Deo accepta, quia ex viua gratiæ radice procedens, charitatis eſt participatiua, quæ ſola omnium gratuitorum actuum principium eſt, finis item, & forma; ex his igitur patet vtcunque propoſitionis propoſitę pars prima. XVI.

Sanè tamen accipi, & interpretari velimus, quiſque legeret illud propoſitionis, *ſeu Verò affectu flagrantior*: Non enim ſine graui conſideratione adiectum eſt. *Vero*; cum hoc non tam pro actuali charitatis feruore, quam pro conſtanti habitu, intelligi velimus. Feruor ſiquidem, & actualis flagrantia affectus, quædam proprietas quidem eſt, conſequens eſſentiam ipſam, interdum charitatis: Sed ſicut ſine feruore, manet realiter charitas; ſic etiam feruore non conſequente, aut aſſiſtente, bona gratificatur voluntas. Et ideo non de ſenſuali, & momentanea, vel horaria flagrātia feruēris affectus; ſed de vero & perſtanti charitatis habitu intelligenda venit, & ſic verè vera perſtat veritas noſtræ propoſitionis, quod quanto in habitu veræ, & ſynceræ charitatis exercitatio fuerit fundatior, tanto cæteris eſt præſtantior. Feruor.

Ideo quoq; vt *altera propoſitionis pars* habet, *& religioſè ampleclendior*. Cuius rationem, & cauſam, *tertia propoſitionis pars ſubnectit*. vbi dicit, *quia ſcilicet ad talem eſt obligatior*. Quæ iam declarata ſunt ſupra, & facillima ſunt deductu; *tum* ex ductu rationis, *tum* ex ſuaſu doctioris conſultationis, *tum* vel maxime, ex ſtatu ipſo, & fine religionis, ex quo, vt ſupra patet, tenentur religioſi quique, contendere ad ſtatus ſui finem, & perfectionem; Quæ vti que non in ſcientiarum acumine, aut vocalium conſiſtit orationum multiplicata rotatione; ſed in veræ charitatis, & verarum ad eum conſequentium virtutum vero feruore. XVII.

Vnde pulcherrimè, à magno illo Parriſiano Cancellario, eſt hortatum, quod religioſus, ſciat, ſe poſitum in ſchola religionis, quæ multum diſtat à ſchola ſæcularis inquiſitionis: vt frater eiuſdem Gerſonis fratri alteri, inculcans

Digitized by Google

aiebat. Frater inquiens, ſchola noſtræ religionis, non eſt ſchola theologicæ, vel philoſophicæ ſpeculationis; ſed Chriſtianæ ſimplicitatis, diſciplinæ, & deuotionis; non venimus ad illuminandum intellectum, ſed ad inflammandum affectum: Linquamus ergo quæſtiones diſputandas Scholaſticis; multiplicationem vocalium orationum, ad altiora non vocatis; Agamus quod noſtri ſtatus eſt, & finis. Omnia ergo noſtra tranſeant in affectum; ſed ſanctũ, ſed pium, ſed caſtum, & redigamus *omnem in-*
2.Cor.10 *tellectum in captiuitatem, in obſequium Chriſti.* Plus ſit, & tendat omnis exercitatio, ad charitatis igniculum, quam ad illuminationis ſcientificę radium: quia plenitudo, & finis legis, & omnium, non ſcientia eſt, ſed flagrantia charitatis.

Hic præſuppono, cohortationes Beati BERNARDI in ſermo, de aſcenſione Domini, vbi docet, intellectui affectum præferendum. Tradit & deſuper plura Autor triplicis viæ, & complures alij concludentes, lignum vitæ ligno ſcientiæ boni & mali iure omni præeligendum; vbi tamen, proh dolor; aberratur à multis, qui non minus ſtulte, quam impie, ſcientiam litteratoriam præferunt charitati: Non ſatis conſiderate, ſcripturas ſacras, & ſanctorum exempla, quę in contrarium cohortantur, attendentes; Nec puerilis illius verſiculi, ſed grauiſſimam tamen, ſententiam ſatis æſtimantes,

Gen 2. notabile.

Hoc eſt neſcire, ſine Chriſto plurima ſcire:

Si Chriſtum bene ſcis, ſatis eſt ſi cætera neſcis.

Quare delegerunt complures ſanctorum patrum, ſcienter permanere neſcij, & ſapienter perſtare indocti, *nihil propter Chriſtum, & hunc crucifixum* ſciſſe gloriabundi: nolentes cum nobili illa Paula (vt HIERONY. ait) pergere *Cariathſepher*, id eſt, vinculum litterarum contemnentes, nimirum occidentem litteram; magis viuificantẽ ſpiritum, & compunctionis geminæ triguum admirantes, certi, quod ſcientia inflat, charitas autem ædificat; vt de ſæcularium litterarum vanitate, complures ſunt ſanctorum patrum ſententiæ, congeſtæ in decretis, quas longum, & faſtidioſum eſſet perſequi, qui ſolum offerimus ſtudioſis occaſionem huiuſmodi perquirendi.

S.Gregor de S. Benedicto. 1.Cor,2. 2.Cor,3. 1.Cor 8.

CORRELARIVM. VI.

XVIII. *TAnto autem regulariter exercitatio verè affectuoſior, affectuque vero flagrantior; quanto in viuis conceptibus intellectualibus, in finem affectus intimior fuerit, attentior, & viuacior.*

Claram, & confeſſam ſatis putamus, propoſitionem iſtam, bene commoderatam; Naturaliter enim & neceſſario (vt ait Doctor Sanctus) dilectionem cognitio; vt concupiſcentiam antecedere habet apprehenſio; & delectatio omnis (iuxta Seraphicum Bonauenturã) præcognitionem præſupponit Cuius ratio in promptu eſt; virium, ſcilicet ipſarum inter ſe coordinatio, &, ex conſequenti, habituum, & actuum earundem. Quod maximè propter acutiſſimorum Nominalium quorundam poſitionem adiectum voluimus, qui vires, & potentias æquas aiunt (cum & animam, & ſuas potentias ponant) non tamen in actibus potentiarum ordinem negant.

Dicit ergo S. THOMAS, in tractatulo ſuo de dilectione Dei (non contemnendo opere eius) quod vires animæ ſic ordinatæ ſint, vt cognitiua affectiuã præcedat. In Motibus autem, & motoribus ordinatis, deſtructo priori, deſtruitur & quod poſterius. Intellectus ergo, affectum antecedere habet; & conſimilis quoque ordo in habitibus, & actibus eſt: Hinc eſt Eccleſiaſticæ illius linguæ nota ſententia: *Inuiſa diligi poſſe, incognita nequaquam* Aug.
Confeſſum ſiquidem eſt apud omnes; nutricem voluntatis fore rationem ipſam: Quod tum humanæ voluntatis natura, tum diuerſa hominum qualitate, tum iudicialium ſententiarum comparatione, tumque beneficio naturali, facillimum eſt demonſtrari. Omnis ſiquidem voluntas, terminus eſt opinionis, XIX.
vel iudicij, ſuper re aliqua proſequenda, vel fugienda: Eo namque volumus aliquid, quia bonum iudicatur, & ob id proſequendum; contraque renuimus, quia ſenſui, vel rationi malũ videtur; eaque propter fugiendum. In rem enim incognitam, id eſt non præiudicatã, nunquam fertur voluntas. Si igitur terminus opinionis, ſiue iudicij, mutato iudicio pariter permutatur; & conſtante iudicio, ſimul perſeueretur: Sicque voluntas opinionis, vel iudicij finis; ratione permota vniformis voluntas permanere non poteſt. Patet in prudentibus, qui contra, aut præter rationem agunt nihil Minus autem prudentes, apparentem ſaltem ſubſequuntur rationem; ita tamen, quod in vtriſque ratio principetur, in mouenda voluntate. Quemadmodum enim ſecundum ſententiarum qualitatem diuerſam, iudex eadem iubere non ſolet, ſed diuerſa: humanus pari forma animus ſecundum iudiciorum ſuorum variam diuerſitatem, & opinionum, quæ per rationes gignuntur, varietatem, aliud, & aliud vult, & iubet. Quod & natura monſtrante docetur; cum quotiens alterius voluntatem permutare nitimur, opinionem eius per rationem inuadimus; quaſi docente natura ſcientes, opinione mutata voluntatem eandem permanere non poſſe. Conſtat itaque, rationem dominiũ obtinere in vim illam mouendam, quã terreni orbis cardinem aiunt, voluntatem, ſcilicet humanam, cuius imperio reliqua ſubſunt.

Qui igitur amare volet, aut concupiſcere Deum ſeu flagrantius, & affectuoſius exerceri circa eum: prius agnoſcendę præſtantiæ eius operam det; & attentius pro diligibilitate, & perfectione illius cognoſcenda, intellectu exerceatur. Delectabile quippe apprehenſum mouet; & nemo (magno Auguſt. teſte) diligere poteſt, quod prorſus ignorat. Quamquam enim canes, & leones, fideliter ament, & vſque ad mortem ament (vt Chronica docent, & res geſtæ) & id natura fiat; tamen in hominibus ratione, & intelligentia voluntatem mouentibus, vt magnus affectus, vel amor ſit, niſi in magnis ingenijs, non eſt facile vel vix poſſibile. Magnus ſiquidem affectus, niſi claro, & illuſtri

con-

conceptu non ſpirat *regulariter, & de communi lege* ſaltem, vt propoſitio haber.

XX. Pſ.10. Quod non ſine digna cauſa adiectum eſt, & graui ratione. Aliquando enim in benedictionibus præuenitur, & quodam miraculo quaſi rapitur in quendam affectum homo, non præuia cognitione multa. Qua de re, latius agetur infra. Nonnunquam etiam diſpenſatiue, in magno conſilio Dei flagrantia, affectus ſubtrahitur, vt ad exercitationem attentioris intellectus, affectio non ſubſequatur, Deut.28. 2.Reg.1. ſed appareat *cœlum aneum, & ferrea terra: nec ros, nec pluuia* ſuauis affectionis, ſeu compunctionis, deſuper deſcendens. Cuius diſpenſatiuę ſubtractionis bene 15. aut 16. non indignas rationes, dignus ille Cancellarius, in ſuo de Myſtica theologia adducit. Quas ſub compendioſis carminibus, pro memoriali complexi ſumus, proſecutionem auctori principali remittentes,

Primo propter noſtrā humiliationem.	*propter deſiderij inflammationē.*	*propter aliorum compaſſionem.*
Sis humilis,	Flagrans,	Miſerens,
propter gratitudinis emiſſionem.	*propter laboris ſatiſfactionem.*	
Sic grate,	Satisfac,	
propter diſciplinæ eruditionem,	*propter actiuæ vitæ occupationē,*	*propter vitandum aliorum contemtū,*
Erudiat,	Lia ſis,	Ne ſpernas,
propter venialium punitionem,	*propter gratiæ & miſericordiæ diuinæ recognitionem,*	
Pœna,	Renoſcas,	

propter propriam cognitionem.	*propter mentis purgationem,*	*propter carnaliū ablactationē,*	*propter laboris ſpiritualis relaxationē*
Te noſcas,	Purgat,	Lactat,	Leuat,
propter torporis excitationem.	*propter patientiæ exercitationem.*		
Excitat	& Fers.		

Harum, vt diximus, vlteriorem proſecutionē qui volet, in ſecunda parte præallegati operis ſub conſideratione 6. requirat. Quarum Gerſon. etiam nonnullas proſequitur dignus auctor profectus religioſorum, & alia; quare tranſimus, hoc vnicum commonendo, quod plantans, & rigans, confidenter ſe exercitet meditatiuus noſter, attentiore, & intimiore conſideratione intellectus: ſed deſuper expectet, & expetat flagrantioris affectus, & ſaporis incrementum; XXI. Quia ſi ad horam diſpenſatiuè ſubtractum fuerit, patienter ferendum venit, & pro irriguo ſuſpirandum. Stat ergo veritas noſtræ propoſitionis, quod *regulariter verè affectuoſior exercitatio, prouenit ex interiori, & attentione*: imò vix poteſt, aut ſurgit ſine ea.

Sed non ab re adiectum eſt, *Vera* aut *affectu vero*, vt ſenſualis, & momentaneus carnalis cuiuſdam deuotionis affectus excludatur; & habitualis charitatis feruor, conſtansque virtutum intelligatur affectus. Sæpè namque, in quibuſdam hominibus parui, aut nullius intellectus, ex ſubito deſiderio alicuius appetibilis, ſeu amabilis, ſuboritur, & exurgit flagrantior quidam ſenſualis, & dulcis affectus, non magni ponderis, neque multi æſtimandus; niſi causè, & bene ſit directus; vt patet de incipientibus, nouitijs, mulierculis, & mollis cordis, aut teneræ complexionis hominibus. Nec putandum (ſi celeberrimo illi Hugoni S. Victoris Canonico credamus) quod ſecundum momentaneos illos, & volaticos ſenſuales affectus Dei ſit metiendus amor, aut verus veræ charitatis æſtimandus affectus; ſed potius ſecundum habitualem, & virtuoſam bonæ voluntatis qualitatem; vt de hoc alibi latius, & bene tractatur, in tractatulo de ſpiritualibus aſcenſionibus. Requiratur, videatur, legatur. Falluntur ſiquidem circa huiuſmodi deuotionem plures; cū vera veræ affectionis deuotio, non ſit experimentalis cuiuſdam dulcoris guſtus, ſed integritas bonæ, & conſtantis voluntatis, &c. quæ regulariter poſt Dei gratiam, oritur ex præmeditatione diuinæ bonitatis; Præſertim ſi viua ſit, & non dormitans, ea meditatio.

Vnde notabiliter, in propoſitionis proſecutione adiectum eſt, ſi fiat *in viuis conceptibus intellectualibus.* Vana enim, & vaga, fluxa, ſuperficialis, & ſine viuis notis perfunctoria attentio, ſeu mortuus quodammodo cogitatus, ſterilis eſt, inefficax, & otioſus, ideoque nec generatiuus affectus; quales ſunt vt (Satyricus ait,) dum vetus Simia dolos meditatur, aut dum furens canis, rabioſa ſilentia rodit. Nam licet verba, aut verborum ſimulacra, quis attenta mente reuoluat, niſi tamen ſic viuaciter voluat, & viuis conceptibus, ac notis attendat, vt iudicium, ac æſtimatio, attentarum rerum exaltent deſiderium, pariant, ac concitent affectus; non viuaciter meditatio illa celebratur; Viui etenim conceptus ſunt, qui ſublime iudicium & vehemens pariunt deſiderium rei cogitatę. Quæ niſi conſequantur, non viuis notis acta attentio eſt. Quomodo enim viua XXII. quæ non viuifica? Latior ecce hic, & ſubtilior ſe materia offerret, de conceptibus, & viuacitate cordis, ſed tranſit anguſtias noſtras, Doctores deſuper perſpicaciores videantur, cuiuſmodi ſublimior ille Aquila (patrem Auguſt. loquor) in opere de verbo mentis, & memoratus Cancellarius, in ſuo de conceptibus ſuper Magnificat, item & alij, alijs in locis.

Nobis cœptæ propoſitionis declaratio proſequenda, in cuius fine, non ſine graui pondere additum eſt, quod viuax attentio huiuſmodi, in *finem debeat fieri affectus*. Vagorum enim & vanorum cogitatuum, imò & attentionum viuidarum, propter ſcire ſolum, in curioſitatem illuminandi intellectus, non in finem ordinarium inflammandi affectus, nullus aut tenuis poteſt eſſe fructus; cum ſola Charitas, non curioſitatis, aut ſcientię vanitas, ſit fructus religioſi. Tunc vero naturaliter, & regulariter dignum affectum intimior attentio parit', cum in finem fuerit ordinata exuſcitandi affectus; paritur enim quiequid concipitur omne, vt patet de ouibus Iacob, & Gen.30. Laban.

Ex defectu huiuſmodi directionis, principalius, & quaſi ex capite venit, quod iam ſint 2.Tim.3. ſcientes multi admodum, ſapientes pauci: Scioli, & docti plures; ſed quales Apoſtol plangit, ſine fœdere, ſine affectione, cuiuſmodi gentium Philoſophi, & ſapientes ſæculi, imò ſcientes verius diceres, aut potius dementes

Et

Pſa.72. Et qnales religioſos luget domini Cythariſta, intellectu illuminatos quidem, ſed non ita pariter affectu inflammatos, quorũ compunctio rara, & horaria, & directio cordis nulla; cum tamen eorum meditatio, in domini conſpectu deberet eſſe ſemper, qui frigidum horret, euomitque tepentem; volens, vt *ignis quem miſit* in cordis altari, *ardeat* ſemper, & exercitium omne, omniſque meditatio, tranſeant in affectum. Apoc.3. Leuit.6

Puto iam ex his, ſatis modificatam, & explanatam, propoſitã propoſitonẽ, ſi his annotentur, quæ infra diſſoluenda ſuper poſitionẽ auctoris de triplici via, volentis ſine præcognitione, affectionem fore amoris.

Age iam cæteris exercitationibus intermiſſis reflectamus, & applicemus præmiſſa, ad ea quæ nondum concernunt diſſoluendæ quæſtionis ſuper præſtantia, ſcilicet vocalis, aut mentalis orationis, pro quo ſint propoſitiones ſequentes.

CORRELARIVM VII.

XXIII. M*Elior eſt oratio pura, cordis ſcilicet, & mentalis: quam ſimiatica labiorum tantum, & mere vocalis; aut etiam gregaria attentionis.*

Hæc propoſitio vt planius intelligatur, operæ precium eſt, vt vtraque orationis ſpecies deſcribatur, ne ex ignotis procedatur. *Puram itaque & mentalem orationem*, venerabilis Hugo cum cæteris, eam aiunt, quando ex abundantia deuotionis, mens ita ſuccenditur, vt etiam pre amoris magnitudine obliuiſcatur ſuæ petitionis, Deo ſolo, vnice cor intendens. *Vocalis mera dicitur* ea, quæ labiorum tamen non cordis eſt: Qualis oratio eorum fuit, de quibus Propheta ait, *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe abeſt*, ac per hoc vere, & proprie, oratio non eſt. Oratio enim affectus mentis eſt: Si enim rite oratur, neceſſe eſt, quod mens ſecundum id quod orat, afficiatur; Nam qui verba orationis ad numerum duntaxat rotando dicit, ſonat quidem, ſed non orat, licet mandato eccleſiæ in ordinis ſtatutis ſatisfaciat. Simiatica itaq; eſt oratio talis, quia aſſimilatiua veræ orationis, & non veritatem adæquans. Eſa.29.

Adijcitur quoque, & non ſine cauſa, *Aut etiam gregaria attentionis*, vt etiã notetur, puræ orationis, & mentalis excellentia ſuper oratione cõmixta ex mente, & verbis: Quæ tametſi aliquid mentis habeant, & attentionis, (ac per hoc, & ſit bona) imperfecta tamen eſt (vt declarat magnus pater Auguſt. in tractatu ſuo, de verbo mentis) & non pura, quia Bootheſi, & Nootheſi permixta, verba verſans, & verborũ ſimulacra, ac per hoc non prorſus eleuata. Stat itaque, & de illa oratione propoſitio præmiſſa. Cuius tot ſunt declaratores, quot ſunt ſolidi, & certi auctores. Hoc ſiquidem veteres, cum nouis, hoc magni, cum paruis, parili affectione affirmant, quod ſcilicet melior ſit pura oratio, & mentis, quam labiorum, & oris; ob multas rationes, quas partim aſſignant ſancti Doctores, Thomas, Bonauentura, & in Pantheologica Raynerius.

Tum quia oratio mẽtalis eſt:
- Affectuoſior,
- Virtuoſior,
- Conuenientior,
- Formalior,
- Acceptabilior,
- Laudatior.

Vi, voſito, ſimili. forma, quia grata, probata.

Primò mentalis oratio eſt *affectuoſior*, quia mente attentior. Nam qui ſine verbis, id eſt vocalium verborum cogitatu, & ſimulactis orat, vt ſcilicet neque verba, nec verborum ſimulacra cogitet, diſtractiones mentis non perfert, ſed neceſſario ad orationis ſententiam eſt intentus, ſeſe prorſus eleuans, ſine retrahẽtibus verbis, in Deum: iuxta illud Eſa. *Anima mea deſiderauit te*, &c. Eſa.26.

Secundo eſt *virtuoſior*, iuxta illud Iob *Si direxerit homo ad Deum cor ſuum ſpiritũ eius, & flatum ad ſe trahit*. Omnis ſi quidem virtus orationis, in affectibus conſiſtit pietatis. Iob 34.

Tertio eſt, & *conuenientior*, vbi ſpiritum ſpiritus orat; ſecundum illud, *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate, oportet adorare.* Io 4.

Formalior quoque eſt, cum orationis forma attentio ſit, & affectio mentis; non labiorum rotatio, ſeu verborum ſtrepitus, aut ſonus, & ſubſtrata verba, pro materia ſe gerunt.

Acceptabilior item eſt oratio mentis; non enim verba deprecantis, ſed cor inſpicit orantis Deus; citiuſque per affectuum pietatem, quam per vocis petitionem (vt venerabilis Hugo ait) exaudit; illa ſiquidem (iuxta magni Antonij ſententiam) Deo acceptiſſima oratio eſt, in qua mens omnium, etiã & ſui obliuiſcitur, & neſcit quid petat, propter quendam in Deum raptum, & mentis aſcenſum in eum. Atque, ô vtinam! (exclamat Chriſtianiſſimus doctor Gerſon) id perſuaſum ſæculi homines tenerent, quantum ſit oratio acceptior talis per deuotos ſilentes, & quietos, quantum præterea plus impetrat, plus Deum placat, plus ſoluit de pænis debitis, pluſque de meritorum gratijs conquirat: quam vocalis oratio ſola, aut ſola exercitatio talis corporalis, in vigilijs ſupra modum, & vocalium canticorum multiplicationibus, quę ſæpe plus exturbant cerebrum, & tædium gignunt, quam deuotionem inducant; de quibus Dominus ait, *Aufer te a me tumultum carminum veſtrorum*, &c. Hæc venerabilis ille Gerſon, in tractatu ſuo de ſollicitudine Eccleſiaſtica. Amos 5.

Eſt, *& poſtremò* mentalis hæc oratio, *Laudatior*, præcepta, ac ſuaſa magis, & hoc à multis. Hanc Chriſtus, Paulus, patres docti ſuperexaltant; *In primis hanc effert*, & ſuadet *Dominus Ieſus*, vnicus, & ſummus magiſter ille, præcipiens intrare cubiculum cordis, & claudere oſtium oris, vt non clamoſe ſed ex corde oretur Deus. Qui & Samaritanę mulieri pro magno dixit, quod *veri adoratores in ſpiritu, & veritate orarent*: & quod pater tales quærat, cum *ſpiritus*, & incorporeus *ſit Deus*, & ſic honoratur magis. Dupliciter etenim (ait aurei oris doctor) Deum honorat, qui mentaliter, & in corde orat, tum quia orat, tum quia eum etiã abſ- XXIIII. Mat.6. Io.4. Io. Chryſoſt.

conſa audire credit. Non igitur voce clamoſa, ſed conſcientia recta, eſt orandus Deus. *A Paulo* quoque gentium doctore, itidem multipliciter perſuadetur, dum mentalis orationis præſtantias, ex multis (vt videre eſt, in gloſſis doctorum, & ſanctorum commentarijs) effert, concludens. *ſi lingua tantum oret, mentem eſſe ſine fructu.* Nimirum docens, in attentione mentis orationis conſiſtere fructum; præeligens, & *quinque verba in ſenſu loqui*, quam *decem millia in lingua*: *ſpiritu* determinans *pſallendum*, ſed *magis mente*, hoc eſt intelligentia mentis.

1.Cor. 14

1 Cor. 14

Vnica etiã, & concors hæc fuit ſententia *omnium Ægyptiorum patrum*, vt patet ex nona collatione Iſaac Abbatis: Vbi explanans ſententiam Domini Ieſu de orando ait, quod *tunc clauſo oſtio oramus, dum ſtrictis labijs, omnique ſilentio ſupplicamus, non vocum, ſed cordium ſcrutatori.* Vbi, & in confirmationem adducitur memoratiua ſententia Sancti Antonij, diuini vtrique oratoris, dicentis, non perfectam orationem eam eſſe, in qua ſe monachus, vel hoc ipſum, quod orat, intelligit. Cuius pariter ſententiæ commeminit magnus ille magiſter Hugo, in tractatulo ſuo de oratione, dicens, quod tunc oratio noſtra, acceptiſſima eſt Domino Deo, quando omnium, etiam ſui, obliuiſcitur homo; ſancto quodam raptu charitatis eleuatus in Deum. Quam ſententiam ſuis diſcipulis crebrius etiã commemorabat ſanctus ille Antonius, vt de eo Athanaſius refert, non ſcilicet in multiloquio verborum, in orationibus fidendum, ſed magis in feruore deſideriorum; vt videlicet, magis illam orationem exaudiendam confiderent, quæ ſecundum Deum feruentiore deſiderio funderetur: acceptiſſimamque ſæpe orationem illam eſſe Deo, qua aliquando tam dulciter mens orantis fluit in Deum, vt neſciat ipſa, quod petat. Et hic ſublimis eſt orantium gradus ſub miſerijs huius vitæ mortalis. Vnde & beatus ille Ioannes Ægyptius, hanc valde extulit dicens, quod quãuis valde probabiles ſint actus hominum bonorum, qui inconfuſibiles operarij ſunt mandatorum Dei: longe tamen ille his ſuperior eſt iudicandus, qui cõſudat in exercitio mentis, & ſpirituales intra ſemetipſum excolit ſenſus, conſtituens ſe ſemper in conſpectu Dei; vt latius Hiero. deducit in vitis patrum. Sunt in eadem ſententia, omnium fere ſcripta doctorum, quorum adducere ſingillatim teſtimonia, & graue, & diſpendioſum foret. Ex quibus beatus Iſidorus, concludit breue Correlarium iſtud. *Melius eſſe cum ſilentio orare Deum in corde, ſine ſono vocis: quam ſonanti verbo ſine intuitu mentis.* In quam breuem concluſiunculam quadrant omnes. Quare perſtat veritas noſtræ propoſitionis, quæ tamen planius explananda, & moderanda venit.

CORRELARIVM VIII.

XXVI.

TAmetſi mentalis oratio vocali ſit orationi ita prælata; non tamen vocalis oratio, venit ſpernenda, Quæ congruè à ſanctis patribus eſt inſtituta; Ideoque, cum debetur, exactiſſime perſoluenda, vltra debitum tamen non nimis, præſertim à religioſis, aſſumenda; quibus meliora chariſmata æmulanda.

Sunt huius propoſitionis complures particulæ, quarum ſingularum declaratio, paucis eſt explicanda. Primò itaque *vocalem orationem nullatenus ſpernenda* permittimus, vt capiantur, opprimanturque vulpeculę, ſub præmiſſis deliteſcentes. *Error ſiquidem quorundam* erat, qui, & dicebant. Penſare Deum corda, & non verba; at per hoc, inutiles vocales orationes aſſerentes. *Sed occurſum*, & reſponſum eſt his à multis, quibus, & inter cęteros venerand. Gerſon ait: Penſat, credite, penſat inquam Dominus, & verba multiplici ratione, ad exercitationẽ corporis, ad excitationem mentis, ad vitandum otium corporis, ad exemplum præſtandum proximis, ad meritum ſatisfactionis, ad ſacrificium laudis. Quæ rationes conſtringuntur verſiculo iſto

Laus orationis vocalis.

Corporis, & mentis, opus, exemplar, meritum, laus

Nolim igitur aliquis tepens, & torpens dixerit, quod cor, non verba penſet Deus; cum contra Apoſtol. dicat, *Orabo ſpiritu*, vocem intelligens; *orabo, & mente.* Et facundiſſimus Ambr. in Hym. *Os, lingua, mens, ſenſus rigor confeſſionem perſonant.* Non itaque religioſus quiſpiam, dum ad ſynaxim conuenerit, ſe dignum reputet ſola conuentione, aut mentis contemplatione, vt conuentum ſpernat in pari exercitatione; ne voti ſit immemor, in ſua profeſſione, vbi Deo corpus obtulit cum mente, nec quærant hic remunerationem tranſitoriam in mentis dulcedine, pro æterna beatitudine, aut eccleſiam ſpernat in ſua iuſſione.

1.Cor. 14

XXVII.

Nullatenus etenim vocales orationes, quæ ſub præcepto præſertim eccleſiæ ſunt, omitti debebunt, pro aliqua deuotionis palliatione. Meretur enim granditer ſic obediens, ex varia ratione: *tum quia* eccleſiæ præcepto, & inſtitutis obedit; *tum quia* ſacrificium oris Deo reddit; *tum quia* ex labore ſatisfacit; *tum quia* otium ſic excutit, quod plerumque in exercitatis ſubrepit in ſola mentali exercitatione; *tum poſtremo*, quia cum Apoſt. & *ſpiritu pſallit, & mente*: verſus memorialis.

Et parens, reddit, ſatagit, vitans, dat, vtroque.

Patet ergo prima particula propoſitionis: quod vocalis oratio, non eſt ſpernenda.

Congrve etenim, vocalis oratio, à ſanctis eſt patribus inſtituta, præſertim communis oratio eccleſiæ, multis ex cauſis.

Parte Dei, plebis, cleri, precis, atque ſequela.

Primo ex parte Dei, cui oratio porrigitur; vt illi ex toto noſtro, & corpore, & ſpiritu quaſi vtriuſq; conditori, & glorificatori ſeruiatur, & ſic *vituli labiorum*, cum propheta, illi immolentur; & reddantur.

Secundo ex parte populi, pro quo funditur. Nam quia communis illa oratio eccleſiæ, per miniſtros in perſona totius eccleſiæ offertur, congruit, vt innoteſcat toti populo, pro quo profertur: Quod non fieret, niſi eſſet vocalis. Itẽq; vt rudes eorum animi vocali cantu excitentur, in eo exercitentur, inſtituantur, & afficiantur.

Digitized by Google

Congruit ergo plebi, vt alte pronuncietur.

XXVIII. *Tertio idipſum conuenit, ex parte miniſtrorum,* & cleri, à quibus, vel quo exoluitur; quibus non prorſus inutilis eſt, illa exercitatio vocalis cantus; licet retrahat perfectiores. Scientes enim ſancti patres, quod rariſſimi ſint inter Gen. 8. homines (maximè ſub adoleſcentia, & iuuentute, quæ in malum prona ſunt) idonei ad mentalem, & internam exercitationem, & cõtemplationis apicem; Videntes, etiam imperfectum noſtrum, & attendentes, quam difficile ſit ocio bene vti: voluerunt occupationem bonam dare hominibus, & ſubiectis ſuis; in orationibus, & canticis vocalibus multis. Vnde Eſa. 11. & voluit magno conſilio, ſpiritus ille ſapientiæ, & conſilij per ſanctos patres, ita laude infrenare ſubiectos, & vtiliter exercere nimis. Sacra enim verba, crebrius ore voluere, diutius ſub vocali cantu in Dei laudem defatigari, non inutiliter, in eccleſia inoleuit. Per hæc namque, & de præteritis penitentia agitur; pro præſenti tanquã quibuſdã follibus deuotionis ignis in ſufflando excitatur materia ſacrarum cogitationum, intelligentiæ, & memoriæ affertur; & in futurum miniſter eccleſiaſticus, vt ſemper ad monendum, docendum, & loquendum aliquid ſacri præſto, & promptus ſit, præparatur.

Inſuper vtilis eſt, hæc exterior laus, & vocalis; vt Rayner. aſſignat, tam laudanti, quam audienti, ad quinque ſcilicet, ad excitandum interiorem affectum; ad eleuandum in Deum intellectum, & affectum; ad retrahendum, & infrenandum animum à malis, ad exhibendũ Deo debitum laudis; & ad prouocãdũ proximum; vt in pantheologia deducit. Et complectuntur hæ vtilitates hoc verſu,

Excitat, eleuat, infrenans laus prouocat: offert.

XXIX. Et notatu hoc digniſſimũ, quod non ſine graui eiuſdẽ Spiritus ſancti inſtituto, dulci quadã modulatione, & delectabili canore laus hæc pſalmodiæ ſacræ peragitur: vt in prologo explanationis pſalterij pulcherrimè tractat magnus pater Auguſtinus dicens; ea potiſſimum id ratione, à Spiritu ſancto effectũ & ideo delectabilibus modulis cantilenæ, vim doctrinæ ſacræ permixtam: vt dum ſuauitate carminis mulcetur auditus, diuini ſermonis pariter vtilitas humanis inſeratur ſenſibus; ſecundùm ſapientes medicos, qui, ſi quãdo vſus popoſcerit, auſteriora medicamenta ægris offerunt mortalibus, & ne æger vtilitatem, pro auſteritate refugiat, ora ac ſummitates poculi, quo remedium porrigunt, melle circumliniũt; propterea ergo, ait, pſalmorum nobis per modulos, apta ſunt carmina; vt vel qui ætate puerili, vel qui adoleſcentes ſunt moribus, quaſi cantilena quadam pſallentes, delectari videantur: vt plenius grauiter illic deducit.

XXX. Ex cuius, & aliorum ſententijs, multæ recolliguntur vtilitates eccleſiaſtici cantus: quas breuitatis cauſa, ſub compendioſis memorabilibus carminibus his complexi ſumus. Sunt itaque hi effectus diuini cantus.

Afficit, attollit, dat iter, ſolans, docet, vnit,
Effugat, oblectans ſimilans, vincens, bona nectens.

Primo, liquefacit cor, ad effectum ſanctum, vt de ſe fatetur Auguſtinus; vnde, *ignitum eloquium tuum.* Pſ. 118. *Secundo* mentem eleuat in extaſim; vnde poſtquã Pſ. dixit, *in eccleſijs benedicite dominũ*, ſequitur, *ibi Beniamin in mentis exceſſu.* Pſ. 67. *Tertio*, præparat viam cordis Domino, vnde, *ſacrificium laudis honorificat me, & illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei.* Pſ. 49. *Quarto*, triſtitiam malam pellit; iuxta illud Iacobi, *Triſtatur aliquis veſtrum? æquo animo pſallat?* Iac. 5. *Exultabunt labia mea.* Pſ. 70. *Quinto*, de omnibus docet. Eſt enim in Pſalmorum canticis, totius Theologię conſummatio, & animas illuminans, & mentes. *Sexto*, charitatis vnionem introducit. Pſalmus ſiquidem, tranquillitas eſt animarum, ſignifer pacis, ſuggerens amicitiam, in concordiam ducens diſcrepantes. *Septimo*, diabolum, & eius tentationes fugat, vnde pſallente Dauid, 1. Reg. 16. recedebat ſpiritus malus à Saul. *Octauo.* Deum Cant. 2. oblectando placat, Cant. *Sonet vox tua in auribus meis.* Cant. 8. item & ſanctos; *Qui habitas in hortis amici auſcultant.* *Nono*, eccleſiam militantem, triumphanti aſſimilat; vnde nihil in terris ita repræſentat cæleſtis habitationis ſtatum, ſicut alacritas laudantium Deum. *Decimo*, de inimicis, & paſſionibus vitiorum triumphat; vnde Ioſaphat canendo, Pſalm. hoſtes ſuperauit, & Paral. 20. carminibus incantata paſſio vincitur omnis. *Vndecimo*, innumera alia bona facit Pſalmorum cantus, vt in libello, de laude Pſal. patet. *Poſtremò* homines Angelis annectit, vt diſcant in terris, quod ſemper acturi ſunt in cælis. Pſ. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine in ſecula ſeculorum laudabunt te.* Tenes igitur ad inſtar ligni vitæ. 12. fructus Eccleſiaſtici cantus. Vnde iure inclamat pater Auguſt. *O vere admirandi magiſterij ſapiens inſtitutum; vt ſimul, & delectabiliter cantare videamur, & quæ ad vtilitatem animæ pertinent, tam innumera aſſequamur bona.*

XXXI. Non igitur parua vtilitas vocaliter pſallentiũ, ex parte ipſorum miniſtrorum; & digna, & vtilitatione, vox iungitur orationi; vt ſic modulatione quadam, & ſuaui canore, infirmus animus, ad tanta bona prouocetur.

Sed ex parte ipſius orationis, non incongruè adiungitur vox orationi. *Primo* quidem, ad excitandum repentis mentis torporem, & ad incitandum interiorem deuotionẽ, verbis enim & alijs, ſicut ad Probam viduam beatiſſimus ſcribit pater Auguſtinus ad augendũ ſacrum deſiderium, actius nos ipſos excitamus. Vnde & in peculiaribus orationibus tãtiſper taliſmodi vtendum, quantiſper proficere poterunt ad affectum excitandum; Vbi vero impedierint, poſt habenda ſunt, & cum Pſalmiſta dicendum, *Tibi dixit cor meum, &c.* Pſ. 26. Et cum Moyſe, & Anna, in corde Deo loquendũ. Ex. 17. *Secundo* vox adiungitur, ad debiti penſi exolutionem, vt ſic ex vtraq; hominis parte, perfectè ſeruiatur Deo; vt iuxta Prophetæ admonitionem, red- 1. Reg. 1. damus Domino, vitulos labiorum. *Tertio*, ad redundantię mentis in corpus oſtentationẽ, iuxta illud Dauidicum, *Lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea.* Itemque. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Pſ. 15. Pſ. 83. Plena enim orationis perfectio eſt, quę & corde hilari percipitur, & alacri ſermone profertur: &

hæc latius in ſecunda ſecundæ Doctor ſanctus deducit. *Poſtremò* vocalis oratio ab eccleſia aſſumitur, vt militans eccleſia triumphanti conformetur, iuxta illud, *Fac omnia ſecundum exemplar quod tibi monſtratum eſt*. Vnde magna occaſio inſtituendi eccleſiaſtici cantus ab Ignatio initium ſumpſit: qui cantantes Angelos audiuit, &c. cum etiam non ſit contra pietatem ſentire, quod vocalis laus in regno poſt reſurrectionem erit. Patet igitur quantum congruè vocalis oratio inſtituta ſit, non tam ex parte Dei vt ipſe quaſi quippiam ignorans per verba doceatur, cui inuiſibilis voluntas hominis notiſſima eſt: nec vllis indiget indicijs (vt in libro de cura pro mortuis agenda tradit doctor Auguſt.) quo ei animus pandatur humanus, qui locutionem cordis cognoſcit; ſed magis idcirco, & vocibus & membris ſui corporis homo vtitur, vt ſic orãdo affectus hominis humilior, deuotior, feruentiorque increſcat, & prænumerata nobis vtilitas accedat.

XXXIII. Vnde & rationabiliter in propoſitione noſtra annectitur, *Ideoq́; & cùm debetur, exactiſſimè eſt ſoluenda*: Præſertim à miniſtris Eccleſiæ aut ſacræ religionis profeſſis: Qui non ſolum obligantur ex parte ordinis clericalis, aut profeſſione religionis, ſed ex iuſtitiæ debito, ex æquo iure, reddere Deo vota, & orare pro his, quorum comedunt peccata. Hinc ergo venerabilis ille ſæpe memoratus Cancellarius religioſis tradidit pro *maxima*, quod nihil ſic primum, nihil ſic principaliter, ſic præcipuè eis curandum, obſeruandúmque eſſet quàm hoc vnicum; vt dignè, ſcilicet, & deuotè adimpleant diuinum ſeruitium: poſtea vacaturi ſibi (iuxta illud, *Fac opus inunctum, poſtq́; vacato tibi,*) Suadens theoricis & contemplatiuis, vt ex humili obedientia magis ſtudeant horarum Canonicarum deuotæ ſolutioni, quàm ſublimi & extaticæ, cum propoſito ſub eo tempore contemplationi. *Melior* quippe
1.Reg.15 *eſt obedientia, quàm omnis victima* meditationis. Stat enim regula eius generalis ſemper religioſis menti habenda, *illud eſſe melius, pulchrius, nobilius, vtilius, delectabilius, honeſtius quicquid* (eſto etiam quodcunque) *obedientiæ fuerit vicinius*. Eccleſiaſticæ igitur ante omnia inſtitutioni parendum eſt, de exoluendis horis. De cuius exolutionis modo, plura traduntur infra, in de exercitijs.

Pergendum itaque eſt ad executionem & declarationem vltimæ partis noſtræ propoſitionis, quæ eſt hæc,
XXXIIII *Vocalis oratio vltra debitum, non multum, præſertim à Religioſis, aſſumenda*. Cuius ratio in ſuperioribus iam
1.Cor.12 declarata eſt, & hic annectitur, *Cùm à talibus meliora ſint chariſmata æmulanda*. Deductum autem ſatis iam putamus, mentalem orationem præſtare vocali; quapropter & illa iſti præferenda. Super quo *notentur iſta*. Nam licet communis Eccleſiæ oratio, vt habitum eſt, congruè ſit vocaliter fieri inſtituta, ſingularis tamen priuata & peculiaris cuiuſque oratio, mentaliter magis fieri eſt conſulta, vt patet ſuprà. Ita quod in priuato vocalis oratio non multum eſt laudata, imo vituperata eſt & dehortata, cũ frequenter Simiatica tantum eſt, inattenta & indeuota. Omnes ſiquidem cum B. Iſid. in hoc conueniunt, quod *parum proſit labiorum ſtrepitus, vbi cor mutum eſt ab affectibus pietatis*. Offert ſe hic latiſſima illa materia, de inattenta & indeuota oratione, quæ infra traditur, & hic replicatu prolixior eſſet & grauis: nec opus eſt, pro huius declaratione, multis, cum tam palam tales orationes per prophetam ſuũ execretur Deus dicens, *Auffer à me tumultum carminum tuorũ.* Amos 2:
Non eſt voluntas mea in eis. Et, *Quo mihi multitudinem victimarum? incenſum abominatio eſt* Eſai. 1.
mihi &c. Oratio etenim ſine cordis attentione aut deuotione, quaſi vox, aut grunitus porcorum eſt, ſine modulatione; immò gratior eſt Deo (teſte Iſid.) mugitus boum, quàm orationes vocales, non attentè, vel ſaltem habitualiter dicentium, ita quod odiat & projiciat eas, (vt Eſaias dicit) vt plenius in directorio ſoluendarum horarum, de inattenta atque indeuota oratione deductum eſt.

CORRELARIVM IX.

EST *nihilominus vocalis oratio, etiam in priuatis precibus pro imperfectis accommoda & conſulta*. XXXV.

Dignus enim ille author Profectus religioſorum vitæ, vt ex ipſius opere liquet, in omni virtutum genere & pietatis exercitatiſſimus, inquirens ſuper qualitate habẽdarum orationum in priuato à deuotis, ita in hunc modum diſtinguit. Quibuſdam, inquiens, vocalès orationes magis expediunt, quibuſdam verò minus: Incipientibus enim rudibus, & affectu deuotionis nondum imbutis, magis expediunt vocales orationes: vt ſic ſaltem conſuetudo legendarum orationum moueat ad ſtudium deuotionis, ne ſemper circa externa, Deo fiãt prorſus alieni, ne ſemper frigidi torpeant, & nunquam aliquo deuotionis igne incaleſcant, vt ſaltem aliquantulo obſequio Deum & ſanctos colant. Hinc in laicis & groſſis religioſis & hominibus ſæculi, plurimũ probatur genus illud exercitij. Cui ſubſeruiũt plures tractatuli, in quibus habentur formatæ orationes: vt ſunt orationes deuotiſſimi Anſelmi, Meditationes Auguſtini & Bernardi, laudes & orationes Dionyſij Carthuſienſis, benedictiones & meditationes Thomę Kẽpis circa decurſũ vitę Domini: Orationariũ nẽ venerabilis Petri Roqueti Celeſtini: Antidotarium ſpiritualis
animæ, & multa huiuſmodi: Ad quæ paruuli XXXVI.
& nouelli diuertere poterũt, quamdiu melioribus vacare non ſunt idonei, vel apti. Porrò deuotionis affectu iã imbuti, ad altiora idonei, & amplioris cum Deo familiaritatis gratia ſubleuati, magis mentali inſiſtere habent exercitationi. Licet etiam vocalis oratio, perfectis quoque pro tẽpore congruens ſit, & admiſſa, qui vti ea poterunt, cũ non affuerit deuotio interna pro ſubleuamento quodam, & folliculorum afflatu, donec flamma deuotionis reaccenſa, mens iam verborum follibus non indigeat, ſed purius per ſe flagrans, in

Deum ſe prorſus ferat. Confirmat itidem doctor Sanctus in 2.2.q.83.art.14.diceus; tantum vocibus vtendum, quantum proſunt ad affectum ſubleuãdum, vbi verò eleuationem impedierint, & ſine tędio perdurare non poterit, à talibus fore ceſſandum, vt obtingit in his, qui internis vacare poſſunt. Eſt eadem ſententia patris Aug. Attenderint hoc velim, noſtri religioſi, qui ad potiora chariſmata contendere habent, & ſequentia notent.

CORRELARIVM X.

XXXVII *Regularium enim perfectioribus, quales religioſi eſſe deberent, vocalis oratio vltra debitum videtur quodammodo vetita, periculoſa, nocina, dedecens, offenſiua; quodammodo etiam culpabilis interdum: vnde nec nimis, vt dictum eſt, aſſumenda ſine graui ratione, aut digna cauſa.* Sunt huius propoſitionis ſex particulæ, pro memoria perſtrictæ ſub breui hoc memoriali carmine.

Diſſuadent, pericla, nocent, decet haud mala, culpans.

Hæc propoſitio tametſi prima fronte quibuſdam appareat dubitabilis & mira, probabilis tamen eſt & vera: & per ſingulas particulas monſtratur. *Videtur quodammodo vocalis oratio vetita*, & hoc à Domino Ieſu, gentiũ apoſtolo, Doctorũ choro, & ſanctorũ patrũ inſtituto. Multiloquium nãque in oratione & verboſitatem, ſummus ille & vnicus vetat magi-

Mat. 6. ſter, qui dicit, *Orantes nolite multum loqui, ſicut ethnici.* Quod inſigniter pater Auguſtinus ſuper ſermone Domini in monte, explanat. Qui idem ad Probam ſcribit, *Abſit, abſit ab oratione multa locutio; ſed non deſit multa precatio, ſi feruẽs perſeueret intentio. Nam multum loqui eſt in orãdo rem neceſſariam ſuperfluis agere verbis: Cùm multum precari non longo ſermonis tractatu, ſed diuturna & pia cordis exercitatione, eſt exerceri. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quàm ſermonibus agitur; plus fletu, quàm affatu, nec humana verba quærit*, qui omnia verbo condidit. Hinc etiam ſecundo moralium B. Greg. *Vera poſtulatio non eſt in vocibus oris: ſed in cogitatione cordis; & valentiores voces apud ſecretiſſimas Dei aures non faciũt multa verba; ſed magna deſideria.* Ab re igitur ſunt in oratione priuata multiloquia, Deũ etenim (ait Chryſoſtomus) quaſi dormitantem aut inſcium accuſat, qui orationem ſuã longo ſermone contexit. Valde hoc, & quaſi blaſphemum quiddam præcauendum. Vnde & iuxta mandatum Domini Ieſu, multiloquium in oratione vitandum, qui ſpirituales orationes, vt patet ſupra inquirit. *Itidem & ſuadetur à gentiũ*

1.Cor.14 18. *doctore Paulo:* & ab omniũ ſanctiſſimorũ patrum cœtu, & Doctorũ choro. Ægyptij enim

XXXVIII. patres (vt ad dictã Probam commemorat B. Aug.) crebras quidem, vt ait, orationes habebant; ſed eas tamẽ breuiſſimas, & raptim quodãmodo iaculatas; ne illa vigilans reiecta, quæ oranti plurimum neceſſaria eſt, per productiores moras euaneſceret, atque hebetaretur intentio; & cùm perdurare nõ poſſit, nõ prorſus obtunderetur. Vnde etiam non niſi moderatas lectiones in ſacra eorum ſynaxi, recitari ſinebant, celeri volentes eas fine concludi: vt in lib.2. de inſtitutis eorundem patrum notabiliter deducit nobili ſua lingua Caſſianus c. 10. & ſubſequentibus, ſcribens nõ in multitudine verſuum, ſed mentis intelligentia delectatos; illud tota virtute inſectantes: *pſallam ſpiritu* 1.Cor.14.

pſallam & mente. Ideoque & vtilius habuiſſe, XXXIX.

decem verſus, cum rationabili aſſignatione cantari, quàm totum pſalterium cum confuſione mẽtis effundi: vt latius illic deducit. Cui non diſſimilis eſt conſtitutio illa Angeli, in regula ad Pachomium, iubens 12. tantum fieri orationes; quæ cum Pachomio paucæ viderentur: Angelus reſpondit, Tales conſtitui oportere, quas infirmiores abſque labore perficere poſſent; Perfecti enim ea lege nõ egent. Apud ſe namque in proprijs conſtituti cellulis orare non deſinunt, qui puritate mentis & contemplatione paſcuntur; vt in patrum inſtitutis deducit Caſſianus. Hinc etiam orationem in cõuentu, quæ vtique vocalis erat, omnimodè abbreuiandam iuſſit in regula ſua pater Benedictus, dicens cap.20. regulæ ſuæ. *Non in multiloquio, ſed in cordis puritate, nos exaudiẽdos.* Et ideo ſubdit, *breuis debet eſſe & pura oratio; niſi fortè ex affectu inſpirationis diuinæ; In conuentu tamen omnino breuietur oratio, & facto ſigno à Priore, omnes pariter ſurgant.* Hæc pater Benedictus. Quodam modo igitur (immò verè ſine quodam modo) videtur, immò & eſt vetita, prolixa oratio vocalis: quia & multiloquia prohibet in oratione Dominus Ieſus; mauult Matt. 6.

quinque verba in ſenſu, quàm decem milia loqui in lingua, magnus gentium Apoſtolus. Multilo- 1.Cor.14.

quium pro crimine blaſphemiæ ducit in oratione Chryſoſt. Hoc abeſſe iubent patres Auguſt. & Greg. Meliorem quoque ducit vnius Pſalmi cum hilaritate cordis pronunciationem, quã totius pſalterij rotationem D. Hieron. & vocalem orationẽ omnino abbreuiari iuſſit in cõuentu beatus regulator Benedictus. Concurruntque in eandem ſententiam Sancti Doctores, Thomas, Bonauentura, & Cancell. Pariſienſ. Et vt paucis multa loquar, pari hoc concluſione diffinit omnis Doctorum Chorus. Patet ergo prima particula propoſitionis.

Videtur & vocalis oratio periculoſa. Tentatio XL.

quippe videtur inimici validiſſima, qua quos aliàs nequit ſub huiuſmodi boni ſpecie à melioribus æmulandis chariſmatibus religioſos retrahat diabolus, & ſeducat. Eſt in hanc ſententiam venerabilis Gerſon, in tractatu de tẽtationibus; vbi inter cætera dicit. *Hortatur nõnunquam hoſtis aggredi difficilia quædam virtutũ opera, vt ſunt ieiunia immoderata, orationes prolixiores, & legere plura: ſiue vt homo ſuccumbat oneri, ſiue vt ſic ſaltem impediat melius genus exercitij: aut vt inde ſequatur aliquid mali, vt elatio animi, remiſſio prioris exercitij, vacuitas cerebri*, vt exemplificat ibidem de legente meditationes & orationes Anſelmi. Sæpe itaque mille ille artifex ſuadet ex conſuetudine dicere multitudinem immenſam orationum; vel vt ſe quis nimium grauet; vel afficiatur tædio, eaſque ſine deuotione perficiat, vel vt hinc extol-

latur;

latur; aut meliora & magis neceſſaria verarũ
virtutum exercitia omittat; vel vt ob hanc
orationum frequentiam, Deum ſibi iure de-
bere credatur, vt quicquid cupierit adimpleat.
En in quanta pericula, per multiloquam ora-
tionem, hoſtis Meridianus ſimplices deducit.

*Nociua quoque videtur oratio vocalis, & bo-
norum impeditiua maiorum*. Licèt enim im-
perfectioribus & perfectis pro tẽpore proſit;
vt frequentius tamẽ vocalis oratio, pręſertim
dum ſonora fuerit, obeſt. Chryſoſt. ſiquidem
dicit, Qui clamosè orat, tria præter cętera ma-
la agit: *Primũ*, quia Deum vbique eſſe; & abſ-
conſa audire non credit; *Secundũ*, quia myſte-
rium ſacrarum petitionum tuarum, quas for-
tè non oportebat ſcire alterum, niſi Deũ, alijs
reuelas, & ſic non exaudiris à Deo, quia indiſ-
ciplinatè oraſti; ſed & adhuc illuderis ab ho-
minibus, quibus abſconſa tua manifeſtaſti;
Tertium verò malum eſt, quia clamosè orans,
alterum iuxta te non permittis orare: Voci-
bus enim tuis rapis ſenſum illius, ad ſermones
tuos; Et ideo non ſolùm non exaudiris, quia
malè oras; ſed adhuc & peccatum colligis, dũ
orare alios non permittis. Non igitur clamo-
ſa voce, & multa verboſitate, cum Phariſæis
& Ethnicis eſt orandum; ſed corde tacito, hu-
Exod.17. milique affectu mentis cum Moyſe, & Anna
magno deſiderio in Deum eſt aſpirandum. Et
1.Reg.1. præter hæc dicit venerandus ille author Pro-
fectus. Si exercitati & perfectiores multipli-
cationibus legendorum Pſalmorum, & voca-
libus orationibus nimis intendunt, ſpiritum
obruunt, deuotionem impediunt, & contra
Apoſtoli inſtitutum, cordis libertatem, quæ
ſignum Spiritus ſancti eſt, quaſi quodam pon-
dere prægrauant, extinguunt ſpiritum, & vbi
melioribus vacare poſſent & deberent, minus
bonis ſcrupuloſius inhærent; Frequẽter enim
(vt religioſiſſimus Vmbertus ait) in prolixa
vocali oratione, & puritas cordis amittitur, &
crebrius Symiatica oratio redditur; dum ex
conſuetudine magis, quàm ex attentione, la-
bia mouentur. Pſalmorum quoque nimia ro-
tatione, & vocalis orationis immoderata pro-
lixitate, intellectus grauatur, deuotio ſpiritus
Mar.11. exhauritur. Nam ſicut ficulnea folia, non fru-
ctus habens, ad Domini Saluatoris maledi-
ctionem mox exaruit; ſic qui quotidie folia
verbalis orationis inattenta mente gerunt, à
gratiæ humore ſteriles exareſcunt. Ergo vt
frequenter, vbi plurima ſunt verba vocalis
multiplicatæ orationis, illic eſt & ægeſtas in-
ternæ deuotionis, faſtidij mater acedia, tædiũ,
& diuagatio cordis. Demirandum ergo, ait
dictus Vmbertus, quomodo quidam patribus
ſanctis ſapientiores eſſe volentes (ne dixerim
inſipientiores) ſuum ſenſum patrum ſentẽtiis,
tam ſtultè quàm temerariè præferentes, inter-
na cordis exercitatione ſepoſita, multiplicent
vocalia multiplicatæ orationis verba, non mi-
nus erroneè, quàm inſipidè; putantes ſe poſſe
habere viuarium deuotionis, ſine aqua ſapien-
tiæ ſalutaris, & exercitio internæ meditatio-
nis: cùm tamen contra palam Eſaias: *Compu-
treſcent piſces ſine aqua, & in ſiti morientur*: vt la-
tius de neceſſitate ſacrorum ſtudiorum, doce-
tur infrà. Accommodus hic, & percongruus
locus, & digna occaſio ſe offerrent aliquid di-
cendi de prolixitate & multiplicatione vocà-
lis ſeruitij in terris iſtis; ſed prolixioris hoc, &
inuidioſi operis eſſet: quare conſulto tranſi-
mus, grauiorũ cõſiderationi, hoc relinquẽtes.
Satis oſtenſa eſt particula noſtræ propoſitio-
nis, & ad oculũ videmus in his terris, *quod mul-
ta ſit egeſtas ſpiritus, vbi nimietas vocalis orationis.*

*Sequitur dedecuſq́; & indecens eſt religioſo vo-
caliter ſemper velle orare, & non mentaliter nego-* XLIII.
tiari. Tum ex parte Dei, tum ſui ſtatus & offi-
cij. *Primò inquam ex parte Dei*. Orando enim
nos loquimur Deo: meditationibus ſacris al-
loquitur nos Deus. Sacræ enim meditationes,
Bernardo teſte, Dei ſunt ad animam locutio-
nes. Palã autem eſt, & in proſpectu, quàm ru-
ſticum inurbanum, dedecens ſit, & inhone-
ſtum, vt inter miſcendum cum Deo ſermo-
nem, nunquam illi deferatur loquendi ſpatiũ;
nunquam eius locutioni aptemus auditum;
cũ vnicũ ipſius verbum, noſtris ſit mille milli-
bus pręponẽdũ. Audiamus igitur, vel aliquádo
& ipſum in corde loquẽtẽ: *quoniã ad ſanctos, &
eos qui conuertuntur ad cor loquitur iuſtitiã, ve-* Pſal.84.
ritatem & pacem: dicamus cum regio Prophe-
ta, *Audiam quid in me loquetur Dominus Deus.*
Et cũ ſancto puero Samuele, *Loquere Domine,* 1.Reg.3.
quia audit ſeruus tuus. Indecens quippe eſt ſer- Prou.28.
uo præripere verbum Domino. Nec omninò
iuſtificari poterit, qui ſemper loqui, & nunquã
audire cõtendit; ſed execrabilis fit oratio eius,
qui aurẽ ad pręcepta nõ inclinat. *Dedecet quoq́;
& ex parte religioſi ſtatus.* Status etenim religio- XLIV.
nis ſtatus eſt profectus, & iter cõquirẽdæ per-
fectionis: Quare indecens eſt, quod declinet à
chariſmatibus melioribus ambulans vias diſ-
pendioſas, per varios anfractus. Vbi enim per-
fectionis conatum depoſuerit, mox pariter in
deficiendi periculum incidit. Diſpendioſa au-
tẽ & anfractuoſa via, vocalis oratio: Cõpẽdio-
ſa autẽ & directior meditatio & exercitatio in-
terna, vt patet infra. *Sed & indecens eſt ex
parte officij religioſi*. Talis ſiquidem officium
eſt, meditari in lege Domini, & cor ſemper
habere ſurſum; ſedere cũ Maria ad pedes Chri-
ſti, vacare, *videre, quoniam ipſe eſt Deus, guſtareq́;* Pſal.1.
bonum Domini verbum, & quàm ipſe ſuauis. Luc.7.
Decet ergo vt huiuſmodi officijs vacent. Tur- Pſal.45.
pe eſt nimium, neſciſſe officij ſui munus, in- Pſal.33.
decenſque eſt plurimum, vt ſacris initiati, ru-
ſticanis ſe operibus prorſus & ſemper dedant.

Nullatenus igitur (vt perſpicaciſſimus il-
le Guillelmus Pariſienſis in affectuoſo ſuo
libro de Rhetorica diuina commonet) a-
deò vocalis orationis aſſiduitati vacare, &
prolixitati debent, vt alia officia ſui ſtatus
& religionis intermittant, & omittant, quæ
nec minoris gloriæ ſunt creatori, nec po-
pulo minus neceſſaria, & magis vtilia & ſa-
lubria ſibi: ſicuti officia prędicationis, ſacra-
mentationis, officia interdum iudicationis,
& pacificationis inter diſcordes. Sunt & Religioſorum off.
præter hæc, officium diſputandi contra erro- XLV.
res, officium inquirendi & fabricandi arma
ſpiritualia contra hoſtes eccleſiæ Dei, officiũ-
que texendi retia, id eſt, componendi & ſcri-

bendi ſermones, ad piſcandum in mari ma-
Pſal. 103. gno & ſpacioſo mundi huius. Pro quibus vani
Eſa. 59. homines & imperiti telas aranearum texunt;
pro eis nõ ſolũm inaniter, ſed etiã dãnabiliter
ſibi, ipſiſq; auditorib⁹ pernicioſè ſeipſos euiſ-
cerantes dũ ea, vel docent, prędicant, vel agũt,
quibus non ſolũ nõ capiuntur, ſed etiã abigũ-
tur, interdũq; fatigantur, & quod eſt ad omniũ
malorũ cumulum, ipſa aromata ſacrorũ elo-
quiorum faſtidiunt, & abominãtur, euſque,
vt & aures ſuas prorſus ab eis auertant.

☞ Sic igitur inſiſtendũ eſt vocalibus orationi-
bus, ne alijs deſit officiis religionis, quæ non
minus neceſſaria vel ſalutaria, vel ſalubria; im-
mò ſine quibus nõ valet, nec grata eſſe poterit
oratio ipſa. Arida enim eſt, & modicæ vel nul-
lius refectionis oratio, quã non impinguat ſa-
cra lectio; Sicut & parũ luminoſa lectio, quam
nõ illuſtrat oratio, quæ inuicẽ neceſſario ſunt
connexa; & nulla eſt oratio Deo grata, ſine
pauperum miſericordia. Vnde oportet quod
prælati vacẽt, pro exhibẽda talibus iuſtitia, &
miſericordia. In ſubditis autẽ nuda eſt & ina-
nis à deuotione multorũ pſalmorũ recitatio,
XLVI. vbi nulla digna adeſt affectio. Tumultus tan-
tum eſt & ſtrepitus labiorum, quæ per Amos
Amos 2. auferri iuſſit Dominus dicens, *aufirte à me tu-
multum carminum veſtrorum, & cantica lira
non exaudiam* &c. Debent igitur religioſi &
eccleſiaſtici, non ſemper orare vocaliter; ſed
etiam meditari mẽtaliter, operari vtiliter, qui
ad hoc cõſtituti ſunt generaliter & ſpecialiter:
vt cuſtodiant iuſtificationes Dei in memoria ſua-
uiter, *& exquirant mãdata eius*, ſemper exequẽ-
Paral. 31. do viriliter. Quibus & propterea *partes iuſſit
dari Rex Ezechias, vt poſſent vacare legi Domini.*
Intelligendæ, vtique meditandæ, implendæ, &
docendæ, vt legitur in Pſal. *Dedit illis regiones
Pſal. 104. gentium, & labores populorum poſſederunt: vt cu-
ſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius exquirãt.*
Ad quæ tendere omnia religioſorum exerci-
tia debent, nunc per lectionem, nunc per ora-
tionem, nunc per pium laborem, aut medita-
tionem ſacrã, alternando hæc ad inuicẽ; cùm
horum vnum, nec valeat aut ſufficiens ſit ſine
altero: vt venerabilis Hugo deduxit, & alij.
Dedecus ergo, pertinacius omiſſis aliis, inhæ-
rere vni, & omiſſis ſtudio & meditatione, vo-
caliter ſemper orare.

XLVII *Offenſiua etiã quodãmodo eſt productior oratio
vocalis*, tum ex iniuria aut irreuerentia, quam
Deo irrogat: tum quia ſacra verba indignius
rotat, & ſacrum Dei opus negligentius agit, tũ
ex melioris boni iactura, quod præpedit. *Pri-
mo* inquam offendit *ex iniuria, quam Deo irro-
gat.* Vocalium enim orationũ numeroſa mul-
tiplicatione, mentis attentionem, & cordis
eleuationem impediens, Deum quaſi labijs
Eſa. 29. tenus tantum orans, cor ab eo elongat. Sic-
que (vt magiſter Hugo ait) non orat, ſed po-
tius Deum ſubſannat, & ad iracundiam pro-
uocat; quia cùm ante conſpectum eius, quaſi
poſtulaturus venit, ſubito ad alia neſcio quæ
mentem conuertens, labiis ſolis eum hono-
rat. Magnam quoque iniuriam (ſi D. Bernar-
do creditur) Deo facimus; dum ipſum, vt pre-
ces noſtras audiat oramus, quas ipſi non ad-
uertimus, qui fundimus eas; ſed quaſi dorſum
in faciem eius vertimus; dum labia mouentes
ſolum, & verboſitates, auerſa ab eo mente, ip-
ſi non intendimus. Verè, verè magna peruer-
ſitas, immo inſania grandis nimis, quod dum
quaſi Domino maieſtatis locuturi conueni-
mus, vili, & vanæ alicui rei, ab eo auerſi inhæ-
rentes, tantas ei iniurias irrogamus. Quare
nec breui (ait pater Aug.) crimine tenetur a-
ſtrictus, quiſquis Deo in oratione loqui vo-
lens, mox mẽte abſtractus, alia quodammodo
Deo præfert: vt latius, & plenius, hæc infra
notata ſunt, de oratione inattenta, Non itaq;
mirum, ſi longa, & inattenta verborum mul-
tiplicatione, quodammodo, immò verè of-
fendatur Deus.

Offenditur quoq; *ſecundo ex irreuerentia*, qua
ſacra verba, & diuinum Dei opus indignius
tractat aut agit. Melius ſiquidẽ eſt, vt aiũt, ſpi-
rit[u]alia prorſus intermittere, quam indignè
ea explere. Hinc & legitur *maledictus*, qui *ne-* *Iere.* 48.
gligenter agit Dei opus; an non opus Dei, ſonare
verba Spiritus ſancti? An non agit negligen-
ter, qui irreuerẽs eſt, indeuotus, & pſallit inad-
uertenter? Timendum eſt itaque ſuper male-
dicto. Hinc inclamat deuotus pater Tho-
mas Kẽpis in ſoliloquio contra huiuſmodi ir-
reuerentes, & negligentes. *Væ, inquiens, væ
faſtidioſis, væ indeuotis, & vagis oratoribus ſa-
cra verba non ponderantibus, nec mellea pocula
guſtantibus, qui toties ſonant ſacra verba, ſine
attentione, & reuerentia* &c.

Tertiò quoque offendit, *quia melius bonum;
multitudine præpedit vocalium orationum*. Vt
muniter enim huiuſmodi multiplicata & pro-
ductior verboſatio, veram impedit orationẽ,
& veræ orationis finem, qui eſt deuotio cor-
dis, & eleuatio mentis in Deum; quæ non be-
ne eſt poſſibilis, vbi fuerit acceleratior multi-
plicatio illa vocalis orationis: vt facilè hoc
probabile eſt, ex ordinatis inter ſe actibus
imaginis. Tres etenim ſunt interioris ho-
minis partes: Memoria ſcilicet, Intelligen-
tia, & Voluntas: Tres quoque præcipui il-
larum partium actus, Meditatio videlicet, Iu-
dicium & Affectus: Quibus ſi in bono ver-
ſetur homo, bonus eſt: ſi in malo, malus;
cùm in talibus ſit vita ſpiritus. Meditatio au-
tem, cuius ſpecies ſunt, commemoratio,
conſideratio, attentio, & huiuſmodi actus
eſt partis memoratiuæ; Iudicium cum di-
iudicatione & aſſenſu, opus eſt intellectiuæ;
Deſiderium verò cum electione, conſenſu, af-
fectione, amore & huiuſmodi, volitiuæ
potentiæ eſt actus. Sicut antem impoſſibi-
le eſt, conſenſum eſſe ſine aſſenſu: ſic ne-
que hæc duo eſſe poſſunt ſine præuia me-
ditatione: Et niſi meditatio conſiderata ſit, XLVIII.
& attenta, ſterilis erit & caſſa: Ideoque
per conſenſus & intelligentiæ iudicium cæ-
cus debiliſque aſſenſus: ac per hoc ex con-
ſequenti, tepens aut momentaneus volun-
tatis conſenſus. Quæcunque igitur, primum
interioris hominis fundamentum, medita-
tionem videlicet, ſubruunt: pariter, & om-
nem interioris hominis reformationem ſub-
uertunt: Quoniam in imaginis reformatione

à medi-

Digitized by Google

à meditatione exordiri oportet, tanquã à pri-
mario primæ partis imaginis actu. Meditatio-
ni autem,& eius ſpeciebus, conſiderationi ſci-
licet & attentioni, obſtat varietas. & multitu-
do vocalis orationis; vix enim poſſibile ſub tã-
ta multitudine, ſtabilire meditationem, vt pa-
lam Climachus aſſerit dicens, *Cum multitudine*
hymnos cantans, non poteris immaterialiter orare.
XLIX. Quiſquis ergo in electione & conſilio errare
noluerit; quiſquis in meditatione conſideran-
do fructum agere voluerit, multitudinem, va-
rietatem, & accelerationem vitet externi a-
ctus: velut internorum actuum, conſideratio-
nis, attentionis, & totius ſacræ affectionis,
aut ſalutaris profectus obſtacula, impedimen-
ta, & inimicitias; ſicut ſapienter commonet
Eccli.11. Sapiens dicens, *Fili ne ſint in multis actus tui.* Et
Eccli.18. item, *Sapientiam ſcribe in tempore quietis.*
Multitudine ſiquidem, inquietudine,& varie-
tate externæ occupationis, impedimentum
præſtatur, & obex, ne fiat reformatio inte-
rioris hominis: aut plena in Deum ſubleuatio
mentis.

Huius tamen ſapientis ſalutari conſilio
contrauenitint, & tam neceſſario ſalutis o-
peri, internæ ſcilicet reformationi impedi-
mentum præſtant, qui præter eccleſiæ debi-
ta & ſtatuta, canonica officia, multas pſalmo-
dias, aut longas & prolixas vocalium oratio-
num rotationes, & numeroſa Roſária, vel
Pſalteria, velut ſumma ſanctitatis armamen-
ta, inducunt, imponunt, & ſuadent. Propter
tamen animales, carnales, ſenſuales, & qui in-
exercitatos in ſpiritualibus ſenſus habent, in-
eradicabilis, proptereaque neceſſariò toleran-
dus huiuſmodi vſus, tum propter finalem fru-
ctum, tum propter maius vitãdum malum (vt
diximus ſupra) inoleuit: ſed nos hic de perfe-
ctioribus, quales religioſi eſſe deberent, & de
1.Cor.12. chariſmatibus melioribus loquentes quę æ-
mulari haberent, palam oſtendimus, quod hu-
iuſmodi vſus imperfectus eſt,& ipſis errone*;
quia dum orare putant,& orationem, & eius
L. finem præpediunt. Impoſſibile ſiquidem ſub
Nota. tanta temporum anguſtia; in tanta dicendi aut
cantãdi accelerantia; tantã diuinorũ eloquio-
rũ multitudinẽ; tantã & tã abditam in eis my-
ſteriorũ altitudinẽ & profunditatẽ cõſiderare,
meditari, ſapientialiter diiudicare, ac dignè ſe-
cundum ea affici,& in Deum, vt ęquum,& de-
bitum eſſet, moueri poſſent. Magis autẽ,& fa-
cilius hæc poterint, ſi diligenti cõſideratione,
diiudicatione, affectione, pauciora quædam,&
magis ſalutaria, clauſo ſuper ſe oſtio, menta-
Matt. 6. liter & moroſè pertractarent. Ex conſidera-
tione enim moroſa & ordinata, ſequitur ſen-
tentia non pręcipitata, accelerata, ſeu temera-
ria; ſed circumſpecta, collata, diiudicata; tan-
demque non pigritans, nec ſterilis, vel arida;
ſed feruens, fructuoſa & ardens, rectæ volun-
tatis affectio, in qua orationis fructus,& totius
interioris hominis, dum recta fuerit, conſiſtit
reformatio. Omnem ergo interni hominis re-
formationem, omnem veri & perfecti inter-
ni boni profectum impediunt, qui his inter-
nis actibus, in quibus vera vita hominis con-
ſiſtit, obicem,& obſtacula ponũt, cõpelluntq́;
multiplicatione inattẽtorum verborum, tem-
pus terere, grauiora bona intermittere, putan-
tes in multiloquio ſuo exaudiri. Nil mirũ, ergo Matt. 6.
vt etiã ſi nequodammodo, vt dictum eſt offen-
dant, qui ferè omnem ſanctæ orationis fructũ
prępediunt,& mentis eleuationem, quæ for-
ma finiſque orationis eſt, tollunt, & meliora
chariſmata contemnunt & impediunt; impe-
dito enim memoriæ officio, impoſſibile eſt re-
liqua interni hominis officia, bene abſolui, vt
latius dicit S. Thomas.

LI. Quid etiam mirũ, ſi multiplicans ſine cauſa
verba, quodammodo Deum offendat; cùm &
diuinis præceptis quodammodo contraeat,&
ſecundo præcepto primæ tabulæ in obediẽdo
contrauenjat. Videntur enim graui illi præce-
pto cõtrauenire, *Non aſſumes nomen Dei tui in*
Exod.20. *vanũ:* aut vt alia tranſlatio & verior habet, *fru-*
ſtra. Fruſtra autẽ,& in vanum, nomen Dei aſſu-
mit, qui non debitis finibus nomini Dei inten-
tus, ex nomine Dei iudicium non parturit; &
ex parto ſapientiæ iudicio in dignam charita-
tem eius efferbet. Principium enim ſalutis ho-
mini, per nomen, id eſt notitiã Dei. Quod fru-
ſtratur, ſi non in ſapientiam germinet florens,
vt fructificet charitatem. Fruſtra enim quaſi
fructu ſtrato dicitur. Quando igitur tã nume-
roſa vocalium orationum rotatio indicitur, vt
non poſſit orans opportunè cõmemorare, cõ-
ſiderare, diiudicare & guſtare quoniam ſuauis
eſt Dominus,& digna reuerenti diiudicatione
affici circa nomen Dei; videtur nomẽ Dei fru-
ſtra aſſumi. Nõ enim in tanta verborum multi-
tudine, in tanto dicendorum curſu, in tãto ra-
ptu Pſalmorum, poſſibile cõmuni fragilitati
humanę, vt ad ſingula Dei nomina, toties inter
pſalmodias, aut alias orationes occurrentia,
digna, debita, ſancta reuerentia, ſacro ſemper
nomini habeatur. Videntur ergo vrgere quod
ſecundũ illud primæ tabulæ magnum præce-
ptũ non obſeruetur. Nõ ergo mirũ ſi offendãt.

Valde ſiquidem tanti nominis irreuerentiã
deuotus P. Franciſcus extimeſcebat, qui Dei
nomen reueritus ſemper nominari volebat.
Vnde nec facile hoc niſi digna cum reuerentia
aſſumebat; nec amore Dei, niſi cum graui põ-
dere dicere ſinebat: ſed Dei ſui nomen, cum
pauciſſimis verbis, integris noctibus peruigil,
& pernox ruminabat; dum conſiderans, diiu-
dicans, affectuſque ingeminans (vt legitur)
tota nocte inclamabat, *O Deus meus quis es tu,*
& quis ſum ego! O Deus! O ego! &c. Itidem, &
LII. Diuus ille Gilbertus Canonici ordinis Præ-
poſitus Sempringham Anglicanus, ſcrupulo-
ſius præcauebat, ne aliquando inter pſallen-
dum Dei nomen fruſtra, ſine digna, & ſingu-
laris cultus reuerentia, vel perſonaret, aut di-
ceretur; ſed quoties in oratione, vel Pſalmo,
nomen Dei, vel Domini occurrebat, toties
gratiæ Dei, reuerentia, vel inclinabat, aut etiã
genuflectebat.

Proh pudor, væ væ torpori & tepori, irre-
uerentiæ & indeuotioni noſtræ; dum irreue-
rentiores & indeuotiores erga Dei noſtri no-
men perſtamus, quam perfidus ille Iudaicus
populus: de quorum reuerentia, erga ſubſtan-
tialia Dei nomina,& præſertim in præcipuum

Fallitur autor, ſi per Canonicum, intelligat regula S. Auguſtini. fuit enim hic Gilbertus regula Benedictina profeſſor, & hac ceremonia Benedictinis vſitatiſſima.

illud nomen Domini *Tetragrammaton*(id eſt,
quattuor litterarum , quod eſt, *Ihiuh*) mira
commemorat in additionibus ſuper Exodum,
& in ſcrutinio ſuo ſcripturarum, Paulus Burgen.
& alij Doctores Hebræi, quod illud nunquam
ſonabat, niſi digna cum celebritate, Pōtifex
ſummus; ſed cōmune omne nomē *Adonay*
conſueuerat aggregare populo. Prolixum
eſſet tradere reuerētiæ huius cultum. Erubeſcamus,
confundamur ab irreuerentia noſtra.
Eſa. 33. *Erubeſce Sidon, ecce clamat mare.*

Eſt & aliud Dei præceptum, cui contrauenitur
in multiplicatione vocaliū orationū. Iuſ-
Matt. 6. ſit enim Dominus, Orantes *nolite multū loqui.*
Vbi ex contextu verborū & ſentētia, multiloquium
prohibetur. Nā pro cauſa ſubnectitur,
Scit enim pater veſter in cælis, quibus habetis opus.
Non ergo opus eſt verborum multitudine,
ſed magna affectione. Et qui contrarium agit,
quid mirum ſi Chriſto contraueniens offendit.

LIII. Sequitur etiam, *culpabilis interdum eſt, multiplicatiua
oratio vocalis*; dum vel importuna
eſt, aut minus congruens pro tēpore, & loco.
Dum videlicet aut Spiritui ſancto, aut cōſciētiæ
ad meliora mouenti obſiſtit: aut dū contra
conſcientiæ ſtimulum, aut Apoſtolicum præceptum,
ſpiritum extinguit, ac per hoc, & contra
conſcientiam agens, ædificat ad gehennā.
Aut certè dum intemporaneus, contra præceptum
Dominicū, Cōſilium Apoſtolicum, Eccleſiaſticum
inſtitutum, in audienda miſſa, vocales
orationes rotando, & legendo abſoluit;
omittens Dei præceptum , *hoc facite in meam*
Luc. 22. *cōmemorationem*; negligens Apoſtolicum conſilium,
quotieſcunque calicem hunc bibetis, mortē
1. Cor. 11. *Domini annunciabitis*; paruipendens eccleſiaſticum,
de audienda miſſa inſtitutū, in memoriam
ſcilicet Dominicæ paſſionis: Miſſa quippe
ab eccleſia celebratur, vt mors Domini re-
LIIII. colatur, vt latius deducitur infra. Vbi etiam
oſtenditur, quā grandi, & graui importunitate
peccant, qui tantis mandatis cōtrauenientes,
intra miſſarum ſolemnia, aut legere, aut extra
orare aliquando voluerint; inobedientes mandatis
Domini, intēporanei, importuni, pariter
& proterui. Fidelis enim & prudēs ſeruus, qui
domino ſuo, ſeruitio ſuo volet eſſe gratus, ſollicitus
ſēper erit, & attētus, vt quodlibet operum
ſuorum, ſeorſum integrè, & temporaneè
agat. Alioquin velut importunus, & intemporaneus
erit; vt illic exēplificatum, de ſeruo ſui
capitis, qui cœnaturo domino aſtare iuſſus,
mox à ſuo capite abiret ſternere lectos; aut
diſcum cœnāti domino poſtulatus, calicē illi,
ſeu alterum quiddā offerret; & calicē poſtulāti,
panem porrigeret, ſeu panem poſcenti, cultrum
traderet. Palā omnibus eſt, quod huiuſmodi
intemporanea & peruerſa ſeruitus, deriſio
magis, quā obiectiuè ſeruitus eſt, culpabilis,
quā premiabilis magis. Pariformiter, & de
intēporaneis orationibus iudicandū eſt, dū .ſ.
quis cōtra obedientiā orare cōtendit, dum vel
meditari, ſtudere, vel operari, ſecundum ordinis,
& patrum inſtituta, deberet. Bonum tametſi
ſit legere, & orare, malum tamen eſt, pro
tēpore non obedire, & tanto domino intēporaneè,
contra eius præceptum, inſeruire &c.

O attenderint vtinam hoc, noſtri temporis
religioſi, qui nullis ſe meditationibus ſacris
coaptant, ſub miſſarū myſterijs, ſed ſolis legēdis
multis orationibus. Et ſi ad cōtraria cohortentur,
pro ridiculo ducant, & meditatiuos,
phantaſticos appellāt. Eant, eant, oro, hi ad antiquorum
patrū antiqua ſtatuta, in quibus inuenient
cautū, ne quis ſub canone miſſę in codice
legeret; ſed Dominicæ paſſionis myſteria
reuolueret, interdictum imò erat hæc ante
tempora, Præmonſtratenſis ordinis Canonicis
ſub pœna excommunicationis; vt in vetuſtis
eorum ſtatutis deprehendi iniunctum.

Diiudicent igitur nunc veri rerum æſtima- LV.
tores; an iniuria dictum ſit, quod vocalis oratio,
ſit culpabilis interdum, *ac per hoc, non multum
vltra debita, in priuato præſertim, aſſumenda.*
Imò nec præter priorum patrum inſtitutionē
(quæ non niſi breues, ordinabant preces, vt
Caſſianus ait, etiam in publico) multiplicāda
aut protrahenda: *niſi grauis ſubſit, & digna cauſa.*
Quod adjicimus notanter, non ſine cauſa,
præſertim pro modo huius terræ, & Francorū
regni, vbi prolongatum eſt præter primarium
modum, diuinum officium nimis, in cantādo
ſub nota, diuerſas duplices, aut triplices, tres,
vel quatuor miſſas, vigilias & cōmendationes,
horas complures, ſæpe in die: ſed hæc non niſi
dignis rationibus & debitis cauſis, vel quia opulenta
beneficia, & pingues dotationes, propter
multiplicata officia, & horas prolixiores
receperunt; vel quia ab obſeruantia decidentes,
otio bene vti neſcierunt; & ſic in recompenſam,
hoc patres prouidi adiecerunt; vt huius
fidus teſtis, Petrus Damianus in libro de
Horis ſoluendis, eſt dicens, *Apud Gallias, vt
ſpiritualis viri relatione didicimus, religioſiſſimi
cœnobiorum patres videntes, pleroſque fratrum,
traditam a B. Benedicto, menſuram refectionis excedere;
Nec ſe poſſe intra praſcriptum regularis
diarij limitem cohibere: cantum duxerunt, vt conſtitutis
quibuſque horarum officijs, & alios adhuc
pſalmos apponerent; quatenus victus remiſſioris
exceſſum, augmento valeant compenſare pſalmorum.*
Similiter & ex Apologia inuenitur, venerabilis
Petri Cluniacenſis, quod B. Maurus,
ad has Galliarum partes veniens, in monaſterio,
quod in Andegauenſi epiſcopatu
conſtruxerat, morem prolixioris pſalmodiæ
introduxit, eo videlicet, quia monachis, ſine
manuum labore, neceſſaria cuncta ſuppeditabant.
Omiſſo enim ſecundum regulam manuum
labore, ſpiritualia exercitia inſtituebat,
ne ocioſi eſſent; cùm multi otio abutantur, vt
infra patet. Vbi itaque tales, aut huiuſmodi
cauſæ ſubſunt; Vbi ſcilicet non eſt aliorum
ſecundum regularem vitam exercitatio: expedit
vt ſit officiorum prolongatio; ſed cauſis
talibus ceſſantibus, vtpote in reformatis, tempora
pro varietate operum diuidentibus, Nullatenus
expedire videtur, vt clamant omnes
patres ſancti.

Hinc etiam dicitur, in li. de illuſtribus viris LVI.
ordinis Ciſtercienſ. Quid reſpondere poterūt
qui in multiplicatione precum, ſeu pſalmorū.
qualitercunque prolatorum confidunt, qui in

breuiſſi-

breuiſſimo temporis ſpatio, quinquagenam, ſiue etiam pſalterium integrum, ſe percurrere gloriantur. Diſcant quæſo, ſanctorum patrum exemplis, non penſare Deum quantum, ſed quanto pietatis affectu, quid in ſacrificio ipſius offeratur; nec poſſe holocauſtum dici, quod totum flamma deuotionis, incenſum nõ fuerit. Quod in tanta multiplicitate vix poſſibile; ſed tædium, & faſtidium gignunt, ſpiritum extinguunt, deuotionem ſubruunt, & deperditur fructus orationis. Quod valde à ſanctis patribus præcautum ſemper fuit, vt legitur in Caſſiano, in tractatu B. Auguſtini ad Probam de oratione, & in notabilib. illis capitulis Decreti *diſt. 12. c. Omnia in verbo, Quam pauciſſimis.* Et *de conſecr. diſt. 5. c. Non mediocriter.* Qui eſt notabilis text. B. Hieronymi, ita dicentis: *Non mediocriter errant, qui bono magno præferunt mediocre bonum, vt propter immoderatam, atq; indiſcretam pſalmorum, vel officiorum decantationem, aut amentiæ vel triſtitiæ notam incurrant. Nunquid verborum multitudine placari homo Deus poteſt? Non enim verbis, tantum, ſed corde, orandus eſt Deus. Quapropter melior eſt quinque pſalmorum decantatio, cum cordis puritate, ſerenitate, ac ſpirituali hilaritate, quã totius pſalterij modulatio, cum anxietate cordis, atque triſtitia.* Breuis itaque (vt Pater Benedictus ſuadet) & pura debet eſſe oratio; ne ſcilicet, aut tædium generet, in orantibus, aut faſtidium ingerat aſtantibus; & fel immittatur in eſcam deuotionis: vt Guiliel. Pariſienſ. ait. Non itaque (vt diximus) ſine cauſa, multiplicanda eſt oratio vocalis: Ne videamur cum Roboam, *ſuę gentis ſtultitia, & imminuto à prudentia,* (vt Eccleſiaſticus ait) auertere gentem inſtituto ſuo: & pro ſcutis aureis patris perditis, ſcuta ærea condere, & ea in manu ducum ſcutariorum, & eorum qui excubabant ante oſtium Domini tradere; Hoc eſt, neglectis aureis exercitijs internis, contemplationis & charitatis, perfectionem ponere in multiplicatione vocalis orationis, & externæ actionis. Vnde conſequenter, prodit defectus diuini cultus, adeò vt, magna pars religioſorum ignorent non ſolum internorum mentalium exceſſuum experimenta, quæ Patres ſancti habuerunt; ſed etiam ignorent ipſa vocabula, quia illa deprædatus eſt rex Seſac de templo cordis. De qua quidem oratione vocali, hæc ſufficiant. Reſtant pauca ſubnectenda, de meditatione ipſa, & exercitatione interna. Pro quibus notentur iſta.

3. Reg. 14. Eccleſ. 47.

CORRELARIVM XI.

LVII. *Sic vtrique orationi, ſancta meditatio eſt neceſſaria; vt omnino perfecta eſſe nequeat; ſi non eam meditatio, aut comitetur, aut præcedat.*

Propoſitio hæc, ſententia eſt venerabilis Magiſtri Hugonis, in digno illo ſuo tractulo, de laude orationis (Qui tractulus, ſi Gerſoni creditur, ſuperior eſt omni laude) quam & ibi tractando hoc pacto ſtabilit. Cùm ex iſtis duabus, miſeria ſcilicet hominis, & miſericordia conditoris, oratio ſubleuatur, ne vel pigra ſit, vel tepida; in alterna horum conſideratione, mens ad deuotionem, inceſſanter, ſe excitare debet, & quodam ſpirituali impetu ſurſum ſe leuando volare. Nam & hi, qui mala ſua conſiderare negligunt, aut nihil petendo, aut aliter quam oportet petendo, facilè per ignorantiam falluntur. aut certe minus quam oportet digne petendo, per deſidiam tepeſcunt. Si igitur prudenter Deum orare volumus, & vtiliter, iugi meditatione animũ noſtrũ exerceamus & in conſideratione noſtræ miſeriæ, diſcamus quid nobis neceſſe ſit petere; & in conſideratione miſericordiæ Dei, quo deſiderio debeamus poſtulare. Quiſquis enim huiuſmodi meditationibus, ante tempus orationis animum ſuum exercet, nec improuidus fortaſſis, nec tepidus ad orationem venit. Vide. Meditatio ſiquidem aſſidua ſcientiam parat, ignorantiam pellit, & compunctionem ſalubriter in corde gignit: Compunctio autem genita, deſidiam fugat, & promptam deuotionem fœcunditer parat; Deuotio vtique orationem perfectam decenter ſubminiſtrat: Nihil enim aliud eſt deuotio, quam pio, & humili affectu mentis in Deum conuerſio; Quæ vtique perfecta eſt oratio, qua ſine, nulla, etiam quantalibet multorum verborum rotatio, digne dicitur oratio; ad talem autem mentis conuerſionem, & eleuationem, neceſſario de lege communi præire, aut concomitari, habet meditatio; vt latius in illo tractatu, proſequitur venerabilis Hugo. Vnde vera ſtat dicta propoſitio. Facit in eandem ſententiam, parilis omnis, omnium Doctorum chorus: præſertim in ſecunda ſecundę S. Thomas dicens, quod duplex ſit cauſa deuotionis, extrinſeca vna, & principalis, ſcilicet Deus; intrinſeca altera, & cauſalis, meditatio videlicet, cordis. Deuotio ſiquidem, (vt ait) actus eſt voluntatis, ſe prompte offerens, in obſequium diuini cultus; Omnis autem actus voluntatis, ex conſideratione aliqua procedit præuia, & radice meditationis: eo quòd bonum intellectum ſit voluntatis obiectum; & nihil ametur incognitum. Vnde ſicut voluntas, (iuxta diuum patrem Auguſtinum in de trinitate) oritur ex intelligentia, & mente: ita & deuotio, ex conſiderata præuia meditatione. Quare vt digna ſit oratio, neceſſario præit meditatio.

CORRELARIVM XII.

NOn ſoli orationi meditatio eſt neceſſaria; ſed & omni exercitationi accommoda eſt, & opportuna.

Atteſtatur huic propoſitioni, honorabilis Gerſon in ſuo tractatu de Meditatione cordis, dicens hoc modo, *Abſque meditationis exercitio nullus, ſecluſo ſpeciali Dei miraculo, ad perfectionem peruenit contemplationis; nullus ad rectiſſimam pertingit normam Chriſtianæ religionis; immo vix ſe componit ad aliquod bonum.* Neceſſariam proinde meditationem, venerabilis Hugo de ſancto Victore, definit in

omni tempore, præſertim in creaturis, ſcripturis & moribus: vt notat tractatulus de tribus meditationum generibus, imò breuiter in omnibus rebus, etiam prophanis & minimis, cogitationes artis perficiunt artificem operis, vt ad oculum patet; Omnis ſiquidem rerum ars, aut perita cognitio, ex meditatione prodijt; velut cauſali fonte. Argumento ſunt ars Fabrilis, Nautica, omniſque ars Mechanica, & præſertim Litteralis inſtitutio; quæ omnia prodierunt, increuerunt ſapienti cogitatu. Nam litteræ ſolæ, quę ex ſapientali, vt certum eſt, meditatione ſunt exortæ, ſi dormitarent, aut non eſſent, ſæcula ſæculis otioſa marcerent. Tolle enim litteras, & quis nobis fructus, non dico ex Philoſophis, & Regnorum potentibus, ſed & ex fœcundiſſimo illo fonte Paulo, Auguſtino, imò & Chriſti Euangelio? Quantolibet enim ingenio, quantolibet flumine, licet in diebus ſuis manauerit Pater Auguſtinus, poſtero tamen ſæculo, niſi litteræ eſſent, marcidus iaceret & obſcurus. Similiter & Chriſti Euangelium, & magnus ille Paulus Doctor gentium, vbi litteralę penitus reſecueris exercitium.

LVIII. Sed eſto ſint litteræ, & meditatio deſit, aut conſideratio attenta ſi dormiat, quid proderũt litteræ? Nónne neſcienti, & non conſideranti, perinde ſunt, quaſi non ſint planè ſine meditatione & conſideratione, nihil ſunt: ſteriles effectæ ſunt. Sic abſque attenta conſideratione & meditatione, nunquam ſplendidum illud iubar Eccleſię (Auguſtinum loquor, ſeu Paulum) vel ipſi ſibi tales, vel hodie tales alijs eſſent, cùm ſine cõſideratione & meditatione nulla res cuiquam profectui eſſet: & cum his nihil tam vile ac ſterile, quod non proficiat, & increſcat. Vniuerſa etenim puerilibus meditationum initijs, paulatim incrementa ſumpſerunt: Omnes artes, omnia ſcientiæ, conſilij, fortitudinis, ſapientiæque & virtutum officia, principium, radicem, & ſeminarium, à meditando & conſiderando acceperunt; & cùm initiata fuerint, meditatione confouentur: & vt perficiantur, meditatione concreſcunt. Sicut enim in *ſapientia omnia ſunt condita*; ita & meditatione omnia facta. Cuius in promptu eſt naturalis ratio: Naturaliter ſiquidem & neceſſariò (vt ſupra habitum eſt) vis cognitiua diiudicatiuam præire habet & affectiuam: & cognitiua rei, præcedit naturaliter motiuam ad actum rei. Volt enim nemo, quod non ante iudicauit volendum: Neque vult & iudicat, niſi quod cogitatu cognouit, meditatione, mente, reuerſans, æſtimandum, volendúmque depræhẽdit. Voluntas namque, tametſi maximas res, ſuo voluat arbitrio: non tamen ipſa ſibi agendi atque volendi, principium eſt; Sed ei ratio atque meditatio dux ſunt, conſul, lumen, & limes in agendis, vt ſupra latius deductum. Vnde palam ſatis liquet, externa omnia ab internis meditationum ſcatebris & riuis, velut ſuo fonte profluere atque dimanare. Adeò vt omnis humanarum varietas actionum, inde velut ex propria ſede profluat, vt quicquid, vel decoris, vel horroris foris apparuerit; ex mente & meditatione mentis, tanquam cauſali de radice, & principali fonte procedat; Vt inſigniter in præclaro opere ſuo ſuper Geneſ. ad litteram (ſub illo paſſu, *Fons aſcendebat de terra, & irrigabat vniuerſam ſuperficiem eius*) annotat Pater Auguſt. Et ſæpe in Euangelio ſuo idem ſtabilit, vnus ille magiſter. Nunc per *lucernam corporis*, nunc per *fructus bonæ arboris*, nunc per hæc quæ *de corde exeunt*, & non per ea, *quæ per os intrant, hominem inquinandum mundum, vel bonum aſſerendo*. Digna etiam facetia & conſideratione graui, Beatus Pater Antonius, idem notans, temptantes Philoſophos confutauit: dum ſubtiliter inquiſiuit, an memoria ex libris, ſeu libri ex memoria prodiiſſent. Omnia ergo ex meditatione dependent.

Pſal. 103 (margin) · Gen. 2. · Matt. 6. · Luc. 6. · Matt. 15. (margin)

LIX. Iure ergo tam ſtudioſiſſime & frequentiſſime Sapiens commonet, *omni cuſtodia cor cuſtodire; in lege Domini meditari, palpebras greſſus ſemper præcedere*: ſuper omnia ſciens meditationem neceſſariam eſſe. Semper, inquam, quia teſte Magiſtro Hugone, meditatio neceſſaria eſt ante opus, vt bene diſponatur; inter operandum, ne deuietur; poſt opus, ne imperfectum, aut truncum relinquatur; ita quod veriſſimũ ſit Periandri Corinthij verbũ, *Meditatio totum*. Et totam docti hominis vitam conſiſtere in meditatione, Petrarcha adducit, in tribus memorandis. Vnde ſicut oportet *ſemper orare*, & non deficere: non minus quoque neceſſarium eſt, ſemper, & ſine defectu meditari. Cùm ſine meditatione concomitante, vel præuia, nec oratio eſt perfecta, nec lectio proficiens, nec operatio recta. Super omnia quoque, meditationis directioni inuigilandum, cùm ex ea dependeat mors & vita; eo quod meditationes principia ſunt affectionum & aliarũ operationũ. Vnde debitas meditationes debitæ ſequuntur affectiones, & rectæ operationes, teſte Pſalmo, *In meditatione exardeſcit ignis*. Quia meditatio in moribus & opera dirigit cogitationes & affectus; vt exequitur per ſingula Magiſter Hugo in opere ſuo de tribus meditationum generibus. Verum itaque eſt Philoſophicum verbum, *Meditatio totum*. Vnde & venerabilis Gerſon conſultus, quidnam vtilius fratri ſedenti in cella, & vacanti exercendũ, an ſ. vacare lectioni, orationi, operi, vel meditationi; optimè conſuluit, quod ſalua obedientia, meditationi magis vacandum eſſet; rationem dignam ſubnectens, Quia licet alia pro præſenti plus forſan prodeſſẽt, hęc tamẽ ſola magis diſponit ad omniũ aliorũ bonorũ, & totius mẽtis futuros profectus, ſoror lectionis, nutrix orationis, directrix operis, omniumque pariter perfectio, & conſummatrix exiſtens. Hoc attendãt, qui meditari phantaſticum ducunt, & dicunt.

Prouer. 4. · Pſalm 1. · Prouer. 4. · Pſalm. 38 (margin)

CORRELARIVM XIII. LX.

Sicut præ vocali oratione ſancta meditatio eſt magis neceſſaria: ita quoque multis modis eſt ea præferibilior, ac per hoc & præ ea magis amplectenda.

Quod vocali oratione meditatio ſit magis

neceſſaria,

neceſſaria, partim patet ex his quæ ſunt præmiſſa. Probabile quoque illud eſt ex Domini Iesv verbis, qui huius tantam neceſſitatem indicit; vt hac ſine vitam dicat non poſſe haberi. Ait enim, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis*, (vtique non ſacramentali tantum ſumptione, ſed magis ſpirituali meditatione, commemoratione ſcilicet & conſideratione) *non habebitis vitam in vobis*, &c. Itemque ſi *iuſtus ex fide viuit*; penitus vtique mortuus eſt, qui non meditatur, commemorando, conſiderando quæ credit. Non itaque tanta exteriori homini neceſſitas panis, & edendi incumbit: quanta interiori homini ineuitabilis medullitus inhibita eſt lex ſanctæ Meditationis. Abſque ſimila enim & ſimilagineo, imò & omni pane, vita hominibus eſſe poteſt, vt patet in hyperboreis piſces ſiccos ſumentibus pro pane; & ex verbo Domini, *non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*, vtique credito, meditato, & ruminato: Interior autem homo, ſi panem ſuum meditando comedere deſierit, non poteſt habere vitam in ſe; ſed mox ſpirituali inedia exareſcit, neceſſariò conqueri cum Pſalmiſta habens, *Exaruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum*. Magna itaque & maior quam vocalis orationis, eſt ſanctæ meditationis pro animæ vita neceſſitas; quia ea ſine non viuitur, ſed in ea prorſus conſiſtit, & eſt vita ſpiritus? vnde *panem quotidianum* Dominus petere quotidie, neceſſarium docuit: & de parte Mariæ (cuius non inferior portio meditatio eſt) ait, *Porrò vnum eſt neceſſarium*, &c.

Ioan. 6. — Hebr. 10. — Matt. 4. — Pſal. 101. — Matt. 6. — Luc. 10.

Patet ergo prima particula propoſitionis, ſequitur altera.

LXI. *Multis modis eſt ſancta meditatio oratione vocali præſtantior & præferibilior*. Multis inquam & multiplicibus modis meditatio præferibilior eſt vocali, & gregaria oratione, vel litteraria lectione. In primis vtique tanto eſt ſancta meditatio vocali oratione præferibilior, quanto mentali orationi eſt conformior; Nam ſicut mentalis oratio non perfunctoria eſt & ſuperficialis, non verbalis aut vocalis, ſed interna, attenta, & affectualis: Ita & meditatio, de qua agitur, non verbaliter aut vocaliter fieri habet, vocalis orationis inſtar; ſed viuis, attentis, mentalibus notis, quæ & iudicium rerum cogitatarum exaltent, ac deſiderium concitent earundem. Secus enim ſterilis & inefficax meditatio eſt omnis. Ideoque in primis, ex omnibus illis præſtantijs, quibus mentalis oratio ſupra vocalem eſt ſuperius prælata; poteſt & meditatio pariter efferri ſuper eam; imò & quodammodo præferenda eſt orationi mentali, velut cauſa ſuper effectum; Sed iam ne longi ſimus, eſt omnibus his modis præferibilior meditatio præ oratione vocali, quos complectitur verſiculus memorialis,

LXII. *Vt mens, vt cauſa & finis, tum contemplatio præſtans*,

Efferri ſiquidem & extolli meditatio, præ vocali oratione poteſt,

ſicut	Spiritus, vel actio ſpiritualis,	*Super*	Corpore vel corporali,
	Cauſa efficiens & cauſalis,		Effectu,
	Perfectio & finis		Medijs,
	Vita cōtēplatiua		Actiua,
	Res laudatiſſima		Minus laudata.

Poſſent ſingula hæc latius deduci; ſed ne prolixiores ſimus, ſat erit tetigiſſe ſingula paucis. Primo igitur præfertur meditatio ſuper oratione vocali, quemadmodum ſpiritualis actio effertur ſuper corporali: Præſtat autem ſpiritualis corporali multipliciter; *Tum ex ſubiecto*, vnde progreditur, quæ nobiliſſima animæ potētia eſt; intellectus ſcilicet, vt plenius Doctor Sanctus 2. 2. 1. parte, q. 8. Licet aliqui de voluntate contra obnitantur, vt ſupra; *Tum ex obiecto*, in quod dirigitur. Verſatur enim circa obiecta digniora, circa ſcilicet honorabiles illas ac diuinas ſubſtantias, vt Philoſophus ait, *Tertiò ex medio*, quo educitur ex habitu, ſcilicet ſpiritualiori: in cuius actuatione grandior conſiſtit perfectio. *Quartò ex actu*, qui producitur, qui eſt naturalior, proprior, digniorque, & prǫſtantior cæteris exercitationibus & actibus corporalibus, ex multis. Quippe qui nobis naturaliter & propriè competit, ſecũdum id, quo ſeparamur à beſtijs, & quo homines ſumus. Hic iam annotandǫ eſſent præſtantiæ ſpiritualis actus, præ alijs, quomodo ſcilicet laborioſior, diuturnior, meritoſior, iocundior, ſufficientior, & Deo gratior comprobetur; ſed prolixum eſſet deductu. Satis iam patet, [illegible]ditationem tanquam ſpiritualiorē acti[illegible]cali oratione præferēdā. Quæ tameti[illegible]ē mediis laudari poſſet, non tamen eſt it[illegible]ſpiritualitate perfecta, niſi meditatio adſit.

Secvndo prǫferri poterit meditatio ſuper vocali oratione, aut exercitatione corporali, ſicut Efficiēs cauſa ſuper effectum: Meditatio ſiquidem cauſa eſt deuotǫ orationis, cauſa vtique efficiens, informans & cauſalis, vt ſuprà deductum meminimus ex S. Thoma. Notum autem eſt cuilibet vtcumque in Philoſophicis diſciplinis inſtituto, qua cauſa præeat, prǫſtetque ſuper effectum. LXIII.

Tertio meditatio ſupra vocalem orationē effertur, ſicut ſuper medijs, aut his, quæ ad finē ſunt, efferuntur forma, perfectio & finis. Omnis etenim vocalis oratio, meditatione, vt forma ſua, perficitur, & in eam, vt in finem ordinatur: Quia in cognitione & contemplatione meditationis diuinæ beatitudo conſtituta eſt noſtræ fœlicitatis, vt Dominus dixit, *Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant* &c. In cognitione vtique Dei, ſaltē *initiatiuè*, licet in fruitione *perfectiuè*, beatitudinem noſtrā conſtitues, quǫ meditatione cōquiritur. Eſt enim meditatio ſancta, ſicut effectiuũ internæ exercitationis principium, ita & informans forma & cauſa finalis: ideoq; & Philoſophi in operatione intellectus vltimum conſtituebant finem, fœlicitatémque præcipuā. Adeò vt Porphyrius Platonicus (ſicut commemorat B. Auguſt.) in omnimoda elongatione, puriſſimóque receſſu ab omni materia & negociatione intellectuali perfectionem definiuerit animæ rationalis. LXIV.

nalis. Similiter & Peripatetici. Meditatio autem præ vocali oratione, eſt negociatio magis intellectualis: Ideo quoque & præſtãtior, ſicut his quæ ſunt ad finem, ipſe finis &c.

LXV. Qvarto effertur ſicut contemplatiua vita, ſuper actiua: Propriè enim capiendo contemplatiuam vitam (prout ſcilicet vita dicitur viuentium actio, cui principalius inhæret) ſic principaliter in vno actu, puta meditationis, aut contemplationis conſiſtit, tanquam in actu, quo finaliter perficitur, à quo & vnitatem ſuſcipit, nomen ac ſpeciem ſortitur. Vnde patet quod meditatio propr.è eſt contemplatiuæ vitæ actus: Vocalis autem oratio actiuæ, vt dixit Dionyſ. Carth. in de contemplatione: quãquam lato nomine vocalis oratio interdũ cõtemplatiuæ dicatur actus: Quia ſcilicet per eam attingit, amminiculaturqne ad eam; aut ex ea percipitur vel deriuatur. Propriè tamẽ in actibus immanentibus intellectus ac voluntatis contẽplatiua primo, principalitérque cõſiſtit. Iure ergo meditatio mentalis ac interna prȩfertur vocali orationi, eiſdẽ prȩconiis, quibus ſuper actiuam contemplatiua. Quod autẽ præferatur hæc illi, non opus iam eſt commemorare: infra enim hinc plura habentur.

LXVI. Effertur quoque qvinto, vt res laudatiſſima, ſuper re minus laudata: Imò vt res ſuaſa, & conſultiſſima, ſuper rem vetitam & diſſuaſam. Quod ſi hic internæ exercitationis laudes, ſi ſacræ meditationis, quæ ſancti ſcripſerunt, præconia, commemorare pergamus ante nobis tempus, quàm verba deerit. Hanc

Luc. 10. namque Dominus Ieſus, *optimam partem, vnũ quod neceſſarium* diffinit; Hanc eloquia ſacra, ſanctorumque eloquiorum tractatores inſignes, varijs ſub typis, pluribúſque modis extollunt. Et quoniam interior hæc mentis exercitatio contemplatio, ſcilicet, & meditatio proprius eſt ſapiẽtiæ actus, & non ſapiẽtiȩ cuiuſcunque, ſed eius præcipuè, quæ propriè do-

Eſa. 11. num eſt Spiritusſancti. Idcirco ferè omnia ea, quæ de præſtantia ac præeminentia diuinæ ſapientiæ diuina introducit ſcriptura, de interiore huius exercitationis & meditationis quoque præſtantia & laude ritè adduci poterint. Potiſſimum cùm in actu potius quàm in habitu perfectio cuiuſque ſit ponenda, vbi

Ioan. 5. permanens eſt & ſtabilis actus. Qui autẽ ſcrutari voluerit ſcripturas, inueniet ex multis ſapientiam collaudatam: at & ex eiſdem præ vocali oratione meditationẽ internam præferendam. Breuiter laudes ſapiẽtiæ ſunt his verſiculis perſtrictæ.

LXVII *Digna, quieta, nitens, dulcis, quacunque beata.*

Primo, ſapientia extollitur ab excellẽti digni-

Sap. 7. tate & opulentia: *Regnis* enim & Regum *ſedibus* præponitur; *diuitiæ* in eius collatione *nihil eſſe dicuntur*: Pretioſior ſiquidem cunctis eſt opibus, imò & rebus vniuerſis. Omnia enim quæ deſiderari poſſunt, non valent comparari actui eius. Secvndo, effertur à *Quietiua ſufficientia*, & vtilitate omnimoda. Diuina ſiquidẽ

Sap. 11. poſſeſſio eſt, & nihil locupletius ea. *Veneruntq; omnia bona pariter cum illa.* Tertio, à pulchritudinis *Nitore* laudatur, & ſpecioſitatis forma: Specioſior namque eſt Sole, & ſuper ſtellarum diſpoſitionem inuenitur prior, nunquã marceſcẽs, ſed ſtabilis & pura ſemper. Qvarto præfertur à *Dulcedine*, & delectationis co-

Sap. 8. pia. *Non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tedium conuictus eius*; ſed gaudium & lætitiam: & (vt Philoſophus ait) admirabiles delectationes admixtas, remotionem habens omnis mali, & exterioris afflictionis, & interioris turbationis; plenitudinémque boni omnis, intellectus videlicet & affectus: vt adducta

auctoritas tangit. Postremo laus ſapientiæ LXVIII ſumitur *ex omni circumſtantia eius, & beatitudine æterna*. Laudatur namque, & laudabilis eſt ſapientia, & *ex parte obiecti*, quod ſublimiſſimum: *ex parte ſubiecti*, quod digniſſimum: *ex parte modi*, qui purior, ſimplicior, & naturalior: *ex parte aſſimilati & coniuncti*, quia Chriſtiformior, & Deo coniunctior: ita quod breuiter, ſapiencia nihil ſublimius, nihil perfectius, vtilius, iocundius & beatius nihil. Eſt

enim ſapientia *infinitus theſaurus, quo qui vſi* Sap. 7. *fuerint, participes fiunt amicitia Dei*, cuius concupiſcentia deducit ad regnum: in qua qui

commoratur, ſublimi eſt ſorte beatus. *Beatus* Eccl. 14. ſiquidem *vir, qui in ſapientia morabitur*. Iure ergo beatos magiſter Hugo declamat eos, quibus datum eſt familiarius amare, ſæpiúſq; vacare meditationi ſapientiæ, quæ & iocundam vitam reddit, maximam in tribulatione conſolationem præſtans, & æternæ vitæ dulcedinem quodammodo etiam in præſenti prægustare facit: maxima oblectamenta habens. Hanc itaque laudatiſſimam ſapientiam niſi extremè dementes ſimus, cum ſapientiſſimo Salomone pariter & nos *ſuper ſalutem & ſpeciẽ diligamus*, amemus, exquiramus, optemus, inuocemus. Hanc *preponamus regnis & ſedibus, diuitias nihil in illius comparatione dicamus*. Nec lapides illi precioſos comparemus, vel aurum, quoniam *arena exigua ſunt, & tanquam lutum in conſpectu illius*, vt in libro Sapientiæ 6. 7. 8. cap. 15. plenius deſcribuntur, & cohortantur.

Sed tetigimus ſapientiæ laudes, quæ ſuperant laudes omnes. Supereſt & reſtat oſten- LXIX. dendum, *quod & eatenus meditatio ſit conſulta, & ſuaſa, ita quod collatione illius, vocalis oratio diſſuaſa & vetita, prohibitaq; quaſi inueniatur*. Et vt plures ex antiquis tranſeamus, recentiores id docti ſuadent. Hinc in præclaro opere ſuo venerabilis Gerſon de myſtica Theologia, inter cætera dicit: *Falluntur qui volunt ſemper legere, aut orare vocaliter, & ſic conquirere gratiam contemplationis. Acceſſuro quidem ea proſunt, ſed non ſufficiunt: Eſto namq; compungantur interim tales ad lectionem, vel orationis pronunciationem; ſed ſi abſtuleris librum, aut verbum, abibit & illico comes compunctio: non aliter etiam quam cum libro, aut vocalis orationis redditura verbo. Conſilij itaque eſt, cum ſilentio praſtolari ſalutare Dei, vt ſci-*

licet aſſueſcat homo ſpiritu orare & mente: dum Thren. 3.

etiam vocis ſtrepitus, aut libri deerit conſpe-

ctus. Sit ipſa meditatio ſilens, ſit libera: Alio- 1. Cor. 14.

quin viderit, ne ſemper diſcens, nunquam ad 1. Tim. 3.

ſapientiam perueniat. Hæc ille, qui & in aliis locis ſcriptorum, præſertim in tractatu de

monte

monte contemplationis,& alibi,creberrimus eſt in ſententiam iſtam.

Conformiter quoque ei loquitur memorabilis Dominus Iohannes Scoenhauie, Regularis Canonicus viridis vallis, in ſermone ☞ capitulari. Quod paſtor pius & bonus inuitat oues ad ouile internum, ad cordis ſcilicet domicilium, ad internum mentis exercitium, in quo paſcit oues affluentia ſpiritualium deliciarum; Vbi clauſo oſtio corporis, ſpiritus *Pſal.75.* intus reficitur, vbi domicilium pacis, locus Dei inuenitur; Vbi illuminatur intellectus, & ſuo bono perfruitur affectus, vbi liberè defletur humanæ fragilitatis defectus,& in ſpiritu, *Ioan.4.* & veritate adoratur Deus. Vbi Chriſtus oues ſuas paſcit diuinæ ſuauitatis prægustatione, diuinæ gratiæ influxu, & ſpiritualium chariſmatum infuſione,internæ dilectionis cōtinua inuocatione, interimque gaudij prælibatoria fruitione. Hoc igitur mentis ouile religioſi quique introire debent, vbi quieſcēte tumultuum ſæcularium, & omni externorum ſtrepitu,ſoli cum ſolo dilecto repauſent.Et hoc in ſomno pacis, amplexu charitatis, oſculo vnitatis, dulcedine Spirituſſancti. Ibi tales ſpiritales delicias reperient, vt earum comparatione externa omnia vileſcent: Ipſe enim paſtor bonus oues in hoc ouili mentis pauſantes, per internum guſtum tanta ſuauitate inebriat & reficit, quod eis omnem delectationem creatam in quandam inſipiditatem & amaritudinem conuertit. Guſtato nempe ſpiritu,deſipit omnis caro:quemadmodum poſt mellis guſtum omnia inſipiſcunt. Frequenter namque illam animam Deus viſitat, inhabitat, & ſic reficit, quæ ſe intra ſecretarium cordis ſui libenter recolligit. Ea autem quæ non ſtudet in ſe conſiſtere, ſed per ſenſus exteriores & corporales exercitationes, in externis ſolum obuerſari, & deoblectari, quia externam conſolationem quærit, illam, quæ à Deo intus datur,non habebit. Delicata ſiquidem eſt conſolatio diuina, nec tribuitur admittentibus aut quærentibus alienam. Bonus ergo religioſus, qui internæ deuotionis gratiam obtinere deſiderat, qui ad cæleſtia aſpirat, qui in diuinorum contemplationem tota mente anhelat: diſcat diſperſiones cordis ſui congregare, ſtudeat mentis euagationes reſtringere, aſſueſcat in intimo cordis commorari, & in ſeipſo & ſuis intimis conſiſtere. Nam ideo inter orandum, pſallendumque crebrius diſtrahimur. Ideo facilè tentationibus occurrentibus ſubjicimur; ideoque diuinam conſolationem aridi & tepentes non experimur; quia intra ſecretarium conſcientiæ noſtræ non reſtringimur, internis exercitijs nos non damus, in intimis noſtris non perſiſtimus, nec commoramur. Deus ſiquidem intimum cordis noſtri poſſidet; & ideo quicunque de dulci eius præſentia gaudere volet, oportet quod ſemper in ſeſe recollectus eſſe ſtudeat. Quanto autem homo magis cor ſuum ad exteriora ſpargit:tanto magis à diuina præſentia elongatur, quies mentis diſſoluitur, & diuini amoris feruor intepeſcit & minoratur.

Ex his itaque ſatis colligitur, quod Reli- *LXX.* gioſi illi decipiuntur, & nunquam vel raro, veræ deuotionis gratiam, aut perfectæ contemplationis apicem aſſequuntur; qui volunt ſemper ex libris legere, ſtudere, aut vocaliter multa orare,& non ſe aſſueſcunt in cordis ſilentio continere, ſeu per meditationes internas,feruida deſideria, & intima ſuſpiria ſeſe in Deum conuertere, & ſic internè exercitari. Licet enim lectio & vocalis oratio, aliquando pro deuotione proſint, & amorem Dei in homine, aut excitent, aut lactent: non tamen ad veram & perfectam ſanctitatem acquirendam ſufficiunt; niſi interna meditatio & mentalis oratio ſaltem ſubſequantur: imò niſi aut præeant, aut concomitentur. Inordinatum enim, & immoderatum ſtudium *LXXI.* ſcripturarum, & nimietas vocalium orationum, aut exercitationum externarum; valde retardant & impediunt profectum multorum religioſorum; Cùm talium nimia & ſollicita occupatio, & ſpiritum deuotionis extinguat, & iugem mentis in Deum ſuſpenſionem interturbet, & cùm ſuperficietenus multa aguntur, prorſus ab internis diſtrahūt; vt in Didaſcalico ſuo venerabilis Magiſter Hugo deducit; oſtendens lectionem & doctrinam bonam;ſed incipientium: & maximè à Religioſis, ad meditationis & virtuoſæ operationis perfectionem contendendum, iuxta votum profeſſionis, quo aſtricti ſunt, tendere ad perfectum.

Eſt in eandem ſententiam & internus ille Doctor Thauler, Doctor Colonienſis, qui dicit:Bona quidem ſunt exercitia, cantare, legere, vocaliter orare, & ſimilia; quando procedunt de exercitatione interna,ad quam etiā interdum ſubſeruiunt & proſunt; Sed ſi ea caruerint,parum,vel nullum fructum afferūt. Vnde hoc diabolus, mille callidus per meandros ſciens, ſuadet Religioſis, ſub ſpecie pietatis & deuotionis pleraque talia aſſumere; vt ſic ab internis & melioribus ſaltem exercitijs, poſſit præpedire. Internis namque exercitijs vacare volentibus,venenatas immiſſiones huiuſmodi immittit,dicens. Ad quid moliris tibi impoſſibilia? noli quærere altiora, & te dare ad interna: non enim hoc ſinunt teneritudo,complexio,& reliqua naturalia. Sufficiant *LXXII.* tibi communia exercitia, lege ex libro deuotas orationes,aliorum inſtar vocaliter ora &c. Sed cùm aſcenderit ſuper te talis ſpiritus po- *Eccl.10.* teſtatem habens,vt tentet te, tu ne mutaueris locum, nec ceſſeris huiuſmodi ſuaſioni; ſed obſiſte,& reſiſte fortiter in fide; vt idem com- *1.Pet.5.* monet plenius in cohortatione ſua exercitiorum internorum.Concludens ex dictis omniū Sanctorum & Doct. Auguſtini, Chryſoſtomi, Bernardi, Hugo. & aliorum, Deo nihil fore acceptius,nihil homini vtilius, dignius,cōſultius & neceſſarium magis ſaluti, quàm vacare exercitiis internis, & ſeſe dedere & coaptare reformandæ & reſculpendæ & innouandæ imagini ſanctæ Trinitatis. Ex his igitur præmiſſis licebit inferre concluſiuam reſponſionem propoſitæ queſtionis principalis.

COR-

CORRELARIVM XIV.

LXXIII. *Cum itaque tam ſit meditatio vocali oratione dignior, laudatior, ſuaſa, neceſſariaq́; magis, & omni modo, vt patet, præſtantior: quis tam mente captus, iudicio cæcus, affectu curuus, qui non videat, iudicet & decernat, quod eatenus etiam ſit præ vocali oratione & exercitatione corporali præſcribilior, amplectendior, æmulandior?*

Vbi enim alijs alia præſtant, meliora diligenda, excęcatiſſimis etiam natura dictat, vt vna ex ſuperioribus Propoſitionibus abundè tradit, Ratio docet, Apoſt. ſuadet. Spiritualis 1.Cor. 2. ſiquidem, *omnia dijudicat & diſcernit*; non ſolum iudicans inter diem, & noctem, ſed & iudicat *inter diem & diem:* imò & iudicat *omnem diem*, id eſt, non ſolum mala à bonis diſcernit; ſed & inter bonum & melius diſcretionem habet. Inſuper & ſingula pro merito æſtimat; in omni conſideratione proponens ſibi finem, quo tendit, directionemq́ue, qua facilius ad eum pertingere poſſit. Omnis enim, qui ad aliquid tendit, ſecundum id curſum ſuum dirigit: Et qui directius pergit, citius peruenit. Sũt ſiquidem quædam bona, in quibus etiam multum eſt moueri, parum eſt promoueri, Alia cõpendioſo labore fructum magnum adducunt. Et hæc ergo diſcernenda ſunt, & eligenda magis, quæ magis proſunt. Quęcunque enim magis proſunt, meliora ſunt, & omne opus, ſecũdum fructum ſuum iudicari oportet.

1.Cor.12. Eia igitur meliora chariſmata, vt & ſupra Luc.10. hortatum eſt, ęmulemur; optimam deligamus partem: & vbi non omnibus ſimul intendere valuerimus; vel cardini & meliori hæreamus. Sedeamus cum Maria ad pedes Ieſu, vacemus internis, audiamus, videamus, guſtemus. Stultum namque, & inſanum nimis, vt exercitatione digniori, gratiori, vtiliori, faciliori, & multis modis præſtantiori relicta; altera acceptetur, minus digna, vtilis, grata; ſed laborioſior, ſed inferior multo. Nam ſicut ſtultus ille (iuxta auctorem profectus) iudicandus venit, cuius cum hortulus, ſeu areola Balſami ferax eſſet, neglecto Balſamo, mentam & cyminum in eo complantaret; quæ tametſi bona ſint, in Balſami tamen comparatione, velut viliſſima habentur; Stultior tamen infinities ille, qui cùm ſummum bonum interna exercitatione poſſit aſſequi, & complecti; illius incurius, occupat ſe circa externa. Et quemadmodum dementiſſimus æſtimaretur, qui relicta compendioſiori, planiori, ſecurioriq́ue methodo ſeu via, alteram diſpendioſam magis, difficiliorem, periculoſiorémque præeligeret ſibi: Sic & religioſi illi non minus erraſſe videntur, qui cum paucis diebus vel annis poſſent apicem interni attingere profectus, internis ſeſe exercitijs coaptando; eis tamen relictis occupant ſe alijs valde diſpendioſis, minus vtilibus, magiſq́ue periculoſis; totos ſeſe effundendo exercitiis externis. 1.Tim.4 *Corporalis ſiquidem exercitatio* (teſte Apoſtolo) qualis & vocalis oratio reputatur, *ad modicum vtilis eſt*; cùm pietas (quæ cultus eſt mentis) ad omnia valeat: vt idem per exempla latius auctor exequitur, & deducit. Falluntur itaque, qui* perfectionem conſtituunt in corporali exercitatione & externa; veluti qui pro arte ducunt inſtrumenta artis: ſeu quemadmodum qui media præferant fini. Externa ſiquidem exercitia omnia, interni tantum profectus ſunt inſtrumenta, aut media quædam, vt in collationibus Patrum ſcribit Pater Caſſianus. Nec minus etiam prædictis hi errare videntur, qui ſecundum exteriorem vel corporalem exercitationem profectum hominis metiendum putent; ad oculum & ad extra iudicantes; & quoſdam idcirco deputant imperfectiores, quia minus eos foris agere in corporalibus vident: cùm tamen æquus arbiter rerum Deus, non ex eo, quod foris agitur, iudicet; ſed ex eo quod intus ſplendet.

Agito itaque, *igne & aqua appoſitis, ad quod* Eccli. 15. *volueris extende manus:* hoc profecto ſciens, LXXIV. ſi interna exercitia poſtponens, exterioribus ſteteris contentus: ſimilis illi eris, cui ſat eſt ſine nucleo ſeu fructu, teſta, vel cortex ipſe. Quemadmodum enim in teſta Simile ſeu cortice nucleus: ſic virtutis perfectio in obſeruantiis externis: in quibus plerumque labor grandis & fructus vel paruus, vel nullus, in quibus multum moueri, parum eſt promoueri: cùm exercitia interna minori labore & compendioſiori locupletiorem fructum adducunt: vt ſub typo trium Leuiticarum familiarum, pulchrè tamen, Auctor profectus oſtendit. Sed multi, nec diſcretionem neque delectum in rebus habentes, externa ſibi exercitia prælegerunt: ideoque & plurimum laborauerunt, & parum profecerunt: quoniam foris tantum oculos habuerunt ad ſpeciem operum, non ad fructum virtutum: Gaudebant ſe magna facere magis quàm vtilia exercere: dilexeruntque potius ad extra multa vocaliter legere, quàm Domino intus vacare; tam ſtultè, quam inſipidè putantes, ſummam perfectionis conſiſtere in laboribus grauibus & externis: ſed non in eis perfectum conſtituit Dominus. Non enim in prælio & certamine, ſed perfectum conſtituit in interna affectione charitatis, vt in vitis Patrum ſanctus Pater docuit appellare. Non petit (vt ex Iſaia patet) exactum vſque ad *capitis contorſionem* Eſa. 58. ieiunium, aut horridum, vel cinerem, vel cilicium, ſed intentum ſibi intellectum, cor amans petit, & ardens deſiderium & affectum. Patent hæc penes Eſaiam. Quæ omnia quoniam magis concurrunt in exercitatione mentali & interna, quam (vt ſupra monſtratum eſt) in oratione vocali, ſeu exercitatione corporali: Ideo licebit concludere, quod ſapienti delectu, præſertim à religioſis ad altiora vocatis (neque enim hic de vulgo & plebe ruſtica nobis loquendi eſt locus) vocalium orationum multa illa rotatio, maximè cùm non debetur, ſeponenda eſt, ſeu moderanda: meditatioq́ue ſeu exercitatio interna, vtpote de melioribus chariſmatibus præponenda, & magis æmulanda.

Et hæc ſufficiant pro quæſtione diſſoluenda, iam nunc quæ obſtare videntur, & non obſtant, ſoluenda.

Tertia pars, continens ſolutiones obiectorum, contra prænotata.

IAm nunc proſtremo quædam obſtantiæ, pro vlteriori,& pleniori elucidatione,tametſi non obſtant, ſunt diſſoluendæ. Perfecta ſiquidem cognitio non ſolum veritatem ſuam ſtabilit, ſed & contraria quæque, & quæ obijci poterunt, confutat,& diſſoluit. Sunt autem inter cætera hæc,quæ ab iis,qui vocalibus orationibus ſunt aſſueti, & ad interna inuiti, repugnant veraci præfatæ concluſioni, obijci ſolent,& contra præmiſſa opponi.

Et in primis, quidam impugnantes nos armis, & concluſionibus proprijs; contra nos, propoſitionem hanc noſtram obijcientes aſſumunt.

Obiectum primum, contra ſuperiora.

LXXV. Exercitia ,inquiunt, aſſueta non faciliter eſſe mutanda.

Sed huic obiectioni ſatis iam ſupra putamus ſatisfactum, cum in eadem propoſitione erat adnixum , Exercitia non faciliter fore mutanda; vbi ordinabiliter, & bene, ſeu ritè fuerint inſtituta; Secus, iuxta exhortationem
1.Cor.12 Apoſtoli,meliora charismata æmulanda. Alioquin ſors hominum eſſet miſerrima: vt ſi qui in deligendis exercitijs aberraſſent,ad meliora ſe diuertere non poſſent,aut de imperfecto migrare ad perfectiora. Quo contra, ſi pertinacius quis obhæreret omnem omnino hominum profectum auferret. Gradus ſiquidem ſunt in virtutibus (vt demonſtrat in Moralibus ſuis Magnus Papa Gregorius,) & de imperfecto migrandum,& contendendum ſemper ad perfectius, & Natura, & Ars docet; & omnis pariter Doctorum cœtus. Intelligitur itaque propoſitio ordinis , non profectus: Nec ſit in mutando puerilis leuitas, ſed matura grauitas; Ne non deſcendat, ſed aſcen-
Pſ.83. dat,& *de virtute in virtutem*; de imperfecto,ad perfectius ſe transferat &c.

LXXVI. *Secundò inſtare poterint contra ſuperiora.*

Non oportet, quod ab omnibus ſemper æmulentur ſimpliciter meliora ; vt in libro de perfectione cordis tradit Venerandus Cancellarius Pariſienſis.

Sed & huic eſt oppoſitioni ſupra ſatis reſponſum. Ingenue enim profeſſi ſumus, Non oportere ſemper optima quæque ſequi , aut ſimpliciter maxima quæque tenſis neruis, patrare virtutum. Pro cuius vlteriori declaratione remiſimus, & iam quoque referimus nos, ad inſignem illum tractatulum de perfectione cordis; vbi in eandem ſententiam concludit. Annectens tamen, quòd quiſque æmulari habet meliora, pro ſtatu vocationis, & pro gratia ſibi impertita. Ac per hoc, diſſolutus eſt nodus obiectionis. Oportet enim ſaltem perfectiora ſequi in conatu, & deſiderio, à Religioſis maximè ad ſtatum perfectionis vocatis; vt dicit B. Bernardus. Nam liber à culpa non eſt, qui perfectiora faſtidiens, non ſemper in meliora conatur:maledictus enim,qui partem ſuam deteriorem facit.

Tertiò obijcitur contra prædicta.

Non ſemper exercitatio flagrantior,& affe- LXXVII
ctuoſior , quæ attentior,& acutior : Patet de Philoſophis, & malæ vitæ Doctoribus,qui exacto intellectus acumine conduńt aranearum telas, quæſtiones inutiles, & verborum pugnas: quibus vetulæ multæ, & ſimplices, ſunt deuotiores,& affectuoſiores;cum amor intret, vbi cognitio ſtat foris.

Sed facilè hanc quoque obiectionem confutamus, quia non abſolutè illam propoſitionem; ſed valde circumſtantionatam poſuimus, dum ſcilicet,attentio ordinatur in finem affectus,&c.

Iterumque obſtatur.

Non adeo orationi meditatio eſt neceſſa- LXXVIII.
ria,vt eâ ſine, nequeat perfecta eſſe oratio, vel mentis eleuatio,&c Contra enim tradit affectuoſus ille Doctor, Hugo de Balma,in digno illo libro,qui inſcribitur de triplici via;vbi finaliter, & ex intentione determinat, quod apex mentis per amorem extaticum , abſque præuia, vel concomitante cognitione, in Deum ferri poteſt: vt latius,vbi de conſurrectione vnitiua agit;ſuper Verbum domini Dionyſij,*Conſurge,ignoſce.*

Sed & huic nos obſtantiæ , vtcunque re- LXXIX.
ſpondimus dum auctorem illum notandum diximus. Valde enim ſuper hoc eum notant, notandumque ducunt, Venerandus Gerſon, & in ſuo de contemplatione Dionyſius Carthuſienſ.Hi etenim differunt,diſputantque de nodo huius poſitionis.Et diſſoluit dom.Dionyſius omnes eius rationes, pleraque etiam obijciens in contrarium; Nec tamen finaliter determinans, contra eum : Admittens fieri poſſe, vt imperceptibiliter ſimul concurrant affectio, & cognitio ipſa. Hoc tamen ſatis aſſeuerans, quod non poteſt eſſe amoris affectio; niſi præeat aliqualis cognitio, dicente Gregorio, *Quis amat, quòd ignorat?* Et item nemo diligit, quod ignorat. Neceſſe eſt enim ad minus, vt præeat,ſaltem ordine naturæ,aliqua,vel apprehenſio ſimplex,

Tum propter naturalem coordinationem voluntatis, & intellectus; *tum propter* voluntatis ipſius obiectum,quod eſt bonum cognitum, ſeu intellectum; *tum* propter ſimilitudinem, imaginemque ſanctæ Trinitatis, qua procedit voluntas, ex intellectu, & mente : vt in de Trinitate , latè deducit, Pater Auguſt. *Tum poſtremo*, propter diſcretionem naturalis appetitus, qui in ſuum obiectum incognitiuè fertur interdum, vt in brutis : ſed nunquam niſi intellectualiter in hominibus appetitus intellectualis. Ideoque dicit S. Gregorius,quod *non eſt ardor delectationis , ſine lumine cognitionis*. Quare, & in perfectis cognitio affectum præcedit, ſaltem ordine naturali : & ideo intelligendus erit præfatus auctor, de ordine temporis. Et conformiter ad hæc concludit Venerabilis Gerſon in 12. de ſuper conſcriptis conſiderationibus, Quod

ſtare nequeat myſtica Theologia, ſine qualicunque cognitione, vel concomitantiæ, vel præuia; licet tres adducat modos, quibus fieri videtur poſſibilis affectio ſine cognitione præuia; vt de amore pure naturali, de amore ſupernaturali, & de habituali amore, in quibus nihilominus omnibus præuia cognitio aliqualis; & ſi non reflexa, ſaltem implexa. Hæc ſiquidem traditio eſt hominum, tam Philoſophorum, quam Theologorum Moralium, cum experientia, per vocem magni Auguſt. clamantium, *Inuiſa diligi poſſe, incognita nequaquam.* Et ſic in robore, veritas propoſitionis.

Quartò inſtatur, contra nodum quæſtionis,

LXXX. Vocalis oratio, vere mentali oratione, ſeu meditatione cordis perfectior; quia ex mente, & voce prodiens, ſola mentali apparet integralior.

Reſpondetur breuiter, quod non eo aliqua dicenda eſt perfectior, quia integralior, multiplicior, aut compoſitior: Sed contra, quanto quid perfectius, tão eſt ſimplicius; vt patet de Anima, ſuper corpus; Angelis ſuper animos; & Deo ſuper omnia. Tantoque res ſunt imperfectiores, quanto à Deo diſtantiores: Ac pro tanto etiam materialiores, & quadam craſſitudine corpulentiores, & multipliciores. Vnde quanto aliquid eſt ſimplicius, & ſpiritualius, tanto eſt, & perfectius: vt in de myſtica Theologia Venerabil. Gerſon, de Luce, Angelis, & Deo probat, & oſtendit. Grandẽ ergo implicãt errorẽ; qui propter corporalis vocis additionem, vocalem orationem mentali aſſerunt perfectiorem. Cum illa ſit à Patribus definita oratio perfectior, non quę multiplicior, aut vocalior; ſed quæ intimior, & affectuoſior. Alioquin, & grandes conſequerentur hinc abſurditates: vtpotè, quod vocales noſtræ orationes intellectualibus ſimplicium Angelorum conceptibus, & votis eſſent perfectiores; Et quod corporalis & permixta operatio, intellectuali negociatione (qualis in ſeparatis ſubſtantijs, & Deo eſt) præſtarent, quæ valde abſurda: ergo perſtat veritas noſtra.

Quintò, adhuc de vocali oratione, inſtatur contra.

LXXXI. Ioan.11. 12. 17. & alias. Mat.6. Videtur autem vocalis oratio Chriſtiformior; ac per hoc præſtantior. Vocaliter enim Chriſtus ipſe orauit; vocaliterque orandum docuit.

Quibus ex facili reſpondetur. Non negamus Chriſtum vocaliter oraſſe; non tamen ideo concedimus, imò negamus, eum vocalem orationem mentali prætuliſſe. Cum ſupra palam oſtenſum ſit, illam eum huic ſubieciſſe. Et non in vocali oratione profectum conſtituit; qui multiloquium prohibens in oratione, tam compendioſam, breuemque orationem edocuit. Quam etiam mente, magis quam labijs tenus, dici voluit; cum formam orandi pręſcribens dixit. Non orando, *Ethnico more, multum loqui oportere; ſed clauſo ſuper ſe oſtio, in abſconſo Patrem in cælis, in ſpiritu, & veritate adorare deberẽ.* Ideoque vt Io 4. aiunt orationis illius commentatores, tam breuem, compendioſamque eam verbis contradidit, vt eam mente magis quam voce, dicendam commendaret. Quare, & *in cælis*, id eſt abdito mentis, in illius initio præmiſit, & in fine *ſi ex corde dimiſeritis*, annexuit.

Nec etiam obſtat, quod legatur Chriſtus, in oratione pernoctaſſe, oraſſeque prolixius. Luc.6. Lu.22. *Aliud* ſiquidem eſt, iuxta Patrem Auguſt. in oratione multiloquium, aliud affectus diuturnus. *Primum* quidem à Chriſto prorſus abſuit, Act.1. qui ſicut primùm fecit, quod docuit, ita precauit quod prohibuit: cuius etiam, non niſi pauciſſima orationis verba ſcriptura exprimit, tametſi eum per noctem, crebroque orantem aſſerat, vtpotè qui ſemper affectu, in latitudine mẽtis orauit. Obiectioni igitur directę contradicimus, quod ſcil. ſẽper mentalis oratio Chriſti formior ſit, ac per hoc & vocali perfectior, & præſtantior; cum crebrius legatur oraſſe Chriſtus ſine forma vocali, imò quin verus adorator, ſemper ſpiritu orauit, & veritate.

Sexto adhuc contra opponitur.

Videtur ſiquidem vocalis oratio à ſanctis conſultior, exercitatior, & aſſuetior: cum tam LXXXII plurimæ vocales orationes, attributæ inueniantur Hyeronymo, Auguſtino, Ambroſio, & alijs; vt ponuntur complures in Antidotario animæ.

Vbi reſpondemus in primis. Quod Venerab. Gerſon, in opere ſuo, de valore orationis, ſuſpectas dicit merito habendas multas orationes, cum præconioſis illis titulis, puta quæ vel aſcribuntur huiuſmodi ſanctiſſimis viris, aut reuelatę feruntur cælitus; ſeu dotatæ tam numeroſis, & fere innumerabilibus interdum communitæ indulgentijs; imò & nos audacius dicimus, non omnes quę his attributæ inueniuntur orationes, has cõfectas; aut æditas ab eis; licet forſan, quaſdã habuerint interdũ pro excitatione, & exuſcitatione mentis, in occupationibus nimijs, aut pro inſtitutione ſimplicioris plebis, vt certũ ſatis eſt de orationibus Patris Auguſtini, de Trinitate; Et S. Ambroſij, de Sacramento Altaris; Itemq́, Hieronymi de Paſſione, & Chriſti myſterijs, ſuper Pſal. Deus, Ps.92. Deus meus: Sed prorſus diffitemur, de alijs quibuſdã orationibus, quas ſcribitur ab Angelo didiciſſe, D. Auguſt. per quas lectas, quiſque ſecurus eſſe poterit, in omnibus periculis; Itidẽ & negamus, de quodam rithmico Pſalterio, ei aſcripto, & alijs. Vtilioribus ſiquidem, & grauioribus tantus pater dedicabat ſuum tẽpus: nec ei ocium erat, vacare componendis rythmis: qui puerilia talia, vt ex eius epiſtolari patet, & duxit, & dixit.

Quod ſi inſtetur, de orationibus in Manuali, & Soliloquo Auguſt. poſitis; reſpondet de illis magnus ille Gerardus magnus, quod non tales tractatulos compoſuerit Pater Auguſtin. ſed hinc inde collectos eos dicit, ex eius dictis: vt & hoc ſatis probabile eſt, ex diuerſitate finis, & originalibus locis; de Soliloquio tamen hoc dicit, Dei, non animæ, & rationis, quod vere eſt Auguſtini opus. Et licet ea opera effeciſſet Pater Auguſtinus,

non tamen granditer, hoc contra nos militat; ſed quodammodo pro nobis. Non enim tam ſunt ibi vocales orationes, quam mentales, & internę meditationes, aut formæ quædam præſcriptæ orationis, & meditationis: quemadmodum Anſelmus in Prologo præmittit ſuarum meditationum, quod *exemplaria ſint meditari volentibus.*

Septimò obijcitur.

LXXXII Quod ſi adhuc inſtantia fiat, de quibuſdam magnis ſanctis, quotidie Pſalterium Dauidicum legentibus, vt commemorat venerabil. Beda de S. Egberto in Anglorum geſtis, & vt de Anſelmo, & Dunſtanno comperitur in eorum legendis.

Ad hæc reſponderi poterit. Quod *quidam* ſanctorum forſan ad hoc inſpirati talia vouerunt: ideoq; & debuerunt; nec pro lege quorundam ſingularium; exercitatio ducenda eſt communium. *Quidam* etiam talia legerunt, quia propter mentium conſperſionem, meliorem ibi, quam in cæteris, deuotionem inuenerunt: Quibus talia non ſunt improbanda; 1.Cor.12. ſtante Apoſtolica ſententia, quod meliora ſint chariſmata emulanda. Aut certè, quidam exercitatos pro conſuetudine, & gratia, ſenſus habebant, qui Spiritu Sancti Dauid imbuti, & conſimiliter Dauidi affecti, non tam vocaliter, pſalmorum verba ſonabant, quã ſenſus ſacros eorundem ruminabant: vt de quibuſdam commemorat Petrus Damianus. Mira etenim deuotio, imò totius fons deuotionis eſt in vaſis Pſalmi; cum digna mentis trutina fuerint ruminati, ſicut agebant, mundorum animalium inſtar, illi Sancti. Non enim noſtro more, in præcipitandis verbis, erant ſubiti; ſed ad eliciendos affectus ſtudioſi, & intenti: vt de Egberto. & alijs, &c.

LXXXIII. Quasi ſuperiora confirmare pergunt, ex prolixioribus Canonicis horis, quibus interfuere Sancti, & tales inſtituerunt: legitur namque de B. Auguſtino, quod flebat vberrime in canticis, ſuaue ſonantis Eccleſiæ vocibus vehementer affectus.

Sed Gerſon in de Myſtica Theologia, dubitat, an ipſe fuerit vnus ex cantantibus: imò ſine dubio, palam eſt, quod non, quia Neophytus, adhuc recens conuerſus, nondum ſacris aſtrictus. Vbi etiam de prolixioribus horis, vt ſupra tetigimus, concludit, quod illa multiplicatio Pſalmorum, & cantuum inſtituta ſit propter ſalubriter occupandas mentes animalium, nõ ſe cum quiete vacare potentium, aut ocio bene vti ſcientium; vt pulchriter Petrus Damianus ſcribit ad Cluniacen. Et latius de hoc tractat prædictus Gerſon, tract. 11. ſuper Magnificat: vbi contemplatiuorum quorundam puta Auguſtini, Bernardi, Richardique comminiſcens: inquirenti fratri, vtrum huiuſmodi patres, communia conuentus onera erant ſubſequentes; reſpondet, *putato melius quod ſedebant ad pedes Ieſu ſolitarij. & tacentes,* Col. 3. *verbum illius audientes, vacantes, videntes, guſtantes; ſine cantu vocali, vel voce carnis, domino in ſuis cordibus cantantes. Tales enim poteſt bene* Deut. 22. *inſtituta religio, liberiores reddere à iugo monaſticæ ſeruitutis: ne ſemper araret bos cum aſino, vel nunquam ſit Maria ſine Martha. Et verè fælicem, beatamq́; Religionem illam inclamat,* Pſ. 67. *quæ ſaltem paucos, contemplationis gratia prædictos ſuſtinet, & fouet; & velut amantiſſimum Domini Beniamin colit, veneratur, honorat, obediens voci ſponſi. qua ait. Adiuro vos, inquiens,* Can 2. *ne ſuſcitetis dilectam, quoſque ipſa velit. Quaſi dicat, Non occupentur in practicis externorum negocijs; non diuerſis grauentur, ſeu onerentur cæremoniarum, & conuentualium obſeruantiis, ſint liberi à ſequela conuentus, qui dormire poſſunt dulcem ſomnum ſacræ contemplationis,* &c. Habes ergo, quod contemplationis gratia præditi non erant externis obſeruantiarum, & vocalium orationum exercitijs prægrauati: interdum etiam ab oneribus conuentus ſuſpenſi. Quamquam eam libertatem, nos non ſuadeamus meditatiuis noſtris, (licet Gerſon eam vtilem prædicet, & neceſſariam) ne detur in occaſionem carnis, aut ſcandali: ne ſingularis ferus vaſtet religionis vineam. Cuius præclarior virtus eſt in ſectando communia. Pſ. 79. Quare ſingularitatem huiuſmodi libertatis dehortamur; immo monemus, cohortamurq́ue (ſi quid conſilij in nobis ſit) ad communia: Cum ea, quæ debentur, in primis exactiſſimè ſint abſoluenda: *Nec gratum Spiritui ſancto eſſe poterit, quicquid obtulerimus, neglectis his, quæ debemus.*

Sententia Auctoris omnino tenenda.

Octauò obijcitur.

Sed forſan adhuc quidam inſtantes obijciunt, Quod Apoſtoli, & Apoſtolici viri, numeroſas legendorum Roſariorum, & Pſalteriorum B. Virginis frequentationes, pro exercitijs habeant: vt quidam Pater Prædicatorij ordinis, Alanus de Rupe, aſſerit de illis. LXXXIIII

Cuius dicta, eadem facilitate, qua probantur, poſſemus etiam refellere: præſertim cum tractatulus, vbi hæc ſcribit, notatus ſit à quibuſdam doctis; vtpote habens dubia pro certis, ignota pro cognitis, tacita pro aſſertis, trunca pro integris; ne dixerim minus certa pro veris. plura quidem illic dicuntur, incerta multis; vt de *crinali, & annulo deſponſationis. De Ideis, & Imaginibus pulchris.* Vbi huiuſmodi argumentatio, pro Achille omnia ſtabilit, & concludit. Apoſtoli inquit, & primi Doctores, Auguſtinus, Ambroſ. & alij Roſaria legebant, cum id Deo gratum ſciebant. Quis, ait, dicere audebit, quod ille mundi Doctor eximius, & incomparabilis Auguſtinus ignorauerit quod nos ſcimus, & tota eccleſia proclamat? Similiter probans Apoſtolos, Ambroſium, Hieronymum, ex eadem radice, quia id nouerant: & ideo feciſſe, ſubdens. Quos non auderem de negligentia, non hoc modo orandi arguere, cum ipſorum in hoc maior fuerit ſcientia, quam totius mundi præſentis peritia. &c. Hæc nimis apud illum ratio ſatis concludit: ſed viderit perſpicacior, ſi ex veris procedat; ſi ex tantillis præmiſſis id inferre licebit, Taceamus nos, pro reuerentia tanti Doctoris. Audentius tamen impugnamus, quod dicit, B. Auguſtinum docuiſſe legere Roſaria, cum fantaſticis imaginibus ciuitatũ, ſcalarũ, aut caſtrorum. In contrarium ſiquidem laborabat

Non fuit auctoris ingenium orationes vocales improbare, vt paſſim videris, ſed in mentalibus nimius vel totus eſt.

Patet tantus, euellere, ſcilicet ſemper imaginationum inutilium ſimulacra ex ſuorum cordibus, vt ſine phantaſmatibus diſcerent ſubleuare corda in cœlis; vt patet ex ſermone de omnibus Sanctis, & de verbis Domini, & alijs. Huiuſmodi autem imagines, inter orandum aſſumere, non in cœlum promouent; ſed earum viſco mentes in terris detinent. Quid enim minus Æthiopes illi in Ægypto Sanctis Patribus ſuggerebant inter orandum, quam iſte dicit, orantes docuiſſe Auguſtinum? Longe hoc valde ab Auguſt. cuius totus labor ſudabat pro contrario. Non itaque talia ſimulacra ipſe inter orandum voluere edocuit: Non tantas circumrotitare orationes ſuaſit, quod
Mat.6. conſequitur ad Chriſtum, qui multiloquium prohibuit. Non etiam puto quod vocalibus orationibus multiplicandis ſe contradixerit; qui ſublimioribus, & meditandis, & ſcribendis intentus fuit. Parum ergo obiectio hæc probat, contra veritatem concluſionis.

Nono adhuc inſtatur à nonnullis.

LXXXV. Videtur, inquiunt, vocalis oratio, mentali deuotior, ſimul & dulcior. Cum ſint earum, quas legunt, orationum, quædam tam deuotiſſima verba, vt afficiant, & indulceſcant magis, quam quæuis oratio mentalis, ſeu meditatio interna. Quare & præferenda.

Quo non obſtante, breuis hæc datur reſponſio. Sunt quidem, & proſunt, fatemur, deuotiſſima quædam ſanctarum orationum verba; ſed quantumlibet ſancta ſunt, & deuota, ſterilia ſunt, abſque mentis exercitio monimenta, & mortua tantum viuorum conceptuum indicia. Mentalis autem exercitatio, fœcunda ſemper, realis eſt, & viua. Quanto igitur præſtantius, viuax iudicium, rerum præſentia, efficaxque deſiderium, ſupra ſterile monimentum, vacuum ſignum, iudicium mortuum: tanto mentale meditationum, iudiciorum, & affectionum exercitium, nobilius eſt vocali lectione, ſeu oratione, ad extra.

Sunt nihilominus & verba deuotarum orationum, & lectio ſacrorum librorum, quædam occaſionalia introductiua meditationũ mentalium, affectionumque ſacrarum: Quare incipientibus, & craſſioris ingenij hominibus diximus ea expedientia, & vtilia; Efficaciter tamen ſolus ſtimulus conſcientiæ, radius intelligentiæ, igniculus ſapientiæ, interioris mentis veram commutationem, poſt Deum, cauſant. Quantalibet enim ſancta vocabula, aut deuota vocalis, & ſcriptæ orationis verba voluas; licet ex his, velut per occaſionem quandam, tenuiter afficiaris, quandiu ea legis: mens tamen immota manet, vbi non ex inde viuos ſibi mentis conceptus induerit. Arguit hoc, & teſtimonio eſt prona foris cogitatuum euagatio, licet verborum formata ſeries rotetur in lingua. Experiuntur & hoc ſi qui; quo magis intentè orent, omni linguæ officio reciſo, tantum mente orare tentent. Inueniunt ecce, quantumlibet ceſſent à verbis, à verborum tamen ſimulacris difficillimum eſt ceſſare ipſis. Quę tametſi attente voluantur in mente, niſi tamen ſic attendantur; & voluantur; vt maiore viuarum notarum, ſeu notionum attentione rebus ipſis hæreatur: attentio ſterilis eſt, arida, & nõ ſatis viua; vt latius, & ſubtilius deducunt, magiſter Gerardus magnus, in de quattuor meditabilibus, & Venerabilis Gerſon, in de myſtica Theologia.

Ad obiectum itaque dicimus, cum auctore LXXXVI
profectus. Quia deuota ſanctarum orationum verba, quædam ſunt infirmarum mentium ſuſtentacula, imperfectorum appodiamenta, torpentium cordium incitatiua, & motiua; ſed occaſionalia: quibus quaſi paruulorum more, gradi diſcentium, vtcunque ſuſtentata, aſſueſcant aſſurgere, erigereque ſeſe, ad perfectiora mentis interna exercitia; ſine quibus, priora illa ſterilia ſunt, & inutilia. Sterilia enim omnia ſunt verba ſcripta; ſiue dicta (vt in de verbo mentis, dicit pater Auguſt.) Niſi affuerint mentalia verba. Ideoque, & ea per ſe deuotiora; licet imperfectioribus non ſapientia.

Porrò, quod dulcior vocalis oratio putatur, LXXXVII.
eo quod dulcius, & ſuauius afficiuntur vocaliter legendo, quã meditando, vt ferunt, reſpondetur multipliciter. *Primo* tametſi videatur, immo etiamſi eſſet dulcior; non tamẽ ideo mox eſt dignior, & perfectior. Conſimile ſiquidem eſt illorum argumentum, qui ampliorem aiunt dulcedinem in contemplatione humanitatis Chriſti eſſe, quam diuinitatis; Vbi dicunt doctores, quia licet ipſis paruulis appareat, & ſit ſuauior; non tamen conſequens eſt, quod ideo de per ſe dulcior ſit, & dignior. Multo enim Deitatis contemplatio, de ſui natura, dignior eſt, & dulcior, ſaltem perfectis: tametſi imperfectioribus, ob eorum incapacitatem, oppoſitum videatur. Quemadmodum ſi palato non ſano, panis pœna eſt; & febricitanti, mella amara: ſubiecti hoc indiſpoſitio agit; non res ipſa, ſeu vitium rei: ſic in propoſito, ſi amplior dulcedo ſentiatur in legendo vocaliter, quàm mentaliter meditando; infirmitas, & imbecillitas legentis, nec meditari valentis in cauſa eſt, non meditatio ipſa. Actus ſiquidem actiuorum ſunt in patiente prædiſpoſito. Et quicquid recipitur, ad modum recipientis ſentitur, &c. Creſcant, creſcant (ait pater Auguſtinus, non Heb.5.
ſemper pueri ſint, lac quærentes, & ludicra; aſſurgant in viros, ſolidum cibum petant: vt cum Apoſtolo euacuante, quæ paruuli ſunt, 1.Cor.13.
dicant; *Et ſi ſecundum carnem Chriſtum nouimus, iam non noſcimus*, &c. 2.Cor.7.

Vel ſimpliciter obiectum negamus, dicen- LXXXVIII
tes. Omnibus in rebus, grauis & amara eſt, inceptio primæ. Et ideo quamuis meditatio in ſui initio, non tam dulcis, & ſuauis, quàm fumoſa videatur, amara & grauis; vbi tamen coaluerit, dulceſcet longe, ſuper orationem vocalem; in meditatione enim deuotionis, *ignis exardeſcit*; & dulcius ex ipſo fonte bibun- Pſ.38.
tur aquæ. Fons autem, & effectiuũ deuotionis, & guſtus in vocali oratione principiũ eſt meditatio ipſa, & mentale exercitium, ergo, &c. Vel certè dicendum; eſto, quibuſdam prorſus ſapiat dulcior, non ideo præferendior: Non

enim

enim eſt ibi perfectio maior, vbi dulcedo amplior. Patet hoc de Patre Anthropophormita, qui ad fidem reductus, nullam, vt ante errans, perſenſit dulcedinem; ideoque inclamans ablatum ſibi ſuũ Deum, vt in libro collationum ſcribit Caſſianus. Itemque & de Iudæo quodam, conuerſo ad fidem, qui ſub Iudaiſmo mirabiles percipiens in oratione dulcores: ad fidei autem veritatem conuerſus, fraudatus erat omnibus illis, vt narrat magiſter Henricus doctor Cracouien. Et comperitur idem de cõplutibus. Vnde cõcluditur, formidoloſum, & periculoſum plurimum in exercitijs, velle inſequi dulcedinem, & deuotionem ſenſualem, quæ fallax eſt, & ſæpe ſignum in malum; vt latius alibi, eſt deductum. Vnde ex dulcedine maiori concludi non poterit perfectio maior: Secus, incipientium ſtatus perfectorum eſſet ſtatu præferendior: quia vt communiter dulcior, & ſuauior, propter certas cauſas, quas aſſignat author profectus religioſorum, vt patet.

Obijciunt item decimò.

LXXXIX. Quia vocalis oratio ſit laborioſior, quare & meritoſior eis videtur. Probabile id putant, per verba Abbatis Agathonis dicentis non eſſe laborem, ſicut orare Deum.

Reſpondetur dupliciter; *aut* quia ipſe hoc de mentali oratione dixerit, vt ſatis apparet ex conſequentia ſententię, & contextu eius, cum perfectam orationem definit, non labiorum, ſed mentis; Vel, ſi de vocali intelligatur, non tamen ideo bonum conſequitur; vt ideo quid ſit magis meritoriũ, eo quod magis laborioſũ. Non enim radix mercedis menſura eſt laboris; ſed ſecundùm metrũ ſeu menſurã amoris, acceptatio eſt laboris. Nec vera eſt abſolutè antecedentis poſitio; ideoq́; nec mirum, ſi non vera ſubſequatur concluſio: Abſolutè ſiquidẽ laborioſior eſt ſpiritualis mentis exercitatio, qualibet corporali: vt in ſuo præceptorio magiſter Iohãnes Nyder deducit ex quinque, vel ſex, hoc verſiculo memoriali complexis.

Extenuat, iugis, ſiccat, læſa, alta, repugnat.

XC. *Primò*, quia labor ſpiritualis, vires naturales pariter, & animales magis extenuat: Quas corporalis quodam modo labor, vbi moderatus eſt, vigorat. *Secundò*, quia ſpiritualis labor, magis continuatur, Quippe, qui, & nocte, & die, etiam per ſomnia ipſa, mẽte verſatur: dum corporalis quiete, & ſopore inſtauratur, interrũpitur ſæpe, & refocillatur. *Tertiò*, quia corporalis labor, calorem naturalem, humidumq́; radicale confortat, corpus agilitat, humores malos abſumit, & complura alia bona ſanitati corporis cõfert: Contra verò ſpiritualis meditantium labor, naturalẽ calorem extinguit, radicale humidum exiccat, humoribus crudis ſtomachum replet, indigeſtionem cauſat, & è ſanguineo melancolicum, vt Phyſici aiunt, reddit. *Quartò*, quia vires ſpirituales magis læſę ſunt peccato originali; ideoque & maiorem difficultatem patiuntur bene operando, tum propter mentis malitiam, tum propter mali operis conſuetudinem, & frequentiam, tum propter paſſionis vehemen-
jam, vt in Pantheologia traditur. *Quinto*, labor ſpiritualis corporali eſt difficilior, propter virtutis, & boni ſpiritualis altitudinem: Virtus enim omnis, & præſertim meditatio mentalis, circa ardua verſatur; & difficilius bonum bene agitur, *Aut* propter difficultatem attingendi medij, Virtus enim conſiſtit in medio rationis, vel rei, *Aut* propter multiplicitatẽ modi. Nam bonum eſt ex tota, & integra cauſa ſua: malum autem eſt ex ſingularibus defectibus, vt B. Dionyſius ait; hinc etiam, *Facilis deſcenſus Auerni: Virtus ſudore eget.* *Sexto*, quia labor ſpiritualis, plures, & acriores æmulos, & hoſtes habet, & obſtacula plura: Cum primi ſint ſenſus, & cogitatio ad mala ab adoleſcentia; Gen. 8. Et diaboli bona quæque impedire nitantur. Ob quæ omnia, & alia complura, laborioſior, difficiliorq́ue eſt ſpiritualis labor omni exercitatione corporali. Quare & eccleſiaſt. dicit. Eccli. 3. Quod cogitatus, *ante tempus ſenectam adducit, & ſomnia aufert.* Et alio in loco habemus. Quod *iugis meditatio, afflictio ſpiritus ſit.* Et ſic patet obſtantiæ diſſolutio.

Poſtremò obijcitur.

Vocalem orationem reprobare, eſt erroneum; XCI. Orationes deuotas, aut Roſaria multiplicanda impedire, eſt ſcrupuloſum; Aſſiduas, ſeu prolixiores preces interrumpere, ſeu abbreuiare velle, & Diuinæ pariter, & Apoſtolicæ ſententiæ eſt contrarium. Iuſſit etenim Dominus Ieſus, *Oportet ſemper orare, & non* Luc. 18. *deficere.* Et eius Apoſt. *Sine intermiſſione orate.* 1. Theſ. 5.

Reſponſio. Itidem & nos pariter cum obijcientibus fatemur eſſe verum: Neque noſtræ vnquam mentis fuit, Begardico more, vocalem orationem reprobare, quam ſupra, tam congrue diximus inſtitutam, exactiſſimeque perſoluendam. Nec etiam (procul abſit) B. Marię Roſaria, orationes ad Sanctos, Sanctorumque deuota ſuffragia, volumus vel dehortari, aut impedire: cum pòſt tam cohortemur ad talia. Sed quæ diximus, aggregata ſunt ex Sanctorũ dictis, pro diſſoluenda oborta quæſtione. Non itaque dehortamur bona; ſed cum Apoſtolo cohortati ſumus charismata emulari meliora. 1 Cor. 12. Probamus laudamuſque orationem vocalem, ſed in ea ſanctitatis perfectionem conſtituere, dicimus errorẽ. Dehortati ſumus, præſertim ſub miſſa, voluere multa, multorum more, Roſaria; aut vocalium orationum penſa: cũ iuxta Chriſti & Apoſtoli, ac Eccleſię inſtitutum, Chriſti paſſio tunc ſit cõmemoranda. Non quod malam dixerimus orationem; ſed intemporaneã, & inobedientẽ reprehendimus ſeruitutẽ, malum dicentes, non tantorũ parere æquiſſimis, ſalutaribuſq́; pręceptis. Diſſuaſimus quoq; religioſis ad altiora vocatis, legere multa vocaliter; ſuadentes exerceri potius mentaliter; adducentes pro eadẽ ſententia doctorũ teſtimonia, Porrò de vulgo, & indocta, ſimpliciq́; plebecula, non obligata, neque potente ad altiora, non eſt hic nobis loquendi locus, neque mentio aliqua. Agant tales legendo, orando, ſonando, quod poterunt, quibus vtpotè infirmis, vocales orationes, & crebræ lectiones, appodiamenta, monimenta ſunt, documenta, momentaque perneceſſaria.

Scientes nihilominus, à potentibus, ſemper proponenda meliora. Viderint qui hæc errorem ducunt, ne ipſi contrarium pertinacius tuentes, deſipiendo ſemetipſos ſeducant; ne ipſi propter hominum quorundam conſuetudinaria inſtituta, Dei doceant mandata violanda, cùm multiplicandas vocales orationes, tam granditer crepitent, & meditationes, phantaſtica ſomnia, non tam ſtultè dicunt, quam impiè blaſphemant, in impedimentum omnium exercitationum internarum. Hæc pro obiectorum qualicunque reſponſione. Mat.15.

XCII. Porrò quoad auctoritates obiectas, quod parum ad rem, & nihil contra nos faciant; iam multipliciter Patribus eſt reſponſum. Non enim iubetur per eas, aſſiduitas vocalis orationis, ſed bonæ operationis. Semper enim, & ſine intermiſſione orat, qui bonum agere non ceſſat; & qui per peccatum mortale orationē ſuam non interrumpit. Aut aſſidue orat, qui bonum quodlibet opus bene ad Dei gloriam facit, ſiue comedat, ſiue dormiat, vt diuino cultui poſt aptior fiat; & quæque bona, pro charitate proximorum bene adminiſtrat. Orat quoque ſine intermiſſione, & non deficit; qui alia ſibi impoſita facit officia, nec propter hoc orationem intermittit, aut negligit, nec propter alia ab oratione deſiſtit. Semper orat qui ſemper deſiderat: Aut qui opera reliqua, & oratione præuenit & ſubſequitur, & interrumpit; vel vt Petrus Damianus ait, Quamquam tota vita iuſti oratio rationabiliter ſit aſſerenda, tamen & nos infimi, mandatum ſemper orandi à nobis impleri iure confidimus, ſi Canonica eccleſiaſticæ inſtitutionis officia, quotidie perſoluamus. Aſſiduitas igitur orationis ſeruatur, cum tempore ſuo, & loco, ſaluiſque alijs officijs, eidem, prout decet, inſiſtitur: vt ſicut dicitur, quod ſæpe ieiunat, qui vnica refectione contentus perſiſtit. Nec oportebit, vocaliter orationi ſæper inſiſtere; cum alia non minus neceſſaria, immò magis ſalubria oportet impleri.

Nec etiam propter prædicta veremur nos truncatores, aut corruptores diuinorum officiorum, aut ſanctarum precum inclamari: cum nihil nos dixerimus, niſi dicta priorum Sanctorum. Qui non ſolum hæc ſcripſerunt; ſed etiam diuini officij prolixitates, pro congruētia temporis valde abbreuiauerunt, & præciderunt. Patet hoc de Patre Auguſt. qui non prolixum Ambroſianum, ſed moderatum proprium officium, vt ſcribitur, ordinauit. Et præfationem Paſchalis cerei, ſuccentiorem, ſub carmine edidit. Patet hoc de Greg. Magno, diuini officij ordinatore præcipuo, qui Gelaſianum Graduale, integros Pſalmos intermittendo in introitibus & ſolum vnicū ponendo verſiculum pro eis, abbreuiauit. Ambroſianum quoque prolixiſſimum officium, valde ſuccidit (quod tunc pro tempore currentis perſecutionis hæreticæ, & obſeruationis nocturnæ, protrahebatur) & id abbreuiatum, eccleſiæ obſeruandum tradidit. Ad quod etiam aſſumendum, Pipinus, & Carolus, igne, & gladio Gallicanę eccleſiæ clerum coegit, vt alijs oſtendimus. Diuus quoqe Bernardus, & venerandus Guido Carthuſien. in ſuorum ordinum initijs, antiqua officia (vt ex prologo eiuſdem Guidonis patet) breuiabant, & moderabātur. & cōiter ita moderatum officium aſſumunt, & obſeruant cuncti Patres reformati; malentes nimirum cum Paulo quinque verba loqui in ſenſu, quam decem millia in lingua. Si hoc dicere culpa eſt: reſpondeant pro nobis tanti, qui & id fecere, Patres. Nos ecce illorum, & dicta diximus, & facta non prorſus culpemus, vt contraria; ſed vt rationabile fiat obſequium ſeruitutis, & æmulentur chariſmata meliora. Et hæc ſufficiant, ex Patrum dictis congeſta, pro diſſoluenda dubia quæſtione. Super qua, ſi quid dignum dictum fuerit, ipſis, non colligenti, aſcribendum eſt. 1.Cor. 14. Romo.12.

Sed audire mihi, nunc videor nonnullos, ab obijciendo quieſcentes, determinationi aſſentientes, in noſtram, immò veritatis ſententiam tranſeuntes, quod ſcilicet melior ſit Sancta interna mentis meditatio, quam numeroſa illa verbalium orationum rotatio: Adhuc tamen piè ſubqueruiantes; quia ſcilicet neque meditari ſciant, cùm voluerint: neque ſecum conſiſtere, ſecumque meditando morari poſſunt. Euolat inquiunt, continuo ſpiritus, nunc huc, nunc illuc, dum meditari intendimus: niſi hunc, intra limites lectionis, aut vocalis orationis detineamus. Cæteraque plura, querulantur id genus. Sed huic quæſtioni, & elegiæ, à Sanctis, & Doctis reſponſum eſt, pariter, & occurſum egregie, vt latius oſtenſum eſt, in ſecunda parte de meditatione. Paucis tamen pro nunc, id annotandum, Quod *regnum cælorum vim patitur: & violenti rapiunt illud*; Propterea, qui regnum Dei, quod intra nos eſt, cuius meditatio potiſſimus ornatus eſt, obtinere volet: vim ſibi, violentiamque inferat oportet, perſtet, & obduret, nec decies repulſus deſiſtat ab inceptis; Tædiū vincat mora pertinax, & fida oratio in Deum. Opus enim pro tam ardua re ſudore multo, multaque longanimitate. Et hæc vnica eſt, & potiſſima ratio, quare tam pauci proficiunt in ſpirituali interna vita: quia vix ſuſtinet aliquis diu eſſe ſolus, ſecumque meditari; Aut, ſi interdum meditari cœperint, quia proceſſus, & modi ignari ſunt, mox diſtracti deſiſtunt, externa repetunt, quia, internis nondum aſſueti, ſubſiſtere ſecum non valent. Contra quæ omnia mala, infra in ſecunda parte huius collectarij traduntur meditatiuis remedia. XCIIII. Paſſim hoc auditur. Mat.11.

Et magnum contra hæc eſt conſilium venerabilis Cancellarij Pariſien. quo ſuadet expediens plurimum monaſterijs fore, vt ſibi habeant viros doctos, exercitatos pro tempore ſenſus habentes; qui docere, & inſtituere poſſint iuniores etiam à teneris, quomodo meditari debeant in lege Domini; & exercitari in internis. Alioquin difficillimè poſtmodum in ocio ſuo, quod contemplationi deditum eſſe conuenit, vix ſe bene exercitare in internis poterunt.

Hæc ecce vnica ratio eſt, cur ſub hoc tempore noſtro, tanta ſit raritas contemplatiuorū: Vbi priſco quo legimus efflor uiſſe tantos; vix etenim quiſquam, vim ſibi modo indicit, vix XCV.

quiſ-

Cauſa in promptu. quiſquam ſuſtinet ſecũ ſolus morari, vix eſt qui pro conſilio Patris Aug. cogat cor ſuũ cogitare diuina; effundimus nos ſemper ad externa. Cũ priores Patres, ſub grauiſſimis etiã cenſuris, & pœnis, cogebãt iuuenes, ſacra ſemper, & de ſcripturis meditari; non ſinentes vocaliter orare ſemper, aut ad mortuas ſe diuertere librorum legendorum pelles; ſed hæc ſingula quæque diſtributis ſuis temporibus agebantur. Erant certa tempora ſtudendi, legendiq́; libros; ſtatutis tantum vocaliter pſallebatur horis; externo operi ſua tempora coaptata erant, ſub quibus, mentalis, & iaculatoria oratio iugis. Reſiduum temporis, tacite ſecum ſoli meditari cogebantur.

XCVI. Patent hæc, ex vetuſtiſſimis regulis eorundem Sanctorum Patrum: vbi hæc creberrime inculcantur. Semper horas obſeruabant meditandi ſcripturas. Itemq́ue de ſcripturis meditabantur ſemper. Et præſertim in regula Beati Pachomij, quam ab Angelo recepit, ſub qua & quinque milia ſimul degebant Monachorum, frequentius replicatur diſputatio, inquiens, *A præpoſitis expoſitio ſcripturarum fiet: quæ ſemper meditanda, & conferenda*. itemq́ue, *Omne, quod in conuentu fratrum audierint diſputatum, neceſſitate cogentur, vt inter ſe replicent, ſecumque meditentur.* Et poſt de nouitijs, magnum iubetur ſtudioſitatis, & ſacræ meditationis argumentum. *Nouitio, ait, dabuntur viginti Pſalmi, vel duæ Epiſtolæ Pauli ad diſcendum, & meditandum. Et ſi litteras ignoret, vadat hora prima, tertia, & ſexta, ad eum, qui docere poteſt, & qui ei fuerit delegatus, ſtabitq; ante illum, & diſcet ſtudioſe; & etiam nolens legere, meditariq́; compelletur.* Et poſt ſub cap. 40. iubetur. *Et omnino nullus erit in Monaſterio, qui non diſcat litteras, & de ſcripturis aliquid teneat memoriter: Qui minimum, vſque ad nouum teſtamentum, & pſalterium, quæ ſemper meditabuntur.* Eadem forma in regula Macharij, & Serapionis, atque in Conſenſorijs Monachorum habetur. In regula vero Sanctorum Patrum Stephani & Pauli, hoc modo, ſub pœnis iubetur: *Semper iuniores diſcant; Et iuuenes dictatam, quotidie, de Pſalmis menſuram, memoriter reddent. Qui meditari neglexerit, & non reddiderit, nec manducet, vſque ad horam refectionis venturæ diei.* Et in pœnitentiali S. Columbani. *Qui orationem; ſeu meditationem, antè opus, vel poſt neglexerit. 12. de percuſſionibus emendetur.* Et in regula Beati Fructuoſi, *operentur ſemper à duodecima: deinde vſque ad veſperam meditentur, alioquin caſtigentur.* Sanctus Ferreolus in regula ſua. *Omnis,* inquit, *qui nomen vult Monachi vendicare, litteras ei ignorare non licet. Quin etiam Pſalmos totos memoriter teneat, neque ſe quacunque excuſatione defendat; quo minus hæc ſancto ſtudio capiat.* Idemque in ſua Regula præcipit B. Aurelian. Monachis in ciuitate Aurelian. Similiter & in Regula Monaſterij Tarnanten. hoc modo iubetur. *Omni tempore, duabus horis in die, ſpiritali meditationi vacabunt;* duabuſque horis, iubet virginibus Cæſarius Arelaten. vt lectioni, & meditationi vacent. Quæ omnia cõgeſſimus ex regulis Sanctorum, propter obſtruenda ora quorundam minus peritorum, qui inuentiuum dicunt, & phantaſticum exercitium ſacræ meditationis. Quaſi id non præceperint omnes Patres ſacri, & quaſi non meditationem ſaciam, magis, quam litterariam lectionem, prædicent Scripturæ Sanctæ. Væ tempori, ve tẽpori, qui tantum diſſidemus à Patrum Sanctorum inſtitutis vt vix iam ſit, qui æqua pace, vel audiat præcepta inſtitutionis internæ, rariſſimus qui velit, aut poſſit vacare ſibi, vt flebili tragædia, in deuoto tractatu de triplici via deplorat Hugo de Balma. O in melius emendemus, & de corporalibus, & externis ad ſpiritualia, & incorporea exercitia nos, vt quo Sancti appellere ſemper commonet, transferamus. Tẽpus, dicẽtes, eſt vt ad ſpiritualia ſtudia, à corporeis tranſeamus. Neque enim ſemper pueri, & ſemper infantes, eſſe debemus, ſed aliquãdo iam ad ſpiritualia, & altiora conſcendere, & virorum ſenſus capere, atque ad perfectiora tranſire, vt poſſimus virtutibus animi eniteſcere: & non ſemper in externis, & inferioribus hærere. Sed parcendum eſt prolixitati: cum & infra hinc plura dicuntur. Danda eſt, vel occaſio his, quibus datum eſt hæc amplecti. Et poſt Introductorium, collectarium internorum exercitiorum Roſetum ponendum.

Partitio specialis totius Roſeti.

In plateis aquas diuide. Pro. 5.

Priuſquam in rem ipſam feramur, præmittenda eſt ſectio, & diuiſio huius ſubdendi Collectarij Roſeti. Quia enim (teſte diuiniſſimo Patre Auguſt.) ita reficitur lectoris intentio viſo libri termino; quemadmodum viatoris labor conſpecto quietis hoſpitio: Et ſi Platoni creditur, non parum luminis, & memoriæ capitularis librorum diuiſio habet. Ideo per plures hoc opuſculum inſectum eſt partes, ſub ordine tamen quodam ſibi cohærentes: ne indiuiſa operis prolixitas, tædium cuiquam faſtidium pariat, aut contemptum.

In primis itaque, duæ ſunt principales, huius collectarij Roſeti noſtri partes: ſecundùm quod duę ſunt res (tradente Patre Auguſt.) quibus innititur omnis tractatio Sanctarum ſcripturarum, ſeu exercitiorum ſacrorum: *Modus ſcilicet inueniendi*, quæ vel exercenda ſunt, vel meditanda; *Modusque dilatandi*, & efficaciter, copioſeq́ue tractandi iam inuenta: Quorum alterum, ſi defuerit, nihil poterit rite expleri.

Prima igitur pars, eſt de inuenienda deuotorum exercitiorum, & ſacrarum meditationum, compendioſa materia; in qua ſtrictim & breuiter, ſolum ponuntur, ſeu exercenda, ſeu meditanda: Altera verò pars, modos tradit, copioſè dilatandi, efficaciterq́ue tractandi; vel exercitia, vel meditabilia ipſa, ſupplens iacturam compendij prioris; docens quomodo materia quæque, vel exercitiorum vel meditationum breuiter tacta, copioſius poterit, & effectuoſius pertractari. Cuiusq́ue autem partis, ſunt diſtinctiones tres principa-

Digitized by Google

les. Diſtinctio autem quæuis in titulos eſt ſubdiuiſa; tituli per capitula ſecantur; capitula in membra; membra per paragraphos; paragraphi per notulas interdum ſubdiſtinguuntur.

Nec nimia, ſeu ſuperflua cuiquam hæc tanta ſectio videatur: Ad plurima ſiquidem confert huiuſmodi partitio, tam variè ſubdiuiſa: vt plenius in libro ſuo Odarum explicuit Arnoldus Buxderick Canonicus Rubeæ vallis; decem exequens eius vtilitates, perſtrictas verſiculis duobus, de quibus in prima facie operis.

Sectio luminat, eminet, explicat, attrahit, offert.
Diſtinguit, numerat, mentem iuuat, intrat. abundat.

Non ergo inanis, & infructuoſa multiplex, & ſubdiuiſa eſt partitio iſta. Diuiſio etiam animum incitat, mentem intelligentiæ præparat, & memoriam artificioſè reformat: vt Albericus ſupra citatus notat.

PRIMA ergo pars, quæ agit de inuenienda, materia deuotionis, tres habet, vt ſupra præmiſſum eſt, diſtinctiones principales, ſecundum quod tres ſunt hominum ſtatus; incipientium, proficientium, videlicet, & perfectorum. Et cuique horum generi, offertur hic materia deuotæ exercitationis, pro ſtatu ſuo: Incipientibus exercitia deuota in diſtinctione prima; Proficientibus meditabilia ſacra, in diſtinctione altera; Perfectis verò, proponitur excellentior illa via, ardentiſſimæ Charitatis in Philocaumatio, vltima diſtinctione primæ partis; vt ſic nemo ſit, qui cauſetur, quod collectarium hoc, ſibi non congruat: Nemo id quaſi ſtatui ſuo incompetens, reijciat; cum nemo ſit, qui ab huius calore ſe abſcondere poſſit; quod vniuerſis conſulit, omni ætati, ſtatui, profeſſioni, occurrit. Vbi lacteus eſt potus, deuotorum exercitiorum, quo tenera incipientium nutriatur infantia: Vbi, & ſolidus ſacrarum meditationum cibus, quo robuſtior proficientium iuuentus, ſpiritualia ſancti profectus accipiat incrementa; Vbi denique, tanquam in regia introducta cellaria, perfecta in amore Sponſa, vinum conditum & omnis generis ſibi inuenit, in amoris exercitijs, propoſita aromata, & condimenta.

Roſetum cuique paratum.

Cant. 1.

Seu vt prioris impreſſionis, primaria diuiſio perſtet, ſecundum duplicis vitæ genus, duæ ſunt partes primariæ partis huius: Quarum *prima* de exercitijs actiuæ: *altera* de meditabilibus contemplatiuæ agit: vt ſeu cum Martha quis agere velit; ſeu cum Maria, ad pedes Ieſu contemplari malit: vtriuſque hic ei vitæ, & virtutis fomentum paratum, præſtoque adſit. Hæc ferè in prima facie operis habita.

ROSETI SPIRITVALIS

PARS PRIMA.

PROOEMIVM I. Partis.

Quare dicatur Roſetum, explicans duas vitas, treſque earum ſtatus; & quæ cui præferenda; & quare opus collectarium ſequens, Roſetum exercitiorum, & meditationum dicatur.

R*Ennuit conſolari anima mea; Memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum: & defecit ſpiritus meus.* Pſ. 76.

Duas eſſe Sanctæ eccleſiæ vitas, actiuam ſcilicet & contemplatiuam; Treſque earundem vitarum ſtatus principales; incipientium, proficientium, atque perfectorum; notiſſima Patrum traditione habetur & abdita notant Sacramenta ſcripturarum. In typum enim illarum duarum vitarum, duas Beatum Iacob, legimus, habuiſſe vxores, Lyam, & Rachelem, duaſque dilectas à Domino extitiſſe ſorores, Martham, videlicet, & Mariam; Duos item præcipuos diſcipulos Chriſti, Petrum & Ioannem: Et innumeralia binaria in harum ſignificationem Scripturę ſacræ contradunt. Quorum aliquot complectuntur, pro materia ſubminiſtranda, in verſibus iſtis.

Gen. 30. Io. 11. Mat. 16.

Per duas vxores Iacob, Lamech, per Abraha concubinam, & vxorem. — *duos perductiles ex auro, in propitiatorio.* — *per duas gentes in vtero Rebecca; maior ſeruit minori,*

Vxores, Cherubim, Gentes,

in ſcala Iacob, in qua Angeli aſcendentes, & deſcendentes. — *per duos turtures, & pullos; duas vaccas, &c.* — *per duas tabulas legis,*

Scala, Sacra, Tabellę.

per duas ſortes, in quarum medio accubant, per duos funiculos Dauid. — *per duas baſes, & columnas areas in porta templi.* — *per duas pennas Animalium Ezechielis,*

Sorte, Baſes, Pennæ,

per duas menſas in veſtibulo. — *per duos verſus malogranatorum,* — *per multa binaria ſcriptura, per duo vbera, duo oſſa, duas oliuas; duas ſpicas olei, duoſque filios oliua.*

Menſaque, Mala, Duo,

Gen. 4. Gen. 16. Exod. 25. Gen. 25. Gen. 28. Leuit. 14. 1 Reg. 6. Exod. 34. Leuit. 16. 2 Reg. 8. 3 Reg. 7. Ezech. 1. 2 Paral. 3. 3 Reg. 7. Cant. 4. 3 Reg. 6. Zach. 4. Apoca. 11.

Latiſſima ecce iam hic complexa eſt materia meditationis, pariter, & deuotionis; ſi ſingula hæc rite maſticata fuerint, & comminuta, dente profundæ conſiderationis, æſtimationis, & affectionis, ſuper duabus vitis iſtis. De quibus ſingulis vlterior, & abundantior ſe adhuc offert occaſio conſiderationis; cuiuſmodi hoc verſu continetur,

Diſponens, opes, extollens, mediantia præſtans.

Poterunt etenim conſiderari, de ſingulis vitis iſtis,

Et

Et { Diſpoſitio, quæ præexigitur;
Operatio, qua quiſque conſiſtit, & attingitur.
Commendatio, qua extollitur;
Meditatio, qua perficitur;
Prælatio, qua vna alteri præfertur. }

Hæc, quia in Doctorum ſcriptis vulgatiſſima ſunt, iſtic tradenda non veniunt: Sat ſit occaſionem ſubminiſtraſſe ſtudioſis. Tractat de his Dominus Petrus Aliacen. in Opuſculis ſuis; Patet ſaltem, quod diximus, duplicem hanc Sanctæ Eccleſiæ vitam; ſub vario binario deſignatam in ſcripturis. Quemadmodum, & ſub ternario multiplici triplex ille præfiguratur dictus ſtatus; quem, & trium temporum, naturæ, legis & gratiæ; trium Patriarcharum Abraham, Iſaac, & Iacob; Trium in canticis perſonarum, Adoleſcentularum, concubinarum, ſeu ſodalium, & vnicæ perfectæ columbæ, & Reginæ grauida ſacramenta; Treſque Leuitarum multiplices familię, Gerſonitæ, ſcilicet, Meraritæ, & Chotitæ, & alia alijs, ſine numero ternarijs connotant, Quorum etiam nonnulla, libuit perſtringere ſequentibus verſiculis.

Gen. 6. — Gen. 29. — Deut. 19. — 2. Reg. 23. — 3. Reg. 6. — Exo 3. — Luc. 11. — Exod. 2. — Exod. 19. — Eccli. 5.

Traſignatur triplex is ſtatus, per tres filios Noe;	*per tricamerata &, triſtega in arca.*	*per tres greges iuxta puteum accubantes.*
Tres proles,	Triſtega,	Greges,
per tres refugij ciuitates.	*ſcilicet animalia*	*per tres fortes Dauid qui hauſerunt aquã de ciſterna*
Vrbes,	Tria,	Fortes,
Hi ſunt tres ordines familia Iacob; Atrium maius triumque ordinum erat;	*Hi ſunt tres dies in deſerto, quibus ambulatur, poſt quos ſurgitur.*	*tres panes commodandi ab amico, in via noctis.*
Ordo,	Dies,	Panes,
Tres quibus Moyſes abſconditur; quibus Arca moratur; aduerſa res fugitur.	*In tribus his ſtatibus complacet ſpiritui.*	*Sunt alij ternarij, plures de herbis, vicibus, & vbi Sol tripliciter montes exurit*
Menſes,	Placitũ trib⁹,	en tres.

Occaſionem ecce miniſtrauimus: qualiter de omni re copioſa materia recolligi poſſet per ſtudioſos: Et quam latiſſimè collectarium hoc extendi valeret; niſi faſtidij mater prolixitas id vetaret. De quibus etiam tribus ſtatibus, qualiter diſtinguantur, quomodo accipiantur, item & diffiniantur, in celebri illa Epiſtola B. Bernardi, ab omnibus iure legenda: aut potius comparis ſui Gulielmi [S]giacen. ad Fratres de Monte. Et in notiſſimo illo, & pro ſui merito (præſertim à religioſis cunctis) complectendo libro, qui profectus religioſorum inſcribitur) plenius traditum eſt. Vnde hic nihil commemorandum; niſi quod ſemper duplicis huius vitæ præmiſſæ genus, & trium dictorum horum ſtatuum differentiam, & diuiſionem partita etiam eſt prima pars; huius Collectarij Roſeti noſtri, in principales duas, vel tres; Tomos, & Sectiones, vt ſupra patet.

Quarum duarum vitarum, & trium ſtatuũ, exercitia, & obiecta diuerſa tanguntur in auctoritate, huic capiti præmiſſa. In qua, & vtriuſque vitæ huius prædiſpoſitio præmittitur, in eo quod dicitur, *Renuit conſolari anima mea*; Nec enim, vel actiuam, ſeu contemplatiuam propriè attingere poteſt, qui non farinam Ægyptiacam externa, & ſecularia, renuit, ſpernit, & pro nihilo ducit. Porrò in verbis, *Memor fui Dei, & exercitatus ſum*, vtriuſque vitæ principalis, & diſcreta operatio tangitur. Conſiſtit enim actiua vita, in exercitatione, & optimo agibili: quemadmodum contemplatiua in meditatione, & optimo intelligibili. In quibus, eiuſdem ſubnexis tribus verbis, non incongruè, triplex noſter innuitur ſtatus, Proficientium, in verbo *Meditationis*; Incipientium, in nomine *Exercitationis*; In verbo autem *Defecit*, perfectorum accipitur ſtatus. Eſt ſiquidem & defectus bonus, & perfectus cuiuſmodi illius, qui dicit *Defecit in ſalutare tuum anima mea*, &c.

O igitur, quiſquis vtriuſque huius Sanctæ vitæ ardens fuerit appetitor, quiſquis Sacræ *Pſ. 118.* aſcenſionis cupidus, de ſtatu, in ſtatum, & de vna virtute progredi volens in alteram; Quiſquis exterorum incurius, ad mentales ſeſe ex- *Pſ. 83.* ercitationes, conuerti voluerit: ex ſententia præmiſſum Pſalmiſtæ verſiculum dicat, *Renuit conſolari anima mea.* Et ad collectarium *Pſ. 76. Cant. 6.* hoc Roſetum, tanquam ad ſpiritalem quandam areolam aromatum conuertatur, vbi omnis vitæ, & ſtatus cuiuſlibet quaſi vernantium quarundam Roſarum quoſlibet colores, & fomenta oblectantia deprehendet. Legimus ſiquidem Plinio teſte, & candidi, atque rubicandi, inſuper & ignei coloris Roſas materia- *Pſ. 76.* les exiſtere. Sic & in primo huius Tomo, exercitia quædam actiuæ traduntur, quæ ad mentis puritatem, ſcopando ſpiritum, velut ad candidas Roſas introducunt; & in altero, Meditationum Sacrarum puncta habentur, quæ quaſi ad rubras Roſas id eſt mentis deuotionem adducunt; & in tertio velut ad igneas quaſdam cordis, ſcilicet inflammationem in charitatis perfectione. Primum autẽ candidæ Roſæ, id eſt, actiuę exercitia in hoc Roſeto tradenda veniunt: tametſi auctoritas contemplatiuæ actionem, pro ſui quaſi dignitate, præmittit dicens, *Memor fui Dei*; & de poſt actiuæ opus annectit ſubdens, & *Exercitatus.*

Mira huiuſce Roſeti varietas.

Eſt etenim ordo, & ordo; & alterum, altero prius; ſeu tempore, ſeu perfectione. Perfectione quidem, contemplatiua præcedit; ſed tempore, & diſpoſitione, & generatione, practica Theoricam præire habet. Prius namque in actiua, per exercitium boni operis exhaurienda ſunt vitia mentis: vt in contemplatiua, iam pura cordis acie, Deum poſſit contemplari. *Beati* ſiquidem *mundi corde*, quoniam ipſis re- *Mat. 5.* promiſſum eſt *Deum videre.* Vnde iuxta Greg. 6 mora. *Quiſquis contemplationis arcem tenere deſiderat, prius ſe in campo actionis per exercitium operis probare habet: vt à paſſionibus quieſcens; primum vacet, vt poſt a videat. Quanto enim mens, ad ſubtiliorem profecerit puritatem; tanto ſublimius videt Deum.* Hinc etiam in magno illo, & mirabilium myſteriorum Alphabetico, Pſalmo, præmittitur, *Beati immaculati in via:* *Pſ. 45.* poſtque, *Beati qui ſcrutantur teſtimonia*, ſubdi- *Pſ. 118.* tur. Hinc etiam in huius typum, & figuram, licet Sanctus Iacob Rachel prius concupierat: in nocte tamen Lya ipſi ſuppoſita erat; Et *Gen. 29.* Petrus ante tumulũ Domini introiuit, quam *Io. 20.*

Ioannes

Iac.19. Ioannes; Et Martha primum Chriſtum recepit, poſtque Maria ſedit ad pedes; quia omnis, qui ad contemplationem tendit, prius in actiuæ exercitijs obuerſari debet: Congruo ergo ordine, primum de actiuæ exercitijs, & poſt de meditabilibus, hoc in Roſeto agitur.

Nec inſtiterit inconſideratior quiſquam, quod in prima hac parte, non minus, quam in altera, meditabilia ponantur: cum illic ſemper in ordinem, & finem agibilium, ſub certis, ſcilicet, vel temporibus, aut locis exercentur. Illic autem abſolutè, ad meditationem, materiamque tradantur. Nec eſt propoſiti noſtri, Oſee.10. nudas hic tradere exercitationes corporales; quibus quaſi vitula Effraym, docta diligere trituram, relictis internis exercitijs; ad extra ſolum operemur, qui in huius introductorio ad interna tantopere cohortati ſumus: Et *corporalis* illa nuda *exercitatio, ad modicum vtilis eſt:* cum *pietas ad omnia valet.* Et in hoc Roſeto 1.Cor.14. iuxta Apoſtoli conſilium, omnia exercitia trahenda ſunt, ad mentalem exercitationem, & pietatem, quod non fit, niſi per conſiderationem, & meditationem Sanctam.

Quamquam tamen duæ hæ vitæ collactaneæ tibi ſunt, & ſorores: ita mutuo ſibi implexæ, connexę, & perneceſſariæ, vt vix vna perſiſtere poſſit, ſine altera. Minus enim prouida, & recta eſt actio, quam non dirigit, & informat contemplatio: ſicut & inefficax, ſterilis, & inutilis meditatio; quam non ſequitur, & confirmat bona operatio: Vnde nec Martham legimus ſine Maria: & Angelos videmus in Scala Iacob aſcendentes pariter, & de- Gen. 28. ſcendentes: Petrum, & Ioannem vna concur- Io.20. rentes; Lyam, & Rachelem Iacob conco- Gen.29. mitantes ſemper. Tanta ſiquidem eſt mutabi- Ruth.4. litas vitæ, & temporis huius, vt in eodem ſtare non poſſimus; ſed cogimur, operationē commiſcere, contemplationi, & rurſum, comtemplationem operi. Et ne amittamus illud, in quo ſumus; neceſſe eſt quandoque, repetere, quod tranſiuimus: Meditari, ſcilicet in actione, ne aberremus in opere. Et quandoque in meditatione agere; ne ſterilis ſit, & minus grata meditatio, ſine operatione. Et hæc ſufficiant, de dicendorum ordine.

PARTIS I.

DISTINCTIO PRIMA

De actiuæ vitæ exercitijs.

PROOEMIOLVM.

Pſ.76. E*Xercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.* Deſideranti in primis ad interiora cordis ſui, exterioribus ſpretis regredi; & optata tandem, diuinæ contemplationis dulcedine confoueri, deformatumque interiorem hominem ad Dei imaginem reſculpere, reformare, & in priorem, vnde decidit, dignitatis ſtatum reſtituere: operæ pretium erit purgatiuis primum, & pijs exercitijs, exemplo Regij Prophetæ Dauid, eundem ſpiritum ſcopare, purgare, & caſtigare à vitijs, & corruptis affectibus. Cui nimirum exercitationi, & operi non parum ſubſeruient ſequentes tractatuli; à quibus traditur modus, & practica ſe ſe exercendi, & generaliter, & ſpecialiter, pro varietate locorum, agibilium, & temporum, in interiorique pariter, & exteriori homine. Et ante omnia præmittitur Eruditorū quoddam exercitium, vbi generaliter plura traduntur, quæ conferunt, & conducunt; imò ſcitu neceſſaria ſunt, ſeſe ad pietatem iuxta Apoſtoli monitum, exercere volenti.

TITVLVS SECVNDVS.

Qui dicitur, Eruditorium Exercitiorum.

B*Eatus homo, quem tu erudieris Domine, Se-* Pſ.93. *mita vitæ ſuper eruditum: vt declinet ab in-* Pro.17. *ferno nouiſſimo.* Prou.16.

Fons item vitæ eruditio poſſidentis, doctrina ſtultorum. In Prouerb. Defectus totius exercitationis, & dilapſus Religionis (ſi magiſtro Iacobo Carthuſien. creditur, & doctæ experientiæ ſtetur) ex defectu oboritur primariæ inſtitutionis, & eruditionis, quod ſcilicet religioſi à teneris non inſtituuntur, neque erudiuntur ad exercitia interna, & mentalis pietatis; & deuotionis, ſed ſuperficiales manent, externi, animales; & ſenſuales, carnales; ſalua ſibi omnia exiſtimantes, ſi Religionis habitum circumferant, ſi tonſuram gerant, ſi cærimonialia externa foris ſeruent, ſtatutis pſallentes temporibus, & horis. Sed heu non illic eſt repoſitum regnum Dei; non illis tantùm vijs obambulatur ad ſolemnitatem Dei: non ibi profectum repoſuit, qui pietatē colere iuſſit; ſed in mentalibus, & internis exercitijs, repoſuit profectum omnium, vt latius alibi eſt tactum. *Oportet* ſiquidem interna *illa*, iuxta Matt.23. Saluatoris vocem, principaliter *agere*, & externa *illa non omittere*, ſed in exercendis externis illis, ſemper ſeſe exercere ad pietatem, ſemper referre ad mentem; non ex conſuetudine, inſtar vitulæ Effraym in mola triturantis, ad faci- Oſee.10. em ea perficere; ſed in omnibus conſiderationis oculo, & *palpebris mentis greſſus præire*: & actuali quadam mentis eleuatione omnia in pietatem referre. Quod qualiter fieri poterit; Eruditorium hoc exercitiorum edocebit: in quo tria principaliter ſunt tradenda.

Sc. { Eruditorium exercitationis, Incitatorium feruoris, Promotorium profectus, } *vt homo* { Sciat, Velit, poſſit } { digne ſe exercitare.

Quòd enim eruditio huiuſmodi neceſſaria ſit, venerabilis Vmbertus oſtendit ex multis, dicens; ſolebant Sanctificati Prophetę tria comminari mala ineruditis; Spiritus diuini receſſum; ſpiritualium bonorum defectum; defectumq; bonatū perſonarum. Ita enim Hierē. Ier.6. ait Dominus. *Erudire Ieruſalem, ne fortè recedat*

Pſ.93. *anima mea à te; ne fortè ponam te deſertam, & inhabitabilem:* Vt latius infra oſtenditur, vbi ponuntur incitamēta Sacræ lectionis. Iure ergo beatum, & bene actum Regius Propheta inclamat; qui à Deo in omnibus fuit eruditus: cum ex contrario eruditionis huiuſmodi defectu, omne malum obortum eſt Religioni.

De exercitiorum vtilitate, qualitate, & modo.

CAP. PRIMVM.

Pro.24. D*iligenter exerce agrum tuum, vt poſtea ædifices domum tuam.*

De exercitijs itaque dicturis, tria principaliter ſunt breuiter annotanda.

Scilicet { Certorum Exerciriorum vtilitas,
Exercitantium qualitas,
Ipſorum Exercitiorum modalitas,

MEMBRVM. I.

Exercitiorum vtilitas.

CIRCA PRIMVM ſciendum, quod ex certis exercitijs aſſumptis fructus multiplex profluit, qui exercitantem, non modo ad exordiendum, ſed ad continuandum certa exercitia, allicere, & excitare debeat: vt ſequens inſinuat verſiculus.

I. *Euades, ſtabilis, feruens, ſcis, proficis, hinc plus.*

PRIMVS itaque fructus certorum exercitiorum eſt, vagarum, ſterilium, malarum cogitationum, & affectionum *Euaſio*, vel vitatio; quibus plerunque afficiuntur homines, nullo ad manum habito certi exercitij freno, mobilem animum reſtringente. Cum enim *ſenſus, & cogitatio cordis* humani, *in malum prona ſint, ab adoleſcentia ſua*: impoſſibile eſt in ſtatu naturæ lapſæ ad priorem dignitatem fornicantem à Deo animum reuocare, niſi, gratia duce, certis virtuoſis exercitijs ſeſe rationalis natura induerit. Huic alludit abbas Serenus, in collationibus Patrum: *Anima naturaliter, inquiens, nunquam poteſt conſiſtere ocioſa; ſed neceſſe eſt eam propria mobilitate diſcurrere; niſi prius habeat aliquod fixum, vbi ſuos exerceat motus.* Sine iſtis quoque exercitijs certis, vt quidam ſenum ait, Anima efficietur quaſi *quadrigemina porta*; qua quicunque volet intret, vel exeat, te neſciente.

(Gen.8.)

SECVNDVS fructus notatur in verſu, cum dicitur *Stabilis*. Ex actibus enim frequenter iteratis (teſte Philoſopho) generatur habitus; qui tandem vergit quodammodo in naturā: ita certis exercitijs paſſim iteratis, ſtabilitur Animus ad magnifice, & expeditè agendum. *Certis* (ait Seneca) *ingenijs immorari oportet, & enutriri, ſi velis aliquid trahere, quod in animo ſedeat. Nuſquam eſt, qui vbique eſt*; quiq́ue tot recipiunt de ſuis exercitijs conſilia; quot viderint aliorum facta, hodie in hoc, cras in illo ſe exercentes, fluidi, & vagabundi ſemper. Et ideo (ſicut in tractatu, cuius titulus eſt, *Homo quidam*, dicitur) parum, aut nihil proficiunt; quod etiam in collationibus Patrum, valde diſſuadetur.

TERTIVS fructus, notatur in verſu, cum dicitur *Feruens*. Cum enim certa habueris exercitia conſcripta, ſiue ordinata, Ferues ad ea implenda, & vereris per torporem omittere, quę ſemel à te per feruorē ſunt aſſūpta. Hinc ſolent boni Religioſi habere certa exercitia ſingulis temporibus, & actibus accommoda; ne à ſpirituali profectu torpeant, ſed per huiuſmodi ſeſe coarctando, ad ſpiritualem profectum magis, magiſq́ue incaleſcant. Sicut enim (iuxta Iacobum Carthuſien.) tepiditas, & frigiditas mentis cauſantur ex remiſſa negligentia ſpiritualium exercitiorum: ſic affectio ſuauis (habitualis, aut actualis) cauſatur ex ſedula continuatione exercitiorū ſpiritualium, tam ad animam, quam ad corpus pertinentiū; ſine aliqua remiſſione; quemadmodum in Oculo Religioſorum declaratur.

QVARTVS fructus notatur ibi, *Scit*. Per certa enim exercitia, facilius peruenis ad tui cognitionem: vt ſcilicet ſcias quantum proficias, vel deficias; quantum procedas, vel retrogrediaris; Si denique primum feruentius, & ſtrictius exercitia ſeruaueris, quàm poſtmodum.

QVINTVS fructus notatur ibi, *Proficis*. Magis enim proficit, & meretur ex recta intentione modeſte, & ſecundum ordinem operans: quam qui multa, & difficilia, ſine certa animi deſtinatione, in vagum operatur. Magis (ait noſter Thomas Kempis) prodeſt vna ordinata actio ſapientis; quàm multus, & inordinatus labor inſipientis. Ecce quàm copioſus fructus his, qui certis exercitijs animum dare contendunt, manet, & accreſcit.

MEMBRVM II.

De exercitantium qualitate.

II. NVNC DE ſecundo, ſcilicet, de *exercitantium qualitate*, paucis eſt agendum. Non enim paſſim omnes æque exercitijs ſunt apti. Quod Eſaias præuidit cum dixit: *Quem enim docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet prudentiam?* Et ſequitur, *ablactatos à lacte; auulſos ab uberibus.* Vnde hæ conditiones, iuxta quendam, ſunt neceſſariæ, exercitare ſeſe volenti, (Eſa.28.)

Sit purus, ſpernens, vacuus, feruens, moderatus.

PRIMÒ omnium oportet exercitare ſe volentem, *Purum* eſſe à crimine. Cor enim impurum, non eſt ſuſceptiuum ſancti Spiritus influxus: Vnde petiturus pſalmiſta Spiritus ſancti influxum, primum præmiſit, petere *cor mundum*. M. Pſ.50.

SECVNDO oportet, vt *ſpernat delectationes* carnis, fugiens riſus, multiloquia, & conſolationes quaſque terrenas: Delicata eſt enim conſolatio diuina, nec datur admittentibus alienam; Et (ſecundum B. Aug.) Si animus habet vnde delectetur extrinſecus, intus ſine conſolatione manet. Sic non pluit manna, niſi prius deficiente farina Ægyptica. Deut. 7

TERTIO oportet à curis externis. & ſuper-

fluis animum eſſe *expeditum*: vt vas vacuum ſui cordis gratiæ Dei offerre poſſit. Alioquin vbi non eſt vas vacuum, neceſſe eſt, vt ſtet ſpiritualis gratiæ oleum. *4. Reg. 4.*

QVARTO *Feruorem* proficiendi oportet vt aſſumat ex exemplo Iacob pro Rachel ſeruientis: ac caumata ſolis, hyemiſque frigora, præ amoris magnitudine non ſentientis; aut certe, quam patientiſſimè ferentis. Sitque Feruens in exercitijs colligendis, in collectis obſeruandis, ne etiam minima exercitia intermittat. Qui enim minima neglexerit paulatim decidet: obliuiſceturque maiorum. *Gen. 31.* *Eccleſ. 19*

POSTREMO *Moderatus* ſit oportet, vt ſcilicet diſcretionem habeat in aſſumendis exercitijs, & peragendis; ne ſcilicet aut nimietate grauent, aut indiſcretione à fine retardent. Aliter enim de fine, & aliter de medijs ad finem eſt agendum; vt docetur in tractatu illo. *Beatus vir*, &c. Sic enim Charitas, quæ eſt exercitiorum finis, eſt obſeruanda: vt media exercitia (quæ pro ea habenda ſunt inſtituta) contra eam, (ſecundum Bernardum) non militent, & hæc de conditionibus exercitantium, &c.

MEMBRVM III.

De exercitiorum modalitate, qualia ſcilicet erunt.

III. IAM TERTIO, de exercitiorum modalitate eſt videndum, qualia videlicet erunt exercitia ipſa. Non enim licet, paſſim quæque exercitia aſſumere, niſi ſecundum exemplar priorum Patrum ſint formata: Iuxta illud, *Fac omnia ſecundum exemplar, quod tibi monſtratum eſt in monte*. Obſeruabant autem Patres quaſdam conditiones, in ſuis exercitijs, quæ & in noſtris ſunt obſeruandæ: & ſunt hæ. *Exod. 28.*

Concors, conſultum, moderatum, congruat, & ſtans.

Erunt enim IN PRIMIS bona exercitia, *Diuinis ſcripturis, Sanctorum dictis, & Patrum exemplis concordia. Semel enim* (iuxta Iob in ſcripturis) *loquitur Deus, & ſecundo idipſum non repetit*, ſcilicet contra ſcripturas. Itaque quicquid ſcripturis diſſonum, non immerito (etiã ſi bonum appareat) ſuſpectum. *Iob 33.*

SECVNDO, quia plures ſunt Scripturas ad ſuum ſenſum retorquentes: hinc expedit, vt homini illuminato, exercitia ſua exponat, & *eum conſulat ſuper eis*; Vnde quidã, ante omnia (inquit) illud quærant, & faciant Chriſto Ieſu ſeruire volentes, vt & modos, & loca, & mores, & inſtitutiones ſibijpſis conuenientes eligant, per ſpiritualium Patrum obedientiam, & conſultationem. Non tamen omnibus ætate ſola, & tempore; ſed magis ſenſu ſenibus, quo ad hoc, de conſcientia confidendum: Sunt enim ſenes inueterati dierum malorum, qui non proficiunt, nec alijs conſulere ad profectum valent. *Dan. 13.*

Tertio diligenter aduertendum, quod exercitia ſint *moderata*, maxime quoad duo. Duo enim (iuxta magiſtrũ Hugonem de Sancto Victore) in exercitijs ſunt præcauenda: *Nimia afflictio, & occupatio immoderata*. Nam per afflictionem, dulcedo mentis amaricatur: per occupationem autem immoderatam, tranquillitas diſſipatur. Vnde ſic exercitia, ſunt moderanda, vt cum quadam alternatione, & refocillatione cuncta agantur: Et non ſic incumbendum illis, vt tædio, aut infirmitate afficiant. Nam

Quod caret alterna requie durabile non eſt.

QVARTO, exercitia ſic debent ordinari. vt cuique *congruant*, ſecundum ſtatum, & diſpoſitionem interiorem, & exteriorem. Non enim omnibus conueniunt omnia: Nec æquè omnia poſſumus omnes; Sed talia quiſque exercitia, ſibi aſſumere debet, quæ militant contra ſuam inclinationem vitioſam: & promouent ad inclinationem virtuoſam; per talia enim magis proficiet. Hinc Ambroſius. Quærendũ inquit, in omni actu quid perſonis conueniat, temporibus, & ætatibus: quid etiam ſingulorum ingenijs ſit accommodum, vt latius ſupra præmiſſum.

QVINTO præcauendum in exercitijs, ne ſint *temporanea*, ad tempus permanentia, ſed *ſtantia*, id eſt, vſque in finem perſeuerantia. Valde namque ait Bernard. eſt ſuſpecta leuitas eorum, qui nunc hoc volunt, nunc illud: nunc ſic ſe exercent, nunc ſic; in nullo fixi, qui tot de ſe conſilia præſumunt; quot loca reuiſunt; ſemper quod non habent cupientes, & quod habent faſtidientes: & propterea in neutro proficientes. Nam qui ſemper quod non habet appetit, & quod habet faſtidit; nec præſentibus fruitur, nec futuris ſatiatur; Inchoata enim ante conſummationem deſerit, & inchoanda ante tempus apprehendit. Qui ergo in exercitijs proficere velit, finem oportet vt congruum præſtituat, & ad eum media ordinet: & illis immoretur. Finis autem exercitiorum (vt pulchre in collatione abbatis Moyſi: & in tractatu, qui intitulatur *Homo quidam*, determinatur) erit duplex: *vnus vltimatus*, & eſt Charitas, vel vita ęterna; *Alter ſecundarius*, & diſpoſitiuus, & eſt Puritas cordis; ad quæ duo, oculus eſt ſemper dirigendus, inſtar ſagittariorum, ſignum, ad quod iaciunt, attendentium; Alioquin multum laborabimus, & parum proficiemus. Vnde conſtat, quod illa exercitia ſunt meliora, quæ finibus his ſunt propinquiora. Neſcio autem, ſi facile quępiam alia inueniuntur, quæ his finibus, ita ſint vicina, ſicut ea quæ ſubnotantur. Vnde quiſquis pia ſibi voluerit exercitia copulare, & comparare, ſequentia attendat, memoriter ea teneat, frequentius exerceat, & fines quantocius attinget præmemoratos. Nihil enim aliud præter Charitatem, aut mentis Puritatem redolent, nil in eis eſt aliud congeſtum, niſi quod eſt à ſanctis Patribus edoctum.

De prægnantiſsimis quibuſdam incitamentis feruoris.

CAPVP. II.

I. Rom. 12. SOllicitudine non pigri, ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes. Videndum eſt ſecundo, *de incitamentis feruoris.* Omnis enim boni (iuxta Iacobum Carthuſien.) initium, eſt boni ipſius feruens deſiderium. Nunquam enim in Religione feruide viuet, qui ante feruoris deſiderium non aſſumpſerit. Neceſſe eſt enim (iuxta Bernardum) vt ignis deſiderij præeat omnem locum quò eſt ipſe venturus. Vt itaque is ignis feruoris, & deſiderij in nobis excitetur, quædam ſunt aſſignanda, per quæ inſtar follis, mens ad feruorem inflammetur, & exuſcitetur.

Et ſunt hæc ſcilicet,
- Multiplex feruoris conſideratio,
- Voti Religioſorum emiſſio,
- Enormis Religioſorum oſtenſio.

De quibus ſingulis pauca ſunt dicenda.

MEMBRVM. I.

De multiplici conſideratione feruoris.

COnſiderationes omnis torporis propulſiuæ, & feruoris introductiuæ traduntur à Vincentio, & Ludolpho, & alijs quibuſdam quarum quædam, calcarium inſtar, pungunt; quędam dulcedine alliciunt, & ſunt hæ quæ ſequuntur.

Si vis feruere, debes hæc mente tenere:
Dignus, fert, mandat, donauit, multa ſpopondit,
Virtus, exemplum, peccata, pericula, tempus,
Hoſtes, ind cum pænę, mirabile, ſpectant.

II. Vt autem de ſingulis his paucis, nos expediamus, notandum, quod *prima* conſideratio eſt, *Dignus*: hoc eſt, ſi homo iugiter inſpexerit, quantum Deus dignus ſit amari, & honorari à nobis, ſecundum ſuam bonitatem, & ſapientiam, & alias perfectiones, quę ſunt in eo, ſine numero: videbit, quod quicquid fecerit, eſt nihil, reſpectu eius quod eſſe deberet; Iuxta illud Sapientis. *Exaltate Dominum, quantum poteſtis, ſuperualebit enim adhuc.* Hic autem oportet conſiderare nobilitates, & perfectiones Dei, & quanto iure ſit homo obligatus ſeruire illi. Eccl.43.

ALTERA conſideratio eſt, *Fert*, id eſt, ſi attendat quot deſpectus, & vituperia, quot egeſtates, dolores, & tormenta ſuſtinuerit Filius Dei, propter amorem ſui; videbit, quod nihil ſit totum, quod facit. Hanc conſiderationem Bern. habuit, cũ exclamauit, *Debeo Chriſto Ieſu totam vitam meam, quia ipſe pro mea poſuit ſuam; & cruciatus amaros ſuſtinuit, ne perpetuos ego ſufferrem.* Quid igitur tibi durum eſſe poterit, cum recordatus fueris, quanta pro te fecit? Nonne ſi conferrentur omnes vitæ filiorum Adam, & omnes dies ſæculi, & omnes labores hominum, qui fuerunt, ſunt, & erunt, nonne ſic eſſent ad comparationẽ dignationis tantæ, ſicut eſt ſtella ad Solem, gutta ad fluuium. Oportet autem hic conſiderare paſſionem tantam ex pura, vera, mera charitate perpeſſam; & velle reddere recompenſam.

TERTIA conſideratio eſt, *Mandat*: hoc eſt ſi cogitas perfectionem, quam debes habere, ſecundum mandatum Dei primum & magnũ, ſcilicet, *diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo* &c. Vbi mandatur, Deus ex omnibus viribus diligendus, videbis quantumuis laboraueris, te diſtare à mandato adimplendo, quod tamen oportebit pro ſalute, ſaltem pro more huius vitæ, & noſtræ exiguitatis, adimpleri. Si enim *nec minimũ iota, nec vnus de lege apex* peribit; quanto minus ſummum iſtud, & primum mandatum? Hic oportet conari ad implere mandatum iſtud? Deut.6. Mat.5.

QVARTA conſideratio eſt quàm multa *Donauit* Deus, hoc eſt, ſi conſiderabis multitudinem, latitudinem, & profunditatem beneficiorum, gratiarumq́; eius; ſenties quod quicquid feceris, non poteris reſpondere donis eius. Hic oportet niti, recompenſare multitudinem, & magnitudinem beneficiorum Dei.

QVINTA conſideratio eſt, *Spopondit*, id eſt repromiſit, hoc eſt, ſi iugiter attendas altitudinem gloriæ promiſſæ in patria illis, qui faciunt bona in vita iſta: Videbis nihil eſſe quod facis, nec labor quiſpiam erit durus, quo gloria illa mereatur; Minuit vim flagelli, conſideratio præmij. Hæc conſideratio ſingulariter excutit torporem: Solent enim peregrinantes tota die lætanter ambulare, & laborem ſui itineris leuem ducere, dum ſperant in nocte bonum hoſpitium inuenire. Sic inſigniter curritur ſtadium; dum ſperatur brauium. Oportet autem hic habere fidem, & ſpem, quæ per dilectionem operantur, illò veniendi. Gal.5.

SEXTA conſideratio eſt; *Virtus*; Si conſideres generoſitatem, quam habent virtutes in ſe, & vilitatem peccati, è regione in ſe: conaberis ad faciendum virtutes, & vitia declinanda, & cum Seneca dices, *Si ſcirem homines ignoraturos, & Deos ignoſcituros, nollem tamen peccare virtutis amore.* Iuxta illud vulgare,

Oderunt peccare boni virtutis amore,
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Hic oportet obominari vitia, & diligere virtutes.

SEPTIMVM excitamentum eſt, *Exemplum*: hoc eſt, ſi videris perfectionem vitæ ſanctorũ patrum, cognoſces tuam imperfectionem, & torporem; & nihilipendes quicquid egeris. Hic autem oportet æſtimare, vitas ſanctorum, cum deſiderio imitandi; maximè autem perfectorum; & videre cum Euangelico cæco, homines quaſi arbores ambulantes. Mar.8.

OCTAVVM eſt *Peccata*; id eſt, ſi iugiter mente reuolueris, magnitudinem peccatorum, & multitudinem offenſarum quæ feciſti contra Deum: videbis quod totum nihil ſit, ad ſatisfaciendum, quicquid facis. Iuxta enim exceſſus culparum, eſſet numerus plagarum: ſed exceſſus eſt quodammodo infinitus; Omnis nãq; iniuria, talis eſt, qualis eſt perſona iniuriam patiens: ſed ille immenſus, ergo, &c. Hic oportet aggrauare offenſas Dei, & velle facere iuſtitiã, & ſatisfactionem peccatorũ.

NONA conſideratio corporis propulſiua eſt, *Pericula*; hoc eſt ſi perſcrutatus fueris vniuerſa pericula huius vitæ, conaberis magis firmari in virtute; vt poſſis perſiſtere in bono. *Mala enim quæ nos hic premunt* (iuxta Gregorium) *citius ad Deum ire compellunt.* Hic oportet ſentire propriam debilitatem, & præcauere tentationum cauſam.

DECIMA eſt, *Tempus*, id eſt, ſi cogitaueris pretioſitatem temporis, breuitatem vitæ, & inſtantiam mortis, poſt quam non erit laboris tempus; magis laborabis tempus expendere in bono. Hinc Apoſtolus monet, *Operemur bonũ, dum tempus habemus.* Et Apoſtolorum Dominus, *Dum lucem habetis, ambulate: Venit nox in qua operari non licet.* Vnde quidam, Gal. 6. Io. 12. & 9.

Cuncta ſunt horaria, nec æternis paria, quæ ſunt in hoc mundo:

Qui hæc mente reſpicit, & mundum non deſpicit: par eſt furibundo.

Oportet autem hic habere timorem mortis, & velle ad eam diſponendi.

VNDECIMA conſideratio eſt, *Hoſtes*: id eſt, ſi perpendas inſidiantium hoſtium multitudinem, & ſeueritatem, & aſſiduitatem, magis magiſque ſuper cuſtodiam tuam ſtabis, & malo amplius reſiſtes. Sic ab hoſtibus inſequẽtibus preſſi, vrbes refugij citius expetunt. Oportet autem hic exaggerare, hoſtium ferocitatem, & cognoſcere propriam debilitatem.

DVODECIMA conſideratio eſt, *Iudicium*, id eſt, ſi cogites imminens diſtrictum iudiciũ finale, quomodo tunc cunctis cuncta patebunt; videbis quod totum parum eſt, quod agere poſſis, ad *iram columbæ* euadendam, & ad rationem debitam reddendam, & confuſionem declinandam. Hic oportet cognoſcere peccata, & ſententiam ſtrictam expaueſcere.

DECIMATERTIA conſideratio, *Pœnæ*, hoc eſt, ſi cogites pœnas Purgatorij aut infernales, peccatoribus cunctis paratas; leuis erit omnis labor. Vnde quidam patrum diſcipulo cauſanti tædium cellæ, reſpondit; ſi cogitares pœnas gehennæ; etiam ſi plena collo tenus cella vermibus eſſet, libens illic reſideres. Hic oportet ſentire ſe dignum iſtis pœnis propter peccata, & effugere per pænitentiam.

DECIMAQVARTA conſideratio eſt, *Mirabile.* Si attendas, abyſſalia Dei iudicia facta ſuper aliquos, qui diù vixerunt, & in magna ſanctitate perſeuerauerunt; quos tamen Deus, propter aliqua in eis vitia occulta dereliquit, non credo, quin magis feruebis ad bonum. Adhortatur Pſalmus dicens, *Venite, & videte opera Dei, quoniam terribilis in conſilijs ſuper filios hominum.* Hic oportet curare de ſalute, & timere ſeparationem à gratia Dei. Pſal. 45.

DECIMAQVINTA, & poſtrema conſideratio eſt, *Spectant*; hoc eſt, ſi attenderes; quanto deſiderio te expectent beati, quo affectu tuum aduentum præſtolentur; vix credo quin feſtinares ad eos. De hoc Ber. *Expectant nos Angeli, vt ruina eorum reſtauretur; Beati, vt eorum gloria compleatur; Deus Pater, nos expectat quaſi filios, & hæredes, quos ſuper omnia bona ſua conſtituat Filius, quaſi fratres, & cohæredes, vt fructum natiuitatis, & precium ſui ſanguinis nobis impendat; & ipſe Spiritus ſanctus, qui eſt charitas, & benignitas, in qua nos Pater, ab æterno prædeſtinauit: nec dubium quin prædeſtinationem ſuam adimpleri velit.* O qualiter curreret aliquis, ad aliquem locum præſentis miſeriæ; ſi ſciret ſe ibi expectari à Beata Virgine! Qualiter ergo nobis currendum ad locum delitiarum, & gloriæ; vbi nos tot, & tanti expectant, tam affectuosè? Oportet autem, in hac conſideratione, deſiderium habere diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Phil. 1.

Poſſent latius, ſingulæ hæ conſiderationes extendi, cum grauiori genere dicendi; quemadmodum harum aliquot tractat B. Bernardus, in nobili ſuo ſermone, de quattuor debitoribus, & de omnibus Sanctis, ſub ſtilo graui. Sed non ſuſcepimus nos in hoc collectario docere, vel exuſcitare, ſed tantum occaſionem, & materiam afferre volentibus, & petentibus illud. Secus excederet modum opuſculum, & prolixitate increſceret nimis: Cum ſuper ſingulis his capitulis, ſingula opuſcula fieri poſſent, pro materiæ copia. Præſertim cum paſſim, hinc inde in poſterioribus plura de his dicturi ſimus.

Finis autem, cuiuſque conſiderationis iam poſitæ, in duobus conſiſtit. Primò, in ſentimento propriæ imperfectionis; deinde in deſiderio veniendi in altiorem vitam, aut amplioris feruoris. Quis quæſo, niſi vel ferreæ mentis homo, hæc mente reuoluens, non mox omni torpore excuſſo, ad bene viuendum ſuccenditur. Sed ne quiſquam à calore hoc ſubterfugiat, ignitiora ſunt tela vibranda, ex voti ſcilicet emiſione profeſſionis regularis.

MEMBRVM II.

De altero feruoris incitamento, ſcilicet voti emiſſione.

SI quid vouiſti Deo, ne moreris ſoluere; diſplicet enim ei ſtulta, & infidelis promiſſio. ALTERVM (vt dictum eſt) ad bene, & feruenter in Religione viuendum, inducens eſt, *Solemnis voti emiſſio*: firmiter namque eſt credendum, quod omne votum rite factum obligat ad obſeruantiam ſui, & ſecundum quoſdam magis, quam iuramentum. Ita quod qui votum rite factum prætermittit, mortaliter peccat, magis quam periurans, vt vult S. Thom. in 2. 2. quanquam viri grauiſſimi putent, iuramenti præuaricationem grauius eſſe peccatum. Vtcunque ſit, conſtat, quod vouendo promittimus nos velle conari, & exercitare, & operam dare, vt perfectionem vitæ attingamus, & conſequamur; à quo conatu qui recedit, voti transgreſſor reputandus eſt, vt vult Bernardus. Quandiu autem indefeſſum proficiendi ſtudium, ingenijque ad altiora, & anteriora conatum habuerimus, non votifragi (etiam ſi crebrius ceciderimus:) reputamur. Eya igitur, hoc deſiderium aſſumamus, & vota exoluamus: Nam vouere eſt actus Deo placens, & operi non ex III. Eccle. 5.

voto

voto facto prælatus; propter plura, quæ hoc verſu complectuntur.

Conſultum, virtus, meritum, ſubiectio, durans.

Primo ſiquidem, actus ex voto, præfertur ratione conſilij: Conſilium autem, ſemper datur de bono meliori.

Secundo, ratione *virtutis* maioris; illud enim, quod producitur à nobiliori, & maiori virtute, præſtantius eſt, & præferendum: Sed votum, eſt actus *latriæ*, quæ nobiliſſima virtutum eſt, vt patet.

Tertio, præſtat ratione amplioris meriti, & commodi: Agere enim aliquid ex voto, magis meritorium eſt, & commodioſum; vt pulchrè deducit Pater Auguſt. in Epiſtola ad Armentarium, & Paulinam. Quòd totum cedit in merita, & vtilitatem noſtram, inquantum vouendo, voluntatem noſtram immobiliter firmamus, ad id quod expedit facere.

Qvarto præſtat, ratione *maioris ſubiectionis*; ille etenim, qui plus, & in pluribus, ſe Deo ſubijcit, & ei ſeruit, plus meretur, quam ille qui in vno ſolum: Sed qui ſine voto aliquid facit, ſolum ſe ſubijcit ad illum actum; Qui autem ex voto, ſubijcit ſe quo ad plura, ſcilicet quantum ad actum, & quantum ad poteſtatem, quia propriam voluntatem à ſe tollit; ita quod poſt votum, nec aliud poteſt velle, nec aliud facere; ergo Deo magis ſubijcitur. Quemadmodum B. Anſelmus; confirmat pulchro exemplo, dicens. Quod ſicut plus daret homini, qui daret ei arborem cum fructibus, quam qui daret fructus tantum: ita qui dat Deo voluntatem, poteſtatem, & operationem ſimul, (vt facit vouens) plus vtique & magis ſe ſubijcit, quam qui operationem ſolam largitur.

Postremò laudabilius eſt, aliquid facere ex voto, quàm ſine; ratione *maioris continuationis*. Ille namque, cuius voluntas immobiliter firmatur in bono, magis meretur, quam ille, cuius voluntas poteſt declinare à bono: Nam ad perfectionem virtutis pertinet, immobiliter operari, vt dicitur 2. Ethic. Sed per votum, voluntas immobiliter firmatur, etiam ante, & poſt opus in bono. Ergo, ſicut actus ex voto eſt Deo magis placitus, ſic è regione, vota tranſgredi, aut infringere, eſt actus vitioſiſſimus, Deo diſplicens, multumque abhorrendus; ita quod (iuxta ſcripturam) melius ſit non vouere, quam vouere, & non reddere.

Vnde patet, quod tranſgreſſio voti, plurimum eſt præcauenda, & votum ipſum feruentiſſime abſoluendum, ad quod etiam plura poſſunt aſſignari inductiua, vt ſunt iſta.

Exemplum, ſcriptum, mala, peccatum, rea, ſtultum.

Primvm itaque inductiuum eſt *Exemplum* etiam ſæcularium hominum, à quibus inhoneſtiſſimum habetur eſſe infidum, aut non abſoluere vota: Vnde & ipſi homines ſæculi, in tantum abhorrent frangere vota, vt & captiui, ſub promiſſo redeundi dimiſſi, intra præfixum redeant tempus; quamuis etiam ſe ſciant dire puniendos, aut etiam occidendos; ne fiant infames aut reputentur fide indigni, vt de hoc præclariſſima exempla, apud Aulum Gellium, Valerium, & alios de Marco Regulo, de Numa, & Saguntinis. Quanto magis ergo, nos Deo fideliter, vota ſoluemus.

Secvndvm eſt: *Scriptura*, id eſt, Scriptura Canonica, & Sanctorum doctrina, quæ potiſſimum hæc hortantur. Hinc Moyſes ait. *Quod ſemel egreſſum eſt de labijs tuis, implebis, & facies quodcunque promiſiſti.* (Deut. 23.) Pſal. *Vouete, & reddite.* (Pſ. 75.) Deut. *Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere* &c. (Deut. 23.)

Tertivm eſt *Mala*, nam qui vota ſoluere non curat, innumera mala facit Primò mentitur Spiritui ſancto, cui vouit, Iuxta illud: *Nō es mentitus hominibus ſed Deo.* (Act. 5.) *Secundò* Deum irridet, vt teſtatur Sanctus Benedictus dicens, Qui votum frangit, *damnatur à Deo, quem irridet.* *Tertiò* alios ſcandalizat: vnde & pro eis pœnam luet, vt pulchrè Euſebius, in ſuis exhortationibus docet. *Sunt quoque*, vt *fures*, & latrones, nihil iuris in bonis cœnobij (dum vota non abſoluunt) habentes: vt proſequitur Dionyſius Carthuſien. *Poſtremò* omnis voti ſolemnis infractio, eſt ſpiritualis (ſecundum Auguſtinum, & Dionyſium) fornicatio: Toties ergo à Deo Spiritualiter fornicaris, quoties vota tranſgrederis. En ergo quot committit mala, non exoluens vota: Quę mala hoc verſiculo memoriali perſtringuntur.

Mentitur, ridet, nocet, infidus, latro proſtat.

Qvartvm inductiuum eſt, quia votum infringere, eſt maximum *Peccatum*, ſecundum Doctores quoſdam, etiam periurio maius, vt B. Thom, 2.2.q.d.89.art.8. per totum deducit. Et in Pantheol. Raynerius, oſtendens, quod voti tranſgreſſor mortaliter peccet, ex parte grauitatis, infidelitatis, & neceſſitatis.

Qvintvm eſt, *Rea*, quia ex voti tranſgreſſione, fit conſcientia rea, & pœnę obnoxia. Omnes enim votum infringentes, ſunt Deum irridentes, vt Benedictus in Regula dicit; poſtea iuſtè ridebuntur à Deo; iuxta illud, *Qui habitat in cælis irridebit eos.* (Pſ. 2.) Itemque. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo.* (Pro. 1.)

Sextvm incitamentum ad vota ſoluenda, & retractiuum ab excedendo eſt, *Stultum*. Magnæ enim ſtultitiæ eſt, votum infringere, quia talis pro concupiſcentia Deum dimittit; illud intermittit quod cunctis amabilibus prę elegit, cum quo omnia amittit; bonam margaritam, pro qua omnia vendidit, proijcit, & amplectitur ſæculi ſordes. (Mat. 13.) Quis oro, hæc rite perpendens, non ad vota abſoluenda, & feruentius cuncta agenda incaleſcit?

Præſertim cum votorum ipſorum ſubſtantialium, tanta ſit, & rationabilitas, & rationabilis honeſtas, & vtilitas, De quibus, ne longi ſimus, ſufficit annotaſſe, ſub compendioſo carmine breuiter ſufficientia coordinationem & ordinabilitatē trium ſubſtantialiū votorū eorundē: Ne quiſpiā cæcum animal Deo offerre, contra Dei præceptū, deprehēdatur; aut ſtultā (Leuit. 22) profeſſionem, quæ Deo diſplicet, feciſſe videatur. In tribus itaq; Euāgelicis cōſilijs autor omnis perfectionis, quaſi in ſacratiori numero perfectionē totius cōſtituit Religionis; (Chriſtus.) ea ante in ſemetipſo exhibēs viuēdo, quā docēdo. pauper-

rimus ſiquidem ſemper fuit, virgo caſtiſſimus,
Luc.9. & obediens vſque ad mortem. Quæ eadem
Heb.7. tria conſilia Sancta Eccleſia, ſub voto Reli-
Phil.2. gioſis omnibus obſeruanda indixit, varijs ex cauſis hoc verſu perſtrictis,

Trina vouens, ſequitur, fugit, offert, armat, adaptat.

Per tria ſiquidem hæc principalia vota, Religioſus omnis, in conuerſatione ſua, Chriſtiformis efficitur, qui non ſolum voluit declinare mala, innocenter viuendo: ſed etiam omnem occaſionem extrinſecam, quaſi mali radicem euellendo, & fugiendo, & poſt alijs conſulendo, vt patet ex Euangelio de pau-
Mat.10. pertate, *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere*
Mat.18. *me.* De continentia, *Sunt Eunuchi, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum: Qui poteſt capere*
Mat.16. *capiat.* De obedientia autem, & humilitate, *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Ex quorum trium obſeruantia, magna fit obſeruanti gloria. Quoniam magna gloria eſt ſeruo, ſequi Dominum ſuum.

SECVNDÒ hæc tria vota ordinantur, contra
1.Io.2. trinam malorum omnium, quæ in mundo ſunt, radicem *fugiendam*, & ad tres ordines
Dan 7. dentium beſtiæ, quibus carnalium vitam deuorat, perfectè conterendos, ac per hæc ab omni malo, & mali occaſione perfectè fugiendum, & declinandum. Nam contra *auaritiam, ſeu concupiſcentiam oculorum*, eſt votum plenariæ paupertatis; Contra *luxuriam, ſeu concupiſcentiam carnis*, eſt votum munditiſſimæ continentiæ, & caſtitatis; Contra *inobedientiam & ſuperbiam vitæ*, eſt votum profundiſſimæ obedientiæ, & humilitatis.

TERTIÒ ordinantur hæc vota, quaſi tria hæc myſtica munera, quibus ſe totum, & ſua homo, quaſi in holocauſtomate conſummato, *offert*, & tradit Deo. In tribus enim conſiſtit omnis hominis

Subſtantia: in	corpore, anima, rebus,	*vt Philoſophus ait 1. Ethi.*

Offertur autem	corpus, anima, res,	*per votum*	continentiæ, obedientiæ, paupertatis, vel proprietatis carentiæ,

Vt ſic nihil prorſus remaneat homini de ſemetipſo, ſed ſecure dicat, cum Apoſtolorum
Mat.19. principe, *Ecce nos reliquimus omnia;* Non tantum poſſeſſiones, ſed & cupiditates, Animam pariter & corpus. Et iure ei offeruntur omnia,
Iac.1. à quo donata ſunt omnia.

QVARTO hæc tria vota, hominem contra principales hoſtes ſpiritualis militiæ expugnandos *armant*, vtpotè, votum

Paupertatis, Continentiæ, Obedientię, & ſubiectionis,	*contra*	Mundum, Carnem, Diabolú,	*qui ſpiritualiter oppugnat de*	Auaritia, Immunditia, Superbiæ inobediëtia.

POSTREMÒ hæc tria vota Religioſorum adaptant, ad viriũ principaliũ reformationem,

Charitatis perfectionem.

Animæ perfectam quietationem, & contemplationem.

Præmiorum cæleſtium remunerationem.

Vires enim principales reformantur,

Quia	mens, intelligẽtia, voluntas,	*per*	paupertatẽ tranquillatur, continentiam illuſtratur, obedientiam rectificatur.

Charitas perficitur, eo quòd impedimenta amouentur quæ obſtabant ne affectus totaliter tendat in Deum.

Amouentur enim	Cupiditas exteriorum bonorũ, Concupiſcentia ſenſibilium, Inordinatio voluntatis, & affectionum.	*per*	Paupertatem, Continẽtiam, Obedientiam.

Quibus amotis; nihil eſt, quod præpediat, quin affectus hominis perfecta Charitate feratur in Deum, quare per hæc tria animus perfectè quietatur, & ad contemplationem diſponitur, eo quod per ea ſollicitudo exteriorum amouetur, vnde Paulus Apoſtolus, *volo vos, ſine ſollicitudine eſſe.* Sollicitudinis e- 1 Cor.7.
nim ſæcularis, & exterioris inquietudo præcipuè ingeritur homini circa tria: *Primò* circa diſpenſationem exteriorum rerum, quæ tollitur per votum paupertatis; *Secundò* circa gubernationem vxoris, & filiorum, quæ tollitur per votum continentiæ, & caſtitatis; *Tertiò*, circa diſpoſitionem propriorum actuum; quæ tollitur per votum obedientiæ & ſubiectionis.

POSTREMÒ, per hæc tria vota ſubſtantialia, *adaptatur* homo ad futuræ gloriæ repromiſſa præmia: vel quoad dotes tres Animæ, vel quoad Spirituales repromiſſiones, partim de præſenti, partim de futuro.

Nam per votum	Paupertatis, Continentiæ, Obedientiæ,	*diſponitur, & coaptatur homo ad dotem*	Tentionis. Viſionis. Fruitionis.

Meretur que repromiſſum	Centuplum in præſenti, Regnum in futuro, Iudiciarium conſeſſum,	*pro*	Rerum contemptu, Continentiæ virtute, Obedientiæ humiliatione.

Liquet ergo quanta ſit ſubſtantialium votorum rationabilis ordinatio, & vtilitas quanta: vnde iure, ſumma diligentia obſeruanda.

MEMBRVM III.

De tertio impulſiuo, & incitamento feruoris.

QVid eſt, quod dilectus meus in domo mea Hiere 11.
fecit ſcelera multa? TERTIVM torporis propulſiuũ eſt profunde pẽſata *enormis tepidè in Monaſterijs viuentium, & torpentium offenſio.* Maxima namq; eſt offenſio horum, vt dicitur in de eruditione religioſorũ. Aut enim tales in ſæculo malè vixerunt, aut bene, ſi bene, tunc

magna

magna eſt abuſio, vt male viuant inter bonos; qui bene vixerunt inter malos; *Si autem male,*
Heb. 10. & metuentes, ne inciderent in manus Dei viuentis, clauſtri carcerem ſpontaneè elegerũt; ſtultè nimis agunt, dum Dominũ carceris in carcere offendunt; & funẽ, quo in inferno ſuſpendantur, cõtexunt; & vbi bene viuere deberent, ibi peſſimè viuunt. Sunt enim tales, valde mali, vel valde boni; Dæmones, aut Angeli: vt ait Auguſt. *Sicut non inueni meliores, quàm qui in Monaſterio profecerunt: Sic nec expertus ſum deteriores, quàm qui in Monaſterio defecerunt;* Et hinc eſt, quod conqueritur de his Dominus dicens, Quid eſt, *quod dilectus meus in domo meo fecit ſcelera multa?* Multa etenim ſunt, quæ ad magnitudinem malitiæ eius, qui in Monaſterio male viuit, facere videntur.

Ordo, locus, tempus ſocius, promiſſio, votum,
Actus, fraus, ſpatium, pœnas, nec damna pauescit.

Primum aggrauans eſt, *Ordinis ſublimitas,* quam violat mentiendo. Non enim regulam, aut ſtatuta obſeruat, ſed votum infringit: & ſic quaſi mentiens ſecundum Guidonem, tota die perſtat.

Eſa 26 Alterum eſt *Loci ſanctitas* Iuxta illud, *In terra Sanctorum iniquè geſſit: & non videbit gloriam Domini* & Hierem. *Contaminaſtis terram*
Hier. 2. *ſanctam meam.*

Tertium aggrauatiuũ eſt *Temporis,* bene viuendi opportunitas, quam in clauſtro habet. Non enim fructuoſius modo, ſed etiam iucundius poterit ibi bene viuere, quàm malè. Sed proh dolor! veſana mens Manna faſtidiens cæpas deſiderat; quæ non ſine lachrymis comeduntur.

Quartum eſt, *bonorum Societas*, Qui enim malus eſt inter bonos; eſt ſicut Iudas, in-
Io. 6. ter Chriſti Diſcipulos; & vt Sathan inter filios Dei.

Quintum aggrauãs eſt, *Promiſſis,* quã à Deo
Iob 1. recipit. Proditor enim eſt, cũ eum à quo paſcitur, impugnat. Ita quòd de eo dici poteſt, *Ecce*
Luc. 22. *manus tradentis me, mecũ eſt in menſa.* Itẽ *Si ini-*
Pſ. 54. *micus meus maledixiſſet mihi,* &c. Cane deterior eſſe videtur, qui beneficijs, quæ à Deo recipit, ab eius impugnatione non cohibetur. Canis enim illum amat, à quo paſcitur, licèt alios inſequatur.

Sextum eſt, *Votum,* & profeſſio: quæ aggrauant multum. Non enim parua culpa eſt, quòd is, qui ſe prius obtulit Deo, poſtea ſe aufert, & litat Diabolo: Et ſic mentitur Spiritui ſancto.

Septimum eſt, quòd actus illos agere præſumit, ad quos prorſus indignus eſt: Præſumit enim ſtare in conſpectu Dei, & illum alijs placare, cum ipſe non placeat: & cetera multa talia præſumit, quod eſt valde periculoſum, preſertim cum Deus dicat, *Sanctificabor in his,*
Leuit. 10 *qui appropinquant mihi.* Et Albertus Magnus, cum quibuſdã doctioribus tenet, quod quoties quis Sacra ſymbola indignè, & ſub mortali agit, aut contrectat, toties nouo peccati genere peccat. Quod ſi verum, admodum eſt horrendum.

Octavum eſt, *Fraus*, qua decipit illos, à quibus ſtipendia recipit; pro quibus dignè intercedere non poteſt, quia Deo diſplicet. Et cum is, qui diſplicet, ad intercedendum mittitur, iratus animus ad deteriora prouocatur.

Nonum aggrauans eſt, *Spatium,* id eſt, quòd locum vnius boni occupat ipſe malè viuens. Vnde verendum eſt ei, ne à Domino per mortem citius abſcindatur, vt locus ab eo expediatur, & melior inſeratur; vt dicitur de ficulnea infructuoſa. *Succide eam, vt quid enim* Luc. 13.
terram occupat?

Decimum ad magnitudinem malitiæ eius faciens eſt, *Pœnas,* id eſt, quod pœnis illis non terretur, quibus peccata in ſacris locis commiſſa punita leguntur. Vt peccatum ſuperbiæ, in cœlo; peccatum inobedientiæ, in Paradiſo; peccatum proprietatis, in Eccleſiæ primordio; peccatum infidelitatis, in Iudæ ſuſpendio.

Postremum magnitudinẽ malitiæ male, & tepide, in Religione viuentis oſtendens eſt, *Nec damna pauescit,* id eſt, quòd non cohibetur damni magnitudine, quod incurrit. Nam propter hoc omnia religionis bona amittit: & à dignitate Religioſorũ degenerat, furibus, & Mat. 27.
latronibus comparatur. Malo latroni, qui de cruce clauſtrali iturus eſt ad cruciatum inferni, aſſimilatur, vt ait Pater Bernardus.

Occasione tractatus de voti emiſſione, interitur hic quoddam *Retractiuum à vitio proprietatis Religioſorum;* continens in ſe tria capitula, quorum primum, continet ſex ab illo retrahentia; Secundum capitulum, refutat omnes excuſationes proprietariorum; Tertium, edocet remedia exterminandi tanti criminis.

Retractiuum à vitio proprietatis.

Cap. secvndvm.

RADIX *omnium malorum cupiditas, In terra eorum nihil poſſidebitis:* 1. Tim. 6. Num. 18.
Nec habebitis partem inter eos. Ego pars, & hereditas tua. Audiant hęc & paueant tepidi, & torpidi religioſi noſtri, ſciantq́ue verum magni Caſſiani, & eloquentiſſimi Euſebij Emiſſeni verbum; Quia quemadmodum ad Monaſterium, ſeu clauſtrum venire, ſumma quædam perfectio eſt: ſic non perfectè illic viuere, ſumma damnatio eſt. Et ſicut immenſa gloria digne Deo in Religione, & ſecundum ſuæ inſtitutionis normam ſeruientibus repromittitur: ita pœnæ grauiſſimæ manent hos, qui tepide, negligenterq́ue in ea fuerint obuerſati. Maledictus ſiquidem, qui Ier. 48.
facit opus Dei negligenter: Accommodus hic, & opportunus locus eſſet, aliquid dicere, in deformatiſſimos & irreformatos religioſos, qui præter nudum nomen, & quendam truncum habitum, de Religione habent nihil: qualibus, proh dolor! plena eſt nobilis terra

iſta: quorum quanta ſit obedientiæ integritas, lites, & appellationes contra Prælatos probant; Quorum quam caſta, & continens vita, bipedia animalia, circumcurſitantia ſuper terram, clamant, in quorum auribus horridius, & abſurdius nihil ſonat, quam ſermo de paupertate, carentiaque proprietatis. Vbi tamen primarium fundamentum Religionis, & vnica baſis eſt totius ædificij ſacri: vt id Regulæ ſanctorum omnes, omneſque Patrum canones, & Iura ſacra proteſtantur. Sed heu, eatenus vſque proprietas hæc tranſijt in vſum: imò potius abuſum; eo vſque progreſſa eſt, & proſerpſit, & inualuit liuidum iſtud, & tabidum virus; vt vix in toto corpore ſacræ Religionis à planta pedis vſque ad verticem eius ſanitas ſit relicta: præter pauca illa, & viuida ſemina, quæ Dominus Sabaoth ex miſericordia in terra reliquit, reformatiſſimos, & religioſiſſimos Carthuſienſ. Cæleſtinorum, & aliorum quorundam obſeruantium (ſed paucos patres loquimur) Et quod miſerabilius, & miſerandius ducendum, tam eſt imbibitum, & vſitatum hoc peſtiferum, & execrabile proprietatis crimen; vt pro crimine non ducatur, ſed vt debitum, & licitum id etiam religioſiſſimi, & edoctiſſimi quidam, tueantur, dicant, & ſcribant. Mouet me fateor, commiſeratio tam publici, & periculoſi erroris, & non nihil dicere contra ita ſentientes, immo verius deſipientes, zelus ſacratæ Religionis ferme impuliſſet: ſi non ab alijs hæc prouincia aſſumpta fuiſſet. Sed tam ſunt ecce innumeri, & clariſſimi quidam, & grauiſſimi tanti erroris oppugnatores, vtinam & expugnatores: vt nihil ſupra ſit relictum nobis. Scripſere ſiquidem contra proprietarios, tam ordinis Patris Auguſtini, quam Diui Benedicti, inſignes & celeberrimi magiſtri, Henricus de Haſſia, de Hoita, Magiſter Theodoricus de Monaſterio, Magiſter Petrus cantor Pariſienſ. venerandus Gerſon, & huius noſtri æui clariſſimum ſidus, & dignum decus, Dominus Iohannes Tritemius Abbas Spauhenienſ. In quorum ſcriptis, nihil de huiuſmodi materia eſt omiſſum, quin moneant, doceant, moueant, confutent, & diſſoluant quicquid à quoquam obganniri, aut obtendi poſſet: Concorditer in hoc concurrentes: quod etiam ſub nullo prætextu tolerari valeat modus proprietatis. Nec aliquatenus veniunt excuſandi, qui pecunias recipiunt ratione officiorum, aut veſtimentorum; præter vnicum, vel duos Monaſterialium rerum diſpenſatores. Cum ſanctorum Patrum Regulę noluerunt officiarios plures in vſu pecuniarum. (Sicut & Dominus Ieſus primus ille Abbas, & Inſtitutor Religionis, vnicum ſolum habuit Iudam procuratorem) Et ſit ſubuerſio totius communitatis multitudo officialium in vſu pecuniarum. Frequenter (ait Vmbertus) vbi plures in pecunijs officiales, illic & plures latrones. Nec pro veſtibus, pecuniaria eſt ſumma contradenda; ſed de communi veſtiario foret, ſecundum omnes Regulas, diſtribuenda. Cum modus ille pecuniariæ traditionis, animarum ſit præcipitio propinquus, multorum malorum illatiuus, proprietariorum effectiuus, ſanctorum Patrum Regulis, & intentioni contrarius, profeſſioni Regulari diſſonus, à Patribus reprobatus, irrationabiliter introductus, & nulla conſcientia bona tolerandus, cum nullius illic cadat diſpenſatio poteſtatis. Diſſipatio eſt, non diſpenſatio, ſi Abbas contra Iura, & Regulam, id concedat: & tam ipſe diſſipans, quam tali diſſipatione vtens; vtrique graui ſe periculo exponunt proprietatis, vel criminis, vt hæc omnia ſolidis Patrum, & iurium auctoritatibus, & Regularum teſtimonijs, à præſcriptis ſcriptoribus lucidiſſimè, cum plena obiectionum omnium diſſolutione efficaci deducuntur.

Eſa.1.
Ibidem.

II.
Io.12.

MEMBRVM I.

Sex retractiua à vitio proprietatis.

NE tamen in materia tantæ neceſſitatis alicui in ſubminiſtrãda occaſione, vel materia, ſeu cogitãdi, vel prædicandi de ea deſimus: Complectimur ecce quædam principalia, à tanto vitio retractiua, ſub hoc verſu,

Præceptum, exemplum, ſtultum, crimen, mala, pœna.

§.1. *Retractiuum eſt, prohibitio Canonica ſcriptura.*

PRIMVM tanti criminis retractiuum eſt, Regularis, & Canonica, imò & ſcripturarum prohibitio. Scriptura ſiquidem hortatur ad omnium abrenuntiationem; ad nullius in proprio poſſeſſionem, ad Charitatis perfectionem, cuius venenum eſt concupiſcentia proprietatis. Hinc Leuitis dicitur, *In terra eorum nihil poſſidebitis; nec habebitis partem inter eos: Ero pars, & hæreditas tua, in medio filiorum Iſrael.* Verè nimis auarus eſt proprietarius, cui non ſufficit Deus: qui contra interpretationem vocabuli ſui, extra Dominum, ſortem habere quærit. Quod autem ſingulę ſanctorum Patrum Regulæ proprietatis vitium inhibeãt; Talpa eſt cæcior, qui id non videt. Hoc per totius Regulæ decurſum prohibet Pater Auguſtinus: ſemper commendans, & cohortans ad communitatem: (vt id deduxit, contra proprietarios ſancti Auguſtini, venerandus Cancellarius Pariſienſ.) tantopere clamans in Regulæ exordio: *Et non dicatis aliquid proprium*, &c. Et ſanctus Pater Benedictus, *præcipuè* (ait) *hoc vitium radicitus amputetur de Monaſterio: ne quis præſumat aliquid dare, aut accipere, ſine iuſſione Abbatis, neque habere aliquid proprium* &c. Cuius etiã regula toto decurſu communitatem iubet.

III.
Num. 18
Cleros ſortem ſonat.

Quod etiam cæteræ ſanctorum Patrum Regulæ id prohibeant, & cõmunitatem ſuadeãt, illuſtris ille Spanhemen. in præclaro opere ſuo ad liquidum, ex ſingulis antiquorum Patrum, Macharij, Pachomij, cæterorumque deducit inſtitutis.

Quod etiam ſacri Canones, in Decretis, & De-

& Decretalibus, id prohibeant, legentibus patet. Tota enim cauſa 12. *in Decretis q* 1, de illa materia, ampliſſimè tractat. *Et extra, de ſtat. Mon. cap. Monachi & c. Cum ad Monaſterium,* vbi Innocentius Tertius dicit, *Prohibemus diſtricte ſub atteſtatione diuini iudicij, ne quis Monachorum proprium aliquo modo poſſideat,* &c. Et in conſilio Lateran. *Monachi nec permittantur habere peculium,* &c. Similiter & in conſtitutionibus ſuis Benedictus 12. iubet, vt *de communi omnibus, ſecundum ſuppetentiam facultatum prouideatur*, ne contra proprietas ſubrepat. Longum eſſet, ſingula Pontificij iuris teſtimonia retexere, quibus tantum crimen prohibitum inuenitur. Paueant igitur, & caueant, contra tantorum prohibitiones, proprietarij peculia tenere: nec de Abbatis permiſſu, aut licentia ſecurum ſibi, aut licitum id exiſtiment: Cum aperte Iura contra clament, vbi aiunt, *Nec exiſtimet Abbas, quod ſuper habenda proprietate, poſſit cum aliquo Monacho diſpenſare; quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo annexa eſt Regulæ monachali, vt contra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiã*
Pſ.140. *indulgere.* Deſinant igitur excuſationes obtendere in peccatis, cum in aperte malis, cuiuſmodi proprietatis vitium eſt, nullius cadat diſpenſatio poteſtatis: vt plenius Doctor ſanctus deducit in 2. 2. de materia voti dicens, indiſpenſabile eſſe omne votum eſſentiale, vt probat teſtimonio auctoritatis Leuit. vltimo.
Leuit.27. *Quod ſemel ſanctificatum eſt Domino, non poteſt in alios vſus commutari.* Nec facere poteſt Prælatus, quin Deo per votum religionis conſecratus obligetur ad hoc, quod vouit, dicente B. Bernardo, in libro præclaro de præcepto, & diſpenſatione, *Quicquid de ſpiritualibus in regula eſt traditum, in manu non relinquitur Abbatis. Neque enim Abbas ſupra Regulam eſt, cui ſemel etiam ipſe ſpontanea profeſſione ſe ſubiecit, & deuouit.*

§. 2. Secundum retractiuum eſt horroris exemplaris.

IIII. ALTERVM retractiuum vitij proprietatis, eſt horror facti, & exemplaris informatio. Plura ſiquidem exempla ſcripturarum ſunt, & factorum, quæ tantum crimen diſſuadent: Et quidem (vt breues ſimus) hæc ſunt exempla ſcripturæ, quæ ad deteſtationem faciunt proprietatis.

Loth, Rachel, Manna atque Achor, Saul, & Machabei,
Iudas, Ananias, diſſuadent proprietatem.

Gen.9. PRIMVM exemplum eſt de *vxore Loth* retroſpiciente, & ob id conuerſa in ſtatuam ſalis: Quæ ſugillat Monachum proprietarium, qui retroſpicit ad mundi diuitias: quas dimiſit. Qui conuertitur in *ſtatuam ſalis*, quia ſolo corpore, non ſpiritu eſt in clauſtro. Statua ſiquidem, corpus eſt ſine ſpiritu. Iterum ſtatua ſimilitudinem habet hominis, & non eſt homo: ſic proprietarius, effigiem prætendit Monachi, cum in veritate non ſit Monachus. Qui præterea ſtatua dicitur ſalis, quia alios condit ſuæ exemplo perditionis, ſed ſibi vtilis non eſt. Hoc nobis exemplum ſummus Magiſter proponit dicens: *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & retro reſpiciens, aptus eſt regno Dei.* Luc. 16.
Deinde ſubdit, *Memores eſtote vxoris Loth.*

ALTERVM exemplum diſſuaſiuum ponitur, de *Rachel* idola Laban furante. Rachel ſiquidem contemplatiuum religioſum ſignat, Gen.31.
qui furatur Idola Laban, dum diuitias mundi per proprietatis vitium concupiſcit. Propriè enim diuitię illicitæ poſſeſſæ Idola dicuntur, quia inordinato amore idolatras conſtituunt. Laban vero Candidum interpretatur, & Mundum (qui quandam candiditatem ab extra habet) ſignat. Quam autem talis furti grauis ſit exceſſus, patet ex verbis Iacob: qui tanta pæna id crimen mulctandum iudicauit, dicens, *Apud quemcunque inueneris Deos tuos, necetur coram fratribus ſuis,* &c.

TERTIVM exemplum proprietatis dehortatiuum habetur, Vbi Dominus (qui prouiſor Exod 16.
erat filiorum Iſrael) noluit de manna, quod aliquis eorum aliquid relinqueret vſque in mane. Qui non audierunt eum, ſed reſeruauerunt inde, & quod reſeruatum fuit, computruit in vermes. Sic de proprietate.

QVARTVM exemplum eſt, *De furto Achor:* Ioſ.7.
qui contra Domini præceptum tulit de anathemate Hiericontino clamydem coccineam, regulam auream, & ducentos ſiclos argenti. Quod factum moraliter pulchre deducitur in ſumma vitiorum, declarante, quod in tribus his, tres ſpecies notentur proprietatis: notantur quinque notabilia in eodem exemplo. Quorũ *primum* eſt, quod Dominus dixit filijs Iſrael; *Non ero,* inquit, *vltra vobiſcũ, donec conteratis eum, qui huiuſmodi ſceleris reus eſt.* In quo innuitur, quod contra totam vnam Abbatiam, quandoq; Dominus iratus ſit, propter proprietariũ, quẽ tolerant: Vnde omnes, qui ſunt in aliqua Religione, debent illum perſequi, quem ſciunt proprietarium eſſe. *Secundum notabile* tangitur vbi dicitur, *Anathema in medio tui Iſrael eſt: non poteris ſtare coram hoſtibus tuis, donec deleatur ex te, qui contaminatus eſt hoc ſcelere.* In quo verbo innuitur, quòd propter illud peccatum poteſtatẽ habeat diabolus præcipitandi clauſtrales proprietarios in alia multa peccata. *Tertium notabile* eſt, quod ea quæ Achor furatus eſt, non profuerunt ei: Nullum enim lucrum habuit inde, niſi peccatum, & pœnam peccati; in terra ea abſconderat, & cũ moriturus erat, ea manifeſtauit: Sic proprietarij cõmuniter aliud lucrum non reportant de pecunia proprietatis, niſi conſcientiam malã, & vitæ infamiam tempore mortis. Notabile *quartum eſt*, & notandum, quod legitur Ioſue dixiſſe Achor, *Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac*; in quo innuitur, quod propter Ioſ.7.
turbationem proprietarij, non debet dimitti, quin proprium auferatur ei. Quod militat contra plures Prælatos, qui ſe opponere extimeſcunt vitio proprietatis, ne ſubditorum pacem exturbent. Sed procul pax illa, quam non miſit Dominus, ſed gladium miſit. *Poſtremum* Mat.10.
notabile in hoc facto, eſt quod ſubditur, *Lapidauitq; eum omnis populus Iſrael, & cuncta quæ illius erant igne conſumpta ſunt. Congregauerunt.*

Digitized by Google

que ſuper eum, aceruum magnum lapidum, qui permanet vſque in præſentem diem, & auerſus eſt furor Domini ab eis. Vbi intelligitur magnus zelus, quo vitium proprietatis à Clauſtralibus, & Prælatis eſt perſequendum. Potius enim proprietarius in ſæculo hoc conteri debet lapidibus aſperæ correctionis, & cremari facibus zeli, & charitatis; quam poſt mortem ſupplicijs diſſimulando deputari æternis. Nec minus notabile eſt, quod aggregatus fuerit aceruus magnus lapidum, perſtans vſque in præſentem diem; ne vnquam deeſſent exempla terroris contra vitia proprietatis; Et valde quoque notandum, id quod ſubditur *Et auerſus eſt furor Domini ab eis* Quaſi tunc Dominus reddatur placatus; ſi ablatũ fuerit crimen proprietatis. O igitur Principes & Prælati, ſi Deum placatum vobis, & terris veſtris velitis: auferre tantum malum proprietatis.

QVINTVM exemplum, à proprietatis vitio retractiuum, eſt de *Saul*, res Amalech contra Domini præceptum reſeruante: De quo legi-
1.Reg. 15. tur, quod Dominus prohibuerat Sauli, ne de rebus Amalech aliquid concupiſceret, & non obediuit: immo reſeruauit ſibi meliora quæque, de ouibus, & armentis. Cui iccirco adeo infenſus fuit Deus; vt ea potiſſimum ex cauſa, regnum ei auferret. Quid ergo putandum de inobedientibus proprietarijs? Multa in exaggerationem, & horum explanationem, niſi breuitatis propoſitum vetaret, dici poſſent.

SEXTVM exemplum habetur penes *Machabeos*, quod ſcilicet Iudas Machabeus venit quadam die, vt tolleret corpora quorundam
2.Mac.12 de ſuis, qui ceciderant in bello, & *inuenerunt ſub tunicis interfectorum, de donarijs Idolorum*, quod eis inhibitum; *manifeſtatumq; eſt omnibus, ob eam cauſam iuſtè corruiſſe eos*, &c. Perpendant hoc proprietarij noſtri; ſi tales, qui perfectionem non promiſerant, taliter ſunt ob cupiditatis vitium à Deo mulctati: qua erunt pœna digni, qui iam voto paupertatem & communitatem deuouerunt.

SEPTIMVM exemplum à proprietate deterrens eſt de Iuda proditore: qui (vt dicitur) *Fur*
Io.12. *erat, & loculos habens*, ſub ſũmo illo Collegio, & Abbate, proprietarius exiſtens Qui ob proprietatis vitiũ cupiens lucrũ, in tam exceſſiuũ incidit proditionis crimen, & tandem in de-
Mat. 27. ſperationis barattum, & ſuſpenſionis laqueũ. Cui conſimiles ſunt Monachi proprietatis in vitio: Vnde extimeſcere habent, conſimilem quoque perditionis pœnam.

OCTAVVM exemplum proprietatis diſſua-
Act.5. ſiuum, eſt de *Anania*, & *Saphira* vxore eius, qui erant primitiuę Eccleſiæ proprietarij: vnde & ſubita, & horrida morte ſunt interfecti: Et in Decretis *cap.* 12. *cap. Dilectiſſimus*, vbi Clemens Papa ſic dicit. *Communis quidem vita omnibus eſt neceſſaria, fratres: maximè his qui Deo irreprehenſibiliter cupiunt militare, & vitam Apoſtolorum imitari. Apoſtoli enim, communem in vnum duxerunt vitam. Quoniam &*
Act.4. *in eorum Actibus dicitur, Multitudinis credentium, erat cor vnum, & anima vna. Ananias autem vir auſterus, & Saphira vxor eius, quia mentiti ſunt, nobis præſentibus corruerunt.* Sequitur. *Qua propter vobis cauenda mandamus, & vobis obedire præcipimus doctrinis Apoſtolorum & exemplis*, &c. Copioſa hic, & ampliſſima eſſet materia dicendi; vbi pro copia adduci poſſent omnia illa dehortatiua vitij auaritiæ, quæ hinc inde dicuntur per ſcripturas.

Inueniuntur præterea & alia, in authenticis ſanctorum ſcriptis, vitij huius diſſuaſiua cuiuſmodi ſunt iſta exempla.

PARAGRAPHVS I.

Carniger, horticola, medicus, tum ſutria, cleri.

PRIMVM exemplum legitur in vitiſpatrum, de quodam fratre renunciante ſæculo, qui dedit bona ſua pauperibus, quædam tamen ſibi retinuit, & ad Abbatem Antonium iuit; qui id comperiens dixit: Si vis Monachus eſſe, vade & compara tibi carnes, & impone corpori tuo nudo, & ſic veni ad me. Qui cum hoc feciſſet, tam canes, quam aues corpus eius, propter carnes rapiendas, dentibus, & vnguibus dilaniauerunt; & ſic dilaceratus ad Antonium venit. Cui Antonius ait, Quicunque renunciauerit ſæculo, & vult adhuc habere pecuniam: ſic à Dæmonibus laceratur. O paueamus, caueamus.

ALTERVM exemplum narratur ibidem in vitiſpatrum, de quodam Hortulano, qui omnia, quæ conquirebat, dabat in eleemoſynas, præter tenuem victum. Tandem tamen ſuggeſtum eſt ei, inſpiratione ſpiritus maligni, vt aliquam pecuniam colligeret, quam, cum ſeneſceret, vel ægrotaret, poſſet habere. Qui & ſic fecit. Contigit autẽ infirmari, & omnes pecunias, quas collegerat, in medicis expendere, nec poſſe ſanari, niſi abſciſione pedis. Qui tanta tribulatione, ad cor rediji; & de collectis pecunijs indoluit; & veniam petens, emendam repromiſit. Cui Angelus Domini, mox aſtitit dicens: vbi ſunt nummi, quos collegiſti? & vbi ſpes, quam de eis habuiſti? Et pœnitentem ſanauit. Sic proprietarijs omnibus obtinget, & adhuc peius.

TERTIVM exemplum eſt beati Gregorij in libro Dialogorum, de quodam Fratre, qui medicus fuerat, & ſub infirmitate ſeruienti, reuelauit, quod tres aureos occultos haberet: Quod ſciens Gregorius noluit ei parcere, quin & infirmum in vita, & mortuum poſt puniret. In infirmitate enim, ſubtraxit ei viſitationem fratrum; & poſt mortem, noluit corpus eius ſepeliri cum corporibus fratrum, ſed in ſterquilinio; iubens tres aureos cum eo ſepeliri: clamantibus omnibus fratribus pecunia tua tecum ſit in perditionem. Exemplo vtique ſuo oſtendere volens his, qui ſunt in Religione; quantum zelum contra hoc peccatum debeant habere.

LEGVNTVR quarto, & plura conſimilia exempla, de quibuſdam Monachis proprietarijs. Præſertim de quodam Monacho ex Syria, qui centum ſolidos, quos linum texendo collegerat, moriens dereliquit. Super quo initum eſt inter Monachos concilium

Nam

(Nam in eodem loco, circiter quinque millia Monachi habitabant.) Quid facto opus eſſet? Alij pauperibus diſtribuendos dicebant, alij dandos Eccleſiæ, nonnulli parentibus remittendos. Macharius vero, & Pachomius, & Iſidorus, quos patres vocabant, Sancto in eis loquente Spiritu, infodiendos eſſe cum eo decreuerunt, dicendo: Pecunia tua tecum ſit in perditionem. Quod idem de omnibus Monachis proprietarijs, ſacer Canon, & Papale ſtatutum, iubet extra, de ſtat. Monach. Cum ad Monaſterium, vt infra.

Qvintvm principale exemplum eſt, non modo de Monachis; ſed & de Clericis regularibus, Canonicis ſcilicet Regularibus, ne hi videantur exempti: vt patet ex Sermone de communi vita Clericorum B. Auguſt. vbi tam inclamat de presbytero ſuo Ianuario. Et Clemens Tertius ſuper Canonico Regulari proprium habente: *extra, de ſtatu Monach.* ita reſpondet: *Inquiſitioni tuæ reſpondemus; quod ille Canonicus, non tantum fuerat Chriſtiana ſepultura priuandus: verum etiam (ſi ſine maximo ſcandalo fieri potuit) de ipſa proijci dignus eſt Eccleſia.* O quantum vitium proprietatis, vt patet ex exemplis: Quorum alia innumera recitantur, in vitis patrum, in libello qui præſcribitur, quod Monachus nihil debet poſſidere in terra.

§ 3. *Duodecim ſtultitiæ proprietarij.*

Tertio ad proprietatis deteſtationem valere poterunt 12. ſtultitię, quibus oſtenditur laborare proprietarius: Quem complectuntur verſus iſti,

Mercans, ſe mergit, mors, perdens, fur, loca ſpernit.
Ira, legit, profert, ſcalam, portam, laqueum dat.

Mat. 13. Prima ſtultitia eſt, quod eſt valde fatuus mercator, qui poſtquã venditis omnibus ſuis emit pretioſam margaritam paupertatis, illã conculcat, & pro nihilo amittit, proptẽ vitiũ proprietatis; Deum commutans nummo. Ad cuius ſtultitiæ cumulum accedit, quod eandẽ Margaritam non ceſſat quotidie emere vigilijs, ieiunijs, & oratione; cum tamen nullo pretio, ſub ſtatu proprietatis, poterit eam ſibi comparare; quare omnia ſimul perdit.

Altera ſtultitia eſt, quod poſtquã eum Dominus eripuit de naufragio huius ſæculi, & quaſi collocauit eum in loco tuto, in naui, ſcilicet religionis; ipſe tamen furtiuè aquam de mari naui imponit; in qua ipſe ſe demergit.
Act. 28. Cuius facto congruit illud, quod Barbari dixerunt de Paulo, cum euaſiſſet de naufragio, & adhæſiſſet vipera manui eius; vtique homicida eſt homo iſte: qui cum euaſerit de mari, vltio non ſinit eum viuere.

Tertia ſtultitia eſt, quod, cum iam ipſe
Col 11. ſit mortuus morte religionis (iuxta illud, *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo,* &c. tamen timet fame mori, & terrena quærit, qui ſolam æternam vitam quærere deberet; ſicut ille magnus Senator qui hæreditatem ſpreuit.

Qvarta fatuitas eſt, quod ipſe in loco ſaluationis locum ſibi facit perditionis; & de filio Dei, filium ſe facit perditionis: vt ei congruat, quod de Iuda Dominus dixit, *Nemo periſt ex vobis, niſi filius perditionis.* Io. 17.

Qvinta ſtultitia eſt, quod videtur habere magnam voluntatem furandi, & per conſequens ſuſpendi, qui iam omnia vendidit ſua, & dedit pauperibus; vt in monaſterio aliena ſibi furaretur.

Sexta ſtultitia eſt, quod ipſe locum illũ, quem declinant etiam homines ſcelerati, ne ſcelera ſua ibi committant; ipſe intrat, vt ibi malã vitam ducat; Et qui cauebat ſibi à furto in ſæculo; non timet furari in loco ſancto. Vnde miratur dominus in Propheta, *Quid eſt, quod dilectus meus in domo mea, facit ſcelera multa?* Ier. 11.

Septima ſtultitia eſt, quod cum Dominus remouerit ab eo iram ſuam, rurſus ipſe conatur theſaurizare ſibi iram; dum poſt rerum abrenuntiationem, aggregat ſibi abundantiam diuitiarum; ſuper quas effuſa eſt *fiala ira* Domini. Rom. 2. Apoc. 15.

Octava ſtultitia eſt, quod ipſe aliena colligit, & propria negligit; & de his, quæ propria eſſe non poſſunt, vult facere ſibi proprium: Vnde iuſto Dei iudicio, amittit omne propriũ; Proprium, ſcilicet Dei, quod eſt parcere, & miſereri, Bernardus; Monacho habenti propriũ, negabit Deus ſuum proprium; Amittit etiam ſeipſum: Monachus enim habens in proprio obolum, non valet obolum; Amittit etiam pariter bona interiora, & æterna.

Nona ſtultitia eſt, quod proprietarius facit ſua ſeipſo pretioſiora: Cũ enim ſeſe dederit, ſua tamẽ dare renuit; & ſic ſe, & ſua perdit.

Decima ſtultitia eſt, quod ipſe de ſcala cęli, ſcalam ſibi facit inferni; immo, cum iam multos gradus in ſcala Dei aſcenderit, ipſe ſeſe præcipitare vult, & ſaltare in infernũ. Scala enim cœli eſt crux Religionis, cuius cacumen tangit cœlum; vt dicitur Geneſ. Gen. 28.

Vndecima ſtultitia eſt, quod conſimiliter de porta cœli, portam ſibi facit inferni; dum in Religione ſe perdit ob vitium proprietatis.

Duodecima ſtultitia eſt, quod ipſe laqueũ cupiditatis, in quo tot homines trahuntur ad infernale patibulum; qui ſibi iam contritus erat, rurſus ſibi præparat; & molam aſinariam, iam à collo ſuo amotam, iterum ſibi alligat. Mar. 9. Math. 11. Cuius laquei figura fuit laqueus ille, quo Iudas ſe ſuſpendit. Idem enim quod in Iuda ad litteram accidit, proprietarijs prouenit; Nam quemadmodum ille, dum quæſiuit lucrum, peruenit ad laqueum; argenteos retulit; & ſuſpenſo eo, effuſa ſunt viſcera eius: Act. 18. Sic in proprietario, amor pecunię laqueus eſt; quo infallibiliter ſuſpendetur in inferno. Et quemadmodum Iudas, pecuniam retulit; ſic interdũ proprietarius ſua in morte reuelat; Qui inſtar Iudæ, etiam euiſceratur, dum proijcit bona interiora; & per terrenorum ſollicitudinem cor eius quaſi exit ab eo; iuxta illud, *Proiecit in vita intima ſua.* Ezec. 10. O graues ſtultitiæ, miſeræ excæcatorum proprietariorum fatuitates! dum pro re tranſitoria, amittunt bona omnia; & incurrunt mala vniuerſa!

§ 4. Enor.

Digitized by Google

§ 4. *Enormitas vitij proprietatis.*

QVARTVM principale proprietatis retractiuum, eſt *enormitas tanti* criminis; 1 quod in ſe complectitur quaſi vniuerſitatem grauiſſimorum vitiorum. Si enim rite perſpicimus, hæc omnia crimina in proprietario inueniemus.

Fur, latro, ſacrilegus prodens, vel apoſtata peccans.

Idolatrans, mendax, reus, oppletus, maledictus.

PRIMA proprietas eſt deteſtabile furtum, vnde proprietarius fur eſt, vſurpans, quod non licet; ſicut Rachel furata idola patris, vt Achor *Gen 31.* *Ioſ.6.* tollens de anathemate. Vnde & domus pro- *Mat.21.* prietarij iudicio ſcripturæ, eſt velut *ſpelunca latronum*: Et de mera iuſtitia, poſſet eos Dominus omnes interficere ſubitanea morte, ſicut *Act.5.* Ananiam, & Saphyram interfecit; vel poſſet ignem mittere de cælo, qui omnes combureret; propter ignem cupiditatis.

SECVNDÒ latro etiam eſt, cum furti direptione, animas iugulans, & latrocinans, malo ſuæ proprietatis exemplo; immo etiam corporaliter pauperes occidens; cum inutiliter cuſtodit quæ pauperes comedere poſſent: iuxta *Eccli. 14.* illud, *Panis egentium, vita pauperum eſt, qui de-* *Luc.20.* *fraudat illum, homo ſanguinis eſt.* Vnde etiam cum latrone malo, de cruce clauſtri, iturus eſt ad crucem inferni.

TERTIÒ ſacrilegus eſt, furtum ſuum committens in loco ſacro; etiam quia res pauperibus. & Deo conſecratas, furatur. Pars enim ſacrilegij eſt (Hieronym. teſte) ſacra furari; etiam contra fratres ſacros.

QVARTÒ, proprietarius proditor eſt, in proximum, & in Deum: In proximum, quia fratres ſuos defraudat bonis illis, quæ ſibi appropriat. In Deum quoque proditor eſt, quem execrabili peccato impugnat; cum tamen eius expenſis viuat.

QVINTO apoſtata habetur: Apoſtaſia enim quædã eſt proprietas monachorum, & maior quam relinquere habitum, aut exire metas monaſterij abſque licentia prælati: cum paupertas voluntaria, magis ſit de ſubſtantia Religionis, quam habitus externus. Apoſtata itaque eſt iudicandus, qui voluntariam paupertatem à ſe abijcit, & derelinquit.

SEXTÒ eſt proprietas ſingulare quoddam, & enorme peccatum in Religioſis; quemadmodum peccatum infidelitatis analogicè dicitur in omnibus. Hinc proprietarius dicitur propter exceſſum peccator; hinc in Threnis. *Thre.1.* *Peccatum peccauit Hieruſalem*: Et ad Ioſue Do- *Exo.32.* minus ait, *Peccauit populus Iſrael, & præuaricatus eſt pactum meum: tuleruntque de anathemate.* Peccat ſiquidem proprietarius ſingulariter in Deum ac totam Trinitatem. *In Patrem*, dũ de eius potentia, & prouidentia dubitare videtur: Cum enim timet mori fame, aut pati neceſſitatem, ſi ea quæ vouit Deo ſeruauerit: videtur facto dicere illud, *Nunquid & panem poterit* *Pſ.77.* *dare nobis, aut parare menſam in deſerto?* In *Filium* peccat, dum ſapientiam eius, & doctrinã paupertatis deſerit: ſapientia Chriſti fuit paupertatem diuitijs præponere, & moleſta diuitiis præferre; Vt dicit Paulus, *Propoſito ſibi gau-* *Heb. 12.* *dio, crucem elegit*, quod proprietarius deridet. Peccat & *in Spiritum ſanctum*, dum de bonitate Dei, male ſentit; cui etiam mentitur, & facit contra charitatem, dum admittit cupiditatem; verè ergo peccator ſingularis.

Eſt *ſeptimo* proprietarius *idololatra*, diuitias & nummos pro Deo colens: nam *Auaritia eſt* *Epheſ 5.* *idolorum ſeruitus*. Deus vnicuique eſt id, quod præ cæteris colit: Vnde auari nummus eſt Deus, in quo ſpem, fidem, & amorem ſuam reponit. Amans pecuniam pluſquam Deum, in pecuniis confidit, quod eſt de Deo deſperare, & vere idololatrare.

OCTAVÒ *mendax eſt*, *& hypocrita.* Mentiens Spiritui ſancto: Iuxta illud Petri ad Ananiam, *Cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri te* *Act.5.* *Spiritui ſancto? Non es mentitus hominibus; ſed Deo.* Habitu ſuo mentiens, velut hypocrita tota die: Sub habitu clauſtrali, animum gerens ſæcularem, extra apparens aureus, cum intus ſit luteus, & dolo plenus.

NONÒ *reus eſt voti*, & tranſgreſſionis, apertè agens contra votum paupertatis, cui ſe in profeſſione aſtrinxit: vnde velut votifragus à Deo puniendus.

DECIMO *oppletus* eſt dolo, & Diabolo: Iuxta illud Actuum in alia tranſlatione, *Cur impleuit Iudas* *Sathanas cor tuum?* Plenus enim diabolo, pri- *Iſcario.* mus proprietarius fuit. Vnde etiam iure naturali eſt proprietarius omnis excommunicatus, qui nulli vult communicare de bonis ſuis.

POSTREMO iudicio ſcripturæ Sacræ omnis proprietarius eſt *maledictus*. Iuxta illud, *Male-* *Ioſ.6.* *dictus vir coram Deo qui readificauerit Hierico*: id eſt mundi diuitias, & anathema, quę reliquit, reſumpſit: immò in cumulum omnium malorum proprietarius eſt *diabolus* malus ſcilicet inter bonos. Iuxta illud, *Nonne ego duo-* *Io.6.* *decim elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt?* & quaſi *Sathan inter filios Dei.* Liquet ergo, quanta ſit *Iob 1.* enormitas criminis. Quod qui non expauet, & cauet vecors eſt, & inſanus.

§ 5. *Quod innumera mala facit vitium proprietatis.*

QVINTVM præcipuum, à proprietatis crimine retractiuum, eſt effectus innumerorum *malorum*, quæ cauſat execrabile hoc vitium, quorum aliquot complectuntur hoc metro.

Deſtruit, euertit, turbans, nudat, mala, damnat.

PRIMVM proprietatis malum, quia *deſtruit* paupertatem ſpiritus, totius Religionis fundamentum; quod primũ poſuit Saluator, docens beatitudines in monte. Nam quemadmodum *initium ſapientiæ eſt timor Domini*: *Mat.5.* *Pſ.110.* ita paupertas quoque beatitudinis eſt fundamentum, quo ſubruto nihil vltra ſubſiſtit boni.

ALTERVM malum, quia *euertit*, & diſſoluit omnem diſciplinã vitæ monaſticæ: Iuxta illud B.Aug. ad Sauianum monachum, De radice

peculia-

peculiaritatis, vel amore pecuniæ gignuntur
vitia hæc: inobedientia, ſuperbia, auaritia, &
contumelia, vana gloria, extollẽtia, voracitas,
mendacium, atq; luxuria. Verè radix peſſima,
vnde germina tam mala pullulant, & proce-
dunt. Aut vt vult auctor ſummæ vitiorum,
proprietatis vitium euertit religionem, quia
peruerſitates multas, in Dei eccleſia cauſat, vt-
potè has,

*Deprimit, aſtra, ſathan, talpa, ſeu noctua, rep-
tant.*

Prima proprietatis *peruerſitas* eſt, quod illã
partem eccleſiæ, quæ proximior deberet eſſe
cælo, *deprimit*, & facit pauimento terræ ad-
Phil. 3. hærere: vt dicat Religioſus, cuius conuerſatio
deberet eſſe in cælo, *Adhæſit pauimento anima*
Pſ. 118. *mea. Secundo* illum, qui deberet eſſe *Stella* fixa,
Gen. 1. in firmamẽto cæli, & lucere hominibus bono
exemplo; facit hoc peccatum eſſe in limo pro-
fundi: & eſſe aſtrum, hoc eſt cadentem Stel-
lam è cælo. aſtra cæli clauſtrales ſunt, iuxta
Iob 38. illud, *Cum me laudarent aſtra matutina, & iubi-
larent omnes filij Dei.* Hę Stellæ cadunt de cælo
in terram, per proprietatis vitium, vt videatur
illud Apoc. impletum, *Stellæ cæli ceciderunt ſu-*
Iob 1. *per terram. Tertia peruerſitas*, quam hoc vitium
cauſat, eſt quod de filijs Dei *diabolos* facit, qui
malus eſt inter bonos. Iuxta illud. *Cum aſſiſte-*
Iob 1. *rent filij Dei coram domino: affuit inter eos &*
Io. 6. *Sathan*: & *Ego vos* 12. *elegi; & vnus ex vobis
diabolus eſt. Quarta* peruerſitas eſt, quod vi-
tio proprietatis agitur, quod hi, qui oculi ec-
cleſiæ eſſe deberent, *talpę* fiunt, imò talpis ſint
excæcatiores, nil aliud niſi terram, & terrena
quærentes. *Quinta peruerſitas* eſt, quod de
auibus cæli, & diei, facit veſpertiliones no-
ctis, & *noctuas*. Proprietarij etenim in clau-
ſtris, ſunt velut veſpertiliones, inter aues; Nam
ſicut veſpertiliones in eccleſijs habitant; ſic
& clerici, non tamen ad idem. Clerici enim
ſunt ibi ad Deum glorificandum: Sed veſper-
tiliones ſunt ibi ad oleum bibendum. Pari
forma, & proprietarij; licet ſint cum bo-
nis, qui Deum glorificant; ipſi tamen Deum,
ſua vita mala ſemper blaſphemant, & de oleo
proprietatis cogitant, & ſunt inter filios Dei
quaſi Sathan, vt patet. *Poſtremò facit, & de
auibus volatilibus*, quæ pennas habent & vo-
lare debent, ſicut Aquilæ ſuper Cherubin;
Serpentes & reptilia terræ, vt repere incipiant,
omiſſis cæleſtibus, circa hæc temporalia: & id-
circo ex conſequenti fieri velut animalia im-
munda. *Omne enim quod reptat, & pennulas*
Deut. 14. *non habet, immundum erit.* Ecce ergo, quanta
eſt peruerſitas huius peccati, quod tam per-
uerſa cauſat.

TERTIVS principalis malus effe-
ctus proprietatis eſt, turbatio charitatis, &
pacis. Voluntaria ſiquidem paupertas, pa-
cis eſt fundamentum, vt dicit Pater Auguſt.
in 19. lib. de Ciuitate Dei. Inter fratres (in-
quiens) concors, & amica perſtat conſo-
nantia fraternæ charitatis, cum nihil habet
vnus, quod nõn omnes: Sicut è contrario,
inter proprietarios rixæ ſunt, diſcordiæ, ſciſ-
ſuræ, & diuiſiones. Res enim communes
nunquam ſunt materia litis: Sed cum ex con-
cupiſcentia vult eas quis appropriare ſibi, ſur-
gunt inquietatiua pacis, & turbationes mul-
tæ; Iuxta illud, *Conturbant domum ſuam, qui* Pro. 15.
ſectantur auaritiam. Conuenientiſſime alias
(teſte Seneca,) & concordiſſime, homines vi-
uerent, ſi tollerentur hæc duo pronomina,
meum & *tuum*, quæ inter proprietarios reg-
nant.

QVARTVM MALVM proprietatis eſt,
quia denudat Religioſum à veritate Re-
ligionis: Proprietarius etenim non eſt dicen-
dus, ſecundum rem & veritatem, Religio-
ſus, ſicut nec homo mortuus, vel pictus,
ſimpliciter venit homo dicendus; vnde et-
iam bene figuratur (vt ſupra diximus) in v-
xore Loth, quæ retroſpiciens, verſa fuit in
ſtatuam ſalis, quæ ſimilitudinem habet ho- Gen. 19.
minis, non veritatem: Sicut nec proprie-
tarius, non niſi figuram tenet, & habitum
Religionis. Quis enim eſt verus habitus
monachi (inquit Gregorius in Regiſtro)
niſi deſpectus mundi? Quomodo autem
mundum dicendi ſunt contemnere: qui
aurum, & diuitias quærunt in religione?
Nota eſt, fortis, & grauis illa ſententia Bea-
ti Iſaac (cuius meminit idem B. Gregorius
in Dialogo) quod erat ſollicitiſſimus cuſtos
ſuæ paupertatis, non minus metuens ſecu-
ritatem perdere ſuæ paupertatis, quàm a-
uari diuites perituras pecunias; qui roganti-
bus diſcipulis, vt pro vſu monaſterij obla-
tas poſſeſſiones reciperet: cum graui pon-
dere reſpondit, *Monachus, qui in terra poſ-
ſeſſionem quærit, monachus non eſt.* O notetur
verbum.

QVINTVM EST, quod præter dicta
ex proprietate religioſorum adhuc innu-
mera alia ſuboriuntur mala, & pericula ani-
marum, vt latius inſignis ille Abbas Spanhei-
menſis nobili ſuo ſtilo deduxit: dicens, quod,
ſi quempiam, ſemel hoc execrabile malum
inuaſerit, in omnem malum præcipitat; adeò
vt raro ſalutis remedia admittat à paruis in
maiora præcipitans. Sub quadem ſpecie
boni, vel neceſſitatis aliqua reſeruanda per-
ſuadens, qui vbi in paruo victus fuerit, com-
pellitur in grauiora. Conquiſitis enim num-
mis, oboritur diſplicentia ſui ſtatus, mur-
murat, detrahit, & iudicat omnes, transferre
ſe cogitat ad tutiorem locum, ſub colore
profectus. Deinceps iam nulla peculij ha-
betur conſcientia: dum quaſi pro viatico
ſanctioris vitę quærendę, creditur teneri
ſine culpa. Exæſtuat enim & inardeſcit; qua-
liter, vel vnum denarium prioribus coacer-
uare poſſit: furatur offertoria, & vendit oc-
cultè, quod rapuit: à parentibus, & amicis, pro
aliquo commercio, denarios petit, & accipit,
& ſub ſpecie religionis, viaticum ſibi parat
ſuæ apoſtaſiæ. Inſolenter deinde Abbati re-
ſpondet ad omnia: occaſiones quærit rationa-
biles ſuæ fugæ; ne leui caſu motus credatur fu-
giſſe de monaſterio. Neque tamen de ſua in-
fælicitate contentus, alios etiam nititur depra-
uare, vt inſigniter proſecutus eſt abbas Caſ-
ſianus dicens, *Cumq; pecuniarum pondus
monachum de clauſtro eiecerit: veluti feralis*

qua-

quadam beſtia, de cœtu gregis opportunum ſodalium pecus ſegregare contendit; cumque qui prius opera Monaſterij leuia exercere deſpexerit: die, ac nocte, ſpe quæſtus infatigabiliter laborare compellit. Non orationum ſolemnia, non ieiuniorum modum, non vigiliarum regulam, cuſtodire permittit: non honeſtarum interceſſionum explere officia ſinit, dummodo, vel auaritiæ rabiem ſatiare poſſit, rapitur breuiter in omne malum. Sicque verificatur Apoſtoli dictum, *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* (1.Tim. 6.) O maledicta Monachorum proprietas, quæ quemcunque ſemel cæperit, omni obſeruantia, & diſciplina regulari nudum, & aduerſarium facit; turbat pacem cum proximo, ſubijcit hominem Diabolo; auertit animum à Deo; adeò, vt nuſquam feratur affectus, & cogitatio, niſi de collecto, vel coaceruando maledicto peculio: Iuxta illud Saluatoris, *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* (Mat. 7.) En igitur quanta ſit proprietas, & quantorum malorum ſcaturigo.

POSTREMVM proprietatis malum eſt; quod conducit hominem ad *damnationem æternam*: præcipuum enim hoc malum proprietatis vitium habet, vt, cum mentem ſemel poſſederit, ita hanc in aſſueto malo obduret, vt excutere illius iugum, iam vltra non facilè poſſit; nec vlla ſalutis remedia admittit, donec de igne cupiditatis, ad ignem præcipitauerit pœnæ infernalis. Experientia hoc docet & palam Pater Auguſtinus in ſermone ad Samanum dicens, *Væ* (inquiens) *vobis Monachi, qui diuites eſſe curatis in pecunijs, & locupletes in veſtibus & amittitis regna cælorum; qui ſponte Domino promiſiſtis obſeruare normam Sanctorum Patrum, quorum exemplis, & actu irradiaremini in cælo; & modo per cupiditatem pecuniæ, intrabitis in ignem æternum, Tunc, iuxta Pſalmiſtam, ſpinæ proprietariorum, intelligent ramnum, quem abſorbebunt abira in igne:* (Pſ 57.) *qui prius ſuper cadente igne cupiditatis, noluerunt videre Solem.* (Ibid.) O igitur malum, tantorum malorum germinum matrem proprietatem!

§ 6. *Seueritas pœnæ proprietarij.*

IAM poſtremò, vt nos expediamus, ex *ſeueritate indictæ pœnæ* intelligi poterit, quid cenſendum ſit de vitij huius grauitate: in (VIII.) mentem reuocentur ſcripturarum ſupra commemorata exempla, & vndique quanta vltione, proprietatis vitium punitum ſit inuenietur. Voluant, & reuoluant vtriuſque paginas Teſtamenti, nec occurret crimen aliquod acerbius proprietatis vitio mulctatum. Patet, ſi rite pendantur vltio Achor, & Saphyræ, & Ananiæ: (Ioſ. 10. Act. 5.) Vnde enim timor magnus irruiſſe legitur ſuper omnes, qui audirent. Atque ô vtinam & nunc timor Domini magnus irruat ſuper proprietarios noſtros; cum videant ex initijs Eccleſiæ tam dira ſententia, & graui pœna vitium hoc præ cæteris à ſanctis omnibus perſecutum. Nam ob idem vitium magnus ille Cyprianus Diaconum ſuum eccleſiaſtica ſepultura priuauit. Conſimiliter & ſancti Patres *ſepultura Aſini* proprietarios omnes, (Ier. 22.) ſine indulgentia, tumulandos decreuerunt. Quantopere Pater Auguſt. contra Ianuarium presbyterum indoleat, inuehat, & clamet, in ſermone patet de vita clericorum. Quàm etiam graui pœna ſacri Canones id decernant mulctandum, patet ex tenore eorum. Dicitur ſiquidem, *extra de ſta. Monach. c. Mon. Qui peculium habuerit, à communione remoueatur altaris*; itemque. *Et qui in extremis cum peculio inuentus fuerit, & dignè non pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter Fratres accipiat ſepulturam.* O indubitatum graue crimen, quod tam acerba plectitur pœna. Cæterorum ſiquidem vitiorum pœnitentiæ, per mortem ſaltem deficiunt: huius proprietatis exceſſus, non modo in hac vita duriſſima diſtrictione corripitur; ſed etiam poſt mortem terribili animaduerſione punitur. Et iuſta quidem huius præuaricationis damnatio! iure excommunicatur, qui ſua communicare noluit; Et æquiſſime non ſepelitur inter Fratres; qui ſua proprietate concordiam Fratrum ſcidit. Hinc ſaltem intelligamus, quantus ſit criminis huius exceſſus. Omnia vitia Monachorum leui quadam miſeratione puniuntur ad arbitrium Præſidentis: ſola proprietas eſt, quę reum à communione ſanctorum, tanquam mendacem Spiritui Sancto eliminat. Vnde & iubetur viuus de Monaſterio proijci; & mortuus extra cœnobium in ſterquilinijs ſepeliri. Ita enim planè textus Canonis habet, vbi ſupra cap. *Cum ad monaſt. Prohibemus quoque diſtrictè*, &c. vt ſupra. Quod ſi apud quemquam in morte, proprietas inuenta fuerit; ipſa cum eo in ſignum perditionis, extra Monaſterium in ſterquilinio ſubterretur: ſecundum quod B. Gregor. narrat in Dialogo, de quodam Diacono ſe feciſſe, &c. Similiter conſuluit, & Clemens III. de Canonico Regulari. *cap. ſuper quodam.* dicens, quod Canonicus ille, non tantũ fuerit Chriſtiana ſepultura priuandus, verum etiam, ſi ſine magno ſcandalo fieri poterit, de ipſa proijci eſt dignus Eccleſia. Hoc autem forte, cum contigerit, in ſimilibus eſt agendum, Magna profectò criminis huius grauitas; pro cuius expiatione offerri ſacra oblatio, & dari Chriſtiana ſepultura prohibetur. Si ita punitur in terris: grauius plectetur apud inferos. Damnationis ſententiam, & acerbiorum inferorum pœnam, euadere non poterit proprietarius Religioſus, ſi abſque penitentia decedat ex hac vita. Patet ergo ex iam dictis, quam ſit grauitas vitij proprietatis omnibus fugienda Religioſis, & corde, & ore, & opere: vt nec interius corde aliquid concupiſcant; nec exterius, aliquid tanquam proprium poſſideant; nec ore aliquid proprium dicant, vt ſic radicitus, & omnimodis tantum crimen amputetur ab illis.

Nec putauerit quiſpiam, quod in ſola pecunia conſiſtat hoc vitium proprietatis: Conſtat ſiquidem, & in omni re, quæ pecunia

vendi-

venditur aut comparatur. Proprietarius ergo quis eſſe poteſt etiam in minimo, ſicut alius in magno. Et ſi paruum quid contra regulam ſine Abbatis licentia, inordinatiore affectu poſſederit, ſine dubio proprium tenet. Vnde & magnus ille regulator Benedictus ait, *Nihil omnino monachus proprium habeat*. vbi *nihil* habere permittitur, planè omnis rei proprietas aufertur: vnde & in regula exequitur etiam de paruis, *Nullam*, inquiens, *omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, ſed nihil omnino. Quippe quibus, nec corpora ſua, nec voluntates licet habere in propria poteſtate.* Hæc P. Benedictus. Cui conſonant etiam aliæ regulæ omnes, etiam minimorum quorũlibet, vſum ſuperfluum interdicentes. Hinc in antiquiſſima regula Stephani & Pauli inuenimus. *Nulli fratrum liceat, vel pomum, vel quodcunque olerum aut condimentorum, vel aliquid ad vſus ſuos, quaſi peculiari apparatu habere: ne maligno detur occaſio.* Et iterum: *Nulli liceat vel veſtimentum vel calceamentum, aut tabulas, vel cuiuſcunque rei paruiſſima tam nouum quàm vetus; nec quicquam quod alteri fratri datum fuerit, praua præſumptione contingere ad vtendum. Nec inter ſe fratribus liceat, vt id, quod de communi quiſquam acceperit, niſi permiſſu prioris, cum alio fratre, quaſi peculiari amore commutare: ne hac occaſione naſcatur amor illicitus, aut ſpecies proprietatis:* Similiter & in regula Pachomij, quam ab Angelo ſuſceperat, ita iubetur: *Nemo in domo & cellula ſua habeat aliquid, præter ea, quæ in cõmuni Monaſterij lege præcepta ſunt; nec puluillum quidem ad caput.* Longum eſſet inhibitiones ſingularum regularum commeminiſſe: cũ hæc vnica fuerit puritas patrum omnium antiquorum; vt in quarto libro Inſtitutionum tractat Caſſianus: quod nulli ciſtellam, nulli peculiarem ſportam; vel quippiam licuit retinere. Poſtremum hoc, pro tanto commemoratum ſufficiat, ne ſecuros ſe vſquequaque putent à proprietatis vitio; quo ſe nomine gloriantur, Reformati. Nam & inter nos, qui Reformati dicimur aut Obſeruantiales, graue hoc crimen nonnunquam ſerpere inuenitur, ſi etiam minima quælibet inordinato poſſideamus & inhærente illicito amore. Errant igitur & peccant, & incidunt in hoc crimẽ, qui minima quæque, ſicut tabulas, iconas, & mappulas dare aut accipere ſe poſſe exiſtimant, abſque licentia Superioris. Aut ſi qui præter & ſupra neceſſitatem, in cellulis ſuis, multa priuata poſſidere velint in imaginibus aut libellis; putantes ea iccirco non eſſe propria, quia pretio ſunt parua; aut etiam in graphio & penna, idem proprietatis crimen committi poterit, ſicut alij in pecunia, cùm tanta fuerit inhæſio & peruerſitas voluntatis; nec promptitudo pro voluntate Superioris reſignandi. O audiant & paueãt, & caueant iſtud etiã omnes reformati, nihil poſſidentes ſuperflui, inordinatiore affectu: ſecus peculij vitio ſunt rei cenſendi.

MEMBRVM II.

Confutatio excuſationum vitij proprietatis.

FORENT iam pro vtiliori materiæ huius deciſione refellendæ & cõfutandæ omnes X.
excuſationes, quas prætendunt in excuſationem criminis huius, vtpote dum obtendunt,

Antiquitatem conſuetudinis,
Procurationem communitatis,
Diſpenſationem Superioris,
Traditionem clauis,
Vel Promptitudinem reſignationis,
Prouiſionem amicorum, & neceſſitatis,
Commodum Eccleſiæ, & cõmunis vtilitatis,
Timorem turbationis.

Quæ omnia cum aliis motiuis, quia ab aliis abundè & efficaciter refutata ſunt; ſicco à nobis pede ſunt tranſeunda, breui ſuper ſingulis reſponſione non tam ſignata quam tacta.

ET PRIMO quidem vbi objiciunt *Conſuetudinem antiquitatis*, facilè obuiat huic obiectioni regula iuris, quod *poſſeſſor malæ fidei nullo tẽpore præſcribit*; & abuſus potius eſt, quàm vſus: corruptela magis, quàm conſuetudo; aggrauans magis, quàm excuſans: irrationabilis prorſus, obuians Canonicis inſtitutis. Latiſſima patet reſponſio ex Decretis & Decretalibus, titulo de conſuetudinibus.

PORRO quo ad alterum palliamentum, quod allegant ſe non habere proprium, ſed *Procurare communitatis officium*; liquet quod ſit abuſio nominis: Dum enim ſinguli propria curant, communitati non procurant: Et dum communem Procuratorem non habent; contra regulam, quæ commune veſtiarium iubet, & contra paupertatis votum, quod nil proprij ſinit, agunt. Iuſſum eſt, *Quod ſemel egreſſum eſt de labijs tuis, obſeruabis & facies, ſicut promiſiſti Domino. Maledictus* *Deuter.10* *Malach.1*
ſiquidem *doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens, debile animal immolat:* quod agit Religionis profeſſor, proprium aliquod tenens, ſi officium commune non habet;

QVOAD TERTIVM, *Diſpenſationem Superiorum*, iam ſupra dictum eſt, quod ita annexa eſt XI.
monachali profeſſioni abdicatio proprietatis, vt nullius in eam cadat diſpenſatio poteſtatis, nec quidem Summi Pontificis; taceo de facultate Abbatis, Capituli, vel cuiuſq; cõmunitatis, cũ votũ ſolemne indiſpenſabile ſit, vt aiunt doctores. Et quiſquis contrarium putat, errat; quiſquis aliter ſapit, deſipit. Apertè ſiquidem obuiat conſtitutio Canonis & iuris, *c. ad monaſ. 5. Nec exiſtimet Abbas, quod ſuper habenda proprietate, poſſit cum aliquo diſpenſare*.

Sed aiunt, non diſpenſat habere proprium, ſed ſolum rerum vſum; *Pro quo notandũ*, quod duplex eſt vſus rerum, certus & incertus: Certus vſus eſt, qui non poteſt auferri, incertus, qui in voluntate eſt alterius, vt aufe-

tatur, cùm ei placuerit. *In primo* non cadit diſpenſatio, quia voluntas Religioſi tenetur ſemper ſubiecta eſſe Prælato, de reſignando. Porrò quo *ad vſum incertum* poteſt diſpenſare, ſubexiſtente rationabili cauſa: Quæ cauſa rationabilis conſiſtit in duobus, in neceſſitate ſcilicet, & vtilitate communitatis. Neceſſitas autem adhuc poteſt eſſe duplex; priuata ſcilicet & communis: pro perſona ſcilicet vel collegio communitatis. Similiter & eſt vtilitas duplex; priuata pro perſona, & communis. Et vbique cadit poteſtas diſpenſationis, dum tamen ſit rationabilis.

Sed valde notãdum, quod ſignat ſuper regulam B. Auguſtini M. Vmbertus, quod licet huiuſmodi neceſſitates & vtilitates ſint interdũ cauſa ſufficiens, quod concedatur vſus aliquarum rerum; tamen non omnis neceſſitas aut vtilitas ſufficiunt ad diſpenſandum, niſi ſint valde manifeſtæ, & rationabiles. Cuiuſmodi ſunt, quæ non ſunt ſuperflua, ſed merę neceſſitatis, & pro ſalute animæ, &c. Aliàs cauẽda eſt facilitas diſpenſationis in ſuperfluis: *Tũ* propter ſpeciem mali, quæ alios, etiam ſi cauſa ſubſit, ſcandalizat; *Tum* propter conſcientiæ

Pſal.26. periculum, ne cauſa fingatur, & *mentiatur iniquitas* ſibi; dicens ſibi vtile, id eſt neceſſarium, quod non eſt. *Tũ* propter ſequelam aliorum, ne quod vni permiſſum, ab omnibus credatur licitum. Et nunquam breuiter, pro voluntatis libito, ſed pro rationabili cauſa diſpẽſandum. Quæ diſpenſatio ita erit modificata, vt nunquam generalis ſit, quoad loca, tempora, & perſonas: Aliàs diſſipatio potius quàm diſpẽſatio dicenda erit. Patet ergo ex dictis, quod nullatenus valet diſpẽſatio, vt omnes in omni tempore poſſent habere vſum pecuniarũ, etiã ficta aliqua cauſa, vt eſt malè cõſuetis, & mul-

Matth.15. tis monaſteriis, vbi cæcus cæcos ducit, & pariter timere debent de periculo caſus.

☞ Valde ſiquidem annotandum eſt, quod notat memoratus M. Vmbertus, ita dicẽs, quod ſi Prçlatus diſpenſet cum ſubdito ſuper incerto vſu rei alicuius, vbi cauſa rationabilis non ſubeſt, & ſubditus animum promptum habet reſignandi id ſemper cùm fuerit requiſitus; is talis, licet excuſari poſſet à vitio proprietatis, propter promptitudinem reſignationis, non tamen eſt ſine peccato, tam Prçlatus diſpẽſans quàm ſubditus irrationabili & non neceſſaria

2. Cor.10. diſpenſatione vtens. Cùm & in diſpenſante abuſus ſit poteſtatis, quæ data eſt ei in ædificationem, non in deſtructionem: & quia nõ eſt ſeruus prudens & fidelis, concedens & diſpẽſans præter & contra authoritatem ſuæ com-

Luc.14. miſſionis. Dominus etenim dicit, *Omnis, qui non renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quoties autem Prælatus ſubdito proprium indulget, aut non neceſſariorum vſum diſpenſat, cõtra Dei præceptum facit, & contra Religionis votum, vbi ſpopõderunt voluntariam paupertatem, aut proprij ſaltem carentiam, in eum finem, vt Deo adhęrerent per charitatis feruorem, intermittentes tanquam charitatis venenum, & diuini feruoris impedimentum, omnem rerum omniũ concupiſcentiam. Quandocunque ergo Prælatus non prudenter & fideliter diſpenſans, limites ſuæ commiſſionis tranſgreditur, tunc & ipſe peccat, & grex eius ſeducitur. Peccat etiam ſubditus, irrationabilem talem diſpenſationem recipiens, & contra conſciẽtiam & profeſſionem aliquid cum aliorum ſcandalo, & animæ ſuæ periculo, ſub pallio diſſipationis potius quàm diſpenſationis tenens. O atque vtinam omnes illuminatos cordis oculos haberent; vt periculum, ſub quo pendent, cernerent & præcauerent.

CÆTERVM reliquæ illæ allegatæ prætenſiones, quibus palliare nituntur vitium proprietatis, inualidæ ſunt, & nullius roboris. XII.
Nam *illuſoria & ficlitia, aut commentitia res eſt, traditio illa clauis*: non illuditur Sapientia Dei, cuius oculi Sole ſunt clariores. Traditur clauis rerum, & ſeruatur affectus poſſeſſionum: *Promptitudo reſignationis* verbotenus ſola eſt, non in executione operis: Declarat hoc ſubterfugium reformationis.

ALLEGATIO autem ſuper *prouiſione tractandorum* amicorum, & incumbentis neceſſitatis, nulla eſt: cùm omnia hæc iubentur administrari de communi, vt ex regula patet. XIII.
Nec contra Dei præceptum, ſacros Canones, & promiſſam regulam aliquid poterit ſibi vſurpare, ſub huiuſmodi prætextu pecuniarum. Regula neceſſaria adminiſtrari iubet, nõ pecunias elargiri. O quantum venenum in permiſſione pecuniarij vſus effuſum & admiſſum eſt in ſacra Religione! pecunia malignantis eſt, & limoſæ naturæ: Cor ſegregat à Deo, & finem corrumpit profeſſionis ſacræ.

QVOD autem allegant, ex pecuniaria hac diſtributione *Eccleſiæ commodum maius*, quàm ſi fieret diſtributio de communi rerum; prorſus id indignum: quod & nullatenus eſt verũ; & tametſi verum foret, nullatenus tamen propter temporale commodum, frangendum eſſet votum, nec propter parua etiam lucra rerum, poſtponenda forent multa damna certa animarum.

POSTREMÒ de timore *turbationis* timent Prælati, vbi timere non deberẽt. Aliquid magnum pro exterminatione tanti criminis audendum eſſet: inſaniant & furiant licet ſubditi religioſi; cogendi tamen ſaltem eſſent à vitio hoc peculij: aut ſaltem inducẽdi. Sed quia hominem magis Prælati timent quã Deum, ideò res omnis *vadit in antiquam ſiluam*; nec ſincerè quæritur & conſtanter ſalus animarum, quæ propter graue hoc proprietatis crimen manent ſub multo ſalutis periculo. Nam pro breui materiæ huius reſolutione, breues hæ tenendæ ſunt concluſiones, iuxta Turrecrematam & alios. *Prima concluſio*, quod *excuſatio vel defenſio, quibus Religioſi* ſe defendere nituntur, ſuper vſu rerum multarum quas poſſident ſine rationabili cauſa: vtpote veſtes, pręter neceſſitatem, libros, vel iocalia, dicentes ſe habere Prælatorum diſpenſationem; nulla eſt, vt patet ex dictis. Cum enim diſpenſatio dicatur *prouida Iuris cõmunis relaxatio, vtilitate ſeu neceſſitate penſata*: Et talis, cùm non ſit prouida, nec vtilitate nec neceſſitate promota, *Diſpenſatio quid.*

non

non eſt diſpenſatio; ſed potius iuris & religionis dicenda diſſipatio.

ALTERA CONCLVSIO. *Tolerantia aut diſſimulatio Prælatorum in præmiſſis abuſibus non videtur excuſare ſubditum religioſum, ſed illaqueare & Prælatum pariter & ſubiectum.* Nota ſunt decreta Patrum 83. *diſt.* vbi Symmachus ait, *Non eſt grandis differentia an latum inferas vel admittas.* Et Innocent. *error, cui non reſiſtitur, approbatur* &c. Et qui cœco ductori
Matt.15. ſe credit, quam mirum ſi in foueam duci velit?

TERTIA CONCLVSIO, quod *Prælati, qui talibus diſpenſationibus minus prouidis abutuntur, ſunt in periculo animarum, non eas reuocando:* vnde Pius Papa ait, *Quid prodeſt ſuo errore non polluí, qui conſenſum præſtas erranti?* Certa eſt
Rom. 1. ſententia Pauli, quod *& faciens & conſentiens eadem pœna ſunt digni.*

QVARTA CONCLVSIO. *Periculoſus eſt in religionibus huiuſmodi viuendi modus, ſub irrationabilibus diſpenſationibus,* quæ fiunt contra Regulam & Canones ſine cauſa & neceſſitate: quia vterque eſt ſub periculo grauis peccati; & Prælatus diſpenſans, & ſubditus diſpēſatus, vt ſupra patuit.

QVINTA CONCLVSIO, quod *grauiſſimè peccant, qui reformationi huiuſmodi abuſuum temerè reſiſtunt, & ſe, & alios defendunt, ne ab huiuſmodi labe purgentur.* Peccatū hoc eſt in Spiritū ſanctum, vt patet; & tales ſunt ſub ſtatu damnationis, vt ait Vmbertus; quia formaliter ſunt contemnentes remedia ſuæ ſalutis. O pauendum & dirum pro religioſis multis verbum!

XV. D QVOD tamen non velimus (abſit) intelligi de vniuerſis, qui ſunt in monaſterijs deformatis: vbi quadruplicis aut quintuplicis inueniri poterunt generis. QVIDAM etenim
Varia propoſita religioſorum. eſſe poſſent, qui dolenter, & amaro animo ferunt, quod non aliter pro obſeruantia viuunt, ex animo ad reformationem aſpirantes; ALII verò intra ſe nolentes aliter viuere, ſed ſic, vt ſunt, malunt manere, nollent tamen ſuperioribus reſiſtere, ſi vellent reformare. TERTII autem inueniuntur, de qualibus diximus, qui poſitiuè ſic viuere ſub deformatione volunt; & omni reformationi pertinaciter reſiſtunt. QVARTI forſan inueniuntur, qui videntur eſſe neutrales, in omnem partem incurij de modo, vel ſic, vel aliter viuendi. Inueniuntur forſan ET ALII alterius generis, qui ſcilicet apparent bonæ voluntatis, & ſe reformare intendunt: Sed aut quadam animi fragilitate, aut quia nullum modum reformationis conſentaneum ſibi inueniunt, differunt, & inducias ſemper captant; qui non ſunt ſine bona quadam ſpe; nihilominus ſunt etiam ſub periculo, propter tepiditatem affectus: & quia ſe diſcrimini exponunt, & puſillos ſcandalizant, &c. *Inter hos omnes modos, Religioſi ſecundi & tertij generis, qui deliberatè reformari nolunt, licet reſiſtant, ſiue non, ſi ſic in finem vſque perdurent: de his loquitur tenor dictæ horrendæ concluſionis, quod ſub ſtatu ſint damnationis.* De quarti generis Religioſis aiunt docti, quod ſunt ſub periculo ſalutis, eo quod in ſchola Religionis non proficiunt: nec in perfectionem pro exigentia ſtatus ſui tendunt, & incurij ſunt ſalutis: & ergo eorum tranſitus ſatis de perditionis periculo eſt ſuſpectus.

Porrò primi generis Religioſi, qui viuunt XVI.
in locis deformatis, vbi regula & cærimoniæ non obſeruantur cum propoſito & animo ſeſe reformandi, ſi valerent; vt ſecurius viuant, & tutius ſaluti conſulant, debent (iuxta conſilium Domini Antonini, & Ioannis Nyder) laborare pro alio Conuentu, vbi regulariter viuere poſſint, & illuc ſe transferre. Hoc conſilium fuit ſancti Bernardi & Bernardini. Niſi forſan ſpem haberent ſatis certam proprij loci reformandi, ex eorum præſentia, &c. Quòd ſi Conuentum reformatum habere non poterunt; aut ex charitate, ne ſcandalum grauius ſuſcitent; vel ex infirmitate aut humilitate propriæ conſcientiæ, id omiſerint: Sperandum quod ſine peccato in loco irreformato perſiſtere
poſſunt: dum tamen *ſobriè, iuſtè & piè* illic Tit. 2.
viuant; has conditiones obſeruantes, vt, ſcilicet ſuper hoc doleant; *Secundo,* vt pro reformatione introducenda, ſemper quod in ſe eſt faciant: *Tertio,* vt bona ſibi commiſſa ſine licentia etiam, nec in eleemoſynis diſpenſent; *Quarto,* quod non ſæculariter viuant; *Quinto,* quod in piis exercitiis, quantum poterunt, ſe extendant; tenendo tamen de licentia Prælati vſum rerum neceſſariarum; cum propoſito reſignandi ſemper ad beneplacitum ſui Superioris: imò omne ſuperfluum illi dando, aut potius ab alio rerum prouiſionem, ſine vſu pecuniario, recipiendo. Pro huiuſmodi, pia eſt ſententia beati Bernardi, in præclara illa Epiſtola ad Adam Monachum. Vbi poſtquam rationem tradidit, cur plures Religioſos ex deformatis monaſteriis etiā aliorū Ordinum, fracto quodammodo ſtabilitatis voto, & contempto Seniorum imperio, ſuſceperit: dicit propterea tales eos ſuſcepiſſe, quoniam non putauit eſſe malum ſi vota labiorum ſuorum, quæ in locis ſuis potuerunt quidem promittere: ſed nequaquam perſoluere Deo, qui vbique eſt, vbicunque potuerint reddant: & ſolius ruptæ ſtabilitatis damna reliquorum regularium præceptorum integra obſeruatione compenſent: pro quibus, quia ſalutem quærunt, ſalutis author plenius reſpondebit. Varia ſuper materia, & cauſis huiuſmodi tranſlationis, dicit in variis Epiſtolis, vtpote ad Canonicos Regulares, ad Monachos Flauiacen. ad Abbatem Eboracen. vtique ſuadens Spiritum non extinguendum, &
maius bonum minori præferendum. Sed vt 1.Theſſ.5.
cæptam piam ſententiam pro perſiſtentibus in medium adducam, ita de his ait vbi ſuprà. *Exceptis inuidis & malitioſis (quos excuſare, nec volo, nec valeo,) ſi quis cæterorum ad Regulæ cupiat tranſire puritatem, ſed propter ſcandalum, aut non audeat, aut certè etiam ob certam corporis infirmitatem, puto quod non pec-*
cat: dum tamen ſuo ſtudeat in loco ſobriè & iuſtè, Tit. 2.
& piè conuerſari. Nam ſi qua, ex more monaſterij, minus fortè diſtrictè quàm regula conſtituiſſe

videtur, obſeruare compellitur: excuſabit hoc forſitan, aut illa charitas, quæ cunctatur migrare ad 1.Pet.4. *melius, propter ſcandalum; iuxta illud, Charitas operit multitudinem peccatorum; aut illa humilitas, quæ propriæ conſcius infirmitatis, ſe reputat imperfectum: ſiquidem & de ipſa ſcriptum* Iac. 4. *eſt, Deus humilibus dat gratiam.* Hæc benedictus ille Bernardus. Hæc annotata per exceſſum, ſufficiant pro inſtitutione & conſolatione quorundam optimorum religioſorum; ſub deformatione, cum pia voluntate (veluti viri Ezech.9. deſideriorum, & dolorum ſigno Thau gementium) viuentium. Alterius ſiquidem, & latioris operis eſſet, loqui de ſanctificatiuæ materia reformationis. Redeundum ad præconceptam materiam execrabilis & exterminandæ proprietatis: vbi, & in qua, totius initium conſiſtit deformationis. De qua, quia plura iam diximus; reſtat, vt de remedijs tangamus, vel profligandi vel exterminandi tanti criminis.

MEMBRVM III.

Remedia contra vitium proprietatis.

XVII. SVNT itaque, (vt breues ſimus, qui prolixiores fuimus) hęc remedia tantæ luis,

Penſent, prouideant, fidant, ſpernant, timor, haud dent.

PRIMVM remedium, & non vſquequaque inutile eſt, præmiſſa hæc omnia conſiderate: ſedula ſcilicet mente reuoluere grauitatem, enormitatem, malitiam huius tãti criminis: Vt ſic poſſit homo pertingere in horrorē huius facinoris. Libenter audire aliorum deſuper commonitiones; & deſuper conferre cū alijs. Credendum ſiquidem, quod cumplurimi ſint proprietarij ex inſcitia & ignorantia criminis; qui, ſi vitij enormitatem agnoſcerent, proprietarij non eſſent.

XVIII. ALTERVM, & perneceſſarium remedium eſt liberalis & bona prouiſio à Prælatis, omnium neceſſariorum, vt ſcilicet iuxta Patrum regulas, & morem Apoſtolicum, plenè & opportunè, & in tempore de communi vnicuiq; Iac. 2. diſtribuatur, quod opus fuerit, ſine perſonarū acceptione. Vt quemadmodum Prælatus ſibi prouideri in omnibus deſiderat; ita quoque & ſubditis neceſſaria impendat. Ex indigentia neceſſitatis, & mala prouiſione ſeu tenacitate & auaritia Præſidentis, ſubortum ſępe inuenitur vitium proprietatis. Malunt ſiquidem aliqui habere aliqua cum peccato, quàm ſtare ſub indigentia rerum: Non dicendo cum Pſal. Pſal. 69. *Ego verò egenus, & pauper ſum.* Pauperes ſine defectu eſſe volunt. O in hoc ſe emendēt Pręlati religionum, quia ex hoc initium ſumendum eſt reformationis, & obſeruantiæ regularis fundamentum. Facilè etenim ad omnem obſeruantiam regularem religioſos ſuos Prælatus poterit compellere, dum ea, quæ neceſſaria in omnibus eis ſunt, ſtuduerit plenè adminiſtrare. O quot patitur Deus diſpendia animarum propter auaritiam Prælatorum, qui poſſent monaſteria bene reformare ſi vellent neceſſitatibus fratrum occurrere, & de communi omnia miniſtrare. Sine quo etiam nulla perſtabit religio. Nam ex illius defectu proueniunt mala multa; inde murmur & detractio, inde proprietas, & conuentus euacuatio, inde fratrum, & totius diſciplinæ regularis ſubuerſio. Caueant igitur Prælati & officiales, ne occaſionem præſtent tantis malis. Commemorat Ioan. Nyder, quod ex defectu veſtiarij, qui circa hyemem non adminiſtrabat ſoccos & pedalia, quod deformatum fuit ſolemne monaſterium, & proprietas ſuborta Repræhenſibilis eſt Prælatus, & officiales, ſi nō bene prouident ſocijs de neceſſarijs, qui portant pondus diei & æſtus. *Qui aufert in ſudore panem;* Mat.20. *quaſi qui occidit proximum ſuum. Non alligan-* Eccl.34. *dum eſt os boui trituranti.* Legitur in Actibus Deut.25. Apoſtolorum, quod *nullus erat egens inter illos,* Act.4. de extremè ſcilicet neceſſarijs.

TERTIVM remedium eſt magna *Confidentia* de diuina prouiſione. Interdum occaſio proprietatis venit ex diffidentia diuinæ prouiſionis: Aliqui enim ſemper timent egere: cōtra quos ait Apoſtolus, *Sine auaritia præſen-* 1.Tim. 6. *tibus contenti: ipſi enim cura eſt de nobis.*

QVARTVM remedium eſt, *Contemptus carnalitatis*, & terrenorum. Aliquibus enim oc- 1. Pet. 5. caſionem proprietatis dedit, error carnalitatis & curioſitatis; qui ſcilicet neceſſariis non ſunt contenti: Contra quos Apoſtolus clamat, *Curam carnis non feceritis in deſide-* Rom.13. *rijs.*

QVINTVM remedium eſt: *Timor pœnarum*, & cenſurarum Canonis, vt ſcilicet Prælati ſubiectos ſemper commoneant; & niſi ſe emendent, cenſuras memoratas intentent, vt quos Dei timor à malo non reuocat, cenſura ſaltem compeſcat.

VLTIMVM & non infimum remedium eſt, XIX. ne Prælati aliquam ſubditis proprietatis occaſionem adminiſtrent; vel neceſſaria ſubtrahendo, vel etiam ſuperflua admittendo: Sed exercitatione communitatis, ſępe non permittant tenere illis ab aliis data, vt habent noſtra inſtituta: vbi ſic dicitur in forma. *Ante omnia verus Prælatus caueat, ne ſubditis neceſſaria in pecunijs concedat, quoniam qui ſine ſollicitudine mundialium rerum diuina contemplationi debent inſiſtere; nimis diſtrahuntur, ſi permittantur, pro vſu neceſſitatum, pecunias habere: quod omnimodè illicitum, & omni contrarium obſeruationi.* Valde quoque debent præcauere, *ne plures ſtudeant Officiales* ordinare: Quoniam vbi plures præter Regulam Officiales, ibi etiam vt plurimum plures ſunt fures, proprietarij, & latrones, vt ſupra ex Vmberto allegatum. Nullatenus inſuper, prò lucro rerum temporalium, exponere debent Fratres diſcrimini & periculo animarum. Quod fit quoties idoneas perſonas in exterioribus officiis ponunt, vel in paruis Prioratibus paucos locant. In paruis enim Prioratibus, (ſi Bernardo, Hugoni & Vmberto creditur,) & Religio annihilatur, defectu obſeruantiæ, quæ ibi relaxatur, meritum obedientiæ imminuitur, continentia facilè periclitatur. Vnde tales Prioratus

paruí,

parui, non ſunt niſi religionis diſſipatio, Monachorum proſtibula, & latrocinia religioſorum. Religio etiam ſemper in congregatione ſeruatur; *in concilio iuſtorum*, & in adunatione, non diſperſione affectuum.

Hæc ecce ſunt, quæ ex Charitate fratrum, & zelo religionis aggregauimus ſub breuitate de vitio proprietatis: quo nihil periculoſius in perſonis ſacræ religionis profeſſis; cui vitio nullus patet excuſationis locus. Cùm & lex diuina prohibeat; Ius Canonicum interdicat; omnes Sanctorum Patrum regulæ cōtrarium proclament; & contradicat ratio & finis profeſſionis; ne admittantur impedimenta aliqua quæ retrahant ab inhæſione Dei, & perfectione charitatis. Hæc quæſo audiant & paueant, cum beneuolentia ſuſcipiant, & caueant omnes ſerui proprietatis, vt finem attingant profeſſionis: & non multa ſcelera committant in
Iere. 11. domo Dei. Et hæc de excitamentis deſidiæ & teporis.

Vnicum autem hoc in fine huius exercitatorij & eruditorij annectendum, vt quoties torpor quiſpiam, cuiquam obrepſerit, quoties pro tædio anima dormitauerit, aut deuotionis feruor præ ſpiritus inopia intepuerit: mox ſupraſcripta ad manum excitamenta habeantur; ſibique quiſque cum Bernardo dicat. Cur torpes, cur deſidia animā tabeſcis? Non ſunt
Rom. 8. condignæ paſſiones huius temporis ad culpā præteritam, quæ remittitur ad gratiam præſentem, quæ immittitur ad infetni æternam pœnam, quæ euaditur, & ad gloriam futuram, quæ repromittitur. Sic ſingula excitamenta conſideratoria intexendo: quod ſi quis effecerit, is indubiè torporis expers feruens remanebit. Et hæc de altero principali.

De proficiēdi medijs, quæ ſunt, declinare impedimenta boni & profectus.

CAPVT TERTIVM.

1. *Capite nobis vulpeculas, quæ demoliuntur vineas.*

Iam de tertio principali, ideſt de *promotiuis proficiendi* inquirendum. Quæ potiſſimū conſiſtunt in duobus; Quorum *primum* eſt declinare boni impedimenta; Ideo enim nos huius temporis tam parum proficimus, quia
Esa. 50. illa non declinamus: *Non enim eſt abbreuiata Domini manus*; Quomodo enim quis, in quouis etiam externo, prophano, gregarioque officio conſtitutus proficere poſſit, ſi neſciat vitare impedimenta profectus, vel artis? Sciendum igitur, quod proficere volentibus, obſtaculo eſſe ſolent, & impedimento,

Quædam { generalia omnes vniuerſaliter impedientia. ſpecialia in hoc tempore ſpecialiter obſtantia. ſingularia ſingulis ſingulariter obuiantia. }

MEMBRVM I.

Generalia impedimenta profectus.

Generalia impedimenta profectus, enumerat Bernardus in ſermone ſuo de Septuageſima, & ſunt iſta,

Carnis fragilitas,	*Cordis inſtabilitas,*	*Mundi proſperitas & aduerſitas,*
Corpus,	Cor;	Mundus;
Mentis cæcitas,	*Diaboli doloſitas.*	*Malorum exempla & ſocietas.*
Neſcis,	Leo,	Facta malorū,

Proſequitur hæc Bern. vbi ſupra, vnde à nobis, horum proſecutio non eſt replicanda: Tantùm hæc obſiſtentia dignoſcamus, & pro poſſe declinemus, & obſiſtentibus viriliter reſiſtamus. Dicuntur autem hæc impedimenta *generalia*, quia vniuerſaliter omnes infeſtantia: Quæ ſi magis Religioni appropriare velimus, nota quinque cauſas iuxta Vmbertum generales, cur tam parum in Religione proficimus.

Mos, laxus, doctrina deeſt, exempla, voluntas.

Prima cauſa eſt, propter inolitam longam mali conſuetudinem, qua iam ſæcularis vita quaſi verſa eſt in naturam. Conſuetudo etenim quaſi eſt altera natura. *Si mutare poteſt* Iere. 13.
Æthiops pellem ſuam, & Pardus varietatem ſuam, & vos poteritis bene facere, cùm didiceritis malum. Palam eſt vetus prouerbium Sapientis: *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam* Prou. 22.
cùm ſenuerit, non recedet ab ea. Quiſquis ergo volet proficere, bellum fortè indicat malę aſſuetæ conſuetudini.

Altera cauſa cur non proficiamus, eſt nimia *laxitas* Monaſterij. Sicut ſerpens non in foramine lato, ſed arcto, veterem pellem deponit, & ſe innouat: ſic in Monaſterio illo, mores ſæculares non deponuntur, nec proficitur, vbi quiſque, ſecundum voluntatem ſuam viuere permittitur. Strenuum magiſterium bonum cauſat diſcipulum, & dat profectum. Et vbi diſciplinæ rigor, ibi & Religionis vigor. Mater inſolentiæ, & diſſolutionis impunitas eſt exceſſus.

Tertia cauſa eſt, *Defectus doctrinæ*, & inſtitutionis; *lex etenim Domini immaculata eſt,* Pſal. 18.
quæ conuertit animas: Cuius *ignita eloquia* ſunt, Pſal. 118.
cordis liquefactiua & immutatiua. Et ex defectu inſtitutionis prouenit defectus profectus & religionis, vt latius infrà.

Quarta cauſa eſt, defectus boni *Exempli*. *Longum* ſiquidem *iter eſt* (teſte Seneca) *per præcepta: breue & efficax per exempla*. Exemplum etenim bonum ſe habet, vt forma exemplaris valde mouens.

Quinta cauſa noſtri defectus & torporis, *Defectus* eſt bonæ & feruentis *voluntatis*, quæ totius initium eſt profectus: vt plenius ponitur infra, & eiuſdem per antipatiſtaſim defectus. Has igitur cauſas, quiſquis profectus eſt auidus, vitet; bonam conſuetudinem, malæ opponat; laxiora monaſteria diffugiat, ea ingrediendo vbi diſciplinæ rigor

Digitized by Google

viget (quemadmodum legitur de B. Bernardo, quod Ciſtertium adijt, tradens ſe religioni inopi, auſteræ & regulari) doctrinæ inſtitutionem amans, & exempla bona; quotidie voluntatem ad vitæ feruorem inflammans, memor ſemper commonitionis propheticæ, *Si*
Iere. 4. *conuerteris Iſrael, conuertere:* hoc eſt, perfectæ conuerſionis culmen apprehende. Nulli enim diu in eodem ſtatu eſſe conceditur. Semper aut proficiendum aut deficiendum ſeruo Dei; ſed iam de ſpecialibus proſequamur.

MEMBRVM II.

De ſpecialibus profectus impedimentis.

II. SPECIALIA impedimenta homines huius temporis à profectu retrahentia, Ioan. Nyder in ſuo Formicario ponit dicens, quod ex quinque vel ſex cauſis euenit, quod homines noſtri æui non tantum proficiant, nec tam ardua exercitia aſſumant, vt priſcæ ætatis ſancti. Quarum cauſarum defectus ſunt impedimenta ſpecialia noſtri profectus.

ex gratia ſingularitate.	*loci qualitate.*	*naturæ complexione,*	
Dona,	locus,	natura,	
à iuuentute,	*amoris.*	*Educatio.*	*vt hypocryſis.*
habitus,	zelus,	didicit,	laus.

PRIMA cauſa eſt feruor Priſcorum Patrũ, cuius defectus eſt nobis impedimentum profectus. *Dona*, id eſt, ex ſpecialibus Dei donis prouenit, vt vnus plus altero proficiat, & magis ardua alter altero exercitia aſſumat: vt patet in ſanctis multis, qui ardua fecerunt, à quibus ſubditos prohibebant; quia tale ſe donum à Deo accepiſſe, præ cæteris nouerant.

SECVNDA cauſa eſt *Locus*, id eſt, ex loci, aut aëris diſpoſitione hoc euenit. Aër enim ſi in regione aliqua eſt multum calidus, digeſtionem (vt aiunt Phyſici) impedit, calorem ad exteriora euocat, & ex conſequenti, abſtinentiores homines facit. Et ſic ex aduerſo, regio frigida, poros conſtringit corporis, & calorem exinde per antipariſtaſim augere poteſt in ſtomacho: Vnde prouenit, quod in partibus noſtris frigidis, viri quidam hyemali tempore plus comedunt, quàm æſtiuo. Non ergo mirum, ſi in regionibus calidis homines facilius ieiunent, vt olim Patres in Thebaida, & Ægypto aduſtis Solis calore regionibus. *Tempus* quoque, quod loco affine eſt, nonnihil egit ad priſcorum perfectionem Sanctorum: quando recens & calens adhuc feruebat Chriſti ſanguis in cordibus fidelium: quando Eccleſia ſub robore & flore iuuentutis vigebat. Cùm
1.Tim.2. iam ſint *nouiſſima tempora, dies mali*, tempora
Epheſ. 5 periculoſa.
2.Tim.3. TERTIA cauſa eſt *natura*, id eſt, prouenit ex naturæ & corporis complexione. Complexio enim corporis aliquorum habet (vt patet naturaliter in frigidis, flegmaticis, vel melancolicis) vt cibus tam modicus ſumatur, & adeò rarus, vt in comparatione ad alios, eorum abſtinentia videatur eſſe miraculoſa, & vix credibilis. Patet hoc in hominibus frigidis, in ranis, & ſerpentibus, & alijs animalibus, quæ multis menſibus in hyeme nullum penitus ſumũt cibum, in locis ſilueſtribus & paluſtribus deliteſcentes.

QVARTA cauſa eſt *Habitus*, ſcilicet *à iuuentute*, qui ardua efficere nouit, puta ſi quis aſſuetus eſt penè à cunabulis modicum victum & amictum habere: Sicut videmus in pauperibus, qui tam modicis in hyeme veſtibus contentantur, vt ſi eaſdem delicatè nutritus deferret tantummodo ob amorem Dei, videretur eſſe ſanctus. Has duas vel tres cauſas magni æſtimat magnus ille Gerſon; quod fuerint iuuamina ad perfectionis & ſanctitatis culmen D. Bernardo, dicens; quod matris deuotio, pia complexio, & debita educatio, velut per accidens & ab extrinſeco eum iuuerunt. Notans notabilem moralem doctrinam, quod commonendi ſunt parentes, vt bene inſtituant à teneris iuuenes, vt quaſi cum ipſo lacte imbibant ſibi virtutes & bonos mores. Notans quoque, non paruum eſſe virtutis iuuamen, habere complexionem aptam, ſuauem, piam, teneram & mollem. Ex hoc enim anima eſt deuotioni & meditationi aptior, & ad omnẽ compunctionem & virtutem facilior. Magnũ ſiquidem B. Bernardo virtutis fuit incitamentum, quod ex complexione pius fuit ſolitudinis amator, & mirè meditatiuus, vt geſta aiunt.

QVINTO *Zelus perfectionis* plures ita ſtimulat, vt ex amoris magnitudine exceſſum in exercitiis tantum faciant, qualis videtur tepidis impoſſibilis. Videmus hoc apertè in philocaptis erga fœminas amore cæco, quorum quidam tota hyeme nudis incedunt capitibus. alij carent veſtitu neceſſario, alij haſtiludiis mutuo impingunt lætaliter, alij vigilant inhumaniter, quæ omnia vincit amor cęcus, & leuiora facit. Cur igitur perfectionis zelus, Chriſti amor & dilectio (quæ *velut mors* *Cant. 8.*
fortis eſt) his maiora non poſſit efficere?

SEXTVM, quod ſpecialiter quoſdam promouet, fuit *educatio & inſtitutio* conuictus & *III.*
conuerſationis. Ex conuictu enim formantur mores, quod tangitur in verbo, *Didicit*, ratione verſus. Certum ſiquidem eſt, quod præcipuum bonorum omnium initium, in iuuenibus maximè educatio & inſtitutio eſt bonorũ motum, vt latius Quinctilianus tradit de inſtitutione iuuenum. Qualis autem & quanta ſub priori illa ætate, ſoleret eſſe diligentia iuuenum inſtituendorum, patet ex diuerſis decretis Patrum, & conſtitutionibus ſtatutorũ. Adeò, vt omnis noſtra inſtitutio, eorum comparatione non eſt niſi ſomniculoſa quædam & laxiſſima commonitio. Reſpiciantur antiqua Canonici Ordinis & ſanctorum Patrum ſtatuta, & vera comprobabuntur quæ dico. Callebant ſiquidem, diſciplinæ inſtituta teneris facilius ingeniis, inſeri poſſe: Idque penitus ſcientes inhærere ſenſibus, quod prius ſederit in mente, & imbibitur ab vnguiculis:

Quo ſemel eſt imbuta, recens ſeruabit odorem.
Teſta diu.

Ait Horatius. Et cogebantur quodammodo etiam violenter eſſe boni, trahentibus ſinguliſ

quem-

quẽlibet ſurſum ad profectũ,vt dicitur in vitis Patrum. Nunc verò vbi charitas refrixit, &
Matt. 24 *totus mundus poſitus eſt in maligno*, ſinguli pro-
1 Ioan. 5. ximos corrupto & tepido exẽplo ad inferiora deducunt: immo ſine quodammodo & verè, volentes nolentes, cogebantur eſſe, & ſi non boni,vel diſciplinati, ſaltem propter grauiſſimas & arctiſſimas pœnitentias, pro minutiſſimis etiam exceſſibus, ſcrupuloſis omiſſionibus:vt patet ex ſanctorum Patrum Columbani,& aliorum Patrum pœnitentialibus.

POSTREMO mouet & *Laus*,id eſt,fictio hypocryſis: nam etiam maiora quis nouit tolerare pro laude vana,vel ex auaritia. Hanc ob cauſam trutanni quidam & mendici, glaciali tempore, nudi in niuibus ſedent, vt ad compaſſionem moueant diuites, & ſuſcipiãt quid ab eis;ſed,vt quantum quis volens poterit, oſtendamus:Si hi tãta agunt pro laude vel mercede terrena: quid nos non perferemus pro vita æterna? Agite igitur pro gratia exoremus, iugi exercitio nos habituemus,& perfectionis zelum aſſumamus; pro laude cæleſti decertemus, & mirabiliter proficiemus; ea quæ ſunt profectus impedimenta declinantes.

MEMBRVM III.

De ſingularibus obſtaculis profectus.

M IIII. IAM de ſingularibus impedimentis proſequendum;quorum & ſi plura poſſint annumerari; ſufficiant tamen, vel principaliora hic commemoraſſe.

Velle tepẽs, Horror, Diffidens, Effluit, Haud ſcit, Mobilitaſq, Loquax, Incuria, Vulpis, Amorq.

PRIMVM igitur & præcipuum impedimentum eſt, *Velle tepens*, id eſt, remiſſa voluntas. Vult enim bonum, ſed ſine conatu laboris; & ideo conſuetudo vagandi cito retrahit eam à propoſito proficiendi. Hinc pigra voluntas ſeipſam rationis inſtinctu cogere debet: & quaſi pigrum animal,ſtimulis timoris Dei, & ſpe præmij agitare & impellere violenter.Qui enim verum ac feruens deſiderium proficiendi haberet, quotidie ſe emendaret. Prouenit autem defectus deſiderij huius, ex præſumptione perfectionis & probitatis propriæ; vt cùm reputat ſe homo aliquid eſſe, cùm nihil
Gal. 6. ſit in veritate. Hinc Seneca, *ideo meliores fieri nolumus;quia optimos nos eſſe putamus*. Cùm tamen iuxta Auguſtinum, *oportet tibi diſplicere quod es, ſi vis peruenire ad id,quod non es.*

ALTERVM retrahens à profectu eſt,*Horror difficultatis*,quo ardua aggredi veremur;& ideo in infimis iacemus & torpemus. Qui potiſſimum per diſcretum & aſſiduum mitigatur vſum.

TERTIVM eſt *Diffidens*, id eſt, Diffidentia diuini auxilij. Quo contra firmiter tenendum, quod ſicut gratia Dei non defuit incipientibus,ita & aderit copioſius proficere volentibus.

QVARTVM eſt, *Effluit*, id eſt, nimia effuſio animi circa exteriora & mundana: vnde ſan-
Gen. 49. ctus Iacob: *Effuſus es, non creſcas*. Oportet enim proficere volentem,*conſiſtere ſecum: primum compoſitæ mentis argumentum eſt, ſecum morari, poſſeq, conſiſtere ſecum.*

QVINTVM eſt, *Haud ſcit*, id eſt defectus ſapientiæ & diſcretionis ineſt multis. Diſcretio enim mater eſt virtutum.Hinc Antonius:Sola diſcretio virtus principalis eſt; quæ omnium virtutum radix,cuſtos & conſummatio extat. Et Bernardus. Diſcretio omnibus virtutibus ordinem ponit: Tolle hanc, & virtus vitium erit. Hinc indiſcretio eſt ſummè præcauenda, per quam plures pridem feruidi, poſt redduntur inutiles & maniaci.

SEXTVM impedimentum eſt *Mobilitas*, id eſt, nimis crebra mutabilitas, qua homo iam vult vnum, poſtmodum aliud, & ideo in neutro proficit. Bernard. Qui aliquò tendit, ſi vnam & rectam tenuerit viam, peruenit quò tendit, & laboris aliquando facit finem: ſed error non habet finem; Cùm igitur multas ingreditur vias errans, itineris non habet finem.

SEPTIMVM eſt *Loquax*, id eſt, nimia loquacitas præſertim ſpiritualem impedit profectum:Iuxta illud, *Nunquid verboſus iuſtificabitur?* Super quo Greg. *Multiloquio quiſquis de-* Iob 11.
ſeruit,rectitudinem iuſtitiæ tenere non poteſt. Vir Pſal. 139.
linguoſus non dirigetur in terra. Et,*Si quis putat ſe* Iac. 1.
*religioſum eſſe non refrenans linguam,ſed ſeducens cor ſuum,huius vana eſt religio.*Per vitium enim loquacitatis, perditur deuotio Religionis. Credi (ait Gerſon) non poteſt, quantum noceant confabulationes,etiam quæ nociuæ nõ putantur,inter amicos:Hinc dictum creditur, quod *amici ſint fures temporis.*

OCTAVVM eſt,*Incuria*,id eſt, incuria minimorum. *Qui enim minima negligit, paulatim* Eccli.19.
defluet. Qui ergo volet proficere,oportet hũc, & à minimis præcauere, vt vult Hieronymus, dicens, Mens Chriſto dedicata, ſic debet cauere minora,quomodo etiam maiora;quia venialia multiplicata grauant.

NONVM impedimentum eſt, *Vulpis*, id eſt, intromiſſio vulpium, vineam Religionis demolientiũ:de quo impedimento grãdis poſſet ſermo fieri,ſed remittimus ad tractatũ, de vinea ſpirituali intitulatum: qui plenè Religionis impedimenta ſub typo vulpium proſequitur;Notans quod ſpirituales iſtæ vulpes, quæ demoliuntur vineam Domini Sabaoth, ſunt Cant. 2.
homines,inſtar realium vulpium ſuperbi,callidi,proprij ſenſus,magni & ſapientes in oculis ſuis,quibus hæc tria propria ſunt cum vulpibus naturalibus.

Quia { Simulant ſe eſſe,quod non ſunt,
In foueis ſubterraneis habitant,
Inceſſum curuũ & tortuoſum habẽt. }

Sic ſpirituales vulpes vulpinari incipiunt. PRIMO ſimulantes ſe mortificatos & perfectos,cum nõ ſint: vt ſic prælationem aliquam ſeu promotionem aſſequantur,quam ambiũt. Natura enim ambitioſi & ſuperbi ſunt. Sed ſæpè quot & quanta mala ex talium promotione ſpirituali vineæ proueniant, deſſeri poſſunt, numerari non valent. Nam vbi vulpes regit, ſimiles ſibi vulpeculas colligit & educat,& ſic vaſtatur tota vinea ſacrę Religionis.

Habitant quoque hæ intelligibiles vulpes *in ſineu terræ*, in frigoribus & tenebris obambulantes, eo quod ab omni charitatis calore, & veritatis luce ſint prorſus alienæ: Nil aliud, niſi terrena quærentes, de terra loquentes, terrena ſolum ſapientes & procurantes, in ſpiritualibus prorſus excœcati: terrena cæleſtibus & ſpiritualibus tam ſtultè quàm impiè præferentes. Habent *poſtremo* curuum, tortuoſumque inceſſum, *non ad veritatem Euangelij*, & rectè ſecundum religionis regulam & conſtitutiones ambulantes, ſed vel præter, vel contra, pro capite & ſenſu eorum diuertentes, Cum tamen tantopere iuſſerit Dominus,
Ioſ. 23. *Eſtote ſolliciti, vt cuſtodiatis cuncta quæ ſcripta ſunt in volumine legis Moyſi, & non declinetis ab eis, nec ad dextram, nec ad ſiniſtram.* Cuius iuſſui, vulpes hæ directè obtendunt, quæ fundamentalis & primaria cauſa eſt deformatæ religionis. Demoliuntur ſiquidem fundamentalia religionis, in quibus omnis religio & obſeruantia conſiſtit,

quæ ſunt iuxta Bernardum,	Regula, Conſtitutiones, Vſus, vel cõſuetudines,	*tanquã vinearum*	Virorem, Florem, Fructum

Aggredientes, *primo*, & principaliter vinearum fructus, deuaſtare molientes ſacræ religionis vſus, & conſuetudines bonas & laudabiles, humilia ſcilicet deuotionis & mortificationis exercitia, vt petere veniam ante mẽſas, comedere de pauimento, rogare orationes fratrum, & huiuſmodi: arguentes & vulpinãtes in hunc vel conſimilẽ modũ, pro calliditate proprij ſenſus. Quid, inquiũt, vobis cum his nouitatibus, humiliationibus, laboribꝰ ruſticanis, alijſq; vt aiũt fantaſiis? Quare nõ ſufficiãt vobis regula & religionis ſtatuta? Non eſtis obligati ad alia, &c. *Quibus cõſtanter reſpõdendum*, quod huiuſmodi mortificationis & humiliationis exercitia non ſint noua, recentia, & adinuentitia; ſed antiqua ſacræ religionis primaria, & fundamentalia inſtituta, imò fructus religionis, ſine quibus parum ſunt regula & ſtatuta: quemadmodum viror, ſeu flores abſque fructu. Nunquam hæ vulpes taliter dicerent ſi ſpiritum Dei, & Sanctorum Patrũ ſpiritum haberent. Per huiuſmodi exercitia religio incœpit, & increuit, vt patet ex Climaco, Caſſiano, & Patrum inſtitutis, & de illuſtribus viris, & ſanctorum regulis. Vbi apparent innumerabiles humiliationes & exercitationes, etiam in ſummis Prælatis; quemadmodum de ſancto Malachia commemorat Bern. quod etiam tempore Epiſcopatus ſollicitus,
VII. ipſe ſua vice coquinam egit, & ſcutellas lauit. Videant & confundantur vulpes noſtræ.

Iota vnũ, aut apex non ſubmoueatur à religionum conſuetudin.

PROGREDIVNTVR deinde vulpeculæ ad depaſcendos vinearum flores, *conſtitutiones* ſcilicet & ſtatuta, taliter ſyllogizantes; Quid vobis, & tam multiplicatis ſtatutis? hæc hominum inuenta ſunt, ſufficiat regula ſola. *Quibus breuiter dicendum*, quod huiuſmodi Patrũ ſtatuta, declarationes & explanationes regulæ, ſunt pro illius obſeruantia, & intelligentia
Prou. 22. neceſſaria, vnde nullatenus contemnenda ſeu tranſgredienda; inclamante ſcriptura, *Ne trãſgrediaris terminos, quos poſuerunt patres tui.* Scitum eſt quid dicat S. Bernardus contra effractores ſtatutorum & conſuetudinum bonarum, quod perſequantur Chriſtum, dum impediunt ſalutem; & proditores fiunt, qui nituntur minuere diſciplinam, intepeſcere feruorem, vſus auferre bonos; exquiſitis deperdendi tormentis, graue portaturi iudicium, VIII.
qui graue nituntur inferre damnum.

SED proſequamur vulpecularum demolitiones. Inſidiantur ſiquidem & finaliter virori vitæ vineæ ſpiritualis, id eſt *Regulæ* ipſi, vt ſic nihil prorſus vitę, & viriditatis relinquant in vinea Religionis: hoc modo ſophiſticantes. Quid neceſſe eſt ita frequenter Regulam legi? quam pro frequentia lectionis, memoriter tenetis omnes. Quid teritur inutiliter tempus? cur non legitur aliquid melius? Quid demum regula ipſa prodeſt ſi charitas adeſt? Nónne Apoſtoli, & primitiui ſancti ſine regula placuere Deo? Sic, ſic fũditus & radicitus vaſtatur vinea ſacræ religionis, & fit quod plures habeat religio profeſſores, qui nec regulã ſciãt ſuæ profeſſionis, imò nec vnquam viderint eam; & quod execrandius, vel perſpicere dedignantur. O quot tales enutrit nobilis regio iſta! Cùm tamen non modo regula diligenter veniat cuique eius profeſſori obſeruanda; ſed frequenter legenda & perſpicienda, iuxta il- Neem. 9.
lud, *Legerunt in volumine legis Domini quater* Deute. 17.
in die, & quater in nocte. Et iuſſum: *Poſtquam ſederit Rex in ſolio regni ſui, deſcribat ſibi Deuteronomion legis in volumine, legetq́, illud omnibus diebus vitæ ſuæ.* Grandis aduocatorum ſtultitia, qui non ſtudent in textu de materia, ſuper qua ferenda eſt à iudice ſententia: Præſertim cùm ſecundum eam iudicari habeat omnis profeſſor; & ex ea dependeat vel mors, vel vita. Multum ergo expedit Religioſis, vt regulã
crebrò legant & intelligant; vt ſciant ad quid 2. Par 13.
ex obligatione profeſſionis teneantur: Ne ſint Oſee 4.
filij Belial, ſicut vacca laſciuiens, ſimiles Ry- Num. 24.
noceroti; Admiſſa ſiquidem regulæ ignorantia, fit & ſubſtantialium votorum minor cura, præſertim rodẽtibus & arguentibus vulpibus iſtis. Vulpinantur etenim & ſyllogizant, vt ſubſtantialia amoliantur medijs iſtis.

Contra	Paupertatem, Caſtitatem, Obediẽtiam.	*aiunt, quia*	Licet cum diuitijs pauperes ſpũ eſſe. Oportet Dei ſeruos bene paſci. Nõ in õibus parẽdũ eſt obediẽtiæ.

Vaſtant quoque & tria alia ſacrę religionis fundamenta: Paupertatis, Humilitatis, Simplicitatis quæ obſeruarunt omnes fundatores religionis ex initijs; ſed detorquent ab hac via vulpes noſtræ.

Nã	Ædificãt pretioſiſſima & curioſa monaſteria, Coaceruãt multos reditꝰ, & augẽt bona, Equitant cum equitibus ſæcularibus in magna pompa,	*contra Patrũ SS.*	Simplicitatẽ, Paupertatem, Humilitatem.

Viden-

Videatur Apologeticum Bernardi, & Epiſtola ad Fratres de monte. Sed heu, non opus eſt legere hæc in libris, videre eſt quotidie oculis. O non ſic, non ſic præteriti Patres: & propterea tunc vinea religionis effloruit, quæ nunc à vulpibus demolita iacet. Sed quale re-
Cant. 2. medium contra has vulpeculas: niſi (vt in Cāticis iubetur) capere eas?

Capiēda antē ſunt in	acceſſu,	*ad*	excludēdū,	*ne*	admittātur,
	ingreſſu		immutandū,		vulpinētur,
	progreſſu		reſiſtēdum,		permittātur.

IX. §. 1. *De diligentia probationis nouitiorum.*

IN acceſſu inquam, ne vulpeculoſæ naturæ homines & inidonei ad religionem admittantur: Sed probentur bene, cuius ſpiritus & naturæ, ne vulpes ſint, id eſt ſuperbi, capitoſi, proprij ſenſus & voluntatis, iuxta quod Horatius monet.

Nunquam te fallant animi ſub vulpe latentes;
Et alter quiſpiam:
Impia ſub dulci melle, venena latent.
Probandi ergo ſpiritus ſemper an à Deo ſint. Potiſſimum ex Clymaco, regula Patris Benedicti, & Patrum inſtitutis conſtat, ſub quanta diligentia probari & exercitari ſoleant noui-
1 Joan. 4. tij recipiendi. Et probè: Quiſquis etenim cupit vineam bonam habere, neceſſe habet palmites, ex quibus plantanda eſt, cum diſcretione eligere: Exemplo Domini apud Hieremiā
Iere. 2. dicentis, *Ego te plantaui vineam electam, omne ſemen verum*. Neceſſe autem eſt recipiendos, & ſubtiliter, & plenè, & diu probare: quia nouerunt ſic vulpeculæ bene ad tempus ſimulare, vt vix valeant deprehendi. Hinc B. Benedictus tres in regula ſua (more ſanctorum Patrum) commemorat gradus probationis. *Primus* fuit ante portam monaſterij, priuſquam dabatur ei ingreſſus; qui iuxta eundem non faciliter erat tribuendus: ſed probandus erat quattuor, vel quinque diebus, qualis erat impetus ſpiritus; imò iuxta regulam S. Fructuoſi, decem probandus erat diebus ante portam monaſterij. *Secundus gradus probationis*, erat in cella hoſpitum, duobus menſibus, vbi probabatur quibuſdam quaſi verbis contumelioſis, hoſpitario ei, cum diſcretione tamen, dicente aliqua verba, quæ impatientium & ſuperborū animos cito poſſent prouocare, & commouere, ſub hac vel conſimili forma, vt de Turrecremata docet: Frater quid huc aduenisti, non ita facilis tibi patebit acceſſus. Neſcimus an ſis ſeruilis conditionis, an apoſtata alterius religionis; an furtum vel crimen aliquod admiſeris, & timore pœnæ, vel ex inopia paupertatis, pro ſaturando ventre, ad nos nunc confugias. Prætereà dubitamus, quod parua tētatio te cito dejiceret à bono propoſito, quod nunc videris habere, & velut leuis palea ventilareris de clauſtro:

Turpius ejicitur, quàm non admittitur hoſpes.
Cęterum videris impotens ad ſupportandum onera grauia religionis: Aſpera etenim & dura eſt huius religionis via, &c. Sed pro infirmitate & tepore huius temporis, vix nobis imitanda eſt tentatio talis. *Tertius probationis gradus*, fuit in cella nouitiorum, decem menſibus: vbi ſub ſtrenuo & aſſiduo magiſterio inſtituebatur, probabatur, & prædicebantur ei aſperitates religionis: vt pulchrè traditur illic cap. 58. vt videri poterit. Cuiuſmodi probationis modus & forma ſumpta creditur ex dictis Caſſiani, lib. 4. ſuarum Inſtitutionum: vbi ponitur pulchra & exemplaris forma pro receptione nouitiorum. Libri habentur, legantur, videantur. Nobis breuiter tetigiſſe ſufficiat: quod, & qualiter vulpis probari debet.

X. DEBENT autem omnes in religione recipiendi diligenter probari in iſtis,
Velle bonum, quale intentum, parens, humilis, fert.

PRIMO probari debet recipiendus, ſi bonæ & *magna ſit ad religionem illam voluntatis*. Illum namque, qui magnum ſibi vult onus toto tempore vitæ ſuæ aſſumere portandum, oportet magnam ad illud habere voluntatem. Apparet autem magna & vehemens iſta voluntas, ſi probata & refutata prædictis aſperis, in deſiderio fortis & firma perſtat. Sancta enim deſideria dilata ex dilatione creſcunt. Magnitudo autem talis bonæ & firmæ voluntatis, ſignum eſt inhabitantis ſancti Spiritus, & in tali recipiendo operantis: Vnde dicitur in libro de vita ſolitaria, ſeu ad Fratres de mōte, *Non ſine grandi ſcrupulo mentis à quacunque* Rom. 8. *profeſſione eſt arcendus; cui adeſt bona voluntas inhabitantis & trahentis Spiritus ſancti indubitatus teſtis.*

ALTERVM in recipiendo attendendum eſt, probare *quid principaliter intendat*: Vtrū Chriſtum, vel aliud, præter illum. Nam ex ſinceritate primariæ intentionis ſæpe fructus ſubſequitur totius religionis. Non vult Chriſtus vt ſequatur eum quis propter lucrū, vel quia comedit de ſuis panibus. Vnde ſcribæ, qui ei dixit, *magiſter ſequar te, quocunque ieris*; reſpondit: *vulpes*, inquiens, *foueas habent* &c. Magna, & Mat. 8. neceſſaria res, eſt bona directio intentionis, in primordio religionis, vt ſolus quæratur Dei honor, & animæ ſalus.

TERTIO valdè inuigilandū, ne in vineā Do- Rom. 11. mini immittantur homines capitoſi, propriæ ſententiæ & ſenſus, ſapiētes in oculis propriis: Sed probentur ſi bene ſint reſignati & prompti ad ſimpliciter obediendum. Hoc fundamentum eſt totius religionis: ex cuius contrario tota ſubuerſio eius. Notentur hic dicta Beatiſſimi & expertiſſimi Bernardi, de lepra Naaman; contra execranda vitia propriæ voluntatis, & proprij ſenſus. Vbi homines proprij ſenſus appellat, *vnitatis diuiſores, inimi-* Rom. 10. *cos pacis, charitatis expertes, vanitate tumidos, placentes ſibi, magnos in oculis ſuis, Dei ignaros iuſtitiæ, ſuam conſtituere volentes, idolatras demum & Ariolos eos conuincit*, teſte 1. Reg. 15. Scriptura quæ clamat, *Idolatria ſcelus non acquieſcere, & quaſi peccatum ariolandi nolle obedire*. Taceo iam de eo quod grauius eſt ſcelere propriæ voluntatis; quod directè, horrendum dictu, graſſatur in Deum ipſum:

quo diſplicentius Deo, & diabolo placentius, & nobis & Religioni nocentius nihil. Horreant & corrigant, paueant & caueant iam Religionis amatores, proprij ſenſus eſſe, vel propriæ voluntatis; & prorſus taliſmodi non ſunt in Religionis vineam admittendi, niſi mortificentur & crucifigant propriū ſenſum, & voluntatem propriam, peſſimos latrones: alioquin depaſcunt, demoliuntur, & rodunt, & vaſtant totius ſacræ Religionis & fratrum florem, pariter & vigorem.

SVPERBI quoque non ſunt admittendi, niſi ſe humiliare velint, qui neſciunt, vel ei, qui locum Dei tenet, humiliter ſubeſſe: vel fratrū nolunt ſocij & ſimiles eſſe. Vnde etiam ſuboritur vaſtatio Religionis. Diſputare ſiquidem de Superioris mandatis, & mandatorum congruentia tales malunt, quàm ſimpliciter obedire.

Ex duobus ergo generibus hominum, religionis domus replenda eſt (vt conſulit Vmbertus, ex ſententia B. Bernardi ad Fratres de monte) vel de *ſimplicibus*, qui ſenſu & voluntate ad aſſequendam religioſam prudentiam feruentes apparuerint & habiles; vel de *prudentibus*, quos religioſæ & ſanctæ ſimplicitatis conſtiterit eſſe æmulatores. Superbi & ſapientes eliminandi foris, vt ad Fratres de mōte ſuadet Bernardus. Stulta ſuperbia, vel ſuperba ſtultitia à tabernaculis iuſtorum ſemper procul ſit; ſimplicitas docibilis ſuſcipiatur, & bona voluntas.

POSTREMÒ probandum eſt, an recipiendi ſint patientes, vel ſaltem ad patientiam parati: vnde eis aſperitates Religionis potius quàm ſuauia placeant; exemplo Saluatoris, qui anhelantibus ad perfectionis culmen, propoſuit guſtādum hauſtu amarum, Paſſionis calicem,
Mat. 10. *Poteſtis inquiens bibere calicem* &c. Magna planè, & dira crudelitas quorundam, qui ignaros, & præter diſcretionis annos, ſuſcipiunt ad Religionem: ſuauia quæque oſtendendo, & aſpera occultando; decipientes, & ſeducentes, non minus inſipienter, quàm crudeliter, & recipiendos paruulos, & innocentes, aſperitatem Religionis non intelligentes, duræ
Philip. 3. Religionis cruci affigentes: poſtea futuros inimicos crucis Chriſti, ventri potius, quàm
Malac. 1. Chriſto ſeruientes. O non offeratur cœcum animal in Religionis altari; non intret cœcus
2. Reg. 5. in Religionis templum. Res magna eſt ſubire Religionem; non congruit omnium complexioni; opus eſt conſideratione & prouidentia
Apoc. 2. multa. *Manna* ſiquidem *abſconditum, quod nemo, niſi qui accipit, nouit*; ſed planè ter, quatérque beatus, qui id donatum à Deo, vt ſubiens Religionem, dignè Deo viuat pro vocatione ſua. Hæc dixerim, non vt ab Religionis ingreſſu deterream, vel dehorter: Abſit, qui omnium nitor mouere cortinas, & poſtquam ex Dei dono audiui, dicere & aliis, veni. Atque ô vtinam audiant & veniant omnes. Ni-
Apoc. 22 hil ſiquidem in mundo ſublimius puto (ſaluo Prælatorum ſtatu) ſtatu ſacræ & bene obſeruatæ Religionis. Quare & enitor propellere vulpeculas, ne vineam tanti valoris moliantur & deuaſtent. Quas quia quidam paſſim, & indifferenter admittunt; hinc omnia Religionis vaſtata cernuntur in hoc regno, & demolita. Verè delectus in perſonis eſt habendus & obſeruandus, & recipiendus: non ita paſſim ſine differentia ad Religionem admittendi omnes, vt quidam omnes indifferenter acceptāt: Iudæorum more Proſelitos vndique colligentes.

§. 2. *Cur multi minus idonei paſſim admittantur ad Religionem.*

EX variis ſiquidem cauſis videntur recipi minus idonei ad Religionem, vnde poſtea prouenit defectus multus; quas cauſas hic cōplectitur verſus,

Carnalis, Cupidus, Elatus, & Improbus, Haud ſcit.

PRIMA cauſa, cur inidonei admittuntur, eſt XI.
ex recipientium, vel *Carnalitate*, vel Carnali pietate. Cùm enim Dei ordinatione filios bonos non habent, vel non inueniunt, diaboli procuratione nepotulos ſibi aggregant: non vt ſaluentur, ſed vt ditentur, & vt fortiores efficiantur per eos. Qui ſicut carnaliter ingrediuntur & recipiuntur, ita & poſt ingreſſum & receptionem carnaliter conuerſantur: etenim, *Quod natum eſt ex carne, caro eſt; &* Ioan. 3.
quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt. Sic ex eādem carnali pietate agitur, quod inidoneorum profeſſio acceleratur & recipitur: adeò indiſcreta pietate, carnalibus hominibus compatientes, vt & ipſi fiant cum eis carnales: Adeò illis infirmis miſericordes, vt ſanis, & totius Religionis fratribus, crudeles ſint & infideles: inter quos ponunt homines peſtilentes, qui eos corrumpant, totam vineam obſeruantiæ demolientes, de qualibus dicitur in Prouerb.
Multi miſericordes vocantur, virum fidelem Prou. 20.
quis inueniet?

ALIA CAVSA qua inidonei recipiuntur, eſt ex nimia recipientium *Auaritia, & Cupiditate*.
Sicut enim nautæ aliquando ægrotantes non Simile notandū.
ex toto mortuos in mare non timent projicere, vt bona eorum poſſint habere: ſic aliqui non timent homines diuites adhuc mundo viuentes, ſudario Religioſi habitus inuoluere, & ad habitum recipere, & in ſepulchro clauſtri, nondum mundo mortuos, ſepelire; quorum poſtea fœtore corrumpitur tota Religio.

TERTIA cauſa eſt ex *Superbia*, & Vanitate: vt ſcilicet *vel* glorientur de Religioſorū multitudine & numeroſitate, incurij de meritis & Religione: cùm tamen, vnus timens Deum melior ſit, quàm ad decem milia filij indiſciplinati. *Vel* quia ex Superbia verecundantur, quod aliquis qui ad eos ingreditur, ad ſæculum reuertatur: Quorum talis eſt fatuitas, qualis eſſet eius qui erubeſceret, quod in meſſe ſua paleæ inuenirentur. Stulta verecundia talis: ſuperuacuum eſſet tempus probationis, ſi omnes qui probantur, neceſſariò approbarentur. Cùm etiam de tam *multis* à Deo *vocatis, pauci ſint electi:* & de Chriſti diſcipulatu ferè abſceſſerint omnes. Et nunquam ex initiis Mat. 20.
Eccleſiæ fuerit congregatio, vbi non fuit inter Ioan. 6.
grana palea, &c.

Notabile

Notabile verbum ſuper hoc notat P. Vmbertus: de cuius meſſe hæc collegimus. *Gloriantur*,inquit,*aliqui de hoc, quod de ordine eorũ nullus apoſtatat; quibus dici poteſt, quod inanis ſit gloriatio talis. Non enim eſt mirum,ſi nullus apoſtatando de ordine illo egreditur, in qua apoſtaſia toleratur. Oportet vt Religio diſpumetur, ad hoc, vt in ſua puritate ſeruetur: Vbi eſt diſpumatio nulla, frequenter eſt impuritas multa.* Et legitur à Clymacho annotatum,quod de glorioſo diſcipulatu dilecti & diligentis illius diſcipuli,B. Ioãnis Euang. plures exierunt, adeò quod ſeptem hereſiarchæ inde pullulauerunt.Et quid clarius eius magiſterio, qui eorum abſceſſum excuſat leui verbo,dicẽs:*Ex nobis exierũt, quia* 1.Ioan. 2. *non fuerunt ex nobis*.

Ex eadem ſuperbia & vanitate procedit, quod quidam nolunt ſuſcipere, niſi ſint clari, nobiles,docti, & ſub aliquo gradu dignitatis: Sed ô ſtultitiam,ô dementiſſimam vanitatem! Hinc impletur vinea religionis vulpibus multis: Non tales elegit Dominus Deus,qui*ſtulta* 1.Cor. 1. *etiam,infirma mundi, ignobilia & contemptibilia eius elegit*, vt inſigniter magnus gẽtium doctor deducit, *vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius*. Nobilitas ſiquidem generis & potentia & ſapientia ſæculatis,inſtrumenta poſſunt eſſe tam mali, quàm boni,ſi ſit in his abuſus.Nullatenus ergo talia præeligenda ſunt,niſi apparuerit nobilitas in ralibus animi & mentis.Sępè enim monaſterijs nocuit delegiſſe rales: licet factum fuit pro turela & defenſione Religionis. Sæpe magis ipſi,vel eorum amici monaſteria grauant,quàm alleuiant: ſimiles Murilego qui caſeum à muribus defendit,cùm in duplo magis muribus conſumat & corrodat. Quare nobilitas generis & ſapientia ſęcularis, non adſit pietas bonæ voluntatis? poſſeſſio eſt parui valoris,res onerata magnis expenſis. Et licet aliquando vtilis ſit, bona temporalia defendendo: tamen magis,vt communiter,officit,bona ſpiritualia diſſipando. Quæ commemorata ſunt, vt nulla occaſione admittantur in Religionis vineam vulpes demolientes, ſed capiantur ſemper primo ipſo acceſſu; Duplici nihilominus ſunt honore digni, & præ cæteris recipiendi nobiles,& docti,qui ſe propter Deum verè humiliant,& obediẽter ſubjiciunt ſacræ Religioni.

Capiendi præterea ſunt & in ipſo ingreſſu, ſcilicet ad immutandum,vt de vulpibus fiant oues; vt ſuperbi conuertantur, & fiant humiles, & de carnalibus ſpirituales, de immorrificatis obedientes, vt ſi in principio non fuerint vulpes agnitæ, iam notæ inſtituantur & parturiantur, vt fiant ouiculæ. Sed hic labor, hoc opus eſt,valde hic inuigilandum,præſertim ſub tempore nouitiatus, vt bene cuſtodiantur, tanquam paruuli, à periculis, igne cõcupiſcentię,aqua laſciuiæ, fouea ſuperbiæ, & aliis tentationibus multis Inſtituantur verbo & exemplo, cum pietate & ſeueritate interdum tractentur, ſupportentur defectus, in tentationibus roborentur, conſolentur in aduerſis, diuinæ gratiæ adiutorium talibus impetretur. Sunt ſcripti libri de nouitiorum inſtitutione plures; bonum erit quod conquirãtur,& videantur pro habendo bono modo inſtitutionis.

Et postremo obſiſtendum vulpibus iſtis in religionis progreſſu,ad,ſcilicet eis reſiſtendum,ſi ſe noluerint immutate, vt eis nullatenus conſentiatur, ſed eorundem ſentimentis reſiſtatur ſemper, per Superiorum correptiones, qui ſe pro vinea murum opponant, nec Ezech. 13. ſinant demoliri vineam commiſſam, ne conqueri habeant illud Cant. *Poſuerunt me cuſto-* Cant. 1. *dem in vineis: vineam meam non cuſtodiui*. Ne, ſcilicet vnquam errata eorum Prælatus diſſimulet;ſed mox,vt cœperint vulpinari,ſub initio corrigantur. Sed negligentia Prælatorum & impunitas vitiorum,ſæpe fomitem præbet omnium diſſolutionum. Lata ſe iam materia hic offerret, cur & quare,& quomodo Prælatus corripere ſubditos deberet, ſed paruulis & ſubditis ſcriptus, & dedicatus eſt hic liber; non hic inſtituendi Pręlati,niſi quod commonemus,ne dormitare velint.Remittimus hanc materiam ad ſpecula Prælatorum.Et hæc ſufficerint, imò & plus quàm ſatis ſunt, ſuper declaratione verbi illius ante ſubobſcurioris, *vulpes*,&c.

Decimvm autem omnis boni impedimentum,eſt *amor inordinatus ſui*: Super quo,ſi quęlibet pro illius extenſione & explanatione aggregare velimus, intentum breuitatis opus creſcet in immẽſum. Sũt deſuper deſcripti integri tractatus, imò totus inſigniſſimus liber D.Patris Auguſtini de Ciuitate Dei, huius radici innititur & inhæret. Cùm amor malus & proprius fundamentum ſit Babylonicæ ciuitatis,creſcens vſque in contemptum Dei. Laborent & inſudẽt,& in ſudore vultus ſui, par- Gen. 3. uuli etiam panem manducent, non pueri maneant ſemper,diſcant & à ſe ipſis frangere panem. Et dediſcant qui proficere in melius velint, enutrire inordinatum hunc & priuatum amorem ſui; ſed illum ſtudeant funditus extirpare,reliquaque præmiſſa profectus obſtacula euellere & eradicare,vt noua fruge, grauis ſeges ire poſſit. Hic enim venenum eſt totius Religionis. XII.

De cauſis ruinæ in religioſa obſeruantia.

HÆc diximus de religionis declinandis impedimentis. Inueſtigandæ nunc ſunt cauſæ generaliores totius excidij religionis ſacræ, & tantæ deformationis rationes ſtudioſius inquirendæ, cũ in tertis nihil fiat ſine cauſa, vt deinceps poſſint vitari cauſæ generales excidij totius obſeruantiæ religionis.

Breuiter ergo de cauſis excidij totius fermè religionis huius regni, non tam dicturis, quàm occaſionem aliis daturis; occurrit nobilis quidam tractatulus illuſtris illius,& ſæpe memorabilis, & commemorandi Abbatis Spanhemenſis. In quo, vt audiui (non vidi) duodecim tangit cauſas excidij obſeruantiæ regularis: Quas ego ſub tribus verſibus redegi,noſtro more, pro memoriali. XIII.

Hæ tibi dilapſæ cauſæ ſunt Religionis,
Suſcipis, Inſtituis, Trope [illegible]ens,Studiũq;,Vagaris,
Præſul,Opes,Simulans,non viſens,tempora tendis.

Nomi-

Commendatio operis illius. Nominare volumus, non explanare (ne iniuriam facere videamur tam inclito Scriptori) tactas cauſas iſtas. Laboret quiſque pro illius ſcriptis habendis. Sunt etenim in illis verba ſpiritus & vitæ. *Prima* itaque cauſa ruinæ obſeruantiæ regularis, eſt indiſcreta ſuſceptio inutilium perſonarum; *Secunda*, indebita & negligens primaria inſtitutio nouitiorum ſuſceptorum. *Tertia* eſt puerorum, & *de proximo, ſeu è vicino*, ſuſceptio perſonarum. *Quarta* eſt ingredientium, ſuſcipientiumq́; ad ordinem nõ recta intentio. *Quinta*, eſt ſtudij regularis, ac deuotionis omiſſio. *Sexta*, eſt Religioſorum è monaſterio frequens euagatio. *Septima* eſt, inutilium promotio Prælatorum. *Octaua*, nimia cupiditas & ſolicitudo diuitiarum. *Nona*, debitæ correctionis omiſſio, & diſſimulatio erratorum. *Decima*, negligens & inconſulta viſitatio Religioſorum. *Vndecima*, malitia poſteriorum horum temporum, & dierum malorum. *Duodecima*, nimia extenſio reformationis, & capitulorum. Neſcio quid melius & plenius ſuper materia hac poterat dici.

Aſcenderam & ego aliquando in ſpeculam mentis, cogitabundus, meditaturus de re eadem. Sed nihil ſingulare, præter ea quæ iſte commeminit, cogitanti occurrit; niſi quod contemplabar harum quaſdam apud omnes fuiſſe excidij rationes generales: Quaſdam verò earum in ſingulis Ordinibus ſpeculabar fuiſſe ruinę cauſas ſingulares. Videbam ſiquidem malitiam & negligentiam Prælatorum; *Adhuc redigit ſupradicta capita.* omiſſionem & interruptionem viſitationum; incuriam minimorum, cum mala intentione iuuenum; præcipuas & generales fuiſſe cauſas, quod tanta ruina contigit ſub omni ſtatu Religionis.

Dan. 13. DE PRIMO namque inueniebam, quod *egreſſa fuerit iniquitas omnis ex Senioribus*: & *Oſee 9.* quod (iuxta Oſeæ verbum) *ſpeculator Effraym laqueus factus ſit ruinę*: ita quod miſera Prælatorum conuerſatio, ſubditorũ miſerabilis fuit ſubuerſio, & totius diſſolutionis vel maxima occaſio; ſic quod omnis culpa ſubiectorum ex vitio & negligentia ſuborta fuit Prælatorum: quemadmodum vitiata radix cauſa eſt demarceſcẽtis arboris; & ex vitio capitis, aut morbo cordis, totius fit languor corporis. Eſt in eam ſententiam beatiſſimus ille Bern. vbi ait: Mala vita & negligentia Prælatorũ, mater & occaſio eſt omnis inſolentiæ & deformationis Religioſorum. Plurimum etenim nocet iniqua poteſtas, adeò quod caput impium, ſubiectos quoque ſuæ conformat impietati, vt de *3. Reg. 14.* Iſraelitico populo videre eſt: pro qualitate *Ioſ. 22.* Præſidentiũ, vel bonorũ vel malorũ: & de tur- *2. Reg. 21.* bata Hieroſolyma Herode turbato. Quare & *Matth. 2.* in Numerorũ libro, peccantis populi culpa in *Num. 25.* Principes torquetur, quos Dominus iuſſit *contra ſolem in patibulis ſuſpendi*; quaſi de illorum negligentia vel culpa, obuenerint omnium ſubditorum errata.

DE ALTERA quoque cauſa cernebam, quod conformiter (ſicut ſtatuta & iura habent) ex eo quod viſitationes nec ſtudioſè fiunt, nec bene obſeruantur, maxima prouenit diſſipatio Religionis. Si enim in ſingulis domibus per ſingulos annos in viſitatione exceſſus tam in capitibus quã in mẽbris, ritè corrigerent: non tanti defectus & ſcandala, aut diſſolutiones ſuborirentur. Impunitas nãque exceſſuum incentiuum præſtat & auſum vitiorum. Patet iſtud in ſacra religione Carthuſ. quæ maximè ſtetiſſe inuenitur præter cæteras religiones, ob ſtrenuam obſeruantiam, vt fertur, viſitationũ, cum aliis, iuxta illud.

id eſt ſilentium, id eſt ſolitudinem. id eſt viſitationem.

Per tria, Si, So, Vi,

id eſt vigore,

Carthuſia permanet in vi.

CONTEMPLABAR præterea, quod incuria minimorum, occaſionẽ præſtet grauiorum, ita quod verum ſit ſapientis verbum, *Qui minima* *Eccl. 19.* *negligit, paulatim decidit.* Sæpe neglecta ſentina fit nauis iactura, & obruitur arena qui vitauit grãdia. Quare in religionibus nulla ſunt parui ducẽda. Dicere ſiquidẽ in religione, parua ſunt hæc, non ſunt curanda; non paruũ hoc (iuxta Bern.) delictũ, ſed peccatum ingens, culpa non parua. Hoc etenim verbũ *contemptũ ſapit*, impœnitentiã redolet, blaſphemia irremiſſibilis, peccatum in Spiritum ſanctum videtur.

PORRO de mala & neglecta inſtitutione iuuenum, patet ad oculum, quod potiſſima ſit cauſa ſubuerſionis religionum. *Puer* ſiquidem (ait Sapiens) *qui dimittitur voluntati ſuæ* pue- *Prou. 29.* rili ſcilicet laſciuiæ, ſine ſtrenua inſtitutione, *confundit matrem ſuam*: ſacram ſcilicet religionem. Ideò tot ordines religionum confundũtur, quia puetiles mentes ſibimet dimittuntur, & ex initiis non bene inſtituuntur. Proinde ſtrenuum magiſterium facit bonũ religioſum. Has ego, vt dixi, ſpeculabar, quaſi generales quaſdam cauſas euerſionis omnium religionum cum currenti malitia temporum.

§. 6. *Cauſa lapſus ſingularium Ordinum.*

CONuerti me, deinde ad perſcrutãdas lapſus ſingulorũ ordinũ cauſas ſingulares. *XLIII.* Et primò omniũ contẽplationis oculis occurrit celeberrimus ille olim ordo Canonicus, nõ *Regulares* infima portio Eccleſiæ ſacræ: quippe qui (vt *Canonici.* pace dixerim Ordinum reliquorum) Ordinibus omnibus, & tẽpore, & dignitate prior; ex initiis naſcentis Eccleſiæ ſub ſanctis Apoſtolis inſtitutus adeò effloruit, vt videretur quaſi Paradiſus Dei; ſed defloruit poſt, decidit, & exaruit; & poſt plurimas reformationes, iterũ iterumq́; eſt crebrò dilapſus, vt hoc in inueſtigatio noſtro plenius deductũ. Cuius crebrioris recidiuationis potior mihi cauſa nõ occurrit, niſi quia iſte Ordo ex primaria ſui inſtitutione Eccleſiis deſeruiuit; quippe qui clerus Eccleſiæ proprius erat. Vnde inter populares & gentes commixtus, tandem *didicit opera illorum*, & factus eſt, ſicut populus, ſic & ſacer- *Pſal. 105.* dos. Perſtat etenim ſententia ſancti, *commixti ſunt inter gentes, didicerunt opera illorum, & factũ eſt in ſcandalum illis*, Cuius lapſus occaſioni occurrere & obuiare volens

SANCTISSIMVS ille (qui poſt hunc ſurre- *Monachi.* xit) monaſticus Ordo (certũ namque eſt hunc

Cano-

Digitized by Google

Canonicum Ordinem ſubſecutum, cum centum fermè annis Benedictum Monaſtici Ordinis Principem, præceſſerit Canonici Ordinis inſtitutor Aug. vt alibi plenius id oſtenſum.) Is inquam ſacer ordo Monachorum ex Canonicorum lapſu cautior redditus, commonituſq; vitare occaſiones ruinę illius: declinabat omnimodò populare permixtionem; mallens deliteſcere in occultis, quam Eccleſiarum curis deſeruire. Vnde, & Monaſticum, & ſolitarium ſibi nomen aſſumpſit: Sub quo quouſque perſtitit, eatenus, & permanſit in vigore. Sed poſt, vbi Eccleſiarum cępit & ipſe ſuſcipere curas, miſerabiliter cæpit & Ordo tam ſanctus deformari: præſertim accedente ſingulari quadam, & non parua occaſione amplioris ruinæ, diuitiarum videlicet, & temporalium exaggeratione bonorum; ita quod ex adipe, & pinguedine iniquitas illorum proceſſit omnis: & *Filia ampla dotationis, ſuffocauit matrem deuotæ Religionis.* (Pſ.71.) Qui ordo primum per Cluniacenſem deinde, & per Ciſtercien. reformatus fuit. (Cluniacen. Ciſtercië.) Sed & ab illis *itum eſt in antiquam ſyluam*, & dilapſi ſunt, vt prius, quia ſibi non pręcauerũt à nimietate diuitiarũ, & temporalitatis, quæ venenũ ſunt Religionis; licèt ex initijs ſub multa paupertate inceperunt, decimaſq; abdicauerunt; præſertim Ciſtercienſes, vt patet ex decretalib. Tametſi in ſingulis quoque his ordinum reformationibus, ſingulares notari poterunt rationes recidiuationis; Cluniacenſea ſiquidem iniquitas videtur prodijſſe ex ſaturitate panis, & vacantis animi poſſeſſione ocio, quod docet malitiam multam, (Eccli.33.) vt in Apologetico tangere videtur oculatus ille Bernardus. Quare & Ciſtercien. ſibi abunde præcauere volentes, labores etiam rurales ſibi pro bona occupatione aſſumpſerunt. Sed quia nimis in eos effuſi fuerunt, diuerſis ſuccreſcentibus & animis nimis diſtractis, ideo & illi deperierunt.

(Præmonſtrat.) QVOD contemplantes, eorum contemporanei Præmonſtratenſes, externis illis laboribus omiſſis, ſe totos diuinis laboribus, & officijs infrænare volentes, eatenus vſque manciparunt, vt duas, vel ternas, aut plures miſſas cantarent in die; arctiſſimis, & multiplicatiſſimis ſeſe ſtatutis conſtrinxerunt.

Sed eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines.
Quos vltra citraque nequit conſiſtere rectum;

Et, durabile non eſt, quod numero, & metro caret. Quare citius eorum arctiſſima obſeruantia diſperijt, eo quod plus præſumpſit, quam potuit; modum non tenuit, & diuitias nimias accumulauit. Nimietas ergo diuitiarũ, fermè communis cauſa fuit ruinæ, & excidij omnium prædictarum religionum.

(Mendicantes.) QVOD Mendicantes Ordines contemplãtes, & ſibi à lapſu præcauere volentes, in altiſſima paupertate Domino ſeruire cæpere: Sed & hi non minus cæteris, imò præ cæteris deformius ruêre. Et quam putabimus cauſam, niſi quia populo nimis ſe immiſcuerunt? & *lapides ſanctuarij in capita omnium platearum diuiſim euagare permiſerunt.* (Thre.4.) Et non ſatis ſe inter limites cõtinentiæ & abſtinentiæ continuerũt; quaſi facta inſtar noſtri Ordinis prioris, ſicut populi ſic & ipſi. (id eſt, Canonicorum)

A qua euagatione, quia celebratiſſimus ille ſe ordo Carthuſien. (Carthuſ.) & reliquis occaſionibus tactis, ſibi præcauit, adhuc in primitiuo ſuo flore, quotidie effloreſcit. (Regul. Can.4)

ET QVIA vnũ omnibus ordinibus deeſſe, poſteriores iſti minimi (S Franciſci de Paula.) (quia forſã de *fortioribus* illis ſunt, quorũ ſapiens commeminit) viderunt quadrageſimalem abſtinentiam, priorũ Patrum inſtitutis adiecerunt; ſperantes huius virtute, cum cæteris prædicauerint, reprobi nõ poſſe fieri. (1. Cor. 9.) Quibus tamen mendicantibus, & circumcurſitantibus, vnum defuit, totius Religionis conſeruatiuum, exercitatio ſcilicet interni hominis, ſtudium deuotionis. Nam tam etſi illis abunde forſan, & plus æquo, literale, & liberale ſtudiũ affuit ſcholaſticæ exercitationis; vnctio tamẽ non ita, nec ſpirituale ſtudiũ ſacræ affectionis; de quo tamen dictũ putatur, (1.Io.2.) *Erudire Ieruſalem; ne forte recedat à te anima mea, ne forte ponam te deſertam, & inhabitatam.* (Ier.6.) Cõminans, ſi bene verba attendantur, cordis ſui receſſum, inopiã ſpiritualiũ bonorũ, defectum inſuper ſpiritualium perſonarum. Sunt itaq; cauſæ excidij deuotionis, & deformationum, ſi recolligamus prædicta; malitia; & negligentia Prælatorũ; neglectus viſitationum; incuria minimorum; negligens inſtitutio nouitiorum; commixtio ſæcularium, deſertio eccleſiarum; abundantia poſſeſſionum; & opulentia diuitiarum; ſaturitas panis, & otiũ, effuſio nimia externorum laborum, nimia arctitudo ſtatutorum, & multiplicatio cæremonialium obſeruationum, euagationum crebritas, inexercitatio ſpiritualium exercitiorum, omiſſioque deuotionis, & ſacrorum ſtudiorum. Quæ omnia forent vitanda, ſi qua reformationis forma foret ordinanda, vt latius id executum in reformatorio. Sat ſit nobis, hic notaſſe aliquas cauſas, excidij Religionis, vt vitentur à nobis. Ad Religionis promotiua procedendum.

De bonæ vitæ directiuis, & promotiuis.

CAPITVLVM IIII.

INterrogate quæ ſit via bona, & ambulate in ea. (Ier.6. A 9.) Nunc ergo inquirenda ſunt bonæ vitę promotiua, poſt declinata impedimẽta, & potiſſimum talia ſunt tangenda duo, aut tria. Qui enim in Religione volet proficere, *officinam* oportet inquirat profectus; Deinde *media, & inſtrumenta* congrua, aſſumere opus habet. Vnde de his, eſt hic agendum paucis.

Scil. de { Bene operandi Officina; Inſtrumentorũ ſalutis congruentia.

OFficinam autem hanc, S. Benedictus, in Regula ſua docet, vbi dicit, *Officina vero, vbi bona operemur, clauſtra ſunt, & Monaſterij cella, & ſtabilitas in congregatione.* Quam cum quiſque bene immoratus fuerit: in omne proceder bonum. Fons enim, & origo omnium bonorum homini ſpiri-

Digitized by Google

tuali, eſt in cella ſua iugiter commorari. Vnde de ea pauca ſunt commendatitia, & inductiua aſſignanda.

MEMBRVM I.

De officinia ſalutis quæ eſt cella.

Eſa. 26. V*Ade populus meus, intra in cubicula tua, claude oſtia tua ſuper te: Abſcondere modicum ad momentum; donec pertranſeat indignatio mea.* His verbis (quemadmodum, & alijs plurimis ſcripturæ verbis) ad ſolitudinis, & cellæ amorem commonemur. In qua cuicunque bene conuenit cum paupertate ſua, diues eſt. Omnium namque (teſte Bernardo) I. bonorum officina cella eſt, & ſtabilis perſeuerantia in ea. Quæ vt idem teſtatur, non à *claudendo*, vt plerique æſtimant; ſed magis à *celando* deriuatur. Nam *cella*, nequaquam debet eſſe recluſio neceſſitatis; ſed domicilium pacis; non tædium vitæ, ſed gaudium animæ. *Cella* ſiquidem, & *cæli* habitatio cognatæ ſunt, quæ ſicut adinuicem videntur habere quandam cognationem nominis, ſic etiam pietatis. Vtraque enim à *celando* dicitur, vt pulchre in pulcherrima illa epiſtola ad Fratres de monte Dei deducit. Eſt autem cella, cæleſtis doctrinæ ſcala; Paradiſus animæ, & deliciarum paleſtra luctatorum, libertas animarum; de qua in primis quædam inductiua, vt ad arctiorem cellæ cuſtodiam incitemur, ſunt aſſignanda.

§ 1. *Inductiua ad arctam cellæ cuſtodiam.*

Exemplum, ſcriptum, dulcedo, opus, vtile dignum.

PRIMVM itaque ſolitariæ vitæ allectiuum, & ad cellæ cuſtodiam incitatiuum eſt, *Exemplum*, id eſt exemplaris informatio, ſcilicet Chriſti, Virginis matris, & Sanctorum omnium; tam veteris, quàm noui teſtamenti; imò, & omnium Philoſophorum, & omnium II. Doctorum; vt pulchrè, & latè Franciſcus Petrarcha, in ſuo de laude ſolitariæ vitæ deducit; qui liber ſolitudinis amatori debet eſſe familiaris.

ALTERVM eſt *Scriptum*, id eſt ſcripturarum admonitio; quę hanc vitam plurimum commendat. Hinc in Canticis, *Fuge dilecte* Cant. 6. Thre. 3. *mi.* Hieremias, *Bonum eſt cum ſilentio præſtolari, ſalutare Dei.* Itemque, *ſedebit ſolitarius, & leuabit ſe ſupra ſe.* Sanctorum quoque, ad hanc nihilominùs incitant ſcripta: vt ibi Franciſcus proſequitur ad plenum. Nam, & è cælo Arſenio hoc conſultum: cui ab Angelo dictum, *Arſeni, ſi vis ſaluus fieri, fuge, tace, quieſce. Hæc enim ſunt principia ſalutis.*

TERTIVM inductiuum vitæ huius ſolitariæ eſt, *Dulcedo* Quamuis enim cella, aut ſolitaria vita, incipientibus ac imperfectis ſit laborioſa, & ardua: proficientibus tamen, præſertim perfectis, exercitatos ſenſus habentibus prorſus dulciſſima eſt, & iocunda, quam tamen plane nemo, niſi qui acceperit, nouit. Hanc Hierony. perſenſerat, cum prę dulcedine eructabat. *Viderint alij quod ſentiant: mihi* Apoc. 2. *oppidum carcer eſt, & ſolitudo Paradiſus:* Huius dulcedinem S Petrus (ante Papa Celeſtinus quintus) guſtauerat; qui relicto Papatus altiſſimo apice, rurſum deſerta petijt. Huius dulcedinem plenius probat idem, qui ſupra, comparans vitam ſolitarij & burgenſis, in hanc ſententiã concludens, quod *talis fore videtur cellæ dulcedo, qualis & cæli: diſpar licet ſit ſimilitudo, non tamen impar omnino. In cælo enim omnia mala abſunt, adſunt omnia bona. In cella autem plurima vitantur mala, & multa fiunt bona*, imò iuxta Bernar. *idem agitur in cella, quod & in cælo.* Nam vtrobique fruimur Deo. Quæ autem maior dulcedo, quam Dei fruitio? Quis ergo non ad hanc aſpiret?

QVARTVM incitamentum eſt, *Opus*, id eſt vitæ huius neceſſitas; Neceſſarium enim eſt vitam hanc amplecti, & ei potiſſimum,

Qui vult { Mentis quietem inuenire; Finem profeſſionis attingere; In bonis proficere. }

Primum dicimus, cellam neceſſariam, *ad mentis quietem* attingendam; Impoſſibile enim eſt (iuxta Bernard. & Senecam) figere hominem fideliter in vno animum ſuum: qui non prius alicui loco, perſeueranter affixerit corpus ſuum; Vnde & perbelle dictum à quodam,

Cella quies mentis, fuga rixæ, paxque ſtudentis.

Fælix igitur, qui libenter cellam incolit, quia pacem magnam habebit. *Secundo* eſt neceſſaria, *ad finem profeſſionis*, quæ eſt Deo intimius adhærere, cæteris abdicatis acquirendis: Solitudo enim hoc adminiſtrat; tumultus autem, & turba conturbat, Vnde qui appetit cæleſtia ſecreta cognoſcere, oportet, eum ab hominibus elongari: patet hoc de Moyſe, & omnibus Prophetis. *Tertio ad vitia declinanda*, & ſananda. Qui enim vult mala vitare, debet in cella manere; ibi enim ab hoſtibus multis tutatur, & periculis, quibus pater, qui vagatur foris. Hinc vulgo dicitur,

Cum ſis in cella, leuiter vincis tria bella,
Auditum, & viſum ſimul, atque nocentia verba.
Currens exterius, tribus iſtis decipieris.

Indubie, quod patet hoc plurimorum in hoc verſu contentorum exemplis.

D

corrupta	*fratricida*	*traditor*	
Dina,	Cayn,	Iudas,	Gen 34. Gen 4. Luc. 22.
vendidit primogenita	*maledixit*	*mortem incurrit*	
Eſau,	Balaam,	Semeique:	Gen 27 Nu. 22. 3. Reg. 2.

Egrediendo foras, feciſſe leguntur inique,
Hinc maneas intus; & bene tutus eris.

Eſt quoque ad vitia ſananda, vnde & Bernard. *valetudinarium* illam appellauit, dicens, *Incumbat æger immobiliter in valetudinario ſuo, & remedij ſuccepti proſequatur vſum, vſque ad ſanitatis experimentum. Valetudinarium tuum, ô ægrote languide,*

cella

cella tua eſt; remedium, à quo cureris, obedientia ipſa. Graue eſt Antonij, & Moyſis verbum: *Sicut piſcis, ſi in ſicco tardauerit, moritur: ita & Monachi tardantes extra cellam, à quietis propoſito reſoluuntur.* Oportet ergo ſicut piſces ad mare, ita & nos ad cellam recurrere, ne forte foris tardantes obliuiſcamur interioris cuſtodiæ, & infirmemur. *Poſtremo* & neceſſaria eſt, ad *proficiendum in bono*; ſine qua proficitur raro. Vnde & ipſa primum, teſte Bernardo, indicium eſt profectus, qui ſic ait; *Cogat homo corpus poſſe conſiſtere ſecum, cellam pati, ſecumq́, morari: Nam hoc in iuuene bonæ compoſitionis, initium eſt, & certum bonæ ſpei argumentum.* Idem etiam Beda pulchre, ſuper Euangelio de muto, & ſurdo teſtatur.

QVINTVM incitamentum eſt, *Vtile*, id eſt, ſolitariæ vitæ vtilitas. Innumera quippe ſolitudo adducit bona, è quibus hæc in verſibus commemoranda,

à multis malis, — *homines in Deos: qui ſolus eſt, aut Deus, aut beſtia eſt* — *à peccatis, & concupiſcentijs.*

Eripit, Immutat, Purgat,

intellectum illuminat — *conſeruat in bono*

Luſtrat, Bona ſeruat.

Tren 3. Oſea.2. *proficere facit, vt dicit Hieronymus* — *ſedebit ſolitarius & leuabit ſe, &c.* — *ſanctorum choro vt Hieronymus*

Proficit, Exaltat, Sociat,

ducam eam in ſolitudinē & ibi loquar ad cor eius — *pœnas inferni.* — *meretur cælum.*

Solans, Fugit, Aſtra.

Quæ longa eſſent deductu, præſertim cum tanta ſint bona ſolitudinis, vt ſatis explicare non poſſit ea lingua mortalis. Et cum plurima deducantur in vitiſpatrum, libro de quiete, alijſque in locis ad longum. Et *tanto* aſſeritur *quiſque Deo vicinior, quanto ab humanis curis, & colloquijs ſequeſtratior.*

NOTA tamen de vltimis his duobus, quod de euaſione pœnarum infernalium Bern. dicit, quod *raro de cella in infernum itur, niſi forſan* Pſ.101. (ſicut dicit Pſalmiſta) *deſcendant in infernum viuentes, ne deſcendant morientes.* De vltimo, quidam doctor teſtatur idipſum: *fidenter dico, qui ſingularem vitam vſque in finem vitæ pro Diuino amore tenuerint, de habitaculo carnis egreſſi, ad habitationē peruenient domus non manufactæ æternæ in cœlis. Vix* enim *moriens quis*, Bernardo teſte, *vnquam à cella in infernum deſcendit; quia vix vnquam aliquis, niſi cœlo prædeſtinatus, in ea vſque ad mortem perſtitit.* Et à cella in cælum, creber, & celer, faciliſque, vt ait adſcenſus.

POSTREMVM allectiuum eſt, *Dignum*, id eſt vitæ huius dignitas, quæ ex multis pateſcere poteſt, *Tum ex parte obiecti, atque ſubiecti*, quæ vtraque digniſſima ſunt; quia anima, & Deus, vt Dionyſius Carthuſien: *Tum quia* à ſacratiſſimis, & ab ipſo ſanctorum Sancto aſſumpta; *Tum quia* digniſſimis rebus comparata, puta cælo, & Paradiſo, & huiuſmodi multis, imò tota angelica, atque Deifica dicta; *Tum etiam, quia* à ſummis magnifice laudata: Vnde & in eius laudem, & præconium plurima ſunt ſcripta, puta à Baſilio Sancto, Franciſco Petrarcha, opuſcula verè ſumma laude digna, ſolitariæ vitæ commendatitia. Tantis itaque inductiuis allecti, tantis incitamentis incitati, ſolitudinem omnis boni matrem ſtabili comprehendamus amplexu. Hæc enim Patrum primaria erat inſtitutio, vnde eis tanta accreuit perfectio. O igitur ſancta anima, eſto ſola, vt Soli omnium ſerues teipſam, quem ex omnibus, tibi elegiſti. Fuge proinde publicum, fuge domeſticos, ſecede à conſortio omnium, quia verecundum habes ſponſum, qui nequaquam velit tibi ſuam præbere præſentiam ſub conſpectu cæterorum. Sed poſtquam viſum eſt de cellæ inductiuis, videndum ſupereſt de remedijs in cella conſeruatiuis.

§ 2. *De remedijs in cella conſeruatiuis.*

NOTANDVM itaq; quod qui in cella bene volet perſeuerare, debet aſſumere conſeruatiua eius, quæ ſunt iſta, III.

Aſſueſcat, Reſtet, Cernat, Memor, Ocia vitet.

PRIMVM igitur, & præcipuum (iuxta Petrarcham) conſeruatiuum remedium ſolitudinis, aut cellæ, eſt *aſſuefactio* ipſa; qua ſcilicet, à primordijs homo conſueſcit in cella ſecum morari. Quanto enim ſtudioſius inhabitatur; tanto plus placet, & amatur. Sicut econtra, dū negligentius ſeruatur, & rarius intratur, magis horretur, & faſtiditur; quam ſi ab exordijs indebitè exire quis cœperit, ſtatim illi exoſa, & tædio fiet: eritque cella ei carcer, & recluſoriū, quę alijs Paradiſus eſt, & hortus deliciarum. Cellam ingrediens & egrediens quid faciat. Dilige igitur cellam, & foris conſtitutus, ſæpe ad eam feſtinare curato: ſicut piſcis ad aquam, & paruulus ad gremium maternum. Quā ingrediens, hoc ſeper obſerues, vt, iuxta Saluatoris doctrinam, corde, aut ore dicas, *Pax huic domui*, ſeu, *Ieſus Maria*, vel illud, Pſalmi, *Hæc requies mea.* Mat.10. Pſ.131. Denique coram Crucifixo, aut imagine Mariæ, paruam ſalutatiunculam lege, cum Angelo ingrediente, in ſecretarium Virginis dicens, *Aue gratia plena*; Egreſſuruſque, te præmunite, (iuxta Hiero. inſtitutum) memento; ſub conditione citius redeundi; Sicque aſſueſce morari in cella. Quod quamuis primum durum erit, perſta & dura; indubie dulceſcet: vt Franciſcus, vbi ſupra, ait.

ALTERVM remedium eſt, *Reſtet*, id eſt, quod tentationibus exeundi ſit reſiſtendum: Exemplo illius in vitiſpatrum, ſe iactantis in limine cellæ, & clamantis, *Trahite Dæmones, trahite, ego enim pedibus meis non vado; ſed ſi poteſtis, me hinc abducite.* Hoc Hierony. ſuadet dicens, *Non ſemper, cum egredi tentaris, egrediendum. Nunquam enim occaſio deerit egredi volenti.* Hoc obſeruauerat Athanaſius quidam, qui compleuerat in cella 37. annos, non tranſiens limen oſtij cellulæ ſuæ; vim igitur ſibi inferat Religioſus. Nec (iuxta Abbatis Pauli inſtitutum) aliquid habere velit in cella, propter quod frequentius exeundum, vt ſæpe Dæ-

Digitized by Google

monium ſuadet meridianum. Si tædium paſſus fuerit, fortiter agonizet, & religet ſe vinculo diuini timoris, cogitans quomodo SS. Martyres reclusi erant in carceribus, & cippis.

Nec obijciat quiſpiam, quia charitas fraterna, hoſpites Religioſos adire compellit; Nam huic obiectioni Climacus reſpondet, dicens Noli omnib. verbis certificare tuam ad eos charitatem oſtendens; ſed pete a Deo, quod eam in eis ineffabiliter, & ſecrete clarificet. Alioquin non ſufficiet tibi tempus, ad affectiones dilectionum, & compunctionum. hæc ille. *Nec propter ſtudia* nimium diſcurrendum. Cella enim tua de omnibus poteſt te inſtituere, iuxta Abbatem Moyſen, ſi permãſeris in ea. Macharius autem ſic tentationi quotidie de cella eijcere conãti, docuit reſpõdendum: Dic, inquiens, eis, quia propter Chriſtum ſedeo, & parietes iſtos cuſtodio.

TERTIVM remedium eſt, *Cernat*, id eſt, vt crebrius inductiua ad amorem ſolitudinis incitantia euoluat; & quanti illi Patres Sancti ſolitudinem fecerint, retractet. Laudes, & bona ſolitariç vitæ Gerſon tractatu 11. ſuper Magnificat, pulchrè eſt proſecutus. Super quo quidam ſenum, talem ſententiam dixit: *Credo in Deo, quia quicunque ſedet in cella propter nomen eius, & cuſtodit conſcientiam ſuam, inuenietur & ipſe in loco Antonij.* O quis hæc reuoluens non amplexabitur cellam.

QVARTVM remedium eſt, *Memor*; id eſt vt in cella conſiſtens, bonis meditationibus te dedas, iuxta quod pulchrè te docet, Abbas Euagrius in vitiſpatrum; meditari, ſcilicet de Morte, Inferno, Iudicio, & Regno cœlorum; Et ſic fit dulce, quod antę amarum erat. Vnde & hoc conſilium quidam accidiato dedit, dicens, Vade memorare pænas inferni; & libens in cella manebis, etiam ſi vermibus collotenus, plena eſſet.

POSTREMVM remedium eſt, *Otia vitet*: Nam quemadmodum mare mortuos non perfert in ſe manere: ſic (iuxta Bernardum) ocioſum & mortuum ab exercitationibus, non patitur cella, ſed citius proijcit, quaſi abortiuum, & euomit, tanquã inutilẽ, & noxiũ cibum; nec diu talem pati poteſt in viſceribus ſuis officina pietatis. Hoc remedium Angelus Antonium orantem, & attædiatum docuit, in ſpecie hominis apparens nunc operantis, nunc orantis & rurſus ad opus pergentis; ſchema prætendẽs, eiq; dicens, *Sic fac & viues.* Quod & ſi nos viuere in cella volemus, ſimiliter agamus, ociũ deuitemus. Hoc ſiquidẽ fuit conſilium experiſſimi ſenis, vbi cauſabatur attędiatus Frater, in cella dicens, Quid facio, quia cogitatio mea non dimittit me vel vna hora ſedere in cella. Cui dixit ſenex, Mane, & ſede in cella tua, & labora manibus tuis, & ora Deum inceſſanter, ne quis te ſeducat exire inde; vt hoc inſigni exemplo confirmetur
Eccl. 33. in vitiſpatrum. Ocia dant vitia, & docent maliciam multam Varijs, & pijs alternatis nos exercitijs occupemus, nihil ad tædium vſque agendo: Delectatio namque eſt, quæ operantem conſeruat in opere. Hinc iuxta quendam,

Nunc lege, nunc ora, nunc cum feruore labora,
Sic erit hora breuis, ſic labor ipſe leuis.

Ocium enim ſine literis, viui eſt hominis ſepultura. De varietate horum exercitiorum Franciſcus Petrarcha, vt ſupra docet; Et Bernar. in epiſtola ad Fratres de Monte. Hæc itaque remedia aſſumamus, & in cellis per hæc nos conſeruemus. Quia perſeuerantia Cellæ iuxta Arſenium perducit Monachum in omnem bonum.

Hoc tamen ſciendum, quod parum prodeſt exterior ſolitudo corporis; niſi etiam affuerit mẽtis. Vnde poſſet etiã de hoc hic ſermo fieri, niſi prolixitas ipſa vetaret. Quã & in medijs tumultibus, Franciſcus Petracha, ex Quintiliani, ac Senecæ inſtitutis, (vt ait) ſibi fabricauerat; vincens ingenio fortunam imaginariam, ſolitudinem mentis receſſu ſub rerũ turbine aſſumens. Primam hanc externam aſſumamus, vt ſecundã attingamus; quæ nihil aliud eſt, niſi quies, & pax mẽtis. Et nota quod ſicut dictum eſt de officina, in qua bonũ operamur; ſic etiã hic dici poſſit de tempore, quoniam iuxta Philoſophũ locus, & tempus coniuncta ſunt, niſi ab alijs plenè eſſet deductum. Scripſit ſuper hoc, ſcilicet de tempore vtiliter expendendo, Iohannes Vallenſis in Dietario ſuo, videatur ipſe, vbi cauſas tradit tẽporis vtiliter expendendi: tũ propter temporis ipſius qualitatem, quod ita breue, volatile, & irreuocabile eſt; *tum* etiam propter ocij in tempore periculoſitatem: Nihil enim magis animæ, quã ocium inimicum; Tum etiam propter inutiliũ occupationum infructuoſitatẽ; quæ non minus nocent quam ocium ipſum. Inutiliter autem tempus teritur interius, quando

Cor occupatur
- Vanis memorationibus de præteritis:
- Fantaſticis cogitationib. vel affectionibus de præſentibus.
- Fluctuoſis, & inordinatis timoribus de futuris

Contra *quã vſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Inutiliter etiam tempus teritur exterius, quando occupamur Ier. 4.

vel in
- Vana curioſitate ſtudiorum.
- Vana fluxibilitate multiloquiorum,
- Numeroſa diuerſitate curſitationum.
- Multitudine ſęcularium negotiorum.

Quæ omnia vitanda, & vtiliter tempus pretioſiſſimũ à Deo cõceſſũ expẽdendũ ob cauſas in his verſibus perſtrictas: Neque enim teſte Auguſtino vtiliter viuitur in tẽpore, niſi ad operandũ meritũ, quo viuatur in æternitate,

Vt Reddas, Redimas, Gratus, poſt præmia Tẽpus
Dimittas, ſis ſecurus, Tormentaque vites.

Primo tempus expendendum vtiliter, ob iuſtã rationem Deo ſeruiendi; *Sufficit præteritum tẽpus, ad voluntatem gentium conſũmandum.* 1. Pet. 4. *Secũdo* ob perditi temporis recuperationem. id eſt *ſapientia ambulate redimentes tempus.* Epheſ. 5. *Tertio* ob temporis dati gratuitam conceſſionem: *dedit illi tempus, vt pænitentiam ageret,* Apoc. 2. Quarto ob tẽporis in ſe idoneitatẽ: *ecce nũc tẽpus acceptabile.* 2. Cor. 6. *Quinto* ob præmij adeptionẽ, *quæ ſeminauerit homo, & metet.* Gal. 6. *Sexto* ob culparũ remiſſionẽ: *nũc tẽpus miſerẽdi.* Pſ. 101. *Septimo*, ob in tẽpore iudicii ſecu-

ritatem,

citatem, vbi ratio exigetur de omni momento temporis; *Octauo* ob euaſionem damnationis, de tempore amiſſo. Greg. *Cum accepta pœnitentiæ tempora conuerſit ad culpam, diſtrictam tunc ſentiet pœnam.* Hæc breuiter de tempore bene expendendo, annotaſſe ſufficiat, quo pretioſius nihil; ſed heu, eo vilius nihil æſti-
Luc. 21 matur, cum tamen firma ſententia ſtet: quod ſicut non peribit capillus de capite, ita nec momentum de tempore, de quo non ſit ratio exigenda, qualiter ſit expenſum. Dum igitur
Gal 6. tempus habemus operemur bonum. Et hæc de officina ſaluris, ſat ſit dixiſſe, & de expendendo vtiliter tempore.

MEMBRVM II.

De inſtrumentis ſaluti congruentibus.

Exod. 28. HÆc ſunt inſtrumenta tabernaculi teſtimonij.

Viſo de officina ſalutis, videndum eſt, *de inſtrumentis operanda* ſalutis: Quorum etſi plurima copia poſſet annumerari (quemadmodum in quarto capitulo Regulę ſuæ annotat B. Pater Benedictus, ſeptuaginta duo) ſufficiat tamen hic, vel pauca commemorare, & hoc curſim ſolum, & ſtrictim; Nam ſi de ſingulis proſequi velimus, in immenſum iret volumẽ. Hæc igitur ſunt inſtrumenta.

IIII.
Silentij obſeruatio, *ſenſuum cohibitio,* *morum diſciplina,*
Vt Sileas, Senſus, Mores,
oratio, *prauia conſideratio,* *perſeuerantia,*
Pete, Prouide, Perſtes,

§ 1. *Silentij obſeruatio primum inſtrumentum.*

PRIMVM itaque acquirendæ ſalutis inſtrumentum, eſt *ſilentii obſeruatio*: De quo, *Si quis putat ſe religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum; huius vana eſt religio*. Non enim ſatis ad profectũ, vt diligamus ſecretum, niſi pariter diligamus religionis cuſtodem, ſacrum ſilentium. Ad cuius obſeruantiam, plura nos inducere poſſunt.

Exemplum, Natura, Bonum, Votum, quia ſuaſum.

PRIMVM inductiuum eſt, *Exemplum*, id eſt exemplaris informatio Domini Ieſu; & Mariæ, quæ ſepties tantum inuenitur, & non niſi cum quattuor locuta perſonis; Et ſanctorũ Patrum, quibus ſummum ſtudium erat ſilere, vt patet in vitis eorum lib. 2. c. de continentia; præſertim de ſancto Agathone, qui, vt ſilentium diſceret, per triennium lapidem in ore portauit; Et Theona, qui triginta ſiluerat annis. Sed & Pythagoras Philoſophus quinquennale ſilentium ſuis indicebat diſcipulis: vt commemorat in ſuo de officijs Pater Amb.
Pſ 38. Et propheta *ſilet à bonis, & renouatur dolor eius.*

SECVNDVM eſt naturalis inclinatio, quia homo pronior eſt ad audiendũ, quã loquendum: Hic quidam,

Cur natura duas dedit aures, os tamen vnum?
Vt poſſis audire duplum, ſed dicere ſimplum.

TERTIVM eſt *Bonum*, id eſt, vtilitatis ſilentij conſideratio: Plurima enim bona adducit. Nam *primo* innumera mala ſecludit & præcauet. Ignem enim obſtruit, aquam iurgiorum claudit, gladium inuaginat, beſtiam indomitam domat, vt patet applicando. Hinc & Seneca ait, *Si non coercetur ripis ſuis, cito lutum colligit amnis exundans.* *Secundo* mentis puritatem ſeruat: Vnde eſt quaſi lauacrum lotionis; Quia mens ſine clauſura ſilentij, vndique impuritati patet, & iaculis inimici, iuxta illud,
Sicut vrbs patens, & abſque murorum ambitu, vir Pro. 22.
qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum. Tertio hominem fortificat: *In ſpe & ſi-*
lentio erit fortitudo veſtra. Et quidem patrum, Eſa. 3.
Omnis labor, ex taciturnitate ſuperabit. *Quarto* clauſtrum pacificat, iuxta illud, *Erit*
opus iuſtitiæ pax, ſilentium, ſalus. Et iterum, Qui Eſa 32.
imponit ſtulto ſilentium, mitigat iras. Laqueus Pro. 26.
enim aduerſarij ſermo noſter eſt, & quaſi gladio interficimur noſtro, dum & alios turbamus. Hinc in vitis Patrum, in omni loco, qui taciturnus fuerit, requiem poſſidebit. *Quinto* intellectum illuminat, & hominem decorat: vnde, *Audi tacens* propter &c. Et quidam
patrum, *vade, & tace, & doceberis de omnibus.* Pro. 4.
Hominẽ quoq; demonſtrat iuxta illud: *Lo-*
quela tua manifeſtum te facit. Leuitas enim mẽ- Mat. 25.
tiũ, patet ex verbis. Vnde ſilentium eſt ſignũ ſapiẽtiæ: ita & *ſtultus ſi tacuerit, ſapiens reputa-*
bitur. Eſt & ſignum mentis compoſitæ: Qualis Pro. 17.
enim ſermo oſtenditur, talis mens iudicatur. Tacere enim noſſe, quam loqui eſt difficilius. Sunt & aliæ multæ ſilentij vtilitates, quas ſingulatim proſequi prolixum eſſet nimis; Nam ad diuinum eloquium audiendum præparat
iuxta illud, *Bonum eſt cum ſilentio præſtolari ſa-* Thren. 3.
lutare Dei, vt homo tacens dicat, *loquere Domine, quia audit ſeruus tuus*, ad deuotionem 1. Reg. 3.
leuat, Religionem, & omne bonum conſeruat: vnde & cuſtos, & clauis dicitur religio-
nis. *Gratiæ autem ſtultorum effundentur.* Spiri- Eccli. 20.
tuale gaudium infundit, iuxta illud in vitis Patrum, In omni loco ſi taciturnus fueris, requiem poſſidebis. Item æternum gaudium
meretur iuxta illud Pſal. *Lætati ſunt, quia ſilue-* Pſ. 106.
runt. Prædictæ vtilitates comprehenduntur cauſa memoriæ in his verſibus.

Præcauet, Expurgat, Robur, Pacem, Docet, Ornat,
Præparat, Accendit, Conſeruat, Gaudia, Cælum.

Quartum principale inductiuum eſt, Votũ id eſt, Regularis inſtitutio, & voti emiſſio. Omnis enim Religio annexum fere ſilentium habet. Cultus enim iuſtitiæ ſilentium; Hinc dici-
tur, *Conuenite, ingrediamur ciuitatem munitam,* Ier. 8.
& ſileamus. Quia enim clauſtralibus pax eſt ſumme neceſſaria, ſilentiũ pacis ſeruaculũ eius indicitur. Opus enim iuſtitiæ pax. Ex lingua autẽ immoderata, prodeũt omnia mala. Fruſtra proinde, religioſus gloriatur de cęteris virtutibus ſi (per inquietudinem multiloqui) diſſipat diſciplinam ſilentij Regularis. Nam
teſte ſcriptura, *Qui ſe Religioſum putat, & linguã* Iac. 1.
non refrenat, vana eſt religio huius.

POSTREMVM inductiuum eſt Scripturarum, & Sanctorum perſuaſio: *Quis dabit ori* (Eccli. 22.) *meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum, vt non cadam in ipſis, & lingua mea non perdat me.* Pſalm. *Dixi cuſtodiam vias meas* &c. (Pſ. 38.) Suadent & hoc ſancti. Hinc Ambroſius, *alliga ſermonem tuum, ne laſciuiat*; & multiloquio peccata ſibi colligat; In vitis patrum: *Semper ſilebis, vſquequo interrogatus fueris.* Eſt enim præſertim clauſtralibus ſilentium neceſſarium valde. Nã clauſtralis, ſine ſilentio, eſt, vt equus ſine fræno, caſtrum ſine clauſura, vrbs ſine porta, vinea ſine ſepe. Vbi autem ſepes non fuerit, poſſeſſio diripietur. Eya igitur ſilentium Religionis cuſtodem obſeruemus, & bene proficiemus. Quod vt melius agamus, remedia eiuſdem exercendi paucis aſſignemus.

Conſueſcas, Statuas, Tarde citò, Poſcito, Claues.

Primum eſt aſſueſacti o; vt homo etiam licitis temporibus (iuxta Hiero.) ſtudeat reticere; Bonauentura, Nihil tam valet Religioſo ad cõſeruandum ſilentium, quam vt fugiat conſortia hominum, & ducat vitam ſolitariam. *Alterum Statuas*, id eſt, barratum, ſeu repagulorũ, & vectium ante portam oris poſitiõ, quæ ſunt firma propoſita ſilentium obſeruandi, & occaſiones contrarias deuitandi. Vnde Prouerb. (Pro. 28.) *Iudicia quaſi vectes vrbium.* Sic Agathon ſanctus, portauit lapidem; Et, vt inquit alter Senex, tacendum vſquequo interrogetur. Alliga & tu linguam ad palatum, pone digitum ſuper os tuũ, & *dedecus tibi ſit cum alio quàm Chriſto, aut de Chriſto miſcere ſermonem. Tertium eſt*, quod porta oris *non citò eſt aperienda*, & cum aperta fuerit, mox claudenda; *De primo, Sit* (Iac. 1.) *omnis homo tardus ad loquendum*; Et Seneca. Tardiloquum te eſſe iubeo. *De altero*, quòd ſi porta oris aperta ſit, citò claudenda, ſubnectit (Prou. 10.) idem; Breuiloquum te eſſe volo. Nam ſicut in multiloquio raro peccatum deeſt, ſic breuiloquium peccatum cauet. *Quartum eſt*, Oratio de qua Abbas Siſois ait, Crede mihi, quia ecce 30. annos habeo, quod non deprecor Deum propter peccatum; ſed orans hæc dico, Domine Ieſu Chriſte protege me à lingua mea: Et vſque nunc per ſingulos dies corruo, per ipſam delinquo. *Vltimum* eſt, quod triplices *Claues* oris habere debes: Quarum *prima* erit in archa cordis; vt ſcilicet *deliberatio* præeat; *altera* in manu Prælati; vt *licentiam* petas; *Tertia* in manu Dei, aut Angeli, quem ante locutionem *orabis*. Sit itaque Religioſorum ſermo modicus, & rarus: & ametur ſilentium, cuſtos ſanctæ Religionis; Quod qui leniter frangit, grauiter offendit. Et hæc de ſilentio.

§ 2. *De altero inſtrumento, ſcilicet cuſtodia ſenſuum.*

(Ier. 9.) *AScendit mors per feneſtras noſtras.* ALTERVM etiam præcipuum operandæ ſalutis inſtrumentum eſt, *ſenſuum exteriorum, & interiorum* refrænatio: Quorum cuſtodia, non minus eſt proficere volenti, quàm cellæ, & ſilentij obſeruantia neceſſaria. Per hos enim animę ciuitas expugnatur, & mors per feneſtra has aſcendit: Vnde circa cuſtodias portarum, omne robur exercitus eſt ponendum. Obiecta enim ſenſibus oblata naturaliter mouent, & alliciunt ſenſum in ſui appetitum: & pene impoſſibile eſt, vt irritamenta ſenſuum non perturbent rationis vſum. Vnde qui proficere volet, neceſſario hos cuſtodire habet, vt dicit Iacobus Carthuſien. Et hinc eſt, quod ad horum cuſtodiam, tam ſollicitè hortatur Scriptura ſacra. Poſſemus autem, & de ſingulis his, (ſicut & de ſollicitudine, & ſilentio actum eſt) diſputare, ſed breuitati ſtudentes, hæc in alijs volumus demonſtrare. Habentur plura in Summa Antonina. & ſimiliter in Speculo morali Vincentij. Qui hæc ſcire voluerit, illic inquirat. Hoc tamen monemus, vt frænũ ſemper habeamus, quo euagantes ſenſus domemus; vt dicamus huic, vade, & vadat, & alteri, vide hoc, & videat. Quod etſi in principio difficile ſit, propter ſenſuum inſtabilitatem, & naturalem eorum inclinationem, ad nouitatum ſcrutationem: tamen proceſſu temporis, facta diligentia, facile factu erit.

PORTAS igitur has cuſtodiamus, ne tragædiam illam Hieremiæ lamentari habeamus, ſcilicet, *Aſcendit mors per feneſtras noſtras*, vel, *Oculus meus deprædatus eſt animã meam.* Sunt (Thre. 3.) etenim oculi principes ad nocendum in ſenſibus: Præcipua ergo in illorum cuſtodia diligentia adhibenda, vt caueatur aſpectus omniũ ad malum allicientium; exemplo ſanctiſſimi illius Iob. qui *fœdus pepigerat cum oculis, vt ne quidem cogitaret de Virgine.* (Iob 31) Nec enim intueri debet, quod concupiſci non licet. Nam ſicut viſus eſt ſitu, & ordine prior, & in ſenſibus, (quia plures rerũ differentias monſtrat) principalior: Ita quoque, & ad nocendum procliuior eſt, & efficacior. Quare vt diximus, præ cæteris diligentius obſeruandus. Præſertim propter inductiua, complexa ſub verſu iſto,

Exemplum, Natura, Malum, Fructus, Retributum.

PRIMVM obſeruandi viſus inductiuum eſt, *Exemplaris* informatio Chriſti, B. Virginis, & omniũ Sanctorum, & Philoſophorum: Tam etenim continentiſſimi viſus erat Dominus Ieſus, vt nunquam ſine graui ratione, & digna (Io. 6.) cauſa, ſubleuarit oculos ſacros. (Io. 11.) Vnde pro magno, & cum multo pondere Euangeliſtæ commemorant, quando oculos eleuabat, *vel* (Io. 17.) præ magnitudine deuotionis, vt *ſubleuatis oculis in cœlum*; (Luc. 6.) vel pro attentione inſtitutionis, vt, *Eleuatis oculis in diſcipulos*, &c. Similiter B. Bonauen. de beatiſſima Virgine commemorat, quod tam grauis, tamque pudica, & compoſitiſſima in oculorum, & omnium membrorum motu erat, quod nunquam malè concupiſci poterat; ſed omnem laſciuiæ ardorem, in alijs extinxit. De exemplis ſanctorum, longum eſt commemoratu, quorum indubiè oculi, quia verè *ſapientes erant*, ſemper *in capite erant*; non quemadmodum *Stultorum, in finibus terræ*; (Prou. 17.) ita vt ex ſententia dicebant, *Oculi mei ſemper ad Dominum.* (Pſ. 24.) Et cum animalibus ſanctis *coram ſe gradiebantur*, (Ezech.) affectionum, & intentionum oculis ſubleuati, ſed corporeis oculis demiſſis ſemper & compoſitis, vt in vitis Patrum de quadam Virgine, quæ in multis

annis

Digitized by Google

annis nunquam oculos leuauerat; & de Monacho, quià via declinauit, quem virgo ſacra de incuſtodito viſu redarguit dicens, *Si perfectus monachus eſſes, non ita nos reſpexiſſes, vt cognoſceres nos eſſe mulieres.* Quid de gentium Philoſophis dicendum: cum (teſtibus Hiero. & Seneca) plures corporis oculos ſibi eruebant, vt cogitationes mentis ad puritatem cogerent? ſicut palam Tertullius orator de Philoſopho Democrito hoc ſcribit, quod ſcilicet ſeſe excæcauit, eo quod mulieres ſine concupiſcentia aſpicere vix poſſet. Tantorum
Pſal. 118. itaque exemplo, *auertamus* & nos *oculos noſtros, ne videant vanitatem.*

Alterum inductiuum eſt, *Naturæ ipſius ſollicitudo*, ſeu naturalis inclinatio, quæ tot operimenta oculis circumdedit, & ſeptem ad minus tunicellis, quaſi totidem oſtijs, oculos ſollicitiſſimè clauſit. Vnde etiam ſic Sanctus
Pſ. 16. cuſtodiri expetijt dicens: *Cuſtodi nos Domine vt pupillam oculi.* Sciens ſiquidem naturæ ſagacitas, oculum maximè paſſibilem, ſenſuum cæterorum principem, viſum eius maximè neceſſarium, abuſumque periculoſum valde: tanta ſollicitudine illum veſtiuit. Pro cuius etiam cuſtodia natura ſeper inclinat, manum pro oculo, naturæ inclinatione ſeper opponens; quos etiam, ideo in ſummo capitis collocauit, vt eos ſeper in Capite vero teneremus
Pro. 97. defixos, iuxta illud, *Oculi ſapientis in capite eius: oculi ſtultorum in finibus terræ.* Multa & prolixa ſe offerret materia, de naturæ, pro oculorum cuſtodia, ſagacitate: videatur ſuper hoc liber, qui inſcribitur: Oculus moralis, &c.

Tertium, ad oculorum cuſtodiam inductiuum, eſt grauis, & *multiplex iactura* ex eorundem incuſtodia. Oculi malè cuſtodiri, efficiunt mala multa,

Furantur, Rapiunt, Produnt, Fædant, Mala Porta.

Oculi namque indiſciplinati, *fures ſunt*, &
Thre. 3. raptores bonorum animæ; *Oculus meus deprædatus eſt animam meam, in cunctis filiabus vrbis*
Iudit. 16. *meæ.* Hinc etiam Iudith, *Sandalia eius rapuerunt oculos eius; & pulchritudo eius captiuam fecit animam ſui*, vnde etiam figurantur per latrunculos Syriæ, qui captiuam ducunt puellam de
4. Reg. 5. Iſrael, in obſequium vxoris Naaman leproſi; qui ſignat concupiſcentiā mundi. Verè oculi impudici fures ſunt, & latrones: *Fures*, qui toties cælicas conſolationes nobis ſuffurantur; Dum enim viſibila videndo concupiſcimus; mox inuiſibiles animi virtutes, diuinaſque cōſolationes amittimus; *Latrones*, qui non ſolum dum aſpiciunt, ſed dum etiam aſpiciuntur, animam occidunt; *Qui enim viderit mulierem ad concupiſcendum, iam mœchatus eſt*, & ex viſu occiſus; ſed & incautas mulierum familiaritates non vitans; earum aſpectu ſæpe occiditur. hinc
Iob 40. Iob, *In oculis ſuis, quaſi homo capiet eam.* Eſt ſiquidem mulierum quarundam aſpectus infectiuus, & exitialis, vt Plinius ſcribit de hominibus Illiricæ regionis, quod & voce, & lingua effœminant; & faſcinatio oculorum eorundem exitialis, hinc commonet Sapiens,
Eccli. 9. *Auerte faciem tuam à muliere compta, propter ſpeciem mulieris multi perierunt.* Quartum vbique aſpectus tam actiuus, quã paſſiuus vitandus; *tum ob ardoris concupiſcibilis*, in carne vigentis inextinguibilitatem; *tum ob naturæ* muliebris infectiuam faſcinationem; *tum ob hoſtis* antiqui, homines per mulieres temptantis, ſagacitatem. Seruemus igitur commonitionem
Sapientis: *Ne reſpicias mulierem multiuolam, ne* Eccli 9.
incidas in laqueos illius. Huius rapius, & latrocinij patent in ſcripturarum decurſu exempla plura; quæ nos docere, & cautiores reddere debent, ne illicitum quid, imò nec licitum, ſine cauſa, reſpiciamus. Eua *videns lignum* ſeduci-
tur; Dina egreſſa vt *videret mulieres regionis* Gen 3.
illius, à Sychen corrumpitur; Dauid adultera- Gen. 34. 2 Reg. 11.
tur; Salomon infatuatur; Samſon illuditur, & 3. Reg. 11.
interficitur. Sunt item tertio oculi mali, prodi- Iudic. 16.
tores peſſimi, ſecreta animæ exterius nuncian- Matth 6.
tes. Hinc Pater Auguſt. *impudicus oculus, impudici cordis eſt nuncius.* Lucerna ſiquidem corporis eſt oculus. Sicut recentia piſcis maximè ex oculis iudicatur; ſic & qualitas mentis ex oculis præcipuè conîectatur. Ex fructu cognoſcitur arbor; ex riuulo fons; Et ea, quæ in domo fiunt, ex oſtio, vel feneſtris videntur. Faciliter conuertitur oculus, ſicut inclinatur affectus; vagus oculus, vagæ mentis eſt teſtis. Sunt *quarto* oculi, turpitudinis conciliatores, mentem concupiſcentia praua fœdantes. Auguſt. *Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi oculos habeatis impudicos: nam & viſu immundo mens fœdatur.* Quare Iob *pepigit cum oculis fœ-*
dus, ne cogitaret de Virgine. *Quintò*, innumera Iob 31.
alia mala, incontinēs oculus adducit, ita quod Gregorio teſte, Omnis corruptio tam animæ, quam corporis, ab eis exordium ſumit: Vnde & Seneca hos vitiorum appellat irritamenta, & omniū ſcelerum duces. Viſus namq; inordinatus parit cogitationem malam; cogitatio delectationē; delectatio conſenſū, conſenſus operationē; operatio conſuetudinē, conſuetudo neceſſitatem; ex qua paulatim ita anima corrumpitur, vt in profundum malorum veniens, deſperando dicat, ſe non poſſe à peccato cohibere. Ecce in quanta mala præcipitat oculus incuſtoditus, & indiſciplinatus. Sunt quoque *poſtremò porta*, & feneſtræ mor-
tis. Vnde ſupra *aſcendit mors per feneſtras.* Et Sa- Ier. 9.
piens de vecorde iuuene, qui ex viſu malo ſe- Pro. 7.
quitur, *velut ſi auis feſtinet ad laqueum, aut quaſi bos ad victimam ductus* O propter tanta mala præcauenda, viſum cohibeamus ſub diſciplina.

Immò & quartò, viſum reſtringere ſub diſciplina debemus, propter *multiplex bonum*, & fructum varium, quem gignit viſus diſcipli-
natus. Signum ſiquidem ſapientię eſt: cuius o- Eccle. 2.
culi ſunt in ſuo capite. Pars magnæ innocentiæ decus, & inſigne diſciplinæ, & breuiter tutela vnica, & ſummum remedium vitiorum. Dum enim oculi cuſtodiuntur, facilius cogitationes malæ, imaginationes fantaſticæ, affectiones fœdæ vitantur. Per quales enim formas ire ſolent oculi, per tales cogitationes (teſte patre Auguſt.) & cor vadit: Qui ſi bene cuſtodiuntur, minus homo diſpergitur; & vitioſis affectibus pulſatur, & puritas mentis, & diuina ſpeculatio obtinetur. Quanto enim oculus

exterior magis euagatur, tanto interior magis offuſcatur: vt dicitur de Balaam, *Dixit vir cuius obſtructus eſt oculus* &c. (Num. 24) Contraque de Paulo habemus, quod cum excæcatur exterius, illuminatur interius, & dum cætera non videt: (Auguſtino perhibente) Deum vidit. (Act. 9.) Sicut & de cęco Didimo inuenimus, quod intellectu illuminatior fuit, vt de Anto. & Hier. aiunt. Quiſquis igitur mente illuſtrari cupit, oculos corporis ſub diſciplina conſeruet.

POSTREMÒ, eiuſdem inductiuum eſt, magna retributio futurorum: Nam diſciplinato oculo, magna merces repromittitur, viſio, ſcilicet Dei. Eſa. *Regem in decore ſuo videbunt*, (Eſa. 33.) ſaltem in humanitate, Vtrum vero, & diuinitas, glorificato oculo ſit videnda, D. Pater Aug. in Ciuitate, & in Epiſtolari diligentiſſimè tractat. O quam beata illa viſio Dei, de qua idē Propheta dicit, *Tunc videbis & afflues*, (Eſa. 60.) &c. Nunc igitur oculos ſub diſciplina inclinemus; vt tunc beatificemur. Nam teſte Iob, *Qui inclinauerit oculos ſuos, ipſe ſaluabitur*. (Iob 22.) Sicut è contra oculis laſciuientes, grauius in futuro damnabuntur. Per quæ enim quis peccat: per hæc, & punitur. (Sap. 11.) Affligentur ſiquidem damnatorū indiſciplinati oculi ab ardore: iuxta illud. Leuit. *Ardor conficiet oculos noſtros, & affliget animas noſtras*. (Leuit. 24.) Item ab mærore: *Dabit tibi Dominus oculos deficientes, & animam mærore conſumptam*; (Deut. 28.) Item terrore, *Terreberis propter ea quæ videbis oculis tuis*. (Ibid.) O paueamus, caueamus; viſum diſciplina, propter tanta inductiua obſeruemus.

VII. POSSEMVS pariformiter, & de cæteris ſenſibus obſeruandis, ponere inductiua, ſed vitantes prolixitatem, breuiter commonemus, quod non minori diligentia, caſtigandus eſt *auditus* ne audiat allicientia ad malum. Valde enim voluptates aurium ſubiugant, & tenaciter illaqueant: vt dicit in 10. confeſſionum Pater Auguſt. Quare ad eius cuſtodiam ſapiens commonet dicens, *Sepi aures tuas ſpinis*. (Eccliſ. 28.) Nam qui omnia audit, hæc mala incurrit,

Affligit, Subdit, Aufert, Fœdat, Malus & fit.

PRIMÒ ex auditu indiſciplinato, ſæpe mens affligitur, vnde ſcribitur, *Cunctis ſermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum; ne fortè audias ſeruum maledicentem tibi, & affligatur cor tuum*. (Eccli 7.) Hinc Iob de perfectis, *Non audierunt vocem exactoris*, (Iob 39.) eorum, ſcilicet qui habent verba cōturbatiua aliorū. Quibus aures obtundendæ, vt facit vulpes.

SECVNDÒ homo Diabolo ſubijcitur, & eius ſeruus efficitur, & ducit eum quo vult, nec poteſt euadere; vt carnifex porcos trahens per aures, inde Exod. Qui volebat poſſidere hominem ſeruum: perforabat ei aurem: (Exod. 21.) Et ex quo habebat aurem perforatā, erat ei ſeruus ſempiternus; Sic qui habet aurem perforatam, ad omnia mala audienda, Diaboli ſeruus efficitur.

TERTIÒ *Aufert* deuotionem pariter, & ſpiritualem vitam; hinc dicitur, *Non acceptabit Dominus, qui offert ei animal habens aurem amputatam*. Et latro, vel fur inuentus, amputata aure, in patibulo ſuſpenditur.

QVARTÒ ex indifferentia rerum auditu mens *fœdatur*, & polluitur, *Effraym quaſi vas immundum in nationibus*, (Oſee 8.) quia ſcilicet eius auris non habet operculum prudentiæ; & Vas eſt immundum: quod non habet ligaturam, (Num. 19.) vel operculum.

QVINTÒ ex malorum auditu redditur homo Malus; vtpotè mordax, detractor, & rixoſus Prouerb. *Sicut qui apprehendit auribus canem, & tranſit impatiens; ſic qui immiſcet ſe rixis*. (Pro. 26.) Nam ſicut canis auribus apprehenſus mordet, & latrat; ſic & rixas audiens, impatiens redditur, & malus. Cum igitur tanta proueniant mala, ex auditu malo; ſæpiat quiſque ſpinis aures ſuas, vt ſapiens monet, ne audiat linguam nequam. Maximè autem (Eccli. 28.) auditus ab his venit auertendus.

Vaniloquum verbumque malum, fuge cantica, muſas.

Primò à Verbis vanis, & *otioſis*, (quibus teritur tempus, & ratio exigenda eſt tempore iudicij) conuertendo ad ædificatoria, vt Prou. *Audiat ſapientiam auris tua*. (Pro. 2.) Quare & dicitur, quod Bananinas (qui ædificatio, vel reſponſio Domini, aut Secretarius interpretatur) auricularius erat Dauid: (2. Reg. 23.) in typum, quod Dei verbum erit cuſtos noſtrarum aurium.

Secundò præſertim præcauendum à verbis *Malis*, vtpotè à verbis detractorijs, adulatorijs, ſubuerſorijs, litigioſis, & blaſphemoſis: quæ omnia prohibet Scriptura ſacra. Nam contra detractoria dicit, *Sepi aurem tuam ſpinis, ne audias linguam nequam, & auribus tuis facito oſtia, & ſeras*. (Eccli. 28.) Et item. *Cum detractoribus ne commiſcearis, quoniam repente veniet perditio*; tam eius, ſcilicet qui detrahit; quam eius, qui accommodat aurem. Teſte namque Gregorio, ſæpè *non minus peccat auditor, quam detractor, quia ſi defuerit auditor: deerit, & detractor*. Non enim inuito auditori, libenter narratur. Sicut ſagitta in lapidem non figitur, ſed interdum reſiliens percutit dirigentem. Ideo habetur in Prouerb. *Ventus Aquilo, diſſipat pluuias; & facies triſtis linguam detrahentem*. (Pro. 25.) Quotiens igitur detractio inſonuerit, vel redarguatur detractor; aut ſaltem non accommodetur auditus; nec permittamus alienas ſordes, per aurium feneſtras proijci in domum noſtram; vel triſtem faciem oſtendamus, vt ita deſinat detractor: quia multa mala lingua tertia facit. Similiter à verbis *adulatorijs* auertamur, ne animo reſoluamur; quemadmodum morſi à Serpente Dipſade; quia (iuxta Pſalm.) *Molliti ſunt ſermones eorum, & ipſi ſunt iacula*. (Pſ. 54.) Proinde ait Seneca. Si continens es, adulationes deuita; ſitque tibi *tam triſtè laudari à turpibus, quam ſi vt ob turpia lauderis*. Porrò de *ſubuerſorijs* verbis, quæ vt cancer, ſerpunt, vt corrumpant aures aſpidum ad inſtar ſunt obturandæ, terra, ſcilicet & cauda; vt eſt, conſideratione fragilitatis propriæ, & fine peccati: iuxta illud, *furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis* &c. (Pſ. 57.) A *litigioſis* quoque verbis contineamus auditu, ne ignis iræ apertis portis in domum mentis intret. *Vir enim iracundus, incendit litem*. Et ſimiliter à *blaſphemoſis*: cum teſte ſapiente, *Loquela multum iurans: horripilationem* (Eccl. 27.)

tionem capitis ſtatuet. &c.

Cantu quoque *meretricio*, *& muſicis inſtrumentis*, emollientibus animos viriles, caſtigandus auditus monente ſapiente, *Ne audias* [Eccli. 9. R.] *ſaltatricem, ne pereas in efficacia illius.* Et cythara, & muſica tandem vertuntur in luctum, & cum tympano, & choro mox deſcenditur, vt Iob ait, in infernum. [Iob. 21.] Sat ſit de præcipuis his ſenſibus, quoniam principes ſunt; prolixius hæc commemoraſſe.

In reliqvis quoque cuſtoditi ſimus. Ne aliquando *odorare* velimus, quæ ad peccatum allicere poſſent; vt aſperſum myrrha, & aloe cubile meretricum, quia *erit pro ſuaui odore* [Eſa. 3.] *fætor.* Sed ſit Chriſtus odor noſter, æternas concupiſcentias in nobis exuſcitans: vt *curramus in odore vnguentorum eius*; [Cant. 1.] vt Facetus monet dicens,

Non ſit odoratus vnquam tuus immoderatus;
Chriſtus odor tibi ſit, cum pluſquam cætera proſit.

In guſtu ſimiliter, ſimus continentes, nec delicatiora, nec accuratius parata, aut ſuperflua requirentes: de quo latius infra, de modo comedendi.

A tactu quoque impudico, ſeu inhoneſto, ſicut ab igne infernali, & mortifero reſiliamus, vbi maximè præcauendum. Cum enim tactus inter ſenſus materialior ſit, & vehementioris impreſſionis; ideo ſi illicitus ſit, hoſtis ſit animæ potentior ad nocendum. Fit autem illicitus is tactus, aut *propter inobedientiam*, vt Eua lignum vetitum tangendo: [Gen. 3.] aut *propter irreuerentiam*, circa diuina; aut propter *impudicitiam*, & carnalitatem, vt mulieres, aut ſeſe, vel alios inhoneſtius contingendo. Vbi maximè reſiliendum, ſcriptura inclamante, *Pollutum nolite tangere; mundamini, qui fertis vaſa Dei.* Caro ſiquidem mulieris ignis eſt, ſicut Prouerb. [Prouer. 6.] *Nunquid abſcondere poteſt homo ignem in ſinu ſuo? Sic qui ingreditur ad mulierem, non erit mundus cum tetigerit eam.* [Eccli. 9.] Eſt enim vt tactus titionis, & ex hoc concupiſcentia, quaſi ignis exardeſcit. Vnde grauiter, & non ab re, à grauibus Patribus conſtitutum, ne mulieri manus nuda aliquando porrigatur. Porrò quantum ad reliquas ſpecies, impudicioris tactus pro honeſtate conticeſcendum. Contra quos etiam diaboli abhorrendo *fy fy* inclamant, & Scriptura dicit, *Anima, quæ tetigerit* [Leuit. 5.] *immundum, rea eſt*, & delinquit. *Non igitur aliquid tangas male pro quo poſtea plangas.* Hæc igitur de cuſtodia quinque ſenſuum; quod non minimum proficiendi medium, ſatis ſit annotaſſe. Quorum cuſtodia, tametſi pro diſſuetudine, & ſenſuum petulanti viuacitate, grauis erit in principio: aſſuetudo tamen, & violentia facillimam reddent in fine.

§ 3. *De diſciplina morum.*

[Pſ. 2.] *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus.*

Tertivm, & quidem præcipuum, ſalutaris profectus inſtrumentum, eſt diſciplinatio morum. Quæ quam neceſſaria, decens, & vtilis ſit religioſo, ad plenū à venerando magiſtro Hugone, in tractulo de diſciplina clauſtraliū, eſt deductum. Sed & in eruditione ſua magiſt. Vmbertus de hoc agit, & ſingulas proſequitur diſciplinæ partes; Et in ſpeculo quoque diſciplinæ, ab omnibus iure nouitijs ſtudendo abunde agitur de diſciplina circa ſingulas ferè actiones. Vnde qui bene diſciplinatus fieri volet, his libris ſtudendis operam donet. Hoc nos dicimus, quod morum ſub diſciplina compoſitio, primum debet eſſe ſtudium incipientis, vt vult S. Bernardus, Et probat *Non enim prius, quod ſpirituale; ſed quod animale*, [1. Cor. 15.] Apoſtolo teſte. Grandia namque conferunt animæ, ea quæ corporis ſunt diſciplinatiua. Sequuntur ſiquidem plerumque (iuxta Doctorum ſententias) animæ corpora; non in naturalibus tantum, ſed & in ipſis moralibus, vt dicit magiſter Iacobus Carthuſien. Vim igitur nobis agamus, & mores in omnibus diſciplinemus, vt docetur in memoratis libris, vt proficiamus. Verum ne rei tam vtili, & inprimis neceſſariæ, ex toto in hoc collectariolo deſimus: quorundam rogatu, noſtro more, aliquam & ſuper diſciplinatione iſta ex diuerſis materiam ſub verſiculis congeſſimus: eorum latiorem explanationem, ad memorata originalia remittentes. Hoc præcipuè commonentes, vt totis neruis, pro apprehendenda morum diſciplina ante omnia nouelli religionis tyrones inſudent; cum illius neglectus totum hominem, tametſi alias bonum, deformet. *Ex* [Eccli. 19.] *viſu enim agnoſcitur vir: & ex occurſu faciei ſenſatus:* Ita quod iuxta Senecam, argumentū morum ex minimis capere licet; Impudicum inceſſus ſæpe oſtendit; improbum vultus; inſanum riſus, habituſq; demonſtrat; adeo quod propter incompoſitam diſciplinam, Ambroſius (vt in libro Officiorum, 1.) commemorat, duos reiecerit clericos: eo quod vnius geſtus ſatis erat notabilis, & alter inſolentis quodam inceſſus verbere, oculos ſuos feriebat. Et itidē Policratius narrat feciſſe Hieronymus tres ſcilicet à menſa ſua excluſiſſe clericos, eo quod viderit eos incompoſitos; turpe dicens honeſto, & graui viro in eius conſortio aliquod incompoſitum reperiri. Nimirum, quia exterior hominis incompoſitio, ſæpe oboritur, ab indiſciplinata diſſolutione interiori. Cum enim mens interius à cuſtodia ſua ſoluitur; membra foris ad omnem actum inordinatè commouentur. Prima igitur vt diximus, cura nouitij debet eſſe circa compoſitionem, hominis exterioris.

Tres enim ſunt in ſtatu incipientium gradus profectus: *Initium* boni, perfecta obedientia cum diſcretione; *Profectus*, ſubigere corpus, & redigere in ſeruitutem, & diſciplinare illud: perfectio, vſu boni conſuetudinem vertiſſe in delectationem. Dicturi igitur de diſciplina, ne ex ignotis procedatur, diſtinguēda eſt, & deſcribenda; commendanda deinde, & edocenda, poſtque de eius partibus agendum.

Inprimis itaque notandum, quod multipliciter ſumitur nomen diſciplinæ.

Ars, pars iuſtitiæ, correctio, mos bonus eſt hæc.

Primo dicitur diſciplina, *Ars*, ſeu quarumcunque rerum ſententia, in comparatione ad diſcentem. *Secundò* dicitur quædã *pars iuſtitiæ*, qua redditur quod debetur inferiori, & côuenit cum zelo. *Tertio* dicitur diſciplina, id quod adhibetur *ad correctionem* aliquorum : Heb.12. *Fili mi; noli negligere diſciplinam.* Et item, in diſciplina perſeuerate. *Quarto*, dicitur diſciplina effectus quidam, *honeſtatis & morum* ordinata obſeruatio. Et ſic in propoſito, loquendum de diſciplina. Deſcribitur autem diſciplina, à B. Diſciplina. Cypriano, quod *ſit morum ordinata correctio & maiorum præcedentium Patrum obſeruatio regularis.* Aut, vt venerandus magiſter Hugo ait: Diſciplina eſt *conuerſatio bona, & honeſta : cui parum eſt non mala facere, ſed ſtudet etiam in bis, quæ bene agit, per cuncta irreprehenſibilis apparere: vt* fiat illud beatiſſimi Patris Auguſtini, vt in inceſſu, ſtatu, habitu, & omnibus motibus, nihil fiat, quod cuiuſquam offendat adſpectum; ſed quod deceat Canonicam ſanctitatem. Vnde iterum idem Hugo ſic eam deſcribit. *Diſciplina eſt membrorum omnium motus ordinatus, & diſpoſitio decens, in omni habitu, & actione.* Quam B. Bernardus, ex affectibus, hoc modo definit. *Diſciplina eſt quæ ceruicem ſubmittit, ponit ſupercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam frenat, iram ſedat, format inceſſum.* O quam præclarum eſt, ita fore diſciplinatum, & in omnibus ſeruare (vt Philoſophus ait) *modeſtiam*; cuius eſt decorem, ſeu decentiam obſeruare, in exteriori conuerſatione. Id autem iudicatur decens & decorum, quod & naturæ conſentaneum, perſonę dignum, & tempori congruens, & loco. Quæ omnia conuenit obſeruari in diſciplina, vt patet, de cuius iam commendatione, & inductiuis ſubdendum.

SVNT itaque multa commendantia, & inducentia ad diſciplinam.

> *Sit tibi cura prior mores componere carnis:*
>
> *Scripta, decent, ſimul expediens, mala, ſcandala ſuaſa.*

Primum (ad diſciplinæ amorem) inductiuum, eſt frequens commonitio ſcripturarum, vt eſt illud, Pſ.2. Pſ.118. Heb.12. *Apprehendite diſciplinam; bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me. In diſciplina perſeuerate* &c.

Alterum inductiuum, eſt *decentia* eius: Nihil enim humano corpori diſciplina decentius, per quam brutalem ſimilitudinem exuit, & reducitur quodammodo ad innocentiæ ſtatum. Corpus enim indiſciplinatum, eſt quaſi indomitum iumentum; pronum in omne malum, iuxta illud. *Homo, cum in honore* Pſ.48. *eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus* Et, Gen 8. *Senſus, & cogitatio cordis, in malum prona ſunt, ab adoleſcentia.* Decens autem eſt, quod aliter ſe habeat corpus, quod regit ſpiritus rationalis; quam illud, quod regit ſpiritus brutalis, vel malus. Decens item, quod ſicut corpus aliter diſpoſitum erit in ſtatu gloriæ; ſic congruit alia diſpoſitio corpori in ſtatu gratiæ, quam ſub ſtatu naturæ corruptæ. Decet cum corpus tam ſit à Deo honoratum, quod illud Deitati hypoſtaticæ ſit vnitum, vt cuſtodiatur in honore. Item, cum corpus humanum, ſit habitatio, in qua Deus inhabitat cum ſpiritu rationali; decet illud ornatum eſſe, & per diſciplinam decorum; *Neſcitis, quia* 1.Cor 6. *membra veſtra templum ſunt Spiritusſancti, qui* 1.Cor. 6. *in vobis eſt?* Et patres. *Domine dilexi deco-* Pſ.25. *rem domus tuæ.* *Domum* ſiquidem *Dei decet* Pſ.92. *ſanctitudo*, vt cognoſcatur in domibus ſuis Deus.

Tertium inductiuum eſt vtilitas, & expedientia diſciplinæ. Tollit ſiquidem mala multa, & facit bona plura. Eſt ſiquidem diſciplina, (vt magiſter Hugo ait) compes cupiditatis, malorum deſideriorum carcer, fræuum laſciuiæ, elationis iugum; vinculum iracundiæ; quæ domat intemperantiam, leuitatem ligat, & omnes inordinatos motus mentis, atque illicitos appetitus ſuffocat. Sicut enim ignis extinguitur cum premitur, & flamma exire non permittitur; ſic mentis inordinatio quaſi ſuffocatur, cum per diſciplinæ cuſtodiam, motus eius foras fluere non ſinuntur. Et ſicut deſtruitur vis naturalis, cum diu prohibetur in operationes ſuas exire; & conſuetudo deficit, ſi diu diſſueſcat: Sic vitia omnia animi deficiunt, cum ab operibus exterioribus per diſciplinã refrenantur. Ecce ergo quot mala diſciplina tollit.

Porro quanta operetur bona non facile eſt dictu: Aliqua breui verſiculo perſtringuntur,

> *Glorificat, bona lætificat, terret, placet, aptat*;

Primo diſciplina religioſi viri Deum glorificat; ſicut ornatus templi eius illud, *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* 1.Cor.6. *Secundo* Bona exempla proximo adminiſtrat, & eum ædificat, Mat. *Luceat lux veſtra coram homini-* Mat.5. *bus, vt glorificent patrem veſtrum* &c. *Tertio* Angelos lætificat, qui ſicut gaudent, ſuper vnius peccatoris conuerſione: Luc.15. ſic multo amplius in iuſtorum profectu, & diſciplinatione. *Quarto*, dæmones exterret. Nam ſicut ille, qui dat carnalitati concupiſcentias ſuas, fit in gaudium inimicis ſuis: ſic ille, qui refrenat eam à concupiſcentijs, contriſtat eos; quare anima diſciplinata terribilis dæmonibus eſt, *vt caſtrorum acies ordinata.* Can.6. *Quintò* hæc diſciplinæ obſeruantia ſumme placet altiſſimo, cuius placita facienda ſemper: Tob.14. in cuius diſciplinæ placentis typum legitur, quod Iſaac, vt Gen.27. ſenſit veſtimentorum filij ſui fragrantiam, benedixit ei: Can.4. vnde in Canticis à Sponſo laudatur, *odor veſtimentorum*, & deſcribitur eſſe *ſicut odor thuris*, quæ propriè offertur, & placet Deo. *Poſtremo* vtilis plurimum eſt hæc diſciplina, eo quod *coaptat* hominem, ad omne bonum, ſubijciens corpus ſpiritui; hoſtem illum familiarem, & domeſticum, ad nocendum potentiſſimum, conuertens in vtilem ſeruum, vt iam fideliter ſeruiat, qui ſemper ante in omnibus rebellis erat. Vnde ſpiritus tale obediens & diſciplinatum corpus, carum habere debet iuxta illud, *Si eſt tibi ſeruus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua, quaſi fratrem ſic tracta illum*; Eccli.33. multum diſcipli-

tum corpus,& ſpiritui confert,& ſibi;eo quod per corpus,ſpiritus multum mereri poteſt,vbi tot organa apta habet, eo quod de ſolo fructu oris (vt Sapiens ait) ſi bene os per diſciplinam regatur, repleri poterit bonis. Multum item confert nouo militi, cui imminet forte bellum, Equum habere bene doctum, non lentum, effrenem,vmbroſum,vel aliter vitioſum,ſed ſeſſori obedientem, laborum, & percuſſionum patientem, ſtrepitum non timentem. Sic ſpiritui prodeſt, habere corpus diſciplinatum. Non itaque negligenda ſpiritui,cura corporis ſui, ſed ſtudeat diſciplinare illud obedire: Cum (teſte Bernardo) nihil magis conueniat ſtulto,quam ſeruire ſapienti; Et melius nihil corpori, propter ſalutem animæ prouidere: Nam prouidendo animæ ſalutem, prouidet & ſuam; Quæ, ſi fidelis fuerit, in labore, ſocia erit in mercede, vt inſigniter in ſermone de Aduentu, dulciſſimus ille Bernar. deducit. Magna itaque vtilitas corporis diſciplinati. Propter quam aſpirandum ad diſciplinam ſemper.

Pro.18.

QVARTVM diſciplinæ inductiuum eſt, quod defectus diſciplinæ, valde indecens eſt viro religioſo, & ex eius defectu, ſuboriuntur mala multa:

Nudat, deturpat, Abrat, offendit, quoque damnat.

In Abrã: ſeu ſerui conuertit.

Primum malum, quod prouenit ex defectu diſciplinæ eſt, quod homo quaſi nudus apparet virtutibus, & eius turpitudo manifeſtatur: Diſciplina enim eſt quaſi veſtimentum quoddam, pallians, & obtegens turpia, & verenda cordis; *Beatus homo qui cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant homines turpitudinem eius.* Valde profecto erubeſcibile eſt, & verecundum, eſſe à diſciplina nudum: quia ſine ea nullum apparet, aut iudicatur bonum; Hinc Seneca, Omnia tolerabilia, præter turpitudinem, & nuditatem, crede. Qui nunc nuditatem iſtam non erubeſcant, in futuro coram toto mundo confundendi erunt; iuxta illud, *Reuelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* Eſt item diſciplina corporis, non ſolum animæ veſtis: qua amota, redditur homo nudus; Sed eſt etiam velut mentis clauſura, aut interioris animæ, & vineæ ſpiritualis ſepes: Vnde ſicut nocet defectus clauſuræ, aut ſepis in vinea, ſic etiam nocet defectus diſciplinæ in homine. Certum autem eſt: (Eccleſiaſtico teſte) *Vbi non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio*, iuxta quod comminatum eſt per Eſaiam, *Auferam ſepem eius, & erit in direptionem*: Sic vbicunque non eſt diſciplinæ clauſura, non eſt virtutum permanentia; Et vbi diſciplinæ ſepes deficit, coluber infernalis intrat, & interficit, *Qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber*, Morſu vtique culpæ, pœnæ internæ & æternæ. Ecce ergo quomodo defectus diſciplinæ, nudat; & expoliat omne bonum. *Secundo hominem deturpat*, & confundit. Eſt enim Religioſus ſine diſciplina, ſicut animal excoriatum, quod à muſcis ſanguinem ſugentibus

Apoc. 16.

Num. 3.

Eccle. 36.

Eſa. 5.

Eccli. 10.

moleſtatur,& turpe eſt aſpectu: Confunditur quoque Religioſus ſine diſciplina, quemadmodum in nuptijs confuſus fuit homo non habens veſtem nuptialem. *Tertium*, ex defectu proueniens diſciplinæ eſt, quod naturæ ordinem ſubuertit,& ſpiritum, qui Dominus eſſe deberet corporis, graui ſeruitute ſeruire carni facit,quod indecens valde: iuxta illud, *Non decet ſeruum, dominari Principibus.* Præſertim cum talis ſeruitus, ſit ſpiritui valde ignominioſa, aſpera, ſumptuoſa, & periculoſa. Nihil ſiquidem vilius, quam ſpiritum nobilē, à vili carne vinci. *Aſperius* quoque *nihil eſt humili, cum ſurgit in altum. Nec belua ſeuior vlla eſt, quam ſerui rabies in libera colla furentis.* vnde Prouerb. *Per tria mouetur terra, & quartum, quod non poteſt ſuſtinere: Per ſeruum, ſcilicet cum regnare cœperit.* Corpus enim ſi ſpiritui dominetur, tanquam ſeruus vilis, nonniſi vilia imperat, carnis ſcilicet curam in deſiderio perfici, & intendere vnius ſacci vilis refectioni, & ventris loci immundi repletioni. Quam etiam ſumptuoſa ſit, & periculoſa ſeruitus illa, patet, quia voluptati gutturis, tanta parantur; & corpus tanquam ſeruus malinolus noxia ſpiritui imperat,& quandoque mortem. *Quarto* diſciplinæ defectus, grauiter *offendit* Deum, in cuius ſignificationem, multum doluit Iacob, tunicam filij ſui Ioſeph videns ſanguinolentam. Et probè, quia vt habetur *veſtimentum mixtum ſanguine, in combuſtionem erit.* Nec mirum ſi Deus, ex diſciplinæ defectu offenditur, cum exinde blaſphemetur; Quemadmodum enim per diſciplinam glorificatur; ita per contrarium blaſphematur, teſte Patre Auguſtino ſuper illud, *Siue comeditis, ſiue bibitis, omnia in gloriā Dei facite; Si,* inquit, *natura modum debitum, immoderatione voracitatis excedis, & vinolentia indiſciplinata te ingurgites; quantaſcunque laudes lingua ſonet, vita blaſphemat.* Neque enim eſt honor regis cæleſtis, quod Sponſa ſua ſit induta vili veſte indiſciplinati corporis. *Poſtremo* non ſolum diſciplinę defectus hæc mala in præſenti cauſat, ſed & in futuro grauiter damnat; vt patet ex parabola carentis veſte Nuptiali; qui non modo confuſus, ſed & ligatis manibus,& pedibus miſſus eſt in tenebras exteriores. O paueamus, caueamus; agamus, vt diſciplinati ſimus,& tanta mala euadamus.

Mat. 22

Pro. 9.

Pro. 30.

Rom. 13.

Geneſ. 37.

Eſa. 9.

1. Cor. 10

Matth. 22

QVINTVM diſciplinæ inductiuum eſt, quia illius defectus, valde plurima ſcandala generat proximorum, vndique diſciplinata vita alios corrumpens; bonitatis ſuæ defectum, palam alijs indicans. *Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis, denunciant de illo:* Nam vt Greg. in paſtorali ait, *Qui ſtatum mentis perdidit intus, foris in inconſtantiam motionis fluit, atque exteriori mobilitate indicat, quod nulla intus virtutis radice ſubſiſtat*, vt de hoc latius ſupra.

Eccli. 19.

POSTREMVM ad diſciplinæ amorem inductiuũ eſt, quia Doctiſſimi, & Sanctiſſimi: ad illius obſeruantiam, tantopere ſuadent, vt patet ex authoribus præmemoratis, qui pariliter concludunt, quod vnica beatitudinis, & virtutis via, ſit diſciplina: Ad beatitudinem

enim

Digitized by Google

enim nemo niſi per virtutem, peruenire poteſt, & virtus non alio modo veraciter apprehenditur, niſi diſciplina virtutis non negligenter cuſtodiatur: Vſus ſiquidem diſciplinæ ad virtutem animum dirigit; virtus autem ad beatitudinem perducit. Ac per hoc, (vt venerabilis Magiſter Hugo de S. Victore, ſuaui ſua eloquentia deducit,) ſi beatitudinem volemus, exercitium diſciplinæ debet eſſe noſtræ exercitationis inchoatio, virtus perfectio. Hæc conſequetur vtriuſque præmium, æterna beatitudo. Et hæc breuiter ſufficiant, de commendatione, & inductiuis diſciplinæ,

INQVIRENDVM iam, quæ ſint promotiua diſciplinę, quæ ad illam obtinendam valent. Et notantur iſta.

Exemplum, doctrina, pudor, parens, quæte, perſtans.

De quibus ſex medijs, & diſciplinę promotiuis, quoniam ad liquidum de ſingulis inſignis ille memoratus magiſter Hugo in ſuo de diſciplina inſigniter tractat, nihil nobis proſequendum; tangendum tamen. Quia ſingulariter, & efficaciter, ad diſciplinam promouent. *Exempla* diſciplinatorum. Seneca, *longum iter per præcepta; breue, & efficax per exempla.* Efficacior ſiquidem eſt, vox operis, quam ſermonis: dum opere factibile oſtendit, ad quod verbo animat, & confortat; Sed ſicut cera, niſi prius emollita fuerit, formam ſigilli non recipit, ſic nec homo bono alterius exemplo ad diſciplinæ formam inflectitur, niſi prius per humilitatem, ab omni elationis rigore molliatur. Neceſſe ergo eſt, ſi bonos imitari volumus, vt per veram humilitatem, ad *obedientiam* corda noſtra præparemus. Ceræ calefactæ, imago ſigilli facile imprimitur. Et nota, ſicut exemplum bonum ad obtinendam diſciplinam multum valet: ſic econtra exemplum malum valde nocet; & ideo in multis clauſtris diſciplina non obtinetur, quia illius exemplum non oſtenditur, licet verbo doceatur;

Eccli. 34. Sed, vt dicitur, *Vnus ædificans, & vnus deſtruens, quid prodeſt illis niſi labor.*

☞ *Secundum* diſciplinæ promotiuum, eſt *Doctrina*, & inſtructio morum. Nam teſte Seneca, Cito nequitia ſurrepit; difficilius inuenitur virtus, quæ ducem rectoremque deſiderat. Nec poſſunt homines, ſine Doctore eſſe, quod cupiunt. Nouitius igitur in Religione, (vt dicitur in lib. de vita ſolitaria) tametſi ingenio vigeat, artem calleat, præemineat intellectu, inſtrumenta ſunt hæc tam vitiorum, quam virtutum; Non ergo refugiat doceri vti eo in bono, quo & in malo vti poſſet: quod proprium virtutis opus eſt. Vult etenim doceri virtus cum humilitate, quæri cum labore, cum amore poſſideri. Amor ergo, & obedientia doctrinæ, via eſt obtinendæ diſciplinæ, vt plenius Hugo notat.

Tertium ad diſciplinam valens eſt *Pudor*, Modeſtia ſiquidem (vt Philoſophus ait) virtus eſt, qua pudor honeſtatis putam, & ſtabilem comparat auctoritatem. Pudor ſiquidem, qui diſciplinam conquirit, etiam conſeruat: vnde erubeſcentia, & pudor (iuxta Damaſcenum) optima paſſio eſt, maximę in iuuene. Seneca, Verecundia, bonum in adoleſcente ſignum eſt, vnde & Terentius de iuuene qui erubuit ait, *Salua res eſt*, Bernardus. *Neſcio ſi quicquam ingrati cum verecundia, in moribus hominum deprehendi queat.* Verecundia omnium ornatus eſt ætatum, ſed in tenera ætate amplius, pulchriuſque eniteſcit. Quid amabilius verecundo adoloſcente? Quam pulchra hæc, & quam ſplendida gemma, in vultu adoleſcentis, quam vera minimè dubia, bonæ nuncia ſpei, ſemper bonæ indolis index? Quid ita turpiloquij, & omnis turpidinis, & indiſciplinationis fugitiuum? Verecundia ſpecialis gloria eſt conſcientiæ, famæ cuſtos, vitæ decus, vir- Pudititia laus.
tutis ſedes, virtutum primitiæ, maturitatis laus, inſigne totius honeſti, vnicus diſciplinæ trames. Proinde qui in diſciplinam promoueri volet; hunc ſanctæ erubeſcentiæ, pudorem, primitus amplectatur oportet.

Valde ergo de verecundia hac, in primis nouitij inſtituendi. Quorum tres ſunt gemmæ virtutum principales: Verecundia, ſcilicet, Obedientia, & Taciturnitas. Hunc ergo verſiculum, ſemper cordi habeant.

Sit iuuenis Parens, Taciturnus, ſit Pudibundus.

Quartum diſciplinæ promotiuum eſt *Obedientia ſimplex*, quæ æqua iuuenum gemma, & nouitiorum decus, & diſciplinæ via; vnde quicunque ad Religionem venit, debet habere voluntatem bonam, quaſi materiam totius Religionis, quam Patri ſpirituali, locum Dei tenenti, per obedientiam, formandam offerre debet. Bernard. Quicunque habet voluntatem bonam, ſecum habet quicquid ad bene viuendum opus eſt, ſi tamen per Obedientiam regatur. Nec enim expedit, vt credatur ſibi, ſed ſuo actori offerat eam formandam; vt tanquam à figulo figmentum, lege quadam mandatorum, in rota volubilis Obedientiæ, in omni patientia formetur. Initium ergo virtutis om-
nis, & certa diſciplinæ via in homine no- 1. Thi. 4.
uitio, & incipiente, perfecta Obedientia eſt; & ipſa *indiſcreta*, id eſt, nunquam diſcernens, quid, vel quare præcipiatur: ſed ad hoc tamen nitens, vt fideliter, & humiliter fiat, quod à maiore iniungitur; aliàs vt Adam, &
Eua, de Paradiſo eijciendus eſt, ſi diſcernere Gen 3.
velit. Impoſſibile ſiquidem eſt (Bernardo teſte) nouitium prudentem, durare in congregatione; ſed vt perſtet, ſtultus fiat neceſſe eſt, vt ſit ſapiens. Et hæc ſit omnis diſcretio eius; vt in hoc nulla ſit diſcretio: Hæc omnis ſapientia, vt in hac parte nulla ei ſit, niſi obedire ſimpliciter, & in nullo fidere ſibi. Talis obedientia, diſciplinę initium eſt.

Quintum, quod promouet ad diſciplinam eſt crebra diſcuſſio ſuijpſius, & inſpectio operum ſuorum: vt quotidiana diſcuſſione cogitationes, locutiones, pariter & facta apud ſemetipſum examinet; ſollicite attendens, non ſolum quid agit, ſed etiam qua intentione illud agat, per ſingulos dies ad iudiciũ reuocans vitam ſuam: vt plenius de hoc in examinatorio conſcientiæ eſt proſecutum. Quod vnicum, & maxime præ cæteris neceſſa-

Digitized by Google

ceſſarium (ſi Hugoni creditur) pro diſciplina obtinenda. Sapientes quippe ſemper agendo diſcunt, & per experientiam eorum quæ faciunt, ad ea, quæ poſtmodum agenda fuerint, cautiores fiunt.

Poſtremum, & ſine quo reliqua proficiunt parum, diſciplinæ promotiuum eſt, *ſtabilis perſeuerantia* in exercitio obedientiæ & diſciplinæ: Sola etenim obedientia perſeuerans eſt, quæ nouitium ad perfectionem ſanitatis adducit: Remedia crebro mutata nocent, naturam turbant, diſcriminant ægrotum; & nunquam peruenit quò tendit, qui non vnam & rectam tenuerit viam, *neſcit enim error finem*. Sic niſi perſeuerans in aſſiduo exercitio diſciplinæ virtutem non attingit, beatitudinem non promeretur. Studendum ergo perſeuerantiæ, quæ ſola brauium obtinet, & coronatur. Et hæc de promotiuis diſciplinæ.

Matt.10. 2.Tim 2. ASSIGNANDÆ ſunt iam partes & ſpecies diſciplinæ. Quatuor igitur, vel quinque ſunt, in quibus præcipuè diſciplina obſeruanda venit; quæ partes vel ſpecies ſunt diſciplinæ,

Sunt partes habitus, geſtus, eſus, loca, ſtatus.

Magni & prolixioris operis eſſet proſequi de ſingulis partibus diſciplinæ: breuiter nobis tantum commemoranda de ſingulis quędam.

De diſciplina habitus. Notula I.

IN veſtitu ne glorieris vnquam, Eccleſiaſt.11. Quantum ad diſciplinam in habitu Religioſo, hæc maximè præcauenda,

Ne pudeant, neve affectent, nec veſticolæ ſint.

PRIMVM ne humilitatem veſtium, quam Religio requirit, erubeſcat; cùm gloria Religioſorum humilitas debeat eſſe veſtium: ſicut dixit Pater Auguſtinus: *Fateor, de pretioſa veſte erubeſco: Non decet hanc admonitionem, non decet hæc membra, non decet hos canos veſtis pretioſa*. Heſter 14. *Tu ſcis quod abominer ſignum ſuperbiæ, & gloriæ meæ.*

ALTERVM ne ornatu veſtium *complacere alijs quærat*; Auguſtinus. *Non affectes veſtibus placere, ſed moribus*, & vt ſupra, *In veſtitu ne glorieris vnquam*. Qui enim gloriatur de veſte, *ſimilis eſt furi*, ait Benedictus, *glorianti de canterio*; Non ergo quærat veſtium precioſitatem, vel ſuperfluitatem, ſed ſolam neceſſitatem, vt nuditatem tegat, & frigus pellat: cum Apoſtolo dicens 1. Tim. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.*

TERTIO non ſit *veſticola*, id eſt, ornatum in veſtium compoſitione requirens, ſed animam exornet, vt ſit *omnis gloria filiæ ab intus*. Pſal.44.
Diligentia etenim exterioris ornatus, ſignum eſt neglectæ mentis: Non enim (ait Benedictus) tantum curaretur corporis cultus, niſi prius neglecta eſſet mens, inculta virtutibus. Ornatus corporalis impedimentum eſt ornatus ſpiritualis: Cyprianus, *Serico & purpura indutæ, Chriſtum induere non poſſunt; auro, & margaritis, & monilibus adornatæ, ornamenta cordis & pectoris perdiderunt*, vt latius in celebri epiſtola ſua,

EST nihilominus diſciplina obſeruanda in habitu, in quinque.

In	Genere, Qualitate, Colore, Formatione, Coaptatione,	Ne ſit	Nimis precioſa, Nimis ſubtilis, Nimis nitida, vel fuſca, Nimis magna, vel ſtricta, fluxa vel dependens, Malè & indecenter coaptata.

Amatores etenim Religionis amare debent plus veſtimenta *vilia*, quàm precioſa; plus groſſa quàm ſubtilia, plus aſpera quàm mollia, plus fuſca quàm nitida, plus neglectè quā accuratè compoſita, vel aptata. Sit tamen coaptatio veſtium, decens ſemper & religioſa, quæ non curioſitati deſeruiat, ſed honeſtati: vt ad liquidum de hoc traditur in Speculo diſciplinæ. Notantur quoque ab Vmberto duodecim reprehenſibilia in habitu, quæ ſub verſibus annotantur pro offerenda ampliori cogitandi, vel dicendi materia: quæ tamen complectuntur.

vitanda eſt veſtis nimis pretioſa. non in veſte pretioſa.	*nimis nitida non ſplendeat toga.*	*mollis veſtis animum mollem gignit.*	1.Thi.2.
Cara,	nitens,	mollis,	
curioſa.	*vani formata,*	*indecenter coaptata.*	
ſubtilis,	vana,	coapta,	
Attendite à Scribis qui ambulant in ſtolis.	*ſerui David decurtatione veſtium dehoneſtati.*	*nec affectata ſordes, nec exquiſita delicia laudem pariunt.*	Marc. 12. 2 Reg 10.
Magna,	breuis,	ſordens,	
viſitabo ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina.	*nimis multa mutatoria.*	*in alis tuis inuentus eſt ſanguis pauperum.*	Soph. 1. Hier. 2.
extranea,	multa,	cruenta.	

Quæ omnia, diſciplina Religionis reprehēſibilia iudicat in habitu, ideoque & vitanda, & maximè in Clero execranda. Indigni ſunt (ait S. Hiero.) gradu clericatus, quibus omnis cura eſt de veſtibus ſi bene oleant: ſi pes laxa pelle non folleat, crines calamiſtri veſtigio rotantur, digiti annulis radiant, definit coaptata veſtis, quos non tam clericos quàm ſponſos ęſtimandos cenſet, & fugiendos quaſi peſtem; Clerici enim non veſtibus, ſed moribus ornari debēt, nec calamiſtro criſpare comas, qui habitu pudicitiam polliceri habent.

De diſciplina geſtus. Notula II.

AMictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis denunciant de illo, Eccl.19. Breuiter agendum de diſciplina geſtus. Eſt autem geſtus, modus vel diſpoſitio mēbrorum corporis, plerumque indicans animi motus, ſicut cauſam effectus. Ex cordis enim theſauro procedit, quicquid foris apparet vitiorum: vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, & exteriori mobilitate indicat, quam nulla virtutis radice intus ſubſiſtat. Valde ergo Religioſus Dei ſeruus, indecentiam geſtus præcauere debet, ne proximos corrumpat, & ſtatum ſuum inhonoret. Sunt autem ſex, vel ſeptem modi geſtus reprahenſibiles. XII.

Digitized by Google

Eſt geſtus	mollis, diſſolutus, tardus, citatus, procax, turbidus,	*ſignās*	Laſciuiam; Negligentiã; Pigritiam; Incõſtantiã; Superbiam; Iracundiam;

Quandoquidem viro honeſto incongruum eſt turpi membrorum geſtu reſolui, maximè in conuentu, cùm inordinati hi motus corporis, corruptionem & diſſolutionem indicent mentis: vt ait Ambroſius. Qui autem ſint geſtus commendabiles, quos Religioſus ſemper obſeruabit; auctor Profectus, & mentaliũ aſcenſionum, notant iſtos,

Obſerua. *Maturi geſtus, humiles ſint, atque benigni.*

Maturitas reddit hominem exemplarem omnibus; *Humilitas* cuſtoditum ſibi; *Benignitas* amabilem cunctis. *Maturitas* autem geſtus in hoc conſiſtit, vt homo non ſit leuis ad currendum, nec pronus ad riſum; nec verboſus vel indiſciplinatus, mores omnes & membra pro diſciplina componens. *In primis* ſtudioſè obſeruans, vt ſingula membra ſuum teneant officium, nec vſurpent alienum; vt id ſolum agat vnum quodque membrorũ, ad quod factum eſt: vt non loquatur manus, nec os audiat, vt Hugo exequitur. Sunt enim quidam, qui auſcultare neſciunt, niſi buccis patentibus, quaſi per os audiant; Alij loquendo digitum extendunt, brachijs incedunt &c. *Deinde* obſeruandum, vt vnumquodque tam decenter & modeſtè opus ſuum impleat, vt per indiſciplinam aſpicientium oculos non offendat; ſed faciat eo modo, quo faciendum eſt; nec plus, nec minus, nec aliter quam debet: vt rideat ſine apertione dentium; videat ſine defixione oculorum; & prouideat, vt caueat ab omni geſtu indiſciplinato: vt ſit

Geſtus omnis	gratioſus, quietus, grauis, alacer, maturus, ſeuerus,	*ſine*	mollicie, diſſolutione, tarditate, inquietudine, proteruia, turbulentia.

Longum eſſet exequi de cæteris ſpeciebus diſciplinati geſtus: ſunt libri, vbi ad plenum hæc traduntur, videantur, legantur, obſeruentur. Præſertim in facie, vbi ſpeculum relucet diſciplinæ, cenſura obſeruanda. *Ex viſu enim*
Eccl.19. *cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus*. Procul itaque omnis immoderatus riſus, præſertim pueriliter effuſus, aut muliebriter fractus; Cachinnus præcipuè Religioſi grauitatem plurimum dehoneſtat: memotan-
Luc. 6. dum *væ vobis qui ridetis*; In *inceſſu quoque*, & ſeſſione pariter & ſtatu, & breuiter in omnibus membris, diſciplina diligenter eſt obſeruanda.

Nec quiſquam, vt minima huiuſmodi temerè aſpernanda putet. Clara ſiquidem nonnunquam conuerſationis inſignia, quædam in minimis offuſcant ineptiæ: Et plerumque modicis paulatim per incuriam ſubrepẽtibus maculis, tota morum congeries inquinatur. Hæc de diſciplina geſtus. De reliquis ſpeciebus diſciplinæ quoad comeſtionem, locutionem, & quoad ſingula loca, partim in ſubſequentibus capitulis, hincinde tangitur.

Diſciplina linguæ. Notula III.

OPERIOSIORIS operis eſſet, de his plene contradere. Sunt integri tractatus ſuper ſingulis his conſcripti; vtpote Albertani Brixienſis de circunſtantiis locutionis. Ioannis Vallen, in alphabeto & locario: aliorumque de honeſtate & diſciplina comedendi. Quorum ſtudioſos, quia deſideramus dignabundos lectores noſtros, ideo conſultè tranſimus, ad illos remittendo. Hoc tamen XIII.
vnicum neceſſarium eſt annotatu, quod præter cætera maximè eſt neceſſaria oris & locutionis diſciplina: cùm ex illius obſeruantia, pro magna parte dependet cuſtodia cordis, teſtante Salomone Prou.13. *Qui cuſtodit os ſuũ, cuſtodit animam ſuam: Qui autem inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala*. Magna itaque diligentia circa locutionis diſciplinam eſt adhibenda propter multa inductiua, quæ tanguntur verſiculo iſto,

Scriptum, natura, decet, expedit, ob mala facta.

Primum inductiuum eſt ſcripturarum frequens admonitio Eccl. 18. *Ori tuo facito oſtia.* Pſalm. 140. *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labijs meis*, &c. Tota enim de hoc ſcriptura eſt plena; vt patet ex eius diſcurſu.

Alterum eſt naturæ inſtructio, & naturalis oris & linguæ conditio. Difficultatem enim cuſtodiendi linguam natura indicat, quæ linguam tot repagulis occluſit, dẽtibus & labiis: ſicut ſolent includi crudelia animalia & indomita, ne noceant. Et verè indomabile, & inquietum lingua malum: vnde Iac. 3. *Omnis natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentium, & cæterorum domantur & domita ſunt à natura humana; linguam autem nullus hominum domare poteſt*. Rationabiliter quoque loqui oſtendit conditio linguæ ipſius, & quo ad cauſam finalem, materialem, formalem, & circunſtantiam: vt latius exequitur hæc D. Antoninus, oſtendens quod *finis* locutionis ſit manifeſtatio conceptus cordis; *materiam* linguæ carneam eſſe, non oſſeam: ſemperque madefactam: per hoc notans, nunquam durius loquendum: Quo ad *formam*, eſt deſuper longior quàm ſubtus; infra quodammodo ligata, quia locutio de terrenis breuis erit & rara. Quo ad colorem, eſt tota rubea: vt loquamur ignea, deuotionis & charitatis verba. Tot dentibus quaſi muris circumcluſa, vt omnia verba, ſint multa diſcretione terenda, & locutio rara.

Tertium eſt decentia: valdè ſiquidem indecens eſt, cùm linguæ cuſtodia negligitur, & inquinationi exponitur. Lingua etenim eſt membrum nobile, inſtrumentum gratiæ & ſapientiæ, rationis organum ſpirituale, ſpiritualiter diuino cultui dedicatum. Valde ergo ſeruandum ab omni inquinatione, ne ſimiles ſimus porcis & iumentis; & plectamur cum illa moniali multiloqua, de qua Greg. in dialogo narrat horrenda.

Quartum

Digitized by Google

Quartum eſt, vtilitas & expedientia: Valde etenim vtilis eſt cuſtodia linguæ; Si lingua debito modo regatur, homo ditatur; nam ex
Pro. 12. Prouerb. *De fructu oris ſui vnuſquiſque replebi-*
Prou. 11. *tur bonis*. Et paulò antè, *Vena vitæ, os iuſti*. Cuſtodia linguæ, hominem perfectum conſtituit & prudentem, Iacob. 3. *Qui in lingua non offendit, hic perfectus eſt vir*. Et Salomon Prouerb. 10. *Qui moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt*. In pondere namque verborum, probatio exiſtit humanæ vitæ. Iuxta illud Eccleſiaſt. 4. & 27. *In lingua ſapientia dignoſcitur*; & eiuſdem, *Ante ſermonem, ne collaudes virum; hac enim tentatio eſt hominum*.

Quintum ad linguæ cuſtodiam inductiuum eſt, quia illius negligentia valde periculoſa eſt,
Iac. 3. & generat mala multa. *Lingua* enim, (vt Iacobus ſcribit) *inquietum eſt malum, plena veneno mortifero; ignis item, & vniuerſitas iniquitatis*. Gloſſa, quia per eam ferè cuncta facinora.

Aut { concinãtur, / patrantur, / defendũtur, } *vt* { Latrocinia, ſtupra; / Periuria: falſa teſtimonia; / Cũ fiũt excuſationes in peccatis. }

Et de incuſtodita lingua, prodeũt mala multa.

Mordet, & euacuat, confundit, pernocet, hinc mors.

Primum malum eſt conſcientiæ remorſio: Nam *qui multis vtitur verbis, lædit animam ſuam*, Eccl. 20.

Secundum, eſt gratiæ euacuatio, vbi ſuprà, *Sapiens in verbis amabilem ſe facit: gratia autem fatuorum effundentur*.

Tertium eſt ſtultitiæ indicium, & confuſio. Prou. 17. & 10. & 13. *Stultus, ſi tacuerit, ſapiens reputabitur*. Et, *Os ſtulti confuſioni proximum eſt*. Nam vt ibidem, *Impius confundit & confundetur*.

Quartum malum, eſt nocumenti inflictio: Lingua enim incuſtodita, valdè & ſibi nocet, & alijs. Leuis enim res eſt ſermo; ſed grauiter vulnerat. Et, vt dicitur Eccl. 28. *Multi ceciderunt in ore gladij; ſed non ſic, quaſi qui interierũt per linguam ſuam*. & ibid. *Flagelli plaga liuorem facit: Plaga autem linguæ comminuet oſſa*. In quo eodem capitulo lata fit proſecutio, quomodo aliis noceat lingua mala; ita quod dũ vna lingua vnum loquitur verbum, ſæpe offendit aures multorum, multos commouet & diſpergit de gente in gentem, ciuitates muratas diuitum deſtruens, & domos magnatorum effodit &c.

Prou. 18. *Poſtremò mors & vita eſt in manibus linguæ*. Et vbi ſupra, Eccl. 28. *Mors illius, mors nequiſſima: & vtilis potius infernus quàm illa*. Propter quæ omnia mala, iure inclamatur ibid. *Beatus qui non tectus eſt à lingua nequam: neque tranſijt in iracundiam illius, nec attraxit iugum illius; neque in vinculis eius eſt ligatus*.

Poſtremum cuſtodiendę linguæ inductiuum eſt *factum, & exemplum*, tam Philoſophorum, quàm Sanctorum. Sollicita ſiquidem apud Philoſophos cẽſura ſilentij erat: Nam Pythagoras quinquennale ſilentium diſcipulis indixerat, ſciens, quod bene loqui non poſſet, qui prius bene tacere non didicit. Et rogatus Socrates, vt in conuiuio aliquid diceret, grauiter & circumſpectè reſpondit, Quod præſens locus & tempus exigit, ego non calleo; & quæ ego calleo, nec loco præſenti ſunt apta, nec tempori; plurimum etenim Philoſophiæ cognatum, locis & temporibus aptare ſermones, aut tacere prorſus. Quàm autem ſancti Patres ad linguæ cohibitionem ſtudebant, ex ſcripturis patet, & eorum geſtis: Plurima enim ad ſilentij obſeruantiam ſunt hortamenta ſcripturarum, multa & præclara exempla Sanctorum; vt de Agathone, qui triennio lapidem portauit in ore, vt diſceret taciturnitatem. Et de altero, qui quadraginta nouem annis ſtuduerat, vt verſiculum auditum impleret, *Dixi cuſtodiam vias meas,* Pſal. 38.
vt non delinquam in lingua mea. Sciebant enim, quòd *vir linguoſus non poterat dirigi in* Pſal. 139.
terram. Et quòd ſic *quaſi vrbs patens, abſque* Prou. 25.
murorum ambitu, qui non cohibet in loquendo ſpiritum ſuum; & quòd diſciplinatè loqui ars ſit artium. Valdè ergo propter tanta inductiua, ad hoc conandum.

Sapidè.

QVÆ AVTEM pertineant ad linguæ diſciplinam, & qualiter ſit loquendum, pulchrè & breuiter tradidit dignus ille author Profectus, iubens hæc tria,

Tardus, & intentus, breuiter tua verba loquaris. XIV.

Quorum proſequutionẽ illò remittimus, paucis tangendo, quòd raro ſit porta oris aperienda, & non niſi circumſpectione multa, & citò claudenda; vnde iuſſit ſapiens quidam, ad ſummam perfectionem volo te eſſe rariloquum, breuiloquum, & multa circumſpectione loquentem. Quæ autem ſint circunſtantiæ in locutione attendendæ, notantur verſiculo iſto,

Quis, quid, vbi, de quo, cui, quomodo, quando quoque, quare?

Conſideranda eſt *qualitas eius, qui loquitur*, & hoc quo ad ætatem, ſcientiam, officium, & conditionem: Aliud enim conueniet locutionibus ſenum, aliud iuuenum, qui vix loqui audebunt in medio magnatorum. *Nec* Eccl. 32.
decent ſtultum verba compoſita. *Quid autem* Prou. 17.
ſit loquendum docet Apoſtolus Epheſ. 4. dicens, *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat; ſed ſi quis bonus eſt, ad ædificationem fidei*. Et iterum: *Sermo veſter ſemper ſit in* Col. 3.
gratia, ſale conditus, vt diſciplinatæ locutioni homo aſſueſcat æterna clauſura ſcurrilitates, & verba otioſa condemnans. *Inter ſæculares enim nugæ, nugæ ſunt in ore Religioſi blaſphemia*: Nil etenim, niſi ædificatorium & ſanctum, ex illius ore procedere debet, quod Euangelio eſt conſecratum. Si enim lepores, & ineptias riſu dignas in comediis erubeſcimus, & in ſæculi hominibus deteſtamur, quanto magis in clericis & Deo ſacratis? Notiſſima eſt narratio illa ex vitis ſanctorum Patrum, quàm colloquia ſacra Angelos oblectent: vaniloquia autem infernales porcos lætificent. Aſſueſcat ergo ex initiis bonus Religioſus, rari & diſciplinati eſſe ſermonis, vix aliquando, præter illa quinque aurea verba Quæ hic infra.

Digitized by Google

loquens; Iuxta illud Eccl. 32. *Adoleſcens loquere in cauſa tua vix: Si bis interrogatus fueris, habeat caput reſponſum tuum*. Quod ſi pro cauſa aliorum loquendum aliquando erit, ſint quaſi ſermones Dei; Ambr. Non mediocre periculum eſt, cùm habeas tanta eloquia Dei, & opera quæ fecit, & quæ dixit in Euangelio, in Geneſi, Exodo, Leuitico, ſi his prætermiſſis, loquaris quæ ſæculi ſunt, audias quæ vana ſunt, & otioſa; Sit ergo de Deo ſermo, & cum aureis verbis ſemper.

Quinque autem aurea verba, quibus aſſueſcere debet quiſque Religionis Nouitius, ſunt:

Verbū	Deuotæ gratitudinis, in omnium rerum euentu.	*Dicēdo*	Deo gratias.
	Piæ petitionis, in omni poſtulatione.		Propter Deum.
	Humilis recognitionis, in correptione.		Mea culpa.
	Promptæ obedientiæ, in cuiuſque iniunctione.		Libenter.
	Religioſę cohibitionis ab omni vanitate.		Quid ad te.

Et inſinuantur hoc verſiculo:

Laus Domino, Propter, Quid ad hoc, Mea culpa, Libenter.

Longum eſſet exequi originem horum verborum, & cauſas, cur aurea dicantur, & quantæ efficaciæ ſint, & vtilitatis. Non oportebit ſemper paruulos eſſe, ſcrutanda ſunt eloquia ſacra: Non oportet ſemper frangere panem; Authentica traditio habet, quòd verbum illud, Deo gratias, quo nihil melius, nihil breuius, nihil ſacratius (teſte Auguſtino) dici poteſt; ortum habuit ex Virgine Beata, & frequentatum fuit ab omnibus fermè ſanctis, præſertim à Patre Auguſtino, & ſuis; qui ob id etiam ab hæreticis irriſus; vt commemorat in Pſalmo 132. *Ecce quam bonum*. Poſſemus proſequi de reliquis, ſed agentes de diſciplina loquendi, dignum eſt, vt quod præcipimus verbo, obſeruemus exemplo, & breuiloqui ſimus. Qui vlteriora loquendi præcepta volet, ex libris commemoratis requirat. Et hæc de diſciplina hic ſufficiant.

§. 4. *De quarto inſtrumento, quod eſt, conſideratio prouida.*

P*Alpebræ tuæ præcedant greſſus tuos*, Prouerbiorum 4.

QVARTVM, & non minus cæteris præcipuum operandæ ſalutis inſtrumentum, eſt, *Conſideratio*, cuius defectus eſt ſummum (iuxta quendam) Religioſorum impedimentum XVI.
profectus. Qui igitur proficere voluerit, omnia & ſingula ſua opera triplici conſideratione præuenire debet, vt ſcilicet

Conſideret	Quid debeat agere?
	Quid eum debet inducere?
	Si liceat, deceat & expediat id perficere,
	Quomodo opus ipſum debeat peragere?

Deinde etiam ſtudebit intentionem ex conſideratione formare, ex qua totum opus, vel bonum, vel malum poterit reputari: qui ſic ageret, in omnibus proficeret, & mirabilem recreationem, etiam in minimis quibuſdam, ſentiret; Nam & mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo ſugeret. Qui autem inconſideratus omnia peragit (ſecundum Bonauenturam) incautus, in plura pericula incidet, & dulcedine multa carebit. Eſt enim par ei, qui nucem integram deglutit: nec ad guſtandam dulcedinem nuclei, per maſticationem pertingit. Proh quàm multi quotidie laboribus, ſolo huius defectu, fatigantur! ad vigilias ſurgunt, chorum viſitant, diuinis interſunt; Omnia quæ ordinis ſunt ex conſuetudine, vt *vitula Effraym docta diligere trituram*, efficiunt; nec dulcedine aliqua afficiuntur. Ad menſam plenam quotidie ſedent, & Oſee 10.
in omni abundantia voluptatum verſantur; & tamen vacui & ieiuni remanent ac recedunt. Quare hoc? Verè non aliam ob cauſam, niſi quia cor ſuum dirigere neſciunt; & propter quid omnia fiunt non conſiderant, nec aduertunt. *Superficiales & incurij.* Qui igitur ſpirituali fame perire noluerit, qui in omnibus & ſingulis, multum (pauco tamen, vt aiunt, ſudore) proficere cupierit: ſtudeat, ac diſcat opera ſua, meditatione, ac propoſito præuenire; ne vt animal ſtolidum, & non ruminans, immundus habeat iudicari. Leuit. 11.
Hinc enim alius alio eodem tempore, & actu magis, aut minus proficit; quia intentio, & propoſitum diſcongruit. Confiteamur itaque Domino Pſal. 118.
Deo in directione cordis: & quæ aliis inſipida ſunt, & oneroſa; nobis dulcia, leuia, ac gaudioſa erunt. Et hæc de quarto inſtrumento, de quo Philoſophi tractant, ſub prudentia. Vnde & tanta commemorata ſunt in huius collectarij proloquio, & plura dicuntur in ſecundæ partis initio, vbi agitur de meditatione: De qua & in præclaro & illuſtri opere ſuo pleniſſimè egit conſideratiſſimus ille Bernardus ad Eugenium, quod inſcripſit de conſideratione, explicans illic modos, ſpecies, & fructus; docens quomodo conſideratio hæc, primum quidem ipſum fontem ſuum, id eſt, mentem, de qua oritur, conſilio pacificat; deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat, & ornat, diuinarumque pariter, & humanarum ſcientiam confert, mater & origo omnium exiſtens virtutum, directrix & auriga; qua ſublata, vitium fit ipſa virtus. Magnæ itaque vtilitatis & neceſſitatis eſt virtus hæc conſiderationis: adeò vt & Hieremias dicat, *Deſolatione deſolata eſt terra omnis*; & tanquam ab Iere. 12.
eo ratio quæreretur, ſubdit, *quia nemo eſt qui recogitet corde*, id eſt, conſideret de ſubuerſione ipſa. Et Dominus Ieſus flens Hieroſolymiticam deſolationem, pro cauſa præcipua *inconſiderationem* improperat, dicens, *quia ſi cognouiſſes & tu*. Luc. 9.
Sit itaque Religioſus quiſque in omnibus conſideratiuus vt de Scipionibus legimus, Ænea, & apud Terentium, de comico ſene, qui ſingula ſibi præuidiſſe memorantur, pro turpi excuſatione

ducentes dicere non putaui: Adeò nihil abſque conſideratione agendum putantes, quin cautè futura præuiderent; Quod cautiſſimè obſeruabat Scipio Africanus: qui quotidiè nihil agendorum aggrediebatur, quouſque in capitolio diluculo diu ſolus, ſecum meditans reſediſſet. Sic centoculus deſcribitur Argus, & Ianus in vtramque partem proſpectans; Et animalia Ezechielis *in circuitu plena oculis* (Ezech. 1.) demonſtrantur, ne abſque conſideratione quippiam in omnibus fiat. Stat enim grauis ſententia cuiuſdam, *Conſideratio totum*. In omni ergo ſuo opere, dicat ſibiipſi homo cum filiis Iſrael, *Manhu*, id eſt, quid eſt hoc: vt nihil inconſideratum prætereat, vel agat.

§. 5. *De quinto ſuperiorum confirmatiuo, quod eſt oratio.*

XVII. Tob. 4. M

PEte fili à Domino, vt ipſe dirigat greſſus tuos. Thob. 4. Sed omnia ſuperiora inſtrumenta parum, aut nihil (iuxta quendam) proderunt, ſi in his fidentes, ad orationis aſylum nō recurrerint. Iuſtorum namque opera magis in Dei gratia, quam in propriis viribus, aut (Tob. 4. Pſal. 16.) ſapientia pendent. Hinc Thobias filio ſuaſit, vt greſſus ſuos (exemplo Pſalmiſtæ) ab eo dirigi poſtulet. Hinc qui verè volet in omnibus proficere, debet poſt factam conſiderationem & intentionem, ad orationis ſe ſtudium diuertere; orans vt poſſit dignè opus peragere, vt inde Deo poſſit placere. Et non opus eſt prolixas orationes effundere; ſed breues & iaculatorias, totas ignitas in cælum debemus emittere, exemplo Patrum ſolitariorum. Aduerſus igitur omnes inſultus, (vt Gerſon dicit) aduerſariæ poteſtatis, & omnes laqueos hoſtis ſuperbi euadendos; Ad gratiam item conquirendam, & omnia neceſſaria ſalutis: nullum ita efficax remedium eſt, ſicut habere comitem orationem, fide & ſpe ſubnixam, & animatam charitate. *Hæc eſt* (1. Ioan. 5.) *enim victoria quæ mundum vincit, fides noſtra*; à qua dirigitur oratio, alacer, fidelis, & volucer nuncius ad Deum. De qua fidelis rex Ioſaphat dicebat, *Cùm ignoremus, quid agere* (2. Par. 20.) *debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros ad te dirigamus*, ſcilicet, per orationem. Tam enim (iuxta Chryſoſtomum) oratione, quàm reſpiratione egemus. Vnicum igitur omni Religioſo confugium, oratio ſemper erit.

§. 6. *De ſexto ſalutis inſtrumento, quod eſt meminiſſe finis, & quare venerit ad Religionem.*

N Eccli. 36.

MEmento finis, ait Sapiens, in huius capituli fine annectitur vnum inſtrumentum omnium ſuperiorum alleuiatiuum, quod eſt, *Memento finis*: vt homo Religioſus indeſinenter, cur venerit, & quare, reuoluat, ac dignitatem ſuam perpendat, vt ſic torpeſcere pertimeſcat; & fini, propter quem venit, appropinquare ſtudeat, nec vnquam à perſeuerantiæ fine abſcedat. Neceſſarium enim eſt (iuxta quendam) Religioſo cuilibet, ex omni corde, præconium ſuum deſuper ſibi datum, ſuper omnem ſæculi theſaurum ponderare; & cum gratiarum actionibus, perfecto affectu, Dominum glorianter magnificare. Nihilominus quis ſit, & ad quæ bona vocatus ſit, in timore Dei ſemper memoriter tenere, & quod talis ſit cogitare.

Miles, amicus, emens, ſequitur, cinctusq; homo prudens,
Vas templum, thus dans, bibit, eſt martyr, reſidensq;.

Ipſe enim non communis laborator in vinea Domini eſt, pro diurno denario laborans; ſed *miles* ſub vexillo ſtrenuè militans, & in præliis eius iugiter ſe exercens. Ipſe non eſt communis de plebe, ſed *amicus Dei*: cui *nota fecit quæcunque audiuit à Patre*; cui *datum eſt noſſe myſterium verbi Dei*. Ipſe eſt homo, qui *vendidit omnia &c. & emit agrum* in quo theſaurus abſconditus eſt. Ipſe eſt cui dictum eſt, *Veni ſequere me*, & habebis theſaurum in cœlo. Ipſe vnus eorum, qui *lumbis præcinctis, lucernas ardentes* deferunt: vt aperiat Dominus. Ipſe *vnus de numero prudentum*, qui cum lampade oleum in vaſis habent. Ipſe *vas electionis*; Ipſe verus & delectabilis thalamus ſponſi, Sacrarium Spiritus ſancti, *templum* ſanctum totius Trinitatis. Cor eius verum *thuribulum*, in quo ignis charitatis, & thymiama deuotionis & orationis. Ipſe qui in via *de torrente bibit*, vt confortatus caput exaltet: Ipſe *aquas* duplices *haurit de fontibus Saluatoris*, contritionis & laudis. Ipſe *martyr* Dei, etſi non ferro cæſus, etſi non igne læſus, tamen quotidiana corporis afflictione coronandus. Ipſe *ſedebit ſuper ſedes duodecim* &c. iudicaturus orbem, & *eius quæ nunc & futura vitæ repromiſſionem* tenens, centuplum in præſenti, & vitam æternam in futuro. O verè præclara dignitas cuiuſlibet Religioſi, in *qua ſi gloriari volet, non inſipiens erit*. Hæc & huiuſmodi multa quidam ex ſcripturis contexens, pulchrè Religioſis applicat, quæ in ſe non ſunt puerilia, ſed in qualibet parte lucet inſignis & vera Philoſophia, ſi tamen profundè fuerint quæque diiudicata. Pudeat igitur torpeſcere, & in tantæ dignitatis gloria, ſegniciei maculam ponere.

(O XVIII. Matt. 20. Io. 15. Luc. 7. Matth. 13. Mar. 10. Luc. 13. Matt. 25. Act. 9. Num. 16. Leuit. 16. Pſal. 109. Eſa. 12. Matt. 19. Ibidem. 2. Cor. 12.)

§. 7. *De perſeuerantia.*

P

QVI perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Matthæi 10. POSTREMÒ ſemper finis meminiſſe debemus, vt ſcilicet in perſeuerantiæ virtute, ex initijs nos firmemus. Huic etenim maximè, tanquam *calcaneo* verſutus & callidus ille *ſerpens* inſidiatur; (Geneſ. 3.) ſciens, quod omnia virtutum exercitia ſunt nulla, ſi ſola hæc deſit perſeuerantia. *Virtus ſiquidem boni operis perſeuerantia eſt*, quæ etiam ideo prima ponitur in Monachali profeſſione, dum promittunt ſtabilitatem, ſine qua nulla eſt bono operi laus & merces. Sola etenim perſeuerātia (Matt. 24.)

coronatur, & qui in finem perſeuerat ſaluatur. Hoc recogitet quiſque Religionis tiro nouellus: dum perſequitur Pharao fugientem
Exod. 14. Iſraelem, & reducere nititur in Ægyptum. Et ad hæc ſe remedia diuertat, dum tentatur de diſceſſu,

Quiſquis tentatur deceſſu; pugnet in iſtis,
Auertat, penſet, referat, petat, haud cito prendat.

PRIMVM remedium contra tentationem inſtabilitatis eſt immediata, & *plena auerſio à*
Eccl. 21. *tali cogitatu*, magis quàm ab omni alia tentatione luxuriæ aut blaſphemiæ, vt quaſi à facie colubri mox reſiliat, & ſe auertat à tali cogitatione; imò quaſi à diabolo ipſo: quem conſtat ſemper calcaneo inſidiantem, vt patet etiã de Saluatore in cruce; hinc pulchrè commonuit Pater Bernardus, Illud fili, tanquam dæmonium meridianum, præ aliis hoſtis antiqui aſtutiis, ſummoperè cauendum denuncio; vt ex eo tempore, quo Religionem intraueris, nunquam illam cogitationem ſuſcipias, foueas, aut ei credas, quã ſuggeritur, te minus vtilem in Religione permanere ſuſcepta; in alio ſtatu habitu magis tibi, & aliis proficere poſſe. Nam ſi cordis aurem huiuſmodi inclinaueris, diuident & diſtendent animum; vt nullum ei ſapiat ſpiritualis guſtus condimentum, ſemper ad aliorum profeſſiones aſpirãs; quod valde diſſuadetur in collatione Patrum. Reſiliat ergo prima fronte, quaſi audiat diabolum.

ALTERVM remedium eſt, prudẽter & grauiter cogitare quã malũ & amarum eſt relin-
Ier. 2. quere Deũ, & regredi ad mundum. Et quanta ſunt illius retractiua, & hæc pro ſui ſtabilitate meminiſſe debebit,

Omne bonum linquit, flet, ſtat, non poſtque, relinquet;
Coruus, & vxor Loth, Pharao, iuſſum atque pericla.

Prima conſideratio eſt, quod qui de monaſterio ſine cauſa ad ſæculum redit, à Deo recedit & perit, & breuiter omne bonum derelinquit, & omni confuſione eſt dignus. Hinc Auguſt. in lib. Soliquiorum, Deum relinquere hoc eſt, quod perire. Verè confuſione eſt dignus, qui vel amore ſæculi, vel timore mali,
Ier. 21. Deum derelinquit. Hierem. *Domine, omnes, qui te derelinquunt, confundentur.* Neque enim cum Deo timendum eſt aliquid mali, iuxta il-
Eccl. 8. lud Eccleſ. *Qui cuſtodit præceptum, non experietur quicquam mali.* Nec illi præferendum eſt aliquid boni, qui ſummum & omne bonũ eſt, ſine quo nihil boni, Exod. 32. *Oſtendam tibi omne bonum.* Et Oſee 8. *Proiecit Iſrael bonum.* Deus ſiquidem omne nobis eſt bonum, Pater
Deuter. 32. eſt, & liberator. *Deum* ergo *qui te genuit, dereliquiſti.* Et Eccleſ. 30. *Ingratus ſenſu derelinquit liberantem ſe.* Noluit ſanctus Petrus hunc derelinquere, interrogatus an & ipſe vellet abire,
Ioan. 6. dicens: *Domine ad quem ibimus,* &c.

Secunda conſideratio reuocans à ſæculi regreſſu, eſt conſiderare, quod Saluator Lazarum ad vitam ſæculi rediturum plorat: quem
Ioan. 11. non plorauerat moriturum; inſinuans quod magis expediret aliquibus mori, quàm ad ſæculum reuerti. Maius enim (teſte Seneca) eſt periculum malè viuendi, quàm citò moriendi.

Tertia conſideratio reuocans, eſt, exẽplum Chriſti in cruce, qui ſuadẽtibus Iudæis, vt deſ- Luca 23.
cenderet de cruce, nullatenus acquieuit; neq; motus pietate matris, cuius animam gladius Luca 2.
paſſionis eius pertranſibat; neque dolore proprij corporis, cui aſſimilis nullus erat; neque Thren. 1.
promiſſione Iudæorum, qui dicebant ſe in eum credere, ſi deſcenderet de cruce. Vnde Matt. 27.
Bernardus. *Hæc planè ſerpentis aſtutia, hæc adinuentio nequitiæ ſpiritualis malitioſa, nimis linguas erudiens blaſphemorum, ſuggerens vt deſcenderet de cruce, ne exemplum perſeuerantiæ relinqueretur poſteris. Sed non vicit ſapientiam mali-* Deut. 32.
gnus, Dei perfecta opera oſtendit, perſeuerantiæ formam reliquit, conſummauit opus, quod illi dederat Io. 17.
Pater, &c.

Quarta conſideratio eſt exemplum eiuſdem poſt reſurrectionem ſuam. Poſtquam enim Chriſtus de mundo receſſit, licet aliquibus bonis ad confirmandam fidem ſuæ reſurrectionis apparuerit, tamen mundo neque mundi negotijs immiſcere ſe noluit, ſtans in litto- Io. 21.
re: monens ad nouæ vitæ ſtabilitatem.

Quinta conſideratio eſt, quod Deum derelinquens, & in præſenti pariter, & in futuro derelinquetur à Deo. Vnde communiter & in præſenti ſeculo apoſtatæ miſerabiles ſunt relicti à Deo & à mundo. Vnde & eos Iudas vo- Iudæ 1.
cat *arbores infructuoſas, bis mortuas*: Semel quidem mundo propter Religionis ingreſſum, ſecundò Deo per ſæculi regreſſum; Vnde & vtriuſque vitæ fructum amiſit, factus prorſus inutilis. Iuxta illud, *Homo apoſtata vir inutilis,* Prou. 6.
ſæpè miſeriis plenus, vt oculis proprijs vidi. Hier. 42. comminatur. *Conflabitur indignatio mea ſuper vos, cùm reingreſſi fueritis Ægyptum.* Sic ergo frequenter relinquuntur in præſenti ſæculo, grauius confundendi in futuro; cùm toti mundo apparebit, quòd ipſi fuerint, qui Deo dixerunt, *recede à nobis*: quibus tũc vicem Iob. 21.
eſt redditurus, & dicturus, *Diſcedite à me qui* Pſal. 6.
operamini iniquitatem. Et ite, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* O verbum aſperum & Matth. 25.
expaueſcendum! Nunquam ergo ab eo iam diſcedamus, ne hoc tunc audiamus.

Præterea à ſæculi regreſſu reuocare nos de- R
bet exemplum *columbæ & corui*, emiſſorum de Geneſ. 8.
arca Noe, tempore diluuij; Columba enim comperto quòd diluuium non ceſſaſſet, mox ad arcam redijt: Coruus verò non legitur reuerſus, ſed forſan ſuper cadauer remanſit. Cũ ergo diluuium peccatorum inceſſanter in ſæculo inundat, non videtur columbæ eſſe illò redire, ſed corui infernalis, qui ad hoc inſtigat. Nam quem Spiritus Dei in deſertum clauſtri vel Religionis arcam adduxit: credere debet, Matt. 3.
quod ſpiritus malignus ſit, qui reditum ad ſæculum ei ſuadet. Teſte enim Bernardo, Spiritus ſanctus qui adduxit, non reducit: cùm non ſit in eo eſt, & non; ſed ſtabilis eſt ad perſeuerantiam mouens.

Septimum retractiuum eſt exemplum vxoris Loth, quod Chriſtus adduxit, dicens, *Memores eſtote vxoris Loth.* Iuſſerat ſiquidem An- Geneſ. 19.
gelica admonitio, *Noli reſpicere poſt tergum* Luc. 17.
tuum,

Digitized by Google

tuum, nec ſtes circa regionem, ſed in monte ſaluum te fac: Cui mulier inobediens, & retrò aſpiciēs, verſa eſt in ſtatuam ſalis: Eſt autem ſtatua corpus ſine ſpiritu, ſimilitudinem, non veritatem habens: Sic Religioſus reſpiciens retrò ad ea, quæ reliquit, ſimilitudinem non veritatem Religioſi habet. Hinc & Dominus monet: Luc. 9. *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.*

Octauo conſiderandum, quòd omnis tentatio reditus ad ſæculum aperta eſt machinatio (vt dictum) eſt diaboli, inſtar Pharaonis, nitentis Iſrael reuocare de deſerto. Ad *virgam* ergo Exod. 14. & *rubrum* mare conuolandum: hoc eſt ad crucem & paſſionem Chriſti, quarum virtute tētatio omnis redigetur in nihilum.

Nonum retractiuum eſt, multiplex & grauis prohibitio ſcripturarum, quæ tam prohibet regreſſum ad Ægyptum: Dominus ad Iſaac, Geneſ. 26. *Ne deſcendas in Ægyptum.* Et Hier. 42. *Noli* Iere. 42. *intrare Ægyptum.* Similiter & Magis inhibitū, Matth. 2. ne redirent ad Herodem, & Ioſeph timuit ire Ibidem. vbi audiit regnare Archelaum.

Poſtremum retractiuum eſt, conſideratio periculorum. Qui enim de Religione regreditur ad mundum: quaſi de loco quietis, lucis, ſecuritatis, & omnis boni, ſe transfert ad locum tumultus tenebrarum, plenum periculi, & omnis mali. *Totus* enim *mundus in maligno* 1. Ioan. 5. *poſitus eſt:* Vbi ſedes Sathanæ eſt, qui, & ruptis Apoc. 2. illic dominatur habenis. Qui ergo tale peri- Eccli. 3. culum amat, verendum ne in illo pereat. Has itaque & huiuſmodi conſiderationes ſecum ruminare debet, qui de regreſſu tentatur ſæculi, & mitius feret.

QVOD ſi cōſideratione huiuſmodi non eripitur, ad TERTIVM antidotum refugiat, cōtra quod nullum perſtat diaboli machinamentum, hoc eſt *referet Superiori*, vel Magiſtro huiuſmodi ſuam tentationem, deprecans conſilium & releuamen. Eſt fixa ſententia Patrum, quòd non ſit & leuius & efficacius, contra omnia tentamenta remedium, niſi humilis huiuſmodi & apta reuelatio; quia ſuperbus diabolus eſt, nec patitur ſe confundi, vt latius de hoc Pater Caſſianus.

DEINDE QVARTO, ad tutum orationis aſylum confugiat, ſine quo nihil noſtræ vires poſſunt, & in quo conuincitur omnis tentationis inſultus, vt ſupra commemoratum.

Exinde QVINTO, ſi tentatio perſtat, illud ſapientis obſeruet, ne facilis ſit, ſed differat longanimis: Iuxta illud, *Si aſcenderit ſuper te* Eccli. 10. *ſpiritus poteſtatem habens, ne cito mutaueris locū tuum.* Leguntur de hoc præclara exempla multorum, qui differendo triumpharunt de cunctis. Et de quodam, qui nunquam diſcedere voluit, niſi coram altari beatæ Virginis oraſſet, ſub qua oratione mens ſua ſemper mutata fuit, &c.

POSTREMO alia illa adiutoria, quæ ad ſtabilitatem valent comprehendat, vt ſic plenè triumphet, & perſeuerans in finem, ſaluus eſſe Matt. 10. poſſit. Sunt etenim ſex, vel ſeptem ſingularia adiutoria, quæ ad ſtabilitatem valent, ſcilicet iſta.

Gratia, ſpeſq; timor, amor, exēplum, bona virtus.

PRIMVM & præcipuum ſtabilitatis adiutorium eſt *Gratia* Spiritus-ſancti, quem ſtabilem dixit Salomon, & Paulus *optimum aſſerit, Gratia* Sap. 7. *ſtabilire cor, non eſcis.* Sicut enim terra, ſi humor Heb. 13. defuerit, in puluerem redigitur, & à vento diſ- Simile. pergitur; & corpus, cùm ab eo ſpiritus deceſſerit, efficitur cinis: ſic, ſi gratia Spiritus ſancti defuerit, nouitius ad modum pulueris fit inſtabilis, & vt puluis vento tentationis faciliter rejicitur. Ideo frequenter & deuotè inuocandus eſt Spiritus ille ſtabilis, vt cōfirmet quod in eo eſt operatus.

ALTERVM ſtabilitatis remedium, ſpes eſt diuini adiutorij: Quæ ſpes eſt velut anchora conſeruans, ne vehementia tempeſtatis mens à Deo euellatur, & ad ſæculum reuertatur. Hinc Paulus dicit de ſpe, *quam ſicut anchoram* Heb. 6. *habemus tutam ac firmam.* Super quo Auguſt. *Noli abrumpi ab anchora, antequam intres portum, fluctuat quidem nauis in anchoris, ſed non longè à terra projicitur.* Conatur ſiquidem diabolus ducere nouitium in diffidentiam, vel deſperationem continuitate vel vehementia, aut ſaltem diuturnitate clauſtralis laboris: ſed ſpes diuturnitati laboris, æternitatem opponit mercedis, dicens, quod *breue & momentaneum laboris, æternum gloriæ pondus operatur in* 2. Cor. 4. *nobis.* Et ſi tranſitorius labor terret, æterna merces confortat; & ſic conſideratio præmij, minuit vim flagelli. Et in præſenti diuturnitas laboris, facit aſſuetudine, vt reddatur leuior: etenim, *Optima forma viuendi eligenda eſt, quam iocundam reddit aſſuetudo.* Porrò vehementiæ, vel continuitati tentationis, obſiſtit ſpes in adiutorium Dei, dicens cum Pſalm. *Dominus* Pſal. 26. *protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Fidelis* ſiqui- 1. Cor. 10. dem *Deus, qui non permittet nos tentari ſupra quam ferre poſſumus, ſed faciet cum tentatione prouentum.* Et in tantum communiter Deus iuuat ſeruos ſuos, quantum ipſi ſpem habent in eo. Bernardus, *quatenus in bonis Domini fiducia pedem porrexeris, eatenus poſſidebis.* Secundum Deut. 11. illud, *Omnis locus quem calcauerit pes veſter, veſter erit. Bonus* enim *eſt Dominus ſperantibus in* Thren. 3. *ſe.* Et *benedictus vir qui in Domino confidit, quia* Iere. 17. *erit quaſi lignum, quod tranſplātatur ſuper aquas, & non timebit cùm venerit æſtus,* tentationis ſcilicet cuiuſlibet. In omni igitur tentatione agamus monitum Sapientis, *Confide in Domi-* Eccli 11. *no, & mane in loco tuo. Facilè eſt enim in oculis Domini ſubitò honeſtari pauperem.*

TERTIVM adiutorium eſt, timor duplex, confuſionis ſcilicet, & periculi. Raro eſt enim reditus de Religione ad ſæculum ſine confuſione: Vix enim eſt, quin rediens incurrat, vel notam leuitatis, fatuitatis, verecundiæ, timiditatis, vel alicuius iniquitatis; dicitur enim,

It leuis & ſtultus, verecundus terror, iniquus.

Primo ſiquidem *leuitati* aſcribitur, *quod incœpit facere, quod non potuit conſummare.*

Deinde & de *fatuitate* notatur, quæ leuitatem comitatur: vt Eccleſ. 27. *Stultus vt luna mutatur.* Stultię enim (iuxta Senecam) nihil cōſtat, nihil diu placet, ſemper quod nō habet cupit, deſpicit quod habet. Cōtra eſt de ſapiētia dictū, quę diffinitur ſemper idem velle atq; nolle; cui nihil vnquam niſi rectum placet,

quam malitia non vincit. Non igitur eijcit malitia tentationis ſapientem & prudentem de clauſtro, dicitur Prouerb. 3. *quod cęlos ſtabiliuit prudentia.*

Tertiò talis abſceſſus non eſt ſine ignominia & confuſione; quod ſcilicet pugil fugit extra locum certaminis & prælij, quod clauſtrum eſt. De quo, vbi quis aufugit, victus reputatur. Quamdiu verò in clauſtro manet, ſpes manet de victoria, etiamſi interdum aliquando hoſtis præualeat; cùm ſæpe victorem à victo ſuperari videmus. Agamus ergo, vt ſuprà monuimus ex Eccleſiaſt. 10. *Si ſpiritus poteſtatem habentis ſuper te aſcenderit, locum tuum non dimittas.*

Solet quartò communiter ſequi receſſum à Deo, timor irrationabilis: Pſalm. 13. *Trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* In cuius ſignũ
Geneſ. 4. Cain habuit caput tremulum. Et Iudæis comminatur Dominus tremorem illum Leuit. 26. *Terrebit eos ſonitus ſolij volantis; & ita fugient quaſi gladium.* Nam (vt dicitur Prouerb. 27.) *Fugit impius, nemine perſequente.*

Notatur etiam *poſtremò*, qui de religione ad ſæculum redit, quòd aliquam *iniquitatem* habuerit, quæ eum in clauſtro quieſcere non permiſit. Sicut enim punctiones muſcarum, vel ſpinarum, iumentum diſcurrere faciunt: ſic punctiones vitiorum animum inſtabilem reddunt. *Peccatum peccauit Ieruſalem, propter-*
Thren. 1. *ea inſtabilis facta eſt.* Et Eſa. 57. *Cor impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt.* Et ideo boni moris eſt, & optimæ iuxta Patres inſtitutionis: vt qui Religionem intrat, generalem omnium peccatorum confeſſionem faciat; vt Bonauentura docet, & Vmbertus; vt exemplo
Pſal. 6. Dauid per ſingulas noctes lectum ſuum lauent, vt in eo cum Deo ſuo quieſcere poſſit, & ſic ſtabilis eſſe poterit. Et ne tantæ gratiæ ſuſ-
Iob. 11. cipiendæ obicem ponat. *Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua abſtuleris à te, & non permanſerit in tabernaculo tuo iniquitas; tunc leuare poteris faciem tuam, & eris ſtabilis.* O grauidè conſideretur iſtud! Annotetur & hic confuſio parentum & generis, in quarum omnium ruborem apoſtaſia cedit. Et quomodo beata mater, tepenti filio in religione, cum multa confuſione improperauit. *Timor* deinde periculi, multum valere poteſt ad ſtabilitatẽ clauſtri. Mundus enim igne infernali incenſus eſt iræ, cupiditatis & luxuriæ: Cum indignatione igitur repellenda eſt ſuaſio diaboli, qua ſuadet reditum ſæculi; & cum Bernardo dicendum, Domus ardet, & ignis inſtat à tergo, & tu mones non egredi, vel iam egreſſum regredi? Perditionis filius eſſe videtur, qui iam de loco ſalutis ad locum periculi redit: Et dici de illo poterit illud, *Nemo perijt ex eis, niſi filius perditio-*
Io. 17. *nis.* Et iure perit, qui periculum amat. Timor huius periculi eſt quaſi clauus configens carnalem affectum, aut quaſi pondus comprimẽs tentationem. Et ſemper eſt iſte timor neceſſarius, quia (vt dicitur Eccle. 27.) *Si non in timore Domini iugiter te tenueris, cito ſubuertetur domus tua.*

QVARTVM & præcipuum ſtabilitatis adiutorium *amor eſt*, & iſte triplex: Dei ſcilicet, & ſalutis propriæ, & ſanctę ſocietatis. Profecto funiculus triplex, qui difficile rumpi poteſt: *Amore enim Saluatoris* affixus debet eſſe Religioſus cruci Religionis; quemadmodum ipſe clauo noſtri amoris potius affixus fuit cruci ſuæ, quàm clauis ferreis: rurſuſque, quia tantopere ipſe cum omnibus ſanctis & Angelis gaudet ſuper profectu noſtræ ſalutis. Trahet quoque *amor ſanctæ ſocietatis*, quę tam vtilis eſt plena iocunditatis: iuxta illud Pſal. 132. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum.* Et Prouerb. 18. *Frater enim qui adiuuatur à fratre: quaſi firma ciuitas.* Superari deſiderat qui caſtra relinquit. De quo Adam de Sancto Victore notabile exemplum enarrat, Quomodo cuidam à fratribus ſeparato, grauis tentatio inſurrexit: & vocem audiuit vt ad caſtra iret, & mox ad congregationem fratrum veniens liberatus fuit. *Amor denique propriæ ſalutis* magnum incitamentum erit ſtabilitatis: velut radix arboris. Ex amore proprię ſalutis ouis naturaliter lupum fugit; auis laqueos cauet, & canis, ſi in aquam ceciderit, natãdo tendit ad littus. Pudeat ergo (ait Bernardus) hoc rationem non poſſe in homine, quod natura poteſt in volucre & bruto. Videmus præterea quantus ſit amor ad ſanitatem corporis. Cum gaudio ergo faciat (ait Auguſtinus) immortalis futurus, quod faceret pro differenda morte moriturus. Nec tam ſperatum gaudium auferat Angelis, quod de ſalute ſua exſuſcitatum fuit in cęlis.

[Margin: Eccli. 4. Gal. 2. Lucæ 15. Luca 15.]

QVINTO attendat exempla perſeuerantiæ & ſtabilitatis in Deo, Chriſto, creaturis, ſanctis, & ſæculi Philoſophis. *Dei enim perfecta ſunt opera:* qui & compleuit die 7. opus, quod fecerat. Et Chriſtus, vt perſeuerantiam commendaret, deſcendere noluit de cruce, vt in veritate diceret, *Opus conſummaui, quod dediſti mihi vt faciam* &c. Et *ordinatione eius perſeuerat dies:* nec creatura aliqua præterit ſtatutum præceptum eius. De exemplis Sanctorum pleni ſunt libri Scripturarum, Iob. 27. *Iuſtificationem meam quam cœpi tenere, non deſeram.* Et beatiſſimus Paulus 2. Tim. 4. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui;* & aliàs Act. 2. *Non facio animam meam precioſiorem quam me, dũmodo conſummem curſum meum.* Tranſimus innumera geſta ſanctorum Patrum, quæ patent ex libris. Magna poſtremò, & in ſęculi Philoſophis perſeuerãtia, aut potius pertinacia fuit, ita quod in laudem Fabricij Pirrhus dixit, Poſſibilius fore Solem auerti à ſuo curſu, quàm eum deflecti ab honeſtate. Cum nec Mutium ignis, nec Fabritium paupertas, nec tormenta Regulum, aut Socratem venenum ſuperare poſſet. Cùm etiam tanta legatur conſtantia in mulieribus fuiſſe paganis, vt ante ſe morti traderent, quàm dedecus aliquod paterentur, vt de Lucretia, & alijs geſta narrant. Pudeat ergo hominem Chriſtianũ, inſuper & Religioſum, minus conſtantem eſſe paganis.

[Margin: Deut. 32. Geneſ. 2. Mar. 15. Ioan. 17. Pſal. 18.]

POSTREMO ad amorem ſtabilitatis animabit virtus ipſa perſeuerantiæ, & laus, & vtilitas eius. Ipſa enim eſt virtus quæ tam commendata eſt in ſacris Scripturis, ita quòd frequentiſſimè cohortentur ad eam, Iudic. 18.

Nolite

Nolite negligere, nolite ceſſare. Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat. 1. Cor. 7. *State & nolite iterum iugo ſeruitutis contineri.* Gal. 5. Et Apocalip. 22. Apoc. 3. *Qui tenet, teneat,* &c. Et *tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*. Cuius tam multiplex & vtilis eſt effectus. Nã virtus perſeuerantiæ hæc facit,

V *Impetrat, obſeruat, lenit, perfectio, prendit.*

Primo impetrat à Deo quod vult, vt dicitur Luc. 10. *Si perſeuerauerit vſque in finem pulſans, & ſi non dabit ei, eo quod amicus eius ſit, propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit ei quotquot habet neceſſarios*; vt eſt exemplum de iudice iniquo & vidua. Luc. 18. De Sara, Tob. 3. & Apoſtolis in oratione perſeuerantibus. Act. 1.

Secundo bona conquiſita conſeruat, ſicut imperſeuerantia deſtruit. Prou. 19. *Qui mollis eſt, & diſſolutus, frater eſt ſua opera diſſipantis.* Auguſtinus. Perſeuerantia magnum eſt donũ Dei, quo dona cætera conſeruantur.

Tertio difficilia & aſpera, ſuauia & lenia facit Bernard. Subito procedenti de vmbra ad ſolem, de ocio ad laborẽ, graue cernitur quod incipitur; ſed poſtquam ab his diſſueſcere, & ad illa pauliſper ſe aſſueſcere cœperit, vſus tollit difficultatem, inuenitque facilè eſſe, quod impoſſibile ante putauit.

Quarto, omnia perficit, nihil imperfectum relinquens: Seneca non deſperato, ſed durato; nihil eſt, quod non expugnet pertinax opera & intenta ac diligens cura.

Gutta cauat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo.

Poſtremo ipſa ſola præmium apprehendit, iuxta illud 1. Cor. 6. *vnus accipit brauium*. Bernard. Perſeuerantia ſingularis eſt filia ſummi Regis, virtutum finis & conſummatio. Chryſoſt. Tolle perſeuerantiam, nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratias, nec laudem fortitudo. Denique nõ qui inceperit, Matt. 24 ſed *qui in finem perſeuerauerit, hic ſaluus erit*. Incipere multorum, finire paucorum eſt; cùm in principio ſemper delectatio, in fine probatio eſt. Sed nulla vtilitas ſeminum eſt, primo florentium, poſtea tabeſcentium: Incaſſum proinde bonum agitur, ſi ante vitæ terminum deſeratur; Exod. 28. vnde & *veſtis* iubetur eſſe *talaris*, & Leuit. 3. *hoſtia caudata* in ſacrificio altaris: Et breuiter, nihil eſt Deo acceptum, niſi bono fine fuerit conſummatum. Valdè ergo pro perſeuerãtiæ virtute contendendum. Et hæc ſufficiant de ea, ſine qua, nec opus meritum, nec labor præmium, nec curſus brauium, nec ſeruitium gratiam, nec pœna quantumlibet afflictiua meretur coronam.

Meminerimus inſuper finis, iuxta Sapientis hortamentum, propter quem venerimus, & nobis exẽplo Bernardi crebrius inculcemus, *Frater, cur veniſti?* iuxta illud, *Ad quid veniſti, frater, meditare frequenter*. Quis autem ſit finis propter quem, & quare ad Religionem venimus; in principio ſpeculi Monachorum, & in libello, qui intitulatur *Beatus vir*, pulchrè declaratur. Propter quid enim venimus, niſi Matth. 5. propter ſolum Deum; vt ſit ipſe merces noſtra in vita æterna? Vnde ſicut propter nullum alium venimus, ita propter nullum alium omittere, vel alicuius exemplo intepeſcere debemus, quin faciamus ad quod venimus &c. Et hæc de bene operandi inſtrumentis, & directiuis. Quorum potuiſſemus complura, & alia annumeraſſe, ſed ſufficiat præcipua quædam tetigiſſe.

Nihilominus, vt materiam his qui talium plura requirunt, noſtro more collectario ſub paucis adminiſtremus. En ſub vno verſiculo, quem quidam deuotus confecit, quindecim ſimul aut ſedecim pietatis & deuotionis præcipuè exercitia ſyllabicaliter offerimus, quorum quodlibet ſufficeret ad beatæ vitæ fulcimentum. Eſt autem verſiculus iſte.

Primum exercitium eſt Deũ præſentem ſemper, & vbique attendere.	*Secundum, Scripturæ teſtimonium operibus adhibere.*	*Tertium, exemplar vitæ Chriſti in omnibus præponere, & ſecundum hoc agere.*	*Quartũ, vitas ſanctorum ad ſectandum reuoluere.*
El.	Scrip.	Chriſt.	Vi.
Quintũ, quotidie propoſita renouare.	*Sextum, votorum emiſſorũ ſemper meminiſſe.*	*7 finis ſemper meminiſſe, & quantum illa proficiendo appropinquat, quotidie conſiderare.*	*8 pro Dei honore, & animarum ſalute indeſeſſe zelare*
Re.	Vo.	Fi.	Ze.
9 prudentiã ſerpentinam in agẽdo habere & agẽda omnia præconſiderare.	*10. aduenam & peregrinum ſe in hoc mundo reputare, & ad patriã aſpirare.*	*11. lætitiã ſpiritualem nunquam turbulenta perturbare.*	*12 in õnibus non tantum quid, ſed etiã propter quid faciat attẽdere et intẽtiõne dirigere*
Serp.	Pe.	Le.	Cur.
13. iaculatorias & breues orationes frequenter emittere.	*14. in libertate mentis & affectus ſemper ambulare.*	*15. poſt omnia opera quotidie ſe diſcutere.*	*16 aliquid quotidie certo cordi meditandum dare, & ſeipſum, & cor Deo offerre.*
Ia.	Li.	Diſc.	Do.

Matt. 10. 1 Pet. 2.

O quàm hic ſub breuibus ſyllabis copioſè & deuotè proponitur materia exercitationis. Quodlibet horum exercitiorum ſeorſum, poſſet hominem deducere ad perfectum. Sãcto enim Antonio primum exercitium potiſſimum, fuit ſemper ad manum, quod & exercuit, vt docuit (vti magnus ille Athanaſius de eo ſcribit) ſolitus dicere ſemper, Quocunque vadis, Deum ſemper præ oculis habeas, ſi proficere deſideras: vt cum Dauide dicas, *Oculi mei ſemper ad Dominum*. Pſal. 24. Et item: *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper*. Pſal. 15. Et cum ſanctis Helia, & Heliſeo, *Viuit Dominus, in cuius conſpectu ſto hodie*. 3. Reg. 3. Quod vnicum exercitium ad omnem facilè perfectionem deducet. Si enim quis filius eſt, & ſponſa, quid iocundius, quàm vt poſſit Simile. ſemper in præſentia Patris, ac Sponſi conuerſari? Quòd ſi maliuolus ſit, quid magis quæſo poſſit à malo retrahere, quam quod ſe cogitet ſemper in facie iudicis præſentem aſſiſtere: *Magna etenim illi indicta eſt neceſſitas probitatis, cùm cuncta agat ſub oculis iudicis cuncta cernentis*; Boetius. cuius oculi *lucidiores ſunt ſole*, Heb. 4. quibus occultum nihil. Poſſemus in hunc modum de ſingulis his exercitiis proſequi, niſi prolixitas vetaret mater faſtidij, quare ſuperſedemus, & ad tractulos deuotorum, vbi huiuſmodi proſequuntur, remittimus. Et hæc ſat ſint de exercitiorum eruditorio, & bene operandi inſtrumentis, & promotiuis ſpiritualis profectus. Quæ ſi quis manu iugis exercitationis attingere vellet, facilè, quantum ad profectum promtus, ſentiret.

Sed

Dubitat. Sed forſitan adhuc aliquis inſtabit, & cauſabitur, dicens: Quæ dixiſti exercitiorum media eſſe inductiua & leuificatiua ordinis, ipſa ſunt factu difficilia & ardua nimis. Fatemùr id ita èſſè, ſed animalibus & inexpertis, 1. Cor. 2. qui non ſapiunt, quæ ſpiritus ſunt, & rationis. Sapiunt res ſecundum diſpoſitionem ſuſcipientis, non ſuſcepti: Qualis vnuſquiſque eſt, talia videntur ei; Palato inſano dulcia ſunt amara: Sed ſi quis bene diſpoſitus & affectatus fuerit, huic mox res ſapiunt, ſecundum ſui naturam. Nec tamen in principio diffitemur, certamen magnum ſubire oportere, maximè in adultis, propter inolitam, contrariamque conſuetudinem, vt ſupra ex allegatione expertiſſimi Bernardi diximus. Pſal. 124. Sed *qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem*; corpus inſuetum loricæ, eam abhorret; ſed iacula hoſtium & conſuetudo, faciunt non Matt. 11. Pulchrè. ſentire onus. Quare & *ſuaue iugum Chriſti dicitur*, pariter & *arcta via eius*; quia ſcilicet & anguſto initio incipitur, proceſſu verò temporis ineffabiliter deuotionis dulcedine dilatatur: vnde verendum nihil. Nam & *dulcia non meruit, qui non guſtauit amara.* Et quem ad dexte- Matt. 20. ram Chriſti ſedere delectat, calicem non refugiat cum eo bibere.

Quotque mari piſces, tot ſunt in amore dolores,
Multum ſudabit quiſquis amare volet.
Militiæ ſpecies amor eſt: diſcedite ſegnes.

INCIPIT ORDINARIVM VITÆ RELIGIOSÆ.

TITVLVS III.

Prologus in ordinarium, & vtilitas ordinariæ vitæ.

Iob. 38. NVNQVID *noſti ordinem cœli, & rationem eius pones in terra?* Poſt titulum ſecundum, qui eſt vitæ Religioſę, vel exercitiorum Eruditorium: ſubnectitur hic
I. *Vitæ Religioſæ ordinarium*, in quo quodammodo cœli ordo, & eius ratio in terris ponitur; quia in eo docetur, quomodo Religioſorum vita vitæ Angelicæ, in ordine ſaltem, conformatur. Angelorum enim vita ordinatiſſima eſt, ordinata inquam ad Deum, ad homines, & ad ſeipſos: vt Soccus pulchrè in ſermonibus declarat. Quorum vitæ, qui conformari voluerit, triplici etiam hoc ordine, eorum inſtar, ſe ordinare debebit.

Vt ſcilicet bene ſe ordinet ad { Superiores, Proximos, Seipſum.

Nam ſic ordinatè viuere, eſt rectè in Religione (iuxta Bernardum) degere, qui ait: *Æſtimo, quod in religione bene viuis, cùm ordinabiliter viuis.* Sed & maxima bona oriuntur ex ordinatione iſta; vt plenius in libro de ordine tradit Pater Auguſtinus.

Ordo facit pacem, robur dat, datq; decorem.

Primo ordo facit pacem & animi tranquillitatẽ. Auguſt. Minus ordinata, inquieta ſunt; ordinata autem quieſcunt: vt patet in lapide iactato, qui non niſi in ſuo ordine quieſcit. Hinc, & in de ciuitate Dei, Pax omnium rerũ, tranquillitas eſt ordinis. *Secundo ordo ad fortitudinem valet.* Anima enim bene ordinata *terribilis* eſt hoſtibus diabolicis, *vt caſtrorum acies ordinata.* Cant. 16. Vnde & paruus exercitus ordinatus Græcorum Xerxis maximum inordinatiſſimũ ſuperauit. *Tertiò ad pulchritudinem facit*, adeò vt mala, quæ de ſe ſunt deformia; ordinis ratione, vniuerſi pulchritudinem augeant, & decorem. Nam ſicut pictura (ait Auguſt.) cum colore nigro ſuo loco poſita, ita vniuerſitas rerum, etiam cum malis pulchra eſt, quoniam ordinata. Malum enim bene ordinatum, eminentius bona commendat. Omne namque ordinatum, neceſſe eſt decorum eſſe. Et (ſi maximè diuino Dionyſio creditur) nihil abſque ordine alicubi pulchrum, nihil ſtabile, nihil placens. Quiſquis igitur ordinem cæli, & eius ra- Iob 34. tionem vis in terra ponere: quiſquis cupis Angelicæ vitæ conformari, & ordinis bona complecti, hoc vitæ ordinarium carum habe, de quo paucis eſt agendum. Et primum, quomodo Religioſus debet ordinari ad Superiores. Qui quoniam duplices ſunt, Deus ſcilicet & Prælatus: de vtriuſque ordinatione videndum. Et primum de ordinatione erga Deum.

De his quibus ordinamur erga Deum.

CAPVT PRIMVM.

I*Ndicabo tibi, ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam; & ſollicitè ambulare cum Deo tuo.* Mich. 6. PRIMA ordinatio, & inter cęteras neceſſaria magis eſt, qua ſe ſtudeat homo bene ordinare ad Dominum Deum; qua non habita, cæteræ ordinationes parum, aut nihil proficient. Tria autẽ II. ſunt, per quæ homo, maximè nouellus tyrunculus Chriſti Religionis caſtra ingrediens, erga Deum ordinari debet, quæ innuuntur in verbis prophetæ præmiſſis.

Sc. { Diligere miſericordiam, Facere iudicium, Sollicitè ambulare, } *per* { Gratitudinẽ, & rectam intentionẽ. Peccatorum purgationem, Voluntatis eius exquiſitionem.

Miſericordiam autem diligere, puto hic propriè, ſecundum verbum Hebraicum interpretari, id eſt matricaliter, cum gratitudine & pura intentione affici in Deum.

Quinque

Quinque ordinantia erga Deum.

MEMBRVM I.

QVINQVE ergo ſunt in genere, quibus homo ordinatur erga Deũ, ſcilicet iſta.

Gratus, directus, purges, caueas, placitum fac.

PRIMO igitur omnium, vt Religionem es ingreſſus (vt Dionyſius Carthuſienſ. in exhortatorio nouitiorum docet) ſi voles emendationem tuam bene incipere, debes *à gratitudine* inchoare, vt ſic in melius merearis proficere. Ergo debes diligenter conſiderare, vnde exieris, quo item intraueris, quanta euaſiſti mala, ad quanta item Dei pietate deueniſti bona, & agere grates. Nam poſtquam Iſraeliticam plebem de Ægypto eduxerat Deus, crebrius (ait Vmbertus) beneficium hoc ad mentem eis reuocabat, vt ad gratitudinem incitaret, ſæpius dicens & inculcans illud Pſalmi, aut
Pſal. 18. huiuſmodi, *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Quod verbum Religioſis omnibus crebrius memorandum. Non enim minus eſt beneficium eductio de ſæculo per eius contemptũ, & Religionis ingreſſum, eductione corporali de Ægypto, imò prędantius multo. Primum ergo, quod Religioſus eductus de ſęculo debet facere, eſt gratias Deo agere: Qui enim gratiam acceptam non agnoſcit, & de ea gratias non agit, eius amiſſione reddit ſe dignũ, & vberioris gratię ſuſceptione indignum, vt Vmbertus declarat, in de conditione Religioſorum. Ob cuius ingratitudinis
Gen. 3. cauſam, creditur Prothoplaſtus corruiſſe in culpam, & eiectus fuiſſe de Paradiſo: Nuſquã enim aliquod inuenitur gratitudinis ſignum, poſt tantum acceptum beneficium, vt Haſſia tangit. Valde ergo Religioſus è mundo eductus in primis gratus debet eſſe Deo, cum multa gratitudine cordis conſiderando, quomodo
1. Pet. 2. *de tenebris* ſæculi eductus ſit *in admirabile lumen Dei*, & de loco pleno periculis ad locum venit ſecuritatis. Gaudendo quaſi alter Noe per Arcam liberatus de mundi diluuio, & ſicut Loth ereptus de Sodomorum incendio: & quemadmodum filij Iſrael, educti de Ægypto: aut ſicut tres pueri ſaluati à fornace Babylonica.

Gaudeat ereptus mundi, tenebriſq́; periclis,
Vt Noe, ſic Abraham, Loth, Iſrael, vt pueri tres.

Aut vt Abraham de Vr Caldaico. Gaudeat item, & ſicut qui inuenit theſaurum abſconditum in agro, in quo omne bonum, vt patet
Matt. 13. infra in beneficiario. Magnus profectò theſaurus ſtatus Religionis, qui non minora beneficia homini præſtat, quàm ſunt illa iam præmemorata ſupra, quare iure ſunt magnificæ gratiæ Deo agendæ.

IIII. ORDINATVR item Religioſus ad Deum, per RECTAM INTENTIONEM, quæ multum neceſſaria eſt rectificari in initio ingreſſus Religionis. Ipſa namque, iuxta Gregorium, finem actionis præoſtendit, in operatione dirigit, & operi quaſi fundamentum finale pręſtat, & toti actioni nomen imponit. Quæ ſi recta non fuerit, totum deturpatur & amittitur opus: Si autem rectè intendimus, bonum opus efficitur, etiam ſi minus bonum extrà videatur. Et ex intentionis directione ſequitur profectus, vel defectus operis; adeò vt Leo Papa dictet 1. *quæſt.* 1. *cap. principatus*, *Difficile eſt vt bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio*. Rariſſimè ergo fit, quod qui ſtultè, & non recta intentione incipit, melius proficere, atque bene conſummare poſſit: Et è religione, qui bene & ſapienter, & recta intentione incipit, & fundamentum bonæ intentionis ponit, vix deficere, & malè conſummare poteſt. Multum igitur neceſſaria recta intentio, potiſſimum in Religionis principio. Abundè de hac agunt Doctores, præſertim diſertiſſimè in ſuo compendio ſcribit Gerſon; Igitur vt aliquam, ſi meliorem non habes, dirigendæ intentionis formam demus,

Intende
- Solius Dei laudem & gloriam in omnibus quærere.
- Ab omni offenſa Dei tui præcauere,
- Secundũ regulam & ſtatuta viuere.
- Imò ante omnia eius præcepta & conſilia obſeruare,
- Concupiſcentiis malis viriliter reſiſtere,
- In veris virtutibus velle proficere, & ordinabiliter viuere.
- In his in finem vſque velle perſeuerare.

His & huiuſmodi rectificetur intentio, vt tota decoretur vita: fixa enim ſententia Dei Luc. 11. *Si oculus ſimplex fuerit, totum corpus lucidũ erit*, vt latius explicabitur infrà in propoſitario.

Tertiò ordinatur homo ad Deum iudicium faciendo, per peccatorum ſcilicet vetuſtorum expurgationem. Ad quod hortatur Hieremias c. 4. *Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas.* Cui Bonauentura alludit, dicens, Poſt Religionis ingreſſum, continuo intendendum eſt amouendis peccatis: *Ordinus enim ſtatus, reijcit res, atque reatus.* Qui enim vult Dei gratiam in ſe ſuſcipere, oportet mentẽ pręparare, & ab omni priorum criminum ſorde purgare,

Per
- Generalem omnium peccatorum confeſſionem;
- Pœnitentialis vitæ, & purgatiuæ aſſumptionem.

Initium bonorum eſt confeſſio malorum. Niſi enim quis huiuſmodi cor à peccatis purgauerit, vix vnquam (teſte Bonauentura) ad ſpiritualis conſolationis guſtum attinget. Balſamum ſpiritualis conſolationis non niſi vaſi infunditur mundo: Et non datur manna, niſi prius deficiente Ægyptiaca farina. Videatur Exod. 16.
de his ſpeculum diſciplinæ, & liber de triplici via, & exerceatur practica purgatiua, quæ tangitur infra in ſcala communionis. Fiat igitur in Religionis principio, peccatorum omnium generalis & plena confeſſio, & cõſcientiæ purificatio, Iuxta illud Iere. 4. *Nouate vobis nouale: & nolite ſerere ſuper ſpinas.* Niſi etenim hæc pura confeſſio præceſſerit, vix vnquam homo pacatus erit, vix proficere poterit, & diui-

Digitized by Google

diuinorum charismatum ſuſceptionis capax fore, & aptus. Ianua enim & fundamentum virtutum, omniſq; gratiæ, ac ſpiritualis conſolationis principium, conſcientiæ puritas eſt. [Matt. 5.] Munditia cordis, ſine qua nemo videbit Deũ, quomodo melius obtinetur, niſi pura, & plena confeſſione peccatorum? O igitur *fili* Religionis nouellæ, *da gloriam Deo, & peccatum tuum confitere:* [Ioſue 7.] Et ſit prima ſollicitudo de confeſſione generali, & corde mundando: vt ſic deinde *oblitus ea quæ retro, extendas te ſecurus in anteriora.* [Philip. 3.] Porro ſuper modo præparandi, confitendi, pœnitentiam complendi, inueniuntur ſcripta multa: inter quæ præſtare putatur tractatulus ille beati Thomæ, vel vt alij malunt Bonauenturæ, de confeſſione inſcriptus, merito legendus ab his, qui deſiderant conſcientiæ puritatem. Poſt autem ſemel factam legitimam confeſſionem, ſecure ſuademus cum venerabili Gerſone, vt detur obliuioni totum tempus præteritum, non nimis de peccatis in ſpecie recogitando: ſed quandoque in genere ea pro ſui humiliatione ad mẽtem reuocando, cum exſuſcitatione ſui in amorem diuinum: vt docetur in libello de via purgatiua. Nec inutilibus ſcrupulis ſinat mentem occupari: ſciens totam vitam ſuam fore pœnitentialem. Et hæc de mente purganda.

Quarto ordinatur homo ad Deum, *ſollicitè ambulando* cum eo: [Mich. 6.] Quæ ſollicitudo in hoc conſiſtit, vt ab omni eius *offenſa*, quam diligentiſſime *præcaueatur*; & *voluntas* eius *bona, beneplacens, & perfecta ſemper inquiratur*, [Epheſ. 5.] & impleatur, cum metu, & timore diuini ſeruitutis ſollicitè: Iuxta illud, *Timete Deũ, & ſeruite illi in corde veſtro.* [Ioſ. 24.] Ante õnia enim timor Dei nouitijs eſt neceſſarius, quo nimirum, & peccata præterita poſſint delere, & cauere futura. *Timor enim Domini* (vt ait ſcriptura) *expellit peccatum*, [Eccl. 1.] ſiue quod iã commiſſum eſt, ſiue quod tentat intrare expellit: hoc pænitẽdo; illud reſiſtendo. *Quaſi enim a facie colubri, peccatum fugere debet:* [Eccli. 21.] Quod ſi timor deſit, nec peccata, quę erant, expelluntur; nec peccatis futuris reſiſtitur. [Mich. 6.] Valde ergo pro ſpiritu hoc timoris Domini ſollicitius orandum ſemper, qui docet ſollicitum ambulare cum Deo ſuo. Eſt ſi quidem *timor* huiuſmodi *ſapientiæ initium:* [Pſal. 112.] & ab ipſo *concipitur ſpiritus ſalutis;* [Eſa. 26.] Per hunc declinat omnis a malo, illuminantur corda, & pronehit in omne bonum. Quem ſi quis volet habere, cogitet Dei præſentiam, & illum etiam abditiſſima cordis videre: [1. Pet. 5.] Ex hoc vtiq; diſcet ſollicitius cum Deo ſuo ambulare, abiecta [1. Cor 7.] omni alia ſollicitudine mundi; vtique ſollicitus eorum, quæ ſunt Domini ſui, *quo modo placeat Deo.* Et hic eſt ecce omnium bonorum radix, initiũ, & cardo. Latior hic ſe offerret materia de ſancto hoc timore Domini: quomodo conquiri poſſet, & conſeruari: Semper enim, & vbique hic eſt neceſſarius; Et niſi in continuo timore Dei ſe homo conſeruauerit, *cito ſubuertetur domus eius.* [Eccl. 27.] *Beatus proinde homo, qui ſemper eſt pauidus.* [Prou. 28.] Timendum ſiquidem eſt, & cum adeſt gratia Dei, pariter & cum abeſt: vt Bernard. monet: Cum adeſt (inquit) gratia, time, ne non digne opereris ex ea; Amplius vero time ſubtracta gratia, quia reliquit te cuſtodia tua; Si redierit gratia, multo amplius, pluſque multo timendum, ne forte contingat pati recidiuum: Recidere enim, quam incidere deterius eſt, Iuxta illud, *Ecce ſanus factus es, noli amplius peccare, ne deterius tibi contingat.* [Ioan 5.] En ergo, quam reddit timor Domini, hominem bene ſollicitum. De quo, & eius commendatione, ſpeciebus, effectibus, & inductiuis pleniſſime agitur in ſpeculo Vincentij morali, & in ſumma virtutum, ad quem librum lectores noſtros ſtudioſe inuitamus. Et hæc tantiſper tetigiſſe ſufficiat de ordinatione erga Deum; niſi quòd adijciemus ſeptemplices pios quoſdam affectus, quibus coram Deo, homo timens, ſemper ſollicitus ambulare poterit, & eſſe perfectus: iuxta quod Abrahæ iuſſum fuit, *Ambula coram me, & eſto perfectus.* [Geneſ. 17.] Sufficit hæc tetigiſſe: ad principaliter deſtinatum veniendum.

De ſeptemplici affectu, quo ordinamur in Deum.

MEMBRVM II. [VII.]

SCiẽdum, quod viri illi exercitatiſſimi, ſanctiſſimi, & docti, Bernardinus, & Vincentius poſterioris noſtri ſeculi generoſa propago, ſeptẽ docuerũt affectus, quibus homo debet ordinari ad Deũ, qui cõtinẽtur his metris,

Diligat &, timeat, dominum quoque zelet, honoret;
Pareat &, gratus, guſtum capiat deitatis.

PRIMVS inquam in Deum affectus eſt, *Amor ardentiſſimus*, exercens ſe iugiter in meditatione Dei, ad quem & hortatur ſponſus in Canticis dicens, *Pone me, vt ſignaculum ſuper cor tuum, & vt ſignaculum ſuper brachium, quia fortis, vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. Lampades eius, vt lampades ignis, atque flammarum, aqua multæ non potuerunt extinguere charitatẽ.* [Cant. 8] In qua auctoritate, (iuxta diuinũ Bernardin.) ſeptẽ per ordinẽ tangũtur gradus, Quibus acquiritur hic ardẽtiſſimus amor.

Qui ſunt:
- Meditatio,
- Imitatio,
- Separatio,
- Æmulatio,
- Inflammatio,
- Exemplatio,
- Inſuperatio.

Meditatio, qua cor iugiter inflammetur: Hic *Pone me quaſi ſignaculum ſuper cor tuum.* [Cant. 8.]

Imitatio, qua etiam ad extra dilectum imitetur, *Super brachium tuum.*

Separatio, qua ab omni alieno amore ſeparetur, *Fortis vt mors dilectio.*

Æmulatio, qua meliora ſemper, & altiora æmuletur: *Dura ſicut infernus æmulatio.*

Inflammatio, qua ex præcedentibus in Dei amorem incendatur: *Lampades eius lampades ignis.*

Exemplatio, qua etiam proximus ad Dei amorem prouocetur: *Atque flammarum.*

Inſu-

Digitized by Google

Inſuperatio, qua nullis aduerſitatibus à Deo ſeparetur: *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem.*

SECVNDVS inflāmatus affectus ergaDeū eſt, *Timor reuerētiſſimus*, non naturalis, *ſeruilis aut initialis*, ſed timor filialis, & caſtus: Filialis ad patrem, caſtus ad ſponſum. Erit autem triplex iſte timor; ſcilicet, *ſeparationis* quo timeat à ſponſo ſeparari, Eccli. 7. *Qui timet Deum nihil negligit:* ne ſcilicet ſeparetur à ſponſo. *Secundus offenſionis*, quo filialis amor etiam in minimo timet patrem offendere, Prouerb. 8. *Timor domini odit malum. Tertius eſt reuerentialis*, Eccli. 2; *Nihil melius quam timor Dei.*

Zelus quid.

TERTIVS affectus eſt *Zelus conſtantiſſimus*, quo gloria Dei, & animæ ſalus procuratur: Eſt enim zelus amor exardeſcens, & iraſcens contra ea, quæ ſunt contraria amato, vel amatori ſuo. Erit autem duplex, ſcilicet *honoris Dei*, quia non digne honoratur; & *ſalutis proximi*, *Zelus domus tuæ comedit me.* Pſ. 68.

QVARTVS affectus eſt *debitus honor*, aut laus impenſa. Eſt autem duplex iſta laus, *Affirmatiua*, ſcilicet cum in eius laudem omnia bona ei approptiantur, vt patet ſæpè in ſcripturis; *Negatiua*, quando in ampliorem laudem illa negantur, quæ prius de Deo affirmabantur: Et hæc incomparabiliter præſtat Affirmatiua (iuxta Vercellenſem) fit per deſcenſum à ſuperioribus ad extrema. Negatiua è contra, ab inferioribus ad ſuperiora; Prima parit dilatationem, & verborum multiplicationem; altera, id eſt, negatiua, contractionem. Quod fit quia ibi de minus notioribus, ad magis nota deſcenditur, hic autem de cognitis, ad incognita negatiuè aſcenditur, verbi gratia. Mens illuminata, ſuſtollitur ad cognoſcendum quid ſit Deus: Quicquid prius de Deo affirmauit, nunc negat; tantam enim intelligit diſtantiam ipſius, ab eo quod dici poteſt de eo, vel nominari. Nam ſi eum nominat magnum: nomen videtur ei paruum; Si iuſtum, nomen ei videtur iniuſtum; & ſic de alijs. *Semper ſit hæc laus in ore noſtro.*

Exemp. de laudando Deo. Pſ. 33.

QVINTVS affectus eſt, *Obedientia prompta*; Igne enim calefacta facile flectitur cera; Metalla ab igne liquefacta, facile recipiunt formam; Sic corda diuino amore ſuccēſa, ſunt ad omnem obedientiam maiorum, æqualium, minorum, prompta. Et merito quidem: Nam (ſecundum Bernard.) credentibus nihil difficilè, nihil aſperum mitibus, nihil humilibus arduum reperitur. Vncti enim ſunt; currunt rotæ vnctæ velocius currūnt: patet in Andrea, Laurentio, & ſic de alijs. Nec mirū ſi ſit in talibus obedientia prompta, contradictio nulla; cum eorum ſpiritibus caro ſit ſubiecta, quia eorum ſpiritus ſunt ſubiecti Deo, ex quibus duobus perfecta obedientia conſummatur.

SEXTVS affectus eſt *Regratiatio deuota*, & magna. Quæ duplex erit; *generalis*, ſcilicet pro beneficijs generalibus de omnibus creatis; ita vt homo crebrius dicat, Gratias tibi agimus Domine Deus noſter qui es alpha, & omega, principium, & finis; qui creaſti cælum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt: *Altera ſpecialis* pro ſpecialibus beneficijs ſuſceptis, quæ enumerat Bernardin. (Apo. 22.)

SEPTIMVS eſt *Delectatio*, ſeu ſatuitas ebria, qua mens reficitur, ſaturatur, inebriatur Dei dulciſſima ſuauitate, & ebrietate; adeo vt omnes inuitet dicens, *Guſtate & videte*, &c. Hæc facit faſtidire mundi oblectamenta, & deſpicere aduerſa. Pſ. 33.

Qui his ſeptenis ſe exercitaret affectibus; ille optime ad Deum eſſet ordinatus: Sed qui hos volet acquirere, oportet quotidie cum Vincentio orare, & dicere, Bone Ieſu fac, vt totis medullis amem te; ſumme timeam, & reuerear te; & pro omni honore tuo fortiſſimè fac me zelare, ita vt omne tuum opprobrium horreſcam, vt meum damnum. Sic etiam vt tuum dominium, tanquam tua creatura, humiliter adorem, & recognoſcam; & de omnibus beneficijs mihi à te impenſis, ſemper gratias agamus. Da etiam, vt in omnibus ſemper te benedicam, laudem, & magnificem; & cum ſummo iubilo, & tripudio cordis, tibi in omnibus obtemperans, & obediens, ſemper reficiar dulciſſima tua, & ineffabili ſuauitate, quaſi cum Angelis ſemper tuæ menſæ aſſiſtēs, licet indignus, & ingratus. Qui viuis, & regnas amen. In qua breui oratiuncula plene complectuntur præmemorati affectus, quibus ordinamur ad Deum, vt diximus, quorum exercitatione, homo poterit reddi perfectus. (Deuota orat.)

De ordinatione ad Prælatum.

CAPVT II.

OBedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis; Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris, Ad Hebræ. 3. His verbis duo innuuntur, quibus optimè erga Prælatum ordinamur; quæ ſunt *obedientia*, & *reuerentia*. Quarum altera (iuxta Bernard.) corporis; altera mentis eſt; Nec ſufficit vna ſine altera. De quibus duabus copioſiſſima ſe offert diſſerendi materia; ſed libri morales, virtutum ſummæ, & tractatuli deuotorum, de his pleni ſunt; vnde nec hic repetenda. Breuiter dicimus, quod ſimplex obedientia totius Religionis baſis eſt, fundamentum, & ianua, virtutum omnium mater, & cuſtos. Ad quam incitant Chriſtus, & natura, vtilitas, & exempla, & alia multa. Nonne Chriſtus deſcendit de cælo, non facere voluntatem ſuam? (Io. 6.) teſte Bernardo: *Chriſtus perdidit vitam, ne obedientiam perderet.* Illud (ait Gerſon) pulchrius, illud ſanctius, illud vtilius, illud Deo acceptius, quod obedientiæ vicinius. Libenter ergo obediendum; quia vicem Dei Prælati gerunt, vt docetur in ſpeculo Monachorum. Procul ergo, procul ab omni Religioſo ſenſus proprius, & voluntas priuata, obedientię ſacræ ſpecialiter aduerſantia. Nec enim vnquam proprio ſenſui eſt innitendum, iuxta illud Deut. 12. *Non facietis ibi, quæ nos hic facimus*

Digitized by Google

hodie; ſinguli quod ſibi rectum videtur,, Et multo minus propriç voluntati. Eccl.18. *A voluntate tua auertere, nam ſi præſtes animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis*; quæ facit, vt etiam bona noſtra non ſint bona: vt notabiliter notat B.Bernard. ſuper illo verbo. Eſa. 58. *Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra*, dicens, *Non ſapit Deo ieiunium, quod non obedientiam ſapit, ſed vitium voluntatis.* Ego autem, & in ſilentio, & in omni obſeruantia Regulari id ipſum ſentio, nil præter obedientiam Deo gratum. O igitur libenter obediamus, & perfectè obediamus.

S V N T autem perfectç obedientiæ, iuxta Bernardum gradus ſeptem, perſtricti verſiculo iſto?

G 11. *Vita, libens, ſimplex, hylaris, fortis, pia, perſtans.*

Luc.19. Mat.4. *Primus* gradus eſt *velociter obedire*; vt Zacheus, qui feſtinans deſcendit; vt Petrus, & Andreas, qui continuo relictis omnibus, Chriſtum ſunt ſecuti; & Marcus Monachus, qui mediam litteram imperfectam dimiſit: iuxta Pſ.118. illud, *Viam mandatorum tuorum cucurri*. Fidelis enim obedientia, moram neſcit, fugit craſtinum, ignorat tarditatem, præcipientem præuenit, oculos parat viſui, aures auditui, linguam voci, pedes itineri, & totum ſe colligit, vt imperantis impleat voluntatem.

Secundus gradus eſt *obedire libenter*, vt præcipientis voluntatem faciat, recipiens eam pro voluntate Dei, cui *coacta ſeruitia non placent*. Et verè quicquid vice Dei præcipit homo; (quod tamen non certum eſt diſplicere Deo) haud ſecus omnino accipiendum, quam ſi à Deo fuerit præceptum. Quid enim intereſt vtrum per ſe, an per ſuos miniſtros inſinuet ſuum Deus beneplacitum? In omni igitur obedientiæ præceptione, aureum illud reſpondeatur verbum, *Libenter*, vt voluntarium ſit obedientiæ ſacrificium: & tanquam delicatus cibus, facere voluntatem prçlati.

Tertius gradus eſt *obedire ſimpliciter* ſine quæſtionibus, murmurationibus, aut excuſatione. Iuxta Pſal. 17. *In auditu auris obediuit mihi*; vt vno eodemque momento, vbi prodit imperantis imperium, accedat protinus, & obſequium obſequentis. Hinc Bernard. Omnibus vobis in conuerſionis initio, nulla virtus eſt magis neceſſaria, quam ſimplicitas humilis, & grauitas verecunda, & obedientia indiſcreta: vt nihil plus, nihil minus, nihil aliter, quàm imperatum ſit, faciatis; etiam ſi appareat magiſter imperitus, indiſcreta poteſtas.

Quartus gradus eſt *obtemperare hilariter*; vt ſit ſerenitas in vultu, dulcedo in ſermone. Eccl. 35. *In omni dato hilarem fac vultum*
1.Cor.9 *tuum: Hilarem enim datorem diligit Deus.* Et *ſuper omnia* (Poeta ait) *vultus Acceſſere boni.* Qui eum triſtitia, & murmure obediunt, ſel dant in eſca Dei.

Quintus gradus eſt *viriliter, & fortiter adimplere mandatum.* Pſalm. 30. *Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum.* Bernard. Manum tuam miſiſti ad fortia: Agendum eſt inſtanter, & conſtanter obediendum: nec inter aſperitatem verborum, tam regalis obedientię ſemita relinquenda. Chriſtus hanc ſemitam pro morte ignominioſſima relinquere noluit: obediens vſque ad mortem Crucis: Inter omnia etiam grauia, & Phil.2.
aduerſa dicat obediens: *paratus ſum, & non ſum turbatus.* Pſ.118.

Sextus obedientiæ gradus eſt piæ, *& humiliter obedire*, vt illud Euangelicum fiat, *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſerui inutiles ſumus, quæ debuimus* Luc.17.
facere fecimus. Magna etenim eſt virtus humilitatis: ſine cuius obtentu, nec obedientia virtus eſt, ſed etiam in ſuperbiam erumpit.

Septimus obedientiæ gradus eſt *indeſinenter, & perſeueranter obedire.* Quid enim currere proderit, ſi ante metam curſus deficiat? *Qui enim perſeuerauerit vſque in finem,* Matt.10.
hic ſalus erit? Sic currite (ait Paulus) *vt* 1.Cor.9.
comprehendatis. Vere qui his obedientiæ gradibus cucurrerit, indubiè brauium apprehendet. Tota ſiquidem Religionis perfectio in perfecta obedientia, & in propriæ voluntatis abdicatione conſiſtit. Quare potiſſimum perfectionis, & diſciplinæ induſtrius appetitor, voluntatibus proprijs edomandis, & præſidentium nutui ſubiugandis, invigilare debet: vt pulchrè ſpeculum Monachorum docet, iubens, vt talem ſe quiſque Prælato exhibeat, vt liberi illi, quicquid pro ſalute expedit, imperare poſſit. Quare ſingulari practica quidam ſe Prælatis crebro, & plene reſignare ſolent: vt ita eos conducant per Obedientiæ ſemitam, vt pro eis reſpondeant in futurum, & ad gloriam eos perducant æternam. Quod tametſi ſuperbis puerile videatur, & ridiculoſum, æſtimo ego id maximi meriti: & obſeruabile valde. Nolumus plura dicere de obedientia: eum ſcripta Doctorum plena ſunt de ea.

O B E D I E N T I A autem ſine honore non ſufficit. Prælato vtrunque (ſecundum Bernardum) debes. Dicitur Eccleſi. 4. *Dedecus filij, pater ſine honore.* In medio ergo Fratrum rector illorum ſit in honore. Nam *qui hos ſpernit, Deum ſpernere* comproba- Luc.10.
tur: Et *maledictus, qui non honorat patrem.* Deut.27.
Quod ſi voles reddere ei dignam reuerentiam; caue familiaritatem nimiam, contemptum enim parit.

Honor autem iſte in tribus conſiſtit, vt dicit Eccli. 3. In opere, & ſermone, & vt eum patientia infirmitates eius ferantur. Semper ergo pacem habe cum Prælatis. Non detrahas eis, nec libenter (vt docetur in ſpeculo Monachorum) eis detrahi audias, quia ſpecialiter hoc Deus vitium in ſubditis punit, etiam in præſenti. Sed Climaci doctrinam ſerua, qui ait: *Cum tibi tua cogitatio ſuggerit, Ducem diſcernere, vel dijudicare Præpoſitum: reſili ſicut à fornicatione; Dicito vero ad Draconem, cogitationi videlicet principantem: O ſeductor non ego mei Prioris; ſed ipſe meus conſtitutus eſt iudex*; hæc ille. Agite per

Digitized by Google

hæc erga Prælatum ab initio nos ordinemus. Nam qui ei diffidet raro proficere in bonum poteſt.

De his in quibus erga fratres ordinâmur.

CAPVT III.

Pſ. 132. *Ecce quam bonum, & quam iocundum, habitare fratres in vnum.* Vere iocundum, & bonum: ſi tamen quiſque bene fuerit ordinatus in fratrem, & proximum; hoc eſt ſi *ſocialiter* vixerit: Iuxta Bernard. Hæc autem ſocialitas in multis conſiſtit: vt

ſe ſe habeat
Pſ. 36. Innocenter, nulli nocendo, *Cuſtodi innocentiam.*
Ro. 12. Humiliter, omnes honorando: *honore inuicem præuenientes.*
Io 13. Amabiliter, amando ſcilicet, & amari appetendo: *In hoc cognoſcent omnes, quia mei diſcipuli eſtis.*
1 Cor. 1. Vnanimiter, pacificè conuiuendo: *Obſecro, vt idem dicatis omnes.*
Titi. 2. Exemplariter, eos inſtruendo. *In omnibus præbete exemplum.*

Materiæ hæ ſunt communes, vt latè proſequitur de ſingulis, (in ſuo de eruditione Religioſorum) venerabilis magiſter Vmbertus. Ad cuius librum remittimus erudiendos ſtudioſos lectores. Longum enim eſſet exequi de iſtis. Et comprehenduntur hoc verſu, hæc quinque, vt memoriter, & diligenter obſeruentur.

Non noceas, venerans, pete ames, pax inſtrue, tractes.

Pſ. 36. *Ad primum* Spiritusſanctus monet; *Cuſtodi innocentiam*: fundamentum etenim (ait Tullius) iuſtitiæ eſt, ne cui noceas. *Alterum* Apo-
Eph. 5. ſtolus docet, *Subiecti inuicem in timore Domi-*
Philip. 2. *ni, & honore inuicem præuenientes.* In humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes. Glo. vix poteſt ſeruari amor fraternus, niſi ſe mutuis præueniant obſequijs. A mutua igitur dehonoratione caueāt Fratres. Deferre humiliter ſociis, charitatis eſt fraternæ fomentum, conſcientiæ bonæ ſignum, illuſtriſque animi euidens argumentum. Vix (ait Bonauentura) niſi ſocio deferas, cum illo proficies. *De mutua autem dilectione* plenæ ſunt omnes Scripturæ.
Io. 13. Io. 13. *In hoc cognoſcent omnes, quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Et A-
Coloſ. 3. poſtolus ad Coloſſ. 3. *Super omnia charitatem habentes, quod eſt vinculum pacis.* Sine hac charitate monaſteria ſunt tartara, & inhabitantes
1. Pet. 4. non homines, ſed dæmones. Diligamus ergo inuicem, ante omnia mutuam, & continuam in nobiſmetipſis charitatem habentes. Et hoc ſecundum triplex exemplar,

ſcil ſecundū quod
Chriſtus nos dilexit,
Diligimus noſipſos,
Se diligunt membra vnius corporis.

1. Amemus ergo fratres, & exhibeamus nos amabiles. Nulla autem eſt maior ad amorem inuitatio, quam præuenire amando. Seneca. *Quæris quomodo amicum facturus ſis? Ecce ego tibi monſtrabo amatorium ſine medicamento, ſine ſortilegio, ſine vlla coniuratione, ſine herba, ſine vllius venefico carmine. Si vis amari ama.* Fili, ait Eccli. 3.
Sapiens, *in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper gloriam hominum diligeris.* Popularis enim & grata eſt omnibus bonitas, & nihil virtute amabilius. Poſt hæc *vnanimiter, & pacifice cum omnibus conuerſandum.* In tribus etenim bene Eccli. 25.
placitum eſt Spiritui ſancto, quæ probata ſunt coram Deo, & hominibus, quorum præcipuum concordia fratrum eſt, & amor proximorum. Obſecro vos (ait Apoſtolus) *vt idem dicatis omnes, & non ſint in vobis ſciſmata. Solliciti ſemper ſeruare vnitatem ſpiritus: in vinculo* 1 Cor. 1. Epheſ. 4
pacis; In omnibus præbentes vos exemplum bonorum operum. Corripientes inuicem in ſpiritu lenitatis: Tit. 2. Gal. 6.
vt ſic omnes trahamus ad bonum, & ad virtutes. Is etenim fructus eſt mutuæ cohabitationis in clauſtro. Ecce quam lata ſe offerret hic materia commonitionis ſuper ſingulis: Sed ſufficiat commonuiſſe pacis, vt per hæc nos in fratres ordinemus. Nam homo, qui in congregatione proficere deſiderat, neceſſe eſt, vt erga omnes ſe bene ordinet, & pacem teneat cum cunctis, vt pulchre (in de pace, & concordia) docet Anſelmus. Et tota diſt. 90. in decretis contra litigioſos agit; & pacis turbatores etiam ciuilis lex condemnat. Singulariter tamen cuique in communi viuenti, ſumma erit cura, vt exemplariter viuat: Nam vt dicitur in ſpeculo monachorum, quicunque aliquod exemplum aliis relinquit, ſiue bonum, ſiue malum, particeps imitatorum ſuorum erit; ſiue in ſupplicio, ſiue in præmio; & B. Pater Auguſt. exemplificat de Arrio. & B Paulo dicens, nec B. Paulum ſua adhuc præmia, nec Arrium ſupplicia ſua retinentem; ſed quotquot exemplis, aut inſtitutis eorum, vel conuertendi ſunt, aut ſeducendi, comparticipes eſſe, vel gaudiorum, ſeu pœnæ illorum. Vt etiam Angelus Abbati hoc repromiſit dicens, Quantoſcunque conuerterit ſuo exemplo in hac vita ad ſalutem, ſuper tantos accipiet principatum in futuro. In omnibus ergo (vt Apoſtolus monet) ſe præbeat quaſi exemplum Tit. 2.
bonorum operum, vt dicere poſſit cum Gedeone, *Quod me videritis facere, hoc facite;* Effica- Iudic. 7.
cior enim eſt vox operis quam ſermonis; & longum iter per verba; breue, & efficax per exempla. Caueat itaque ſollicite ſcandalum, & malum exemplum. Nihil enim eſt, quod magis corrumpat Religionem, ſeducit paruulos, & omne inducit malum. Notum eſt Euangelicum tonitruum, contra ſcandalizantes puſillum: *Væ inquit mundo à ſcandalo,* Matt. 18.
&c Et vt dicitur Deu. 26. *Maledictus qui errare facit cæcū ab itinere ſuo, aut illi ponit offendiculū,* &c. Sat hæc, ad principale intentū veniendū.

VOLVMVS enim hic ponere ſeptem affectus virorum ſupra ſcriptorum, quibus erga proximum quiſque ordinatur: Et ſunt iſti,

Compatiens, & collætans, portans, ſimul affans.

Hinc venerans, cunctis concors, impendere cunctis.

Primus affectus eſt *pia compaſſionis:* quo mens ſentit aliorum mala ſicut ſua: Compatiens *primo* afflictionibus ſpiritualibus, vt Ieſus flens ſuper ciuitatem; (Luc. 19.) *Secundo* corporalibus Heb. 4. *Vinctis compaſſi eſtis*; *Tertio* afflictionibus temporalibus, vt exterminijs patriarum, exemplo Neemiæ. 8. Hæc compaſſio oritur, ex conſideratione primi principij, vt omnes reputemus vnum & in omnibus videamus Deum, vt Franciſcus ait.

Secundus affectus eſt *dulcis congratulationis*; quo homo de aliorum bonis lætatur, ſicut de ſuis: Et hoc triplici congratulatione, ſcilicet cordis, qua homo delectatur de aliorum profectu ſpirituali, corporali, & temporali. Paul. (Ro. 12.) *Gaudere cum gaudentibus:* Et is participat bonis. *Secunda oris*, vt quod feruens affectio intus ſentit, loco, & tempore opportunis, os exprimat (teſte domino) (Mat. 12.) *Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum*, &c. vt vicini Elizabeth. (Luc. 1.) *Tertio operis*, quando per geſtus, vel opera exteriora, boni complacentia demonſtratur. Si gloriatur vnum membrum, congaudere debent omnia membra.

Tertius affectus eſt *tranquillæ ſupportationis*; vt ſcilicet iniurias illatas patienter tolleret, & condonet, & aliorum mala æquanimiter portet. Difficile enim eſt non quandoque ſcandala oriri: Ille laudandus, qui aliorum mores magnanimo, atque tranquillo corde ſufferre nouit; (Matt. 22.) Cum hoc tanti ſit meriti, vt in eo pendeat omnis Lex atque Prophetæ, Gal. 6. *Alter alterius onera portate: & ſic adimplebitis legem Chriſti.* In eo is affectus feruet, qui corde, & opere, dimittit & donat, *Primo* graues iniurias. Epheſ. 4. *Eſtote benigni, donantes inuicem*, ſicut Deus in cruce, qui primo ait, Pater ignoſce illis; (Luc 23.) *Secundo magnas* infamias, vt Chriſtus, (Mat. 11.) cui dicebatur, potator vini, Samaritanus, &c. *Tertio* ablatas ſubſtantias. Heb. 5. *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis.*

Quartus affectus, *eſt benignæ conuerſationis*, Eſt autem hæc benignitas, quidam dulcor animi, excludens omnem nequitiam, habilitans hominem ad internam lætitiam, reddens hominem affabilem, & benignum, (Pro. 15.) *Primo* in verbis, *Lingua placabilis, lignum vitæ*; *Secundo* in factis, quem bonus amoris ignis ad benefaciendum proximis feruere facit. (2. Cor. 9.) *Hilarem datorem diligit Deus*; (Eph. 4.) *Tertio* in moribus, & geſtibus, *Eſtote inuicem benigni*, in veſtra ſcilicet conuerſatione.

Quintus affectus eſt *humilis orationis*, vt omnes præferat, & reuereatur*: atque omnibus, tanquam dominis ſuis, humili corde ſe ſubdat. Et hoc propter triplicem participationem, vnde præeminentia ortum habet: *Primo* ex participatione principij, & ſic ſunt honorandi Patres corporales, Patres ſpirituales, & Domini temporales: Quia omnes iſti participant in principio, primi ad eſſe, ſecundi ad bene eſſe ſpirituale, tertij ad bene eſſe temporale. *Secundo* oritur præeminentia ex participatione diuinæ ſapientiæ, in qua duo genera hominum participare dicuntur, & ob id venerandi; primum viri *docti*, in quacunque fuerint conuerſatione honeſta, *Honora ſapientem*; Secundo *ſenes, coram cano capite conſurge.* (Leuit. 19.) *Tertio* præeminentia venit ex participatione bonitatis, ratione cuius quilibet iuſtus eſt honorandus: Et hæc participatio eſt duplex (iuxta Alexand. de Hales.) *Prima* eſt participatio bonitatis ſecundum actum; Et ſic iuſtum honoramus; illum nobis meliorem exiſtimantes. *Secunda* eſt ſecundum potentiam, qua mali effici poſſunt meliores; Et ſic omnes honorandi; hinc Petrus, (1. Pet. 2.) *Omnes honorate*, & Paulus, (Ro. 15.) *Honorate inuicem peruenientes.*

Sextus affectus eſt *cordialis vnionis*: vt homo, quantum in ſe eſt, ſecundum Deum, cum cæteris hominibus ſe ſentiat vnum, atque eos ſentiat ſemetipſum, & omnium velle, velle ſuũ reputet, & econtra: Et is affectus oritur *primo ex humilitate*, quæ omnibus ſecundum Deum condeſcendit, & obſequium impendit; *Secundo ex pietate*, quæ Deum in proximis puro, & ſimplici oculo contemplatur; *Tertio ex charitate*, quæ liquefacit humana corda, & aliorum mala in ſe transformat, & facit ſua. Et fit *credentium omnium cor vnum.* (Act. 4.)

Septimus affectus eſt *Chriſtiformis pro omnibus obligationis, & paſſionis*, vt ſcilicet inſtar Chriſti, pro omnium ſalute paratus ſit ponere animam ſuam, & ſemper orare, vt Chriſto omnes inſerantur, *paratus* cum Paulo *ſuperimpendi* (Ro. 9.) pro omnium animabus. Qui hos affectus haberet, bene in proximum ordinatus eſſet.

Quo modo ordinatur homo in ſemetipſum.

CAPVT IIII.

ORdinauit in me charitatem, Cant. 2. Vbi per ſuperiora homo erga alios bene ordinatus fuerit, oportet vt in ſe ſit bene ordinatus; quo ſine nec cætera bene poſſunt haberi, nec prodeſſe multum. Qui enim ſibi nequam eſt, & inordinatus, cui bonus, aut ordinatus erit? (Eccli. 14.) Et quoniam duplici ex parte conſtat homo, corpore, ſcilicet & anima; duplici opus eſt, & ordinatione, qua ſcilicet in vtroq; bene ordinetur.

PRIMA autem iuxta Bernard. nouitij cura debet eſſe circa opus, & exterioris hominis compoſitionem, vt deductum eſt ſupra. I. Nam & corpus Adæ primum formauit Deus, & (Gen. 2.) poſt in faciem eius ſpiraculum inſpirauit vitæ, ſic &c. Ordinatur autem homo bene ad corpus, per generalem corporis diſciplinam; de qua aliqualiter tactum eſt ſupra: & remiſſum ad eos, qui plene ſcripſerunt de ipſa. Secundo per actionem corporalium exercitationum determinatam, de qua infra agetur in dietario; Aut vt ſciat nouiter Religionem ingreſſus, quo modo corpus ordinare debeat, attendat hæc quinque,

Eſto latens, tacitus, ſenſus, mores, ſubigens te.

Digitized by Google

Primo neceſſarium, vt corpus certo loco
alliger, & ſolitudinem amare diſcat; deinde,
vt *linguam coerceat*, tertio, vt *ſenſus omnes*
1. Cor. 9. cohibeat, quarto, vt *mores & geſtus* per diſci-
plinam componat, & ſic tandem *corpus ſpiri-
tui plene ſubigat*, & in ſeruitutem omnimo-
dam redigat, vt plena, & indiſcreta quadam
obedientia, ad omnia externa agenda pateat.
Quæ eſt perfectio, (iuxta Bernardum) homi-
nis animalis, vt vi quadam vtatur in ſeipſum,
plene ſubiectus voluntati directoris, ita vtens
corpore, ne rebellet, ne inſoleſcat; ſic tamen,
Ro. 6. vt ſeruire ſpiritui ſufficiat, & ſeruire iuſtitiæ
in ſanctificationem, ſicut aliquando in ini-
quitate, ſeruiuit ad iniquitatem. Audiat hoc
amicum corporis mancipium, animalis homo,
1. Cor. 2. qui iam incipit corpus ſubdere ſpiritui, & ad-
aptare ſemetipſum, ad ea quæ Dei ſunt per-
cipienda, & ad exuendam fœdæ ſeruitutis ne-
ceſſitatem, & carnis ſuæ dominantem con-
ſuetudinem ſe accingat, neceſſitatem ſibi fa-
ciat, contra neceſſitatem; & conſuetudinem,
contra conſuetudinem, & affectum ſibi for-
met, contra affectum: donec plenam merea-
tur accipere delectationem; contra delectatio-
nem, vt delectationibus ſæculi, ac carnis (ſe-
Ro. 6. cundum conſilium Apoſtoli) ſaltem tamen
eum delectet carere, quantum primum eum
delectabat eas habere; tantumque delectet e-
um de membris ſui corporis ſeruire iuſtitiæ in
ſanctificationem, quantum prius delectabat
immunditiæ ſeruire, & iniquitati. Vſus enim
boni, conſuetudinem etiam aſperam, vertit in
oblectationē. Et hæc eſt, vt diximus perfectio
hominis animalis, quæ non vno fit momento
primæ cōuerſionis, & non vnius diei eſt opus,
ſed multi temporis, multi laboris, & ſudoris
Ro. 9. ſecundum gratiam Dei miſerentis, & ſtudium
hominis volentis, & currentis. Quæ non at-
tingitur ſine alijs præmiſſis medijs, quæ in-
ſtrumenta ſunt totius ſalutis, vt deductum
eſt in ſuperioribus. Et hæc de ordinatione ho-
minis animalis, & exterioris. De interioris
hominis ordinatione tractare, non eſt huius
loci, vel temporis.

II. PONENDI ſunt nobis hic, ſolum pro repro-
miſſo ſeptem affectus, quibus homo debet
ordinari ad ſeipſum, in cogitatione ſui cordis,
& ſunt hi;

*Ut pudeas, doleas, horrens te, ſume rigo-
rem.*
Iratus, vigor atque vigil, diſcretio ſubſit:

Primus affectus eſt *pudoris*, vt ſcilicet totus
de ſuis vitijs confundatur, & erubeſcat; conſi-
derando peccatorum magnitudinem, & dicen-
Luc. 15. do cum filio prodigo, *Pater peccaui in cælum,
& coram te, non ſum dignus vocari filius tuus.*
Secundo peccatorum multitudinem cla-
2. Par. 35 mans, *peccaui ſuper numerum arenæ maris.*
Pſ. 37. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum.*
Luc. 18. Et cum Publicano. *Deus propitius eſto mihi pec-
catori*. Tertio turpitudinem & increpatorie
Pſ. 136. ſibiipſi dicat, *Filia Babylonis miſera erubeſce
Sydon ait mare.* Item Hier. 2. *Quod vilis facta
Eſa. 23. es nimis, iterans vias tuas*: Eſaias. *Sume cy-
tharam meretrix*, &c.

Secundus affectus doloris, vt peccata Dei
offenſiua acutiſſimo dolore plangat, quia in-
currit mala, amittit bona, prouocatur Dei
ira. Hæc omnia quaſi præſentialiter ſtatuat
ſibi, & ſint ei lachrymæ panes die ac nocte. Pſ. 41.

Tertius affectus horroris, quo propter odi-
um ſui, ſeipſum ſanctiſſimè horret, & hoc, ex
ſenſu propriæ nihileitatis, vt dicat illud Iob
13. *Redactus ſum in nihilum*; Item ex ſenſu
propriæ iniquitatis, quæ omnibus brutis.
propter Dei offenſam, ſe æſtimat nequiorem;
Item ex ſenſu propriç humilitatis, cuius pri-
mus gradus (iuxta Auguſtin.) eſt ſe contemp-
tibilem, & peccatorem noſcere: *Secundus*,
ita affectualiter ſentire. Vnde debet ſe homo
verbis, factis, & geſtibus, cordialiter vilipen-
dere, & humiliare.

Quartus affectus *rigoris*, quo homo ſeue-
riſſimè, & aſperrimè corpus ſuum maceret,
tanquam peccato fœdatum, imò tanquam la-
trinam omnium fœditatum. Erit autem hic
rigor contra cogitationes malas, quarum primos
comprimit motus; Secundo *contra locutiones*,
ne tacenda dicat, & è conuerſo. Pſalm. 38
*Dixi cuſtodiam vias meas; vt non delinquam
in lingua mea.* Iacobi 3. *Si quis in verbo non
offendit, hic perfectus eſt vir.* Tertio *contra ope-
rationes*, & maximè ne per illicita vagentur Iere 9.
corporei ſenſus: namque, *Aſcendit mors per
feneſtras noſtras.* Itemque, *caſtigo corpus meum*, 1. Cor. 9.
id eſt, corporis ſenſus.

Quintus affectus eſt *ira implacabilis*, & ſan-
ctæ turbationis ira per zelum; De qua Iob 17.
Caligauit oculus meus ab indignatione. Iraſcitur
enim primo *contra commiſſas offenſiones*, & pro-
pria peccata. Pſal 84. *Ira in indignatione eius,
& vita gratia, in voluntate eius.* Secundo *con-
tra malas inclinationes*, dicens illud. Eſa. 14.
*Perdam nomen Babylonis, & reliquias, & ger-
men.* Tertio *contra impias radicationes* quat-
tuor affectuum, Vnde omnia oriuntur mala.
Contra hæc omnia implacabili ira ſurgit, & à
malo conſeruat.

Sextus affectus *vigoris*, quo fit peruigil,
& virilis ad omne opus bonū exercendum
viriliter, *primo* omnes potentias animæ, in-
tellectum, voluntatem, memoriam ad bona
cogitanda; *Secundo* exercet omnes ſenſus
corporales, & ſpirituales, omnia quæ per eos
percipit, in Deum referendo, vt, ſi videt pul-
chra, cogitat pulchritudinem Dei: & ſic de
cæteris ſenſibus. *Tertio* exercet omnes hu-
manos, & virtuoſos actus. Iuxta illud. *In om-
nibus operibus tuis eſto velox*: Item *ſollicitudine* Eccl. 31.
non pigri, ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes Ro. 12.

Septimus affectus eſt diſcretionis, quo in
omnibus modum, & menſuram ſeruat: ne
quid nimis, aut minus. Erit diſcretus *primo*
in contemplatione, vt ſępè actiuæ vacet in de-
uotione, ne ſic ſibi, vt proximorum obliuiſca-
tur, intendat; in contemplatione, ne ſic proxi-
mo in actione miniſtret, vt prorſus contem-
plationis deſerat opus. Faciliter errat actio,
quam non dirigit diuina contemplatio. Debet
enim mēs per contēplationē diſcere, qualiter
per actionē, propter Deū, proximo debet mi-
niſtrare. Hęc de affectibus illis quos poſuimus,
quoniā ſi alia exercitia nō erūt, per hęc ad omnē

perfectiooem homo poterit pertingere. In his itaque nos exerceamus, pro his obtinendis oremus, vt ſic bene ordinati, deuotius in cæteris exercitijs perſtemus.

Dietarium Exercitiorum.

TITVLVS IIII.

PROLOGVS.

N
1.Cor.14. OMnia honeſte, *& ſecundum ordinem fiant in vobis, ad Cor.* Viſo de exercitijs quibuſdam Religioſæ vitæ in genere, agendum iam de eiſdem in ſpecie; & primum de exercitijs externis: vt tandem ad interna perueniatur. Et pro manuductione paruulorum, conſtituendum eſt quoddam *Dietarium Exercitiorum:* vt ſciri poſſit, quid ſingulis, & temporibus & locis ſit exercendum, à mediæ noctis tempore, dum ſurgitur; vſque in veſperam diei, donec itur dormitum; vt ſemper ordinatum aliquod exercitium mox adſit ad manum præſto, ne in incertum vagetur. Optima etenim ea gubernatio eſt, qua ſuis temporibus & locis quæque dignè aguntur; Et certa forma inſtitutionis, & exercitationis deligenda, quam aſſuetudo iocundam reddat: vt ſupra plenius commemoratum, de certorum exercitiorum fructu, & commoditate. Et ne qua obliuio ſubrepere paruulis poſſet, exercitia negligendi, collectario more noſtro, ſub paucis verſiculis ea perſtringemus. Nec quem moueat, ſi cuipiam nimia quædam tradi videantur, quia diuerſos diuerſa iuuant; & quorundam viuacitas exercitia plura requirit: Nec cogitur quis ad omnia exercenda; ſed vt vel aliqua aſſumat.

Non ſinguli eadem, ſed pro captu.

Quo modo ſub excitatione matutinali exercendum.

CAPVT PRIMVM.

O. MEdia nocte clamor factus eſt. Matth. 25. *Vox dilecti mei pulſantis,* &c. Cant. 5. His verbis deuotum exercitium innuitur, eo tempore, quo ad matutinas Religioſus excitatur, aſſumendum: vt ſcilicet ita homo cuſtodis accipiat ſonitum, quaſi audiat vocem dilecti ſui, exhortantis ad ſurgendum, dicẽtis illud Cant.
I. 5. *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctiũ.* Hæc ſiquidẽ eſt *vox,* vt ibidẽ præmittitur, *dilecti pulſantis;* Et certè dulce, & deuotum eſt iſtud exercitiũ, & totius teporis & torporis excitatiuum. Quid enim dulcius, quam vocem audire dilecti, tam dulciter pulſantis? Et quis non exurget à ſomnis, ſi vocem audierit Dei viuentis? Obſeruetur itaque exercitium iſtud audito ſonitu cuſtodum; ſecundum illud,

Cuſtodis pulſum, Chriſti tu ſuſcipe verbum,
Et dic euigilans, cor tibi præſto Deus.

Et nota pro ampliori exercitatione deuotionis, & vt magis excutiatur ſomnolentia corporis, quòd ſecundum ſeptem dies, ſeptuplicem vocem, ex ſcripturis colligere poterit homo, exuſcitantis.

Audiat itaque vocem	Simpliciter,	*Surgere*	inuitantis.
	Intentè,		exhortantis
	Diligenter,		præcipiẽtis.
	Dire,		inuehentis.
	Seuere,		cõminãtis.
	Amoroſe,		allicientis.
	Veraciter,		promittẽtis

De primo, ſcilicet inuitantis, vt *Surge, & inuoca Deum tuum,* Ionę.1. *Conſurge lauda in nocte,* Tren. 2. *Conſurge, conſurge, induere fortitudine tua Syon,* Eſa.52. De ſecundo ſcilicet exhortantis, *Surge, ſurge Delbora, ſurge, ſurge, & loquere canticum,* Iudic.5. *De tertio,* vt audiat, ſcilicet vocem diligenter præcipientis, ſic, *Adoleſcens, tibi dico, ſurge.* Luc.7. *Surgite orate* Act.12.
Surge velociter. *De quarto,* inuehentis, vt *vſquequo piger dormis,* quando conſurges è ſomno tuo? *De quinto,* ſcilicet comminantis, vt *Vigilate & orate, neſcitis, quando tempus ſit. Si non vigilaueris veniam ad te tanquam fur.* *De ſexto,* ſcilicet allicientis, *vt ſurge propera amica mea. Surge illuminare Ieruſalem: Ecce ſponſus venit.* *De ſeptimo,* & vltimo incitamento, ſcilicet promittentis, vt *Surge & fac, & Dominus erit tecum.* Item, *ſi diluculo conſurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus; ſtatim euigilabit ad te, Et pacatum reddet habitaculum veſtrum.*

Pro.8. Mar.13. Apoc.3. Cant.2. Eſa 60. Mat.25. 1.Par 22 Iob 8.

Aut, vt quidam tradit, poterit ſuſcitationis pulſus audiri, quaſi vox illa terrifica tubę concrepantis, *Surgite mortui,* qui iacetis in ſepulchris, & occurrite ad iudicium Saluatoris: Qualis ſemper ſacri Hierony. auribus, eodem teſte, inſonuit. Huiuſmodi ecce voces, plures homo aggregare ſibi poterit ex ſcripturis, & eas audire, & reuoluere ſub tempore ſuſcitationis. Et illis, vt verſus habet; mox correſpondere per affectum deuotionis. Iob. 14. *Vocabis me, & ego reſpondebo tibi.* Reſpondeat ergo exuſcitatus, corde pariter, & ore, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum,* Paratum, vt à ſomno ſurgat, paratum, vt tuis laudibus inſtet. Et ſic cum multo deſiderio, & deuotione, homo ſurgere debet. Ad hoc enim ſomnum cæpit, vt expeditius Deo ſeruire poſſet. Iob 7. *Si dormiuero,* ſcilicet ad corpus recreandum, *dicam, quando ſurgam?* ſcilicet, ad Deum laudandum.

Pſ.107. Pſ.3.

MEMBRVM I.

Qualiter ad Matutinas ſurgendum.

MEdia nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Pſal.148. P.

POSQVAM autem Religioſus eſt excitatus, ex-

exemplo Regij Prophetæ alacriter exurgens, conuertat ſe ad exercitia iſta,

II. *Exurgat alacer, benedic, ſaluteo Maria.*

PRIMO itaque cum multa *alacritate*, ſine aliqua mora ſurgere debet: Iuxta dictum Angeli ad Petr. *Surge velociter.* Et Eccleſ.32. *Hora ſurgendi non tetrices.* Velociter ergo, imò & gaudenter ſurgere debet; quaſi in ictu oculi, ſub ipſo momento ſuſcitationis. Si enim miles terrenus gaudet, & accelerat, cum vocatur ad loquendum cum Rege ſuo; ſi gratulatur ſponſa, cum vocatur à dilecto: multo magis debet miles, & ſponſa ſpiritualis gaudere, & properare, quando vocatur, & excitatur ad loquendum, & deliciandum cum Rege, & Sponſo Deo. Chriſtum ſiquidem alloquimur (teſte Amb.) cum oramus: Deliciæ enim Dei ſunt eſſe cum filijs hominum, præſertim in laude diuina. Hic dicit Robertus de S. Victore. Act.12.

Ad ſignum latè pro ſumma ſurge quiete:
Non dabitur ſegni cæleſtis gloria regni.

§ 1. *Quæ faciant ad ſurgendum alacriter.*

ET vt alacrius homo exurgere diſcat, quædam incitatiua ad cito ſurgendum pariter, & ad hoc adiuuantia remedia annotare iuuat. Sunt autem præter cætera, hæc ad alacriter ſurgendum inductiua.

III. *Scriptura, natura, decet, exemplum, mala fructus.*

Id eſt *Scriptura monens,* quæ tam multipliciter ad id hortatur, vt patet, & dehortatur contrarium. Pro.20. *Noli diligere ſomnum*: Et
1.Theſ.4. Paulus. *Non dormiamus ſicut cæteri: ſed vigilemus, & ſobrij ſimus.*

SECVNDVM eſt *Natura inducens*: Vnde Amb. de Officijs, *Quis Chriſtianus non erubeſcat, ſine pſalmorum modulatione noctem tranſigere; cum minutiſſimæ aues ſolenni deuotione ortum præueniunt diei,* &c.

TERTIVM inductiuum eſt *decentia congruens.* Valde etenim medijs noctibus ſurgere congruit, & decet, eo quod hoſtes noſtri Diaboli non dormitant; neque dormiunt: ſed
Pſ.120. ſemper (vt Gregor. ait) Iſrael impugnant. Item decet, vt tunc boni ſurgant ad Deum honorandum, quando mali maximè inhonorant
Iob 20. Deum: *Qui enim malum agunt noctem obſeruãt.* Et *qui ebrii ſunt nocte inebriantur,* &c. Valde quoque tunc ſurgere decet, eo quod nocturno tempore carnis tentatio plus præualet, quæ vigilia opprimitur Eccli. 13. *Vigilia honeſtatis tabefaciet carnes.* Sunt præterea, & aliæ decentiæ, quas ſuper Pſal. Beati immaculati D. Ambroſ. tangit. Multa etenim illo in tempore tentamenta proſerpunt, cum feruet illecebra carnis; dum coquitur cibus, potuſque dirigitur; dum ſtomachus æger, mens ſomnolenta, animus occupatus; dum maxime tentator illudit, vt copioſiſſimè, & diſertiſſime, illic deducit.

QVARTVM, *Exemplum informans*: Innumera autem ad hoc exempla comperiuntur,
Apo.4. vtpotè *Sanctorum animalium, quæ requiem non habebant, die ac nocte dicentia, Sanctus, ſanctus, ſanctus,* &c. Sanctorum item Angelorum de quibus ſub typo cuſtodum dicitur: *Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes, tota die, &* Eſa.62.
tota nocte non tacebunt laudare. O igitur, & vos, *qui reminiſcimini Domini, ne taceatis, & ne* Eſa.26.
detis ſilentium ei, donec ſtabiliat, & donec ponat Ieruſalem laudem in terra. Exemplum item Sanctiſſ. Regis, & Prophetæ Dauid, qui nec occupationibus Regijs, & vxorijs, à continuis retrahebatur laudibus, quo minus conſurgeret Pſ.118.
medijs noctibus, vt dicit de ſe, *Media nocte ſurgebam,* &c. Eſdræ item prophetæ, & aliorum, qui *quater in nocte, & quater in die laudabant.* Neem.8.
Longum foret proſequi exempla omnia, vtpotè Domini Ieſu, qui pernox in oratione perſiſtebat; *Et erat pernoctans in oratione.* Beatorum item Pauli, & Sillæ, qui etiam ſub carcerali anguſtia, media nocte erant orantes, Legimus præterea de *muliere forti, quod de nocte* Luc.6. Act.17.
ſurrexerit, donans prædam domeſticis ſuis. Scribitur item, Quod *omnis Faber Ferrarius noctem* Pro.31. Eccli.36.
tanquam diem tranſigit, & vigilia ſua perficit opus, pro lucro ducens opuſculum, quod furatur de ſopore. De ſæculi Philoſophis conſtat, quod Demoſthenes gloriari ſolitus erat (vt Hierony. S. cõmemorat.) quod omnes artifices vigilijs præueniret. Sed & Imperator (vt dicitur in Autentica) noctes ducit inſomnes, & noctibus vtitur pro æqualitate dierum, pro ſubditorum ſalute. Et etiam itidem Papa, vt dicitur in proœmio ſexti. Si igitur (ait Ambr.) ſtudentes doctrinis ſæcularibus, parum ſomno indulgent; quanto magis, qui Deũ cognoſcere cupiunt, ſomno corporis, niſi quantum naturæ ſatis eſt, impediri non debent? Nihil iam de ſanctorum Patrum vigiliis commemorandum nobis, quibus vna hora ſufficiebat quietis. Cum & tenerrimis, atque delicatiſſimis virgunculis ſuis, D. Hieronym. ſcribebat, ternis, atque quaternis, noctem interrumpendam vigilijs.

Pudeat itaque tantorum exemplis, non cõmoueri poſſe ſomniculoſos Religioſos; cum iuxta Pauli commonitionem, deceat Dei miniſtros eſſe *in vigilijs multis;* præſertim cum nocturnum tempus aptum ſit, & accommodum 1.Cor.14.
actui contemplationis. *In die etenim mandauit* Pſ.83.
Dominus miſericordiam ſuam: opera ſcilicet actiuæ, ſed *in nocte canticum eius*; vtique contemplatiuæ; vt de huiuſmodi exemplis, latius deducit in ſermone de vigiliarum antiquitate, & laude, Pater Hieronymus.

QVINTVM inductiuum ad velociter ſurgendum eſt, deuitatio multorum malorum, quæ prouenire leguntur ex ſomnolentia: Hæc ſiquidem mala ſomnolentia facit,

Mors, pauper, cæcus, deperdit, & inualidus fit. IV.

Primo per nimium ſomnum homo tempus amittit, quaſi mortuus: Iuxta illud,

Stulte quid eſt ſomnus, gelida niſi mortis imago?
Longa quieſcendi tempora fata dabunt.

Secundo homo per nimiam ſomnolentiam redditur totus pauper, & egenus, vnde Pro.29
Noli diligere ſomnum, ne te egeſtas opprimat. Et
Paululum dormies, vt requieſcas, & veniet tibi Prou.24.

quaſi viator egeſtas. hinc Pſal. 75. *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.*

Tertio per ſomnolentiam fit homo cæcus. Tobias enim dormiendo viſum perdidit; & Ionas ſopore depreſſus qualitatem temporis, & quantitatem periculi, quaſi cæcus, non aduertit. Petrus quoque inter milites dormiens, mortis ſuæ periculum, non ſatis attendit; donec per Angelum excitatus fuit. Sic nec Loth filiarum concubitum, nec Noe ſui denudationem, dormientes perſenſerunt. (Tob 2. Ion. 5. Act. 12. Gen. 19. Gen 9.)

Quarto homo nimis dormiendo bona, quæ habuit, deperdit; in cuius typum in libro Regum, meretrix filium ſuum dormiendo oppreſſit, Et Isboſeth dormiens, & regnum pariter, & vitam perdidit. (3 Reg. 3. 2. Reg. 4.)

Poſtremo nimia ſomnolentia hominem inualidum reddit, & tollit facultatem ſe tuendi; imo & occidit; vt legitur Iudic 5. de Sampſone, qui dormiens crine, ſimul & fortitudine ſpoliatur; & Holofernes dormiendo capite truncatur. Saul quoque dormiens amiſit ſcyphũ conſolationis, & haſtam defenſionis, vt dicitur. Et Apoſtolis præ ſomnolentia dormitantibus, Chriſtus capitur. Siſara quoque dum lac biberet obdormiens, à Iahel clauo in tempora confixo mortem iunxit ſopori. Et adoleſcens iuuenis Eutichus diſputante Paulo graui ſubmerſus ſomno cecidit de tertio cenaculo. Velociter ergo ſurgendum ne nos aliquando apprehendant tanta mala ſomnolentiæ. (Iudith 13. 1. Reg 26. Luc 22. Iudic 4. Act. 20)

POSTREMVM ad velociter, & alacriter exurgendum inductiuum eſt, *Fructus & corporis, pariter, & ſpiritus*, qui prouenit ex eo: nam, vt tranſeamus innumeros fructus ſpiritus, quos prolixum eſſet enumeratione complecti; qualiter ſcilicet vigilia honeſtatis tabefacit carnes; quomodo, qui inuigilant, complectuntur Dei placorẽ; quomodo inueniunt, & vident Deũ; & perficiat, & ornet vigilia opus; quomodo det carmina, & canticum mandet in nocte; & quod beati ſint, qui vigilant ad fores eius; & quod in vigilia matutina Dominus reſpiciat, & deſcẽdat in caſtra, & beatificet vigilãtes, Quomodo, vt D. Hier. contexit, vigilijs excluditur timor omnis, fiducia naſcitur, caro maceratur, vitia tabeſcunt, charitas roboratur, recedit ſtultitia, accedit prudentia, mens acuitur, error obtunditur, criminum caput Diabolus gladio ſpiritus vulneratur: Ita vt vigiliarum lucris nihil accommodatius, ſuauius, beatius. Vt inquam hæc omnia animæ bona ſileamus, non parum confert ſurrectio matutinalis etiam *corporis ſanitati*, vbi multipliciter homo purgatur, vt experientia ipſa docet. Ob tanta itaque inductiua, velociter exurgendum, & non pigrorum inſtar in lecto, tanquam cardine diuerſandum, vt de pigro dicitur: *Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lecto ſuo.* Præſertim cum qui hoc aſſueſecerit, vix poſt dediſcere poteſt. (Eccli. 31 Eccli. 38. Pſ 41. Pro. 8. Exo 14. Luc 12. Prou. 26.)

ET ECCE NE quis imbecillitatem, aut impotentiam alacriter ſurgendi cauſetur, plura ſunt remedia, quæ iuuant, & conferunt ad illud, ſcilicet.

Oret, perpendat, videat, calcet, cito, panam.

Primum, & ſummum, communeque remedium, eſt *Oratio deuota*, vt, ſcilicet, qui tempeſtiuè, & alacriter ſurgere volet, pro hoc veſperi Deum, & angelum cuſtodem ſuum exoret, &, iuxta repromiſſum, *petens accipiet*, Senſibiliter ſiquidem, ſæpiſſimè id expertum, quod orantes Angelum proprium, quaſi ab homine excitantur, quocunque tempore velint: *Non enim dormitat ille neque dormit*, ſed vigilias ſuper nos agit, paratus ſeruire nobis. Cum tali itaque oratione, & ſurgendi deſiderio homo obdormire debet, vt cum Iob dicat: *Si dormiero, dico, quando conſurgam.* (Pſ. 120. Iob 7.)

Alterum eſt, vt præmiſſa inductiua ſecum conſideret, aut etiam in bonis meditationibus, (iuxta Bernardum) obdormiat, ex hoc enim alacrius ſurgit; vel certè, vt excitatiua à ſomno ſecum habeat, quæ ſunt iſta, quæ hominem dormire non ſinunt, ſed etiam inuitum euigilant,

Clamor, ſplendor, amor, timor, ac dolor euigilans nos.

Primò excitatur homo à ſomno *tumultuatione clamoris*, vnde ſerui Holofernis, tumultum arte moliebantur, vt excitarent eum; Et dum Virgines dormitauerunt, *media nocte clamor eſt factus*; Et Dominus Ieſus ſuo clamore diſcipulos excitauit, dicens, *vigilate*. Audiat ergo Religioſus noſter, ſpirituales huiuſmodi clamores, & vix dormitare poterit, ſi aperiat aurẽ cordis. *Secundo* excitatur homo illuſtratione ſplendoris, Apoſtolus, *Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Nox praceſſit, dies autem appropinquauit*, & *Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Conſideret ergo Religioſus ſpirituale lumen noctis, quia ſicut dies illuminatur. *Tertio* excitatur homo ſtimulatione feruentis amoris. Eſa. 22. *Domine nomen tuum, & memoriale tuum in deſiderio animæ. Anima mea deſiderauit te in nocte.* &c. Hinc Iacob prę Rachelis dicebat amore. *Fugiebat ſomnus ab oculis meis.* Qui ergo vult alacriter euigilare, magnum debet ad Dei laudem amorem aſſumere. (Iudith. 14. Mat. 25. Mar. 14. Ro. 13. Ephes. 5. Pſ 138. Gen. 30.)

Quarto homo excitatur à ſomno ſollicitatione timoris: *Sollicitudo* enim (vt dicitur Eccli. 42.) *aufert ſomnum.* Multa autẽ, & magna ſunt, quę merito timere debemus: quaquauerſum enim reſpicimus, *ſupra* habemus. Deum iratum, *intra* conſcientiam impacatam, *extra* ſumus in loco periculoſo, *circumcirca* circumdamur multiplici hoſte, *infra* patet hians infernus; Mirum ergo quod iam ſimus deſides, dormitantes, & ſomniculoſi. Vigilemus igitur alacriter, quia neſcimus quando erit tempus. (Mar. 13.)

Poſtremo euigilatur homo afflictione doloris, vt patet de pueris per virgam; & de infirmis: Hinc dixit Antiochus, quod propter triſtitiam, & dolorem *receſſit ſomnus ab oculis eius.* Et de auaro dicitur: *Eſt homo, qui in diebus, & noctibus ſomnum non capit oculis.* Suſcipiamus igitur ſpiritualem ſollicitudinem, & dolorem compunctionis, & non erimus ſomnolenti; ſed *praanticipabunt vigilias oculi noſtri, laborabimus in gemitu; lauantes lectum conſcientia per ſingulas noctes.* Et hæc de excitatiuis corporalis, (1. Mach 6 Eccl. 8. Pſ. 76. Pſal. 6.)

& ſpi-

Digitized by Google

& ſpiritualis corporis.

Tertivm remedium alacriter ſurgendi eſt,(iuxta B. Vincentium, aut Cardinalem Græcum) aliquam aſſumere imaginariam viſionem, piam, vel horrendam; vt ſcilicet vel imaginetur homo, (vt ſupra memoratum eſt) quod audiat Deum, cum angelis ſe exuſcitantem, vel quod videat Diabolum, ſibi, vt in lecto pigritetur, perſuadentem; aut imaginetur lectum igne ardentem, vt ſic vrgeatur ſurgere velociter, propter ignis periculum. Nec debent hæc cuipiam puerilia, & cõtemnenda videri, cum ea doceant viri tam graues, & ſancti.

Qvartvm remedium eſt, mox, vt homo eſt excitatus, quòd ſe erigat, quaſi Diabolum accidiæ intentorem expugnaturus; Et mox, ✠ ſe benedixit, alacriter de lecto exiliat, & ſic Diabolum accidiæ ſub pede conculcet.

Qvintvm remedium, & admodum (præſertim iuuenibus) neceſſarium, quod tempeſtiuè veſperi eant cubitum, & ad lectum. Hic plures decipiuntur per demonium meridianum, & defraudant ſe à ſomno, & tandem inutiles redduntur ad omne bonum, quia iuuenum natura requirit ſomnum. Vnde

In matutinis quicunque cupit vigil eſſe,
Hunc cum gallinis dormitum eſt ire neceſſe.

Hinc commonemur in Patrum inſtitutis, horis ad quietem deputatis, magnum dormitioni impendere ſtudium; quo temporibus cæteris alacriores eſſe poſſimus. Expertus loquor hic eſſe magnum laqueum.

Vltimvm remedium eſt, dignas pœnitentias ſibi imponere, & infligere pœnas, vbi non ſtatim alacriter ſurgunt, ſecundum aliquam partem pœnitentiæ ſatisfactoriam: Aut, ſcilicet eo die facere aliquam à vino abſtinentiam; aut dicere aliquam certam pſalmorum orationem; vel capere diſciplinam; vel certè eo tempore, quo ſuſcitatur, cõtorquere ſeſe digitis, & ſcalpere vnguibus; vt ſic dolor afflictionis, excutiat deſidiam corporis. Compertum eſt huiuſmodi remedia non parum conferre, ad excutiendam omnem in ſurgendo deſidiam, imò & ad omnem malam deuincendam paſſionem. Frequenter, ergo iſtud habendum, pro omni remedio ad manum. Sic ſic in chamo, & freno conſtringendi, qui ex amore agere bonum nolunt; Sic ſic compellendi quidam, vt ad nuptias intrent: Et, vt, Ethnicus ait,

Pſ.31.

Luc.14.

Vt corpus redimas ferrum patieris, & ignem,
Vt valeas animo multa ferenda tuo.

Hæc ecce latius diximus, propter quoſdam ſomnolentos, & dormiticuloſos, de modo ſurgendi, & remediis. Quibus adijcit B. Hieron. vnum non inefficax remedium dicens: Curandum eſt etiam, ſi vigiles, & in vigilijs alacres eſſe velimus, ne nimietate cibi, vel potus vigilaturi pectus oneretur; ne cruditates eructantes, & crapulam, non ſolum ipſi nobis, ſed etiam gratiæ ſpiritus indigni indicemur. Ergo tanquam diuino functuri miniſterio, ante nos per abſtinentiam parare debemus, vt minime grauati expeditius vigilare poſſimus: vnde infra latius de cæna, & ſomno dicendum. Ad reliqua exercitia iam pergendum.

§ 2. *Quod ſurgens à ſomno debet ſe munire crucis ſigno.*

V.

S*igna Thau ſuper frontes*, Ezech. 9. A ſomno igitur expergefactus, cogitato in tenebris, & obſcuro, in medio laqueorum poſitum, & hoſtibus innumeris circumdatum; quos vt poteris euincere, conuerte te ad alterum exercitium, in verſiculo memoratum, ſcilicet, *Benedic*, id eſt crucis ſignaculo ſtude te communire; iuxta illud Cant. 8. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, & vt ſignaculum ſuper brachium tuum*, &c. Signum ſiquidem crucis (teſte Patre Auguſt.) à nobis expellit exterminatorem; ſi tamen cor noſtrum Chriſtum habeat inhabitatorem. Crebro igitur (vt Hierony. in epiſtola monet) ſignaculo munias frontem tuam, ne exterminator Ægypti, qui mediis noctibus percutiens tranſit, locum in te reperiat: ſed primogenita, quæ apud Ægyptios perimit, in tua mente ſaluentur. Signum namque crucis, & fides ad Deum (vt in vita magni Antonij legitur) murus eſt inexpugnabilis, contra omne genus inimici. Vnde, & frequentius Fratribus dicebat, Signate vos, & ſecuri eritis. Hinc & Hierony. epiſtola 84 monet, *Ad omnem actum, & omnem inceſſum, manus pingat crucem.* Iſtud enim triumphale ſignum tremunt, & fugiunt diaboli (vt ſuper Exodum notat Origenes) quia in eo ſunt triumphati: Timor, & tremor cadit ſuper eos, cum ſignum in nobis viderint crucis fideliter fixum, vt patet de Iuſtina, & aliorum Sanctorum geſtis. Productioris operis foret, nec eſt loci huius, virtutes, & mirificentias explicare ſanctæ Crucis, quas explicuimus ſub duobus Roſarijs. Sufficiat pro exercitatio hoc commonuiſſe, vt aſſueſcat Religioſus ſurgere cito, & mox ſe munire trino crucis ſignaculo, frontẽ, os pariter ſignans, & pectus dicendo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritusſancti: *Turris* etenim *fortiſſima eſt nomen Domini*. Prouerb. 18. Adijciatque deuotas huiuſmodi oratiunculas: *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti crucifixi ſurgo, qui me redemit ſuo pretioſo ſanguine, ipſe me regat, benedicat, cuſtodiat, atque confirmet in omni bono opere, hodie, atque quotidie, & poſt hanc vitam multam miſeram, perducat me ad vitam æternam amen.* Item, *gratias ago tibi clementiſſime Pater, qui me hac nocte per magnam miſericordiam tuam Angelica cuſtodia dignatus es cuſtodire; deprecor immenſam clementiam tuam, vt mihi concedas diem venturum ſic pertranſire, quatenus tibi placeat ſeruitus mea.* Per Chriſtum Dominum noſtrum. Itemque; *Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria*; Reperiuntur huiuſmodi innumeræ deuotæ orationes, in diuerſis oratijs, quas qui volet, illic inquirat. Suadet S. Bernard. vt magis mentalibus inſtetur meditationibus. Sufficiat igitur breuiter dixiſſe orationes breues, pro excitatione, & præparatione mentis.

Exo.12.

Oratiuncula.

§ 3 Tertio

§ 3. *Tertio exuſcitatus ſalutabit Mariam primùm.*

Ro.16. S*Alutate Mariam, quæ multum laborauit in vobis.* Tertium in memorato verſiculo exercitium tactum, eſt: *Salueto Mariam.* Vl. Mox etenim, vt homo ſurrexit, ad Maris hanc Stellam ſurrigere mentis oculos debet: vt illa, quæ fuit totius ſalutis exordium, noſtræ etiam ſit excitationis initium. Nam ſi diuinam gratiam nobis volumus, aut ſi noſtra exercitiola diuino aſpectui grata fore deſideramus; nihil horum fieri poterit ſine Maria. Totius ſiquidem boni plenitudinem Deus in Maria poſuit, & nihil nos habere voluit, quod per manus eius non tranſiret. Cum igitur volet gratiam, quærat eam per Mariam: quemadmodum Adonias per Bethſabeæ quæſiuit Sunamiten vxorem. 3.Reg.2. Et ſi noſtra exercitia velimus Deo accepta, Mariæ manibus illa offerenda, vt in ſermone inſigni de natiuitate beatæ Virginis deuotiſſimus monet Bernardus. Quicquid, inquiens, eſt, quod offerre paras, Mariæ commendare memento, vt eodē alueo ad largitorē gratiæ, gratia redeat, quò influxit. Forte enim manus tuæ; aut ſanguine plenæ, aut in- Eſ.1. fectæ muneribus, vt minus placeant opera Pſ.25. tua: Totum ergo, quod offerre deſideras, gratiſſimis illis, & omnium acceptione digniſſimis; Mariæ manibus offerenda tradere cura; ſi non vis ſuſtinere repulſam. Nec enim poterit eſſe non gratum, quicquid illud ſit, quod inter gratiſſimas Mariæ manus fuerit inuentum. Vt igitur homo in ſuæ deuotionis initio gratiam inueniat; & quo omnia per eum agenda, grata eſſe poſſint; ad Mariam ſalutis initium, & gratiæ inuentricem ſe diuertat. Cuius vt aſſequatur gratiam, captet beniuolentiam; incipiendo aliquod Roſarium cum deuotis meditabilibus, vt docentur in parte huius collectarij Roſeti ſecunda. Sub enim tenebris noctis reſpicienda, & inuocanda eſt hæc ſplendida Stella Maris; vt pulchrè ſuper *miſſus eſt* commonet idem Bernardus. Ex totis igitur præcordijs ſalutanda venit, in principio vigiliarum, & noctis, & dicendum ei: *Aue digna ſalutari, ex qua naſci, & lactari, qui te fecit, voluit.* Et item. Oratiuncula. *O dulciſſima Virgo Maria corpus, cor, & animam in tuam hodie commendo cuſtodiam, vt per tuam gratiam in timore Dei, & mortificatione propria, ſemper proficiam, & mala vbique fugiam, filium tuum, & te in omnibus imitando* Amen. Sic præmittendo ante Roſarium, *dignare me laudare te virgo ſacrata,* &c. Ad minus proſequendo 20. vel 30. Aue Maria, vt poſt Matutinas perficiatur reſiduum. Multa ſiquidem eſt vtilitas Roſariorum, vt patet infra. Et hæc de exercitiis interſurgendum.

MEMBRVM II.

Quid debeat iam veſtitus ante pulſum ſecundum chori agere.

I*Vſtus cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum.* Eccli.39.

Conſurge lauda in nocte in principio vigiliarum, effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini; Leua enim manus tuas. Tren.2. Ex his, & huiuſmodi ſacræ Scripturæ locis, inſinuantur deuota quæque exercitia, exercitanda in principio noctis; poſtquam homo iam ſurrexit, & eſt veſtitus, vt ſe exuſcitet ad aliquam gratiam deuotionis. Iſtud etenim tempus, præ cæteris (teſte Bernardo) deuotioni eſt aptius, & accommodatius. Quare hæc exercitia aſſumi poterunt,

Excutiens purga, grate incendas, pete ſanctos.

Primo etenim, quoniam torpidi, & ſomnolenti ſumus; ad aliquam deuotionem nos excitare debemus; & omnem teporem excutere. Eſa.52. *Excutere de puluere, conſurge. Sede Hieruſalem: Solue vincula colli tui ô Syon.* Debet autem fieri hæc excuſſio.

vel {
Suijpſius incitatiua exhortatione,
Rationabili eorum, quæ feruorem inducunt, conſideratione;
Quadā corporis deuota exercitatione.
}

Vt, ſcilicet homo ſomnolentus, & torpens ſeſe ad laudem incitet, dicendo cum Regio Propheta, *Lauda anima mea Dominū.* Pſ.105. Et item, *Benedic anima mea Dominum, & omnia, quæ intra me ſunt,* &c. Pſ.102. *cum huiuſmodi incitatiuis.*

Aut ſecundo, vt homo attente conſideret, & ſecum ruminet ea, quæ torporis ſunt effugatiua, & incitatiua feruoris; vt ſunt illæ quindecim conſiderationes, in huius principio præmiſſę. Aut, vt illud Bernardi de quattuor debitoribus, vbi valde incitatiuè loquitur ad feruorem dicens. O ſi cognouiſſes, & tu, quam multa, & quam multis debeas, videres quàm nihil ſit totum, quod facis, ad comparationem eorum, quæ debes; deducens de quattuor debitoribus, qui ſinguli totam vitam noſtram exigunt, & requirunt,

ſcilicet {
Dominus Ieſus,
Peccata præterita,
Regnum cælorum,
Conditor Deus,
}

aut certe, vt Albertus Magnus commonet, pro excitando torpore cauſæ, quæ ad alacriter Deo ſeruiendum inducunt, commemorari poterunt. Quæ præter cæteras, ſeptem ſunt principales. Quarum *prima* eſt, *Seruilis conditio.* Ad hoc enim homo conditus: *Populum hunc creaui mihi, laudem meam narrabit.* 1.Cor.6. *Secunda* eſt, *Cariſſima emptio.* *Empti eſtis pretio magno; glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* 1 Cor.6. *Tertia. Impenſi ſeruitij recompenſatio.* Eſa.45. Seruiuit enim in peccatis noſtris. *Quarta* eſt, *promiſſionis obligatio.* Promiſimus enim ei ſeruire in Baptiſmo, deinde in profeſſione. *Quinta* eſt. *Quotidiani boni erogatio.* Pſ.115. Quid enim retribuere dignum pro omnibus poterimus? Eſa.33. *Sexta* eſt, *Pœnarum euaſio. Quis enim habitare poterit cum ardoribus ſempiternis. Vltima* eſt, *Æterna mercedis expectatio.* Merces enim copioſa repoſita eſt ſeruitoribus eius in cœlo. Mat.5. Quæ ſeptem complectitur hic verſiculus.

Condit, emit, ſeruit, votum dat, pœnaque, merces.

Tertio poterit homo Excutere torporem,

aliqua exercitatione corporali: Crebro enim anima, ex corporis diſpoſitione immutatur. Hinc ſuaſit Magiſter Gerardus magnus, quod in deuotionis abſentia fierent aliqua exercitia corporalia, per quæ ad deuotionem excitaretur anima; vtpotè erectio cordis, & manuum in cælum, deuotæ genuflexiones, extenſioneſque brachiorum in modum crucis. De quibus latius in ſecunda parte dicitur, & docetur in vigeſima ſecunda collatione Patrum; conformiter ad Prophetam, qui iubet in *noctibus extollere manus in ſancta*. Et Tren. 3. *Leuemus*, inquit, *corda noſtra cum manibus ad dominum*. Pſ 133.
Vnde dicitur in ſpeculo Monachorum: Et cum euigilas ſtatim omnes cogitationes abjice, & ſomnia, quę ſomniaſti in nocte, & primitias cogitationum tuarum, & actiones offer Deo in oratione, vel in aliqua bona meditatione, cum corporis excitatione, vel genuflexione, donec aliquem affectum percipias deuotionis; Qualem enim tunc homo affectum conceperit, talem in ſubſequentibus habet. Valde ergo his modis, pro excuſſione elaborandum eſt teporis. Excuſſa autem per huiuſmodi, mentis ſomnolentia, & tepore,

Rite ſubſequitur primum exercitium mentale in verſu. *Purga*, id eſt, intellectum pariter, & affectum expurgare ſtudeat, priuſquam ad alia ſe exercitia deuotionis diuertat. *Iuſtus* ſiquidem *in principio accuſator eſt ſui*; Et ſummum bonum, niſi à purgatiſſimis mentibus, non cernitur; & non niſi *pura oratio* exauditur; vt notat Pater Auguſt. ſuper illud Pſ. 65. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Deus*. Nihil enim ad Deum intrat *coinquinatum, & Beſtia montem tangens lapidari iubetur*. Vt igitur homo Dei aſpectibus digne appareat, vt orationis, & exercitationis ſuæ fructū reportet, & vt tota die digne ei miniſtret: Priuſquam mentis oculum ad Deum ſubleuet; cum Publicano ſe deijciat, & iuxta Prophetā à malitia cor ſuum lauet, & corda expurget, perque ſingulas noctes lectum ſuum lauet, ac lachrymis ſtratum mentis riget, exercendo ſe in via purgatiua, purgando intellectum,

(Margin: Pro. 8.; Apoc. 21; Exod. 19.; Luca 8.; Hier 4.; Pſ 6.)

A { vanis, & inutilibus fantaſijs, / naturalibus & curioſis rationibus. / extraneis, & forinſecis occupationibus } eas { eijecindo / contēnēdo; / fugiendo.

Etiam purgando affectum

A { culpa, / culpę ſequela, / culpæ occaſione, vel cauſa, } Et hoc { contritione, / oratione, / pœnitētiali ſatisfactione

Vt ſic ratione erecta, & illuminata; affectioneque dilatata, & inflammata, ad Deum purus accedat. Breuiter, in tenebris noctium dolendo ſuper tenebroſitate peccatorum; veniam petat omnium commiſſorum, & omiſſorum, vt B. Greg. in homilia tertia dominicæ, poſt penth. narrat de Victorino Æmiliano, qui nocturnas Fratrum vigilias præuenire ſolebat, & pro peccatorum expurgatione orabat, vnde & veniam obtinuit. De modo autē, & practica huius viæ purgatiuæ, plura ſparſim dicuntur hinc inde infra, & habentur integri tractatuli conſcripti, cuiuſdam Carthuſien & illius H. de balnis, &c.

Mente autem depurata, mox ad *gratitudinis* exercitium conuolet. Nec enim dignus eſt vlterioribus dandis, qui ingratus eſt exhibitis: Qui ergo gratiam gratiæ ſuccedere volet, ante omnia gratias agere debet, hinc dicitur, *Gratus*, id eſt vt deuotus, gratiarum actiones Deo perſoluat. Et hoc.

Super { Noctis cuſtodia; / Paſſionis Dominicę reminiſcentia; / Singulari beneficentia; } *ſiquidem* { ea te nocte cuſtodiuit; / hora matutinali tanta pro te paſſus eſt; / tanta beneficia exhibuit.

De cuius gratitudinis practica, & de ſingularium beneficiorum memoria, ſecundum ſingulos dies diſtricta, plenè traditum eſt in Beneficiario, quare non hic opus proſecutione multa; niſi quod commonemus, quod nullatenus eorum eſt memoria intermittenda, cum nihil ita inflammet ad charitatem, nihil magis excitet ad laudem, nihil æquè promouet in omne bonum. *Miſerationem*, ergo *Domini recordemur*, & cum propheta ſuper ſingulis beneficijs laudem dicamus; vt ſic *omnia oſſa noſtra ſtillent laudem*, & pariter *cum aſtris matutinis* eum laudemus. Iugiter enim ſibi ſubuenire facit, cui collatū beneficiū ante oculos aſſiſtit. Vt igitur tota Die miſericordia nobis ſuccurrat, nunquam beneficiorum memoria à mente recedat. Eſa 63; Iob 38.

Verum ne peccatorum noſtrorum, & diuinorum beneficiorum memoria ſterilis ſit, & ſuperficialis, ſed vt verbis, ita & opere, & veritate fiat, & ſit realis: *Intendas*. 1. propoſitum mentis innouare debemus, quam feruenter, & deuotè deinceps ei ſeruire velimus; proponendo quaſi iam cæperis nunc primum illi ſeruire, & primus eſſet dies tuæ conuerſionis; dicendo cum Pſalmiſta, *Et dixi, nunc cœpi*, vt de hoc alibi latius traditum. Secundum enim propoſitum noſtrum, curſus profectus noſtri: Et totius boni operis initium, eſt recta intentio, & ſacrum propoſitum. Nam ſicut fabrica columnis, columnę autem baſibus fulciuntur; ita vita noſtra virtutibus virtutes verò intima intentione ſubſiſtunt. Vigilanti itaque cura in principio diei, & exercitiorum, intentio diſcutienda venit, & ordinandum mentis propoſitum; ne ſi extra fundamentum rectæ intentionis fundetur fabrica noſtræ actionis, totum opus exercitiorum in reliquo die, in nihilum ſoluatur; quia etiam ſumma opera inaniter fiunt, ſi intentiones cordium, extra æternitatis rectitudinem deflectuntur; vt latius id B. Greg. 28. Moralium deducit concludens, quod ſi recta intentio in bono opere non tenetur, totum opus facillimè amittitur, & deturbatur: Si autē recta intenditur, bonum opus efficitur, etiam ſi minus bonum extra videatur. Audiatur igitur Hieremiæ conſilium, & innouetur ſemper propoſitum: Ad hoc ſiquidem exhortatur *dicens*, *Nunc ergo bonas facite vias, & ſtudia veſtra*, &c. De

(Margin: 1.Io.3.; IX.; Pſ.76.; Iere.8.)

Digitized by Google

&c.De modo autem, & practica proponendi, plenius dicetur infra.

X Sed quoniam nulla ſunt noſtra propoſita, niſi Dei adſit gratia (*cor* ſiquidem *hominis*, vt dicitur, *diſpoſuit viam ſuam; ſed Domini eſt*
Pro.16. *dirigere greſſus eius*: Nam & *homo proponit*; *ſed Deus diſponit*; Nec eſt in homine via eius: Quare iuſtorum omne propoſitum, in gratia Dei, potius quàm in propria induſtria pendet) Inde poſtquàm homo propoſuit, de ſe prorſus diffidere debet, & auxilium Dei inuocare, vt
Thob.4. dicitur in verſu. *Pete*, iuxta illud Thobiæ, *Pete à Deo, vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in eo permaneant*. Et ex ſententia dicere, *Perfice*
Pſ.16. *greſſus meos in ſemitis tuis*. Hic deſeruit oratio antidotarij, vbi fit oblatio omnium agendorum.

Pſ.120. Et ne forſan propter demerita, & indignitatē non exaudiamur, *oculos in montes leuare* debemus, vt in verſu dicitur: *Sanctis*. Iuxta illud Iob.20. *Voca ſi eſt qui reſpondeat, & ad aliquem ſanctorum conuertere*; Sanctos itaque Dei ſingulariter inuocare debemus, vt precibus & meritis nobis ſuccurrant, ad digne Deo in reſiduo temporis ſeruiendum: Ecce hæc ſunt breuiter exercitia præparatoria mentis poſt exuſcitationem.

MEMBRVM III.

De præparatione ante chorum, & de modo exoluendi horas in genere, & in ſpecie.

Ante orationem præpara animam tuam, &c. Ecceleſ.18. Deinde circiter alterum ſignum, priuſquam eundum eſt ad chorum, debet ſe deuotus diſponere, & præparare
XI. mentem ad orationem, iuxta quod infra ad liquidum traditur in directorio ſoluendarum horarum, & agere, quæ continentur iſtis verſibus.

Ante chorum quid ſis facturus mente reuolue;
Quid trahat attende; corque parato Deo.

Quorum ſingulorum explanationem, plene habes infra. Porro cum iam vltimum ſignum pulſatur, mox omnibus dimiſſis, quaſi audiens nuncium Dominici aduentus te ex-
Mat.6. hortantis, *Ecce ſponſus venit; exite obuiam ei*; ſine aliqua mora (exemplo diuini equi de quo di-
Iob 39. citur, *Vbi audierit buccinam dicet vah*) ad chorum deuote præparare debes, dicendo
Mat.2. cum tribus Regibus, hoc ſignum magni Regis, eamus, & inquiramus eum, &c. Sicut commonemur in verſibus iſtis,

Campanam Chriſti eſſe tubam, ſemper memorare,
Qua citatus ais, cor tibi præſto Deus.

Quali autem diſpoſitione homo accedere debet, verſiculus is contradit,

Collectus, purus, templum ſuccenſus adito.

Quid vero inter eundum exercitandum ſit, & quæ in ipſo eccleſiæ acceſſu, & ingreſſu exercitia aſſumere debet, is verſiculus docet,

Occurrens lege, linque videns, cole, dirige fidens.

Quorum omnium declaratio plene habetur in dicto ſoluendarum horarum directorio. Modus autem, quo exoluendum eſt diuinum officium, complectitur hic vnicus verſiculus,

Sis reuerens, ſimul attendens, deuotus in horis.

Poſt expletum officium, exercitandum eſt iuxta hunc verſiculum,

Poſt veniam, gratus, poſt offer, corrige mores.

Quorum etiam explanatio traditur vbi ſupra. Et eſt is modus generalis ad omnes horas.

§.1. De conſiderandis ſingularum horarum cauſis & myſterijs,

Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt, Malac.2. Pro ampliori XII. autem, & ſingulariori deuotionis affectu excitando, poterit quiſque deuotus ad quaſlibet horas canonicas reuoluere, & cogitare ſingulares rationes, & cauſas inſtitutarum horarum, & attendere circa myſteria omnium cantandorum, quæ explicantur in rationalibus diuinorum officiorum, ad quorum ſtudia ſæpius iuuenes cohortati ſumus. Turpe ſiquidem eſt, (vt in digeſtis ſcribitur) patrono, & cauſas tractanti, ius, in quo obuerſatur, ignorare: Turpius autem multo hominibus Deo dicatis, & ſacro cultui deditis, myſteria neſcire ſacrorum. Ituri itaque ad chorum, ſecum retractent illius generalia (cur ad eccleſiam eundum ſit) introductiua, quæ Ioannes Vallenſis complectitur verſibus iſtis,

Sex lucror, in Syon, peregrinor, & inſtruor, oro,
Participo Sacris, Domini de morte recordor,
Adiuuor à Sanctis, in quorum laude laboro.

Latior eſſet proſecutio horum, res ſatis cognita fuit, etiam apud gentes, Seneca in Epiſtolis Pythagoricam ſententiam allegante, qua dicere conſueuerat, *Alium animum eſſe intrantibus templum, & è vicino conſiderantibus ſimulacra Deorum, atque alium operientibus*, id eſt, expectantibus ante fores. Cum non parum conferat ad animi deuotionem conſecratio loci ſacri, quæ domus eſt Dei, & porta cæli. Geneſ.28.
Deuotè ergo ſemper ad Eccleſiam properandum.

Poterunt nihilominus etiam reuocare in mentem, Cur potius ſeptenis illis horis canonicis, quam alijs Deo pſallatur, eo videlicet, quod à ſanctis Patribus regularius ad orandum fuerint obſeruatæ, & hoc ſub numero ſeptenario, iuxta illud Pſal.118. *Septies in die laudem dixi tibi*. Ob has videlicet rationes,

Primo, quia numerus ſeptenarius eſt numerus vniuerſitatis, ſub quo qui Dominum laudat, quaſi in omni tempore Deum benedicit.	*ſecundo, quia petitur pro ſeptem donis ſpiritus, & alijs ſeptenarijs*	*tertio, quia ſepties in die cadit iuſtus. Oratur vt ſemper ſupponat manus.*
Omnia,	Dona,	Cadit

quarto

quarto, quia ſeptem ſunt huius ſeculi ætates,in quibus laudan-dus Deus.	*quinto, propter plura myſteria figurarum ſeptenarum,quæ ſunt in ſcripturis.*	*ſexto quia alia ſer me tẽpora reducuntur ad iſta vt dicit rationale.*	*ſeptimo quia ha horæ priuilegiis ſingularibus ſunt pra aliis inſignita*
Ætas.	Typus.	Alia.	Præſtant.

His ſiquidem horis inueniuntur oraſſe Sancti, & veteris pariter, & noui teſtamẽti,vt patet ex Scripturarum deductis.	*Secundò quia iſtæ horæ ſeptem canonicæ celebribus quibuſdam factis ſunt diuina operatione priuilegiatæ, vt patet infra de ſingulis.*
Nam Sancti.	Factis ſacris.

Matt. 20.

Tertiò, quia in his ſeptem horis ſpecialiter legitur Chriſtus paſſus, vt liquet in horis Sanctæ Crucis.	*In his quoque ſeptem horis inueniuntur operarij in vineam conducti vocati & remunerati: vnde & in his nobis operandum,vt mereamur denarium diurnum.*
Paſſuſque	Operati

1.Theſſ.5. Licet igitur iuxta Apoſtolum ſemper, & in omni tempore orandus ſit Deus,his tamẽ præcipuè horis venit,ob tam rationabiles cauſas, deuotè deprecandus & laudandus.

Præsvppositis itaque huiuſmodi generalibus cauſis, & canonicarum horarum myſterijs: ad matutinas laudes acceſſurus, conſiderare poterit ſpeciales cauſas matutinalis inſtitutionis, quia media nocte dicitur ob has rationes.

Exod.12. Sap. 18.

Hac etenim hora matutinali occiſa ſunt primogenita Ægypti. Quare tunc orandum, ne in bono opere occidamur.	*Regius Propheta inter medias tanti regni occupationes, ſub dio Rex; nocte Religioſus; media nocte ſurrexit.*	*Hac quoque eadem hora Chriſtus natus creditur, iuxta illud, dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in medio ſuo curſum haberet, &c.*
Occidit,	Dauid,	Natus,

Matth.14 & 15.

Hac quoque eodem tempore inuenitur ſæpe in oratione pernoctaſſe Chriſtus.	*Item quia hora matutinali Chriſtus à Iudæis & gentibus erat captus, traditus,& in tormenta datus.*
pernox,	modo captus.

Pſal. 103. Eccli.31.

Hac quoque noctis intẽpeſta hora, multa à multis cõmittuntur mala. Qui enim ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt,tenebras obſeruant & dormiunt.	*Nunc quoque diaboli hoſtes capitales non dormitãt neq; dormiunt;ſed quærunt circumeuntes quem deuorent, iuxta illud. Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox,in ipſa pertranſibunt,&c.*	*Hac itẽ hora carnis metus, & tentationes acrius inſurgunt,quas vigilia benefacta tabeſcit.*
Nunc mala,	Nunc hoſtes,	Caro,

Matth.25 Pſal. 134.

Hac quoque noctis hora creditur iudiciũ futurum Dei, iuxta illud, media nocte clamor factus eſt,&c.	*Item vt ſic etiam in noctibus, & omni tempore laudetur Deus.*	*Poſtremò, vt tenebras noſtrorum peccatorum elluſtret, orandus Deus vt ordinet.*
Clamor,	Tempore,	Luſtret.

Digniſſimæ itaque ſunt, & complures rationes deuotè laudandi Deum ſub matutinis. Quare,vt pręmonuimus deuotè ſe homo ad matutinas exoluendas prædiſponere debet: ſeſe recolligendo,vt cum Dauid dicere poſſit, 2.Reg.7. *inuenit ſeruus tuus cor ſuum,vt oraret,* &c. Intentionem ſemper ante horas præmittendo: & certa obiecta de articulis Dominicæ vitæ, aut paſsionis,aut de diuinis beneficijs, & de ſeptenis ſibi aſſumendo,vt hæc docentur vbi ſupra. Vbi etiam plene traditur modus deuotæ,& attentæ perſoluẽdi horas,vt, ſcilicet homo in chiropſalterio,aut alijs illis mediis aſſignatis,ſe aſſueſcat exercitare, & ſæpè affectus elicere,& attentionem innouare.

Et pro ampliori mentis exercitio, & deuotionis excitatione, poterit ſe exercitare circa matutinalis officii myſteria, cogitando ſingulorum cauſam,& ſignificationem. Et primum de his,quæ generalia ſunt omnibus Canonicis horis,deinde ſpecialibus myſterius ſingularum: Quæ magiſter Iohannes de Garlandia ex rationalibus diuinorum breuibus complexus eſt carminibus,ad quẽ remitto ſtudioſos noſtros. Non enim inutile eſt obſeruari in perſcrutandis diuinorum officiorum myſteriis: præſertim ab his, qui diuinis conſecrati ſunt,& dediti officiis. Sed non eſt Compendii huius complecti,tam lata myſteria ſacrorum: Tamen commonemus, & cohortamur deuotos,vt diligentes ſint in perquirendis,& ſciendis illis,ſic enim prolixiſſimi nocturni dulces, & breues fient eis.

Circa canticum autem Diuæ Trinitatis ſcilicet, *Te Deum laudamus,* ſpeciale ſibi coaceruent exercitium deuotionis, quo promereantur cum pluribus reficI diuinis conſolationibus,quales legimus accepiſſe pleroſq; illi cantico affectos. In quo comprehenditur omnis materia pietatis,& deuotionis, vt patet intuentibus.

§. 2. *Sequitur de laudibus Matutinalibus.*

Laudem dicite Deo noſtro. *Apo.19.* Antiquitus Matutinæ laudes diſtinctæ erant a cæteris horis Licet iam propter carnis infirmitatem coniunctæ ſint, & non minori deuotione perſoluendæ veniunt. Quæ congruis ex cauſis ſunt inſtitutæ,ſcilicet ob iſtas,

Hac hora mundum & angelos creaſſe creditur	*Hac hora iubilauerũt ei omnes filij Dei.*	*Hac demerſit Ægyptios.*
Nunc creat,	& laudant,	merſit,

Iob 38. Exod. 14.

Hac reſurgit à mortuis.	*Hac ambulauit ſupra mare.*	*manè oſtendet gloriam ſuam.*
Surgit,	mare,	donat.

Ob has igitur cauſas ſoluendæ ſunt cum deuotionis alacritate. Et perquirẽda ſunt myſteria pſalmorum, quia, iuxta Bonauenturam, aliquid magni latet in illis.

Sed quia plerunq́ue propter infirmitatem carnis,in prolixiori officio redditur homo ſomnolentus, poterit deuotus Religioſus pro innouatione deuotionis, ad matutinales laudes aſſumere ſibi obiecta de beneficiis diuinis,ſecundum dies: vt docetur in beneficiario; vt ſic ſecundum ligna ſiluæ exardeſcat ignis deuotionis. Eccli.28. Et ſi quandoq; ſomnus obrepſerit,reuocare ad mentem omnia horribilia de infernalibus pœnis,ollam ſucceņſam pice plenam,ſulſure fætentem, leones frementes, ſerpentes ſæuientes,buffones corrodẽtes,dracones glutientes,& vinces omnem ſomnolẽtiã corporis,dicens tibi-ipſi: O frater aſelle de genere dormitantium, & numero fatuarũ virginum,quarum in nocte lampades extinctę leguntur; Matt. 25. vt quid hic iam dormitas? vbi Deus, vbi Angeli,vbi Sancti Dei omnes? vbi Prælatus,vbi Cuſtos,vbi Lector,vbi Cantor, Suſcitator & alij fratres? Omnia euaneſcunt ante oculos dormitantis. Si Deum non times, nec Angelos revereris, nec fratres ſcandalizare erubeſcis,quare diabolum tibi inſidiantem non metuis? Euigilate igitur omnes meæ vires. Quod ſi huiuſmodi conſideratio ſeu increpatio non profuerit,diſcerpe carnem vnguibus, diffrica ſputo oculos,& læſionem aliquam infer corpori languenti ab inopia ſpiritus: Sicut egere quidam deuoti fratres, qui ſomno præ-

Digitized by Google

grauati, capillos capitis traxerunt, barbam duriter fricuerunt, naſum ſtilo pupugerunt, oculos ſaliua detriuerunt, imò acetum ad hoc mordens, & acrè appoſuerunt, & ſub mento acutum lignum ſuppoſuerunt, & digitorũ vnguibus cutem corporis ad rubeas vſque cicatrices, aut ad ſanguinem etiam ſulcarũt, donec de ſomnolentia triumpharent. Sic ſic fortiter prælıandum eſt ſub diuinis laudibus, ne aliquando improperetur nobis, *Simon dormis? nõ*
Mar. 14. *potuiſti vna hora vigilare mecum*. Qui igitur ſomniculoſi ſunt metu Dei, & pænarũ expergiſcantur, vt quidam dormitans audito hoc nomine infernus. Nam qui verè Deum timeret, & gehennalia tormenta viuaciter reuolueret, non dormitaret, neque dormiret, etiam omnes vigiliæ breues illi eſſent. Hæc contra ſomniculoſos, vt deuote concludant matutinas. Et poſt matutinas terminatas, veniam petant, &c. vt patet ſupra.

§. 3. *De horis B. Mariæ Virginis ſoluendis.*

VErum quia poſt matutinas de tempore ſubnectuntur cõmuniter, & ex digniſſimis rationibus matutinales horæ de B. Virgine quæ deuotiſſime ſunt perſoluendæ, cum innouatione nouæ deuotionis; ex inſtitutione non modo Apoſtolicę Sedis, ſed ex generali omniũ nationũ cõſuetudine; ſciẽtibus vniuerſis, quod digniſſima ſit omnium laude Quare, & Vrbanus ſecundus in Gallias veniens, & Concilium celebrans apud Claromontem, anno Domini 1096. ſub menſe Nouembri, inter cætera inſtituit, quòd horæ B. Virginis dicerentur quotidie. Quæ vt deuotius poſſint exolui, debet deuotus conſiderare cauſas incitatiuas ad honorem tantæ Virginis, quarum plurimæ ponuntur infra in diſtinctione de B. Virgine. Vbi pariter etiã ponitur modus & praxis, quibus inſiſtendum eſt laudibus tantæ Reginæ & Virginis: quomodo ad illius officium accedendũ, qualiter explendum & terminandum, vnde hic nihil de hoc repetendum. In qua etiam diſtinctione ponitur abundans & copioſa materia deuotionis: vnde colligi poterunt certa obiecta vel articuli determinati ad ſingulas horas eius per ſingulos dies: quemadmodum ſunt diſtincti articuli ad horas de Domino Ieſu. Poterit etenim deuotus aſſumere ſibi materiã laudis.

Ferijs	Secũdis,	*de*	Vitã antecedẽtibus, & eius educatione,
	Tertijs,		Vitæ cũ Domino Ieſu, decurſu, & ſancta conuerſatione,
	Quartis		Glorioſę Virg. virtutũ & gratiarũ plenitud.
	Quintis		Priuilegiorum & præcellẽtiarũ ſingularit.
	Sextis,		Ex Chriſti paſſione, & alijs doloribus.
	Sabbatho,		Cõſolatione in terris, gaudiis & beneficiis.
	Dominica,		Aſſũptione, exaltatione & gloria in cęlis.

Ita quod ferijs ſecundis homo poterit ſibi diſtinguere huiuſmodi articulos.

Ad	Matutinas,	*Mariæ*	Ante ſæcula à Deo præelecta,
	Primas,		Ex initis typis figurata,
	Tertias,		Ex præcordiis optata & prophetata.
	Sextas,		Rebus ſublimib⁹ in ſcripturis ſimilata.
	Nonas,		Ex ſãctiſſimis cõcepta eſt, & nata.
	Veſperas,		A parentibus in tẽplo præſentata.
	Completorium.		Ioſeph Virgini iuncta & ſalutata.

Sic per ſingulos dies, ad ſingulas horas ſingularia poſſemus diſtinguere deuotionis, & laudis obiecta; ſed miſerum eſt ſemper inuẽtis vti, & non inueniendis; præſertim cùm dulcius ſapiant, quæ quiſq; labore ſuo ſibi comparat, & exudat. Diſcant & ſtudeant paruuli, ſibiipſis frangere panem, & ex occaſione dicta fieri ſapientiores; & ſingulari deuotione exoluere ſemper Virginis matris laudes.

MEMBRVM IV.

Quid poſt Matutinas agendum.

E*Xitus matutini & veſpere delectabis*. Pſa. 64. Aſſignato quid ante matutinas, & quomodo ſub matutinis exercitãdum; videndum quid finitis iam matutinalibus laudibus ſit exercendum. Inter cętera etenim tempora deuotioni coaptata, aptior putatur à multis hora hæc poſt matutinalis proxima auroræ: quia quietem & ſolitudinem habet. Tunc etenim digeſtus eſt cibus, tunc curæ ſepoſitæ mundi, tunc obſeruator nemo adeſt, qui ſecreta deuotionis exercitia prodat. Tunc, vt Seneca ait, minæ non fiunt, nemo pulſat ad oſtium, nemo cortinam trahit. Quare tunc ſingulariter ad deuotionem animus eſt exercitandus; præſertim ab his, qui vires & corporis ad hoc robur habent. *Vigilantibus* ſiquidem *iura ſubueniunt, & non dormientibus.* l. pupillus in fin. ff. Qualia autem tunc exercitia aſſumi debeãt, accipere poterimus ex Scripturis ſacris, in quibus inuenimus ſanctos in huiuſmodi exercitijs ſe exercitaſſe, & noctem obſeruabilem Domino dedicaſſe, & noctem vertiſſe in diem. Exod. 12.

Fle, pete, diſperdas, meditans, laudes, cupe, luctans.

PRIMVM exercitium in nocte poſt matutinas exercendum, eſt *Flere*, & plorare tenebras peccatorum. Thren. 1. *Plorans plorauit in nocte, & lachryma in maxillis eius.* Et item Thren. 19. *In principio vigiliarum effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini*. Sicut & Pſalmiſta ait pſ. 72. quod *caſtigatio eius in matutinis* fuit. Præcipuum exercitationis genus apud quendam deuotum fuit, qui nil aliud poſt matutinales laudes exercuit, niſi peccatorum ſuorum memor, eiulans, & flens, pectus tundendo dicebat, Deus propitius eſto mihi peccatori.

ALTERVM exercitiũ media nocte exercitan-

Digitized by Google

Luc. 11. dum eſt, *media nocte ad amicum ire, & tres panes*
ab eo petere, pro amico, qui venit de via, hoc eſt
omnia ſaluti neceſſaria, pro vi concupiſcibili,
rationali, & iraſcibili, & cæt. vel tres pa-
nes trium theologicarum virtutum, aut
virtutum donorum, & beatitudinum, &c.
Pſal. 101. Præſertim tunc pro amicis viuis, & defun-
ctis recommiſſis, eſt orandum. Tunc enim
eſt hora miſerendi, tunc deſcendit Dei miſe-
Oſee 6. ricordia quaſi *imber & ros matutinus*. Vnde
quidam pro more, poſt matutinas, pſalmum
pro viuis familiaribus, etiam conuentua-
Pſal. 66. liter legunt, *Deus miſereatur noſtri*: & pro de-
functis, *De profundis clamaui ad te Domi-*
Pſal. 129. *ne*, &c.

Tertivm exercendum exercitium, eſt,
Pſal. 100. in matutinis interficere, & *Diſperdere omnes*
peccatores terræ; pſalmiſta, *In matutino inter-*
ficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem
de ciuitate Domini, omnes operantes iniqui-
Exod. 12. *tatem*. Sic in noctis medio percuſſit Do-
minus omne primogenitum AEgyptiorum.
Exod. 14. Sic & adueniente vigilia matutina, reſpexit;
Dominus caſtra Iſrael; & interfecit exerci-
tum aduerſariorum; Sic communiter omnes
Exod. 11. inclyti bellatores, media nocte in vigilia
matutina ingreſſi caſtra, ſtragem dedere
Ioſ. 8. hoſtium; Sic ſpiritualiter hac matutinali
Luc. 2. hora cum paſtoribus obſeruandæ ſunt vi-
giliç, ſuper gregem cogitationum, & affe-
ctionum, & exterminandç omnes malæ paſ-
ſiones vitiorum de animo, ſecundum ex-
ercitium viæ purgatiuæ. Aut iuxta modum,
qui notatur infra in deſtructorio vitiorum,
Pſal. 48. vt impleatur in nobis, *Dominabuntur eorum*
iuſti in matutino.

Qvartvm præcipuum matutinalis ho-
ræ exercitium eſt, meditari cum corde, & de
defectibus proprijs, & de beneficijs diuinis.
Pſal. 76. Dauid. *Meditatus ſum nocte cum corde meo, &*
exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum. Item-
Pſal. 18. Pſal. 62. que, *Memor fui nocte nominis tui domine: Et in*
matutinis meditabar in te, quia fuiſti adiutor
meus, &c. Non enim aliquod opportunius
meditationi tempus. (Hieronymo teſte) Nox
ſecreta, quieta, opportuna meditationi eſt,
& apta: expeditam quietamque mentem
Deo ſiſtens; dum per diem, ſenſum duplex
cura diſpergit. Vnde bona quidem eſt diurna
meditatio; ſed efficacior eſt nocturna.

Qvintvm exercitium eſt, Laudes. iuxta
illud Thren. *lauda in nocte*; *Qui dedit carmina*
Thren. 2. *in nocte*. Et Iob. *Vbi eras, cum me laudarent*
Iob 38. *aſtra matutina?* In illa etenim aurea hora,
beneficiorum diuinorum memoria deuo-
tius cum laude eſt habenda: iuxta illud, *Mi-*
Eſa. 63. *ſerationum Domini recordabor*; laudem Do-
mini ſuper omnibus. De quibus latius in be-
neficiario traditum eſt. Vt, ſcilicet faciamus
more illius deuoti ſolitarij, de quo in Speculo
morali Vincentius commemorat, qui poſt
matutinas rarius dormiens; tota aurora ni-
hil aliud agebat, quam Deo laudes, Deo gra-
tias ſuper beneficiorum memoria, perſona
bat: & id indeſinentius repetebat.

Sextvm exercitium, eſt pij deſiderij, & ar
Dan. 9. dentis affectionis: Vt cum Daniele ſimus viri
deſideriorum, cui noctu myſterium viſionum
pro magnitudine deſiderij explicatum fuit, &
reuelatum: vt dicamus cum Eſaia c. 26. *Ani-*
ma mea deſiderauit te in nocte, ſed & ſpiritu in
præcordijs meis mane vigilaui ad te. Et item cum
Dauide pſal. 62. *Deus Deus meus ad te de luce*
vigilo. Sitiuit in te anima mea, &c. *Quid enim mi-*
hi eſt in cælo, & ad te quid volui ſuper terram. De-
fecit caro mea & cor meum: Deus cordis mei, &
pars mea in æternum. Pſal. 72. Qua extatica ora-
tione affectuoſius nihil. Itemque cum S. Fran-
ciſco, *Deus meus & omnia, quando veniam,*
& *apparebo tibi?* Qui hoc tota repetebat
nocte.

Septimvm exercitium noctis eſt, inſtar S.
Iacob Gen. 32. Luctari cum Deo, donec bene-
dictionem mereatur ab eo, de quo ſcriptũ eſt:
Quod luctatus ſit cum viro tota nocte, donec
inſtante aurora diceret, *Dimitte me, quia auro-*
ra eſt; Qui tamen non dimiſit, donec illi bene-
diceret, dicens: Quod *ſi aduerſus Deum fortis*
fuiſti, quanto magis aduerſus homines præualebis.
Quæ lucta nil aliud eſt, niſi oratio fidelis &
deuota, qua inuincibilis Deus vincitur, ca-
pitur, & ligatur, vt latiſſimè & deuotiſſi-
mè id tractat in diuina Rethorica ſua Guil-
lelmus Pariſienſis. Sit itaque oratio con-
ſtans & fidelis, vt cum Pſalmiſta pſalm. 129.
ſperet à cuſtodia matutina vſque ad noctem in Do-
mino, mereaturque inſtante aurora benedici
ab eo: vt ſic benedictione accepta, in pace ob-
dormiat & requieſcat vſque in mane. Id ſi- Pſal. 4.
quidem Climacus cõſulit in climace ſua gra-
du 28. de Angelica & immateriali oratione.
De nocte inquiens plurimum temporis da
orationi, minus verò pſalmodiæ: Manè enim
& poſt ſomnum, reperitur perfectæ medita-
tionis ſtudium.

Ecce ex his, & huiuſmodi exercitiis, quiſ-
que poterit ſibi aliqua interdum aſſumere, pro
qualitate ſuç conditionis & complexionis, ne
tam aptiſſima deuotionis hora prorſus abeat
ſine fructu. Quæ non ſine digna cauſa Auroræ Ethimo.
ſibi nomen habet, quaſi aurea hora; aut ro-
ris aura, ſeu aurum hora, accommodatiſſi-
ma prorſus (vt Diuus Hieronymus ait) ad Pſal. 1.
cum beato viro in lege Domini meditan-
dum: ſeu ad colloquium cum Deo miſcen-
dum, vnde in regula ait. Expletis matutinali-
bus laudibus, quid Sponſus noſtris petitioni-
bus reſponderit, rememorandum. De quarum
vigiliarum decentia & vtilitate plura proſecu-
tus eſt deuotus Vbertinus ſuper articulo, *Ie-*
ſus per noctem vigilans, Lucæ 6. Et multo ple-
nius ante eum ſanctus Abbas Iſaac in libro
de via contemplationis, pro maxima con-
cludens: Noli putare homo, quod inter o-
perationes monachorum ſit alia maior vigi-
lijs nocturnis; cùm monachus vigilias dili-
gens, Angelici cordis eſt, non humani; Qui
autem has neglexerit, præſumo dicere, quod
ignorat ad quid laboret. Vnde quicun-
que volet adipiſci mentem ſtudioſam apud
Deum, & agnitionem nouæ & internæ vitæ,
non negligat contemplationem vigiliarum;
per quam aperiuntur oculi cordis, & pro-
cedit perfectio vitæ. Præſcindendus eſt igitur

Digitized by Google

ſomnus omnibus modis, volenti ad perfectionem aſcendere. & in ipſa perſeuerare; niſi quantum ſtricta neceſſitas requirat. Sit tamen in omnibus his medium diſcretionis, ne nimiũ prægrauetur pigritantior aſinus, qui ſibi pabula etiam tunc requirit repauſationis.

MEMBRVM V.

De dormitione poſt Matutinas.

XVIII. Mat. 4. *Dormite iam, & requieſcite*. Poſt redditas matutinales laudes, & poſt aliquam feruentem & breuem priuatam deuotionem: debet ſe homo cum multa cordis compunctione iterum dare ad quietem dormitionis, dicendo cum Sancto Theodoro Abbate, dum feſſum & laſſum corpus cogebatur dare ſopori, O quanti hac hora Deum alloquuntur, & in ſe retinent & amplectuntur; & tu tanto lumine fraudaris, inerti ſomno ſepultus? Aut cum altero quodam ſancto Patre dicito ſomno, Veni ſerue male, exactor improbe &c. Et ſic ſignando lectum, inuocandoque Angelum proprium, honeſtiſſimè ſe in lecto componat: præſertim in latere dormiendo, ne qua pollutio ſurrepat, ſi iaceat tunc ſupinus. Super quo modo dormiendi, & qualiter circa illum ſe homo exercere poterit, latius traditur infra in capitulo de dormitione.

Et valde annotandum, quod iuniores, debiliores, aut complexionis teneriotis; mox finitis matutinis, omiſſis exercitiis his priuatis, ſe dormitioni coaptare debent: vt eorum fortitudinem cuſtodiant ad Deum, ſintque in communibus exercitiis alacriores. (Pſal. 58.) Peſſimus ſiquidem quorundam vſus, imò verius abuſus eſt, feruor indiſcretus, & deuotio prorſus execranda; qui tunc vigilare volunt, vbi erat dormiendum, putantes quod *aquæ furtiuæ dulciores* ſunt, (Prou. 9.) & dormitare non verentur in choro, aut ſub diuinis, vbi vigilandum: vbi & ſibi, & aliis nocent, nec Chriſto ſtrenuè militant, ſcandalizant Fratres, & totam Eccleſiam defraudant, ſeipſos ex indiſcretionis vitio deſtruentes; quod non parui criminis eſt & reatus (vt deuotiſſimus ait Bernardus) dum deficiente ſpiritu, vel languente corpore, ſpiritualia & communia ſubſequi non poſſunt, ex indiſcretionis feruore auferentes, & corpori boni operis effectum, ſpiritui affectum; proximo, ædificationis exemplum; honorem Deo; ſacrilegi planè, & ſui-ipſorum crudeles homicidæ, (Rom. 6.) horumque omnium rei. Humanum proinde ſit exercitium omne, præſertim iuniorum, propter infirmitatem carnis, vt ſuadet author Profectus, & alibi eſt hortatum. Non quod corpus non aliquando ſit affligendum, nec horum aliquid exercitandum; ſed modus in omnibus habendus, & ſingula quęque ſuis temporibus agenda: admixto in omni ſacrificio (vt lex iubet) diſcretionis ſale, & moderationis temperamento. (Leuit. 2.) *Melior etenim eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens*; teſte Sapiente Eccl. 42. Et melius eſt, omiſſis huiuſmodi priuatis exercitiis, pro conſeruando corporis robore obdormire, quàm vſque ad virium exinanitionem, & capitis aut cerebri euacuationẽ, indiſcreta muliebri quadam deuotione huiuſmodi exercere. *Dormiãt* Pſal. 4. igitur cum affectu humilitatis, pro neceſſitate corporis infirmiores, iuxta Domini verbum, & *requieſcant*, vt alacrius ad Primas exurgant. Ita enim ſancti Patres dixerunt, quia vigiliæ ſanctæ purificant & illuminant mentem; ſuperfluæ autem inducunt phreneſim, dolorem capitis, & totius corporis.

Quomodo ſurgendum ad Primas.

CAPVT SECVNDVM.

OPORTET præuenire ſolem ad benedictionem tuam, & ad ortum ſolis te adorare. Sap. 16. Qui *vigilauerint ad illam complectentur placorem eius*. Eccli. 4. Recreato iam vtcumque corpore aliqua repauſatione: (Sufficit enim, vt in vitis Patrum dicitur, monacho vna hora dormire) debet ad 1.
Primas excitatus alacriter exurgere, & iuxta ſuperius ad matutinã ſurrectionem annotata, ſe inſurgendo gerere & excitare, iuxta illud:

Ad Primas velociter ſurgas gere te velut ante.

Valde ſiquidem (iuxta magiſtrũ Vmbertũ) reprehenſibile eſt, præſertim in religioſo, hora Primarum non alacriter ſurgere, & diuinæ laudi, deuotæque orationi non intendere: indignum (ait Amb.) eſt Chriſtiano, ſi ſol illum ſtertentem inueniat in lecto. Plura ſunt exempla huius præmaturæ ſurrectionis. Manè, diluculo, & in maturitate Deo aſtare voluit regius Pſalmiſta: Et Chriſtus *manè ſurgens diluculo ibat in templum*, & omnis populus *manicabat ad eum*. (Pſal 5. Pſal. 56. Pſal 118. Luc. 21.) Surgunt manè ſcelerati, ad commiſcendas ſuas ebrietates, & ſæculi artifices; ſicut & minutiſſimæ aues, ortum præueniunt ſolis. Magna ſunt repromiſſa manè ad Deum vigilantibus, & multis bonis opportuna eſt matutinalis illa ſurrectio hora Primarum: vt colligitur ex Scripturis. Apta etenim eſt diuinæ miſericordiæ, & vitiorum deſtructioni: in cuius typum legitur Exod. 14. quod *reſpiciens Dominus (vbi aduenerat vigilia matutina) ſuper caſtra Ægyptiorum, interfecit exercitum eorum, & ſubuertit rotas curruum*, &c. Opportuna quoque eſt inuentioni diuinæ, & eiuſdem eruditioni, Prouerb. 8. *Qui manè vigilauerit ad me, inueniet me*. Et Eſaiæ 50. *Manè erigit mihi aurem*. Erigit manè, vt audiam quaſi magiſtrum. Opportuna eſt diuinæ exauditioni, pariter & euigilationi, Pſalm. 5. *Manè exaudies vocem meam*. Et Iob 8. *Si diluculo conſurrexeris ad Dominum, ſtatim euigilabit ad te*. Contemplationi inſuper apta eſt & opportuna, Pſal. 5. *Manè aſtabo tibi, & videbo*. Et Exod. 18. *Manè videbitis gloriam eius*: Poſtremò ad bonorum

operum inchoationem, ad primitiarum oblationem, ad laboris exercitationem, aptiſſimum hoc tempus eſt & opportunum: vnde de
Eccli 11. primo dicitur, *Mane ſciam ſemen tuum*. *Et pri-*
Matt. 5. *mum quærite regnum Dei*. De altero, Amos,
Amos 4. *Offerte mane victimas veſtras*. De tertio, in can-
Cant. 7. ticis commonemur, *Mane ſurgamus ad vi-*
Matt. 20. *neas:* Hac ſiquidem hora operarios in vineam ſuam Paterfamilias conducit: Et
Pſal. 103. hac hora exit homo ad opus, & ad operationem ſuam, vt habeat veſperi denarium diurnum. Patet ergo ex his oportunitas matutinalis ſurrectionis, & huius aureæ horę fructus. Qui pro memoria memoriali comprehenduntur verſiculo iſto,

Reſpiciens, docet, audit, contemplans, operantur.

Sunt itaque, ne longiores ſimus, hæc inductiua, alacriter hora primarum exurgendi.

Scripta, exempla monent & aues, decet hoc, bona, merces.

Scriptura, vt patuit ſæpè ad præueniendum diluculo hortatur; *Exempla* Chriſti, & Sanctorum id docent; Monent ad id etiam *minutiſſimæ aues, dedecet* Chriſtianum, ſi hunc ſol ſtertentem deprehenderit in lecto; eſt illius hora aptitudo *bona ad* multiplex bonum, & magna reponitur, & repromittitur *merces* mane euigilantibus ad Deum; quare nullatenus intorpeſcendum. Alacriter igitur exurgat Religioſus ad primas excitatus, exercitando ſe, quemadmodum ſupra ad matutinas eſt notatum. Signando, ſcilicet ſe ſignaculo ſanctæ Crucis, dicendo orationem eccleſiaſticam. *Domine Deus omnipotens qui nos ad principium huius diei peruenire feciſti: tua nos ſalua virtute, &c.* Erigendoque mentis oculos, ad lucifluum ipſum heſperum ſtellam matutinam, legendo aliquod de cæpto Roſario diei Aue Maria; Breuiter diſponens ſe ad deuotionem, iuxta quod plenius vbi ſupra, cohortatum.

MEMBRVM I.

Quid agendum poſtquam quis veſtitus fuerit.

II. QVi mane vigilauerit ad me, inueniet me.
Prou. 8. Pro. *Beatus qui audit me, qui vigilat ad fo-*
Ibid. *res meas quotidie*. Propheta. *De mane vigilabo*
Eſa. 28. *ad te. Præuenerunt oculi ad te diluculo, vt medi-*
Pſal. 118. *tarer eloquia tua*. Porro de exercitijs, quibus intermedio tempore, vbi veſtitus eſt mane ante primas, exercitabit ſe nota, quod licet plurima ex ſcripturis congeri poſſent, hæc tamen potiora videntur exercitatu,

Gratus, ſuccendat, ſponſa, offer, poſſe, parans te.

PRIMVM, (vt breuiter curramus) eſt exercitium *Gratiarum actionis*, quod fons eſt, & canalis deuotionis, quo prætermiſſo, non eſt gratiarum refluxus. Deuotè itaque exoluendum eſt piæ gratitudinis munus, Tum,

Pro { Pręſeruatione à nocturnis periculis; Pro conceſſione diurni temporis; Pro commemoratione beneficiorum diei illius. }

In quibus omnibus ruminatis grauis ſubeſt ratio gratitudinis.

Cum etiam (teſte Beato Ambroſ. in hexamero), pro ortu diei, gratias ſuo more referunt minutiſſimæ aues. Alibi actum eſt de modo & cauſis gratitudinis, quare pluribus de ea non eſt opus, & conſulto tranſimus.

ALTERVM exercitium eſt *ſuccenſionis* & inflammationis ad ignem diuini amoris: iuxta III.
quod præceptum eſt Leuit. 6. & alijs in paſſibus Scripturæ: vbi iubetur ſub his verbis, *Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos, ſubjiciens ligna manè per ſingulos dies; & impoſito holocauſto, deſuper adipes adolebit pacificorum, ignis iſte erit perpetuus, qui nunquam deficiet in altari*. Super quibus verbis notat B. Gregorius Magnus. *Altare* (inquiens) *Dei, cor noſtrum eſt; in quo ignis ſemper ardebit, quia charitatis flamma nunquam illi deeſſe debet*. Affectus enim diuini amoris, & ſancti timoris (iuxta Bonauenturam) cum feruore bonæ voluntatis, in ſpiritu humilitatis, cũ gaudio ſpei, & motu pietatis, nunquam debent in corde ſerui Dei extingui. Quem cùm Sacerdos, id eſt, ſacris deditus per noctem negligentiæ depræhenderit in cordis altari intepuiſſe: Manè, id eſt, apparente prima lucis cognitione, ſubjiciet ligna: hoc eſt, amoris congeret incẽtiua, ex diuerſis rationibus inflammandi amoris, quaſi ex diuerſis recollecta ſiluis. Et hoc bene manè, quod (iuxta B. Gregorium) prima eſt pars diei: Nam tunc potiſſimum terrenis poſthabitis cogitationibus, ad hoc deuotus quiſque niti debet, vt mentem aliqua deuotione inflammet. Dicitur enim in ſpeculo monachorum, Qualem tunc deuotionis affectum homo perceperit, talis ferè tota reſidua diei parte remanet. Quare bene dicitur in verſu, *ſuccendat*, id eſt, vt iuxta Domini præceptum ſtudeat in ſe, & in cordis ſui altari, charitatis conſtruere, confouere & inflammare ignem; in quo & ſe, & ſua omnia eo die bona peragenda poterit Deo adolere. Et ad inflammandum, ſuccendendum, enutriendumque hunc ſanctæ charitatis ignem, ſubjicere debet ſibi ligna, id eſt, diuini incitamenta amoris. Quæ qualia ſint, qualitérve ſubjici debeant, & vnde ſumi, plenius infrà traditur in *philocanmario*, ſeu inflammatorio diuini amoris; vbi ſubdiſtinguuntur iuxta ſeptem hebdomadæ dies ſeptuplices inflammandi diuini amoris; ſingulares, præcipuæ & efficaces rationes, quaſi totidem combuſtibilium lignorum ſtrues. Et comprehenduntur hoc verſiculo, quæ tamen hic non veniunt proſequendæ,

Multa præit, bonus eſt, bona dans, innatus, ratio, nos.

Hæc eſt horum lignorum ſtrues: vnde diuini amoris incitamenta, & rationes ſumuntur,

Digitized by Google

Nempe ex {
- Diuerſis & multis generalibus, ad Dei amorem incitatiuis;
- Dei præ omni concupiſcibili, & ſuper omne delectabile præcellentijs;
- Dei bonitate, amabilitate, & cæteris perfectionis ipſius proprietatibus;
- Dei innumeris inæſtimabilibuſq; donis & beneficentijs.
- Dei ad nos coniunctione, ſub omni modo affinitatis & vnionis.
- Varijs alijs efficaciſſimis inflammandi amoris rationibus.
- Diuini amoris erga nos præſtantiis & conditionibus.

Ex his igitur & huiuſmodi, quæ latius illic proſecuta ſunt, quiſque mane ſingulis diebus inflammet in ſe ignem diuini amoris, modo & practica ibidem deſcriptis; ne, ſi hunc extingui permiſerit, cum veſtalibus virginibus reus fiat mortis; vt de eiſdem commemorat Valerius Maximus.

IV. TERTIVM deuotionis exercitium hora primarum exercendum eſt, quotidie innouare æternæ ſapientiæ deſponſationem, & contractum ſponſalitium: Oſeæ 1. *Sponſabo te mihi in æternum.* De cuius exercitij fructu, modo, & praxi, plenè ſcripſit deuotus ille author memorabilis illius, & affectuoſi libri in horologio æternæ ſapientiæ. Suadens certis temporibus diuinam ſapientiam, quaſi ſponſam & amicam deſponſandam, eamque deſponſationem contractam ſæpius, imò quotidie iterandam, atque innouandam; ne quando homo per labilitatem à Dei amore defluat, & diaboli adultera ipſius anima, quæ Chriſti ſponſa eſt, fiat. Hoc igitur eſt, quod tangitur in verſu, *Sponſa*, id eſt, deſpondeat ſibi caſta dilectione, & ſincero amore ſapientiam illam tam amabilem, prædicabilem & præamandam, vt docetur Prou. 8. *Beatus ſiquidem eſt homo qui oblectatur in amore illius* iugiter, *& qui manè vigilat ad poſtes oſtij eius* perſeueranter. Latiſſima & copioſiſſima offerret ſe hic de hoc exercitio materia deuotionis, de qualitate ſpiritualis huiuſmodi connubij & deſponſationis; ſed prolixitas vitanda nobis: videatur ſuper hoc auctor memoratus illius horologij, & alij ſermoniſtæ: præſertim Soccus de ſpiritualibus nuptijs. Super qua materia ſunt etiam quædā Roſaria in hortulo roſarum.

V. QVARTVM deuotionis exercitium in mane exercendum, eſt, ſe totum offerre in primitias & hoſtiam omnis generis Deo: Amos 1. *Offerte manè victimas veſtras.* Et Exod. 24. *Primitias frugum tuarum mane in domum Domini inferes,* &c. Ex primaria ſiquidem hac ſui-ipſius oblatione, omnia reſidua totius diei opera accepta erunt, & grata oculis diuinæ maieſtatis. *Reſpexit* etenim *Deus primum ad Abel*; dein *ad munera eius*. Et nullum Deo acceptatius ſacrificium, quā vbi homo holocauſtomat ſe ipſum, corpus, animam, res, & quicquid ex his depēdet, ſacrificando Deo in vnione illius ſummi ſacrificij, quod obtulit filius Dei. Gen. 4.

Et debet hæc oblatio fieri per manus proprij Angeli, qui ad hoc ſemper homini expanſis & exploſis manibus aſtat cum thuribulo aureo, vt dentur ei incenſa adolenda ante altare aureum Deo. De modo autem fiendæ huiuſmodi oblationis, dicta ſunt plura in diuerſis gradibus oblationis, in ſcala communionis & paſſionis. Et inuenitur illius forma & practica deuota in libello Patris Thomæ Kempis; & in antidotario mentis; requiratur illicà piis & ſtudioſis; ſat nobis eſt, occaſionem præſtitiſſe huiuſmodi exercitationis. Apoc. 8.

QVINTVM deuotionis exercitium eſt iuxta Euangelium, Matth. 5. *Primum quærere Dei regnum*, ex toto ſcilicet corde orando Deum, pro digna deductione conceſſi temporis, & promotione ſuorum operū, vt fiat illud Pſal. 118. *Præueni in maturitate.* Et Pſalm. 87. *manè oratio mea præueniet te*: iuxta quod Sapiens iuſſit Eccl. 11. *Mane ſemina ſemen tuum*, &c. Tunc etenim eſt miſericordiæ & miſerendi tempus. Tunc diuites eleemoſynas elargiri conſuerūt ad oſtia eorum mendicantibus. Et *mane* (ait pſa. 89.) *repleti ſumus miſericordia Dei*, & pſa. 5. *mane exaudiatur vox orationis.* Cordialis itaque & viſceroſa oratio dirigatur ad Deum, pro reſiduo dignè exigendo temporis; qualis ponitur in Sanctorum viris, Antonij, & geſtis Barlaam & Ioſaphat; aut in formatis orariis, vel hymnis Prudentianis, aut potius oretur in ſpiritu & veritate, ex imo pectoris; clauſo oſtio oris. VI. Pſal. 101. Ioan. 4. Matt. 5.

TANDEM autem poſt huiuſmodi exercitiorum completionem, ſtudeat ſe homo præparare ad deuotam primarum exolutionem, iuxta modum ſupra ad matutinas; Aut in directorio ſoluendarum horarum traditum. Et ſic, vbi pulſatur alterum ſignum, cum magna deuotione properare ad chorum, memorando illius horæ decantandæ digna inductiua.

MEMBRVM II.

De hora Primarum.

VII. PRimum quærite regnum Dei, Matth 5. Primarum ſiquidem canonica hora, cum ſingulari venit deuotione perſoluenda; quæ tam ſingularibus eſt myſterijs conſecrata, & percongruis ex cauſis inſtituta, vt perſtringitur ſub his verſiculis.

Primas feruenti ſtudeas exoluere cultu
Principium, manna, templo, Pilate reſurgit.

Id eſt, hora Primarū deuotiſſimè venit laudandus Deus, *Tum quia* principium & initium eſt diei, vbi meritò inuocandus & laudandus Deus, iuxta prçallegatum verbum Matth. 5. *Primum quærite regnum Dei* &c. *Tum quia* hac hora Dominus filijs Iſrael pluebat manna, Exod. 16. *Eadem* quoque hora legitur Ieſus iuiſſe ad templum ad locum orationis, *Diluculo iterum venit in templum, & omnis populus manicabat* ad eum. *hac* quoque hora inuenitur Pilato præſentatus. *Eadem item* apparuit poſt reſurrectionem Mariæ Magdalenæ flenti ad monumentum: Et Angelus denūciauit Ieſum mulieribus iam orto ſole venientibus ad ſepulchrum reſurrexiſſe. Et eodem tempore creditur piſcantibus diſcipulis apparuiſſe in littore maris, Ioan. 21. Ecce quantis hora hęc Ioan. 8. Luc. 21. Matt. 27. Ioan. 20. Mar. 16.

Digitized by Google

conſecrata eſt myſteriis: quæ etiam aptiſſima eſt, vt ſupra tetigimus, exauditioni orationis, quemadmodum mendici mane clamant ad oſtium patrisfamilias, & excipiunt præ cæteris, Pſalm. 5. *Manè exaudies vocem meam*. Et Pſal. 89. *Repleti ſumus manè miſericordia tua Domine*.

Deuotiſſimè itaque & intentiſſimè ſub hac præſertim hora exoluendæ ſunt diuinæ laudes, quare & præ cæteris horis, in ea fiunt confeſſio generalis, & prolixiores preces, & multis, & magnis prægnans & oppleta eſt in Pſalmorum numero & qualitate, myſteriis & ſacramentis: *In hymno* & pſalmo primo, petens liberari à noxiis hoſtibus, & omnium bonorũ impedimentis. *Dein* ruminare incipiens pſalmum illum 118. magnum & ſuauiſſimum, *Beati immaculati*; vas & apothecam totius ſpiritus & deuotionis. De cuius laude & excellentia, quicquid dici poterit, eſt inferius, qui ſolus ſufficeret inſtitutioni & perfectioni, illum dignè ruminantis. De quo quia panis noſter quotidianus eſt, paulo latius agendum, ne ex frequentatione paruulis vileſcat; ſed occaſionem habeant, ſemper in eo innouandæ deuotionis. *Pſallam & intelligam in via immaculata*, Dauid Pſal. 100. *Modulamini illi pſalmum nouum*, Iudith 16.

§. 1. *Laus pſalmi 118. Beati immaculati.*

PRimò igitur videnda eſt ex ſingularitate recommendatio Pſalmi huius, & ſumitur ex iſtis, in quibus præſtat omnibus aliis Pſalmis.

Laus magnus, planus, doctor, repetit, vibrat, hæc vox.

PRIMVM præſtat ex diuerſa recommendatione & laude Sãctorum, qui in eius laudem præconia ſcribunt: vt ſunt Ambroſius, Auguſtinus, Caſſiodorus, & innumeri, qui ſudauerunt in explanatione huius. De quo aiunt, quod Pſalmus iſte, *Beati immaculati* præ omnibus reliquis, inſtitutor ſit fidelium. Paradiſus omnium pomorum & ſententiarum, apotheca Spiritus ſancti, totus morali doctrina inſignis, in qua hic Pſalmus eminet vniuerſis. Et dum alij Pſalmi tanquam ſtellæ minores, aliquatenus lucent, hic (aiunt) quaſi ſol, pleni luminis meridiano calore feruens, totus morali dulcedine ſuperſplendet. Qui iure à Caſſiodoro dicitur ſphera cæleſtis, animarum Paradiſus, & quaſi quidam pulcherrimus pauo, variis velut oculorum orbibus, & mira colorum varietate, ſine confuſione permixtus; verè fluuius impetuoſus, ciuitatem Dei aſſiduè lætificans, egrediens de loco voluptatis: cuncta myſteria & omnem moralem locum (iuxta Patrem Auguſtinum) complectens, qui & in eius laudem ita inclamat erumpens: Oro te quid hoc ſacratius ſacramento, quid hac voluptate iucundius; quid inſignius pſalmo iſto? Qui cibi, quæ mella, quam huius dulcore dulciora ſunt? prudentia eſt in atria eius intrare, & inſpicere ſermones plenos ſapientia ſpirituali. Habeant ſibi cæteri ſuas opes, gemma bibãt, ſerico niteant, plauſu delectentur populari, &

Commendatio pſalmi 118. *Pſal. 45. Geneſ. 2.*

per varias voluptates diuitias ſuas vincere nequeant: Noſtræ delitiæ ſint in lege Domini meditari die ac nocte, obuerſari & ſcrutari myſteria pſalmi huius, pulſare ianuam eius nõ patentem, & ſæculi fluctibus Domino præeunte calcatis, accipere panes intelligentiæ ſalutaris.

Pſal. 1. Lucæ 11. Ioan. 6.

SECVNDO præſtat hic pſalmus cæteris in magnitudine & prolixitate complectens octonarios 22. vſque *Ad Dominum cum tribularer*, centum in ſe continẽs, & ſeptuaginta ſex verſus. Similiter & in myſteriorum profunditate vtriuſque teſtamenti veteris videlicet, & noui in ſe myſteria, iuxta D. Aug. complectens, veteris quidem propter 22. litteras, in viginti duo eiuſdem volumina: inſtrumenti noui autem propter octonarios, & numerum octauum in Reſurrectione Dominica, & in circunciſione ſpiritus, in Euangelio conſecratum. Vnde & propter magnitudinem hanc tam verſuum quàm myſteriorum, oſtenſus erat hic pſalm. præfato Aug. (vt notat Bonauentura in de Luminaribus eccleſiæ, ſermone 17.) ſub ſpecie arboris pulcherrimæ & magnæ, viginti duos ramos habentis, quorum quilibet adhuc octo ramunculos habebat, de quibus dulciſſimę guttæ rorabant; intelligens arborem magnam, magnum hunc pſalmum, *Beati immaculati*.

TERTIO præſtat in planitie verborum: Totus etenim præ cæteris in ſuperficie planus eſt & ſuauis, paruulis blandiens; in quo ouis ſicco quaſi pede meat, ſed pœne mergitur & natat Elephas in illo. Teſtimonio eſt magnus Pater Aug. qui ait, nihil ſacratius & difficilius pſalmo iſto, qui quanto in ſuperficie videtur apertior, tãto myſteriorum eſt altitudine profundior. Adeò vt contemplatione verbalis planiciei, & magnę en-itatis multum turbatus erat idem Pater Auguſt. vt notat vbi ſupra idẽ doctor Seraphicus Bonauentura. Quod tametſi apud alios non inuenimus, non tamen incredibile apparet bene proſpicienti, quia dum cæteros, etiam abditiſſimos pſalmos, & magnę difficultatis in populo idem Pater explanaret, tranſijt vnicum hunc in ampliori mentis otio, illius profundam planitiem in ſecretario expoſiturus.

QVARTO præſtat cæteris pſalmis pſalmus iſte, eo quod doctrinalis & alphabeticus eſt, conſtans metro & carmine apud Hebræos ſingulari. Eſt enim per Hebræi alphabeti 22. litteras digeſtus, ita quod vniuſcuiuſque octonarij, omnes verſus incipiant à littera eadem, vt ipſe in pſalterio Hebraico proſpexi, vtpotè õnes primi octonarij verſus ab *Aleph*. ſecundi à *Beth*, &c. non ſine grandi myſterio, & artificio multo; licèt litteralior Lira putet fuiſſe ſolum quendam illius currentis temporis modum verſificandi, quemadmodum eſt hymnus ille Prudentij, *A ſolis ortus cardine*, per litteras alphabeti. Sed ſi Ambroſio, Aug. Caſſiodoro & grauioribus creditur, grandius quippiam crepitant litteræ alphabeticæ iſtæ. Quæ ſingulæ, quaſi prælucidi tituli ſunt ſuorum verſuum, & apertiſſima elementa ſchola Spiritus-ſancti, vt itidem in eorum explana-

tionibus, multo ſudore tradunt. Qui & ideò ſub alphabeto proponitur cunctis: vt ſicut pueri in primis litteris vſum diſcendi ſumunt: ita & nos huiuſmodi elementis bene viuendi vſum, vſque ad maturitatem addiſcamus. Pulcher enim & ordinatiſſimus in eo contraditur modus & ordo viuendi, & proficiendi ex alphabeticarum litterarum interpretatione, vt inſigniter Rauenatum Senator Caſſiodorus proſecutus. Eſt etiam ſingulari carminis genere præter alphabeticum hunc ornatum, vt in Enchiridio ſuper pſalterio ſtudioſiſſimus Origenes, ait, conſtans; eiuſdem iuxta Ioſephi relationem metri, cuius & canticum Deuteronomij, quod ipſe elegiacum putat, eo videlicet, quod prior verſus ſex pedibus conſtet, inferior vno minus in penthametrum finiatur. O igitur mirum artificium Spiritus-ſancti! O verè digniſſimum pſalmum, gutturi ſponſæ
Cant. 2. ad ruminandum!

QVI QVINTO illud habet etiam præſtantiæ & ſingularitatis, quod in tanta numeroſitate ſuorum verſuum, vix niſi vnicus eſt, ſcilicet,
Nota. *Sufcipe ſeruum tuum in bonum*, in quo non eſt repetita aliqua harum dictionum, quæ penè idem ſignare videntur, ſcilicet, *Lex, Teſtimonia, Vie, Mandata, Iuſtificationes, Iudicia, Sermones, Eloquia*; quę tamen miro artificio diſtinxit ingenioſiſſimus Origenes: dicens in ſingulis abditi aliquid ſubliteſcere ſacramẽti. Quod alij putent factum, pro oſtendenda vehementia ſui affectus & deſiderij erga cuſtodiam legis diuinæ: quam tam ſæpe modis variatis repetit, vt ſic maiorem affectum ſui deſiderij oſtendat flammam & feruorem amoris, reſpectu rei tantum deſideratæ, in ſe ſine repetitis petitionibus continere non poſſit. Alij autem nihil profundi ſapientes, aiunt ideo tantam horum verborum varietatem interſertam, vt euitetur faſtidium identitatis, vt idem pſallatur cum iocunditate mentis.

SEXTVM præcipuum & ſingulare, in quo præeminet hic Pſal. eſt, quia totus ignitus eſt, amore *vibrans*, & affectuoſus. In tanta etenim latitudine & longitudine huius pſalmi, ſub tantorum verſuum numero & multitudine, non niſi tres vel quattuor ſunt, in quibus non immediatè affectus dirigitur in Deum, & loquatur ad Deum ſub perſona ſecunda: exceptis videlicet tribus verſibus primis, qui quaſi pro prologo ſunt, & verſu,
Nota. *Declinate à me maligni*. Eſt itaque totus hic pſalmus diuino amore ardens & ignitus, per modum ſupplicantis, & orantis familiariſſimè loquens cum Deo; nunc ſicut ſeruus fidelis cum amantiſſimo domino, nũc ſicut dulciſſimus & dilectiſſimus filius cum patre, ſolum cupiens bene ſecundum eius mandata viuere, vt ſic poſſit ad beatitudinem patriæ peruenire.

VLTIMVM præcipuum & ſingulare, quod in hoc pſalmo vox eſt omnium iuſtorum, cuiuſcumque ſtatus. Loquitur enim (iuxta Ambroſium) hic chorus omnium Sanctorum, ab Abel primo, vſque ad imũ. Et (vt ait Auguſt.) loquitur breuiter generalis iuſtus, modo profitendo quod accepit; modo iterum ſperando, quod meruit. Latiſſima eſſet deductio huius. Commonemus, vt ametur, quauis (?) complectatur, & ſtudeatur pro intelligentia pſalmi huius; ſuperat orationem & ſermonem laus & efficacia eius. Cuius diſtinctio per octonarios hoc innuit, quod vna quæque pars perfecta eſt, & ſufficit; vt ſi quis eam ſeruet in vita ſeptẽ dierum, perueniat ad octauam Reſurrectionis, & perfectam circumciſionem cordis, & beatitudinem patriæ ſupernæ. Amen.

Dignè igitur, cum multa deuotione, & ſine faſtidio quotidie venit ruminandus & cantandus pſalmus tam laudatiſſimus, profundus, planus, artificioſus, & omni affectu pietatis oppletus, noua & innouata deuotione per ſingulos dies percantandus. Quod vt fieri poterit,

§. 2. *De ſeptemplici expoſitione Pſalmi Beati immaculati.*

ADhortamini *vosmetipſos per ſingulos dies.* Paulus Heb. 3. Nota quod ſecundum IX.
ſeptem hebdomadæ dies, ſeptupliciter deuotus ſe exercitare poterit in hoc mirifico pſalmo: iuxta ſeptuplam explanationem & conſiderationem eius complexam verſiculo iſto,

Alpha, arbor, fluuius, apotheca, ſtatus, ſol amoris.

Feria	Prima,	*Accede ad hunc pſalmum tanquã ad*	Morale alphabetum.
	Secũda,		Voluptatis Paradiſum, & vitæ lignum.
	Tertia,		Paradiſi fluuiũ.
	Quarta,		Apothecã aromatũ, & vitę ordinarium.
	Quinta,		Duplicis vitæ exercitium.
	Sabbatho.		Triplicẽ hominis ſtatum.
	Dominica.		Solẽ feruentiſſimũ, & dilecti amatorium.

Qualiter hunc tractauit S. Ambroſius, D. Pater Auguſtinus, Claudius Arpinas Cæleſtinus, Rauennas Caſſiodorus, Nicolaus de Lira, & Cæſarius, Nicolaus Gorram, Ludolphus Carthuſienſis.

PRÆTER quas præcipuas conſiderationes, X.
pro paruulis ſi malint, applicari poterit Canonicarum horarum temporibus & myſteriis: vt ſcilicet hora Primarum beatitudinis nomine ad operandum alliciat: deinde contra inſidiantes hoſtes,

Se armet
- Cingulo caſtitatis, Beati immaculati.
- Galea ſalutis, Retribue.
- Scuto fidei, ſub Quicunque vult.

Sic ſub *Tertijs*, quando ſpiritus & lex noua
erant data; *Legem* petit ſibi *poni*. Sub *Sextis*, *Act. 2.*
quando in Domini paſſione ſol à lumine defecit, & Chriſtus aſcendit, etiam ſe *defeciſſe* di- *Luc. 23.*
cit; Hora autem *Nona*, quãdo Chriſtus obijt, præ admiratione, *Mirabilia teſtimonia* eius exclamat.

AVT aliter pſalmi huius diſtinctio ſtatui tẽ- XI.
poris correſpondet, vt ait in rationali Guiliel-

mus

mus Mynaten. In *Prima* ſiquidem hora, eſt ſolis ortus, & inchoatio: In *Tertia*, profectus: in *Sexta*, aſcenſio: in *Nona*, conſummatio. In *Prima* namque incipit lucere; in *Tertia*, caleſcere; in *Sexta*, eſſe in feruore: & tandem *Nona* in conſummatione, vt indicant hymnorum verba, quæ cantantur ſub ipſis horis. Sic in principio tractus beatitudinis affectu, cupit dirigi vias, & quęrit in quo ſe poterit corrigere, & optat quaſi mortuus viuificari; In *Tertia*, quaſi proficiens, legem petit ſibi poni, & deduci in ſemitam mandatorum. Ad *Sextas* quaſi perfectus, deficit anima, & oculi in ſalutari. In *Nonis* quaſi conſummatus, ſcrutatur mirabilia teſtimonia legis. Deuota ſatis & ſimplex, & non difficilis eſt contẽplatio hæc, pro paruulis, vt in ſingulis his horis, innouent ſibi affectum deuotionis. Quinetiam, vt quibuſdam deuotis mos eſt, applicare poterunt Pſalmi ipſius partes, obiectis Dominicæ paſſionis.

SED omiſſis aliis paucis tangamus ſeptiphatias
XII. rias ſuprapoſitas conſiderationes noſtras, & breuiter (vt occaſionem ſtudioſis, & deuotis materiam demus) notemus quanta copia exercitationis & deuotionis lateat in eis.

Primò itaque diximus, hunc pſalmum conſiderandum tanquam morale alphabetum, & alphabeticum Didaſcalicon, ſeu documentum: quemadmodum hunc in inſigni opere ſuo ſuper eodem Pſalmo tractauit moraliſſimus Ambroſius. Qui principaliter negotiatur ex interpretationibus alphabeticarum litterarum, elicere moralem ſenſum ſingulorum octonariorum litteris ſubiectorum; dicens, ſingulas litteras, titulos eſſe cuiuſque octonarij, & verſuum continentiam declarantes, vt probat de primo *Aleph*, quod doctrina interpretatur. Quod commune dicit eſſe toti pſalmo, & quaſi prologum ſubſecuturæ moralis doctrinæ, in quo hic pſalmus præeminet. Speciale tamen eſt caput primi octonarij, oſtendens omnes ſubſequentes eius verſus, plenos eſſe doctrinæ & eruditionis, in primis erudiẽs,
☞ vt ſint immaculati, ſi velint eſſe beati. Ante ſint puri in vita, quàm ſcrutentur Dei mãdata. Ante enim vita, quã doctrina: & prior Ethica, quàm Theorica. Legatur ſuus liber, ſed in otio & graui attentione, & videbitur ingens ſancti viri ſtudium & ſudor ſuper interpretando alphabeto, & coaptando ſenſui pſalmi. Qui etiam Cantica & Threnorum alphabetum adducit: & præ cæteris in harum litterarum interpretationibus, & moralibus aut tropicis ſenſibus eliciendis eſt commoratus. Mirabile & amabile, & ſuaue exercitium iſtud, ſed pro ingenioſis, qui ante ſingulos octonos litterarum interpretatores præmeditari poterunt: & ſecundum eas verſuum ſenſus conquadrare. Qui hoc ſe modo exercitaret, nõ faſtidio illi frequentatus pſalmus eſſet, ſed dulceſceret illi ſuper mel & fauum. Sed qui hoc ſe pacto volet exercitare, neceſſe haberet interpretatores Hebraicorum caracterum, eorumque & figuras & naturas dignoſſe: quod plurimæ neceſſitatis & multæ vtilitatis eſſe, ex multis tradit Author trigloſſos. Super quibus in epiſtola ad Marcellam diſſeruit B. Hieronymus, & ſuper lectione de muliere forti, Albertus Magnus.

SECVNDO contemplari & exercitare ſe poterit deuotus & ſtudioſus circa hunc pſalmũ, tanquam voluptatis Paradiſum, & verè vitæ Gen. 2.
lignum: quemadmodum in eius explanatione negociatus eſt Pater Auguſtinus. Cui & præoſtenſus in viſione erat, (vt ſupra narrauimus ex Bonauentura) hic pſalmus ſub typo arboris 22. ramos (ſingulis octo ramuſculos tenentibus) habentes, vnde dulciſſimę guttæ rorabãt. Maxime enim B. Pater hoc ſuo more ſudauit, abditas eius ſententias ponere in lucem, & Iob 28.
ſcrutari profunda fluuiorum, vnde & obuerſatur in diſtinguẽdis illis repetitis dictionibus. *Lex, Teſtimonia, Iudicia, Iuſtificationes*, & diſputat frequenter de altis quæſtionibus, vt patet ex decurſu nobilis ſuę explanationis; verè dulciſſimas guttas rorans de arbore hac, & eius ramis. Prædulcis planè modus exercitationis huius, cum ſponſa *aſcendere in palmam, & apprehendere fructus eius*, Cant. 7. qui prædulces ſunt gutturi terentis, cui quaſi cibus in ore, ſinguli verſus ſunt in corde. Sed volenti ſic oblectari, oportet ſtudere explanationem huius B. Doctoris ſuper hoc pſalmo. Ad quod tanquam ad electiſſimũ ſtudiũ Venerabilis Gerſon hortabatur fratrem ſuum Celeſtinum.

TERTIO conſiderari poterit quaſi fluuius Gen. 2.
Paradiſi, egrediẽs de loco voluptatis in quattuor capita diuiſus, ſicut hunc in Opuſculo ſuo tractauit honorabilis Pater Claudius Arpinas Celeſtinus, diuidens illum in quattuor capita vel fontes, ad irrigandum vniuerſam ſuperficiem Paradiſi Eccleſiaſticalis.

Cuius { Primus, Secundus, Tertius, Quartus, } *fons* { Lauat ſordes pœnitentium, Fœcundat terram bene operantium, Nutrit patientes quaſi piſces in aquis tribulationum, Potat ſitim ardentium contemplatiuorum, } *In pſalmis octonarys, ad* { Primas, Tertias, Sextas, Nonas.

Diuiditur ſiquidem hic Pſalmus, quaſi voluptatis fluuius, in quatuor partitiones.

In { Prima, Secunda, Tertia, Quarta, } *tangit de* { Beatitudine ipſa, in ſe ibi, *Beati immaculati*, Statu ad beatitudinẽ tendentiũ, ſecundũ gradum proficientiũ. *Legem (pone.* Statu pugnantium. *Defecit.* Statu contemplantium perfectorum. *Mirabilia.*

Prima itaque pars tractat de beatitudine ipſa, prout in ea eſt, & hæc ſecundum appropriationem quandam, { Omnis maculæ carentia. Totius boni abundantia. Clara Dei viſio. Fruitiua Dei dilectio.

Digitized by Google

Ita quod in primæ huius partis, quæ de beatitudine agit,

Octo-narie	Primo,	eſt vox	Futuræ vitæ puritatem ſuſpirantis.	ibi	Beati immac.
	Secundo,		Æternæ beatitudinis abundantiã deſiderãtis,		In quo corrigit
	Tertio,		Ad claram Dei viſionem anhelantis,		Retribue.
	Quarto,		Perfectam Dei dilectionem concupiſcentis.		Adhæſit.

Miro ſtudio & ſubtili ingenio nititur omnes verſus ad hęc applicare, vt videre licet ex opere ipſo.

Secunda huius pſalmi pars, agit de ſtatu proficientium, & actiuorum.

In cuius octonario	Primo,	eſt vox	Vitam bonam aſpirantis.	ibi	Legem pone.
	Secũdo,		De perſeuerantia confidentis.		Et veniat.
	Tertio,		Æterna ſuſpirantis, & ſperantis,		Memor eſto.
	Quarto,		Terrena contemnentis.		Portio mea.
	Quinto,		Gratias agentis.		Bonitatem feciſti.
	Sexto,		Se humiliantis.		Manus tuæ Do.

Si perſpicax oculus octonarios ſingulos bene diiudicet, aliqua de his inueniet.

Tertia pars pſalmi agit de ſtatu pugnantium & tentatorum.

In cuius octonario	Primo,	eſt vox	A proſperitate decipi pertimeſcentis.	ibi	Defecit.
	Secũdo,		Aduerſa fortiter patientis.		In æternum.
	Tertio,		Contra concupiſcentiam decertantis.		Quomodo dilexi.
	Quarto,		Contra ignorantiam ſe conſolantis.		Iniquos.
	Quinto.		Impugnati ab homine.		Lucerna.
	Sexto,		Tentati à dæmone.		Feci iudicium.

Quomodo hæc poterunt octonariorum verſibus applicari, oporteret ex auctore perquirere, aut vigili oculo perſpicere.

Quarta pars pſalmi, de ſtatu agit contemplantium & perfectorum.

In cuius octonario	Primo,	eſt vox	Mẽtis per contemplationem illuminatæ.	ibi	Mirabilia.
	Secũdo,		Affectionis in Deum inflammatæ.		Iuſtus es Dom.
	Tertio,		Feruenter, & deuotè orantis.		Clamaui.
	Quarto,		Paruitatem ſuæ humilitatis profundè recognoſcentis.		Vide humilitatẽ.
					Principes perſe.
	Quinto,		Mẽtis trãquillę nil præter Deũ timentis.		
	Sexto,		Perfecti cum Deo eſſe concupiſcentis.		Approp. deprec.

Hæc ſunt, quæ arauimus ex vitula illius verè cæleſtis Celeſtini, Domini Claudij Arpinatis. Cuius qui practicam plenius noſſe volet, opus ſuum oportet perſpiciat: & clarè videbitur, quod is pſalmus verè fluuius ſit, quattuor fontibus irrigans, & lætificans ciuitatem Dei. *Gen. 2. Pſal. 45*

QVARTO, diximus poſſe conſiderari pſalmum iſtum, tanquam verè *apothecam aromatum*, & ſpecierum Spiritus-ſancti, & rectæ vitæ ordinarium; qualem hunc definit, & tractat Caſſiodorus Senator Rauennas, artificium pſalmi huius oſtendens, & ſingula verba, vſque ad primarias deriuationes, quaſi aromata aut ſpecies terens inſuper, & ex ipſis alphabeticis litteris, pulchrum vitæ & profectus ordinem & progreſſum contexens. Notans ſub *prima* littera partes beatitudinis, vbi ſumma doctrina eſt, exponi; in quibus & ſe precatur, & optat in primis cuſtodiri. Sub *ſecunda* autem littera tempus aperit conuerſionis: in quo potiſſimè à lapſu & confuſione fluxæ ætatis, ad Deum quis conuerti debebit: vnde & congruè illi octonario præmittitur littera *Beth*; quæ interpretatur confuſio. In *tertia* littera, quæ retributio interpretatur, modus confuſionis in recognitione humanæ indigentiæ, pariter & diuinæ gratiæ aperitur. In *quarta* confitetur ſe corporali neceſſitate conſtrictum, & ſola Dei pietate ſaluandum. Dein ſub noua vita, Legem orat ſibi nouam imponi. Et ſic breuiter ex his litteris, ordinatus vitæ progreſſus patet. Quem qui ſcire volet, oporteret vt tanti viri explanationem ſtudioſè perlegeret: qui verè lectu eſt dignus.

QVINTO diximus hunc pſalmum interpretandum, ſecundum principale duplicis vitæ genus & exercitium: Actiuæ ſcilicet, & contemplatiuæ; ſecundum quæ explicuit illum celebris Magiſter Nicolaus de Lira. Qui prima diuiſione partitur hunc in duas ſectiones; dicens hunc pſalmum loqui de Beatitudine politica, prout habetur in via.

Et

- *Et agere de ipſa beatitudine tum in*
  - Generali nempe de beatitudinis
    - ſtatu eorum qui
      - Hác aſſequũtur, ſ. perfecti in via
        - Actiua. Beati immaculati.
        - Contemplatiua. Beati qui ſcrutantur.
      - Ab hac excludũtur: ſcilicet
        - Delinquentes. Non enim qui.
        - Negligentes. Tu mandaſti.
    - appetitu eorũ qui ad hanc tendunt
      - Deſiderando. Vtinam dirigantur.
      - Cauſam allegando. Tunc non confundar.
      - Ne derelinquãtur precando. Non me derelinquas.
  - Speciali, depertinentibus ad eam operibus vitæ.
    - Actiuę, vbi ponitur
      - Remotio impeditiuorũ, nam perfectionis amorem impediunt.
        - Paſſionis impulſus. In quo corrigit.
        - Virtutis humanæ defectus. Retribue.
        - Corporis aggrauantis pondus. Adhæſit.
      - Aſſequutio promotiuorũ, quæ ſunt
        - Fides dirigens reſpectu
          - Simplicium. Legem pone.
          - Perfectorũ. Et veniat.
        - Spes ſubleuans prout reſpicit
          - Gratiã Dei. Memor eſto
          - Vſum liberi arbitrij.
          - Portio meà.
        - Charitas ſtimulãs ex cõſideratione benefic.
          - Mentis. Bonitatem.
          - Corporis. Manus tuæ.
    - Contẽplatiuæ cuius declaratur
      - Sumitas ex parte
        - Obiecti cõtẽplati cuius notatur
          - Suauitas. Defecit.
          - Stabilitas. In æternum.
        - Modi contemplandi
          - Oſtendens propoſitũ: Quomodo.
          - Excludẽs oppoſitum: Iniquos.
      - Sublimitas quę acquiritur
        - Frequẽti medit. vnde ponitur
          - Contemplationis aſcenſus. Mirabilia.
          - Conſequens zelus. Iuſtus es.
        - Feruẽti oratione; & ponitur
          - Conditio orationis: Clamaui.
          - Humilitas orantis. Vide humilitatem.
      - Annexa iucũditas; cuius
        - Ponitur exultatio. Principes. Lętabor.
        - Petitur augmentatio. Appropinquet.

Hæc eſt laborioſa & magiſtralis diuiſio Liræ, ſuper pſalmo iſto, quam tamen fatetur non propriè tam conquadrare ex toto, eo quod exercitia harũ vitarũ ſunt ſibi inuicem permixta. Quam qui perfectius volet intelligere, oportebit in originali requirere. Et etiam opus Cæſarij ſuper Beati immaculati, non vſquequaque contemnendum, aut inutile prouidere.

Deſumptum hoc putari è pſal. 134. domus Iſrael benedicite Domino, domus Leui benedicite Domino, domus Aaron benedicite Domino: qui timetis Dominum benedicite Domino.

SEXTVS explanandi modus, eſt ſecundum varium hominum ſtatum; Aut iuxta Burgenſem additorem Liræ, ſecundum quadruplicem Iſraelitici generis domum,

Scilicet { Iſrael, Aaron, Leui, Timentiũ Deũ } { quibus appropriari poterũt diſtinctiones Pſal. Licet ipſe dicat omnibus cõuenire generaliter. } Nam { Timentibus hora prima. Leuitis tertia. Aaron ſexta. Iſrael nona ſimul contẽplatur [in Mirabilia.] }

Nobilis ille expoſitor magiſter Nicolaus Gorram, præ cęteris copioſior, & artificialior in diuidendo, & non inferior in apponendo & explicando, explanat hunc pſalmum, ſecundum triplicem hominis ſtatum. Incipientium, Proficientium, Perfectorum.

POSTREMÒ diximus hunc pſalmum, explanandum quaſi ſolem feruentiſſimum meridiano calore, tripliciter montes exurentem, & radios igneos exufflantem; dum explicatur ſecundum triplicem amantium affectum.

Nũc vt amans { Seruus, Filius, Amicus, } cũ amãtiſſimo { Domino, Patre, Amico, } vt innuere videtur deuotus M. Ludolfus Carthuſienſis, & facilè patet ſtudioſo, Nam

In octonariis quæ cãtãtur in { Prima, Tertia, Sexta, Nona, } loqui poteſt vt { Seruus piger, cupiẽs ex beatitudinis memoria conuerti, dum audit, Beati immaculati, aut filius prodigus, petens amotionem triplicis impedimenti · Seruus fidelis, ſcire cupiens voluntatem domini ſui. · Filius in patris amore exardens. · Amicus mirabilia amici perſcrutans, & illi adhærens. } ſc. { Paſſionis affectum. Virtutis defectum. Corporis grauamentum. }

Hic mira & ſuauis eſt materia deuotionis, plena pietatis & affectus. Aut iuxta deuotum præmemoratum Patrem Ludolfum, totus pſalmus non eſt niſi quoddam amatorium, deſiderium & affectum frequenti petitione oſtendens, pro intelligentia & cuſtodia diuinę legis: vt hic in via ipſam intelligat, & intelligendo opere perficiat; & tandem ad beatitudinem, quæ in capite commemoratur, pertingat. Vnde ait, quod hæc ſit generalis ſententia pſalmi huius: quod Propheta in iſto pſalmo, tanquam fidelis & deuotus, Deum ſincero & puro amore, totaque mente, ardenter diligens de omnibus quæ mundi ſunt, præ dulcedine diuini amoris nihil appetens, ſummo cordis deſiderio cupit bene, virtuoſè, immaculatè & beatè viuere: & ſic ad patriæ beatitudinem peruenire. Et quia illam vitam bonam, beatam, & immaculatam ex ſe non poteſt attingere. *Mirũ artificium.*

Ratione ſuę { Ignorantiæ & cæcitatis. / Impotentiæ & fragilitatis. / Iniqui & maligni impedientis. }

Imò petit aliquid { Directiuum, / Cõfortatiuum, / Auxiliatiuum, } *ſcilicet* { Legem, & ſcientiam, / Virtutem, & gratiam, / Dei ipſius pręſentiam. }

Vt ſcilicet ipſum illuminet & illuſtret, vt legem diuinam intelligat; & gratia ſua ipſum viuificet, confortet & roboret: vt ipſius legis præcepta & mandata intellecta, opere adimpleat, ac perſecutionem impedimentorum tollat; vt ipſe ab inceptis non deſiſtat, donec ad optatam beatitudinem pertingat. Ecce in his, ait, conſiſtere videtur tota materia pſalmi: & verè, veraciter, conſideratè & grauiter dicit: licet pro vehementia affectus, qui tumultuarius eſt, ordo vix præciſus obſeruari in affectibus, præ amoris flamma, poteſt.

Hæc ecce ſunt, quæ pro qualicunque deuotionis & exercitationis materia, ſuper ſingulari & quotidiano nobis pſalmo, annotanda duxi; in quibus qui ſe exercitaret, auſim dicere, non illi crebrior ipſius repetitio, tædio, ſed gaudio eſſet, & nouos in dies progigneret & ſenſus & affectus. Sat hæc ſint pro danda occaſione ſtudioſis, vt plurima eliciant ex paucis, & exerceant ſe in ſanctorum Patrum explanationibus, & deuoti attentique ſint ſub minoribus horis, in quibus frequentatur iſte pſalmus. De quo latius hæc congeſſimus, quia deſeruit pro omnibus horis minoribus; ſub quibus & ſenſus & affectus variari poterunt ex præmiſſis: vt ſcilicet ſub Primis transferat in ſe perſonam incipientium, aut loquatur, vt adoleſcẽtior filius vel ſeruus: ſub Tertijs tanquam proficiens & diſcipulus, & ſic de cæteris. Aut perant perfectionem vtriuſque vitæ, vel aſpirent in amatorium dilecti abundè, & per exceſſum. Hæc diximus de Primis, de quarum etiam precibus plura dicenda venirent; quam congruus & neceſſarius illic precum ordo: quomodo petitur triplex ſpiritus, ſanctus, rectus, principalis; quomodo eripi petit ab hoſtibus tribus, à carne, mundo, diabolo; & gratias agit de præcipuis beneficijs; In collecta petens tria præcipua hominis inſtrumenta, corda, ora & opera dirigi, ad facienda Dei mandata; vt latius in rationali patet. Ita, quòd omnia & ſingula plena affectuum ſunt, & prægnantia deuotione, tantum ſi diligentem habuerint maſticatorem.

De domo capituli, lectione martyrologij, & de ipſo capitulo.

CAPVT TERTIVM.

CONgregate vos in domum diſciplinæ, Eccleſ. 6. Et quoniam poſt terminatas Primas, communiter itur in domum capituli, ſeu *ad pretioſa*, dicẽdum; aut ad capitulum ſeruandum: videndum quibus illic mens veniat exercitijs agitanda. Et nota breuiter hæc aliquantula in verſiculo tacta.

Ad loca dum culpa ventum fuerit, gere ſic te.
Inflammans, pete quam feruens, retinẽdo, fatere.

Hoc eſt in domo capituli, ſub lectione martyrologij, quod prouido & alto conſilio conſtituere Patres orthodoxi; debet ſe homo à torpore ſuo excutere, & feruore & exemplis ſanctorum inflammare ad illorum imitationem; vt ſic *de ſtercore boum lapidetur* pigritiës noſtra: & *memores* ſimus, *quomodo ſalui facti ſint patres noſtri*, inflammemurque cum Machabeicis elephantibus, poſtquam oſtenditur & proponitur nobis, non mororum, ſed tãtorum ſanctorum ſanguis. *Eccli. 22. 1. Mach. 4 2. Mach. 6*

Ex excitato in nobis feruore, ex corde congratulemur illis, deuote dicendo, & congratulantes: *Precioſa eſt in conſpectu Domini*; ſed multò intentius imploremus eorundem auxilia, vt ſequamur exempla. Quod vt poſſimus de nobis (qui cæci ſumus, infirmi, & hoſtibus circundati innumeris) prorſus deſperãtes, hactenus ſpes in Deum, ſanctam ipſam Trinitatem, per tria appropriata obſecrantes, quo faueat miſerijs noſtris, vt conformemur ſanctis. *Pſal. 115.*

Sua { Potentia, / Sapientia, / Bonitate, } noſtram { infirmitatem roborando, / cæcitatem illuſtrando. / peruerſitatem eliminãdo. }

Vt ſic digne vtamur tempore conceſſo, pro quo petitur in verſiculis & collectis.

Ex lectione autem, quæ ſubditur, ſtudeat vel vnum punctum memoriæ commendare, quẽ crebrius ipſo die de ventre memoriæ ructare debet, ruminare & reuoluere: vt de Beniamin legitur, qui *lupus rapax manè eſcam cœpit, quam veſperè diuiſit*. Geneſ. 49. Et non ſolum pro ſe, ſed & pro defunctis ſollicitus ſtudeat eſſe, propter plurima inductiua in regione purgatoriali annotata. Et ſic deuote ſingula cum conſiderata attentione & deuotione peragere: & pſalmum, Laudate, cum cæteris intente legere, & ad codicem potius, quam ſemel vidiſſe, & memoria didiciſſe ſuperbire. Quæ breuiter de ſingulis minimis ita tetigimus, vt in cæteris omnibus conſimiliter negotiandi & excitandi formam & archetypum demus.

MEM-

Digitized by Google

MEMBRVM I.

Quomodo ſe Religioſus ſubditus habere debet in capitulo.

Ioſu. 7. II. *Fili da gloriam Deo, & confitere peccatum tuum.* Poſtremò (vt vltimus punctus ſu-
perioris verſiculi habet) ſi dies capituli fue-
rit, humiliter, & libenter culpas fateri debet,
quemadmodum authoritas commonet; me-
Mar. 15. mor innocentiſſimi Domini ſui Ieſu, quomo-
Eſa. 53. do ſtabat coram Pilato; quomodo item, vt
agnus obmutuit coram ſe accuſantibus. Me-
mor etiam horrendi illius iudicij futuri, cu-
ius in hoc quædam parua imago eſt: vt in
Matt. 25. Dialogo ſuo, Adã de Sancto Victore deducit.
Erga quem locũ religioſus ſic ſe habere debet,

Aduentat, dicat, ferat, implens, vitet, & oret.

Primvm ad bonum Religioſum ſpe-
ctans, eſt, quod libenter ad locum capituli, &
correctiones accedat. Locus ſiquidem ille
(præ omnibus alijs) hoſtibus eſt terribilis; eſt
Spiritui ſancto gratus, & hominibus vtilis, vt
oſtenditur ex multis exemplis. Ibi enim diã-
bolus amittit, quicquid lucratur in alijs locis:
Vnde hunc tanquam liberationis portum,
religioſus amare debebit; & tanquam ianuã,
& portam Paradiſi; Licèt videatur ergaſtulum
martyrũ, & infernus quidam damnatorum, vt
dominus magiſter Adã proſequitur, vbi ſupra.

Alterv m eſt, quod in Religioſo ibi e-
tit defectuum, & culparum luculenta recog-
nitio; & eorundem humilis, & aperta confeſ-
ſio, & ſui ipſius accuſatio, ne accuſetur in
poſtremò Iudicio, coram mundo vniuerſo; &
vt conualeſcat à vitiorum morbo, & libere-
Pſ. 90. tur ab inferno, & verbo aſpero. In qua confeſ-
ſione debet prætendere (iuxta Bonauentu-
ram) honeſtatem, cautelam, cum humilitate.
Honeſtatem, vt nudato capite, cum reueren-
tia, & timore, dimiſſis oculis, cõiunctis mani-
bus, culpam ſuam de manifeſtis erratibus di-
cat; *Cautelam* vt paucis ſe expediat, ne quem
ſcandalizet occulta cordis illic narrando, quæ
in confeſſione ſacramentali ſunt dicenda; In
geſtu, & verbis omnem præferens *Humilita-
tem*, & mititatem, patiens ſuarum correptio-
num. Et hoc eſt tertium, quod in verſu ſubdi-
tur; *Feratur*: id eſt, vt patienter correptio-
nem audiat, & libenter pænitentiam recipiat.

III. Mvlta etenim ſunt inductiua, quod a-
manda, & libenter eſt audienda vitiorum cor-
rectio:

Diſtinguit, bona datque, nocet, bene congruit aptat.

Prima ratio, quare correctio libenter am-
plectenda, eſt, quia corrigibilitas *Diſtinguit*
inter hominem & diabolum, qui incorrigibi-
lis eſt: Vnde incorrigibilitas hominem diabolo
aſſimilat; Eccleſiaſt. 21. *Qui odit correctionem,
veſtigium eſt peccatoris.*

Secunda ratio, quia correctio valde vtilis
eſt: Virga enim correctionis fructifera eſt, pro-
ferens flores, & amigdala, & bona multa. *Me-
lior eſt manifeſta correctio: quam amor ab condi-
tus*; Et vt dicitur Prouerb. 27. *Virga atque cor-
rectio tribuit ſapientiã.* Et, *diſciplina tua correxit* Prou. 29
me in finem. De cuius vtilitatibus, multa pa- Pſ. 17.
tent ex ſcripturis, quæ latiſſimè executus eſt in
ſpeculo ſuo Morali Vincentius. Videatur, le-
gatur ibi.

Tertia, quia defectus correctionis *Noxius*
eſt valde & periculoſus; ita quod ſine illa, nulla
perſtare poterit religio in vigore. Diſciplina
ſiquidem eſt religionis magiſtra; & *vbi rigor,
ibi vigor*: Vbi autem deeſt correctio, ibi abun-
dat peccati corruptio; Et qui hic non corrigi-
tur: in futuro damnatur. In cuius typum dici-
tur quod. *Proiecit Moyſes virgam, & verſa eſt* Exodi. 4.
in colubrum; Virga correctionis in colubrum
vertitur, quia qui hic non corrigitur, in futu-
ro ab infernalibus ſerpentibus cruciabitur.
Prou. 15. *Qui increpationes odit morietur*: vita
naturæ, ſcilicet & gratiæ. & infra. *Viro, qui
corripientem ſe dura ceruice contemnit, repenti-* Prouc. 29
nus ſuperueniet interitus &c. Ita quod breui-
ter, omiſſio correptionis, mater eſt totius mali,
& diſſolutionis.

Quartò amanda eſt correctio, quia *valde
congruit* loco in quo ſumus, & generali, & ſpe-
ciali. In cælo enim, & in inferno, locum non
habet correctio; ſed tantum hic in mundo, v-
bi homo poſitus eſt ſub virga diuinæ diſci-
plinæ; præſertim vero religio propriè eſt lo-
cus correctionis, valetudinarium quoddam,
& locus ſanationis; ita quod, qui eſt incorrigi-
bilis à monaſterio eſt expellendus: vt in regula
docet Pater Auguſt.

Poſtremò amanda eſt correptio, quia *Aptat*
hominem in omne bonum; & ſignum eſt ſapi-
entiæ, & virtutis Prou. 9. *Argue ſapientem, &
diliget te.* Et Eccl. 10. *Vir prudens, & diſciplina-* Eccl. 10.
tus non murmurabit correctus. Contra verò, o-
dium correptionis, ſignum inſipientiæ eſt, &
fatuitatis; Prou 12. *Qui odit increpationes, inſi-
piens eſt*, &c Libenter ergo clauſtralis debet
venire ad iudicium capituli, per quod euaſu-
rus eſt diſtrictum iudicium Dei; Libenter, &
gaudenter debet audire verbum duræ incre-
pationis in capitulo, vt liberetur à verbo aſpe- Pſ 90.
ro, omnibus alijs aſperiore, quod audituri
ſunt mali in iudicio: Ite maledicti &c. Mat 25

IV. Qvartò libenter etiam, & hilariter
debet ſuſcipere, & implere pænitentiam iniun-
ctam, tanquam vulnerum ſuorum ſanatiuam
medicinam: iuxta illud, *Diſciplinam Domini* Prou. 3.
ne abijcias; quia tametſi eſt amara, valde ta-
men eſt curatiua, Nec enim ſine magna con- Similia.
fricatione peccati rubigo expellitur; nec ſine
amara potione noxius à mentis ſtomacho hu-
mor eijcitur, nec ſine acri dolore, vlcus à
vulnere abſcinditur. Gaudenter itaque ſumat
poculum amaræ confectionis, ob ſpem ſalutis;
certus, quod *corrigens* Prælatus, eſt accuratiſ-
ſimus ſuæ ſalutis medicus; & fratres, *qui eum
proclamant*, amici, qui vulnus eius medico ſa-
nandum ex compaſſione oſtendunt. *Et pæni-
tentia iniuncta*, ſalutaris medicina, faciens id
correpto animo, quod lima ferro, fornax au-
ro, flagellum grano, medicina morbo. Bene er-
go ait venerabilis Adam, gaudere poterit reli-
gioſus die illo, quo correptus eſt in capitulo, &
ſatisfecit pænitentiæ Sed quia totius capituli

fructus eſt in emendatione, ideò non ſufficit, vt ſit culparum confeſſio, & ſatisfactio; ſed neceſſarium inſuper, vt ſit deinceps cauta earundem deuitatio, & emendatio: Et hoc ſignum eſt bonæ, & ſapientis mentis: ſicut è cõtrario, non emendari, peruerſitatis. Vnde dicitur, *Proner. 17* *Plus proficit vna correctio apud ſapientem, quam centum plagæ apud ſtultum.* Et, *Proue. 27* *Si contuderis ſtultum in pila quaſi ptiſanas, feriente deſuper pilo; non auferetur ab eo ſtultitia eius.* *Eccli 3.* Nam *peruerſi difficilè corriguntur* &c.

POSTREMÒ, vt fructum ex capitulo habeant, Deum pro hoc oret. Et (vt magiſter Robertus de Sancto Victore docet) ſingulariter pro his, qui eum proclamant, vel corripiunt, orare eodẽ die debet: ſingulariq; aliquo remunerare obſequio, quod eum reuelare velint de defectibus, & peccato; cogitando, quod qui ſe clamat nouacula ſit Dei, & pilos vult ſibi tollere deformes, vt ſpecioſior fiat, & quod eſt medicina quædam miſſa de cælo, pro ſanitate animæ, &c. Patet ergo qualiter ſe Religioſus in capitulo habere debet ſcilicet modis iſtis.

Compunctus, reuerens, humilis, cautus, patiens ſit.

MEMBRVM II.

Qualis debet eſſe Prælatus in corripiendo.

V.
2 Thi. 4. ARgue: obſecra, increpa cum omni patientia & doctrina. Tim. Qualiter autem Prælati in corripiendo ſe habebunt, quia paruulis ſolum ſcribimus, non eſt huius operis; ſed breuiter ſic erit qualificatus.

Iuſtus, diſcretus, pius, & mitiſque modeſtus.

Primò ſiquidem iuſtus erit, zeloſus, & ſeuerus, ne malorum correctionem negligat; ſed diſciplinam metuendus imponat. Occaſio etenim hominum malorũm eſt Prælatus negligens, & impunitas vitiorum.

Sed huiuſmodi zelum correctionis, neceſſe eſt, quod comitetur diſcretio, & virtus manſuetudinis: *3. Reg. 8.* Vnde in Arca erant virga correctionis, tabulę diſcretionis, & manna manſuetudinis. Opus autem eſt diſcretione multa; vt correctionem ſciat ſpeciale eſſe opus Dei: & ideo præmittat orationem; Item vt ſciat pro tempore diſſimulare: Qui neſcit parcere, neſcit punire; Item vt iudicet pro rerum qualitate. *Leuit. 12.* Pietas quoque eſt neceſſaria, quia ignis zeli ardere debet, in loco miſericordię: & *virga* correctionis procedere debet *de radice Ieſſe,* *Eſa 11.* id eſt, intentione amoris. *Ps. 89.* *Superueniat quoque manſuetudo, & ſic corripiatur,* *Gal. 6.* & inſtruatur in ſpiritu lenitatis: *Iac. 1.* *Ira enim viri iuſtitiam Dei non operatur.* Et breuiter miſcenda eſt lenitas cum ſeueritate, & faciendum quoddam modeſtię temperamentũ; vt nec multa aſperitate exulcerentur ſubditi, nec nimia benignitate ſoluantur: *Prou. 13.* Vt ſit virga correctionis, cum baculo ſuſtentationis. *Luc 10.* Conſoletur puſillos, & vinum cũ oleo infundat, cum euangelico Samaritano, *Diſcretè omnia.* vt ſic ſiue plectendo, ſiue parcendo, diſciplina obſeruetur pro perſonarum qualitate, quia non ſanat oculum, quod ſanat calcaneum: & parcius cum veterano agendum.

Hæc breuiter ſufficiant de loco capituli, & modo correctionis. De qua qui vlteriora volet, inſignia opuſcula Bonauenturæ legat, de ſex alis Seraphicis, vtiliſſima omnibus Prælatis

---

Quid agendum poſt Primas.

CAPVT. IIII.

MAne dices. quis mihi det veſperum? Deut. 28. INTER cæteras totius diei horas, ap- I.
tiſſima deuotioni eſt hora Primarum, quemadmodum diuus Hieronymus dicit, Poſtquam, inquiens, omne tempus conſecrandum erit Domino, & nullam prorſus horam à ſpirituali profectu vacuam conuenit eſſe; cumque tibi in lege Domini die ac nocte meditatio debeat eſſe: *Pſal. 1.* debet aliquis determinatus eſſe numerus horarum, quo plenius Deo vaces. Optimum ergo, huic horæ Matutinæ deputare tempus, & meliorem ac puriorem diei partem (vſque ad horam Tertiam) animam quotidie in cæleſti agonę certaturam, velut ſpirituale quoddam paleſtræ exercere gymnaſium. Hæc ille. Ex cuius verbis ſatis apparet, quàm congrua, & accommoda deuotioni ſit hæc primaria, poſt Primas, diei hora: Quare tunc homo, totius diei tranſigendi rationem ponere debet, vt ſingula ſuis temporibus diſtributa, pro ordine Regulari gerantur. Optima etenim ea gubernatio eſt, ſi ſingula pro ſuo tempore fiant; &, *neglectis quæ facere debemus, ingratum Spiritui ſancto, quicquid obtulerimus, omne.* Sollicite ergo poſt Primas cantatas, vel Tertias, tempus hoc pro debito exexpendendum. Et quia tunc communiter priuatæ Miſſæ ſolent celebrari, agendum de exercitijs tunc habendis, & de alijs per ordinem exercendis.

MEMBRVM I.

De celebratione Miſſarum.

OFferte mane victimas veſtras. Amos 4. PRIMVM autem & præcipuum agendorum exercitium eſt, celebrare Miſſas, ſi Preſbyteri ſint; aut ſaltem, libenter miniſtrare ad officium Miſſarum. Illi etenim officio, nihil præponendum venit. Verum quia hæc collectaria non ſcribimus Sacerdotibus; ſed tantum nouellis Religionis ſacræ tyronibus: ideò parum, aut nihil dicendũ deſuper de modo celebrationis, & niſi ſolũ hortando, vt, ſi qui Sacerdotes ſint, non omittant celebrare Miſſas; officium ſummę deuotionis, quo nihil ſuperius, ſi cum digna agatur præparatione cordis. Valde ſiquidem attendenda eſt auctoritas illa. Numer. 9. vbi Dominus ait, *Si quis mundus eſt, & in itinere non fuerit: & tamen non fecerit phaſe, exterminabitur anima illa de populo; quia ſacrificium non obtulit Domino*

in tempore ſuo. Magna itaque multorum Sacerdotum abuſio, ex leuiſſima cauſa à ſacra celebratione ceſſantium, contra Domini Dei intentionem, & præceptum; cum multa habeant, ad quotidianam celebrationem inuitatoria, præſertim iſta,

Officium, debent; iuſſum, mediant, bona, cauſæ,
Compenſent, timeant, dulcedo, neceſſeque priuant.

PRIMVM ad frequentem celebrationem inductiuum eſt, *Officium*, in quo ſunt conſtituti; quia iam facti ſunt os eccleſiæ: Vnde obligantur viuificum accipere cibum, vt per os ad cætera membra deriuetur nutrimentum.

1.Cor. 6. ALTERVM eſt, ſuſcepti ordinis, & collatę gratiæ *debitum*, ne gratiam ſuſcipiant in vanum.

TERTIVM eſt, Chriſti *Præceptum*, qui Luc.22. hoc iuſſit fieri *in ſui commemorationem*: & ſub Exod.23. tanta exterminatione voluit Paſcha celebrari myſticum.

QVARTVM, quia conſtituti ſunt quidã ſponſi, & paranymphi eccleſię, & *Mediatores* inter Deum, & populum: quare Deo ſacrificium debent, vt populo impetrent beneficium.

QVINTVM inductiuũ eſt, *Vtilitas* maxima, quæ prouenit ex celebratione digna, quæ non eſt expreſſibilis lingua humana. Sunt de ſuper ſcripta multa.

SEXTVM, quia rationabiles ſunt *Cauſæ*, quare quotidie fieri debent miſſæ; *vt* ſcilicet Gen.2. ſit verum lignum vitæ in medio paradiſi; *vt ſit* eccleſiæ præſto ſemper, ſpirituale nutrimentum; *vt* in promptu adſit medicina infirmo- Luc. 22. rum; *vt* impleatur Chriſti de quotidiana ſui Nu.28. commemoratione præceptum, & habeamus panem quotidianum; & *vt* miſticè quotidie, conformiter ad legem, offeramus agnum; & *quia* quotidie committitur peccatum, quotidianum offeratur placatiuum ſacrificium. Quæ cauſę comprehenduntur ſub hoc verſiculo,

Ligna, cibus, medicina, agnus, memor, hoſtia, ſemper.

Et non ſolum propter rationabiles has cauſas celebrandum; ſed maximè vt, tametſi ipſi deuotione careant; ſaltem communi populo (quorum miniſtri ſunt) cauſæ ſint deuotionis.

SEPTIMO celebrare libenter, & frequenter debent; vt qui beneficium, *compenſent* per officium.

OCTAVO, quia tam ſunt incerti rerum euentus: Vnde quotidie, *Timendum*, ne forſan ſit vltimus celebrationis dies, & quod propter impedimentum caſuale, forſan cra- Exod. 16. ſtino celebrare non poterit: Non enim inuenitur, niſi ſex diebus manna,

NONO trahet *dulcedo*, & ſuauitas tam digni operis; vnde plura dicta ſunt inferius.

DECIMO coget indicta *neceſſitas*, & horror omiſſionis: Nam non accedere ex notabili negligentia, damnabilis eſt culpa; Quia qui celebrationem ſine cauſa omittit, *quantum in ipſo eſt* (vt Bonauentura ait) *priuat trinitatem gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iuſtos gratia, in purgatorio detentos refrigerio, Eccleſiam Chriſti ſpirituali beneficio, ſeipſum medicina, & remedio contra quotidiana peccata.* Quotiens enim effunditur Chriſti ſanguis: in Matth.26 remiſſionem effunditur peccatorum. *Priuat* item ſe omnibus fructibus ſacramenti; non complet dignitatis officium, contemnit Chriſti præceptum, non ſumit viaticum, euacuat Diuinum cultum, nec extimeſcit tonitrua Pſ.65. grauium comminationum, quibus intonuit terribilis ille in conſilijs, ſuper filios hominum: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis:* Io.7. *& eius ſanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis.* Et ſupra præallegatum verbum nu- Num. 9. meri tremendum, & horribile nimis.

NEC allegauerit quis pro tempore, velamentum propriæ infirmitatis, & indeuotionis, Nam & ob id ipſum magis accedere debet, poſtquàm non eſt in grauioribus criminibus, ſed in propoſito bonæ voluntatis: Infirmus enim medicum requirere habet, & algidus accedere ad ignem. Et licet graue ſit, ad digniſſimam illam menſam mundo corde, & innocentibus manibus non accedere; grauius eſt tamen multo, cum de peccato meruitur, placatum ſacrificium non offerre, & vbi quotidiana infirmitas vrget, non apponere medicinam.

Quotidie igitur iuxta magni Auguſtini ſententiam ſumendum, quod quotidie prodeſt; Et iuxta Ambroſium qui ſemper peccat, medicinam ſemper adhibere debet. Ad quod, & Sanctus Apollonius ſuos inducebat, ſi fieri Pſ.72. poſſet, ne fortè qui ſe longè faceret à ſacramento: elongetur, & à gratia.

NON tamen improbandus quorundam mos eſt, pro tanti Sacramenti reuerentia, ſemel ex humilitate abſtinere in hebdomada; tunc ſpiritualiter communicando, & miſſam deuotè audiendo; niſi in aliud vigeat deuotio, vel neceſſitas, aut feſtum, & priuilegiatum tempus, vt ſunt Quadrageſimæ, & Aduentus; Sub quibus temporibus deuotiores quique, niſi impedimento præpediti legitimo, continuant exercitium celebrationis. Suus nihilominus cuique mos eſt, nec regula vna omnibus competit, nec voto hic viuitur vno. Raro ſacrificat ſacer ordo Carthuſien. vt notat magiſter Iacobus de Herſodia, & alij, in hoc (vt aiunt) antiquos patres inſectantes Marcum, Ammonium, Apollonium, Muſcium, cæteroſque heremitas: qui (vt Odilo. Cluniacen. ſcribit) rarius ſacramentaliter, ſpiritualiter verò communicabant ſemper: vt hoc alibi plenius deductum, ne ex aſſiduitate generaretur contemptus. Contra tamen nunc ſuadent multi, allegantes, quòd timori amor ſit præferendus.

SED viderit, qui hoc frequentare deſiderat, quòd ita viuat, quòd quotidie accipere dignus ſit: ne id Prophetæ contingat, *Multiplicauit Ephraim altari ad peccandum, factæ* Oſee.8. *ſunt aræ ei in delictũ.* Non quòd aliquo ſui merito, vel induſtria dignus homo reddi poterit,

Digitized by Google

Condignum, & congruũ etiam ſi mille ſe præparauerit annis, ſed ſolum numine diuino, fluctuans inter duos ſpei videlicet, & timoris *molares, quos noluit* *Deu. 24.* *impignorari Deus.* Sed dignus ex congruo iudicatur, ſi per exercitium boni operis, ſegnities expellatur teporis, & inflammetur mens ad virtutem timoris, humilitatis, & ſanctæ deuotionis. De qua præparatione nihil nobis dicendum erit, cum innumera ſint deſuper conſcripta volumina Doctorum & productioris foret operis.

Sed hortamur tantum, vt ſtudioſi omnes ſint, ad ſcrutãda, & intelligenda ſacramẽta illa, ſymbola, & myſteria officij tam excellentis. Quod ita oppletum abditis eſt ſacramentis, ſicut mare guttis, Sol atomis, Firmamentum ſtellis, & Cælum empireum beatis. Dent ſe itaque ſacerdotes omnes talibus libris ſtudendis, vbi traditur Miſſarum explanatio, & ſacri Canonis, quales comperiuntur plures ſine numero nimis. Aliter ſimiles ſunt Simijs, ea quæ viderint ab alijs hominibus fieri, ſine intelligentia ſectantibus; aut aſinis, aliorum vſui panes deferentibus; cæcis, imaginem, quam neſciunt, colentibus; folium ſine fructu arboris quærentibus; aut nucis amaritudinem, ſine nuclei dulcedine guſtantibus: vt dicitur in his verſibus,

Qui neſcit, quid agit ſub ſacris, aſsimilatur,
Simiolis, aſinis, cæcis, foliumque, nucemque.

IV Qui vlteriorem materiam, ſuper modo præparandi ad Miſſam habere volet, ad ſacramentale noſtrum, & ſcalam ſacræ communionis, infra recurrat: & ad deuotos libellos, deſuper editos à multis. Non quòd inter celebrandũ, multa de ſacramento contemplari ſit opus, ne miſſæ officium proteletur nimis, quod commoderatum eſſe ita debet, vt nec per nimiam feſtinantiam incurratur irreuerentia, aut indeuotionis nota, & generetur populo ſcandalum: nec etiam prolixitate nimia, eis inferatur tædium. Sunt ſiquidem aliqui Sacerdotum, (vt ait Guillermus Pariſien.) cæreorum conſumptores, qui Miſſas adeo prolongant, quod tædio prolixitatis ſuæ, corda circumſtantium, & à gratia deuotionis areſaciunt; & ipſam refectionem ſpiritualem, quàm in Miſſa percipere debent, in moleſtiæ amaritudinem eis vertunt. De qualibus poteſt cõqueri Miſſis circumſtans, & dicere, *Dederunt* *Pſ. 38.* *in eſcam meam fel.* Quorum prægrandis eſt ſtultitia, vt pro pugillo deuotionis, quod eis in Miſſis tribuitur, totius populi deuotionem auferant; & pro tribus, vel quattuor, vt ita dicatur, lachrimulis compunctionis, vel deuotionis; vaſa omnium aliorum magna, ſcilicet corda deuotè, ac lachrymoſe orantium, effundãt: quaſi in priuato deuoti eſſe nõ poſſint. Non hæc dico, quod perſuadeam, quod Dei obſequium detruncetur, refectio acceleretur, quod ſit *longa popina, breuis Miſſa*, quod proteletur vanum colloquium, abbreuietur diuinum officium; ſed vt teneatur honeſtatis medium. Hinc monet deuotus Thomas noſter Kempis. *Non ſis in celebrando nimis prolixus, aut feſtinus; ſed ſerua bonum communem modum eorum, cum quibus viuis. Non debes alijs generare moleſtiam, & tædium, ſed communem ſeruare viam, ſecundum maiorum inſtitutionem; & potius aliorum ſeruire vtilitati, quam propria deuotioni, vel affectui.*

Quanquam tamen vniformis ad hoc modus, ab omnibus non poteſt ſeruari: Nam quod vni medium eſt deuotionis, alteri eſt diſtractionis. Vnde hoc obſeruandum ab omnibus; vt cum omnium reuerentia, & deuotione expleatur tanti ſacrificij cultus. Hinc legitur de Sancto Thoma Canthuarien. quòd non tardus erat in miſſa, nec moroſus; ſed feſtinanter celebrabat cum ardenti affectu deuotionis: inſtar filiorum Iſrael vorantium *Exod. 12.* agnum cum feſtinatione. Contra verò legimus de Hieton. Briglintoniæ, & Ogerio quòd erant prolixi nimis. Mediũ (vt diximus) tenuere beati. Et (vt aiunt) medio tutiſſimus ibis. Nam quod S. Thomas accelerabat, ſtatus requirebat Prælationis ex quo alijs intendere erat obligatus; Quod alij fuere prolixiores, ſingularis gratiæ munus fecit, quo erant præuenti à Deo in benedictionibus *Pſ. 20.* dulcedinis; ſed in medio conſiſtit virtus. Quæ annotata ſufficiant, vt ſemper pro qualitate terrarum, obſeruetur modus, vbi à quibuſdam erratur, tota, vt aiunt via, apertiſque oculis. Qui ita obſtinati ſunt in prolixitate, vel breuitate miſſarum, vt maculent Dei ſacrificium. O præcaueatur.

MEMBRVM II.

De miniſtratione ad miſſam.

SI *quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus*, &c. *Io. 12.* DICTO breuiter, quòd Sacerdotes, & libenter, & frequenter celebrare miſſas debebunt: Dicendum, quòd etiam iuniores non Sacerdotes, volenter, & ſtudioſè tanto miniſterio, cum opus fuerit, ſubminiſtrabunt; propter plura ad id inductiua, quæ commemorantur hoc verſu,

Si vocitent ſeruire Deo, gaudenter adibis:
Eſt opus angelicum, deuotum, gratia, poſcent.

Horum declaratio verſuũ ponitur in Speculo monachorum, ſub hac forma verborum. Ad miſſam libenter miniſtra, quia hoc eſt *officium Angelorum: Ipſi enim Domino ſuo, vbique miniſtrant deuotiſsimè. In hoc enim miniſterio multiplex eſt fructus: Primò quia eſt boni operis exercitium; Secundò, eſt opus charitatis, promouens proximum in bonum; Tertiò, eſt opus ſingularis deuotionis, quo Domino appropinquas in oratione; Quartò, vt diximus, eſt opus Angelicum, cum quibus ibi Deo præſenti miniſtrat, ſicut & illi: Ex hoc enim familiariores erunt tibi Angeli, quod eorum cooperator ibi es. Et non ſolum illi, ſed & Sacerdos, cui miniſtras, ſpecialiter tenetur orare pro te; ſed & omnes circumſtantes, quorum vices geris, imò & tota eccleſia vbique terrarum; quia tu geris vicem omnium fidelium, qui Domino*

ſuo

ſuo de cælo venienti, cum deuotiſſima gratiarum actione deberent miniſtrare, ſi poſſent adeſſe. Et vix poteſt eſſe, quin Deus aliqua ſpeciali gratia remuneret eum in præſenti, qui libenter, & deuotè miniſtrat, ad tam venerabile Sacramentum. quo nil melius, & dignius in cælo, & in terra. Hæc ibi.

SI CVT hæc inductiua non ſuffecerint, plura ſibi colligere poterit, ex his, qui in dominicario dicuntur, de fructibus, & inductiuis Miſſę audiendæ; Et in genere inducunt, ad libenter Miſſę miniſtrandum iſta,

Eſt dignum, placitum, ſunt inductiua, bonumque.

Hoc eſt trahet officij ipſius altitudo, & *dignitas:* Nihil enim, poſt Presbyterium, dignius, quam tanto ſacrificio poſſe cooperari, & quodammodo conſecrare: Vt ait in ſermone Guerricus Iginacen. Et verè (vt Agatha Sancta Theologizans dixit) *Ingenuitas ſumma eſt, in qua Chriſti ſeruitus comprobatur.* Nullus itaque quantumlibet magnus, & inclytus, ab hoc tantæ dignitatis officio abhorreſcat; ſed
Mat. 3. clamirent ſe cum Baptiſta indignos omnes.

Alterum attrahens, eſt huius miniſterij *acceptio*, & placibilitas: Gratiſſimum ſiquidem Deo miniſterium iſtud; vnde & tam ſublimibus, & ſuperbis promiſſis, miniſtros ſuos efferr dicens: *Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus.* Cuius acceptabilitas patet ex factis exemplis multis, vt legitur in libris illuſtrium virorum, & Fratrum Prædicatorum; quam & ratio dictat: Si enim terrenus princeps fidelem ſibi miniſtrum dignè, & affectuosè miniſtrantem diligit, & donis ditat; quanto magis de bono Patre id credendū cæleſti? Et hinc certatim ante tempora, pro miniſterio hoc, pleroſque concurriſſe legimus, & quodammodo decertaſſe. Quanta autem generalia ſint inductiua, ad Miſſam libenter audiendam, & quantus exinde fructus; Dominicarius, vbi agitur de Miſſa audienda, plenius docet. Et de ſingularibus fructibus miniſtrandæ Miſſæ, ex ſpeculo eſt adductum. Ferueant itaque ad tantum miniſterium omnes, & graui ſe iactura lugeant affectos, vbi non datur ſubſeruire Officio Miſſæ.

Io. 12.

§ 1. *Qualis erit, qui miniſtrat ad Miſſam.*

Pro. 14. VI.

A*Cceptus eſt Regi miniſter intelligens,* &c. PORRO qualem eſſe oporteat tanti Sacramenti miniſtrum, & qualiter ſe debeat gerere, paucis nunc explicandum erit: Et nota eius conditiones.

Seruitor Miſſæ talis ſit, ſic gerat, & ſe.

omnia cum feruore agendo.	*& ſollicitus circa aquam, & vinum, vaſa, & omnia attentus.*
Deuotus,	Circumſpectus,
circa Sacerdotem, & miniſterium, & vaſa.	*grauis in moribus, honeſte omnia tractando.*
Reuerens,	Sit honeſtus,

Vina probet, lumen mungat, reſpondeat alte;
Haud ſpuat, haud circumſpiciat, ſuſurria vitet,
Aſſiſtet, ſonitus caueat, in fine ſequatur.

Multa pro horum declaratione poterunt dici, ſed breuiter tenendum, quòd in tanti ſacrificij miniſtro, ſicut & in Sacerdote, requiritur munditia, deuotio, & diligentia ſpecialis. Vnde ſi in agendis miniſterijs Regijs, aut Principum ſæculi, ſtudioſiſſima cura impenditur; quanta æterni Regis miniſterio cura erit impendenda; *In omnibus itaque exhibeant ſe, ſicut* 1. Cor. 6.
Dei miniſtros, non vt vituperetur eorum miniſterium: Sed ſtudeant dignè accedere, melius progredi, optimè terminare; vt in acceſſu ſit puritas corporis, & mentis, nam pollutus corpore, pro reuerentia poterit abſtinere, ſi non ſit neceſſe; vt illuſo diacano ſuaſit beatus (teſte Bernard.) Malachias dicens. Non debueras pollutus miniſtrare, ſed verecundè te ſubtrahere, & tantis myſterijs deferre; tali humilitate purgarus dignius exinde miniſtrares; Vt de hoc etiam Presbiterum Carchion, habentem caput exeſum, commonuit ſanctus Macharius, vt ſcribit in libro, qui Paradiſus inſcribitur. Heraclides. Corporalem namque munditiam corporalis requirit præſentia Saluatoris; ſed cordis puritatem adamat magis. Doleat itaque continue ſuper defectibus ſuis, accedens ad tanti miniſterij ſeruitutem: Iuxta illud, *Mundamini, qui fertis vaſa Do-* Eſa. 52.
mini. Et vt Samuel ad Iſay dixit, & ad filios e- 1. Reg. 16.
ius, *Sanctificamini, & venite mecum, vt immolem.* Et poterunt verba eſſe ſacerdotis ad miniſtrum, qui in alio loco dicit, *Ambu-* Pſ. 100.
lans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat. Nam periculoſum eſt, ſine præuia mentis præparatione accedere ad altare, ne fortè lapidetur, vt beſtia tangens montem; aut moriatur, vt filiis Aaron comminatur Deus. Ve- Heb. 12.
rum in miniſterij progreſſu, iuxta Bonauen- Leuit. 6.
turam, opus eſt munditia, reuerentia, diligentia, circumſpectione, & honeſtate multa; vt ſupra in verſibus tactum, & vt latius exequitur in Speculo diſciplinæ. Super omnia, diligentia fiat, ne quis error fiat, in adminiſtratione vini, & aquæ. Et ante omnia caueatur irreuerentia, & indeuotio circa altare; cum illa ſit vna de abuſionibus clauſtri, & tam multa illic ſint, quæ reuerentiam exquirunt; vtpote ſanctitas veſtium, & vaſorum, Angelorum aſſiſtentia, & realis præſentia corporis Chriſti. Si Oza interfectus 1. Reg. 6.
fuit, arcam tangens, quid de his non metuendum, qui reuerentiam neſciunt circa myſticum noſtrum altare? Sanctificentur itaque, qui accedunt ad Dominum omnes, ne Exod. 19.
percutiat eos.

§ 2. *Qualibus autem exercitiis, deuotionem ſuam exercere debebit.*

VII. IN *cunctis gere te tanquàm Domino famuleris,*
Epheſ. 6. *Fac conſueta prius, Chriſti poſt voluito pœnas.*

Hoc eſt, *ſumme* deuotionis exercitium erit, toto corde, & omni diligentia, miniſtrare ſacerdoti, tanquam ipſi Deorûm Deo; nihil illi præferendo, vt quidam multa ex libris lectitantes, & miniſterium negligentes, aut vix intelligibiliter ſacerdoti reſpondentes; Quod dedecens, & abſurdum, & pro graui quaſi læſæ maieſtatis crimine, à Beato Bernardo æſtimamatum. Dum autem tempus permittat, ſolita exercitia in mane exercenda, de quibus ſubdendum erit, exercitabit, diſcutere, ſcilicet, & propoſita innouare, &c. Deinde verò deuotiſſimè in Chriſti paſſione ſe exercitabit, iuxta ſcalam Dominicæ paſſionis; aut iuxta modum ſubnotandum infra, de Miſſa audienda. *Miſſa* enim *celebratur, vt mors Chriſti recolatur. Quotien'cunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* (1. Cor. 11.) Et ne quod tædium pro vniformitate exercitationis ſurrepat, nota, quòd varijs modis hæc commemoratio Dominicæ paſſionis fieri poterit,

Aliquando
1. Textualiter, ſecundum ſingulos, vel omnes Euangeliſtas eam cōmemorando;
2. Secundum principales horas, quibus Chriſtus paſſus eſt, eam diſtinguendo.
3. Iuxta præcipua loca Chriſtum paſſū ſubſequendo, in
   - Horto
   - Domo: Annæ, Caiphę, Pilati, Herod.
   - Mōte
   - Crucis patibulo
4. Secundū ſingula membra Chriſti eam percurrendo
5. Secundum ſcalam paſſionis, eius circumſtantias pertractando.
6. Ex ſacerdotalibus veſtibus; & altaris apparatu eam colligendo;
7. Secundum partes Miſſæ, & myſteria verborum, actuum, & geſtum eam conſiderando.

Ecce tetigimus ſeptemplicē modum, iuxta ſeptem hebdomadæ dies, quorum ſinguli modi adhuc ſubdiſtingui poſſent in ſeptem, ſed prolixitas eſt vitanda, & ſat eſt occaſionē dediſſe deuotis, & excuſationes ad excuſandum teporem negligentibus abſtuliſſe, qui cauſantur ſe non habere, quomodo poſſint ſe exercitare ſub andienda Miſſa. Nimia enim & abunda nimis eſt horum meditabilium copia.

SED iam ſubdendum qualiter in fine Miſſæ, miniſter tanti ſacramenti ſe debeat habere. Vbi omiſſis omnibus hoc vnicum annotamus. Quod nullatenus Sacerdos, ſine miniſtro eſt dimittendus; ſed de choro conuenit cum comitatu ad ſacriſtiam reuertentem deduci, nec vnquam ſolum derelinqui; ſicut legitur, quod à Moyſe miniſter eius Ioſue non Exod. 32. recedebat; & Ionatam ſubſequebatur armi- 1. Reg 14. ger eius; & Sixtum Laurentius Leuita: vt ſic reuertantur quaſi acies ordinata, terribilis dæ- Cant. 6. monibus &c. Hæc produxius diximus de altaris miniſterio, ſuccinctius de reliquis proſecuturi.

MEMBRVM III.

Quomodo reuertetur Religioſus poſt rem diuinam ad cellam.

VADE *populus meus, intra in cubicula tua, claude oſtia tua ſuper te: abſcondere modicum, ad momentum, donec petranſeat indignatio mea.* Eſa. 26. Perfecto autem iam altaris miniſterio; aut dum non fuerit miniſtrandum, non circumſiſtet ad fabulas otioſus per domum, ſed mox ſe diuertet ad cellulæ ſuæ ſecretarium, & clauſo ſuper ſe oſtio; ſtudeat ſe exercitare ad aliquem affectum deuotionis. Maxime etenim hora hæc congruit orationi, cum homo ſit magis ſobrius, & animus aptior ad exercitium deuotionis, & ſtudij ſpiritualis. Quæ autem, & quanta ſint, inductiua adamandæ ſolitudinis, & qualiter cellam ingrediens, aut egrediens ſe exercitabit, ſatis puto dictum ſuperius. Tangendum hic breuiter, quid aſſumendum ſit exercitij mentalis, vt deinde ſe conferat ad opera inſtituti communis: Nota igitur hos verſus, (VIII.)

Dum non ſeruieris, cellam properanter adibis:
Diſcute, commemorans, propone, petens medearis.

Quantum ſit bonū cellæ, & ſolitudinis, nulla explicate poteſt lingua mortalis. Omniū (iuxta Bernardum) officina eſt bonorum, in *qua poſſe conſiſtere, bona compoſitionis initium eſt, & certum bonæ ſpei argumentum.* Valde ergo ad eam, tanquam ad totius fontem boni accelerandū, & immobiliter incumbendum. Quæ quia nullatenus patitur otioſum, ante omnia otiū malorum omniū ſentina, vitandum, & in primis hæc exercitia aſſumenda.

DISCVTE, hoc eſt, iuxta beatiſſimum Bernard. quotidianæ conſcientiæ diſcuſſioni, emendationi, compoſitioni, pars prima diei deputanda eſt. Quam diſcuſſionis formam plenius alio inde loco explicans ait. Mane, præteritæ noctis facà teipſo exactionem, & venturæ diei tu tibi ſtatue cautionem, & ſuperuenturæ noctis fac inductionem: Sic diſcuſſo nequaquam aliquando tibi laſciuite vacabit. De modo autem, & forma agendæ huius diſcuſſionis, diffuſius habetur in examinatorio conſcientiæ. Tantum non abeat defectus deprehenſus impunitus, impunitas enim mater eſt criminis.

DEINDE ſubditur, *Commemorans*, id eſt, vt plenius poterit homo in ſui cognitionem perficere, & ad profectus feruorem incitari, hæc debet commemorare.

Scil.

Scil. { Feruorē priſtinum, Votū emiſſum, Finem intentum, } quā { longè ab eo declinauit. tepidè ipſum exoluit. parum illi appropriauit.

Semper enim horum, præſertim primitiui feruoris, Religioſus meminiſſe debebit, Exod. 13. *Memento diei huius, in qua egreſſi eſtis de Ægypto*; vt pulchrè id tractatur in libro profectus Religioſi; vt & quidam Sanctorum patrum commonuit, *Vide*, inquiés, *qualis primo die fueris, & ſic ſemper viue*; imò progrediatur potius, aut ſaltem non caneſcat, & dilabatur. Interrogauit Abbas Moyſes Abbatem Siluanum, Poteſtne homo per omnem diem facere initiū conuerſionis ſuæ? Reſpondit, Si eſt homo operarius, poteſt per diem, & horam inchoare initium conuerſionis ſuæ; per propoſitum, ſcilicet innouatum. Dicat quoque indefeſſus ſibi, Ad quid veniſti frater, ad quid veniſti, &c. At hoc commonitum eſt, inter profectus inſtrumenta.

INDE ſequitur, *Propone*, id eſt, poſtquam conſiderauit defectum, & prolapſum; ſtudeat innouare propoſitum, maximè in ipſius diei initio, Ioſu. 1. *Tunc diriges viam tuam*. Et Eccl. 11. *Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere ne ceſſet manus tua, quia neſcis quid magis oriatur, hoc, aut illud, & ſi vtrunque ſimul melius erit.* Varijs in locis ad huiuſmodi propoſitorum innouationē cohortati ſumus, cum iuxta illud vocemur ſancti, & omnis profectus dependeat ex illo. Si enim fortiter, & frequenter proponens, tam ſæpè deficit, & decidit: quid otioſe, qui rarius, aut minus fixè; boni aliquid proponit? Quotidiè præſertim ſub hoc tempore matutinali, boni aliquid proponat; & præſertim contra ea, quæ magis profectui obſtant, & impediunt, cautionem ſibi ſtatuat, & pænitentiali aliqua pœna, diſtrictius aut cauēdum, aut agendum, quod opus eſt, iudicet. Et aſſignet propoſita hæc in aliquo Enchiridio, & Manuali codicillo, vt crebrius ea perſpicere poſſit; aut ſi intepuerit, noſſe ſui lapſus defectum. Expertum eſt ſingulare iſtud fore remedium proficiendi. Exigeret præſens locus accuratiorem executionem, ſuper modo, & forma propoſitorum formandorum; ſed puto in dominicario aliqua notata, vel annotanda.

Rom. 8.

SEQVITVR *Petens*, hoc eſt, vt diximus ante matutinas, in ſuis viribus homo confidere nō debet; ſed petere à Domino, vt dirigat greſſus ſuos, & doceat perficere, quod donauit proponere: aliàs parum poteſt proficere homo, qui licet proponat Deus eſt qui diſponit. Thob 4.

MEDEARIS. Poſt diſcuſſam conſcientiam, & deprehenſos defectus, poſt innouata propoſita, & inuocatum Deum, in ſolitudine pertinaciter commorandum: & ab omni ocio præcauendum, & *ſanandis malis paſſionibus* remedium adhibendum. Hoc etenim potiſſimū in ſolitudine (vbi licet) eſt exercitandum: vt Sanctus Bernar. docet, & Seneca Moralis. At etenim primus, in notabili illa Epiſtola ad Fratres de monte, *ægrum profeſſione religioſus ſciat, & vacet circa neceſſarias partes curandæ ægritudinis ſuæ, quæ non modicâ eget cura. Valetudinario ergo ſuo immobiliter incumbat, & remedij ſuſcepti proſequatur vſum, vſque ad ſanitatis experimentum. Valetudinarium tuum, ò ægrote, cella tua eſt, remedium, in quo curari cæpiſti, obedientia eſt obſeruandorum*, &c. Quod, & Seneca exemplariter docuit faciendum, qui in 71. Epiſtolarum dicit. *Quæris quid in ocio faciō? Vlcus meum curo* Et ſequitur. *Id maximè tracta quod in te infirmum ſentis.* exemplum ſubdens, *Sicut* (inquit) *quiſque nouit corporis vitia, & remedia: ſic & animæ vitia noſcat; ſciatque qualis, quibus curatio ſit adhibenda. Neminem præter ſe damnet. Ocium ergo tibi commendo, in quo & maiora, & pulchriora agis, quam in negocio omni.* Illud exercitium præcipuè, & admodum neceſſarium eſt, volentibus proficere in vera religione; vt multo ſudore, & induſtria inuigilent, ad deuincendas malas paſſiones mentis. Eccli. 18. *Ante languorem adhibe medicinam*. Vt ſemper lugeat ſeipſum dicens, *Magna eſt velut mare contritio tua: quis medebitur tui?* Thre 2. Vt ſic ſtudeat notare defectus, & inquirere, & adhibere remedium Iſtud multipliciter ſuadetur in vitis Patrum Sanctorum, vt homo ſit infatigabilis in recognitione ſuorum diſcriminum, & in ſpiritu compunctionis; & Oreſius Monitus iuſſit vulnera mentis curari omni tempore vitæ Vt plenius de modo, & practica huius docetur infra, in deſtructorio vitiorum, & profectu Religioſorum. Hæc ſuccinctius de occupatione ſpiritualium exercitiorum, circa quæ frequenter obuerſari debet conſtitutus in ſolitudine.

De labore Manuali.

CAPVT V.

LAbores manuum tuarum, quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit. Pſal. 27 Quia 1.
vero, (vt quidam Sanctorum Patrum ait) homo fragilis, non poteſt iugiter meditationibus, vel ſpiritualibus exercitijs inhærere; vt digna facetia docuit in vitis Patrum, Abbas Siluanus, cum, qui noluit, niſi contemplari. Et de Iohanne breuis ſtaturæ, qui viuere Angelum volebat. Et Beatus Abbas Paulus, probatiſſimus Patrum, ne ad momentum temporis otioſus eſſet quotidianum penſum operis à ſemetipſo iugiter exigebat; ſuo exemplo combuſti operis probans, ſine opere manuum, nec in loco poſſe Monachum perdurare, nec ad perfectionis culmen aliquando concendere: vt latè id Pater Caſſianus deducit. Neceſſe eſt vt iuxta communis inſtitutionis normam, ſtudeat deputatis temporibus etiam manibus laborare: vt ſic euadat omnium malorum ſentinam. *Multam etenim malitiam docuit otium* iners: Et, venerabili Hugone teſte, nihil magis præcauendum in iuuene, quam vitium otioſitatis; Eſt enim iuuenis in otio, quaſi iumentum ſine iugo. Talis itaque Eccli. 33.

Digitized by Google

ſeruanda gubernatio, vt ſuis temporibus, ſingula ordinatè gerantur, iuxta Patrum leges, & inſtituta: In quibus ſicut Salomon ait, *qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter*. Nec quippiam melius, aut ſalubrius, quam quod communis inſtitutionis formam habet, poterit, exercitari. Studendum itaque, orandum, meditandum & laborandum temporibus conſtitutis. Circa quę tria, quaſi obuerſantur omnia exercitia Religioſorum: vt ſingula ſuo tempore fiant, & cum ſingulari deuotione; non ex inolita conſuetudine; vt vitula Ephraim docta diligere trituram. Sicut legitur de ſanctiſſimo Bernardo, quod ſingularitatem deuitans, in communibus non communē deuotionem habebat. Videndum itaque quomodo hæc ſingula cum deuotione poterunt fieri ſingulari. Et primum de opere manuum, & manuali labore videndum. *Mane* enim *exibit homo* (vt ait Pſalm.) *ad opus ſuum*, quemadmodum habet Nametenſe decretum diſt. 9. cap. *Presbyter* mane exeat ad opus manuale ieiunus. Vbi in primis conſiderandum, cur ſpiritualia deſerentes manibus operemur, ſecundo qualia opera præ cæteris diligenda, tertio de modo ipſo operandi.

Prou. 28.
Oſea. 10.
Pſ. 103.

MEMBRVM I.

Cur operari manualiter, aliquando expediat.

QVo ad primum, multiplex inuenitur ratio à Patribus aſſignata, quarum aliquot complectimur, ſub verſibus iſtis.

II. *Ergo neſcimus ſemper, vacare ſpiritualibus vt exemplum in vitis Patrum de Ioanne.* — *& vitia præcipuè vincuntur in manuali opere, quaſi quodam fræno, cum otioſus ſemper eſt in deſiderio.*

Es fragilis, plenus vitiis,

Prou. 21. *quia cor valde inſtabile: ideo neceſſe eſt opere illud, quaſi quadā anchora, figere, ne ad mala vagetur.* — *ſcilicet tentationes: cum (iuxta Patres) occupatus vno ſolo, otioſus, verò innumeris impetatur dæmonibus.*

vagus, imminuuntur,

quinto, quia opus vtiliter commonet de loco vbi ſumus, vnde excidimus, vbi labor nullus. — *& liberum reddit, ne oporteat aliorum bona concupiſcere, & pro illis orare.* — *pauperes, per opus enim acquiris, quod egenis elargiris.*

Admonet, abſoluit, reficit,

compunctionem peccati inducit, dum contra vulnerum alligamentum de culpa admonet. Apoc. 22. — *poſtremò ad fraternam patriam inflammat, & etiam quietem optare facit, vbi nec labor, aut dolor vllus.*

compungit, & optat.

Ob quas, & conſimiles alias rationes, ſancti illi Ægyptij Patres, miro ſe modo, & indicibili ardore ſe mancipauerunt laboribus; credentes ſe tanto amplius in mentis puritate proficere, quanto in opere manuum erant diligentiores: vt plenius in collationibus. & inſtitutis eorundem Patrum deducit Caſſianus; Et in ſermone de labore meſſis, Bernardus. Libenter itaque ſuo in tempore, etiam quod iniunctum eſt, manibus laborandum: Iuxta quod hortatur Hieron. de conſec. diſt. 5. *Nunquam* Facito aliquid operis, *vt ſēper diabolus inueniat te occupatum*, &c. Eſt etenim occupatio (iuxta Guilielmum Parrhiſien.) ſicut murus altus, & fortis omninoq; diabolo imperuius, & impenetrabilis, omnē viam ei remouens, & omnem aditum ad cor noſtrum eidem occludens: Otioſitas verò eſt, ſicut muri defectus, atque clauſurę, & via patens hoſtibus infernalibus, abſque repagulo obicis. Vnde tenent antiqua ſtatuta Canonicæ regionis, & Concilij Aquēſis. vt omnes Canonici Clerici, ſinguli iuxta capacitatem ſuam, diuerſarum artium erudiantur diſciplinis: vt nullus omnino in Collegio Canonico, inutilis appareat, aut otioſus. Quoditidem iuſſit Concilium Carthaginen. vtque *di. patet 91. c. Clerici.* Vbi Canon dicit, *Item omnes Clerici, qui ad operandum validi ſunt, & artificiola, & litteras diſcant.* Id enim exercitium omnium Sanctorum fuit, adeò vt diffiniebant ſine opere manuum, nec verè poſſe perdurare Monachum, nec ad perfectū culmen, aliquando attingere perfectionis. Vnde & Ægyptiorum monaſteria hunc morem obſeruabant; vt nullum abſque opere, & labore ſuſciperent, vt ex eorundem inſtitutis patet.

MEMBRVM II.

Qualia opera præ cæteris diligenda.

O*Peramini, non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Saluator: Io. 6.
III. IAM de qualitate operum conſiderandum venit. Vbi valde (iuxta Bernar.) notandum, quod non omnia corporalia opera æquè Deū timentium exercitijs conueniunt; vt ſubdiualia, & ruralia multa, quæ ſicut ſenſus diſtrahunt, ſic & ſæpè ſpiritum exhauriunt. Quare præ cæteris talia aſſumenda opera ſunt, quæ cum ſpiritualibus propiorem ſimilitudinem, & conuenientiam maiorem habent; ſicuti eſt ſcribere libros, aut ligare eos; quod ad ſpiritualem ædificationem proficit magis; Nam & meditari licet, quod ſcribitur, & ſcribere, quod legatur. Vnde & plures Sanctorū ſcriptores librorum erant: vtpotè Ambroſius, Hierony. & diſcipuli Sancti Martini, qui præter ſcriptoriam, nullam nouerant artem. Et is eſt cibus, qui non perit, cum etiam facto opere, aliquid in animo manet. Et licet omne iniunctum opus, ex animo ſit faciendum, tale tamen complectendum magis. Non enim vir propter mulierem, ſed mulier propter virum, 1. Cor. 11.
& corporalia, propter ſpiritualia militare habent, vt latius deducitur in epiſtola ad Fratres de Monte. Vnde & Sanctus Appelles, operabatur cingula iumentorum. Quare dicitur.

Fac opus iniunctum, mage conuenientia ſcribe. Id ſiquidem opus ſalubrius, vtilius, & Deo acceptius, quod obedientiæ vicinius: quare nil obedientię præferendum; & nihil curioſum aut ſæculi exercendum opus. *Horreat.* (ait Hieron.)

Hieron.) *Deo dedicatum cor, operari quippiam ſæculare; Aut ſacri codices legendo, aut ſcribendo, genua premant, aut hortulorum cultus exerceatur, aut aliud ſanctum opus, & vtile; vt ex relatione quadam refocillatus ſpiritus, ad diuinum ardorem fortius accendatur.* Quare & ipſe iuſſit Pater Bernard. ſingulis horis, ſecundum communis inſtituti canonem, & obedientiæ legē, ſua diſtribuere exercitia: cui ſpiritualia, ſpiritualia; cui corporalia, corporea. In quibus ſic exoluat omne debitum ſpiritus Deo, corpus ſpiritui, vt ſiquid fuerit intermiſſum, ſiquid neglectum, ſiquid imperfectum, ſuo modo, ſuo loco, ſuo tempore, non abeat impunitum, non recompenſatum. Poterit tamen aſpirare magis ad ſpiritualius exercitium, cuiuſmodi eſt ſcribere: vnde iam dicendum. Ad hoc enim hortatur *de conſecr. di. 5. Nunquam. Scribantur & libri, vt & manus operetur cibos, & anima ſaturetur lectione.*

§ *vnic. De opere ſcripturæ.*

IIII. SApientiam ſcribe in tempore vacuitatis. Eccli. 38. *Ieſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra.* Ioan. 8. ECCE, docemur ſcripturæ verbo; commonemur Saluatoris exemplo, ad opus ſacræ ſcripturæ. Valde ſiquidem bonum opus eſt, (ait Thomas Kempis) ſacros ſcribere libros, quos dum alius legit, alius etiam prædicat, præmium maximum de multiplici ſecum laborum ſcriptor reportat; per quos dum Deus agnoſcitur, legitur, & prædicatur, non dubium quin copioſè remunerabitur, qui ad Dei honorem, & proximorum vtilitatem, tales ſcribit, & pandit. Si mercedem ſuam non perdet qui calicem aquæ frigidæ ſitienti porrigit; quantam putamus mercedem recipiet, qui animæ perpetuo victuræ ſalutaris ſapientiæ aquam ſcribendo adminiſtrat. Quot enim litteras debite formatas, tot Deo hoſtias laudis offers. Meritorium ergo valde eſt, & deuotum ſcribendis libris operam dare, & eos in magna reuerentia, ac diligenti cuſtodia ſeruare. Sunt namque libri ſacri arma Clericorum, ornamenta eccleſiarum, diuitiæ, & theſauri Doctorum, tubæ Sacerdotum, ſolatia Religioſorum, epulæ Deuotorum, teſtamenta Sanctorum, ſummaria Fidelium, ſeminaria Virtutum, organa Spiritusſancti. Scribere ergo libros opus eſt Deo acceptabile, legere vtile, docere commendabile, prædicare ſalubre. Quis autem legeret, vel prædicaret, niſi Sanctorum ſcripta noſſet? & niſi ſcriptor prius ſcripſiſſet? benedicta ergo manus ſcribentis, & benedicti digiti in tali ſe opere occupantis, qui pro ſingulorum tractu charecterum, non priuabitur ſingulari retributione præmiorum. Nam venerandus Cancellarius Parrhiſienſ. Gerſon, in præclaro ſuo opuſculo, quod edidit de laude ſcriptorum: hanc tenet concluſionem. *Scriptor idoneus, & feruens doctrinæ ſalubris, agit bonum opus de genere: quod ſi proueniat ex charitate, meritorium eſt vitæ æternæ; nec dicendum eſt ſeruile.* Quam concluſionem idem doctor per aliquas comparationes, in duodecim conſiderationibus declarans, eas ſub triplici hoc metro comprehendit,

Mar. 9.

doctrina ſalutaris manu prædicat, & ſi parem zelum habet, aureolam mereri poteſt	*ſimilis eſt ſcrutanti ſtudioſo, ſeu doctrinaliter legenti, quia ſcribendo lectores docens ſe inſtruit.*
Prædicat,	atque ſtudet,
item eleemoſynam largitur, nedum corporalem merendo: ſed ſpiritualem ſocios inſtruendo.	*quia orandi materiam ſibi, & aliis miniſtrat, quia in ſolitudine ſedet Dei, & ſanctorum voces audit: vere contemplationem paſcens.*
ſcriptor largitur,	& orat.
ſcribendo, ſe affligit, in quo ieiunij vicē tenet, & penitentiā facit, pro peccatis ſuis. & aliorum ſatiragens.	*ſal ſapientia poſteris miniſtrat. quo ſcilicet opus condiri poteſt.*
Affligit,	ſal dat
aperit, & ſitientibus fontem aquæ viuæ ſalienti in vitam æternam.	*lucem doctrinæ poſteris adminiſtrat, tot donat ſtellas, quot ſcribit ſyllabas. lucerna pedibus verbum tuum.*
fontem,	lucemq; futuris.
Libri ſunt eccleſiarum theſauri: boni enim libri faciunt Clericos bonos, vnde ditatur eccleſia.	*munit turrim Dauid cū pro pugnaculis, mille clypeis ignitis, gladio verbi Dei, & ſagittis acutis.*
Eccleſiā ditās,	armat,
cuſtodit eccleſiam vt caſtris, ne hæretici eam vincant: ſimiliter & religionem ſuā.	*honorat eccleſiam matrem ſuam, imò & Deum Patrem, & Sapientiam elucidat: quare vitā æternam habebit.*
cuſtodit,	honorat,

Io. 4.

Pſ. 118.

Cant 4.

Pſ. 119.

Eccli. 24.

Quas duodecim concluſiones, in dicto tractatulo ad liquidum proſequens; in eiuſdem fine ſic exhortatur ſcriptores. Agat nunc ſcriptor viriliter, pro cauſa non infima; quatenus iners ocium vitet, quod vitia docet omnia, ſanctorumq; ſententiā, eſt abominabile, & horrendum. Speret præmium, ſperet, quoniam merces ſua magnanimis erit Deus, iubens ſcrutari ſcripturas, ac perinde & ſcribi, quibus habetur vita æterna. Cuius eſſe participes, tanquam in libro ſuo ſcriptos, largitur ipſe dominus Ieſus, liber vitæ ſpecioſiſſimus amen. Qui plura de laude ſcriptorū deſiderat, dictum eius tractatū legat. Legat & opuſculū venerabilis illius domini Ioannis Haghen Carthuſien. inſcriptum de grauaminibus Religioſorum: vbi quæſtionem determinat, vtrum feſtis diebus liceat ſcribere, de quaternione in quaternionem, libellos deuotionis; conformiter concludens ad venerandum Gerſonem, quod non modo liceat; ſed cum multo merito expediat, habito moderamine, quale ſapiens iudicabit; ne diuina meliora omittat, cum ſæpe id plus valeat, quam multiplicatio vocalis orationis, aut miſſarum inculcatio tanta. Vbi plura adducit, in laudem ſcriptorum. Omnes igitur in opus tam dignum, meritoſum, ſolatioſum, ac fructiferum aſpirent. Cuius exemplum præſtitit ipſe Deus, digito ſcribens tabulas legis: Sed & Chriſtus homo, & Deus, digito in terram ſcribens; & præcipui Sancti, & illuſtres quique: vt ex eorundem actibus patet. Qui ſcribere neſciunt, diſcant; in

Gen. 15. Io. 5.

Exo. 31. Io. 8.

in quo commonitos, & hortatos velimus, præſertim monaſteriorum omnium venerandos Prælatos, vt ex vnguiculis iuuenes, & nouitios inſtituant in arte ſcriptoria; vt tanti poſſint eſſe boni participes. Sed iam videndũ de modo ſcribendi, & agendi operis, pro conſeruatione deuotionis.

MEMBRVM III.

De modo ipſo operandi.

V. Coloſ. 3. *QVodcunque facitis, ex animo operamini, ſicut domino.* Col. 3. Super quo Gloſſa, *Quando ad operationem manuum accedis, talem in teipſo forma cogitatum, quia Chriſto miniſtras, qui præcepto, & exemplo ad opera te informat; Operare igitur rectè: Nam qui in laboribus, & operibus, infidelis eſt, & piger; in oratione multò amplius piger erit, & remiſſus.* Hæc Gloſſa. Oportebit igitur ad rectè, & bene operandum, bonum habere

Modũ { Accedendi. Procedendi. Terminandi. } Nõ enim nominib⁹ ſeu verbis, ſed aduerbijs promeremur,

Deut. 16 Nec ſufficit bona opera facere, niſi bene ea ſtuduerimus operari: iuxta illud, *Quod iuſtum eſt iuſtè exequere.* Notetur itaque ſequens verſiculus, pro modo ad opus accedendi.

Excutiens, intende, petens, ad opus properato.

Vt paucis omnia dicamus, *primùm* ante omnia opera, venit animus à torpore *Excutiendus*; & ad operis amorem inuitandus: Pigra namque eſt (vt quidam ait) hominis voluntas, & calcaribus, & flagellis plerunque opus habet. Excutiat, itaque ſe

Cõſideratione { Vtilitatis, Neceſſitatis. } *operis, & aliis inductiuis.*

Vt ſic pigritties, & tepor voluntatis pungatur,

Quaſi duobus calcaribus { Fructu alliciente, & neceſſitate impellẽte.

VI. INTENDE. Deinde *recta ſemper intentio*, operi præmittenda, mentem in Deum non habitualiter ſolum, ſed & actualiter, ſi fieri poteſt, erigendo A qualitate ſiquidem intentionis, dependet meritum, & virtus totius operationis; iuxta illud, *Quantum intendis, tantũ agis*; vt ſæpè monuimus. Poterit igitur homo omni operi præmittere, quaſi conſimilem formam intentionis; qualis orationi dicta eſt debere præmitti; Aut hoc ſi prolixum, & graue videtur, ſaltem in conſuetudinem ducat homo, ante omne opus dicere duo, vel tria verba, *ad gloriam Dei, ad ſalutem animæ, & totius Eccleſiæ profectum.*

PETENS, id eſt. quia propoſita noſtra ſunt debilia, niſi Dominus dirigat ea, ipſius auxiliũ in primis poſtulandum ſemper: iuxta illud Boetianum, *quo prætermiſſo, nullum ritè fundatur exordium.* Quare monuit Hieronymus. in principio cuiuſlibet operis, præmitte Dominicam orationem, & ſignum crucis in fronte, &c. Vnde ſemper præmittendæ operi, eccleſiaſticæ orationes illæ, *Adiutorium noſtrum in nomine Domini. Actiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præueni, & adiuuando proſequere, vt cuncta noſtra operatio, & à te ſemper incipiat & per te cœpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* Itaque. *Omnipotens ſempiterne Deus, dirige actus noſtros in beneplacito tuæ voluntatis: vt in nomine dilecti filii tui, bonis mereamur ſemper operibus abundare; qui pro nobis tanta agere voluit, & pati: & præſertim naſci, vendi, mori* &c. Secundum aliquem articulum Dominicæ paſſionis, aut vitæ. Quia ex tali vnione omnia opera mirabiliter dignificantur; & redduntur Deo accepta; vt Deus docuit Sanctã Mechtildim. Dicatur ergo ſemper, *in vnione tuæ paſſionis*; vel ſic, vt docetur infra, in diſtinctione de vita Domini; Et legantur aliquot Aue Maria.

AD OPVS properato. His præmiſſis, ſine dilatione accedendum eſt *ad opus*, & nihil præferendum his, quæ obedientia agenda indicit; etiam ſine mora obediendum erit: Hinc Sapiens monet, *In operibus tuis eſto velox.* Quæ Eccl. 31. velocitas, maturitatis non remouet grauitatem; ſed vitium tarditatis excludit. Hæc de præparatione operis.

§. 1. *De modo quo ſub operando Religioſus ſe habebit.*

CVm metu, & tremore ſalutem veſtram operamini. Phil. 2. Philip. 2.

BREVITER iam de modo ſub opere habendi agendum, Vbi nota, VII.

Fidus. præcellens, eſto, & deuotus in actu.

FIDVS, id eſt primo *fideliter, & feruenter* Epheſ. 6. operari debet; *non quaſi ad oculum ſeruiens:* ſciens, quia non ſolum corruptibile argentum accipiet; ſed & immarceſſibilẽ coronam in cælis. Scriptum eſt enim, *Cuncta cum diligentia facite*; & iterum, *Agite diligenter, &* 2. Par. 19. *erit Dominus vobiſcum. Maledictus* ſiquidem Ibidem. *qui facit opus Domini negligenter.* Cauendum Ier. 8. nihilominus, vt & alibi commonitum eſt, ne importunè laborans, ſpiritum extinguat; ſed cum diſcretione, & moderate omnia agat. 1. Theſ. 5. Nam quæ pro pietate conſtituta ſunt, contra eam militare non debent.

SIT *præcellens*: iuxta Sapientem, *In omnibus operibus tuis præcellens eſto*: ea vi decet e- Eccleſ. 33 leganter, & optimo, ac perfectiſſimo modo agens; Hoc enim in omnibus Religioſum decet. Vnde nec quiſquam ſe excuſare debet, neſcio ſcribere bene, vel operari: ait Gerſon ſubdens, Diſcant, diſcant, neque verecundentur, neque deſperent, quoniam

——Labor omnia vincit
Improbus. & duris vrgens in rebus egeſtas.

Et neceſſitas, vetulas currere facit. Nihil eſt, quod non diſcere poterit volens. Quare & in celebribus illis conſtitutionibus Concilij Aquenſis, decretum erat, quod Cononici in monaſterijs diuerſis actibus inſtituerentur, præſertim in ſcriptoria arte; Quæ niſi eleganter, & rectè fiat, vtilis eſt ad parum. Nam vt breuiter exercitij cauſa, proſequamur de ea, iuxta Gerſo. Notandum, quod multum cauere ſcriptor idoneus habet, ne incorrectè quæ ſcribit, ſcribat. Conſultius etenim iuxta eun

dem

dem eſſet, nulla, quàm talia opuſcula comminiſtrari; cum litteris, ſcilicet inconditis, ſine lege, ſine ſenſu, vel ordine; adeo vt auctori proprio, vix legibilia reddantur. Hinc ſiquidem prouenient mala plura, & corruptio ſcripturæ non minima ſectatur. Vnde erat, quòd olim apud ſanctos patres, electio habebatur ſuper ſcriptoribus; nec paſſim admittebantur, indoctus, æquè vt doctus: ſed vſque ad punctorum formationem, quæ lucem dant magnam legentibus, examen habebatur. Hinc & priſci Doctores, nominatim clariſſimus ille Hirenyus Lugdunen. ſubnectebant in opuſculorum ſuorum finibus, terribilem diuini nominis obteſtationẽ ad ſcriptores, vt ſcripta ſua correctè tranſcriberent, & per poſteros ita fieri ſuaderent. Alioquin iuxta Hier. quis vel ſcripſiſſe, vel emendaſſe fructus eſſet? Non tamen hic exigitur artificialis litterarum depictio, vnde ſe plures poterunt excuſare. Littera ſit legibilis, ſit punctuata, ſit purgata, non inuoluens ſe tractibus ſuperfluis, ſit demum ſine mendis falſitatis, cum orthographia vera, in pergameno, vt durabilis ſit deſcripta; ne in papiris illico pereuntibus. papireus ſit labor, & eant deperdita opera pariter, & impenſa. Super & quo, eleganti modo ſcribendi; ita commonuit deuotus Pater Thomas Kempis,

Scribito correctè, diſtinctè, protrahe rectè,
Nec nimis acceleres, ne qua imperfecta relinquas.

Ille etenim rem bene facit, qui nihil negligit, quod ſtatus, & ordo rerum requirit.

DEVOTVS in actu, id eſt non ſic incumbendum eſt operi externo, vt à deuotis, & internis officijs vaces, itaque propter hoc, quod homo exterius occupatur, neceſſe eſt, vt à compunctione, & ſancta deuotione, cor interius vacet. Vnde Bernard. *Ceſſante manu, ſpiritus laboret, vel orando, vel meditando*; quamuis & in ipſo labore idipſum facere teneatur. Vt de ſanctis Patribus ſcribit Caſſianus. *Ita*, inquiens, *ab eis inceſſanter operatio manuum priuatim per cellulas exerceatur, vt pſalmorum quoque, vel cæterarum ſcripturarum ſtudia, per totum diei ſpatium iugiter meditantes, totum diei tempus abſumant.* Nec enim modeſtus manuum labor, ſanctam impedit deuotionem, ſed & ad eam multum iuuat. Quare, & inter ſcribendum, vel operandum his, vel ſimilibus exercitijs deuotionis, animum exercere poterit ad pietatem, vt commonent ſancti Patres.

Erige, commemorans, cane, fans, ſanctos, vitiorum

Nam ne à ſpiritualibus exercitijs, in corporalia longius, vel in totum recedatur, aſſueſcat ſæpè ad ſpiritualia reuerti, ne vir ſit propter mulierem. Et cum labori ſe mutuat, inhæreat ſemper iſtis, INTERDVM ERIGENDO [1. Cor. 11.] mentem in Deum, per breues, & iaculatorias orationes; quales crebertimas raptim habuere Ægyptij ſancti patres Auguſt. vtporè dicendo. Deus propitius eſto mihi peccatori; Aut, [Pſ. 56.] amem te Deus; vel, Miſerere mei Deus. Et ad iſtud ſubſeruiunt aſpiratoriæ illæ exclamationes [Pſ. 50.] infra poſitæ, quibus iugiter poterit ſe homo ſubleuare in Deum. De quarum etiam vtilitate, illic dicitur.

AVT *interrumpendum* viciſſim opus aliqua oratiuncula breui, vtpote dicendo aliquor Aue Maria: [Luc. 18.] Oportet etenim orare ſemper ſicut, & reſpirare. Sed, vt Macharius docuit, non opus eſt verbis; ſed extendere manus debemus, & dicere, *Deus quomodo vis, & ſicut tibi placet, ita fiat.* Quod ſi tentatio irruerit dicendum, Domine Deus clementiſſime auxiliari digneris nobis; tu enim ſcis quid nobis expedit, fac nobiſcum miſericordiam tuam. Epiphanius ait, eum, qui eſt Monachus, [Iudith. 8.] oportet ſine intermiſſione orare, aut certè pſallere in corde. Abbas Lucius operans manibus, ſine intermiſſione orabat dicens, Miſerere mei Deus orans corde, vel ore. *Secundo* interrumpendum etiam manuale opus, aliqua meditatione, & commemoratione facta, iuxta materiam dierum, quæ in mane ſemper ſumi poterit, de beneficijs diuinis ſecundum dies, & de defectibus proprijs, vt ſic homo ex miſeria propria, & miſericordia diuina, ad deuotionem inflammetur.

AVT POTERIT (vt ſanctus admonet Bernard.) ſecum ruminare de pſalmis illius diei, qui ait, *Nunquam ſis ita otioſus, ſeu occupatus, quin de ſacris ſemper aliquid mediteris.* Vel quod melius eſt rumines pſalmos, nihilominus inceſſanter, quod tibi iniunctum fuerit operando, vt nunquam diabolus inueniat te ocioſum. *Poterit & tertio*, vt ait in libro de opere Monachorum Pater Auguſt. pro operis, & animi releuatione, etiam inter operandum, canere aliquid factum ex hymnis deuotis, vt adducit exempla de Mæchanicis operarijs. Et Sulpitius de ſancto Martino ſcribit, Quod inter omnia opera quæ agebat, nunquam animum ab oratione laxabat. Nimirum, vt fabris Ferrarijs moris eſt, qui inter operandum per modum à labore leuaminis, incudem ſuam feriunt: Ita etiam Martinus dum aliud agere videretur, ſemper orabat. Vnde, & quidam ſenum, centum & tres orationes faciebat, loquens.

POTERIT etiã, vt Seneca docuit, & Bernardus etiam, inter operandum, occultam cum corde ſuo habere confabulationem. Ita enim Seneca ait: *Cum ſeceſſeris in ocio ſeu negocio tuo, non eſt tibi agendum, quid de te loquuntur homines, ſed vt ipſe tecum de te loquaris: Quid autem loquaris? Quod homines de alijs libenter faciunt*, &c. Et ſuauiſſimus Bernardus: *Per ſingula momenta computet vitæ ſuæ tempus, & videat, vt ſemper faciens bonum, malum caueat. In omni opere ſuo, ſemper hoc dicat ſibiipſi, ſi non moriturus eſſes, faceres iſtud.* Aut, vt aſſolet ipſe ſibi Bernard. ad quid veniſti?

VEL POTERIT *quinto ſe conuertere ad* [Iob. 5.] *ſanctos*, cuiuſlibet diei, ex ordine inuocando illos, per aſpiratoria illa verba, Langueo, rotate, &c. (vt hoc docetur in diſtinctione de ſanctis, & in de mendicitate ad ſanctos.) Et pro mentis rebellatione, dulcem cum illis miſcere ſermonem, vt aſſolet Pater Thomas Kempis, dicendo, quod *propter hoc non frangebat ſilentium ſuum, loquendo cum Sanctis.*

Exo.14. AVT *potiſſimum* ſub illa matutinali hora, quando Dominus ſubuertit caſtra Ægyptiorũ, exerceat ſe in compunctione mentis, & cordis defectuum, & vitiorum; pro illorum expurgatione indeſinentius inſpirando: Vt docet doctus Gerrardus Zutphanien, dicens, *Ante, omnia, ſicut te exerces exterius in opere, ita interius in virium animæ exercitandum eſt reformatione, & in ſilentio, cum cordis compunctione operandum.*

Ecce quanta ſe offert materia deuotionis, etiam ſub opere manuali, qua ſe poterit Religioſus nunc hoc, nunc illo ſe excitare modo: Alterum ex his alteri ſuccedat, & breue videbitur tempus, quod tantis exercitiorum varietatibus occupatur; Et ne qua negligentia ſurrepat, omittendi huius exercitij deuotionis: ſigna, & tempora certa, ſibi præſtituere debet; vtpotè dum mediam ſcripſerit columnam, vel totidem rigas, tunc ſe conuertere ad aliquod exercitium deuotionis. Et præſertim ad ſigna horrologij tunſo aſſueſcat ſemper pectore dicere, Deus propitius eſto mihi peccatori, & Maria Mater gratiæ, &c. Vel vt Gerſon ſuadet, *Domine Ieſu accipe ſpiritum meum.* Aut vt Macharius dicit, *Domine, ſicut ſcis, & vis, miſerere.* Domine adiuua me. Hæc de modo operandi.

§.2. *De modo terminandi laborem.*

Io.19. VIII. C*Onſummatum eſt.* BREVITER nota de modo terminandi opus verſiculum iſtum.

Poſt veniam grates, opus offer, corrige deinceps.

Hoc eſt opere terminato, *petenda eſt venia*, de admiſſa in opere negligentia: *Gratus ſit*, de infuſa, bene operandi gratia; *Offerat* per Angelum opus Deo, & proponat melius, & *feruentius* operari de futuro. Quæ communiter facienda ſunt terminato opere bono. Ait enim Hieronymus: In omni tempore, completis opuſculis, ratio fieri debet.

De diligentia ſtudij, & lectionis.

CAPVT. VI.

Pro.27. I. S*Tude ſapientia fili mi, & lætifica cor meum.* Qui Religionem inſtituerunt, valde voluerunt, vt Fratres certis horis certæ lectionis ſtudio intenderent; & aliquam diei partem lectioni conſecrandam decreuerunt, Omnis enim profectus, ex lectione, & meditatione procedit. Quæ neſcimus, lectione diſcimus, & meditatione conſeruamus. Quare lectionis tempore adueniente, & ſigno ad hoc dato, quaſi vocem præallegatam Dei audito ad ſtudium te cohortantis, & mox operi finem ponens, ad ſacræ lectionis ſtudium, ardenter te diuerte: Iuxta illud Regulæ Patris noſtri Auguſtini. *Codices certa hora ſingulis diebus petantur*, &c. Vnde dictum.

Ad ſtudium, dum ſit pulſum, feruenter adito:

Percipe ſic ſignum, tanquam Domini tibi verbum.

Et vt hoc ſtudium proficiat, eadem, quæ circa corpus conſiderata ſunt, veniunt & de eo etiam

Inquirenda, ſtudij ſcilicet { Inductiua, Qualificatiua, Modificatiua.

Et primo de ad ſtudium incitatiuis, breuiter agendum.

MEMBRVM I.

Inductiua ad amorem, & diligentiam ſtudij.

Sap.7. II. N*Eminem diligit Deus, niſi eum, qui cum ſapientia inhabitat.* Dicit Magiſter Hugo; *Quiſquis ad diuinam lectionem, erudiendus acceſſerit, primum qualis ſit fructus eius agnoſcere debet: nihil enim ſine cauſa appetitur, nec deſideria trahit, quod vtilitatem non promittit.* Breuiter igitur de inductiuis videndum, quare quis diligenter, ſe ſtudio ſacratum lectionum, coaptare debet: De quibus quia multa in regione ſcripturarum infra dicimus, ſuccinctius hic agendum. Hæc itaque præter cætera, ſunt ad ſacræ ſtudium lectionis inuitatiua,

Laus, ſcriptum, exemplum, natura, bonum, mala, ſuaſum.

PRIMVM ad ſacratum ſcripturarum diligens ſtudium inductiuum, eſt, *ſcripturæ, & ſapientiæ Præſtantia*, & recommendatio. De qua plura dicimus, in regione ſcripturarum. Qualiter, ſcilicet illius præeminentia,

Patet ex ſingularibus { Præſtantijs, Operationibus, Vtilitatibus.

SECVNDVM inductiuum eſt, *Scripturarum frequens cohortatio*, quæ tam ſcripturam recommendat, effert, vtilem, & neceſſariam, Deoque gratam dicit, & omnibus rebus alijs præfert, vt patet Prou. 68. *Melior eſt ſapientia cunctis opibus pretioſis, & omne deſiderabile ei non poteſt comparari.* Et Sapientiæ.7. *Diuitias nihil dixi in comparatione illius, quemodo omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua; & tanquam lutum, æſtimabitur argentum, in conſpectu illius.* Vnde & ibid. *Poſſide ſapientiam, quia auro melior eſt*, &c. Patet per decurſum ſcripturarum. Sap.16.

TERTIVM incitatiuum eſt, Sanctorum, & Gentilium *Exemplum*, quorum incredibilis ardor ſtudiorum erat: Patet hoc ex vitis Sanctorum, & Philoſophorum geſtis, vt latius Ioannes Vallen. hoc in compendiloquio, & in tractatu de ſapientia Sanctorum deducit; adducens de ſtudijs Parmenidis, Themiſtoclis, Euclidis, & cæterorum, qui vſque ad mortem incluſiuè ſtudijs inhæſerunt. Quemadmodum & de doctoribus ſanctis hoc in exhortatorio ſuo ſtudiorum oſtendit illuſtris D. Abbas Spanhemẽ. qui plura potuerunt ſcribere, quã nos legere. Et mira Hierony. commemorat

Digitized by Google

de miro ardore & pertinacia circa ſtudium Origenis, quem nunquam ſomnum, nunquam cibum ſine lectione ſumpſiſſe aiunt.

QVARTVM inductiuum eſt *naturæ* inſtinctus, & creaturarum eruditio. Naturaliter etenim omnes (Philoſopho teſte) ſcire deſiderãt; cùm ſit perfectio intellectus. Et vt dicitur Eccli. 1. *Effudit Deus ſapientiam ſuper omnia opera ſua: adeò vt & formica & iumenta doceant eam.* Et Prou. 6. *Vade piger ad formicam, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam.* Et Iob 12. *Interroga iumenta, & docebunt te volatilia cæli, & indicabunt tibi,* &c.

QVINTVM eſt fructuũ & *vtilitatis* magnitudo. *Primi enim & puriſſimi ſunt fructus eius, & excogitabiles humanæ menti.* Prou. 3. *Lignum*
Apoc. 22. ſiquidem *vitæ* eſt ſapientia ſancta, *his qui apprehendunt eam.* 12. afferens fructus, vt longum eſſet deductu.

Primò Scriptura ſtudium valet, ad bonorũ operum fertilitatem, quia ſunt quaſi lignũ ſecus decurſus aquarũ. — *Secundò, ad caſti ſui deſiderij inflammationem. ſunt enim verba Dei quaſi ignis.* — *Tertiò, ad contemplationem roborandam: Sunt enim gladius, & ſagitta.*

Pſal. 1. Ier. 23. Pſal. 56. Eſa. 49.

Fructum, amat, ac robur,

Quartò ad dæmonũ inſidias cauendas. ſicut columba ſuper aquas. — *Quintò ad ſui cognitionem, quia eſt et quaſi ſpeculum.* — *Sextò, ad commorandũ cum Deo, quia cũ eius oracula legimus, cum illo ſumus.*

cauet, agnoſcitq́;, moratur,

Pſal. 106. Pſal. 118.

Septimò valet ad ſalutis remedia, eſt enim quaſi ſpecierum apotheca, miſit ſermonem ſuum & ſanauit. — *Octauò, ad neceſſaria diſcenda, quia eſt vt lucerna.* — *Nonò ad carnis deſideria reprimenda; ama ſcientiam ſcripturarum, & carnis vitia non amabis.*

Sanans, illuſtrat, reprimit,

Pſal. 22. Pſal. 118. 1. Mac. 12

Decimò ad animæ refectionem, quia ſunt vt paſcua. — *Vndecimò, dat bona animæ, ſcientiam, & mores.* — *Duodecimò, ad tribulationis conſolationem, habentes ſolatio libros ſanctos.*

reficit, bona, ſolans.

Proſequitur latius hæc Dominus Ioannes de Turrecremata ſuper regulam B. Benedicti capitulo 4.

ET ſicut immenſus eſt ſapientiæ fructus, ita periculoſiſſimus eſt illius defectus: quare SEXTVM inductiuum ad ſtudium, eſt *periculorũ in eius defectu euitatio:* Omnium etenim origo malorum ex defectu & contemptu prouenit ſacrarum litterarum. Quare tantopere ad eruditionem commonemur in Hieremia ſub comminatione malorum: vbi ait cap. 6. *Erudire Ieruſalem, ne fortè recedat anima mea à te, &c.* Ex defectu eruditionis, ſequuntur hæc mala, cum alijs,

Prou. 14. Leuit. 21.

Primum eſt cæcitas ignorãtia, propter quã expellitur quis de miniſterio Dei, nec accedet ad miniſterium. ſi cæcus fuerit, acceptus eſt regi miniſter intelligens. — *Secundum eſt immunditia multa, Oſeæ 4. quia non eſt ſcientia Dei in terra, imò maledictum & mendacium inundauerunt.* — *Tertium eſt mors certa, Prouerbiorum 14. Salus vbi multa conſilia, ita mors vbi nulla.*

Cæcus, & immundus, mors,

Threr. 4. Epheſ. 6.

Quartum eſt, defectus eruditionis. Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. — *Quintum, quia tentati citò ſuperantur, quia non habent gladium Spiritus Verbum Dei.*

Defectus, Superatur,

Matt. 7.

Sextum, quia ibi eſt corruptio Simoniæ tã in receptione perſonarum quam Prælatorum promotione, cum neſciũt quantum Simoniaca labes ſit peccatum. — *Septimum, quia ibi ſacramenta conculcabũtur, quia neſcietur eorum dignitas, & virtus, ſicut porcus conculcat margaritas.* — *Octauum, quia diſciplina laxata carnaliter viuitur, eo quod ſpirituales delitias neſcientes, carnales quærunt.*

Corrumpit, Calcat, Laxus,

Nonum eſt ſtultitia grandis, quia minima bona magnis præponentur, temporalia ſpiritualibus, cæleſtibus peritura. — *Decimum, quia nulla mala timentur, vt indignè celebrare, quia veniunt in contemptum.*

Stultus, Pauet, & nil.

Quę latius exequitur venerandus magiſter Vmbertus in principio eruditionis Religioſorum. Et certiſſima experientia cõſtat, quod omnis defectus boni, & totius excidium ſanctæ Religionis, prouenit ex contemptu & negligentia ſanctæ lectionis, vt plenius tactum ſupra. Sed ſapientiam ſtulti deſpiciunt, eo quod pretioſitatem ſapientiæ ignorant, de ſe præſumunt, & cor alibi habent, vt dictus Vmbertus in eruditione ſua latius declarat. Prou. 1.

POSTREMVM ad ſacræ lectionis diligens ſtudium inductiuum eſt, quia hoc tam diligentiſſimè à ſanctis *Patribus & Doctoribus eſt ſuaſum.* Videantur & legantur omnes regulæ ſanctorum Patrum; nulla eſt quæ omittat commonitionem ad ſtudiũ; imò coegere ſub grauibus pœnis ad illud, vt patet ex regula Pachomij, & aliorum, vbi dicitur, quod legere nolens, erit compellendus; adeò vt omnino nullus in monaſterio erit, qui non diſcat litteras, & de ſcripturis aliquid teneat, qui minimum vſque ad nouum teſtamentum, & pſalterium, &c. Et Pater Benedictus conſtituit arctationes, vt ſi quis in lectione negligentior deprehenſus, correptioni ſubiaceret regulari, taliter vt cæteri metum haberent. Longum eſſet adducere ſanctorum exhortamenta, cum Hieron. ſuadeat, quod ſemper ſcripturæ diuinæ legendæ ſint; & quod lectio *ſacra nunquã recedat de manu, vt tenenti codicem ſomnus obrepat, & cadentem faciem pagina ſuſcipiat ſacra,* & breuiter, vt nunquam de manibus lectio ſacra deponatur. Sunt ſuper exhortatione ſtudiorũ ſcripta integra opuſcula Doctorum. Scripſit venerandus Pater Ricardus Anglicus Philobiblon ſub Apoſtrophe, dignam lectu; ſcripſit & memorabilis ille ſtudioſiſſimus & digniſſimus Abbas Spanhemen. exhortatorium ad litteras, omnibus legendum ſtudioſis. Et eſt Sophilogion magiſtri Iacobi Magni; Et breuiter ſunt innumera hortamenta ſanctorum, vt patet totis diſtinctionibus 35. & 37. 38. decretorum, vbi oſtenditur, quod ignorantia, maximè Sacerdotibus, & ſacris deditis, ſit periculoſa, & quàm ſit litteris inſiſtendum, & qualibus. Pudeat igitur & pigeat poſt tanta inductiua adhuc perſiſtere pigros. Pauciſſimis hic tetigimus de ſtudiorum inductiuis. Reſtat de ſtudendis.

Digitized by Google

MEMBRVM II.

De qualitate lectionis, vel ſtudiorum.

M III. EX *ſtudijs ſuis intelligitur puer, ſi munda & recta ſunt opera eius.* Prou. 20. Dicturi de qualitate ſtudiorum, in mentem reuocandum eſt, quod ſæpe monuimus, Religionem ſacram, ſcholam quandam eſſe, non tam illuminandi intellectus, quàm affectus inflāmandi, & bonorum morum conquirendorum. Vnde & omne Religioſorum ſtudium maximè in mores vertendum eſt & in affectum; ita quod nihil ſtudeat, legat aut meditetur (ait Gerſon) quod non valeat mediatè aut immediatè ad inflammationem affectus. Ibi enim eſt ſacræ religionis vltimatus finis. Tales itaque potius ſunt libri legendi, qui conferunt affectui, & cordis puritati, & morum inſtitutioni quales ſunt libri morales & deuoti. Verùm quoniam librorum vix eſt numerus, diſcretio etiam habenda eſt in legendis talibus, vt modus quidā adſit, & ordo certus. Sunt enim inter hos probatiores quidam, & magis principales; ſunt & appendicij quidam, qui in trāſitu, & pro quadam releuatione videri poſſunt, ſed ita vt aliis inhęrendum. Imò tam parum in ſtudendo proficimus, quia in legendo modum, aut debitum ordinem obſeruare, aut neſcimus, aut nolumus. Et ideo *ſtudentes multos, ſapientes videmus paucos*. Nec enim minori cura prouidendum, ne in ſtudiis inutilibus quis exerceatur, quàm etiam quod ordo negligatur. Multis itaque omiſſis, huiuſmodi ſtudenda videntur Religioſis, & ſub ordine iſto,

IIII. NOVITIIS ſub nouitiatu non multum vacat lectioni ac ſtudio immorari; ſed ante omnia, ea quæ ordinis & religionis ſunt, oportebit addiſcere, cantum, pſalmodiam, cærimonialia, obſeruantiaſque regulares. Ita enim (ait Bonauentura) *Nouerum ſtudium fratrum in orationis inſtantia, & in diuini exercitio officij, maximè debet eſſe; Lectio alia (ſiqua illis permittitur) ad morum reformationem, & ſpiritualis conſolationis gratiam, potius prouidenda eſt, quàm ſtudij cauſa; in qua non tam ſcientiam, quàm ſaporem quærant.* Ante omnia enim, quæ Religionis obſeruantiæ neceſſaria ſunt, veniunt, ſtudenda; vtpote conſuetudines nouitiorum, regulæ ſtatuta, & verſus Patrum: ordinarium item diuinorum officiorum. Addiſcendum quoque eſt (vt ait Bonauentura) maximè in principio, diuinum officium, & licet de totali officio, & ordinis eius vſu, ſeu forma, notitiam habere oporteat. ſunt tamen communia quædam, ſcilicet officium Beatæ Virginis & mortuorum, commune de ſanctis; cum pſalmis, hymnis, & cæteris ad illud ſpectantibus. Prima, Pretioſa, Complet, Capitula, Preces & Suffragia horarum ferialium. Benedictio menſę cum gratiis, laudumque. Pſalm. Omnes etiam Pſal. à centeſimo nono, vſque ad vltimum, niſi totum pſalterium diſcatur, quod magis expedit. Et, vt decreta volunt, imperfectis, ſunt cordetenus addiſcenda, & menti per exercitium arctius imprimenda. In Sabbatis quoque & præcipuarum ſolennitatum vigiliis præuidendum eſt diuinum officium, tam in littera, quàm in nota, maximè ab his qui ſunt ignari cantus. Hæc ecce primaria erunt ſtudia bonis Religioſis: quibus neglectis parum proficient in cæteris. Nec abhorreat quiſpiam obuerſari, & laborare in iſtis quaſi inutilibus & ſterilibus, quia ſapientiam quam pro virtute & Religione interim deſpicit, melius poſtmodum per virtutem & obedientiam cum vſura habebit. Magnus ille Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, ita in epiſtola chariſſimo ſuo nepoti ſcribit: *Diſcedenti rogando præcepi, & præcipiendo rogaui, ne hoc anno aliquam lectionem eligeres, quoadusque pſalmorum ſcientiam, tuiq; ordinis aliquem vſum haberes, id enim neceſſarium in primis.* Hæc ille. Ex tam graui igitur præceptione tanti Patris patet neceſſitas ſtudij illius. Et verè perneceſſaria ſcientia officij diuini, & obſeruandæ Religionis: quibus ignoratis nunquam homo liber eſt ad intendendum melioribus. Talibus igitur ſtudiis vacandum in primis. Et ſicut ſuademus ſtudere diuinum officium, & officiorum ordinarium, ſic pariter cohortamur ad ſtudioſam horum intelligentiam, vt ſcilicet ex initiis incipiat Religioſus dubitare in omnibus occurrentibus, & perquirere quæ ſit ratio officij illius, ſemper ſibi dicendo, vt ſupra monuimus *manhu*, id eſt, quid eſt hoc, in omnibus occultis. Pro Exod. 16. quibus intelligendis familiarem habebit recurſum ad rationale diuinorum officiorum, maximè circa præcipuas quaſque feſtiuitates, & notare dubia occurrentia in officio, vt poſt inquirere & intelligere poſſit, quia bonus eſt Pſal. 110. horum omnium intellectus.

§. 1. De ordine ſtudiorum.

O V. B*Onitatem & diſciplinam, & ſcientiam doce me.* Pſal. 118.

Poſitis illis dictæ ſcientiæ rudimentis, & ſcitis obſeruantiis ordinis, ad triplex ſtudiorum genus cum ordine ſe diuertet Religioſus. Sicut etenim tres ſunt principales in homine vires, ſenſitiua ſcilicet vis, affectiua, & intellectiua ſeu rationalis, ſic etiam trifarius eſt eas perficiens habitus, virtus, ſcientia, & boni mores: Diſciplina ſiquidem morum perficit ſenſitiuam: feruor charitatis & deuotionis affectiuam: Scientia cognitionis rationalem. Nam iſtæ tres

Vires { Senſitiua, / Affectiua, / Intellectiua } *perficiuntur* { Diſciplina morum. / Feruore charitatis. / Scientia cognitionis. }

Per ſtudium { Morale, / Deuotionale, / Intellectuale. } quod eſt

Quaſi { Ianua domus perfectiuũ ſenſualitatis.
Conſeruatiuum Religionis, & incitatiuum feruoris.
Perfectiuum rationalis, & illuminatiuum cœcitatis. }

Et ſecundum hæc tria, triplex poteſt diſtingui ſtudiorum genus: *morale* ſcilicet, *deuotionale*, *& intellectuale*; quæ omnia neceſſaria ſunt perfectioni humanæ mentis; ſed ordinem quendam conuenit obſeruari in iſtis; cuius negligentia obtingit tam paruus in ſtudentibus profectus. Prudentia enim fortitudine melior eſt, & laboribus præſtat, *quia & pondera aliquando, quæ viribus mouere non poſſumus, arte leuamus*. Sic (ait venerandus Hugo) nimirum, eſt in omni ſtudio, qui ſine diſcretionis ordine operatur, laborat quidem, ſed non proficit, & quaſi aërem verberans, vires in ventum fundit. Aſpice, inquit, duos pariter ſyluam tranſeuntes, & hunc quidem per deuia laborantem, illum verò recti itineris compendia legentem: Pari motu curſum tendunt, ſed non æquè perueniunt. Quid autem Scripturam dixerim, niſi ſyluam, cuius ſcientias quaſi fructus quoſdam dulciſſimos legendo carpimus, tractando ruminamus? Qui ergo in tanta multitudine laborum, legendi modum & ordinem non cuſtodit, quaſi in condenſitate ſaltus oberrans, tramitem recti itineris perdit. Et vt dicitur, quaſi ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam peruenientes, manent. Tantum enim valet diſcretio, vt ſine ipſa, & omne otium turpe ſit, & labor inutilis. Tria ſiquidem maximè obſtant profectui ſtudentis.

1.Cor. 9. *Simile.* *2.Tim. 3.*

Scilicet { Negligentia teporis,
Imprudentia ordinis,
Fortuna infirmitatis. }

Vt igitur multorum errori conſulamus, ordinem ſtudendorum, cum ſubnotatis aliquibus opuſculis, breuiter exempli cauſa aſſignemus.

§. 2. Sequitur Tabula librorum præcipuè legendorum.

Diſciplinam,
Morale ſtudiũ, quaſi ianua domus, perfectiuum ſenſualitatis.

Regula & ſtatuta ordinis cũ explanatoribus.
Quatuor autem vel quinq; ſunt famoſiſſimi regulæ S. Auguſtini explanatores,
Hugo de S. Victore.
Lambertus de S. Ruffo.
Euſtachius de Victoria,
Vmbertus & Trineth. qui omnes videndi.
Speculum B.Bernardi, cum Formula honeſtæ vitæ eiuſdem: & aliis opuſculis paruis.
Speculum monachorum. Et de ſchola cæleſtis exercitij.
Hugo de diſciplina clauſtraliũ.
Speculum diſciplinæ Bonauenturæ ante omnia neceſſarium nouitijs. Et moralia dogmata pro nouitijs,
Dialogus nouitij Dion. Carth.
Vitę collationes & inſtituta PP.
Legendę, & flores ſanctorum: præſertim { Antonij, Franciſci, SS. Patrum. }
Vmbertus de eruditione Religioſorum.
Et opera Ioannis Vallen. quæ quaſi Alphabetarium Relig.
Regula Hieronymi cum moralibus Epiſtolis.
Regulæ aliorum Patrum cum lib. Illuſtrium virorum de ordinibus ſingulis.
Homeliæ Euſebij Emiſſeni ad monachos.
Epiſtola ad Fratres de mõte Dei cum ſermonibus
B.Bernardi, & omnibus opuſculis eius.

Bonitatem,
Deuotionale ſtudium, conſeruatiuum Religionis & incitatiuum feruoris.

Vita Chriſti parua ſecundum hiſtoriam.
Ludolfus de vita Domini, cum Vbertino.
Stimulus Bonauenturæ maior, & Anſelmi. Et Horologium diuinæ ſapientiæ.
Epiſtola Scophaniæ de paſſione Domini.
Auguſt. { Soliloquia, ſuſpiria; Meditationes, Manuale. }
Libri Cõfeſſionum eiuſdem cum innumeris ſuis.
Meditationes Bernardi de conſcientia, & ſimiliter cantica.
Anſelmi meditationes ſtimulus, & de ſimilitudinibus.
Bonauentura de quattuor exercitiis cum omnibus deuotionalibus.
Horologium diuinæ ſapientiæ cum huius in quattuor hominis nouiſſima.
Effrem de compunctione cordis.
De contemptu mundi, & de arcta via ſalutis.
De triplici via. Et de diuinis beneficiis.

Scientiam doce me.
Intellectuale ſtudium perfectiuum rationalis.

Tota Biblia: pręſertim Euangeliũ Chriſti in primis, vt ſpeculum manibus teneatur.
Deinde Apoſtolica documenta, vt Aug. monet Voluſiano ſcribẽs, pręcipuè Apoſt. linguas exhortor vt legas. ex his enim ad cognoſcẽdos prophetas excitaberis
Pſalt. potiſſimũ cũ explanationib⁹ Aug. Caſſiodori, Hieronymi, & aliorum, pręſertim Ludolfi Carthuſ. & Guilielmi. Parriſienſ. vt ſuadetur infra. Gorram.
Commentaria ſanctorum Patrum ſuper ſapientialibus lib.
Poſtillæ probatorum Doctorum ſuper libros Biblię.
Ante omnia pro ſcripturarũ introductione Auguſtinus de doctrina Chriſtiana cum libr. Quæſt. & omnibus ſuis, in quibus fons eſt, vnde cæteri hauſerunt.
Et non niſi probatiores: ſic enim D. Hieron. monet, poſt ſcripturas ſanctas, Doctorum hominũ tractatus lege, eorum dumtaxat, quorum fides nota eſt; & pietas non vacillet: Cęteros ſic lege, vt magis iudices, quàm ſequaris.
Cauenda apocrypha cuncta, niſi forſan in tranſitu, vt hæc plenius monẽtur in decret. vbi Gelaſius 15. diſt. ſancta Romana apocrypha diſtinguit à probatis.
Eccleſiaſtica hiſtoria cum tripartita.
Scholaſtica hiſtoria cum aliquibus Chronicis probatis.
Cõpendia Theol. Doct. pręſertim breuiloquiũ, cẽtiloquium, itine-

Richardi opuſculũ ad nouitios & aliis omnibus eius ſcriptis & præceptoris ſui Hugonis.

¶ Profectus Religioſorum. Et de aſcenſu ſpirituàli.

Homo quidã, de reformatione virium.

Beatus vir, de aſcẽſione mẽtali.

Summa vitiorum & virtutum Lugdun.

Cum Speculo morali Vincẽtij.

Climachus de Scala profectus.

Moralia Gregorij cum dialogo, & õnibus moraliſſimis ſcripturis eius.

Et breuiter omnia quaſi innumera parua Opuſcula de inſtitutione morum, & vitiorum mortificatione: vt ſunt Epiſtolæ in Emſteyn.

Deſtructorium vitiorum.

Omnia opuſcula Iacobi & Dionyſij Carthuſienſ.

Et deuota opuſ. Thom. Kẽpis.

Et nihil, niſi deuotionem & eruditionem ſpirant digniſſima ſcripta Guilielmi Pariſienſis.

Dionyſij Carthuſienſis deuotæ meditationes, & inflammatorium diuini amoris cum omnibus ſuis moralibus.

Sanctus Thomas de dilectione cum aliis opuſculis,

De æterna beatitudine, & moribus diuinis.

Albertus Magnus de vita contemplatiua.

Eiuſdem opus de laudibus Beatæ Mariæ cum aliis Marialibus innumeris.

Rhetorica diuina.

Gerſon de myſtica theologia, de mendicitate, & de monte contemplationis, cum omnibus fermè opuſculis, vbi ſpeculatiua miſcet deuotis.

rarium Bonauenturæ.

Liber Sententiarum cum ſuis concluſionibus.

Thomas de humanitate Chriſti, & aliis ſcriptis,

Cum aliquibus ſcriptis ſuper ſententias, præſertim Bonauẽturæ.

Opera ſanctorum Patrũ, Dionyſij Areopagitæ, cum homeliis Origenis, & omnibus ſcriptis Chryſoſtomi.

Scripta Lactantij, Ambr. cũ huiuſmodi operibus antiquorum: in quibus ſapientia & ſpiritus.

M. Hugo de Sacram. & de tribus dietis, cũ omnibus operibus ſuis.

Summa magiſtri Alexandri de Hales, cum aliorum probatorum Doctorũ ſcriptis & ſummulis.

Deinde decreta cum decretalibus & reportatis. Ne ignorentur in caſibus neceſſarijs.

Videndi ſunt & recentiores ſæculi noſtri ſcriptores, & diuerſarum artium, non tam legendi quã percurrendi, vt Petrarchæ Ioan. Pici Mirãdulani, Capniõ, & huiuſmodi innumerorum.

Et breuiter, qui plura ſibi opuſcula in ſpecie volet, ille libros illuſtrium virorum, & de Eccleſiaſticis ſcriptoribus perſpiciat. Et inibi titulos pro qualitate materiarum ſibi recolligat, & innumera habebit. Quamquam librorum multitudo diſtrahit, & cùm non omnes legere poſſimus, ſatis eſt habere quantos legamus. Faſtidientis enim ſtomachi eſt multa deguſtare: Et, quę varia & diuerſa ſunt, inquinant potius, quàm alunt. Non igitur refert (ait Seneca) quam multos, ſed quam bonos habeas libros. Multitudo librorum onerat, non inſtruit: Et ſatius eſt paucis auctoribus te tradere, quàm errare per multos. Lectio certa prodeſt, varia delectat. Cùm igitur innumeri ſint libri, non poteſt homo peruenire ad omnium inſpectionem: Probatiores itaque & vtiliores ſemper legendi; Et ſi quando ad alios diuertere libuerit, ad priores redeundum. Magiſque ſemper ad originalia ſanctorum reflectat, vbi hauritur cum doctrina ſpiritus, magis quàm in nouellorum quæſtionibus; vnde raro ſuboritur gratia cõpunctionis. Vnde cuidam quæſtiones ſpeculatiuas ſtudenti, Cos data erat, ſub multa facetia, pro abſtergendis lachrymis: Vix enim ex obſcuris & ſcholaſticis illis quęſtionibus ſuboritur affectus piæ compunctionis: qui tamen principaliter à Religioſis quærendus.

§. 3. *Quo modo vel quo fine debent libri legi.*

E*cce deſcripſi eam tibi tripliciter.* Prouer. 22. In hoc triplici ſtudiorum genere, primum ſibi locum vendicat ſtudium morale. Quemadmodum enim per ianuam introitur in domum, ita per moralem doctrinam, extirpationemque vitiorum, promouetur homo ad theoriam. Notat hoc graui eloquentia Beatus Ambroſius ſuper *Beati immaculati*, quod Pſal. 118.
pulchro ordine, pleno doctrinæ & gratiæ, pręmiſſum eſt, *Beati immaculati*, Poſtea verò ſubiunctum, *Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius.* Nota.
Ante enim vita quàm doctrina quærenda eſt: Et primum ſunt moralia, deinde myſtica. Vos igitur fratres (monet Hugo) *qui ſcholam diſciplinæ intraſtis, in lectione veſtra prius debetis quærere, quod mores veſtros ad virtutem inſtruat, quam quod ſenſum acuat ad ſubtilitatem: Magisq́; velle informari præceptis Scripturarum, quàm quæſtionibus impediri.* Vbique ergo quid mores inſtruat ſolerter perpendite. Nam qui virtutum notitiam & formam viuendi in ſacro quærit eloquio, hos libros magis legere debet, qui contemptum docent ſæculi, & inſtitutionem morum. *Primum igitur quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius*, Matth. 6.

Hæc verò ſcientia operatur, *exemplo* pariter & *doctrina*; vt ſcilicet ſanctorum exempla legamus, & eorum dicta obſeruemus.

OPORTET autem, vt qui hanc ingreſſus fuerit viam, in libris quos legit, virtutem magis quàm eloquentiam attendat. Sciat etiam ad ſuum propoſitum non conducere obſcuritatibus ſcripturarum exerceri, in quibus magis occupetur, quàm ædificetur animus; nec ſic eum lectio teneat, vt à bono opere vacet: *Chriſtiano Philoſopho lectio, exhortatio debet eſſe, non occupatio; bona deſideria paſcere, non necare.* Cauendum ne quod ad refectionẽ quærendum eſt, ſumatur ad ſuffocationem.

Non oportebit omnes legere libros, infinitus eſt enim numerus librorum, tu noli ſequi infinita: Vbi finis non eſt, requies eſſe non poteſt: Vbi requies non eſt, pax nulla eſt: Vbi pax non eſt, Deus habitare non poteſt. Noli auarus eſſe, ne ſemper egeas: Audi Salomonẽ Eccli. 12. *Fili amplius his ne requiras. Faciendi libros nullus eſt finis, frequensq́; meditatio carnis*

afflictio

afflictio eſt; Finem loquendi omnes audiamus, Deũ time, & mandata eius ſerua, Hoc eſt omnis homo. Bene igitur hoc genere ſtudiorum proficere, eſt *verba vertere in opera:* Mores ad diſciplinam componere.

Dixi mvs qualiter legenda ſunt *moralia*, dicendum qualiter *deuotionalia* tractanda. In
Pulchrè. his conandum, quod omnia tranſeant in affectum, ad quod tendere debet omne ſtudium Religioſorum; vt deducitur infra in meditatorio, capitulo de meditabilibus. Iſtud ſtudiũ non vult curioſitatem, ſed magis tendit ad affectionis pietatem: Exigit lectorem non tam ſtudioſum, quàm compunctum; non tam ſenſum, quàm affectum requirentem: Cui non ſufficit lectio ſine vnctione; nec ſcientia ſine charitate; nec ſtudium ſine gratia. Hic non curatur multum ſtudere; ſed affectus & ſuſpiria delectionis ſerie haurire, & oratione crebra, lectionem interrumpere; ſicut docebitur inferius. In qua via ſtudiorum profeciſſe eſt ſemper compunctum, ſuſpirioſum, & deuotum eſſe.

Porro, vt homo proficiat in ſtudio intellectuali, opus eſt induſtria, diligentia, & aſſiduitate magna. Mira enim eſt profunditas diuinorum eloquiorum, adeò vt dicat Pater Aug. quod quotidie in eis proficient; ſi eas ſolas ab *ineunte pueritia vſque ad decrepitam ætatem, maximo otio, ſummo ſtudio, meliori ingenio* ſtuduiſſent. In quibus qui volet proficere, opus habet diuina gratia. Quo enim ſpiritu Scripturæ factæ ſunt, eo ſpiritu legi & intelligi volunt. In quibus ordo ſeruandus venit: Vt primo habitis emendatis codicibus, quaſi alphabetum, textus Scripturarum familiares ſibi faciat; Prima ſiquidem ea obſeruatio eſt (iuxta Auguſt.) noſſe Canonicas Scripturas, & quaſi eas habere familiares: deinde apertiora colligere; Poſt indagare obſcuriora. Plenè & pulcherrimè modum & ordinem legendi & proficiendi in hoc genere ſtudiorum, tradit in didaſcalico ſuo venerabilis Hugo. Et B. Bonauentura in ſingulari opere de luminaribus Eccleſiæ; ſuadentes quod veritas bibenda ſit de fonte, id eſt primum videndus textus ſanctarum Scripturarum, dein originalia Patrũ, poſt Summæ magiſtrorum. Et hoc cum diligentia & aſſiduitate, vt nunquam ſit homo ſine Scripturis. Multa ecce de ſtudendis libris diximus; ſed hæc breuis ſit ſumma concluſionis, vt in tanta librorum multitudine, non tam multa, quàm vtilia legere velimus, & eos præſertim legamus, vnde magis proficere poſſimus. Et ex legendis expedit habere quoſdam libros propoſito noſtro accommodatos: ad quos quaſi ad familiariores ſæpè nos reflectamus: vtpotè pro directione morum, ſpeculum Bernardi & ſpeculum diſciplinæ, ſeu ſpeculum monachorum: Pro refocillatione autem virium, *Beatus vir. Homo quidam*, & Profectus religioſorum. Pro materia autẽ compunctionis, obſeruandum eſt circa opuſcula de vita & paſſione Domini, De quatuor nouiſſimis, pręſertim Bonauentura de 4. exercitiis, & circa ſtimulũ diuini amoris tam Anſelmi, quã Seraphici Doctoris. Pro illuſtratione autem intelligentiæ, poſt Chriſti Euangelium ſemper inſudandum intelligendo pſalterio, & videnda compendia aliqua Theologiæ, & inſigne opuſculum breuiloqu. Bonau.

Ex quibus & conſimilibus, ſiquis pharetrã Pſal. 126.
ſuam impleuerit, beatus erit, & apprimè doctus. Et meo conſilio ſemper permixta erunt hæc ſtudia noſtra, moralia ſcilicet cum ſtudiis deuotionis & intellectus, ante prandium homo verſetur circa affectiua, poſt vero, in intellectualibus. Nihilominus pro qualitate temporum & feſtorum poterunt etiam variari materiæ ſtudiorum, ſicut & pro qualitate naturæ & diſpoſitionis. Qui plenius ſuper his inſtitui volet, ille didaſcalicon Hugonis, & opuſculum videat Ioannis Vallen. & concluſiones Gerſonis. Breuiter nobis practica tangenda eſt de modo lectionis.

MEMBRVM III.

Practica de modo lectionis.

V*Iam ſapientiæ monſtrabo tibi*. Prouerb. 1. VIII.
Maximè (vt magiſter Hugo ait) imprudentia nocet profectui ſtudentis; quando ſcilicet neſcit practicam aut modum ſtudij, & lectionis: Quam quia priores obſeruauerunt, ideo tantum profecerunt, adeò vt iam ſub vnguiculis & tenerioribus annis doctiſſimi fuere, ſicut legitur de S. Columbano, qui decem & octo annorum inſigniter in conuentu explanauit pſalterium. Valde ergo in modo inuigilandum. Via igitur nunc ſapientiæ monſtranda: Et in primis via, qua ad ſtudium eſt accedendum, ſuper qua hæc nota,

Ac Domino locuturus eas, ſtudium petito ſic.
Excute, diſpone, pete, cumq; metu cape librum.

Frequenter (ait Dominus Gerardus Zutphaniæ) talem fructum & lucrum de lectione homo recipit, cum quali intentione & affectu homo ad eam accedit: Quapropter ſummopere ſtude, vt quantum poſſibile fuerit, ita affectus & compunctus ad ſtudium pergas, quaſi ad Dei locutorium vocatus, ad cum eo loquẽdum, vel potius eũ audiendum accedas. Deo ſiquidem (teſte Iſidoro) loquimur cùm oramus, loquentem eum audimus, cùm ſacra legimus. Et hoc eſt quod dicit primus verſus.

Vt autem tali affectu poſſis accedere, debes te primum in aliis præparatoriis exercere, primum omnium, Excvte, id eſt (vt crebrius dictum eſt) debet ſe homo ad lectionis ſtudium & amorem excitare, inductiua ad ſtudium (vt præmiſſum eſt) conſiderando: Qui gradus ferè omnibus exercitiis præmittitur, eo quod omnibus neceſſarius dignoſcitur. Nam (vt docet magiſter Hugo) ad diuinam lectionem accedens, primum quis eius fructus eſt ſciet.

Dispone, id eſt, vt breues ſimus, qualitates ſtudentium in ſacris litteris ſibi aſſumet, quæ à variis traduntur variè: Sed notentur iſtę,

Aptus ſit, vacuus, rectus, probus, & ſtudioſus.

Primo diſponat, quod ſit aptus, tam natura quã

exercitatione: In natura, vt facilè audita percipiat, & percepta firmiter retineat; Vt docilis ſit ingenio, attentus exercitio, beniuolus animo, intentus ad audiendum, docilis ad intelligendum, beniuolus ad retinendum. Qui enim doctrinæ operam dare velint, ingenio ſimul, & memoria pollere debent. Exercitatio conſiſtit in labore & ſedulitate, & diligenter legat, & lecta diuidat, & colligendo diuiſa cuſtodiat, &c. Requiritur quod ſit à mundi curis *vacuus*, alioquin non capit ſtudium lectionis; Magis autem, *vt ſit vitijs purus*, quia beati mū-

Matt. 5. Sap. 1. do corde; Et, *in maliuolam animam ſapientia non introibit*. *Tertio*, vt ſit intentione *rectus*; vt non ad inanem gloriam, vel curioſitatem, ſed ad ſui & proximi vtilitatem & ædificationem.

Nota hic de quadruplici ſciendi fine.

Primi, vt ſciant, & eſt curioſitas. *Secundi, vt appareāt, & eſt vanitas.* *Tertij, vt lucrentur, & eſt quæſtus turpis.*

Scire ſciant, Pareant, Vendant,

Quarti, vt ædificent, & ædificentur. Et eſt prudentia.

Doceant meliores.

Quartò, vt ſit in vitæ diſciplina *probus*. Errat quiſque, qui veritatem ſe cognoſcere putat, ſi adhuc nequiter viuat, Eccl. 1. Concupiſcens ſapientiam, ſerua iuſtitiam. Sub quo venerabilis Hugo notat conditiones iſtas plenè declarans,

Mens humilis, ſtudium quærendi, vita quieta;
Scrutinium tacitum, paupertas, terra aliena,
Hæc reſerare ſolent multis obſcura legendi.

Monet Caſſianus cupientem ad Scripturarū notitiam pertingere, nequaquā debere labores ſuos erga commentariorum libros expendere, ſed ad puritatem mentis.

Poſtremò diſcat eſſe *ſtudioſus*, in legendo, meditando, inquirendo. Nihil eſt, quod ſtudium pertinax nō doceat, ſine quo etiam proficitur nihil.

PETE, id eſt, quia poſitas conditiones ex te habere non poteris, *Pete*, vt te ad eam coaptet Deus. Ante enim lectionē ſemper oratio præire debet; hinc Sap. 1. *Optaui, & datus eſt mihi ſenſus: Inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ.* Hinc Sanctus Gregorius ante lectionem præ-

Pſal. 118. mittebat verſiculum, *Declinate à me maligni*, &c. Alij, *Veni ſancte Spiritus*, cum aliquot Aue Maria. Sanctus ille Rogerius ſpecialem orationem habebat, orans, vt Dominus daret *tantum ſibi intelligere, quantum concederet facere*; quia *intellectus bonus omnibus facientibus*, Pſalm. 100. Et oratione (ait Auguſt.) melius ſoluuntur dubia, quàm inquiſitione alta. Iac. 1. *Si quis indiget ſapientia, petat à Domino*, &cæt. Scripturarum quippe intellectus, magis oratione & mentis puritate obtinetur, quàm ſedulitate lectionis: vt de B. Theodoro narrat Caſſianus, qui videlicet diebus ac noctibus orans, explanationem obſcuriſſimę quæſtionis impetrauit; Ægyptius Ioannes, Qui puritatem cordis habet, capiet & reliqua myſteria Scripturarum.

CVMQVE METV *Cape librum*, hoc eſt, Iam mente diſpoſita ad lectionem accedere debet, & aſſumere librum, cum Dei timore & multa reuerentia tractare illum. *Timor enim Domini initium ſapientiæ*. Et ante omnia hoc timore Pſal. 110. Prou. 9.

opus eſt, ait Aug. De reuerentia erga libros ſacros notabiliter Raymundus notat in libro ſuo Theologiæ naturalis. Quin & Iudæi ipſi, multum deferunt libris. Vnde non ita altè ſedent, quam ante ſunt poſiti libri legis (vt Lira ait) in reuerentiæ ſignum. Imò & venerandus Gerſon de quibuſdam ſcribit, quibus par deuotio & exhibitio reuerentiæ erat ad librum aliquem ſanctum, ſicut ad reliquias ſanctorū.

Quem &, vt ſignaculum ſuper cor vel pectus Cant. 8.

ſuum ponunt, oſculantur, & quaſi Ieſu vice, inter brachia cum Symeone conſtringūt; Lucæ 2. nec parum inde opitulaminis ſentiunt. Reuerentia igitur erga libros ſeruetur, & à tactu libri, nuda manus cohibeatur, quæ licet ſit munda, tamen, quia poroſa, ipſum facilè inficit, & deturpat. Turpe quoque eſt (ait Bonauentura) nudos paginarum marginibus imprimere digitos, vel lucernam ſuper tenere. Librum ſuperfluè apertum non teneant, & firmacula eius cautè firment. Indignus eſt libro qui negligit cuſtodire illum. Hæc de modo accedendi ad lectionem.

§. 1. *Qui libri debeant præcaueri ne legantur.*

NVNC de via, qua progrediendum in ipſa lectione breuiter dicimus, quod oportebit primum præcauere reprehenſibilia, ſecundo aſſumere promotiua, vt ſit lectio bene qualificata. Reprehenſibilia autem in lectione ſunt iſta, X.

Curioſa deuitanda; Seneca, Quid tantum te torques in lectione, quam nil prodeſt ſciſſe? *Quæ ingeniū tranſcendunt: Altiora te ne quæſieris.* *Quæ à veteribus aliena, quæ periculoſa.* Eccli. 3.

Vana, vel alta, noua, &

Legere ad faſtidium. *Inſtabilitas certi ſtudij.*

nimium, variatio crebra.

Qui nimiu velox eſt tranſcurrendo. *Quid prodeſt legere, & nil retinere.* *Fratres, eſtote factores verbi.* Iac. 1.

Aut cita, nil retinens, operans,

Beatus eſt, qui meditatur in lege. *Non recte propter curioſitatem vel vanitatem.* Pſal. 1.

nec voluere, fine.

Ab his itaque Religioſorum ſint ſtudia aliena. Deuota ſint ſemper, & ingeniis commenſurata, vt ſapiant ad ſobrietatem: Et il- Rom. 12.

las potius ſcripturas legant, quæ cum illuminatione intellectus affectum inflamment. Seruetur modeſtia in legendo, caueatur Intendas.

nimia velocitas in tranſcurrendo. *Nihil etenim magnum rerum natura cito effici voluit, præpoſuitq́; pulcherrimo cuiq́; operi difficultatem: Naſcendi quoque hanc legem fecit, vt maiora animalia, viſceribus parentum diutius continerentur*; Teſte Plinio: Elephas fera prægnans eſt duobus annis. Diu ergo, & maturè maſticetur & rumınetur Dei verbum, & vertatur in opus.

§. 2. *Studij promotiua.*

PORRO lectionis & ſtudij promotiua videntur iſta,

Digitized by Google

XI. *Vt ordinatè procedatur.* *Ne nimius ſit, ſed moderatus.* *Quòd codex emendatus.* *Quòd certis immoretur temporibus.*

Ordo, modus, liber, & tempus,

Sit aſſiduitas in continuando. *Diligentia in inquirendo.*

perſtet, ſtudioſus.

ORDO autem ipſe legendi, alius (ait Hugo) eſt in diſciplinis, alius in libris, alius in narratione, atque alius in expoſitione; vt ad liquidum declarat. Ordine cuncta geſta ſunt, ordine incedendum ſemper, per vmbram venitur ad corpus, ad maxima à minimis. Nunquam proficiunt, qui minima contemnunt. Qui alphabetum primò non diſceret, nunquam altiora ſaperet. Sic in Scripturis ſacris ordine diſciplinæ, hiſtoria allegoriam, tropologiamque præire habet. Ordine autem librorum nouum Teſtamentum vetus præcedere debet, vt ab apertioribus, & ab his quæ magis nota ſunt, ad abſtruſiora procedatur. Sic in omnibus legendum libris; humiliores, & apertiores, ſubtilioribus præferantur, & textus ante gloſſam.

PORRO MODVS ipſe legendi maximè conſtat in diuidendo: Omnis autem diuiſio incipit à finitis, & vſque ad infinita progreditur, & ab vniuerſalibus ad particularia deſcendit. Finitum verò & vniuerſale magis nota ſunt, & determinata. Quando ergo legimus, ab his incipere debemus, quæ magis nota ſunt, & determinata; ſicque paulatim deſcendendo, & per diuiſionem ſingula diſtinguendo, occultiora inueſtigare.

DE LIBRORVM correctura dicit Pater Auguſtinus in memorabili opere ſuo de doctrina Christiana (quod opus omnem ſuperat laudem: ad quod maximè remittimus ſtudioſos) Quod codicibus emendandis primitus inuigilabit ſolertia ſtudentis.

DE CERTI etiam *temporis* ad ſtudendum diſpoſitione, ſanctus monet Bernardus. Certis (ait) temporibus certæ vacandum lectioni. Et Pater Auguſtinus. Codices certa hora petantur. Et Hieronymus, Statue, quot horis Scripturam ſanctam ediſcere debeas, quanto tempore legere. Nam tametſi ſemper legendum, vt orandum; diuiſas orandi & legendi horas habere debemus. Vt ſi aliquo fuerimus opere detenti, ipſum nos ad orandi, ſeu legendi officium tempus admoneat. Quotidie ergo certis horis de Scripturis ſanctis aliquid diſcatur.

Lucæ 18.

QVOD etiam ſtudium debet eſſe *aſſiduum*, Sanctus Hieronymus monet: *Diuina Scriptura ſemper in manibus, & iugiter in mente voluantur*; imò nunquam ſacra lectio de manibus deponatur. Vagabundi enim ſtudium maximum præſtat impedimentum. Et niſi quis frequenter faciem hominis viderit, vix eum cognoſcit; ſic facies Scripturæ obſcura, aſſiduitate familiaris fit, & nota.

QVANTA autem requiratur in Scripturis *ſtudioſitas*, Sapiens monet Eccleſ. 6. qui dicit, *Quaſi is qui arat & ſeminat accede ad illam: Si quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis, tunc ſcientiam Dei inuenies.* Eſt ſiquidem ſtudium (vt Tullius ait) *vehemens applicatio animi cum magna voluntate ad aliquid ſciendum.* In toto ergo corde accedamus ad illam. Et ne longi ſimus, abiectis reprehenſibilibus, & aſſumptis his promotiuis: hoc modo ſtudeamus.

Prou. 1.

Et ſit lectio noſtra ita qualificata,

Certa ſit, attenta, deuota, ſonora, modeſta.

Certa inquam lectio eſſe debet, & quo ad legenda, tempus & ordinem. Certis (ait Bernardus) temporibus & horis, certæ lectioni vacandum eſt. Fortuita enim & varia lectio, & quaſi caſu reperta, non ædificat, ſed reddit animum inſtabilem; & leuiter admiſſa, leuiter à memoria recedit. Certis ingeniis immorandum: & animus aſſueſaciẽdus ad ea, vt plenius ſupra cohortatum. XII.

Ordinis quoque certitudo, obſeruanda in legendo, vt non, ſicut curioſis quibuſdam, & inquietis moris eſt, nunc hic vnum folium, deinde longè ſubſequens folium percurrat; faſtidientis id ſtomachi eſt. Sed iuxta quendam, liber totus, de principio ad finem, integrè & ex ordine, congrua deuotione, & debita reuerentia, & ſumma diligentia, non tam legendus, quam perſtudendus.

ATTENTA deinde erit lectio ipſa, ſingulas circunſtantias Scripturarum attendendo, vt & ſenſum veritatis eliciat, & pietatis hauriat affectum; in nullo ſenſum ſuum diuinis auctoribus præferens, ſed ſummarium eliciens quoddam, in quo cætera complectantur. Acuto quoque perſpiciat oculo, quid ibi dicatur ad excitandum in eo Dei amorem, quid ad contemptum ſæculi, quid ad cauendas inſidias inimici: quid ad mores bonos, & quid ad mala cauenda doceat eſſe circumſpectum. Hoc modo lecta Scriptura, intelligentiam confert ſalutarem; Sed ad hoc, ſtudio opus eſt, & attenta lectione, non curſu ſuperficiali. *Tantum* (inquit Bern.) *diſtat ſtudiũ à lectione, quantum amicitia ab hoſpitio, ſocialis affectio à fortuita ſalutatione.*

DEVOTA, vt ſcilicet ſecundum lectionis ſenſum ſtudeat ſæpe mentem eleuare in Deũ, & elicere ſemper pietatis affectum; & omnia, quæ legit, reflectere & applicare ad ſeipſum; vt ſit *lucerna pedibus eius Dei verbum*, & de malis doleat, & gaudeat de bonis, vt de lectione refectorij diximus. Hauriendus eſt ſæpè de lectionis ſerie affectus, & formanda oratio, quæ lectionem intercumpat: Nec tam impediat interrumpendo, quàm puriorem continuò animum ad intelligentiam lectionis reſtituat. Eſt enim Scriptura ipſa puteus Iacob, ex quo hauriendæ ſunt aquæ deuotionis, &c. Ioan. 4. *Optaui*, inquit Sapiens, *& datus eſt mihi ſenſus.* Sap. 1. Verè magna & multa eſt occaſio deuotionis in legendis Scripturis, & libris deuotis; vbi homo confert, & audit deuotiſſimos ſanctos Patres, imò Spiritum ſanctum in Patribus illis, cũ quibus rurſus per orationem ipſe miſcere poterit ſermones, & expetere dubia occurrentia ab illis, & orare, vt poſſit perficere quod dedit Deus intelligere. Pſal. 118.

SONORA, id eſt, vt homo magis proficiat, alta voce ſcripturã legere debet, vt & audiat ſeſe ipſe legens.

Digitized by Google

legens. Hoc ſiquidem (iuxta Leonellum) maximè inter cætera ſtudentem promouet. Nam ſic duplici quodammodo ſenſu veritatem comprehendit, & viſu pariter & auditu: In audiendo namque (Hieronymo teſte) imprimitur ipſa veritas intimè, & intensè: Vnde & dicit, *Habet neſcio quid latentis energia viua vocis actus*. Quare moriturus Plato diſcipulis diſſerebat, Quod audire auribus magis applicat intentiones rerum, quam ſolum mortuis conſiderare in libris. Nec extimeſcendum putes ſcrupulum quaſi ſic ſonare litteras eſſet fractio ſilentij: Non enim frangit ſilentium, qui legit aut orat: ait Thomas Kempis.

Modesta, id eſt moderata lectio eſſe debet, nec plura ſimul vna ſunt vice legenda; ne animus obruatur tædio. Hinc ad Demetriadem Hieronymus, *ſit ipſa lectio temperata, cui finem conſilium, non laſſitudo imponat*. Sanctus Copretus, tres tantum verſiculos pſalmi primi, non verbis, ſed opere reddidit, & rebus; Alter verſiculo vno contentus, illum ſtuduit vertere in opus. Nam vt immoderatæ vigiliæ & ieiunia intemperata, intemperantiæ coarguuntur, & nimietate ſua pariunt, vt ea ipſa poſtea nec quidem mediocriter fieri poſſint: ita ſtudium intemperans lectionis, in reprehenſionem cadit, & quod laudabile eſt in genere ſuo, fit de nimietate ſui culpabile. Nunquam igitur multum ſimul vtile eſt ſtudere ſine maſticatione & oratione, ſed parum & bene maſticare illud, ne quod faſtidium ſubrepat. Duobus autem modis lectio faſtidium ingerere ſolet, & qualitate, videlicet, ſi obſcurior fuerit: & quantitate, ſi prolixior extiterit, quod vtrumque vitandum. Nec enim prodeſt legere multa, ſi non ſatis intelligãtur. Sit ergo lectioni ſemper modus.

§. 3. *Modus terminandi ſtudium.*

IAm tertiò de via & modo terminandi ſapientiæ ſtudium, breuiter videndum: Quid ſcilicet poſt lectionem ipſam ſit agendum, vbi hæc notato,

Poſt repetat, poſcens, ſeponat gratus in actum.

Repetat. Hoc eſt, poſtquam iam, quantum ſatis eſt, legit, librum reuerenter claudens reponat, exemplo Domini Ieſu, qui acceptum Eſaiæ librum, poſtquam legerat, plicuit reuerenter, miniſtro tradens illum. Indignus eſt enim in ſacro libro legere (ait Thomas noſter Kempis) qui neſcit eum bene cuſtodire, claudere, & in apto loco reponere. Poſtquam ergo ita legit, repetere debet, & in mente ruminare, quæ legit. Seneca dicit, quod alimenta, quamdiu ſunt integra, & quamdiu in qualitate ſua perdurant ſolida, innatant ſtomacho, & oneri ſunt: Cùm verò mutata ſunt, tunc demum in vires & in ſanguinem eunt: Sic, quæcunque hauſimus legendo, non patiamur integra permanere, ſed decoquamus ea ruminando, & in ingenium ibunt. Sic Deus comproportionauit guſtum & cibum, quia cibus dat ſaporem guſtui, qui habet vim diſcretiuam, & ex his duobus cibus incorporatur: Sic oportet legendo comedere Scripturam, poſt maſticare, & incorporare eam. Animal non ruminans, cenſetur immundum, Leuit. 11. Ruminatio autem fit, in eo quod animal habet duos ventres: Accipit cibum ad os, & totum ruminat, & dein protractum, projicit in ventrem vlteriorem. Igitur moderatè ſtudere, & bene maſticare, magis reficit animam; quàm inconſideratè multa, abſque maſticatione. Sequitur ergo quod anima, quæ Dei verba non repetit, nec ruminat, mortua eſt, & in ſe tabeſcit. Et ſterilis eſt omnis homo, quando non ſequitur ruminatio. Vt igitur proficiat lectio lecta, (vt Hieron. monet) relegenda & repetenda eſt in mente.

Luca 4.

Poscens, id eſt, pro maiori illuminatione lectorum, & eorundem adimpletione ſuppliciter orandum eſt ad Deum: Parum enim valet lectionis inſtantia, niſi concomitante Dei gratia. Hinc dicitur in collationibus de Abbate Theodoro, quòd, cùm aliqua obſcura occurreret quæſtio, non ceſſabat ab oratione, donec ei daretur ſolutio; Quare & commonet Caſſianus, quod, qui vult Scripturas intelligere, ad cordis puritatem & continuam orationem ſe debet dare: & tunc, quaſi ablato oculorum velamine, poterit ſacramenta intelligere Scripturarum. Præire igitur, concomitari & ſubſequi lectionem debet oratio, quoniam ſapientia Dei donum eſt, & non datur niſi ſua gratia. Prou. 2.

Seponat, id eſt, ſemper aliquid de lectione debet ſeponere, & in libello pariter & in memoria. De excopiandis aliquibus punctis ait dominus Gerardus Zutphanienſis: Quoniam labilis eſt humana memoria, & vix de pluribus poteſt retinere pauca; omnia, quæ legis, retinere non poteris: ideo ſemper ex lectione aliquid debes extrahere, quod tuo propoſito conueniat, aut ſtatui. Nam docet venerabilis Hugo, quod, ſicut in legendo ingenium diuidit, & inueſtigat inuenta: ita poſt lectionem memoria colligendo cuſtodire debet, vt quæ diſcendo diuiſit, commendãda memoriæ colligat. Colligere autem eſt ea, de quibus prolixius ſcriptum eſt, vel lectum, ad breuem quandam & compendioſam redigere ſummam, quæ à maioribus Epilogus, id eſt, breuis recapitulatio ſupradictorum vocatur. Habet enim omnis tractatio aliquod principium, cui tota rei veritas & vis ſententię innititur: & ad ipſum cuncta alia referuntur: Hoc quærere & conſiderare, colligere eſt. Vnus fons eſt, & multi riuuli: Quid anfractus fluminum ſequeris? tene fontem, & totum habes. Hoc idcirco dicitur quia memoria hominis hebes eſt, & breuitate gaudet, et ſi in multa diuiditur, fit minor in ſingulis. Debemus ergo in omni doctrina breue aliquod & certum colligere, quod in arcula memoriæ recondatur, aut in libello ſignetur: Vnde poſtmodum, cùm res exigit, aliqua deriuentur. Quod etiam ſæpe replicare, & de vẽtre memoriæ ad palatum reuocare neceſſe eſt; ne longa intermiſſione obſoleſcat. Hinc Bernardus, *De quotidiana lectione aliquid quotidie in ventrem memoriæ eſt demittendum, quod fide-*

lius

lius digeratur, & rurſus reuocatum, crebrius ruminetur, quod propoſito conueniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum, vt aliena cogitare non libeat. Iubet Pater Auguſtinus, quod lector, vel auditor verbi Dei ſimilis debet eſſe animalibus, quæ ob id quod ruminant, munda eſſe cenſentur: vt non pigeat cogitare de his, quæ in alueum recepit cordis; vt, cùm legit, vel audit, ſit ſimilis terenti; cùm verò audita, vel lecta in memoriam reuocat, ſit ſimilis ruminanti. Hinc D. Hieronymus monet, *De Scripturis ſanctis habeto fixum verſuum numerum: Iſtud penſum Domino tuo redde, & memoriter firma.* Et non ſolum (vt vult Seneca) memoriæ quod lectum eſt, erit commendandum; ſed & ſtylus redigere debet hoc in corpus. *Apes enim* (inquit) *imitari debemus, quæ vt vagantur, & flores ad mel conficiendum idoneos carpunt; Deinde, quicquid attulere, diſponunt, ac per fauos digerunt: ita debemus quæcunque ex diuerſa lectione congeſſimus ſeparare, (Melius enim ſeruantur diſtincta.) Deinde ad debitam facultatem ingenij, in vnum ſaporem varia illa libamenta contundere; Vt etiam ſi apparuerit vnde ſumptum eſt, aliud tamen eſſe, quàm vnde ſumptum eſt, appareat.* Hæc ille. O conſideret notulam hanc ſtudioſus, hoc modo Collectarium hoc Roſetum congeſſimus, vt exemplum aliis ſimile agendi daremus.

Leuit. 11. Deut. 14.

GRATVS, Poſt hæc de ſapientia & doctrina data, non ſit ingratus, dicente Scriptura, Eccl. 51. *Danti ſapientiam, dabo gloriam.* Hoc Ambroſius fecit, qui poſt lectionem dixit, *Gratias ago Deo meo, quod de ſemine litterarum dulces carpo fructus.*

DET IN ACTVM, id eſt, vt quæ lectione agenda deprehendit, mox in exercitium & opus vertat, inde propoſita renouando. Strenuus enim lector (ait Iſidorus, & Ariſtoteles) potius ad faciendum legit, quàm ad diſcendum; ſciens, non lectores, ſed factores legis iuſtos atque beatos. *Beati eſtis* (inquit Dominus) *ſi ſcitis hæc, & feceritis ea*, Ioan. 13. Impleat ergo lector quæ diſcit, exemplo ſimplicis Pauli, qui ante legem implere voluit, quàm diſcere. Et illius ſancti Pambonis, qui cùm audiſſet primum verſum, *Dixi cuſtodiam vias meas* &c. Pſal. 38. ſecundum verſum non eſt paſſus audire, dicens, ſi potero hoc implere, hic verſus mihi ſufficit modo, & vix, vt profitebatur, in 40. annis valuit adimplere. Tunc enim (ait Hieronymus) Scriptura proderit legenti, ſi, quod legerit, opere compleatur. Religioſus ergo lector verba vertat in opera; memor illius ſententiæ, quia *ſcienti bonum, & non facienti, peccatum eſt ei*, Iac. 4. Et quòd *ſeruus ſciens, & non faciens, plagis vapulabit multis*, Lucæ 12. Nam vt cibus indigeſtus, qui non habet bonam decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus: ita ſcientia multa indigeſta, ſine opere, corrumpit & grauat. Per gradus ergo oſtendit lector noſter, Qui ſunt,

Rom. 2.

Perlege, tunc meditare, ora, ſpeculare, operare.

Lectio intelligentiam dat, *meditatio* conſilium præſtat, *oratio* petit, *contemplatio* inuenit, *operatio* conſummat. Initium boni *lectio* præſtat, vt ſcias quid debeas boni facere; Sed *meditatio* dat implendi modum; Sed quia conſilium hominis ſine Deo eſt infirmum; *petitur* illius ſine quo nullum bonum fit, adiutorium. Deinde homo cum Dei auxilio accingitur ad *opus*, & ex bono opere reficitur ſuauitate contemplationis, & virtutis. Hunc itaque ſeruent Religioſi ſtudendi modum, & videbunt fructum & profectum non paruum. Quod præſtet Dominus Deus. Amen.

De diſpoſitione ad cantandum Tertias.

CAPVT SEPTIMVM.

QVIA hora Tertia Spiritus-ſanctus demiſſus eſt in Apoſtolos de cœlo; Et hora Tertia (vt Marcus ait) crucifixus eſt Dominus: ideo appropinquante hac Tertia hora, deuotè ſe debet Religioſus ad illius exolutionem diſponere, & deuotius eas cantare. Dicuntur enim ob multas rationes hoc complexas verſu, Act. 2. Marc. 15.

Prothoplaſti in Paradiſo. *Crucifige. Crucifige eum.* *Et flagellatur Chriſtus, dimiſſo latrone.*

Peccant, Succlamant, Cædunt,

Datur Spiritus ſanctus. *In monte Syna.*

Nunc Spiritus, & Lex.

Horum latior declaratio patet in rationalibus diuinorum, & aliis libris.

Sed hoc hic currit annotandum circa illud quod allegauimus ex Marco, cap. 15. *Erat autem hora Tertia, & crucifixerunt eum*, annotaſſe Hieronymum in abbreuiato ſuo, ex Enchiridio Origenis ſuper pſalterio, circa pſalmum, *Attendite popule meus*, multa errata eſſe in Scripturis, vitio ſcriptorum; vbi poſt annotatos errores multos, dicit familiariter ad rem noſtram; *Scribitur in Matthæo & Ioanne, quod Dominus crucifixus ſit hora Sexta:* In Marco legitur, vt iam prænotauimus, *erat hora Tertia, & crucifixerunt eum. Videtur illud*, ait, *eſſe diuerſum; ſed non eſt aduerſum, quia errore contigit ſcriptorum:* Qui (quoniam primitiua Eccleſia, vt plurimum, aggregata erat ex imperitis) pro epiſiſino, nota Græca ϛ, quæ ſignat Sexta, ex inſcitia putauerunt eſſe γ gamma, quæ ſignat Tertia: & ſic obortus eſt error ille; Quem tamen pro innata pietate, excuſare nititur Pater Auguſtinus, dicens, ſecundum Marcum hora Tertia eum crucifixum linguis Iudæorum; ſed hora Sexta miniſterio Gentium. Sed eſto qualitercunque, vtrumque horum, magnam præſtat materiam deuotè Tertias exoluẽdi, quod iam eſt in propoſito: vbi petitur conformiter pro rebus factis gratia S. Spiritus, & poſitio legis: Et in verſiculo fatetur Eccleſia ſe peccaſſe, conformiter ad Patres. Sed nil hic dicẽdum eſt de myſteriis.

Matt. 27. Ioan. 19.

MEMBRVM I.

De ſumma Miſſa, & eius parte præparatoria.

II. S*Acrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei,* Pſalm. 49. Inter omnia diuini cultus ſacrificia, nihil ſublimius, ſacratius, acceptius, quàm miſſarũ ſolennia: quæ communiter dicuntur poſt horam Tertiam, vel Sextam, vt habet canon; quia tunc Chriſti paſſio conſummatur. Breuiter ergo videndum, quomodo exercitandum inter illa: Non quòd miſſarum myſteria, quæ innumera ſunt, explicare velimus: Sed tantùm pro his, qui cantandæ miſſæ interſunt, quædam exercitia tangere, vt deuotius tanto officio poſſint intereſſe. De qua iam ſupra quædam tetigimus, & infra in Dominicario ad latum ſunt poſita; ſed ea pro miſſæ auditoribus; hæc pro ſolenniter cantantibus dicenda. Qui nullo modo melius ſe poterunt exercitare, quàm ipſi officio (quod tam prouidè ordinatum eſt à ſanctis Patribus) ſe conformare, vt Cyprianus Papa de conſectat. dicit. Nec quicquam tunc animus aliud, quàm id ſolum cogitet, quod precatur: ideo enim admonetur, ſurſum corda habere, vt officio diſcat intendere. Cuius officij ſunt tres partes principales. Principium præparatorium. Medium executorium. Terminatorium vltimum. Dicamus de parte præparatoria primum.

§. 1. *De præparatione affectus, & introitu.*

III. P*Ræparare Iſrael in occurſum Dei tui,* Amos 4. Qui enim timent Deum præparabunt corda ſua, Eccl. 2. Vnde ſancta Eccleſia tanti ſacrificij altitudinem dignoſcens, nolens ſuos imparatos ad tantum accedere opus; variis modis ſuos præparare voluit. Quare in tam ſolenni officio partem præparatoriam præmiſit.

Pręparans { affectum & intellectũ. } ad tantum myſterium.

Et durat pars hæc à pulſu miſſę vſque ad offertorium: ſub qua poterunt exercitari iſta,

Miſſam cantarus, mentem diſponere cures.
Excute, perpende, & poſt dirige, corq; repande.

Curramus per ſingula. PRIMO omnium, mẽs hominum torpida & indeuota à torpore deſidiæ, & omni diſtractione cordis, venit *Excutienda,* & erga tanti officij celebrationem inflammanda: Quod Eccleſia denotat in pulſu campanæ, cùm pulſat celebriter ad miſſam cum ſingulari ſignificatione, quaſi arida excitans, & excutiens corda, vt ad tanti myſterij celebrationem prompta concurrant. Quare ſub tali compulſatione homo ſe excutere debet, & ad miſſæ officium deuotè audiendum incitare: commemorando omnia illa inductiua, quæ poſita ſunt in Dominicario.

Ad miſſam crebro captandam, plurima ducunt.
Præceptum, placitum, iuſtumq;, opus vtile, dignum.

Sacræ etenim miſſæ myſteria (vt D. Hieronymus in regula monet) ob ſponſi præſentiam ſponſarum corda lætificare charitate debent, & inebriare poculo deuotionis, & fidei ſatiare pabulo, in conuiuio ſalutari.

PERPENDE; Deinde, quia Dominus iuſſit, ne cœcus introeat, aut in tabernaculo miniſtret: *Leuit. 21. 2. Reg 5.* Sub miſſæ primario introitu, diligentius conſiderare habet, quid ſit acturus; quale & quantum myſterium celebraturus: vt ex tali conſideratione integrius cor conuertat ad cætera agenda. Nam & ideo (iuxta Dionyſium) introitus cum modulatione celebriter præmittitur, quatenus omnium aſtantium corda in Dei amorem, ſanctamque deuotionem, & tantorum myſteriorum conſiderationem excitentur, & accendantur; ac per hoc toti deuotius interſint officio. Hic itaque deuotus materiam ſumere ſibi poſſet ex gradu conſiderationis ſub ſcala communionis. Vbi oſtenditur quid debet agere, quid debet inducere &c. quæ hic poterunt exerceri.

POST DIRIGE, quia ſcriptum eſt, *Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus lucidum erit;* Lucæ 11. ſub verſu ipſius introitus intentionem formare & dirigere, & cor in Deum conuertere debes: Ideo enim *verſus* à vertendo dicitur, *Ethymo.* eo quod ſub illo animus per intentionis directionem in Deum eſt conuertẽdus, & ſubleuandus. Magna autem conſiſtit vis in directione intentionis; ex quo totum meritum vel demeritum dependet reſidui operis. Formet igitur hic intentionem ſuam deuotus, vt docetur in ſcala communionis, ſub gradu intentionis: Quæ principaliter dirigi debet in gloriam Trinitatis: ideo enim ei nectitur verſus gloriæ ipſius, vel hymnus. De cuius explanatione notauimus poſt horas.

CORQVE REPANDE, hoc eſt, quoniam, teſte pſalmiſta, *deſiderium pauperum exaudiuit Dominus,* & quia ignis deſiderij præire habet faciem Saluatoris venturi: *Pſal. 9. Pſal. 96.* ſub ipſa repetitione introitus, deſiderium ad venturi Domini in miſſa aduentum affectuosè, inſtar antiquorum Patrum, dilatare debes: mente & corde aſpirando, & votiuè clamando, *Veni Domine, & noli tardare.* Ideo namque introitus repetitur; vt vehemens antiquorum Patrum deſiderium nobis inſinuetur, & noſtrum ad conſimiliter deſiderandum excitetur. Poterit itaque hic ſibi aſſumere materiam deuotionis ex his quæ aſſignata ſunt in gradu occurſionis. Ecce, quam abunda, quàm copioſa, & ordinata offertur hic materia deuotæ excitationis; ſiquis vigil fuerit & attentus. Exceptis iam innumeris myſteriis, quæ tranſiuimus.

Qui diligit Deum exorabit pro peccatis. Eccleſiaſtici 3.

IV. Poſt captatam *in introitu* (per laudem, & intentionis directionem & deſideriũ) Dei beniuolentiam; hic ſub *Kyrie eleiſon,* aperuimus noſtram miſeriam, & ſic conſequenter fiunt alia varia affectus præparatoria, vſque ad Epiſtolã,

& po-

& poterunt exercitari iſta,

Deplorans, gratus, poſcens, affectio, præſto eſt.

Primò, vt dignè poſſes venturum Dominum excipere, & ſic deſiderium tuum adimplere; debes prius cum Dauide, *Domino vias tuas reuelare*, miſeriam tuam ei pandere, & deplorare, & miſericordiã eius implorare, quod agitur ſub *Kyrie eleiſon*. Quod Canticum deuotè dici debet, & compunctè: non curioſè, ſed moroſè, quatenus per ſuam miſericordiã releuet noſtram miſeriam. Et tanto hæc verba feruentius decantet, quanto ea frequentius iterat; Nam & ideo ſæpius iterantur, vt ſemper deuotius dicantur. Innumera iam ſe hic offerret dicendorum materia. circa *Kyrie eleiſon:* Vnde & à quo ſit iſtud dici inſtitutum; quid ſignificet; & cur nouies replicetur; cur ad Filium mutetur: quare Græca lingua dicitur: quare alternatim cantatur: de efficacia item & virtute eius; Quæ requiri poterunt in explanationibus miſſarum; ſatis ſit nobis annotaſſe, qualiter ſe hic homo poterit exercere, inuocando ſanctam Trinitatem per omnia illius appropriata; vt perducat nos ad nouem Angelorum choros; vt per infinitam exhibitorum beneficiorum miſericordiam remittat omnium peccatorum miſeriam. Vnde hic reuocare poterit ad mentem peccatorum omnium diſtinctionem. Orando pro

Remiſſione peccati { Originalis. / Venialis. / Mortalis.

Item { Cordis. / Oris. / Operis.   *Item* { Negligentiæ. / Concupiſcẽtiæ. / Nequitiæ.

Item { Fragilitatis. / Ignorãtię. / Malitiæ.   In { Patrem. / Filium. / Spiritũ ſanctũ, &c.

Abyſſus hic eſt, ſi cuncta quæ ſe offerunt, dicere velimus; nunquam eſſet dicendorum finis. Ex tanta itaque materiæ copia, exercitet ſe deuotus, nunc hac, nunc illa via. Nam non ſine cauſa ſit *neuma* tam prolixum, & tanta in cantando protractio; vt ſcilicet deuotus multa meditari poſſit, inter eam: Nunc exercitando ſe circa,

Appropriata, choros, bona, ſeu mala, gaudia terna.

APPROPRIATA

Sanctæ Trinitatis { Communia. / Propria. / Appropriata.

CHOROS.

Nunc circa nouem ordinum Angelorum proprietates.

BONA.

Nunc circa beneficia { Naturæ. / Gratiæ. / Gloriæ.

MALA.

Nunc circa peccata notata, & virtutum *ternaria*,

Sunt multiplicia ternaria, quæ homo petere poteſt.

Nēpe { Sunt { Tres virtutes Theologales. / Tres dotes { Viſio. / Fruitio. / Tentio. } } / Sunt { Mala, vt ſuprà multiplices peccatorum terniones. / Vota { Obedientiæ. / Caſtitatis. / Paupertatis. } } }

GRATVS. *In omnibus gratias agite Deo per Chriſtum.* Poſtquam homo ſe per miſeriæ expurgauerit deplorationem, conuertet ſe ad laudem, & gratiarum actionem, cantando deuotiſſimæ gratitudinis Angelicum hymnum, *Gloria in excelſis*. Qui hymnus, vt deuotius cantetur, neceſſe eſt, vt bene intelligatur: quia plenus dulcedine eſt & deuotione. Sub quo homo commemorare poterit beneficia diuina, vt in beneficiario.

POSCENS. Poſt hæc diſponitur homo ad orationem, per presbyteri præuiam ſalutationem, cùm ait, *Dominus vobiſcum*; Cui deuotiſſimè reſpondendum eſt, *Et cum ſpiritu tuo*. Et poterit homo, quaſi ad ſingula verba ex aliis locis Roſeti, ſibi congerere exercitationis materiam. Cogitando ſub *Dominus vobiſcum*, verſiculum illum de explanatione Aue Maria, ſuper Dominus tecum, ſcilicet,

Tota, modis cunctis, ſemper, vel vbique, & ad omne. Lucæ 1.

Qui deuotiſſimè hic coaptatur. Et ſic ſub dicendis, de oratione. Et nitatur ſemper cum Sacerdote orare, & orationis ipſius auſcultare verba: nihil enim melius poterit exercere. Aut ſi diſtractus & attediatus fuerit, orationem Bonauenturæ dicat de miſſa. Patet ergo ex dictis quomodo præparatur homo quoad affectum.

Scilicet per { Laudis iubilũ. / Miſeriæ ſuæ gemitum. / Cæleſtis gloriæ cõcentũ. / Orationis ſuſpirium. } *ſub* { Introitu. / Kyrie eleiſon. / Gloria in excelſis. / Collecta. }

§. 2. *De præparatione quoad intellectum.*

RESTAT videre de præparatione quoad intellectum, qui ſit per inſtructionem fidei, & correſpondentiam operis boni, qui ſignantur in lectionibus, & aliis cantibus, vbi hæc poterũt exerceri,

Audi, poſce, refer, reuerens, ſtes, viua fides ſit.

G

Primò dum *Epiſtola* legitur, tunc exemplo Magdalenæ ad pedes Domini ſedentis, & auida mente eius verba auſcultantis, & nos ſedere debemus, diligentiſſimè lectioni intenti. Nec enim tunc aliud exercitandum. Præcipitur enim *de conſec. diſt. 1. c. Quando nihil aliud tunc, quàm id ſolum quod agitur, cogitãdum*. Quare & dicitur, *Surſum corda*, &c. Et in ſanctione Pragmatica vt ibidem legatur vel dicatur priuatum officium, eſt Theologorum vna ſententia. Quod miſſam audientes præſertim intelligentes & litterati, non debent ſuas priuatas orationes dicere; ſed ſub ſilentio & contemplatione eam audire, præcipuè Orationes, Epiſtolam & Euangelium, &c. Nihil itaque Lucæ 10.

iuxta magiſtrum Gerardum magnum) aliud tunc legendum, vel meditandum; quia audire præſens eſt debitum. Attentè ergo audiamus Apoſtolum in ſua epiſtola, aut Chriſti ſacerdotem orantem pro Eccleſia, & dimittamus priuatas oratiunculas, quas credere non debemus (ait dignus ille Coſmas Guymier ſuper Pragmaticam) meliores vel efficaciores illis, quas Eccleſia vniuerſalis dicendas eſſe decreuit, &c. Et vt in audiendo ſit maior deuotio, ſtudendum eſt legendorum intellectui.

POSCE, id eſt, ſub graduali & Alleluya, quæ poſt Epiſtolam ſequuntur, & ſignant fructum quem ex lectione aſſequimur, vel ex ea referre debemus; feruentiſſimè igitur debemus petere, & affectus ingeminare, vt is fructus naſcatur in nobis. Gemitus ſcilicet pœnitentiæ, & affectus ſanctæ lætitiæ, quæ ſignantur per Alleluya & Graduale.

REFER, id eſt, & quia hæc omnia dicuntur, vt intellectus ad ipſum altiſſimum Sacramentum illuminetur & diſponatur; inter hæc audienda, vel cantanda, ſummè enitendum, vt quantum bono modo poterunt, referantur erga Sacramentum ipſum, retorquēdo ad hoc intellectum. Si *ſequentia* cantatur, aſpirandum eſt ad ſuperna gaudia; vbi iam non per fidem, ſed per ſpeciem comeditur noſtrum Paſcha. 1.Cor.5.

DEVOTVS, id eſt ad pronunciationem ſancti Euangelij quod perfectiſſimè illuminat intellectum, ſingulari opus eſt deuotione: quare & ad hoc præmittitur exhortatio. Quæ deuotio requirit iſta,

Spires, ſtes, ſignes, intendas, flectito, poſcas.

Primo, vt pro illius intēta auditione & intelligentia, priuſquam incipiatur, *aſpiretur*: ſuperāt enim verba illa facultatem humani ingenij. *Secundò*, vt reuerentialiter aſſurgatur, & *ſtetur*, quaſi ad confeſſionem illius fidei, etiam ad mortem vſque ſimus parati. Quare reprehenſibiles ſunt ſedentes, cùm præcipiatur *de conſec. diſt. 1. cap. Apoſtolica; Auctoritate Apoſtolica mandamus dum ſacra Euangelia in Eccleſia leguntur, vt ſacerdotes & cæteri homines non ſedentes, ſed venerabiliter curui, & in conſpectu Euangelij ſtantes, Dominica verba intentè audiāt, & fideliter adorent*. In verbo, *venerabiliter*, includitur, honorem tribuendū Euangelio, &c. Semper ergo ſtandum. *Tertiò*, in ipſius initio crucis ſignaculo pectus *conſignandum*, ne diabolus impediat eius auditum & affectum, quia dicitur contra Aquilonem. *Quartò* (vt canon iubet) *intentiſſimè* eſt audiendum; quare nihil aliud exercitij aſſumendum, nec legere, aut meditari:

Pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus;

Et verè abſurdum aliud tunc exercere, & non ad ſalutis verbum intendere. Dum Euangeliū legitur (ait venerabilis Coſmas ille) conſiderandum, quod Chriſtus eſt, qui loquitur, & non homo: Si vnus princeps loqueretur tecū, præſtares cum reuerentiā audientiam magnā; vel immiſceres aliqua verba? immò neſcio ſi auderes allegare Auguſt. vel Ambroſiū, ſed vt prudens expectares verborū ſuorū finem, & poſt diceres quæ velles: quanto magis audire debes Deum tuū, & creatorem, &c. *Quinto* cū nominatur glorioſum nomen IESVS, vel MARIA; magna cum deuotione, capite ſaltem, vel etiam genu inclinandum. Sic enim præcipitur *extra de immunit. Eccleſiæ, c. decet, lib. 6. Conuenientes ibidem nomen illud, quod eſt ſuper omne* Phil 1.
nomen, à quo ſub cœlo non eſt datum hominibus Act. 4.
aliud, in quo ſaluos fieri oporteat credentes. Nomē videlicet IESV CHRISTI, *qui ſaluum fecit* Matth. 1.
populum ſuum à peccatis eorum, exhibitione reuerētiæ ſpecialis attollant. Et quod generaliter ſcribitur, *In nomine* IESV *omne genu flectatur, ſingulariter in ſeipſis implentes, præcipuè dum aguntur Miſſarum ſacra ſolemnia: glorioſum illud nomen, quandocunque recolitur, flectant genua cordis ſui, vel inclinatione capitis teſtentur*. De quo etiam pulchrè in pragmatica cohortatur. Valde ergo indeuotæ mentis eſt, non oſtendere reuerentiam externam, pariter & mentalem, vt notat magiſter Gerardus Magnus. *Sexto*, in fine Euāgelij deuotè orandum eſt cum Sacerdote, quo *per Euangelica dicta deleantur noſtra delicta*; Et vt *Euangelica lectio ſit nobis ſalus & protectio*, & quo *qui dignatus eſt præcipere, det implere*; cum Auguſtino diuino: *Iube quod vis, & da quod iubes*. Exemplo etiam Antonij & Franciſci, qui Euangelica verba mox vertebant in opera. Sequitur,

VIVA FIDES SIT. Poſt ſacrum Euangelium, congruentiſſimè ſubſequitur fidei Catholicæ ſymbolum. Nam confeſſio fidei Chriſtianæ fructus eſt Euangelicæ doctrinæ. Eſt ergo præcipua attentione & diligentia hoc ſymbolum decantandum, & nullum alterum exercitium ſub eo (niſi fidei viuax actuatio) aſſumendum. Quo etenim virtus eſt dignior, eo eius actus meritoſior eſt, atque diuinior; vt declaratum eſt in Dominicario, vbi etiam habetur practica fidei actuandæ. Patent ergo exercitia pro parte miſſæ præparatoria, videndum quæ in reſiduis ſunt agenda ſub parte exequutoria. Nec enim tunc (vt quibuſdam moris eſt) extrauagandum, vt pulchrè commonemur in vita B. Ioannis Eleemoſynarij & Patriarchæ.

§. 3. *Executorium miſſæ, & de offertorio.*

ACcedamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius. Hebr. 4. Longum eſſet executoriæ partis explicare myſteria, quæ vſque ad communionem durat. Sub qua ex parte cantantiū, breuiter hæc ſunt facienda,

Offer, & exerce, laudans pete, participando.

PRIMO in hac parte acceſſoria præcauendum, ne vacuis manibus accedatur ad tanta myſteria. Scriptum namque eſt Exod. 23. *Non apparebis in conſpectu meo vacuus.* &c. Et Pſal. 95. *Tollite hoſtias, & introite in atria eius*, &c. Hinc eſt, quod hîc officium cum cantu præmittitur; quia aliquid cum ſpirituali lætitia offerendum incumbit, ſicut *de conſec. diſt. 1. c. Omnis*. Gregorius VII. iubet dicens. *Omnis Chriſtianus procuret ad miſſarum ſolennia aliquid offerre Deo*, &c. Nulla autem gratior oblatio eſſe poterit corde noſtro: Hoc itaque offerendum Deo; Hoc ſiquidem ipſe Deus petit dicens, *Fili præbe cor tuum mihi*. Prouerb. 23.

Totum

Totum ergo ſe cum corde ſuo deuotus Deo offerre debet. Deinde exercenda ſunt exercitia pietatis, quæ aſſignamus in dominicario, exercenda ſub Miſſa, ſcilicet,

Commemorans, recipe, libans, panem tibi ſumens.

De quibus plene illic diximus. Sed nunquam dicere deſinimus, quod præſertim celebranda ſit illic *memoria Dominicæ Paſſionis*: ille enim finis eſt Miſſæ, & eius fructus. Hoc multæ decentiæ eſt, & magnæ neceſſitatis, & hoc vere eſt potare ſanguinem Chriſti, & manducare eius corpus, vt in epiſtola ad Fratres de Monte oſtendit Bernar. dicens: Quod præter decentiam, & præter peccatum inobedientiæ, eo quod non paret precepto iubentis, *hoc facite in meam commemorationem*; impium etiam
Luc 22.
ſit tantæ Dei pietatis eſſe immemorem; cum amici hominis abeuntis, ſub quolibet ſigno commendatam memoriam, nefas ſit obliuiſci. Deuotiſſimè ergo Chriſti Paſſio illic retractanda, iuxta ſcalam dominicæ Paſſionis. vnde ſuboriuntur innumera bona. Sed nihil de his dicendum vltra. Pro verſus tamen noſtri explanatione, breuiter dicimus, quod ſub omnibus cantandis aſſiſtentes cantores, ſingulari debebunt affici deuotione.

PRÆSERTIM inter cantandum, poſtquam per præfationem commoniti ſunt, *Sanctus*, vbi multa ſe offert materia deuotionis; quia illic laudatur aduenturus Chriſtus ratione diuinitatis, & humanitatis, Et gratia illi ſuper aduentu agitur; & pro ſalute, *in Oſanna*, quod eſt quaſi *ô ſi ſaluum facias*, precatur. Similiter, & ſub *Agnus Dei*, vbi ſupplıciter venit
Luc. 13. Io. 19. Luc. 23.
inuocandus, vt qui in Crucis patibulo patrem, matrem, & latronem agnouit, noſtri miſereri velit,

Et dare pacem { Temporis, Pectoris, Æternitatis.

Et ſub ſingulis his, innumera eſt materia deuotionis; ſed vetat commemorare eam timor prolixitatis. Et (vt paucis dicantur omnia) in omnibus his ſacræ Miſſæ myſterijs, deuotus quantum poterit Sacerdoti ſe conformabit; vt tanto ſacramento participare poſſit. Et hæc ſufficiant de executoriæ partis exercitijs. Breuiter de finalibus videndum.

§. 4. *Terminatorium Miſſa.*

VII. 1. Theſ. 5.
IN *omnibus gratias agite Deo per Filium eius Ieſum Chriſtum.* Ait Dionyſ. Carthuſien. Quoniam celebratio Miſſæ eſt opus diuinum, atque perfectum; decet, vt ſicut à laude Dei incæpit, ſic in ea finem accipiat. Et ideo vltima pars Miſſæ proprie gratiarum actio nominatur; licet aliqua alia concurrant in ea: Sub qua hæc veniunt exercitanda,

Sis gratus, pete, proficiens, benedictus, & offer, Breuiter, *Communio* in gratiarum actionem eſt cantanda, & gratię pro tanto beneficio exoluendę; ſub *Collecta*, petendum eſt pro Sacramenti effectibus, Sub *Ite miſſa eſt*. aſſumendus eſt proficiendi animus Et vt proficiat, deuotè excipienda eſt *benedictio Sacerdotis*. Tandem finaliter, inſtar Sacerdotis, offerendum eſt Deo ſacrificium tanti cultus, vt acceptũ ſit in oculis eius, & proficiat viuis, ac defunctis.

HÆC ecce breuiter congeſſimus, pro offerenda aliqua materia deuotæ exercitationis, Miſſam audientibus. Sed qui dignam deuotionem habere volet, oportet vt circa eius myſteria, ſingularius ſtudeat: vt ſæpè commonuimus, legendo ſanctorum, & doctorum explanationes de officio Miſſæ, & eam concernentibus. Quod ſingulare ſtudium erit ordinandis. Nec vnquam ſine graui ratione exeat de eccleſia, ſub Miſſæ myſterijs, vt quibuſdam moris eſt, nondum illis expletis; qui ſimiles ſunt hominibus ſtultis, fugientibus de conſiſtorio, intrante ſummo Pontifice, vel de palatio intrante Rege quando maximè poſſent, & deberent ſuas cauſas, & negotia præſentare, & expedire. In finem igitur vſque Miſſæ perſiſtendum; præſertim cum id iubeat ſacer canon *de conſec. diſt. 1. cap. Miſſas.* Ne ante benedictionẽ Sacerdotis de templo exeant, alias confundendi vt patet. Hæc breuiter de Miſſæ ſufficiant exercitijs, vnde latius infra.

MEMBRVM II.

De diſpoſitione ad cantandum Sextas.

HOra *autem Sexta tenebræ factæ ſunt*, &c. Poſt Miſſam ſequitur communiter hora Matt. 27.
Sexta, quæ deuotiſſime exoluenda, propter plura myſteria.

De Paradiſo Protoplaſtus.	*Hora erat Sexta, quando ſedit ſuper puteum fatigatus.*	*Et Sexta erat crucifixus.*
Expulſus,	Laſſus,	Crucifixus,
Nunc naturaliter in calore aſcendit ſed in Paſſione tenebreſcebat.	*Circa Sextam creditur in cælum aſcendiſſe*	
Sol,	Modo ſcandit.	

Gen. 3. Io. 4. Luca 23. Mat. 16. Act. 1.

Omittimus iam omnia myſteria ſextarij numeri, & de operarijs conductis. Deuote ergo Matt. 20.
ſunt ſoluendæ laudes horæ illius. Videndum quid poſt has fiet.

§. 1. *Quid poſt Tertias, vel Nonas agendum.*

MAnebitis *in Tabernaculo obſeruantes cuſtodias Domini, ne moriamini.* Leuit. 8. IX. Leuit. 8.
Dicit deuotiſſimus Iohannes Vallen. in Alphabeto Religionis, quod ſicut anima ante horas Canonicas eſt præparanda, ita etiam his terminatis in deuotione eſt conſeruanda; nec ſtatim quaſi ſtipendiariorum more, foris eſfundenda: quare ſemper poſt horas, ſunt ea, quę poſt matutinas notata ſunt, generaliter exercenda, ſcilicet *poſt veniam*, &c. vt ſupra. Verum quoniam poſt Miſſæ officium non facile eſt ad fabulas exeundum; ſed in tabernaculo, vt iubetur, vſquequo tempus patitur permanendum, (vnde non, niſi cum dolore abſcedendum, vt in ſacramentali eſt notatum) poterunt hæc exercitia obſeruari:

Poſt Miſſam, gratus, veniã, pete, contere, liba.

Hoc eſt, *in primis* magnificum illius ſacræ refectionis beneficium, ad mentem

eſt reuocandum;& debitum exoluendum *munus gratiarum*. Cuius inductiua, & practica, traduntur in ſcala communionis. *Deinde* quoque ſuper admiſſis negligentijs, & reuerentijs commiſſis ſuppliciter cum propoſito emendandi, eſt *venia* petenda. Poſt *orandum* eſt, pro fructu, & affectu ranti Sacramenti, in te perficiendo. Cuius vt plenius ſentiamus affectum, ſpiritualiter venit illud *ruminandum*; ſecundum portiones, vel conſiderationes dierum, vt copioſè hoc in ruminatorijs ſacramentalibus annotatum. *Poſtremo* pro te, & omnibus Eccleſiaſticis, præſertim tibi commiſſis, illud rurſus *offerendum*, cum commemoratione Dominicæ Paſſionis, Cuius memoria nunquam eſt à mente auellenda; Quam commemorare, eſt vere ſpiritualiter hoc Sacramentum comedere, & ruminare, quod omni tempore, & omni loco non ſine fructu fieri poteſt, debitæ ſcilicet pietatis affectu; vt in Epiſtola ad Fratres de monte docet Bernard. ſicut, & plenius in ruminatorio oſtendimus, quare ſufficiant hæc de iſtis.

De refectione prandij.

CAP. VIII.

Io 21. 1. VEnite, prandete. Ioan. 21. Licet de perfecto viro S. Iob dicat, *Clamorem exactoris non audit*, id eſt, gulæ appetitui non ſatisfacit; inſtante tamen refectionis hora dum fit pulſus refectorij, omnibus intermiſſis accedat, quaſi audiens præfatum Dei verbum inuitans ad prandium, aſſumendo exercitia deuotionis iuxta hæc,

Audito menſæ pulſum, domini quaſi verbum.
Parens compunctus, lege, diſponens, benedicas.

Id eſt, vbi pulſatur ad refectorium, mox, quaſi à Deo vocatus, *parendum* eſt, & accedendum. Nihil enim communitati præferendum, nec aliqua ex cauſa, niſi graui, à communi eſt refectorio abſentandum. Multa etenim eſt virtus communitatis: Vnde tentato fratri vox cœleſtis aiebat, *Si vis ſaluus eſſe, vade* Cant. 6. 10. 20. *ad caſtra*; conuentum ſignans, qui dæmonibus terribilis eſt, *vt caſtrorum acies ordinata*. Thomas in communitate non exiſtens Dominum non vidit, &c.

COMPVNCTVS, cum multa eſt cordis compunctione accedendum, iuxta Iob, Iob. 3. *Antequam comedam, ſuſpiro*. Gemina autem ex radice ſuboritur affectus compunctionis: *Primo* ex commemoratione inflictæ *defectibilitatis*, & amiſſæ immortalitatis, Quam conſiderationem acceſſurus ad cibum habuit ſanctus pater Iſidorus, qui lachrymabatur, & dicebat, Erubeſco irrationabilem cibum ſumens, qui rationalis à Deo factus, in Paradiſo deberem obuerſari voluptatis, & cibo ſaturari diuino, &c. *Secundo* compunctionis dolor oboritur ex conſideratione ignominioſæ *vilitatis* ipſius exactoris, & ob eiuſdem implacabilitatem, & omnium, quæ ingeruntur perditionem: Venter ſiquidem moleſtus eſt creditor, qui vocem non audit, inſatiabilis, ſemper perdens quicquid accipit. Non ergo immerito cum dolore, vt tali ſeruiatur acceditur. Sicut igitur ad crucem, ſic accede compunctus ad menſam.

LEGE, hoc pro bono more ſeruandum, vt ante refectionẽ ſemper aliquid, ad minus *de profundis*, cum collectis, dicatur pro bene- Pſ. 129. factoribus, & defunctis, quorum eleemoſynis veſceris, & quorum (iuxta Prophetam) co- Oſe 4. medis peccata.

POST hæc *diſponens* te ad deuotè legen- Pſal. 22. dum, *Benedicite*, Gratias in primis agendo, quod talem in conſpectu tuo, ſine tuo ſudore, parauerit menſam, neceſſarijs omnibus inſtructam. Orando inſuper ne in quoque permittat te excedere; ſed te benedicat hic, poſtea perducendo ad menſam ſupernam. Quæ omnia aguntur ſub benedictione; vt patet attendenti. Hic itaque modus eſt accedendi.

DE modo vero manducandi, poſtea traditum eſt in ferculario; vbi ponitur in genere is modus obſeruandus,

Cum diſciplina, deuotus, edas ſocianter.

Vbi & traditur deuotus modus audiendi lectionem ſacram; ſub qua poterunt hæc fieri exercitia,

Diſponens audi, ſaltans, pete, punctu'a, gratus.

Subditur quoque ibidem, & modus prandiũ terminandi per hæc exercitia.

Grates compunctus, fuge, læta, terens, memorare.

Quæ omnia illic habentur vtcunque deducta, quare ſuperfluò hic repetenda. Progrediendum eſt ad reliqua.

MEMBRVM I.

De nonis cantandis.

PEtrus, & Iohannes aſcendebant in templum ad horam orationis Nonam. Act. 3. Si nonæ II. Q. Act. 3. poſt gratias reſtant dicendę, ampliori opus eſt ſub illis cuſtodia ſenſuum, & cordis compunctione, eo quod tunc pronior in malũ ſit natura, faciliorque ad diſſolutionẽ. Super quo valde præcauendum, cum graues ſint rationes laudis nonalis. Quæ patent hoc verſu,

Chriſtus in Cruce,	*Paſcit, & cubat in meridie,*	*re pagula lumbi.*	Luc 23. Cant. 1.
Expirat,	Paſcit,	Fregit,	
Vidit angelum introeuntem,	*Petrus, & Ioannes aſcenderunt in templum. Petrus orat in cœnaculo.*		Act 10. Act. 3.
Centurio,	Sancti,		

Congrue ergo cantatur Pſal. *Mirabilia*; Et *redimi* ſe petit in verſiculo eccleſia, vt deducitur in rationalibus diuinorum.

§. *Quid poſt prandium agendum ſit.*

PEr ſtultum cibo ſatiatum mouetur terra. Prou. 30. III. Prou. 30. Ait venerabilis Magiſter Hugo, *Non eadem debet eſſe facies noſtra poſtquam refecti ſumus, quæ fuit priuſquam ſumpſimus cibum; nec actio æqualis. Ante ſumptum cibum, doctrinæ* (inquit) *& orationis tempus eſt, poſt vero laboris. Quia tunc exercendus eſt animus, dum adhuc ad ſtudium ſpirituale leuis eſt, & tũc*

repri-

Digitized by Google

reprimenda laboribus caro, quando calor incentiui eius, per cibum amplius excitatus eſt. Hæc ille. Cauendum ergo poſt reffectionem à geſtus leuitate, multiloquij varietate. à ludi vanitate; ne impleatur verbum præmiſſum, vt *moueatur terra per ſtultum ſatiatum*, & ſimus ſimiles populi illius, de quo dicitur, *Sedit populus manducare, & ſurrexerunt ludere.* Singulariter quoque præcauendum à torpida ocioſitate; ad quam tunc inclinatur natura. Quare ad illam excutiendam, debet homo accedere ad opus. Exod. 32.

Ante tamen, animus excitandus eſt in aliquali compunctione, quàm manus conſerenda in opere: Et poterunt aſſumi exercitia iſta;

Diſcutias, lege, poſt renoues, memorans, peragrato.

Diſcutias, Scrutinium facias conſcientiæ, an ne propoſita obſeruaueris conſtituta in mane; ſi exceſſeris in aliquo, iuxta modum conſcientiæ examinandæ, vt in examinatorio patet. Nec enim ſatis erit ei, qui verè proficere velit, ſemel in die conſcientiã perluſtraſſe; ſæpè, imò omni hora, ſi fieri poſſet, ad rationem vocandus eſſet animus, ne aliquando exorbitans laſciuiret; Maximè mane, & poſt prandium, vt ſuadet in exercitijs deuotus Dominus Florentius. *Lege*, id eſt, diſcuſſione huiuſmodi peracta, legenda eſt pænitentia, pro competentis defectibus iniuncta; aut explendum eſt de Roſarijs, quę reſtant, & deinde iterum diſtrictius propoſita priora ſunt *Renouanda*, & vitia magis infeſtantia ad mentem ſunt *Reuocanda*, & debellanda. Et aliquid de articulis vitæ Dominicæ, aut Paſſionis, aut de Sanctis diei memorandum. Poſtremo ad *regionem* diei eſt eundum, vt homo diſcat ſe exercitare in ea, vt monſtratur in diſtinctione de regionibus, maximè aſſumens ex illis materiam magis compunctiuam, pro leuitate naturæ reprimenda.

Feria		memoratio de	
	Secunda,		Peccatis,
	Tertia,		Mundi vanitatibus,
	Quarta,		Sanctorum patrũ exẽplis ſeu Dei beneficijs,
	Quinta,		Morte,
	Sexta,		Iudicio,
	Sabbato,		Inferno, vel purgatorio,
	Dominica		Regno, vel Paradiſo.

In quibus eſt materia plenariæ compunctionis.

MEMBRVM II.

De labore Manuali poſt Nonas, vel prandium.

IV. Eccli. 33. *Cibaria, & virga, & onus aſino; panis, & diſciplina, & opus ſeruo.* Eccli. Seruus iſte, corpus eſt, quod ſpiritui ad ſeruiendum datum eſt; quod niſi opprimatur laboris onere, dominari vult ſpiritui non ſeruire. Opere itaque venit opprimendum, maximè poſt prandium, dum ſanguis eſt in ſuo curſu, & feruore. Quare completis prænotatis exercitijs, accedendum eſt ad iniunctum opus; de cuius inductiuis, & practica iam ſupra diximus: Hoc vnico prænotato, quod obiecta hic ſumenda ſunt ex regionibus, & orationes frequentius formãdæ inter opus ad ſãctos diei, pro deuincendis vitijs, & conquirendus virtutibus. Et cantandi ſunt Hymni Petri Damiani de peccatis, contemptu mundi, & de 4. Nouiſſimis, quos deuotus ſibi conquirere debet, & per huiuſmodi ſe conſeruare in compunctione, & oblectatione operis, vt fortitudo ſua in ſpe ſit, & in ſilentio ſolitudinis, ſecurus à vitiorum ſentina, ocio malo, præcauens ab inquieta, & ocioſa circumuagatione, vt iubet Apoſtolus: Eſa. 30. *Audiuimus quoſdam inter vos ambulantes inquiete, nihil operantes; ſed curioſè agentes. Hiis autem, qui huiuſmodi ſunt, denunciamus, vt cum ſilentio operantes ſuum panem manducent*, &c. 2. Theſ. 3.

V. *Scribendum* ergo in ſilentio, & valde præcauenda eſt ocioſitas; preſertim ſub tempore iuuentutis, quæ vna annumeratur de 12. abuſionibus clauſtri, & reprehenſibilis eſt ſingulariter (ob plures cauſas) in iuuene.

Congruit, aſſueſcat, pronus, ſanguis, mala cantant.

Primo, quia hæc ætas iuuenilis labori apta eſt, & Congruit. *Secundo*, vt ſub tempore idoneo ſe domare Aſſueſcat; Vituli in iuuentute ſua domantur, & equi aſſueſcunt equitationi; cum in ſenectute non ſint ſuſceptibiles talium. *Tertio*, quia hæc ætas *Prona* eſt ad leuitatem, ideo onere ſtabilienda laboris: Maturitatẽ, quã in ſenibus facit ætas, in iuuenibus cauſabit oneris grauitas. *Quarto*, quia in iuuenibus corpus eſt in ſuo robore, & *Sanguis*, in ſuo feruore, quare opus eſt oppreſſione laboris, & virga correctionis. *Poſtremo*, quia ex iuuenili ocioſitate, prodeunt Mala multa. Hinc Magiſter Hugo de Sancto Victore. *Iuuenis in ocio, quaſi iumentum ſine iugo.*

VALDE ergo cauendum ab illo, quod hæc mala fecit.

Otium primò eſt animæ in ſua intellectiua tenebratiuum. Pro. 9. Qui lectatur ocio ſtultiſſimus eſt, quia negligit merita. — *Eſt ſecundo animæ ad ſuam tentatiuam eneruatiuum. Ocium enim eſt quo euaneſcit virtus.* — *Eſt affectus maculatiuum. Variam dant ocia mentem.* Pro. 9.

Fuſcat, & Eneruat, Fædans;

Eſt ingenij hebetatiuum ocium, quaſi rubigo, ingenij facultatem ſiccat. — *Eſt bonorum euacuatiuum: nihil ocio deterius, quod etiam parta conſumit.*

Hebetat, Vacuatque, 1. Tim. 5

Eſt diſcurſiuum inutilium, & verborum occaſionatiuum, vt volunt ocioſè diſcurrere, circuire, non ſolum ocioſè, ſed & verboſe — *Omnem fructum. Seneca. vitiis non putata in labruſcam ſilueſcit: Nullus eſt ocij fructus.*

Dat mala, Deperdens Matth. 12

Hoſtibus & ſeruituti, vt de Troia, & Roma. Cadit labori voluptas. — *Ocium, viui eſt hominis ſepultura, quia nemini viuit.* — *Patrum eſt ſententia, ocioſum innumeris ſpiritibus deuaſtari.*

Subdit, Mortem, Sathanę dat.

Eccli. 33. Summa itaque malitia mentis ocium in-
Gal. 4. ers, & multam malitiam docet, & facit; quare
proſcribendum procul; & boni aliquid, dum
tempus eſt, operandum ſemper, vt ſupra di-
Prouer. 21. ctum eſt. Alias in *deſideriis eſt omnis otioſus.*
Tollenda igitur otia, vt pereant cupidinis artes.
Cedit amor rebus, res age, tutus eris.

§ 1. *De opere ruſticali.*

VI. NE *oderis opera laborioſa, & ruſticitatem à*
Deo creatam. Eccl. 7. Verum quoniam
nonnunquam obedientia, & religione exi-
gente, ad externos etiam itur labores; viden-
dum de illis, ne abhorreantur, quos ſanctiſſi-
mi Patres familiares habuere; adeo vt Ægyp-
tiorum monaſterijs mos fuerit (vt & decreta
teſtantur) nullum ſuſcipere abhorrentem ab
huiuſmodi labore, vt Hierony. ad Ruſticum
ait, & plenius declarat Pater Caſſianus. Et de
labore ſcitur B. Bernardi ſanctorum quoque
patrum Antonij, & cæterorum. Sed & pater
Auguſt. deprehenditur ex libro de ordine re-
rum, manibus laboraſſe in hortis: Quare &
tantopere in libro de Opere monachorum,
hortatur ad opus, noſcens innumeros fructus
illius. Et ante eum Doctor gentium Paulus,
2. Theſ. 3. *Qui non laborat, non manducet.*

SVNT enim plures fructus huiuſmodi la-
boris, ſcilicet iſti,

Edomat, & tollit, ſuccendit, nutrit, adaptat.

Primus fructus, *carnis Edomatio*, & cogitatio-
num malarum reſtrictio. Hierony. Laborant
Ægyptij patres, nō tā propter victus neceſſaria
quàm propter animæ ſalutē; ne laſciuiat caro,
ne pernicioſis vagentur cogitationibus, & in-
Ezech. 16 ſtar fornicantis Hieruſalem, omni tranſeunti
ſe exhibentis.

Secundus fructus, *ocij Excluſio*, quod docet
malitiam omnem, vt patet ſupra.

Tertius deuotionis inflammatio: Hinc Bernar.
Eccl. 33. Subdiualia exercitia, ſicut ſenſus diſtrahunt,
ſic ſæpè ſpiritum exhauriunt, id eſt cum gra-
uiore ruralium labore operum, fit magna cō-
tritio corporis, vſq; ad contritionē, & humili-
tatē cordis; & fatigationis ſuæ preſſura expri-
mūt ſæpè vehementioris deuotionis affectū.

Quartus fructus eſt, *ſui & pauperis educatio*,
Ephes: 4. vt Paulus docet, manibus operetur, vt tribuat
egenti.

Quintus eſt ad bona *Adaptatio:* Sancti pa-
tres, quo in labore erant agiliores, eo ad vir-
tutes habiliores. Non ergo ſpernendi externi
labores, nec contriſtandum propter eos. Ita
enim monet in regula ſua pater Benedictus.
Si autem neceſſitas loci, aut paupertas exegerit,
vt ad fruges recolligendas, aut externos labores
per ſe occupentur, non contriſtentur, quia tunc
vere monachi ſunt, *ſi à labore manuum ſuarum*
viuunt; ſicut & Patres noſtri, & Apoſtoli, de
quorum laboribus mire leguntur in eorum geſtis.

NEc exiſtimet quis Canonicos Clericos,
à Monachorum Sanctorum labore alienos;
cum & de illorum laboribus manifeſta ſint
Sanctorum patrum decreta d. 91 *c. presbyter,*
& *c. Clericus, &c. Vbi aiunt, Clericus victum, &*
veſtitum ſibi artificiolo, vel agricultura, abſque
Officij ſui duntaxat detrimento præparet. Valdè
iſtud notandum quibuſdam, quòd ſacer Ca-
non dicit, vt *abſque Officij detrimento*, laborent.
Nullus enim Clericorum, niſi prægnanti ne-
ceſſitate, à diuinis ceſſare, nec cauſa laboris
debet. Ita enim decretum ſubdit: *Clericus enim,*
qui abſque corpuſculi ſui inæqualitate, vigilijs de-
eſt, ſtipendio priuatus, excommunicetur. Ita ergo
inſiſtendū laboribus, vt non imminuatur di-
uinus cultus. Sed videndū, de modo laborib'.

§ 2. *Quomodo debet ſe citius ad labo- rem diſponere.*

LAbora ſicut bonus miles Chriſti. Ad Ti- *VII.*
moth. Iam videndum de modo externi *2. Thi. 2.*
laboris. De quo tanto quiſque erit ſolliticior,
quanto eſt animi, & ſenſuum ſi non obſiſtat,
diſtrahibilior. Quamquam ſerius, & prudens
animus ad omnem ſe comparat laborem, nec
in eo diſſoluitur; ſed per eum magis in ſeip-
ſum colligitur; ſemper pre oculis habens, non
tàm quod agit, quam quod agere intendit,
&c. Igitur, vt hortatur Hier. plantentur inter-
dum olerū planiq; in hortulo, vt creſcētes præ-
beant eſcas; ſeratur humus; areolæ æquo diui-
dantur limite: quibus cum olerum iactata fue-
rint ſemina, vel plantę poſitæ per ordinē, aquę
ducantur irriguæ. Inſerātur fructuoſæ arbores,
vel gemmis, vel ſurculis: vt poſt dulcia poma
decerpas. Apum fabricentur aluearia, texātur,
& lina pro capiendis piſcibus, vel fiſcellā texe
iunco, aut caniſtrum lentis viminibus. In qui-
bus omnibus non vacet mens à fructu; ſed vt
manus labore, ita mens diuino repleatur pa-
bulo intus.

BREVITER ergo ad externum laborem ac-
ceſſurus, hoc ſe modo prædiſponet:

Audi, perpendens, intendas poſce, grauis ſis.
Hoc eſt, dum ad huiuſmodi laborem vocatur:
audiat quaſi vocem Marthæ dicentis; *Surge* *Io. 11.*
Maria magiſter adeſt, & vocat te, de contem-
platione ad actionem, de quiete ad laborem.
Cui mox Mariæ inſtar parendum, dicendúq;
Paratum cor meum Domine; & ad perſiſtendū *Pſ. 56.*
in quiete; *paratum cor meum:* & ad ſudandum
in labore. Dein inter parandum, perpendere
debet laboris inductiua, & ſanctorum exem-
pla, & illa præponere ſibi; de ſancto Bernardo
tenerrimo; de ſancto Paphnutio, & de illo
pręclariſſimo Paulo Nolano, qui ex opulētiſſi-
mo diuite factus voluntarius pauper, etiam ſe
in ſeruitutē vendiderat, ſub Attila hoſti curam
gerens &c. Et præſertim exemplum illius ma-
giſtri laboratoris, domini Ieſu, qui trigintatri-
bus annis ſeruiuit in peccatis noſtris &c. Sic-
que animo excitato, & inſtructo per conſide- *Eſa. 43*
rationem, affectum dirigat in Deum per re-
ctam intentionem: proponendo quod omnia
velit facere in Dei gloriam, & animæ ſalutem,
&c. Sed pro more de ſua virtute deſperans ad
orationem confugiat; ſemper, vbi commode
poterit, in eccleſia, breuem ſaltem orationem
præmittat: ne in labore excedat. Atque tunc,
cum feſtinatione, ſine tamen grauitatis diſſo-
lutione, cum omni maturitate procedat ad o-
pus. Ecce accedendi modus.

§. 3, *Qualiter autem inter laborandum ſe habebit.*

VIII. Eccli. 31. Prou. 12. Ier. 48. SIs vigil, ac feruens, ſocialis quando laboras.

VIGIL. *Primo*, operabitur *vigilanter*, memoria ſapientialis iuſſionis: *in omnibus operibus eſto velox*. Et, *vidiſti hominem velocem* &c. Maledictus ſiquidem qui facit opus Dei negligẽter. Quod vt vigilantius faciat, repromiſſa præmia, cum Sanctorum exemplis, & Dei præſentia ſibi præponat: *omnis conſummationis attendens finem*; (Pſ. 118.) quod ſi (vt Bernard. ait) fecerit verius, tanto operabitur fidelius, & feruentius; totius ſibi corporis ſui in hoc ſubijciens ſeruitutem, vt iam particeps ſit laboris, qui erit conſors conſolationis, (Apoc. 1.) ſicut latius proſequitur in ſermone. Generoſos animos (ait Seneca) labor nutrit: nec viri eſt timere ſudorem; Cõſideratio namque præmij minuit vim flagelli, vt Sanctus ille ſenior aiebat in vitis Patrum. Omnis labor totius temporis, nondum vnius horæ ſpacium, æternorum comparatione tormentorum gehennę habet.

Secundo, Feruenter & deuote ſe habebit ad Deum, vt ſicut corpore foris, ſic animo laboret intus; nunquam longe, vel in totum recedens à ſpiritualibus exercitijs. Fatetur S. Bernardus profeciſſe ſe ſub arboribus, & magiſtros habuiſſe fagos, & quercus; eo quod in exercitio ſemper erat mentis, cum ſilentio laborans, in meditatione cordis. Dicebat Abbas Pãbo. Sicut apis, quocunque vadit, mel operatur: ita & Monachus dulcedinem bonorum actuum, ſemper afferre poteſt. Triplici autem modo mentem in Deum leuare poterit,

Nunc { Pſalmorum, aut Roſariorum vocali lectione;
Ardenti, & iaculata mẽtali Oratione:
Attenta, & deuota Meditatione. }

Semper in principio laboris legendo *Adiutorium noſtrum* & *Actiones* &c. cum orationibus. Et aliquos Pſalmos de 7. Pſalmis, cum aliquot *Aue Maria*, vt eſt moris, Dein aliquando mentalibus orationibus, & iaculatis aſpirationibus, (Luc. 18.) mentem in Deum vibret, dicendo (Pſ. 50.) Deus propitius, &c. vel Miſerere mei Deus. Aut exerceat ſe in alphabetis Nyder aſpirãdo, O Amantiſſime, Benigniſſime, Clementiſſime, Dulciſſime Deus, quando abſoluar à laboribus! &c. Poſt etiam meditari poterit de nouiſſimis diei: & maximè, (vt Bernardus vult) cauſam laboris, vt in Sermone de labore meſſis. Suadet Hieronym. in Regula, vt in labore exiſtens, in creaturis Creatorem laudet, & ex creaturarum inſpectione in contemplationem aſcendat Creatoris; ita vt iam ipſe hortulus, fiat oratorium. Aut Pſalmos ruminet, quod ſanctis Patribus moris erat; vt ex Regulis illorum patet: vbi toties iubetur, vt Pſalmos tacentes ruminent, & de ſcripturis meditentur. Qui huiuſmodi exercitijs ſe inter laborandum alternatim exerceret; pro fectum multum, non defectum inueniret. Poterit & pro releuatione animi dulce, & deuotum quiddam, vt monet Pater Auguſt. decantare. Sed huiuſmodi exercitia mentis, ſilentium præſuponunt oris; pro quo ſeruando, lapidem in ore portauit S. Pater Agathon tribus annis.

POSTREMÒ *ſocialiter* ſe habebit erga collaborantes, poſt aliquam exercitationem mentis, dulciter boni & ſacri aliquid loquendo cum illis; ſemper tamen in loquendo, ne offendat circumſpectus. Nec enim ſpiritualis eſt propoſiti detrimentum, pro conſeruatione charitatis, & conſolatione fratris, priſtini rigoris relaxare, aut remittere feruorem. Sed caueantur rumores ſæculi, texatur ſermo de ſcripturis. De modo terminandi laborem, &, inſtante fine feruentius laborare, Et ſi tædio affectus fuerit, de morte, vt ſanctus docet Bernard. meditari, Et poſt de exceſſu dolere, & opus Deo offerre. Hæc breuiter dicta ſufficiant, de labore externo.

MEMBRVM III.

Poſt laborem iterum ad ſtudium redeundum.

VBi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum. IX.

Sapien. 19 Poſt laborem iterum eundum ad lectionem, & ſtudium; vt diſponatur mens ad orationis reſtantis deuotionem. Hæc ſiquidem ſunt tria Religioſorum omnium neceſſaria exercitia; quorum vnum vix ſubſiſtit ſine altero. Viciſſim ergo agenda. Oratione namque mundamur, lectione inſtruimur, operatione beatificamur. Tempora ergo diſtinguenda ſunt, vt exerceantur ſingula. Supra autem præmiſſam eſt, de inductiuis, & modo ſacræ lectionis; circa quam valdè inſudandum Religioſis. Nam *vbi ſcientia non eſt*, vt auctoritas habet, *non eſt anima bonum*. Nihil ergo ſuo in tempore præferendum lectioni.

De ſchola Religioſorum, vel lectione publica. Notula 2.

VOs qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis. X. Gal. 6.

Quod ſi ſchola ſit Religioſorum, hæc illic diſciplina obſeruanda. *Primum* in diſcipulis erudiendis, hæ requiruntur conditiones,

Attentus, bonus, & docilis, caueat, ſtudioſus.

De quibus Boetius, in de Diſciplina ſcholarium dicit, Diſcipuli ſubiectio in his conſiſtere debet; in attentione, beneuolentia, & docilitate; Vt, ſcilicet *docilis* ſit ingenio, *attentus* exercitio, *beniuolus* animo: Attentus ad audiendum, docilis ad intelligendum, beniuolus ad ad opus, & ad retinendum.

A qualibus autem ſit præcauendum, idem etiam deducit ad longum; ab omni ebrietate, voluptate carnali, & occupatione ſæculi. Vbi etiam notat quam debeant eſſe ſtudioſi, non parcentes laboribus, neque ſudori. (Nota. φίλος, κόπος, φιλοπονία, ἀγρυπνία.)

Quatuor enim ſunt quæ lecticam portant Philoſophiæ. Philos, & Kopos, id eſt amor & labor, Philoponia, & Agrypnia, id eſt, cura & vigilia, *Laboris* eſt agere, *amori*, profi-

Digitized by Google

proficere; *cura* præuidere, *vigilia* attendere. Pro. 2. *Qui enim quæſierunt ſapientiam quaſi pecuniam; hi inuenerunt illam.*

ANTE omnia tamen virtuoſi ſtudeant eſſe, magis quam ſtudioſi, quia præmittitur: Nota. Ps. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. Poſt autem. *Beati qui ſcrutantur teſtimonia, ſubditur.* Nam & Pythagoras primum mores à diſcipulis quærebat, antequam eos doceret: à quibus (vt Hieronymus ait) ſacramento extorquebat ſilentij ſermonem, inceſſus manſuetudinem, moresque bonos. Et Socrates omnem reuocauit philoſophiam ad mores.

IN præceptoribus verò, hæ conditiones eſſe debent.

Promptus, prouiſus, bonus, ordo, bonum, modus, apte.

Primò erit ad docendum feruidus, & *promptus*, vt non ſolum diſcipulis paratus ſit; ſed etiam obuius, quia ſine culpa non eſt, qui non docet, vbi debet, & poteſt, imò & iuxta Gregorium occidimus, quos ad mortem ire tepidi tacenteſque videmus. *Secundo* in docendo ſemper erit prouiſus, & *prouidus*, vt omni poſcenti rationem, de ea, quæ in eo eſt doctrina, & fide (ſicut ait Apoſtolus Petrus) dare ſit pa- 1. Pet. 3. ratus; & non niſi vera docens, vt ſcriba doctus. *Tertiò* erit exemplo virtuoſus: *Qui enim* Matt. 13. *fecerit, & docuerit ſic*, hic in regno *cælorum vocabitur magnus*. Et turpiſſimum eſt magiſtro, ſi cum vita pugnet oratio. Plus homines oculis credunt, quam auribus: Et, longum eſt iter per præcepta; breue, & efficax per exempla. Hinc Act. 1. Luc. 24. ſummus magiſter *cœpit facere & docere*: potens in opere, & ſermone.. Quæ autem magiſtrorum erunt virtutes, latius explicat in de Diſciplina Boetius, concludens; quod ante omnia opus recto, & probo magiſterio. *Quartò* ſeruabitur in docendo rectus, & artificialis *ordo*, vt id primum, quod vtilius, vt Hugo latius eſt executus. *Quintò*, vt nihil doceatur, niſi quod *bonum* eſt, & vtilitatis iuxta illud: *Ego qui doceo te vtilia.* Non ergo inſiſtendum fabuloſis, quin etiam Lacedemonij circulatores exterminarunt de vrbe; ne pueri eorum inſtituerentur in talibus. Religioſi igitur ante omnia imbuantur in his, quæ neceſſitatis ſunt, & pietatis. *Sextò*, vt habeatur in docendo *modus*, vt manſuetè doceat, in ſpiritu lenitatis.

Poſtremò attendat, vt *appoſitè* doceat pro auditorum qualitate, & capacitate: ſicut plenè in Paſtorali tradit Beatus Gregorius, multis exemplis; vt in omni, quod dicitur tam tempus, quam perſona, penſentur. Itaque ſemper pro qualitate auditorum, formandus eſt ſermo Doctorum, vt magis proficere poſſit; vt per totum declarat in tertio Paſtoralis ſui, Gregorius. Hęc per exceſſum, de conditione Religioſæ ſcholæ tetigimus.

De hora Veſperarum.

CAPVT IX.

VEſpertina oratio aſcendat ad te Domine. I.
Pſal. 15. Depoſt ſequitur veſpertinum officium, quod quia inter cæteras Canonicas, poſt matutinale, principalius eſt, deuotiſſimè venit exoluendum. Erat etenim in lege præceptum, quòd agnus in ſacrificio veſpertino Exod. 29. offerēdus eo, qui ad matutinas offerretur, pinguior eſſet; in myſterio; quòd veſpertinum officium non minori, imò ampliori deuotione quàm matutinale, foret exoluendum. Quare deuotè ad hoc eſt animus diſponendus: Et rationes conſiderandæ ſunt veſpertinalis laudis, & inſtitutionis. quæ ſumuntur ex veteri pariter, & nouo teſtamento.

Et ſunt iſtæ,

Ge. Columba venit ad Veſperam ramum portans oliuæ.	*venerunt duo Angeli Sodomam veſpere.*	*immolabit eum multitudo filiorum Iſrael ad veſperam.*	Gen. 8. Gene. 19. Exo. 12.
Læta columba,	& Loth,	agnum,	
veſpere alterum agnum offeretis.	*dabit dominus vobis veſpere carnes.*		Exod. 29. Exod. 16.
nunc hoſtia,	carnes.		
in veſpera mundi incarnandus apparuit.	*veſpere facto obtulerunt multos.*	*cum iam veſpera eſſet, venit cum duodecim.*	Mat 8. Mar. 14.
Aduenit,	curat,	cænat,	
Chriſtus De cruce	*duobus Diſcipulis euntibus in Emaus apparuit.*		Mat. 15. Mar. 16.
Deponitur,	Emaus.		

Multa, & lata ſe offerret hic materia de myſterijs Veſpertinalis horæ, cur dicantur 5. Pſal. Et de glorioſo Cantico Virginis Mariæ: Super quo diuerſi plura ſcripſere. Et eſt Roſatū quoddam; ſufficit cōmonuiſſe, vt ſingulari recollectione, & deuotione dicantur. Qui circa defunctorum vigilias exercitium ſibi volet, ex regione Purgatorij id requirat; vbi offertur materia deuotionis in dicendis vigilijs, quæ multa cum deuotione perſoluendæ, nec intermittendæ vnquam, *vt di. 91. Elutherius. Et de celeb. Cum creatura*, &c.

§ 1. *Poſt Veſperas manendum eſt in Choro.*

NOlite recedere à tergo Domini, & nolite II.
declinare poſt vana, quæ non proderunt vo- 1. Reg. 12.
bis: neque eruent vos, quia vana ſunt. Dicit quidam Carthuſien. Poſt ſacras horas, non leuiter diſcedas à templo, vbi tempus eſt deuotionis ſeruandæ. Quod ſi facere incæperis, ſine magna difficultate vix poſtea dimittere valebis quomodo talium eductor diabolus eſt: vt patet in exemplo de Monacho S. Benedicti in Dial. Nam ſicut Spiritus ſanctus ad templum Luc. 7. (vt patet in Sancto Symeone ſene) adducit; ſic inimicus omnis boni, de choro educit; ſicut carnifex bouem per cornua trahit de campo ad mactandum. Igitur, *Ad fabulas*

vanas ſine cauſa non peto curras. Et ne euageris, poteris inſiſtere exercitijs iſtis,

Sed lege, compungens, mendicans, conſule, curans,

Debet enim homo, ſi quis priuatas oratiunculas habet *legere*, illas exoluere. Debet ſe in *compunctione* exercere, quia dies quaſi abijt ſine fructu. *Tertiò* principaliter debet altaria viſitare, & *mendicare* à Sanctis: de quo exercitio agit in mendicatorio. Poſt debet homo Sanctos *conſulere* ſuper vitijs vincendis, & pro fructu; & pro diuerſis Eccleſiæ ſtatibus exorare.

§ 2. *De cœna qualis erit.*

III. *Venite, & congregamini ad cœnam magnam.* Apoc. 20. Cœna (ait Gregor.) conuiuium eſt in fine diei: Quæ cum pro temporis congruentia fuerit conceſſa, ad eam, ſicut ad prandium eſt accedendum. Longe tamen ampliori compunctione cordis, ex commemoratione abſtinentiarum Sanctorum Patrum, qui biduanis, vel triduanis ieiunijs abſtinebant, & cœnas in prandia mutabant, ne ventrem duplicato cibo onerarent.

Cum igitur pulſatur ad cœnam, audiendũ; quaſi dicatur illud verſus præmiſſi; Cui reſpondendum ex corde: *paratum cor meum Domine.*
Apoc. 19. *Beati qui vocantur ad cœnam agni.* Et exercebis te per omnia, ſicut notatur in ferculario.

Sed hoc dignum annotatu, quòd talis erit cœna in progreſſu:

Cœna breuis, diſcreta, leuis, ſit ſobria, parcens.

Sit in primis cœnæ breuitas,

Cœna breuis iuuat, & prope riuum ſomnus in herba:

ait Horatius. Sit deinde *Diſcretia* frugalitas, vt ſit omnium ſpecierum gulæ abdicatiua excluſio; vt ſit concupiſcentiæ inſidiantis cauta declinatio; & incluſi hoſtis triumphalis deuictio. *Sit tertio alimentorum Leuitas*, & modicitas, vt ea vitentur quæ corporis ſunt inflammatiua. Nec tales (ait Hieronymus) ſumamus cibos, quos aut difficulter digerere, aut multo labore paratos, & coctos doleamus comeſtos. Sit *quarto* in ſumendo *Sobrietas*, vt quantum ſuſtentatio corporis, non quantum deſiderium ſaturitatis expoſcit, ſumatur. Sit *poſtremo* præparationis ruditas, & *Parcitas*, ne qua ſalſamenta gulæ irritamenta tunc fiant, ne ventrem velimus non modo implere, ſed, & farcire,

Nam ex cœna nimia oriuntur, hæc mala.

Aggrauat, offuſcat, ructus, illuſio morbus.

Primo, ventris oneratio, & corporis aggrauatio. *Secundo*, intellectus, & ingenij offuſcatio. *Tertio* ructus, & indigeſtio, *Quartò* nocturna illuſio. *Poſtremò*, morbus. & virium ad exercenda debita officia impeditio: Hieronymus. Comedendum, dormiendum, & digerendum, & poſt inflatis venis incentiua libidinis ſuſtinenda. quia luxurioſa res vinum, & crapula. Et
Pro. 20. in collatione Patrum, Recens eſcæ perceptio, tam in veſpertinis, quam nocturnis orationibus, tenuem leuemque ſenſum inuenire non ſiuit: qui digeſto cibo leuis eſt, & vacuus E r-

Benedictus Cluniacen. *Si ad vigilias indigeſtum cogis, non cantum extorques, ſed planctum.* Sobria ergo, & breuis celebranda cœna.

In fine vero cœnæ exercendum, vt ſupra ſignatum de prandio, niſi quod tanto maior erit iam deuotio, quanto geminata ſucceſſit refectio. Si vero non ſit cœna; ſed pro tempore fuerit ieiunium, adimplendum eſt aliud prophericum, *Sanctificate ieiunium*: quod fit Ioel. 2.
per deuotionis amplioris exercitium. Super 1. Io. 2.
quo vnctio docebit exercitare ſeſe volentem, vt tunc eo ſit maior refectio ſpiritus quo eſt ieiunium carnis: Ne improperetur illud Iob nobis, *Pauit ſterilem, quæ non parit*, id eſt car- Iob 24.
nem, & *viduæ non benefecit* &c. Intermedio autem tempore poſt refectionem, iuxta Hieronymum, reuocanda eſt lectio lecta ad mentem, vt menti proſit; Aut, narrata proficienda ſunt exercitia, poſt veſperas nondum completa, de mendicitate ad ſanctos, vel compunctione cordis.

§ 2. *De Completorio.*

Melior eſt finis orationis, quam principium. IIII.
COMPLETORIVM eo quod termi- Eccl. 7.
nus eſt horarum omnium, deuotiſſimè eſt exoluendum: Vnde in hac hora Religioſus potiſſimum debet ſe recolligere ab exterioribus, & ad Deum ſe conuertere. Nam ideo incipitur per, *Conuerte nos*, poſt dictum *Confiteor*: ad denotandum, quod qui tota die fuit diſtractus, vel nunc Deo debebit eſſe deuotus, & recollectus. Et ſpecialiter præcauendum Religioſo, ne ſine magna neceſſitate deſit à Cõpletorio, propter cauſas multas,

Nunc requies, Tacitum, Redeuntque, Parant, vel Amittes.

Munit, Plura bona, Mala, Scandala, Virgo Maria.

PRIMÒ, quia hæc eſt hora requiei: qua de operibus actiuæ, tranſeundum eſt ad opera pacis. Vnde & cantatur canticum, *Nunc di-* Luc. 2.
mittis. SECVNDO, quia eſt tẽpus tacendi, dimit- Eccl. 3
tenda nunc locutio humana, pro collocutione diuina, & inchoandum ſilentium. TERTIO hac hora omnes ad domum, etiam bruta, ſo- Pſ. 103.
lent redire. Pſal. 103. *in cubilibus ſuis colloca-* Eſa 46.
buntur, quare & peccator ad cor debet redire. Pſ. 75.
Et ideo præmittitur. *Conuerte*. QVARTO, Tunc domino in pace cordis eſt locus, & lectus parandus; cuius delitiæ ſunt eſſe nobiſ- Prou. 8.
cum. & dicendum cum Dauid. *Si dedero ſom-* Pſ. 131.
num oculis &c. QVINTO, debet homo commiſſa per diem dolendo reparare, vt ſaltem in nouiſſimo die, non ſit incipiens, cogitare de fine. SEXTO debet ſe contra timores nocturnos præmunire, quare legitur, *Vigilate quia* 1. Pet. 5.
aduerſarius &c. SEPTIMO libenter debet homo Completorio intereſſe, quia fiunt aliqua ſpecialia bona pro noctis cuſtodia, vt generalis confeſſio, Patris benedictio, quæ firmat Eccli. 3.
domos filiorũ, &c. OCTAVO, quia Completorio remanet, mala plura incurrit, quia communes orationes amittit, conſcientiæ requiem non habet, & periculis hoſtium patet, quia portas in tempore belli non claudit,

Digitized by Google

NONO, quia conuentum inquietat, & ſcandalizat ſingulariter. DECIMO, Completorio debemus intereſſe, propter laudes B. Virginis, cui nos commendamus, vnde ſunt exempla multa. Non igitur à Completorio remanendum: Sed deuotè ſoluendum, quod inſtitutum ob has cauſas.

Mar. 14 *Luc.* 23. *in Montem Oliueti.* *in Sepulchro,* *Apoſtolis in Sero in Cœnaculo.*

Exit, & intumulant, paret.

Io. 20. *ſignificat diei, & vitæ huius.* *tempuſque Reſurrectionis, & Retributionis.*

finemq́ue, reſurgens.

Quanta deuotio ſub *Salue Regina* ſit habenda, patet ex his, quæ dicuntur infra, de explanatione eius.

§ 4. *De quiete.*

V. Mat. 26. DOrmite iam, & requieſcite. Poſt exercitia prædicta, requieſcendum eſt; ſed primū *examinata conſcientia*, vnde & de dormitione ipſa plura ſunt inferius tradita, & hoc ſub verſiculo perſtricta.

Diſcute, ſis gratus, pete, menſurans, renouando.

Quibus exercitatis homo ſe tradet ſomno, hoc ſe modo exercitando, verſus.

Compunctus, ſignet, componit, ſit memor, obſtet.

Vt illic explicantur latius. Habes ergo ô Religioſe exercitandæ tuæ paleſtræ diarium, exercitiumq́ue totius exercitationis. Age, elige ex multis his, & præſtitue tibi formam iugis exercitationis *Beatus* ſiquidem; *vir qui repleuerit* deſiderium ſuum, ſeu *pharetram ſuam ex ipſis*, non *confundetur cum loquetur in porta* inimicis; qui à principio noctis vſque in veſperam hoc ſe modo exercitauerit, ſed tranſiens fortiter de virtute in virtutem continuæ exercitationis, non deuians à dextris, neque ſiniſtris, pertinget in Syon, Deum Deorum viſurus, & cum fidelibus operarijs, mercedem recepturus æternam. Amen.

Pſ. 126. *Pſ.* 83. *Eſ.* 20. *Mat.* 20.

DIRECTORIVM SOLVENDARVM HORARVM.

TITVLVS V.

PROLOGVS.

I. 2. Paral. 2. FIlij mei, nolite negligere: vos enim elegit Dominus, vt ſtetis coram eo, & miniſtretis ei, & colatis eum, & cremetis ei incenſum. DICTVRI de exercitijs quibuſdam in ſpecie, primum de exercitio diuinę laudis congruit dicere: Ait enim venerabilis ille magiſter Ioannes Gerſon in conſiderationibus ſuis de ſtudendis libris quod ſi quis tite ſingula diligēter perſpiceret, procul dubio inueniet, quod nihil ſic primū, nihil ſic principaliter Religioſo incumbit, ſicut hoc vnicum, vt ſcilicet *ſeruus eius Dei* dignè adimpleat, id eſt, eccleſiaſticum officium. Sic quippe perſæpe in regulis Monachorum nominatur. Officium ſiquidem bonorum (vt Baſilius in Regula ait) eſt iugiter laudare Deum; Et, vt Beatus ille Ægyptius Ioannes diffiniuit in vitis Patrum, Monachi illud opus eſt præcipuum, vt orationem puram offerat Deo. Quod & vnicum Benedictus in ſua Regula appellat, *debitæ ſeruitutis penſum*. Vnde prima & præcipua de huius digna perſolutione cura habenda eſt Ad quod, & verba præmiſſa Regis Ezechiæ cohortantur, quare & de his quædam dicenda ſunt in ſpecie.

Dicit enim Guliel. Pariſien. in Rhetorica ſua diuina. Magna prorſus, & execranda ſtultitia, ignauia, & negligentia clericorum, qui cum officio orandi conſecrati ſint, & addicti, addiſcere tamen, & ſcire non curant, qualiter id exequendum: Cui ſimilis ignauia in nullo hominum genere inuenitur; Nemo enim profitetur aliquod officium, cuius non velit, & ſtudeat habere peritiam, præter Clericos ſolos; qui Clericalis officij, tam pij, tam honorabilis, tam ſalutaris ignorantiam, nec verentur, nec metuunt, nec erubeſcunt; cum tamē ignorantia, quæ mater cunctorum errorum eſt, in his maximè ſit euitanda, vt clamat canon di. 38. cap. *Ignorantia mater cunctorum errorum maximè in Sacerdotibus Dei euitanda*, &c Admonendi igitur, & modis omnibus exhortandi ſunt, atque docendi, qui Clericali officio funguntur, vt ſuæ profeſſionis officium diſcant agere; & per omnia laudabiliter adimplere.

QVIS etenim eſt, qui non ſui officij percupiat artem? Quis velit eſſe patronus, & aduocatus, & neſcire aduocandi officium, aut perorationis leges? Quis etiam pugil, ſiue propugnator, pugillatorium non erubeſcat ignorare? aut non ſtudeat addiſcere artem? Nam (vt Horat. ait)

Ludere qui neſcit campeſtribus abſtinet armis.

Monachi autem, imò & Clericorum omnium (vt Hieronymus ait) eſt, ſua & aliorum peccata deflere; Dei laudibus & orationibus, & ſacrificijs intendere, ac per hæc populum Deo reconciliare. Propter, quod & ſtipendia Eccleſiaſticorum beneficiorum, eis conſtituta ſunt ex magna parte.

Agendum itaque eſt nobis, & omnimodis laborandum, quo diuini cultus penſum dignè Domino reddamus. *Maledictus enim eſt qui facit opus Domini negligenter*; Et nihil miſerabilius (teſte Canone 40. *di. Ante omnia*) diuino *Ier.* 48.
officio, ſi perfunctoriè agatur. Vnde & Clerici negligētius pro officio agēres, ab officio remoueri iubētur, *di.* 40. *c. clericus* &c. Et ex *toto corde* *Ioſ.* 22.
ſibi Dominus ſeruiri mandat. Qui nil vitio- *1. Reg.* 12
ſum, aut imminutum, inter ſua ſacrificia ha- *Leuit.* 22.
beri voluit: vt *ait diſt.* 36. Papa Gelaſius. *c. Illiteratos*, imò exquiſitum, & delicatum omne *Leuit.* 2.
ſibi offerri iuſſit; vtpotè ſimilam, renunculos, *& 3.*
adipesq́ue renum. Et templi ſui ædificium, laminis aureis voluit ſuperindui: vt pater Quare & iuſſit, *Omnia, quæ offertis in donaria* *Exod.* 25.
Domini, offerte meliora, & electiora: vnde & *Nu* 18.

Malach. 3. *Maledictus homo qui habet maſculum in grege, & votum faciens, offert debile Domino.* Cum & gentes Dijs ſuis prophanis, maſcula thura litabant. Nihil vtique aliud in omnibus huiuſcemodi inſinuans nobis, niſi quòd pro ſua dignitate dignè ſibi deſeruiri velit, maxime autem in peculiari cultu officij ſibi debitæ ſeruitutis. Vt igitur dignè hoc tantum officium poſſimus explere, tria potiſſimum circa illud, conuenit in hoc ſoluendarum, Canonicarum Horarum Directorio inquirere.

Silicet modum { Præparandi, Proſequendi, Terminandi, } *quomodo debemus* { nos diſponere, horas exoluere, eas finire. }

De quibus per ſingula erit Deo duce proſequendum. Et primum.

De modo ſe ad horas præparandi.

CAPVT I.

I. *Ante orationem præpara animam tuam, ne ſis quaſi homo tentans Deum.* Eccleſiaſt. 18. Dicitur in Speculo Monachorum, *Priuſquam incipiatur officium diuinum, præuenire ſtudeas, vt cor tuum ad aliquam deuotionem excites. Ideo enim tam tepidi, & deſides ſumus in diuino officio, quia ante non ſumus in aliquam deuotionem excitati. Et ideo ita eximus, ſicut intrauimus, frigidi, & diſſoluti.* Debemus ergo nos ante orationem præparare: Nam huiuſmodi præparatio, eſt multipliciter à Sanctis perſuaſa, & eſt multum decens, vtilis, & neceſſaria. *Primum* paſſim in eorum ſcriptis, & in antedictis liquet. *Secundum*: id eſt, decentiam, externa exempla perſuadent. Si enim reus ante ſententiam iudicis diligenter præcogitat, quomodo poterit eum ad miſericordiam flectere; pauper eleemoſynam petiturus, præmeditatur qualiter diuitis cor ad pietatem valeat emollire; aduocatus, qualiter ſuam cauſam poſſit perorare, ſponſa, quibus modis ſponſi ſui alliciat ſibi cupitum amorem: qua fronte, qua audacia, aut præſumptione, audebit homo ſine præmeditatione, aut præparatione præuia, ſacra reſonare verba? coram ſummo iudice reus accedere? coram ſumma maieſtate, etiam angelicis ſpiritibus expaueſcenda, aſſiſtere impræparatus? Decens quoque præparatio iſta, præſertim cum etiam in muſicis inſtrumentis canturi, ante ſe diſponere curent: Prius ſiquidem inſtrumenta, fides, & chordas proportionabiliter temperant, cum plectro exteriori; vt chordis temperatis, & moderatis, concorditer, & dulciter ante magnates pulſent; Potius ergo Religioſus, cor ſuum ante orationem præparare Domino debet. *Tertium* autè, id eſt vtilitas eius, vel maximè ex hoc patet, quia multum valet ad hoc, quod oratio exaudiatur: Pſalm. 9. *Præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* De quartò autem, id eſt de neceſſitate huius, Hugo in ſuo de Oratione dicit, *Sic orationi ſancta meditatio eſt neceſſaria, vt perfecta eſſe nequeat, ſi non eam præcedat, aut comitetur.* Hinc eſt, quod Prædicatores, & quidam alij ordines, tempus habent ante Chorum præparatorium, quo ſe diſponere iubentur. Hinc & nobis Regularibus, lectionis tempus ante deputatum eſt: iuxta quod Gerſon de Myſtica Theologia ſuadet; vt homo omnibus intermiſſis, paululum ſe ante diſponat, & cor ſuum, (vt habet auctoritas) orationi paret, ne ſit quaſi Deum tentans, ſi imparatus accedat. Pſal. 9.

MEMBRVM I.

De Prædiſpoſitione remota.

TRIPLEX autem huiuſmodi præparatio aſſignari poteſt.

Scil. { Remora, Propinqua, Poxima, } *hæc fit* { Bene viuendo, Profundè conſiderando, Feruenter orando. }

II. PRIMA inquam diſpoſitio, *generalis, & remota* fit bene viuendo; vt ſcilicet Religioſus ſemper à vanis quibuſlibet (in cogitatione, loquutione, & actu) præcaueat, ne in oratione occurrant. Hanc docet Beda venerabilis, in Homilia dicens: *Multum iuuat ad orationis puritatem, ſi in omni loco, & tempore nos ab actibus temperemus illicitis: ſi ſemper ab otioſis ſermocinationibus auditum pariter caſtigemus, & linguam. Quæcunque enim ſæpius agere, loqui, vel audire ſolemus, eadem neceſſe eſt ad animum quaſi ſolitam, propriam quæ recurrant ſedem,* &c. De hac quoque præparatione, pulchrè agitur in noua collatione Patrum; vbi ſex, aut ſeptem ponuntur præparatorij gradus. Quos hic ideò non commemoramus, quia talium librorum ſtudioſos noſtros Lectores volumus, & ideò ad illos remittimus.

Ad hanc quoque præparationem ſpectat, quod ſemper homo bene viuat, & Dei præcepta obſeruet. Gregor. in Moralibus. *Sunt nonnulli intra Eccleſiam, qui prolixas ad Deum preces habent; ſed vitam deprecantium non habent: quorum quid mirum ſi preces tardius Dominus exaudit, cum ipſi præcipientem Dominum tardè aut nullo modo audire volunt. Qui declinat aurem ſuam, ne audiat legem, oratio eius fiet execrabilis.* Teſte enim Iſidoro Non poteſt habere precum certam fiduciam, qui adhuc in præceptis Dei pigritat; & quem peccati recordatio delectat. Qui à præceptis Dei auertitur, quod in oratione poſtulat non meretur. Nec impetrat ab illo bonum, cuius legi non obedit. Sed contra, ſi id, quod Deus præcipit, facimus, id quod petimus ſine dubio obtinebimus. Ion. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, quicquid petierimus ab eo accipiemus, quoniam mandata eius cuſtodimus.* Oculi enim Domini ſuper iuſtos. Neceſſarium proinde, vt oratione operatio, & Prou. 28. 1. Io. 3. Pſ. 33.

1. Tim. 2. opere fulciatur oratio. Leuemus ergo corda noſtra cum manibus: oremus cum operibus bonis.

MEMBRVM II.

De prædiſpoſitione propinqua, & ſpeciali.

III. SEcunda eſt prædiſpoſitio ſpecialis, & propinqua, quæ fieri debet iam inſtante officij hora, diligenter mentem recolligendo, & conſiderando agenda. Dicitur enim in collatione Abbatis Iſaac, *Quales in oratione nos volumus inuenire, tales nos ante orationis tempus præparare debemus.* Ex præcedenti enim ſtatu, mens in oratione informatur. Et idcirco quicquid volumus, vt nobis orantibus non occurrat, ante orationem de noſtro pectore hoc euellemus: Quicquid enim ante horam orationis mens noſtra concipit, neceſſe eſt, vt hoc orantibus nobis occurrat.

Hinc ante ſecundum ſignum, vel pulſum Chori, ſequentia conſiderare debemus,

Ante chorum quid ſis facturus, mente reuolue;
Quid trahat attende; corque parato Deo.

Debem' enim cõſiderare { quid debeamus agere, / quod debet nos inducere, / quomodo debeamus nos diſponere. }

PRIMÒ igitur conſiderandum eſt, quid debeamus agere, vt cum operis agendi arduitatem conſpexerimus, mens ad ſui diſpoſitionem excitetur, Dicit enim Bonauentura, Diſcretionis eſt, agenda quæque præuia deliberatione metiri: & nõ agenda cauere: Quia qui de futuro nihil præmeditatur, in omnia incidet incautus, Ad hoc quoque hortamur dicente

1. Reg. 25 ſcriptura, *Conſidera & recogita quid facias.* Quid enim tempore diuini officij debes agere; niſi in conſpectu Dei, & Angelorum, in

Pſ. 110. congregatione, & concilio iuſtorum, & fratrum Sanctorum aſſiſtere, & Deum latriæ cultu colere? Qui cultus potiſſimum complectitur tres actus, qui fieri debent ſub Canonicis horis in diuinis officijs.

Debet enim Dei { Summa maieſtas, / Perfuſa largitas, / Infinita pietas. } *ſuper* { Laudari, / Regratiari, / Exorari. } *ſuper* { Chriſti myſterijs. / Collatis beneficijs / Se, & omnibus cõmiſſis. }

Vnde verſus.

Laudo colens Dominum, grates ago, feruidus oro.

IV. Secundò conſiderandum, quid te debet inducere: Ait enim S. Thomas, de diligendo Deum, Antecedit naturaliter, & neceſſario dilectionem cognitio; quia vires ſunt ordinatæ: ita quod nihil (ſecundum Auguſt.) voluntas dirigit, niſi quod intellectus cognoſcit: Sic etiam pari modo, nullus actus voluntatis deuotè agitur, qui non per conſiderationem præuenitur. Et loquitur hic naturali via; Hinc equi deuotè actus illos præſignatos volet agere: primum oportet, quæ ad hæc moueant, præmeditari. Sunt autem plura, ad agendum actus prædictos nos excitantia.

Quia { Laudatione, / Gratiarũ actione, / Oratione, } *nihil eſt* { Dignius, / Iuſtius, / Vtilius. }

Neceſſarium magis, cum alijs plurimis inductiuis, quæ partim inferius ſunt tacta, & plenius proſequuta inuenies in ſecunda parte Speculi Moralis circa finem, & in Summa Virtutum. Verum quoniam ſingularia plerumque obiecta, magis mouere ſolent, ideò breuibus annotanda ſunt quædam obiecta, ſingulorum, horum actuum ſingulariter motiua. Quia,

Scil. { Laudandum, / Regratiandũ, / Orandum. } *eſt ſuper* { Chriſti myſterijs: / ſingularib. beneficijs, / pro vitijs, & virtutibus. }

Nam vt de ſingulis his aſſignemus pauca: *notandum primò*, quod licet (vt in profectibus dicitur) ampla ſit diuinæ laudis materia, ſingulariter tamen Deus laudandus eſt, ſuper, & propter Chriſti myſteria; id eſt ſuper, & propter incarnationis, & paſſionis Chriſti opera: iuxta quod Pſalm. *Et adorabunt de ipſo ſemper.* Pſ. 71.
Quod, & Dauid *ſe feciſſe* teſtatur dicẽs, *Septies in die laudem dixi tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.* Pſ. 118.
Itemque, *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper iudicia iuſtificationis tuæ.* Ibidem.
Quæ, oro, alia iuſtitiæ, & iuſtificationis hæc ſunt iudicia; niſi incarnationis, & paſſionis Chriſti myſteria? Quæ Bernardus, & deuotarij cæteri, ſingulariter in laudem ſuadent aſſumenda. Quapropter infra in fine Chiropſalterij certa ex his obiecta, ſecundum ferias, & horas variata aſſignauimus pro laudis materia.

Secundò ad gratiarum actionem, licèt innumera ſint motiua, magis tamen illa beneficia mouent, quæ homo videt ſingularius ſibi indulta. Vnde, & aliqui ſub ſingulis horis Canonicis, ſingula beneficia aſſumunt Domino gratias agentes ſuper eis: præcipuè dum canunt *Gloria Patri, & Filio* &c. Et hinc in fine Chiropſalterij, ſunt de ſingulis beneficijs puncta diſtincta; pro ſic ſe volentibus exercere.

Tertio, quamquam plurima cuique pro ſua neceſſitate, & obligatione, motiua occurrunt; efficacius tamen homo, ad intentè orandum mouetur, dum ſingulis horis ſingula quædã certa habuerit expetenda. Et pro hoc plurimum valent ſeptenæ infra poſitæ, in quibus magni illi viri, puta Bonauentura, Hugo, & Gerſon, ſe exercitare ſolebant: vt ex eorum ſcriptis probabile eſt. Et licet aliquibus parum, aut nihil exercitatis, multa hæc, aut nimia videantur, ac per hoc & reſpuenda; experiantur conſulimus prius tempore aliquanto; & videbunt experientia docti, quod horum multitudo, animum non diſpergat, ſed recolligat magis.

TERTIO principaliter eſt inquirendum, *quomodo ſe homo diſponere debet*; Nam ſecundum quod homo ſe ante præparauit;

ita ſe (iuxta Carthuſienſem quendam) inuenit in oratione. Poſtquam igitur homo, ſuperiora illa duo conſpexerit conſideranda; debet ſe date ad præparationem ſui cordis: iuxta illud Samuelis, *Præparate corda veſtra Domino, & 1 Reg. 7. ſeruite illi ſoli.* Oportet autem (vt poſtea dicetur) horas dicere reuerenter, attentè, & deuotè. Quod qui efficere volet; ante hoc, vt ſe paret oportet. Debet ergo per hæc tria mentem præparare,

Eã ſcil. { Purgare, Recolligere, Succendere. } à { Vitijs, Diſtractionibus Torporibus.

Vt poſſit, { Deo dignè aſſiſtere, Attentè horas dicere, Deuotè Deo pſallere.

Vnde verſus,

Exod 30. *Purus, collectus, templum ſuccenſus adito.*

Nam quod oraturus mentem ante debet *purgare*, iubetur, vbi ſic dicitur, *Facies labium æneum, cum baſe ſua ad lauandum; & miſſa aqua, lauabunt Aaron, & filij eius manus ſuas, & pedes, quando ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonij.* Quibus verbis, vt Comeſtor ait, ſignatur, quod eccleſiaſtici priuſquam ad diuina accedant, ſeſe contritionis, & doloris lauacro abluere debent; vt ſic immaculato Deo immaculati miniſtri aſſiſtant; ne conqueri Do- Eſa. 30. minus habeat, *Populus qui ad iracundiam prouocat me, ante faciem meam ſemper,* eo quod impuras, ſcilicet manus leuent. Melius eſt enim (iuxta Auguſtinum) ſpiritualia omittere, quam impurè ea tractare. Hinc eſt, quod in Eccleſiæ ingreſſu aſpergimur aqua benedicta, quæ venialium eſt ablutiua. Quare deuotè in memoria effuſi pro nobis mundandis ſanguinis Chriſti ſuſcipienda, vt corda poſſint eſſe pura. Puritas enim orationis exauditur, Pſ. 65. teſte Pſalmiſta: *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus* &c. Et teſte Gelaſio. 1. q. 1. c. *Sacroſancta. Sacroſancta Religio, quæ catholicam continet diſciplinam, ſibi reuerentiam vendicat, vt ad eam quilibet, niſi pura conſcientia, non audeat peruenire* &c.

SECVNDO debet mentem *recolligere*, ſe- Eccli. 30. cundum illud, *Contine & congrega cor tuum in ſanctitate*; omnes ſcilicet curas externas ſecludendo, diſtractiua quælibet abijciendo, & mentem ad ſeſe recolligendo: vt ſic Deo cum 2. Reg. 7. Dauid dicere poſſit, *Inuenit ſeruus tuus cor ſuum vt oraret te.* Nam ſi cor deſit, ridiculoſa oratio eſt, nec exaudibilis. Bernardus. *Omnes cauſamur nobis deeſſe gratiam, ſed iuſtius gratia* Prouer. 23 *ipſa conqueritur, nonnullos deeſſe ſibi.* Cor enim petit Deus, *Fili* inquiens, *præbe cor tuum mihi.* Ab alijs igitur recolligi debet, vt toto corde inuocari poſſit, Deuteron. 10. *Cum quæſieris dominum Deum tuum, inuenies eum, ſi tamen cum toto corde quæſieris eum.* Corde autem noſtro nihil fugacius, vnde diſperſiones eius recolligi debent, ne corde dimidio, aut partito oretur Deus. Ex totis præcordijs, & viribus omnibus exorandus.

Tertio debet mentem ad deuotionem *ſuccendere*. Pſalm. 38. *In meditatione mea exardeſcet ignis.* Qui enim vult ignitas Deo preces reddere; debet prius neceſſario mentem pijs meditationibus ignire. *Iuxta enim ligna ſiluæ ignis exardeſcit.* Vnde ante horas debet homo arti- Eccli. 28. culum aliquem, de Chriſti vita, ſeu paſſione, aut aliud deuotum obiectum meditandum aſſumere. Aut (vt vult Hugo) in propriæ miſeriæ, & miſericordiæ diuinę contemplatione, ſe exercere; vt ſic poſſit mentem ignire, & ad deuotionem inflammare. Et hæc de altero præparamento orationis.

MEMBRVM III.

De tertia prædiſpoſitione quæ proxima eſt.

TErtia prædiſpoſitio eſt *proxima*: frequen- V. ter ſcilicet orando. Nempe cum nulla ſit humanę exercitationis induſtria, niſi Dei aſtiterit gratia; de nobis totaliter diffidentes, poſtquam prædicta exegimus, ad tertium nos, ſcilicet, orationis præparamentum, diuertamus; Deum ſcilicet ſuppliciter exorando, vt digne ei ſuum penſum exoluamus. Quare mox, vt pulſum chori audieris, omnibus, quantumuis etiam vtilibus, ſepoſitis, gaudens ad Chorum properabis, exemplo dominici equi, de quo dicitur, *Vbi audierit buccinam, dicit vah,* Iob 39. Sic & iuxta illud,

Sic cãpana ſonet. Chriſti quaſi buccina clãget,
Quã monitus dicas, cor tibi præſto Deus,

Temetipſum exhortans, tibi dices, *Hoc ſignum magni Regis eſt; eamus & inquiramus eum. &* Mat. 2. *offeramus ei aurum ignitæ intentionis, thus deuotæ attentionis, & mirrham acerbæ, & eſt reuerendæ ſtationis.* Et noli vnquam tarde venire, quod ſi aſſueſeceris, vix ſine difficultate dimittere valebis: Quod magna eſt tentatio dæmonis, & ſcandaloſum nimis. Quare ſemper cum primis occurrere ſtudebis, nec vnquam te teſtudineo more, venire cum poſtremis. Sunt enim graues pœnæ ſancitæ à Patribus, his, qui non ſtudent mature occurrere, & ſacris intereſſe officijs. Hinc Carthaginen. Concilij decretum habet *diſt. 91. c. Clericus.* VII. *Clericus, qui abſque corpuſculi ſui inæqualitate, vigilijs deeſt, ſtipendio priuatus, excõmunicetur.* Deeſſe autẽ iuxta pragmaticæ ſanctionis decretum eſt cenſendus, qui tardius occurrens *ante finem primi* Pſalmi, & *in Miſſa ante Kyrie eleiſon*, non venit; Aut, ſi adueniens non perſtiterit, niſi forte neceſſitate cogente, ac petita, & obtenta à Præſide Chori licentia, diſcedere oporteat. Ecce ſi ita perſtringuntur Canonici, & Clerici ſæculares; quomodo impunes erunt ſi offenderint Religioſi, & Regulares? Nunquam igitur tardè veniendum, nec ſine præcipua ratione ante finem exeundum; vt in Cle. de Cele. Miſſ. cum id etiam laicis tam diſtricte inhibeatur, *de conſec. diſt. 1. c. miſſas,* ne exeant ante finem. Quia vt ſuper pragmatica notat Commentum. *Nihil videtur actum, cum ſupereſt aliquid agendum. C. de his qui vt indig. l. ſi.* Et Deus imperfectum opus non nouit, *de Bap. c. Maiores. §. 1. adhæc.* Aliter enim *non dicitur clericus penſum ſuæ ſeruitutis perſoluiſſe, ſi ante finem officij recedat. c. 1. de Cele Miſſa.*

Et ideo notáter dicit ibi textus, *penſum ſuæ ſeruitutis perſoluat:* Nam iſta præpoſitio, *per*, iuncta verbo, perſeuerantiam, & continuationem temporis à principio vſque in finem denotat; vt Archi. in dict. cap. notat. Maturè itaque (cum grauitate tamen) occurrant omnes, & in finem vſque perſiſtant, vt diximus.

Occurrendo autem, & ſic ad Chorum properando, hæc pro deuotionis exercitio exerceri poterunt:

V. II. *Occurrẽs, lege, linque, videñs, cole, dirige, credẽs.*

Primo enim pro aliquo affectu debes Domino tuo *occurrere*; Qui affectus plenius infra habentur, in ſcala communionis, & in profectibus; Et mutari poſſent per ſingulos dies, ſecundum ſingulas dominicæ orationis petitiones, vt, ſcilicet nunc occurrat

In perſona	Rei vel incarcerati	*Oratur*	Iudicem, libera nos,
	Infirmi. vel ab hoſtibus obſeſſi;		Medicum, & ne nos,
	Debitoris, & ære oppreſſi;		Creditorem, dimitte,
	Pauperis, & egeni;		Diuitem paſtorem, panem.
	Conductitij ſerui;		Præcellẽtẽ Dominũ, fiat voluntas,
	Sponſæ peramentis;		Sponſum, adnemas,
	Filij æterni Patris.		Patrem. Sanctificetur nom.

Ex hoc enim poſt deuotior homo erit. Sic S. Franciſcus facere ſolebat, vt ex eius orationibus patet, & infra monſtratur.

Secundo poteris aliquid *legere* inflammatiui: vt horas de Sancta Cruce, in quarũ cõmemoratione ſpecialiter inſtitutæ ſunt horæ Canonicæ; Ergo dicendæ ex bona conſuetudine. Aut mentem quibuſdam Seraphicis verbis excitare: vt dicendo, *Ecce venit dominator Dominus ad templum ſanctum ſuum.* (Malac. 3.) *Gaude & lætare Syon, occurrens Deo tuo.* Et cum Guillermo Abbate, *Venite aſcendamus ad montem Domini omnes vires meæ.* (Eſa. 2.) Vel, *Rex omnis terræ adeſt Deus, pſallite ſapienter.* (Pſ. 46.) Aut recogitando ſpeciales rationes illius horæ cantandæ, quas notauimus in Dietario & huiuſmodi.

Tertio Chorum ingreſſurus *linque*, id eſt, iuxta Bernardum omnium cogitationum tumultus fluctuantium foras relinquendo; calciamenta de pedibus ſoluas: (Exo. 3.) & exemplo Abrahæ, (Geneſ. 22.) aſinum cum pueris illic dimitte, id eſt, occupationes, & phantaſmata inutilium rerum; præcipiens, vt te ibi expectent. *Fieri enim non poteſt, vt cum Deo aliquis loquatur, qui etiam cum mundo tacitus fabulatur.* Cura igitur omnium exteriorum penitus obliuiſcenda, vt ſoli Deo poſſis vacare. Pone igitur manum ſuper oſtium Chori, vt ſuadet Robertus de S. Victore: & dicito cum Guillermo Abbate. *Curæ, cogitationes, ſollicitudines, anxietates, appetitus carnis expectate me cũ aſino, corpore iſto, donec ego cũ puero, id eſt, ratio cum intelligentia, illuc properantes, offeramus ſacrificium Domino: & poſtquam adorauerimus, heu reuertemur ad vos.* (Matth. 25.) *Tu autem anima mea intra in gaudium Domini tui,* (Pſ. 26.) *& viſita templum eius* &c.

(Pſ. 41.) *Quarto Videns*, id eſt, loci altitudinem conſpectans dices, *ingrediar ad locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domũ Dei*, vt pulchrè docet Bernard. in Sermonibus de diuerſis. *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum, in timore tuo.* (Pſal. 5.) Ideo enim (inquit) *nonnulli experiuntur, vt arbitror, in oratione, & hebetudinem, & ariditatem quandam mentis, vt ſolis orantes labijs non ſatis attendant, neque quid dicant, aut cui loquantur: pro eo, quòd velut ex conſuetudine quadam*, cum minus digna reuerentia, & ſollicitudine acceſſerunt. Quid enim aliud cogitare debet Frater intrans ad orationem; niſi Propheticum illud, *ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei?* (Pſal. 41.) Omnino ſiquidem oportet nos orationis tempore curiam intrare cæleſtem; illam vtique, in qua *Rex Regum ſtellato ſedet ſolio*, circumdante innumerabili, & ineffabili beatorũ ſpirituũ exercitu: *Millia etenim milliũ miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei: ait ille qui vidit.* (Dan. 7.) Quanta ergo cum reuerentia intrare, aut aſſiſtere poterit homuncio, *dicens in corde introibo*, &c.

COLE id eſt coram ſacramento venerabili reuerentiſſime inclinans; dominum tuum latriæ cultu cole dicens, *Deus meus es tu, & exaltabo te: Deus meus es tu, & confitebor tibi;* (Pſal. 117.) *Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio; Te iure laudant omnes creaturæ tuæ, adorant, laudant*, & ſic de alijs huiuſmodi, vt *Adoramus te Chriſte*, &c. Et ſic pulſans Campanam, affectum tuum dilata, vt per hoc omnes ad Dei laudem inuites, diabolum fuges, & Deum in varijs inſtrumentis laudes.

Sexto ad ſubſellium veniens, intentionem formare debes dicendo: *In conſpectu Angelorũ pſallã tibi.* (Pſal. 137.) Et ô, *Dirigatur oratio mea Deus in cõſpectu tuo: Ad laudẽ, & gloriã ſummæ, glorioſæ, & indiuiduæ Trinitatis, & humanitatis Ieſu Chriſti;* (Oratiuncula.) *in vnione omniũ ſuper feruentiſſimarũ affectionũ, & orationũ domini mei Ieſu Chriſti (olim in terris, & nunc in dextera Patris, pro nobis interpellãtis) Deo patri acceptiſſimarũ, & in plenitudine omniũ ſenſuũ, quos in ſacris ſcripturis intendit Spiritus ſanctus; in vnione quoq; omniũ laudũ, quibus omnipotens Deus, hac hora in cœlis, & vniuerſa terra laudatur. In honorẽ, & venerationẽ glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, & omniũ ſanctorum præſertim huius N. (ſecundũ Ferias*, vel Feſta*) in pleniſſimã gratiarũ actionẽ, omniũ beneficiorũ Dei; generaliũ, ſpecialium, & ſingulariũ mihi collatorũ;* præſertim *beneficio N. iſtius diei: pro ſalute quoque vniuerſalis Eccleſiæ; præſertim pro ſingulariter in oratione commiſſis, viuis, & defunctis, pro peccatis delendis, pro venia & gratia impetranda, deſiderio has exoluere laudes, vtinã, vel poſſẽ dignas* Et hic poſſet homo intexere obiecta vitæ, & paſſionis Chriſti, & anectere virtutes, & vitia ſecundum ſeptenas infra poſitas, quod vtile eſt valde. Et maxima vis in hac intentionis formatione conſiſtit, toti ſiquidem orationi meritũ per eam (vt aiunt Ambroſius, & docti) imponitur: quæ cum fuerit ardenter præmiſſa, excuſat etiam à diſtractione non affectata, inter orandum admiſſa, vt quidam volunt doctores. Nullatenus igitur intermittẽda, quomodo deſiderium pauperum exaudiuit dominus. (Pſal. 9.)

O

Digitized by Google

Poſtremò debes credere firmiter te in conſpectu Dei aſtare, & ſic fidem actuare: Nam licet in conſpectu Dei ſis ſemper; & *in omni hora & loco oculi Domini lucidiores ſole nos contemplentur*; præſertim tamen in hora orationis. Et licet vbique ſit Deus, in cælo tamen eſt orandus. Ibique, orationis præſertim tempore cogitandus, vt ſic mens noſtra, non oratorij tecto, non aëris ſpatio, non ipſa demum retardetur nubium denſitate; iuxta eam (quã contradidit ipſe magiſter ſummus) formam, vbi ait. *Sic orabitis, Pater noſter qui es in cælis*, Matt.6. Sic ergo orare debet qui orat, tanquã præſentatus ſit ei, qui ſedet ſuper excelſum Thronum, & Solium ſtellatum in cælis, Eſa.6. Vnde & ſic ſe in omnibus habere debet, tanquam ſi coram Deo & in medio Angelorum aſſiſtatur, & deuotè oculos claudens, ſe integraliter ad vota reddenda diuertat, cum ſancto Abrahami dicens Gen. 18. *Loquar ad Dominũ meum, cùm ſim puluis & cinis: Sed tuo præcepto commonitus, tua inſtitutione informatus, id præſumo Domine Pater, fons omnis pietatis.* Et ſic cum tota recollectione mentis, orationem Dominicam præmittat, iuxta explanationes infrà poſitas. Alioquin ſi in horarum principio cogitationibus alienis aditum præbuerimus: vix poſtea earum poterimus euadere tumultus. Antiquus enim hoſtis, ſerpens eſt lubricus; cuius ſi capiti non reſiſtatur, totus in intima cordis, dum non ſentitur, illabitur; & vt fortis armatus cuſtodit atrium, quod inuaſit, Luc.11. Obſiſtendum igitur principijs, allidendi, & tenendi paruuli, & primarij motus, ad petram, quæ eſt Chriſtus. Et magno affectu cantandũ horarum principium, cum deuota ſignaculi ſanctæ crucis impreſſione: Magnæ enim & efficaciæ, & virtutis eſt verſus ille, *Deus in adiutorium*; omnis pietatis recipiens affectus, vt docetur in collationibus Patrum, in collatione Abbatis Iſaac, & ad plenum. Cum multa ergo recollectione dicendus. Niſi enim à ptimordio orationis totum ſe quis ad hoc diuerterit: vix reliquum bene complebit. Modicus enim error in principio, magnus (ſecundum Ariſtotelem) fiet in fine: Nam & virtus principij in his quæ ſequuntur relucet, & poſteriora cuncta à feruido principio virtutem ſortiuntur, & nomen.

Pſal. 136. *1.Cor.*10.

De modo horas exoluendi reuerenter.

C A P V T II.

Sic *Pſalmum dicam nomini tuo in ſæculum ſæculi*. Pſalm.60. Dictis paucis de, & ſuper modo ſe præparandi; dicenda ſunt quædam de modo horas exoluendi. De quo S. Baſilius. Eſt (inquit) diuinum auxilium implorandum, non remiſsè, nec huc, illucque mente vagante, eo quod talis non ſolum non impetrabit quod petit, ſed & Deũ irritabit. Oportet itaque diuinum officiũ toto hominis nixu impleri, vt ſcilicet homo ſecundum ſe totum, illi intendat perficiendo, vt Scriptura de Rege Ioſaphat, 2.Paral.20. ait, quòd timore perterritus, totum ſe contulit ad orandum Dominũ, vnde & exauditus fuit. Totus autem homo tria in genere in ſe habet: ex quibus neceſſe eſt orare. Habet enim in ſe

Vires { Senſitiuas. / Intellectiuas. / Affectiuas. } De quibus debet { Reuerentiam, / Attentionem, / Deuotionem.

Vt ſic ſe toto pſallat, & totis viribus cum Dauid coram Domino laudet. & ex totis cum Salomone præcordiis oret, ſiue vt Eccl.39. *In omni corde & ore collaudate, & benedicite nomen Domini.* Vnde verſus, 1.Reg.19. Sap. 8.

Sis reuerens, ſimul attentus, deuotus in horis.

M E M B R V M I.

De reuerentiæ ſub diuinis habendæ, inductiuis.

1. Habemus *gratiam, per quam ſeruiamus, placentes Deo cum metu & reuerentia. Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt*, Heb.12. Non legimus, ait Vmbertus tantam Chriſtum in hac vita per zelum iram oſtendiſſe, quantam oſtẽdit pro irreuerentia domus Dei, iuxta illud Pſalm. 68. *Zelus domus tuæ comedit me.* Valde itaque omnis irreuerentia, & ſub diuinis maximè, eſt proſcribenda; & cum ſumma diligẽtia, reuerentia & metu diuinis eſt aſſiſtendum propter hæc ſeptem, Ioan.2.

Angelici, Deus, Oſſa, Cibus, Socij, Locus, Actus.

Primvm reuerentiæ inductiuum eſt, *Angelorum frequentia*, qui hic (tanquam in ſcala Iacob Gen.28.) aſcendentes & deſcendentes ciues ſuos viſitant, Pſal.67. *Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus* &c. Quod inſigniter tractat B. Bernardus ſuper Cantica, & aliis in locis, dicens: *Credimus Angelos aſtare orantibus, & ob id eſt reuerentia in tantorum principum cõſpectu neceſſaria, quos vtinam ſpiritualibus poſſemus oculis intueri.*

Secvndvm eſt *Dei ipſius præſentia*, qui inhabitat locum illum, Exod.25. *Faciant mihi ſanctuarium, & habitabo in medio eorum.* Et Apoc. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis.* Perpendat igitur cum quanta reuerentia præſentiæ Dei ſit aſſiſtendum, coram qua etiã columnæ cęli contremiſcunt, Iob 26. De quo B. Benedictus in Regula, *Credimus vbique diuinam adeſſe præſentiam, maximè tamen hoc credimus, cùm ad opus diuinum aſſiſtimus: Ideò memores ſimus, quod Propheta ait Pſal. 2. Seruite Domino in timore. Si cum hominibus potentibus aliqua volumus ſuggerere, non niſi cum humilitate & reuerentia præſumimus: quanto magis Domino Deo vniuerſorum, cum omni eſt & humilitate & reuerentia ſupplicandum.*

Tertivm eſt *Sanctorum* (quorum ibidẽ & oſſa cõtinentur & reliquię) *aſſiſtentia*, qui inuigilant pſallẽtibus, vt dicitur Cãt 8. *Quæ habitas*

Digitized by Google

in hortis, amici auſcultant te; ſicut etiam ex multis exemplis declaratur.

QVARTVM eſt *cibus*, id eſt Chriſti ſub ſacramento venerabili, vera & realis continentia, coram quo (exẽplo Dauid 1. Reg. 19) eſt omni reuerentia & totis viribus pſallendum, plus quàm coram myſtica archa.

2 Cor.6. QVINTVM eſt *Socij*, id eſt fratrum aſſiſtentium ſanctimonia: Ipſi enim ſunt templa
Pſal. 81. & thronus Dei, & participatiuè dij dicti; Vnde ab eorum offenſa & ſcandalo valde ibi præcauendum eſt, & ſemper dicendum, & pẽſan-
Pſal. 110. dum, *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in conſilio iuſtorum & congregatione.* Sicque reſpiciendi ſunt tanquam Angeli Dei, & ciues cæli.

SEXTVM *loci ipſius ſanctitas*, quam in dedicatione ſuſcepit, & eiuſdem qualitas: Quippe qui ſacerrimus, religioſiſſimus, & pene totus diuinus: verè terra ſancta, in qua pedum ſoluenda calciamenta, Exod. 3. Nam & *terribilis eſt locus*, verè *porta cæli, & domus Dei*, Gen. 28.

SEPTIMVM eſt *Actuum* quos illic agimus, *dignitas*. Magna etenim (ſecundum Vincentium) eſt operum illorum dignitas, vbi Deus honoratur, verba tam ſacra recitantur, ſacrificia talia immolãtur, quæ omnia ſumma reuerentia agenda ſunt.

PATENT igitur inductiua multa reuerentiæ, præſertim cùm è contrario nil tam Deo diſplicet, quàm irreuerentia erga ſacra, quàm etiam tam dira fermè ſemper vltio ſubſecuta
2. Mach: eſt, & vindicta. Teſtimonio ſunt Antiochus,
5. & 3. Heliodorus, Mazael Princeps, Pompeius, & Brenni ducis exercitus, qui eatenus manſit inuictus, donec in deos inſurgere, & ſacris Apollinis irreuerentiam inferre eſt auſus. Pompeius victorioſiſſimus, poſtquàm templum dehoneſtauit, nunquam fortunatus fuit. Loci itaque, in quo ſtat Deo deditus pſaltes, ſanctitatem conſideret & dignitatem exiſtentium ſimul in eo rerum, vtpotè altarium, reliquiarum, inter quas ſtat &c. Fratrum conuentus, cum quibus ſtat, Angelorum præſtantiam coram quibus ſtat, ſummæ Maieſtatis excellentiam, cui aſtat; & ſtet humiliter, diſciplinatè, & reuerenter.

MEMBRVM I.

De reuerentiæ in diuino officio qualitate.

II. PRo *reuerentia accedet tibi bona gratia*, Eccli. 32. SED videndum iam, *qualis erit reuerentia* ipſa: Nam & interna eſſe debet, & externa. *Interna* in hoc conſiſtit, vt cum timore & humilitate Deo præſente pſallamus; & vt non niſi purgati in eius cõſpectu (vt vult Bernardinus) appareamus, vt ab eius offenſa præcaueamus; in cunctis noſipſos deprimentes, ipſum ſemper exaltemus. Ecce hæc ſunt reuerentiæ internæ ſigna, & ad eam requiſita; quæ vt facilius memorẽtur, in hoc verſu comprehenduntur.

Purgatus, caueas, te deprime, tollito, ferue.

DE PRIMO diuinus Dionyſius ait, Quod non, niſi ſanctificatis poſt purgationem animis, diuinis eſt aſſiſtendum: Quapropter purgandus venit compunctione animus. Hinc commouit beatus ille Ioannes Ægyptius, mundo corde, & libero ab eius paſſionibus, Deo aſſiſtendũ, & inquantum poſſibile fuerit, oculos cordis in eum dirigere ſemper, & videre inuiſibilem mente, non corpore; intellectu ſcientiæ, non carnis aſpectu.

DE ALTERO, quod ab omni ſcilicet *Dei offenſa ſit præcauẽdum*, ait Vmbertinus, *peruerſum ſire illic Dei prouocare iram, vbi ipſius imploramus miſericordiam:* Ibi Dei committere offenſam, vbi eius recipimus gratiam; In loco gloriæ contumeliam irrogare Regi gloriæ. Vnde vna de duodecim abuſionibus eſt diſſolutio in choro ſub diuinis. Præcauendum ergo à malis cogitationibus, & ab omnibus diſſolutionibus; vt ſunt oculorum euagatio; riſus ex defectu fratris prouocatus; aut aliorum ad riſum incitatio; inordinata & illicita locutio, indiſciplinata cantatio, & cætera huiuſmodi. A quibus qui volet abſtinere, ſtudeat ſe in timore Dei continere, eiuſque ſemper præſentiam attendere. Et qui à riſu vult abſtinere, à fratrum aſpectu debet oculos corporales cohibere, & cordis oculos in Deum dirigere. Cauenda igitur omnis diſſolutio, qua Deus offenditur, & proximus ſcandalizatur.

TERTIVM ad mentalem reuerentiam ſpectans, eſt ſe valde *deprimere*, & coram Deo humiliare. Hinc Baſilius, *Fili, cùm ad Deum orandum acceſſeris, coram Deo te humiliter proſterne:* Nec te velis iuſtificare, ſicut Phariſæus; Luc. 18.
memor iuſtificati Publicani. Penetrat quippe cęlos humiliantis ſeipſum oratio.

QVARTVM eſt, *Dei vbique bonitatem extollere*, iuxta illud, *Exaltate Dominum quantum po-* Eccli 35.
teſtis, ſuperualebit adhuc. Eos etenim, quorum Eccli. 43.
beneuolentiam captare deſiderat, mos oratorum multum efferre conſueuit; vt quos ſuis elegantiis attrahendos non putat ad ſuã complacentiam, eos extollendo inclinare faciat. Cùm multa igitur vbicunque occurrerit Dei nomen reuerentia, dicendum more S. Gilberti, & Canonici cuiuſdam regularis, qui audito nomine IESV & MARIA, ſemper genua flectebat. Cum omni enim reuerẽtia & metu oportet aſſiſtere Deo, & ita in eum librare mentis intuitum, vt omne quicquid poteſt ſplendoris, claritatis, maieſtatis, mens humana conſpicere, ſuper omnia ſentiat eſſe Deum.

POSTREMÒ ad internam reuerentiam ſpectat, vt cum multo *feruore & magna diligentia* opus Dei perficiat, ne quas in eo negligentias admittat. Sic ergo ſeruiendum eſt Deo cũ metu cordis, pariter & externa reuerẽtia corporis, vt fiat quod monet Apoſtolus Rom. 6. dicens: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditia, & iniquitati ad iniquitatem; ita quoque exhibete ea ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.*

EXTERIOR autem reuerentia circa externa quædã verſatur. Ad quã Bern. ſuper Cantica pulchrè hortatur dicens, *Moneo vos dilectiſſimi purè ſemper & ſtrenuè diuinis laudibus intereſſ; Strenuè quidem, vt ſicut reuerenter, ita alacriter*

Domino

Domino aſſiſtatis, non pigri, non ſomnolenti, non oſcitantes, non parcentes vocibus &c. Vbi inſinuat quod ad externam reuerentiam plura concurrunt, ſcilicet ſex iſta,

Senſus componas, curues te, ſtes, cane, mores.

Matt. 6. PRIMVM eſt ſenſuum exteriorum cohibitio; Saluator, *Tu autem, cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio* (ſenſuum ſcilicet exteriorum) *ora Patrem tuum*. Alioquin eorum euagatio mentis denotat euagationem. Quare valde circumuagatio illa reprimenda eſt, & clauſi, vel demiſſi oculi habendi, ne duces ſint, ſed ſeruientes, & nuſquam, (vt nonnulli vagi mente) parietum plana proſpicientes, exeuntes, vel intrantes, perluſtrantes, qui aliud pſallunt, aliud cogitant, corpore quidem in choro, ſed mente in foro. Sunt itaque ab euagatione reſtringendi; & demiſſis aut clauſis, vel defixis ſaltem, (vt ſuadet Bonauentura) in librum oculis, eſt pſallendum. SECVNDVM eſt reuerentialis tam habitus, quàm corporis, & manuum *compoſitio*, vt pulchrè proſequitur Bonauentura in Speculo diſciplinæ. Maximè enim ibi diſciplina conſeruanda eſt, vbi vel neglecta multis præbet ſcandalum; vel cuſtodita bonæ imitationis exemplum. Quæ diſciplinæ compoſitio, in quibus conſtet, pulchrè in memorato ſpeculo docetur, ne ſcilicet vaga ſit, vel turpis. Sed nota hos verſus,

Cum corā Domino ſteteris, hęc quinque tenebis:
Iunge manus, compone pedes, caput erige rectus:
Sit q; decens habitus, geſtus, motuſq; modeſti.

Nam (vt decretum Baſilien. & pragmatica habent) *Si quis principem ſeculi rogaturus habitu honeſto, geſtu decenti, prolatione non præcipiti, ſed diſtincta, attenta quoque mente, ſeipſum ac verba ſtudeat componere: quanto magis ſacrato in loco, omnipotentem Deum oraturus, hæc omnia curabit facere?* Placendum itaque diuinis oculis (ait Cyprianus) & habitu corporis, & motu cordis. Pſal. 92. *Decet enim domum Domini ſanctitudo*, vt ait Gregorius X. in 6. de immunitat. cap. decet: vbi commodum capitulum pro diuini cultu honoris ponit, iubens, *vt ſit ad Eccleſias humilis, deuotuſq; ingreſſus; ſit in eis quieta conuerſatio, Deo grata, aſſiſtentibus placida; quę inſpicientes non ſolum inſtruat, ſed & reficiat, vt cuius in pace factus* Pſal. 75. *eſt locus, eius cultus cum debita ſit veneratione pacificus.*

TERTIVM eſt, vt te *curues*, reuerenter inclinando, aut genu (pro temporis exigentia) flectendo; iuxta illud Eſa. 8. *In memetipſo iuraui, quia mihi curuabitur omne genu*. In hac autem inclinatione hæc ſunt obſeruanda, vt infrà declaratur,

Vt ſit { Tempeſtiua,
Deuota,
Sufficiens,
Honeſta.

Et, vt ſit cum magna reuerentia,

Tanquam { Patri,
Domino,
Iudici.

vt in *Paruo bono* docet Bonauentura.

Ad gloriā igitur Patri, & ad ſingulos hymnos gloriæ conſurgendum eſt, vt pragmatica habet, & inclinandum, vt infrà monſtratur. Similiter, & cùm nominatur illud glorioſum nomen Ieſus; *in quo omne genu flectitur*, Philip. 2. *cæleſtium, terreſtrium, & infernorum*. Omnes (ait Baſilien. decretum) caput inclinēt. Quod itidem ante iuſſerat Gregorius X. vbi ſupra, *ca. decet*, dicens, *Conuenientes ibidem, nomen illud, quod eſt ſuper omne nomen, &c. reuerentiæ ſpecialis exhibitione attollant, & quod generaliter ſcribitur, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, ſingulariter à ſingulis, ſpecialiter expleatur, vt quandocunque glorioſum illud nomen recolitur, flectant genua cordis, quod vel capitis inclinatione teſtentur*, de quo latius infrà.

QVARTVM eſt *alacris ſtatio*, iuxta illud Actorum 14. *Surge, ſta ſuper pedes tuos rectus*. Et Ezech. 2. *Fili hominis ſta ſuper pedes tuos, & loquar tecum*. Turpe enim (ait Bonauentura) eſt, ibi ſtare molliter, aut remiſsè, aut quaſi fractis renibus, lecti mollitiem ſcamnis appendendo requirere. Memor eſto itaque crucifixi pendentis in cruce, ſine ſpinati capitis reclinatione. Vide (vt Ludolphus commonet) quanto labore & dolore pro te Dominus tuus perſtitit in cruce, & non pertædeat te in ſeruitio ſuo ſtare. Quia (vt ait Petrus Damianus) quo laborioſius in conſpectu ſupernæ maieſtatis, vel conſpicientis quis aſſiſtit: eo ſuauius dulcedinem intimæ quietis acquirit; quantoque difficilius ſui corporis grauedinem tolerat, tanto copioſius eum ad Dei meritum leuat. Memor etiam eſto Franciſci & aliorum, qui ſub extrema etiam infirmitate, muro, aut parieti hærere horruerunt; ſed nudato potius capite cum pſalmiſta canebant, *Stantes erant pedes noſtri*, &c. Pſal. 121. Et in Canticis 1. *Recti diligunt te*. Cogitabant ſiquidem illud cum Heliſeo & Helia 3. Reg. 17. *Viuit Dominus in cuius ego hodie conſpectu ſto*. Scientes & rememorantes illud Petri Damiani, vt ſupra quo ait, *Sta ergo & tu ad laudem Dei, ad reuerentiam Angelorum, ad exercitationem corporis, ad ædificationem aliorum, & ad dæmonum (qui huiuſmodi feruorem horrent & deuotionem) terrorem*.

Stat ſiquidem & Dominus Ieſus coram Matt. 27. vultu paterno; iugiter orans pro nobis, qui olim ſtetit coram iudice iudicandus pro nobis. Stant & milia milium Angelorum, & decies centena milia ei aſſiſtunt cum reuerentia Dan. 7. & contremiſcunt columnæ cœli. Iob 26. Stat & tota illa frequentia cæleſtium virtutum, & omnis illa primitiua Eccleſia Sanctorum. Impudens ergo, & imprudens, qui hic ſedere præſumit; cùm tanto ſit oratio meritoſior, quanto ſtatio huiuſmodi pœnalior.

QVINTVM eſt *Cane*, ſcilicet ſine ceſſatione & tædio laudes diuinas, iuxta illud Eſa. 23. *Bene cane, frequenta canticum*. De modo autem, & inductiuis alacriter canendi Bernardus ſuper Cantica, & alij plures ſcribunt: ſuper quo etiam aliquid explicatius ſubdendum.

POSTREMO *Morum in omnibus grauitas*, ſub diuinis maximè venit obſeruanda. In cuius typum legales miniſtri, alios atque alios tēplum Exod. 28. intrantes, & exeuntes habitus commutabant. Leuit. 16.

Cum etiam (Pythagora teſte) alius templa intrantibus animus eſſe debeat, alius operātibus foris. Grauior igitur ſub diuinis induenda modeſtia venit: vt (iuxta Gregorij decretum) omnia, quæ, vel diuina poſſent perturbare officia, vel etiam diuinæ Maieſtatis oculos offendere, ab ipſis protſus ſint extranea. Ne vbi peccatorum eſt venia poſtulanda, ibi peccati detur occaſio: aut peccata deprehendantur admiſſa.

Pſal. 34. *In populo enim graui laudandum:* Quæ grauitas excludit inquietudinem, diſſolutionem & tumultum, vt in Speculo diſciplinæ docetur ad longum. Vbi & plenius explicatur de reuerentia habenda ſub diuinis. Cuius libri velimus noſtros lectores eſſe ſtudioſos, quare de vlteriori proſecutione conſulto ſuperſedemus. Niſi quòd pro repromiſſo de reuerentia & modo religioſi cantus eſt aliquid

Heb. 5. annectendum. Exaudiri enim poterimus pro reuerentia.

MEMBRVM II.

De modo religioſi cantus.

BEne cane, frequenta canticum, vt bene tibi ſit. Eſa. 23.

QVONIAM in cantu ipſo Eccleſiaſtico ab ipſis Eccleſiaſticis pleriſque, etiam in locis religioſis, multa & magna exorbitantia diſciplinæ committitur irreuerentiæ & diſſolutionis abuſus; vt vnde, & vbi placari debuerat Deus irritetur & prouocetur magis; adeò vt illud Amos 5. rurſus inclamare poterit, *Aufer à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audia[illegible]* &c. Latius aliquantiſper pro ſponſione noſtra, & paruulorum inſtitutione, de modo religioſi cantus explicandum erit. Supra ſiquidem iam præmiſſum eſt, de congrua vocalis cantus inſtitutione, & de mirificis effectibus & vtilitatibus eius in diuinis ſacriſque rebus: Qui tantæ efficaciæ deprehenditur fuiſſe, etiam apud homines ſæculi, & in rebus ipſis prophanis, vt & morbos curaret, paſſiones ſedaret animi, & inconditos atque incompoſitos laſciuientium iuuenum componeret ad grauitatem mores: dum digna cum grauitate fiebat, alioſque effectus progenuiſſe inuenitur ſalutares. Quare & philoſophorum princeps ſuaſit 8. Politicorum, iuuenes in muſica potiſſimum erudiendos, vt laſciuiam dediſcerent, aliáſque muſices aſſequerentur accommodatiſſimas vtilitates; quarum nonnullæ hoc in carmine, præter has, quas ſupra præmiſimus, comprehenduntur.

Auocat, immutat, oblectans, dat bona, ſanat.

Nihil ſiquidem (teſte philoſopho) ſic à malis complacentiis, obſcœnis, laſciuiſque voluptatibus reuocat, & ad grauitatem animi componit, quàm ars Muſices & cantus cum grauitate religioſus. Ita enim ſibi ars hæc animas reddit intentas, vt nil aliud (vt Caſſiodorus ait) cogitare poſſint: & depoſita laſciuia omni, mentis induit grauitatem. Cuius rei grauis teſtis eſt grauiſſimus Pater Auguſtinus contra Iulianum. Ciceronis ſententiam adducens, vbi ait, Pythagoras, ſpōdeum in ſono canens tarditate modorum & grauitate cantus, furentem iuuenum petulantiam abegit. Quam etiam cantus efficax ſit in immutandis affectibus, & animorum ſedandis paſſionibus teſtimonia ſunt multorum, credibilia nimis. Refert Conſtantinus probatiſſimus medicus in Viatico ſuo, quod muſica ſua Orpheus corda principū, & hominū affectus, de triſtitia in lętitiā, & è contrariō omnes quoſcunque voluit affectus immutabat. Et notiſſimus ille muſicorum princeps Guido, in muſica ſua de quodā adducit, qui de libidine in caſtitatem ſono & cythara permutatus erat. Hinc propter mirabiles has animorū immutationes, Ariſtoteles quattuor melodiæ ſpecies diſtinxit, ad diuerſas promouentes paſſiones. Mixolydiam, quæ ad cōpaſſionem; Lydiam, quæ animos emollit ad concupiſcentiam; Doricam, quæ mentem promouet ad virilitatem; Phrygiam, quæ rigidior inducit ad terribile & ad ſeueritatem. Vnde & moralis Seneca, Pythagoras virtute muſices mentium perturbationes componens, cantu fidibuſque commotos animos ad tranquillitatem traducebat. Quod etiam naturaliter muſica oblectet, Philoſophus in Politicis dicit, res probat, nec Scriptura ſacra ſubticuit,

quæ ait, *vinū & muſica lætificat cor.* Adeo vt & Eccli. 40.

bruta animantia in hac oblectentur, & hanc amēt, vt de auibus, bobus, piſcibus præſertim delphinibus A. Gellius de Arione adducit, hoc ſiquidem ſuum & proprium muſices ſcientia habet (vt in problematibus Ariſtoteles ponit) quod triſtes lætificet, lætoſque exhilaret magis ac magis. Habet pręterea & alios cōplures effectus ſalutares, quos non eſt noſtræ, vel intentionis, aut facultatis adducere omnes, quod ſcilicet excitet dormientes, & dormitare faciat vigilātes, pacificet diſcordes, & (vt paucis multa dicamus, vt Sariſburienſis in Policratico ait) muſica amica eſt, & omni conditioni & ætati, diis & hominibus grata. Quæ & hoc poſtremo mirabile habet, quod & corporeos ſanet aliter incurabiles morbos, pręſertim melancolicos, maniacos, morionúmque freneticos languores. Cuius rei tot ſunt teſtes (vt interim Saulis curationem Dauide pſallente taceamus) quot ſunt phyſicæ & medicæ artis profeſſores: Qui tradunt quod freneticus quidam, Aſclepiade medico canente, mox contra ſpem omniū curatus fuit. Trāſimus iā quæ de Amphione, Orpheo, & Arione poetica tradūt mirifica, & quas ſupra memorauim⁹ ex ſcript. ſacris mirabiles muſicę artis virtutes: quomodo itē (vt Ouid. memorat) Orpheus dulcedine muſices & ſuaui cantus modulatu, non homines modo, ſed & lapides, arbores, ac ſiluas in numerorum motare ſe cogebat motus, ſtare flumina, & tartara auſcultare ſibi, iuxta illud,

Saxa, feraſq́, lyra, mouit Rodopeius Orpheus:
Tartareoſq́, lacus, tergeminumq́, canem.

Vt de huiuſmodi in cantichordo ſuo plenius venerādus Gerſon tāgit, alijque muſicæ traditores, Boetius, Guido, Notkerus, Odo, Farno, Iohannes Anglicus, & Martialis. Quibus inquam omnibus tranſitis & omiſſis, id vnicum hic ſuſcepimus cohortandum, ne tam

vtilem

Digitized by Google

vtilem muſicam, cum Rege Myda, vilem æſtimantes, illius incurij ſimus; ne cum illo plecti demereamur, vel ſufflatis buccis, ſeu auribus aſininis; ſed ſequamur glorioſos patres *noſtros, qui pulchritudinis ſtudium habentes, ex pueritia ſua* (vt Eccleſ. 44. ait) *modos muſicos exquiſierũt, ſuaui dulciq́; ſono, ſonantes carmina contra altare.* Quorum & nos exemplo enitamur, vt deuotus ſit, religioſuſq́ue eccleſiaſticus, præſertim religioſorum cantus, & vt religioſè perſonet, quo tam mirificas, vtileſq́ue muſices virtutes, & in nobis perſentiamus.

§. 1. De qualitate & excellentia cantus religioſi in diuinis officijs.

RELIGIOSVM autem cantum ipſum, iudicat diſertiſſimus S. Bernardus in Epiſt. ad Aremarenen. eum, *qui ita eſt grauitate plenus, vt nec laſciuiam reſonet, nec ruſticitatem; qui ita eſt ſuauis, vt non ſit leuis; ita demulcens aures, vt permoueat corda; ſenſum litteræ non euacuans, ſed fœcundans.* V. *Alioquin* (ait) *non eſt leuis iactura gratiæ ſpiritualis, leuitate cantus abduci à ſenſuum vtilitate, & plus ſinuandis attendere vocibus, quàm rebus inſinuandis.* Nolumus hic inſiſtere explanationi huius, de quo alio in opere latius actum: Hoc ſolum commonitum velimus, quod mediocritatem teneat religioſus cantus, vt ita & planus ſit & pedeſtris, & ſuauis, vt nec curioſitatem nimiam redoleat, nec ruſticiem ſapiat vltra modum. Nec enim minus vitio dandum in cantu religioſo, nimias habere ſecundum arſim & theſim, immoderataſq́ue inflexiones, aut inaltationes, nimiamq́ue & affectatam, per neumata, atque protractos iubilos inſinuationem, artificioſæ muſicæ compoſitionis: quàm in rhetoricis & oratorijs, oſtentatam elegantiam, exceſſiuamq́ue per colores & ſchemata, compoſitæ orationis faleratam cum fuco, & cothurno, ſeſquipedalibuſq́ue exornatam. Nihil ſiquidem affectatum placet.

Viderint muſices ſtudioſi. Quocirca cantoribus animaduertendum, quod quemadmodum apud Rhetores, & in oratoria officina, pro exornatu habentur ſchemata, loci, ſedéſque oratoriæ, argumentationum varietas, Rhetoricique tam verborum, quàm ſententiarum colores: Ita pariformiter habet & muſica ipſa pro harmonia, & cantus adornatu, repetitiones, conuerſiones, circuitiones, phthongos, neumata, variósque alios compoſitæ modulationis ornatus; adeò vt non minus artis atque decoris inſitum ſit in compoſitione, & in muſici modulatione cantus, quàm in metrici carminis, aut rithmici cõpoſitione verſus. Ita quod hic phthõgi ſint loco pedum; neumata vice ſchematum; theſes & arſes, pro exornatu colorum, diſtinctiones & thomi in reſpirando, verſuum locum ſupplent; quorum omnium doctrix eſt harmonia reſultans, quæ certo metro, certaque menſura & lege peragitur, vt docent illius
B artis traditores. In quo & id præcipuè animaduertendum, obſeruandúmque venit, vt iuxta verborum ſenſus, ſit cantus ipſius modus, & pro diuerſa qualitate materiæ, ſit variata harmonia thonalis melodiæ; & breuiter, ne quippiam in ipſo fiat ſine ordine & ratione. Ne fiant aſcenſus & deſcenſus per theſim, aut arſim, niſi pro exigentia rerum & materiæ; nec protrahantur neumata, aut iubili, niſi in certis appoſitiſque dictionibus, in quibus ſubeſt ſententiarum aliquod pondus, & digna ratio grauioris attentionis, ſeu materia aſpirationis deuotæ. Eſt enim neuma combinatio vocum, vel notularum ſuper idem ordinata ad aliquod ſignandum, ſeu ad affectum inflammandum: ſic dicta (vt volunt) quaſi pneuma; eo quod ſæpe per ſuauem, dulcémque neumatum, vel neumarum modulatum modum, infundatur Spiritusſancti gratia & dulcedo in corda fidelium: vt patuit de Heliſeo 4. Reg. 3. qui adducto pſalte, recepit ſpiritum.

Deuotiſſimè ergo, & cum magno affectu cordis, hæc neumata ſunt perſonanda, quia ſub illis latitant grauida quædam & abdita myſteria, & rarò fiunt, niſi aliquid Sacramenti ſit in dictionibus, ſuper quibus ſunt ordinata: Rarius Hieruſalem cantatur, quin fiat neuma: rarò item atria, vel tabernacula. Lata iam & lucida, oculato viro & ſtudioſo aperta eſt VI.
feneſtra, contemplandi circa cantum & neumata, vbi nihil agitur ſine digna ratione & graui cauſa. Quemadmodum etiã & hoc demonſtrabile foret, niſi prolixitas vetaret, de tonorum ipſorum modis & varietate, quæ in cãtu bene compoſito, ſemper correſpondere habẽt materiæ, ita quod pro varietate materiæ immutãdus & formãdus eſt tonꝰ ipſius melodię.

Habet enim tonus quiſq; proprietates ſuas, vt longum eſſet deductu: Breuiter tamen, quo occaſionẽ adminiſtremus ſtudioſis, curramus de tonorũ proprietatibus. Eſt igitur *tonus primus* curialis, nobilis, curioſus & lætus: vnde illius numeroſa & curialis vagatio materiæ iocundæ & lætæ deſeruit. *Secundus* verò tonus, quia iniucundior eſt & grauis, grauiori materiæ illius rauca grauitas ſubſeruit. *Tertius* autem tonus, cuius perſultatio ſeuerior, eſt concitatiua, & quaſi indignans, in materia cõgruit permouendi, concitandíque affectus. Sic & *quarti* adulatorius ſonus, qui attractiuus eſt, molli materiæ conuenit & cõpunctiuæ. Sicut è contra in materia alacriori locum ſibi vendicat voluptuoſitas *quinti* toni, qui reſilit cum modeſta petulantia, & quadam voluptate. Sic lachrymoſa, & demulcens vox *ſexti*, in Elegia conuenit, & planctu. *Septimus* autem tonus, & *octauus* myſtici prorſus ſunt, plenique ſacramentis, & ſuis modis myſteria explicantes. *Septimus* ſiquidem, ſuauibus ſaltibus ſuis; Spiritus dona, quę exultare faciunt, deſignat: Quemadmodum tonus *octauus*, qui garrulus eſt, canorus, & matronalis; ſoliditatem futuræ octauæ pręnunciat, & figurat. Longum eſſet & prolixũ, curioſum quoque pleriſque videretur forſan, & abſurdum; ſi proprietates proſequi vellemus horum tonorum, quæ pro memoriali complectuntur ſub huiuſmodi carmine.

Nobilis eſt primus, Grauis alter, Tertius hortãs,
Quartus adulatur, ioca Quinto, lachryma Sexto.

Septimus eſt ſuauis, Octauus at ipſe canorus.
Quorum etiam effectus tanguntur in ſubſequentibus.

Lætifico primo, Socio præmo, Concito terno,
Attrabo per quartum, Quinto oblector, Fleo ſexto,
Septimus emollit, Octauus myſtica garrit.

Quorum vlteriorem proſecutionẽ qui volet, apud traditores requirat Muſicæ artis. Sat nobis eſt occaſionem obtuliſſe ſtudioſis ſeſe exercitandi in conſideratione & contemplatione ipſius Eccleſiaſtici cantus. Et pro ſumma hoc dixiſſe propoſitæ noſtræ concluſionis; quod tunc optima eſt Eccleſiaſtici cantus formula, ſi materiæ conſonet notarum melodia, ſi ſecundum verborum, (vt diximus) ſenſus varietur, & cantus ipſius, & tonus, & modus: Si toni congruant rebus, vt cantus exprimat quod verba ſonant; Si ibi cantus pauſationem finalem recipiat; vbi verborum ſenſus diſtinctionem facit: Si planus ſit & ſuauis, vt nec ſæcularem curioſitatem, nec inconditam aut agreſtem ruſticitatem ſonet. Si non nimius ſit in aſcenſibus iubilis, & neumatibus contra aut præter rationem, ſenſus verborum ſignificantiam, decentiamve Religionis. Si diſtinctus ſit virgulis & pauſis, quod Religioni & releuationi laboris congruit, pariter & arti, quæ quoniam arithmeticæ ſpecies eſt, certas menſuras ſibi exigit, & temporum pauſas. Si poſtremò non leuis ſit, & ſæcularis, ſed grauis, humilis, ſuauis, & religioſè deuotus.

Digniſſimum ſiquidem eſt, æquum, & rationi cõgruit, vt Religioſorum omnis cantus, ita à ſæcularium leuiori & magis curioſo, duriorique concentu diſcrepet, quemadmodum & habitu & profeſſione diſtant: dignum planè, vt tanto ſit eorum cantus, in ſuaui *b. mollari* humilior; quanto eorũ profeſſio illorũ *b. durali* ſolẽnitate inferior eſt, & ſubiectior. Quare & Religioſorum cantus præ ſæcularium frequẽtius *b. mollaris* eſt, vt humilior ſit, planior, & magis ſuauis; dum illorum *b. duralis* fortior, altior eſt & durus. Cõuerſatur quoque crebrius Religioſorum cantus in ſuauibus tonis, quarti, ſexti, aut ſeptimi; ſeu in grauitate & planitie ſecundi & octaui; vbi ſæcularium melodia, ſeueriorem perſultationem frequentat tertij, aut voluptuariam petulantiam quinti, vt ſic cantus & tonorum modus congruat cuiuſque propoſito, inſtituto & profeſſioni.

VII. Sed heus vbi poſſunt hæc in Eccleſiaſticis iam cantibus diſcerni? qui corruptiſſimi ſunt, inconcinni, tumultuarij, & prorſus à præfatis conditionibus alieni. Adeò, vt iam non ſit diſtinctio Græci, neque Barbari, aut ſæcularis cantus, & religioſi: Sed iuxta Prophetã Oſe. 4. *ſicut populus, ſic Sacerdos*; imò corruptior Religioſorum cantus, quàm harmonia ſæcularis. Vnde & ab omnibus fermè ſanctorum ordinũ reformatoribus caſtigatus, atque correctus fuit, vt id latius in Apologia officij noſtri deduximus. Vbi & oſtẽnſum eſt, quantæ curæ erat etiam Regibus & Principibus huius Chriſtianiſſimi regni, Pipinis, Karolomannis, Magno Karolo, & Ludouico Pio, ſuper Eccleſiaſtici cantus correctura, & ordinatione diuini officij, & quomodo totas Galliarum Eccleſias, ratione traditis cantibus decorarunt: non paſſi ineptos & inconcinnos cantantium modos: cuius vix iam poſtrema nobis cura eſt. Sed nõ eſt huius, aut loci, aut temporis elegiam texere aut vlteriora tradere de diſciplina Muſices vel cantus: Abundè, & forſan plus quàm ſatis mõſtratum eſt, qualis debeat eſſe cantus Eccleſiaſticus & Religioſus, quantumque in ipſo artificij ſit, & quam abunda, copioſaque materia & contemplationis & deuotionis; totum quidem finaliter, propter mouendos affectus pietatis & ſanctæ compunctionis.

Sed proh pudor, ſparguntur margaritę ante porcos, vix è nobis eſt, qui oculos aperiat, & vel ſemel hæc præ ignorantiæ cęcitate attendat, vel arguta mentis aure dijudicet, quæ tanto ſunt ſtudio & ſudore elaborata à ſanctis Patribus, Ambroſio, Gelaſio, Gregorio. & huiuſmodi ſanctę Eccleſię baſibus & columnis. Matt 7.
Vnde etiam procedit tepor & torpor ille noſter, quo attædiamur in diuinis officiis, & prægrauamur onere aſſiduè repetiti cantus. Quẽadmodum cauſando reſpondit quidam monachus interrogatus quidnam difficillimum illi erat ſub ſtatu religionis, continua (aiebat) continuati repetitio cantus; vt hæc venerabilis Gerſon verax teſtis adducit. Qui forſan nõ ſic reſpondiſſet, ſi memoratos ſacri cantus ornatus & fructus caluiſſet & ſapuiſſet: Quippe qui non tædium illic, ſed voluptates innumeras, delicioſiſſimaſque in ipſa crebritate repetiti cantus, nouaſque harmonias inueniſſet.

Quæ tantiſper aſſignauimus, ne cui Eccleſiaſticus cantus contemptibilis videatur, aut contemnendus, quem tanti fecere ſacrati Patres. Notiſſima ſunt, quę in confeſſionum ſuarum libris explicat de cantu D. Pater Auguſtinus, quam ex illius dulci modulatione compunctus, *dulciter flebat, & bene illi erat*; qui & ſex libros de Muſica conſcripſit, & proportionibus numeroſis. Sed iam vix eſt, vt lamentati ſumus, qui huiuſmodi attendat, quare & cantorum vix nomine digni ſumus: Aut ſaltẽ, ſi cãtores, vel potius ſonitores dici poſſumus, illuſtres prorſus dicendi non ſumus, vt ad Theod. ſcribit venerabilis Guido Muſicorum princeps, vbi, inter cætera, ait,

Muſicorum, & cantorum, magna eſt diſtantia:
Iſti dicunt, illi ſciunt, quæ componit Muſica.
Nam qui facit, quod non ſapit, diffinitur beſtia.

O pudeamus, caueamus ne beſtiæ ſimus. Ezech. 10.
Simus potius animalia oculata, ruminantia, pede fixa, & munda: attendamus, ruminemus, & dijudicemus ſingula. Leuit. 11. Ezech. 1. Deut. 14.
Demus nos omnibus his ſtudendis, ſciendis, & dijudicandis, ne conuincamur beſtiæ aut porci margaritas conculcantes, Matth. 7.
ſeu aſini ad lyram immobiles, ſi non permoueamur aut ſubſultemus, pro modo tam caſtarum, artificioſarumque cantionum, & improperetur nobis, *Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis*, &c. Matth. 11. Néve etiam plectamur, vt monuimus, cum Myda rege, qui pro eo quod non ſatis Muſicæ artis melodiam æſtimabat, aut ſaltem, quia minus bene de ea iudicabat, dicens, quod Deus Pan dulcius ſegetalibus cannis, quam Apollo cythara harmonizabat,

Digitized by Google

nizabat, graui pœna mulctatus, inflatas habuit, vt aiunt, turpiter buccas, aureſque ſuas in aſininas aures permutatas. Beati proinde, qui habēt argutas rectè de Muſica dijudicandi *Pſal. 146.* aures, vt religioſo cātu ſit *iocunda, decoraq; laudatio* Deo: Nimij fuimus in dicēdo de qualitate religioſi cantus; proſequendum iam breuius ſuper modo ipſius.

§. 2. *Quod ex corde cantabitur, quando bene cantatur.*

VIII. BEne pſallite illi in vociferatione, Pſal. 32. NON PARVA virtus eſt in modo ipſius cantionis, ſi bene fiat, vt ſupra præmiſimus. Quæ & ideo principaliter in Eccleſia inſtituta eſt, propter excitandos piæ deuotionis affectus, & ob gloriam diuini cultus: vt dum aures foris demulcet, intus deuotionem prouocet: & pſallentium Deo animos torpere non ſinens, à laboris tædio releuet, futuræque nobis imaginem ingerat iocunditatis. Quare ad bene, religiosè ſcilicet & deuotè cantandum, quiſque elaborare debet: Vnde & celebrè illud Aquēſe Concilium ſub Lodouico Pio conſtituit, non debere aliquos admitti ad Eccleſiaſticum cantum, niſi qui cantus periti, dulci vocum modulatione, populorum prouocare affectus poſſent, & tanti officij dignè exequi cultum. Et perprobè quidem & decentiſſimè; ne inferioris deuotionis ſancta Eccleſia videretur Deo ſuo, quàm erat populus Iſraeliticus, qui (vt Pſalmorum tituli habent) ad victoriam canentes, cum ſuauitate *dulces in ſono eorum dedere modos*: Aut etiam quā ſuis diis, imò verius idolis erant gentium Flamines & cultores, qui vt ſuaui, dulciſque modulo officiare valerent, à pinguioribus quibuſque cibis abſtinentes, ſolis leguminibus veſcebantur, Hyſopo & fabis, vt philoſophus teſtis eſt, & D. Hieron. Quare & cantorum præſides, Fabarij vulgo vocitari ſolebant, vt Speculator in rationali ait. Non quod nos exquiſitius id fieri *Epheſ. 5.* ſuadeamus, quibus ſuprema cura de cantādo, & pſallendo in cordibus eſſe debebit; præſertim cùm contra clamitet D. Hieronymus, iubens tibicinas & pſaltrias, quaſi mortifera quædam ſyrenarum carmina, procul perturbanda è templis: dicens *diſt. 92. c. Cantantes, Audiant* (inquit) *adoleſcentuli, audiant hi quibus eſt officium in Eccleſia Deo pſallendi, non voce tantum, ſed corde cantandum magis: Nec in tragediarum modum guttur & fauces medicamine liniendа ſunt, vt in Eccleſia theatrales moduli, & cantica perſonent*, &c. Licet plerique ſanctorū alij omnia quæ ad ſacrarum rerum decorem, cultúmque diuinum ſpectant, multa cum ſtudioſitate & curialitate fieri ſuadeant: vnde & in laudem ſcribitur religioſiſſimi illius Dei *Eccli. 47.* cultoris, quod *ſtare fecerit contra altare cantores; dans in celebrationibus decus, facienſq; in ſono eorum dulces modos*. Quare & teſte Auguſtino, huiuſmodi dulcem canendi modulationem Eccleſia probat; vt per oblectamenta aurium, infirmior animus ad pietatis affectus aſſurgat. Exemplo igitur ſanctorum Patrum, *requirere* *Eccl. 4.* *debemus modos muſicos*, valdéque ſolliciti eſſe, vt bene canamus & pſallamus, vt ſit *iocunda, decoraq; laudatio* tantæ maieſtatis. *Eſa. 23. Pſal. 32. Pſal. 146.*

Ad bene autem pſallendi, & religioſum canendi modum; duo in genere obſeruanda veniunt & concurrunt. Primum, vt vitētur cantus vitiatiua. Alterum vt obſeruetur qualitas canendi debita.

§. 3. *Quæ ſint in cantu Eccleſiæ vitanda.*

REprehenſibilia autem in cantu, & illum vitiantia, breuiter ſunt iſta, ſtudiosè ab Eccleſiaſticis omnibus præcauenda, & vitanda. IX.

Haud ſecus, haud currens, trahe, frangens, fraudet, inaltans.

PRIMVM & præcipuum in cantu vitandum eſt; ne *aliud, aut aliter, quàm in libro authentico ſcriptum eſt cantetur*, quorum alterum præſumptionis eſt, alterum leuitatis: Et vtrumque in Canonica regula prohibet Pater Auguſtinus. *De primo*, hoc modo dicens: *Et nolite cantare, niſi quod legitis eſſe cantandum*. Super quo in nobili eiuſdem regulæ commento, ait celebratiſſimus magiſter Hugo de Sancto Victore. Non decet vt cantus & vſus Eccleſiaſticus fieri debeat ſecundum arbitrium diuerſorum; ſed firmiter ſeruandus eſt, ſecundum ſcripta atque inſtituta maiorum; & in omnibus Eccleſiaſtica auctoritas præferenda eſt rationi, ne quid apocryphum præſumatur, aut prçter grauitatem Eccleſiaſticam, vt latius alibi annotatum. *De ſecundo* quoque ſubdit Pater Auguſt. *quod autem non ita ſcriptum eſt, vt cantetur, non cantetur*; vtique, ſecundum explanatores, arbitrariam leuitatem interdicens, vt in omnibus maturitas & grauitas obſeruetur: ne, vt quidam inani modulatione vocis gloriantes, ſimplicitatem confundant Eccleſiaſtici cantus, aliter, quam habent libri, cantantes; quod, iuxta Bernardum, magna eſt leuitas cordis. Quales olim etiam, & gladio & igne perſequebatur Karolus Magnus, vt narratur in vita Eugenij Tranſmontani Epiſcopi, vniformem ſimplicitatem volens obſeruari Gregoriani officij, & Romani cantus; pro quo & ex Roma & Metenſi Eccleſia, præceptores Muſicæ conformitatis euocauit, vt alibi adduximus. Semper ergo cantandum ſecundum libros, tam in verbis, quàm in notis: Hoc ſiquidem obedientiæ eſt, & humilitatis: ſicut contrarium ſuperbiæ, præſumptionis, & leuitatis.

SECVNDVM in cantu præcauendum eſt tumultuaria rotatio, *& nimia acceleratio cantus*: X. Cùm omnia diſtinctè & apertè in Eccleſiaſtico officio dici debeant, vt excitetur compunctio cordis. O quantus eſt hic apud quoſdam tumultuariæ accelerationis abuſus! adeò vt vix proferatur, vel vnum verbum intelligibiliter, & non audiatur niſi quidam labiorum ſtrepitus, ſonitus, & tumultus, Deo & populo abhorrendus. Quibus iure in propheta loquitur Dominus Amos 5. *Aufer à me tumultum carminum tuorum, non eſt mihi voluntas in eis*. Non parui iſtud criminis eſt, ſed grauioris culpæ, multæque abſurditatis, ipſas voces Spiritus

Digitized by Google

ſancti, ita ineptiſſimè reſecare, & tumultuariò vociferare, vt horum voces parum differant à rudibus aſinis. Omnia (ait Guilielmus Pariſien.) clericalis militiæ ſtipendia integra ſibi volunt, & ne quid deſit, diſtrictè exigunt; ſed integrum officium reddere nolunt, pro quo tamen beneficium habent. Largam inſuper pitantiam, longa quoque ſibi prandia requirunt; in oratione ſolum, & diuino cantu accelerantur, quaſi non eſſet debitum: Cum tamen iubeant Sanctorum Patrum decreta, vt Diuinæ laudes non curſim, ac feſtinanter; ſed tractim, & cum pauſa decenti perſoluantur. Nimia ſiquidem feſtinatio, etiam in legibus reprobatur. *l. 1. C. de ſe. nup.* Et *extra in c. Dolenter. de celeb. Miſſ.* Vituperantur, qui tranſcurrentes matutinum dicunt continua ſyncopa; quod & ſub pœna ſuſpenſionis prohibetur cum dicitur, *Hæc igitur & ſimilia*, (tumultuariam, ſcilicet & citatam horarum dictionem, ac ſyncopam,) *ſub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus, diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, vt diuinum officium, nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudioſè celebrent, pariter, & deuotè*. O attendant, & metuant iſtud, nimium accelerantes; quorum cantus iuxta Hieronymum, non aliud ſonat in Dei aure, quam aſinorum barritus, ſeu ſuum grunnitus; quippè qui præter attentionem, & deuotionem, non aliud eſt, niſi ſonitus confuſus, leuitatiſque tumultus. Nec
Eccli. 15. eſt homini laus ſpecioſa in conſpectu Diuinę maieſtatis.

XI. Tertivm vitium in cantu deuitandum, eſt *nimia moroſitas*, & protractio cantus: Nec enim minus eſt vitio dandum, ſi fiat moroſior, & irrationabilis cantandi protractio, quam ſi nimia feſtinantia; vt cuncta cum mediocritate fiant, vt deſuper eſt notabile capitulum Beati Hieronymi, *de conſecrat. diſt 5. c. Non mediocriter*, qui bono magno, præfecit mediocre bonum; vt propter immoderatam, atque indiſcretam Pſalmorum, vel officiorum decantationem, aut amentiæ, aut triſtitiæ notam incurrant: Cum vtique melior ſit quinque Pſalmorum decantatio, cum cordis puritate, ac ſerenitate, ſpiritualique hilaritate mentis; quam totius pſalterij modulatio, cum triſtitia, atque anxietate cordis, vt de hoc latius dictum eſt, in capite collectarij huius. Seruetur itaque in cantando proportionatus modus, vt neque nimium protracta ſit cantio ipſa, neque cita nimis: ne vel faſtidium generet, vel deſidiam præbeat, aut ſcandalum, apud auditores progignat. Prima ſi quidem (iuxta muſicæ præceptores) rectè canendi obſeruatio eſt, moderata æqualitas; ne imparib. ſpacijs, ac ſonis improportionatis cantus ſubſultet; ſed ſuis morulis proportionetur. Nihil etenim pulchrius (autore Columella in de re ruſtica) modo, & proportione. Nam vbi chorus canentium, non ad certos modos, neque numeris præeuntis magiſtri concinit; diſſonum quiddam, & tumultuoſum audientibus canere videtur: At vbi certis numeris ac pedibus, velut facta conſpiratione conſenſit, atque concinuit; ex eiuſdem vocum concordia, non ſolum ipſis canentibus amicum quiddam, & dulce reſonat; verumetiam ſpectantes, audienteſque lætiſſima voluptate permulceantur.

Qvartvm in cantu præcauendum eſt *curioſitas, & vana fractio vocis*, quę plurimum XII.
dedecet Religioſos: vtpotè quæ præter Religionis grauitatem eſt, & valde impedit deuotionem mentis; vnde & de eo conſitetur B. Bernardus, dicens hoc modo. *Sepius etiam fregi vocem meam, vt dulcius cantarem: magis delectabar in vocis modulatione, quam in cordis compunctione*. De qua, & Hugo de ſancto Victore: *Magna eſt leuitas cordis frangere vocem, & aliter cantare quam eſt modus Religionis*. Nam *communiter quanta eſt leuitas vocis, tanta eſt & cordis*, magnæ vanitatis & irreligioſitatis eſt indicium, gloriari in modulatione vocum, *Pſal. 34.*
cum in *populo graui*, & modo vtique graui, ſit laudandum. Magis ſiquidem Deo complacet in puritate cordis; quam in curioſa fractione vocis. Præponenda ergo eſt puritas cordis, dulcedini vocis. Nam plerumque (teſte Gregorio) obtingit, *dum blanda vox quæritur, ſobria vita deſeritur*. Et grauiter hic annotandum, grauiſſimi Auguſtini in confeſſionibus ſuis grauidum verbum, vbi ait. *Cum* (inquiēs) *accidit, quod me amplius cantus, quam res ipſa, quæ cantatur, moueat, pœnaliter me peccare confiteor; & tunc mallem non audire cantantem* &c. Non quod in cantu delectari non liceat; ſed non oportet, quod illic delectatio conſiſtat, vt plenius infra notatur. Nullatenus igitur (vt in Speculo docetur Monachorum) vox frangenda eſt in cantando. Nam qui modulationi vocis intendũt, ſæpe hominibus, magis quam
Deo placere volunt, tumenteſque inaniter a- *Gal. 1.*
lios deſpiciunt. Quales non cantant cum Ma- *Exod. 15.*
ria ſorore Moyſi in Choro; ſed cum Herodia- *Mar. 6.*
de in palatio, vt placeant diſcũbentibus, &
Herodi. Qui videntes ſunt, & ementes in *Luc. 19.*
Templo: dum cantandi vendunt gratiam, humanam ementes ſibi gloriolam, digni prorſus profligari de templo. Valde ergo vana iſtiuſmodi curioſitas, præcauenda in cantando, præſertim cum tam diſtrictè hanc in *extrauaganti ſua*, quæ incipit, *Docta Sanctorum Patrũ*; prohibuerit Ioannes Papa XXII. vbi agens contra nonnullos, (vt ait) nouellæ ſcholæ diſcipulos, qui vanitate diſcantus, Eccleſiaſticos cantus interſecabant, a quibus compunctionis deuotio quærenda contemnebatur, & inani cantandi curioſitate, laſciuia propagabatur: præcipiens eiuſmodi per octo dies ſuſpendi, vt patet. Ab huiuſmodi itaque vanitate caueamus, ne hic ſuſpenſi, poſtea in inferno pendeamus.

Qvintvm cantandi vitium ſecluden- XIII.
dum eſt, *fraudulenta vocis à cantando* diminutio, vel ſubtractio cantus, vt quidam, qui ſoli alte canunt, cum cæteri vix audiuntur, aut tacent. Contra illud Regum. Sacerdotes coram
archa fœderis Domini canebant iugiter: abſ- *1. Par. 16.*
que ſcilicet defraudatione vocis. Huiuſmodi etenim defraudatio, dedecentiſſima eſt, & propter plura, quæ hoc verſu patent, præcauenda,

Sacrile-

Sacrilegus, grauat, offendit, priuat, latro, pœnas. *Primo* etenim huiuſmodi fraudatores *ſacrilegi* ſunt, & fures, de ſacro officio debitum labiorum ſuffurantes: contra Dei, Eccleſiæ, atque Superiorum voluntatem; Fur ſiquidem eſt, & furtum committit, quiſquis re alterius, contra voluntatem eius, qui rei ipſius Dominus eſt, vtitur. Cùm igitur Religioſus quilibet velle aut nolle non habeat; ſed à manu Superiorum omnia ſua dependeant, quorum mens eſt vt cum cæteris cantet: furtum vtique, imò & ſacrilegium, (quia de ſacro legit) committit, quotiens vocem à debito officio ſubtrahens, priuatas quaſdam alias oratiunculas vel legit, aut alias, neſcio quas, tunc fantaſias admittit. Commune enim bonum priuato & ſingulari præferri debebit, & magis obedientia Deo, quàm victimæ placēt. 1. Reg. Hinc eſt, quod Eccleſiaſtica Sanctio in pragmatica iubet. *Nemo, dum hora in communi cantantur, legat, vel priuatim officium dicat; nam non ſolum obſequium, cui obnoxius eſt choro ſubtrahit, ſed & alios pſallentes perturbat.* Ideoque (vt illius eiuſdem Canonis commentum habet) quanquam poſſet quis eo tempore, quo diuinum officium cantatur, multas priuatim orationes dicere, aut peculiari deuotioni inſiſtere: abſtinere tunc à talibus debet, & chorum, quantum poterit, iuuare, bonum commune præferendo priuato. Vt eſt, *c. Licet de Regula.* Nam Inno. *in c. Dolentes, de celeb. Miſſ. ait. Clericus* (inquiens) *dum eſt in officijs diuinis, non debet alijs intendere, niſi circa ea, quæ dicuntur, vel cantantur.* Non igitur voces à communi choro ſunt ſubtrahendæ, ſed quilibet, ſecundum gratiam ſibi datam, fructum labiorum ſuorum cum puritate conſcientię, animique deuotione, debet Deo porrigere, vt in *Clem. de celebrand. Miſſa.* Hoc ſiquidem debitum eſt ſeruitutis clericalis penſum, vt habet *Canon diſt. 91. c. Presbyter.* Quòd qui voci ſuæ parcens non reddit, ſacrilegum vt patet furtum committit, & propheticam illam vocem extimeſcere debet, *Ego Dominus odio habens rapinam holocauſtorum.* *Secundo*, qui vocibus ſuis parcentes, à communi labore ſe ſubtrahunt, onus pſalmodiæ, & cantus ſuper alios relinquentes, valde alios *grauant*, & contra debitum fraternæ charitatis, & rectæ rationis iudicium, contraueniunt & agunt. Faciunt etenim quod ſibi fieri nolint; & contra regulas communis iuris delinquunt, quibus præcautum, *vt pares ſint in officio, qui pariter gaudent beneficio*; & vt *ſentiat onus, qui beneficium ſentit*, &c. Proinde huiuſmodi metuendum, ne dum in labore Fratrum non ſunt, nec cum illis remunerari debebunt; nec ſocij poterunt eſſe coronarum, qui non fuerunt conſortes laborum. Scriptum quippe eſt in Euangelio Matth. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Et notiſſima eſt Apoſtolica ſententia 2. Theſſ. 3. *Qui non laborat non manducet.* Et, iuxta Patrum decreta, *fraus & dolus nemini patrocinari debent.* Licebit igitur concludere, Qui cum aliis non cantat ex fraude, partem neque ſortem habere poterit in mercede. *Tertio* grauiter huiuſmodi fraudatores *Deum offendunt*, cui debitum ſui penſi ſubtrahunt. nec vitulos labiorum, quos Deò debent multiplici iure exoluunt, aut reddunt; imo (vt interim de integris vitulis taceamus) qui medullas, carnes, oſſa, pinguedinem, adipes habere deberent, id eſt, tales orationes offerre, in quibus intentio, fortitudo, attentio, deuotio eſſe deberent: (vt inſigniter ſub vitulorum comparatione, in Rhetorica ſua diuina, tractat deuotiſſimus Dominus Guilielmus Parrhiſien.) ne pelles quidem huiuſmodi vitulorum Deo offerunt, vel pilos; id eſt nec ſeries quidem ipſas verborum, aut ſtrepitus exoluũt cantus vocalis. Planè non mediocris offenſio iſta. Valdè etenim ſunt Deo iniurioſi, qui cum totum vitulum debent, nec vel pellem, aut pilos ſaltem illi tradunt. Id eſt, qui orationem medullatam, attentam, deuotam, continuam, & corde & voce perſoluere habent; & tamen nec vocali quidem ſtrepitu, ſola ipſa verba in Eccleſijs reſonare volunt; ſed tãquam in dormitorio medias matutinas, aut etiam integras dormiunt; nunquam eas poſtmodum Domino repetendo reddentes. Quis (oro) ex ſæculi Magnatibus, huiuſmodi fraudes, rapinas, ſeu iniurias à ſuis ſibi vaſallis fieri ſuſtineret? vt videlicet pro vitulis medullatis, craſſis, obeſis & impinguatis: exmedullati, excarnati, tenues, macilentiſſimi, & per omnem modum pinguedine carentes & adipe, exoſſati inſuper, & decoriati, & nec pilos etiam habentes, pelles ſibi offerrentur à debitoribus ſuis? Quid ergo mirum, ſi grauiter, vt diximus, offendatur in huiuſmodi Dominus Deus? qui *rapinam holocauſtorum* maximè odio habet, vt ait in Prophetis Eſai. 61. *Quarto* qui vocem ab Eccleſiaſtico officio tacendo defraudat, omnibus ſe fructibus diuinæ vocalis laudis & Eccleſiaſticæ orationis ſpoliat & priuat. Non enim mẽtalis oratio ſine vocali expreſſione ad ſatisfaciendum Deo & Eccleſiæ ſufficit, cùm tam voce quàm corde laudandus ſit Deus, *de conſec. diſtinct. 5. Non mediocriter:* vt infrà traditur plenius. Quia igitur Eccleſiæ non ſatisfacit, fructum reportare non poteſt. Quæ enim contra ius fiunt, pro infectis haberi debent, nec exinde fructus reportandus. Sunt autem vocalis orationis ipſius fructus plures, vt ſupra memorauimus, quorum venerandus Gerſon 12. ponit inſtar 12. fructuum ligni vitæ, & complectuntur ſub his memorabilibus carminibus,

Id eſt vita laicorum vtilis occupatio.	*dyſcolorum morum deuitatio.*	*aſſiſtentium conſolatio.*
Occupat,	euitat,	ſolans,
Pœnitentialis ſatiſfactio.	*cohabitantium regulatio.*	*voti completio.*
Sat,	regula,	complet.
Debiti redditio, & beneficiorum recompenſatio.	*totius Eccleſiæ repræſentatio.*	*malarum paſſionum refrænatio.*
Reddens,	præſentat,	frenans,
Dei collaudatio,	*Sanctarum affectionum occaſio.*	*vtilis & meritoria aſſuefactio.*
laus,	afficit,	aſſuet.

Ecce ligni vitæ duodecim, & quidem ſuauiſſimi fructus, quibus tamen omnibus defraudatur & priuatur fraudulentus ſubtractor

ſuæ

Marginal references: *Heb. 3.* — *Heb. 13.* — *Eſa. 61.* — *Pſal. 81.* — *Heb. 13.* — *Pſal. 65.* — *Apoc. 22.*

ſuæ vocis, quod non eſt iactura mediocris. *Quintò* huiuſmodi vocis ſuæ à diuina laude defraudator, non modò fur, aut ſacrilegus eſt, ſed inſuper latro, & ſpolians, & occidẽs. Hinc memorabilis Guillelmus Parrhiſien. in nobili ſuo libello, vbi calamum tinxit in corde, An non vides congregationes huiuſmodi tumultuariè orantium, & tam apertè diuino officio ſuas voces ſubtrahentium, ne dicam ſpeluncas eſſe latronum, ſed magis acies vel cuneos raptorum; qui verè fures & latrones, & contra Deum & animas ſe exhibent, & raptores, dum ſine cauſa oratoriæ militiæ ſtipendia percipiũt, & gratis illorum panem manducant, & bona eorum, vt latrones diripiunt, nihil ſuffragantes eorum animabus quorum peccata comedunt? quare & animas proprias pariter, & illorum occidunt. *Poſtremo* magno digni ſunt ſupplicio, qui ita ſe ſubtrahunt ab officio; obligati vtique ad magnas pœnas, non modo tẽporaneas, ſed vel purgatorias, aut etiam æternas. Iure ſiquidem à propina menſæ veniunt defraudandi, qui ſuas ita voces fraudant à laude diuina. imo grauiori pœnitentia, tales ſunt (iuxta pœnitentiale Beati Columbani) mulctandi; vbi poſtquam docuit diuerſitatem culparum, diuerſo pœnitentiæ medicamento ſanari debere; de huiuſmodi hoc modo ſubdit, *Quod frater, qui vocibus parcens in ſynaxi non dixerit amen, ſex percuſſionibus emendetur.* En quã diſtricta pœna pro vnius verbuli omiſſione ex pigritia. Sed & huiuſmodi vocum parcitores, dum ex propoſito, aut aſſueti mala conſuetudine, obticeſcunt in diuina laude, obligantur iuxta pleroſque doctores ad pœnam repetitionis: Poſtea grauius ſoluturi fraudatum diuinæ laudis debitum, vſque ad minimũ quadrantem, & nouiſſimum apud inferos, vt habet Euangelium Matth. 5. Horreant igitur, paueant & caueant, qui ſuis vocibus parcentes, muliebre quiddam remiſſis vocibus Balba de nare ſonant; cùm virili ſonitu Spiritusſancti voces perſonare deberent. Ita enim iubetur vndique in Sanctorum decretis. Vnde & pragmatica habet. *Et cùm pſallendi gratia ibidem* (in Choro vtique) *conuenerint, muta aut clauſa labia tenere non debent, ſed omnes præſertim qui maiori funguntur honore, in pſalmis, hymnis, & canticis Deo alacriter modulentur.* Et valdè ſuper Cantica B. Bernardus, de non parcendis vocibus aut remittendis monet: Non quod vltra vires, clamoſam vocem, quæ venarum, quę cerebri, quæ vitalium ruptiua ſit, emittãt, ſed vt quiſque pro virili ſua alacriter Deo cantet. Nec quiſpiam ſe hic excuſandum putet; quia bonam aut modulam vocem non habet; nam in templo Domini non ſolum erant vaſa aurea, ſed etiam argentea & ærea. Et in Dei organis non tantum ſunt fiſtulæ tinnulæ, paruæ, acutæ, vel ſuperacutæ; ſed etiam tubales groſſiores & magis ſonoræ, ex quarum conſonantia dulcior conſtituitur melodia. Hinc quiſque pro ſuæ vocis exigentia, ſtrenuè laborare deberet in laude diuina, & cum ſancto Dauide ex totis viribus ſubſilire, & laudare coram Archa, 1. Paral. 15. Et ſi non valeat tam dulce cantare, ſicut olor & philomela,

Oſee 4.

cantiter & laudet lugubrè, ſicut gallinæ, & paluſtres ranæ, quorum crocitatio, & cãtus coax æquè grata ſunt Deo, quia cantant ſicut illis conceſſit Deus ex natura. Quare etiam ſi quis vel raucus fuerit, vel diſſonus, non idcirco prorſus conticeſcere debet à diuinis laudibus, aut ſubtrahere ſe ab Eccleſiaſticis officiis, etſi non poterit labijs oris reſonare; debet tanto intenſius ſuſpirijs cordis ad Deum clamare. Raucus enim (vt in exemplis ſuis Cæſarius narrat) melius omnibus alijs, qui ſaccum plenum cecinerant, cantauit. Hoc ſiquidem diuinæ laudis negotium, non tam clamoſis vocibus, quam deuotis celebratur & peragitur affectibus. Nemo tamen idcirco putauerit parcendum vocibus objiciens, quod Deus magis intueatur cor, & quod illi ſufficiat bonæ voluntatis affectus; aut quod minora bona, vocalis ſcilicet cantus, per maiora bona internæ contemplationis facilè recompenſari poſſunt. Non etenim huiuſmodi (ait venerandus Gerſon) excuſatio valet, in iam ad vocale ſeruitiũ obligatis. Nec melioribus aliquibus bonum hoc debitæ ſeruitutis recompenſandum venit: vt latius in Cantichordo ſuo deducit; hoc tandem inferens, quod etiam ſi homo raperetur in tertium cælum; qui iam religioni aſtrictus eſt, & ad vocaliter laudandum obligatus, & non impleret ordinis, & religioſi ſeruitij debitum, contemplari volens, vbi vocaliter cantandum foret, raptus talis, & eiuſmodi contẽplatio nec grata Deo erunt nec ſibi vtilia; ſed opprobrioſa & proximis ſcandaloſa. *Ingratum quippe eſt Spiritui ſancto, quidquid offertur, neglecto eo quod principaliter eſt debitum.* Et qui facit quod nemo, & *ſingularis ferus eſt*, mirantur & execrantur id omnes, & nihil eſt niſi ſibi opprobrium, & aliis ſcandalum. Semper ergo & indefeſſe cum conuentu cantandum & pſallendum, niſi ſingulari ex cauſa pro maiori bono fuerit diſpenſatum: quemadmodum olim Gregorius Magnus diaconibus interdixit cantum, vt patet. Vix tamen nobis ſecundũ quoſdam iam imitanda diſpenſatio talis. Semper ergo, vt diximus, cantandum. Nec quorũdam ſcrupuloſorum more cantus intermittendus propter admiſſas aliquas diſtractiones & omiſſiones, quas putant lectitando repetendas. Cùm iuxta pleroſque Doctores, talis omiſſorum reiteratio nedum inutilis & ſuperuacua; ſed & frequenter tam ipſis quàm fratribus nociua, & prorſus (ſi præſertim conuentus pro cantando ope egeat) non neceſſaria. Super quo conſolatorius Doctor Gerſon ſcribit ita. *Perſuadendum ait omnimode eſt Religioſis, ne ſcrupulum ſtultum ſibi forment, ne aliquorum paruorum omiſſorum in horis, reiterationes facere curent; cùm talis ſcrupuloſa iteratio magis communem orationem conuentus turbaret, quam proficeret ipſa reſumpta anxia. Bona enim & pia cauſa iuuandi conuentum, excuſat quod quadam parua omiſſa non veniunt repetenda.* Sufficiant hæc de voce non defraudanda. Et ob tanta inductiua præmiſſa. O vos, *qui reminiſcimini Domini*, & eius eſtis cultui & laudibus conſecrati, *ne taceatis, & ne detis ſilentium ei*, vocem in ſuis laudibus defraudantes. Væ etenim culpæ, pa-

Pſal. 79.

Eſa. 62.

Digitized by Google

riter & pœnæ eſt, tacentibus in laude diuina.

Sextum & vltimum principaliter in Eccleſiaſtico cantu vitandum, eſt *immoderata inaltatio cantus*: Melius enim eſt *aptè* cantare, quàm *altè*; Vnde ſupra vires vox non eſt erigenda, ne in *planctum* magis erumpat, quàm in *cantum*. Nimia ſiquidem cantus altitudo, & intellectum impedit, & deuotionem extinguit, vt notat *gloſ. diſt. 21. c. Cleros*, ſuper verbo, *miſerabiliter*, vbi textus habet, *Pſalmiſtæ canant, vt excitent ad compunctionem animos audientium. Licet quidam lectores ita miſerabiliter pronunciēt, vt quoſdam ad luctum, lamentationeſq; compellant, quorum tanta & tam clara erit vox, vt quamuis longè poſitorum, aures adimpleat.* Gloſſa ait: *Miſerabiliter pronunciant, non per prauam vocem; ſed potius per altam vocem, nimiſq; ſonoram, quæ aures obtundens, impedit intellectum.* Altè apud
Eccli. 35. Deum cantat humilitas, cùm *humiliantis ſe omtio nubes penetret*, quo altitudinis vanitas non attingit. Plerumque enim (ait Hugo) qui *delectantur altitudine vocis, delectantur & elatione mentis*. Cùm tamen in hoc differt muſica Chriſti à muſica diaboli, quia hæc à voce humiliori incipit; illa à ſublimiori, dum ait, *Ponam ſedem*
Eſa. 14. *meam ad Aquilonem*, &c. Contra vero ſonat humiliter Chriſtus dicens, *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*. Et, *Beati pauperes ſpiritu*. Matth. 11. & 5. Mediocris igitur cantus ſeruandus. Nimiè etenim inaltatus cantus cerebrum turbat, venas exhaurit, eneruat vitalia, intellectum offuſcat, & impedit deuotionem, & dum nimium aſcēdit prouocat riſum. Ecce is fructus eſt immoderatæ altitudinis in cantu, qui non tam cantus dicendus eſt, quàm clamor, qui dijs gentium magis quàm Deo viuo debetur, ſicut prophetis Baal S. Helias inſultabat, vt voce clamarent maiori, 3. Reg. 18. Et dicitur in Propheiis, *Erit vobis ſicut vox ſanctificationis, & vocem dederunt ſicut in die ſolenni*. Thren. 2. Magnus coram Deo clamor, magnum deſiderium cordis, cui vocalis non
Geneſ. 18. multum placet clamor. Clamant ſiquidem Sodomitæ, clamant & piloſi, alter ad alterum,
Eſa. 34. clamant denique & condemnati in inferno, iuxta Apoc. 19. Sed huiuſmodi omnium ingratus clamor. Proinde clamores immoderatos impijs dimittamus, & nos modulatis Domino vocibus, ſine nimia inaltatione vocis Domino decantemus: quemadmodum de B. Bernardo legitur, & religioſiſſimis confratribus eius in eius geſtis, qui aiunt: Innocentius Papa Leodio rediens, Claramuallem per ſeipſum voluit viſitare: vbi à pauperibus Chriſti, non purpura & biſſo ornatis, nec cum deauratis Euangelijs occurrentibus, ſed pannoſis agminibus, ſcopuloſam baiulantibus crucem, non tumultuantium claſſicorum tonitru, non clamoſa vel iubiloſa; ſed ſuppreſſa modulatione affectuoſiſſimè ſuſceptus eſt. O notentur verba, ſignentur myſteria, & inſignia illius acta ad integrum perlegantur. Sunt enim ædificatoria multum, præſertim hic, edocentia de cantu ſupprimendo, ne nimis inaltetur, quod vitioſiſſimum cantandi genus, vt latius monſtrari poſſet. Hinc verſificator ait.

Non clames tantum, vt cogaris linquere totum

Sed hęc ſufficiant de vitiis in cantu, præſertim religioſo, vitandis. Supereſt dicendum de qualitate Eccleſiaſtici cantus. Et primum de modo pſallendi, in quo multa maxima pars officij diuini conſiſtit.

§. 4. *De qualitate religioſi cantus in pſalmis.*

Sic *pſalmum dicam nomini tuo*. Pſal. 60. Reprobatis Eccleſiaſtici cantus vitiis, videndum de qualitate religioſi cantus. Et hoc primum de pſalmodiis: Circa quas præcipuè & magis ſedulè ſonandas, Eccleſia non ſine grauibus rationibus, altero in loco tactis, die, noctuque obuerſatur. Vnde & pſalmiſtarum ſecundum quoſdam ordo erat inſtitutus, qui & pſaltriæ ſeu pſaltæ, vtique à canendis pſalmis, (vt Iſidor. & Magiſter in 4. Sententiarum ait) ſunt ſic vocati. Quorum id munus atque officium ſcribunt, pſallere Deo, modo tam dulci, iocundo, atque decoro, vt ad compunctionem excitent audientes. De cuius modi qualitate exactius inquirendum. Cuius modū quis melius & ſuccinctius diffinire poterit, quàm exercitatiſſimus in his D. Pater Bernardus? qui in hunc modum deſcribit modum iſtum. *Pſalmodiam*, inquit, *non multum protrahamus; ſed tractim rotunda & viua voce cantemus. Metrum & finem verſus ſimul intonemus, & ſimul dimittamus. Punctum vel caudam nullus teneat, ſed citò finiat. Poſt punctum & metrum, bonam pauſam faciamus. Nullus ante alios incipere, & nimis currere præſumat, aut etiam poſt alios nimium trahere, aut punctum tenere. Simul* (concludit) *cantemus, ſimul pauſemus ſemper in auſcultando.* Hæc occulatiſſimus Pater ſuper modo pſallendi. Cuius fermè ſententiam complectitur hic verſus, XVII.

Dic planè, plenè, ſimul incipe, deſine, pauſa.

De primo horum videlicet, quod pſalmodia *planè* dicenda ſit, ſine fractæ vocis curioſitate, Canonica ſtatuta habent. Planè (aiunt) pſallendum, vt nullus fractis vocibus audeat curioſitatem, vel leuitatem oſtendere; ſed plano & ſimplici modo, qui & grauitatem præferat, & deuotionem inducat, omnis cantus depromatur. Nam (vt dicitur in Speculo Monachorum) Qui quærit Deo in cantando placere, quanto planius & ſimplicius cantauerit, tanto magis ei complacebit, &c.

Secundo *plenè* pſallendum eſt, & diſtinctè, ſine ſyncopizatione, aut tranſilitione. Seruitus enim eſt clericorum (vt dicitur *diſt. 1. c. presbyt.*) qualibet die plenè perſoluere officia ſeptem horarum: de quo & etiam in *cap. dolentes*. De hac ſiquidem integritate dicit Pater Bernardus ſic. *Omnium, quæ ibi dicuntur, vſque ad vnam litteram, ſe pro certo nouerit debitorem, vel dicendi in Choro ſuo, vel audiendi in alio.* Secus, vt ferunt, omnes omiſſiones, tranſilitiones, ſyncopizationéſque dictionum & ſyllabarum colligit dæmon nomine Tytinillus, iuxta illud,

Fragmina verborum Titinillus colligit horum,
Quaq; die mille vicibus ſe ſarcinat ille.

Ratio ſiquidem multiplicis obligationis ſatis docet,

Digitized by Google

docet, quàm tanti Regis tantum officium integrè pleneque debebit perſolui. Væ væ ergo nobis ſuper omiſſionibus noſtris, quas (vt quidam Sanctorum Patrum ait) ſi Deus nobis imputare pergat, omnis caro ſalua fieri non poterit. Grauis ſe hic offerret materia, ſcrupuloſæ conquæſtionis circa capitulum *extra de cel. dolentes*, ſed non eſt huius loci elegiam texere, ſed explicare modum pſallendi, & cantus. Pſalmodia igitur planè dicatur, plenè, & perfectè: vniformiter item & diſtinctè, cum plena pauſa in medio verſus; vbi etiam cauendum, ne quis vocem protrahẽdo, caudam faciat in pauſa. Formationes nihilominus tonorum, tam in medio, quàm in fine paulo tractius, dulciterque ſunt modulandæ. Simul quoque incipiendum eſt, ſimulque (vt verſus habet) deſinendum, & pauſandum, vt ſemper grauiter pſallatur & deuotè: Iuxta quod de omnibus his memorabiles hi commonẽt verſus in Choro vtique præſcribendi,

Vos qui ſeruitis Chriſto, ſeruire ſtudete:
Vt memores ſitis, hos verſus ſæpe videte.
Et quicunque Choro Chriſti famularis honori,
Non ſis mente foro, ſed mens tua conſonet ori.
Eſto Choro totus intentus pſallere Chriſti
Laudes deuotus, cui te totum tribuiſti.

Igitur ô choraula & pſaltria Chriſti, nota ſequentes verſus,

Cum Domino pſalles, pſallendo tu tria ſerues,
Dirige cor ſurſum, bene profer, reſpice ſenſum.
In templo vanum fuge cantum, dilige planum.
Non clames tantum, vt cogaris linquere totum.
Pſallite deuotè, diſtinctè, metra tenete.
Vocibus eſtote concordes, vana cauete.
Nunquam poſterior verſus prius incipiatur,
Quàm ſit anterior, perfecto fine fruatur.
Qui Pſalmos reſecat, qui verba Dauidica curtat,
Nil plus inde feret, quàm ſi ſua lingua taceret.

Hæc tãtiſper ſufficiat dixiſſe ſuper modo pſallendi, de quo ita in ſumma antiqua, Canonica decreta habent. Pſalmi (inquiunt) non curſim, aut excelſis, inordinatiſve vocibus dicantur; ſed planè atque dilucidè, & diſtinctè, cum cordis compunctione recitentur. Iuxta quod & in Regula ſua commonet D. Hieronymus, dicens, ſic diſtinctè & alternatim, pſalmi, lectioneſque ſacræ proferantur, vt ob colliſiones & hiatus, ac barbariſmos, ad indignationem non prouocentur Angelici ſpiritus. &c. Sic itaque pſallendum ſapienter.
Pſal. 46. Sic pſalmi dicendi nomini Dei. Nunc ſuper
Pſal. 60. reliquo modo cantus agendum.

§. 5. De reliquo modo cantus.

XVIII. ET *ſtare fecit cantores contra altare: Et in ſono eorum dulces fecit modos.* Eccli. 47. In reliquo Eccleſiaſtico cantu poterit is modus obſeruari, & practica cantus, vt ſit cantatio talis,

Plana, modus, pauſans, fortis, dulcis, vigil, aptus.

PRIMO omnium ipſa religio Eccleſiaſtici cantus requirit, vt cantio ipſa plana ſit & ſimplex, contra omnem curioſitatem: Quippe magis cordis attentione, quàm vocis curioſa modulatione Deo eſt cantandum, vt dicitur *92. diſt. c. 1. Et 3. diſt. pſalmiſta.* Apoſtolus Eph. 5. *Cantantes & pſallentes in cordibus veſtris.* Hinc etiam iuſſit Ioannes Papa XXII. quod planus eſſet Eccleſiaſticus cantus, omiſſis hocquetis, breuibus & minimis, quibus offuſcantur Eccleſiaſticæ grauitatis toni & cantus, vt patet in extrauaganti eius.

SECVNDO, *modeſta* ſit Eccleſiaſtica cantio, & moderata, non tumultuaris præcipitata; nec more teſtudineo morata, & protracta nimis. Id enim ars ipſa muſices maximè requirit, id exigit religio ſacra, vt modus ſcilicet habeatur in ipſo Eccleſiaſtico cantu, tam in imponendo, quàm in proſequendo. Quo ita videlicet moderetur intonatio, impoſitioque cantus ipſius, vt omnibus congruat, ne baſſa nimium ſit, & nimis alta. Quæ cura cantoribus maximè incumbit, vt patet. Requiritur dein & in proſecutione modus, ne, vt diximus, vel acceleretur, aut protrahatur nimis; ſed proportionato metro ſit moderatus. Aliàs ſi protractior iuſto ſit, tædium inducit, fel immiſcens in eſcam deuotionis: Aut notam ſæcularitatis & irreligioſitatis, ſi citatus nimis. Sit itaque (vt D. Hieronymus monet) cantus temperatus & moderatus, omnis ſic moroſitas, ſic velocitas teneatur in modo, quod nec faſtidium mentis, nec impeditio linguæ poſſit ſuboriri. Muſica ſiquidem ſcientia Arithmeticæ ſubalternata eſt, imò maximè menſuram requirens: Quippe cuius ſubiectum numeroſa eſt proportio vocis; Cum proportione itaque, & menſurato modo modulandus eſt cantus omnis; in quo præcipua conſiſtit laus cantus, vt de cælorum concentu, Angelorumque, & cælitũm Virginum harmonia, legendæ Vincentij & Agnetis habent, quod modulatis vocibus perſonabant.

TERTIO, ſit religioſa cantatio, *pauſis diſtincta*, & reſpirationibus. Ne tumultuaria ſit, & ſæcularis nimis. Vera ſiquidem, & menſurabilis muſica pauſas ſibi menſuratas requirit, quæ ſunt menſuratum ſilentium vocis, aut metrum reſpirandi: Quale quiddam putant quidam diapſalmata fuiſſe apud Hebræos; Quæ perneceſſariæ ſunt, tam pro recreando ſpiritu, quàm etiam pro exornatione cantus ipſius, vt muſicus Guido docet; tria decernens eſſe debere in harmonia, & pro ornatu cantus, Phthongos, Neumata, & pro reſpirando Tomos, ſeu diſtinctiones. Quod ipſum etiam modus ipſe exigit Religionis, vt à ſæculari tumultuatione diſtinguatur: Exactiſſimæ ergo huiuſmodi pauſæ aſſignatæ in libris, obſeruandæ ſunt, vt conſtitutio etiam iubet Baſilienſ.

QVARTO, *Fortis* eſſe debet, & virilis vox Eccleſiaſtici cantoris, contra quoſdam, qui cantant ita infirmiter, & muliebriter, & remiſsè, quaſi nihil ſpectaret ad eos, de quibus poterit dici illud Sapientiæ Prou. 26. *Si ſubmiſerit vocem ſuam, non credas ei.* Quidam etenim quaſi febriculas habentes oſcitant, & os vẽto replent, dũ laude Domini os replere deberẽt. Et vix labia diſſoluunt, barbarum quiddam,

inter

Digitized by Google

inter ſerratos dentes fremendo, cum in omni virtute coram domino, cum Dauide, laudē debeant, & canere fortiter, & clare, iuxta dies iuuentutis. (E ccle. 34) Iuxta quod ſcribitur, *Confitemini illi in voce labiorū veſtrorum.* Alij etiam adeo remiſſis, & confractis vocibus pſallunt, vt mulieres magis, quam viri appareant, ex voce effæminata; & ſic vox eorum *quaſi vox Pythonis de terra,* vt dicitur Eſa. (Eſa 29.) Contra quos omnes dicitur, (Pſ. 97.) *Pſallite in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ:* Quæ inſtrumenta non ſonum mollem, & remiſſum; ſed fortem, & virilem habent. Rurſum, Eſa. 38. *Quaſi tuba exalta vocem tuam, exalta, & noli timere;* vt laudetur Deus Iſrael cum Leuitis, *voce magna in excelſum.* Strenue itaq; peragantur diuinæ laudes. Et (vt B. Pater Clareuallen. monet) *ſicut reuerenter, ita & alacriter domino aſſiſtatur, non pigre, nō ſomnolenter, non oſcitantes, non parcentes vocibus, non fractis, & remiſſis, muliebre quiddam balba, de nare ſonantes, ſed fortiter, & virili, vt dignum eſt ſonitu, & affectu voces Sancti ſpiritus depromantur,* vt iuxta Eſaiam, (Eſa. 30.) ſit *vox quaſi vox ſanctificationis.* (Pſ. 58.) diuinæ ſiquidē laudi fortitudo noſtra cuſtodiri debet.

QVINTO dulcis ſit Eccleſiaſtica cantio, & cū quadē harmonia: non aſinino more agreſtis, & rudis, vt ſcilicet iuxta Ezechielē, ſuaui dulciq; ſonitu perſonetur. (Ezech. 33) Et, vt Michæas monet, (Mich. 2.) *cantetur canticum cum ſuauitate.* Contra pleroſque, qui ita ruditer, & inepte canūt, imò potius ſonant, audiunt, vt parum ab aſinorum ruditu differant. Quorum laudatio Deo, nec (Pſ. 146.) iocunda eſt, nec decora: diſplicens magis, ſcandalo hominibus, & dæmonibus ridiculoſa. Dæmon q ſiquidē irriſit ruditer incompoſite, & inconditis vocibus pſallentes, vt ſub exemplo narrat Ioannes Vallen. Debent itaque cātores, quos cōtra Altare ſuum iuſſit ſtare Deus (1. Para. 6.) in ſono cantus diuini, dulces facere modos; Sicut in Extrauagāti ſua iubet Ioannes XXII, dicens, *Docta decreuit Sanctorum Patrum auctoritas, vt in diuinæ laudis officijs cunctorū mens inuigilet, ſermo non ceſpitet, & modeſta pſallentiū grauitas placida modulatione decantet. Nam in ore eorum dulcis reſonabat ſonus: Dum & Deum corde reſpiciunt, & verbis alloquuntur, & in ipſis quoque cantibus deuotionem accendūt. Quare cōcinnè ſemper, & dulciter, & cum quadam harmonica melodia formandus eſt notarum tonus, & ad dulcedinem quandam inflectendus ſonitus vocis, vt dum auditum foris demulcet, deuotionem intus proueheat, & pſallentium, ſeu audientium animos torpere non ſinat.*

MINVS ergo rectè agunt quidam agreſtes, & crudi, & rudes homines, qui ſub prætextu vitandæ, vt aiunt, curioſitatis, totius melodiæ incurij, inconditis ſolum, & aſininis clamoribus aures opplent, & quo cantus altius aſcendit, eo fortius iſti rudunt, neſciētes quod illic tunc vox ad placidiorem dulcedinem, & melodiam inflectenda veniret, vt cum quadā delectatione in aures, & cantantium, pariter, & audientium reſultaret. Nec enim vt rudes iſti, pro aſinino capite putant, delectatio abſolute vetita eſt in cantu, imò & meritorie delectari licet: Alioquin Pſ. non diceret, (Pſ. 36.) *Delectare in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Nec enim (vt exercitatiſſimus ille Guilhelmus Pariſien. ait) nullo leuiori, ſiue faciliori pretio, exauditio precum à miſeratore Deo obtineri poteſt, quam delectando in domino, & ſeruitio eius. (Pſ. 36.) Talis ſiquidem delectatio ſignum eſt acquiſiti cuiuſdam habitus, operantem in operatione conſetuans (vt Gerſon quodā in loco deducit) & acceptabile reddens Deo ſacrificium laudis, *qui hilarem,* non triſtem *datorē,* & ſeruitutem inquirit, volens in lætitia exultante, (1. Cor 9.) & gaudio cordis ſibi ſeruiri à ſuis Quippe cuius gaudium eſt fortitudo noſtra, & lætitia noſtra ſpiritualis, (Pſ 99 Neem. 8.) ad quam toties commonet in ſcripturis; tamen ſyncera, & caſta ſit, humilitati, & pietati adiuncta delectatio, & lætitia hæc ſine inſolentia elationis. Cum & de pleriſque id Sanctis legitur, vtpotè de Beatiſſimo P. Auguſt. (vt ex 9. pater confeſſionum) & de Sancto Malachia teſtatur D. Bernardus, quod in ipſo cantu pſallentium Fratrum, plurimum ſeſe dicebat oblectatum. Non quod illic delectatio ſiſtebatur; ſed ex eo initians transferebatur in verborū ſenſum: aut ſaltem in aliquem affectum pietatis. Pro cuius exuſcitatione, permittitur (iuxta decretalem Apoſtolicā) interdum fieri quædā conſonantia muſicalis, ſemota tamen (vt ſupra monitū eſt) nimia curioſitate. Et quid mirū ſi oblectati ſint Sancti in ſuauitate compoſiti cantus? Cum & Deus ipſe in Canticis tantopere petat, (Cant. 2.) vt ſponſæ vox ſonet in auribus ſuis, eo quod vox eius dulcis: accepta vtique, & grata in ſuis auribus, & delectabilis. Ita ergo vt Hieronym. monet, ſit temperatus, quietus, ſuauiſque ſonus in vocibus, vt nulla pompa delectatione carnalis locum habeat in diuinis præconijs; ſed exuſcitetur deuotio; & compunctio mentis, quæ finis ſunt instituti cantus. (Iron. 5. Eſa 58.) Dulciter igitur pſalmus, vt delectemur in domino, & in laudibus eius.

SEXTO ſit ipſa Eccleſiaſtica cantio *vigil, alacris,* plena, & integra, ſine torpore, & ſyncopis. Quatum *primum* contra eos, qui dormitāt, aut ſegnes ſunt ſub diuinis laudibus; *Alterū* contra eos, qui truncè, & imperfectè reſonāt voces Sancti Spiritus, nimium ſyncopantes. De dormiticuloſis loquitur B. Bernardus dicens, *Res abſurda nimis; peruigil es ad fabulas, ſomnolentus ad cantus, & vigilias.* Qui & ſuper cantica ait, *Pſallentibus dignanter admiſceri Sancti Angeli ſolent, Doleo proinde aliquos veſtrum, grauis in vigilijs ſomno deprimi, nec celi ciues revereri: ſed in præſentia Sanctorum Principū,* (Pſ. 137.) *tanquam mortuos apparere, cum veſtra ipſi alacritate permoti, veſtris intereſſe ſolemnijs, imò & preuenire delectentur.* Pſallamus ergo vigilanter Domino in vociferatione, (Pſ. 32.) quod non dormitantium, ſed vigilantium eſt; à ſomno excutientes noſipſos more gallorum cantatorum, vnde latius ſupra. Sit deinde etiam cantio ipſa *alacris, ſtrenua, & viuax.* contra ſegnitiem omnem, & omnem moroſitatem pigram: ne limacum more lentius cantetur, ſeu tarde nimis, ſed alacriter ſtrenue, & modeſta alacritate, obſeruatis tamen cantandi proportionalibus

moculis, & pauſis conſtitutis ſemper. Sic etenim frequentiſſime ſcriptura iubet; vt in toto
Ioſ. 22. 24. corde, & ex omnibus viribus Domino Deo
1. Reg. 7. 12. ſeruiatur. Nihil quoque cantandorum, ſeu legendorum truncetur, ſupprimatur, aut ſyn-
1. Par. 28. copetur; ſed plenè, perfectè, & integrè cantanda canantur, vt integra reddamus vota, de
Pſ. 60. die in diem. Et non exoſſari, aut excoriari ſoluantur vituli labiorum; in *gratia cantantes*, vt
Heb. 13. iubet Apoſtolus, *in cordibus noſtris*, vt latius hortatum eſt ſupra.

POSTREMO debet eſſe cantus Religioſus appoſitus temporibus, & circumſtantijs accommodatus, vt ſcilicet pro temporum, & rerum qualitate cantetur. Aliter enim feſtis, & aliter feriatis cantandum diebus, vt Pragmatica notat, & antiqua Patrum decreta; Hoc ſiquidem Primicerij Officium, munuſque eſt, (vt dicitur *diſt. 25. c. Perlectis*) vt ab illo ordinetur ordo, modusq; canendi in Choro, pro temporū congruentia, & ſolennitate dierum. Id ſiquidē ratio dictat, vt in ſolemnioribus celebrius: ſimplicius autem, & demiſſius in Ferialibus cantetur. Tunc etenim Altiſſimo do-
Pſal. 67. mino cantati licebit, exclamare in voce forti,
2. Par. 7. 30 & magna tunc voci vox addenda virtutis, & in fortitudine vox in ſublime ferenda, vt de Leuitis legitur, & vocibus Angelorum, & Sanctorum Seraphin, vt dicit Eſa. 6. quod tota
Eſa. 6. virtute clamitabant, adeo vt *commouerentur ſuper liminaria cardinum*, à voce clamorum eorum. Et de hoſtibus Iſrael, quod, *Vocem de-*
Thre. 2. *derunt in domo domini ſicut in die ſolenni.* Nam licet ſupra improbauerimus exceſſum nimij clamoris; non tamen vetitum eſt, quin pro tēporum ſolennitate, feſtiuius ſit canendum: Cū
Io. 7. etiam legamus dominum *clamaſſe in die Feſtiuitatis magnæ*, & plerique Pſalmi *ad victoriam* prænotantur, vtriq; cantorū conclamantiū ad palmam; & totiens ad hoc ſcriptura, & ſanctorum exempla ad id inuitent. Multa itaq; obſeruantia tenendū, vt pro temporum exigentia apposite cantetur.

QVÆ etiā appoſitio cantus, id exigit & requirit, vt nō modo pro ratione temporū; ſed etiam *pro rerum, & materiarum qualitate*, vel accelerantius, ſeu tractius, depreſſius, vel ſublimius canantur cantanda, vt notat Magiſter Humbertus. Sic iuxta Canonica inſtituta, Canonicarum horarum initia, moderatius, & humiliori tono dicenda; Hymni lætiori, & modulo alacriori; Cantica vero Euangelica præ cæteris modeſtiori grauitate, & deuotiori modo concinenda. Sic etiam introitus Miſſarum, *Kyrie eleiſon, Gloria in excelſis Sanctus, & Agnus Dei*, maieſtatem ſibi requirunt, & pronunciationem moroſiorem. Vbi alia pedeſtri modo, aut ſub mediocritate veniunt canenda. Prolixi foret operis perſequi per ſingula, ſingulorum rationes, quas ſtudioſis relinquimus perſcrutandas. Hoc vnico adiecto, quod cantus appoſitio id in ſumma requirit, vt apte omnia, & cum quadam diligentia, & artis ſtudioſitate cantentur. Sonare ſiquidem incompoſite, rudi ter, & inconcinne, non cantare eſt; ſed vel rudere, aut barrire, quales vix ad Eccleſiaſticum officium admittendi, vt Concilium Aquenſe decreuit.

Vt autē præfatus canendi modus obſeruetur; cantorū atque præcentorum curæ, & diligentiæ incumbit. De quorū qualitate, & munere, ita vetuſta B. Patris Aug. ſtatuta trādunt *Studendū* (inquiunt) *ſummopere cantoribus eſt, ne donum ſibi diuinitus collatum, vitijs fœdent, ſed potius virtute exornent: Quorum melodia populos, non ſolum ſublimitate verborum; ſed etiam ſuauitate ſonorum, ad cæleſtia erigant.* Cantorem autem, ſicut traditum eſt à Patribus, & voce, & arte præclarum, illuſtremque eſſe oportebit. Prouidendum igitur eſt illis, quando temperate, quàndo ſubnixiè diuinum peragatur officium ſecundum numerum Clericorū, & officij qualitatē. Hi vero qui huius artis minus capaces ſunt, donec plenius erudiantur, melius conuenit, vt ſileant, quam diſſonent in cantando. Vbi & alia plæraque traduntur præcepta cantus religioſi, & quanta diligentiā cantoratus officium exequendum, quæ conſulto præterimus; Fuimus enim plus quam ſatis prolixiores: vnde hæc ſufficiant ſuper modo religioſi cantus, qui exactiſſime obſeruandus. Corde tamen magis, quam voce Deo cantandum meminerimus, iuxta præceptum Canonis diſt 92. licet. Et ſpiritu pariter, & mē-
te pſallendum monet vt Apoſtolus, Angelorū *1. Cor. 14*
aſſociemur concentibus. Amen.

MEMBRVM. III.

De modo in Eccleſia legendi.

L*Egerunt in Libris Legis diſtinctè, & apertè* XX
ad intelligendum: Et intellexerunt cum legerent, *a Eſd. 8.*
& aures omnis populi erant erecta ad Librū; Flebat autem omnis populus, cum audiret verba legis.

DICTO de modo cantandi, breuiter eſt aliquid ſuper modo in Eccleſia legendi annotandum; Nec enim minores errores circa lecturam ſacrorum deprehendimus in hoc Chriſtianiſſimo regno (quod nunquam monſtra progignere, ſed fons. & origo totius Chriſtianiſmi eſſe ſolet) quàm in cantu ipſo: Et hoc tam ex parte ipſorum legentium, ſeu lectorum; legendorum item; quam & ex parte modi pronuntiationis, ſeu lectitandi. Paucis ſingula percurram.

§ 1. *De abuſibus circa lectores & lectiones vitandas.*

DE lectoribus ſatis palam conſtat, quanta obſeruantia priſcis temporibus habebatur, & in veteri pariter, & nouo inſtrumento. Nec enim ſine graui cauſa, Lectoratus vnus eſt de ordinibus Eccleſiaſticis, à Patribus conſtitutus. Nec ita paſſim ad legendū in eccleſia admittebantur omnes (vt de Eſdra, & lectoribus vetuſtis taceamus) ſed hi tantum, qui & voce idonei, & in legendi arte erant periti; qui ita legere poterant diſtinctè, & apertè, vt ædificarent audientes, compunctionemq; prouocarent cordis, in animis auditorum; quemadmodum in themate eſt præmiſſum, vt plenius

tra-

traditur. *diſt. 21. c. Clericos.* Et in quarto ſenten. diſ. 24. Vbi & qualitas, & officium plane deſcribitur lectorum, ſub horum verborum tenore.

Secundus eſt gradus lectorum; lectores à legendo, ſicut pſalmiſtæ à pſalmis canendis vocati ſunt. Illi enim prædicant populis quid ſequantur? Illi cantant, vt excitent ad compunctionem animos audientium. Licet quidam lectores ita miſerabiliter pronuncient, vt quoſdam ad luctum lamentationemque compellant. Ad quos pertinet, vt ex officio in eccleſia legant prophetias, & lectiones. Vnde & eis vidente populo traditur ab Epiſcopo, codex diuinarum lectionum: & dicitur ſingulis. Accipe, & eſto verbi Dei relator, habiturus (ſi fideliter impleueris officium) partem cum his, qui verbum Dei bene miniſtrauerunt &c. Nec ſub aureis illis primitiuæ eccleſiæ ſeculis, ad publice legendum admittebantur, niſi qui ordinem ſuſceperant lectoratus. Patet hoc ex decreto ſancti Martini Papæ. *di. 92* Vbi in concilio conſtitutum, Non liceat in pulpito pſallere, aut legere; niſi illis qui ab Epiſcopo ſunt ordinati lectores. Nec ad ordinem hunc admittebantur; niſi idonei, & plenè examinati in conditionibus, quas Iſidorus ponit 6. Ethymol. & Magiſter in quarto adducit ſub his verbis. *Qui ad lectoratus gradum promouetur, litterarum ſcientia debet eſſe inſtructus, & ſenſum verborum intelligat, vim accentuum ſciat, diſtincte legat; ne confuſione prolationis, intellectum auditoribus auferat. Attendat quid indicatiuè, quid interrogatiuè ſit legendum; vbi ſit in oratione facienda diſtinctio. Hæc enim male ſeruata, intellectum turbant, & alios ad riſum prouocant. Auribus etenim, & cordi, conſulere debet vox lectoris. Quod officiũ Chriſtus* Luca 4. *impleuit cum in medio Seniorũ librũ Eſaiæ aperiens* Eſa. 61. *legit Spiritus Domini ſuper me* Ex quo lectoribus datur intelligi, quod gratia ſpirituali clarere debent, qui alijs verbum Dei annunciant, & non niſi qui fuerint in id miſſi, & ad hoc idonei iudicati. Vnde & in cænobitali Regula conſtituit Pater Monachorum Benedictus dicens, *Cantare, aut legere non præſumat; niſi qui poteſt ipſum officium implere, vt ædificentur audientes. Quod cum omni humilitate, & grauitate, ac tremore faciat, & cui iuſſerit Abbas.* Qui & in capitulo de lectoribus Menſæ iubet, *Fratres,* inquiens, *non per ordinem legant; ſed qui ædificent audientes.* De quibus etiam in Sanctorum Patrum Canonibus erat conſtitutum: vt nemo in Eccleſia legeret, niſi prius ab Archidiacono, ſeu etiam ab Epiſcopo ipſo auſcultatus: vt Toletanum conſilium iuſſit. *Et extra de officio Archidiac. c. officium,* habet, *Omne eccleſiaſticum officium prouidendo, lectiones & reſponſa dare debet.* Et iterum, *vt nullus Euangelium, aut Epiſtolam, Reſponſorium, vel quamlibet in eccleſia lectionem legat, vel cantet, donec auſcultetur ab Epiſcopo.* Vt latius id dominus Vmbertus in de clauſtralibus officijs: Et in Summa de officio cantorum, & Primiceriorum explicat dominus Antonius. Sed iam ſub hac tempeſtate, & in hoc Regno, præter aliarum prouinciarum morem, vnuſquiſque hanc legendi prouinciam ſibi præſumit. Et (vt Ethnicus ait) Legunt pariter docti, & indocti; non poemata; ſed etiam epiſtolares ſacras lectiones paſſim. Quod quantum dedecens, & ſacris Canonibus aduerſum ſit, & prorſus non ferendum, vtcunque patet ex adductis. Nemo etenim hunc honorem ſibi aſſumeret, niſi à Deo tanquam Aaron vocatus, idoneus, & in id ordinatus, Ecce error, & abuſus circa lectores. Heb 5.

Quo multo tamen amplior, & grauior inoleuit abuſus circa lectiones ipſas, & legenda, Iampridem ſub graui decreto, conſtituerant in publicis ſeſſionibus Patres ſacri, Nihil Apocryphum, nihilque non probatum in ſacris officijs admittendum: Vt patet in Gelaſiano decreto *diſt. 15. c. Sacra Roma.* Vbi etiam præclara quædam ſanctorum Martyrum geſta refutans, ideo dicit ea, ſecundũ antiquam auctoritatem, vel conſuetudinem ſingulari cautela in Sancta Romana Eccleſia legi non debere, quia aut eorum, qui ſcripſerunt, nomina penitus ignorantur; & ab infidelibus, aut dictis ſuperflua, aut minus aptè, quam rei ordo fuerit, ſcripta eſſe putantur. Inſinuans nimirum, & volens, Eccleſiaſtica officia electiſſima, & vltra omnia pura, clara, facilia, & abſque hæſitatione probatiſſima, certiſſimaque eſſe debere, vt in Epiſtola ad Artematen. deducit cæleſtis fiſtula. Bernard. Cum nil etiam vitioſum, gregarium, aut ſcabrum in holocauſtomatibus ſuis, ſibi permiſerit offerri Deus, vt patet ex ſupra notatis. Leuit. 1. 2. Sed videantur (vt cætera tranſeamus) pleraque lectionalia Regni huius, horror eſt, quam Apocryphis, & impuritatibus, ne dixerim mendacijs, & falſitatibus ſordent. Cum tamen celebratiſſimi eiuſdem Chriſtianiſſimi Regni Primores, Principes, & Reges, magno & probando, & prorſus admirando ſtudio pietatis, Pipinus videlicet, Karolomanus, Magnus Karolus, & Ludouicus pius, corruptelis omnibus abraſis, caſtiſſima, & terſiſſima omnia, eorum temporibus reddiderint, & ad puritatem primariam, caſtigata, quæ neceſſaria erant pro vſu Eccleſiaſtico, & officio diuino vt ex chronicis Sigisberti, & antiquis monimentis, & Regum ipſorum præmiſſis prologis patet, præſertim ex celebri illa Karolina, quam præſcribit lectionalibus Pauli Diaconi Longobardi, vbi commemorat, non modo nocturnalis officij lectiones, ex infinito vitiorum anfractibus, quibus ſcatebant, reformatas; ſed & vniuerſos veteris ac noui teſtamenti Libros, graui Librariorum vitio deprauatos, examuſſim ſe correxiſſe, & breuiter reparaſſe, & abraſiſſe corruptelas, & mendas totius diuini officij in ſerie lectionum: prouocatus, & accenſus, vt ait, venerandæ memoriæ Pipinni genitoris ſui exemplis, qui totas Galliarum Eccleſias Romanæ traditionis cantibus decorarat. Non ſunt paſſi in eorum diebus (vt de Patre; & ſeipſo proſequitur) inter ſacra Officia inconſonantes perſtrepere ſolecíſmos, aut quippiã eccleſiaſticæ grauitati indignum vt latius hæc oſtendimus. in Apologetico

Canonico officij noſtri. Notiſſimum eſt, & percelebre dictum illud Patris Auguſt. quod & tranſſumptum eſt 9. diſt. in decretis. Si ad Scripturas ſanctas, admiſſa fuerint, vel mendacia officioſa, nihil in illis ſubſiſtere ponderis vltra, nihil auctoritatis. Scitum eſt, & illud Hieronymianum. Caueas omnia apocripha, & eorum dumtaxat tractatus lege, quorum fides nota eſt, & pietas indubitata. Cũ & hoc iterata ſeſſione decreuerat, famoſũ illud Cõcilium Aphricanum, & tertium, pariter, & octauum quorum vtrique Pater Auguſt. interfuit, & alij 214. Patres Orthodoxi, vt nullæ preces, orationes, ſeu lectiones dicerentur, niſi in Conſilio fuerint probatæ. Hinc & in regula ſua omnium iuſtorum ſpiritu plenus, iuſſit Pater Benedic. Nihil legendum in vigilijs, niſi codices diuinæ auctoritatis, & expoſitiones earũ, quæ à nominatiſſimis doctorib⁹ Orthodoxiſque, & Catholicis Patribus factæ ſunt. Vt itidem etiam in ſuis vſibus præcepit Sanctus Bernard. Deſcribens in vna Epiſtolarum: Qualia oportebit eſſe, quæ in audientiam Eccleſiæ venire debent, in ſolennitate celebri, & Eccleſiaſtico cultu. Vtique vt ait, non nouella illic audire decet, & leuia; ſed certa, authentica, & antiqua, quæ & Eccleſiam ædificent, & Eccleſiaſticã redoleant grauitatem. Quod ſi noua audire libet, & cauſa requirat, ea recipienda ait, cenſuerim, quæ cordibus audientium, quo gratiora, eo vtiliora reddat, & eloquij dignitas pariter, & auctoris. Quorum ſenſa indubitatam reſplendeant veritatem, ſonent iuſtitiam, humilitatem ſuadeant, doceant æquitatem, quæ etiam lumen veritatis mentibus pariant, formam moribus, crucem vitijs, affectibus deuotionem, ſenſibus diſciplinam: Procul igitur procul apocrypha omnia abſuntote indigna Eccleſiaſtica grauitate, vt plenius deducendum foret, niſi ad intentum principale, propoſita breuitas cogeret accelerandum. De modo ſcilicet ipſo legendi Abunde ſiquidem in altero illo commemorato apologetico opere, oſtenſum eſt, quam vitanda apocripha omnia, & quare: Et quam talibus ſcateant, ferme libri eccleſiaſtici officij omnes, & quod corruptiſſimi ſint, & mendis referti, quantaque prouidentia in ſententijs, pariter & verbis, in caracteribus, ſimul & diſtinctionibus, veniret neceſſario caſtigandi, & quod non paſſim pro libito cuiuſlibet, prouincia illa tentanda foret,* ne tunica domini

Io. 19. Saluatoris (quæ ſcripturam ſacram, vt Caſſiodorus ait, figurauit) quam nec truculentis militibus ſcindere licuit, lectoribus ſubiaceat iugulanda imperitis, vt pura audiat Spiritusſanctus, ſynceriſſima quæ donauit, recipiat integra, quæ contulit illibata, & iuxta

1. Tim. 4. Apoſtolicum inſtitutum, deuitentur vaniloquia, aniles fabulæ, & ineptæ profanæque vocum nouitates omnes. Qualibus heu heu aſperſi ſunt libri lectionales, vt prolixius eſſet deductu, vt & ibi ſupra vtcunque oſtenſum eſt, & monſtratum: Ad rem itaque noſtram deueniendum: Et paucis modus ipſe legendi eccleſiaſticus demonſtrandus, cum circum illum non inferior, aut minor error eſt, quam circa alia duo. Ita enim miſerabiliter, vt decretum habet, & ſententię magiſtrales, imò vt res ipſa palam eſt, quidam lectores pronunciant, vt quoſdam ad luctum, lamentationeſque compellant, dum ad compunctionem audientiũ animos excitare deberent.

§ 2. *De modo bene legendi in Eccleſia.*

QVod vt fieri poſſit, modus iſte legendi breuiter, obſeruandus venit. XXII.

Apte, correctè, modicè, diſtingue, ſcienter.

Prolixioris operis eſſet, & præter intentam compendij breuitatem, ſingula hæc proſequi, & explicare ad plenum Sed occaſionem ſaltem ſtudioſis lectoribus, noſtro more afferamus, quo ex minimis cogitent latiora. PRIMO itaque omnium, *apte* legere debent eccleſiaſtici lectores, *Cum acceptus ſit Regi miniſter intelligens, & aptus.* (Prouer. 14) Aptitudo autem iſta, complectitur omnia illa Rhetoricalia præcepta, quæ de ratione dicendi, & oratoria pronunciatione, latiſſimè tradunt homines, & magiſtri artis illius; quæ ex illorum libris, & officina inquiri poterunt, & videri. Iidem etenim ipſi, qui lectores etiam, & pronunciatores, teſte Iſidor. diſt. 21. vocantur, quaſi præ & ante nunciatores, (Ethim.) vt in 24. diſt. Magiſter in ſententijs ait, eo quod tam clara eorum vox eſſe debet, & pronunciatio apta, vt ab omnibus capi poſſint, & etiam à longe poſitis intelligi, & audiri. Præcipua ergo, & prima ſtudioſo lectori cura, de apta pronunciatione eſſe debet: Magnam namque vim, atque dignitatem grandem in lectura pronunciatio, ſi recte fiet, habet; adeo vt abſque ea, elegans etiam oratio, ſurdaſtra eſt, inſipida, & parum valens. Eſt autem pronunciatio (ne ex ignotis procedamus) debita geſtus, & vocis ad dicendũ, legendumue commoderatio. (Pronunciatio quid.) De geſtu tantiſper ſufficiat commonuiſſe lectores ſacros, vt grauis ſit, & vultu modeſto, manus immobiles, compoſiti pedes, nec leuium hiſtrionum inſtar geſticulantes, in populo ſiquidem graui, & cum decora grauitate eſt laudandus Deus, (Pſ 34.) & ſonandæ Spiritusſancti ſacratæ voces. Pronunciationis igitur aptitudo in genere, & quo ad geſtum, & vocis prolationem, iſta requirit, quorum aliqua præcedentia, quædam concomitantia, alia ſubſequentia ſunt, vt patet,

Sit præuiſa, decenſque, virilis, dulcis, adequans.

Primum, & præuium, vt quis aptè pronunciando legat eſt, quod legenda *ante præuidere* debet: Sic etenim Toletanum Concilium conſtituerat, vt omnis lecturus aliquam lectionem, prius, vel ab Archidiacono, imò ab Epiſcopo ipſo auſcultaretur, vt patet ex textibus ſupra allegatis. Quod etiam ipſum Archidiaconis ſeu Primicerijs canon ſacer iniunxit, vt patet. Hinc etiam in cænobitali Regula Pater Benedic. præcepit: *Nec fortuito caſu, qui arripuerit codicẽ, ibi legere audeat, ſed lecturus dominica ingrediatur* prouiſ⁹, ſcil. & prędiſpoſitus XXIII.

vt

vt de Turrecremata ſuper hoc verbo in Commentario notat, de legendis; Ne male legens, aut male pronuncians, aut in pauſis, vel accentu deficiens, non modo audientes non ędificet; ſed conturbet, aut in riſum prouocet, aut incitet ad murmurationem. Hinc etiam Canonica inſtituta iubent, *Debet*(aiunt) *lector preuidere Libros, in quibus eſt legendum, & loca vbi incipiendum, ne qua in conuentu confuſio fiat. Præpropera etenim, præcipitata, aut lectio* (vt dicunt) *extemporalis, raro ædificat auditores.* Nec prouiſionem hanc, etiam eruditiores quique, & qui ſibi ſcioli videntur, dedignari debebunt: cum legamus Oratorios etiam principes Marcum Tullium, Demoſthenē, Quintilianū, totius elegantis eloquentiæ fontes, priuſquā in publico perorarent, ante ſe præexercitaſſe, & in ſecreto præuidiſſe, & quo ad geſtum, & modum pronunciationis. Inde eſt, quod eccleſia conſtituit, quod non, niſi expoſtulata benedictione, conſcenter lector ad anologiū lecturus procedat. Et pro antiquo more, ſolennis ſuper hebdomadariū lectorem, oratio fieri conſueuit. Ad hanc præuiſionē etiam illud legendi præceptum ſpectat, quod canonica inſtituta tradunt, Vt, videlicet, lectiones lecturi tempeſtiuè ad lectorium pulpitum, ſeu analogium vadant. Nec tamen mox data benedictione, tumultuario, & quaſi improuide incipiant; ſed quaſi prouideant, donec reſidentiū ſtrepitus, ſeu tumultus conquieſcat. Vnde & oratorium pręceptum habet: *Dicendum, legendumue dum erit, non protinus eſt incipiendum; ſed danda breui cogitationi mora.* Mire etenim auditorem, lecturi ſeu dicturi cura delectat, vt protinus aliquid ſpatij ſit, ad præuidendum. Cauendum tamen ne cunctatio hæc in publico productior, imperitiæ notam conquirat; ſed velut expectans, quando incipiendum ſit pro tumultu breuiter fiat. In priuato etenim ante omnia præuidere debet: Aut certe præuiſa pronunciatio taliter dimetiri debet, vt dū præſens ſententia pronuntiatur, vel legitur proxima oculo, aut mēte præuideatur, ne moroſior cunctatio, ſeu non recta diſtinctio fiat.

Alterum ad apte legendum præceptum eſt, ne qua (vt & ſupra monitum eſt) *indecentia*, ſeu geſtus, ſeu pronunciationis ipſius fiat; ſed omnia honeſte, & decenter, & ordine, Et
1 Cor. 14. Apoſtolus monet. Ne ſcilicet petens benedictionem, lucernam in manibus teneat, ne folia tunc reuoluat, ne lacunaria tunc reſpectans, faciem, aut barbam perfricet, aut vultum arroganter tendat, ſuperciliaue ſtringat. Ne crebro digitorum, labiorumue motu commentans humeros alleuet, ne alterum pedem longe proferens, ſe in planta (vt quorundam inconditus mos eſt) ad ſingulas ſententias erigat. Quæ omnia, & huiuſmodi conſimilia, in legente dedecentia indecoraque ſunt, & ob id deuitanda. Sed in eccleſia magna quippiam lecturus, reuerenter pariter, & deuotè; tempeſtiueque occurrere, & ad benedictionem profunde inclinare debet, officij ſui myſteria ſimul, & dignitatem (de qua nihil hic tractandum nobis) penſitans, decenter iuxta aſſignanda præcepta legat. Cuius etiam decentiæ decor requirit, ne lingua balbutiente, naſo reſonante, tuſſi, ſputo, emunctione, ſeu indecoro labiorum motu, quaſi faucibus aliquid obſtiterit, confuſoue murmure interuenientibus, lectiones ſacras deformet: vt huiuſmodi complura eloquentiæ principes, in oratorijs, & Rhetoricis præceptis, pronunciatori velut dedecentiſſima, præcauenda tradunt; de quibus latius agere non eſt noſtri officij munus, requirantur illic.

Tertium ad apte legendum requiſitum eſt, vt viua, & clara, intelligibiliq; voce legatur vt ab omnibus, audiri pariter, & intelligi poſſit. Hoc ſiquidem ſacri Canonis decretum lectoribus indicit *diſt. 22. c. Cleros. Lectorum, qui pronunciatores vocantur, tanta, & tam clara erit vox, vt quamuis longe poſitorum, aures etiam adimpleant.* Virilis etenim, & clara pronunciatio eſſe debet, (vt iubet Quintil.) à pectore reſonans, non interdentalis, non pinguis, exilis, effeminata, ſeu abſurda, Sed (vt Diuus Bern. monet.) virili ſonitu, non quaſi balba de nare muliebre quiddā ſonando, dicantur voces Spirituſſancti, vt ab omnibus intelligi poſſint, quæ pro omnium ſalute leguntur.

Quarto aptitudo exigit lectionis, vt *dulcis, & ſuauis* ſit pronunciatio eius. Non (vt oratorium præceptum habet) agreſtis, acerba, rudis, ſeu acutis exclamationibus violenta, quæ fauces ac vocem lectorum corrumpunt, lęduntque, & obtundunt auditorum aures, ſeu mitingas. Vrgenda ergo vltra vires non eſt vox. Nam & maiore nixu ſuffocata ſæpè eſt, & eliſa adeo, vt vix intelligi poſſit, vt & gloſſa notat in verbo, *Miſerabiliter*, quod ſupra eſt adductum propter altiorem, & nimis ſonoram vocem. Mediocritas itaque in voce obſeruanda, quo dulcis auditu ſit, & ſuauis. Vt illud canticorum dicatur legenti, *Sonet vox tua in auribus meis, Vox enim tua dulcis.* Cant 2.

Poſtremo aptitudo requirit pronunciationis, vt *æqualis* pronunciatio ſit, & ſententijs adæquata. Æqualis inquam, ſpiritu collecto, & moderate effuſo, in longiore periodo durabili: non tremula, & hians, ſpiritu crebro recepto. Nec eatenus vſque protracta, donec deficiat, ſententiam concidens. Sed ſi productior periodus ſit, & reſpiratione anhelitus fuerit opus: non diu, neque cum ſono; ſed breuiter ſine intellectu more, ſpiritus ſurripiendus potius eſt, quàm colligendus, ſub aliqua clauſula plene. Alioquin ſi inſcite reſpiretur, non minus affert obſcuritas, quam ſi vitioſa diſtinctio fiat. Sit ergo quemadmodum in ſuo de officijs beatus Ambroſius monet: Vox pronunciatoris, & Eccleſiaſtici lectoris ſimplex, pura, & canora: Ita ſane diſtincta in pronunciationis modo; Ita plena ſucci virilis, vt & agreſtem, & ſubruſticum fugiat ſonum. Non vt rithmum affectet ſcænicum; ſed plena ſit ponderis & grauitatis. Nō imparibus ſpacijs; hiſtrionico more ſubſultans; ſed moderata ſit, & æqualis. Sit præterea non æqualis modo in pronunciationis tono; ſed *appoſita* etiam ſit, & ſententijs

pronunciatio ipſa adæquata, pro rerum, negotiorum, & perſonarum conditione, & ſenſuum varia qualitate. Vt non in altis, ſeu elaris, dicantur ſummiſſa; Nec ſummis, & depreſſis, alta; nec imparibus ſpacijs, aut permixtis ſonis; veluti claudicans, eccleſiaſtica pronunciatio ſit inæqualis. Quod plane vitioſiſſimum eſt, & in quo ſæpius laboratur. Prolixioris foret tractus dicere, quam appoſite, & adæquate, pro perſonarum ac negotiorum qualitate, pronunciandum foret; quod in declamatione oratoria obſeruandum ſtudioſius venit, quam in lectione eccleſiaſtica, quæ planos, & æquales accentus magis requirit. Quare conſulto ſuperſedemus.

Hoc pro concluſione breuiter repetentes, quod præcipua, & exactiſſima cura, pronunciationis aptitudo obſeruanda venit. Nam ſicut in nobili Epiſtolari ſuo narrat Pater Auguſtinus, Interrogatus nobiliſſimus Rhetor, quid primum obſeruari debeat in eloquentiæ præceptis, reſpondiſſe dicitur: ☞ Pronunciationem; Et ſecundo eum quæreretur reſpondit idem; Et cum tertio ſolicitatus eſſet, idem reſpondiſſe fertur. Non enim parua vis eſt aptæ pronunciationis, quæ ſæpè, vel veritas, ſeu falſitas ſententiarum prodit, Ambiguitas ſcripturarum diſſoluitur, & vix ſine ea myſteriorum pondus, & grauitas explicari poteſt. Vt exemplariter in Doctrina Chriſtiana proſequitur Pater Auguſt. & palam id in Epiſtolis profitetur. Ita ſiquidem ad Memorium ſcribit, *Libros de muſica, difficiliter ſcio poſſe intelligi, ſi non adſit, qui non ſolum diſputantium poſſit ſeparare perſonas, verumetiam pronunciando morulas ſyllabarum, vt eis exprimantur, ſenſumque aurium feriant genera numerorum. Maxime quia in quibuſdam etiam, ſilentiorum diuerſa interualla miſcentur, quæ omnino ſentiri nequeunt, niſi auditorem pronunciator informet,* planius in Epiſtola ad Paulinum, De Epiſtola ait ad Coloſ. 2. *quod ſcriptum eſt, Nemo vos ſeducat volens in humilitate,* &c. *quouſque obſcura ea tibi eſſe dixiſti, quæ nec ego adhuc ſine caligine intelligo? Atque vtinam præſens, de me iſta quæſiſſes. In eo quippe ſenſu, quem mihi in his verbis habere videor, adhibenda eſt quædam pronunciatio in vultu, & modo vocis, qui exprimi litteris non poteſt, vt ex aliqua parte aperiatur. Quod ideo fit obſcurius, quia non rectè, ſicut exiſtimo, pronunciantur.* Sudandum igitur eccleſiaſtico lectori, pro aptitudine pronunciationis, de qua ſufficiat eatenus commemoraſſe ad alia in lectione requiſita progrediendum.

XXVI. ALTERVM itaque principale in modo legendi obſeruãdum eſt, vt *correcte, & caſtigate* legatur: Quo iuxta Hieronymi ſententiã ſic diſtinctè, & correctè lectiones ſacræ proferantur, vt ob colliſiones, & hiatus, ac barbariſmos, ad riſum non prouocentur Angelici ſpiritus. Plurimum etenim vitanda eſt incorrectura in legendis; quę varijs obtingit modis: Aut ex corrupta pronunciatione litterarum; ſeu ex indebita quantitate ſyllabarum; aut mala accentuatione dictionum; vel ex incongrua combinatione orationum. Et adhuc multipliciter ſuboritur error, ex ſingulis his modis: Pronunciant ſiquidem aliqui litteras ita inconcinne, & confuſe, vt audientium prorſus intellectum obtundant, à fructu ſententiarũ. a pro e. aut econtra e, pro a. pronunciantes; vt in Scotis prauus habet abuſus; & in Zelandrinis. Alij a, & h, ſimili modo. C, & ſ, conſimiliter quaſi ſonantes, cum tamen lata ſit, aut eſſe debeat differentia in iſtis. Sed non eſt huius loci, nec etiam noſtræ mentis, nec officij quidem, muneris, aut profeſſionis, contradere præcepta grammaticę artis. Quod in Religioſa profeſſione reprehendit in regiſtro S. Gregorius: Et in grauiori, & ſacratiori ætate erubeſcendum, quaſi puerile quiddam, in Epiſtolari ſcribit Pater Aug. Requirantur ergo huiuſmodi in præceptionibus orthographiæ, & grammatices, quia tanto horum error eſt intolerabilior in magnis, quanto de primarijs eſt puerorum rudimentis.

Nec incuriorum quorundam more fatuellorum, dicatur; non eſt habenda cura de litterarum pronunciatione, aut ſyllabarum quantitate; Cum nihil, quantum liber etiam minimum, non curandum ſit in officijs diuinis: vbi Ier. 48. maledictus ſcribitur, qui negligenter ea agit. Nam tametſi minima videantur multis; non tamen minimum errorem progignunt in ſcripturis, vt latiſſime executus eſt ſtudioſus ille auctor trigloſſos, in multis ſcripturarum exemplis. Sed eſto parua illa ducantur; de barbariſmis tamen, & ſolæciſmis, conſtat quod prorſus inexcuſabiles ſunt, in eccleſiaſticis lectoribus. Nec (vt magnus ille Carolus ait) permittendi ſunt perſtrepere, in diuinis officijs. Iuxta quod etiam vſualis habet verſiculus,

Barbarus atque ſolæca tibi penitus fugienda.

Nihil enim vitioſum, aut maculatum in ſa- Deute. 17
crificio ſuo voluit Deus. Vbi etiam (iuxta Patrem Auguſt.) ſummopere cauendum, vt non ſolum in majoribus, verumetiam vt, nec in minoribus erretur rebus: vt patet *diſt.* 8. *c. Quamuis.* Cum etiam in laicis, intolerabilis videtur huiuſmodi inſcitia, quanto minus in eccleſiaſticis, eſt excuſatione digna, aut venia; Licet pius ille Pater, pro innata ſibi pietate, & confouenda eccleſiaſtica humilitate dicat, non irridendos ipſos, ſi vel cum barbariſmis, vel ſolecismis Deum inuocent. Notanter tamen ſubdit; *Non,* inquit, *quia iſta minimè corrigenda non ſunt, vt populus ad id quod planè intelligit dicat amen: ſed quia pro charitate fraterna, & Chriſtiana humilitate, in ſenioribus pie toleranda veniunt.* Vt idem latius in ſecundo de doctrina Chriſtiana exequitur, dicens, quod tametſi minus congrua locutio nihil ſententiæ detrahit, integritati tamen Latinæ locutionis non congruit. Quid enim aliud eſt integritas locutionis, niſi *obſeruatio Latinæ conſuetudinis, veterum eloquentum auctoritate firmata?*

Nec obijciendum quiſpiam putauerit, diuum ipſum Patrem Auguſtinum, Magnum etiam Gregorium, incurios fuiſſe obſeruandæ congruitatis; Cum horum primus ſuper Pſal. dicat, Quid *ad nos quid grammatici velint? melius in barbariſmo noſtro, nos intelligitis, quam in noſtra diſertitudine, vos deſerti eritis.* Et ſanctus

ipſe Greg. in Prologo Moralium: *Non Metacismi colliſionem fugit, non Barbariſmi confuſionem deuitat, indignum vehementer exiſtimans (vt in canone diſt. 38 adducitur) vt verba cæleſtis oraculi, reſtringantur ſub regulis Donati.* Reſponderad hæc in libro diuinarum inſtitutionum, Magnus ille Rauennatum Senator Caſſidor. aliud fore, quod à Patribus actum eſt pia indulgentia, aliud quod craſſa agitur inſcitia; dicens libere caſtiganda, ſi qua abſurde pronuncientur, aut extra ſacrum canonem minus ponantur correcta, ne conſcindatur inconſutilis Domini Saluatoris tunica, vt patet [Io. 19.] ſupra. Tunc enim fideles nos ſibi cognoſcit, ſi dicta ipſius integra, & illibata recipit. Multa & forſan pluſquam expediat, ſuper his congerimus; ſed res neceſſaria eſt, expediens & accommoda multis. Notiſſimum eſt eis, qui hiſtorias videre, quam confuſionem incorrectè pronuncianti, & incongruè Euangelium Leuitæ legenti, nobilis, & mirifica illa Sancta [Re. 10.] Aurea, (licet zelo minus temperato, iuxta ſcientiam) ingeſſit, dum ſtolam illi ſubtraxit, non paſſa in verbis dominicis audire fallaciam, vt dixit: Scitum etiam eſt, quam Sanctus Lutgerus, poſt Monaſterien. Epiſcopus, adhuc Diaconus, Titubanter ſactum Euangelium pronuncians, ſalubriter à ſancto ſuo Epiſcopo Gregor. Traiecten. correptus, confuſus, & ad plenius ſtudendum remiſſus fuit. Sicuti, & de compluribus inuenimus Sanctis, qui nullas morantias, aut exorbitantias, in diuinis paſſi ſunt officijs. Cum huiuſmodi incorrecta pronunciatio, totius ſit Eccleſiæ confuſio, ridiculos homines, pariter, & dæmones reddens, vt interea de Sanctis Angelis conticeſcamus, quod Diuus Hieron. aſſerit. Mentior ſi non, & poſterioribus his noſtris diebus digniſſimus quidam, & non paruæ exiſtimationis Epiſcopus, multo cachinno à diabolis per ora energumenorum irriſus fuit, ob minus congruam prolationem in ſuis exorciſmis. Nolumus hic plura dicere, notum eſt ſatis Gelaſianum decretum, qui inhibuit promoueri illitteratos, malens paucos dignos, quam plures ineptos habere in Eccleſia miniſtros. Præſertim cum litteris carens primitiuis ſacris non [Leuit. 2.] poteſt aptus eſſe officijs; in quibus dominus primitias mellis, & tria munera Regum, id [Mat. 2.] eſt, tres Philoſophiæ partes ſibi voluit, de ſpoliato Ægyptio auro, & argento ſibi offerri. Indubie requirens pro ſui dignitate, elegantiſſimè fieri officium eius. Errant igitur, & quidē, vt prouerbium habet, tota, & aperta via (quemadmodum ait Gratianus) qui ſub nomina ſimplicitatis, ignorantiam eccleſiaſticorum lectorum, in eorum incorrecturis excuſandam putant. Quibus id tamen conceditur conſolationis, (vt facetiæ habent) quia beati rudes, quoniam aſini vocabuntur; procul, procul aſinina hæc ſimplicitas à Dei ſeruis, [Mat. 10.] quos prudentes iuſſit eſſe, vt ſerpentes. Diſcant igitur recte legere, qui neſciunt, aut abſtineāt, qui ſcire nolunt. Sic enim ſacri Canones iubent.

TERTIVM principaliter in legendo obſeruandum eſt, vt legatur cum modo; ne ſcilicet alte, vel baſſe nimis incipiatur, & ne lentius, aut accelerantius proſequatur, ſed menſura, & mediocritas, cum æqualitate pronunciationis obſeruetur. Nam tametſi in tertio ad Heren. Cicero iuſſerit, Quam maxime depreſſa voce orationum principia dici debere, vt adaucto mediocriter vocis ſono, continuetur in progreſſu: Non tamen dixit, ita ſummiſſe incipiendum, vt exaudiat nemo; quod vitioſiſſimum in lectore eſt, pariter, & prædicatore; Talis enim pronunciatio exordij, & initiandæ lectionis eſſe debet, vt ſecundum loci capacitatem, auditorumque multitudinem, atque diſtantiam, exaudibilis ſit & intelligenda. Nec etiam ita alte lectio intonanda, vt deficiat in progreſſu, quod non minus vitio dandum: Hic monet Quintilianus, Vitemus, ne dicamus, aut ſummiſſo murmure, aut intra loquendi modum, quod motu caret, neuè cantetur ſupra vires. Sic quoque lenta pronunciatio ipſa in progreſſu erit, ne accelerata voce, ſpiritu deficiente, ſyllabarum non percipiatur ſonus, ne ſcilicet (vt Seneca in Epiſtola 41. de quodam Philoſopho ait) tam magno curſu connectantur verba, vt plura verba veniant, quam quibus vna vox ſufficiat. Hoc inquit Seneca, non probo in Philoſopho, cuius pronunciatio, ſicut & vita, debet eſſe compoſita, & ordinata. Nihil autem ordinatum, quod præcipitatur, & properat.

Modus ergo in legendo ſeruandus, pro materiarum qualitate, vt Hiſtoriæ, & plana quæque expeditius, Homiliæ, Sermones, & obſcuriora, attentius legantur; acceleranter autem, & præpropere nihil. Lenta tamen non nimis ſit lectio: Ne aut legendi, doctrinæue imperitiam arguat, ſeu animum ſegnitie ſoluat, vel auditores attediet, Maroniana mora protractior. Sed adhibeatur in omnibus modus, & æqualitas proportionata. Prima ſiquidem (iuxta Quintilianum) obſeruatio recte pronunciandi, æqualitas eſt cum modo; ne ſermo imparibus ſpatijs ſubſultet, ac ſonis immoderatis deprimatur, ſeu eleuetur.

QVARTA præcipua obſeruatio in legendo eſt, vt dicitur de Eſdra, quòd *diſtinctè legatur, & apertè*: [Neem. 8.] Diſtinctè inquam, vt ſingulis litteris ſuo ſono, ſuaque quantitate pronunciatis, aperta, & debita pauſa fiat, & accentus ſenſui correſpondens. pape, quam grauis, vtilis, & copioſa pro lectoribus ſententia concluditur, ſub pauciſſimis his verbis. Sed, vt ſupra proteſtati ſumus, non eſt, vel loci, aut officij noſtri, hic proſequi de modis, vel punctuandi, diſtinguendi, accentuandi, ſeu pronunciandi. Quæ tamen ſingula perneceſſaria ſunt, in eccleſiaſtica lectione, vtpotè quibus clara redditur, & intelligibilis lectio ſacra. Hinc magna erat diligentia priſcorum Patrum, Origenis, Hieronymi, Irenei, & cæterorum, vt diſtinctè, & per interualla eorum, non modo tranſcriberentur, verumetiam, & legerentur punctuatim, & diſtinctè eorum dicta, ne & labor eorum iret deperditus, pariter, & ſudor, ſtudiumque legentis. Sed heu iam vitijs omnia ſcatent, & poſtrema cura de codicibus eſt emendandis; ſed ſtudent

magis calicibus euacuandis, plus heu Lioeio, quam libris punctuādis, deditі ſumus. Multa & prægrandis ſe hic offerret occaſio tractandi aliquid, ſuper inemendatiſſimis libris caſtigandis, quanto id ſtudio, & quanta cautela, opus tam neceſſarium foret exequendum: Sed alio hæc in loco pertractata ſunt, & veremur fore prolixiores. Breuiter eccleſiaſticos monemus lectores, quo memores ſint ſuſcepti gradus, & præcepti magiſtralis ſupra allegati de officio eorundem, vt, ſcilicet ſint diligentes in recte diſtinguendo, pariter, & pronunciando: iuxta quod Iſydorus monet, vt vim accentuū ſciant, diſtinctè legant, attendant quid indicatiuè, quid interrogatiuè ſit legendum, ne confuſione prolationis intellectum auferant auditoribus ſimul, & fructum; Ex his ſiquidem male obſeruatis, non parua oboritur ambiguitas, & obſcuritas in ſcripturis, vt per plura exempla in tertio de doctrina Chriſtiana deducit Pater Auguſt. O videatur, ſtudeatur pernecesſarius liber omnibus ſtudioſis. Cui nil adijcere poſſumus; imò nec volumus. Cum grammaticalia hæc ſint. Nec huiuſmodi tractate decet in ſacris. Extra enim huiuſmodi addiſcenda commonet ibidem Pater Auguſtinus. De quibus etiam non inutiliter tractat in libr. ſuarum Inſtitutionum Caſſiodor. Et ante Pſalterium ſuum Reuerendus ille Pater Bruno Herbipolen. Nimij hic ſumus, ſat ſit occaſionem adminiſtraſſe ſtudioſis.

XXIX. POSTREMVM & finale recte legendi præceptum eſt, vt legatur ſcienter, id eſt, intelligibiliter, & deuotè, vt finis obtineatur ſacræ lectionis, compunctio, ſcilicet cordis: Quemadmodum ſupra præmittitur in themate huius annotationis, Quod *flebat omnis populus cum audirent, & intellexerunt verba legis.* Totis ad id viribus, & neruis, lectori ſudandum eſt, & contendendum, vt inſtar Eſdræ, 2. Eſd. 8. legat diſtinctè, & apertè ad intelligendum. Is enim fructus lectionis, ſi ſententiarum intellectus pateat auditori, & exuſcitetur affectus. Caueatur igitur prauus quorundam abuſus potius, quam mos, & vſus, vt verba conuoluant, & in fine clauſularum, ita dentibus concludant, præcidant, ſeu inuoluant, vt vltima ſyllaba vnde tamen omnis ſæpe ſententia pendet, prorſus intelligi non valeat. Auribus etenim, & cordi in omnibus (Magiſter ait ſententiarum) conſulere debet vox lectoris. Et non ſolum intelligibiliter legendum eſt ab eccleſiaſtico lectore; ſed & humiliter, & affectualiter, & deuotè. Ne curioſius modulari velit, ſyllabarum quantitate nimis curialiter expreſſa, quod ſuperbiam ſapit, & vitio dabatur etiam apud ſæculi oratores. Ita etenim ait Quintilianus, lectio ſeu oratio ſit cum ſuauitate grauis, non in Canticum diſſoluta. De cuiuſmodi leuitate Caium Cæſarem accepimus dixiſſe cuidam legenti. Si cantas male cantas, Si legis cantas. Nihil ſiquidem inutilius, aut fœdius legenti, quàm curioſius modulari in legendo, ne intelligi poſſit. Nihil etenim minus eccleſiaſtico lectori conuenit, quam curialis modulatio vocis, qui ad hoc officium conſtitutus, vt ad compunctionem moueat audientes. Quare vocem accommodare debet ſententiæ, & rebus & ex affectu legere compunctæ deuotionis. Non enim poteſt (iuxta Tullium) non ardens, cæteros reddere ardentes, nec ad compunctionem ſimiliter promouere alios, qui ipſe non fuerit ante cōpunctus. Vti de hoc in 4. de doct. Chriſtiana, Chriſtianiſſimus tractat Doct. Auguſt.

Hęc ecce ex amuſſim, & breuiter congeſſimus ſuper modo eccleſiaſticæ lectionis. Cuius in hoc breuis ſumma conſiſtit, vt eccleſiaſticus lector ſit ante ſemper præuiſus, vna legens voce, apertè, diſtinctè, & attentè ad intelligendum ex ſpiritu deuotionis, & compunctionis, vt & cæteros moueat ad affectus. Qui talis lector, cum ſummo venit ſilentio, & attentione animi audiendus, vti tangitur in calce præmiſſæ in capite auctoritatis. Et vt in ſanctorum Patrum inſtitutis de Patribus tradit Pater Caſſia. dicens, *Tantum ſilentium ſolitum obſeruari in tanta numeroſitate ab omnibus in ſynaxi, vt ne muttire quidem quis, vbi tanta multitudo conuenit audeat: adeo vt, præter lectorem, nullos hominum penitus adeſſe crederetur, non ſputum emittitur, non excreatio obſtrepit, non tuſſis interſonat, non oſcitatio ſomnolenta diſſutis malis, & hiantibus trahitur. Nulli gemitus, nulla ſuſpiria etiam aſtantes impeditura, promuntur.* Nulla vt diximus, vox auditur præter lectoris. Niſi forte hæc, aut per exceſſum mentis, clauſtra effugerit oris, ſeu inſenſibiliter cordi obrepſerit, ex ignita deuotione cordis. Qualiter autem deuotio hæc, inter legendum venanda ſit, & quonam modo audiri debeat lectio ſacra, partim in Chiropſalterio, partimque in ferculario, latius explicitum eſt, & demonſtratum. Sufficiat tantiſper per exceſſum annotaſſe, ſuper modo religioſi cantus, & eccleſiaſticæ lectionis, quæ non ad poſtremam diuini officij reuerentiam ſpectant, ſi aguntur modis prædictis. Super quo maximè inuigilandum Cantoribus eſt, & Prælatis quibus id commiſſum eſt, ex ſanctorum Patrum decretis, vt patet diſt. 25. ca. perlectis. Et extra de Offi. Archid. & Primicerij c. Officium, vt Primicerius. Inter omnes enim ſacræ religionis obſeruantias, maior debet diligentia diuino officio adhiberi, vt reuerenter fiat, ſtrenuè, & deuotè, cum in alijs quidem pro Deo agimus, ſed hic vacamus, vt Bonau. ait ipſi Deo. Nihil igitur, niſi cum ſumma reuerentia, & decentia fiat ſub conſpectu tantæ maieſtatis, vt *pro reuerentia accedat nobis bona gratia* ipſo concedente, Eccli. 32. Heb. 5.
qui auditus fuit in diebus carnis ſuæ, pro reuerentia. Amen.

De attentione Orationis.

CAPVT III.

P*Sallam ſpiritu, pſallam & mente.* Paul. Iam I. 1. Cor. 14.
de Orationis attentione agendum, ſine qua (vt ait Apoſtolus late deducit, vbi ſupra) mens eſt ſine fructu & effæta oratio omnis:

Iſidoro etenim teſte, Oratio cordis eſt, non labiorum; Neque enim ſonum orantis Deus intendit, ſed deprecantis cor aſpicit,& intendit ſibi attendenti: Vnde,& beatus Apoſtolus formam orandi,& pſallendi ſeipſum alijs præbens,ait,vbi ſupra, *Orabo ſpiritu, orabo & mente; pſallam ſpiritu, pſallam & mente*, hoc eſt, vel affectu, & intellectu; aut ore,& corde; Seu lingua, & intelligentia mentis : Spiraculo quidem oris ſacra verba proferendo, & mentis attentione eiſdem intendendo; alioquin mens eſt ſine fructu: Vnde & mauult *quinque verba* 1.Cor.14 *proferre ſenſu ſuo, quàm decem millia rotare in lingua* ſine attentione. Nam abſque ea parum proderunt, aut nihil. Quomodo etenim probabile, vt Deus intendat nobis, qui non intendimus nobiſipſis? Bernard. Quomodo mihi intendit, qui mihi non intendo?

MEMBRVM I.

De inductiuis ad attentionem.

ANTE omnia itaque diuinum officium exoluendum eſt, cum attentionis ſedulitate, ob iſta inductiua,

Hoc iuſſum, dignum, retrahunt, opus vtile, multum,

II. PRIMVM inductiuum attentę orationis eſt, quia hoc habet *Iuſſio Sanctorum* omnis: Non eſt aliqua Regula Sanctorum Patrum, quæ non ſingulariter hortetur, ad orationis attentionem. Hinc in Regula ſua iubet Pater Aug. *Pſalmis, & Hymnis, cum oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in ore.* Et D. Baſilius in ſua: *Cibus in ore, Pſalmus in corde*,&c. Hier. quoque in regula ad Virgines, itidem monet: *Illud* ait, *in mentis Arcano ſumma cum diligentia ruminetur intrinſecus, quod pertractatur extrinſecus.* Quibus etiam in Regula ſuo conſonat Pater Benedic. *Sic*, inquiens, *ſtemus ad pſallendum, vt mens noſtra concordet voci.* Quod itidem iubet generale Sanctorum Patrum decretum. *de conſec. diſt. 1. c. quando* vbi textus ait, *Quando autem ſtamus ad orationem, Fratres dulciſſimi, inuigilare, & incumbere ad preces, toto corde debemus: Cogitatio carnalis hominis ſæcularis non aſcendat, Nec quicquam tunc animus aliud, quam id ſolum cogitet, quod precatur; Claudatur contra aduerſarium pectus, & ſoli Deo pateat, nec ad ſe hoſtem Dei, ſub tempore orationis venire patiatur.*

EN quanta eſt vniformitas regularis iuſſionis. Et perprobe: Nihil enim eſt huiuſmodi attentione dignius,& iuſtius, vt ALTERVM inductiuum verſus habet, ſcilicet, *Dignum*, Oratio enim eſt quaſi familiare cum Deo colloquium, Nam cum oramus, cum Deo loquimur, ait Iſidorus: Conſideret itaque fidelis,& prudens anima, ſi non dignum. & iuſtũ ſit, cum tanto Principe loqui attentione magna. Cum æquo Iudice, reuerentia multa; & cum tali amico familiaritate charitatiua. Surſum, ſurſum itaque corda; dignum ſiquidem,& iuſtum eſt. æquum, & ſalutare, orare cum attentione magna.

PRÆSERTIM, quia plura ſunt, à diſtractione,& ab inattenta oratione RETRACTIVA, ſcilicet iſta.

Diſplicet atque nocet, priuando placet, Sathan ardet.

III. *Primo* diſtracta,& inattenta oratio, plurimum *diſplicet Deo*, Cui multas iniurias facit: A quo ſe auertit; cui quodammodo ſubſannat,& eum irridet, aliud neſcio quippiam vile præferens & fœtorem ingerit eius oculis,& naribus pro ſacrificio odoris & ſuauitatis, & eſt *quaſi populus prouocans*, in conſpectu eius 3.Reg.16. ſemper. Hinc ait Pater Aug. *Non breui crimine tenetur aſtrictus, quiſquis in oratione cum Deo loquitur, & ſubito ab eius aſpectu retrahitur, quaſi ab oculis non videntis, aut non audientis.* Et honorabilis Hugo, *Non orat, ſed potius ſubſannat, & ad iracundiam prouocat Deum, qui cum ante conſpectum eius; quaſi poſtulaturus aduenerit, ſubito ſe ad alia, quæ non ad rem pertinent ſe applicando conuertit*: vt patet ex ſenſibili exemplo, in ludo qui vulgariter ludus Aſini dicitur; in quo ad ipſum emptorem, dorſo verſo ſermo dirigitur, & de pretio Aſini cum eo tractatur. Quod prorſus ridiculoſum, & contumelioſum Deo, quod & abſurdiſſimum eſſet, apud Principes ſæculi. Vnde concludit Bernard. *Magna peruerſitas, imò magna inſania, vt quando cum Domino maieſtatis loqui præſumimus, mox inconſtantiſſimè ab oratione aurem auertimus, & ad neſcio quas ineptias conuertimur.* Idcirco magnam iniuriam Deo facio, cum ipſum precor, vt precem meam audiat, cui ego qui eam fundo non intendo; ſed quod deterius eſt, immunda & vilia in corde verſando, fœtorem horribilem eius aſpectibus ingero. Hinc de oratione inattenta conqueritur in Propheta, *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.* Eſa.24.

Secundo diſtracta oratio nocet, non modo ſubiecto propitio, ſed etiam vniuerſo Dei populo: vt declarat deuotus Dominus Theodericus Berxen in opere de tentationum remedio: Grauat etenim orantis conſcientiam, & tollit dulcedinem diuinam. Parum quoque Dei populo prodeſt; cuius tamen debitor in orando eſt, vtpotè quorum eleemoſynas, & peccata comedere, pro eis ſupplicando debeant, vt patet,

Tertio inattenta oratio, *priuat* orationes Oſea 4. fructibus tribus, qui ſũt: *mederi, refici, & exaudiri*, ferme mentem conſtituens ſine aliquo horum fructu, præſertim quando admittitur diſtractio cum conſenſu Bernardus. *Dum in oratione non attendo, perdo quæ dico: Ore quidem oro, ſed mentem foris vagantem, orationis fructu priuo. Longe enim à Deo, & à merito eſt animus, qui in oratione cogitationibus ſæculi fuerit occupatus* O caueamus ne in vacuum laboremus,& ſine fructu oremus. Teſtatur ſiquidem in Regula Hieronymus *Nullus*, ait, *eſt meriti ore diuina officia* verboſitate, & *miſera mente quæ extrinſecus imminent vagando circuire.*

Quarto diabolo huiuſmodi inattentio placet, qui nulli ſynaxi, nulli collectæ, vt Sanctus Macharius ait, deeſt, qui diſtractiones, & omiſſiones noſtras colligens,& ad eas incitans,

inde

Digitized by Google

inde ſeccum ſuum nos accuſaturus replet, vt ſupra de Titiuillo notatum eſt, & cum gaudio, & complacentia, inattentas preces nrī dcī: vt in vitis Patrum patet. Ah caueamus, ne illi per inattentas preces placeamus.

Quinto propter huiuſmodi inattentionem, obligatur ad pœnas, & purgatorij *ardorem*: vt patet de S. Seuerino Colonienſ. Archiepiſcopo, Qui poſt ſuam mortem apparuit Archidiacono ſuo, cum nube ignea, guttas in eum deſtillante: eo quod ſolitus erat interrumpere, & inattente perſoluere (propter ſuperuenientes illi occupationes) officium diuinum vt geſta huius tradunt, & adducit in Dietario ſuo Ioan. Valien. Si tam diſtrictè mulctatum hoc in cedro Libani, quid non expaueſcendum in myrica humili? Et digne inattentio hæc grauiter à Deo plectitur, quæ vix à ſæculi Principibus impunis permittitur. Nam ſi quis cum ſanctiſſimo Papa, vel alio quopiam digno principe, ſuper arduis negocijs tractaret, & ſubito neſcio quid vanum, & impertinens intermiſceret, ſeu verſo ad illum dorſo, ad omnem ſuperuenientem alloquendum ſe conuerteret, non tam placaret huiuſmodi Principes, quam prouocaret, & vix ſine verberibus, prorrogatis contumelijs, euaderet. Grauius ecce delinquimus, dum diſtracta mente oramus. Toties ſiquidem auerſi à Deo alloquimur, quoties inanes cogitationes voluntariè mente complectimur. Eſt enim duplex verbum, internum, & externum (vt in 9. de Trinitate notat Pater Aug. &c.) Eia igitur hæc reuoluamus, & ab omni diſtractione præcaueamus, propter tanta, & tam prægnantia retractiua huius.

QVARTVM principale attentæ orationis inductiuum eſt, quia attente dicere horas, à quibuſdam aſſeritur *neceſſarium*: Vnde & præcipitur in virtute ſanctæ Obedientiæ, *extra, de celeb. c. dolentes*, vt horæ dicantur *attentè pariter, & deuotè*; vbi tamen ſuper verbo, *præcipimus*, notat Hoſt en. quod conſilij magis verbum ſit, quā præcepti dicens, *Etſi ſuademus quod horæ dicantur ad attentionem, & deuotionem; non tamen in præcepto ponimus; ſolum caueat quis dare, aut ponere obſtacula attentionis*. Quocirca annotandum, quod dupliciter aliquid dicitur neceſſarium. *Vno modo* per quod melius peruenitur ad finem, & ſic attentio in oratione neceſſaria eſt abſolute: *aliter dicitur* aliquid neceſſarium, ſine quo res non poteſt conſequi ſuum effectum. Aſſignatur autem triplex orationis effectus: Quorum *primus* communis eſt omnibus actibus charitatis, & eſt *mereri*; ad quem ex abſoluta neceſſitate non requiritur, quod attentio ſit per omnia actualis; ſed ſufficere credit vis primariæ intentionis, qua homo bona intentione acceſſit ad attente perorandum, ex qua meritoria redditur oratio tota; Porro ad conſequendos alios duos bonos effectus, qui ſunt *impetrare*, aut ſpiritualiter *refici* in mente, magis requiritur de actuali attentione, vt doctores aiunt, & pleniſſime, & magiſtraliter, venerandus Gerſon reſoluit in Tractatulo ſuo de valore orationis oſtendens in concludendo, quod

Quando neceſſaria attentio.

præ cæteris melior ſit attentio ad verba, & verborū formā, quam aliunde aſſumpta. Ergo tā ſollicite, & diſtricte ſancti patres commonēt, & hortantur ad eā: Inter quos præſertim Beatus Bern. graui cōmonitione quorundā ſcrupuloſas cōſciētias monet, dū ita de modo pſallendi ait: *Pure pſallatis, vt nil aliud, dum pſallitis, quam quod pſallitis, cogitetis.*. Vbi & ſcrupuloſius ſubdit, *Nec ſolū otioſæ cogitationes vanæ, & ocioſe vitandæ ſunt: Sed & illæ illa hora, illo in loco, quas officiales fratres, pro communi neceſſitate admittere compelluntur. Sed nec illa quidem profecto tunc recipere conſuluerim, quæ forte paulo ante in clauſtro, ex codicibus legeratis, qualia & nunc me viua voce differente, ex hoc auditorio, ſpiritus recentes reportatis; Salubria ſunt, ſed minime illa inter pſallendum, ſalubriter reuoluentur: Spiritus enim ſanctus illa hora gratum non accipit, quicquid aliud, quam debes, neglecto eo quod debes, obtuleris.* Hæc dulcis fiſtula ſpiritus Ber. Ecce ex ipſius verbis, quē tamen ſpiritū Dei habuiſſe conſtat, quanta obligatio attentionis.

Super cuius tamen verbis, pro ſerenatione conſcientiæ ſcrupuloſioris, conſolatoriè cōſolatorius doctor Gerſ. ſcripſit in de ſollicitudine eccleſiaſticorū; cōcluſiue dicens, Quod *ſola materia orationis, cadat principaliter ſub præcepto attētionis: Non ita forma, vel finis*; vt latius ibidem deducit, & alij doctores in eorū ſcriptis. De materiæ autē huius, & formæ, vel finis diſtinctione, quia infra traditur, non hic opus eſt repetitu. Nec repugnat, nec contrauenit verbis beati Bernard. qui aliunde cor in Deū ſubleuat, & Deo ſic intendit. Cum & idipſū in Speculo ſuo Bern. ipſe, id permittat dicens, *Ad pſalmodiā ſemper cor habeat, niſi ad aliquid ſublimius rapiatur*: Sublimior autem eſt, attentior ad formā, & finē: licet magis indicta ſit, attentio ad materiā; de qua & poſt ibidem ſubdit, *Omniū*, inquiens, *eorum quæ ibi dicuntur, vſque ad vnā literā, ſe pro certo nouerit debitorem, vel dicendi in choro ſuo, vel in altero auſcultandi*.

PATET igitur *neceſſitas* attendend: In quo etiam conſiſtit *vtilitas* magna, vt eſt *vltimū inductiuū* verſus; Nam cum vox pſalmodiæ per intentionem cordis agitur; per hæc omnipotenti Deo ad cor iter præparatur, vt deuotæ menti, vel Prophetiæ myſterium, aut compūctionis gratia infundatur. Agite itaque tantis inductiuis incitati ſtudeamus in oratione eſſe attenti, & omnia lucra, ſiue temporalia damna paruipendere; magiſq́; vnius horę Canonicæ damnū, qua orationē negligenter explemus, ponderare; quam multę ſubſtantię temporalis detrimentum æſtimare. Veniet, veniet namq́; illa hora, qua caduca ſentiemus, quæ videbātur ſolida; qua plus gaudebimus ſuper vno Pſalmo, aut oratione dominica attentè, & deuotè dictis; quam ſuper multis auri, & argenti millibus. Et hæc de neceſſitate, & alijs inductiuis attentæ orationis.

MEMBRVM II.

De promotiuis attentionis in Oratione,

S*Alutare ſacrificium attendere*. Eccl. 35. Viſo de attentionis inductiuis, videndum de

eiuſ-

eiuſdem promotiuis, & contrariæ diſtractionis remedijs. Vt enim homo poſſit attente pſallere, neceſſe eſt quædam promotiua, & remediatiua habere ad manum. Non enim (teſte Beato Patre Agathone) eſt labor ſicut orare Deum. Sunt itaque tria præcipua attentionis promotiua, & adiuuatiua: Scilicet ſi homo

Studeat {
- Euagationis cauſas ſecludere,
- Attentionis impedimẽta deuitare
- Eiuſdem promotiua aſſumere.

} de quibus ſingulis pauca notanda.

§ 1. *Euagationis cauſæ cauendæ.*

PRIMO igitur, qui volet attente orare, oportebit euagationis cauſas ſecludere, quas quattuor præcipuas aſſignat Rayneri* in ſua Pantheologia, hoc verſiculo perſtrictas.

Sponte vagus, lapſu, facto, vel Dæmone fio.

Prima cauſa, vnde ſuboritur in homine diſtractio, & euagatio mẽtis, eſt *ex propria volũtate*, & voluntaria procuratione: Quãdo ſcilicet quis ex propoſito, & ſcienter alias ſibi aſſumit materias cõgitationum, quibus impedit orationis fructum. Et iſtud multi periculi eſt, & criminoſum, niſi ſe auerterit, & doleat vbi deprehendit ſe diſtractum.

Secunda cauſa eſt *ex naturæ lapſu*, & infirmitate, quæ diu in alto ſtare non poteſt: Sed cogendum eſt cor hominis ad attendendum, iuxta Aug. vt ſic vim patiatur cælorum regnũ.

Mat. 11. *Tertia* cauſa eſt ex *præcedenti facto*, & præuia operatione: Nam iuxta Abbatem Iſaac in ſua collatione. Ex præcedenti ſtatu, mens in ſua formatur ſupplicatione; vnde quales nos volumus in oratione inuenire, tales nos ante orationis tempus debemus præparare; Et quicquid volumus, vt nobis in oratione non occurrat, ante orationem de pectore euellere oportebit. Quicquid enim ante orationis horam mens noſtra conceperit, neceſſe eſt, vt orantibus id occurrat, vt latius memoratus Pater tractat in nona Patrum collatione, & tetigimus de præparatione ante horas.

Quarta euagationis cauſa, *ex diaboli* prouenit tentatione; Cui oportebit fortiter obſiſtere; Ipſi enim (iuxta Patrem Agathonem) ſingulariter conantur irrumpere attentam orationem, ſcientes, quod ex nulla re magis impediantur, & inualidentur, quam per orationem, attente fuſam ad Deum. Has itaque omnes euagationis cauſas, oportebit pro virili reſtringere, & cor, & ſenſus in attentionem cogere.

§ 2. *De impedimentis attentionis in oratione.*

VII DEINDE quoque oportebit, *attentionis impedimenta* deuitare, quæ ſeptem enumerantur, *in clementi ſuper e.d. celeb. Miſſ.* Et ſunt his verſibus complexa,

Currens, præcidens, commiſcens, tardus & exit,
Impediens, capiens reticens extraq; vagans.

PRIMVM impedimentum attentionis eſt, dicere horas *tranſcurrenter*, vt nec ipſe lector, vel audientes poſſint intelligere: Cum tamen, iuxta præceptũ canonis, diſtinctè veniant, & apertæ dicendæ, exẽplo Eſdræ, qui in Libro Legis diſtinctè legebat, & ad intelligendũ aperte.

SECVNDVM eſt, dicere horas *præcidendo*, & ſyncopando, verba ſcilicet truncando, aut in- Neem. 8. tegra tranſiliendo: Cum integrè, & complete debeant exolui, vt ſcribitur *diſt. 1. c. Presbyteri.* Seruitus eſt Clericorum integrè qualibet die, ſeptem horarũ officia perſoluere. Et imo, ſicut ille, quod quolibet die alicui obligaretur ſeptem marcas exoluere, & inter ſoluendum aliquos denarios ſubtraheret, ad plenum creditori non ſatisfaceret: Sic nec is horas ſyncopãdo perſoluit, quarũ fragmina Titinill* (vt ſupra notauimus) colligit; & diſtricta vltio fiet.

TERTIVM eſt, Canonicis horis extranea, vana, & inutilia permiſcere, & ſic affectionem interrumpere, ſine neceſſitate. Notanter additur *ſine neceſſitate*, propter regulam iuris, quæ ait, *Quod non eſt licitum ex lege, licitum redditur ex neceſſitate.* De ſuperfluis, & inutilibus præter neceſſitatem tamen eſt, valde præcauendum, ne fel miſceamus in eſcam Dei. No- Matt. 27. ta ſunt exempla Sanctorum Epiſcoporum Lutiger. Monaſterien. & Seuerini Colonien. quæ præmia vnus, & quas alter pœnas excepit, quia colloquijs vix neceſſarijs diuinum officium interrupit.

QVARTVM attentionis impedimentum eſt, *tarde* ad diuinum officium occurrere, & *ante finem exire*: Quòd prouenit ex diabolica tentatione, & conſuetudine praua, vt ex libris patet Exemplorum. Nam tempeſtiue eſt veniendum propter diuinum auxilium, quod tunc inuocatur, implorandum, ſine quo nihil poſſumus facere. Qui autem tardi occurrunt, quo- Io. 15. dammodo factis Deo dicunt, auxilio tuo non indigemus, omnia opera noſtra à nobis ſũnt, vnde ad *Deus in adiutorium* dicendum, venite Pſ. 11. non curant. Qui etiam ſine cauſa ante finem horarum exit, vix ſaluus fieri poterit. Quia per- Matt. 10. ſeuerans in finem ſaluus erit.

QVINTVM impedimentum eſt voluntariè ſibi dare attentionis obſtacula, & impedimẽta; vtpotè, canes, vel aues ſecum ducere, aut alia externa negotia inter dicendas horas aſſumere; quę omnia ſunt contra Sanctorum Canonem, qui iubet horas exolui cum deuotione, vt ſupra patet. Vnde & Bonan. ait, in diuino officio cautela eſt neceſſaria; vt eorum, qui diuinum officium impediunt occaſiones vitentur. Quapropter ſub diuino officio, nec ſtudendum in libro, nec occupandum in opere alio, non neceſſario. Indignum quoque ſub ipſo, venandis vermiculis, aut mactandis intendere; quibus palam in oratione digitos fœdare, frons non metuit inuerecunda.

SEXTVM eſt, ſi, cæteris cantantibus, ipſe legat, vel taceat, aut priuatas oratiunculas legat, vbi officiare tenetur. Quod contra ſatis diſputatum eſt ſupra, in decantu.

SEPTIMVM attentionis impedimentũ eſt, horas extra eccleſiam circumuagando exoluere: Vix enim hoc modo poterit homo eſſe

recol-

recollectus; Et agit contra verſiculum Patrū *Intra templa Dei perſoluat vota diei.* Hæc de huiuſmodi impedimentis, quæ diligenter ſunt præcauenda, quia ſunt ſeptem phialæ iracun-
Apoc. 15 diæ, Dei, de quibus in Apo. agitur à quodam comparata, vt videre eſt illius opuſculo, quod inſcribitur, Septies in die, &c.

§ 3. *De promotiuis attentionis.*

POSTREMO qui volet attentus eſſe, opus illius adiumenta aſſumere, quæ præter cætera tanguntur hoc verſiculo:

Praſto, petas, claudens, obſtes, preme, volue, memor ſi.

PRIMVM, & præcipuum attentionis adiutorium eſt, ante orationem ſe diſponere ad attentionem, & præparare, (quemadmodum ſupra præmiſſum eſt, de Horarum præparatione) tumultus & cordis diſtractiones ſeponere, & cor ad attentionem coaptare.

Verum quoniam nulla eſt noſtra induſtria, niſi Dei cooperetur gratia, ante omnia illa eſt imploranda, Vnde dicitur, *Petas*: hinc eccleſia, *Deus in adiutorium*, Horarum initijs præmittit, de ſe deſperans, auxilium requirens; Qui verſiculus multæ efficaciæ eſt, & magnæ virtutis, vt Abbas Iſaacus in collatione ſua deducit, dicens, quod recipiat omnes affectus, quicunque poſſunt humanæ naturæ inferri, & ad omnes conuenienter aptatur incurſus. Habet enim contra omnia diſcrimina imminentia, protectionem diuinæ inuocationis; habet conſiderationem propriæ fragilitatis: habet fiduciam exauditionis: Omnibus infeſtationem Dæmonum patientibus inexpugnabilis murus eſt, & clypeus munitiſſimus defendens nos contra omnium vitiorum impugnationem. In quacunque enim tribulatione, vel neceſſitate conſtitutus, habet dicere, Deus in adiutorium meum intende, &c. Cum multa itaque attentione, & cordis deuotione verſiculus is perſonandus, dirigendo attentionem in appropriata Trinitatis,

Vt ſua	Potentia	Fragilitaté.	Roboret,
	Sapientia,	Cæcitatem,	Illuſtret,
	Bonitate,	Malitiam,	Abſtergat

Et ſe digne laudare concedat. Et non modo ſemel pro attenta oratione in principio ſupplicandum, ſed, iuxta Gerſ. eſt etiam per totius pſalmodiæ decurſum crebro ſuſpirandum in
Pſ. 118. Deum, & dicendum. *Voluntaria oris mei bene-*
Pſ. 140. *placita fac Domine*, Et, *dirigatur oratio mea in conſpectu tuo*. Maximè autem circa ſingulorum
Pſ 118. pſalmorū initiū *os aperire* debemus, & *trahere ſpiritum*, quo poſſimus attente pſallere illum.

TERTIVM adiutorium eſt *cohibitio externorum, & internorum ſenſuum*: clauſis enim ian-
Io. 20. uis Dominus Ieſus pacem, & Spiritum ſanctū dedit diſcipulis, & ſenſum ſcripturarum aperuit illis. O prægrande attentionis impedimentū huius contrariū, euagatio videlicet ſēſuū, & ſub tali officio dedecens multum. Hinc clauſis, aut ſaltē reflexis corā ſe, vel de libro oculis, diuino ſub officio aſtandū: & ſenſui euagari volenti, cum Gerſon. dicendum.

Clauſa, quid ad te. ſta, quis tu, duc, duc, cor in alta.

QVARTVM non inferius adiumentū eſt *viriliter obſiſtere ex initijs*, diſtractionibus, & tentationibus demonū; exemplū Abrahæ abigen-
tis aues de ſacrificio. Acrius enim diabolus ſæ- *Geneſ.* 15.
uit in horarum initio, Vnde etiā cum dicimus, *Deus in adiutoriū*, contra ſuos inſultus, munimus nos ſanctę crucis ſignaculo. Hinc Petrus Rauennas, diabolus ſemper primordia bona pulſat, captat rudimenta virtutū, ſancta in ipſo ortu feſtinat reſtinguere, ſciens quod ea euertere fundata non poteſt: Hinc ſi ipſius laqueos euadere curamus, fortiter ex initijs obſiſtamus dicitur enim,

Principijs obſta: ſero medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.

Diabolus ſiquidē ſerpens lubricus eſt, cuius ſi capiti non reſiſtitur, totus in interna cordis, dum non ſentitur, illabitur; Cuius non nocet ſenſus, ſi non adeſt mora, & cōſēnſus; ſed coronatū materia eſt, & occaſio exercēdæ virtutis. Quotiés enī ſub horis reſiſtimus totiés eos ſuperamus, Angelos lætificamus. Deū honoram⁹.

QVINTVM attentionis remediū eſt *fortis cōpreſſio digitorū*, & exercitatio in Chiropſalterio, ſeu alijs attentionis adiumentis, vt infra plenius dicemus.

SEXTVM eſt, frequenter *meminiſſe, & reuoluere*, quæ attentionem ſuadent, & quę ad eam poſſunt incitare, vtpotè Dei præſentiā, & maieſtatem præ oculis ponere. Vnde Baſilius, Quomodo obtinebit quis, vt in oratione ſēſus eius non euagetur? Si certus ſit ſe ante oculos aſſiſtere DEI. Hinc quibuſdā motis eſt, in fine pſalmorum ſeſe huiuſmodi conſideratione exuſcitare. Neceſſe eſt etenim (ait Hugo) ſæpè de altis, ad ima deſcendere: Nam & qui in opere eſt ſtrēnuus, orare indiget ne deficiat; Et qui precibus inſiſtit, ne orando diſpliceat, crebro meditari habet quomodo oret.

POSTREMVM adiumentum eſt *aſſumptio certorum obiectorū*, vitæ & paſſionis Chriſti, vt ſi
literæ inhærere nequeat, vel ſaltē inhæreſcat *Inſignis*
iſtis. Eſt enim (vt Vincentius ſpeculator ait) cor *ſimilitudo.*
humanū quaſi venatica quædā auis, quę cum tenetur in manu, audito modico ſonitu, nititur mox auolare, ſed vinculis retinetur: Verum cū per locum tranſit, vbi ſtrepitus eſt, rubeas illi carnes, & ante oculos, & ad roſtrum tenent, vt attenta ibi, ad ſtrepitum non attendat. Sic cor noſtrum, vt inſtabilis auis in oratione, auolare nititur ad ſtrepitum tentationum: Sed reſtringendum, & reuocandū eſt vinculis Dominici timoris, & amoris; Quæ ſi non ſatis proſint, cruētas oportebit illi præponere carnes Chriſti, & huiuſmodi alia ſalubria obiecta, quo in huiuſmodi contemplatione cor occupatum, non auolet, nec diſtrahatur. Et hæc de attētionis promotiuis, nunc de remedijs diſtractionum ſubuectendum.

MEMBRVM III.

De remedijs diſtractionum.

CVM igitur ſe deprehenderit homo in oratione diſtractum, his remedijs eſt cor recolligendum.

Audi

Audi, ſubſtomachans, tundas, redeas, memor, obiect.

Id eſt, (vt breuiter ſingula percurramus) cùm diſtractus fueris, vt citius recolligaris, PRIMO *audi* quaſi Dominum dicentem & increpantem Matth. 9. *Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Aufert ſe ſpiritus à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu.* Sap. 1. *Auferte* itaque *malũ cogitationum veſtrarum ab oculis meis*, Eſaiæ 1. *Et confundere in corde tuo, ſi forſan confuſio illa gloriam adducat tibi*, Eccl. 4. Ecce facilior eſt is recollectionis modus.

ALTERVM antidotum eſt, audita ſic Dei voce *ſubſtomachari*, & inuehere in teipſum duriuſculè debes, te te cum S. Paphnutio arguendo, Quid agimus ò precioſiſſima & Deo digna anima mea, vt cæleſtibus relictis terrenis occuperis? Væ tibi miſero, qui ſub conſpectu Dei, & Angelorum, ludibrium factus es dæmonum, amittens fructum orationum, & cæt.

TERTIO *tundas* pectuſculum, ſuper diſtractionibus dolendo, & ex imo cordis dicendo, *Deus propitius eſto mihi peccatori*, Luc. 18. Credens per hoc culpam deleri. Efficaciſſimus ſiquidem verſiculus iſte eſt, & facilè remediatiuus omnium diſtractionum (vt Dominus docuit Mechtildim) ſi ex corde dicatur. Nec enim expedit, vt propter cordis diſtractionem homo puſillanimior fiat, aut nimium turbatus & deiectus. Ex hoc namque magis diſtrahitur homo. *Facilè Deus ignoſcit, vbi homo agnoſcit.* Baſilius. Si ex infirmitate cadis, & teipſum quantum vales, coerces, Deus libens ignoſcet. Tunde igitur pectus, & reliquum Deo committe. Nõ enim ſemper abigere inutiles muſcas oportet: Aliquando expedit nihilipendere importunitatem earum; vt varijs exemplis Patres ſancti confirmarunt. Vnus de retentione pallij in vento; Alius de catuli latratu, aucarum ſibilo, & muliere litigante; Tertius de riuo, qui violẽtior fit obice dato. De larua quoque & ſpiritu blaſphemiæ, ac de curioſitatis pruritu, qui non ſcalpendo curatur; ſed accenditur magis.

Gen. 15.

QVARTO tunſo pectore, & paruipenſis ventis illis, mox reſipiſcendum, & redeundum ad pſalmorum attentionem. Quod ſi præ nimia diſtractione cordis non poterit hærere pſalmis, vel ad ſacra ſua ſe *obiecta* diuertat, vt inde eliciat deuotionem; Ait enim venerãdus Gerſon, quod orans, qui non poteſt conſequi finem vltimum, & deuotionem ex cantu pſalmorum, propter aliquam cauſam; poteſt & debet, cum omni libertate ſpiritus, ſine ſcrupulo, conquirere deuotionem aliunde, ſi poteſt; felix, ſi dicere poterit, *Oculi mei ad Dominum ſemper*, Pſal. 24. Et verè felix & beatus, etſi non datur volare, ſi poteſt vel repere, aut ſaltem locuſtarum more, aliquos ſaltus attentionis dare & deuotionis. Et hæc ſufficiant de attentione orationis.

De deuotione.

CAPVT IIII.

OBTVLIT *vniuerſa multitudo hoſtias & laudes, & holocauſta mente deuota*, 1. Paral. 29. Omnis multitudo filiorum Iſrael obtulit mente promptiſſima atque deuota primitias Deo, Exodi 35. TERTIVM principale, quod diximus in horarum exolutione neceſſarium, eſt, quod dicãtur cum *deuotione*. Eſt autem deuotio (vt venerabilis Hugo ait) *eleuatio mentis in Deum, per pium & humilem affectum, Fide, Spe, & Charitate ſubnixa.* Quam definitionem latius ſuper Magnificat explicat Chriſtianus Doctor Magiſter Ioannes de Gerſone, tandem abbreuiãs hoc modo: *Deuotio eſt pia & humilis affectio in Deum.* Quæ quàm orationi ſit neceſſaria Iſidor. explicat breui ſententia, dicens: Quid *prodeſt ſtrepitus labiorum, vbi cor eſt mutum? Oratio eſt, cordis eſt, non labiorum.* Et cordis vocem diligit Deus, iuxta illud, 1.

Deuotio quid.

Non vox, ſed votum, non muſica chordula, ſed cor,
Non clamor, ſed amor, pulſat in aure Dei;

Vnde ſicut vox ſine modulatione, eſt quaſi grunnitus porcorum: ita oratio ſine deuotione, quaſi mugitus boũ; imò elanguida prorſus, & emortua eſt abſque ea.

MEMBRVM I.

Neceſſitas deuotionis in oratione.

EXERCEAMVS itaque nos ad hanc pietatem deuotionis, & offerre ſtudeamus hoſtias & laudes cum Iſraelitica multitudine, mente prompta atque deuota. Perneceſſariũ id propter iſta,

Nec viuit, vel olet, nec ſcandens afficit, aut vox.

PRIMO neceſſe eſt, quod oratio ſit deuota, alioquin *emortua* eſt, &, quaſi non exiſtens, caret vita: Omnis enim actio ſine deuotione (iuxta Bonau. in de donis Spiritusſancti) mortua eſt, & ſine vita. Cuius cauſam aſſignat magiſter Hugo, dicens: *Viſibilis actio eſt quaſi quoddam corpus; deuotio verò quaſi ſpiritus eius, quia deuotio charitatis actionem viuificat, ſicut anima corpus.* Et licet quod viuit moriatur; vita tamen ipſa nõ moritur: Actio quidẽ tranſit, ſed pietas actionis licet fiat in tempore, non tamen finitur cum tempore. Sit itaque pietas & deuotio in omni opere, præſertim in oratione. Simile.

SECVNDO patet neceſſitas deuotionis, eo quod oratio in Scripturis comparetur *incenſo*, aromatibus, & thymiamati boni odoris: vt patet in Leuitico & Apocal. Incenſum autem, & thymiama non redolet, nec ſuauitatis ſpargit odorem, niſi ſuppoſitum carbonibus viuis & ignitis: Sic nec oratio noſtra *redolet*

coram Deo, niſi deuotione informata fuerit, & proceſſerit de corde inflammato; vnde & Apoc. 8. Viſus eſt Angelus habuiſſe *thuribulum aureum*, carbonibus ardentibus plenum, & *datis ei incenſis, aſcendit fumus coram Deo.* Tractat latiſſimè & deuotiſſimè comparationem hanc, in de Rhetorica diuina, deuotiſſimus magiſter Guliel. Pariſienſ. videatur & legatur, quia totus eſt deuotus.

Tertiò probatur neceſſitas deuotionis, quia oratio comparatur *fideli nuncio* (vt ait ſuper illo verſiculo pſal. *Intret oratio mea in conſpectu tuo.* Pater Aug.) Quemadmodum & per multas ſimilitudines illud deducit in præmemorato opere, memoratus affectuoſiſſimus magiſter Guliel. Periculum eſt autem nuncio ſi illi deſint pedes, aut verbum, quia ſic procedere non poteſt, nec explere negotium: Sic & deuotio orationi abeſſe nõ poteſt, alioquin nihil expletur, & ad nihilum valet; vt latius idem Guilielm. & ex eius vitula arans Gerſon, in ſermone de oratione deducit. Hinc & Bernard. *Periculum eſt ſi oratio timida, tepida, vel*
udic 4. *temeraria eſt: Timida cælum non penetrat; Tepida in aſcenſu langueſcit; Temeraria patitur repulſam. Quæ vero fidelis, humilis, & feruens oratio fuerit, cælum ſine dubio penetrabit: vnde certum*
ccli. 25. *eſt, quod vacua redire non poſſit.*

Qvarto indeuota oratio non *afficit*, vnde anima ieiuna manet. Animæ cibus eſt deuotio mentis, qua ſine deficit; & corpus quidem affligitur labore, & mens areſacta inanis manet,
Pſal. 62. & ſine fructu. O ſicut adipe & pinguedine re-
ant. 4. pleatur anima noſtra deuotione: hæc enim adeps eſt renunculorum, quem ſibi voluit Deus holocauſtomari, ſine qua nec oratio placet illi.

Postremo multa & prægrandis eſt in oratione neceſſitas deuotionis, qua ſine oratio *muta* eſt, & quaſi ſonus ſine voce. Auguſtinus. *Qui clamat ore, & tacet corde, mutus eſt in Dei aure:* Pietas ſiquidem & deuotio eſt vox, quã deſiderat audire. Valentiores etenim voces apud ſacratiſſimas aures Dei non faciunt verba, ſed deſideria pietatis: vnde & hortatur ad
ant. 8. vocem hanc in Canticis, dicens, *Fac me audire vocem tuam: vox enim tua dulcis & decora.* Fiat igitur oratio cum deuotione, vt deuotiſſimè hortatur in Rhetorica ſua piiſſimus ille Guillelmus Pariſienſ. vbi ad liquidum deducit cõparationes memoratas orationis: vnde ſuademus quod liber ille ſuus legatur ab omnibus deuotis oratoribus, quia verè ibi calamum, vt habetur, tinxit in corde.

MEMBRVM II.

De vtilitate deuotionis.

Ostendimvs neceſſitatem deuotionis, vultis paucis perſtringamus vtilitates eius, quæ non modo neceſſaria in oratione, ſed in omni bona actione? Arida eſt omnis Religio, quæ non ſaginatur hoc oleo; Inſtabilis eſt bonorum operum ſtructura, quæ deuotionis non compaginatur frequentia, ſicut paries ſine cemento. In omni religione, vbi deuotionis feruor intepuerit, etiam alia virtutum machina deficit & ruit. Extinguuntur ſiquidem lampades fatuarũ virginũ, vbi defecerit deuotionis oleum, Mat. 5. Vbi autem oleum hoc perſtiterit, ibi omnis virtutis exercitium inclareſcit. Deuotio ſiquidem hæc bona facit, II.

Intellectum vnctio docet de omnibus; docebit vos omnia. — *Affectum ad bonum appetendum: Qui edunt me eſurient.* — *Ad perficiendum; Deus operatur velle & perficere.* 1 Ioan. 2. Eccli. 24. Phil. 2.

Luſtrans, Inflammat, Robur dat,

Actionem ad virtutes. Ordinauit in me charitatem. — *Morum compoſitionem. Nunquam cum ludentibus miſcui me.* Cant. 2. Thob. 3.

Dirigit, Ornat,

Scientiam fidei iuxta nomen; ſapientia, quaſi ſapida ſcientia. — *Erigit infidum: ipſe Spiritus reddit teſtimonium quod filij Dei ſumus.* — *Accenditur; Nam charitas Dei diffuſa eſt in cordibus.* Ethym. Rom. 8. Rom. 5.

Dulcat, Spes, & Amor,

Deo familiarẽ reddit; loquebatur Dominus cũ Moſe, ſicut amicus. — *Orationem impinguat, holocauſtum pingue fiat.* — *Bonus Chriſto; Offerre incenſum in odorem ſuauitatis.* Exod. 33. Pſal 19. Eccli. 45.

Fit amicus, Pinguis, Odorque.

Dat fiduciam impetrandi; fiduciam habemus ad Deũ quodcunque petierimus; — *Contra aduerſa conſtantiam; Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* — *Pium & affectuoſum facit, benignus eſt ſpiritus ſapientiæ.* 1. Ioan 3. Rom. 8. Sap. 1.

Fidens, & Conſtans, Pius,

Cor humiliat; ſuper quem requieſcet ſpiritus meus. — *Omnia delectabilia reddit; Non habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium.* Eſa 66. Sap. 8.

Ac Humilis, Quoque Lætus,

Dæmones fugat; fumus eius extricat omne genus dæmoniorum. — *Mundum; vidi quæ fiunt ſub Sole, & ecce vanitas.* — *In meritis; quid ſapientia locupletius, quæ omnia operatur?* Thob. 6. Eccle. 1. Sap. 8.

Effugat, & Spernit, Ditat,

Ad cæleſtia deſideria habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto. — *Angelos, & mutat; præuenerunt principes coniuncti.* — *Dat cælum.* Phil. 1. Pſal. 67.

Leuat, Aduocat, Aſtra.

Hæc & multa alia bona confert deuotionis gratia, vt in opere de ſex alis deuotiſſimus annotat Bonauentura: Vnde plurimum inſudandum pro ea. Diſtinguit autem idem venerabilis Doctor triplicem deuotionem, dicens,

	Communis,		Diuinis officijs,		Strenuè impleantur,
Eſt quædam deuotio	Specialis,	In	Priuatis orationibus,	vt	Mens exerceatur,
	Aſſiduialis,		Omnibus agendis,		Deo ſemper placeatur.

Hæc poſterior deuotio *primò* vult, quod iugis memoria Dei ante oculos cordis ſemper habeatur: Dauid Pſal. 15. *Prouidebam Deum in conſpectu meo ſemper.* Et Pſal. 24. *Oculi mei ſemper ad Dominum;* Et Helias 1. Reg. 17. *Viuit Dominus, in cuius conſpectu ſto:* Æſtimans omne tempus deperditum, in quo non cogitat Deũ. *Secundo* vult vt in omni opere Deo placeatur: Apoſtolus 2 Cor. 5. *Contendimus ſiue abſentes, ſiue præſentes placere illi; omnes enim manifeſtari*

oportet

Digitized by Google

oportet ante tribunal Chriſti. Sit igitur paratus ſemper: ſic viuens cum hominibus tanquam Deus videat, ſic loquens cum Deo, (vt Seneca ſuadet) tanquam homines audiant. *Tertio* vult quod omnis actio, ſaltem mentali oratione præueniatur; & ſemper cōfugiatur ad orationis portum, plus in omnibus agendis fidendo orationi, quàm propriæ induſtriæ, vel labori; vnde S. Ioſaphat 2. Paral. 20. *Cùm ignoramus quid agere debeamus; hoc ſolum habemus reſidui, vt ad te oculos noſtros dirigamus.*

Ecce ſi talis deuotio aſſidua requiritur in omni actione: quanta debet eſſe, & quanto actualior in diuino officio & oratione? Ad quod deuotè perſoluendum, ſumus obligati ex iuſſu canonis, & multiplici ratione.

Horas enim deuotè ſoluere debemus ex
- Debito iuſtitiæ,
- Mandato regulæ,
- Statuto Eccleſiæ.

Vt autem inter pſallendū obtineamus hanc gratiam deuotionis,

Oportebit
- Vitare impedimenta, & cauſas indeuotionis,
- Noſſe, & aſſumere cauſas & promotiua deuotionis,
- Scire vnde elicienda ſunt affectus pietatis.

§. 1. *Cauſa indeuotionis.*

IV. Cauſas autem aliquot indeuotionis, ac per hoc impedimenta ſacræ deuotionis enumerat in Speculo morali Vincentius, perſtrictas his verſiculis:

Num. 9. Ezech. 18 *Prima cauſa indeuotionis eſt faſtidium boni operis; Anima noſtra arida, & nauſeat.* *Secunda, nimietas mūdana conſolationis: vnde non datur manna durante farina Ægyptiaca.* *Tertia eſt ingratitudo, quæ quaſi ventus vrens ſiccat venas pietatis.*

Faſtidit, Solans, Ingratus,

1. Reg. 1. *Quarta duritia cordis, quæ nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur.* *Quinta eſt ſuperbia; Super montes Gelboe, nec ros veniat, nec pluuia.*

Durus, & Effert.

Prou. 13. *Sexta cauſa ariditatis prouenit ex negligentia inexercitationis; Anima laborantium impinguabitur. Vult enim & non vult piger.*

Neglígit,

Pſal. 21. *Septima eſt impatientia, qua anima redditur ſterilis & arida. Aruit tanquam teſta virtus mea, quæ cito frangitur. Igne enim impatientiæ non compatitur ignis deuotionis.*

Impatiens, hinc indeuotio ſurgit.

Has vitij cauſas oportebit deuitare, qui volet deuotionem habere: Et potiſſimum deſidiam & inexercitationem, vnde cor totū areſcit; *Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum*, &c. Pſal. 101. Sunt autem & aliæ cauſæ, quare interdum diſpenſatiuè deuotio ſpiritus ſubtrahitur, quas quia ſupra in introductorio commemorauimus, non hic opus eſt repetiru. Tantum enitamur & præcaueamus, ne per has impedimentum deuotioni demus. Reſtat inquirendum de cauſis & promotiuis ſacræ deuotionis.

§. 2. *Cauſa deuotionis.*

V. CAVSAS autem duas principales tradit Doctor ſanctus deuotionis, quarū *vnam extrinſecam* ponit & principalem, fontem gratiarum, ſcilicet Deum, à quo omne deuotionis donum & datum: *Alteram intrinſecam* & cauſalem, quam ait meditationem, & exercitationem cordis, ſecundum pia & deuota obiecta conſiderationis, quæ ſunt quaſi ligna ſiluæ, ſecundum quæ ardet ignis cordis. Nam ſicut ligna ignem nutriunt, ita meditationes deſideria paſcunt: Quæ ſi perfuerint & ſanctæ, oboritur ignis deuotionis ſacræ. Cuius hæc promotiua ſunt & conſeruatiua, Iac. 1. Eccli. 18.

Diſponas, penſans, repetas, obiectaq;, poſcas.

PRIMVM ad deuotè orandum promotiuum, eſt *mentis pariter & corporis prædiſpoſitio*, ad influxum ſpiritus melius capeſſendum; & *mentis quidem*, eam ab omnium curarum ſollicitudine reſtringendo, & deſiderium ad Deum dilatando; *Corporis vero* illius ſenſus ab euagatione cohibendo, & ad deuotionem ſe coaptando, vt plenius tractatur infrà, in de meditatione.

ALTERVM eſt ſtudioſa *recogitatio*, quam indeuota oratio inutilis ſit, & vanis: Contra verò, quam deuota, vtilis homini, & Deo accepta, quæ & menti eſt ſubſidium; Angelo bono ſolatium; diabolo ſupplicium; gratiſſimum Deo obſequiū, vt in Speculo Vincēt. declarat.

TERTIVM eſt crebra affectionum *repetitio*, vt ſcilicet ſi homo non poteſt habere mentem eleuatam diu, & amare vehementer; vel ſaltem diſcat crebro aſpirare, & ingemiſcere frequēter, vt docet S. Thomas. Quo enim concupiſcit frequentius, eo & vehementius, & tandem perſtat diutius.

QVARTVM eſt, deuotorum *obiectorū aſſumptio*: Ignis enim, vt diximus, ardet ſecūdū ligna ſiluę. Notanter autē dicitur, quod obiecta *ſint deuota*, & cordiū inflāmatiua, aliàs nō ſunt deuotionis prouocatiua, vt ait Doctor ſanctus in ſolutione cuiuſdam quæſtionis, *Quare, ſcilicet, viri litterati & intellectu ſubtiles, à ſpiritu deuotionis perſiſtant alieni & aridi, vbi ſimplices & idiotæ affectu profluūt, & ſunt deuoti?* Præcipuā cauſam ſcribit, *quia non conſiderant obiecta deuota*, & materiam pietatis, ſed *tempus terunt in argumētationibus ſophiſticis*, & vanis ſubtilitatibus, de quibus dicitur, *Confundentur qui operantur linum, plectentes & texentes ſubtilia*. Cuius etiam *altera* cauſa eſt *nimia cordis elatio*, qua nō in Deo, ſed in propria fidunt ſapientia; vnde iure derelinquuntur à gratia. Amplectamur itaque, & circumferamus, & reuoluamus in cordibus noſtris obiecta ſacra & pia; quo ſēper ignis deuotionis ardeat in altari cordis, & in mente noſtra. Eſa. 19. Leuit. 6.

POSTREMVM & efficaciſſimum obtinendæ & conſeruandę deuotionis adiutorium eſt, iugis & fidelis ad Deum, *pro ſpiritu deuotionis oratio*, & obſecratio: *Os, inquit, meum aperui, & attraxi ſpiritum*, pſal. 118. Omnia enim exercitia alia (ait S. Vincentius) non ſufficiunt ad ſuccēdendum deuotionis feruorem, niſi Spiritus ſanctus inuocetur per orationem. Oremus igitur, & tota mente oremus, quo mereamur ſpiritum hunc, auctorem totius deuotionis, qua ſine langueſcimus in omnibus exercitiis noſtris. Vnde enim areſcit

anima, & moleſtus eſt nobis pęnitētiæ labor, Rom. 1. grauis afflictio corporis, oneroſa abſtinētia,& in vigilijs dormitat anima noſtra præ tædio, corde arido,ſine fœdere,ſine affectione, & vix trahimur aut cōpellimur ad bonū, vbi alios non modò ambulare, ſed & currere, imò volitare videmus, quibus & vigiliæ breues, cibi dulces, panni ſuaues, & labores pœnitentiæ, non ſolum tolerabiles, ſed & appetibiles videntur, & continuum apud illos alleluia cantatur; vnde differentia tanta, niſi ex præſentia ſpiritus,& inopia deuotionis? Si enim ſpiritus communiter nobis ſicut & ipſis adeſſet, ſi eadem vnctio deuotionis in nobis, ſicut & in ipſis ineſſet, vtique & idem ſpiritus infirmitatem noſtram, ſicut eorum adiuuaret, & *à facie olei iugum computreſceret*, Eſa. 10. & nobis laborem & pœnitentiam noſtram faceret non ſolum non moleſtam, aut tolerabilem, ſed etiam deſiderabilem, atque delectabilem eſſe. Spiritus enim ille ſuper mel dulcis, & vnctio Eccli. 24. ipſa aſperrima etiam quæque lenit. Quæramus igitur hunc ſpiritum, hanc vnctionem tota ſollicitudine perquiramus, nec à petendo, Matth. 7 quærendo, pulſando ceſſemus, donec hunc mereamur. Sed petimus, & non accipimus, Iac. 4. eo quod non rectè petamus. Quando enim negaret petentibus, qui etiam non petentes prouocat, vt petant? Auſim confidenter dicere cum Bernardo, ſi rectè petierimus, nō fraudabimur votis noſtris, nec vt Apoſtoli, vel decimum differemur in diem. Sed petendum eſt, vt idem ait, ſine intermiſſione, ſine hæſitatione, & in omnibus operibus inuocandus ſpiritus deuotionis huius. Maximè autem ſub X. officiis diuinis. Et hæc breuiter de cauſis & promotiuis deuotionis.

§. 3. *Vnde deuotionis affectus eliciantur.*

VI. POSTREMO inquirendum, vnde deuotionis affectus elici poterunt inter pſallendum. Pro quo NOTA, quod varia illic offertur materia deuotionis, & ex diuerſis ſumi poterit eleuatio affectus, ſcilicet ex iſtis.

Ex ſenſu, verbis, adiectis, conſpicis, obiect.

PRIMA & principalior ſub horis materia deuotionis ſunt, officium ipſum, & *pſalmorum ſenſus*; vnde eliciendi ſunt, tanquam ex verbis ignitis, ardentiſſimi deuotionis affectus. Nam & ob hoc pſalmi præ cæteris diuinarum Scripturarum libris, ab Eccleſia ſecundum diuinum Dionyſium in officio diuino ſunt aſſumpti, quo crebriores formari ex his poterunt pietatis affectus. Vnde ait Venerabilis Hugo, Vnuſquiſque, dum in oratione, vel pſalmos, vel alias Scripturas quaſcunque decantat, diligenter aduertat, cui affectui deſeruiant, & ad illum toto nixu cor ſuum excitet, ad quem id, quod loquitur, magis pertinere videt; vt ſcilicet fiat, quod Pater Auguſtinus iubet, dum pſalmos (inquiens) cantatis, ſi orat, orate; ſi gemit, gemite; ſi laudat, laudate, &c. ſecundùm quod infrà plenius in chiropſalterio docetur.

SECVNDVM vnde formari poterunt affectus pietatis, eſt ex *ſingulis* eorum, quæ cantantur *verbis*: Et hoc maximè, vbi ſub nota, & neumatibus, protrahitur cantus, & verba ſunt affectuoſa: Tunc enim licebit ex verbis facere diſtinctiones, propoſitiones elicere, & affectus formare affectuoſos. Cuius rei præclarum exemplar dedit venerandus Gerſon, ſuper verbis Pater noſter, dicens, quòd vbi inſonuerit in cantu, vel lectura, *Pater noſter*, protinus aſſurgere animus debet ad reuerentiam ſimul, & ad dilectionem tanti Patris; ad fidam poſtulationem pro neceſſitatibus tuis, fratrumque tuorum, quorum Pater eſt communis, & cura illi de cunctis. Arripe (ait) ex hoc verbo generoſum, nobilemque contemptum fœdæ ruſticitatis, tu qui tam regio Patre gloriaris: Diſpliceat tibi, ac gemas exilium tuum, cui cæleſtis hæreditas filiationis reſeruatur titulo, & cuius Pater eſt in cælo, &c. Tales, inquit, affectus inuenire eſt ſine termino vel numero, de die in diem, ſuaues ac nouos, velut in fauo & manna, aut nucleo reconditos, qui vbertim fluent, ſi contemplationis dēte compreſſi fuerint. Prælustre iſtud exemplū, ad pietatis affectus plurimos ex ſingulis verbis eliciendis.

TERTIO affectus elici poterunt *ex adiectis*, VII. Obſerua. hoc eſt adjiciendo verbis pſalmorum, quædā adiectiua proprietatis, vt hoc moris eſt Rhetorum & Poetarum, annectere ſingulis verbis proprium epithetum, id eſt explicatiuum proprietatis, vt id vſitatiſſimum Ambroſio in ſuis hymnis. Quantum autem iſtud valeat ad eliciendum pietatis affectus, experiatur qui neſcit; hoc ſiquidem & intellectum illuminat, & affectum miro modo inflammat. Exempli gratia, vt cùm cantatur vel legitur verſus, *Miſerere mei Deus*: Multiplex ex verbis ſingulis poterit elici affectus, adjiciendo Pſal. 50. ad *Deus*, adiectiua explicatiua proprietatis, ſecundum quod docet auctor triplicis viæ, dicendo hoc modo, O *Deus* bone, pulcherrime, Domine dulcis & miſericors, cui proprium eſt parcere, & miſereri, ſicut igni lucere & ardere; *Miſerere*, ô miſericordiam impende, aut (iuxta Etymologiam) mira ſuauitate riga corda, compaſſionem miſeriarum habe, aut miſeriam remoue: Vel certè, iuxta originalem Hebraicum, matricaliter, quaſi mater Etym. ad infantem vteri afficere. Et ô vtinam, atque vtinam miſerearis *mei*. *Mei*, inquam, *mei* tam miſerrimi, nequiſſimi, & abominandiſſimi peccatoris, qui tam multipliciter, grauiter, turpiter, & frequētet tam optimum te Deum, diuinum Patrem offendi. Mira & latiſſima in ſingulis his adiectis verbis, contemplationis pariter & deuotionis materia latet. Nam in adiectis primis quinque vocabulis, ad *Deus* comprehenduntur proprietates, quibus ex effectibus ſuis cognoſcitur Deus, qui in ſe bonus, pulcher in Angelis, dominans vniuerſis creatis, dulcis bonis, & ſibi ſeruientibus, miſericors peccatoribus ad ſe conuertentibus. Ecce in his quinque adiectis, quanta illuſtratio & copia, affectio & materia deuotionis. Sic etiam in adiectis ad verbum, *Miſerere*. Similiter & in verbo *mei*. Vnde huius inſtar, poterit quaſi generalis regula, pro multiplicādis affectibus

Digitized by Google

affectibus pietatis elici: Quod in omni tali, aut conſimili oratione, inter horas occurrente, triplices poſſint affectus formari, ſecūdum triplicem viam coordinatam, ſecundum tres hierarchias, & tres animæ vires principales, ſcilicet, purgatiuam, illuminatiuam, & perfectiuam. Vt ſcilicet vbicunque inſonuerit relatiuum, *mei, me, mihi*, vel conſimile, adjiciantur determinantia, explicatiua miſeriarum, aut vtilitatis propriæ: Et ſic ſit via purgatiua, ingemiſcendo & querulando, & dolendo de eis. Vbi autem *Deus* vel *Dominus*, *Pater*, *Rex*, aut *Dominator* dicitur, mox illic determinans aliquod adnectendum eſt illuminatiuum, & expreſſiuum proprietatum illius, aut interpretatiuum vocabuli, & definitiuum quid nominis, vt ô *Deus*, quo nihil maius aut melius, dans æternam vitam ſuis, qui omnia ſcire potes, & omne bonum voles &c. Et hoc modo conſtituitur via illuminatiua, quæ gratias agendo perficitur, laudando, & congratulando. Vbi autem petitionis aut deprecationis occurrerit verbum, mox per O, *ſi quando*, *& vtinam*, & conſimilia exclamatiua, & deſideratiua, affectus ſunt ingeminandi, & ſubleuandi. Vt O miſerere; Si quando atque ô vtinam miſerearis mei. Iuxta enim Hugonem de Balnia, non eſt leuior, compendioſior, aut melior proficiendi in vera deuotione via, quàm exercitare ſe per huiuſmodi affectuoſa exclamatiua, vt latius explicatur in libellis de triplici via. Quo autem huius practica plenius illuceſcat, Ponendum eſt illuſtre huius exemplum, explanatio nimirum Ioannis Nyder ſuper Pater noſter, ſecundum triplicem hanc viam, vt illius inſtar in aliis orationibus ſic fiat.

Explanatio orationis Dominicæ, à Magiſtro Ioanne Nyder, ſecundum affectus triplicis viæ.

Textus orat. Dom.	*Purgatiua.*	*Illuminatiua.*	*Perfectiua.*
Pater noſter,	Nos pupilli ſincere,	O amor ardentiſſime,	Quando diligemus feruenter amore te?
Qui es in cælis.	Nos vacui, & exules à te.	O hoſpes ſuauiſſime,	Quando habitabis in hoſpitio cordis noſtri, vt in cęlis?
Sanctificetur nomen tuum.	Nos terrena tibi præponentes,	O ſapor ſanctiſſime,	Quando nobis nomen dulceſcet, vt terrena contemnamus?
Adueniat regnum tuum.	Nos in via errantes.	O Rex præclariſſime,	Quādo ſubjiciemur tuo regimini, vt nō regnet cōcupiſcentia in nobis?
Fiat voluntas tua &c.	Nos tuę volūtati rebelles.	O præceptor prudentiſſime,	Quando cōformabimur in omnibus voluntati tuæ?
Panem noſtrum quotidianum &c.	Nos mendici fameſcētes.	O paſtor ſufficientiſſime.	Quando plena ſatietate ſatiabimur vbertate tua?
Et dimitte nobis debita.	Nos peccatores debētes.	O creditor liberaliſſime,	Quando ſuſcipies prodigos filios, remittendo exceſſus noſtros.
Et ne nos inducas in.	Nos tentati & imbecilles,	O cuſtos diligentiſſime,	Quando tutabimur plenè, vt non pręualeat inimicus?
Sed libera nos à malo.	Nos mali pleni, & fragiles.	O liberator fortiſſime.	Quando liberabimur à fragilitate corporis, & ab omni malo.

Ecce vides quomodo hic in *prima riga* ſeu ſerie ponitur primùm textus ipſe Dominicæ orationis, vtpotè materia, vnde eliciendi ſunt affectus pietatis: *In altera* ponitur noſter defectus, ſecundum viam purgatiuam, cum dolore & pudore: *In tertia*, gratitudinis & laudis actus, qua recognoſcimus Deum vt hoſpitem, præceptorem, Paſtorem &c. ſecundum viam illuminatiuam cum gratitudine & laude; *In quarta* regula, ponitur noſter ad Deum affectus, ad viæ vnitiuæ correſpondentiam, cum deſideratiua aſpiratione & ſuſpirio cordis. Facillimum erit ſtudioſo, huius affectuoſi exemplaris ad inſtar, negociari per Dei gratiā in omni pſalmodia & oratione, quod prorſus Deo gratiſſimum, nobis vtiliſſimum & iocūdum, in huiuſmodi etenim pietatis affectibus tota conſiſtit efficacia & virtus orationis.

QVARTO principaliter affectus in oratione eſt eliciendus ex aliquibus in, vel circa orationem conſpiciendis aut contemplandis. Docendus eſt (ait Bernardus) tyrunculus Chriſti, etiam in oratione leuare cor ſurſum, & ſpiritualiter orare Deum. Admonendus eſt, quanta poteſt puritate cordis intendere in eum, cui orationis ſacrificium offert, ſeipſum qui offert intelligere, & quid offert. Et huiuſmodi plures circunſpicere orationis circunſtantiuas conſiderationes, quales tractat venerabilis Gerſon in tractatu ſuo de valore orationis, & aliis opuſculis, ex quibus ſingulis diuerſi hauriri poterunt affectus deuotionis.

Attendendo in { Deum, / Seipſum, / Proximū, } affectu { Pietatis, / Humilitatis, / Cōpaſſionis.

Conſideratio item conditionis. { Sui qui orat, / Eorum, pro quibus orat. / Modi quo orat. / Rerum quas petit.

De quibus ſcribitur latè à diuerſis.

In quibus ſingulis lata & copioſa materia affectuum eſt, & pietatis.

POSTREMO hauriendus eſt affectus ex obiectis pietatis, ante & ſub horis aſſumptis, præſertim ex articulis Dominicæ vitæ & paſſionis, vt ſuadet exercitatiſſimus P. Bernardus dicens: Tutius & ſalubrius nouello Chriſti tyrunculo, proponitur vita Chriſti & paſſio, vt inde dulcis formetur affectio. Hoc autem qualiter ſine detrimento attentionis ad pſalmodiam fieri poterit, latius infra traditum eſt, de obiectorum vſu & practicis.

Rom. 1. Conticeſcat iam oportet omnis torpens, ſine fœdere, ſine affectione, indeuotus exiſtens, viſis & propoſitis tantis, & tam copioſis ſeminariis affectuum pietatis & deuotionis. Pſal. 18. *Nō enim eſt* qui ſe ab *horum calore abſcondere* poſſit, non eſt locus aufugiendi, nec vltra relictū illi, quod in torporis ſui palliamentum obhiſcere, aut obijcere poſſit, ſi horas non deuotus exoluat.

MEMBRVM III.

De modo & practicis deuotè pſallendi.

VERVM quia multa diximus de mente per deuotionem in Deum eleuanda, breuibus annotandum ſupereſt, *de modo* huius ſubleuationis. Super quo honorabilis magiſter Ioannes Nyder ſcribit, quod maximè cordis hæc eleuatio, per explanationes fieri debeat, *& aſpirationes*; ad quod plurimum valent prænotatæ ſupra aduerbiales, & optatiuæ dictiones, *O, quando, ſi, vtinam*, & huiuſmodi conſimilia. X. Inde etiam tradit anagogicus Hugo de Balma, quod vtile ſit incipiētes habere aliqua verba inflammatiua, amatoria, & ſeraphica, per quæ familiariter colloqui poterunt cum Deo ſuo, etiam millies in die, iaculatorias ſolum huiuſmodi affectiones in Deum dirigendo. Et conſimiles ex pſalmis, & aliis cantandis omnibus eliciendo; vt, dum cantat verſiculū Pſal. 118. *Beati immaculati*, mox igneus affectus vibretur in Deum, pia aſpiratione dicendo, vtinam eſſem immaculatus; O quando ero beatus? Si aliquando ſors hæc mihi obtingat! Et huiuſmodi aſpirationes propriè dicuntur *iaculatoriæ eleuationes*, & ſuſpirioſæ orationes, quę fieri habent cum magna affectione cordis, & non parum deſeruiunt pro exuſcitatione affectuum pietatis & deuotionis; in quibus tota vis & fructus conſiſtit orationis, de qua hæc ſufficiant.

Ex pręmiſſis vtcunque patet qualiter canonicæ horæ, & reuerenter, attentè pariter, & deuotè perſolui debent, vt ſic notabile illud verbum B. Bernardi expleatur in nobis, quod ait ſuper Cantica: *Immolantes hoſtiam laudis, & reddentes vota noſtra de die in diem, curemus omni vigilantia iungere ſenſum vſui, affectum ſenſui, exultationem affectui, grauitatem exultationi, humilitatem grauitati, libertatem humilitati.* O notentur tam grauiſſimi viri, grauia verba; grauida æſtimentur myſteria. Ait in primis *ſenſum iungendum vſui*; id eſt Pſalmorum intelligentiam cum attentione prolationis vocis fieri, vt ſcilicet *pſallatur ſapienter*, id eſt, intelligenter, vt quod cibus in ore, hoc Pſalm. ſapiat in corde, tritus intelligentiæ dentibus: Ne ſi fortè integrum glutiatur, ſapore ſuper mel & fauum dulciori fruſtretur. Pſal. 46. Pſal. 18. Iungendum deinde *affectum iubet ſenſui*, vt illis, ſcilicet affectibus cantentur pſalmi, quibus ſunt, & conditi, & conſcripti; Nunquam enim quis intelliget Dauid, niſi affectus induerit Dauid. Subdit exemplum, quod *exultatio nectenda eſt affectui*, vt ſcilicet iuxta Diui Hieronymi iuſſum, fiat cum ſpirituali hilaritate; Et quia leuitas comitari ſolet exultationem, iungenda iubetur *grauitas exultationi*; vt *in populo graui* laudetur Deus. Pſal. 34. Quæ ne in vanam gloriolam inſoleſcat, ſubdit, quod *humilitas grauitati* cōnecti debeat; Quæ ne puſillanimitate decidat, cordis illi ſocianda *libertas*, vt ſit ſpiritus Domini, vbi illa ſociatur libertas. 2. Cor. 3. Hæc de modo pſallendi, de cuius iam practicis ſubdendum.

§. 1. *Practica deuotè pſallendi.*

PSallite ſapienter, Pſal. 46. Hoc eſt, iuxta B. Bernardum, ſapidè & affectuoſè, vt pſalmus in corde ſit, quaſi ſapidus cibus in ore. Vel, iuxta alium quendam, *Pſallite ſapienter*, id eſt, non improuidè, non inſipienter; ſed ſapiētiali practica vtamini inter pſallendum, quo præmemoratis modis poſſint horæ Canonicæ exolui. Pſal. 46. XI. Vnde dicto in prioribus de modo horas exoluendi; aſſignanda iam nunc ſunt adminicula quædam, & *ſapientiales practica* ad facilius hoc exequendum. Quocirca notandum, quòd à diuerſis diuerſa, ſecundum diuerſam pſalmos canentium varietatem, ponſitur practicamenta: Nam iuxta Decanum Tungrenſem exercitatiſſimum, pſallere triphariam diſcant pſaltriæ, id eſt pſalmos in Eccleſia canentes,

Aut enim pſalmi perſonantur,

A { Simplicibus, Illuminatis, Deuotis, } *vtpote ſunt* { Latinam non intelligentes. Doctiores, & ſtudentes. Religioſi affectui inſiſtentes.

Quorum { Primi, Secundi, Tertij } peculiarius habent attendere ad { Materiam, Formam, Finem, } id eſt { Verba, Senſum, Affectum } Pſalmorum.

Quibus etiam ſingulis, pro eorum diuerſitate, prouiſum eſt de bonis pſallendi practicis.

Nam { Primis, Secundis, Tertiis } adminiculo eſt exercitium { Nyder, & Gerſonis; Doctrinalis expoſitionis; Chyropſaltetion, & modus Hugonis.

Quorum vlterior explanatio tangetur infrà. Et notandum quod

Horum { Primi, Secundi, Tertij, } propriè { Merentur, Exaudiuntur, Reficiuntur } ſecundum tres orationis fructus.

PRO dictorum autem clariori intelligentia
eſt ſciendum, quod tria ſunt in oratione voca-
li (ſecundum Ioannem Gerſon & alios Do-
ctores.) *Vnum* per modum *materiæ*, vt ſunt
XII. pſalmorum verba & textus; *Alterum* per mo-
dum *formæ*, vt eorundem pſalmorum, aut ver-
borum intelligentia, & ſenſus; *Tertium*, per
modum *finis:* vt eleuatio mentis in Deum; &
hic duplex, *vnus* fundatus conformiter ad ſen-
ſum verborũ, qui poteſt dici finis proximus:
Alius fundatus per diuerſa, licet non contra-
ria; vtpotè aliũde aſſumptis obiectis. Et ſecun-
dum hæc tria, triplex attentio à Doctoribus
diſtingui ſolet, vt ſupra meminimus. *Mate-
rialis* ſcilicet, quæ conſiſtit in prolatione ver-
borum, & cadit principaliter ſub præcepto;
Sic quod orans abſoluitur, ſiue cogitet actua-
liter, ſiue non; dummodo proferat orationis
verba, vel audiat in Choro altero, more Eccle-
ſiaſtico; Alioquin *non eſſet ſalua omnis caro*,
Matth. 24. Eccleſiæ quidem ſatisfit hoc mo-
do, neſcio tamen ſi Deo. *Altera* eſt attentio
formalis, conſiſtens in ſenſu verborum, & non
tam generaliter cadit ſub præcepto: vt patet
de ſimplicibus & idiotis, & de *obſcuris aquis*, &
Scripturarum paſſibus, quæ *ſunt in nubibus ae-
ris*. Pſal. 17. Obligantur tamen vtcunque ad
Iob 1. hanc, puta doctiores, qui quaſi *boues arare* ha-
bent, & ſcrutari profunda fluuiorum, *aſinis
Iob. 28. ſimplicibus paſcentibus iuxta eos*. *Tertia* eſt atten-
tio *finalis*, propriè in orationis fine conſtans,
qui eſt eleuatio mentis in Deum, mediatè, vel
immediatè, directè, vel indirectè, principaliter
vel occaſionaliter, breuiter, qualitercunque.
Ita quod qui non poterit conſequi finẽ iſtum,
per recogitationem attentam ſenſuum & ver-
borum orationis particularis (qui tamen finis
dicitur proximus & proprius orationi) poteſt,
& debet cum omni libertate ſpiritus, abſque
ſcrupulis, contẽtus eſſe, ſi finem vltimum, hoc
eſt mentis eleuationem, aſſequatur ex aliis me-
ditationibus, & deuotionis obiectis; Ibi enim
conſiſtit omnis orationis finis & virtus. Licet
propter plurimas cauſas expediẽtius ſit exer-
ceri ad litteram orationis, & inde pietatis hau-
rire affectum (vt notabitur inferius) cæteris
paribus. Et huic finali attentioni magis inuigi-
lare Religioſi habent, quorum ſtudium & fi-
nis, eſt adhæſio Dei per inflammationem af-
fectus.

ET NOTA quod iuxta triplicem hanc di-
ſtinctionem attentionis, triplex etiam ſumi-
tur orationis fructus: Quorum *primus eſt me-
reri*, communis quidem omnibus actibus cha-
ritatis, præſertim orationi, ſi recta intentione
primaria fiat; etiamſi non ſit niſi attentio ma-
terialis ſine intellectu, ſine eleuatione affectus;
Meritorius ſiquidem redditur virtute prima-
riæ & habitualis intentionis. *Secundus fructus*
& effectus, eſt ei proprius, *impetrare ſcilicet &
exaudiri* in orationibus & petitis: Ad quem
requiritur actualior attentio orationis. Quo-
modo enim dabit Deus quod petimus, ſi ipſi
non attendimus, quæ poſtulamus? Putat ta-
men venerabilis Gerſon, quod aliqualiter ſuf-
ficiat prima quædam actualis intentio, quam
Deus principaliter attendit, propter infirmi-
tatem carnis. *Tertius effectus* & fructus eſt,
quem principaliter finis orationis efficit, quę-
dam, ſcilicet, *Spiritualis refectio mentis*, & ad
hunc aſſequendum ſpecialiter requiritur in
oratione attentio, ſaltem finalis, & eleuatio
mentis. Alioquin (vt habetur 1. Cor. 14.) *Si orẽ
lingua, mens mea ſine fructu eſt*, id eſt, ſterilis, ina-
nis, ſine affectione & refectione mentis. Et
hæc præmiſſa triplex attentionis diuiſio, cum
triplici correſpondente effectu & fructu ora-
tionis, comprehenditur ſub memorali verſi-
culo,

Id eſt, attentio materialis ad vocem, meretur, & Eccleſiæ ſatisfacit.	*Attentio formalis ad ſenſum, exauditionem recipit orationis.*
Vox ſoluit.	Senſus recipit.
Attentio finalis ad pium affectum, refectionem cauſat mentis.	
Finis reficit te.	

Et vt poſſint iuxta hanc trifariam attentio- C
nem, cum trino illo orationis fructu, canonicę
horæ decantari & perſolui, viri prudentes &
ſancti, ſcientes dictum B. Agathonis, quod non
ſit labor, ſicut orare Deum, varia excogita-
uerunt adiutoria & practicamenta pro mente
ad attentionem in oratione ſtabilienda. Quo-
rum quædam magis iuuant & expediunt, pro
conſequenda attentione ad materiam. Quæ-
dam verò pro aliis attentionibus obtinendis,
ſiue ad finem, ſeu ad formam. Fuere ſiquidem
quidam, qui ordinauerunt pro attentione ha- I.
benda in oratione, ſingulos in digitis ſupputa-
re pſalmorum verſus: Bona quædam atten-
tionis practica, ſed pro materiali attentione. vt
ex hoc noſſe poterit, ſi dixerit, vel cantauerit
cantanda. *Alij* verò pro eruditioribus, magi- II.
ſtraliter pſalmos explanauere, cum diuiſioni-
bus & dimembrationibus pulchris, vt ſunt in-
numera pſalmorum commentariola; inter
quæ Magiſtri Nicolai Gorram egregia expo-
ſitio, quoad diſtinctiones præfulget,, ſaltem
inter recentiores. Non hic loquemur de San-
ctorum explanationibus, qui ſpiritum Dei ha-
bentes, & verè digni ſenes ampliori ſapientia Num 11.
& gratia effulgent. Sed huiuſmodi commen-
taria valent principalius pro attentione for-
mali & forma. *Verum* venerabilis magiſtri, & III.
affectuoſi Doctores Gerſon & Nyder; totius
orationis fructum, in fine orationis repoſitum
ſcientes, nixi ſunt varia exercitia, & practicas
diuerſas contradere, pro finali huiuſmodi at-
tentione conſequenda. Habet Gerſon Canti-
chordum & Monochordum ſuum, cuius fre-
quenter meminit in opuſculis ſuis; ſuper quo
& tres edidit tractatus. Tradidit alter quidam
eum inſequutus, ſuis fundamentis innitens,
cytharam quãdam ſpiritualem, reflexam cum
affectibus & meditabilibus ad vulnera Chriſti.
Scripſit & religioſiſſimus Nyder plurima pro
attentione adiumenta, in ſuo aureo Alphabe-
to amoris, formans & manum quandam cum
aliis practicis multis. Quæ tamen omnia, ſicut
aliqualiter proficiunt ad attẽtionem finalem,
& ſubleuandum affectum; ita retrahunt à for-
ma & ſenſu verborum. Sed digniſſimus ille, IV.
& memorabilis magiſter Hugo, Canonicus
S. Victoris, miro ingenio ſuo quoddam exer-

citium elaborauit,in opuſculo ſuo de oratione,quod teſte Gerſone,omnem ſuperat facilè laudem , remanens quidem circa Pſalmorum textum , & adminiculans ad attentionem formæ pariter & finis. Vnde ſubſequens Chyropſalterion noſtrum eſt occaſionaliter exudatum, Religioſis maximè accommodatum , & principalius proſequẽdum. Ne tamen ex præſuppoſitis ignotis proceſſiſſe videamur, & ad forum Iulij remiſiſſe paruulos lectores noſtros , quibus forſan non conſtat de practicis attentionum memoratis; nec huiuſmodi libros habent ad manum ; paucis dicta adminicula,ante Chyropſalterion præmittemus. Fælix ſiquidem nimium illa anima , quæ vel illo, vel altero adminiculo ſeſe exercitat , vt non perſtet ſterilis & arida , velut terra ſine aqua, *Pſal. 142.* & *populus* ter quatérque *beatus, qui ſcit iubilationem* in pſalmis *deductus victor* à Spiritu Domini. *Pſal. 88. Abac. 3.* Nam & præceptum religioſæ laudis implet in horis dicendis, & nihilominus gaudet priuilegio ſpiritualis refectionis in meditatione contemplationis;omnia trahens, non tam ad ſubtilem cognitionem, quàm ad ſaporem & exultationem. Sæpe enim vbi minus cognitionis,ibi plus affectuum & ſaporis. Nec magni refert, hoc vel altero modo exercitari, dum tota affectione mens in Deum poſſit ſubleuari : Plus enim gemitibus quàm ſermonibus agitur negotium deuotæ orationis; plus fletu,quàm affatu,vt dicit Pater Auguſt.

Notula 1. Practica prima & ſecunda pro intentione ad materiam.

TAnquam paruulis in Chriſto, lac vobis potũ dedi, non eſcam : Nondum enim poteratis. 1.Cor.3.Quoniam non tam ſapientibus quàm inſipientibus debitores ſumus;præſertim cum *Heb. 5.* hoc collecta, iam paruulis(quibus lacte opus eſt, magis quàm ſolido cibo) dedicauimus : priuſquam noſtrum Chiropſalterion ponamus,quod prima fronte non capiunt(ſcimus) paruuli omnes ; planius & plenius pro huiuſmodi,explananda ſunt illa adiutoria & adminicula ſacræ orationis , quæ à diuerſis practicata ſunt, diuiſa pro paruulis, vt per ea paulatim diſcant ſcandere ad perfectiora. Ne conqueri habeant illud Thren.4. *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis* ; præſertim *Gen. 45.* cùm etiam rex Ægypti dirus & durus,plauſtra pro paruulorum ſubuectione miſit. Breuiter ergo pro triplici diuerſo pſaltarum,& pſalmos canentium ſtatu,tripharia commemorabimus adminicula. *Primum* pro paruulis & inſipientibus parum de Latino, aut pſalmis intelligẽtibus . *Secundo* pro ſtudioſis & illuminatioribus proficientibus . *Tertio* pro Religioſis , in ſchola affectus inſtitutis.Nec enim putandum quod prorſus inutiliter pueri , & litterarum ignari admittuntur ad officium diuinæ laudis, tollitur otium iners,eſt occupatio pietatis, & perfectio diuinæ laudis.*Ex ore*(ait pſalm.8)*infantium & lactentium perfeciſti laudem*. *Si quis eſt paruulus veniat ad me*, Prou 9.*Intelligite paruuli aſtutiam,& inſipientes animaduertite. Audite quantum de rebus magnis locutura ſum* , &c. *Prou. 8.*

Pro paruulis & incipientibus varia à variis inueniuntur tradita adiumenta attentę orationis,quæ tametſi puerilia videntur; nullatenus tamen contemnenda veniunt . Per minima ad maiora eſt tranſitus . Et nihil nequius nihil intolerabilius, nihil lege punibilius, quàm vt minora contemnat , qui meliora non habet. Aſtutiam ergo paruuli,& ſapientiam diſcant, *Prou. 8.* à minimis paulatim progredi ad perfectius. Sunt verò adminicula pro paruulis.

Enumerando premant , Nyder , Gerſon , Cytharaq́ .

In quo verſiculo commemorantur quædam attentionis adminicula , quibus progreditur gradatim ad meliora. Quorum *primum* eſt, vt qui pſalmos non intelligit , nec vllam in eis deuotionem habet ; ſaltem ad verbalem & plenariam verborum exolutionem , deſudare habeat . Quod vt perfectè , ſine diſtractione poſſit , ſingulos non modò pſalmos ; ſed & pſalmorum ipſorum verſiculos,vel ad digitos aut in patriloquio ſupputare debet. Quod nõ paruum eſt,nec contemnendum diligentiæ ſignum , & medium attentionis : vnde & hoc modo illuminatiſſima illa , & deuotiſſima à Deo edocta ſe exercuit , ſancta Methildis, vt patet in geſtis & reuelationibus ipſius.Sic indubiè & ille ſe exercuerat,qui de numero Dauidicorum pſalmorum & verſiculorum, hos verſus edidit,

Ter quinquagenos Dauid canit ordine pſalmos,
Verſiculos mille,ſexcentos ſex,habet ille.
Millia milleſies,centum quoque millia quinque
Voces Pſalmiſta medium ſex dicitur eſſe, &c.

ALTERVM amplioris attentionis adminiculum eſt , fortiter ad ſingulorum verſuum pronunciationem componere , aut contorquere digitorum articulos ; Ex hoc enim homo ad attentionem commouetur magis , & pro ſua diligentia exauditur à Deo citius,qui affectus magis quàm verba penſat , & eorum pia ſtudia,pio oculo videt . Sunt enim huiuſmodi litterarum ignari , tamen in dandis verbis diligentes , ſimiles ſupplicationes clauſas ſummo Pontifici offerentibus in ſcriptis ; qui tamen omninò ignorant quid ſit in illis. *Similitudo.* Summus tamen Pontifex non ad ignorantiam ipſorum , ſed ad petitionis diligentiam reſpicit , & deſideria concedit pro affectu pietatis. Nam & ſæpè *ibi plus eſt affectionis,vbi minus eſt cognitionis*,vt ait Aug. Et *amor intrat,vbi cognitio foris ſtat*. Et ſic ſæpè in huiuſmodi ſimplicibus, plus quàm in litteratis eſt deuotionis & affectus .


Notula 2. Practica tertia, quæ eſt manus Nider.

IN manibus meis deſcripſiſte, muri tui coram oculis meis ſemper,Eſa.45. TERTIVM attentionis pro paruulis , & perfacilè adiutorium eſt, *manus magiſtri Ioannis Nyder*, quam ponit in alphabeto ſuo amoris. Quæ complectitur 28. clauſulas conſiderationum,ſecundũ quod in vna manu ſunt 28. diſtinctiones iocorum, in quattuor digitis, iuxta morem , in quibus computatur etiam,*Ciſio, Ianus, Epi*. Ita quod

hæ clau-

Manus ex compilatione venerabilis Magiſtri IOANNIS NYDER.

ponatur fol. 177.




Et vt non ſolum *in manu*, ſed & *in manibus* ſit formula attentionis *deſcripta*, vt dicit in præmiſſo verbo Propheta *Eſai.* 49. Et eſt practica, vt alterius prenotata. Quod dicatur nunc vnus Pſalmus, pro diuinis, Alter pro virtutibus, &c.

Digitized by Google

Digitized by Google

Altera manus aggregata alterius ad inſtar, vt forma detur cogitandi conſimilia multa.



Hæc manus ſubſecutiuè ponatur folio 177.

Digitized by Google

hæ clauſulæ collocandæ ſint in ſiniſtra manu, in quattuor digitis, pollice excepto, qui tãgere loca debet ab intra, & ab extra, vt in Ciſio Ianus. Et ponuntur in primo digito ſeptem principales affectus deuotionis, quos quis pſallendo in ſe excitare poterit, adaptando cuilibet affectui vnum pſalmum, vel plures; vt nunc canendo vnum pſalmum ex affectu timoris, cum indignitate ſui, reſpectu diuinæ maieſtatis; Nunc alterum ex affectu ſpei, ſeu gratitudinis, vel amoris, & cætera. In aliis duobus digitis locandæ ſint 14. Sanctorum diuerſitates, vt imaginetur ſe nunc cantare vnum pſalmum cum Beata Virgine, ſeu in eius honorem; alterum cum Choro Angelorum, vel Apoſtolorum; & ſic conſequenter, vt ſic homo eleuet cor ſuum ad ſupernam patriam, vbi audiat laudes Sanctorum, & nunc concinat cum vno, nunc cum altero ex eis. In paruo digito locantur ſeptuplices perſonæ, pro quibus quis debet exorare. Nunc canendo vnum pſalmum pro defunctis, alterum pro Eccleſia, aut pro amicis: Semper reflectendo pſalmum, ad perſonam illorum pro quibus orat, quaſi ipſi hoc dicerent, quaſi animæ clamarent, *De profundis*, &c. Aut Eccleſia tota, *Miſerere*. In quibus conuenit etiam adjicere memoriam Dominicæ paſſionis; in cuius honore, nunc vnus, nunc alter pſalmus dici poterit. Et ſic aliæ diuerſæ materiæ deuotæ huius inſtar colligi poſſent pro temporum & rerum varietate. Et ſemper (ait Nyder) pungendi ſunt articuli illius digiti; vbi huiuſmodi habentur: Multum enim iuuat illa punctio pro attentione, quia ſic cor hominis limitatur ad aliquod determinatum, & non eſt euagationis tanta occaſio. Sed iam ponenda eſt manus iſta ſacræ attentionis, ſufficiat tantiſper annotaſſe pro intelligentia eius.

✲ ✲

Nota quando homo huiuſmodi ſibi volet, pro ſecludenda euagatione cordis aſſumere, obiecta poterit inuenire innumera, vt ſunt illa Gerſon de oratione conſiderabilia, quæ ſub verſiculis commemorat, poſt tractatum de valore orationis.

Ex affectu pio, humili, reuerenti.	*Qui potens, ſapiens, clemens.*	*In quibus proximitas, officioſitas, charitas.*
Oro,	Patrem,	Sanctoſq;,
Ex omni parte ſupra, intra, ſub, & iuxta.	*Ab Eccleſia, ſanctis, à viuis & defunctis.*	*Officium, debitum, ſtipendium.*
Miſer,	quia mittor,	& vrgent.
Regale, Sacerdotale, Spirituale.	*Natura, Fortuna, Gratia.*	*Poſitiuè, priuatiuè, occaſionaliter.*
Officium,	Dona, &	Debita,
Ab hoſte triplici, Dæmone, Mundo, Carne.	*Ad Deum, ſeipſum, & Proximum.*	
Vis,	Pietas.	

Similiter circunſtantiæ orationis, ſcilicet, *Ad quem, quis clamat, cur, quomodo, quando, quid, vnde.*

De quibus in tractatu de oratione idem Gerſon plura tractat.

Notula 3. Cantichordum Gerſonis.

IN *Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui, quàm decem millia verborum in lingua:* Apoſtolus 1. Cor. 14. Eſt & alterum adminiculum attentæ orationis, Cantichordum venerabilis magiſtri Gerſon, cuius crebertimè meminit in compluribus paſſibus ſuorum opuſculorum: De cuius ipſe preconio, practica, & aliis id concernentibus pleniſſimè & abundè egit ſuper Magnificat, & in tribus opuſculis de Canticis deſuper editis. Quare ipſius hæc tantũ figura annotanda, cum breui annotatione intellectus ipſius. Cui non ineptè præmiſſa S. Pauli verba poterũt adaptari, propter quinque principales affectiones & proprietates, quas tenet, vt patet, & propter affectionũ ſanctarum vtilitatem maximam, quibus prægnat, vt latius ipſe declarat. Subjicienda eſt figura eius. In hoc autem Cantichordo tria reperiũtur, quæ ſunt in cantu oris: cantus materia, vocis reſonantia, cantus notulæ & figura. *Materiam Cantichordi* dicit omnium humanorum & diuinorum cognitionem piam & modeſtã; *Reſonantiam* appellat omnem cordis & ſpiritus affectionem moderatam, & ordinatam; *Notam* verò, ſeu notulæ figuram, figurat ad præcedentium duorum notitiam, vt appareat cui reſonantiæ affectuum aptanda ſit littera meditationum. Qua ſuper re dat hos verſus.

Quinque verba pro littera,
Magnificus, largus, pius es, iuſtus, miſeransq́;.
Quinque pro harmonia,
Gaudia, ſpes, pietas, hinc timor, atque dolor.
Adaptatio quinque vocalium,
A gaudens amat, E ſperat. Sed & I miſeretur,
O timet, Vq́; dolens edit, & iſta notes.

✲ ✲
✲

Ne longi ſimus, hæc eſt eius practica. Si pſalmus vel verſus aliquis pſalmorum incipit ab A, ſeu in prima ſyllaba continet A, mox dirige meditationem tuam ad magnificentiam Dei: ac proinde formet cor tuum vocem gaudij &c. Quod ſi prima vocalis occurrens ſit E, fer meditationem in munificentiam Dei cum affectu ſpei: & ſic ad I, meditare miſericordiã Dei cum humana miſeria, cui cõpaſſionis affectum debes, & ſic per ſingula. Quis tam hebes, qui non capiat iſta? Et quis tam durus & indeuotus, qui non afficiatur per iſta? Vtrùm verò ſufficiat in Eccleſiaſtica pſalmodia, quod intentio cantantis, ſeu audiẽtis feratur ad præmiſſa? Certum eſt, quod ita, in his qui non intelligunt pſalmos, nec ſunt illis alia exercitia, aut etiam pro paruulis manuducendis, qui nec pro euagatione ſenſuum, circa ſenſum litteræ immorari valent, neque quomodo ſe meditãdo recolligant, inueniunt, &c. Et hęc de Gerſon *Cantichordo hic annotata* ſufficiant. Qui plura deſuper volet, eius memorata opuſcula perquirat.

Notula 4. Cythara ſpiritualis.

PSallite Domino in cythara*, Pſal. 97. ALTER quidã deuorarius ex præmiſſo fundaméto celeberrimi magiſtri Ioan. Gerſon, & ex eius dictis, recollegit cytharã quandam ſpiritualis attentionis ſub figura crucis. Cuius figura ſubditur, & breuis practica eius. Quę fermè cõuenit cũ exercitio & practica Gerſonis, offerens ampliora quædã obiecta meditationũ ſacrarũ, & affectionum: Ne ſine meditatione oratio ſit ſterilis & arida, ſine affectibus pietatis. Hæc itaque eſt figura cythatæ ſpiritualis,

† †
†

Huius ſpiritualis cytharæ hæc breuis eſt practica, ſi prima vocalis cuiuſcunque verſus in pſalmis, ſeu aliis cantandis ſit A: tunc meditatio in illo verſu, *Ad caput Chriſti* coronatum, in ſuperiori cornu crucis eſt dirigenda, cogitando ibi omnem paſſioné illius ſacri capitis, cum *bonitate* diuina, quæ hoc permiſit: Et *charitate* Chriſti, qui hoc pertulit; Et de *fructu* qui inde prouenit, quia *cælum nobis aperuit* tam immeritis & indignis. Quæ omnia recogitanda ſunt cum affectu *diuini amoris*, & gaudij ſpiritualis. Quod ſi omnia hæc cogitare non poteris, cogita ſaltem, & aſſueſce, vel vnã aut duas cogitare, de ſex notulis ſignatis, donec vſum aliqualem ceperis. Sic etiam ſuo modo fiet de omnibus aliis vocalibus, vt in cantichordo notatum Gerſonis. Verbi gratia. Occurrat cantandus pſal. *Ad te leuaui*, ſeu *Ad Dominum cum tribularer*. Primò omnium cantari debet ad caput Chriſti pro fundamento cãtus, quod eſt littera, vel textus: Deinde pro cantu vel tenore interiori cordis tui, cogita charitatem Chriſti tibi exhibitam in coronatione capitis eius; Tertiò pro diſcantu, cogita tibi cælum apertum per charitatem & paſſioné eius. Quartò pro contratenore, penſa præſens exilium tuum, & naufragiũ maris huius magni; Quintò, ex his forma diuerſos amoris & gaudij affectus. Et tandem conuola cum melodia diuinæ contemplationis, laudando bonitaté eius. Ecce quam copioſa & affectuoſa eſt hæc materia deuotæ exercitationis pro paruulis, & admodum exercitatu facilis. Nullus enim tã bardus aut hebes, qui ad hæc ſe aſſueſcere nó poſſit, & tandem ex actibus frequenter iteratis habitum ſibi conquirere huiuſmodi exercitationis. Sicut enim ars cum vſu non ſolum difficilia, ſed etiam, quæ quaſi videbantur impoſſibilia, reddit facilia in ſenſibilibus: Sic & in ſpiritualibus ſcientia cum frequẽtia exercitationis omni poteſt. Ad hæc itaque & huiuſmodi exercitia concurrant paruuli, & ſacræ moniales: quin & omnes diuino cultui, & cantandis pſalmis aſcripti, Latinum non intelligentes, vt dum ſe circa pſalmos ſe exercitare non præualent; ſaltem per huiuſmodi affectus pietatis formare diſcant; ne ab omni ſint orationis fructu ſteriles.

Pſal. 119. Pſal. 122.

Notula 5. Practica pro attentione ad formam & finem.


IMpleamini Spiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis, cantantes in cordibus veſtris*, Epheſ. 5. *Pſallite ſapienter*, Pſal. 46. Super quo gloſſa. *Nemo ſapienter facit quod non intelligit.* Et Bernardus. *Cibus in ore, pſalmus in corde ſapit: tantum non negligat anima illum terere dentibus intelligentiæ; ne ſi forte integrum glutiat, fruſtretur palatum ſapore dulciori ſuper mel & fauum*. Pſal. 18. DIXIMVS ſupra, quod ſimplicibus ſufficiat attentio ad materiam vt cũ reuerétia & pia affectione pſalmos integrè pronũciãres, aliquid boni & magni in eis exiſtimantes, non omnino iuxta Aug. fructu defraudétur; quibus poſita ſunt ad pias affectiones adminicula diuerſa. Sed à doctioribus & magis ſtudioſis, exactior exigitur attentio, ſcilicet *ad formam*, vt quod ore proferunt, corde intelligant. Quibus pro remedio reſtringendæ euagationis, & adminiculo intellectualis attentionis congruere diximus exercitium *doctrinalis expoſitionis*, cum diuiſionibus, dimembrationibus, & aliis huiuſmodi intellectualibus conſiderabilibus, vt dum totam mentem & intelligentiam occupet intelligenda veritas, non ſit quo euagentur, aut quo intret vanitas. Et hæc attentio ad formam effertur propter multa, quæ infrà aſſignabuntur. Vt igitur ſtudioſus ita circa pſalmos & pſalmorum intelligẽtiã negociari poſſit, annotauimus generales quaſdã cõſiderationes circa ſingulos pſalmos, & dein etiam circa ipſorum pſalmorum verſiculos habendas, quaſi delicioſiſſimi illius cibi totidẽ attritas particulas. Quot enim de pſalmis formamus conſiderationes, quaſi tot immittimus dentium fixiones, vt eliciamus eorum ſpirituales ſapores. XVII.

His itaq; modis terere poterimus ſingulos Pſalm. & has circa eos habere cõſiderationes,

Quis, de quo, quid, cur, ſeu quomodo, diuide, ſubde.

PRIMVM omnium in pſalmis inquirendum, *Quis* loquatur in illis: Non dico quis illorũ auctor, cùm omniũ Dauid indubitatus ſit auctor, vt in ciuitate Dei deducit P. Aug. & in capite, ſeu prologo ſuæ explanationis in Pſalterium Caſſiodorus vir illuſtris; Sed magis perſcrutãdum, ex quorum, vel cuius perſona pſalmus quiſque digeritur. Multæ enim & diuerſæ introducuntur in pſalmos perſonæ loquentes: Modo etenim Dauid ſanctus loquitur in perſona propria, modo in perſona Chriſti & capitis, modo in perſona mẽbrorum & corporis, modo ſub perſona vtriuſq; permixtim. Caput autẽ Chriſtus, introducitur interdũ loquẽs ſecundũ diuinitatẽ, aliquando ſecundũ humanitatem: quandoque per tranſſumptionem. Similiter & vox corporis ſubito adducitur: nũc ſecundum perfectos, nunc ſecundũ imperfectos, interdũ ſecũdũ malos. Ita quod generalis pſalm. doctrina omnium complectitur voces. Nunc loquitur Deus, nunc Pater, nunc Filius, nunc Chriſtus, Apoſtoli, Martyres. Ita quod ſubitò decenter perſonas immutat, quod maximè *obſcuram aquã* facit *in nubibus aeris*, Pſal. 17. Omnium ergo primo videndum, ex cuius XVIII.

perſona,



Digitized by Google

Digitized by Google

perſona & voce digeratur pſalm.

DEINDE perſcrutanda eſt materia pſalmi: vnde ſcilicet, & *de quo* agit: Mira etenim materiarum varietas eſt in pſalmis, quæ ſæpè ex titulorum præſcriptione elici poterit, ſi ſpiritualiter intelligantur; Sic enim titulus in pſal-

Simile. XIX. mis, quomodo clauis in domo. Nam ſicuti per clauem reſeratur domus, vt ſit ingreſſus in eã: ſic per titulum pſalmi aperitur materia, vt ſit introitus in eius intelligentiam; Qui ita ante pſalmorũ fores, tanquam ſacrata vela pẽdent, per quæ ſi aciem mentis intendas, rareſcentibus quibuſdam filis, facilè eorum penetralia contueris. Inquirenda ergo pſalmorum ſubiectum & materia.

TERTIO percurrendus pſalmorum textus, & videndum quid in genere dicat, vt eliciatur materia generalis. Quid elaborauit in explanatione ſua ſuper Pſalterium deuotus P. Ludolphus Carth.

QVARTO perquirenda ſemper eſt intentio pſalmorum final. In fine etenim conſiſtit fructus, vt illi coaptari ſe homo poſſit.

QVINTO videndus eſt agendi modus, vt cõſideremus qui ſint actus, & quales affectus in pſalmis. Impoſſibile, vt intelligatur pſalmus, ſi non attendantur actus, & affectus eius, ait Bernardus.

SEXTO facienda eſt pſal. diuiſio quædã generalis, quæ ſi rectè adhibeatur, non parũ affert luminis; imò ita illuſtrem & perſpicuam nobis efficit pſalmi dictionem, vt priuſquam relegatur textus, reluceat intellectus eius.

POSTREMO nõ modo generalis fiet diuiſio; ſed & omniũ partiũ ſubdiſtinctio; quẽadmodum facit in memorabili poſtilla ſua Nicolaus Gorram. Ecce quàm abunda & copioſa intellectualis exercitationis circa pſal. materia. Sed obſcura eſt omnis doctrina, quã non illuſtrant practica & exempla. Demonſtremus ergo breuiter de primo pſalmo, quem propoſuimus.

XX. PSALMVM primum cantatum primum præconſideret, ex cuius perſona & voce digeri, & cantari poteſt. Diuerſi explanatores diuerſa tradunt. Quidam aiunt, quod Regius Propheta, & egregius Domini pſaltes, *cui conſtitutum*

2. Reg. 23. *eſt de Chriſto Domini*, in ſua perſona de Chriſti perfectione hunc canat. Contẽdunt alij, quod Eſdras exuſtæ bibliothecæ reparator, hunc quaſi prologũ, quendam pſalmorũ libro permiſit. Sed eſto, qualiſcunque ſit pſalmi iſtius auctor: certum eſt quod pſalmus cantari poterit, aut ex voce ipſius, qualiſcunque auctoris; ſeu ex voce totius Eccleſiæ ſanctæ, vel animæ deuotæ & fidelis.

Si de materia quæratur, diuerſa illa à diuerſis traditur. Aiunt quidam, hunc de Chriſti beatitudine & perfectione; contraque de impiorum miſeria agere & condemnatione. Volunt alij, quod materia ipſius pſalmi exhortatio ſit ad ſtudium ſacræ Scripturæ; Tertullianus notat hunc de Ioſeph Arimathiæ inſcriptum. Iudæi explanandum hunc æſtimant (vt Origenes narrat) de Ioſia. Alij de quolibet iuſto hunc intelligi volunt. Sed licet in omni iuſto aptari poteſt, nulli tamen veraciter præter Dominum Chriſtum poteſt conuenire, qui ſolus ſine peccato fuit, cuius ſolius omnia facta proſperata ſunt, vt inſigniter eloquentiſſimus Caſſiodorus deducit. Propriè ergo *de homine Dominico eſt* (quia de eo *in capite libri ſcriptum eſt*) materia pſalmi huius, vt ait Pater Auguſtinus. Et ex conſequenti, de quolibet Sancto, Martyre, Confeſſore & iuſto exponi poteſt.

Quid autem in ſumma Pſalmus dicat, & quæ ſit ſententia eius generalis, Ludolphus ait quod propheta in ipſo pſalmo, tanquã in prologo, capite & principio libri, agit de illo, qui eſt caput & principiũ omniũ, Chriſto; prænũcians ipſius perfectionẽ & fęlicitatẽ: impiorũ verò vanitatem & infęlicitatẽ. Et quia omnes ad beatitudinẽ tendunt, nec ſine Chriſto beati eſſe poſſunt, proponit nobis Chriſtũ in exemplũ, & incipiens à beatitudine, oſtẽdit eum ab omni malo liberũ, per remotionẽ eorũ malorũ, quæ in primo homine fuerunt; dein omni bono plenũ, & à Deo probatũ, &c. *Vel* hortatur ad diuinæ Scripturæ ſtudiũ; excludẽdo à fidelibus doctrinã peruerſam, & cõcludẽdo verã. *Aut* deſcribit hominẽ iuſtũ & perfectũ, per excluſionẽ omnis mali, plenitudinẽ boni, vtilitatem operis ſancti, reprobationem impij.

Intentio verò pſalmi eſt, ad bonũ homines allicere, & iuxta poſſe eos exẽplo cõformare; & à malo per exẽplum damnationis impiorũ retrahere. Hinc in principio Saluatoris beatitudo edicitur; vt humano generi exẽpla vitalia præſtentur; Poſt iniquorum pœna ſubditur, vt quem non trahit exemplum, & beatitudo, terreat pœna & damnatio. Verè efficaciſſimũ doctrinæ genus, vt in de Doctrina Chriſtiana P. Aug. dicit, quod beatitudine & efficaci exemplo allicit, & mox pœna deterret. *Vel*, intentio pſalmi eſt permonere ad ſtudium pſalmorum & ſacræ Scripturæ, vtpote præmio, & prauorum exemplo.

Modus autem agendi, quoad actus & affectus, varius pro varia acceptione accipi poteſt. Hic ſiquidem mos eſt & vſus propheticus (qui ignoratus obſcuritatem parit legentibus) varijs & diuerſis procedere modis. Nunc laudando vel reprobando. Nunc narrando, ſeu docendo: Modò conuertens ſe ad familiarem Dei locutionem, modò ad audientium, ſeu propriæ animæ ſuæ (vt inſtruat vel excitet) collationem; Nunc obuerſans in genere demonſtratiuo, nunc in deliberatiuo genere, multa & decora varietate, pro affectuum, quibus ardet, diuerſitate. Sic verbi gratia in propoſito, in hoc pſalmo poteſt conſiderari loquens Propheta ſub genere demonſtratiuo, quaſi toti loquendo Eccleſiæ, deſcribendo eis Chriſti beati viri omnimodam perfectionem; & contra, malorum malitiam & reprobationem, vt ſit actus illuminatiuus. *Seu*, eodem etiam ſub actu poterit eſſe vox animæ, portionis videlicet ſuperioris, inferiorem ſuam partem erudientis. *Aut* potius, in principio verſatur Propheta per modum laudis, in genere demonſtratiuo, ſub tertia perſona laudes Chriſti, pro reuerentia deſcribendo. Et ſic eſt actus laudis, & congratulatorius.

tulatorius. Deinde conuertens ſe ad terrendum alios, per modum actus purgatini, & deterrentis: Et ſicut actus ſunt diuerſi, ſic etiam plus variabiles ſunt affectus ipſi, vt, laudis, amoris; vt dicit venerabilis Hugo. Non enim per totam ſeriem pſalmi, vnus affectus extenditur; ſed ſæpè de alio affectu, in alium tranſitur, ſecundum quod mentes orantium diuerſis modis affici ſolent. Sic in primo pſalmo hoc, affectus amoris pariter & horroris elici poteſt, *Aut* totus Pſalmus ex dilectionis affectu pronunciari (ſicut exemplificat præmemoratus magiſter Hugo) valet. Dicit enim gratia exempli, *Fortè cogitare cœpi, quanta ſit fœlicitas eſſe cum Deo: Quanta item miſeria ſit viuere in hoc ſæculo; quanta demum calamitas ſemper cruciari in inferno. Et ex hac meditatione mea, ſubito amore cæleſtis patriæ attractus, ipſo affectu ducente, in hac verba decurri: Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum. Cuius pſalmi totam ſeriem, ſi ſecundum intimum compunctionis ſenſum quærimus; quid aliud niſi hoc, vbique dicentem inueniemus? Fœlices qui nunquam à Deo receſſerunt, fœlices qui ſemper cum Deo permanſerunt, fœlices qui in obſequio fideles & deuoti perſtiterunt. Nam non fœlices, imò miſeri ſunt illi, qui ab illo elongauerunt, & cum illo perſeuerare noluerunt; vel qui poſt ad illum non redierunt. Gratias illi quantum perſtiti: confuſio enim quantum diſceſſi. Nunc autem quantum propè ſum, elongare nolo: quantum longe ſum, redire cupio. Vtinam ad illum perueniam, vt ab illo nunquam recedam. Adiuua me Domine Deus meus.* Pſal. 108. *Affectus igitur iſte dilectionis eſt ex laudatione conſurgens.* Hæc venerabilis magiſter Hugo. Sed de his actibus & affectibus propriè agitur in practica Chiropſalterij ſequentis. Nec iſtud eſt venationis huius, licet nunquam intelligēdus veniet Dauid, niſi hauſtus fuerit affectus Dauid.

Si iam exemplificare velimus de diuiſione & partitione pſalmi huius, id præmittendum venit; quod pro varietate materiarum vario modo diuidendus & partiendus erit. Si de Chriſti perfectione pſalmus ſuſcipitur iuxta Caſſiodorum.

In
- Prima parte, vita ſāctę Incarnationis Chriſti exponitur: quomodo
  - A malo immunis,
  - Omni bono plenus,
  - In omni opere vtilis.
  - *Scilicet*
    - Quid vitauerit, — ibi — Beatus vir.
    - Quid egerit, — ibi — Sed in lege Domini.
    - Quem fructum genuerit. — ibi — Et erit tanquam.
- Secunda parte, Malorum nequitiæ, & debita vltio
  - In hoc ſæculo, Non ſic impij,
  - In futuro. Ideo non reſurgent,
  - Quæ commemoratur vt
    - Præmiſſa gratius accipiantur, cuius poſtrema formidabilia videntur, & vt eorū actus refugiātur, quorum pœna cognoſcitur.

Pſalmus igitur in genere bipertitus eſt, de viri iuſti beatitudine, & impiorum vltione, beatitudine blandiens, malis iniquorum deterrens. Seu ſic diſpertiri poterit.

Oſtenditur
- Chriſtus Ieſus.
  - Culpę primi hominis oppoſitus, — ibi — Beatus vir qui nō abijt
  - Omni bono replet', — ibi — Sed in lege.
  - Suis in ōnibus vtilis, — ibi — Et erit,
- Iniquorum vita
  - Culpabilis, — ibi — Non ſic impij.
  - Punibilis, — ibi — Ideo non.
- Subiecta cauſa vtriuſque,
  - Vt quos per promiſſionē fructus ad Chriſti conformitatem inuitauerat, per pœnas impijs debitas plenius commoueret.

Si verò pſal. ita intelligitur, vt præfatio ſit ad ſtudium exhortans ſacræ ſcripturæ, duplex in genere poterit eſſe partitio pſalmi.

Nā quo ad hæc
- Primò excludit à fidelibus peruerſam doctrinam, Ne
  - Audiatur,
  - Habituetur,
  - Doceatur.
  - Beatus vir qui
    - Non abiit in conſilio.
    - In via peccatorum non ſtetit.
    - Et in cathedra non ſedit.
- Secundò concludit ſacræ Script. exercitiū, vt ſit illius
  - Auditio intenta, — ibi — Sed in lege Domini volunt.
  - Habituatio firma, — ibi — Et in lege eius meditabitur.
  - Inſtructio proficua. — ibi — Et erit tanquam.
- Tertiò oſtendit prędicti exercitij præmium, quod
  - Fidelibus cōceditur, & eſt adeptio
    - Gratiæ, — ibi — Et foliū eius.
    - Gloriæ, — ibi — Et omnia.
  - Peruerſis negatur vita
    - Gratiæ, — ibi — Nō ſic impij,
    - Gloriæ, — ibi — Ideo non.
  - Cuius vtriuſq; ratio ſubditur, Quoniā nouit.

Ecce hæc eſt quædam pſalmi huius in genere diuiſio. Quod ſi iam ſingulas eius partes ſubdiuidere, & ſubdiſtinguere vellemus, quāta, & quàm copioſa increſceret ſacræ meditationis, & fermè importabilis materia? Inuocaret abyſſum abyſſus, & inuadabile fieret nobis, quia non ampliora capit anguſta papirus. Sat ſit occaſionem obtuliſſe ſtudioſis, qualiter circa ſingulos pſalmos negotiari poſſint. Quibus ne quid ſuperſit ius querelæ aſſignabimus, quomodo, & circa ſingulos Pſalmorum verſiculos ſe poterunt exercere.

Pſal. 41.

OSTENSVM eſt, quomodo à ſtudioſo negotiandum

tiandum ſit circa ſingulos Pſalmos: Reſtat oſtendendum qualiter, & circa ſingulos Pſalmorum verſiculos, ſtudioſa meditatione exercitatior obuerſari poterit. *Pro quo nota*, quòd homo ſtudioſior, hæc, & huiuſmodi, circa quoſq; etiã verſus Pſalmorũ, perquirere habet.

Connexũ, ſenſum, affectum tere, myſtica, ſingla.

Primò ſemper conſideranda eſt verſus ad verſum connexio, & vnius ad alterum conſequentia, & conbinatio. Hoc miro modo illuſtrat, & docet, quantum ſit Pſalmorum artificium, & quanta in eis deuotio; vt, inquiramus, quare ita incæperit à beatitudine Propheta ſuũ Pſalterium, quamuis primi principij non foret reddenda ratio; multiplex tamen ſe huius ratio offert, Quia, ſcilicet nouit omnes beatitudinem appetere, vt tam deſiderabili omnibus bono propoſito, in illud omnes ſtuderent exilire; vel, quia primi hominis lapſum miſerũ conſiderans, reparatoris opus beatificare volens, beatum illum, qui primo illi contrarius eſt, proclamat. Sic vt famulare propoſiti noſtri exemplũ magis ſit ad manum. Poſt primum verſiculum, vbi oſtendit omne malum, ſubdit, *Sed in lege domini*, demonſtrans etiam omne in eo bonum; Digna, & neceſſaria connexio; ſine qua nulla perfecta laudatio. Non enim eſt laus perfecta fugere vituperanda, niſi ſequantur laudanda &c. Vbiq; ergo conſequentiæ ratio perquirenda.

Deinde ſenſus actus, & affectus ſummarius perſcrutandus cuiuſque verſus, ſicuti docuimus de Pſalmis integris. Sic in primo verſu Pſalmi primi, multiplex eſt ſenſus, pro varietate expoſitionis, & ſubdiuiſione verſus. Oſten- *Pſal. 1.* ditur enim ibi contrarietas contra tranſgreſſionem primi Parentis, qui abijt in conſilium Æuæ, & ſerpentis conſentiendo; qui ſtetit in via peccatorum iam pomum vetitum comedendo, & ſedit in cathedra peſtilẽtiæ, exemplum inobedientiæ, & pænam poſteris relinquendo. *Aut certe*, monſtratur ibi omne peccati genus, cogitationis, actus, & ſermonis. *Aut*, quia impius erat in Deum, peccator in ſe, peſtilens in proximum; longum eſſet proſequi de huiuſmodi innumeris.

Quo ad affectum breuiter dicimus, quod ex ſingulis verſiculorum ſingulorum verbis, innumeri affectus elici poterunt, vt Gerſon innuit, & Guillermus Pariſien. Pſalmi enim cantica ſunt, & cantiones, in quibus ſingula fermè verba, ſingulos dant mouendi, & pſallendi modos; vt quid enim in pſalmorum principio nominatur beatitudo; niſi vt homo inſiliat in eam amore, & deſiderio? propter conſimilem etiam cauſam, denominatur conſequenter virilitas, vt à puerilitate animi homo diſſiliat, & virilitatem, tanquam perfectionem ſibi debitam concupiſcat. Sic in cæteris omnibus, homo moueri poterit mille affectibus. Nam vbi beatitudinem, vel virilitatem nominari audit, dolere poteſt, quod eam non habet, concupiſcere, vt habeat, &c. De his traditur in Chiropſalterio plenius.

Conſequenter poterit ſtudioſus, *terere ſingula* verba cuiuſque verſus, dente conſiderationis diuiſionis, & diſtinctionis, & abunda profluet materia meditationis, pariter, & deuotionis. Hinc Caſſiod. Nunc ad perſcrutanda verba ſingula veniamus, quoniam in interioribus eorum, quaſi in quibuſdam nucleis, dulciſſimus inuenitur fructus. Verba etenim pſalmorum ſingula, mel ſunt & fauus; imò teſte pſal- *Pſal. 18.* miſta, dulciora iſtis. Conſtat autem, ſi fauus maſticatus rumpatur dente meditationis, abundè, & cum dulcedine, effluit in os non infectæ mentis. O quanta hæc materia perorationis. Si diſtinctiones, exempli gratia, adducere volemus beatitudinis, virilitatis, & de alijs ſingulis verbis. Videantur diſtinctiones Gottam, Manticij, Michaelis. Qui fermè diſtinguunt de ſingulis pſalmorum verbis, cum auctoritatum, & concordantiatum adductiodibus. Et qui ſe dilatare in conſideratione vellet, non modo dictionem diſtinguere haberet; ſed & reliqua omnia, quæ circa dictioné illam contemplanda veniunt, adducere poſſet, vt in Pantheologia Raynerius latiſſimas conſiderationes de beatitudine, & beatis aſſignat. Et ſic de alijs. Quodlibet etenim verbum copioſis ſcaturit ſenſibus.

Poſt hæc non ſiſtendum eſt in ſuperficie dictionum, & textus; ſed etiam ſcrutanda veniunt, latentia myſteria in ipſis. Sub rudibus ſiquidem verbis, quaſi ſub quibuſdam folijs aridis, latent ſuauiſſimi fructus. Quot fermè verba, tot deliteſcunt myſteria, ſi habuerint excutientes ea. Vt enim exempli cauſa omnia alia trãſeam⁹, in capite huius Pſã. prægnant myſteria grauida. Dum enim de Chriſto homine dicitur, *Beatus vir.* &c. In verbo, *beatus* notatur grauidũ myſteriũ, quod viator, & cõprehenſor fuerit ſimul & ſemel, vt ſuper 3. Sententiarum tractant de hoc Doctores; Vbi *Vir*, à primario cõceptus inſtanti nuncupatur, magnũ illud Hierẽ. nouũ myſteriũ proditur. *Mu- Ier. 31. lier circumdabit virũ*. Et alterius qui ait, *Ecce vir oriens nomẽ eius*; *Zach. 7.* ſicut inſigniter de hoc ſuper Miſſus eſt, tractat Berna. Porrò in tribus verbis ſubſequentib⁹ latẽt myſteria profunda nimis, de quibus vnicũ hoc meminiſſe ſufficiat, quod nõ modo cõtrarietas inſinuatur primariæ trãſgreſſionis; ſed & cõprehenditur ibi abditũ ſacrarium de tribus ſuſcitatis mortuis Euange- *Mar. 5.* licis, in domo, porta, ſepulchro, vt facilè videt *Luca 7.* oculus ſtudioſus. Tranſimus iam perſcrutan- *Ioa. 11.* dos triplices ſpirituales ſenſus, qui ſub myſtico cadunt; Rerum proprietates, & ſimilitudines; Grãdia de cathedra, & quatuor epiſtylijs tractat magiſter Hugo in notulis ſuis. Et ſic innumera latent ſub ſingulis verbis.

Poſtremo verè ſtudioſus non modo prædicta tractare haberet, ſed & *ſingula* circumſpiceret, circa ſingulas dictiones: Earundẽ primarias deriuationes, diffinitiones, vſurpationes, & poſitiones: Rerum eloquentias, argumentationes, & ſchemata perſcrutari debent, vt hoc in Prologo, & toto diſcurſu nobilis explanationis ſuæ docet, Magnus Caſſiodorus Rauennas, ex Senatore Religioſiſſimus. Valde etenim ſingula hæc, illuſtrant pro intelligentia abditi ſenſus. En quam abundans & copioſa exercitationis materia in pſalmis, pro

ſtudioſis: Adeo vt nullus pateat locus euagationis ei qui ſingula hæc intente rimari volet.

SED hic in quęſtionem vertendum venit, *An huiuſmodi copioſa, & ampla meditationes, ſub ſolutione Canonicarum horarum admittenda eſſent?* Et apparet quod non, quia per huiuſmodi, ab attentione cæterorum omnium impeditus eſſet; cum tamen ad omnia debitor ſit attendere, vt patet.

Pro ratione hoc vnicum claret; Quod melius ſit obuerſari circa iſta ſacra, quam circa prophana aliqua, & vana: Quare ſi homo ſit fluxi cerebri, & mentis inconſtantis, vt ſe exercere non poſſit ad omnia, & ad affectus pietatis: tolerandus venit in iſtis; dum tamen non omittat verba debitæ vocalis orationis. Quod quia difficulter fieri poteſt, vbi homo forti, & vehementi attentione huiuſmodi meditandis inſiſtit: conſulit venerandus Gerſon, tutius eſſe, attentis attendendis, quod huiuſmodi meditatio voluntaria, non admitti debeat tempore orationis debitę; Sed vel deſeri, vel in aliud tempus reſeruari; vt ſcilicet (ſicut in de myſtica Theologia ſuadet) talia decanendis pſalmis ante horas ſecũ retractet, & meditetur. Prodeſt ſiquidem (ait) hoc ad deuotiùs Dei officium peragendum, peruenire tempus orationis vocalis, præmeditando ea quæ cantanda ſunt: vt liberius tranſeant in affectum; Sub horis autem, ſi huiuſmodi meditationes copioſæ ſe offerant, differat eas cum dolore cordis, ſibi dicens, Pauper homuncio, melior eſt obedientia, quam medi-
1.Reg. 15. tatio; Potens eſt Deus reddere vicem maiorem in idipſum: etſi non hic reddet; tamen certiſſimè in alio ſæculo, vbi fiet vox laudis, ſine perturbatione, & termino, &c. Nullatenus enim debet religioſus cõticeſcere à vocali reddendę orationis debito. Ad vocalẽ enim pronunciationem verborum, obligant iura, requirunt debita, & ne alij ſcandalizentur. Ingrata ſunt ſpiritui omnia, ſi non ſoluantur debita.

Nihilominus qui ſtudioſi ſunt, & latioris mentis, & nondum ita deuoti, & inflammati, vt perſequi poſſint ardentiſſimos Pſalmorum affectus; liberè exercitare ſe poſſunt in huiuſmodi conſiderabilibus. Sed qui ita ſe exer-
Pſ. 17. citare volet, neceſſe eſt, vt ſtudium Pſalmorũ familiare ſibi habeat, & doctorum explanationes ſtudioſiſſimè legat. Eſt enim *obſcura aqua* in Pſalmorum *nubibus*, & ſine doctoribus vix capi poteſt.

AD cuius ſtudium plurima nos inducere poſſunt; præſertim iſta;

Vtile, ſufficiens, decet, hocce, frequens, quia ſuadent.

De Pſalmorum *Utilitate*, & ſalutaribus affectib⁹, nulla humana lingua ſatis dicere valet: Sudarũt grauiſſimi viri in illis explicandis; ſed cõcordes cõcludunt, Quod nullus mortalium poteſt, vel verbo explicare, vel animo comprehendere Pſalmorum virtutes, ſi non ſuperficietenus, ſed intenta mente canantur. De quorum laude & virtutibus ſcripſit exercitatiſsimus in eis Pater Auguſtinus, Chryſoſtomus, & Caſsiodorus, Quorum flores Ludolphus Carthuſienſis ſuo Pſalterio præmiſit; videantur, legantur, & patebit, quod eorum ſit innumerabilis fructus. Sunt ſiquidem pſal- *Encomiũ*
mi ſol illuminans; aqua mundans; ignis exurens; oleum defluens; vaſa virtutũ, & veritatis *Pſalmorũ*
theſauri ſpiritualiũ diuitiarũ, apotheca Spiritusſancti. Vtile igitur eſt, & ſalubre intelligere, vbi tantus fructus eſt. Auget etenim deuotionem intelligentia, & dum intelligitur, quod cantatur, mens per intellectum obligata non euagatur. Nec poteſt quis ſapienter, & intelligibiliter pſallere, qui quod pſallit ignorat.

Deinde Pſalmorum maximè ſtudio inſiſtendum, quia horum ſtudiũ, ad omniũ ſcripturarũ intellectũ introducit, & ad omnia eſt *Sufficiens*: vnde Pater Auguſtinus ait, Omnes virtutes, omneſq́, ſciẽtias, in pſalmis reperies; ſi à Deo merueris, vt tibi Pſalmorum virtutem reuelet. Et ideo non eſt tibi opus vt per diuerſos libros animo diffundaris, in Pſalterio ſolo, vſq; ad obitũ vitæ, habes materiã legendi, ſcrutandi, & docendi: in quos omnes diuinæ legis libros, ſpiritualiter, ac intelligibiliter deſcriptos inuenies &c. Regiſtrum enim eſt, quaſi totius ſacræ Scripturæ, & conſummatio totius Theologicæ paginæ.

Tertio decens eſt magnam ſtudendis Pſalmis diligentiã impendere, vt poſſit intelligere, quos nunquã ceſſat perſonare. Hinc Ludolph⁹ Carthuſienſ. Omnes viri eccleſiaſtici, & præcipue religioſi, omne ſtudiũ merito ad Pſalteriũ transferre deberent: vt ea quæ quotidie tenẽtur orare, & pſallere, diſcerent intelligere, & ſic intelligendo, incluſam dulcedinẽ ipſorum guſtare: præſertim cum Pſalterij ſcientia, ſacratis Deo hominibus ſit in præcepto. Adeo vt qui Pſalteriũ ignorat, vix in eo Sacerdotis nomen conſtare poterit, vt eſt textus Auguſt. 38. *diſt. Quæ ſacerdotib⁹*. Cum etiã ex pſalmorũ intelligentia, pręter memoratas virtutes, facilius homo deuitet cordis diſtractiones, & diabolicas ſuperet immiſſiones. Tædium etiam orandi, & pſallendi melius tollitur, intereſſe diuino officio, quibus amplius delectatur, fructu orationum non priuatur, meritũ augetur, & tota cæleſtis curia, lætificatur, & iocundatur.

Quarto frequẽtatio pſalterij, magnũ debet eſſe incitamentum ſtudij, vt quanto crebrius reiteratur, tanto melius intelligatur. Eſt enim panis quotidianus, & vnicus per noctes, & dies animę cibus.

Cur autem præ cæteris diuinæ ſcripturæ libris, hoc magis frequentetur, hæ ſunt rationes,

Mos, patres, præſtãs, bona ſpes, docet, afficit, omne

Antiqua Iudæorum cõſuetudo, & vſus, qui obſeruabantur in laude Dei. *Dein* Sanctorum patrum inſtitutum, qui per pſalmos celebrabãt eorum ſynaxes, vt libro ſecundo de Inſtitutis Cænobiorum, tradit Caſſianus, Quos etiã Angelus frequentando reuelauit; Damaſus Papa conſtituit; Flauianus, & Theodorus, in Antiochena Eccleſia, diuiſis choris alternatim dicendos docuere; & Ambr. obſeruauerit, & in his tantopere ſe exercuit Pater Auguſtinus, etiam in extremis. In Pſalmis comprehenditur per modum laudis, quicquid continetur in alijs ſcripturarum libris. Cur autẽ præ cæteris hoc duxerunt exercitandũ, rationes in prõptu

ſunt. *Præſtantia*, & excellentia libri Pſalmorũ, præ alijs; Vtilitas ſalutarium effectuum; Item vt Spes veniæ ſemper offertur omnibus, dum tanti peccatoris conuerſio, & ſublimatio oſtenditur eis. *Dein* quia plenius de omnibus ſaluti neceſſarijs docet, & Chriſti myſteria generalius, & aptius prodit. *Tum præcipuè*, quia nulla alia ſcriptura, tot habet orationes immixtas, & tot ſalutares affectus, pro quibus aſſequendis fiunt orationes. Nulla etiam alia, ita mentem ditare, & replere poteſt ſacris affectibus, & mederi languoribus, vt latius explicat Guillermus Pariſienſis. Iure ergo frequentatur præ cæteris.

Cauendum autem, iuxta eundem, ne hæc frequentatio tumultuaria ſit, & ſuperficialis. Modulata enim debet eſſe pſalmodiæ frequẽtatio. Alias nuda, & inanis à deuotione Pſalmorũ recitatio, tumultus tantum eſt, & ſtrepitus labiorũ; quam iuſſit auferri Dominus per Amos dicens, *Aufer à me tumultum carminum.* Amos .5

VIII. Poſtremo ſtudio Pſalmorum inſiſtendum, quia hoc tam ab omnibus perſuaſum. Hoc vnicum ſuadet Pater Auguſtinus ſorori, quod ſolum ſufficiat. Et Hieronymus *de conſec. diſt.* 5. *Nunquam de manu tua, & oculis tuis liber Pſalterij diſcedat, dicatur ad verbum, ſine intermiſſione vigilet ſenſus.* Frequenter ad hoc inuitat varijs in locis. Et ſimiliter iubetur in Patrum Regulis, *Pſalmos meditentur omnes.* Ad quod etiam facit *cap. diſt* 38. *Omnes.* Et S. Pater Bernardus. Pſalmorum adeo ſtudium ſuadet, vt dicat, *Ruminantem Pſalmos te ſomnus occupet, vt in ſomno ſomnies te dicere Pſalmos.* Parendũ eſt, viſis tantis inductiuis. Et ſtudenda ſunt Sanctorum ſuper Pſalterium Commentaria, & explanationes. Auguſtini, Hieronymi, Caſſiodori; Collectarium, & Ludolphus Carthuſiẽſis, Gorram, Michael de Vngaria, & præſertim Guillermus Pariſienſis. Aut Reuerendus Chriſtopolitanus Epiſcopus Iacobus de Valentia.

Chiropſalterium pro officij diuini deuotione ſtabilienda.

CAPVT V.

1. DAuid autem pſallebat manu ſua, ſicut per ſingulos dies. 1. Reg. 18. PRÆMISSIS iam aliquibus practicis pro habenda attentione materiali, formali, vel finali diſiunctim: Subnectendum eſt repromiſſum principalius ſacræ attentionis adminiculum valens ad obtinendum triplicem hanc attentionem ſimul & coniunctim. Bona ſiquidem & probanda (ait Gerſon) eſt attentio ad verba, ad ſenſum vero melior, optima autem ad finem: Sed perfauſtus, & fœlix nimium ille, qui omnibus ſimul intendere poſſit, vt, ſcilicet & verba diſtinctè, & integrè pronunciet; Pſalmorũ ſenſus attendat, crebros inde deuotionis formans affectus. Cæteris enim paribus (teſte memorato doctore) melius eſt ex Pſalmis ipſis elicere deuotionis affectus; quam alijs in eorũ ire obiectis. Et hoc ob quattuor, vel quinque rationes, hoc breuiuſculo carmine perſtrictas.

Ob iuſſum, cultum, docet, affectum, ſtabilitis.

PRIMA ratio eſt, *Sanctorum Patrũ Iuſſio*, & conſultatio. Id ſiquidẽ concentu parili, fermè conſuluere omnes, vt deductum eſt ſupra

SECVNDA eſt ſacræ ſcripturæ *Cultus*, & veneratio; in qua ſpiritus ſanctus loqui credendus eſt; vnde & pro reuerentia illius, præ ceteris illi auſcultandum, & intendendũ eſt. *Tertia* eſt ſpecialior, & particularior *Eruditio*, circa myſticos, ſub arido litteræ nucleo ſenſus concluſos QVARTA eſt ſuauior, circa quotidianos Pſalmorũ ſenſus *Affectio*. POSTREMA maior *Stabilitio*, & aſſuefactio, circa determinatos, & certos Pſalmorum ſenſus, & affectus, quam circa vagos, ac iugiter nouos, vndecunque aſſumptos. Quas rationes, in ſuo de ſollicitudine Eccleſiaſticorũ, dictus venerandus magiſter commemorat hortans, & concludens, vt repoſitis meditabilibus multis, ob Eccleſiæ inſtitutum, ſeſe homo reſtringat circa Pſalmorũ ſenſus, & affectus. Quod itidem, & celebratiſſimus magiſter Hugo in Tractatulo ſuo (qui laudem omnem omnium iudicio ſuperat) de oratione conſulit, ſuadet, & deducit; oſtendẽs quomodo etiam, qui exorbitantiſſimi ab oratione videntur Pſalmi, ad aliquam orationis ſpeciem, congruè coaptari poſſint Ex cuius tractatuli potiſſimum dictis, & ſacræ ſcripturæ ſupra præallegatis verbis ſumptus, & collectus eſt, ſubſequentis exercitij modus: Cui nomen Chiropſalterium eſt à χεὶρ Cheir, id eſt, Etymo manus, & ψάλλειν Pſallein, tangere eo quod in Pſalmi- contactu manus, tradit attentum pſallendi cica ma- modum, exemplo pſaltis egregij Dauid, qui nus. ſeſe in hunc exercitauerat modum, iuxta præmiſſa verba ſcripturarũ. In quibus quidẽ verbis à ſpiritu ſancto, puto ſubſequẽs nobis præpoſitum exercitiũ; quod vnicũ & præcipuum eſt ad triplicẽ illam ſupra memoratã attentionem adminiculatoriũ, & iuuamentum. Signaturæ etenim, & digitorũ in manu compreſſio, & attactus, iuuant attendere *ad materiã*, repoſitio in certis locis, iuxta actus Pſalmorũ, attẽdere cogit *ad formam*, affectuũ electio, & ingeminatio, *ad finalem* attentionem deducunt, vt plenius infra de Practica huius deductũ. O itaq; quiſquis es, qui attentè Deo tuo tua voles exoluere labiorũ vota, quiſquis, qui non diſtrahi, ſed modo conſcripto, iuxta tripharíam attentionem voles exorare Deum inter pſallendum, hoc Chiropſalterion adamato, in hoc egregij pſaltæ exemplo horarum munia exoluere ſtudeto.

MEMBRVM I.

Laus & commendatio huius exercitij.

AD cuius complexum, tametſi plurima poni poſſent incitamenta, ſufficiat tamen, vel tria, (vt parcius laudemus iuxta Senecam) in genere commemoraſſe inductiua. Nec enim nimium proprios fœtus, cum

vetect iſſima lambere, aut vitulos noſtros, lingere debemus. Laus ſiquidem propria ſordet. Debent itaque ad huius exercitationem, & frequentationem potiſſimum incitare

Huius exercitij { Acceptabilitas, Fructuoſitas, Neceſſitas, } *de quib⁹ ſingulis proſequēdū paucis*

Acceptum, ſimul vtile multum, valde neceſſe.

§ 1. *Acceptabilitas Chiropſalterij.*

II. ET quidem *acceptabilitas* huius, quanquam ex plurimis aſtipulari poſſet, ſat erit, vel paucis in lucem poſuiſſe eam. Ratione ſcilicet auctoritate, & exemplo. Ratione quidem, *tum propter* actuum latriç quos continet, dignitatem, *tum propter obedientia*, quam explet gratioſitatem; *tum propter* exempli, quod inſectatur perfectionem, & eximietatē.

Propter latricorum, quos exercet, actuum dignitatem: Nam qui in hoc Chiropſalterio ritè pſallit, & frequens ſe exercet, magis (auſim dicere) honoris, gratitudinis, laudis, & cultus Deo exhibet in via horarum; quam qui alijs in exercitijs obuerſantur integro ſub die. Plenus ſiquidem Pſalmorum liber affectuum eſt, & actuum latricorum, quibus ſe Chiropſaltes noſter exercitat, & conformat. Nec tot ſunt mutationes aeris in nubibus, quot affectuum varietates in Pſalmis; vnde & præ cæteris ſcripturarum libris ad diuinum officium aſſumptus eſt, propter ſalubriores, quos continet, actus, & pietatis affectus.

Secundò patet acceptabilitas exercitij huius propter obedientiæ, quam explet, gratioſitatem. Nam ſi illud Deo (ex confeſſo omnium) acceptius, & gratius, quod obedientiæ (vt aiunt) eſt vicinius; liquet facilè iſtud exercitium acceptatiſſimum eſſe domino Deo: Illud ſiquidem exercitij genus, Eccleſiæ arbitrio, & Sanctorum ſe ſubdens Patrum conſulto, & regularū Canonuumq; conſilio (alijs quibuſlibet obiectis, tametſi etiam dulciſſimis ad horam ſepoſitis) Iſaac ſuū Deo holocauſtomans, Pſalmis ipſis principaliter propter Deū, & obedientiā intendit. *Meliorem obedietiā* deputans, *quam victimas* ſuauiſſimarum meditationū, iuxta ſententiam grauiſſimi Patris Auguſtini, in de Opere Monachorum, vbi ait, *Melior eſt, ac Deo gratior, oratio vnius obedientis, quam decem millium contemptorum.* Geneſ. 22 1.Reg. 15

Tertiò acceptabilitas patet, propter exempli, quod inſequitur, eximietatem. Eodē etenim exercitio vtitur, & obuerſatur cum pſalte egregio, eximio Prophetarum, Dauide, quo illuſtrius nihil, de quo ſcriptura habet, quod *pſallebat manu ſua*. Si itaque laus operis, perfectio ſit exemplaris, laudatiſſimum conſtat fore exercitium iſtud, cuius etiam acceptabilitas ſecundario, auctoritate D. Hieronymi cæteris tranſitis comprobatur, quæ & in Canone adducitur, *de conſecratione*, vbi ait, *Melior, ac per hoc, & acceptior eſt Deo, vnius Pſalmi cū hilaritate, & mentis deuotione decantatio, quam totius pſalterij cum corpore, & mentis ſtultitia modulatio.* Hoc antē noſtrū Chiropſalterium, præ reliquis exercitijs, cordis excitat, & mentis lætitiā, atq; hilaritatē iocundā Deo, decoramq; reddens laudationē, cum & iocundiſſima habeat obiecta, & materiam laudis, & Deo pſallit in omni genere muſicorū, vtpotè in pſalterio, cythara, organo, tympano, & choro, in lyra tibijs, tuba, & cymbalis bene tinnientibus & iubilationis. Pſ. 146 Pſ. 150. Nō quidē carnalibus vt propter ſuā ruditatē. Populus ille carnalis, ſed ſpiritualibus, & mentalibus, vt decet populū nouæ legis, & Euangelicæ libertatis, ſicut & cytharœdi cytharizāt, & in omni muſico inſtrumento, Deum laudant in cæleſtibus. Vultis paucis, quæ dicim⁹, oſtendamus? Annō in organo ſpirituali (vt ſpiritualib⁹ ſpiritalia cōparemus) Deo pſallere videmur, dum per laudē, & congratulationē, eius beniuolentiā captamus? Organū ſiquidē propriū diuinæ eſt laudis inſtrumentū: Ab *orge* id eſt cultura; Seu ab *orgys*, quæ ſacra Deorum immortaliū, & Liberi Patris, ſeu Bacchi erant, ſic dictum. An non (vt Pſalmiſta iubet) in *vociferatione Deo bene pſallitur*, dum præ admirationis exceſſu magna deuotionis voce, ſtupore mentis inclamatur? Pſ. 32. Sed & *chelis*, in Dei laudem conſecratur; dum debitæ gratitudinis ſeruitium ex dulci cordis affectu Deo redditur. Chelis ſiquidem, in qua quot fides, totidem reſonant & voces, cuius modulatione nil dulcius; à Mercurio inuentore, in gratitudinis munus, Apollini conſecrata erat. Vnde iure gratiarum ſignat actionem. An non in biformi, aut triformi *tibia* lamentabiliter ad luctum pulſat, qui miſerias, vel ſuas, aut aliorum ſub trinatio doloris, pudoris ſeu timoris affectu, lugubriter commemorat? in mortuorum enim funebribus *tibicines*, vt ex Euangelio patet, triſte perſonabant melos. Mat. 9. An non etiam *in tympano, & pſalterio, ac cythara*, Deo ludere, & geſtire, videtur qui perſonam, & cauſam commendans, dicit, præcauiſſe mala, quaſi plenè mortificatus, quod tympanum ex mortuorum pellibus notat; Et inſuper feciſſe bona, quod Pſalterium ſignat, & de futuro meliora proponit, quod ad cytharæ ſuauitatem ſpectat &c. An non quaſi pſalmodiam horrifica quadā *tuba*, ſeu *buccina*, & *lituo* in hoſtes perſonamus, dū aduerſariorū nequitiā, malitiā, furorē cum indignationis, auerſionis, zeli, affectibus grauiter accuſamus? Et dū ſub orationis ſpecie ſacra reſonāt piorū cordium deſideria, ſuaues illic voces ſunt, & dulcis muſicorum omnium *Symphonia*. Nec deſunt *cymbala* bene ſonantia, quæ ſunt ærea claſſica, campanæ, tympanulæ, quæ excitant, conuocant, inflammant ad Dei cultum, & laudē; dū ſpirituali noſtra muſica fiunt actus hierarchici, exuſcitatiui, & incitatiui diuinæ laudis. In qua nec deſunt *cymbala* iubilationis; vbi tot perſonant dulces, & iubiloſæ in triūphante Eccleſia voces. Comprehenduntur & in hoc Chiropſalterio, ſpiritualiter *chorus, chordæ, nablum ſiſtrū, ſambuca fiſtula*, & omne breuiter muſicorū genus inſtrumentorū, dum perſonāt illic Eccleſiaſticæ veritatis voces, dulce muſices genus, ſub vario ſtatu, & diuerſitate ſanctarū affectionum. Quid igitur hoc ſuaui? iocūdius? acceptati⁹? & amplectēdius Chiropſalterio? quod cor lætificat, ſtatuē

in

in Dei auribus melodiam gignit, quaſi mel in omnium ore indulcatur, vt *muſica in conuiuio* Eccli. 49. *vini.* O quantum ſub hoc delitefcit Seminariũ iocundæ contemplationis, homini ſtudioſo, pietati dedito, ſpiritalem ſanctæ muſices harmoniam diligenti? Latiſſima ſiquidem ſuper ſingulis his, ſe offert materia conſiderationis; vtpotè ſingulorum horum muſicorum vaſorum deſcriptio myſtica, quo ad quadruplicem ſenſum ſignificatio, & dein applicatio ad rem noſtram Productior eſſet executio huius, & contra intentam breuitatem. Si quis ſtudioſior huiuſmodi noſſe volet: De primo, Etimologiarũ Iſidori perſpiciat, & vocabulorum explanatores; De muſicis ſignificantijs, venerandus Gerſon in cantichordis tractat, Et Raynerius in ſua Pantheologia ſuper horum ad Cihropſalterion applicationem, qualemcunque ſtudioſis aperuimus feneſtram, & dedimus cõſimiliter cogitandi de alijs occaſionẽ, quia non inutilis eſt, nec ſine fructu. conſideratio huiuſmodi generum muſicorũ, quæ ſecundũ approbatiſſimos auctores, varios exuſcitant affectus, & cordium effectuoſos motus. Vt ſcilicet ex conſideratione horum, non ſter ad cytharã Sancti ſpiritus Chiropſaltes noſter, vt Midas rex ſurdaſter, & muſices incentius ſuauitatis; non ſubſiliens ad ſuauem ſpiritus eiuſdem cantum; nec plangens ad eiuſdẽ lamentum, vt iure illud Euangelicũ ei impro-

Luc. 7. peretur, *Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis. lamen-*

Rom. 1. *tauimus, & non planxiſtis,* vtpote *onos lyras,* id eſt, aſinus ſine tripudio, poſitus ad lyram, cum gentibus ſine fœdere, ſine affectione. Sed eſto quaſi Steſichorus exiliens, ſecundum omnes

2. Reg. 6. Scripturæ ſacræ affectiones, cum Pſalte egregio percutiens in *organis armigatis,* & *totis viribus pſallens, & ſubſiliens* (vt de eodem legitur) *ante Deum.*

Si quis curioſius in hoc Chiropſalterio negotiari volet, quam id latum, & iocunditatis plenum conſiderare poterit? quam in eo complectetur omne carminum genus? poetarum ornatus, ſchema, & decus oratorum? An non heroicum, in captatione laudis? Elegiacum, in Miſeriarum conquæſtione? Lyrica, Bucolica, Satyrica, & alia, reſonant, in actibus cæteris, pro affectuum diuerſitate? Quid ergo ſaciatius, & lætius Chiropſalterio iſto, in quo iocunda cauſa Deo redditur, & laudatio decora?

Pſ. 146. Magnæ itaque id liquet eſſe acceptabilita-

2. Cor. 5. tis, in oculis Maieſtatis diuinę, qui *hilarem*

Pſ. 2. *amat ſeruitorem, & exultari ſibi vult cum timore.*

Tertiò huius acceptabilitas comprobatur, exemplo deuoti, & ſimplicis Fratris illius, de quo Ceſarius in diſtinctionibus exemplorum ſcribit, quod ſpiritus aridirate ſub diuinis horis correptus, vix ſeſe præ tædio, & faſtidio poterat tolerare, mox Spiritusſancti afflatu edoctus; in manu quaſi in vocis muſicis, imaginabiliter pſallere cœpit, vt ſic per exteriora ſymbola contactę manus, mentis in ſe, & deuotionis prouocaret affectus; in quo inſpirato exercitio tantum ſpiritui, & Deo complacuit; quod ar- denſiſſimæ deuotionis paſtu, & largiſſimo ſanctarum lachrymarum potu, ſub totis matutinis, & reliquis deinceps Canonicis Horis, ſaginari promeruerit, & inebriari; felix, & fauſtum exercitium illud! Cuius ſi informis illa Pſalmorum in manu modulatio, tantum Deo complacuit, quod de hoc Chiropſalterio, omni deuotionis adipe referto, cenſeri licebit? Multæ itaque patet illud acceptabilitatis

§ 2. *Fructuoſitas huius exercitij.*

PORRÒ de Chiropſalterij huius fructuoſitate, ſiue vtilitate, totum minus III Apoc. 22. eſt, quicquid dici poteſt; innumeri namque eius fructus ſunt, quos experientia, plus quàm ſcripta, edocebit. Vt tamen aliquantos annumeremus, vel duodecim (inſtar 12. ligni vitalis fructuum) ſunt in verſibus breuitatis cauſa commemorandi.

Nam reuocans pellit, purgans luſtrat, calet, affert.
Hinc humilis, pius, acceptus, releuat, valet, infert.

Primo diſtractam mentem *reuocat*, & in attentione conſeruat, quia digitos premens (ſecundum magiſtrum Ioannem Nider) redire poterit; *pellit*, ſecundo dæmonum tentamenta, ſomnium, & quæque alia deuotionis propellit impedimenta; Dum digitos præmit, & tam dulcia habet obiecta. *Tertio* mentem *purgat*, propter crebra affectuum ſuſpiria, quæ ſunt menti, ſicut ferro lima. *Quarto* ad intellectum Pſalmorum *illuminat*, & nobis aperit ſenſus, Bernardus, *Nunquam intelliges Dauid; niſi ſpiritum, & affectum indueris Dauid.* *Quinto calet*, id eſt, ad deuotionem accendit, quia omnia affectuosè cantat. *Sexto affert* triplicem illum ſupra dictum orationis fructum; cum cæteri tamen vno, aut duobus gaudent. Hinc *ſeptimo* procedit *humilitas* ad ſeipſum. *Octauo pietas* ad proximum. Fit *nono gratus* Deo. *Decimò* releuatur à tædio. *Vndecimo valet*, id eſt, vim quodammodo infert Deo, quia affectiones pię, & lacrymæ eum (iuxta Hieronymum) cogunt. *Duodecimo infert hominem cælis*, & cæliti coniungit, vt ex ſententia dicere poſ- Phil. 3. Apoc. 2. ſit, *Noſtra conuerſatio eſt in cælis.*

Sciendum tamen, quod is ſolum his fructibus reficitur; qui deſiderio pariter, & iugi exercitio, velut vtraque manu, apprehenderit iſtud lignum vitæ, & ſacræ excitationis.

§ 3. *De neceſſitate exercitij illius.*

NECESSITAS huius exercitij, multipliciter oſtendi poteſt. Et *primò* ex iuris obligatione: Præcipitur enim *extra, de celebratione Miſſæ*; *Volentes*, vt horæ attentè, & deuotè dicantur; nec aliqua ab attentione retrahentia aſſumantur; imò & Gerſoni conſultius videtur, vt nec bonę meditationes aliunde

Digitized by Google

aſſumantur; ſed in aliud tempus differantur.

Secundo patet huius neceſſitas ex Regula, vel regulari præceptione. Nam S. Auguſtinus Pater noſter in Regula ſua præcipit dicens, *Hoc verſetur in corde, quod profertur in voce.* Videatur Triuet, & Humbertus. in Commentis ſuper regulam, ſimiliter & alij Regulares permulti,

Tertiò patet ex Sanctorum Doctorũ vnanimi conſultatione: Qui ſuadent, vt cæteris intermiſſis, Pſalmis ipſis, tempore Pſalmodiæ, intendatur. Hinc Auguſtinus vt ſupra, Hinc Bernardus, *Ad pſalmodiam ſemper cor habeat; niſi ad aliquid ſublimius rapiatur.* Et ſuper Cantica ait, *Pure pſallatis, vt nihil, niſi quod pſallitis, cogitetis. Nec ſolum, dico, cogitationes vanæ & ocioſæ vitandæ ſunt; ſed nec illa quidem perfecto, tunc recipere conſueueris, quæ ante in codicibus legeratis. Salubria ſunt; ſed minimè illa inter pſallendum ſalubriter reuoluitis. Spiritus enim ſanctus illa hora gratũ non accipit quicquid aliud quam debes, neglecto eo quod debes obtuleris.* Hæc ille, idem Hugo, & alij teſtantur. Patet igitur ex dictis propoſitum, quam ſcilicet acceptum, vtile, ac neceſſarium ſit iſtud exercitium; ac per hoc cæteris præferendum, & crebrius exercitandum, quoniam cætera ferè omnia exercitia includit, & ad ſui perfectionem admittit; imò (ſi dici fas eſt) tantum cæteris præſtat, quod ea huic collata, ſine hoc nec placere; ſed diſplicere magis comprobantur. *Ingratum eſt,* enim (ait Bernardus) *quicquid obtuleris, neglecto eo, quod debes.* Cætera autem exercitia alijs intendunt obiectis; iſtud præceptis parens, debitum offert: ergo.

Nec poſtremò cuiquam ridiculo ſit, ſymbolicam frequentare manum, quoniam quidem (teſte Auguſtino & Dionyſio) huiuſmodi ſignis etiam vtitur Eccleſia ad ſanctum deſiderium augendum, & excitandum. Nam &
1 Cor. 15. *prius, quod animale* (vt S. Paulus ait.) & iuxta philoſophum, *Omnis noſtra cognitio intellectiua, a ſenſitiua inuatur: dum ordinata phantaſmata præſentantur.* Sed nec nouum eſt ſacramẽtem; imò longè à doctis ante adinuentum, & ex eorum dictis compactum, & collectum. Hoc Gerſon, Hoc Nider, hoc vetus Carthuſia nouit; quibus ſecundum Nider moris fuit, Pſalmos concinere manu.

Auctoris Epigramma in laudem Chyropſalterij.

PSallere temporibus Chriſto quicunque ſtatutis
Expetis, & muſcas pellere mente vagas:
Hoc exercitio, ceu plectro lætus eburno,
Palterium ſemper tangere pſalta ſtude.
Nam Pſalmos reſerans orandi iura reuelat,
Pectus & æthereo compluit imbre ſacrum.
Hoc longas noctes dulces facit eſſe breueſque:
Hoc age, quiſque velis carpere amoris iter.

Aliud item quod Roſeti Inſtaurator Baſilius Serenius Mediolan. Can. repente ſubiecit. x
In Chiropſalterion Epigramma.

SPiritus hic reſonant, ſunt hic Pſalteria mentis,
Quæ redolent gratis auribus Ambroſiam.
Cæleſti mentes eſca Manus iſta replebit,
Voceq́; concordes concinet iſta modis.
Anxius ergo animo quiſquis ſtet, abdita rerũ,
Huc petas, & modulos ebibat ore pios.
Hic modulere (rogo) hauria vt mens læta liquorẽ,
Namque ſuauis erit lectus odore Roſa.

MEMBRVM II.


Elucidatio Chiropſalterij cum diuiſione eiuſdem.

INtellige quæ dico dabit enim tibi Dominus in 2. Tim 2. VI.
omnibus intellectum. VT IGITVR depictũ Chiropſalterium intelligatur, pauca pro eius intelligentia ſunt ſubnectenda; quæ ſi quis diligenter auſcultauerit, facilè de omnibus (Domino aſpirante; vt in auctoritate dicitur) intellectum conquiret. Notandum igitur in primis verbum Guilielmi Parrhiſienſis quod in Rhetorica diuina ait, Dicit enim, quod *totus Clericus generaliter ad hoc, & propter hoc eſt conſtitutus, vt mediator ſit inter populum, & Deum.* Propter quod, & iuxta litterã inter populum, & altare, medio in Eccleſia loco conſiſtit: Ad hoc videlicet, vt laudibus, & orationibus, & ſacrificijs iram Dei erga populum placet; gratiamq́ue ei impetret, & gloriam. Nam & de eorum annona viuit, & eorum *peccata comedere* legitur. In ſacro faciendo ſc. Olim & Choris paſſim. Oſea 4.

Hinc eſt, quod in præſenti Chiropſalterio, duplex Eccleſia eſt diſtincta; militans, ſcilicet, & triumphans: In quarum medio perſona Eccleſiaſtica, tanquam mediatrix, conſiſtit, vt ſic ſe facilius ad vtramque Eccleſiam, & triumphantem, ſcilicet & militantem diuertere poſſit. In prima (triumphante videlicet) Deũ, & ſanctos pro ſe, & populo ſuppliciter exorando; in altera (puta militante) populum ad Dei gratiam capeſſendam, actibus Hierarchicis, & exhortatione diſponendo. Verum quoniam in Iob ſcriptum eſt, *nunquid qui multa loquitur iuſtificabitur?* & quoniam ſapientis audire velle magis eſt, quam continuè loqui; ideò non modo (cum ſe ſupernæ, vel inferiori Eccleſiæ contulerit) cum ipſa loqui habet, ſed & audire ſtudeat, diuerſas illic voces reſonantes neceſſe eſt, Sed quid *proderit homini ſi mundum lucretur vniuerſum, animæ autem ſuæ patiatur detrimentum.* Oportebit igitur, vt & anima ipſa, ad ſeſe quandoque ſe diuertat, & ſecum ipſa fabuletur; ne, cum aliorum ſaluti intenta fuerit, ſe neglecta, ipſa reproba, & torpens effecta à gratia ſecludatur. Iob 11. Mat. 16. 1. Cor. 9.

Ex iam dictis colligi poteſt, quod Chiropſalterium hoc in quinque diuiditur partes. Cuius ratio etiam ex dictis facilè patet conſideranti. *In prima enim parte* in Eccleſiam triumphantem tranſlata, illic rhetoricè cauſas

ſuas


IHS
Organum diuinæ laudis
Chelis gratitudinis
Tuba inſequutionis
Clauicymbalum ſiue ſymphonia
Lyra ſeptuplicis petitionis
Cymbalum iubilationis
Iubilus exultationis
Volatus incitatiuus
Soliloquium
Dragmaticum carmen per
Queſtiones
Reſponſiones
Epithalamium in cubili cordis
Refutationes
Actus excitatiuus
Actus
Perfectiuus
Illuminatiuus
Purgatiuus
Eccleſia militans
Vox
Iuſtorum
Animarum purgandarum
Hominum malorum
Chorus et concentus eccleſiaſtici

fol. 196

Digitized by Google

ſuas agens, orat vt aduocata; *In altera* diuerſas ibidem reſonantes voces audit, & auſcultat, vt ſponſi amica; *In tertia* ſuper ſe ſuæ contemplationis radium conuertit; ne, cum alijs prædicauerit, ipſa torpeat, aut reproba efficiatur; *In quarta* diuerſos actus, puta Hierarchicos, & alios, in diuerſa obiecta agit; *Poſtremò* in Eccleſia militante voces varias audit, iuſtorum quidem, vocibus fauens, malorum execrans, & deteſtans. Partes in Chiropſalterio patent. Hæc autem omnia, ita in Pſalmis concurrunt, vt vix ſit aliqua Horarum, quæ horum in ſe exempla non habeat.

Hinc etiam eſt, quod ob hos diuerſos actus liber ipſe Pſalmorũ, diuerſis creditur titulis inſigniri: Intitulatur enim *liber Hymnorum*, inquantum, ſuper eos optimè laudatur Deus quo ad *primam partem*; Secundò dicitur liber *Pſalmorum*; inquantum, ſcilicet bene agere docet & hortatur: *Pſalmus enim bonam operationem deſignat*; ſecundum Auguſtinum & hoc quo ad quartam partem; *Tertiò* liber *Soliloquiorum* denominatur, ob varias, quas in ſe continet, voces. Interdum enim in Pſalmis loquitur Deus, aut Sancti; & hoc quo *ad ſecundam partem*. Quandoque anima ſibiipſi, *quo ad tertiam*; Nonnunquàm quoque *militantis* illic Eccleſię audiuntur voces, quoad eius *quintam partem*. Patet ergo, quam nihil in hoc Chiropſalterio ſuperfluum; quanquam nihil, aut parum diminutum, cum totum Pſalterium facilè ad hoc poterit reduci. De cuius iam practica agendum eſt.

Volenti itaque in hoc Chiropſalterio exercitari, in primis hoc prænotandum; quod tria continentur in eo agenda,

Scilicet { Digitorũ, vel articulorum attactus,
Certi actus,
Varij affectus.

Quorum quodque adminiculum eſt ad attentionem; ita quod qui tria iſta egerit, ad triplicem illam ſupraſcriptam attentionem intendere iuuatur. Nam *primum*, id eſt, ſignaturæ, iuuant ad attentionem materialem; *Alterum*, id eſt actus ipſi, ad formulam; Tertium, id eſt, affectus, ad finem. Quod patet: nam cum ad ſingulos verſus comprimis, cognoſcis, quia nihil *de materia*, id eſt verbis Pſalmi omittis; Et *ſenſum* oportet vt attendas; ſi actus aſſignare debes; *Fini* autem attendis, cum ſecundum aſſignatos affectus in Deum te eleuas. Quæ tria ſubſequenti ordine, & modo ſunt agenda. Dicit Hugo de S. Victore, Sic orationi ſancta meditatio eſt neceſſaria, vt perfecta eſſe nequeat, ſi eam non præcedat, aut concomitetur. Qui ergo volet attentè, & deuotè pſallere; neceſſe habet (vt & Gerſon docet) ſenſum Pſalmi, vel verſus cantandi, conſideratione præuenire, &, vel tenuiter ſaltem quid ibi agatur conſiderare.

Quo conſiderato, vt attentius, & vigilantius pſallas, debes verſum conſideratũ illi digito, & articulo adaptare, vbi videris actum illũ aſſignatum: Et ſic cum pollice durius illum articulum pungere, quia talis locatio, ac compreſſio digitorum, mirabiliter (vt Nyder dicit in ſuo de Eleuatione) valet pro attentione, quia ſic cor hominis ad determinatum aliquid meditandum limitatur, & euagandi occaſio aufertur.

Deinde verſu ſic collocato in articulo, ad hoc te toto niſu debes diuertere, vt actum illum aſſignatum poſſis agere; vt ſcilicet ſi orat ores, ſi laudat laudes. Quem actum, vt deuotius poſſis complere, & intimius Deo per illum coniungi, debes diligenter affectus illi actui aſcriptos notare, & eos ex corde formare, vt in laudando congratulari, in admirando magnificare, & ſic de alijs.

Et vt hæc practica elatius pateat; exemplũ eſt ſubnectendum. Eſto cantetur Pſalmus ille, *Domine non eſt exaltatum cor meum*, &c. debes Pſ. 130.
in primis, quid hoc dicendo agis præmeditari: Et inuenies, quod perſonam tuam commendes, quia ſcilicet præcauiſti malum; debes digitum in quo commendatio perſonæ, vel cauſæ ſignatur, in primo articulo premere; *Secundò* debes cordialiter actum illum agere, per cautam mentis exaltationem, & humilitatem tuam profitendo, & ex ſententia dicendo, *Domine non eſt exaltatum*. *Tertiò* debes affectualiter humiliatem cordis exoptare, mente, & affectu dicendo, O vtinam non eſſet exaltatum cor meum! Væ mihi quia totiens eſt elatum; & ſic de alijs. Verum vt omnia iam dicta lucidius conſtent, de ſingulis eſt partibus exemplificandum, & proſequendum. Et primum de primâ parte, quæ dicitur Rhetoricalis oratio.

MEMBRVM. III.

Declaratio, & exemplificatio primæ partis Chiropſalterij, quæ eſt oratio Rhetoricalis.

PRIMA pars Chiropſalterij huius dici poterit *oratio Rhetoricalis*; eo ſcilicet quod inſtar ſæcularis oratoriæ artis, ſpecies eaſdem, & procedendi modum complectatur, vt patet Rhetoricam ſcienti. Quod autem talis proceſſus in Pſalmis ſit, Ambroſius in libro de Miniſterijs edocet dicens: *Sicut oratores in cauſis nunc incipiunt à laude iudicis, vt beniuolum eum reddant, nunc ſupplicant, vt patienter audiri mereantur, nunc narrant* &c. ſic fit ait, in Pſalmis, & in oratione ad Deum. Talem quoque modum conſiſtere in Pſalmis pulcherrimè docet Hugo de S. Victore, in Tractatulo ſuo de Oratione; & in libro de Clauſtro Materiali, in capitulo de Oratorio animæ (ſi tamen ſit idem Hugo) & Ioannes Vallen. in ſuo alphabeto Religioſorum: Sed & talem modum Sancti etiam in ſuis orationibus obſeruauere, vt patet diſcurrenti. Qui modus, quantum Deo placeat, Guillermus Parthyſiē. in ſua Rhetorica diuina, pulchrè declarat dicens, quod *licet is modus ex verbis compoſitis, & ad exorandum potentibus congeſtus, non mutet immutabilem: miro tamen modo diſponit orantē.* Hinc Ioann. Vallen. & Decanus Tongren. in de laude Pſalmorum, lamentabili tragædia cauſantur, quod Eccleſiaſtici moderni hunc modum iam non obſeruent; dicentes; *Sed* VII.

Digitized by Google

valdè dolendum eſt, quod hodie communiter in Eccleſiis, deficit modus præſcriptus pſallendi, quia pſalmodia, & curſoriè dicitur, & corruptè. Et cum omnia agantur cum ſollicitudine, delibera tione, & diligentia; officium diuinum dicitur ſine attentione, deuotione, & reuerentia. Vnde timen- Ier 48. *dum eſt eis illud, Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Satis iam demonſtratum eſt, orationem Rhetoricam in Pſalmis eſſe. Iam de ſingulis eius ſpeciebus eſt exemplificandum.

§ 1. De prima ſpecie huius partis, quæ eſt captatio beneuolentiæ, & de primo actu, & quaſi Notula 1. eſt, Gratiarum actio.

VIII. PRIMA ſpecies Rhetoricæ, orationis eſt, *Captatio beniuolentiæ*, quæ eſt (ſecundum Hugonem) dum aliquid dicitur in laudem eius, quem oramus; qui (ſecundum eundem) tres ſub ſe actus principales habet: *Primus eſt gratiarum actio*, quæ eſt beneficiorum confeſ- Pſ. 4. ſio. Cuius hæc ſunt in Pſalmis exempla. *Cum inuocarem, exaudiuit me Deus*, &c. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui*, &c. Pſ. 123. *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionẽ dentibus eorum*, &c. totus Pſalmus, & innumera talia. Hos igitur, aut ſimiles verſus decantans, eos *in primo articulo* pollicis loca, toto corde gratias agens, ſecundum modum, quem tradit Bonauent. in ſuo Paruo Bono; ſcilicet primo vigilanter & profundè, beneficium illud attendendo, & confitendo; *Secundo* in benefactore exaltando; *Tertio* te totum in quamcunque viciſſitudinem offerendo, & Sanctos ad tecum gratias agendas conuocando.

Poſtea affectus ingemina, & ad talis benefactoris ardorem te inflamma dicens, O quã do te amabo? O quando gratus ero? Ah ſis in æternum ſuper tantis donis benedictus. Quę licet in exercitato videntur difficilia, & facta impoſſibilia: ſunt tamen facillimè inter pſallendum ab habituato adimplenda. Experiatur, qui non credit.

Sunt poſtremo huius gratitudinis multę ſpecies, & ſubordinarij actus, qui omnes ad eam reducuntur, vt ſunt octo gradus iudicij,

Confiteor, benedico tibi, laudans, & honoro.
Gloria, magnificans, ſuperexaltans, vel adorans.

Quorum *primus* eſt Confeſſio, quæ eſt aſſenſus publicus veritatis, dicendo; Tu es Deus, tu benefactor meus, vel Confitemini Domino (Corde aſſentiendo) quoniam bonus. Pſ 105. *Secundus eſt* Benedictio. Et eſt beniuolus aſſenſus in bonum: Vel beniuolentiæ verbale iudiciũ. vt O quam bonus es tu. *Tertius* eſt Laus & eſt agniti, & aſſenſi boni æſtimatio, vel pronunciatio: Magnus Dominus, & laudabilis nimis *Quartus* eſt Honor, & eſt magna laus, Pſ 95. id eſt, officiũ cognoſcentis, æſtimantis, diligentis magnum bonum, id eſt, quo quanta poſſumus ſubmiſſione nos ſubmittamus, & honoremus per externa opera. *Quintus* eſt gloria, & eſt magni boni clare agniti magnum iudicium, vt dicendo Gloria Patri, & ſic de alijs. *Sextus* eſt Magnificentia, & eſt magnifica gloria; is autem Deum magnificat, qui ſublimiter, & magnifice de Deo ſentit: & ad hoc alios cohortatur dicendo, Magnificat anima mea Dominum. Magnificate Dominum mecum. Luc. 1. Pſ 33. *Septimus* eſt Superexaltatio, & eſt extrema virtus magnificentiæ, qua non poteſt am- Eccli. 43. plius, iuxta illud, Exaltate Dominum, quantum poteſtis: ſuperualebit adhuc. *Octauus* Adoratio, & eſt ſummus *Dei* cultus. Adorare enim oportet in ſpiritu, & veritate. Io. 4.

De altero actu captationis beneuolentiæ, qui eſt admiratio. Notula 2.

SECVNDVS actus principalis Rhetoricæ orationis eſt *admiratio*, quæ eſt ex vrgen- IX. tib⁹, & vrentibus vtrinq; rationibus, inter partes cõtradictionis, importuna, anxiaq; animi fluctuatio; vel eſt imperfecta rei cognitio adiũcto deſiderio cõplemẽti Cui⁹ ſunt hæc exẽpla, *Domine dominus noſter, quã admirabile eſt nomen tuum*, &c. Quis *ſicut Dominus Deus noſter*, & talia. Quos verſus dum cantas *in ſecundo articulo* pollicis eos collocabis, actum agens admirationis, & affectu magnificationis afficiens.

Debet autem hæc admiratio

Fieri
- Diſcurſu intellectiuo, mirabilia ſpeculando:
- Speculatis fide actuata, reuerenter te ſubmittendo;
- Extatica affectione, præ ſtuporis magnitudine ſenſus deferendo.

Et hoc cum affectu
- Glorificationis,
- Magnificationis,
- Stuporis.

Faciendo hic
- Exclamationes, &
- Affirmationes

Vt affectus dicat.

O admirabilis es Domine. O vere magnus nimis Sunt autem huius actus ſpecies plures, vt ſunt ſegnities cum alijs, quas enumerat Ioann. Damaſcen. Eſt autem *ſegnities* timor futurę operationis. *Erubeſcentia* vero, eſt timor in expectatione conuitij, *Verecundia* autem, timor in turpi actu. *Admiratio* vero, eſt timor ex magna imaginatione. *Stupor* eſt timor ex inſueta imaginatione. *Agonia* vero, eſt timor per caſum, ſcilicet per infortunium. Quæ ſpecies quomodo admirationi ſubſeruiant, Bonauentura declarat.

De tertio actu captationis beniuolentiæ. ſcilicet laudatione. Notula 3.

TErtius actus principalis eſt *laudatio*, quæ X. eſt agniti boni ad vltimum ponderatio, & pronunciatio. Et, hæc fit cum affectu complacentiæ, & congratulationis. Cuius hæc ſunt exempla. *Iuſtus es Domine. Bonus es tu*, Pſ. 118. Ibid. m. &c. *Exaltabo te Deus*, & alij pſalmi laudabiles. Pſ 29. Debet autem hæc fieri, *Appretianter*, maio Eccl. 43. rem omni laude eum confitendo; *Congratulanter*, eius attributis, & perfectionibus applaudendo; *Perſeueranter*, in æuum in eius præconijs perſiſtere deſiderando. Et nota quod non ſolum hæc laudatio, aut etiam tota,

ſimul

ſimul captatio iſta erga perſonam Dei, aut e-
ius appropriata fieri habet; ſed etiam cum ex-
tollimus vel eius Sanctos, aut Legem, aut ali-
Pſ. 1. quid eius: vt *Beatus vir qui non abijt*, &c. *Lex*
Pſ. 18. *Domini immaculata*. *Omnia mandata tua veri-*
Pſ. 118. *tas*. Habet etiam & is actus, plures ſpecies ſub
ſe graduatas, vt ſunt: *Honor, iubilatio, ſuperexal-*
tatio, cantio, & huiuſmodi multa; quorum de-
ſcriptiones Gerſon ſuper Magnificat, & in de
Hymno gloriæ ponit. Eſt etiam ſub hoc actu,
ſummus latriæ actus, *adoratio* ipſa. Nota quo-
que poſtremo, quod ad hunc pollicem, ad
hanc captionis ſpeciem, poſſunt reduci omnes
illi affectus, quos Gerſon in ſuo Cantichordo,
ſub gaudio aſſignat. Et hæc de prima ſpecie
Rhetoricæ orationis.

§ 2. *De altera ſpecie primæ partis huius Chiropſalterij, quæ eſt narratio miſeriæ.*

XI. ALTERA ſpecies Rhetoricæ huius no-
ſtræ diuinæ orationis, eſt *narratio vel de-*
Pſ. 55. *ploratio miſeriæ*, de qua Pſal. ait. *Reuela Domi-*
no viam tuam. Cuius etiam aſſignantur tres a-
ctus principales; ſecundum tres digiti articu-
los. Vel enim deploramus miſeriam præteri-
tam, dolentes (ſcilicet ſecundum Bonauen-
turam in ſuo Paruo bono) de omiſſis iuſtitiæ
præceptis, de commiſſis culpæ prohibitis, aut
de amiſſis vitæ gratuitis: Et hoc cum affectu
Pſ. 105. doloris: Huius exemplum, *peccauimus cum pa-*
tribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus
& huiuſmodi. *Secundo* narramus *præſentem*
miſeriam, lugendo, ſcilicet exilij peregrinatio-
nem, animæ deformationem, ſeruitutis & in-
Pſal. 119. colatus oppreſſionem, vt ibi, *Non eſt ſanitas*
in carne mea. *Quoniam iniquitates meæ ſuper-*
Pſ. 37. *greſſæ ſunt caput meum*: Et hæc cum affectu pu-
doris. *Tertio* narramus, & extimeſcemus *mi-*
ſeriam futuram; expaueſcendo, ſcilicet propter
pronitatem ad vitium, propter demeritum iu-
ſtum iudicium, propter inſtans mortis æternæ
ſtipendium; Et hæc cum affectu timoris Cuius
Eſa. 38. hoc (iuxta Bernardum) exemplum. *Ego dixi in*
dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.
&c. Et debet generaliter hæc deploratio fieri
querulanter, per ſeptem ſcilicet illas ſpecies lu-
ctus, quas Gulielmus Pariſien. in ſua Rheto-
rica proſequitur. Et ſunt iſtæ. Clamor, eiula-
tus, &c. vide infra in ſcala communionis. De-
bet quoque hæc querulatio fieri per interie-
ctiones illas doloris. Væ, heu, ah, & conſimi-
Pſal. 117. les. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt*.
Complectitur quoque hæc narratio non mo-
do perſonæ propriæ deplorationem; verume-
tiam, & capitis, ſcilicet Chriſti, & myſtici cor-
poris miſerias exponit. De capite ipſo in Pſal-
mis, *Miſericordias Domini in æternum cantabo.*
Pſ. 88. *Deſtruxiſti eum ab emundatione. Minoraſti*
dies temporis eius, &c. De corpore eccleſiæ;
Pſ. 78 *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuã* &c. Et
poterunt ad hanc ſpeciem coaptari omnes
illæ affectiones, quas Gerſon recenſet ſub
triſtitia, & timore in ſuo Cantichordo.

§ 3 *De tertia ſpecie huius primæ partis, quæ eſt commendatio perſonæ, vel cauſæ.*

TERTIA præcipua ſpecies Rhetoricæ, &
diuinæ orationis eſt *commendatio perſonæ* XII.
propriæ vel cauſæ: quia ſcilicet aliquid (ſecun-
dum Hugonem) dicis in tui, aut cauſæ tuæ cõ-
mendationem. Non per hoc te efferendo; ſed
beniuolentiam eius, cui narras, captando.
Commendatur autem perſona, vel propter
commiſſionem boni, aut omiſſionem mali, ope-
roſe præcautam, vel præcauendam. Vt, *Man-* Pſ. 118.
data tua non ſum oblitus. Domine nõ eſt exaltatũ Pſ. 130.
cor meum: In æternum non obliuiſcar iuſtificatio Pſ. 118.
nes tuas; Et hoc optanter. Ita quod affectu di-
cas, Vtinam ſemper cuſtodiſſem. O ſi cor
meum non fuiſſet exaltatum. Væ mihi, quod
fuit elatum. Et ſic actus obiectalis, valet vnum
formalem. Per tale deſiderium reputabitur ti-
bi opus quaſi à te factum. *Secundo* commen-
datur perſona, propter actionem bonam ſtu-
dioſè factam, *vt Preueni in maturitate & cla-* Ibidem.
maui. Septies in die laudem dixi tibi. Et hoc *par-*
ticipanter, capitis & eccleſiæ meritis deuote
communicando. Credis enim & deſideras
communionem Sanctorum, Ita vt, ſi quid per
te non egeris, alij ex corpore myſtico pro te,
& te in illis egiſſe confidenter præſumas. Eſt
& hic deſiderium per optatiuas exclamatio-
nes eleuandum: Aut ſaltem deſiderium deſi- Ibid.
derij aſſumendum; Iuxta illud, *Concupiuit ani-*
ma mea deſiderare iuſtificationes tuas. *Tertio*
perſona recommendatur propter operatio-
nem bonam in futuro pollicitam, Vt, *medita-* Ibid.
bor in iuſtificationibus tuis. Docebo iniquos vias Pſ. 50.
tuas. Et hoc *ſperanter*, diuinæ clementiæ (quæ
ſemper miſeris præſto eſt) confidendo, & po-
tentiæ eius innitendo; Et hoc cum deſiderio
intenſo. Poterit ſimiliter, & cauſa à tribus
commendari, *Vel* à temporis opportunitate:
vt ibi, *Tempus faciendi Domine*. Vel à com- Pſ. 118.
placentia & fauorabilitate: vt ibi, *Quoniam* Pſ. 101.
placuerunt ſeruis tuis lapides eius. Vel à futura Pſ. 118.
vtilitate, vt ibi, *Tunc non confundar cum per-* Ibidem.
ſpexero. Itemque. *Qui timent te videbunt me, &*
lætabuntur; Et hæc omnia cum deſiderij, & op-
tionis affectu. Ad hanc quoque ſpeciem ſunt
omnes illi affectus reducibiles, quos Gerſon
ſub ſpe in ſupra memorato concludit tracta-
tu, ſcilicet Canticordo.

§ 4. *De quarta ſpecie eiuſdem primæ partis quæ eſt accuſatio partis aduerſæ.*

QVARTA ſpecies eſt accuſatio partis II.
aduerſæ, qua ſcilicet aliquid dicis, quo
audientium animos in odium, aut indigna-
tionem concites aduerſariorum: Et eſt ſpecies
hæc creberrima in Pſalmis; Cuius tres poſſunt
aſſignari ſpeciales partes; Aut *enim accuſamus* Pſal. 30.
aduerſariorum ſtultitiam, & iniquitatem *in* Pſal. 40.
corde, vt ibi, *Dixit inſipiens in corde ſuo*. *Cogita*
bant mala mihi, & huiuſmodi. Et hoc cum af-
fectu *aduerſationis*; iniquitatem, ſcilicet huiuſ-
modi execrando, & deteſtando. *Aut enarra-*

Digitized by Google

mus aduerſariorum nequitiam, & calliditatem in ore; vt *Verbum iniquum conſtituerunt aduer-*
Ibid. *ſum me. Dixerunt mala mihi. Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* Et hoc cum affectu odij, & *in-*
Pſ.5. *dignationis. Tertio accuſamus* quandoque malitiam, & *feritatem in opere*, vt. *Quoniam alieni*
Pſ.53. *inſurrexerunt aduerſum me. Poſuerunt peccatores laqueum mihi.* Et hoc cum affectu *Zeli*.

Vel ſic. *Accuſamus* aduerſariorum *iniqui-*
Ibid. *tatem* dicentes, quia ſunt iniqui, vt. *Iniqui perſecuti ſunt me.* Aut *fortitudinem* dicentes, quia
Pſ.118. fortes. *Et fortes quæſierunt animam meam.* Aut *multitudinis pluralitatem* cauſantes, quia multi,
Pſ.37. vt, *Multi qui perſequuntur me. Inimici autem mei viuunt, & confirmati ſunt ſuper me*, & *multiplicati ſunt, qui oderunt me iniquè.* Et hoc non modo hominum; ſed & multo amplius dæmonum, & vitiorum malitiam accuſamus: Hæc enim ſunt animæ hoſtes. Et debet fieri hæc accuſatio *querulanter*, plangenter, eiulanter, & conſtanter. Item ſtrenuè, ſeuerè, benignè. Ad hanc etiam ſpeciem reduci poterunt imprecationes illæ propheticæ, quæ quandoque magis ſunt prophetiæ, & futurorum prædictiones, quam malignæ orationes; imo, ſi profundè dijudicentur plenæ ſunt charitatis,
Pſal. 20. & benignitatis, vt *Pones eos, vt clibanum ignis*
Pſal.24. *in tempore vultus tui. Confundantur omnes iniqua agentes ſuperuacuè, & ſic de alijs*

§ 5 *De quinta ſpecie primæ partis, quæ eſt imploratio miſericordiæ.*

XIIII. SVPEREST iam videre de QVINTA ſpecie huius primæ partis, quæ eſt imploratio diuinæ miſericordiæ, cuius hi ſunt actus principales, ſcilicet, *Deprecatio*, quæ propriè fit (ſecundum Gloſſam) pro amouendis malis, vt
Pſ.37. ibi, *Domine ne in furore tuo. Eripe me, & libera*
Pſ. 143. *me de aquis multis.* Et debet hæc fieri *rugienter, flebiliter, importunè, humiliter, magnanimiter.* Attendantur verba, notentur myſteria.

Secundus actus eſt *oratio pro bonis*, ſcilicet, acquirendis, vt *Deduc in me ſemitam mandatorum tuorum. Legem pone mihi Domine viam*
Pſ. 118. *iuſtificationum.* Hæc, quoniam quandoque fit implicite, ideo ei adiungitur *inſinuatio*, quæ eſt (ſecundum Hugonem) implicita oratio, aut reuerentiæ, aut indignationis cauſa non ex-
Io 2. preſſa, vt *Domine vinum non habent. Domine ſi*
Io.11 *fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.* Quæ
Pſal.124. etiam crebrius occurrit in Pſalmis, vt *Cuſtodiens paruulos Dominus. Si iniquitates obſeruaueris*
Pſ.129. *Domine.* Hoc eſt non obſerues. Et debet hæc fieri per conditiones ſuas, quas paſſim eſt reperire in ſermonibus, & ſcriptis doctorum. Vt nimirum fiat *fidenter, utiliter, ſperanter, ardenter, perſeueranter.* Habentur hæ conditiones in Speculo Morali proſecutæ: Quas ita hic congerimus, vt inter orandum illas actuemus; Crebrius enim multæ orationes inuicè concomitantur, & tunc ſingulis orationibus, ſingulę ſunt conditiones affectualiter applicandæ, vt *Domine exaudi orationem meã*, quia,
Pſ.111. ſcilicet pero humiliter, *Et clamor meus ad te veniat.* Nam pero ardenter, & ſic de alijs. Sic in ſuperiore, & in ſequenti eſt ſpecie, vel actu agendum.

Tertius actus eſt *obſecratio*, quæ eſt per ſacrum aliquod oratio, vt *Miſerere mei Deus,* Pſ.50.
ſecundum magnam miſericordiam tuam. Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum. Deus in nomine tuo ſaluum me fac. Et debet Pſ.53.
hæc imploratio miſericordiæ fieri (iuxta Bonauenturam) cum affluentia deſiderij, per ſpiritum ſanctum; cum confidentia ſpei, per Ieſum crucifixum; cum aſſiſtentia patrocinij per Sanctorum interceſſiones, & meritum. Fit autem obſecratio crebrius per Dei proprietates, & ſumma eius opera. Vnde cũ ſumma deuotione, & reuerentia, quotiens opus fuerit, eſt agenda.

NOTA quoque, quod ad hanc ſpeciem, omnes ferè enumeratę affectiones poterunt applicari; quoniã ex eis omnibus, oratio elici poteſt. Fit enim quandoque oratio, *ex affectu dilectionis*, vt ibi, *Diligam te Domine.* Quando- Pſ.17.
que *ex timore*, vt *Domine ne in furore.* Quandoque *ex odij, & Zeli affectu*, vt *Confundantur &* Pſ.6. Eſa 82.
pereant, & ſic de alijs. Et tunc debent hi affectus formari, ſecundum modum præſignatum.

§ 6. *De Confirmatione.*

EST pręterea altera adhuc Rhetoricæ artis ſpecies, in margine aſſignata, *confirmatio* XV.
dicta, quæ ideo nullo certo digito ponitur; quoniam circuit, & complectitur omnes ſpecies ante dictas. Confirmatur etenim laus, confirmatur, & narratio; & reliquę partes, vt longum eſſet declarare. Vnde hæc pro regula ponimus, quod confirmatio in eodem eſt loco cum confirmato ponenda, & determinans cum determinato, vt infra plenius dicitur. Et hæc de prima Chiropſalterij parte, quæ eſt oratio rhetoricalis; quæ abundè (vt exemplificatum eſt) in Pſalmo reperitur. Nec id mirũ; cum etiam (ſecundum Gilbertum ſuper Threnos) omnis Rhetoricæ artis ſplendor, omnes loci, & colores illic poſſunt reperiri, prout exemplariter illic, de locis conqueſtionis, & indignationis demonſtrat, inter cætera dicens. *Inuenies ergo* (inquit) *etiam loquendi artes, à noſtris ad Philoſophos tranſiſſe; non ab illis ad noſtros aſcendiſſe. Quod plene* (ait) *percipiet, qui per ſingula intentionem prophetarum, & affectũ, & verba conſiderat.* Hæc ille. Cui & Iſidorus poſt Hieronymum atteſtatur dicens, quod ab initio apud Hebræos Pſalmi metris conſtant, & in morem Romani Flacci, & Græci Pindari, nunc alij iambo currunt, nunc Alcaico perſonant, nunc Saphico nitent, trimetro, vel tetrametro pede incedentes. Hæc Iſidorus Etymologiarum libro, & capitulo ſecundo.

MEM-

Digitized by Google

MEMBRVM IIII.

De altera principali huius Chiropſalterij parte: quæ eſt vocum in triumphante eccleſia auditio.

IAM de altera huius Chiropſalterij principali parte agendum, quæ eſt *vocum in triumphante eccleſia auditio.* Circa quam, (vt ex notis procedamus) *primo* declarandum, quod etiam ſint voces in pſalmis audiendæ: *Secundo* quid inter audiendum ſit agendum, vel qualiter ſint audiendæ; *Tertio* de aſſignatis eſt explicandum.

§ 1. *Probamenta, quod ſint voces in Pſalmis audiendæ.*

XVI. VOCES autem diuerſas eſſe in Pſalmis, ac per hoc audiendas, patet *primo* ex plurium pſalmorum prætitulatione. Nam quidam ex perſona Chriſti, quidam ex perſona iuſtorum, aut martyrum, filiorũ Chore intitulantur, vt eſt aperte inuenire in Pſalmorũ conſideratione diligenti.

Secundo itidem patet ex Gloſſæ ordinariæ, & cæterorum doctorum expoſitione, à quibus voces diuerſæ introducuntur: Vnde & in principio gloſſę ordinariæ habetur pulchra diſtinctio, quomodo & quanta ſit vocum diuerſitas, & mutatio. Quandoque enim Chriſtus loquitur, vt caput, quandoq; tranſſumptiuè &c. Hoc Aug. in ſuis Quinquagenis. Hoc Caſſiod. Hoc de Turrecremata, & cæteri obſeruauere Doctores, qui varias introducunt voces, vt palam eſt videre in eorum commentis.

Probatur idẽ *tertio* aperta ratione. Nã ideo liber Soliloquiorum denominatur; propter varias ſcilicet quas continet loquentium voces. Et Bernardus ait, *Loquitur nobis in Pſalmis Chriſtus* &c. Liquet ergo eſſe voces. Cum etiã tam palam has in regula ſua allegat Pater Benedictus, dicens in Prologo eius, *Exurgamus ergo tandem aliquando, excitante nos ſcriptura, & dicente, Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere, & apertis oculis noſtris ad Deificum lumen, attonitis auribus audiamus diuina quotidie clamans, quid*
Pſ. 94. *nos admoneat vox dicens, Hodie ſi vocem eius audieritis nolite obdurare corda veſtra.* Et iterum,
Apoc. 2. & 3. *Qui habet aures audiendi audiat, quid ſpiritus dicat eccleſiis. Et quid dicit? Venite filij, audite*
Pſ. 33. *me, timorem Domini docebo vos. Et quærens Dominus in multitudine populi ſui (cui hæc clamat) operarium ſuum, iterum dicit: Quis eſt homo,*
Pſ. 33. *qui vult vitam, & cupit dies videre bonos? Quod ſi tu audiens reſpondeas, ego: Dicit tibi Deus. Si vis habere veram, & perpetuam vitam, prohibe à malo linguam,* &c. *Et cum hæc feceritis, oculi mei ſuper vos,* &c. *Quid dulcius nobis hac voce Domini inuitantis nos Fratres chariſſimi? Ecce pietate ſua demonſtrat nobis Dominus viam vitæ.* Hęc S. Benedictus in Regula, vbi voces, & reſponſiones oſtendit eſſe in Pſalmis. Quemadmodum & in altero capitulo, de gradibus humilitatis ait: *Interrogamus cum Propheta Dominum dicentes ei. Domine quis habitabit in Tabernaculo tuo?* &c. *Poſt hanc interrogationem fratres, audiamus Dominum reſpondentem, & oſtendentem nobis viam, ac dicentem, Qui ingreditur ſine macula,* &c. Conſtat ergo luce Clarius in Pſal. diuerſas eſſe voces.

§ 2. *Quid inter audiendum voces agendum, aut quomodo ſint audiendæ.*

DE SECVNDO autem, quid ſcilicet inter audiendum, *agendum ſit, vel qualiter* 17.
ſint audiendæ, nota; In primis, debemus has voces audire, vt *verbum Dei eſt audiendum;* ſuper quo in pluribus locis plures habentur ſermones, pręſertim ſuper illo verbo, *Beati qui* Luc. 1.
audiunt verbum Dei, Vt plerique aiunt, Eſt verbum Dei audiendum *humiliter, & reuerenter, attentè, & ſtudioſè, deuotè, & feruenter, cuſtoditè, & memoranter.* Hæc deducit Iordanus in Sermone. Sunt & pari modo hæ noſtræ voces audiendæ, adiecto *gaudenter*. Debemus cum amico ſponſi, quaſi poſt parietem ſtantis Cant. 2.
gaudenter audire voces dilecti, & hoc de modo audiendi.

Quid autem inter audiendum agendum ſit, pulcherrimè Hieronymus edocet, dicens in Regula ſua. *Tunc* (ſcilicet cum ſacræ reſonant voces) *viniuſcuiuſque mens ſobria ſit, intenta dulcedine verbi. Suſpiret anxia, cum Propheticus ſermo, aut hiſtoricus, Dei ſæuitiam monſtrat in prauos. Gaudio repleatur immenſo, cum benignitas Dei annunciatur in bonos. Nunc ſpes reſpiret, nunc erigatur Fides, nunc Charitas accendatur,* exemplis proſequens ſingula, & in fine ſubdens. *Non reſonent verba; ſed gemitus, non riſus, & cachinnus; ſed lacrimæ decurrant.* Cuius ſententiã Gerſon, & Guillermus Parrhiſienſis apertius ponunt, Ait Guillermus. *Cum Pſalmi, cantiones, vel cantica ſint; manifeſtum eſt, quia qui pſallunt, vel pſallentes audiunt, ſaltare debent. Quemadmodum laſciui homines, & mulieres, ad auditũ cantilenarum turpium ſaltant, id eſt geſticulationibus corporum ſuorum, correſpondent modulationibus quas audiunt: Sic & nos ſpiritualiter* (ait) *agere debemus, cum cantiones pſalmorum audimus, ne nobis improperet Deus illud, Cecinimus* Luca 7.
vobis, & non ſaltaſtis, lamentauimus vobis, & non ploraſtis. Saltationes autem illæ, ſunt motus ſpirituales, quibus moueri debemus, aliorum voces in pſalmis audientes. Exempli gratia, Cum pſalmi diſtrictionem diuinæ iuſtitiæ, & vltionis reſonant, timore concuti debet cor noſtrum, & in deorſum poni; Cum autem miſericordiam, debet ſpe erigi; Cum autem honorem & gloriam Dei ſonant, gaudio dilatari; Vbi autem de beatitudine promiſſa quid inſonuerit, mox mens debet deſiderio, & amore illius accendi. Vt quid enim in principio ipſo pſalmi, à prophetali ſpiritu, nominatur ibi beatitudo, cum dicitur, Beatus vir qui non abijt, *niſi* Pſal. 1.
vt deſiderio, & amore in illam ſaltes, & pſallas? Quare virilitas? niſi vt à puerilitate diſſoluas, & virilitatem, tanquam perfectionem tibi debitam concupiſcas, & ſic de alijs. Et ſubdit, *Nec dubites quin cor per omnia bene diſpoſitum, ad auditũ*

pſalmodia.ſic ſe facilè ad vocum auditum monere
poteſt. Nam qui hoc non agunt: Onos lyras ſunt,
id eſt, aſini ad lyram, qui concentus lyræ, vel cytha-
ra, nullo geſticulationis communis motu reſpon-
dere norunt. Cauſa autem in hoc eſt, quia nec ipſam
ſuauitatē cōcentus huiuſmodi ſentiũt... Heu quot o-
nos lyras, id eſt, aſinos ſurdos, & inſenſibiles habet
hodie ſanctus Dauid; imò Spiritusſanctus, ad cytha-
rã, vel Pſalteriũ ſuum poſitos, qui nihil prorſus ſpi-
ritualis harmoniæ ibi ſentiunt; nil de his, quæ Spiri-
tus ſanctus omnibus loquitur, intelligunt, vel etiã
cogitant. Et quod eſt maioris abſurditatis, ipſas
voces Pſalmorũ, ita rudi ter, adeoq; ineptè reboant,
& vociferantur, vt voces eorum, à rugitibus aſini-
nis differant valde parum. Hæc prænominatus
Guilliermus. Cui & Gerſó in de myſtica Theo-
logia concordat, vt illic eſt videre. Ex his pa-
ter, quid inter audiendũ voces ſit agendũ, quia
ſcilicet, eſt conformiter ad eas afficiendũ. Vt
Steſichori, id eſt, ad cytharã ſaltãtes, mereamur
eſſe, & dici, pro qualitate, ſcil. modulationis, i.
diuini ſenſus in corde, & affectibus geſticulã-
tes. Sicut dicit ſe feciſſe Aug. 9. Confeſſionũ,
Pſ.4. cum legeret Pſalmum, *Cum inuocarem exaudi.*
&c. Vbi inter cætera ait. *Inhorrui timendo, ibi-*
demq; inferbui ſperando, & exultando in tua mi-
ſericordia Pater, & hæc omnia exibant per oculos
meos, & vocē meam; cum conuerſus ad nos ſpiritus
tuus bonus, ait nobis: Filij hominum &c. Clamat,
quouſq; clamat, Scitote. Et ego tam diu neſciens,
vanitatē dilexi, & mendaciũ quæſiui, & ideo au-
diui, & contremui, & inſonui multa grauiter, in
dolore recordationis meæ. Digniſſimum eſt exẽ-
plum totus contextus exempli illius, ibi videa-
tur. Et hæc de altero principali.

§ 3. Exemplaris deductio de ſingulis vocibus. Et primum de voce Patris.

XVIII. IAM de ſingulis vocibus aſſignatis, eſt exẽ-
plandũ & primo *de voce* PATRIS. Eſt enim
vox Patris in Pſalmis loquẽs, quandoq; Filio,
Pſ.109. vt ibi, *Tecum principiũ in die virtutis tuæ*, ſecun-
dum gloſſam loquitur ibi Pater ad Filium; Lo-
quitur itẽ quandoq; Pater nobis de Filio, vt in
Pſ.88. Pſalmo; *Miſericordias Domini.* Ibi. *Inueni Da-*
uid ſeruũ meũ, cum pluribus ſequentibus. Quæ
ſunt verba Patris de Filio; ſecundũ Hugonem
in ſuo Commento. Item loquitur quandoque
Pſ.90. Pater alijs de nobis, vt ibi, *Clamauit ad me, &*
exaudiã eum. Hieronymus dicit, Hic Deus Pa-
ter beatum virum à malis ſæculi promittit ſe
liberaturũ. Sũt & aliæ variæ immutationes vo-
cũ, quas diſtinguere eſſet prolixum. In quibus
omnibus, dum narrantur proſpera, eſt cõgra-
tulandum; dum pollicentur bona, eſt ſperan-
dum, & optandum, vt eſt ſupra dictum.

De voce Filij in Pſalmis. Notula 2.

XIX. LOQVITVR etiam quandoq; FILIVS
in Pſalmis, & hoc varijs modis; ſecundum
gloſſam, & Decanum Tungrenſem, Quando-
que enim (vt aiunt) loquitur Chriſtus ſecundũ
diuinitatẽ; Aliquando ſecundum humanitatẽ;
Quandoq; ſecundũ tranſumptionẽ; vt quãdo
vtitur voce membrorum, vt ibi exemplariter
declarant. Eſt igitur vox filij in Pſalmis, quan-
doque loquentis ad patrẽ, vt ibi, *Sacrificium,*
& oblationē noluiſti, aures autē perfeciſti mihi. Ibi Pſ.39.
ſecundum Apoſtolum, loquitur ingrediens Heb.10.
mundum Dei filius Patri, vel totæ Trinitati,
&c. Loquitur quandoq; nobis, Et hoc, aut de
ſua exaltatione, quaſi cantans, vt ibi, *Ego autē* Pſ.2.
conſtitutus ſum ab eo Rex &c. & tunc eſt ſaltã-
dum; Loquitur item quandoque de paſſione,
quaſi lamentans, vt ibi, *Deus, Deus meus reſpi-* Pſ.21.
ce in me. &c. Et ibi, *Circumdederunt me, ſicut a-* Pſ.117.
pes, &c. & tunc plangendum, ne improperare
habeat nobis, *Cantauimus vobis, & non ſaltaſtis:* Mat.11.
lamentauimus, & non ploraſtis.

Quod etiam illic ſint appropriatæ voces Spiritus ſancti. Notula 3.

SPIRITVSSANCTVS, tametſi omnes XX.
Pſalmos per os cecinerit Prophetæ, appro
priatas tamen nonnullas in eis ſibi voces re-
ſeruauit, vt ibi, *Intellectum tibi dabo & inſtruam* Pſ.31.
te: Ipſe enim eſt intelligentiæ ſpiritus, quoniã Iob 20.
itidem eſt *ſpiritus diſciplinæ* docens omnem ve- Io.16.
ritatem. Poſſunt autem illi morales & inſtru-
ctorij Pſalmi, tantum ab hoc percipi doctore.
Et verè *beatus homo quem tu erudieris Domine* Pſ.93.
ſpiritus bone, quoniam nulla in diſcendo mora
eſt, vbi tu doctor es. Exemplo ſunt Pſalmi illi,
Noli æmulari. Audite hęc omnes gentes. In qui- Pſ.36.
bus cum reuerentia, Spiritusſancti voces ſunt Pſ.48.
audiendæ. Petendumq; eſt aſpirationibus cor-
dis; vt qui docet veraciter, moueat efficaciter,
vt deducatur in actum.

Quod in Pſalmis occurrant etiam voces Mariæ Virginis. Notula 4.

BEATAM autem Virginem, etiam ſuas in XXI
pſalmis habere voces, Gloſſæ & Com-
menta pſalmorum, aptè teſtantur, quæ non-
nullos verſiculos ex eius perſona dici aſſe-
uerant. Hinc etiam gloſſa ordinaria ait illud
pſalmi, *Ex vtero ante luciferum genui te*, Ex Pſ.109.
perſona Virginis poſſe dici. Nec mirum, cum
ante de *virga virtutis*, quæ indubiè eſt Maria,
ſit præmiſſũ. Itemque in pſalmis Horarum
eius, ſingulariter illi attributis, ipſa crebrius
introducitur loquens, prout Magiſter Iohan-
nes de Melchlinia expoſuit, eos Mariæ coap-
tans, præſertim in Pſ. *Eructauit*, & *Fundamẽta* Pſ.44.
eius, & huiuſmodi. Sed & capitula Horarum e- Pſ.86.
ius manifeſtè ex eius perſona dicuntur, vt ſunt.
Ab initio, & ante ſæcula creata ſunt, &c. *Quaſi* Eccli.24.
cedrus exaltata ſum in Libano, &c. *Tranſite ad*
me omnes, qui concupiſcitis me. Liquet ergo, &
eam habere ſuas voces. O quanta attentio-
ne, quanta deuotione, ſunt prudentiſſimę
huius Virginis verba audienda!

Quod

Quod in Pſal. ſint voces Angelorum.
Notula 5.

XXII. ANGELOS quoque in Pſalmis loqui, Bernardus apertè indicat, dicens ſuper illis
Pſal. 67. verbis, *Præuenerunt Principes*. Ait (inquam) quod & Angeli præueniunt loquentes nobis, & exhortantes dicunt nobis, *Pſallite Domino ſapienter*, Pſal. 46. Et nos rurſum illud pſalmi 96. *Adorate eum omnes Angeli eius*. Hinc etiam iuxta quendam; Inuitatoria ipſa nocturna, ex Angelorum perſona audiri & dici poſſunt.
Iob 48. Qui cùm ſint *aſtra matutina* inceſſanter Deum laudantia, nos etiam præueniunt, & ad laudem exhortantur. O quantum ſolatium audire melos Angelicum,

Quod etiam cæterorum ſanctorum ſint voces.
Notula 6.

XXIII. ALIORVM quoque Sanctorum voces in Pſalmis eſſe patet. De PROPHETIS claret, ex quorum perſona ferè omnes voces accipi poſſunt: Hinc dicit Auguſtinus, clamat Propheta pſal. 4. *Quoniam mirificauit Dominum ſanctum ſuum*, &c. Poterit autem incipiens, & nondum perfectus in hoc exercitio, omnes verſus de quibus dubitauerit quem actum habeant, locare in hoc loco; quouſque ſucceſſu temporis, gratia adiuuante omnes actus & affectus perfectus cognouerit, quia Prophetæ vox ſemper dici poterit. Ex voce APOSTOLORVM iuxta gloſſam quandam dicitur pſalm. ille 46. *Omnes gentes plaudite manibus*. Et pſal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, & confitebimur tibi*
Pſal. 74. *Deus*. MARTYRVM vox ſecundũ Aug. in Quin-
Pſal. 115. quagena eſt in Pſalmis, *Credidi propter quod*
Pſal. 125. *locutus ſum. In conuertendo Dominus captiuitatẽ Sion*. Vnde notandum, quod ſecundum variationes feſtorum, variæ habentur ſuper pſalmis expoſitiones Doctorum: Nam quoties tunc voces occurrerint, eorũ Sanctorũ, quorũ tunc memoriam agunt, eſſe dicunt pro deuotione
Rom 12. Matt. 10. excitanda; vt infrà plenius eſt deductum. Et probè. Omnes enim vnum corpus, & vnus in eis loquitur Spiritus Patris. Et hæc de exemplis ſufficiant.

Quomodo hic voces ſint audiendæ.
Notula 7.

XXIV. POrro pro ampliori deuotione in his verſibus habenda; attendendum eſt verbum
Iob 12. Iob dicentis, *Et auris verba dijudicat*, quia cum voces audierimus, profundum dijudicare debemus.

Scilicet { Quis, Quid, Quomodo, Cui, } *Dicat vt* { Reuereamur. Inſtruamur. Afficiamur. }

Et hoc vbi protrahitur cantus.

Sic egit Beatiſſimus Pater noſter Auguſtinus, de quo legitur, *Voces igitur illæ influebant auribus eius*. Et ipſe ait: *Quemadmodum fleui in Hymnis & Canticis ſuaue ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter*, quo ad primum; quia ſcilicet quorum erãt, & qui loquebantur attendebat: *Et eliquabatur veritas* in cor eius, quoad ſecundum: quia ſcilicet quid dicebatur profundè diſcutiebat; *Et bene illi erat cum eis*, quo ad tertium. Et apertius ipſe in nono Conf. *& ex ea æſtuabat mihi affectus pietatis*; quia ſcilicet dignationem illam diuinam, qua & propter quid nobis loquitur, admirans conſiderabat. Cuius deuotionis lachrymæ teſtes fuere. Idem etiam exercitium piæ illi ſuæ matri Monicæ fuiſſe teſtatur. De qua ait, quod aut in pſalmis orabat Deum, aut eundem loquentem audiebat. Eya ſic & nos agamus, & iugiter Domino cum Samuele puero dicamus 2. Reg. 3. *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus*. Et hæc de parte ſecunda.

MEMBRVM V.

Declaratio tertiæ partis Chyropſaltery huius, quæ eſt ſoliloquium animæ.

TERTIA Chiropſalterij pars *Soliloquium animæ* nominatur, eo quod anima ad ſe XXV.
reflexa, ſecum ſola loquatur. Tale autem ſoliloquium in pſalmis conſiſtere, prolixè diſputat Auguſtinus ſuper pſalmo 145. *Lauda anima mea Dominum*, vt in Quinquagena eſt videre, & ſuper pſalmo 102. *Benedic anima mea Domino*. Sed & pſalmorum expoſitores pleroſque verſus & pſalmos modo dialogico, aut drammatico inter ſuperiorem & inferiorem portionem exponũt, vt Gorram in pſalm. 120. *Leuaui oculos meos in mõtes*, & alios pleroſque. Quæ omnia ſunt exempla huius. Et notãdum, quod in hoc ſoliloquio poſſunt omnes actus illi aſſignari, quos anima in alios fecit, vt ſunt purgare, excitare, illuminare, perficere, quod ſic Paulus Epheſ. 5. *Loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis & Canticis ſpiritualibus*. Et eſt hoc ſoliloquium ſumma mentis recollectione & deuotione celebrandum. Et poterit multò maxima pars pſalmorum trahi ad animæ ſoliloquium, vt quaſi in omnibus pſalmis inſtructoriis, homo ex parte rationis ſuperioris loquatur ſibi ipſi, vt docuit Caſſiodorus. Sic etiã magnus Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus, in libro quem Marcellino de proprietate pſalterij ſcripſit, ait. Quicunque pſalmi verba recitat, quaſi propria verba decantat, & tãquam à ſe-ipſo conſcripta vnus pſallit, & non tanquam alio dicente, aut de alio, ſignat aut legit. Et qualia ſunt, quæ dicuntur, talia velut ipſe in ſe agens, Deo videtur offerre ſermones.

MEMBRVM VI.

Proſequutio quartæ partis huius, quæ eſt de actibus diuerſis in pſalmis.

Actus incitatiuus. *Notula 1.*

QVARTA PARS eſt de diuerſis actibus, XXVI.
quos anima in diuerſa obiecta agit. Quandoque enim ſe leuat ſupra ſe, ad Eccleſiam ſcilicet triumphantem ſe conuertendo,

& illam ad laudem, & Dei cultum congratulatiuè conuocando: Et dicitur *volatus incitatiuus*, quia iaculatoriè & intima affectione eſt is actus agendus; cuius hæc ſunt exempla. *Exultate iuſti*, Pſal. 32. *Lætamini in Domino, & exultate iuſti*. Pſal. 31. *Benedicite Domino omnes Angeli eius*. Pſal. 102. O quanta deuotione loquẽdum cum Sanctis in cælis!

De actu excitatiuo, & quomodo agendus.
Notula 2.

XXVII. QVANDOQVE ſe diuertit iuxta ſe, aut infra ſe, agendo *actum excitatiuum*, totam ſcilicet eccleſiam, imò & omnia creata ſingillatim ad laudem exhortando, vt patet in pſalmis: *Benedicite omnia opera Domini Domino*, Dan. 3. *Laudate Dominum de cælis*, Pſalm. 158. Qui non niſi ex ignitiſſimis ſunt affectibus cõditi; quare etiam non niſi ardentiſſimis mentibus decantandi: vnde patet, quod is actus, eſt optionis affectu agendus. Et mira latet virtus in illis: ita quod (teſte Auguſtino) myſteria illorum hymnorum, nullus mortalium ſatis explicare poterit: In quibus quanto crebrior eſt eorundem verborum replicatio, tanto ardentior erit affectio, & attentior cõſideratio. Pulchra etenim in his contemplanti occurrit, & ordinata creaturarum diſtinctio: vbi primum conuocantur creaturæ ad laudem in genere; dein ſingulæ creaturarum ſpecies ex ordine, primo n. e. ſpirituales, dein corporales, poſt permixtæ, vt patet. Nihil itaque tædij habendum ſub iſtis.

De actibus Hierarchicis. Notula 3.

XXVIII. DIVERTIT item quandoque ſe Eccleſiaſtica anima, mediatrix inter Deum hominéſque conſtituta, oratoriæ artis perita, *ad audientes Eccleſiæ* fideles, actibus hierarchicis eos hierarchizando. Nunc agens *actum purgatiuum*, eos arguendo, vt ibi: *Filij hominum vſquequo graui corde*, &c. Pſalm. 4. Quandoque *actum illuminatiuum*, eos inſtruendo, vt in moralibus pſalmis, vti *Declina à malo, & fac bonum*. Pſal. 30. Et in toto decurſu. *Noli æmulari*, &c. Pſal. 36. Quandoque etiam *actum agit perfectiuum*, Dei beneficia & laudes aliis enarrando, ac per hoc ad Dei amorem eos inflammando, qui eſt perfectio bonorum, vt in Pſalmis 105. & 57. *Confitemini Domino. Attendite popule meus*, & ſimilibus. Sic Auguſtinus ait in confeſſionibus, *Quas tibi voces dabam in Pſalmis, & quomodo in te inflammabar ex eis? Et accendebar, eos recitare, ſi poſſem toto orbe terrarum; aduerſus typum generis humani?* Oportet autem omnes actus hos, ex inflammato prodire affectu, & agi viuaci corde.

De refutatione aduerſæ partis.
Notula 4.

XXIX. NONNVNQVAM quoque ad partes aduerſas, ad corpus Babylonicum ſe diuertit; illas increpans aut refutans: Increpans, vt ibi pſal. 51, *Quid gloriaris in malitia?* &c Itẽ pſa. 61. *Quouſque irruitis in hominem?* Refutans, aut (vt rhetores aiunt) confutans, vt ibi, Pſal. 118. *Declinate à me maligni. Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem*. Pſal. 6. Diſtat autem is actus ab accuſatione; quia ibi coram Deo illos accuſamus: Hic autem ad eos nos conuertentes, inuehimur in eos. Poteſt tamen is actus ex eiſdem, quibus ille, affectibus emanare, ſcilicet zeli, indignationis &c.

De indifferentibus. Notula 5.

HABET quoque anima in pſalmis actus quoſdam indifferentes vtrique Eccleſiæ applicabiles; vt ſunt, *Quæſtio*, quæ multiplici affectu prodit. Eſt enim quandoque quæſtio *admiratiua*, vt Pſa. 18. *Quid eſt homo, quod memor es eius?* Quandoque *inquiſitiua*, vt Pſal. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo*, &c. vt ait Benedictus. Quandoque *affectiua*, vt Pſal. 118. *Quot ſunt dies ſerui tui*. Fit & aliis variis modis, quos enumerare eſſet prolixum. Item alius actus indifferens eſt. *Reſponſio*, quę hic pro ſingulari actu ponitur, vt manifeſtius aliquod repoſitorium quæſtionum (licet ad alios actus reduci poterant) haberetur. Eſt autem indifferens, vtrique ſcilicet Eccleſiæ reſpondens. Superiori Eccleſiæ reſpondet, vt ibi, Pſalm. 119. *Sagittæ potentis acutæ*. Item inferiori. vt, *Et cum ſpiritu tuo*, &c. XXX.

MEMBRVM VII.

De quinta huius Chiropſalterij parte.

QVINTA pars eſt *vocum in militante Eccleſia auditio*. Quas eſſe audiendas in propatulo eſt; ita vt probationem nõ habeat opus. Crebrius enim vno ſolo cantante, opus eum audire habemus, & verbis eius auſcultare, & affectibus cordis reſpondere. Sic chori concinunt alternatim. Sũt autem ſub triplici diſtinctione voces hic audiendę. Quandoque enim reſonant illæ voces bonorum congratulantiũ, aut reſpondentium actibus noſtris, aut etiam nos ad feruẽtiores laudes concitantium: Vnde *inuitatoria* poterunt à perfectioribus accipi dicta, vt dicitur in rationali diuinorum. XXXI.

Item oportet audire intenta aure mentis, voces *Sacerdotis hebdomadarij*, & perfectioris, & affici iuxta voces ſuas: vt dum ait, *Surſum corda*; mox corda leuentur in alta, vt verè dicere poſſimus, *Habemus ad Dominum*. Dum autem ait, *Gratias agamus*, grati oportet vt ſimus, &c.

Poſſet hic fieri diſtinctio inter voces *adoleſcentularum amicarum*, & ſodalium & perfectorum: quas omnes eſt reperire in pſalmis: ſed parum refert.

Audiendæ ſunt denique quandoque voces lamentabiles animarum in Purgatorio detentarum, vt in vigiliis, vbi ex intentione Eccleſiæ, Pſalmi & Lectiones ſunt applicandæ, vt ex earum voce dicatur, *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt*, Pſalm. 119. Itemque totus Pſalmorum decurſus, ſimiliter & Lectionum, vt *Miſeremini mei, miſeremini mei*. Iob 19.

Iob 19. ſaltem vos amici mei. Quarum vocibus, eſt compaſſiuis affectibus reſpōdendum, & mente, & opere eis ſuccurendum.

Occurrunt denique in pſalmis voces Babyloniç, & malorum audiēdæ, vt ibi. *Ecce Deus dereliquit eum: Perſequimini*, &c. Quæ ſunt cū indignatione, & execratione repellendæ. Nec miretur, non in ſtuporem quiſpiam vertatur, quod malorum voces in pſalmis diximus, vbi omnia ſunt diuina. Non enim ſine palea ſeges, non oleum ſine amurca, non ſine ſpinis roſa, nec iuſti ſine malis. Hæ enim voces, non hic in laudem, ſed in deteſtationem ponuntur.

MEMBRVM 8.

Notulæ ſuperiorum declaratiuæ.

XXXII. PRO AMPLIORI dictorum cognitione, ſunt quædam notulæ ſuperiorum declaratiuæ, & quorundam incidentium dubiorum reſolutiuæ annotandæ, quarum PRIMA SIT ISTA. Iſtud Chiropſalterium, in hoc diſtat ab exercitio Hugonis in Tractaculo ſuo de Oratione tradito, non illud excludens; ſed ad ſui declarationem admittens, & includens: Nam illud docet attendere pſalmorum, & verſuum affectus; iſtud vero actus, (vt patet) ex quibus eliciuntur affectus. Multo enim facilius eſt dignoſcere actus quā diſtinguere affectus; quoniam fere actus innumeri ſunt, vt verè ſit à magiſtro quodam ſacræ Theologiç profeſſore dictum, non eſſe tot mutationes in nubibus, quot ſunt variationes affectuum in pſalmodijs, ergo, &c.

Altera notula ſit iſta. Licet prima fronte quandoque aliqui verſus occurrant, qui videntur non facilè poſſe reduci ad aliquem huius Chyropſalterij actum: ſi tamen profundè dijudicati fuerint, facillimè reperient locum: Nam ſi Hugo omnes pſalmorum affectus ſub ſuis comprehendi putat; ſi item Gerſon in de Mendicitate animæ omnes pſalmos, ſub tribus illis ſpeciebus (captatione, inſinuatione, oratione,) cōcludit; quanto magis huic noſtro Chiropſalterio, nulli deerunt verſus, vbi tanti ſunt actus?

Tertia notula. Vnus & idem pſalmus, aut verſus, ſecundum diuerſas conſiderationes, in diuerſis actibus eſt reponendus; quemadmodum & in vno eodémque verſu, diuerſus elici poteſt affectus. Exemplificat Gerſon, in de hymno gloriæ, dicens, quod is verſus, Gloria Patri, poteſt dici ex affectu laudis, congratulationis, confeſſionis, imprecationis, & ſic de alijs. Sic eſt & in pſalmis. Verbi gratia: Hic pſalmus 109. *Dixit Dominus Domino*, poteſt primo audiri quaſi vox Prophetæ, de Chriſti exaltatione narrantis, quemadmodum Dominus Ieſus in Euangelio allegat, & ſic, eſt auditus Propheticæ vocis. Poteſt item ſecundò eſſe vox eccleſiaſticæ animæ Chriſti exaltationem alijs enarrantis, & eccleſiam ad congratulationem perficientis, & ſic eſt actus hierarchicus perfectiuus. Poterit quoque tertio laudatio & congratulatio eſſe erga Dominum Ieſum, vt ſcilicet ſub tertia perſona, reuerentiæ cauſa, ipſi Domino Ieſu collætando loquatur, & ſic eſt laus ſpecies captationis; vt de, *Quare fremuerunt*, Gloſſa exemplificat, quod is pſal. Pſal. 2. poteſt ita legi, vt Chriſtus inducatur in eo loquens; vel vt Propheta loquatur de Chriſto; & Chriſtum de ſe introducat loquentem. Et ſic de conſimilibus pſalmis multis. Hinc doctrinaliter elicitur, non eſſe diſconueniens, diuerſos, diuerſimodè, de vno eodemque verſu, aut pſalmo ſentire. Ita ſanctus Aug. in Cōfeſſionibus ſuis dicit verſum, *Filij hominum vſquequo graues corde?* Pſal. 4. vocem eſſe Spiritusſancti. Deindeq; ſubdit, vocem eſſe Prophetæ; Vtrūque autem verum; ſed diuerſo conſiderationis intuitu.

Quarta notula, antecedentis expreſſiua eſt, quod horum modorum is eſt potior, & ob id frequentabilior; qui ſenſui Spiritusſancti eſt vicinior, & quo mens ſit Deo intimior. Is enim finis omnium pſalmorum (vt pulchrè in profectibus docetur) vt, ſcilicet mens Deo coniungatur; Cætera non niſi media ſunt, & tanquam ſollis deuotionis excitatiua.

Quinta notula eſt, quod ſecundum diuerſas pſalmorum expoſitiones, diuerſi ſuboriuntur actus: Exempli cauſa pſal. ille 44. *Eructauit cor meum*, ſi expoſitus fuerit ex perſona Patris, aut Virginis Matris, eſt affectiuus; ſi verò ex voce, & perſona propria dictus, eſt actus laudis, vel illuminatiuus.

Si autem hic inquiſitum fuerit, quæ expoſitionum potior & obſeruabilior, an literalis vel moralis? pluribus opinionibus deciſis, illa eſt melior & obſeruabilior, qua ſit mens deuotior & Deo intimior.

Sexta notula ex Decano Tungrenſi ſumpta eſt. Quod ſit crebra in Pſalmis perſonarū immutatio. Is enim vſus & modus eſt Propheticæ Scripturæ, ſicut pulchrè ſuper Ezechielem Greg. declarat. Et Aug. in Quinquagenis frequentius, vt in primo verſu quarti pſalmi, *Cum inuocarem*, &c. & in aliis locis. Modò enim cōuertitur mens ad familiare Domini colloquiū, modò ad inſtruendos choros aſtantium; nunc loquitur in perſona Chriſti, nunc ex perſona propria exorat, vt latius Decanus, in de laude pſalmorum declarat.

Septima notula crebrius occurrens, & reminiſcenda eſt, modum pro modo, tempus pro tempore, perſonā pro perſona, ſæpius in pſalmis poni: Et ſecundum hoc, diuerſos actus fieri; Sæpè indicatiuus modus pro optatiuo, futurum tempus ponitur pro præſenti. Hinc magiſter Nicolaus de Lira dat regulam in pſalterij expoſitione dicens, Quod crebrius futurum indicatiui ponitur in pſalmis pro præſenti optatiui. Exemplum, pſal. 137. *In quacunque die inuocauero te*, &c. ſequitur, *multiplicabis in anima mea virtutem*, i. ô multiplices. Item, pſal. 5. *Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum*, id eſt, quæſo glorientur. Cuius ratio ſecundum eum eſt: Nam Hebræi hoc modo, ſcilicet optatiuo carent. De his modis trāſpoſitionis vide etiā Alexādrū in quarta parte.

Octaua notula eſt, pro pſalmorum hoc modo concinendorū intellectu, imò & pro totius

intelligentia Scripturæ plurimum conuenit regulas Titonij ſcire, quas ſanctus Auguſtinus ponit, in de doctrina Chriſtiana libro tertio,

Prima caput, corpus, ſpir. ſpecies, temp. epilog demon.

Prima regula eſt de capite & de corpore, *ſecunda*, de corpore permixto. *Tertia*, de lege & gratia, ſiue Spiritu. *Quarta* de genere & ſpecie, ſiue de parte, & toto. *Quinta* de temporum continuatione, maiorum, & minorum. *Sexta* de epilogatione antedictorum. *Septima* de capite & corpore malorum. Vide in Prologo poſtillæ Bibliæ, Nicolaum de Lira iſta exemplificantem, & venerabilem Hugonem in Didaſcalico ſuo.

Nona notula eſt. Sicut olim manna habuit
Sap. 16. omne delectamentum, & omnem ſuauitatis ſaporem; ſic & Pſalmi (ſecundum Auguſt.) cuiuſlibet intentionis affectum & ſenſum includunt. In Choro ſunt verba Deum laudantis; In ore iuſti verba gratias agentis: In ore peccatoris verba veniam deprecantis: Pro defunctis verba animæ, de ſupplicio ad Deum clamantis. Et quocunque intentio ſe verterit canentis, illuc ſe mox Pſalmorum ſenſus mentis affectui conformabit. Hinc patet, quod ſecundum diuerſa tempora, diuerſimodè Pſalmi exponi poſſunt, & in Sanctorum feſtis applicari, ſicut quidam fecerunt. Sic & Petrus de Aylliaco primum Pſalmum de ſancto Criſogono, cuius erat Cardinalis, expoſuit in eius feſtiuitate. Sic & Alcuinus Karoli magiſter, Antiphonas ex Pſalmis elicitas, ſancto Stephano applicauit; formam relinquens nobis, in cæteris quoque ſic agi poſſe. Sic & Cæſarius monachus pſalmum 115. *Credidi propter quod locutus*, &c. de ſancto Stephano explanauit. Sic & in vigiliis, defunctorum animabus poſſunt applicari. In quibus tamen hoc conſilium eſt, vt ſemper intret homo affectum eorũ, pro quibus orat. Sic enim melius illorum neceſſitates ſentiens, deuotius exorabit. Vnde & alter regulam tradit hanc generalem dicens: quod vtile ſit pſallere in perſona totius eccleſiæ: Nam ſi charitatem quis implet, & aliorum merita ſingularius participat, totque habet contra aduerſa auxiliatores, quot ſunt membra pro quibus orat. Plus quoque meretur, ſi Chryſoſtomo credatur, dicenti: Si pro te ſolo ores, ſolus mereris, ſi pro omnibus, omnium particeps fies meritorum.

Decima notula eſt, quod vtile & accommodum eſſet pſalmos & verſus pro ampliori attentione, ſibi inuicem cõtinuare: ad quod plurimum is pſallendi modus conducit: & qui hoc ageret, miræ pulchritudinis ordinem in Pſalmis conſpectaret. Pro quo tamen agendo plurimum conduceret, quod hoc pſalterio ſeſe ſtudendo dederet & applicaret. Ad cuius ſtudium Aug. Ludolphus, Decanus Tongrenſis, & Gerſon exhortantur. Nam ait beatus Aug. *Non eſt opus vt per diuerſos libros animo diffundaris: In Pſalterio enim ſolo, vſque ad vitæ obitum, inuenies materiam legendi*, &c.

Vndecima notula eſt, quod digitorum attactus & compreſſio, & in certis locis articulorũ aſſignatio, nõ eſt ad huius Chiropſalterij perfectionem neceſſariò requiſita, nec æquè omnibus conſulta. Nam perfectioribus poſſet huiuſmodi occupatio eſſe impedimento. Sed tamen imperfectis, inattentis, & his, qui facilè diſtrahuntur, plurimũ eſt expediens & vtilis, pro quibus attentioni aſtringendis, eſt hæc practica inuenta. Vnde & ab eis, donec in perfectos viros ſuccreuerint, ſummo ſtudio & amplexu
obſeruanda. Sic enim ædificando lapideo ponti, ſupponitur ligneus arcus, vſque dum venerit ad complementum: Sic puer greſſus inſcius apodiamentis vtitur, donec eundi ſit peritus. Simile.

Duodecima notula, nullo alio modo citius ad annuẽdum Deus noſtris votis flectitur: quã ſi precantis animus toto deuotionis affectu in eum conuertatur. Hinc ad hoc potiſſimum choraulæ elaborare habent, vt ſemper, & verbis affectus eliciant, & per inceſſantes aſpirationes, mentem Deo coniungant, puta per, *O*, *Si quando*, aut conſimiles exclamationes mentem leuantes: quanquã etiam actus non perfectè attendant & aſſignent. Sicut dicit ſe feciſſe Aug. in confeſſionibus. *Et clamabant inquit in verſu ſequenti clamore alto cordis mei. O in pace.* Pſal. 4.
O in idipſum. O quid dixit obdormiam, & ſomnũ capiam, legebam, & ardebam. &c. Nam de hoc quidam Doctor ait; *Sicut inter Phyſicos, non qui* Simile.
melius textum allegat, aut Canonem ſeruat ſed qui efficacius curat, optimus medicus eſt: Sic & inter pſallentes, non qui acutiora contemplatus, ſed qui affectuoſius in Deum erectus, & intimius illi vnitus fuerit, optimus orator eſt habendus.

Decimatertia notula. Ne cuiquam hæc traditio difficilis & prolixa appareat, en paucis verbis practica datur. Practica Chiropſalterij eſt: Si pſalmus laudat, laudate: ſi gemit, gemite: ſi orat, orate, &c. Hoc fac, & huius intentũ habes. Ecce practica breuis & leuis. Subdenda eſt breuis declaratio ſuper pictura, & muſicis inſtrumentis.

MEMBRVM VIII.

De pictura, & muſicis inſtrumentis.

CAntauimus vobis tibys, & non ſaltaſtis: Lamentauimus vobis, & non ploraſtis. Lucæ 7. Si vnicus ille magiſter & præcentor K
noſter Chriſtus non indignum duxit pro commouendis affectibus noſtris, commemorate genus ludi puerilis, & muſicæ modulationis: Non inutile putetur, nec indignum, ſi in calce huius noſtri Chiropſalterij pauca non tam ſcribamus, quam tangamus, pro declaratione picturæ, & annotatione muſicorum inſtrumentorum, Præſertim cùm de his plenæ ſunt Scripturæ ſanctæ, & mirabiles cauſant in animabus mutationes, affectus, & paſſiones, prout hiſtoriographi, philoſophi, & medici tradunt, vt Boetius & Martianus conformiter ſatis ad Scripturas ſanctas: vt patet de Dauide 1. Regum 19. coram Saule cytharizante, & Heliſeo 4. Reg. 3. per pſaltem ſpiritum, & prophetiæ

gratiam

gratiam recipiéte. Vt aliquantulum notatum eſt ſuprà, de virtute cantus. Vnde non ſine digna ratione tam politizans Philoſophus commonuit, curam magnam habendam, præcipuè de pueris in muſica inſtituendis, conformiter ad Sapientem Eccli. 32. Primum verbum *diligentis ſcientiam, & non impedias muſicam.* Vnde
Eccli. 44. & ſancti Patres, *pulchritudinis ſtudium habentes, à teneris modos muſicos exquiſierunt*, vt dicitur ibidem; ſcientes tibiam & pſalterium, vinum pariter & muſicam lætificare cor, & ſuauem facere melodiam. Non ſumus igitur ſanctis Patribus ſapientiores; ne dixerim inſipientiores, & inquiramus modos muſicos & intellectum picturæ, cum inſtrumentis muſicalibus. Quam picturam ideo Chiropſalterio annexímus, vt per externa ſymbola & ſenſualem cognitionem, ad myſticam pertingeremus. Itéq; vt admiratione attraherentur plures ad intelligendum Chiropſalterium. Propter enim admirari philoſophi cœperũt philoſophari, &c. Sed ne nos in curioſitatis materia ſine cauſa & fructu prolixiores ſimus, ad tractatus venerabilis Gerſon de Cantichordo, & Canticorũ originali ratione curioſiores lectores remittimus, & eius ſupponimus dicta. Vbi muſicam inuentionem, diſtinctionem, vtilitatem, & huiuſmodi plura tradit. Nos breuiter declarandæ picturæ inſiſtemus.

In primis itaque in omnium capite, caput depingitur ſuper omnia, ſcilicet Benedictus Deus cum Angelis & Sanctis, ad Eccleſiaſticum Chorum & concentum auſcultans. Iuxta illud in Canticis 8. *Quæ habitas in hortis amici auſcultãt te.* Deſiderium enim pauperum
Pſal. 9. Pſal. 129. exaudiuit Dominus, & arrectæ ſunt aures eius, & intendentes ad ſanctę Eccleſiæ carmina & preces; ad remunerandum vel puniẽdum qui dignè vel indignè mouentur ad muſicam Spiritusſancti. Magna itaque nobis, ſi diſſimulare nolumus, indicta eſt neceſſitas, deuotè ad
Matth. 16 ſonitũ S. Spiritus exultationis & motus, quoniã ſub oculis ſumus iudicis cuncta cernentis, æquiſſimè pro meritis retribuentis.

Deinde coram Domino, & arca eius in medio conſtituta, proponitur Sacerdotum & Leuitarũ chorus, pariter & Dauid 2. Reg. 6. cum conuentu Iſraeliticæ multitudinis, in omni muſicorum genere Deum coram arca laudantium; in commonitionem & inſtitutionem noſtræ ariditatis, ſterilitatis, & eruditionis, vt ſcilicet illorum deuotione, ad conſimiliter Deum ex totis viribus laudandum concitemur & prouocemur, & ad ſpiritualiter (quod illi carnaliter agebant) perficiendum, cohortemur & inſtituamur. Multa & deuota hic ſe offerret materia inquiſitionis de cultu diuinæ laudis, & religione deuotiſſimi Dauidis regis, qui, vt ampliaret cultum eius, quattuor millia diſtribuit pſaltas in miniſterium Dei, canentes in organis, quæ fecerat ad canendum, vt dici-
1. Par. 15. & 14. tur in Paral. Quod & Salomon, & Religioſiſ-
2. Paral 5 & 20. ſimus Ezechias continuarunt, ponentes Leuitas veſtiri byſſinis; cymbalis, pſalteriis, & cytharis concrepantes, ſtantes ad orientalẽ plagam altaris, & cum eis centum viginti Sacerdotes canentes tubis. Quibus pariter & tubis, & voce, & cymbalis, & organis, & diuerſi generis muſicorum concinentibus, & vocem in ſublime tollentibus, compleuit gloria Domini domum eius, in ſignum acceptionis. Qui 2. Paral. 5 plenius deuotionem rudis illius populi, dignoſcere volet, quomodo colebant Deum muſici generis vniuerſis inſtrumentis, libros Paralipomenon perquirat: vbi diuiſiones cantorum in nablis, cytharis, tubis, organis, & aliis habet. Quamquam & ante regem Dauid, à Vbi ſupra temporibus Moyſi, & deinceps muſicalia erãt in vſum diuini cultus, vt patet de tubis hic, & Prophetarum filiis; vnde & de Saule Scriptura dicit 1. Reg. 10. quod in colle Domini obuium gregem prophetarum deſcendentium de excelſo habuit, prophetantes, & ante eos pſalterium & tympanum, & tybiam & cytharam. Ad quorum etiam melodiam inſiliit in eum Domini Spiritus, adeò vt & ipſe inter prophetas, in alterum virum mutatus, prophetare cœpit. Vnde innuitur mira deuotio, & mirabilis melodiæ huiuſmodi efficacia & virtus, quod ſæpè per eam dabatur ſpiritus & mutatio mentis, vt hic, & de Helizeo 4. Reg. 3. Quare iure in quæſtionẽ verti poteſt, cur muſicalia huiuſmodi inſtrumenta tam vtilia, ſub veteri teſtamento in Dei laudem aſſumpta, eccleſia iam non aſſumat? Ad quod doctiores aiunt, quod ſub veteri teſtamento illo ritè aſſumebantur, & ſub nouo congruè dimittuntur ob cauſas certas. Sub veteri huiuſmodi aſſumere congruebat,

Propter
- Iudaici populi conditionem, qui carnalis erat & durus, vnde per huiuſmodi prouocandus.
- Veteris legis imperfectionem, quæ nil ſpirituale dignoſcẽs, ad perfectum nihil deduxit. Heb. 7. 1. Cor. 10.
- Præſentis temporis præfigurationem, Omnia enim in figura contingebãt illis, & myſteria latent.
- Idolatrarum confuſionẽ, Ne Deus verus in cultu ſuo, inferior eſſet illis.

Qui hæc inſtrumenta tranſtulerant in deorum ſeu potius dæmoniorum cultum, vt patet ex Daniele, *vbi præco valenter clamabat,* Dan. 3. *Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis, in hora qua audieritis ſonitum tubæ & fiſtulæ, & cytharæ, & ſambucæ, & pſalterij, & ſymphoniæ, & vniuerſi generis muſicorum* &c. Si hæc omnia erant in cultu dæmonum; quanto congruentius aſſumebantur ad colendum Deum verum? Patent ergo rationes dignæ, cur his vtebãtur ſub veteri teſtamento.

CVR autem noua lex inſtrumenta hæc muſicalia reiecit, rationes ſunt plures.

Videlicet
- Ne Iudaizare videatur, & iã rudis & crudus eſſe, vt populus ille.
- Ne mentalis deuotio impediatur: delectatio enim illorum impedit attentionem meliorum.
- Ne ſub veritate vmbra teneatur: ſed ſub lege noua nouum canticum cantetur.
- Vt in ſpiritu & veritate per hæc Deus colatur. Iac. 4.

aſſumantur; ſed in aliud tempus differantur.

Secundo patet huius neceſſitas ex Regula, vel regulari præceptione. Nam S. Auguſtinus Pater noſter in Regula ſua præcipit dicens, *Hoc verſetur in corde, quod profertur in voce.* Videatur Triuet, & Humbertus, in Commentis ſuper regulam, ſimiliter & alij Regulares permulti,

Tertiò patet ex Sanctorum Doctorũ vnanimi conſultatione: Qui ſuadent, vt cæteris intermiſſis, Pſalmis ipſis, tempore Pſalmodiæ, intendatur. Hinc Auguſtinus vt ſupra, Hinc Bernardus, *Ad pſalmodiam ſemper cor habeat; niſi ad aliquid ſublimius rapiatur.* Et ſuper Cantica ait, *Pure pſallatis, vt nihil, niſi quod pſallitis, cogitetis. Nec ſolum, dico, cogitationes vanæ & ocioſæ vitandæ ſunt; ſed nec illa quidem perfectè, tunc recipere conſueuerim, quæ ante in codicibus legeratis. Salubria ſunt; ſed minimè illa inter pſallendum ſalubriter reuoluitis. Spiritus enim ſanctus illa hora gratũ non accipit quicquid aliud quam debes, neglecto eo quod debes obtuleris.* Hæc ille, idem Hugo, & alij teſtantur. Patet igitur ex dictis propoſitum, quam ſcilicet acceptum, vtile, ac neceſſarium ſit iſtud exercitium; ac per hoc cæteris præferendum, & crebrius exercitandum, quoniam cætera ferè omnia exercitia includit, & ad ſui perfectionem admittit; imò (ſi dici fas eſt) tantum cæteris præſtat, quod ea huic collata, ſine hoc nec placere; ſed diſplicere magis comprobantur. *Ingratum eſt,* enim (ait Bernardus) *quicquid obtuleris, neglecto eo, quod debes.* Cætera autem exercitia alijs intendunt obiectis; iſtud præceptis patens, debitum offert: ergo.

Nec poſtremò cuiquam ridiculo ſit, ſymbolicam frequentare manum, quoniam quidem (teſte Auguſtino & Dionyſio) huiuſmodi ſignis etiam vtitur Eccleſia ad ſanctum deſiderium augendum, & excitandum. Nam & 1.Cor.15. *prius, quod animale* (vt S. Paulus ait.) & iuxta philoſophum, *Omnis noſtra cognitio intellectiua, à ſenſitiua initiatur: dum ordinata phantaſmata præſentantur.* Sed nec nouum eſt ſacramẽtem; imò longè à doctis ante adinuentum, & ex eorum dictis compactum, & collectum. Hoc Gerſon, Hoc Nider, hoc vetus Carthuſia nouit; quibus ſecundum Nider moris fuit, Pſalmos concinere manu.

Auctoris Epigramma in laudem Chyropſalterij.

PSallere temporibus Chriſto quicunque ſtatutis
Expetis, & muſcas pellere mente vagas:
Hoc exercitio, ceu plectro lætus eburno,
Pſalterium ſemper tangere pſalta ſtude.
Nam Pſalmos reſerans orandi iura reuelat,
Pectus & æthereo compluit imbre ſacrum.
Hoc longas noctes dulces facit eſſe breueſque:
Hoc age, quiſque velis carpere amoris iter.

Aliud item quod Roſeti Inſtaurator Baſilius Serenius Mediolan. Can. repente ſubiecit. x
In Chiropſalterion Epigramma.

SPiritus hic reſonant, ſunt hic Pſalteria mentis,
Quæ redolent gratis auribus Ambroſiam.
Cæleſtis mentes eſca Manus iſta replebit,
Voceq́; concordes continet iſta modos.
Anxius ergo animo quiſquis ſitit, abdita rerũ,
Huc petas, & modulos ebibat ore pios.
Hic modulere (rogo) hauria vt mens læta liquorẽ,
Namque ſuauis erit lectus odore Roſa.


MEMBRVM II.

Elucidatio Chiropſalterij cum diuiſione eiuſdem.

INtellige quæ dico dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. VT IGITVR depictũ 2.Tim 2. 11.
Chiropſalterium intelligatur, pauca pro eius intelligentia ſunt ſubnectenda; quæ ſi quis diligenter auſcultauerit, facilè de omnibus (Domino aſpirante; vt in auctoritate dicitur) intellectum conquiret. Notandum igitur in primis verbum Guilielmi Parthiſienſis quod in Rhetorica diuina ait. Dicit enim, quod *totus Clericus generaliter ad hoc, & propter hoc eſt conſtitutus, vt mediator ſit inter populum, & Deum.* Propter quod, & iuxta litterã inter populum, & altare, medio in Eccleſia loco conſiſtit: Ad hoc videlicet, vt laudibus, & orationibus, & ſacrificijs iram Dei erga populum placet; gratiamque ei impetret, & gloriam. Nam & de eorum annona viuit, & eorum *peccata comedere* legitur. In ſacro facundo ſt. Olim & Chori paſſim. Oſea 4.

Hinc eſt, quod in præſenti Chiropſalterio, duplex Eccleſia eſt diſtincta; militans, ſcilicet, & triumphans: In quarum medio perſona Eccleſiaſtica, tanquam mediatrix, conſiſtit, vt ſic ſe facilius ad vtramque Eccleſiam, & triumphantem, ſcilicet & militantem diuertere poſſit. In prima (triumphante videlicet) Deũ, & ſanctos pro ſe, & populo ſuppliciter exorando; in altera (puta militante) populum ad Dei gratiam capeſſendam, actibus Hierarchicis, & exhortatione diſponendo. Verum quoniam in Iob ſcriptum eſt, *nunquid qui multa loquitur iuſtificabitur?* & quoniam ſapientis audire velle magis eſt, quam continuè loqui; ideò non modo (cum ſe ſupernæ, vel inferiori Eccleſię contulerit) cum ipſa loqui habet, ſed & audire ſtudeat, diuerſas illic voces reſonantes neceſſe eſt, Sed quid *proderit homini ſi mundum lucretur vniuerſum, animæ autem ſuæ patiatur detrimentum.* Oportebit igitur, vt & anima ipſa, ad ſeſe quandoque ſe diuertat, & ſecum ipſa fabuletur; ne, cum aliorum ſaluti intenta fuerit, ſe neglecta, ipſa reproba, & torpens effecta, à gratia ſecludatur. Iob 11. Mat.16. 1.Cor.9.

Ex iam dictis colligi poteſt, quod Chiropſalterium hoc in quinque diuiditur partes. Cuius ratio etiam ex dictis facilè patet conſideranti. *In prima enim parte* in Eccleſiam triumphantem tranſlata, illic rhetoricè cauſas



fol. 196

Digitized by Google

Digitized by Google

ſuas agens, orat vt aduocata; *In altera* diuerſas ibidem reſonantes voces audit, & auſcultat, vt ſponſi amica; *In tertia* ſuper ſe ſuæ contemplationis radium conuertit; ne, cum alijs prædicauerit, ipſa torpeat, aut reproba efficiatur; *In quarta* diuerſos actus, puta Hierarchicos, & alios, in diuerſa obiecta agit; *Poſtremò* in Eccleſia militante voces varias audit, iuſtorum quidem, vocibus fauens, malorum execrans, & deteſtans. Partes in Chiropſalterio patent. Hæc autem omnia, ita in Pſalmis concurrunt, vt vix ſit aliqua Horarum, quæ horum in ſe exempla non habeat.

Hinc etiam eſt, quod ob hos diuerſos actus liber ipſe Pſalmorũ, diuerſis creditur titulis inſigniri: Intitulatur enim *liber Hymnorum*, inquantum, ſuper eos optimè laudatur Deus quo ad *primam partem*; Secundò dicitur liber *Pſalmorum*; inquantum, ſcilicet bene agere docet & hortatur: *Pſalmus enim bonam operationem deſignat*, ſecundum Auguſtinum & hoc quo ad quartam partem; *Tertiò* liber *Soliloquiorum* denominatur, ob varias, quas in ſe continet, voces. Interdum enim in Pſalmis loquitur Deus, aut Sancti; & hoc quo *ad ſecundam partem*. Quandoque anima ſibiipſi, *quo ad tertiam*; Nonnunquàm quoque *militantis* illic Eccleſię audiuntur voces, quoad eius *quintam partem*. Patet ergo, quam nihil in hoc Chiropſalterio ſuperfluum; quanquam nihil, aut parum diminutum, cum totum Pſalterium facilè ad hoc poterit reduci. De cuius iam practica agendum eſt.

Volenti itaque in hoc Chiropſalterio exercitari, in primis hoc prænotandum; quod tria continentur in eo agenda,

Scilicet { Digitorũ, vel articulorum attactus,
Certi actus,
Varij affectus.

Quorum quodque adminiculum eſt ad attentionem; ita quod qui tria iſta egerit, ad triplicem illam ſupraſcriptam attentionem intendere iuuatur. Nam *primum*, id eſt, ſignaturæ, iuuant ad attentionem materialem; *Alterum*, id eſt actus ipſi, ad formulam; Tertium, id eſt, affectus, ad finem. Quod patet: nam cum ad ſingulos verſus comprimis, cognoſcis, quia nihil *de materia*, id eſt verbis Pſalmi omittis; Et *ſenſum* oportet vt attendas; ſi actus aſſignare debes; *Fini* autem attendis, cum ſecundum aſſignatos affectus in Deum te eleuas. Quæ tria ſubſequenti ordine, & modo ſunt agenda. Dicit Hugo de S. Victore. Sic orationi ſancta meditatio eſt neceſſaria, vt perfecta eſſe nequeat, ſi eam non præcedat, aut concomitetur. Qui ergo vult attentè, & deuotè pſallere; neceſſe habet (vt & Gerſon docet) ſenſum Pſalmi, vel verſus cantandi, conſideratione præuenire, &, vel tenuiter ſaltem quid ibi agatur conſiderare.

Quo conſiderato, vt attentius, & vigilantius pſallas, debes verſum conſideratũ illi digito, & articulo adaptare, vbi videris actum illũ aſſignatum: Et ſic cum pollice durius illum articulum pungere, quia talis locatio, ac compreſſio digitorum, mirabiliter (vt Nyder dicit in ſuo de Eleuatione) valet pro attentione, quia ſic cor hominis ad determinatum aliquid meditandum limitatur, & euagandi occaſio aufertur.

Deinde verſu ſic collocato in articulo, ad hoc te toto niſu debes diuertere, vt actum illum aſſignatum poſſis agere; vt ſcilicet ſi orat ores, ſi laudat laudes. Quem actum, vt deuotius poſſis complere, & intimius Deo per illum coniungi, debes diligenter affectus illi actui aſcriptos notare, & eos ex corde formare, vt in laudando congratulari, in admirando magnificare, & ſic de alijs.

Et vt hæc practica clarius pateat; exemplũ eſt ſubnectendum. Eſto cantetur Pſalmus ille, *Domine non eſt exaltatum cor meum*, &c. debes Pſ. 130.
in primis, quid hoc dicendo agis præmeditari: Et inuenies, quod perſonam tuam commendes, quia ſcilicet præcauiſti malum; debes digitum in quo commendatio perſonæ, vel cauſæ ſignatur, in primo articulo premere; *Secundò* debes cordialiter actum illum agere, per cautam mentis exaltationem, & humilitatem tuam profitendo, & ex ſententia dicendo, *Domine non eſt exaltatum. Tertiò* debes affectualiter humilitatem cordis exoptare, mente, & affectu dicendo, O vtinam non eſſet exaltatum cor meum! Væ mihi quia totiens eſt elatum; & ſic de alijs. Verum vt omnia iam dicta lucidius conſtent, de ſingulis eſt partibus exemplificandum, & proſequendum. Et primum de primâ parte, quæ dicitur Rhetoricalis oratio.

MEMBRVM. III.

Declaratio, & exemplificatio primæ partis Chiropſalterij, quæ eſt oratio Rhetoricalis.

PRIMA pars Chiropſalterij huius dici poterit *oratio Rhetoricalis*; eo ſcilicet quod VII.
inſtar ſæcularis oratoriæ artis, ſpecies eaſdem, & procedendi modum complectatur, vt patet Rhetoricam ſcienti. Quod autem talis proceſſus in Pſalmis ſit, Ambroſius in libro de Miniſterijs edocet dicens; *Sicut oratores in cauſis nunc incipiunt à laude iudicis, vt beniuolum eum reddant, nunc ſupplicant, vt patienter audiri mereantur, nunc narrant* &c. ſic fit ait, in Pſalmis, & in oratione ad Deum. Talem quoque modum conſiſtere in Pſalmis pulcherrimè docet Hugo de S. Victore, in Tractatulo ſuo de Oratione; & in libro de Clauſtro Materiali, in capitulo de Oratorio animæ (ſi tamen ſit iſdem Hugo) & Ioannes Vallen. in ſuo alphabeto Religioſorum: Sed & talem modum Sancti etiam in ſuis orationibus obſeruauere, vt patet diſcurrenti. Qui modus quantum Deo placeat, Guillermus Parhyſié. in ſua Rhetorica diuina, pulchrè declarat dicens, quod *licet is modus ex verbis compoſitis, & ad exorandum potentibus congeſtus, non mutet immutabilem: miro tamen modo diſponit orantẽ*. Hinc Ioann. Vallen. & Decanus Tongren. in de laude Pſalmorum, lamentabili tragædia cauſantur, quod Eccleſiaſtici moderni hunc modum iam non obſeruent; dicentes; *Sed*

Digitized by Google

*valdè dolendum eſt, quod hodie communiter in
Eccleſia, deficit modus præſcriptus pſallendi, quia
pſalmodia, & curſoriè dicitur, & corruptè. Et
cum omnia agantur cum ſollicitudine, delibera
tione, & diligentia; officium diuinum dicitur ſine
attentione, deuotione, & reuerentia. Vnde timen-*
Ier 48. *dum eſt eis illud, Maledictus qui facit opus Dei
negligenter.* Satis iam demonſtratum eſt, ora-
tionem Rhetoricam in Pſalmis eſſe. Iam de
ſingulis eius ſpeciebus eſt exemplificandum.

§ 1. *De prima ſpecie huius partis, quæ eſt captatio beneuolentiæ, & de primo actu, & quaſi Notula 1. eſt, Gratiarum actio.*

VIII. PRIMA ſpecies Rhetoricæ orationis eſt,
Captatio beniuolentiæ, quæ eſt (ſecundum
Hugonem) dum aliquid dicitur in laudem e-
ius, quem oramus; qui (ſecundum eundem)
tres ſub ſe actus principales habet: *Primus eſt
gratiarum actio*, quæ eſt beneficiorum confeſ-
Pſ. 4. ſio. Cuius hæc ſunt in Pſalmis exempla. *Cum
inuocarem, exaudiuit me Deus*, &c. *Signatum eſt
ſuper nos lumen vultus tui*, &c. *Benedictus Do-*
Pſ. 123. *minus, qui non dedit nos in captionē dentibus eo-
rum*, &c. totus Pſalmus, & innumera talia.
Hos igitur, aut ſimiles verſus decantans, eos
in primo articulo pollicis loca, toto corde gra-
tias agens, ſecundum modum, quem tradit
Bonauent. in ſuo Paruo Bono; ſcilicet primo
vigilanter & profundè, beneficium illud at-
tendendo, & confitendo; *Secundo* in benefa-
ctore exaltando; *Tertio* te totum in quam-
cunque viciſſitudinem offerendo, & Sanctos
ad tecum gratias agendas conuocando.

Poſtea affectus ingemina, & ad talis bene-
factoris ardorem te inflamma dicens, O quã-
do te amabo? O quando gratus ero? Ah ſis
in ęternum ſuper tantis donis benedictus.
Quę licet in exercitato videntur difficilia, &
factu impoſſibilia; ſunt tamen facillimè interr
pſallendum ab habituato adimplenda. Ex-
periatur, qui non credit.

Sunt poſtremo huius gratitudinis multę
ſpecies, & ſubordinarij actus, qui omnes ad
eam reducuntur, vt ſunt octo gradus iudicij.

Confiteor, benedico tibi, laudans, & honoro.
Gloria, magnificans, ſuperexaltans, vel adorans.

Quorum *primus* eſt Confeſſio, quæ eſt aſ-
ſenſus publicus veritatis, dicendo; Tu es Deus,
tu benefactor meus, vel Confitemini Domino
(Corde aſſentiendo) quoniam bonus. *Secun-*
Pſ 105. *dus eſt* Benedictio. Et eſt beniuolus aſſenſus
in bonum: Vel beniuolentiæ verbale iudiciũ,
vt O quam bonus es tu. *Tertius* eſt Laus &
eſt agniti, & aſſenſi boni æſtimatio, vel pro
nunciatio: Magnus Dominus, & laudabilis
nimis *Quartus* eſt Honor, & eſt magna laus,
Pſ. 95. id eſt, officiũ cognoſcentis, æſtimantis, diligen
tis magnum bonum, id eſt, quo quanta poſſu
mus ſubmiſſione nos ſubmittamus, & hono-
remus per externa opera. *Quintus* eſt glo-
ria, & eſt magni boni clare agniti magnum
iudicium, vt dicendo Gloria Patri, & ſic de
alijs. *Sextus* eſt Magnificentia, & eſt magnifica
gloria; is autem Deum magnificat, qui ſubli-
miter, & magnifice de Deo ſentit: & ad hoc
alios cohortatur dicendo, Magnificat anima
mea Dominum. Magnificate Dominum me-
cum. *Septimus* eſt Superexaltatio, & eſt extre- Luc. 1. Pſ 33.
ma virtus magnificentiæ, qua non poteſt am- Eccle. 43.
plius, iuxta illud, Exaltate Dominum, quan-
tum poteſtis: ſuperualebit adhuc. *Octauus* A-
doratio, & eſt ſummus Dei cultus. Adorare e-
nim oportet in ſpiritu, & veritate. Io. 4.

De altero actu captationis beniuolentiæ, qui eſt admiratio. Notula 2.

SECVNDVS actus principalis Rhetoricæ IX.
orationis eſt *admiratio*, quæ eſt ex vrgen-
tib⁹, & vrentibus vtrinq; rationibus, inter par-
tes cõtradictionis, importuna, anxiaq; animi
fluctuatio; vel eſt imperfecta rei cognitio ad-
iũcto deſiderio cõplemẽti Cui⁹ ſunt hæc exẽ-
pla, *Domine dominus noſter, quã admirabile eſt
nomen tuum*, &c. Quis *ſicut Dominus Deus no-
ſter*, & talia. Quos verſus dum cantas *in ſe-
cundo articulo* pollicis eos collocabis, actum
agens admirationis, & affectu magnificationis
afficiens.

Debet autem hæc admiratio

Fieri { Diſcurſu intellectiuo, mirabilia ſpeculando:
Speculatis fide actuata, reuerenter te ſubmittendo;
Extatica affectione, præ ſtuporis magnitudine ſenſus deferendo. }

Et hoc cum affectu { Glorificationis,
Magnificationis,
Stuporis. }

Faciendo hic { Exclamationes, &
Affirmationes }

Vt affectus dicat.

O admirabilis es Domine. O vere magnus
nimis Sunt autem huius actus ſpecies plures,
vt ſunt ſegnities cum alijs, quas enumerat
Ioann. Damaſcen. Eſt autem *ſegnities* timor fu-
turę operationis. *Erubeſcentia* vero, eſt timor
in expectatione conuitij, *Verecundia* autem,
timor in turpi actu. *Admiratio* vero, eſt timor
ex magna imaginatione. *Stupor* eſt timor ex
inſueta imaginatione. *Agonia* vero, eſt timor
per caſum, ſcilicet per infortunium. Quæ ſpe-
cies quomodo admirationi ſubſeruiant, Bo-
nauentura declarat.

De tertio actu captationis beniuolentiæ. ſcilicet laudatione. Notula 3.

TErtius actus principalis eſt *laudatio*, quæ X.
eſt agniti boni ad vltimum ponderatio,
& pronunciatio. Et, hæc fit cum affectu com-
placentiæ, & congratulationis. Cuius hæc
ſunt exempla. *Iuſtus es Domine. Bonus es tu*, Pſ. 118.
&c. *Exaltabo te Deus*, & alij pſalmi laudabiles. Ibidem. Pſ 29.
Debet autem hæc fieri, *Appreciantur*, maio Eccl. 43.
rem omni laude eum confitendo; *Congratu-
lanter*, eius attributis, & perfectionibus ap-
plaudendo; *Perſeueranter*, in æuum in eius
præconijs perſiſtere deſiderando. Et nota
quod non ſolum hæc laudatio, aut etiam tota,

ſimul

timus captatio iſta erga perſonam Dei, aut eius appropriata fieri habet; ſed etiam cum extollimus vel eius Sanctos, aut Legem, aut aliquid eius: vt *Beatus vir qui non abijt*, &c. *Lex*
Pſ. 1. Pſ. 18. Pſ. 118. *Domini immaculata. Omnia mandata tua veritas.* Habet etiam & is actus, plures ſpecies ſub ſe graduatas, vt ſunt: *Honor, iubilatio, ſuperexaltatio, cantio*, & huiuſmodi multa; quorum deſcriptiones Gerſon ſuper Magnificat, & in de Hymno gloriæ ponit. Eſt etiam ſub hoc actu, ſummus latriæ actus, *adoratio* ipſa. Nota quoque poſtremo, quod ad hunc pollicem, ad hanc captionis ſpeciem, poſſunt reduci omnes illi affectus, quos Gerſon in ſuo Canticho rdo, ſub gaudio aſſignat. Et hæc de prima ſpecie Rhetoricæ orationis.

§ 2. *De altera ſpecie primæ partis huius Chiropſalterij, quæ eſt narratio miſeriæ.*

XI. ALTERA ſpecies Rhetoricæ huius noſtræ diuinæ orationis, eſt *narratio vel deploratio miſeriæ*, de qua Pſal. ait. *Reuela Domi-*
Pſ. 55. *no viam tuam.* Cuius etiam aſſignantur tres actus principales; ſecundum tres digiti articulos. Vel enim deploramus miſeriam præteritam, dolentes (ſcilicet ſecundum Bonauenturam in ſuo Paruo bono) de omiſſis iuſtitiæ præceptis, de commiſſis culpæ prohibitis, aut de amiſſis vitæ gratuitis: Et hoc cum affectu
Pſ. 105. doloris: Huius exemplum, *peccauimus cum patribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus* & huiuſmodi. *Secundo* narramus *præſentem miſeriam*, lugendo, ſcilicet exilij peregrinationem, animæ deformationem, ſeruitutis & incolatus oppreſſionem, vt ibi, *Non eſt ſanitas*
Pſal. 119. *in carne mea. Quoniam iniquitates meæ ſuper-*
Pſ. 37. *greſſæ ſunt caput meum*: Et hæc cum affectu pudoris. *Tertio* narramus, & extimeſcemus *miſeriam futuram*; expaueſcendo, ſcilicet propter pronitatem ad vitium, propter demeritum iuſtum iudicium, propter inſtans mortis æternæ ſtipendium; Et hæc cum affectu timoris Cuius
Eſa. 38 hoc (iuxta Bernardum) exemplum. *Ego dixi in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* &c. Et debet generaliter hæc deploratio fieri *querulanter*, per ſeptem ſcilicet illas ſpecies luctus, quas Gulielmus Pariſien. in ſua Rhetorica proſequitur. Et ſunt iſtæ. Clamor, eiulatus, &c. vide infra in ſcala communionis. Debet quoque hæc querulatio fieri per interiectiones illas doloris. Væ, heu, ah, & conſimi-
Pſal. 117. les. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt.* Complectitur quoque hæc narratio non modo perſonæ propriæ deplorationem; verumetiam, & capitis, ſcilicet Chriſti, & myſtici corporis miſerias exponit. De capite ipſo in Pſalmis, *Miſericordias Domini in æternum cantabo.*
Pſ. 88. *Deſtruxiſti eum ab emundatione. Minoraſti dies temporis eius,* &c. De corpore eccleſiæ;
Pſ. 78 *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuā* &c. Et poterunt ad hanc ſpeciem coaptari omnes illæ affectiones, quas Gerſon recenſet ſub triſtitia, & timore in ſuo Canticho rdo.

§ 3. *De tertia ſpecie huius primæ partis, quæ eſt commendatio perſonæ, vel cauſæ.*

TERTIA præcipua ſpecies Rhetoricæ, & diuinæ orationis eſt *commendatio perſonæ* XII.
propriæ vel cauſæ: qua ſcilicet aliquid (ſecundum Hugonem) dicis in tui, aut cauſæ tuæ commendationem. Non per hoc te efferendo, ſed beniuolentiam eius, cui narras, captando. Commendatur autem perſona, vel propter commiſſionem boni, aut omiſſionem mali, operoſe præcautam, vel præcauendam. Vt, *Man-* Pſ. 118.
data tua non ſum oblitus. Domine nō eſt exaltatū Pſ. 130.
cor meum: In æternum non obliuiſcar iuſtificatio- Pſ. 118.
nes tuas; Et hoc optanter. Ita quod affectui dicas, Vtinam ſemper cuſtodiſſem. O ſi cor meum non fuiſſet exaltatum. Væ mihi, quod fuit elatum. Et ſic actus obiectalis, valet vnum formalem. Per tale deſiderium reputabitur tibi opus quaſi à te factum. *Secundo* commendatur perſona, propter actionem bonam ſtudioſè factam, *vt Preueni in maturitate & cla-* Ibidem.
maui. Septies in die laudem dixi tibi. Et hoc *participanter*, capitis & eccleſiæ meritis deuote communicando. Credis enim & deſideras communionem Sanctorum, Ita vt, ſi quid per te non egeris, alij ex corpore myſtico pro te, & te in illis egiſſe confidenter præſumas. Eſt & hic deſiderium per optatiuas exclamationes eleuandum: Aut ſaltem deſiderium deſi- Ibid.
derij aſſumendum; Iuxta illud, *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas. Tertio* perſona recommendatur, propter operationem bonam in futuro pollicitam, Vt, *medita-* Ibid.
bor in iuſtificationibus tuis. Docebo iniquos vias Pſ. 50.
tuas. Et hoc *ſperanter*, diuinæ clementiæ (quæ ſemper miſeris præſto eſt) confidendo, & potentię eius innitendo; Et hoc cum deſiderio intenſo. Poterit ſimiliter, & cauſa à tribus commendari, *Vel* à temporis opportunitate: vt ibi, *Tempus faciendi Domine.* Vel à com- Pſ. 118.
placentia & fauorabilitate: vt ibi, *Quoniam* Pſ. 101.
placuerunt ſeruis tuis lapides eius. Vel à futura Pſ. 118.
vtilitate, vt ibi, *Tunc non confundar cum perſpexero.* Itemque. *Qui timent te videbunt me, &* Ibidem.
lætabuntur; Et hæc omnia cum deſiderij, & optionis affectu. Ad hanc quoque ſpeciem ſunt omnes illi affectus reducibiles, quos Gerſon ſub ſpe in ſupra memorato concludit tractatu, ſcilicet Canticordo.

§ 4. *De quarta ſpecie eiuſdem primæ partis quæ eſt accuſatio partis aduerſæ.*

QVARTA ſpecies eſt accuſatio partis aduerſæ, qua ſcilicet aliquid dicis, quo audientium animos in odium, aut indignationem concites aduerſariorum: Et eſt ſpecies hæc crebertima in Pſalmis; Cuius tres poſſunt aſſignari ſpeciales partes; Aut *enim accuſamus* Pſal. 30.
aduerſariorum ſtultitiam, & iniquitatem *in* Pſal. 40.
corde, vt ibi, *Dixit inſipiens in corde ſuo. Cogitabant mala mihi*, & huiuſmodi. Et hoc cum affectu *aduerſationis*; iniquitatem, ſcilicet huiuſmodi execrando, & deteſtando. *Aut enarra-*

mus

mus aduerſariorum nequitiam, & calliditatem *in ore*; vt *Verbum iniquum conſtituerunt aduer-*
Ibid. *ſum me. Dixerunt mala mihi. Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* Et hoc cum affectu odij, & *in-*
Pſ.5. *dignationis. Tertio accuſamus* quandoque malitiam, & *feritatem in opere*, vt. *Quoniam alieni*
Pſ.53. *inſurrexerunt aduerſum me. Poſuerunt peccatores laqueum mihi.* Et hoc cum affectu *zeli*.

Vel ſic. *Accuſamus* aduerſariorum *iniqui-*
Ibid. *tatem* dicentes, quia ſunt iniqui, vt. *Iniqui perſecuti ſunt me.* Aut *fortitudinem* dicentes, quia
Pſ.118. fortes. *Et fortes quæſierunt animam meam.* Aut *multitudinis pluralitatem* cauſantes, quia multi,
Pſ.37. vt, *Multi qui perſequuntur me. Inimici autem mei viuunt, & confirmati ſunt ſuper me, & multiplicati ſunt, qui oderunt me iniquè.* Et hoc non modo hominum; ſed & multo amplius dæmonum, & vitiorum malitiam accuſamus: Hæc enim ſunt animæ hoſtes. Et debet fieri hæc accuſatio *querulanter*, plangenter, eiulanter, & conſtanter. Item ſtrenuè, ſeuerè, benignè. Ad hanc etiam ſpeciem reduci poterunt imprecationes illæ propheticæ, quæ quandoque magis ſunt prophetiæ, & futurorum prædictiones, quam malignæ orationes; imo, ſi profundè dijudicentur plenæ ſunt charitatis,
Pſal. 20. & benignitatis. vt *Pones eos, vt clibanum ignis*
Pſal.24. *in tempore vultus tui. Confundantur omnes iniqua agentes ſuperuacuè, & ſic de alijs.*

§ 5 De quinta ſpecie primæ partis, quæ eſt imploratio miſericordiæ.

XIIII. SVPEREST iam videre de QVINTA ſpecie huius primæ partis, quæ eſt imploratio diuinæ miſericordiæ, cuius hi ſunt actus principales, ſcilicet, *Deprecatio*, quæ propriè fit (ſecundum Gloſſam) pro amouendis malis, vt
Pſ.37. ibi, *Domine ne in furore tuo. Eripe me, & libera*
Pſ. 143. *me de aquis multis.* Et debet hæc fieri *rugienter*, *flebiliter*, *importunè*, *humiliter*, *magnanimiter*. Attendantur verba, notentur myſteria.

Secundus actus eſt *oratio pro bonis*, ſcilicet, acquirendis, vt *Deduc in me ſemitam manda-*
Pſ. 118. *torum tuorum. Legem pone mihi Domine viam iuſtificationum.* Hæc, quoniam quandoque fit implicite, ideo ei adiungitur *inſinuatio*, quæ eſt (ſecundum Hugonem) implicita oratio, aut reuerentiæ, aut indignationis cauſa non ex-
Io. 2. preſſa, vt *Domine vinum non habent. Domine ſi*
Io. 11. *fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.* Quæ
Pſal.124. etiam crebrius occurrit in Pſalmis, vt *Cuſtodiens paruulos Dominus. Si iniquitates obſeruaueris*
Pſ.129. *Domine.* Hoc eſt non obſerues. Et debet hæc fieri per conditiones ſuas, quas paſſim eſt reperire in ſermonibus, & ſcriptis doctorum. Vt nimirum fiat *fidenter*, *vtiliter*, *ſperanter*, *ardenter*, *perſeueranter*. Habentur hæ conditiones in Speculo Morali proſecutæ: Quas ita hic congetimus, vt inter orandum illas actuemus; Crebrius enim multæ orationes inuicè concomitantur, & tunc ſingulis orationibus, ſingulę ſunt conditiones affectualiter applicandæ, vt *Domine exaudi orationem meā*, quia,
Pſ.101. ſcilicet peto humiliter, *Et clamor meus ad te veniat.* Nam peto ardenter, & ſic de alijs. Sic in ſuperiore, & in ſequenti eſt ſpecie, vel actu agendum.

Tertius actus eſt *obſecratio*, quæ eſt per factum aliquod oratio, vt *Miſerere mei Deus,* Pſ.50.
ſecundum magnam miſericordiam tuam. Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum. Deus in nomine tuo ſaluum me fac. Et debet Pſ.53.
hæc imploratio miſericordiæ fieri (iuxta Bonauenturam) cum affluentia deſiderij, per ſpiritum ſanctum; cum confidentia ſpei, per Ieſum crucifixum; cum aſſiſtentia patrocinij per Sanctorum interceſſiones, & meritum. Fit autem obſecratio crebrius per Dei proprietates, & ſumma eius opera: Vnde cū ſumma deuotione, & reuerentia, quotiens opus fuerit, eſt agenda.

NOTA quoque, quod ad hanc ſpeciem, omnes ferè enumeratę affectiones poterunt applicari; quoniā ex eis omnibus, oratio elici poteſt. Fit enim quandoque oratio, *ex affectu dilectionis*, vt ibi, *Diligam te Domine.* Quando- Pſ.17.
que *ex timore*, vt *Domine ne in furore.* Quan- Pſ.6.
doque *ex odij, & zeli affectu*, vt *Confundantur & pereant*, & ſic de alijs. Et tunc debent hi affe- Eſa.82.
ctus formari, ſecundum modum præſignatum.

§ 6. De Confirmatione.

EST præterea altera adhuc Rhetoricæ artis ſpecies, in margine aſſignata, *confirmatio* XV.
dicta, quæ ideo nullo certo digito ponitur; quoniam circuit, & complectitur omnes ſpecies ante dictas. Confirmatur etenim laus, confirmatur, & narratio; & reliquę partes, vt longum eſſet declarare. Vnde hæc pro regula ponimus, quod confirmatio in eodem eſt loco cum confirmato ponenda, & determinans cum determinato, vt infra plenius dicitur. Et hæc de prima Chiropſalterij parte, quæ eſt oratio rhetoricalis; quæ abundè (vt exemplificatum eſt) in Pſalmo reperitur. Nec id mirū; cum etiam (ſecundum Gilbertum ſuper Threnos) omnis Rhetoricæ artis ſplendor, omnes loci, & colores illic poſſunt reperiri, prout exemplariter illic, de locis conqueſtionis, & indignationis demonſtrat, inter cætera dicens. *Inuenies ergo* (inquit) *etiam loquendi artes, à noſtris ad Philoſophos tranſiſſe; non ab illis ad noſtros aſcendiſſe. Quod plenè* (ait) *percipiet, qui per ſingula intentionem prophetarum, & affectū, & verba conſiderat.* Hæc ille. Cui & Iſidorus poſt Hieronymum atteſtatur dicens, quod ab initio apud Hebræos Pſalmi metris conſtant, & in morem Romani Flacci, & Græci Pindari, nunc alij iambo currunt, nunc Alcaico perſonant, nunc Saphico nitent, trimetro, vel tetrametro pede incedentes. Hæc Iſidorus Etymologiarum libro, & capitulo ſecundo.

MEMBRVM IIII.

De altera principali huius Chiropſalterij parte: quæ eſt vocum in triumphante eccleſia auditio.

IAM de altera huius Chiropſalterij principali parte agendum, quæ eſt *vocum in triumphante eccleſia auditio.* Circa quam, (vt ex notis procedamus) *primo* declarandum, quod etiam ſint voces in pſalmis audiendæ: *Secundo* quid inter audiendum ſit agendum, vel qualiter ſint audiendæ; *Tertio* de aſſignatis eſt explicandum.

§ 1. *Probamenta, quod ſint voces in Pſalmis audienda.*

XVI. VOCES autem diuerſas eſſe in Pſalmis, ac per hoc audiendas, patet *primo* ex plurium pſalmorum prætitulatione. Nam quidam ex perſona Chriſti, quidam ex perſona iuſtorum, aut martyrum, filiorũ Chore intitulantur, vt eſt aperte inuenire in Pſalmorũ conſideratione diligenti.

Secundo itidem patet ex Gloſſæ ordinariæ, & cæterorum doctorum expoſitione, à quibus voces diuerſæ introducuntur: Vnde & in principio gloſſę ordinariæ habetur pulchra diſtinctio, quomodo & quanta ſit vocum diuerſitas, & mutatio. Quandoque enim Chriſtus loquitur, vt caput, quandoq; tranſſumptiuè &c. Hoc Aug. in ſuis Quinquagenis. Hoc Caſſiod. Hoc de Turrecremata, & cæteri obſeruauere Doctores, qui varias introducunt voces, vt palam eſt videre in eorum commentis.

Probatur idẽ *tertio* aperta ratione. Nã ideo liber Soliloquiorum denominatur; propter varias ſcilicet quas continet loquentium voces. Et Bernardus ait, *Loquitur nobis in Pſalmis Chriſtus* &c. Liquet ergo eſſe voces. Cum etiã tam palam has in regula ſua allegat Pater Benedictus, dicens in Prologo eius, *Exurgamus ergo tandem aliquando, excitante nos ſcriptura, & dicente, Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere, & apertis oculis noſtris ad Deificum lumen, attonitis auribus audiamus diuina quotidie clamans, quid*
Pſ. 94. *nos admoneat vox dicens, Hodie ſi vocem eius audieritis nolite obdurare corda veſtra.* Et iterum,
Apoc. 2. & 3. *Qui habet aures audiendi audiat, quid ſpiritus dicat eccleſiis. Et quid dicit? Venite filij, audite*
Pſ. 33. *me, timorem Domini docebo vos. Et quærens Dominus in multitudine populi ſui (cui hæc clamat) operarium ſuum, iterum dicit: Quis eſt homo,*
Pſ. 33. *qui vult vitam, & cupit dies videre bonos? Quod ſi tu audiens reſpondeas, ego: Dicit tibi Deus. Si vis habere veram, & perpetuam vitam, prohibe à malo linguam,* &c. *Et cum hæc feceritis, oculi mei ſuper vos,* &c. *Quid dulcius nobis hac voce Domini inuitantis nos Fratres chariſſimi? Ecce pietate ſua demonſtrat nobis Dominus viam vitæ.* Hęc S. Benedictus in Regula, vbi voces, & reſponſiones oſtendit eſſe in Pſalmis. Quemadmodum & in altero capitulo, de gradibus humilitatis ait: *Interrogamus cum Propheta Dominum dicentes ei. Domine quis habitabit in Tabernaculo tuo?* &c. *Poſt hanc interrogationem fratres, audiamus Dominum reſpondentem, & oſtendentem nobis viam, ac dicentem, Qui ingreditur ſine macula.* &c. Conſtat ergo luce Clarius in Pſal. diuerſas eſſe voces.

§ 2. *Quid inter audiendum voces agendum, aut quomodo ſint audienda.*

DE SECVNDO autem, quid ſcilicet inter audiendum, *agendum ſit, vel qualiter* 17.
ſint audiendæ, nota; In primis, debemus has voces audire, vt *verbum Dei eſt audiendum;* ſuper quo in pluribus locis plures habentur ſermones, pręſertim ſuper illo verbo, *Beati qui* Luc. 11.
audiunt verbum Dei, Vt plerique aiunt, Eſt verbum Dei audiendum *humiliter, & reuerenter, attentè, & ſtudioſè, deuotè, & feruenter, cuſtoditè, & memoranter.* Hæc deducit Iordanus in Sermone. Sunt & pari modo hæ noſtræ voces audiendæ, adiecto *gaudenter.* Debemus cum amico ſponſi, quaſi poſt parietem ſtantis Cant. 2.
gaudenter audire voces dilecti, & hoc de modo audiendi.

Quid autem inter audiendum agendum ſit, pulcherrimè Hieronymus edocet, dicens in Regula ſua. *Tunc* (ſcilicet cum ſacræ reſonant voces) *vniuſcuiuſque mens ſobria ſit, intenta dulcedine verbi. Suſpiret anxia, cum Propheticus ſermo, aut hiſtoricus, Dei ſæuitiam monſtrat in prauos. Gaudio repleatur immenſo, cum benignitas Dei annunciatur in bonos. Nunc ſpes reſpiret, nunc erigatur Fides, nunc Charitas accendatur,* exemplis proſequens ſingula, & in fine ſubdens. *Non reſonent verba; ſed gemitus, non riſus, & cachinnus; ſed lacrimæ decurrant.* Cuius ſententiã Gerſon, & Guillermus Parrhiſienſis apertius ponunt, Ait Guillermus. *Cum Pſalmi, cantiones, vel cantica ſint; manifeſtum eſt, quia qui pſallunt, vel pſallentes audiunt, ſaltare debent. Quemadmodum laſciui homines, & mulieres, ad auditũ cantilenarum turpium ſaltant, id eſt geſticulationibus corporum ſuorum, correſpondent modulationibus quas audiunt: Sic & nos ſpiritualiter* (ait) *agere debemus, cum cantiones pſalmorum audimus, ne nobis improperet Deus illud, Cecinimus* Luca 7.
vobis, & non ſaltaſtis, lamentauimus vobis, & non ploraſtis. Saltationes autem illæ, ſunt motus ſpirituales, quibus moueri debemus, aliorum voces in pſalmis audientes. Exempli gratia, Cum pſalmi diſtrictionem diuinæ iuſtitiæ, & vltionis reſonant, timore concuti debet cor noſtrum, & in deorſum poni; Cum autem miſericordiam, debet ſpe erigi; Cum autem honorem & gloriam Dei ſonant, gaudio dilatari; Vbi autem de beatitudine promiſſa quid inſonuerit, mox mens debet deſiderio, & amore illius accendi. Vt quid enim in principio ipſo pſalmi, à prophetali ſpiritu, nominatur ibi beatitudo, cum dicitur, Beatus vir qui non abijt, *niſi* Pſal. 1.
vt deſiderio, & amore in illam ſaltes, & pſallas? Quare virilitas? niſi vt à puerilitate diſſoluas, & virilitatem, tanquam perfectionem tibi debitam concupiſcas, & ſic de alijs. Et ſubdit, *Nec dubites quin cor per omnia bene diſpoſitum, ad auditũ*

pſalmodia, ſic ſe facilè ad vocum auditum mouere poteſt. Nam qui hoc non agunt: Onos lyras ſunt, id eſt, aſini ad lyram, qui concentus lyræ, vel cytharæ, nullo geſticulationis communis motu reſpondere norunt. Cauſa autem in hoc eſt, quia nec ipſam ſuauitatē cōcentus huiuſmodi ſentiū... Heu quot onos lyras, id eſt, aſinos ſurdos, & inſenſibiles habet hodie ſāctus David; imò Spiritusſanctus, ad cytharā, vel Pſalteriū ſuum poſitos, qui nihil prorſus ſpiritualis harmoniæ ibi ſentiunt; nil de his, quæ Spiritus ſanctus omnibus loquitur, intelligunt, vel etiā cogitant. Et quod eſt maioris abſurditatis, ipſas voces Pſalmorū, ita ruditer, adeoq; ineptè reboant, & vociferantur, vt voces eorum, à rugitibus aſininis differant valde parum. Hæc prænominatus Guilliermus. Cui & Gerſō in de myſtica Theologia concordat, vt illic eſt videre. Ex his patet, quid inter audiendū voces ſit agendū, quia ſcilicet, eſt conformiter ad eas afficiendū. Vt Steſichori, id eſt, ad cytharā ſaltātes, mereamur eſſe, & dici, pro qualitate, ſcil. modulationis, i. diuini ſenſus in corde, & affectibus geſticulātes. Sicut dicit ſe feciſſe Aug. 9. Confeſſionū,
Pſ. 4. cum legeret Pſalmum, *Cum inuocarem exaudi.* &c. Vbi inter cætera ait. *Inhorrui timendo, ibidemq; inferbui ſperando, & exultando in tua miſericordia Pater, & hæc omnia exibant per oculos meos, & vocē meam; cum conuerſus ad nos ſpiritus tuus bonus, ait nobis: Filij hominum &c. Clamat, quouſq; clamat, Scitote. Et ego tam diu neſciens, vanitatē dilexi, & mendaciū quæſiui, & ideo audiui, & contremui, & inſonui multa grauiter, in dolore recordationis meæ.* Digniſſimum eſt exēplum totus contextus exempli illius, ibi videatur. Et hæc de altero principali.

§ 3. Exemplaris deductio de ſingulis vocibus. Et primum de voce Patris.

XVIII. IAM de ſingulis vocibus aſſignatis, eſt exēplandū & primo *de voce* PATRIS. Eſt enim vox Patris in Pſalmis loquēs, quandoq; Filio,
Pſ. 109. vt ibi, *Tecum principiū in die virtutis tuæ*, ſecundum gloſſam loquitur ibi Pater ad Filium; Loquitur itē quandoq; Pater nobis de Filio, vt in
Pſ. 88. Pſalmo; *Miſericordias Domini.* Ibi. *Inueni David ſeruū meū*, cum pluribus ſequentibus. Quæ ſunt verba Patris de Filio; ſecundū Hugonem in ſuo Commento. Item loquitur quandoque
Pſ. 90. Pater alijs de nobis, vt ibi, *Clamauit ad me, & exaudiā eum.* Hieronymus dicit, Hic Deus Pater beatum virum à malis ſæculi promittit ſe liberaturū. Sūt & aliæ variæ immutationes vocū, quas diſtinguere eſſet prolixum. In quibus omnibus, dum narrantur proſpera, eſt cōgratulandum; dum pollicentur bona, eſt ſperandum, & optandum, vt eſt ſupra dictum.

De voce Filij in Pſalmis. Notula 2.

XIX. LOQVITVR etiam quandoq; FILIVS in Pſalmis, & hoc varijs modis; ſecundum gloſſam, & Decanum Tungrenſem, Quandoque enim (vt aiunt) loquitur Chriſtus ſecundū diuinitatē; Aliquando ſecundum humanitatē; Quandoq; ſecundū tranſumptionē; vt quādo vtitur voce membrorum, vt ibi exemplariter declarant. Eſt igitur vox filij in Pſalmis, quandoque loquentis ad patrē, vt ibi, *Sacrificium,*
& oblationē noluiſti, aures autē perfeciſti mihi. Ibi Pſ. 39.
ſecundum Apoſtolum, loquitur ingrediens Heb. 10.
mundum Dei filius Patri, vel totæ Trinitati, &c. Loquitur quandoq; nobis, Et hoc, aut de
ſua exaltatione, quaſi cantans, vt ibi, *Ego autē* Pſ. 2.
conſtitutus ſum ab eo Rex &c. & tunc eſt ſaltādum; Loquitur item quandoque de paſſione,
quaſi lamentans, vt ibi, *Deus, Deus meus reſpi-* Pſ. 21.
ce in me, &c. Et ibi, *Circundederunt me, ſicut a-* Pſ. 117.
pes, &c. & tunc plangendum, ne improperare
habeat nobis, *Cantauimus vobis, & non ſaltaſtis:* Mat. 11.
lamentauimus, & non ploraſtis.

Quod etiam illic ſint appropriatæ voces Spiritus ſancti. Notula 3.

SPIRITVSSANCTVS, tametſi omnes XX.
Pſalmos per os cecinerit Prophetæ; appropriatas tamen nonnullas in eis ſibi voces re-
ſeruauit, vt ibi, *Intellectum tibi dabo & inſtruam* Pſ. 31.
te: Ipſe enim eſt intelligentiæ ſpiritus, quoniā Iob 20.
itidem eſt *ſpiritus diſciplinæ* docens omnem ve- Io. 16.
ritatem. Poſſunt autem illi morales & inſtructorij Pſalmi, tantum ab hoc percipi doctore.
Et verè *beatus homo quem tu erudieris Domine* Pſ. 93.
ſpiritus bone, quoniam nulla in diſcendo mora eſt, vbi tu doctor es. Exemplo ſunt Pſalmi illi,
Noli æmulari. Audite hæc omnes gentes. In qui- Pſ. 36.
bus cum reuerentia, Spiritusſancti voces ſunt Pſ. 48.
audiendæ. Petendumq; eſt aſpirationibus cordis; vt qui docet veraciter, moueat efficaciter, vt deducatur in actum.

Quod in Pſalmis occurrant etiam voces Mariæ Virginis. Notula 4.

BEATAM autem Virginem, etiam ſuas in XXI
pſalmis habere voces, Gloſſæ & Commenta pſalmorum, aptè teſtantur, quæ nonnullos verſiculos ex eius perſona dici aſſeuerant. Hinc etiam gloſſa ordinaria ait illud
pſalmi, *Ex vtero ante luciferum genui te;* Ex Pſ. 109.
perſona Virginis poſſe dici. Nec mirum, cum ante de *virga virtutis*, quæ indubiè eſt Maria, ſit præmiſſū. Itemque in pſalmis Horarum eius, ſingulariter illi attributis, ipſa crebrius introducitur loquens, prout Magiſter Iohannes de Mechlinia expoſuit, eos Mariæ coaptans, præſertim in Pſ. *Eructauit*, & *Fundamēta* Pſ. 44.
eius, & huiuſmodi. Sed & capitula Horarum e- Pſ. 86.
iuſmanifeſtè ex eius perſona dicuntur, vt ſunt.
Ab initio, & ante ſæcula creata ſum, &c. *Quaſi* Eccli. 24.
cedrus exaltata ſum in Libano, &c. *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me.* Liquet ergo, & eam habere ſuas voces. O quanta attentione, quanta deuotione, ſunt prudentiſſimæ huius Virginis verba audienda!

Quod

Quod in Pſal. ſint voces Angelorum.
Notula 5.

XXII. ANGELOS quoque in Pſalmis loqui, Bernardus apertè indicat, dicens ſuper illis
Pſal. 67. verbis, *Præuenerunt Principes*. Ait (inquam) quod & Angeli præueniunt loquentes nobis, & exhortantes dicunt nobis, *Pſallite Domino ſapienter*, Pſal. 46. Et nos rurſum illud pſalmi 96. *Adorate eum omnes Angeli eius.* Hinc etiam iuxta quendam; Inuitatoria ipſa nocturna, ex Angelorum perſona audiri & dici poſſunt.
Iob 38. Qui cùm ſint *aſtra matutina* inceſſanter Deum laudantia, nos etiam præueniunt, & ad laudem exhortantur. O quantum ſolatium audire melos Angelicum,

Quod etiam cæterorum ſanctorum ſint voces.
Notula 6.

XXIII. ALIORVM quoque Sanctorum voces in Pſalmis eſſe patet. De PROPHETIS claret, ex quorum perſona ferè omnes voces accipi poſſunt: Hinc dicit Auguſtinus, clamat Propheta pſal. 4. *Quoniam mirificauit Dominum ſanctum ſuum.* &c. Poterit autem incipiens, & nõdum perfectus in hoc exercitio, omnes verſus de quibus dubitauerit quem actum habeant, locare in hoc loco; quouſque ſucceſſu temporis, gratia adiuuante omnes actus & affectus perfectus cognouerit, quia Prophetę vox ſemper dici poterit. Ex voce APOSTOLORVM iuxta gloſſam quandam dicitur pſalm. ille 46. *Omnes gentes plaudite manibus.* Et pſal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, & confitebimur tibi*
Pſal. 74. *Deus.* MARTYRVM vox ſecundũ Aug. in Quin-
Pſal. 115. quagena eſt in Pſalmis, *Credidi propter quod*
Pſal. 125. *locutus ſum. In conuertendo Dominus captiuitatẽ Sion.* Vnde notandum, quod ſecundum variationes feſtorum, variæ habentur ſuper pſalmis expoſitiones Doctorum: Nam quoties tunc voces occurrerint, eorũ Sanctorũ, quorũ tunc
Rom. 12. memoriam agunt, eſſe dicunt pro deuotione
Matt. 10. excitanda, vt infrà plenius eſt deductum. Et probè. Omnes enim vnum corpus, & vnus in eis loquitur Spiritus Patris. Et hæc de exemplis ſufficiant.

Quomodo hic voces ſint audiendæ.
Notula 7.

XXIV. POrro pro ampliori deuotione in his verſibus habenda; attendendum eſt verbum
Iob 12. Iob dicentis, *Et auris verba dijudicat*, quia cum voces audierimus, profundum dijudicare debemus.

Scilicet	Quis, Quid, Quomodo, Cui,	*Dicat vt*	Reuereamur, Inſtruamur, Afficiamur.	

Et hoc vbi protrahitur cantus.

Sic egit Beatiſſimus Pater noſter Auguſtinus, de quo legitur, *Voces igitur illæ influebant auribus eius.* Et ipſe ait: *Quemadmodum fleui in Hymnis & Canticis ſuaue ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter*, quo ad primum; quia ſcilicet quorum erãt, & qui loquebantur attendebat: *Et eliquabatur veritas* in cor eius, quoad ſecundum: quia ſcilicet quid dicebatur profundè diſcutiebat; *Et bene illi erat cum eis*, quo ad tertium. Et apertius ipſe in nono Conf. *& ex ea æſtuabat mihi affectus pietatis*; quia ſcilicet dignationem illam diuinam, qua & propter quid nobis loquitur, admirans conſiderabat. Cuius deuotionis lachrymæ teſtes fuere. Idem etiam exercitium piæ illi ſuæ matri Monicæ fuiſſe teſtatur. De qua ait, quod aut in pſalmis orabat Deum, aut eundem loquentem audiebat. Eya ſic & nos agamus, & iugiter Domino cum Samuele puero dicamus 2. Reg. 3. *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus.* Et hæc de parte ſecunda.

MEMBRVM V.

Declaratio tertiæ partis Chyropſaltery huius, quæ eſt ſoliloquium animæ.

TERTIA Chiropſalterij pars *Soliloquium* XXV.
animæ nominatur, eo quod anima ad ſe reflexa, ſecum ſola loquatur. Tale autem ſoliloquium in pſalmis conſiſtere, prolixè diſputat Auguſtinus ſuper pſalmo 145. *Lauda anima mea Dominum*, vt in Quinquagena eſt videre, & ſuper pſalmo 102. *Benedic anima mea Domino*. Sed & pſalmorum expoſitores pleroſque verſus & pſalmos modo dialogico, aut drammatico inter ſuperiorem & inferiorem portionem exponũt, vt Gorram in pſalm. 120. *Leuaui oculos meos in mõtes*, & alios pleroſque. Quæ omnia ſunt exempla huius. Et notãdum, quod in hoc ſoliloquio poſſunt omnes actus illi aſſignari, quos anima in alios fecit, vt ſunt purgare, excitare, illuminare, perficere, quod ſic Paulus Epheſ. 5. *Loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis & Canticis ſpiritualibus*. Et eſt hoc ſoliloquium ſumma mentis recollectione & deuotione celebrandum. Et poterit multò maxima pars pſalmorum trahi ad animæ ſoliloquium, vt quaſi in omnibus pſalmis inſtructoriis, homo ex parte rationis ſuperioris loquatur ſibi ipſi, vt docuit Caſſiodorus. Sic etiã magnus Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus, in libro quem Marcellino de proprietate pſalterij ſcripſit, ait. Quicunque pſalmi verba recitat, quaſi propria verba decantat, & tãquam à ſe-ipſo conſcripta vnus pſallit, & non tanquam alio dicente, aut de alio, ſignat aut legit. Et qualia ſunt, quæ dicuntur, talia velut ipſe in ſe agens, Deo videtur offerre ſermones.

MEMBRVM VI.

Proſequutio quartæ partis huius, quæ eſt de actibus diuerſis in pſalmis.

Actus incitatiuus. Notula 1.

QVARTA PARS eſt de diuerſis actibus, XXVI.
quos anima in diuerſa obiecta agit. Quandoque enim ſe leuat ſupra ſe, ad Eccleſiam ſcilicet triumphantem ſe conuertendo,

& illam ad laudem, & Dei cultum congratulariuè conuocando: Et dicitur *volatus incitatiuus*, quia iaculatoriè & intima affectione eſt is actus agendus; cuius hæc ſunt exempla. *Exultate iuſti*. Pſal. 32. *Lætamini in Domino, & exultate iuſti*. Pſal. 31. *Benedicite Domino omnes Angeli eius*, Pſal 102. O quanta deuotione loquẽdum cum Sanctis in cælis!

De actu excitatiuo, & quomodo agendus.
Notula 2.

XXVII. QVANDOQVE ſe diuertit iuxta ſe, aut infra ſe, agendo *actum excitatiuum*, totam ſcilicet eccleſiam, imò & omnia creata ſingillatim ad laudem exhortando, vt patet in pſalmis: *Benedicite omnia opera Domini Domino*, Dan. 3. *Laudate Dominum de cælis*, Pſalm. 158. Qui non niſi ex ignitiſſimis ſunt affectibus cõditi; quare etiam non niſi ardentiſſimis mentibus decantandi: vnde patet, quod is actus, eſt optionis affectu agendus. Et mira latet virtus in illis: ita quod (teſte Auguſtino) myſteria illorum hymnorum, nullus mortalium ſatis explicare poterit: In quibus quanto crebrior eſt eorundem verborum replicatio, tanto ardentior erit affectio, & attentior cõſideratio. Pulchra etenim in his contemplanti occurrit, & ordinata creaturarum diſtinctio: vbi primum conuocantur creaturæ ad laudem in genere; dein ſingulæ creaturarum ſpecies ex ordine, primo n.e.è ſpirituales, dein corporales, poſt permixtæ, vt patet. Nihil itaque tædij habendum ſub iſtis.

De actibus Hierarchicis. Notula 3.

XXVIII. DIVERTIT item quandoque ſe Eccleſiaſtica anima, mediatrix inter Deum hominéſque conſtituta, oratoriæ artis perita, *ad audientis Eccleſia* fideles, actibus hierarchicis eos hierarchizando. Nunc agens *actum purgatiuum*, eos arguendo, vt ibi: *Filij hominum vſquequo graui corde*, &c. Pſalm. 4. Quandoque *actum illuminatiuum*, eos inſtruendo, vt in moralibus pſalmis, vti *Declina à malo, & fac bonum*. Pſal. 30. Et in toto decurſu. *Noli æmulari*, &c. Pſal. 36. Quandoque etiam *actum agit perfectiuum*, Dei beneficia & laudes aliis enarrando, ac per hoc ad Dei amorem eos inflammando, qui eſt perfectio bonorum, vt in Pſalmis 105. & 57. *Confitemini Domino. Attendite popule meus*, & ſimilibus. Sic Auguſtinus ait in confeſſionibus, *Quas tibi voces dabam in Pſalmis, & quomodo in te inflammabar ex eis? Et accendebar, eos recitare, ſi poſſem toto orbe terrarum; aduerſus typum generis humani?* Oportet autem omnes actus hos, ex inflammato prodire affectu, & agi viuaci corde.

De refutatione aduerſæ partis.
Notula 4.

XXIX. NONNVNQVAM quoque ad partes aduerſas, ad corpus Babylonicum ſe diuertit; illas increpans aut refutans: Increpans, vt ibi pſal. 51. *Quid gloriaris in malitia?* &c Itẽ pſa. 61. *Quouſque irruitis in hominem?* Refutans, aut (vt rhetores aiunt) confutans, vt ibi, Pſal. 118. *Declinate à me maligni. Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Pſal. 6. Diſtat autem is actus ab accuſatione; quia ibi coram Deo illos accuſamus: Hic autem ad eos nos conuertentes, inuehimur in eos. Poteſt tamen is actus ex eiſdem, quibus ille, affectibus emanare, ſcilicet zeli, indignationis &c.

De indifferentibus. Notula 5.

HABET quoque anima in pſalmis actus quoſdam indifferentes vtrique Eccleſiæ applicabiles; vt ſunt, *Quæſtio*, quæ multiplici affectu prodit. Eſt enim quandoque quæſtio *admiratiua*, vt Pſa. 18. *Quid eſt homo, quod memor es eius?* Quandoque *inquiſitiua*, vt Pſal. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo*, &c. vt ait Benedictus. Quandoque *affectiua*, vt Pſal. 118. *Quot ſunt dies ſerui tui.* Fit & aliis variis modis, quos enumerare eſſet prolixum. Item alius actus indifferens eſt. *Reſponſio*, quę hic pro ſingulari actu ponitur, vt manifeſtius aliquod repoſitorium quæſtionum (licet ad alios actus reduci poterant) haberetur. Eſt autem indifferens, vtrique ſcilicet Eccleſiæ reſpondens. Superiori Eccleſiæ reſpondet, vt ibi, Pſalm. 119. *Sagittæ potentis acutæ.* Item inferiori. vt, *Et cum ſpiritu tuo*, &c. XXX.

MEMBRVM VII.

De quinta huius Chiropſalterij parte.

QVINTA pars eſt *vocum in militante Eccleſia auditio*. Quas eſſe audiendas in propatulo eſt; ita vt probationem nõ habeat opus. Crebrius enim vno ſolo cantante, opus eum audire habemus, & verbis eius auſcultare, & affectibus cordis reſpondere. Sic chori concinunt alternatim. Sũt autem ſub triplici diſtinctione voces hic audiendę. Quandoque enim reſonant illæ voces bonorum congratulantiũ, aut reſpondentium actibus noſtris, aut etiam nos ad ferueñtiores laudes concitantium: Vnde *inuitatoria* poterunt à perfectioribus accipi dicta, vt dicitur in rationali diuinorum. XXXI.

Item oportet audire intenta aure mentis, voces *Sacerdotis hebdomadarij*, & perfectioris, & affici iuxta voces ſuas: vt dum ait, *Surſum corda*; mox corda leuentur in alta, vt verè dicere poſſimus, *Habemus ad Dominum.* Dum autem ait, *Gratias agamus*, grati oportet vt ſimus, &c.

Poſſet hic fieri diſtinctio inter voces *adoleſcentularum amicarum*, & ſodalium & perfectorum: quas omnes eſt reperire in pſalmis: ſed parum refert.

Audiendæ ſunt denique quandoque voces lamentabiles animarum in Purgatorio detentarum, vt in vigiliis, vbi ex intentione Eccleſiæ, Pſalmi & Lectiones ſunt applicandæ, vt ex earum voce dicatur, *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt*, Pſalm. 119. Itemque totus Pſalmorum decurſus, ſimiliter & Lectionum, vt *Miſeremini mei, miſeremini mei.* Iob 19.

Iob 19. *ſaltem vos amici mei*. Quarum vocibus, eſt compaſſiuis affectibus reſpōdendum, & mente, & opere eis ſuccurrendum.

Occurrunt denique in pſalmis voces Babyloniçę, & malorum audiēdæ, vt ibi. *Ecce Deus dereliquit eum: Perſequimini*, &c. Quæ ſunt cū indignatione, & execratione repellendæ. Nec miretur, non in ſtuporem quiſpiam vertatur, quod malorum voces in pſalmis diximus, vbi omnia ſunt diuina. Non enim ſine palea ſeges, non oleum ſine amurca, non ſine ſpinis roſa, nec iuſti ſine malis. Hæ enim voces, non hic in laudem, ſed in deteſtationem ponuntur.

MEMBRVM 8.

Notulæ ſuperiorum declaratiuæ.

XXXI. PRO AMPLIORI dictorum cognitione, ſunt quædam notulæ ſuperiorum declaratiuæ, & quorundam incidentium dubiorum reſolutiuæ annotandæ, quarum PRIMA SIT ISTA. Iſtud Chiropſalterium, in hoc diſtat ab exercitio Hugonis in Tractaculo ſuo de Oratione tradito, non illud excludens; ſed ad ſui declarationem admittens, & includens: Nam illud docet attendere pſalmorum, & verſuum affectus; iſtud vero actus, (vt patet) ex quibus eliciuntur affectus. Multo enim facilius eſt dignoſcere actus quā diſtinguere affectus; quoniam fere actus innumeri ſunt, vt verè ſit à magiſtro quodam ſacræ Theologię profeſſore dictum, non eſſe tot mutationes in nubibus, quot ſunt variationes affectuum in pſalmodijs, ergo, &c.

Altera notula ſit iſta. Licet prima fronte quandoque aliqui verſus occurrant, qui videntur non facilè poſſe reduci ad aliquem huius Chyropſalterij actum: ſi tamen profundè diiudicati fuerint, facillimè reperient locum: Nam ſi Hugo omnes pſalmorum affectus ſub ſuis comprehendi putat; ſi item Gerſon in de Mendicitate animæ omnes pſalmos, ſub tribus illis ſpeciebus (captatione, inſinuatione, oratione,) cōcludit; quanto magis huic noſtro Chiropſalterio, nulli deerunt verſus, vbi tanti ſunt actus?

Tertia notula. Vnus & idem pſalmus, aut verſus, ſecundum diuerſas conſiderationes, in diuerſis actibus eſt reponendus; quemadmodum & in vno eodémque verſu, diuerſus elici poteſt affectus. Exemplificat Gerſon, in de hymno gloriæ, dicens, quod is verſus, Gloria Patri, poteſt dici ex affectu laudis, congratulationis, confeſſionis, imprecationis, & ſic de alijs. Sic eſt & in pſalmis. Verbi gratia: Hic pſalmus 109. *Dixit Dominus Domino*, poteſt primo audiri quaſi vox Prophetæ, de Chriſti exaltatione narrantis, quemadmodum Dominus Ieſus in Euangelio allegat, & ſic, eſt auditus Propheticæ vocis. Poteſt item ſecundo eſſe vox eccleſiaſticæ animæ Chriſti exaltationem alijs enarrantis, & eccleſiam ad congratulationem perficientis, & ſic eſt actus hierarchicus perfectiuus. Poterit quoque tertio laudatio & congratulatio eſſe erga Dominum Ieſum, vt ſcilicet ſub tertia perſona, reuerentiæ cauſa, ipſi Domino Ieſu collætando loquatur, & ſic eſt laus ſpecies captationis; vt de, *Quare fremuerunt*, Gloſſa exemplificat, quod is pſal. Pſal. 2. poteſt ita legi, vt Chriſtus inducatur in eo loquens; vel vt Propheta loquatur de Chriſto; & Chriſtum de ſe introducat loquentem. Et ſic de conſimilibus pſalmis multis. Hinc doctrinaliter elicitur, non eſſe diſconueniens, diuerſos, diuerſimodè, de vno eodemque verſu, aut pſalmo ſentire. Ita ſanctus Aug. in Cōfeſſionibus ſuis dicit verſum, *Filij hominum vſquequo graui corde?* vocem eſſe Spiritusſancti. Pſal. 4. Deindeq; ſubdit, vocem eſſe Prophetæ; Vtrūque autem verum; ſed diuerſo conſiderationis intuitu.

Quarta notula, antecedentis expreſſiua eſt, quod horum modorum is eſt potior, & ob id frequentabilior; qui ſenſui Spiritusſancti eſt vicinior, & quo mens ſit Deo intimior. Is enim finis omnium pſalmorum (vt pulchrè in profectibus docetur) vt, ſcilicet mens Deo coniungatur; Cætera non niſi media ſunt, & tanquam follis deuotionis excitatiua.

Quinta notula eſt, quod ſecundum diuerſas pſalmorum expoſitiones, diuerſi ſuboriuntur actus: Exempli cauſa pſal. ille 44. *Eructauit cor meum*, ſi expoſitus fuerit ex perſona Patris, aut Virginis Matris, eſt affectiuus; ſi verò ex voce, & perſona propria dictus, eſt actus laudis, vel illuminatiuus.

Si autem hic inquiſitum fuerit, quæ expoſitionum potior & obſeruabilior, an literalis vel moralis? pluribus opinionibus decifis, illa eſt melior & obſeruabilior, qua ſit mens deuotior & Deo intimior.

Sexta notula ex Decano Tungrenſi ſumpta eſt. Quod ſit crebra in Pſalmis perſonarū immutatio. Is enim vſus & modus eſt Propheticæ Scripturæ, ſicut pulchrè ſuper Ezechielem Greg. declarat. Et Aug. in Quinquagenis frequentius, vt in primo verſu quarti pſalmi, (*Cum inuocarem*, &c. & in aliis locis. Modò enim cōuertitur mens ad familiare Domini colloquiū, modò ad inſtruendos choros aſtantium; nunc loquitur in perſona Chriſti, nunc ex perſona propria exorat, vt latius Decanus, in de laude pſalmorum declarat.

Septima notula crebrius occurrens, & reminiſcenda eſt, modum pro modo, tempus pro tempore, perſonā pro perſona, ſæpius in pſalmis poni: Et ſecundum hoc, diuerſos actus fieri; Sæpè indicatiuus modus pro optatiuo, futurum tempus ponitur pro præſenti. Hinc magiſter Nicolaus de Lira dat regulam in pſalterij expoſitione dicens, Quod crebrius futurum indicatiui ponitur in pſalmis pro præſenti optatiui. Exemplum, pſal. 137. *In quacunque die inuocauero te*, &c. ſequitur, *multiplicabis in anima mea virtutem*, i. ô multiplices. Item, pſal. 5. *Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum*, id eſt, quæſo glorientur. Cuius ratio ſecundum eum eſt: Nam Hebræi hoc modo, ſcilicet optatiuo carent. De his modis trāſpoſitionis vide etiā Alexādrū in quarta parte.

Octaua notula eſt, pro pſalmorum hoc modo concinendorū intellectu, imò & pro totius

gratiam recipiẽte. Vt aliquantulum notatum eſt ſuprà, de virtute cantus. Vnde non ſine digna ratione tam politizans Philoſophus commonuit, curam magnam habendam, præcipuè de pueris in muſica inſtituendis, conformiter ad Sapientem Eccli. 32. Primum verbum *diligentis ſcientiam, & non impedias muſicam.* Vnde
Eccli. 44. & ſancti Patres, *pulchritudinis ſtudium habentes, à teneris modos muſicos exquiſierunt*, vt dicitur ibidem; ſcientes tibiam & pſalterium, vinum pariter & muſicam lætificare cor, & ſuauem facere melodiam. Non ſumus igitur ſanctis Patribus ſapientiores; ne dixerim inſipientiores, & inquiramus modos muſicos & intellectum picturæ, cum inſtrumentis muſicalibus. Quam picturam ideo Chiropſalterio annexìmus, vt per externa ſymbola & ſenſualem cognitionem, ad myſticam pertingeremus. Itẽq; vt admiratione attraherentur plures ad intelligendum Chiropſalterium. Propter enim admirari philoſophi cœperũt philoſophari, &c. Sed ne nos in curioſitatis materia ſine cauſa & fructu prolixiores ſimus, ad tractatus venerabilis Gerſon de Cantichordo, & Canticorũ originali ratione curioſiores lectores remittimus, & eius ſupponimus dicta. Vbi muſicam inuentionem, diſtinctionem, vtilitatem, & huiuſmodi plura tradit. Nos breuiter declarandæ picturæ iuſiſtemus.

In primis itaque in omnium capite, caput depingitur ſuper omnia, ſcilicet Benedictus Deus cum Angelis & Sanctis, ad Eccleſiaſticum Chorum & concentum auſcultans. Iuxta illud in Canticis 8. *Quæ habitas in hortis amici auſcultant te.* (Pſal. 9.) Deſiderium enim pauperum
Pſal. 119. exaudiuit Dominus, & arrectæ ſunt aures eius, & intendentes ad ſanctę Eccleſiæ carmina & preces; ad remunerandum vel puniẽdum qui dignè vel indignè mouentur ad muſicam Spiritusſancti. Magna itaque nobis, ſi diſſimulare nolumus, indicta eſt neceſſitas, deuotè ad
Matth. 16 ſonitũ S. Spiritus exultationis & motus, quoniã ſub oculis ſumus iudicis cuncta cernentis, æquiſſimè pro meritis retribuentis.

Deinde coram Domino, & arca eius in medio conſtituta, proponitur Sacerdotum & Leuitarũ chorus, pariter & Dauid 2. Reg. 6. cum conuentu Iſraeliticæ multitudinis, in omni muſicorum genere Deum coram arca laudantium; in commonitionem & inſtitutionem noſtræ ariditatis, ſterilitatis, & eruditionis, vt ſcilicet illorum deuotione, ad conſimiliter Deum ex totis viribus laudandum concitemur & prouocemur, & ad ſpiritualiter (quod illi carnaliter agebant) perficiendum, cohortemur & inſtituamur. Multa & deuota hic ſe offerret materia inquiſitionis de cultu diuinæ laudis, & religione deuotiſſimi Dauidis regis, qui, vt ampliaret cultum eius, quattuor millia diſtribuit pſaltas in miniſterium Dei, canentes in organis, quæ fecerat ad canendum, vt dici-
1. Par. 15. cur in Paral. Quod & Salomon, & Religioſiſ-
& 24. ſimus Ezechias continuarunt, ponentes Leui-
2. Paral 5 tas veſtiri byſſinis; cymbalis, pſalteriis, & cy-
& 20. tharis concrepantes, ſtantes ad orientalẽ plagam altaris, & cum eis centum viginti Sacerdotes canentes tubis. Quibus pariter & tubis,

& voce, & cymbalis, & organis, & diuerſi generis muſicorum concinentibus, & vocem in ſublime tollentibus, compleuit gloria Domini domum eius, in ſignum acceptionis. 2. Paral. 5 Qui plenius deuotionem rudis illius populi, dignoſcere volet, quomodo colebant Deum muſici generis vniuerſis inſtrumentis, libros Paralipomenon perquirat: vbi diuiſiones cantorum in nablis, cytharis, tubis, organis, & aliis haber. Vbi ſupra Quamquam & ante regem Dauid, à temporibus Moyſi, & deinceps muſicalia erãt in vſum diuini cultus, vt patet de tubis hic, & Prophetarum filiis; vnde & de Saule Scriptura dicit 1. Reg. 10 quod in colle Domini obuium gregem prophetarum deſcendentium de excelſo habuit, prophetantes, & ante eos pſalterium & tympanum, & tybiam & cytharam. Ad quorum etiam melodiam inſiliit in eum Domini Spiritus, adeò vt & ipſe inter prophetas, in alterum virum mutatus, prophetare cœpit. Vnde innuitur mira deuotio, & mirabilis melodiæ huiuſmodi efficacia & virtus, quod ſæpè per eam dabatur ſpiritus & mutatio mentis, vt hic, & de Helizeo 4. Reg. 3. Quare iure in quæſtionẽ veru poteſt, cur muſicalia huiuſmodi inſtrumenta tam vtilia, ſub veteri teſtamento in Dei laudem aſſumpta, eccleſia iam non aſſumat? Ad quod doctiores aiunt, quod ſub veteri teſtamento illo ritè aſſumebantur, & ſub nouo congruè dimittuntur ob cauſas certas. Sub veteri huiuſmodi aſſumere congruebat,


Propter {
- Iudaici populi conditionem, qui carnalis erat & durus, vnde per huiuſmodi prouocandus.
- Veteris legis imperfectionem, quæ nil ſpirituale dignoſcẽs, ad perfectum nihil deduxit. Heb. 7. 1. Cor. 10.
- Præſentis temporis præfigurationem, Omnia enim in figura contingebãt illis, & myſteria latent.
- Idolatrarum confuſionẽ, Ne Deus verus in cultu ſuo, inferior eſſet illis.

Qui hæc inſtrumenta tranſtulerant in deorum ſeu potius dæmoniorum culturam, vt patet ex Daniele, *vbi præco valenter clamabat,* Dan. 3. *Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis, in hora qua audieritis ſonitum tubæ & fiſtulæ, & cytharæ, & ſambucæ, & pſalterij, & ſymphoniæ, & vniuerſi generis muſicorum* &c. Si hæc omnia erant in cultu dæmonum; quanto congruentius aſſumebantur ad colendum Deum verum? Patent ergo rationes dignæ, cur his vtebãtur ſub veteri teſtamento.

Cur autem noua lex inſtrumenta hæc muſicalia reiecit, rationes ſunt plures.

Videlicet {
- Ne Iudaizare videatur, & tã rudis & crudus eſſe, vt populus ille.
- Ne mentalis deuotio impediatur: delectatio enim illorum impedit attentionem meliorum.
- Ne ſub veritate vmbra teneatur: ſed ſub lege noua nouum canticum cantetur.
- Vt in ſpiritu & veritate per hæc Deus colatur. Iac. 4.

Digitized by Google


Ponatur fol. 199.
A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
M
N
O
P
Q
Hę litterę remittunt ad litteras in Choroſaltorio poſitas

Digitized by Google

Myſtice autem ſeu ſpiritualiter, gratitudinē, & laudem Dei in proſperis, & aduerſis. Chriſtum etiam ſecundum altiorem intellectum; quemadmodum, & cythara ſignare poteſt, 1. Pet. 3. iuxta illud Pſ. vbi Deus Pater filio mortificato quidem carne; ſed viuificato ſpiritu ait, *ex-* Pſal 56. *urge, pſalterium, & cythara*; vbi Græca tranſlatio *chelis* habet. Patet igitur deſcriptio pariter, & ſignificantia chelis. Quæ quam congruè gratitudinis actui, & gratiarum actioni coaptetur ex prædictis ſatis liquet: Cùm nil dulcius in Dei aure, quam gratitudo in proſperis, & aduerſis, vbi homo ex imò cordis, Pſal. 33. dulce illud melos ſonat, *Benedicam Dominum in omni tempore*, &c. quod ſpectat ad gratiarum actionem. Habes igitur de cheli, triplicem propoſitam conſiderationem. Proſequēdum de ſpecie ſequenti.

b VOCIFERATIO, admirationis exclamatio eſt, præ ſtupore mentis; de qua hortatur Pſ. Pſal. 32. *Bene pſallite illi in vociferatione*; quæ & circuit, & immolat in Tabernaculo eius *hoſtiam voci-* Pſal. 26. *ferationis*. Cur autem vox adiuncta ſit, & vociferatio in Dei laude, & qualiter admirationis huius vociferatio fieri debeat, iam habitum eſt in ſuperioribus. Sonatur autem hæc vociferatio ſtuporis apud Hebræos, (vt Pichus Mirandula in Heptaplo ſuo notat) quodam muſico organo, quod ipſi Maſchil dicunt; in quo propriè contemplationes præcinuntur, & voces admirationis. Quid autem vociferatio ſignet in ſcripturis, notiſſimū eſt multis; quod ſtuporem, affectionem, & deuotionem mētis, & cordis, vt notatur ſuper illud Lucæ de He- Luca 1. lizabeth, quæ *exclamauit voce magna*; vere voce magna, quia cum exceſſu & extaſi, mente, affectione, & deuotione multa. Quam autem percōgruat vociferatio, ſeu *Maſchil* muſicum extaſis inſtrumentum, actui admirationis, patet ex diffinitione eius, & his quæ dicta ſunt ſupra. Nil enim aliud eſt admiratio, niſi mentis ſtupor, & ſtuporis in vocē, aut ſignum expreſſio: vtpotè dum ex mirabilium ſpeculatione mens anguſtata prorumpit in vocem extaticæ exclamationis, vt dicendo, *Quis ſimilis* Pſal 34. *tibi Domine?*

c ORGANVM Diuinæ laudationis ab orge, ſeu orgia ſic dictum: Orge ſiquidem culturā, orgia ſacrificia Bacchi, ſeu Liberi Patris; imò Deorum omnium cultum ſignat. Vnde vnicum, & frequentatiſſimum iſtud inſtrumentum erat laudis Diuinæ, (vt ex Scripturis patet,) quo Dauid cum reliquis templi miniſtris communiter vtebantur, percutientes, vt dicitur, *in organis armigatis, pſallens totis viribus* 2. Reg. 6. *ante Deum*. Cuius etiam Leuitæ ſteterunt organa tenentes. Eſt autem organum, (vt Caſ- 2. Par. 23. ſiodorus deſcribit) quaſi turris quædam diuerſis fiſtulis fabricata, quibus flatu follium, vox copioſiſſima deſtinat; & vt eam modulatio decora componat, linguis quibuſdam ligneis, ab interiori parte conſtruitur, quas diſciplinabiliter magiſtrorum digiti reprimētes, grandiſonam efficiunt, & ſuauiſſimam cantilenam. Et hæc definitio eſt de organis propriè dictis, vſus moderni, quæ ex plumbeis, ſeu ſtanneis fiſtulis, cum attactu digitorum, multiplicem, & perfectam habent inter cætera reſonantiam fiſtularum, quæ non illiberales; quia non oris deformatione, ſed follis inflatione ſonant. Quod ſolum, vel precipuum quaſi diuinæ laudi appropriatum retinuit eccleſiaſticus vſus, licet nomine generali pro qualicunque inſtrumento, organum capiatur: Vnde & corpus dicitur organicum, & manus iuxta Philippum organum organorum. Signat autem *moraliter* organum, qualitatē diuinæ laudis, quæ fieri debet ſecundum diuerſas organi proprietates: iuxta Raynerium,

Cum { Integrali quantitate,
Mentali iocunditate, & puritate,
Cōcordi varietate, & virtuali habilitate.

Nil enim in organo eſt, quod non ſonet; dulcem melodiam ex puris fiſtulis reddit. cum diuerſis ſonis concors eſt concentus. Bene ergo in organis Deo pſallimus, cum in veritate eccleſiæ eum laudamus. *Myſtice* autem organum Sanctos ſignat Doctores, quia ſicut ab organo diuerſi ſoni, per diuerſas fiſtulas emittuntur, & melodia efficitur ac concordia harmoniꝫ: Sic a doctoribus ſacris multæ ſententiæ in diuerſis libris proferuntur, vnam faciētes concordiam veritatis. Longum eſſet explanare myſtēria organi, quæ ob interpretationem, vſum, & ſignificationem, propriè diuinæ applicantur laudationi. Et Hebraice Allelu Naum 1. ſeu Alleluya dicitur. Et hæc de inſtrumentis captationis, ſecundum trifariam cōſiderationem, qua ſtudioſis occaſionem dedimus negotiandi in omnibus alijs.

Sequitur de inſtrumentis muſicis commemorationi miſeriæ coaptatis.

COmmemorationi miſeriæ ſecūdum tres eius ſpecies, triplex TIBIARVM varietas: Quæ propriè luctus, & miſeriæ inſtrumentum eſt, vt patet ex gloſſis ſuper illo verbo, *Cum* Matt. 9. *vidiſſet tibicines*, &c. Vbi autem tibicines erāt in tibia lugubre pro mortuorum luctu canentes, ſicut & ſitientes, quos vulgus ſitinniſtas ait, a ſitinnio, eo quod apud ſitos id eſt vita functos, vel miſeros, ſeu ſepultos, canere proprie, genere à cæterorum tybicinum proprietate diſtincto, ſolent. Propriè autem tibia inſtrumentum lugubris carminis erat, vt notant Lira, & Gloſa ordinaria ſuper illud, *Super* Ierem. 48. *Moab eiulabo per compaſſionem*, ſ. & luctum, *propterea cor meum ab Moab quaſi tibia æris reſonabit*. Et infra, *Cor meum ad viros muri fictilis, dabit ſonitum tibiarum*; lugubrem, ait gloſa, & triſtem. Varia autem hæc genera erant tibiarum, vt Varro notat, & alij ſequaces; quidam monaulæ vocitabātur, earumq; inuētor Mercurius erat; Geminꝫ alteræ erāt, quas Marſyas adinuenit, & hꝫ diuerſarū ſpecierū, vtpote præcētoriæ, guigtinæ, ſerannꝫ phrygiæ, & obliquæ. Quæ pro varietate ſpecierū, varijs appropriantur affectibus miſeriarū, dolorū, pudoris, ſeu timoris: Et luctū ſignant, dolorem, & compaſſionem. Si quis autem curioſior non has tibiarum ſpecies, ſed diuerſas ſibi volet habere, & appropriatiores affectibus proprietates: Poterit hꝫc ponere inſtrumēta doloroſꝫ

affectionis. Miſtolim doloris & compaſſionis; Sitinnium pudoris & commiſerationis; Tibiam tremoris & timoris, *Biforem* (ait Virgilius) *dat tibia cantum.* In quibus omnibus inſtrumentis Deo pſallimus; dum compuncti pro peccatis propriis vel alienis, aut de prolōgatione exilij ingemiſcimus.

HIc digitus tertius commendationis, tres habet ſibi aſſignatas muſicorum inſtrumentorum ſpecies, tribus actibus appropriatas. *Tympanum* mortificationis; *Pſalterium* bonæ operationis; *Cytharam* deuotæ ſpei, & volitionis. O quàm latiſſima eſt hæc materia de his cōtemplationis! Sed percurramus pauca de ſingulis.

e TYMPANVM prima ſpecies commendationis, à tinniendo ſic dictum; cuius frequentatiſſima eſt commemoratio in Scripturis, vt ibi, Pſal. 80. *Sumite pſalmum, & date tympanum. In tympano & pſalterio pſallant ei.* Pſal. 149. Et Hier. 31. *Virgo Iſrael adhuc ornaberis tympanis,* &c. Deſcribitur autem ab Iſidoro & Caſſiodoro hoc modo. Tympanum eſt inſtrumentum, quod fit de pelle vel corio mortui animalis deſiccato & extento, ex vna parte ligni, in ſimilitudine cribri; quod pulſatur virgula, vel manu, vt ſonum reddat, mediam habens partem ſymphoniæ. Aut vt eloquentiſſimus Caſſiodorus id deſcribit, inſtrumentum eſt quaſi ex duobus modiis ſolis capitibus conuenientibus, ſupra eos tenſi corij ſonora reſultatio, quod muſici diſciplinabili menſura percutientes, geminata reſolutione modulantur. Aut breuius, tympanum eſt pellis, vel corium ex vna parte planum extērum, membrana clauſum, intus vacuum, quod virgula ſeu baculo pulſatur. Quo maximè gentium Flamines vtebantur in ſacrificio Matris Deûm.

Habet autem complures tympanum in Scripturis ſignificationes.

Significat enim:
- Carnis caſtigationem per tribulationem exteriorem.
- Carnis edomationē ab humore peccati extenſa duplicitatis ruga.
- Carnalem ſeu terrenam operationē, conformiter ad Spiritusſancti monitionem.
- Carnis mortificationem, vel corruptionem in carne mutata, & incorruptibili nullam terrenam infirmitatem habente.

Myſticè autem ſignat:
- Chriſti carnem, ſicut granū frumenti mortificatum.
- Martyres, qui inſtar tympani in martyrio ſunt extenſi, &
- Virgines, quarum caro plenè mortificata, &c.

Hoc autem probabilem ſignat actum, maximè hominem, quaſi pellem, more iam remortuum, & ab omni concupiſcentia mortificatum. Congruens primo digito commendationis, vbi ait ſe præcauiſſe omne malum quod propriè tympanum notat: Ad cuius dulciſonam melodiam prouocantur cęli principes, *& coniunguntur pſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum,* Pſal. 67.

f Sed quia *non ſufficit mala non agere, niſi quis & bonis operibus ſtudeat inſudare:* poſt tympanum, PSALTERIVM ſubditur; ſicut poſt *lumbos præcinctos ardentes lucernæ haberi iubentur,* Lucæ 12. Pſalterium autem à pſallendo eſt dictū, quia ad eius vocem chorus ſonando & operando reſpondet. Cuius ſæpius fit mentio in Scripturis, vt *in pſalterio decem chordarum pſallite illi.* Pſal. 80. *Pſalterium iocundum cum cythara,* &c. *in pſalterio decachordo pſallam tibi.* Pſal. 143. Deſcribitur verò ita; Pſalterium muſicum eſt inſtrumentum, decem chordis aptatum, ſuperius habens lignum perforatum, & ideò ſonitum in Dei laudibus à ſuperiori reddit. Et eſt huius, ait Caſſiodorus, in modū cytharæ conuerſa poſitio. Buccas enim quaſdā ſonoras ligni geſtat in capite, vbi ab imo venientes chordarum ſonos, in altum rapit, & grauiſſima quadam modulatione reſpondet. Et iuxta Hieron. in modum Δ delta litteræ debet in ligni ſonora concauitate, cum obeſo ventre in ſuperioribus formari, vbi chordarum fila religata, diſciplinabiliterque plectro percuſſa, ſuauiſſimam cantilenam reddunt. Liquet ex his tam autenticorum definitionibus, quàm procul à veritate ſit poſitio cōmunis, qua aiunt pſalterium Græcè, Hebraicè nablum, Latinè organum dici. Diſparilitas ſiquidem inter ſingula hæc multa, & dignè attendenda. Cùm etiam Hebraicè *cinnor* non *nebel* dicitur.

Habet autem ſignificantias multas: Nam pſalterium

Signat:
- Probabilem actum, & operationem bonam.
- Chriſti doctrinam, & illius impletionem ſpiritualem.
- Decem pręceptorū obſeruantiā, cum intentione recta ad ſuperiora.
- Charitatem, exultationemque ex contemplatione, deſiderioque ſupernorum.

Myſticè Euangeliſtas notat, qui de ſuperna ſcripſerunt gloria; quaſi pſalterij ad inſtar, de ſuperiori ſonitum reddentes, & ſpirituali operatione, quod ſcripſerant, implentes. Non enim ſufficit, quod ſola vox ſonet; ſed & manus conſonet oportet, vt verbis facta concordent. Dignè itaque pſalterium loco bonę operationis accipitur à *pſallein,* tangere vel operari ſic dictum.

g CYTHARA lignei ventris eſt, in imo concauitas ſita, quæ ſurſum chordarum fila tranſmittens, ſonis dulciſſimis percuſſa proloquitur. Quæ tale ideo (ait Caſſiodorus) nomen accepit, quoniam cita iteratione percutitur. In hoc diſtans à pſalterio, quia illud à ſuperiori ſonitum reddit, à grauioribus ſonis ad acutiores deſcendendo; cordulas vel argenteas, vel ex electro, quaſi tinnientes habens, leuiuſque tangendas; perfectiores iam in bona operatione deſignans. Cytharæ verò formam, ad pſalterium quodammodo videbis euerſam; Cuius & ſonitus à grauioribus deorſum, ad acutiores

acutiores ſurſum ſonos tendens; Cuius fides,
& chordę, de morticinis ſunt inteſtinis ani-
malium deſiccatis, ſubtiliatis, & tortis: Ma-
gis ſignans ſtarum pœnitentis, ſeu bonę voli-
tionis, a cōualle plorationis aſcendentis, cor-
puſque proprium torquentis, & extenuantis,
ad obediendum ſpiritui citharizanti. Qualem
habere ſuadet Dominus per Eſa. animæ pec-
Eſa. 23. catrici dicens, ſub typo Tyri, *Sume cytharam,*
circui ciuitatem, meretrix obliuioni tradita, &c.
Conueniunt etiam pſalterium, & cythara in
quibuſdam, quia pectori vtraque iunguntur,
& cordis formam habent, inſtar ſcuti pectora-
lis. Docentia vtraque *ſurſum* haberi *corda*, &
Pſal. 80. concurrere in veritate; dum pſalterium io-
cundum contemplationis, cum cythara con-
cordat pœnitentialis afflictionis; vt turturis
ſuſpirium, cum dulci philomenæ garritu, &
ſpes cum tremore. Traditur autem cythara
ex multis ſimilis pectori humano; eo quod ſi-
cut vox ex pectore, ita ex cythara ſonus pro-
grediatur. Vnde & doricè cythara pectus ap-
pellatur. Et eſt (iuxta Auguſtinum) cythara
duo ligna habens: Vnum inferius concauum;
alterum ſuperius ſolidum, cui chordæ immit-
tuntur, & tanguntur ab inferiori; ſonitum
reddens propter concauitatem magis ſono-
rum. Cuius ab auctoribus aſſignantur ſpecies
multæ, & pectides, pſaltriæ & barbiti. Cuius
etiam creberrimè commemorat Scriptura: vt
pſal. 32. *Confitemini Domino in cythara.* Et pſ. 70.
Pſallam tibi in cythara ſanctus Iſrael. Et Iob 30.
Cythara noſtra verſa eſt in luctum. Quæ magnæ
ſignificantiæ eſt, & myſteriorum pariter, &
virtutis multæ.

Signans:
- Bonum propoſitum, & ſacrā intentionem, de imo ſurſum ſonans.
- Pœnitentialem afflictionē; propter chordarum extenuationē & percuſſionem.
- Opera miſericordiæ, eo quod deorſum aperturam habet, ſonans ex inferiori.

In cuius ſignificationē ſex iuxta Hier. chor-
das habet, vel (vti Virgilius) ſeptem tenet diſ-
crimina vocum, propter ſex miſericordiæ o-
pera, quæ in Euangelio Matth. 25. tanguntur,
Mortuorum ſepultura. & ſeptimum in Thobia 2. & 4. Vnde & Hie-
ronymus, *Merito*, ait, *cythara opera comparan-*
tur, quæ de terrenis rebus ad ſupernam gratiam
porriguntur; vt opera miſericordiæ corpora-
lia, quæ licet carnalia videantur, Deitatis
tamen peraguntur amore. Similiter & bona
propoſita cordis. In myſtico autem ſignifi-
cato,

Signat:
- Chriſtum ſecundum Deitatem & Humanitatem, exurge pſalterium & cythara. Pſal. 56.
- Crucem item & paſſionem Chriſti, in qua Saul liberatus, 1 Reg. 16.
- Et ſanctos martyres innocentes: vt in Apocal. 5.

Et propter horum myſteriorum oppletio-
nem creditur dæmoniū à Saule expulſum, vbi
textus ait 1. Reg. 16. *Dauid tollebat cytharam, &*
percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, &
leuius habebat, receſſitq; ab eo ſpiritus malus. O
frequentius itàque cum Dauid, & cæleſtibus Apoc. 14.
cytharedis, cytharizemus in cytharis noſtris,
vel corpus per pœnitentiam & abſtinentiam
affligendo, vel innouando bona propoſita mē-
tis. Quæ ritè ponitur in tertia ſpecie commen-
dationis, propter intentionem, & volitionem
bonam.

ACcuſatio partis aduerſæ; vt breues ſi-
mus, ſecundum tres eius actus, tres mu-
ſicæ ſpecies habet aſſignatas: BVCCINAM con-
greſſionis. TVBAM inſectionis. LITVVM clan-
goris in hoſtes.

De BVCCINA ſatis habent eloquia ſacra in b
Exodo, & Eſdra, vbi ædificantes buccina clan- Exod. 19.
gebant. A bucca, vel boo, ſeu quaſi vociua, à & 20.
voce dicta. Et eſt qua ſignum datur in hoſtes, Neem. 4.
propriè ad congreſſum: differens in vſu & fi-
gura, à tuba, quia buccina inſonans ſollicitu-
dinem denunciabat ad bellum: Sed tuba præ-
lium indicabat. Signat indignationis affectum
ſeu prædicatorem increpantem; vnde iure po-
nitur in accuſatione partis aduerſæ.

TVBARVM myſteriis ſcripturæ ſunt ple- i
næ. A *tubo*, canali ligneo, ſic dictæ; ſeu à tur-
bando hoſtes. Quales Dominus bono tem-
pore fieri præcepit: vt libro Numer. vbi fieri Num. 10.
iubet duas argenteas tubas. Eſt autem deſcri-
ptio tubæ. Tuba eſt corneis partibus adunatis,
aut aliquo metallo productus tubulus, à patu-
lo circulo inchoans, & deſinens in foramine
anguſto. Hæc ſpiritu intracto completa, terri-
bili perſonatione dilatatur, quę aut bellorum
temporibus ſumitur, aut Regijs aduentibus
apparatur. Cuius ſunt ſpecies, vſus, & effectus
multi, vt corneæ, ductiles, æreæ, argenteæ; Et
myſteria non minora: Signat ſiquidem prædi-
catores ob proprietates multas; quia ſicut tu- Simile.
bæ manu applicantur ori, vt ſic ſpiritu, vel fla-
tu oris impletæ ſonum emittant; ſic etiam prę-
dicatio ſacra, niſi opere iuuetur, ſterilis eſt, &
inanis. Item, quia tuba in principali parte, quę
ori iniungitur, anguſtior eſt, amplior in finali:
Sic prædicator ſibi arctiora præcepta primò
aſſumit, & alijs poſt prædicans latiora, plus fa-
ciens, quàm aliis imponens; Vnde iubetur per
Eſa. *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem* Eſa. 18.
tuam; Vbi inſinuatur, quod prædicatio debet
eſſe affectuoſa, continua, comminatoria,
alta &c.

Myſticè per ductiles tubas, martyres ſi-
gnantur; vel patientes; per corneas, virgi-
nes & continentes. Et propriè ſignat Apo-
ſtolos tuba.

LITVVS, ſeu bellicrepa, à litando di- k
ctus; gracile eſt cornu, vt baculus incur-
uus, quo conuocabantur ad litandum. Seu
potius eſt incurua tuba ſic dicta à belli ſo-
no, Virgilius. *Et lituo pugnans inſignis obibat*
& haſta. Alias bellicrepa. Etiam quæ con-
crepabatur apertis valuis Iani. Signans o-
dium & vitia in hoſtes; iure poſita in accu-
ſatione.

In im-

IN imploratione miſericordiæ obſignatur
ſecundũ orationis varietates,& muſicorum
inſtrumentorũ diuerſitates; vtpotè lyra ſepti-
plicis petitionis.Vox deſiderij & affectus.Sim-
phonia ſeu viella,affectiſſimæ voluntatis.

l Lyra à Lygiſto Phaetõtis filio ſic dicta,cui
ob ſuauitatem ac varietatem vocis, hoc nomẽ
inditum eſt. Seu à *lyein*, id eſt ſoluere,vocitata:
Vnde & Lyrici Poetæ . Et eſt muſicum inſtru-
mentum, in quo quot fides ſunt, tot reſonant
voces. Septem tamẽ propriè retinet diſcrimi-
na vocum,vnde bene orationem Dominicam
ſignat,in qua ſeptem petitiones;quare ponitur
pro oratione vocali.

m Vox cantvs, vnde ſæpè in Scripturis de-
precationi congruit: quæ petitio eſt pro malis
amouendis,quæ fieri debet magno affectu mẽ-
tis,quæ intelligitur vox cantus: Sine quo deſi-
derio homo mutus eſt,& raucus, & elinguis.

n Obsecratio in ſymphonia ſignatur,& *viel-
la*,propter conſonantiam vocis cum mente. A
ſyn,quod eſt *cum*,& *phone* ſonus, ſic dicta. Et eſt
lignum concauũ ex vtraque parte pelle extẽta,
quam virgulis hinc & inde muſici feriunt, ſitq;
in ea ex concordia grauis & acuti,ſuauiſſimus
cantus & ſonus.Sic in obſecrando miſeria ho-
minis,conſonat cum miſericordia diuina,& ex
hominis miſerijs,& Chriſti meritis,ſeu diuinis
attributis obſecrando,conſtituitur efficaciſſi-
mum,ſuauiſſimumque in Dei ore melos.

PRæterea,vt reliqua tangamus,voces eccle-
ſiæ triumphantis in cymbalis ſignantur iu-
bilationis,Hierarchici actus,in beneſonãtibus
cymbalis,campanis,& vaſis æreis claſſicis.Re-
liqui actus in reliquis inſtrumentis. Prolixio-
ris operis eſſet proſequi de ſingulis,ſat ſit quod
formam dedimus per exempla, & his nego-
tiandi ſtudioſis.

o Cymbala iubilationis, Sanctos ſignant,&
voces Eccleſiæ triumphantis: Dicuntur etiam
cymbala à ſonitu,quaſi inſtrumenta ſonabilia
ex permixtis metallis quæ percuſſa inuicem ſe
tangunt,& acutum ſonum reddunt,harmoniã
cauſant. Prædicationem ſignant ob multa: Vt
proſequitur Raynerius in Pantheologia.

p Chordę trifariæ ſunt,graues,acutæ,ſupera-
cutæ,ſic dictæ à corde,quia ſicut pulſus cordis
eſt in pectore,ita pulſus chordæ in cythara. Et
ſunt nerui mortui animalis deſiccati, & in in-
ſtrumento poſiti, qui ſecundum quantitatem
extenſionis ſonum reddunt acutum , ſeu gra-
uem,quæ Dei ſignant laudem, contiuentiam,
& virtutes,& ſanctos Confeſſores.

q Chorvs poſtremò multa ſignificata habet,
& non minora myſteria cõtinet. Eſt enim vel
muſicum inſtrumentum, ſignans concordiam
morum; aut eſt multitudo in ſacris collecta, à
corona vel concordia dicta , notans vnitatem
virtutum : & eſt conſona humanarum vocum
collectio,aut locus cleri in capite eccleſiæ. O
quanta in ſingulis his contemplatio pro viro
ſtudioſo & deuoto.

Tetigimvs ecce breuiter principaliora in-
ſtrumenta muſicalia , in Scriptura ſacra tacta,
quę illic muſicis alluſionibus ad Chriſtũ,mo-
reſque referuntur,& ſignificabili modo ad my-
ſteriorum occultationes ſic ponuntur : vt in
pſalterij concluſione patet,vbi in vltimo pſal- Pſal. 150.
mo totius muſicæ diſciplinæ traditur perfe-
ctio.Nec aliquid omiſſum eſt de inſtrumento-
rũ varietate,tam de flatu, pulſu,tinnitu, & vo-
ce.Vbi etiam eſt omnis illa varietas Hebraico-
rum muſicalium, quę ſecundum decem præ-
cepta, decem habent (vt dicitur in libro My-
draſtihillum)chordas in cythara.Decem quo-
que pſalmorum cantores, quibus correſpon-
dent decem organorum varietates,quibus Dei
laudes perſonabantur . Mirum eſt igitur, &
pluſquam mirandum , quod nõ moueamur ad
omnia hęc bene tinnientia ſancti Spiritus , &
cęleſtis muſicæ inſtrumenta,quæ Spiritus ſan-
ctus ſuper nos adinuenit,ad excitandum,com-
mouendum, concitandum duritiã noſtri cor-
dis. Sed heu plures obſurdeſcunt , & *obturant
aures vt ſurdæ aſpides*,melodiamque cum Rege Pſal. 57.
Myda ſunt contemnentes,ſimiles ono lyras,id Rom. 1.
eſt,aſino poſito ad lyram,ſine fœdere, ſine af-
fectione, mente immoti, & quaſi inſenſibiles.
Non ſic Dauid rex cum Sambulo & Schaſico- 2. Reg 6.
ra, quæ ad ſpiritus organa,totis viribus exiliũt
& ſaltant,vt ſuperior pictura docet, quam an-
nexuimus,quo vel pudore aut exemplo tetra-
hamur ab inſenſibilitate noſtra , ad deuotio-
nem & compunctionem cordis,cum attentio-
ne & deuotione Spiritusſancti ſenſus & voces
audientes . Pro cuius picturæ explanatione
breuiter notandum venit.

POnitur ſub Chiropſalterio in medio He-
liachim Sacerdos: ſupra quem (iuxta re- Eſa. 22.
promiſſum Dei)Omne vas muſicorum pendet
in typum,quod in pſalmis & ſacratis libris, ad
omnes pietatis & deuotionis affectus , Spiri-
tusſanctus nos commouet & afficit, ſtans ante
oſtium cordis,paratus *ingredi*,ſi quis *aperire illi
volet*,vt in Apoc.3.ait. Sed ecce duplex eſt dif-
ferẽtia hominum, quorum quidam cùm aures
auertunt, & ſacra vilipendunt . immobiles &
inaffecti manent:Qui per Mydam regem, ſur-
dam aſpidem & onoſlyrum, vitandi proponũ-
tur nobis. Mydas etenim rex(vt poetica fictio
habet)chitarizante Apolline ad eius cytharam
obſurduit, & aures occluſit , immo & dulce
eius melos quaſi vilipendens , Pana Deum pa-
ſtorum fiſtulantem,ſuo iudicio Apollini præ-
ferebat. Quare graui à dijs pœna plexus, buc-
cas accepit inflatas,& aures aſininas. O paueãt
& caueant ſurdaſtri noſtri pſaltes,ne ſpiritua-
liter in eis obtingant. Caueant quoque ne aſ-
ſimilentur aſpidi ſurdeſcenti,de qua Dauid in
Pſal.57.*Furor illis ſecundũ ſimilitudinẽ ſerpentis:
Sicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures , quæ non
exaudiet vocem incantantium , & venefici incan-
tantis ſapienter.* O quanta cohortationis mate-
ria affluet,ſi aggrediamur explicare proprieta-
tem aſpidum,quæ aurẽ vnã in terra ponit,alte-
ram cauda obſtruit,ne audiat incantantem, &
cogatur exire foramen . O ſic faciunt noſtri
cantores,occupationes aſſumunt terrenas, &
prçteritarum vel futurarum rerum inutilium
fantaſias,ne ſcilicet attenti,aut compuncti, ad
voces Spiritus ſancti tã diligenter & ſapienter
in pſal. & Scripturis cantantis exeant de veteri

confue-

cõſuetudine viuẽdi, facti meliores. Quales etiã bene *onagro pros lyran*. i. Syluestri aſino ad lyrã poſito, æquiparantur, de quo Boet. in de Philoſophiæ conſol. *Quid fles, quid lachrymis manas? Es ne aſinus poſitus ad lyrã? ſcilicet quia immotus permanes, & inaffectus quaſi ſurdus & incurius meæ cõſolationis.* Sic ſunt omnes ſub horis inattẽti & indeuoti, qui immobiles & ſine affectione manẽt ad cõſolatoria verba Spiritus S. *Eſt autẽ & alterũ* hominum genus, qui attenti & intenti ſunt ad verba, & ſenſu Scripturarũ afficiuntur & cõpunguntur, & inardeſcunt, qui Dauidi deuotiſſimo pſalti ſimilantur, & quaſi

2. Reg. 6. Sãbuli aut Schesichori ſunt, pro inſtrumẽtorũ varietate ſaltãtes, & ſeſe affectibus cõmouẽtes. De Dauid legitur, quod *percutiebat in organis armigatis, & ſaltabat totis viribus ante Dominũ*, vnde & Michol eũ exiliẽtẽ deſpexit, &c. *Stheſicorus* eſt, vt Tortellius habet, qui tripudiãs & gaudẽs ad cytharæ ſonitũ exilit & ſaltat: ſignãs affectionẽ gaudioſam. Sicut cõtra *Sambulus* eſt ad ſambucæ grauẽ ſonum ſubſultans, & quaſi triſtitiæ cõpunctionem notat; In quibus ſaltatoribus tribus, vel duobus, omne genus nobis proponitur affectionis, vel ex gaudio, vel mœrore. Breuiter in his õnibus, vt dicẽdi faciamus finẽ, nil aliud docemur, quã affici ſecundũ verba & ſenſum Spiritusſancti, quod ipſe præſtet & concedat. Amen. Et hæc pro explanatione Chiropſalterij, & picturæ eius.

Stheſicorus quid.

Sambulus quid.

M E M B R V M I X.

Expoſitio vnius Pſalmi ſecundum exercitium iam præſcriptum pro exemplo.

VERVM quoniã exercitatio hæc Chiropſalterij huius ſatis infrequens eſt & inſolita multis, & quibuſdã forſan per exẽpla eluceſcere magis poſſet, quã practica ipſa; imò qui huius exercitij digna exẽpla videre volet, Septẽ pſal. pœnitentiales à venerabili Cãcellario Gerſon explanatos

Pſal. 52. attentè perſpiciat, pſalmum quoq; *Iudica*, & alios à præceptore eius venerando Petro de Ayllia co in hunc modum expoſitos attendat. In his ſiquidẽ actus diuerſos videbit obſeruatos, pariter & affectus: Illicque, quomodo in affectũ omnes pſalmi trahi poterunt, videre licebit, & qualiter in eiſdem Dei, aut Spiritus S. aut etiã aliorũ audiendę ſint voces; impreſſa ſunt horum opera, cõquirantur, videantur, legantur. Et quid de Gerſon dico? aut pręceptore eius Petro; cũ magis authẽtica exẽpla proponere poſſem, & ex tẽpore pariter, & auctoritate: vt puta ex P. Auguſt. & S. Bernardo. Satis enim huic exercitio conformiter B. Auguſtinus in Confeſſionibus explanat pſalmum 4. *Cũ inuocarẽ*: actus pariter & affectus diuerſos, cum vocum etiam differentia inſinuans: vt patet intuenti in illo. Sed & B. Bernardus in inſigni expoſitione illius pſalmi 90. *Qui habitat in adiutorio*. Similiter & ſuper Cantico Eſa. 38. (*Ego dixi*) ſatis quadrat exercitio Chiropſalterij huius, voces pariter diſtinguẽs & actus, cum mira affectuum vbertate, vt annotare poſſemus, niſi vereremur prolixitatem, adeò vt digniſſima ſint exempla huius. Sed ne cauſentur quidam, quibus, ſcilicet aut libri horũ deſunt, ad forum Iulij ſeſe remiſſos; aut quibus remiſſius ingeniũ non poſſe hoc depræhendere ex Doctoribus tantis; en adhuc paruulis morem geremus, ne lugeant, quod non ſit qui eis

Thren. 4. frangat huius exercitij panem; vel ſaltem vnum pſalmum exemplariter, ſecundum huius Chiropſalterij formam paucis deducemus, cuius inſtar & in aliis poterunt negociari pſalmis.

Pſal. 119. Eſto itaque primum pſalmũ cantici graduũ (*Ad Dominũ cùm tribularer*) hac forma cãtare quis volet. Is in primis huius iuxta inſtitutũ exercitij, pſalmi illius materiã mente præconſiderare habet, quæ facile ex titulo pſalmi relucet: Et eſt in propoſito, *clamor tribulati, aſcendere & proficere cupientis: contraq; obſtaculum linguarum, à profectu retrahentium, adiutorium petentis, & vt exaudiatur, multipliciter perſuadentis.*

Quo conſiderato, diligenter actus pariter & affectus attendet; quos putauerit S. Dauid ex inſpiratione Spiritusſancti habuiſſe, dũ hunc pſalmũ recitauit: & in illos ſe totum diuertet, vt S. Bern. docet. *Alioquin*, inquit, *niſi ſcilicet indueris actus & affectus Dauid; nunquam intelliges pſalmos Dauid.* Hoc itaque vel conſimili modo hunc pſalmũ cantaturus, ſuum affectum præmittet.

O Domine Deus, tribulatorũ ſpes & refugium, mihi proficere, & aſcendere à conualle plorationis volenti occurrit en multiplex iniquarum pariter & ſubdolarum linguarum retrahens obſtaculum; vnde tuum pro more opus habeo, cogorque inuocare auxilium. Hoc ſiquidem vnicum eſt in omni tribulatione confugium.

Sed quoniam ſcio indignum eſſe dandis, qui ſuper datis præſtat ingratus, priuſquam auxilium tuum petere auſim, aut requiro, ante beneuolẽtiam tuã captans, ſuper acceptis gratias ago, & ingens illud crebræ exauditionis tuæ beneficium coram omnibus profiteor, & coram tota Eccleſia gratiarum dico actionem.

Pſalmi præcõſideratio Beneuolentiæ captatio in gratiarum actione.

Idem. *Ad Dominum cũ tribularer clamaui, & exaudiuit me.* Audite hoc omnes

Pſal. 48. gentes, auribus percipite quotquot Dominum diligitis, venite, audite quanta

Pſal. 65. fecit animæ meæ, quanta ſint erga me beneficia beneuolentiæ eius; (*Ad Dominum enim*) qui potens eſt, & clemens, (*cũ tribularer*) quotieſcunque, quandocunque, à quantiſcunque, vel à ſuggeſtionibus dæmonũ, aut linguis aduerſantium, aut etiam iniurijs perſequentium, (*clamaui*) voce magni deſiderij, & deuotionis (*& exaudiuit me*) tantus, tantillam, taliter liberando, tam immeritam & indignam. O quanta bonitatis illius dulcedo, vt ex omni tribulatione liberemur, & pro votis exaudiamur; tantum fiat ad illum exclamatio.

Cũ affectu { gratitudinis, dilectionis.

Magnificate itaq; Dominũ mecũ, & gratias agite illi; quia tantus, talẽ pro

Digitized by Google

tantis,toties,taliter exaudiuit. O! gratiæ tibi Deus,atque ô vtinam tibi dignas agere gratias poſſem, aut vel ſaltem redamare tam beneficum auctorem, &c.

Gratiarum actio.

Aut ſi quis cum hominibus miſcere ſermones nolit: ſed fragrantiore affectu ſolum alloqui malit Deum, poterit & hunc eundem verſum magnæ reuerentiæ cauſa,ſub tertia perſona loquens,immediatè dirigere in Deum, dicendo in gratiarum actionem hoc,aut conſimili modo (*Ad te Dominum* Pſal. 119.
meum cùm tribularer)nihil aliud agere ſciens(*clamaui,& exaudiuit me*) dignatio tuæ pietatis. Verè me exaudiſti, quotieſcunque tribularer liberaſti. O diligam te,liberator,& exauditor meus.

Deprecatio cum conqueſtione miſeriæ.

Et quia exhibitio pręteritorũ,ſpem dat certam futurorum, cõpertáq; & experta humanitas de præterito, auſum tribuit plura petendi in futuro: Et nunc in multa tribulatione poſitus linguarum malignarũ, rurſus ad te vnicum ſolamen meum clamare compellor. Vtinam & nunc me exaudire digneris. (*Domine*)qui me toties liberaſti, & ſolus liberare potes (*libera*) & nunc,*animam meam*,proficere.& cantare Canticum graduum,hoc eſt in bonum aſcendere cupientem(*à labijs iniquis*) hoc eſt, ſeu hominum irriſionibus,ſeu diabolicarum ſuggeſtionum tentationibus,apertè à bono,quo proficere cupio,dehortantibus, (*& à lingua doloſa*) quæ ſub ſpecie boni nititur perſuadere,ne procedam;ſed conſulit damnoſa. Prima ſiquidem proficientium tentamenta, linguarum ſunt iacula. Quid aiunt labia iniqua? *quid te crucias?quid mundum,& ea quæ eius ſunt deſeris? Edamus & bibamus,cras enim* Eſa. 22.
moriemur,&c. Sed cùm hæc contemnuntur tanquam apertè mala; accedit per blandimenta,& ſub ſpecie boni perſuadere nitens lingua doloſa, *Noli* (inquiens)*ieiunio fatigari,alioquin non poteris onera conuentus portare. Noli ſingularibus exercitijs te dare. Mirantur enim omnes, qui facit quod nemo* &c. Et ſic mille modis,ô Deus,retrahimur à profectu. O igitur libera me, qui ſolus potes, vis, ſoles, & debes,

Cum affluentia & deſiderij deuotione.

Sequitur deinde vox Dei,quod ſi mihi non credas,dicunt hoc Hieronymus, Hugo,& Doctores.Ita enim D. Hier. ait: *Deinde Dominus animam ad ſe fideliter clamantem interrogare pietatis affectu dignatur, quaſi dicat, Granditer, ò anima, vrges*, quæ & gratitudine beneuolentiam captas, miſeriam explanans,exaggeras,quod iuſtum eſt deprecaris. Vnde ſanctis & piis tuis deſideriis fauere volens,en adſum ex te requirens.

Auditus vocis diuinæ.

(*Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, ad linguam doloſam?*) Magnum eſt ſiquidem hoc tui profectus obſtaculum, lingua præſertim doloſa, à qua deiecti ſunt plures, perficere geſtientes in bonum. Vnde & neceſſe eſt, vt magnum huic opponatur remedium; Vnde te liberare pro ſolito volens, optionem tibi remediorum eligendorum offero,dicens: *Quid detur tibi* &c. Quid inquam poterit tibi dari auxilij, aut conſilij, aut remedij quo iuueris,cõtra linguam doloſam?Non quod ego hoc ignorem,ſed vt te ad ſacrum deſiderium, dignum intentum, ad magis magiſque hoc requirendum prouocem.

Cum Reuerentia, Stupore, Mira deuotione.

Hæc iam vox Dei viuentis ſuſcipienda ſanè, vt doctum eſt, cum ſumma audientia & reuerentia,& deuotione mentis,vt ſcilicet talis, vel conſimilis formetur affectus. O qualis quantáque Dei mei pietas & dignatio, vt non exaudire modo mox velit: ſed & pro deſiderio remedium apponere offert, & non dedignatur creaturæ ſuæ pro voto loqui! O verè me felicem, & beatum,cui datum eſt audire,loqui,& pro voto,deſcendentem Deum ſummum. O mira pietatis dignatio,mirandum quod non liqueſcat anima mea, in tam dilecto dilecti verbo,ſonet vox tua crebro, vox enim tua ſuauis eſt &
decora. O, gratiæ tibi Deus. Cant. 2. & 8.

Oratoria animæ reſponſio.

Deinde ſubnectitur animæ reſponſio, aut poterit audiri Dominus, vt reſpondeat ſuæ interrogationi, vt dicit venerabilis Hugo. Magis tamen quadrat, vt anima interroganti Deo reſpondeat, dicens: Magna bonitatis tuæ Deus meus dulcedo, vt à te detur mihi remediorum optio: Lo- Gen. 18.
quar igitur, quamquam puluis & cinis ſum, ad Deum meum, & orans reſpondebo,

Cum deuotione.

Dentur mihi in corde, & apponantur in actione (*Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus deſolatorijs*) Geſtem cum Patre Auguſtino verba Scripturæ ſacræ in viſceribus, quaſi ſagittas acutas, ſua potenti commonitione omnes doloſas linguas deuibrantes, acutiuſque etiam ad intima cordis penetrantes; vt ſunt ignita illa tela, Eſa. 40. *Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem.* Et Pſal. 28. *Dominus virtutem populo ſuo dabit*, &c. Magis cor meum credat huiuſmodi verba, quàm ſubdola labia. Et quia parum eſt verbis agere, ideirco etiam exemplis inſtrui peto, addens, *cum carbonibus deſolatorijs*, id eſt, cum exemplis Sanctorum ad vitam gratiæ

conuer-

conuerſorum. Vt ſcilicet etiam geſtem præ oculis exempla ſeruorum Dei, quos de mortuis viuos, imo & de nigris lucidos, & de frigoris gelu (tanquam *carbones deſolatorios*) vel vaſtatores, me vrentes, & ad Dei amorem, & profectum inflammantes, & ab omni vitio deſolantes; & in eorum ſequelam, vt & incurius ſim, omnium linguarũ doloſarum, trahentes. O dentur, & apponantur, & labia iniqua, & linguæ doloſæ citò conterentur. Quid enim? Sic enim dicam cum Auguſt. Quot *iuuenes ibi ſunt? quot puellæ, quot ſæculum deſeruere. & Chriſto ſeruiere teneriores, & magis infirmæ, & ego non potero quod illæ?*

Iam conſequenter anima ſuam petitionem confirmat, &, vt citius exaudiatur, multipliciter perſuadet.

neceſſitatem.
meriti congruitatem.
hoſtium importunitatem.

Primò inquam *propter neceſſitatem*. Ita enim quaſi ſubdit. O Domine, & ne remedia hæc dare differas: Valde ſiquidem neceſſarium eſt, vt cito mihi ſuccurras. Tantum enim hæ linguæ iniquæ, & ſubdolæ, in me præualuerunt, quod multo tempore ab omni profectu, & nunc ferè à profectus deſiderio deiecerunt. Adeò, quod lugens inclamare
Pſal. 119. compellor, & conqueri (*Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt.*) Qui enim mente deberem verſari in cælis; agentibus iniquis his linguis à profectu torpui, & demoror in terris. Vę mihi, quam longè à patria ſum ſeiunctus; cui appropinquare poſſem feruore profectus. Sed heu non proficio; ſed totus algens ſum, & torpens (*habitaui enim cum habitantibus Cedar*) etiam quod dolens dico in præterito. Cum malis ſiquidem, & inquietis hominibus, deſignatis per *Cedar* filium Iſmaelis, qui interpretatur *tenebra*, habitaui, peccando ex mala ſocietate, & cæcitate, & linguarum ſubdolarum iniqua perſuaſione; vnde (*multum incola fuit anima mea*) longè à Deo peregrina; quę ciuis poſſet eſſe amando cæleſtia. O igitur ſuccurre huic miſeræ meę neceſſitati. Da carbonem vaſtatorem paulum, vt cupiam diſſolui, & eſſe cum Chriſto, & ſit mea conuerſatio in cælis. Et certè Domine cito mihi ſuccurrere debes; Non modo, quia hoc eſt mihi neceſſarium, ſed quia & hoc de congruo exigit patientiæ, & pacis meæ meritum. Nam (*Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus.*) Patiens eram memor ſermonis tui, & exempli, & benignus cum irritantibus, Agnus inter lupos, ouis cum ſcorpionibus, *pacem* (iuxta Apoſtolum) *quantum in me erat habens cum omnibus*. Atque ò vtinam Domine ſemper fuiſſem pacificus! Væ mihi, quia crebro turbator fui pacis. Sed hoc dico in communione Eccleſiaſtici corporis. O ſim, vel deinceps pacificus.

Deploratio miſerię.
cũ affectu { *pudoris.* / *cõqueſtionis.* / *doloris.* }
Exaggeratio cum commemoratione.
Et pia affectione.
Phil. 3.
Commendatio { *cauſæ.* / *perſonæ.* }
Phil. 3.
Ro. 12.
Cum obiectali affectione.

Poſtremo, vt & citius me exaudias, importunitas, & feritas exigit hoſtium, linguis iniquis, & ſubdolis, me magis magiſque, dum illis reſiſtere conor, impugnantium (*Cum enim loquebar illis*) rationabiliter, & modeſtè reſiſtendo eorum ſubdolis ſermonibus, & mecum eos cohortando ad aſcenſum profectus (*impugnabant me*) proficere volentem, & ad iidem eos cohortantem, magis iniquis, & fraudulentioribus perſuaſionibus, contentionibus, factiſque iniurioſis iniqui illi, & ſubdoli; & hoc (*gratis*) quia ſine cauſa, nullis præcedentibus meis culpis. Exurge itaque in adiutorium meum. Deus liberans me de labijs his iniquis, & doloſis, dans profectum in aſcenſum virtutis. Amen. In te enim graſſatur omnis eorum pugna, & iniquè, iniuſtè, nequiter me impugnant, ſine cauſa. O igitur, &c.

Accuſatio partis aduerſæ.
Cum indignatione, exaggeratione.
Et deuotæ orationis concluſione.

Quod ſi Pſalmus hic in Feſto martyris alicuius cantetur, iam vox martyris in principio pſalmi poterit audiri; quæ nos in tribulationibus poſitos ſuo monet exemplo, ad Dominum recurrere. Aut commonet nos diuini beneficij, vt ſecum grati ſimus. Cuius tunc vox cum ſumma reuerentia audienda eſt, & attentione, eique reſpondendum eſt pijs affectibus, aut pia congratulatione.

Auditus vocis martyris.

Deinde eius inſtar clamandum ad Dominum, vt qui eum eruit, & nos etiam liberet à malarum linguarum tentatione, &c. ſimiliter etſi alicui graue videatur, & difficile, materiæ præconſideratio; poterit ſimpliciter agere erga eccleſiam actum illuminatiuum, aut perfectiuum, eam, aut vnde in tribulatione releuari poſſit; erudiens, aut ad amorem tam pij exauditoris, & liberatoris inflammans; & ſic procedere. Aut ſi & hoc propter diſſuetudinem alicui fuerit oneroſum, ſuſcipiat & audiat hunc Pſalmum eſſe vocem Prophetæ dicentis, & gratulantis; ſe quotiens clamauit exauditum. Et eius inflammatus exemplo, ſimiliter petat, à tam pio Domino liberari in tribulatione, &c.

Deprecatio.
Actus { *illuminatiuus.* / *perfectiuus,* }
Auditus Propheticæ vocis,

Vt oſtenſum eſt de hoc Pſalmo, facile itidẽ practicanti patebit, & in alijs; tantũ deſit faſtidiũ, iuge adſit exercitiũ, ſtudiũ quoq; Pſalmorũ, & orationis ſuffragium. Nec quiſpiam putet impoſſibile eſſe exercitatu, vt tam variæ inter cantandos pſalmos habeantur affectiones: ſolum exercitio ſeſe longanimiter dedant, & facillimum ipſi profitebuntur, quod ante putarant difficillimum, aut impoſſibile factu.

Quod ſi autenticum exemplum, aut Auguſtini, vel Bernardi ponere malis, facile ex illis ſumes. Bernardus enim ſuper. Qui habitat, ita breuiter diſtinguit, & connectit. Pſal. 90.

Auditus vocis Propheticæ cum deuota affectione.

PRincipium etenim Pſalmi, ſuſcipit ex voce Prophetæ, in Dominum ſperare in omni tentatione monentis; vnde cum deuotione Prophetam dicentem audit. (*Qui habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione Dei cæli cõ.*) Formans affectus, plane beatos, &c. Deinde Propheta ſignum indicat, vnde ſcietur, quod quis in adiutorio altiſſimi habitet, quia, *Dicet Domino* in gratiarum actione ſuſcept. &c. Et hoc ſignũ acceptans hoc ex perſona animæ, in gratitudinem dicit (*Suſceptor meus*) &c. (*Et ſperabo in eum.*) Hoc votum, hoc propoſitum, hæc intentio cordis mei. Tacitè interrogat: Sed dic nobis quo fructu? qua mercede? quo lucro? Reſpondet (*Quoniam ipſe liberauit me de laqueo*) &c. Confitemini illi, & ex totis medullis gratias agite mecũ. Nam & *à verbo aſpero* liberauit; Agite ergo gratias, exultate, & dicite in gratiarum actione. (*Quoniam ipſe liberauit me*) &c.

Gratiarum actio cum profeſſione.

Commendatio perſonæ de futuro.

Gratitudo cum aliorum ad gratias inuitatione.

Confitenti autem humiliter, & gratias ſic agenti, non immeritò ampliora beneficia promittuntur. Nã qui fidelis inuenitur in modico, iure conſtituitur ſuper multa. Sicut econuerſo accipiendis indignus eſt, qui fuerit de acceptis ingratus. Mat. 7.

Vox Spiritusſancti cum ampliori beneficiorũ repromiſſione.

Itaque deuotæ illi gratiarum actioni, reſpondet Spiritusſanctus, aut Propheta: Non id ſolum, inquiens, faciet; Sed & *ſcapulis*, &c. Inſuper & (*ſub pennis eius ſperabis:*) vt de exhibitione præſentium munerum, firma ſit expectatio futurorum.

Et quia circundatus es tentationibus (*Scuto circumdabit te*) &c. *non timebis*) à quattuor præcipuis tentationibus &c. vt deducit, à

- Timore puſillanimitatis.
- Sagitta vanitatis,
- Tenebroſo negotio ariditatis.
- Dæmonio indiſcreti feruoris.

Repromiſſio quoque de futuro.

Et audiuntur hæ repromiſſiones cum deuota vt patet affectione.

Sic itaque liberat à tentationibus huius vitæ, inſuper & promiſſionẽ dat de futuro. Quia, licet, non niſi per medios hoſtium cuneos pateat tranſitus in Regnum Cœlorum: Licet vim patiatur, & obſideant hoc gigantes multi & magni; attamen fiducialiter dicit Spiritus. age ne timeas: Multi ſint & magni (*Sed cadent à latere* &c.) Sic itaque veritas interim à tentationibus, poſtmodum à difficultatibus promittit liberare. Poſt hæcq́ue non modicæ fælicitatis promiſſionem ſubdit dicens. (*Veruntamen oculis tuis con.*) Ita Domine oro. Ita fiat. Cadant illi, & nõ cadam ego; paueant illi, & non paueam ego, confundantur illi, & non confundar ego. Videam omne bonum. Inde ſubdit; vt ampliorem occaſionem gratiæ laudis habeas, (Et *retributionem peccatorum videbis*) ne videlicet ignarus tanti periculi, ingratus aliquando inueniaris liberatori, &c. O fælices quibus tantæ repromiſſiones fiunt. Iam vero audiamus quid ad tantas promiſſiones deuota, & fidelis reſpondeat anima. (*Quoniam tu es*, inquit *ſpes mea*) Quicquid agendum, quicquid declinandum, quicquid tolerandum, quicquid optandum (*tu es* Deus *ſpes mea.*) Hæc vna mihi omnium promiſſionum cauſa, hæc tota ratio meæ expectationis. Quid tam ſobriæ? quid tam pie? Sed nec aliud huic verbo videtur poſſe conuenientius reſponderi quàm illud (*Altiſſimum poſu. refu. tu.*) Merito proinde quærenti ſolum Dominum animæ, à ſpiritu hoc reſpondetur, &c. Ier. 17.

Orationis, gratitudinis, congratulationis.

Reciproca Spiritusſancti reſponſio cum beatitudinis promiſſione.

Adijciturq́; beatitudinis perfecta promiſſio. (*Non accedet ad te*, &c.) Duplex ſtola, duplex immortalitas, &c. Securitas à peccato pariter, & peccati pena. Fælix ſpes, & expectatio tanta.

Tacita interrogatio animæ, & reſponſio ſpiritus ſuper eodem.

Sed rurſus reſpondet tacitè ſecum anima. Magna ô Spiritus, ô Propheta, tua promiſſio; ſed vnde id ſperare licet? Quomodo malum, & flagellum euadam? qua ſapientia? qua virtute? Reſpondet Spiritus vel Propheta. (*Quoniã Ange iſſuis*, &c.) O cõfiteantur domino miſericordiæ eius: Cõfiteantur & dicãt inter gentes; quoniam magnificauit Pſ. 106.

dominus

Digitized by Google

dominus facere cum eis. Domine quid eſt homo quia innotuiſti ei? & apponis ſic erga eum cor tuum? Quis, quibus, quid, de quo mandauit. (*In manibus portabunt te.*) *Cum deuoto auditu, & affectione gratitudinis laudet anima.*

Quantum debet tibi hoc verbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam. Et neceſſaria eſt iſta protectio. (*ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*) Magis propter quæ ſequuntur (*Super aſpidem & baſiliſcum, &c.*) quam neceſſarius pedagogus; immo etiam baiulus; præſertim paruulo, inter hæc gradienti. Hæc tibi commemorat, vt ſolliciteris
Eſa. 5. ad gratiam, inuiteris ad dilectionem. O quid vltra debuit facere & non fecit? Sed noui quid cogites, ingenua creatura: Habes gratiam cum
Eſa 52. Angelis Domini; ſed ad ipſum ambis Angelorum Dominum. Oras & optas, vt nuncijs non contentus, ipſe quoque qui loquebatur, adſit. En non dedignatur ſpes, eſſe miſerorum liberatorem, ſimul & protectorem in ſe ſperantibus ſe tibi promittens.

Hinc ait ipſe Deus (*Quoniam in me ſperauit, liberabo &c.*) Et audi quo fructu, *Nouit nomen meum* (*Clamauit ad me*, &c. Sed in quo exaudies Domine? vel in quibus?) (*Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam & glorificabo.*) Tria ex ordine dicit. *Vox Dei Patris audienda cũ congratulatione, deuotione.*

Fælix qui te habet interim conſolatorem in tribulatione, vt poſt ereptorem in egreſſu, & glorificatorem in Regno. Magna ſunt hæc; ſed tu Domine magna promiſiſti. Promittitur, & beatificus finis. (*Longitudine dierum* &c.) Agamus gratias Patri promiſſori. (*Et oſtendam illi ſalutare meum.*) Oſtende nobis miſericor-
Pſal. 48. diam tuam: Oſtende ſalutare tuum, & ſufficit nobis. Amen.

¶ Ecce hæc in curſu, ex B. Bernardi explanatione. Quam ſi intentius quis legerit; ſcio integrius actuum, vocumque differentiam; cum affectibus inueniet. Et quia crebrum eſt adducere pro connexione verſuum tacitas quæſtiones, vel ad tacitas quæſtiones, quæ fieri poſſunt, adducere reſponſiones; poſſet, & hoc inter notulas Chyropſalterij, annotari, pro regula, & declaratione. Nã & in alijs Pſalmis, & Prophetis hoc frequentiſſimum eſt, vt etiam ſuper Ezechielem, Gregorius notat.

MEMBRVM X.

De modo horas terminandi, atque exercitijs poſt eas aſſumendis.

B. M*Elior eſt finis orationis, quam principium.* Eccli. 7. Dictis iam quibuſdam, ſuper modo horas initiandi, & proſequendi; videndum quomodo ſint terminandæ. In fine enim canitur laus. Cuiuſque finis bonus eſt, totum opus bonum eſt. Sunt igitur ſequentia exercitia poſt horas aſſumenda, & intentius exercenda, & non antea abeundum, quam vel tenuiter illa fuerint expleta. Non enim debet Religioſus (vt ait Ioan. Vallenſis) feſtinantius egredi mox finitis horis; quemadmodum ſtipendiarij poſt acta, ad propria gradu concito recurrunt. Notandum valde Hiero. dictum *di. 37. ca. Si quis vult*, vbi ait, Moyſes, inquiens, & Aaron imitandi.
Deut. 19 Quid enim dicitur de eis? *Erat ergo Moyſes indeſinenter in Tabernaculo Domini, meditans*
Exod. 17. *aut orans.* Oret ergo Sacerdos Eccleſiæ indeſinenter, vt vincat populus, qui ſub ipſa eſt, hoſtes inuiſibiles Amalechitas. Donec enim Moyſes orat, vincit populus Dei; ſi relaxauerit, & demiſerit manus, populus eius vincitur, & fugatur. Et de ſummo iubetur Sacerdote, ne aliquando diſcedat à templo. Debet ergo mens, poſtquam communia exegerit, pro ſuis expediendis cauſis ſollicitari; intimius petens à Domino, vt gratum ſit ei exhibitum officium, ne ſtatuat negligentias in eo admiſſas; quas ſi ſtatuere vellet, non poſſemus omnino, (iuxta cuiuſdam ſententiam Patris) fieri ſalui.

Sunt igitur hæc exercitia tunc celebranda.
Poſt veniam gratus, poſt offers, corrige mores.

PRIMO poſt completionem horarum debet homo mentem ſuper ſe reflectere, & qualiter horas exoluerit memorari; diſcutiendo, ſcilicet ſi tanta reuerentia, attentione, & deuotione, quanta debuiſſet, eas dixerit. Et de exceſſibus debet veniam petere, vt ſic ſuppleat humilitas confeſſionis, & orationis; quod minus fuerit deuotionis. Ait enim Hugo: *Sicut prauorum vſus eſt ſemper mala agere, & quæ egerunt nunquam retractare, ſed cæca mente pertranſire; ita è diuerſo proprium eſt bonorum, ſeipſos actusque ſuos inceſſanter inſpicere, & cum aliquid noxij deprehenderint, mox per dolorem, & pœnitentiam diluere.* Hinc & nos bonorum more, poſt omne opus; præſertim poſt officium diuinum, diſcutiamus, pro commiſſis, & admiſſis doleamus, veniam petamus: ſingulariter illa quinque Euangelici Publicani verba dicendo, ſcilicet, *Deus propitius eſto* *Luc. 18.* *mihi peccatori.* Hoc enim docuit Dominus Machtildim, vt poſt ſingulas horas diceret hæc verba: Nam ſunt miræ virtutis; Si enim hæc verba tãtæ erãt efficaciæ, quod Publicanũ Deo reconciliauerint, ſperandum eſt, quod pro negligentijs inuoluntarie ſub horis admiſſis, ſatisfacere poterunt. Et cum quis hæc verba dixerit, pectus, Publicani exemplo, tundere non omittat.

SECVNDÒ finitis horis *gratias debes* agere Domino Deo,

Eo quod { Voluit te ſuis laudibus intereſſe; Dignatus ſit gratiam, & conſolationem infundere. Spẽ exauditionis voluit immittere. }

Gratiarum nempè actio ſemper Patri

luminum à nobis debetur, à *quo omne bonum deſcendit.* *Iac. 1.* Nemo quoque (teſte Aug.) donis Dei eſt beatus; qui donanti extat ingratus. Et ſi ſecundùm B. Baſilij inſtituta poſt omne opus gratię ſint agendę, quanto magis poſt opus diuinū? poſt beneficium tantū, quo horis ſuis nos non dedignatur* intereſſe, grati eſſe debemus? Hoc enim eſt tantum bonum iuxta quēdam; quod non facile dignè æſtimatur, quam quam enim non ſentimus, multam tamen gratiam etiā frigidi oratores, à Domino inter orandum accipimus.

TERTIO debes exhibitum officium Domino deuotè offerre, quod plurimum eſt neceſſarium iuxta Hugonē. *Similitudo.* Nam legere, laudare, orare, inquit, ſunt quomodo agrum ſeminare; quæ orando Deo offerre, eſt quomodo ſemen operire. Nā ſicut qui ſeminat in agro, ſi hoc arando operire diſſimulauerit, veniūt volucres, & iuxta Poetam, *ſemina iacta legunt*, totumque diripiunt, quod ante eſt ſeminatū: Ita etiam, qui in agro cordis ſui ſemina; verba, ſcilicet Dei legendo, laudando, pſallendo, aſperſerit; niſi poſtea orando recluſerit, & quodammodo ſepelierit, venient volucres cæli, *Mar. 4.* videlicet huius ſæculi volatiles cogitationes, aut dæmones, & ſemen rapiēt, quod erat ſeminatū. Ideo bonum opus ſemper eſt Deo per orationem offerendū, vt ſic ſemen Dei maneat in corde, vt fructus ſpiritualis creſcat in opere, vt Deo ſit gratum, nobis & Eccleſiæ cōmodoſū. Vtq; bonum, quod dederit ipſe conſeruet, quia teſte Gregorio, *cito bonum ammittitur; niſi à largiente Deo cuſtodiatur.* Vnde nunquā huiuſmodi oblatio eſt intermittenda; ſed ſemper poſt horas agenda; quemadmodū facit, & eccleſia, dū poſt miſſas, *Suſcipe Sancta Trinitas* &c. legit; & dum omnes horas per collectas concludit.

Debet autem hæc oblatio fieri per manus Sanctorū, quorū egiſti commemorationem; & potiſſimum per manus B. Mariæ ſub hac, aut conſimili forma. *Suſcipe domine Deus meus, precibus, & meritis glorioſiſsimæ Virginis Mariæ, & omnium ſanctorū tuorum, ſingulariter N. Angelorum, vel Apoſtolorum &c. obſequium ſeruitutis meæ, & ſi quid his laudibus dignum ei, clemens reſpice, & quod negligentius actum eſt, propitius ignoſce, per Chriſtum Dominum.*

Traditur altera forma huiuſmodi oblationis poſt horas, in antidotario, vbi offertur pro ſingulis tribus, parentibus; & amicis recommendatis, vt patet, admiſſis quibuſdam ſingularibus petitionibus. Quæ facilè practicabilia ſingulis. Poterit hic intexi articulus horarum, & virtus, aut vitium, pro quibus oratum eſt, ſed veremur eſſe prolixiores. Quod autē oblatio hæc per manus Mariæ ſit potiſſimū agenda. Bernar. docet dicens. *Quicquid offerre deſideras, quamuis modicum, gratiſſimis illis, & omni acceptatione digniſſimis, Mariæ manibus, offerendum tradere cura* &c. vt ſupra ante matutinas.

QVARTO, Poſtquam defletum eſt malum, poſtquam oblatum eſt bonum (vt vult Galterius de S. Victore) Domino eſt toto corde dicendum: Adhuc habeo Domine priuatas laudes, & benedictiones dicere, quas licet nūc à publicis ceſſo, cantabo, & pſallam in gloria mea. *Pſ. 56.* Et tunc quiſque ſe ſuper ſe reflectere debet, & deinceps cautionem deuotius exequendi diuinum officium proponere, & ſic ſemper propoſitum, & deſiderium ſtudeat reſuſcitare. Vel ſic eſt accipiendum, vt (iuxta Speculum Monachorum) poſt orationem, in eadem deuotione, & morum grauitate ſe cōſeruet; quaſi mox ab oratione exiret. Sic Moyſi facies reſplenduit, dum à Dei collocutione deſcendit, Cuius inſtar & nos, poſt orationem grauitate morum refulgere debemus, & ab omni leuitate præcauere. Nihil enim (iuxta quendam) ita deuotionem impedit, & extinguit; ſicut morum leuitas, & geſtus indiſciplinatus. Quiſquis igitur egregius Dei pſaltes, dignuſq; choraula fieri voluerit, hunc pſallēdi modum diligens obſeruet. Sic enim ſecuriori conſcientia, ſuper diſtractionibus admiſſis, coram Domino apparebit. Nam ſolius Angeli eſt in oratione non prædari. Vnde non valde imputabitur, ſi huiuſmodi exercitijs abluatur.

Prologum in obiecta ſub horis, aſſumenda.

CAPVT VI.

SEptics in die laudem dixi tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ, *I. Pſal. 118.* Quoniam plurimum, vt dictū eſt, pro attentione, & deuotione habenda ſub horis, valet deuota habere obiecta, quippe cum *ſecundum ligna ſyluæ ignis inardeſcat:* *Eccli. 23.* hinc huic Pſalterio ſubiunximus quædam deuotionis obiecta, de vita, & paſſione, ac glorificatione Domini Ieſu, ſecundum dies, & horas diſtincta, ſuper quorum commemoratione, cum Dauid laudum ſoluenda ſunt munia. Quamquam enim (vt in profectibus dicitur) diuinæ laudis ampliſſima ſit materia; nulla tamen ita eſt mentis ad deuotionem, & laudem inflammatiua, quemadmodum Chriſti paſſionis eſt materia. Vnde & ſuper eis laudes ſe dixiſſe, perhibet Propheta. Quiſquis igitur deuotè valet vota ſua exoluere, debet; vel iſta, vel ſi quæ habuerit alia, aſſumere. Sunt enim fatemur, à diuerſis, diuerſimode huiuſmodi obiecta diſtincta. Iſta tamen videntur vſui aptiora, & exercitijs Sanctorum, puta Bonau. & cæterorum conuenientiora, qui ſic ea diſtinxerunt, vt decurſum Euangelicum ſemel finirent in ſeptimana. Conformant ſe alij Eccleſiaſticæ (vt aiunt) inſtitutioni, tantū de paſſione, ſecundū ſeptē horas obiecta diſtinguentes, & intentius circa ea ſe exercentes. Bernar. in hoc ſecuti in Tractatulo ſuo, *Septies in die laudem dixi tibi.* Alij ſingulis Pſalmis, ſingula applicuere obiecta; Alij omnem Euangelicæ Traditionis nituntur commemorare textum; iuxta quod infra poſitum eſt illud ex Monoteſſeron. Suus cuique mos eſt, ſuo quiſque ſenſu abundat, &, vt Maximus Poeta ait diuerſos diuerſa iuuant, non omnibus

animis omnia conueniunt. Eligat quiſque quod ſibi animo ſedet, tamen non omittat aliqua ſibi aſſumere obiecta: nam plurima ad hoc ſunt inductiua. Dominũ enim Ieſu ſub horis reminiſci, eſt Eccleſiaſticum inſtitutum, qui hoc iuſſit fieri in commemorationem ſui. Luc. 22 Ieſum quoque pro obiecto habere, ſi in orationibus exaudiri voluerimus, eſt neceſſarium. Sub atteſtatione enim iuriſiurãdi; typicè in Ioſeph ipſe Deus Pater dixit, Geneſ. 43 *Non videbitis faciẽ meam, niſi adduxeritis fratrem veſtrũ minimum*, Pſal. 8. id eſt, Dominum Ieſum Paulo minus ab Angelis minoratũ. Eſt quoq; poſtremò valde commodoſum, & à pluribus perſuaſum. Commoditas patet, quia ſic tædium pellitur, diſtractio fugatur, affectus inflammatur, & innumeri alij ex hoc prouenium (vt Bern. teſtatur) fruct⁹. Hinc & Sancti, vt Bernardus, Bonauentura, & alij huiuſmodi, ſub horis aſſumere ſolent, & itidem alij ſuadent. De hoc Bernardus, ad Fratres de Monte Dei. *Incipienti ac nouitio Chriſti tirunculo, melius ac tutius proponitur imago Dominicæ Humanitatis, Natiuitatis, Paſſionis, Reſurrectionis, vt infirmus animus, qui non nouit, niſi corpora, & corporalia, habeat aliquem cui ſe afficiat, cui iuxta modum ſuum pietatis intuitu inhæreat. Homo enim viſitans ſpeciem ſuam non peccat.* Job 5. *Hoc eſt cum intentionis ſuæ intuitum in eum dirigit, humanam in Deo ſpeciem cogitando, à vero vſquequaque non recedit, vt dum per fidẽ Deũ ab homine non diuidit, Deum aliquando in homine apprehendere diſcat. In quo pauperibus ſpiritu, & ſimplicioribus Dei tanto primum ſolet eſſe affectus dulcior, quanto humanæ naturę propinquior.* Idem, & Ludolphus in ſuo Prologo, & cæteri quiq; docti ſuadent. Patet ergo contra quorundam obiectiones, quam liceat; imò quam deceat huiuſmodi aſſumere obiecta.

SED iam de horum vſu eſt inquirendum. Sic enim huiuſmodi eſt vtendum, vt pſalmorum attentioni non officiant; ſed proficiant magis. Pro qua *nota*, quod his obiectis triphariam conuenit vti; videlicet ante horas, ſub horis, & poſt horas. *Ante horas* quidem, vt vel in eorum commemoratione torpor excitetur, mens inflammetur, & intentio rectificetur. Quorum proſecutionem exercitatio ipſa docebit. *Sub horis* autem eis vtendum eſt, vel pro mentis ſeruanda recollectione, & cohibenda vaga ſenſuum euagatione, vt ſcilicet homo ea ante mentis oculos ponat, & quaſi Domino hæc, vel illa agenti, aut patienti aſſiſteret, ſic ſe gerat. Et ſemper, mox vt ſenſerit mentem diſtrahi, ſenſus velle euagari; ad iſta ſe conuertat, & imaginarijs quibuſdam oculis, his intendat. Quis enim tam vecors, aut vagus, vt huiuſmodi obiectis propoſitis non recolligatur, & ſenſus reſtringat? *Secundo vtendum eſt his ſub horis*, pro orationis deuotione, & affectuum multiplicatione, vt ſcilicet crebrius ea pſallens, ad mentem reuocet, maximè vbi Deus, aut Dominus, aut aliquod relatiuum Dei ponitur; & pios tunc ſumet affectus, ſcilicet vel compaſſionis, aut gratitudinis, vel amoris. Quem vſum potiſſimè ſuadet Bern. Et pro huiuſmodi vſu, plurimũ deſeruirẽt Seraphycę illæ exclamationes infra poſitæ, quæ ad hæc quoq; reſpiciũt obiecta, vt ibi plenius dicitur. *Tertio vtimur eis pro faciliori exauditione*; vt ſcilicet vbi ſimplex oratio in Pſalmis occurrerit, iſta eructemus, & per hoc de oratione ſimplici obſecrationẽ formemus. Conuenit quoq; interdum nihilominus eis vti, pro torporis, tædij, vel ſomni (ſi quando inter pſallendũ obrepſerint quod abſit) propulſione. Hoc enim Apoſtolicũ conſilium docet dicens, *Recogitate Dominũ Ieſum, qualem ſuſtinuit aduerſus ſemetipſũ à peccatoribus contradictionẽ,* Heb. 12. *vt non fatigemini animis veſtris deficientes.* Qui his modis inter orandum, his obiectis vſus fuerit, ſentiet, vel experientia doctus, quam non impediant; ſed expediant magis huiuſmodi obiecta, ad intelligentias, & attentionem Pſalmorũ, & deuotas redditiones votorũ. Nam vt exemplo teſtemur. Eſto cantetur Pſal. 50. iſte. Pſ. 47. *Miſerere mei Deus*, & habeam pro obiecto aliquem articulum de Chriſti incarnatione, vel paſſione, quid quæſo ſubtrahetur attentioni, ſi hoc modo cantauero? O Deus propter me incarnate, vel paſſe; propter hanc incarnationis tuæ charitatem, miſerere mei peccatoris, & ſic de alijs. *Poſt horas* quoque ſubnexis obiectis vti conuenit, & hoc, vel in horarum oblatione, veniç petitione, pro deuotionis conſeruatione: Vt, ſcilicet tunc quiſque ea ad mentem moroſius reuocet & intentius, ac deuotius ea pertractet; meditationes ſuas inde formãdo, quas inter pſallendum obedientiæ cauſa intermiſit. Quomodo autem, vel ante, vel poſt horas, huiuſmodi poterit homo pro Spiritus inflammatione, & meditationis ſtabilitione vti; non eſt huius loci differere Vnum dicimus; maximum ſeminarium copiæ, & deuotionis incentiuum, his obiectis menti ſubminiſtratum iri. Quomodo enim non copiæ ſeminariũ, quod paucis verſiculis, omnem Euangelicæ ſyluæ includit contextum? Quomodo non ſummum deuotionis incentiuum, quod tradit Deum incarnatũ? Quiſquis igitur, vel mente illuſtrari, vel affectu inflammari cupierit; his ſe meditandis dedat. Horum enim meditatio efficit hominẽ intellectu Cherubicum, Seraphicum affectu, de cuius inductiuis, & practicis, plenius in ſecunda parte huius operis agendum. Sequentia itaq; Dominicæ vitæ, & paſſionis obiecta, ſemper pro materia diuinæ laudis aſſumenda.

VERVM vt amplior, & feruentior inceſſat cupido laudandi, conſideranda ſunt nonnunquam; & alia promotiua diuinę laudationis, quæ inducunt ad alacriter laudandum, & inter cætera inueniuntur iſta his carminibus perſtricta.

Scripta, creata, Deus, cõdens, dedit, ora, redemit.
Hec iuſtum; gratum, ſuaue, vtile, nobile, terrẽs.

Primo ad libenter Deum laudandum incitat *ſacra ſcriptura* totiens commonens ad laudem eius. Pſal. 49. *Immola Deo ſacrificium laudis. In omni corde, & ore collaudate, & benedicite nomen Domini*, &c.

Secundo incitat ad idem *omnis creatura*. Gregori. *Mirum eſt ꝙ quod homo ſemper Deum non laudat, quia qualibet creatura ad eum laudandum ſemper inuitat.* Opera laudabilia artificem laudabilem oſtendunt

iuxta illud Eccli. 9. *In manu artificum opera laudabuntur.*

Tertiò permouet ad id laudabilis perfectio diuina. *Magnus enim Dominus, & laudabilis nimis. Exaltate eum quantum poteſtis præualebit, adhuc, quia bonus, & magnitudinis eius non eſt finis.*

Pſ.47. Eccli. 43

Quartò incitat beneficium creationis, Pſal. 99. *Iubilitate Deo omnis terra? Quoniam ipſe eſt Deus, ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* Eſa.43. *Populum hunc formaui mihi, laudem meam narrabit.* Hinc Pater Aug. Tu Deus excitas nos, vt laudare te nos delectet, quia ad hoc feciſti nos &c.

Quintò mouent, & alia beneficia varia quæ dedit nobis, quæ innumera ſunt, & digna laudibus. Eſa.62. *Miſerationum Domini recordabor, laudem Domini ſuper omnibus, quæ dedit nobis.*

Præſertim ſexto incitat ad laudem, quia ad hoc propriè dedit homini os, & loquelam; vnde qui Deum non laudat, mutus eſt reputandus. Aug. *Væ tacentibus de te, quoniam loquaces muti ſunt.* Qui enim hic à laude tacet, in

Pſ.33. futurò mutus erit. *Semper laus eius in ore meo.* Hiero. *Fælix lingua quæ non nouit, niſi de diuinis texere ſermonem.* Eccli.45. *Laudabo nomen tuum aſſiduè.*

Septimo maximè permouet beneficium redemptionis; vnde nato Saluatore, *facta eſt*

Luca 2. *multitudo militia cæleſtis laudantium Deum:* Ad prouocandum, ſcilicet homines ad Dei laudē. Pſalm.66. *Confiteantur tibi populi Deus, quoniā*

Exod. 37 *terra dedit fructum* &c. Hinc duo Cherubim erant iuxta archam.

Octauò laudandum, quia hoc dignum, iuſtum eſt, & æquum, quoniam complectitur omnes rationes laudis. Eccli.43. *Benedicentes Dominum exaltate eum quantum poteſtis, maior eſt enim omni laude.* Deficiamus ergo cum alauda, & philomela in eius laude dicendo cū Bernardo. *In terris, vbi ſemiuiuus ſum, ſemilaudare poſſum, quando totus vixero, totum vt iuſtum eſt, in laudem ibo.*

Nono quia laudis officium eſt Deo gratiſſimum Pſal.49. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Caſſiodorus. Laudes Deo exhibere in ocio gratiſſimum eſt; ſed in tribulatione amplius. Tob.13. *Opera Dei reuelare, & confiteri, honorificum eſt.*

Decimo quia ſuaue, & iocundum eſt. Pſal. 103. *Iocundum ſit, & eloquium meum.* Et Ber. *Nihil ita propriè in terris repræſentat cæleſtis habitationis ſtatum, ſicut alacritas laudantium Deum.* Auguſt. in de doctrina Chriſtiana: *Cum de Deo nihil dignè dici poſſit, admiſit tamen humanæ vocis obſequium, & verbis noſtris in laude ſua gaudere nos voluit.*

Vndecimo mouet laudis diuinæ vtilitas. Laus ſiquidem Dei hæc bona in homine cauſat.

Præparat, & ſaluat, lætans leuat atque refrenat.

Primo præparat viam Spirituiſancto. Pſal. 49. *Illic iter quo oſtendam, &c.* Greg. *Cum vox pſalmodiæ per intentionem cordis agitur: omnipotenti Domino iter ad cor præparatur.* Hinc legitur quod, Cum caneret pſaltes, facta eſt ſuper 4.Reg. 3.

Heliſæum manus Domini. *Secundo*, Ab omni hoſte ſaluat, *Laudans inuocabo Dominum,* Pſal.17.

& ab inimicis meis ſaluus ero. Tertio hominem lætificat. *Exultabunt labia mea, cum cantauero tibi.* Et Iac.5. *Triſtatur quis in vobis? oret; æquo* Pſal. 70.

animo eſt? pſallat. Gloſſa. Crebra pſalmodiæ dulcedine, nociuam triſtitiæ peſtem de corde expellas. Laus enim diuina bonorum eſt refectio, vt nulla ei videatur ſimilis delectatio. *Quarto* cor ad Deum, & ſuperna eleuat. Bernardus, Cor ad Deum eleuat, iubilus laudis, & deſiderium ardens. *Quinto* à malis præſeruat, Eſa 48. *Laude mea infrænabo te ne interas,* &c. De alijs affectibus diuinæ laudis, ſupra notum eſt.

Duodecimo ad laudandum Deum incitat nobilitas diuinæ laudis; Dei enim laudatio eſt propria Angelorum, & Beatorum in Patria operatio. Pſal.83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Supernæ ſiquidem ciuitatis operatio eſt aſſidua Dei laudatio. Et Aug. *In ſuperna Patria vacabimus, & videbimus, videbimus, & amabimus, amabimus, & laudabimus.* Ibi erit totum negocium tuum, vt laudes quem diligis, & ſaties te cum amatoribus eius. Multum gaudere deberet, qui in terris conſtitutus admittitur ad hanc cæleſtem operationem exercendam, quæ erit in cælis. Inueniatur itaque (vt ait Hieronymus) ſemper in eccleſia vox laudis, vt quod in cælis facturi ſumus cum Angelis, hoc etiam iugiter in Dei laude meditemur in terris. Diſcamus quod facturi ſumus. Præclara igitur nobilitas diuinæ laudis.

Poſtremum ad laudem inductiuum, Quia hoc officium eſt dæmonibus terribile, & valde infeſtum: Fugat enim de corde, & corpore malignum ſpiritum, vt patet, vbi pſallente Dauid Saul leuius ferebat, quem ſpiritus Do- 1 Reg.16.

mini malus exagitabat. Hinc pſal.17 ait. *Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis ſaluus ero:* Non ſolum corporalibus, vt de Ioſophat pater, & ſancto Germano; ſed & de ſpirituali 2.Par.2.

dæmonum tentatione. Dicit enim Effrem in in libro de Compunctione, *Quemadmodum* Simile.

puluis è venti vehementia ſpargitur: Sic aduerſarius noſter, quando vox noſtra in Dei laudibus reſonat, ad nihilum redigitur. Magna itaque ſunt inductiua laudis, quæ homo commemorare poterit; vbi ſe in Dei laudibus torpidum, & tepentem deprehenderit.

V. De materia autem ampliori diuinæ laudis dicit author profectus; de laudis etiam modo & practica, plura dicuntur infra. Ante omnia tamen neceſſarium eſt, vt in laudatore ſit munditia cordis, quia *non eſt ſpecioſa laus in ore* Eccl 15.

peccatoris. Sed *confeſſio, & pulchritudo in con-* Pſ 95.

ſpectu eius. Deinde obſeruanda eſt forma laudis, quam ſuper Cant. Sermone tertiodecimo tradit deuotus Bernardus. *Immolantes,* inqui- Pſ 49.

ens *hoſtiam laudis, & reddentes vota noſtra, de die in diem; Curemus omni vigilantia iungere* Pſal. 60.

ſenſum vſui, affectū ſenſui, exultationem affectui, grauitatem exultationi, humilitatem grauitati, libertatē humilitati, quo interdum liberius, purgatæ mētis paſſibus procedamus, & incedam⁹ per inuſi-

ratas quaſdam affectiones, ſpirituales letitias, in
2.Cor. 6 *iubileis, amenitatibus, in lumine Dei, in ſuauitate, in ſpiritu ſancto.* Hoc itaque modo ſuper iudicijs iuſtitiæ diuinæ, ſuper articulis ſubſequentibus reddamus laudum vota. Non ſolum laudantes ore, ſed & opere & vita, magis quã lingua, vt pertingamus ad laudes æternas in futura vita. Et quoniam laus noſtra eſt nulla, ex totis affectibus veri, & perfecti illi cæleſtis Patriæ aduocandi, & cohortandi ſunt laudatores, clari contemplatores, veri æſtimatores, ardentiſſimi amatores, Angelici, ſcilicet, & beatorum ſpiritus, quo laudent pro nobis, deuotiſſimè dicendo, & canendo Angelicum illud eorum carmen, *Alleluia*.

VI. QVOD vt dicatur tanto deuotius, quanto iteratur frequentius, parum annotandum de ſignificantia eius: Tametſi nulla id ad perfectum lingua poteſt exprimere, quod nec mens plenè concipere; ſuperat enim intantum æſtimationem; vnde inſignis Pſalmorum expoſitor Caſſiod. ait in explanatione tituli *alleluia*. In hac laude inquit alleluia, totus honor eſt ſupra quam exprimi poteſt à lingua. Quod cum ſit in Hæbræa lingua reconditum; nullo tamen conſtat alio ſermone tranſlatum: Hoc Græcus, hoc Latinus, hoc Caldæus, hoc Syrus, hoc Perſa, hoc Arabs, hoc tenet cuncta terrarum natio, & quicquid eſt dedicatum diuinæ dignitati, huius nominis pia deuotione, & laude veneratur. Quod in vſu habere commonemur, imitatione laudis ſupernæ; vbi Angeli, vt habetur Apoc. 19. quaſi *voce tubarum multarum dicunt alleluia*. Et concinitur per omnes vicos, vt habetur in Thob. 3. Singulari ergo hoc ſemper pronunciandum eſt affectione, & intelligentia. Quod iuxta Authorem Trigloſſos, contra multorum errores, quinq; ſyllabarum eſt, & duo diſtincta vocabula. Vnde ait
Alleluia quid. allelu, *laudate* ſignat *Dominũ*, aſt nota ya, inuiſibilem propriè denotat. Et eſt vnum de decem Dei nominibus Hebraicis, vt notat Hier. in Epiſtola ad Marcellum. Qui plenius de ſignificato alleluia ſcripſit in quæſtionibus, ad Damaſum Papam conformiter ad Origenem in Euchiridio, dicens eſſe duo nomina laudate Deum, vel inuiſibilem. Sunt tamen iuxta alios authores, & alij modi explanati hoc verſu memorati.

Laus, laudate Deum, Trina, inuiſum, tria ſaluet:

Hoc eſt, ſignificat *laus Dei*, & ſic eſt nomen: Aut ſecundum veriorem æſtimationem *laudate Deum*, & eſt verbum imperatiuum. Aut vt Hier. *Cantate laudem ad Dominum*. Aut vt Greg. *laudate Patrem, Filium, Spiritum ſanctum*. Aut propriè, *laudate inuiſibilem*, vel vniuerſalem. Aut ſecundum tria appropriata laude *lucem, vitam, ſalutem*. Vel iuxta Auguſt. Interiectio eſt, vel aduerbium optatiui ſignificans, *ſaluum me fac Domine*. Vt hæc tractat Guil. in rationali. Annotandum adhuc eſſe alias eius alluſiones, & Etymologizationes, quales deuotus cogitare poteſt innumeras. Deuotè ergo dicatur, quia eſt angelica laus, ſignans potius, quam exprimens ineffabile gaudium, ab hac vita peregrinum gaudium, videlicet Angelorum, & hominum, in æterna fælicitate lætantium, quod *nec oculus vidit, nec* 1.Cor. 2.
auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Quare & apud omnes linguas intranſfuſum manet, & vix aliquis tranſlatorum commutauit. Quod non modo plenum ſenſu eſt, myſterijs grauidum, & lætitiæ refertum, ſed magnæ illud virtutis eſt, & efficaciæ multæ. Ad cuius ſolius inclamationem, & ſonitum Germanus Antyſiodoren. ingentem Barbarorũ profugauit exercitum, clauſaque, & obſerata aperuit oſtia Eccleſiarum. & Carolus Magnus legitur ſubuertiſſe muros, & mœnia ciuitatum. Latet igitur in nomine aliquid magni ſacramenti, & myſteria à noſtra cæcitate abdita. Quare non modo attentè, & deuotè, ſed, & reuerenter, & cum metu venit perſonandum. Circa quod occurrit materia multarum conſiderationum, quare, ſcilicet ita in Eccleſia frequentetur, cur interdum omittitur, interdum reſumitur, & quaſi continuatur, & tanto neumate, & iubilo decantetur: de quibus omnibus qui inſtructior eſſe volet, explanatores Miſſalis officij videat, & legat. Sat nobis cõmonuiſſe, vt cum obiectis laudis deuotiuis cãtari poſſit.

FERIA SECVNDA.

De Ieſu æternitate, & antecedentibus eius ortum, & mundi ingreſſum.

Ad Matutinas. *Ieſus ex Deo genitus, ſpirator, Rex Beatus.*

Attende	Diuinæ eſſentiæ vnitatem,	in	Maieſtatis æqualitate.
	Perſonarum diuinarũ Trinitatẽ.		Appropriatorum diuerſitate.
	Deitatis incomprehenſibilem æternitatem,		Conſummata perfectione, & fælicite.

Ad Primas, *Ieſus creator inclytus, cæleſtes firmans ſtatus.*

Attende	Maieſtatem, & potentiam,	in	Tam multarum, & magnarum rerum creatione;
	Bonitatem, & ſapientiam,		Optimo ordine, regimine, & perfectione.
	Angelicam differentiam,		Malorum lapſu, & bonorum confirmatione.

Digitized by Google

Ad Tertias. *Ieſus fautor munificus Adæ vindex reatus.*

Attende	Protoplaſtorum exaltationem,	in	Dote naturali, & gratuita.
	Præcepti diuini tranſgreſſionem,		Tentatorum culpa, & tentatoris verſutia.
	Diuinam vindictæ vltionem,		Miſericordi iuſtitia, & meritorum exigentia.

Ad Sextas. *Ieſus promiſſus Patribus, Typatus, Prophetatus.*

Attende	Humanam calamitatem,	in	Multa miſeria, & dæmonis perſecutione.
	Diuinam pietatem,		Figuratum typis, prophetijs, & repromiſſione.
	Deſideriorum Patrum granditatem.		Longamini, & amoroſa expectatione.

Ad Nonas. *Ieſus Matris ſollicitus. Ioannes Nunciatus.*

Attende	Regiæ ſtyrpis, & ſacerdotalis electionem,	cũ	Prophetiarum de Virg. & figurarum multiplicitate.
	Virginis conceptum ortum, & educationem,		Gratiarum plenitudine, & deſponſationis cauſalitate.
	Prophetati præcurſoris nunciationem.		Loci, temporis, & nuncij dignitate.

Ad Veſperas. *Ieſus emiſſo Celitus, legato Incarnatus.*

Attende	Angeli legationem,	cũ	Myſteriorum grauitate, & decenti qualitate.
	Mariæ Virginis reſponſionem,		Sapientia, & multa virtuoſitate.
	Dei conceptum, & Incarnationem.		Circumſtantiarum congruitate, & completa charitate.

Ad Complet. *Ieſus Ioannem dotibus viſans. Ioſeph hortatus.*

Attende	Mariæ ad Eliſabeth viſitationem,	cũ	Parentum gaudio, & humilitate.
	Ioannis ortum, & priuilegiationem,		Puerorum occurſu, & iocunditate.
	Mariæ, & Ioſeph triſtem, & dulcem affectionem.		Ioſeph dubia, & agnita veritate.

FERIA TERTIA.

De Ieſu Natiuitate, & vitæ infantilis proceſſu.

Ad Matutinas. *Ieſus Maria naſcitur, Paſtoribus monſtratus.*

Attende	Dignandam Ieſu Natiuitatem,	cũ	Virtutum exemplaritate, & circumſtantiarum congruitate.
	Matris Virginis obſequioſitatem,		Læta contemplatione, & deuota ſeruitij qualitate.
	Natiuitatis manifeſtationem, & feſtiuitatem.		Angelorum concentu, & Paſtorum iocunditate.

Ad Primas. *Ieſus cultro conciditur, ab ano ſic vocatus.*

Attende	Legalis Circumciſionis rigorem,	in	Cærimonijs, & myſticatione.
	Pueri, & parentum fletus, & dolorem,		Pœnoſa circumciſione.
	Grandem circumciſi honorem.		Digniſſimi nominis impoſitione.

Ad Tertias. *Ieſus à Magis quæritur, cum donis adoratus.*

Attende	Manifeſtantis ſigni congruentiam,	in	Per ſtellam apparendo.
	Magorum ſtudium, & Iudæorum inſipientiam,		Quærendo, & refellendo.
	Donorum typum, & piorum indigentiam,		Munera digna accipiendo.

Ad Sextas. *Ieſus in Templo ſiſtitur, ſuſceptus, Prophetatus.*

Attende	Offerentium humilem deuotionem,	in	Legis non neceſſaria ſubiectione.
	Oblatorum ſignificationem,		Decenti eorum myſticatione.
	Occurrentium facta, & prophetizationem.		Suſceptu, cantu, & exultatione.

Ad

Digitized by Google

Ad Nonas. *Ieſus in patriis moritur, extorris, reuocatus.*

Attende	Herodis ambitioſam æmulationem,	in	Pueros pro Chriſto perdendo.
	Innocentium puerorum prouectionem,		Martyrium priuilegiatum perferendo.
	Ieſu exilium, & reductionem,		In Ægyptum fugiendo, & redeundo.

Ad Veſperas. *Ieſu amiſſus quæritur, paret, Nazareth moratus.*

Attende	Ieſu mores, & Religionem,	in	Templi viſitatione, & docendo.
	Parentum mœſtitiam, & exultationem,		Perditum puerum quærendo, & inueniendo.
	Obedientiç Ieſu, & vitæ occultę perfectionem,		Parentum ſubiectione, & ſe occulendo.

Ad Complet. *Ieſus vitæ præcurritur, docetur, baptizatus.*

Attende	Baptiſtæ vitam, doctrinam, & perfectionem,	in	Chriſtum poſt venturum promittendo, & ſibi preferendo.
	Baptiſmi conſecrationem, & Ieſu dignationem.		Baptiſmum ſerui ſubeundo, & aquas ſanctificando.
	Circumſtantiarum concurrentium myſticationem,		Cælorum apertione, & Trinitatem apparendo.

FERIA QVARTA.

De Ieſu virilis conuerſationis actibus, & progreſſu.

Ad Matutin. *Ieſus Deſerto abſtinens, victor hoſte tentatus.*

Attende	Ieſu Anachoreſim, & ieiunij perfectionem,	cũ	Sanctis exercitijs, & contemplatione.
	Tentationis ſufferentiam, modum, & repetitionem,		Sapienti Chriſti reſponſione.
	Ieſu victoriam, & hoſtis confutationem,		Angelorum accedentium miniſtratione.

Ad Primas. *Ieſus diſcipulos colligens, quàm ſanctè conuerſatus.*

Attende	Ieſu manifeſtationem, & prouidentiam,	in	Diſcipulorum attractu, & vocatione.
	Vocatorum qualitatem, & obedientiam,		Relinquendo omnia, & prompta imitatione.
	Sanctam vitam, & beneuolentiam,		Mutua cum eis conuerſatione.

Ad Tertias. *Ieſus pauper, circumiens, fert dura, fatigatus.*

Attende	Ieſu indigentiam, & paupertatem,	in	Famis, ſitis, &c. ſuſtinentia, & nihil poſſidendo.
	Vitam perfectam, & exemplaritatem.		Conuerſationis modo, & calores, frigora, & huius exilij aſpera quæq; perferendo.
	Laborem, laſſitudinem, & negotioſitatem,		Pie circuiendo, & per caſtella, & ciuitates diſcurrendo.

Ad Sextas. *Ieſus perfecta conſulens, doctor verbis ſenſatus,*

Attende	Doctoris, & doctrinæ qualitatem.	cũ	Mira, & ſuaui excellentia.
	Populi ingratitudinem, & ruditatem,		Multa, & cæca maliuolentia.
	Conſiliorum perfectionem, & verborum grauitatem.		Parabolarum occulta intelligentia.

Ad Nonas. *Ieſus cunctorum miſerens, Paſtor laxat reatus.*

Attende	Ieſu miſericordiam, & diligentiam,	in	Ægrorum morbos curando.
	Largitatem, & beniuolentiam,		Famelicos ſuauiter reficiendo.
	Pietatis affluentiam,		Peccatores ad miſericordiam recipiendo,

Ad Veſperas. *Ieſus miranda faciens, monte transfiguratus*

Attende	Ieſu diuinam potentiam,	in	Miracula inaudita faciendo.
	Congruitatem miraculorum, & ſufficientiam,		Typo, & numero ea operando.
	Transfigurationis glorioſæ lætitiam.		Gloriam, & teſtes videndo.

Digitized by Google

Ad Complet. *Ieſus blaſphemos patiens, irriſus infeſtatus.*

Attende	Iudæorum duram feritatem,	in	Chriſtum inceſſanter perſequendo.
	Conuitiorum qualitatem, & quantitatem,		Corde, ore, & opere inſectando.
	Ieſu piam mititatem, & bonitatem.		Semper docendo, & benefaciendo.

FERIA QVINTA.

De Paſſionis Ieſu præambulis, & ad Paſſionem egreſſu.

Ad Matutinas. *Ieſus Lazarum ſuſcitauit. Spirant Effrem moratus.*

Attende	Suſcitationis Lazari prodigium.	in	Paſſionis Ieſu occaſione.
	Iniquum Iudæorũ contra Chriſtum conſilium,		Inuidia, & æmulatione.
	Ieſu mite, & imitandum exemplum.		Fuga, & ad tempus declinatione.

Ad Primas. *Ieſus ſcandit mirificans. Vnctus rex lachrymatus.*

Attende	Aſcendentis promptam pietatem,	in	Cum miraculis ad paſſionis locum properando.
	Tanti Regis humilitatem,		Vnctione, apparatu, & Aſello inſidendo.
	Turbæ obſequium, & vrbis calamitatem,		Honore exhibito, & lacrymas fundendo.

Ad Tertias. *Ieſus templo effugitans, ſanat repudiatus.*

Attende	Ieſu imitandam exemplaritatem.	in	Templi deuota viſitatione.
	Ieſu zelum, & pietatem,		Vendentium eiectione, & ægrorum curatione.
	Ieſu repudium, & charitatem,		Iudæorum abiectione, & gentium conuerſione.

Ad Sextas. *Ieſus ficum exterminans, docet, monte precatus.*

Attende	Ieſu eſuriem, & fatigationem,	in	Crebro, & ſollicitè diſcurrendo.
	Ieſu doctrinam, & infatigabilem dilectionem,		Ad bona cohortando, & oratione pernoctando.
	Iudæorum ingratitudinem, & obſtinationem.		Humanitatem, & hoſpitium negando.

Ad Nonas. *Ieſus tentatus ſuperans, parabolas præfatus.*

Attende	Iudæorum ſubdolam tentationem,	in	Varia, & inſidioſa quæſtione.
	Ieſu ſapientem, & æquam reſponſionem,		Egregia confutatione.
	Parabolarum myſticationem, & prophetizationem,		Futurorum in monte prædictione.

Ad Veſperas. *Ieſus cum ſuis commorans, Iuda appretiatus.*

Attende	Matris, & ſuorum deſolationem,	in	Pia ſupplicatione.
	Ieſu hortamenta, & conſolationem,		Rationabili excuſatione.
	Iudæorum, & Iudæ commercium, & pactionem,		Iniqua Chriſti venditione.

Ad Completor. *Ieſus diſcumbit, conſecrans, lauit, ſermocinatus.*

Attende	Ieſu manſuetudinem, & humilitatem,	cũ	Agni eſu, & pedum ablutione,
	Ieſu munificentiam, & donorum dignitatem,		Sacerdotij, & Sacramenti inſtitutione.
	Diſcipulorum mœſtitiam, & ſermonis profunditatem.		Ignito eloquio, & dulci conſolatione.

FERIA SEXTA.

De paſſione Ieſu, & diro mortis diuortio.

Ad Matutinas. *Ieſus egreſſus, anxius, orat, captus, ligatus.*

Attende
- Ieſu proceſſum doloroſum,
- Iudæ, & Iudæorum acceſſum doloſum,
- Diſcipulorum receſſum timoroſum.

in
- Aſſumpta triſtitia, orationis agonia, & ſudatione.
- Oſculi proditione, & dira captione.
- Magiſtri ligati derelictione,

Ad Primas. *Ieſus coram iudicibus, ſpretus, & accuſatus.*

Attende
- Variam Ieſu ad iudices deductionem,
- Falſo accuſati piam reſponſionem,
- Iudicium & Iudæorum nequitiam, & Ieſu irriſionē,

cū
- Subdola inquiſitione.
- Multa pœnarum inflictione.
- Alba veſte induti ad latronem comparatione.

Ad Tertias. *Ieſus flagellis liuidus, Rex, luſus, præſentatus.*

Attende
- Ieſu diram flagellationem,
- In ſtemmate Regio illuſionem,
- Educti verecundiam & præſentationem,

cū
- Sanguinis profluuio, & multa truculentia,
- Summa confuſione, & contumelia.
- Tumltuoſi clamoris vehementia.

Ad Sextas, *Ieſus damnatus, baiulus crucis, cruci clauatus.*

Attende
- Ieſu iniquam condemnationem,
- Crucis ſcandaloſam baiulationem,
- Contumelioſam inter latrones ſuſpenſionem,

cū
- Plena & omnimoda innocentia.
- Subſequentium conſolatione, & differentia.
- Summa pœna, & irreuerentia.

Ad Nonas. *Ieſus pendens ſeptiloquus, expirat, lamentatus.*

Attende
- Pendentis pœnam, & tormentum,
- Ieſu teſtationem, & ſeptem verborum, ſacramentum,
- Mortis ſupplicium, & orbis lamentum,

cū
- Circumſtantiarum aggrauatione.
- Magno myſterio, & noſtra eruditione.
- Totius machinæ, & creaturę concuſſione.

Ad Veſperas. *Ieſus transfixus, Roſeus cruore declauatus.*

Attende
- Mortui tranſlationem,
- Fluentem aquam, & ſanguinem,
- Affixi depoſitionem,

cū
- Corporis liuidi, & lacerati decoloratione.
- Sacramentorum emanatione.
- Matris, & ſuorum deſolatione.

Ad Complet. *Ieſus vnctus cum fletibus, ſepultus, obſeruatus.*

Attende
- Matris, & amicorum deſideria,
- Vnctionis pia miniſteria,
- Planctum magnum, & ſuſpiria,

In
- Corporis obſeruatione.
- Sepulchris præparatione.
- Corporis inuolutione, & tumulatione.

SABBATO.

De Paſſionis, & Reſurrectionis intermedio.

Ad Matutinas. *Ieſus victor, ad inferos ſcandens. Patres beauit.*

Attende
- Ieſu victorioſum imperium,
- Votiuum Patrum deſiderium,
- Dignandum Ieſu deſcenſum,

in
- Mortem, & eius auctorem triumphando.
- Ieſum ardenter expectando.
- Inferos frangendo, & Patrum vota ſatiando.

Ad Primas. *Ieſus Matri diſcipulos, in luctu ſociauit.*

Attende
- Matris dolorem intimum,
- Diſcipulorum timorem maximum.
- Iudæorum furorem mordaciſſimum.

in
- Lachrymas copioſè fundendo.
- Simul intus latendo.
- Sanctos innocentes perſequendo.

Ad

Digitized by Google

Ad Tertias. *Ieſus teſtes veriſſimos, poſt mortem vendicauit.*

Attende
- Iudæorum diſceptationem,
- Monumentorum apparitionem,
- Fidelium nutantium confirmationem,

in
- Signis quę viderunt.
- His qui ſurrexerunt.
- Chriſto quem crediderunt.

Ad Sextas. *Ieſus fructus dulciſſimos gignens, clauſa palauit.*

Attende per crucem.
- Omnia mala ablata,
- Omnia bona collata,
- Signacula clauſi libri reſerata,

in
- Culpæ, & pœnæ deletione,
- Gratiæ, & glorię aſſecutione.
- Myſteriorum omnium reuelatione.

Ad Nonas. *Ieſus complens vaticinos, typoſque reſerauit.*

Attende
- Completa prophetarum vaticinia.
- Impleta figurarum velamina,
- Reſerata ſcripturarum abdita,

cũ
- Multa luculentia,
- Magna congruentia.
- Mira correſpondentia.

Ad Veſperas. *Ieſus quieuit, æmulos torquens, ſe conſeruauit.*

Attende
- Triduæ quietis ſacrum myſterium,
- Confutatum obſeruantium Iudæorum conſilium,
- Hypoſtaticæ vnionis fortiſſimũ vinculum,

cũ
- Verę mortis probatione, & promiſſi completione.
- Iniquorum deſideriorum, & ſpei fruſtratione.
- Sanguinis recollecti, & corporis corruptela præſeruatione.

Ad Complet. *Ieſus ſuos præferuidos vrgendi, adamauit.*

Attende
- Diſcipulorum laudandam reuerentiam,
- Mulierum piam diligentiam,
- Matris firmam confidentiam,

in
- Matris conſolatione.
- Diſcurſu, & vnguentorum præparatione.
- Certa reſurrectionis expectatione.

DOMINICA DIE.

De Reſurrectionis victoria, & glorificationis triumpho.

Ad Matutinas. *Ieſus ſurgens glorificus, ſuis ſæpe monſtratus.*

Attende
- Reſurgentis, & reſurrectionis qualitatem,
- Magiſtri ſollicitam benignitatem,
- Diſcipulorum magnam iocunditatem

cũ
- Magna decentia, & glorificatione.
- Apparitione frequenti, & eruditione.
- Quadraginta dierum conuictu, & ſignificatione.

Ad Primas. *Ieſus ductor exercitus, ſcandit, dextra locatus.*

Attende
- Aſcendentis glorificationem,
- Patrem iubilum, & Angelorum congratulationem,
- Diſcipulorum mæſtitiam, & conſolationem.

in
- Dextra Patris confidendo,
- Chriſtum in regnum deducendo.
- Chriſti ſeparatione, & redituri promiſſione.

Ad Tertias. *Ieſus largitor Spiritus, per orbem prædicatus.*

Attende
- Donorum magnitudinem,
- Linguarum varietatem, & miraculorum valetudinem,
- Prędicationis diffuſam latitudinem,

in
- Tanti doni collatione.
- Audientium admiratione, & conuerſione.
- Totius orbis repletione.

Ad Sextas. *Ieſus rector Hierarchicus, templi gubernans ſtatus.*

Attende
- Confortationem,
- Illuminationem,
- Reformationem,

Inter
- Perſecutiones,
- Hæreſes,
- Malos Chriſtianos.

per
- Fortes martyres,
- Veraces doctores,
- Sanctos, & Religioſos.

Ad Nonas. *Ieſus noſtri ſollicitus, cum Matre Aduocatus.*

Attende
- Ieſu in nos ſollicitudinem,
- Exauditionis certitudinem,
- Humanam negligentiam, & ingratitudinem.

in
- Matrem aduocatam aſſumendo.
- Vultu Patris ſe ſe offerendo.
- A bono, & gratiarum actione torpendó.

Ad

Digitized by Google

Ad Veſperas. *Ieſus iudex æquiſſimus, rex omnibus Prælatus.*

Attende { Iudicis potentiſſimi æquitatem, / Iudicij tremendi qualitatem, / Sublimem regis maieſtatem, } Cũ { Diiudicatione iuſta, & remuneratione. / Sententiæ æterna, & irreuocabili damnatione. / Regni qualitate, & ſuaui, ac fælici ſubditorum ſubiectione.

Ad Complet. *Ieſus Sanctorum iubilus, finis deſideratus.*

Attende { Beatitudinis fælicitatem, / Sanctorum omnium ſecuritatẽ, / Deſiderij ſatietatem, } *In* { Bonorum omnium collatione. / Malorum omnium ammotione. / Votorum omnium ſatiatione.

Finiuntur obiecta vitæ, & paſſionis Chriſti ſub horis aſſumenda.

Sequitur Tabula Articulorum ſub eiſdem præcipuè memorabilium.

Quomodo aut qualiter ſe deuotus circa hos articulos exercitare, & dilatare poſſit in Sacra meditatione, plenius expreſſum eſt infra, vbi agitur de vitæ Domini & paſſionis eius meditatione: Hic ſolum ad hoc articuli iſti ponuntur, vt ſemper habeantur ad manum pro materia diuinæ laudis. Quare & à quodam grauiſſimo, nec minus Religioſiſſimo Palatino, & parlamenti curiæ præſidente, his breuibus verſiculis ſunt perſtricti.

Ad

	Matutinas.	*Primas.*	*Tertias.*	*Sextas,*	*Nonas.*	*Veſperas.*	*Completoriũ.*
Pro Feria	2. Eſt genitus.	creat.	eijciens.	eſt deſideratus.	Eligitur virgo.	miſſus.	montana Ioſephque.
	3. Naſcẽs.	conciſus.	Stellam.	præſentat, & offert.	Herodẽ fugiẽs.	inuẽtus.	tertia lauit.
	4. Abſtinet.	elegit.	laſſus.	perfecta docendo.	Laxat.	mira facit.	blaſphem⁹ quarta vocatur.
	5. Suſcitat.	intrauit.	vendentes.	nocte precatus.	Tentãt.	venditus eſt.	diſcũbẽs quinta ſacrauit.
	6. Caput.	pontifices.	vapulans.	eſt in cruce tẽſus.	Expirat ſexta.	latus intrat.	poſtque ſepultus.
	7. Infernus.	lugent.	ſurgunt.	ac clauſa palauit.	Cõpletur vates	requies.	vnguenta parantur.
Dom.	Surgens.	aſcendit.	mittens.	& cuncta gubernãs.	Pro nobis orãs.	Iudex.	iubilus quoque finis.

Super his itaqne articulis memorabilibus, & digne memorandis, continuum cantetur alleluia, & iuges dicantur Domino laudes. De quorum inductiuis, vſu, & practica, dicetur infra. Hic ſolum commemorantur pro materia diuinæ laudis; quo occaſio habeatur deuotæ laudationis.

Quomodo beneficia Dei ſub horis ſunt aſſumenda, & quare.

CAPVT VII.

1.Theſ. 5. I. *IN omnibus gratias agite Deo.* ET QVONIAM de obiectis loqui cœpimus, adijciemus adhuc pauca de eiſdem loqui. Dictum eſt ſupra, quòd ſecundum tres principaliores, quos in horis agimus, actus, triplicia ſe offerant aſſumenda ſub eis,

Nã	Laudandum, Regratiandum, Orandum,	*eſt ſuper*	Chriſti myſterijs, Acceptis beneficijs. Pro extinguendis vitijs, & virtutibus obtinendis.

De laudis obiectis diximus, de beneficijs iam paucis agemus, vt ſic qui omnibus vti non valuerit, vel horum aliqua ſumat, Regratiandum itaque eſt, iuxta Apoſtolum, ſuper omnibus, ſcilicet beneficijs acceptis. Et hoc potiſſimum ſub Hymno gloriæ, qui totiens repetitur in gratiarum actionem. Qui item Hymnus, ſcilicet, *Gloria patri*, ſumma eſt (vt vult Dominus Bonauentura) deuotione concinendus. Vnde & deuotiſſimè inclinandum: Quæ inclinatio (vt ſupra tactum eſt) erit *tempeſtiua*, vt, ſcilicet ante gloria ſurgatur, vt liberius inclinetur; Erit (*deuota*) vt ſcilicet humiliter, & profundè inclinetur; Erit (*ſufficiens*) vt ab ea citius debito non ſurgatur. Honor enim idem qui Patri, & Filio, eſt & Spiritui ſancto exhibendus. Qui hunc reuerentiæ cultum Domino ſubtrahunt, dura admodum à Bonauentura inuectiua inuruntur qui ait: *Sunt qui culpabili admodum remiſſione traducti, hunc reuerentiæ cultum Domino ſubtrahentes euacuant; dum aut prorſus reſident, vſque ad factam memoriam Trinitatis, aut tunc primum ſurgunt, & ſedili eleuando intendunt, quando fuerat inclinandum, aut* ☞ *alias ex negligentiæ vitio non inclinant. Quanti tamen ſit hæc noxa, Beata Dei Genitrix, cuidam ſeniori in choro pſallenti indicaſſe refertur, quæ inclinantibus ad Sancta memoriam Trinitatis, ſuum filium ipſis ſingulis offerebat; quendam vero minime inclinantem, verſo ab eo vultu, velut indignum hac gratia, pertranſibat.* Hæc ille. Cui non diſſimile quiddam infert Ioannes Vallenſis, dicens: Cuidam ſub vigilijs matutinalibus dormitanti, & ad Gloria Patri, non inclinanti, apparuit Angelus Domini dicens ei, Flecte caput, quia dicis Gloria Patri; Et diabolus ex alia parte reſpondit, Non flecte, niſi triplicem ruperis funem. Quod videns Abbas, & audiens orauit dicens, *Ne perdamus ouem, funem Deus aufer, & hoſtem*, Cui Angelus; *Libero captiuum, tu corripe deſidioſum.* Deuotè ergo inclinandum ſemper. Sunt huius generis exempla multa apud Cæſarium, & in de illuſtribus viris, ex quibus omnibus comprobatur quantæ ſit culpæ, hunc gloriæ Hymnum dicere indeuotè.

VERVM vt deuote dicatur, neceſſe eſt habere aliqua inflammatiua obiecta, & gratitudinis excitatiua; quæ ſunt Dei beneficia, quorum aliqua huic Hymno correſpondentia, ſunt hic aſſignata, vbi & ea, quæ latius articulatim de myſterijs Chriſti, ſupra immediate ſunt poſita, quia Hymnus iſte ſic poſtulat, cõpendioſe innectuntur. Et licet in ſecunda parte de eis, quæ hic Patri, & Spiritui ſancto attribuuntur, plenius agatur; propter multitudinem tamen, non omnibus facile eſt eorum ſub horis reminiſci, quare hic ponuntur quędam generaliora huic Hymno gloriæ facile applicabilia.

In omnibus igitur gratias agite. 1.Theſ.5. Omne beneficium ſecundum Bonauenturam, aut eſt Naturæ, aut Gratiæ, vel Superexcellentiæ: II.
Naturæ, ſunt dona creationis; Gratiæ, iuſtificationis; Superexcellentiæ, redemptionis. Hęc ſunt tria munera precioſa, tribus perſonis diuinis appropriata. Patri enim attribuitur creatio; Filio redemptio; Spiritui ſancto iuſtificatio. Quotiens igitur Hymnus Trinitatis canitur, totiens horum beneficiorum conuenit reminiſci, vt deuotius dicatur. Et quoniam alterna delectant; ſunt ſecundum ſingulos dies variata; adinuicem reſpectum, vt proſpicienti patebit, habentia. Horum itaque reminiſcamur, & deuotiſſime hunc hymnum gloriæ; vel ex affectu complacentiæ, aut laudis, aut gratitudinis, (ſecundum Gerſonem in de Hymno gloriæ) hoc modo concinamus.

Eſto ſit dies Lunæ, id eſt Feria ſecunda, hoc modo ſemper ad Gloria Patri canes, *Gloria* laus honor, & gratiarum actio: *Patri*, qui mihi dedit prædeſtinationis, & conditionis ſublimitatem; *Gloria Filio*, qui per antecedentia ſuum ortum, & per mundi ingreſſum, id eſt incarnationem, pro his beneficijs Patri, & Spiritui ſancto, vicem pro me rependit, & pro eorundem abuſu plene ſatisfecit; *Gloria* demum *Spiritui ſancto*, qui me iuſtificans, dedit vocationis, & conuerſionis gratiam ſpecialem.

Vel cui particularia hæc commemorare piguerit; vel ſaltem generalia hoc modo tractet, (*Gloria Patri*) qui me, cũ non eſſem, creauit, (*Filio*) qui me perditũ reſtaurauit, (*Spiritui ſancto*) qui Filium iræ iuſtificauit. Tanta inquã, ac talis, pro his omnibus, & ſingulis ſit (*Gloria*) quanta erat (*in principio*) cum eum laudarent aſtra matutina; quanta (*nunc & ſemper*) in huius vitæ decurſu, ei dabitur ab vniuerſali Eccleſia, quantaque erit (*in ſęculorum ſecula*) ab omnibus Beatis in patria. Talis inquam ſit ei, iam in ſimul, & præſentialiter; qui tanta mihi tribuit beneficia; Tam grauidum, & deuorum includit ſenſum; *Sicut erat in principio*, Vnde ſemper canendum, cum magno affectu cordis.

Portò de gratitudinis inductiuis, practica, & modis eius, nihil hic ſupereſt dicendum, cum tanta inde dicantur infra, ſub diuerſis locis. Tantum commonemus, vt *deuotè, & magnificè, aſſiduè, & integrè gratias Deo*, non tam dicamus, quam agamus. Non enim

gratiarum dictionem, ſed gratiarum actionem, exigit à nobis Dominus Deus; vt non verbo, & lingua tantum; ſed opere, veritate, & vita, nos gratos exhibeamus illi ſemper. Comprehenduntur autem beneficia hæc pro Memoriali, ſub verſiculorum carminibus iſtis, à grauiſſimo, & verè ſub Chlamyde ſæculari, religioſiſſimo viro, & Domino compoſitis.

	Patris,	*Filij.*	*Spiritus ſancti.*
Pro Feria	2. Te genitor creat;	Hic carné capit,	Ille leuauit.
	3. Corpus habes.	hic natus adeſt.	dedit ille ſacrara.
	4. Hic animam.	mirãda facit.	tibi grata peregit.
	5. Hic victum.	Vixit mandans.	Tibi ſcripta reuelat.
	6. Conſeruat.	patitur moriens.	te iuſtificauit.
	7. Angelicos dedit.	hic dormit.	Sãctos ter donat.
Domin.	Obſequiũ.	ſurgit	cæleſtia gaudia donat.

Horum intellectus ex ſubſequentibus patet, ſolum exerceatur affectus.

Poterit tamen qui volet, ex facili alia commemorare beneficia, quæ ponuntur infra in beneficiario, per ſingulos dies, & horas aſſumendo ſingula. Aut in genere,

Gratias dicere pro beneficijs { Generalibus, Specialibus, Singularib. } *Scil.* { Naturæ, Gratiæ. Gloriæ.

Qui poterit. deſcendat ad hæc ſpecialia, quæ applicabilia ſunt ſanctæ Trinitati: Vt ſic cum attentione, & deuotione, deuotiſſimus ille gloriæ Hymnus perſonetur. Qui tanto dicendus venit deuotius; quanto in Eccleſiaſtico officio repetitur frequentius. Quem cum annexo verſu Beatus Hieronymus ſcripſit, inter Opuſcula, quæ Papæ Damaſo miſit. Et eiuſdem rogatu idem Damaſus, illos in fine pſalmorum cantari inſtituit. Ante tamen longè, & editus, & frequentatus fuiſſe reperitur. *Gloria Patri*, primus verſus, quem inſtituerat Nycena Synodus. Qui immediatè ſubnectitur poſt, *Deus in adiutorium*, quaſi in laudem, & gratitudinem, quod exaudierit, & intenderit in adiutorium noſtri Deus; qui per Prophetam dixit, *Adhuc te loquente, ecce adſum.* Similiter poſt quemque pſalmum ſubditur, eo quòd verſus iſte, totius Trinitatis ſimplex laus eſt, conſummatio, & perfectio cuiuſque boni operis. Tum etiam, quia pſalmus bonam operationem ſignat; qua finita, meritò gloria danda eſt ei, vnde bonum omne procedit. Deuotiſſimè ergo (vt ſupra monitum eſt) erit concinendus, cum ſumma attentione, & integra deuotione mentis, & affectus. Eſt autem gloria iuxta Tullium, frequens de aliquo fama cum laude. Aut clara cum laude notitia, vt ait Ambroſius, vel ſecundum Patrem Auguſtinum in 5. de Ciuit. Dei, Gloria eſt iudicium hominum, rectè, & benè iudicantium; vnde proprie in magna æſtimatione de Deo conſiſtit: Quę deſideratur, & petitur ſummæ Trinitati perſiſtere in ſummo, & in omne tempus; vt optatiuus verſiculus, *Sicut erat*, complectitur; connectens omne tempus præteritum, præſens, & futurum. Immo & æternum, & vltra omne tempus; quod intuenti de triplici temporis differentia facile patet. Vltimum. autem *in ſecula ſeculorum* notar. Quotiens enim (ait Origenes) *ſecula ſeculorum* nominatur, Fortaſſe (licet nobis ignotus) tamen à Domino ſtatutus aliquis terminus indicatur. Aut in *æternum* ſignificat, & vltra; Multæ itaque deuotionis, & maximæ affectionis eſt verſiculus iſte, qui tantum laudis, & gloriæ Deo cupit, optat, & comprecatur quolibet momento; quaſi vnquam fiat, eſt, & erit in æternum, & vltra. Cantetur itaque hilarato corde, & huiuſmodi obiectorum commemoratione.

Gen. 5. 46

Iac. 1.

Gloria quid.

Sequitur figura de forma, & ratione canendi deuotè Hymnum illum Trinitatis, Gloria Patri &c. Per ſingulas Ferias, & Dominicas, cum motiuis, & rationibus propter quas cantatur.

Gloria Patri.

Gratus eſto Patri.

Propterbeneficia naturæ, & creationis, quæ illi attribuuntur, propter potentiam maieſtatis. Et comprehenduntur hæc creationis bẽneficia, in articulis ſubſequentibus nempe propter

Fer. 2. *Prædeſtinationis & conditionis ſublimitatem.*

Quod ſcil.
- Ab æterno tui ſollicitus, te prædeſtinauit.
- Eſſe, vitam, ſenſum, in tempore donauit.
- Et nobiliſſimam te creaturam, hominem ſcilicet, creauit.

Fer. 3. *Corporis organici ingenuitatem.*

Dãdo
- Senſuum, & mẽbrorum integritatem.
- Complexionis viuacis euctaticã ſanitatem.
- Sexus ingenuam nobilitatem.

Fer. 4. *Animæ rationalis dignitatem.*

Eam
- Creando conſultò ad imaginẽ, & ſimilitudinem Trinitatis.
- Præferendo cunctis, amore ſingularitatis.
- Decorando viribus, & actibus dignitatis.

Fer. 5. *Victus & veſtitus frugalitatem.*

Et hoc quoad
- Vſum neceſſariũ.
- Ornatum congruum,
- Statum honeſtum,

Ne oportere
- Labore,
- Mendicare,
- Sollicitare.

Fer. 6. *Conſeruationis, & gubernationis ſedulitatem.*

Et
- Te, & omnia propter te, in optimo eſſe conſeruando.
- Ab hoſtibus, periculis, & morbis tutando.
- In proſperis, & aduerſis ſollicite te gubernando.

Et Filio.

Gratus eſto Filio.

Propter beneficia ſuperexcellentiæ, & redemptionis, quæ ei aſcribuntur, propter ſapientiam, & diſpenſationem carnis.

Et includuntur hæc redemptionis beneficia in membris ſubnexis, nempe propter

Antecedentia ortum eius, & mundi ingreſſum.

quia ſcil.
- Ab æterno propter te incarnari diſpoſuit.
- Tanta in figuris & Prophetis omni tempore exegit.
- In plenitudine temporum adueniens naturam tuã aſſumpſit.

Natiuitatem, & vitæ infantilis proceſſum.

quod
- Tam dignãter nat[us] infantiles neceſſitates protulit.
- Legi ſe ſubijciens per temporum incrementa adoleuit.
- Tã diu deliteſcens propter te baptiſmum ſubijt.

Virilis conuerſationis actus, & progreſſum.

quia
- Vias vitæ exẽplo, & verbis edocuit.
- Miraculis clarens omnibus benefecit.
- Pro eo quod diligi debuerat, iniquorum odia & perſecutionem tulit.

Paſſionis præambulum, & ad paſſionem egreſſum.

quod
- Ad locum paſſionis ſpontaneus aduenit.
- A diſcipulo venũdari ſe permiſit.
- Teſtamentum tã inſigne reliquit, & ad paſſionem exijt.

Paſſionem, & dirum mortis diuortium.

quod
- Proditus captus fuit, & ligatus.
- De Iudice ad iudicem ductus.
- Morte cõdẽnatus
- Tanta tormenta, & poſtremò, mortẽ in cruce paſſus.

Et Spiritui ſancto.

Gratus eſto Spiritui ſancto

Propter beneficia gratiæ, & iuſtificationis, quę ei appropriantur, propter clementiam bonitatis.

Et tanguntur hæ gratiæ dona punctis ſubſcriptis, nempe propter

Vocationis, & conuerſionis gratiam ſpecialem.

quoniam
- Et loco, & tẽpore diuulgatæ gratię te naſcifecit.
- Ad fidei gratiã, & Chriſtianiſmũ te vocauit.
- Rurſus aberrantẽ tolerans, conuerſionis gratiã indulſit.

Eccleſiæ, & Sacramentorum Cõmunionem generalem.

quod
- Eccleſiæ materiali, & militanti te aſſociauit.
- Sacramenta, quib[us] deletur culpa, & cõfertur gratia propter te cõfecit
- Ea aſſequendi opportunitatem, & gratiã conceſſit,

Gratiam ſingularem, & dotalem.

quia &
- Dona communia naturæ, & fortunæ cum omnibus conceſſit.
- Specialia dona gratiæ cum aliquibus dedit.
- Singularia deuotionis munia infudit.

Artium ſcientiam, & ſanctarum ſcripturarum ſolamen.

quod
- Ad clericatus te ſtatum acciuit.
- Ingenij acumen, & artium ſcientiam contulit.
- Sanctarum ſcripturarũ libros & intellectũ dedit

Iuſtificationem integralem,

Et
- Voluntatem in bono cõmutando, & eã conſeruando.
- Spem profectus, & adminicula neceſſaria ſubminiſtrãdo
- Virtutum exercitia, & cibum cælicũ donando.

Sabb. *Angelorum, & parentum ob, equitoſitatem.*

Omnes Angelos tibi adminiſtratorios ſpiri-ritus fecit.
Nā Parētes honeſtos bonos & mediocres dedit.
Spirituales inſuper patres, & magiſtros adiecit

Paſſionis & Reſurrectionis intermedium.

quod Tam dignabundè in inferiores partes terræ deſcendit.
Triduo in corde terræ requieuit.
Patres tam victorios è liberauit.

Sanctorum aſſiſtentiam paternalē

quorū Doctrina, & exemplis,
Feruore, & præmijs,
Oratione, & meritis,
ab Errore liberamur.
Torpore excitamur.
Langore ſanamur.

Dom. 1. *Vniuerſi totius commoditatem*

Dedit ſi ſiuſdē Superiora, Paria, Inferiori in Auxilium. Meritū. Obſequiū.
vt Chriſtum, Angelos, & Sāctos.
Homines bonos, & malos.
Mundum, & quæ in eo ſunt.

Victoriam Reſurrectionis, & ſubſequentium triumphum.

quod Reſurgens tam glorioſè cælos conſcendit.
Spiritum ſanctum demittens Eccleſiam cōſtituit.
Pro nobis orans ſe in præmium noſtrū reſeruauit.

Æterni gaudij promiſſionem liberalem.

Promittendo omniū Malorum amotionem.
Bonorum aſſociationem.
Deſideriorum adimpletionem.
Dans ſpē ob Charitatem adoptionis,
Veritatem promiſſionis.
Poteſtatem redditionis.

Horum vberiorem proſecutionem, qui volet, infra in Beneficiario eam requirat. Nam & ſub beneficio comprehenduntur omnes articuli vitæ, & paſſionis Domini plenius iam non poſiti.

De obiectis orationis, ſiue his pro quibus adipiſcendis orandum ſit.

CAPVT VIII.

I. Luc. 11. PEtite, & dabitur vobis. ait Dominus. TERTIVS principalis *latriens* actus, qui agitur ſub horis. eſt exorare Deum; quem eo quoque inſtantius agemus, quo prægnantiora nobis obiecta aſſumpſerimus. Vt igitur attentius, & feruentius oremus, certa nobis obiecta præſtituere debemus, vt ſcilicet ſingulis horis ſingula quædā expetēda: habeamus ad quod plurimum valent ſeptenæ infrà poſitæ; Quas Bonauentura in Breuiloquio ſuo, ſeptem horis appropriat, & eas tunc orandas inſinuat. Nec ex hoc orationi noſtræ quippiam detrimenti accedet; ſed plurimum emolumenti. Conſpicientes etenim magnam, pro qua petimus, exiſtere cauſam, magna ſollicitabimur deuotione exorare. Et quoniam infra plenius de his ſeptenis agetur; hic tantum vſum, & modum, quo inter orandum exercendæ ſint aſſignemus.

II. Sciendum itaque hoc non noſtri propoſiti eſſe, nec à quibuſlibet conſultum; vt eo tempore, quo laudis, & horarum Canonicarum, ſeu orationum debitarum hoſtias immolare iubemur; harum ſeptenarum meditationi, ſeu conſiderationi intendamus; Scimus nempè, quoniam *ingratum eſt Spiritui ſancto, quicquid obtulerimus, neglectis his, ad quæ tenemur:* Sed ita harum memoria eſt aſſumenda, vt non diſcuſſioni; ſed pro eis adipiſcēdis, orationi inſudemus, vt ſic non impediant; ſed expediant magis. Nam & harum memorialia, triphariam, ſicut & ſuperiorum obiectorum, fieri poſſint, *Ante* horas, ſub horis, & poſt horas: *Ante* quidem vtendum eſt his pro torporis excuſſione, feruoris augmentatione, intentionis directione, vt ſcilicet meminerimus nos non inolita quadam conſuetudine Chorum adire; ſed pro vitiorum extirpatione, & virtutum inſertione Dominum exoraturos, ſimul hoc intentioni inſerendo. *Tantum* enim (iuxta Ambroſium) *agimus, quantum intendimus* *Sub horis* quoque harum memores eſſe debemus: Aut pro tædij amotione, vel pro mentis in Deum eleuatione, aut pro noſtræ orationis exauditione; Ita vt non ſemel modo, ſed & pluries inter orandum, potiſſimum in Pſalmi cuiuſque finem, pro his ſuſpiremus, ac Domino decantemus, Da mihi per Pſalmum decantatum, hoc vel illud. N. deuincere vitium, & proficere in contraria virtute. Nam huiuſmodi ſuſpiria inter pſallendum, pro huiuſmodi cauſis fieri Dionyſius Carth. ſuadet dicens: *Et dum alius chorus canit, aut dum aliquid legitur ab vno, cor raptim eſt Deo infigendum, & pro ſingulari cauſa exorandum: Hoc namque* (ait) *fieri poteſt celerrimè ab habituoſo, amoroſo, ac exuberanti in bonis internis.* Hæc Dion. *Poſt autem* horas his conuenit vti, puta in oblatione, & diligentiore retractione, qua homo præſeruatur à facili exitu chori, & leui diſcuſſione.

Ecce hæc practica, hic modus ſeptenas exercendi. Quo modo qui ſe exercitauerit, plurimos idem fructus conſequetur, & potiſſimum iſtos quinque. III.

Feruens, attētus, profectus, amans, ſtabilis, mens.

Primo feruens, id eſt mens redditur ad orandum feruentior, dum non multorum more, inolita conſuetudine chorum accedit, inſtar vitulæ Effraym doctæ diligere trituram, ſed ſuccenſa mente properat, pro obtinenda certa virtute, aut certo vitio extinguendo. Oſe 10.

Sed circa hoc apud plures in dubium venit; ſi certè quippiam à Deo ſit expetendum? maximè cum Socrates (Valerio teſte) dicat *Nihil vltra petendum à Dijs immortalibus, quam vt bona tribuerent; quia hi demum ſcirent, quid vnicuique eſſet vtile; Nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetraſſe melius foret;* vt latius Petrarcha in Rebus Memorabilib⁹ tractat. Ad hoc noſtri Theologi dicunt, quod hæc ſententia ſit aliqualiter vera, quātū ad illa, quę ma lū IIII.

euentum habere poſſunt, quibus & benè, & malè vti contingit; ſicut diuitiæ, & honores, quæ multis, vt (ibidem dicitur) exitio fuere. Sunt tamen quædam bona, quibus homo malè vti non poteſt, vt ſunt quibus beatificamur; quæ & Dominus abſolutè in ſua nos pe-
Mat. 6. tere docuit oratione. Ita tamen, quod omnia, eius finaliter ſint voluntati ſubdenda; ita ſingularia quædam expetere, magnæ eſt vtilitatis, vt dictum eſt.

Alia vtilitas hinc emergens eſt *Attentus* quod homo redditur ad orationem attentior. Nam cauſæ magnitudinem, pro qua orat, attendēs; magnū ſtudet adhibere mētis feruorē; Nimirū ſciens, quoniā nō niſi magnis laborib⁹ magna ſoleant donari. Hinc etiā eſt, quod beatiſſim⁹ Bern. & alij, inter orandū non modo docet, intendere in eum, quem oramus; ſed in cauſam, pro qua oramus, crebrius reflectere mentem.

Tertia eſt, Proficit, quia ex hoc, ſupra id, quod putamus, in vitiorum eradicatione, virtutum inſertione proficiemus. Qui enim iugiter pro his extirpandis, illis inſerendis, ſollicitus fuerit, & orauerit, ſuo voto defraudabitur nunquam. Fixa enim fidei regula fiat, vt *ac-*
Luc 11. *cipiat qui petierit*, quicunque ſit ille, vt Bernard. in ſuis Meditationibus declarat.

Quarta vtilitas eſt, *Amans*, quia hinc oritur quidam habitualis amor virtutum, & odium vitiorum, vt infra plenius eſt proſecutum.

Quinta eſt, Stabilis Mens, quia memoria reformatur, & in bonis ſtabilitur. Huic igitur exercitio inuigilemus, de cuius inductiuis, & vlterioribus practicis agetur infra. Et hæc ſufficiant pro obiectis orationis.

V. SED ſicut præter determinata obiecta de laude, & gratitudine, aſſignata ſunt generalia incitamenta, pro omni indeuotionis torpore excutiendo: Ita breuibus tangemus etiam orationis inductiua, vt ſi quando quis intepuerit, per ea ſe excitare poſſit. Et occurrunt, inter cætera iſta,

Commonet, inſtruxit, exempla, neceſſeque ſuadent.

Perfacilis, grata, quàm nobilis, vtilis, apta.

Primum ad orationis ſtudium inducens eſt, Quod Saluator ipſe ſūmus magiſter, & Scriptura, totiens ad orandum monent. *Petite*, in-
Ibidem. Rom. 12. quit, *& orate & dabitur vobis*. Et Apoſt. diuinitus inſtituti monent. *Orationibus inſtantes ſine* intermiſſione orate. *Oportet ſemper orare*, &c.

Secundum, quia tam diligenter de omnibus
1. Theſ. 5. circumſtantijs orationis *inſtruxit*, Docuit enim quid orandum, quando, vbi, & qua neceſſitate, & quo fine, vt Vmber. ad latum deducit, & ex Euang. patet.

Tertium, mouēt ad id exempla ipſius Saluatoris, & omnium ſanctorum; Notum eſt ex Euangelio de Saluatore, quod frequenti ora-
Luc. 6. Act. 2. tioni intentus fuit; de Apoſtolis patet in actibus Apoſtolorum, & ſanctorum geſtis.

Quartum eſt Neceſſitas ipſius orationis: ſumus enim in loco pugnæ, & in loco miſeriæ;
Videas. vnde neceſſe habemus frequenter ad miſericordiam Dei recurrere. Tria ſolent eſſe occaſio clamandi hominibus ignis, ſcilicet aqua & hoſtes; quæ tria quaſi ſingulis diebus incitare debent, vt in oratione ad Deum clamemus.
Vix eſt dies in qua domus conſcientiæ no- *VI.* ſtræ non ſuccendatur igne infernalis culpæ, igne prauæ concupiſcentiæ, vnde neceſſe habemus ad aquam diuinæ gratiæ, & ad aquam lachrymarum recurrere. Vix eſt dies in qua fluctus malarum cogitationum, non ſuperent caput cordis, vt clamare habeamus, *Domine* *Matt. 8.*
ſalua nos, perimus. Vix eſt dies in qua hoſtes non videamus ad portam qui tam innumeri ſunt, & fortes.

Quintum omnium ſanctorum Adhortatio, quæ vnicum hoc pro ſumma remedij docent. Ber. *Oro vos fratres, vt ſemper habeatis ad manum tutiſſimum orationis refugium, Nemo veſtrum paruipendat orationem ſuam, quia ipſe, ad quem oratis, non paruipendit.*

Sextum monere debet operis facilitas. Null⁹ enim hinc ſe excuſare poteſt; de ieiunio, aut eleemoſina, plures ſe excuſant; ſed non fit de oratione, quæ eſt cordis, dicebat Dauid. *Apud* *Pſal. 41.*
me oratio Deo vitæ meæ, vbi gloſſa. Apud iuſtum ſemper eſt quod dare poteſt, oratio ſcilicet, quæ ſi non poteſt dari ore; poteſt fieri mente. Chryſ. *Solam orationem quaſi tributum offert anima Deo, de ſuis viſceribus.*

Septimo mouere debet ipſius acceptabilitas,
Eſa. 56. *Holocauſta eorum, & victima placebunt* *Eſa. 56.*
mihi, id eſt, orationes; hinc Cant. 2. *Sonet vox tua in auribus meis.* Eſt enim oratio Deo pla- *Cant. 2.*
catiuum ſacrificium, colloquium gratioſum, conuiuium delitioſum: vt deducitur in ſpeculo morali.

Octauo mouebit orationis digna Nobilitas. Non enim officium eſt ruſticorum; ſed officiū filij Dei, & Matris eius, Angelorum, & Sanctorum. Ipſe enim, & Angeli Sancti, orationes noſtras præſentant Deo, Neceſſe eſt aliquid magni eſſe, & admodum pretioſum, quod à tantis præſentatur in cælo. Certè honorabile officium adminiculatem eſſe, & oratorem Dei. Magnus honor eſt frequenter loqui cum Principe magno; Maior cum Rege; maximus cum Rege Regum vt patet.

Nonum eſt orationis Vtilitas, quæ nullis ſat verbis explicari poteſt. Sunt deſuper ſer- *Orationis virtus*
mones Chryſoſtomi. Aug & integri tractatus. Magna virtus orationis quæ effuſa in terra operatur in cœlo. Eſt oratio remedium ſanatiuum, lotorium mundatiuum, xenium placatiuum, omnium rerum officium impetratiuum. Nihil eſt, quod oratio non poteſt. Cœlos aperit, & claudit; Deum placat, & tenet; diabolum vincit & cruciat; in bello corporali & ſpirituali triumphat. Morbos corporis, & mentis ſanat, liberat à periculis, prolongat vitam in terris, & beatificat in cælis. Cum omnia remedia deſunt, iſtud ſemper adeſt; hinc Rex ille pijſſimus dicebat, *Cum ignoremus quid a-* *2. Paral. 28.*
gere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros ad te dirigamus.

Poſtremo omni in tempore, omni in loco, apta eſt oratio, & omni ſtatui; Multum amandum eſt tale officium, quod nullum recipit impedimentum, hyeme, & æſtate; in ſereno & pluuia; in ſanitate & morbo; in domo &

campo, eundo & ſtando ſemper valet oratio. Nemo ergo orationis paruipendat officium, quod non paruipendit Deus: qui, priuſquam exeat de ore, ſcribi eam iubet in libro ſuo. Et vnum indubitanter ſperare poſſumus, vel dabit quod petimus, vel quod nobis nouit vtilius. Si tamen rite oramus.

Sitque humilis, pura, feruens, conſtans, lachrymoſa.

Et hæc ſufficiant de oratione.

De modo priuatę recitandi horas canonici officii.

CAPVT IX.

Matt. 6. I. *CVm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito*,&c. ABVNDE, & plus forſan, quàm ſatis ſit dictum eſt, de perſoluenda diuina laude, maximè in choro; aliquid ſubdendum, qualiter perſoluendæ ſunt, vbi neceſſitas exegerit, horæ in priuato. Super quo breue quidem, ſed non contemnendum capitulum habet pragmatica ſanctio, iubens ſub hoc tenore. *Quoſcunque etiam alibi beneficiatos, ſeu in ſacris conſtitutos, cum ad horas Canonicas teneantur, admonet hæc ſancta Synodus, vt ſi orationes ſuas Deo acceptas fore cupiunt; non in gutture, vel inter dentes, ſeu deglutiendo, aut ſyncopando dictiones, vel colloquia, vel riſus intermiſcendo; Sed ſiue ſoli, ſiue aſſociati, diurnum nocturnumque officiũ reuerenter, verbiſque diſtinctis peragant, ac tali in loco, vnde à deuotione non retrahantur. Ad quem ſe diſponere, & præparare debent, iuxta quod ſcriptum eſt. Ante orationem præpara animam tuam*,&c. Hæc ibi. Ex qua conſtitutione ſynodali patet, vt ſi quando extra chorum officium diuinum ſit dicendum; quantum poſſibile fuerit, homo præſcriptum modum nitatur obſeruare, vt & ante ſe deuote diſponat, Deuotius exoluat; Et poſt in deuotione ſe conſeruet; Ante inquam, ſe debet quantum commodè poterit prædiſponere, tempus debitum, locum aptum, animum recollectum prouidere. Qui in tempore horas dicit, obedit; qui preuenit ex cauſa, prouidet; qui neglihit, ſub graui culpa eſt. Melius tamen eſt præuenire quam omittere; ſed optimum dicere in tempore. Niſi vbi grauior fuerit occupatio. Sub audienda quoque Miſſa, non ſunt ſoluendæ horæ, vbi conuenitur ſacratioribus myſterijs intendere. De loco, cæteris patibus congruentius eſt eas in eccleſia perſoluere. Aut ſaltem in cubiculo, ſeu loco ſecreto; vbi non poterit à deuotione impediri. Porro de animo recolligendo, & ante orationem diſponendo, ſatis commonitum eſt ſupra. Tenes ergo breuiter *modum præparandi*.

1. Cor. 14 II. *ORabo ſpiritu, orabo & mente*, &c. DE MODO exoluendi paucis proſequendũ venit; qui conſiſtit in iſtis.

Dic reuerens, plenè, attendens, ſed & ordine feruens.

PRIMO vt dicantur reuerenter, de cuius modo, & inductiuis plura diximus ſupra. Hic adijcimus, Quod hæc reuerentia in his maximè apparebit, vt dimiſſis omnibus occupationibus; ſe honeſtè diſponat mente, & corpore; Animum recolligendo; intentionem formando; articulum aſſumendo. *Deinde* corporalem reuerentiam in omnibus exhibendo, vt (quemadmodum Bonauent. docet) Ad officium ſtrennue ſtent, iuxta traditionem eccleſiaſticæ diſciplinę, præterquam ad lectiones, & alia vbi, vel inclinandum, vel genuflectendum pro tempore. Debent enim & extra chorum, quantum commodè poterunt, obſeruari ceremoniales obſeruantiæ, vt in omnibus religionis veſtigium reluceat, & diſciplinæ. Debent ergo ad opus Dei, corpus honeſte diſponere. Ad collectas & Trinitatis memoriam, vel modicum inclinare, & vbi oportebit genuflectere. Si quando ad ſedendum debilitas euidens, vel nimia laſſitudo compellat; ſaltem ad inceptionem officij, ad Inuitatorium, Hymnos, & orationem dominicam, & à capitulo in ante, ſurgere nõ omittant. Sed etiam in lecto ægritudinis decumbant, reuerentiam nihilominus quantum poterunt faciant. Huius inſigne exemplum S. Hieron. exhauſtus viribus ſenex, præbet, dum fune ſe erigit &c. De alio Bonauent. commemorat, qui febricitans Completorium in lecto dixit, ſed ab Angelo hoc modo fuerit correptus. Completorium ſub ſocco, nec fructus, nec vtilitas. Cui non diſſimile narrat Ludolphus Carth. Quod cum duo fratres nocte quadam, ſedendo in lectis, quaſi cubando pariter, Matutinas dicerent; mox affuit diabolus cum fœtore intolerabili dicens, Ad talem orationem, tale debetur incenſum. Magnopere ergo obſeruanda ſemper, & vbique in Dei officio reuerentia, & honeſtas.

Quare etiam ſi per viam officium dicatur: etſi non vacat continuè, dum illud dicitur, ab itineratione quieſcere, ſaltem ad collectas, vbi omnino tota in Deum, intentio colligenda eſt, in vno ſaltem loco ſiſtant, & (ſi tempus exegegerit, & locus permiſerit) cum reuerentia genu flectant, vt in oratione communi totum officium venerentur. Diſpoſitio enim corporalis honeſta, deuotionis prouocat affectum, & de intrinſecis motibus exterior ſæpe atteſtatur geſtus: vti legitur de S. Franciſco. Vbique ergo ſeruanda reuerentiæ grauitas in geſtu, ſtatu, motibus, quia vbique diuina maieſtas. III.

Nec ſe æſtimet quis Dei ſeruum, ſi Dei potiſſimam negligat ſeruitutem, quæ appropriato vocabulo Dei ſeruitium nuncupatur. Nec ſibi de gratuitis priuatiſque orationibus blandiatur; ſi circa Canonicas horas, quæ primo loco habendæ ſunt, extiterit deſidioſus. IV.

SECVNDO exolui debent horæ Canonicæ integraliter, ſine aliqua diminutione: Debitor enim plene debet ſoluere creditori; Sicut Eccleſiaſtici volunt, quod decimæ, & alia eorum beneficia, ſibi plene perſoluantur à populo, ſine aliqua diminutione: Sic etiam debent laudes diuinas pro eis exoluere ſine dictionis, aut ſyllabę omiſſione. Alioquin metuendũ illud,

Mat. 5. *Non exibis, donec reddas nouiſſimum quadrantem*, quia fit ibi *ſtatera doloſa, quæ abominatio eſt apud Deum.* Prou. 11.

Ad hanc autem integritatem requiritur, quod dicantur ſonora voce, diſtinctè, cõtinuè, plenè, & perfectè. *De primo* iubet pragmatica, *vt non in gutture dicantur, vel inter dentes.* Et in alio Decreto, *ne clauſa, aut muta labia teneant pſallentes.* Arg. ait gloſſa non ſufficere Clerico horas dicere, ſine verbali expreſſione. Non enim vocaliter has Eccleſia dici conſtituit ſine cauſa, Et ait Pſal. 76. *Voce mea clamaui ad dominum.* Et *de con, e diſ. 5. Non mediocriter tam voce, quam corde iubetur Deus laudandus.* Et in *Cle. de celeb. Miſ. fructum ſoluere labiorum*; vbi patet, quod debet eſſe expreſſio vocalis. Non ergo ſufficit dicere labijs clauſis, quod eſt contra multos indeuotos, & pigros. Pſ. 76.

V. *Deinde* ſoluendæ ſunt *diſtinctè*. Ne ſcilicet verbum maſticando, vel exiliter proferendo, vel nimium feſtinando, dicenda confundantur. Sed heu, quot iam ſyncopæ, & corruptiones, in diuino officio fiunt? Potius eſt irriſio, quam laudatio.

1. Eſd. 8. O fiat præcautio, & emẽdatio. Legebat Eſdras *plenè & diſtinctè.* Soluendæ ſunt *item continuè*, vt ſcilicet interruptiones in eo non fiant interloquendo, vel aliter, niſi neceſſitas cogat. Et hoc Pſalmo, ſeu oratione, vel quocunque alio dicendo completis, aut à capite reſumendo. Sanctus Lurgerus à Rege Carolo ter vocatus, non niſi completis horis adijt, dicens; quia maiori Regi primum loqui oportuit. Sic & Pariſius Theologus, horas cæptas, expectante Epiſcopo pro eo aliquando expleuit, petens ne moleſte ferret, quia maiori Domino locutus fuit, propter huiuſmodi interruptiones factas S. Seuerinus Archiepiſc. grauiter erat in purgatorio afflictus. *Integrè* quoque dicendæ ſunt, & *perfectè*, vt nihil omittatur prorſus de dicendis, etiam vſque ad vltimum verbum, vt vel apud ſe dicat, ſeu ab altero audiat, pro conſuetudine Chori. Ne putet quis ſibi ſufficere, quod alium audiat omnia legere; niſi dicat, quæ ad ſuam pertinent partem; hoc integritas requirit.

VI. SVNT tertiò horæ attente perſoluendæ, pure & ſinceriter; de qua attentione, iam plene ſupra poſitum eſt. Hoc hic commonemus, ne aliquid impertinẽs, aut diſtrahens aſſumatur; ſed ſapienter, & attente ad ea, quæ dicuntur, aduertatur. Orationis enim tempore homo loquitur Deo; ergo nõn debet loqui cum homine, nec verbo exteriori, nec interiori, aliter grauis fit ei contumelia.

ORDINATE denique officium dici, in tempore, cæremonijs debitis, & modo debet. Poſtpoſitiones, implicationes, variationes non facile admittendo. Non enim ſine grandi conſcientiæ ſcrupulo, intermittitur diuini officij debitus ordo; Aut non dicitur modo, & tempore debito. Licet ſupra ſit prænotatum, quod præuenire tempus ſit prouidentię, ſicut tardius dicere negligentiæ, exigit tamen Canon Eccleſiaſticus, dum congrue fieri poteſt, vt dicantur in conſtituto tempore; niſi ſubſit cauſa.

VI. POSTREMÒ ſoluendæ ſunt horæ deuote, & feruenter; ſicut ſatis edoctum eſt ſupra, vt quod orantes dicunt, ex animo dicant ſemper. Non enim vocibus, ſed rebus, & affectibus agitur apud Deum. Hæc examuſſim, & breuiter tetigimus, de modo horas ſoluendi in priuato; in quibus, licet non omnia diximus, non omittendæ ſunt inclinationes reuerentiales, ad glorioſa nomina Ieſus, & Maria, Cum id ſit communis iuris: Et eſt regula generalis, Quod quamuis extra conuentum, conuentualis in omnibus diſciplinæ non obſeruetur diſtrictio: In omnibus tamen Religioſis operibus Religionis debet veſtigium relucere, & modus pro congruitate obſeruari.

Porrò poſt horas Canonicas, non immediatè debent ſe ad alia effundere; ſed in oratione aliquantulum ſubſiſtentes, qualiter opus Dei peregerunt cogitare, dolere de malis, gratias agere de bonis, & conſeruare gratiam acceptæ deuotionis. His ecce modus breuis eſt diuini officij perſoluendi; in quo qui negligentem ſe exhibet, ingratitudinis, & tepiditatis ſuæ teſtis eſt. Super quo notentur ſequentes verſus, VII.

Clerice pauſando dic horas, non properando.
Dicas attentè, dic totum ſupplice mente.
Dic iuxta morem, primo dicaſque priorem,
Cum Domino loqueris orans, non ergo vageris.
Qui bene non dicit horas, Deus hunc maledicit.
Syncopa vitetur, verſus non anticipetur,
Donec finitus omnino ſit bene primus.
Scribit defectus horarum dæmon ineptus:
Quotidie multos valet ex his ſcribere libros.
Cor ſurſum teneas, vbi ſunt quæ poſcere curas.
Vix Deus exaudit illum, qui cor ſibi claudit.
Fac quod profertur lingua, bene cor meditetur.

TITVLVS SEXTVS.

Incipit Exercitium, & Scala ſacra Communionis.

PROLOGVS.

QVi manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit. 1. Cor. 11.
VISO de exoluendo diuino officio in ſeptem horis Canonicis; nunc videndum de altero exercitio ſimili, circa diuinum officium; ſcilicet de Sacra communione, quod aſſumendũ eſt circa Miſſarum celebrationem, & ſacramenti ſumptionem. Non enim minori cura deuotæ ſacramenti ſumptioni, quàm attentæ horarum exolutioni intendendum eſt; præſertim cum hic, non minus quam illic; imò maius periculum impendeat, quod bene innuit Apoſtolus in auctoritate præallegata.

Super quo verbo quidam ait: Ad menſam (inquiens ſummi Regis acceſſurus, vbi Chriſtus in veritate ſumitur; Vbi nihilominus pro anima, & corpore res agitur, cum (teſte Paſchaſio) Angelus Domini illic indignę ſumentes

tes præſto interimere aſſiſtat: Vide quo habitu mentis,& animæ prædiſpoſitione,te deceat,& oporteat adornari. Qui enim tepidè, negligenter,incircunſpectéqne accedit; is (iuxta doctorem Seraphicum)indignè ſumit,& ac ſi Chriſtum occiderit eſt puniendus; vnde & inde iudicium ſibi manducat,& bibit,id eſt, corporis pariter, & animæ damnationē incurrit; Non quidem ſacramenti vitio; ſed ex diſpoſitione ſui.

Iniuriam enim magnam ſacramento facit, qui indignè illud ſumit,vt paſſim à doctoribus ſuper quartum declaratur. Ita vt quidam dicat, nullo alio crimine tam grauiter offendi Deum, quemadmodum indigna participatione huius ſacramenti. Grauius enim quodammodo peccat, quam Iudas tradens,aut Iudęus crucifigens, vt dicitur in Summa vitiorum,& hæc potiſſimum quinque ex cauſis,

In cœliſque,ſciunt,crebro,magis, iſtud amici.

Primo patet ex eo, quia illi peccauerunt contra Chriſtum ambulantem in terris; hi in eum iam regnantem in cælis. *Secundo ſciunt*, id eſt, quia illi (principe Apoſt. teſte) peccauerunt ex ignorantia, hi iam fide diuulgata. *Tertio* Crebro,id eſt,quod illi ſemel eum crucifixerunt, hi autem Crebrius probris afficiunt,& affecerunt. *Quarto*, Magis,hoc eſt,
Pſal.68. quoniam illi vulnera ei inflixerunt, hi autem ſuper dolorem vulnerum addunt, & addiderunt. *Quinto* iſtud Amici, ſcilicet illud inflixerunt inimici: Iſtud quodammodo egerunt amici,ita vt dicere habet, *Si inimicus ma-*
Pſal.54. *ledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique*,&c.

Sanè tamen, quod dictum eſt, dicimus intelligendum. Nam peccatum vnum, grauius eſſe altero poteſt, *Aut ſecundum ſe*, id eſt, ſecundum rationem ſuæ ſpeciei, quæ attenditur ex parte obiecti, & ſic peccatum blaſphemiæ; & infidelitatis cæteris grauius eſt; *Aut peccatum grauius* eſt altero, per *accidens*; puta ex parte ignorantiæ, vel infirmitatis; Et tale peccatum minus eſt eo, quod fit ex certa ſcientia, malitia, vel contemptu. Et ſic peccatum iſtud indigne ſumentium grauius, & cæteris maius dici poteſt, vt vult S. Tho. Et quoniam grauiſſimæ culpæ pœna maior debetur, hinc liquet, quod grauiſſima tormenta, & mala, indigne ſumentes manent. Ita enim de conſecr. diſt.2. dicit Pater Aug. Qui accipit indigne ſacramentum, acquirit magnum tormentum; vt ibi plura dicuntur in hunc paſſum. De quibus malis plenius infra dicetur.

Ex his igitur, vtcunque patet,quam ſit meticuloſum ad hanc accedere menſam; præſertim indiſpoſita mente. Verendum eſt enim ne vel cum beſtia montem tangente lapidetur;
Heb 12. vel cum Oza percutiatur, aut cum Bethſami-
2.Reg 6. tis archam Domini indigne, aut non ſatis dig-
1 Reg 6. de excipientibus, à Domino occidatur. Operæ pretium eſt igitur, præcipue religioſis, ac omnibus huic ſacramento ſedulius deditis, Enchiridion, id eſt, Manuale quoddam habere exercitium, quo & ſe digne diſponant, deuotius accedant, ſumptumque digne obſeruent. Hinc eſt, quod ſcalare quoddam exercitium, ex diuerſis Sanctorum hinc inde dictis collegimus, tripharium partitum,

	Primo,			Præparatorij.
Nam	Secundo,		*ponuntur quidam gradus*	Acceſſorij.
	Tertio,			Terminatorij.

Docentes, & modum præparandi, ſumendi, & abſcedendi, quibus rite factis de digna; vel ſaltem non indigna præſumitur ſumptione. Etſi quibuſdam oneri fuerit hæc graduum multitudo; ſciant ſe non cogi ad omnes percurrendos, eliceant vel paucos, quibus ſe exercitent, & coaptent. Impigris, & exercitatis, non condentibus alas ſub axellis, nil oneroſum videbitur. Multum enim velint. Volun-
tas enim iuxta Bernardum,facit vſum,vſus ex- *Prou.19.*
ercitium,exercitium vires ſubminiſtrat in omni labore. Ruſticus duros habet neruos, fortes lacertos, exercitatio hoc (ait Seneca) fecit. Dum in exercitium venerit, facilis multitudo hæc erit; potiſſimum ſi cuique gradui ſua tempora deputentur. Nam poſſet homo quattuor primos gradus Veſperi percurrere, ante Matutinas, & poſt in duobus ſubſequentibus ſe exercere; ante primas denique & poſt, reſiduos aſſumere; & ſic in iugi perſiſtere ſacramenti præparamento.

Gradus præparatorij Sacræ Communionis.

CAPVT VIII.

P*Reparate corde veſtra Domino.* ACTVS *1.Reg.7.*
actiuorum (iuxta Philoſophum) ſunt in patiente prædiſpoſito: Forma quoque (eodem teſte) ſecundum materiæ prædiſpoſitionem operatur; Et, quicquid recipitur, ad modum recipientis recipitur, ait Regula Topicalis. Similiter iuxta quendam, effectus ſacramentorum, vt plurimum, ſecundum diſpoſitiones ſunt accedentium, vt vel in bonum, aut in malum cooperentur. Nam & malis ſancta, (*vt de conſecr. diſt.2.*) obeſſe poſſunt. Hinc ait Raymundus, Effectus ſacramentorum eſt, vt talia ſint cuilibet, qualis ipſe accedit. Ex quo patet, quam neceſſaria ſit prædiſpoſitio ad tantum
ſacramentum; imo & decens, & congrua val- *Exod. 19.*
de. Vnde & præcipitur, *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum ſanctificentur, ne percutiam eos.* Vt igitur modum te præparandi ad manum habeas, ſubiunctos præparatorios gradus percurre, quos certis temporibus, vt dictū eſt, ne multitudine obruaris, coaptare debes. Et quoniam in omni negotio, vt vult Bern. oportet voluntatem monere, & excitare, vt velit; ideo primus ponitur gradus, *Excitatio.*

Ad Tertias. *Ieſus fautor munificus Adæ vindex reatus.*

Attende	Protoplaſtorum exaltationem,	in	Dote naturali, & gratuita.
	Præcepti diuini tranſgreſſionem,		Tentatorum culpa, & tentatoris verſutia.
	Diuinam vindictæ vltionem,		Miſericordi iuſtitia, & meritorum exigentia.

Ad Sextas. *Ieſus promiſſus Patribus, Typatus, Prophetatus,*

Attende	Humanam calamitatem,	in	Multa miſeria, & dæmonis perſecutione.
	Diuinam pietatem,		Figurarum typis, prophetijs, & repromiſſione.
	Deſideriorum Patrum granditatem.		Longamini, & amoroſa expectatione.

Ad Nonas. *Ieſus Matris ſollicitus. Ioannes Nunciatus.*

Attende	Regiæ ſtyrpis, & ſacerdotalis electionem,	cũ	Prophetiarum de Virg. & figurarum multiplicitate.
	Virginis conceptum ortum, & educationem,		Gratiarum plenitudine, & deſponſationis cauſalitate.
	Prophetati præcurſoris nunciationem.		Loci, temporis, & nuncij dignitate.

Ad Veſperas. *Ieſus emiſſo Cælitus, legato Incarnatus.*

Attende	Angeli legationem,	cũ	Myſteriorum grauitate, & decenti qualitate.
	Mariæ Virginis reſponſionem,		Sapientia, & multa virtuoſitate.
	Dei conceptum, & Incarnationem.		Circumſtantiarum congruitate, & completa charitate.

Ad Complet. *Ieſus Ioannem dotibus viſans. Ioſeph hortatus.*

Attende	Mariæ ad Eliſabeth viſitationem,	cũ	Parentum gaudio, & humilitate.
	Ioannis ortum, & priuilegiationem,		Puerorum occurſu, & iocunditate.
	Mariæ, & Ioſeph triſtem, & dulcem affectionem.		Ioſeph dubia, & agnita veritate.

FERIA TERTIA.

De Ieſu Natiuitate, & vitæ infantilis proceſſu.

Ad Matutinas. *Ieſus Maria naſcitur, Paſtoribus monſtratus.*

Attende	Dignandam Ieſu Natiuitatem,	cũ	Virtutum exemplaritate, & circumſtantiarum congruitate.
	Matris Virginis obſequioſitatem,		Læta contemplatione, & deuota ſeruitij qualitate.
	Natiuitatis manifeſtationem, & feſtiuitatem.		Angelorum concentu, & Paſtorum iocunditate.

Ad Primas. *Ieſus cultro conciditur, ab auo ſic vocatus.*

Attende	Legalis Circumciſionis rigorem,	in	Cærimonijs, & myſticatione.
	Pueri, & parentum fletus, & dolorem,		Pœnoſa circumciſione.
	Grandem circumciſi honorem.		Digniſſimi nominis impoſitione.

Ad Tertias. *Ieſus à Magis quæritur, cum donis adoratus.*

Attende	Manifeſtantis ſigni congruentiam,	in	Per ſtellam apparendo.
	Magorum ſtudium, & Iudæorum inſipientiam,		Quærendo, & refellendo.
	Donorum typum, & piorum indigentiam,		Munera digna accipiendo.

Ad Sextas. *Ieſus in Templo ſiſtitur, ſuſceptus, Prophetatus.*

Attende	Offerentium humilem deuotionem,	in	Legis non neceſſaria ſubiectione.
	Oblatorum ſignificationem,		Decenti eorum myſticatione.
	Occurrentium facta, & prophetizationem.		Suſceptu, cantu, & exultatione.

Digitized by Google

Ad Nonas. *Ieſus in pueris moritur, extorris, reuocatus.*

Attende	Herodis ambitioſam æmulationem,	in	Pueros pro Chriſto perdendo.
	Innocentium puerorum prouectionem,		Martyrium priuilegiatum perferendo.
	Ieſu exilium, & reductionem,		In Ægyptum fugiendo, & redeundo.

Ad Veſperas. *Ieſus amiſſus quæritur, paret, Nazareth moratus.*

Attende	Ieſu mores, & Religionem,	in	Templi viſitatione, & docendo.
	Parentum mœſtitiam, & exultationem,		Perditum puerum quærendo, & inueniendo.
	Obedientiæ Ieſu, & vitæ occultæ perfectionem,		Parentum ſubiectione, & ſe occulendo.

Ad Complet. *Ieſus vitæ præcurritur, docetur, baptizatus.*

Attende	Baptiſtæ vitam, doctrinam, & perfectionem,	in	Chriſtum poſt venturum promittendo, & ſibi præferendo.
	Baptiſmi conſecrationem, & Ieſu dignationem.		Baptiſmum ſerui ſubeundo, & aquas ſanctificando.
	Circumſtantiarum concurrentium myſticationem,		Cælorum apertione, & Trinitatem apparendo.

FERIA QVARTA.

De Ieſu virilis conuerſationis actibus, & progreſſu.

Ad Matutin. *Ieſus Deſerto abſtinens, victor hoſte tentatus.*

Attende	Ieſu Anachoreſim, & ieiunij perfectionem,	cũ	Sanctis exercitijs, & contemplatione.
	Tentationis ſufferentiam, modum, & repetitionem,		Sapienti Chriſti reſponſione.
	Ieſu victoriam, & hoſtis confuſionem,		Angelorum accedentium miniſtratione.

Ad Primas. *Ieſus diſcipulos colligens, quàm ſanctè conuerſatus.*

Attende	Ieſu manifeſtationem, & prouidentiam,	in	Diſcipulorum attractu, & vocatione.
	Vocatorum qualitatem, & obedientiam,		Relinquendo omnia, & prompta imitatione.
	Sanctam vitam, & beneuolentiam,		Mutua cum eis conuerſatione.

Ad Tertias. *Ieſus pauper, circumiens, fert dura, fatigatus.*

Attende	Ieſu indigentiam, & paupertatem,	in	Famis, ſitis, &c. ſuſtinentia, & nihil poſſidendo.
	Vitam perfectam, & exemplaritatem.		Conuerſationis modo, & calores, frigora, & huius exilij aſpera quæq; perferendo.
	Laborem, laſſitudinem, & negotioſitatem,		Pie circuiendo, & per caſtella, & ciuitates diſcurrendo.

Ad Sextas. *Ieſus perfecta conſulens, doctor verbis ſenſatus,*

Attende	Doctoris, & doctrinæ qualitatem.	cũ	Mira, & ſuaui excellentia.
	Populi ingratitudinem, & ruditatem,		Multa, & cæca maliuolentia.
	Conſiliorum perfectionem, & verborum grauitatem.		Parabolarum occulta intelligentia.

Ad Nonas. *Ieſus cunctorum miſerens, Paſtor laxat reatus.*

Attende	Ieſu miſericordiam, & diligentiam,	in	Ægrorum morbos curando.
	Largitatem, & beniuolentiam,		Famelicos ſuauiter reficiendo.
	Pietatis affluentiam,		Peccatores ad miſericordiam recipiendo.

Ad Veſperas. *Ieſus miranda faciens, monte transfiguratus*

Attende	Ieſu diuinam potentiam,	in	Miracula inaudita faciendo.
	Congruitatem miraculorum, & ſufficientiam,		Typo, & numero ea operando.
	Transfigurationis glorioſæ lætitiam.		Gloriam, & teſtes videndo.

Digitized by Google

Ad Complet. *Ieſus blaſphemos patiens, irriſus inſectatus.*

Attende	in
Iudæorum duram feritatem,	Chriſtum inceſſanter perſequendo.
Conuitiorum qualitatem, & quantitatem,	Corde, ore, & opere inſectando.
Ieſu piam mititatem, & bonitatem.	Semper docendo, & benefaciendo.

FERIA QVINTA.

De Paſſionis Ieſu præambulis, & ad Paſſionem egreſſu.

Ad Matutinas. *Ieſus Lazarum ſuſcitans. Spirans Effrem moratus.*

Attende	in
Suſcitationis Lazari prodigium.	Paſſionis Ieſu occaſione.
Iniquum Iudæorũ contra Chriſtum conſilium,	Inuidia, & æmulatione.
Ieſu mite, & imitandum exemplum.	Fuga, & ad tempus declinatione.

Ad Primas. *Ieſus ſcandit mirificans. Vnctus rex lachrymatus.*

Attende	in
Aſcendentis promptam pietatem,	Cum miraculis ad paſſionis locum properando.
Tanti Regis humilitatem,	Vnctione, apparatu, & Aſello inſidendo.
Turbæ obſequium, & vrbis calamitatem,	Honore exhibito, & lacrymas fundendo.

Ad Tertias. *Ieſus templo effugitans, ſanat repudiatus.*

Attende	in
Ieſu imitandam exemplaritatem.	Templi deuota viſitatione.
Ieſu zelum, & pietatem,	Vendentium eiectione, & ægrorum curatione.
Ieſu repudium, & charitatem,	Iudæorum abiectione, & gentium conuerſione.

Ad Sextas. *Ieſus ficum exterminans, docet, monte precatus.*

Attende	in
Ieſu eſuriem, & fatigationem,	Crebro, & ſollicitè diſcurrendo.
Ieſu doctrinam, & infatigabilem dilectionem,	Ad bona cohortando, & oratione pernoctando.
Iudæorum ingratitudinem, & obſtinationem.	Humanitatem, & hoſpitium negando.

Ad Nonas. *Ieſus tentatus ſuperans, parabolas præfatus.*

Attende	in
Iudæorum ſubdolam tentationem,	Varia, & inſidioſa quæſtione.
Ieſu ſapientem, & æquam reſponſionem,	Egregia confutatione.
Parabolarum myſticationem, & prophetizationem,	Futurorum in monte prædictione.

Ad Veſperas. *Ieſus cum ſuis commorans, Iuda appreciatus.*

Attende	in
Matris, & ſuorum deſolationem,	Pia ſupplicatione.
Ieſu hortamenta, & conſolationem,	Rationabili excuſatione.
Iudæorum, & Iudæ commercium, & pactionem,	Iniqua Chriſti venditione.

Ad Completor. *Ieſus diſcumbit, conſecrans, lauit, ſermocinatus.*

Attende	cũ
Ieſu manſuetudinem, & humilitatem,	Agni eſu, & pedum ablutione,
Ieſu munificentiam, & donorum dignitatem,	Sacerdotij, & Sacramenti inſtitutione.
Diſcipulorum mœſtitiam, & ſermonis profunditatem.	Ignito eloquio, & dulci conſolatione.

FERIA

FERIA SEXTA.

De paſſione Ieſu, & diro mortis diuortio.

Ad Matutinas. *Ieſus egreſſus, anxius, orat, captus, ligatus.*

Attende
- Ieſu proceſſum doloroſum,
- Iudæ, & Iudæorum acceſſum doloſum,
- Diſcipulorum receſſum timoroſum.

in
- Aſſumpta triſtitia, orationis agonia, & ſudatione.
- Oſculi proditione, & dira captione.
- Magiſtri ligati derelictione,

Ad Primas. *Ieſus coram iudicibus, ſpretus, & accuſatus.*

Attende
- Variam Ieſu ad iudices deductionem,
- Falſo accuſati piam reſponſionem,
- Iudicium & Iudæorum nequitiam, & Ieſu irriſionē,

cū
- Subdola inquiſitione.
- Multa pœnarum inflictione.
- Alba veſte induti ad latronem comparatione.

Ad Tertias. *Ieſus flagellis liuidus, Rex, luſus, præſentatus.*

Attende
- Ieſu diram flagellationem,
- In ſtemmate Regio illuſionem,
- Educti verecundiam & præſentationem,

cū
- Sanguinis profluuio, & multa truculentia,
- Summa confuſione, & contumelia.
- Tumltuoſi clamoris vehementia.

Ad Sextas, *Ieſus damnatus, baiulus crucis, cruci clauatus.*

Attende
- Ieſu iniquam condemnationem,
- Crucis ſcandaloſam baiulationem,
- Contumelioſam inter latrones ſuſpenſionem,

cū
- Plena & omnimoda innocentia.
- Subſequentium conſolatione, & differentia.
- Summa pœna, & irreuerentia.

Ad Nonas. *Ieſus pendens ſ'pitioquus, expirat, lamentatus.*

Attende
- Pendentis pœnam, & tormentum,
- Ieſu teſtationem, & ſeptem verborum, ſacramentum,
- Mortis ſupplicium, & orbis lamentum,

cū
- Circumſtantiarum aggrauatione.
- Magno myſterio, & noſtra eruditione.
- Totius machinæ, & creaturę concuſſione.

Ad Veſperas. *Ieſus tranſfixus, Roſeus cruore declauatus.*

Attende
- Mortui tranſlationem,
- Fluentem aquam, & ſanguinem,
- Affixi depoſitionem,

cū
- Corporis liuidi, & lacerati decoloratione.
- Sacramentorum emanatione.
- Matris, & ſuorum deſolatione.

Ad Complet. *Ieſus vnctus cum fletibus, ſepultus, obſeruatus.*

Attende
- Matris, & amicorum deſideria,
- Vnctionis pia miniſteria,
- Planctum magnum, & ſuſpiria,

In
- Corporis obſeruatione.
- Sepulchris præparatione.
- Corporis inuolutione, & tumulatione.

SABBATO.

De Paſſionis, & Reſurrectionis intermedio.

Ad Matutinas. *Ieſus victor, ad inferos ſcandens. Patres beauit.*

Attende
- Ieſu victorioſum imperium,
- Votiuum Patrum deſiderium,
- Dignandum Ieſu deſcenſum,

in
- Mortem, & eius auctorem triumphando.
- Ieſum ardenter expectando.
- Inferos frangendo, & Patrum vota ſatiando.

Ad Primas. *Ieſus Matri diſcipulos, in luctu ſociauit.*

Attende
- Matris dolorem intimum,
- Diſcipulorum timorem maximum.
- Iudæorum furorem mordaciſſimum.

in
- Lachrymas copioſè fundendo.
- Simul intus latendo.
- Sanctos innocentes perſequendo.

Ad

Ad Tertias. *Ieſus teſtes veriſſimos, poſt mortem vendicauit.*

Attende	Iudæorum diſceptationem, Monumentorum apparitionem, Fidelium nutantium confirmationem,	in	Signis quę viderunt. His qui ſurrexerunt. Chriſto quem crediderant.

Ad Sextas. *Ieſus fructus dulciſſimos gignens, clauſa palauit.*

Attende per crucem.	Omnia mala ablata, Omnia bona collata, Signacula clauſi libri reſerata,	in	Culpæ, & pœnæ deletione, Gratiæ, & glorię aſſecutione. Myſteriorum omnium reuelatione.

Ad Nonas. *Ieſus complens vaticinos, typoſque reſerauit.*

Attende	Completa prophetarum vaticinia. Impleta figurarum velamina, Reſerata ſcripturarum abdita,	cũ	Multa luculentia, Magna congruentia. Mira correſpondentia.

Ad Veſperas. *Ieſus quieuit, æmulos torquens, ſe conſeruauit.*

Attende	Triduæ quietis ſacrum myſterium, Confutatum obſeruantium Iudæorum conſilium, Hypoſtaticæ vnionis fortiſſimũ vinculum,	cũ	Verę mortis probatione, & promiſſi completione. Iniquorum deſideriorum, & ſpei fruſtratione. Sanguinis recollecti, & corporis corruptela præſeruatione.

Ad Completor. *Ieſus ſuos præſeruidos vngendi, adamauit.*

Attende	Diſcipulorum laudandam reuerentiam, Mulierum piam diligentiam, Matris firmam confidentiam,	in	Matris conſolatione. Diſcurſu, & vnguentorum præparatione. Certa reſurrectionis expectatione.

DOMINICA DIE.

De Reſurrectionis victoria, & glorificationis triumpho.

Ad Matutinas. *Ieſus ſurgens glorificus, ſuis ſæpe monſtratus.*

Attende	Reſurgentis, & reſurrectionis qualitatem, Magiſtri ſollicitam benignitatem, Diſcipulorum magnam iocunditatem	cũ	Magna decentia, & glorificatione. Apparitione frequenti, & eruditione. Quadraginta dierum conuictu, & ſignificatione.

Ad Primas. *Ieſus ductor exercitus, ſcandit, dextra locatus.*

Attende	Aſcendentis glorificationem, Patrem iubilum, & Angelorum congratulationem, Diſcipulorum mæſtitiam, & conſolationem.	in	Dextra Patris confidendo, Chriſtum in regnum deducendo. Chriſti ſeparatione, & redituri promiſſione.

Ad Tertias. *Ieſus largitor Spiritus, per orbem prædicatus.*

Attende	Donorum magnitudinem, Linguarum varietatem, & miraculorum valetudinem, Prędicationis diffuſam latitudinem,	in	Tanti doni collatione. Audientium admiratione, & conuerſione. Totius orbis repletione.

Ad Sextas. *Ieſus rector Hierarchicus, templi gubernans ſtatus.*

Attende	Confortationem, Illuminationem, Reformationem,	*Inter*	Perſecutiones, Hæreſes, Malos Chriſtianos.	*per*	Fortes martyres, Veraces doctores, Sanctos, & Religioſos.

Ad Nonas. *Ieſus noſtri ſollicitus, cum Matre Aduocatus.*

Attende	Ieſu in nos ſollicitudinem, Exauditionis certitudinem, Humanam negligentiam, & ingratitudinem.	in	Matrem aduocatam aſſumendo. Vultu Patris ſe ſe offerendo. A bono, & gratiarum actione torpendo.

Digitized by Google

Ad Veſperas. *Ieſus iudex æquiſſimus, rex omnibus Prælatus.*

Attende { Iudicis potentiſſimi æquitatem, / Iudicij tremendi qualitatem, / Sublimem regis maieſtatem, } Cū { Diiudicatione iuſta, & remuneratione. / Sententiæ æterna, & irreuocabili damnatione. / Regni qualitate, & ſuaui, ac fælici ſubditorum ſubiectione. }

Ad Complet. *Ieſus Sanctorum iubilus, finis deſideratus.*

Attende { Beatitudinis fælicitatem, / Sanctorum omnium ſecuritatē, / Deſiderij ſatietatem, } *In* { Bonorum omnium collatione. / Malorum omnium ammotione. / Votorum omnium ſatiatione. }

Finiuntur obiecta vitæ, & paſſionis Chriſti ſub horis aſſumenda.

Sequitur Tabula Articulorum ſub eiſdem præcipuè memorabilium.

Quomodo aut qualiter ſe deuotus circa hos articulos exercitare, & dilatare poſſit in Sacra meditatione, plenius expreſſum eſt infra, vbi agitur de vitæ Domini, & paſſionis eius meditatione: Hic ſolum ad hoc articuli iſti ponuntur, vt ſemper habeantur ad manum pro materia diuinæ laudis. Quare & à quodam grauiſſimo, nec minus Religioſiſſimo Palatino, & parlamenti curiæ præſidente, his breuibus verſiculis ſunt perſtricti.

Ad

	Matutinas.	*Primas.*	*Tertias.*	*Sextas,*	*Nonas.*	*Veſperas.*	*Completoriū.*
Pro Feria	2. Eſt genitus.	creat.	eijciens.	eſt deſideratus.	Eligitur virgo.	miſſus.	montana Ioſephque.
	3. Naſcēs.	conciſus.	Stellam.	præſentat, & offert.	Herodē fugiēs.	inuētus.	tertia lauit.
	4. Abſtinet.	elegit.	laſſus.	perfecta docendo.	Laxat.	mira facit.	blaſphem⁹ quarta vocatur.
	5. Suſcitat.	intrauit.	vendentes.	nocte precatus.	Tentāt.	venditus eſt.	diſcūbēs quinta ſacrauit.
	6. Caput.	pontifices.	vapulans.	eſt in cruce tēſus.	Expirat ſexta.	latus intrat.	poſtque ſepultus.
	7. Infernus.	lugent.	ſurgunt.	ac clauſa palauit.	Cōpletur vates	requies.	vnguenta parantur.
Dom.	Surgens.	aſcendit.	mittens.	& cuncta gubernās.	Pro nobis orās.	Iudex.	iubilus quoque finis.

Super his itaqne articulis memorabilibus, & digne memorandis, continuum cantetur alleluia, & iuges dicantur Domino laudes. De quorum inductiuis, vſu, & practica, dicetur infra. Hic ſolum commemorantur pro materia diuinæ laudis; quo occaſio habeatur deuotæ laudationis:

Quomodo beneficia Dei ſub horis ſunt aßumenda, & quare.

CAPVT VII.

1.Theſ. 5. I. IN *omnibus gratias agite Deo.* ET QVONIAM de obiectis loqui cœpimus, adijciemus adhuc pauca de eiſdem loqui. Dictum eſt ſupra, quòd ſecundum tres principaliores, quos in horis agimus, actus, triplicia ſe offerant aſſumenda ſub eis,

Nā { Laudandum, Regratiandum, Orandum, } *eſt ſuper* { Chriſti myſterijs, / Acceptis beneficijs. / Pro extinguendis vitijs, & virtutibus obtinendis.

De laudis obiectis diximus, de beneficijs iam paucis agemus, vt ſic qui omnibus vti non valuerit, vel horum aliqua ſumat, Regratiandum itaque eſt, iuxta Apoſtolum, ſuper omnibus, ſcilicet beneficijs acceptis. Et hoc potiſſmum ſub Hymno gloriæ, qui totiens repetitur in gratiarum actionem. Qui item Hymnus, ſcilicet, *Gloria patri*, ſumma eſt (vt vult Dominus Bonauentura) deuotione concinendus. Vnde & deuotiſſimè inclinandum: Quæ inclinatio (vt ſupra tactum eſt) erit *tempeſtiua*, vt, ſcilicet ante gloria ſurgatur, vt liberius inclinetur; Erit (*deuota*) vt ſcilicet humiliter, & profundè inclinetur; Erit (*ſufficiens*) vt ab ea citius debito non ſurgatur. Honor enim idem qui Patri, & Filio, eſt & Spiritui ſancto exhibendus. Qui hunc reuerentiæ cultum Domino ſubtrahunt, dura admodum à Bonauentura inuectiua inuruntur qui ait: *Sunt qui culpabili admodum remiſſione traducti, hunc reuerentiæ cultum Domino ſubtrahentes euacuant; dum aut prorſus reſident, vſque ad factam memoriam Trinitatis, aut tunc primum ſurgunt, & ſedili eleuando intendunt, quando fuerat inclinandum, aut alias ex negligentia vitio non inclinant.* ☞ *Quantæ tamen ſit hæc noxa, Beata Dei Genitrix, cuidam ſeniori in choro pſallenti indicaſſe refertur, quæ inclinantibus ad Sanctæ memoriam Trinitatis, ſuum filium ipſis ſingulis offerebat; quendam vero minime inclinantem, verſo ab eo vultu, velut indignum hac gratia, pertranſibat.* Hæc ille. Cui non diſſimile quiddam infert Ioannes Vallenſis, dicens: Cuidam ſub vigilijs matutinalibus dormitanti, & ad Gloria Patri, non inclinanti, apparuit Angelus Domini dicens ei, Flecte caput, quia dicis Gloria Patri; Et diabolus ex alia parte reſpondit, Non flecte, niſi triplicem ruperis funem. Quod videns Abbas, & audiens orauit dicens, *Ne perdamus ouem, funem Deus aufer, & hoſtem*, Cui Angelus; *Libero captiuum, tu corripe deſidioſum*. Deuotè ergo inclinandum ſemper. Sunt huius generis exempla multa apud Cæſarium, & in de illuſtribus viris, ex quibus omnibus comprobatur quantæ ſit culpæ, hunc gloriæ Hymnum dicere indeuotè.

VERVM vt deuote dicatur, neceſſe eſt habere aliqua inflammatiua obiecta, & gratitudinis excitatiua; quæ ſunt Dei beneficia, quorum aliqua huic Hymno correſpondentia, ſunt hic aſſignata, vbi & ea, quæ latius articulatim de myſterijs Chriſti, ſupra immediate ſunt poſita, quia Hymnus iſte ſic poſtulat, cōpendioſe innectuntur. Et licet in ſecunda parte de eis, quæ hic Patri, & Spiritui ſancto attribuuntur, plenius agatur; propter multitudinem tamen, non omnibus facile eſt eorum ſub horis reminiſci, quare hic ponuntur quędam generaliora huic Hymno gloriæ facile applicabilia.

In omnibus igitur gratias agite. 1. Theſ. 5. Omne beneficium ſecundum Bonauenturam, aut eſt Naturæ, aut Gratiæ, vel Superexcellentiæ: II. Naturæ, ſunt dona creationis; Gratiæ, iuſtificationis; Superexcellentiæ, redemptionis. Hęc ſunt tria munera precioſa, tribus perſonis diuinis appropriata. Patri enim attribuitur creatio; Filio redemptio; Spiritui ſancto iuſtificatio. Quotiens igitur Hymnus Trinitatis canitur, totiens horum beneficiorum conuenit reminiſci, vt deuotius dicatur. Et quoniam alterna delectant; ſunt ſecundum ſingulos dies variata; adinuicem reſpectum, vt proſpicienti patebit, habentia. Horum itaque reminiſcamur, & deuotiſſime hunc hymnum gloriæ; vel ex affectu complacentiæ, aut laudis, aut gratitudinis, (ſecundum Gerſonem in de Hymno gloriæ) hoc modo concinamus.

Eſto ſit dies Lunæ, id eſt Feria ſecunda, hoc modo ſemper ad Gloria Patri canes, *Gloria* laus honor, & gratiarum actio: *Patri*, qui mihi dedit prædeſtinationis, & conditionis ſublimitatem; *Gloria Filio*, qui per antecedentia ſuum ortum, & per mundi ingreſſum, id eſt incarnationem, pro his beneficijs Patri, & Spiritui ſancto, vicem pro me rependit, & pro eorundem abuſu plene ſatisfecit; *Gloria* demum *Spiritui ſancto*, qui me iuſtificans, dedit vocationis, & conuerſionis gratiam ſpecialem.

Vel cui particularia hæc commemorare piguerit; vel ſaltem generalia hoc modo tractet, (*Gloria Patri*) qui me, cū non eſſem, creauit, (*Filio*) qui me perditū reſtaurauit, (*Spiritui ſancto*) qui Filium iræ iuſtificauit. Tanta inquā, ac talis, pro his omnibus, & ſingulis ſit (*Gloria*) quanta erat (*in principio*) cum eum laudarent aſtra matutina; quanta (*nunc & ſemper*) in huius vitæ decurſu, ei dabitur ab vniuerſali Eccleſia, quantaque erit (*in ſęculorum ſecula*) ab omnibus Beatis in patria. Talis inquam ſit ei, iam in ſimul, & præſentialiter; qui tanta mihi tribuit beneficia; Tam grauidum, & deuotum includit ſenſum; *Sicut erat in principio*, Vnde ſemper canendum, cum magno affectu cordis.

Porrò de gratitudinis inductiuis, practica, & modis eius, nihil hic ſupereſt dicendum, cum tanta inde dicantur infra, ſub diuerſis locis. Tantum commonemus, vt *deuotè, & magnificè, aſſiduè, & integrè gratias Deo*, non tam dicamus, quam agamus. Non enim

gratiarum dictionem, ſed gratiarum actionem, exigit à nobis Dominus Deus; vt non verbo, & lingua tantum; ſed opere, veritate, & vita, nos gratos exhibeamus illi ſemper. Comprehenduntur autem beneficia hæc pro Memoriali, ſub verſiculorum carminibus iſtis, à grauiſſimo, & verè ſub Chlamyde ſæculari, religioſiſſimo viro, & Domino compoſitis.

	Patris,	*Filij.*	*Spiritusſancti.*
Pro Ferijs	2. Te genitor creat;	Hic carnē capit,	Ille leuauit.
	3. Corpus habes.	hic natus adeſt.	dedit ille ſacrata.
	4. Hic animam.	mirāda facit.	tibi grata peregit.
	5. Hic victum.	Vixit mandans.	Tibi ſcripta reuelat.
	6. Conſeruat.	patitur moriens.	te iuſtificauit.
	7. Angelicos dedit.	hic dormit.	Sāctos ter donat.
Pro Dominica	Obſequiū.	ſurgit	cæleſtia gaudia donat.

Horum intellectus ex ſubſequentibus patet, ſolum exerceatur affectus.

Poterit tamen qui volet, ex facili alia commemorare beneficia, quæ ponuntur infra in beneficiario, per ſingulos dies, & horas aſſumendo ſingula. Autem genere,

Gratias dicere pro beneficijs { Generalibus, Specialibus, Singularib. } *Scil.* { Naturæ, Gratiæ. Gloriæ.

Qui poterit, deſcendat ad hæc ſpecialia, quæ applicabilia ſunt ſanctæ Trinitati: Vt ſic cum attentione, & deuotione, deuotiſſimus ille gloriæ Hymnus perſonetur. Qui tanto dicendus venit deuotius; quanto in Eccleſiaſtico officio repetitur frequentius. Quem cum annexo verſu Beatus Hieronymus ſcripſit, inter Opuſcula, quæ Papæ Damaſo miſit. Et eiuſdem rogatu idem Damaſus, illos in fine pſalmorum cantari inſtituit. Ante tamen longè, & editus, & frequentatus fuiſſe reperitur. *Gloria Patri,* primus verſus, quem inſtituerat Nycena Synodus. Qui immediatè ſubnectitur poſt, *Deus in adiutorium,* quaſi in laudem, & gratitudinem, quod exaudierit, & intenderit in adiutorium noſtri Deus; qui per Prophetam dixit, *Adhuc te loquente, ecce adſum.* Similiter poſt quemque pſalmum ſubditur, eo quòd verſus iſte, totius Trinitatis ſimplex laus eſt, conſummatio, & perfectio cuiuſque boni operis. Tum etiam, quia pſalmus bonam operationem ſignat; qua finita, merito gloria danda eſt ei, vnde bonum omne procedit. Deuotiſſimè ergo (vt ſupra monitum eſt) erit concinendus, cum ſumma attentione, & integra deuotione mentis, & affectus. Eſt autem gloria iuxta Tullium, frequens de aliquo fama cum laude. Aut clara cum laude notitia, vt ait Ambroſius, vel ſecundum Patrem Auguſtinum in 5. de Ciuit. Dei, Gloria eſt iudicium hominum, rectè, & benè iudicantium; vnde propriè in magna æſtimatione de Deo conſiſtit: Quę deſideratur, & petitur ſummæ Trinitati perſiſtere in ſummo, & in omne tempus; vt optatiuus verſiculus, *Sicut erat,* complectitur; connectens omne tempus præteritum, præſens, & futurum. Immo & æternum, & vltra omne tempus; quod intuenti de triplici temporis differentia facile patet. Vltimum, autem *in ſæcula ſæculorum* notat. Quotiens enim (ait Origenes) *ſæcula ſæculorum* nominatur, Fortaſſe (licet nobis ignotus) tamen à Domino ſtatutus aliquis terminus indicatur. Aut in *æternum* ſignificat, & vltra; Multæ itaque deuotionis, & maximæ affectionis eſt verſiculus iſte, qui tantum laudis, & gloriæ Deo cupit, optat, & comprecatur quolibet momento; quaſi vnquam fiat, eſt, & erit in æternum, & vltra. Cantetur itaque hilarato corde, & huiuſmodi obiectorum commemoratione.

Gen. 5. 46 *Iac. 1.* *Gloria quid.*

Sequitur figura de forma, & ratione canendi deuotè Hymnum illum Trinitatis, Gloria Patri &c. Per ſingulas Ferias, & Dominicas, cum motiuis, & rationibus propter quas cantatur.

	Gloria Patri.	*Et Filio.*	*Et Spiritui ſancto.*
	Gratum eſſe Patri. Propterbeneficia naturæ, & creationis, quæ illi attribuuntur, propter potentiam maieſtatis. Et comprehenduntur hæc creationis bēneficia, in articulis ſubſequentibus nempe propter	*Gratus eſſe Filio.* Propter beneficia ſuperexcellentiæ, & redemptionis, quæ ei aſcribuntur, propter ſapientiam, & diſpenſationem carnis. Et includuntur hæc redemptionis beneficia in membris ſubnexis, nempe propter	*Gratus eſſe Spiritui ſancto.* Propter beneficia gratiæ, & iuſtificationis, quę ei appropriantur, propter clementiam bonitatis. Et tanguntur hæ gratiæ dona punctis ſubſcriptis, nempe propter
Fer. 2.	*Prædeſtinationis & conditionis ſublimitatem.* *Quod ſcil.* Ab æterno tui ſollicitus, te prædeſtinauit. Eſſe, vitam, ſenſum, in tempore donauit. Et nobiliſſimam te creaturam, hominem ſcilicet, creauit.	*Antecedentia ortum eius, & mundi ingreſſum.* *quia ſcil.* Ab æterno propter te incarnari diſpoſuit. Tanta in figuris & Prophetis omni tempore exegit. In plenitudine temporum adueniens naturam tuā aſſumpſit.	*Vocationis, & conuerſionis gratiam ſpecialem.* *quoniam* Et loco, & tēpore diuulgatæ gratię te naſcifecit. Ad fidei gratiā, & Chriſtianiſimū te vocauit. Rurſus aberrantē tolerans, conuerſionis gratiā indulſit.
Fer. 3.	*Corporis organici ingenuitatem.* *Dādo* Senſuum, & mēbrorum integritatem. Complexionis viuacis eucraticā ſanitatem. Sexus ingenuam nobilitatem.	*Natiuitatem, & vitæ infantilis proceſſum.* *quod* Tam dignāter nat' infantiles neceſſitates protulit. Legi ſe ſubijciens per temporum incrementa adoleuit. Tā diu deliteſcens propter te baptiſmum ſubijt.	*Eccleſia, & Sacramentorum Cōmunionem generalem.* *quod* Eccleſiæ materiali, & militanti te aſſociauit. Sacramenta, quib' deletur culpa, & cōfertur gratia propter te cōfecit. Ea aſſequendi opportunitatem, & gratiā conceſſit.
Fer. 4.	*Animæ rationalis dignitatem.* *Eam* Creando conſultò ad imaginē, & ſimilitudinem Trinitatis. Præferendo cunctis, amore ſingularitatis. Decorando viribus, & actibus dignitatis.	*Virilis conuerſationis actus, & progreſſum.* *quia* Vias vitæ exēplo, & verbis edocuit. Miraculis clarens omnibus benefecit. Pro eo quod diligi debuerat, iniquorum odia & perſecutionem tulit.	*Gratiam ſingularem, & dotalem.* *quia &* Dona communia naturæ, & fortunæ cum omnibus conceſſit. Specialia dona gratiæ cum aliquibus dedit. Singularia deuotionis munia infudit.
Fer. 5.	*Victus & veſtitus frugalitatem.* *Et hoc quoad* Vſum neceſſariū. Ornatum congruum, Statum honeſtum, *Ne oportere* Labore, Mendicare, Sollicitare.	*Paſſionis præambulum, & ad paſſionem egreſſum.* *quod* Ad locum paſſionis ſpontaneus aduenit. A diſcipulo venūdari ſe permiſit. Teſtamentum tā inſigne reliquit, & ad paſſionem exijt.	*Artium ſcientiam, & ſanctarum ſcripturarum ſolamen.* *quod* Ad clericatus te ſtatum acciuit. Ingenij acumen, & artium ſcientiam contulit. Sanctarum ſcripturarū libros & intellectū dedit
Fer. 6.	*Conſeruationis, & gubernationis ſedulitatem.* *Et* Te, & omnia propter te, in optimo eſſe conſeruando. Ab hoſtibus, periculis, & morbis tutando. In proſperis, & aduerſis ſollicite te gubernando.	*Paſſionem, & dirum mortis diuortium.* *quod* Proditus captus fuit, & ligatus. De Iudice ad iudicem ductus. Morte cōdēnatus Tanta tormenta, & poſtremò, mortē in cruce paſſus.	*Iuſtificationem integralem,* *Et* Voluntatem in bono cōmutando, & eā conſeruando. Spem profectus, & adminicula neceſſaria ſubminiſtrādo Virtutum exercitia, & cibum cæleſtū donando.

Sabb. *Angelorum, & patrum ab, eis, quæ fiant, ratione.*

Nã {Omnes Angelos ſibi adminiſtratorios ſpiritus fecit. / Parẽtes honeſtos bonos & mediocres dedit. / Spirituales inſuper patres, & magiſtros adiecit}

Paſſionis & Reſurrectionis intermedium.

quod {Tam digoabundè in inferiores partes terræ deſcendit. / Triduo in corde terræ requieuit. / Patres tam victorios è liberauit.}

Sanctorum aſſiſtentiam paternalẽ

quorũ {Doctrina, & exemplis, / Feruore, & præmijs, / Oratione, & meritis,}

ab {Errore liberamur. / Torpore excitamur. / Langore ſanamur.}

Domi. 1. *Vniuerſi totius commoditatem*

Dedit ſi juidẽ {Superiora, / Paria, / Inferiori} in {Auxilium. / Meritũ. / Obſequiũ.}

vt {Chriſtum, Angelos, & Sãctos. / Homines bonos, & malos. / Mundum, & quæ in eo ſunt.}

Victoriam Reſurrectionis, & ſubſequentium triumphum.

quod {Reſurgens tam glorioſè cælos conſcendit. / Spiritum ſanctum demittens Eccleſiam cõſtituit. / Pro nobis orans ſe in præmium noſtrũ reſeruauit.}

Æterni gaudij promiſſionem liberalem.

Promittendo omniũ. {Malorum amotionem. / Bonorum aſſociationem. / Deſideriorum adimpletionem.}

Dans ſpẽ ob {Charitatem adoptionis, / Veritatem promiſſionis. / Poteſtatem redditionis.}

Horum vberiorem proſecutionem, qui volet, infra in Beneficiatio eam requirat. Nam & ſub beneficio comprehenduntur omnes articuli vitæ, & paſſionis Domini plenius iam non poſiti.

De obiectis orationis, ſiue his pro quibus adipiſcendis orandum ſit.

CAPVT VIII.

I. Luc. 11. P*Etite, & dabitur vobis, ait Dominus.* TERTIVS principalis *latrieus* actus, qui agitur ſub horis, eſt exorare Deum; quem eo quoque inſtantius agemus, quo prægnantiora nobis obiecta aſſumpſerimus. Vt igitur attentius, & feruentius oremus, certa nobis obiecta præſtituere debemus, vt ſcilicet ſingulis horis ſingula quædã ex petẽda: habeamus ad quod plurimum valent ſeptenæ infrà poſitæ; Quas Bonauentura in Breuiloquio ſuo, ſeptem horis appropriat, & eas tunc orandas inſinuat. Nec ex hoc orationi noſtræ quippiam detrimenti accedet; ſed plurimum emolumenti. Conſpicientes etenim magnam, pro qua petimus, exiſtere cauſam, magna ſollicitabimur deuotione exorare. Et quoniam infra plenius de his ſeptenis agetur; hic tantum vſum, & modum, quo inter orandum exercendæ ſint aſſignemus.

II. Sciendum itaque hoc non noſtri propoſiti eſſe, nec à quibuslibet conſultum; vt eo tempore, quo laudis, & horarum Canonicarum, ſeu orationum debitarum hoſtias immolare iubemur; harum ſeptenarum meditationi, ſeu conſiderationi intendamus; Scimus nempè, quoniam *ingratum eſt Spiritui ſancto, quicquid obtulerimus, neglectis his, ad quæ tenemur:* Sed ita harum memoria eſt aſſumenda, vt non diſcuſſioni; ſed pro eis adipiſcẽdis, orationi inſudemus, vt ſic non impediant, ſed expediant magis. Nam & harum memorialia, tripharium, ſicut & ſuperiorum obiectorum, fieri poſſunt, *Ante* horas, ſub horis, & poſt horas: *Ante* quidem vtendum eſt his pro torporis excuſſione, feruoris augmentatione, intentionis directione, vt ſcilicet meminerimus nos non inolita quadam conſuetudine Chorum adire; ſed pro vitiorum extirpatione, & virtutum inſertione Dominum exoraturos, ſimul hoc intentioni inſerendo. *Tantum* enim (iuxta Ambroſium) *agimus, quantum intendimus* *Sub horis* quoque harum memores eſſe debemus: Aut pro tœdij amotione, vel pro mentis in Deum eleuatione, aut pro noſtræ orationis exauditione; Ita vt non ſemel modo, ſed & pluries inter orandum, potiſſimum in Pſalmi cuiuſque finem, pro his ſuſpiremus, ac Domino decantemus, Da mihi per Pſalmum decantatum, hoc vel illud. N. deuincere vitium, & proficere in contraria virtute. Nam huiuſmodi ſuſpiria inter pſallendum, pro huiuſmodi cauſis fieri Dionyſius Carth. ſuadet dicens: *Et dum alius chorus canit, aut dum aliquid legitur ab vno, cor raptim eſt Deo infigendum, & pro ſingulari cauſa exorandum: Hoc namque* (ait) *fieri poteſt celerrimè ab habituoſo, amoroſo, ac exuberanti in bonis internis.* Hæc Dion. *Poſt autem* horas his conuenit vti, puta in oblatione, & diligentiore retractione, qua homo præſeruatur à facili exitu chori, & leui diſcuſſione.

Ecce hæc practica, hic modus ſeptenas exercendi. Quo modo qui ſe exercitauerit, plurimos idem fructus conſequetur, & potiſſimum iſtos quinque. III.

Feruens, attentus, profectus, amans, ſtabilis, mens.

Primo feruens, id eſt mens redditur ad orandum feruentior, dum non multorum more, inolita conſuetudine chorum accedit, inſtar vitulæ Effraym doctæ diligere trituram, ſed ſuccenſa mente properat, pro obtinenda certa virtute, aut certo vitio extinguendo. Oſe 10.

IIII. Sed circa hoc apud plures in dubium venit; ſi certè quippiam à Deo ſit expetendum? maximè cum Socrates (Valerio teſte) dicat *Nihil vltra petendum à Dijs immortalibus, quam vt bona tribuerent; quia hi demum ſcirent, quid vnicuique eſſet vtile, Nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetraſſe melius foret*; vt latius Petrarcha in Rebus Memorabilib⁹ tractat. Ad hoc noſtri Theologi dicunt, quod hæc ſẽtẽtia ſit aliqualiter vera, quãtũ ad illa, quę ma lũ

euentum habere poſſunt, quibus & benè, & malè vti contingit; ſicut diuitiæ, & honores, quæ multis, vt (ibidem dicitur) exitio fuere. Sunt tamen quædam bona, quibus homo malè vti non poteſt, vt ſunt quibus beatificamur; quæ & Dominus abſolutè in ſua nos petere docuit oratione. Ita tamen, quod omnia, eius finaliter ſint voluntati ſubdenda; ita ſingularia quædam expetere, magnæ eſt vtilitatis, vt dictum eſt. Mat. 6.

Alia vtilitas hinc emergens eſt *Attentus* quod homo redditur ad orationem attentior. Nam cauſæ magnitudinem, pro qua orat, attendēs; magnū ſtudet adhibere mētis feruorē; Nimirū ſciens, quoniā nō niſi magnis laborib⁹ magna ſoleant donari. Hinc etiā eſt, quod beatiſſim⁹ Bern. & alij, inter orandū non modo docet, intendere in eum, quem oramus; ſed in cauſam, pro qua oramus, crebrius reflectere mentem,

Tertia eſt, Proficit, quia ex hoc, ſupra id, quod putamus, in vitiorum eradicatione, virtutum inſertione proficiemus. Qui enim iugiter pro his extirpandis, illis inſerendis, ſollicitus fuerit, & orauerit, ſuo voto defraudabitur nunquam. Fixa enim fidei regula fiat, vt *accipiat qui petierit*, quicunque ſit ille, vt Bernard. in ſuis Meditationibus declarat. Luc 11.

Quarta vtilitas eſt, *Amans*, quia hinc oritur quidam habitualis amor virtutum. & odium vitiorum, vt infra plenius eſt proſecutum.

Quinta eſt, Stabilis Mens, quia memoria reformatur, & in bonis ſtabilitur. Huic igitur exercitio inuigilemus, de cuius inductiuis, & vlterioribus practicis agetur infra. Et hæc ſufficiant pro obiectis orationis.

V. SED ſicut præter determinata obiecta de laude, & gratitudine, aſſignata ſunt generalia incitamenta, pro omni indeuotionis torpore excutiendo: Ita breuibus tangemus etiam orationis inductiua, vt ſi quando quis intepuerit, per ea ſe excitare poſſit. Et occurrunt, inter cætera iſta,

Commonet, inſtruxit, exempla, neceſſeque ſuadent.

Perfacilis, grata, quàm nobilis, vtilis, apta.

Primum ad orationis ſtudium inducens eſt, Quod Saluator ipſe ſūmus magiſter, & Scriptura, totiens ad orandum monent. *Petite*, inquit, *& orate & dabitur vobis*. Et Apoſt. diuinitus inſtituti monent. *Orationibus inſtantes ſine intermiſſione orate. Oportet ſemper orare*, &c. Ibidem. Rom. 12.

Secundum, quia tam diligenter de omnibus circumſtantijs orationis *inſtruxit*, Docuit enim quid orandum, quando, vbi, & qua neceſſitate, & quo fine, vt Vmber. ad latum deducit, & ex Euang. patet. 1. Theſ. 5.

Tertium, mouēt ad id exempla ipſius Saluatoris, & omnium ſanctorum; Notum eſt ex Euangelio de Saluatore, quod frequenti orationi intentus fuit; de Apoſtolis patet in actibus Apoſtolorum, & ſanctorum geſtis. Luc. 6. Act. 2.

Quartum eſt Neceſſitas ipſius orationis: ſumus enim in loco pugnæ, & in loco miſeriæ; vnde neceſſe habemus frequenter ad miſericordiam Dei recurrere. Tria ſolent eſſe occaſio clamandi hominibus ignis, ſcilicet aqua & Videas.

hoſtes; quæ tria quaſi ſingulis diebus incitare debent, vt in oratione ad Deum clamemus. Vix eſt dies in qua domus conſcientiæ noſtræ non ſuccendatur igne infernalis culpæ, igne prauæ concupiſcentiæ, vnde neceſſe habemus ad aquam diuinæ gratiæ, & ad aquam lachrymarum recurrere. Vix eſt dies in qua fluctus malarum cogitationum, non ſuperent caput cordis, vt clamare habeamus, *Domine ſalua nos, perimus*. Vix eſt dies in qua hoſtes non videamus ad portam qui tam innumeri ſunt, & fortes. VI. Matt. 8.

Quintum omnium ſanctorum Adhortatio, quæ vnicum hoc pro ſumma remedij docent. Ber. *Oro vos fratres, vt ſemper habeatis ad manum tutiſſimum orationis refugium, Nemo veſtrum paruipendat orationem ſuam, quia ipſe, ad quem oratis, non paruipendit.*

Sextum monere debet operis facilitas. Null⁹ enim hinc ſe excuſare poteſt; de ieiunio, aut eleemoſina, plures ſe excuſant; ſed non ſic de oratione, quæ eſt cordis, dicebat Dauid. *Apud me oratio Deo vitæ meæ*, vbi gloſſa. Apud iuſtum ſemper eſt quod dare poteſt, oratio ſcilicet, quæ ſi non poterit dari ore; poteſt fieri mente. Chryſ. *Solam orationem quaſi tributum offert anima Deo, de ſuis viſceribus.* Pſal. 41.

Septimo mouere debet ipſius acceptabilitas, Eſa. 56. *Holocauſta eorum, & victima placebunt mihi*, id eſt, orationes; hinc Cant. 2. *Sonet vox tua in auribus meis*. Eſt enim oratio Deo placatiuum ſacrificium, colloquium gratioſum, conuiuium delitioſum: vt deducitur in ſpeculo morali. Eſa. 56. Cant. 2.

Octauo mouebit orationis digna Nobilitas. Non enim officium eſt ruſticorum; ſed officiū filij Dei, & Matris eius, Angelorum, & Sanctorum. Ipſe enim, & Angeli Sancti, orationes noſtras præſentant Deo, Neceſſe eſt aliquid magni eſſe, & admodum pretioſum, quod à tantis præſentatur in cælo. Certè honorabile officium adminicularem eſſe, & oratorem Dei. Magnus honor eſt frequenter loqui cum Principe magno; Maior cum Rege; maximus cum Rege Regum vt patet.

Nonum eſt orationis Vtilitas, quæ nullis ſat verbis explicari poteſt. Sunt deſuper ſermones Chryſoſtomi. Aug & integri tractatus. Magna virtus orationis quæ effuſa in terra operatur in cœlo. Eſt oratio remedium ſanatiuum, lotorium mundatiuum, xenium placatiuum, omnium rerum officium impetratiuum. Nihil eſt, quod oratio non poteſt. Cœlos aperit, & claudit; Deum placat, & tenet; diabolum vincit & cruciat; in bello corporali & ſpirituali triumphat. Morbos corporis, & mentis ſanat, liberat à periculis, prolongat vitam in terris, & beatificat in cælis. Cum omnia remedia deſunt, iſtud ſemper adeſt; hinc Rex ille piiſſimus dicebat, *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſiduum, vt oculos noſtros ad te dirigamus.* Orationis virtus. 2. Paral. 28.

Poſtremo omni in tempore, omni in loco, apta eſt oratio, & omni ſtatui; Multum amandum eſt tale officium, quod nullum recipit impedimentum, hyeme, & æſtate; in ſereno & pluuia; in ſanitate & morbo; in domo &

campo, eundo & ſtando ſemper valet oratio. Nemo ergo orationis paruipendat officium, quod non paruipendit Deus: qui, priuſquam exeat de ore, ſcribi eam iubet in libro ſuo. Et vnum indubitanter ſperare poſſumus, vel dabit quod petimus, vel quod nobis nouit vtilius. Si tamen rite oramus.

Sitque humilis, pura, feruens, conſtans, lachrymoſa.

Et hæc ſufficiant de oratione.

De modo priuate recitandi horas canonici officii.

CAPVT IX.

Matt. 6. 1. CVm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito,* &c. ABVNDE, & plus forſan, quàm ſatis ſit dictum eſt, de perſoluenda diuina laude, maximè in choro; aliquid ſubdendum, qualiter perſoluendæ ſunt, vbi neceſſitas exegerit, horæ in priuato. Super quo breue quidem, ſed non contemnendum capitulum habet pragmatica ſanctio, iubens ſub hoc tenore. *Quoſcunque etiam alibi beneficiatos, ſeu in ſacris conſtitutos, cum ad horas Canonicas teneantur, admonet hæc ſancta Synodus, vt ſi orationes ſuas Deo acceptas fore cupiunt; non in gutture, vel inter dentes, ſeu deglutiendo, aut ſyncopando dictiones, vel colloquia, vel riſus intermiſcendo; Sed ſiue ſoli, ſiue aſſociati, diurnum nocturnumque officiũ reuerenter, verbiſque diſtinctis peragant, ac tali in loco, vnde à deuotione non retrahantur. Ad quam ſe diſponere, & præparare debent, iuxta quod ſcriptum eſt. Ante orationem præpara animam tuam,* &c. Hæc ibi. Ex qua conſtitutione ſynodali patet, vt ſi quando extra chorum officium diuinum ſit dicendum; quantum poſſibile fuerit, homo præſcriptum modum nitatur obſeruare, vt & ante ſe deuote diſponat, Deuotius exoluat; Et poſt in deuotione ſe conſeruet; Ante inquam, ſe debet quantum commodè poterit prædiſponere, tempus debitum, locum aptum, animum recollectum prouidere. Qui in tempore horas dicit, obedit: qui præuenit ex cauſa, prouidet; qui negligit, ſub graui culpa eſt. Melius tamen eſt præuenire quam omittere; ſed optimum dicere in tempore. Niſi vbi grauior fuerit occupatio. Sub audienda quoque Miſſa, non ſunt ſoluendæ horæ, vbi conuenitur ſacratioribus myſterijs intendere. De loco, cæteris paribus congruentius eſt eas in eccleſia perſoluere. Aut ſaltem in cubiculo, ſeu loco ſecreto; vbi non poterit à deuotione impediri. Porro de animo recolligendo, & ante orationem diſponendo, ſatis commonitum eſt ſupra. Tenes ergo breuiter *modum præparandi.*

1. Cor. 14. 11. ORabo ſpiritu, orabo & mente, &c. DE MODO exoluendi paucis proſequendũ venit; qui conſiſtit in iſtis.

Dic reuerens, plenè, attendens, ſed & ordine feruens.

PRIMO vt dicantur reuerenter, de cuius modo, & inductiuis plura diximus ſupra. Hic adijcimus, Quod hæc reuerentia in his maximè apparebit, vt dimiſſis omnibus occupationibus, ſe honeſtè diſponat mente, & corpore; Animum recolligendo; intentionem formando; articulum aſſumendo. *Deinde* corporalem reuerentiam in omnibus exhibendo, vt (quemadmodum Bonauent. docet) Ad officium ſtrenue ſtent, iuxta traditionem eccleſiaſticæ diſciplinę, præterquam ad lectiones, & alia vbi, vel inclinandum, vel genuflectendum pro tempore. Debent enim & extra chorum, quantum commodè poterunt, obſeruari ceremoniales obſeruantiæ, vt in omnibus religionis veſtigium reluceat, & diſciplinæ. Debent ergo ad opus Dei, corpus honeſte diſponere. Ad collectas & Trinitatis memoriam, vel modicum inclinare, & vbi oportebit genuflectere. Si quando ad ſedendum debilitas euidens, vel nimia laſſitudo compellat; ſaltem ad inceptionem officij, ad Inuitatorium, Hymnos, & orationem dominicam, & à capitulo in ante, ſurgere nõ omittant. Sed etiam in lecto ægritudinis decumbant, reuerentiam nihilominus quantum poterunt faciant. Huius inſigne exemplum S. Hieron. exhauſtus viribus ſenex, præbet, dum fune ſe erigit &c. De alio Bonauent. commemorat, qui febricitans Completorium in lecto dixit, ſed ab Angelo hoc modo fuerit correptus. Completorium ſub cocco, nec fructus, nec vtilitas. Cui non diſſimile narrat Ludolphus Carth. Quod cum duo fratres nocte quadam, ſedendo in lectis, quaſi cubando pariter, Matutinas dicerent; mox affuit diabolus cum fœtore intolerabili dicens, Ad talem orationem, tale debetur incenſum. Magnopere ergo obſeruanda ſemper, & vbique in Dei officio reuerentia, & honeſtas.

Quare etiam ſi per viam officium dicatur: III.
etſi non vacat continuè, dum illud dicitur, ab itineratione quieſcere, ſaltem ad collectas, vbi omnino tota in Deum, intentio colligenda eſt, in vno ſaltem loco ſiſtant, & (ſi tempus exegerit, & locus permiſerit) cum reuerentia genu flectant, vt in oratione communi totum officium venerentur. Diſpoſitio enim corporalis honeſta, deuotionis prouocat affectum, & de intrinſecis motibus exterior ſæpe atteſtatur geſtus: vti legitur de S. Franciſco. Vbique ergo ſeruanda reuerentiæ grauitas in geſtu, ſtatu, moribus, quia vbique diuina maieſtas.

Nec ſe æſtimet quis Dei ſeruum, ſi Dei potiſſimam negligat ſeruitutem, quæ appropriato vocabulo Dei ſeruitium nuncupatur. Nec IV.
ſibi de gratuitis priuatiſque orationibus blandiatur; ſi circa Canonicas horas, quæ primo loco habendæ ſunt, extiterit deſidioſus.

SECVNDO exolui debent horæ Canonicæ integraliter, ſine aliqua diminutione: Debitor enim plene debet ſoluere creditori; Sicut Eccleſiaſtici volunt, quod decimæ, & alia eorum beneficia, ſibi plene perſoluantur à populo, ſine aliqua diminutione: Sic etiam debent laudes diuinas pro eis exoluere ſine dictionis, aut ſyllabę omiſſione. Alioquin metuendũ illud

Digitized by Google

tes præſto interimere aſſiſtat: Vide quo habitu mentis,& animæ prædiſpoſitione,te deceat,& oporteat adornari. Qui enim tepidè, negligenter,incircunſpectéque accedit; is (iuxta doctorem Seraphicum)indignè ſumit,& ac ſi Chriſtum occiderit eſt puniendus; vnde & iudicium ſibi manducat,& bibit,id eſt, corporis pariter, & animæ damnationẽ incurrit; Non quidem ſacramenti vitio; ſed ex diſpoſitione ſui.

Iniuriam enim magnam ſacramento facit, qui indignè illud ſumit, vt paſſim à doctoribus ſuper quartum declaratur. Ita vt quidam dicat, nullo alio crimine tam grauiter offendi Deum, quemadmodum indigna participatione huius ſacramenti. Grauius enim quodammodo peccat, quam Iudas tradens,aut Iudęus crucifigens, vt dicitur in Summa vitiorum,& hæc potiſſimum quinque ex cauſis,

In cœliſque,ſciunt,crebro,magis, iſtud amici.

Primo patet ex eo, quia illi peccauerunt contra Chriſtum ambulantem in terris; hi in eum iam regnantem in cælis. *Secundo ſciunt*, id eſt, quia illi (principe Apoſt. teſte) peccauerunt ex ignorantia, hi iam fide diuulgata. *Tertio* Crebro,id eſt,quod illi ſemel eum crucifixerunt, hi autem Crebrius probris afficiunt,& affecerunt. *Quarto*, Magis,hoc eſt, *Pſal.68.* quoniam illi vulnera ei inflixerunt, hi autem ſuper dolorem vulnerum addunt, & addiderunt. *Quinto* iſtud Amici, ſcilicet illud inflixerunt inimici: Iſtud quodammodo egerunt amici,ita vt dicere habet, *Si inimicus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique*,&c. *Pſal.54.*

Sanè tamen, quod dictum eſt, dicimus intelligendum. Nam peccatum vnum, grauius eſſe altero poteſt, *Aut ſecundum ſe*, id eſt, ſecundum rationem ſuæ ſpeciei, quæ attenditur ex parte obiecti, & ſic peccatum blaſphemiæ, & infidelitatis cæteris grauius eſt; *Aut peccatum grauius* eſt altero, per *accidens*, puta ex parte ignorantiæ, vel infirmitatis; Et tale peccatum minus eſt eo, quod fit ex certa ſcientia, malitia, vel contemptu. Et ſic peccatum iſtud indignè ſumentium grauius, & cæteris maius dici poteſt, vt vult S. Tho. Et quoniam grauiſſimæ culpæ pœna maior debetur, hinc liquet, quod grauiſſima tormenta, & mala, indignè ſumentes manent. Ita enim de conſecr. diſt.2. dicit Pater Aug. Qui accipit indignè ſacramentum, acquirit magnum tormentum; vt ibi plura dicuntur in hunc paſſum. De quibus malis plenius infra dicetur.

Ex his igitur, vtcunque patet, quam ſit meticuloſum ad hanc accedere menſam; præſertim indiſpoſita mente. Verendum eſt enim ne vel cum beſtia montem tangente lapidetur; *Heb 12.* vel cum Oza percutiatur, aut cum Bethſami- *2.Reg 6.* ris archam Domini indignè, aut non ſatis digne excipientibus, à Domino occidatur. *1 Reg 6* Operæ pretium eſt igitur, præcipue religioſis, ac omnibus huic ſacramento ſedulius deditis, Enchiridion, id eſt, Manuale quoddam habere exercitium, quo & ſe dignè diſponant, deuotius accedant, ſumptumque dignè obſeruent. Hinc eſt, quod ſcalare quoddam exercitium, ex diuerſis Sanctorum hinc inde dictis collegimus, tripharium partitum,

Nam	Primo, Secundo, Tertio,	*ponuntur quidam gradus*	Præparatorij. Acceſſorij. Terminatorij.

Docentes, & modum præparandi, ſumendi, & abſcedendi, quibus ritè factis de digna; vel ſaltem non indigna præſumitur ſumptione. Etſi quibuſdam oneri fuerit hæc graduum multitudo; ſciant ſe non cogi ad omnes percurrendos, eliceant vel paucos, quibus ſe exercitent, & coaptent. Impigris, & exercitatis, non condentibus alas ſub axellis, nil oneroſum videbitur. Multum enim velint. Voluntas enim iuxta Bernardum, facit vſum, vſus ex- *Prou.13.* ercitium, exercitium vires ſubminiſtrat in omni labore. Ruſticus duros habet neruos, fortes lacertos, exercitatio hoc (ait Seneca) fecit. Dum in exercitium venerit, facilis multitudo hæc erit; potiſſimum ſi cuique gradui ſua tempora deputentur. Nam poſſet homo quattuor primos gradus Veſperi percurrere, ante Matutinas, & poſt in duobus ſubſequentibus ſe exercere; ante primas denique & poſt, reſiduos aſſumere; & ſic in iugi perſiſtere ſacramenti præparamento.

Gradus præparatorij Sacræ Communionis.

CAPVT VIII.

P*Reparate corda veſtra Domino.* ACTVS *1.Reg.7.* actiuorum (iuxta Philoſophum) ſunt in patiente prædiſpoſito: Forma quoque (eodem teſte) ſecundum materiæ prædiſpoſitionem operatur; Et, quicquid recipitur, ad modum recipientis recipitur, ait Regula Topicalis. Similiter iuxta quendam, effectus ſacramentorum, vt plurimum, ſecundum diſpoſitiones ſunt accedentium, vt vel in bonum, aut in malum cooperentur. Nam & malis ſancta, (vt *de conſec. diſt.2.*) obeſſe poſſunt. Hinc ait Raymundus, Effectus ſacramentorum eſt, vt talia ſint cuilibet, qualis ipſe accedit. Ex quo patet, quam neceſſaria ſit prædiſpoſitio ad tantum ſacramentum; imo & decens, & congrua val- *Exod. 19.* de. Vnde & præcipitur, *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum ſanctificentur, ne percutiam eos.* Vt igitur modum te præparandi ad manum habeas, ſubiunctos præparatorios gradus percurre, quos certis temporibus, vt dictũ eſt, ne multitudine obruaris, coaptare debes. Et quoniam in omni negotio, vt vult Bern. oportet voluntatem monere, & excitare, vt velit; ideo primus ponitur gradus, *Excitatio*.

MEM-

MEMBRVM I.

De primo gradu, ſcilicet excitatione.

EXCITATIO, Qua, ſcilicet homo iam inſtante communionis tempore ſeſe excitet ad condignam præparationem erga tantum ſacramentum; dicens ſibiipſi, *præparare*
Amos 4. *Iſrael in occurſum Dei tui.* Et hoc.

Propter { Inductiuorum pluralitatem,
Euitandam indignæ ſumptionis dānoſitatem.
Aſſequendam fructuum vbertatem }

§ 1. *Inductiua.*

Inducunt plura, fugias mala, dat bona, præſto hinc.

PRIMÒ propter inductiuorum pluralitatem, debet ſe homo diligentiſſimè præparare Sacræ communioni. Plurima etenim ſunt ad hæc introductiua, ſcilicet,

I. *Exemplum, ſcriptum, dignum, placitum, quia ſuaſum.*

PRIMVM inductiuum eſt, Exemplum, tam primitiuorum fidelium, quam hominum ſæcularium. *Primitiuorum dico fidelium*: Hi enim olim iugiter ſuper ſui cuſtodia ſtabant; vnde & quotidie cōmunicabant. Dū enim in primitiua Eccleſia feruor Dei flammeſcebat, & deuotio ſanguinis Chriſti recenter effuſi, in mentibus fidelium ebulliebat; ſtatutum fuit, quod quotidie communicarent; Ita enim A-
Act.2. poſtoli obſeruabant, vt patet. Et *de conſe. di.2. c.Peracta*, vbi iubet Calixtus Papa, *Peracta conſecratione omnes communicent qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus. Sic enim Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet Eccleſia.* Hæc ille. Poſtque, vt habetur in iure, & allegatur in Summa Antonini, integram ſeptimanam ante, ſe diſponebant, & quidam iam tepeſcente feruore quotidie; quidam vero ad minus omni Dominico die communicabant, vt patet ex libro de Eccleſiaſticis dogmatibus; Et *de conſe. di.2.c. Quotidie.* vbi Pater Aug. quotidie Euchariſtiam ſumere, nec laudat, nec vituperat; ſed omnibus Dominicis diebus communicandum hortatur, digna tamen præparatione præuia.

Itemque ſæcularium Exemplum. Quis enim illorum ſi cui magnus quiſpiam mandaſſet Rex, aut Princeps præpotens ſæcularis, Cras veniam ad te, para mihi hoſpitium, volo apud te facere manſionem; non ſollicitaretur de præparanda, emundanda, & exornanda domo, totam etiam noctem ducens inſomnem, ne quid forraſſis eſſet, quod intrantis offenderet oculos? Et nunc ecce mandat nobis Rex de cælo, quod ad nos velit venire, & nobiſcum, imò & in nobis manere, mandans per Prophe-
Amos 4. tas, *Præparare Iſrael in occurſum Dei tui, quia ecce ego veniam, & manebo in medio tui.* Tergat ergo ſordes praui operis, præparet domum cordis, qui Deum deſiderat inhabitatorem ſuæ mentis.

ALTERVM ad huiuſmodi ſollicitam mentis præparationem inductiuum eſt, frequens, & multiplex commonitio ſanctarum *Scripturarum*. Quæ variis in locis ad hoc cohortantur, vt patet per illius decurſum. *Præ-* 1 Reg.7.
parate, inquiunt, *corda veſtra Domino*. Et, *paratus eſto Iſrael in occurſum Dei tui.* Beati e- Luc.12.
nim qui parati ſunt occurrere illi, vnde & Moyſes in huius figuram præparationis, iuſſerat Iſraelitico populo, *Sanctificamini*, inqui- Leuit. 20.
ens, per condignam, ſcilicet præparationem, *cras comedetis carnes.* Super quo Ambr. *Sanctificabatur*, inquit, *populus biduum, vel triduum, & lauabant veſtimenta ſua, & non aliter ad hoſtiam accedere permittebantur. Si igitur in figura tanta præparatio populo iubebatur, quanta in ipſa veritate tenenda eſt?* Diſce igitur acceſſure quanta opus ſit animi præparatione. Lauare & ſanctificare. Non opus eſt ex ſcripturarum teſtimonijs, quoniam innumera ſunt, plura commemorare.

TERTIVM præparationis condignæ incitatiuum, eſt, quoniam hoc dignum eſt, & iuſtum propter ineffabilem Sacramenti ipſius altitudinem, & dignitatem, quæ infra oſtenditur ex multis ad longum. Notiſſimum eſt, & clamat textus decretorum *de conſe. diſt.2.c. Nihil in ſacrificijs maius eſſe, quam corpus ſit, & ſanguis Chriſti, & nullam aliam oblationem potiorem.* Quæ ſicut cæteris potior, ita venerabilior eſt, &c.

QVARTVM ad idem inductiuum, eſt Eccli.2.
quia id Deo, & ſanctis *placitum*! *Qui enim timent Deum præparabunt corda ſua*, & ſuper hu- Pſ.149.
iuſmodi timentes eſt illi beneplacitum. Quod & ipſis præparantibus commodoſum. Hi etenim ſunt, qui aſſequuntur Sacramenti tam vtiles effectus, & dulciſſimum fructum; de quibus latius agitur infra.

POSTREMVM ad hanc præparationem excitatiuum eſt, *ſuaſus*, id eſt, exhortatio omnium ſanctorum doctorum, qui ad id vnanimiter cohortantur in eorū dictis, & ſcriptis. Sunt ſuper hoc volumina multa. Quid enim aliud inſignis, & nobilis ille Dialogus Baſilij, & Chryſoſtomi clamat? Quid etiam aliud, præclara illa Epiſtola B.Bernardi de dignitate Sacerdotij; & Auguſtini, & aliorum ſermones ſonant? Et tota ipſa diſtinctio ſecunda de conſecratione ab illo *cap. Nihil*, vſque ad capitulum illud *ſacerdotum, in cap. 22.* ad nihil aliud, quam ad reuerendam præparationem incuriendam, vt gloſſa ibi notat, tendit. Tantis itaq; excitati inductiuis, ſtudeamus præparare corda noſtra tantis Sacramentis.

§ 2. *De cordis præparatione propter indigne communionis pericula.*

SEcundo debemus nos diligenter præparando diſponere, propter euitanda indignæ II.
communionis mala, pericula, & damnabilitatē. Nam quemadmodum digna huius Sacramenti ſumptio maximam confert vtilitatem; ita è regione, indignè accedentibus maiora infert. Vnde Apoſtolus horrifica tuba inſo-

nat dicens. *Qui manducat, & bibit indigne, iudi-
cium ſibi manducat, & bibit, reus corporis, &
ſanguinis Domini:* O verbum contremiſcendū,
1.Cor.11. verbum aſperum, durum, & ſuper omnia pa-
uendum! ad cuius auditum, mirum eſt, quod
non tinniāt omniū aures. Sed colligamus mala
ſparſa in ſcripturis, quę aſſequuntur indigne cō-
municantes. Et occurrunt iſta partim corpora-
lia, & partim temporalia, partim ſpiritualia.

Infirmor, breuior, morior, do ſcandala, cæcor:
Irrito, ſpolior, pecco, grauor, ac maledicor.
Obſtinor, inficior, ſathan, inuidor, cibo dānor.

PRIMVM malum, quod incurrit indigne ac-
cedens eſt, Corporis pariter, & mentis *Infirmi
tas.* Corpus enim Chriſti glorificatum, non ſibi
vnit corpus, aut mentem pollutam, nec influit
vitam, ſenſum, & motum gratiæ ſpiritualis; vn-
de relinquitur ariditas mentis, vt etiam faſti-
diat cæleſte illud manna. Quare frequenter
ſubſequitur morbus, & corporis infirmitas, vt
ibidem. paret. Vnde Apoſtolus ait: *Imo inter vos multi
infirmi, & imbecilles.*

ALTERVM malum eſt vitæ huius Breui-
tas. Nam quemadmodum honoranti Patrem,
& Matrem, repromittitur vitæ longæuitas; ita
inhonoranti, accedit breuiatio eiuſdē, ex loco
contrariorum. Et conſtat, nullam maiorem in-
Exod 20. honorationem fieri Deo parenti animarum,
quam indigna participatione huius Sacra-
menti. Hinc in Pſ.108: *Fiant dies eius pauci, &c.*

TERTIVM malum eſt *Mors*, corporis, &
mentis: Vita enim illis vertitur in cauſam in-
Exod.9. teritus. Hinc præcepit Moyſi Dominus, *De-
ſcende, & conteſtare populum, ne forte velint tran-
ſcendere terminos, ad videndum Dominum, &
pereat ex illis multitudo plurima.* Sepe etenim
poſt Paſcha, vbi communicant indigni plures
2 Reg 6. ſuboriuntur ſubitæ peſtilentiæ, plagæ, aut ſtra-
1.Reg.6. ges. Vt patuit in Oza, & Bethſamitis. Stat enim
(vt dicitur in libro Paſchaſij) Angelus Domi-
ni indignè ſumentes mox ferire paratus; niſi
grandis Dei miſericordia pręſeruaret, & gla-
dium ſuſpenderet. Hinc Apoſtolus vbi ſupra,
Pſ.108. ſubdit: *Et dormiunt multi.* Et in Pſal. 108. *Fiat
habitatio eorum deſerta*, per mortalitatem graſ-
ſantis peſtis; *Diſpereat de terra memoria eorum.*

QVARTO indigna communicatio homi-
nem in ſe confundit, & proximum *Scandali-
zat.* Pſal 108. *Fiat menſa eorum in ſcandalum.*
Scandalizantur etenim, qui tam male viuen-
tes communicare vident. Vnde Apoſtolus
Rom.14. commonet, Iudicare magis, ne ponatis offen-
diculum fratri, vel ſcandalum. *Bonum eſt non
manducare, in quo frater tuus offenditur, aut
infirmatur.* Quam etiam homo in ſe ſcandali-
zatur, & confunditur plene, apud Eccleſiaſti-
cū 1. c. exprimitur; vbi dicitur. *Non ſis incredibi-
lis timori Dei, & ne acceſſeris ad eum duplici cor-
de. Ne fueris hypocrita in conſpectu hominum, &
non ſcandalizeris in labijs tuis. Attende in illis,
ne forte cadas, & adducas animæ tuæ inhonoratio-
nem, & reuelet Deus abſconſa tua, & in medio ſy-
nagogę eliidat te, quoniam acceſſiſti maligne ad Do-
minum, & cor tuum plenum eſt dolo, & fallacia.*
O notentur & ponderentur verba!

QVINTO mentem excæcat, vnde Pſal. 108.
Obſcurentur oculi eorum ne videant. Oculus e-
nim æger turbatur ſplendore lucis. *Et excæca-
uit eos malitia*, ait Salomon, & Saluator. *In iudi-
cium ego in hunc mundum veni, vt qui vident, cæ-
ci fiant.* &c. Io. 14.

SEXTO miſericordiam Dei *irritat*, & iram
prouocat: Vnde Pſal. 108. *Effunde ſuper eos irā
tuam* ſicut ſcilicet funditur feruens aqua ſuper
depilandos porcos; *Et furor iræ tuæ comprehen-
dat eos*, ſicut ſcilicet indigne comprehendunt
ſacrum corpus. Quod cum indigne ſumitur
quaſi lamentabiliter conquæritur, *Heu mihi,* Ibidem.
quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertū eſt,
vnde & conſequenter contingit illud Pſal. 77.
*Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei
aſcendit ſuper eos.*

SEPTIMO gratuitis expoliat. Quicquid enim
boni gratiæ, & virtutis in tali homine eſt, hoc
ſanctum Sacramentum de tali homine rapit, &
datur ei, qui habet; & inanis, & vacua illa ani-
ma manet. Vnde Pſal. *Fiat habitatio eorum de-
ſerta, & in Tabernaculis eorum non ſit, qui inha-
bitet.* &, *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueū.*

OCTAVO, nouo & enormi peccato excedit,
& peccata multiplicat: De cuius peccati ex-
ceſſu dicendū inferius; qui tantam contumeliā
Chriſto facit, qui tam imprudenter ſe tali con-
uiuio ingerit. Ita vt dicatur ei. *Amice quomodo* Matt 22.
huc intraſti, &c. Et ſtrictiſſimo Dei iudicio agi-
tur, vt peccatis peccata puniantur, & ex indig-
næ communicationis peccato, homo incidat
in grauiora peccata hinc Pſal. *Appone iniquita-
tem ſuper iniquitatē eorū.* Vt impleatur illud A-
poc. 22. *Qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhuc.*

NONO peccatū, & peccati retributionē parit,
& conſcientiam aggrauat. Aug. *Indigna Sacra-
menti ſumptio non ſatiat, ſed grauat.* Vnde ex fre-
quētiori communione crudeles redduntur ho-
mines, & ſæuiores quaſi rabidi canes. *Nō ergo* Mar.7.
bonū eſt dare panē filiorum canibus. Hinc Aug. *de
conſe. diſt. 2. c. quotidie. Habentes voluntatem pec-
cati, grauari magis dico Euchariſtia, quam purga-
ri. Etc. Qui ſcelerate*, &c. Quare etiam pro quā-
titate culpæ aggrauatur retributio pœnæ: Vt
quemadmodū ipſi deuorāt Chriſtū, ita ſemper
grauioris ſibi damnationis accumulēt gradum.

DECIMO, maledictionē ſibi accumulat: vt
inde plura 1. q. 1. *per totū.* Mal. 2. *Maledicā bene-
dictionib⁹ veſtris*, &c. Et Pſ. 108. *Dilexit maledi-
ctionem, & veniet ei. Induit* itē, *maledictionē, ſicut
veſtimētū, & intrauit, ſicut aqua in interiora eius.*

VNDECIMO obſtinatione quadā mentē in-
durat, Vnde Pſal. *Et dorſa eorū ſemper incurua.*
Et non intrent in iuſtitiam tuam, volentes in ma- Pſal 68.
litia obdurari conſtituere iuſtitiā ſuā. In cuius Num. 14.
figura, Manna condenſabatur, & indurabatur Rom. 10.
ad ignem, liqueſcens ad ſolem.

DVODECIMO veneno inficit, & intoxicat Exod.16.
mentē. Au. Quod bonis antidotū, malis eſt ve-
nenū. Iob 20. *Panis eius in fel vertetur aſpidis.*
Hinc de *conſe. diſt. 2. cap. Sicut Iudas*, cui buccel-
lā tradidit Dominus, nō malū accipiendo, ſed
male accipiendo, locū in ſe diabolo præbuit: ſic
indigne quiſq; ſumēs dominicū ſacramētū, &c.

TERTIODECIMO hominem diabolo poſſi-
dendū tradit. Pſ. 118. *Conſtitue ſuper eum peccatorē,
& diabolus ſtet à dextris eius.* Paret de Iuda, in
quem diabolus poſt buccellam intrauit; vt ibi

ſupra

ſupra *de conſec.* notat Aug.

QVARTODECIMO electiſſimum Dei cibũ felle aſpergit,& ſeſe illo eibat Pſal. 38. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea*, &c.Chry- Pſal.68.
ſoſt. Sicut corporalis cibus, cum ventrem inuenit aduerſis humoribus occupatum,amplius lædit,& nullum auxilium præſtat: Sic ſpiritualis is cibus,indignum magis perdit;non ſua natura;ſed accipientis malitia.

POSTREMO damnatum demonſtrat,& grauius cruciat, iuxta illud, *Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur*, vt oſtenſum fuit in vitiis Patrũ. Indigne enim ſumptũ Sacramentũ, grauius dat tormentum. Sumitur enim ad iudiciũ;vt ad hoc faciũt multi textus Decretorũ.O quam hæc etiam ſolo auditu expaueſcenda. Nec tamen mirandum ſi tanta infligantur pœnalia mala ; vbi tanto exceſſu committuntur criminalia mala. Et ergo etiam in Pſalmis,vnde ſumuntur hæc,ſubditur,quaſi pro omniũ horũ malorũ cauſa,Sumptio ſacra-
Ibidem menti indigna:ſubnectens: *Quoniam quem tu percuſſiſti perſecuti ſunt*,&c.

INDIGNE enim communicans quantum in ſe eſt, committit hæc mala.

Tradit,& affligit,fœdat,calcat,mala plura.

Primo quia Chriſtũ inſtar Iudæ, & tradunt, & produnt:Vnde, Remigius ſuper illud Mat. 26. *Væ illi per quem filius hominis tradetur; Væ* (ait) *tradentibus Chriſtum ad crucifigendum; ſed væ cum maligna conſcientia ſub Sacramento ſumentibus illum;* Et *ſi non tradunt Iudæis ad crucifigendum; tradunt tamen eum membris inimici ad ſumendum.*Et Aug. *Magis peccant, qui tradunt Chriſtum peccatoribus membris,quam qui tradiderunt eum crucifixoribus Iudæis.* Sic etiam de proditione patet, quia produnt Chriſtum infernalibus dæmonibus. *Secundo*, quia rurſus Chriſtum crucifigunt, imò ex multis grauius peccant,ipſum perſequentes, crucifigentes, & inſuper ſuper eius vulnera addunt. Ambr.Qui indigne Chriſtũ ſumit,idẽ eſt ac ſi interficit.Et
Heb.6. ergo dicitur, *Rurſum in ſemetipſis filium Dei crucifigentes,& oſtentui habentes;* vnde plenius dictum ſupra *Tertio* Chriſti ſacramentum fœdant,& polluunt, vt ſunt textus.1.q.1.c. *multi. Polluimus itaque panem*, id eſt, corpus Chriſti, *quoniam indignè accedimus ad Altare, & ſordidi mundum ſanguinem bibimus. Quarto*, quia Chri-
Pſ.55. ſtum quaſi conculcat,iuxta illud, *Conculcauerunt me inimici mei tota die*,vbi Ambr.*Ille Chriſtum conculcat, qui libere abſque timore peccat,& qui eo indigne participat.* O cogitetur quantũ ſit malum Chriſtum conculcare in lutum.Cõ-
Ezech.8. mittunt & *poſtremo* alia multa horrenda,quæ inueniet, *qui parietem fodere volet*, & ponderabit ea,vtpotè eruentis cõtaminantes Chriſtũ, proijcientes eum in latrinas, & lutum; papæ, quam crimen iſtud exceſſiuum, ſi locis amplificationis, & exaggerationis foret tractatum. Quis auditus ſuſtinet aurium ? cuius oculus non confunditur ad intuitum ? quæ mens non rapitur in exceſſum ? vbi pretium mundi mittitur in ſterquilinium ? filius Dei in ſtabulum viliſſimum,& ſordens lutum? Non ergo mirum ſi tam indignè ſuſcipiens ſacramentum, graue incurrat pœnarum tormentum. Præparet ergo quiſque cor ſuum.

§.3. *De præparatione ad aſſequendam fructuum ſacramentalium vtilitatem.*

TERTIO præparare nos debemus propter IIII.
aſſequendam fructuum Sacramentalium vtilitatem. De quibus plura dicuntur infra. Commemorat tamen venerandus Gerſon fructus hos ſuper Magnificat ſub verſibus iſtis,

Reſtaurat, ſatiat, delectat, roborat, auget.
Obdormire facit, caro ſeruit, mens dominatur.
Vim genitiuam dat, transformat, inarrat, & vnit.

Hoc eſt breuiter, Huius digna ſumptio Sacramenti *reſtaurat* deperditum; *ſatiat* appetitum, *delectat* animum, *roborat* cor humanum, *auget* virtutum incrementum, *obdormire facit* per contemplationem, *caro ſeruit* per fomitis mitigationem, *mens dominatur*,per carnis ſubiectionem, *vim genitiuam* dat per bonorum operum fœcundationem, *transformat* in dilectum,*inarrat* deſponſando, *vnit* charitate; vt latius ibi proſecutum. Huiuſmodi autem fructus nemo participat; niſi qui condigne ſe ad deuotam tanti Sacramenti ſuſceptionem præparat.Quiſque ergo præparare ſe debet, & per huiuſmodi incitatiua ad hoc ſe excitare.

Verum quoniam non ſemper homo aptus eſt meditationi; Ideo ſubiecimus ſingulis gradibus noſtræ ſcalæ rythmicos verſus ſub nota, & modo *Pange lingua*, vel *Crux fidelis* modulandos. Vt cum meditari piguerit,verſiculi hi in corde; vel in ore ſuauiter modulentur.

Excitare, excitare ſurdaſter homuncio.
Manducandi propinquare tempus Chriſtum nuncio.
Inductiua meditare, & quam frugi ſumptio;
Omnis Chriſti actionis finis,& principium:
Gratiarum cæli, thronis mittas participium.
Ne condemnes eſionis reprobum mancipium.

MEMBRVM II.

Secundus gradus præparatorius ſc. Conſideratio.

V*Ide, & recogita quid facias.* Rectè ſubſequitur is gradus voluntate excitata pro 1.Reg.25.
initio præparationis: Dicit etenim ſapiens, *Pal-*
pebræ tuæ præcedant greſſus tuos. Docens nimi- Prou.4.
rum (iuxta quendam) omne opus conſideratione præueniendum.Quanto magis ergo tantum opus debet conſideratione præueniri, vt ſcilicet cõmunicaturus attentè videat, & vigili oculo

Attendat	Quid debeat agere,	*En quid agat,*
	Quæ eum debeat allicere,	*Quidue alliciat,*
	Quomodo oporteat accedere,	*Vel quomodo ſumat*

§. 1. *De conſideratione.*

V. PRIMO dico, conſiderãdum eſt, iuxta quod auctoritas inducta monet; *quid debet agere.* Debet enim latria Deum colere; debet illum, quem cœli cœlorum capere non poſſunt, in mentis hoſpitiolo recipere; debet panem Angelorum, carnem filij Dei manducare; & cætera huius generis, qualia quiſque per ſe notare poterit, debet agere. Quæ ſi diligenter homo attenderet, & profundè dijudicaret; vtique de præparanda mente magis ſollicitus eſſet. Hinc enim (iuxta noſtrum Thomam Kempis) tam præparationis incurij ſumus, quia non ſatis quid acturi, vel quem ſumus ſuſcepturi æſtimamus.

2. Par. 5. Pſal. 67. Ioan. 15.

§. 2. *Conſideratio eorum, quæ nos ad communicandum alliciunt.*

VI SECVNDO, vbi viderit, quid debet agere: vt Volentius & Serioſius illud agat, conſideret, quæ debent ad hoc libenter agendum inducere. Vbi notandum, quod multa ſunt ſacræ communionis inuitatoria, & hominem ad ſacram communionem allicientia. Et ſunt quindecim: Nam diuerſi diuerſimodè trahuntur.

Laus, & amor, gratus, clamor, ſanctos, colo, lætor,
Compatior, redimo, curor, purgor, bene ſolor,
Confortor, creſco, ditor, ſimul impetro, & angor.

Nam quidam trahuntur ex parte Dei, quidam ex parte Sanctorum, quidam ex parte ſui, quidam ex parte proximi.

PRIMO trahuntur aliqui *ex parte Dei*, & trahit eos *laus, & honor Dei*; cùm non habeamus maius, quo poſſumus Deum pro ſua dignitate venerari, quàm Chriſtum Deo Patri immolare; *Secundo*, amor Dei & Chriſti trahit aliquos, vt ſcilicet dilectum crebrius inuitent, & in ſeipſis delectabilius amplexentur. *Tertio, gratiarum actio* pro beneficiis diuinis; cùm nil dignius habeamus reddere Deo, *pro omnibus quæ retribuit, quàm calicem accipere ſalutaris.* pſal. 115. id eſt, ipſum Chriſtum offerre. *Quarto, clamor*, id eſt, magnum incitamentum accedendi, eſt crebra illa Domini Ieſu inuitatio, qua nunc dulciter inuitat, dicens Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis* &c. Nunc fructu allicit, cùm dicit Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, viuet in æternum.* Nunc neceſſitatem inducit, ſubdens ibid. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* O quantum deſiderat, qui tam altè clamat, qui tantis viis nos incitat? Verè, *deliciæ eius eſſe cum filijs hominum.* Prou. 8.

QVINTO, Sanctos colo. id eſt, trahimur aliquãdo, vt ſanctos colamus, & eos veneremur, & eorum gaudia, quantũ in nobis eſt, augmẽtemus. Nil enim eis celſius, nil gratius, nil iocundius, nil acceptius, aut honorificentius eis poterimus agere, quã hoc Sacramentũ in eorũ cultum offerre Hinc D. Ioannes Ruysbroeck ait, Hoc Sacramentũ exornat omniũ SS. feſta, & nullo altius coluntur, vel magis lætitia eorũ augmentatur; niſi quando in hoc ſacrificio; & per hoc Sacramentum eis collætamur.

SEXTO inducuntur aliqui ex compaſſione proximorum: cùm nil efficacius pro ſalute interpellet tam viuorum, quàm mortuorum, quàm Chriſti ſanguis, pro nobis effuſus, & hoc *Heb. 12* placatiuum ſacramẽtum, quod prodeſt cũctis.

SEPTIMO allicimur ex parte noſtri. Et hoc, vel pro *redimendis negligentijs* & omiſſionibus noſtris, cùm hoc Sacramentum omnia reſtauret, vt patet infrà. *Octauo* trahit aliquos intuitus propriæ infirmitatis, vt accedant quaſi ad medicum, pro ſanandis omnibus infirmitatibus: cùm hoc Sacramentũ nulli morbo inueniatur inefficax. Eſt enim huius medicina omnis generis curatiua, confortatiua, melioratiua, præſeruatiua. Accedant igitur confidenter omnes morboſi. *Nonò* trahit quoſdam deſideriũ *purgationis*: vt per hoſtiam expiationis, ab omnibus expurgentur peccatis & delictis. Hęc enim eſt hoſtia plenariæ ſatisfactionis. *Decimò* allicit quoſdam amor *conſolationis*: In hoc enim Sacramento aduenit *Pater miſericordiarum, & Deus totius ſolatij, qui conſolatur nos in omnibus tribulationibus*, 2. Cor. 1. Et quæ maior conſolatio, quàm præſentialis deitatis exhibitio, & tantę paſſionis ſuæ commemoratio? *Vndecimò* quidam accedunt pro gratia habendæ *confirmationis* in preſſuris & tribulationibus huius vitæ præſentis: Certi, quod in hoc mũdo preſſuram, in illo releuamen habent. *Ioan. 16.* *Duodecimò* acceditur propter *meriti* incrementum: cùm in nulla Sacramentorum exercitatione, tanta ſit ratio meritorum, quanta in huius, propter altitudinem & abyſſum latentium; ſed tamen creditorum, myſteriorum. *Tertiodecimo* accedunt quidam propter *virtutum infuſionem*, & gratiarum augmentum: Hic ſiquidem *fons eſt hortorum, & puteus aquarum viuentium*, Cant. 4. *Theſaurus diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ, Dominus ipſe virtutum. Quartodecimo*, accedunt alij gratia alicuius *beneficij impetrandi* per eum, cui pro reuerentia nil à Patre negãdum. Hoc ete- *Matt. 18* nim vnicum erit, & auxilium, & confugium noſtrum in omnibus agendis, vt præmittamus tam reconciliatiuum ſacrificium, pro directione operis. Hinc prædicaturi, hinc itineraturi, & breuiter, in omnium negotiorum expeditione, recurſum habeant ad tantum Sacramentum, vnde dependent omnia.

Poſtremo quoſdam accedere cogit & impellit *neceſſitas* magna, vel iniuncti officij, ſeu euadendi ſupplicij. Non enim accedere ex notabili negligentia, eſt damnabilis culpa, cùm omittuntur tam innumera bona, vt patet infra. Quis ergo tanta & tam efficacia conſiderans incitamenta, non totus inardeſcet accedere ad hæc Sacroſancta? Hæc qui non meminit aut conſiderat, cœcus eſt; qui meminit, & non ſentit, ſtupidus eſt: ſicut qui ſentit, & non curat, ſtultus eſt.

§. 3. *Conſideratio quomodo ſit accedendum ad Communionem.*

TERTIO attendat, quomodo accedere oporteat. Debet enim conuiua immeritus VII.

accedere ad digniſſimi hoſpitis familiare conuiuium, etiam Angelicis aſpectibus admirandum, cum omni potentiarum recollectione, abſque omni inquinatione, cum abyſſali humiliatione, cum ſponſali dilectione, vt in gradu ſequenti liquidius pateſcet, & infra.

Et notandum, quod ampliſſima hic ſe offerret, & copioſiſſima materia multa annotandi, ſuper diſpoſitione varia, (quę reperitur in Doctorum ſcriptis, & paſſim tangitur in poſterioribus) Qualiter homo ſe diſponere deberet variis modis,

Exod. 12. Exod. 16. Matt. 27. Nunc ſecundum qualitatem
- Agnum Paſchæ comedentium,
- Manna colligentium,
- Chriſti tumulum concernentium.

Et ſic de aliis diſpoſitionib⁹ ſecundũ varium hominũ ſtatum; & venerandus magiſter Henricus de Cracouia optimè deducit in ſuo dialogo. Sed hæc ſufficiant pro exuſcitatione deuotionis, vt ſe homo probet in his, quæ ſunt ſequentis gradus.

Pergas iam deſiderare, quid debebis agere,
Die noctu memorare, quę poſſunt allicere,
Quo tu queas ſalutare corpus dignè ſumere.

MEMBRVM III.

De gradu probationis.

Q. PROBATIO. De qua Apoſtolus 1. Cor. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Qui item gradus in iſto ordine ſubſequitur, Quia vbi viderit homo quomodo oporteat accedere, debet ſe etiam, ſi illa habeat, probare. Porrò hac via ſeipſum probet, ſcilicet,

Si
- Impedimentis acceſſus careat:
- Requiſita præparamenta in ſe inueniat;
- Sufficiẽtia deuotionis ſigna in ſe cõperiat.

Comprobet an careat, quæſita habeat, pia ſigna.

§. 1. *Probare an careat impedimentis.*

VIII. PRIMVM quidem videre habet, ſi *impedimentis careat*. Plura etenim ſunt, propter quæ abſtinere debet; puta ſi ſit pranſus, ſi carne pollutus, ſi intẽtione & peccati affectu curuus, ſi diffamatus, ſi illicitæ artis; & ſic de aliis, his verſibus contentis:

Si prauus, *Si curuus,* *Intellectus, ſi adhæreat naturali rationi,*
Actus, & Affectus, ſi Mens,
Si corrupta, *Si credit ſenſibus præter ſenſum auditus.*
Intentio, Senſus.
Si ſit pranſus. *Si ſi lelu numero, & merito.* *Si in odio & guerra.*
Victus, Conuictus, de Crimine,
Si infamis. *Si illicita artis.*
Fama, vel Arte:

In quibus ſingulis ſollicitè ſe homo communicaturus probare habet, ſi eis careat, puta ſi non ſit in actu prauo, in affectu curuo; ſi ieiunus in victu, & ſic de alijs, Horum enim quippiam ſi in ſe deprehendit, abſtinere, vel ſaltem ante ſe purgare contritionis lauacro debet. Hæc plenius in Pantheologia proſequuta, titulo *Examinatio*, habes.

§. 2. *Probare an habeat præparamenta.*

SECVNDO ſe principaliter probet; ſi *requiſita præparamenta* habeat, quæ quoniam multipliciter nimis à doctis aſſignãtur: ſufficiat hic, vel aliqua annotaſſe. Nam ponit Ioan. de Turrecremata, ſecundum formam Agni Paſchalis hæc duodecim requiſita: IX Exod. 12.

Spéſque, fidéſque, ardor, pax, paſſio, pura ſit & mens. *(optans.*
Caſtus, compunctus, ſplendens, feruens, celer,

Primum eſt fidei plenitudo, ſecundum illud, *Non comedetis crudum quid ex eo. Oportet enim accedentem credere*, iuxta Apoſtolum Hebr. 11. Ibidem.

Secundum, firma ſpes diuinæ bonitatis: Quia ex perceptione præſentium ſpem firmam habere debemus futurorum; ſecundum illud, *In eadem die educam exercitum veſtrum de terra Ægypti*.

Tertium, ardor charitatis diuinæ, ſecundum illud, *Edent carnes aſſas igni*, ſcilicet charitatis & deuotionis.

Quartum, pax & vnitas Eccleſiæ, vnde & dicitur, *Vnuſquiſque per familias & domos ſuas tollat agnum*. Sine pace enim non eſt accedendum, dicente ipſo Domino Ieſu, Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quoniam frater tuus habet aliquid aduerſus te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo*, &c.

Quintum eſt memoria paſſionis Dominicæ, ſecundum illud, *Et pones de ſanguine agni ſuper vtrumque poſtẽ*, hoc eſt in memoria & actione.

Sextum puritas mentis. Et ergo panes Azymos iubentur comedere.

Septimum, caſtitas, & cõtinentia carnis: ideo dicitur, *Renes veſtros accingetis*.

Octauum, compunctionis amaritudo, quia lachrymarum diluuio eſt agnus comedendus, & *cum lactucis agreſtibus*.

Nonum, ſplendor bonorum operum. *Calciamenta* enim *habebitis in pedibus*, id eſt, exempla mortuorum Patrum.

Decimum, feruor actualis deuotionis, ſecũdum illud, *Tenentes baculos* in manibus, id eſt crucem Chriſti actualiter in operibus; vnde deuotio actualis cauſatur.

Vndecimum, celeriter, id eſt, feruenter cum deſiderio is agnus eſt comedendus. Vnde dicitur in texto, *Caput cum pedibus & inteſtinis vorabitis*, id eſt, ſecundum gloſſam, auidè ſumetis.

Duodecimum, optio & deſiderium ſupernæ patriæ; vnde, *Comedetis feſtinantes*, id eſt, ad ſolemnitatem cæleſtis patrię anhelantes. Ponunt & alij alia requiſita præparamenta, ſcilicet ſecundũ formam mannæ, quę patent infra. Itẽq; ſecundũ formam tumuli Chriſti, quæ patent.

RAYNERIVS verò in Pantheologia, titulo, *Examinatio*, addit, quod communicaturus debet ſe examinare ſi ſit mundus &c.

Si mundus, ſanus, ſi diſcipulus, vel amicus.

Digitized by Google

Filius, eſuriens, ſi magnus, ſic te proba te.

Primo debet ſe acceſſurus probare ſi ſit mundus contra luxuriam. *Omnis enim & ſolus mundus veſcetur hoc cibo.*

Secundò, ſi ſanus contra iram, quia palato nõ ſano pœna eſt panis.

Tertio, ſi diſcipulus contra auaritiam, iuxta illud: *Accepit Ieſus panem, & dedit diſcipulis*
Matt. 26. *ſuis.*

Quartò, ſi amicus, cõtra accidiam: Illi enim
Luca 11 tres panes commodantur.

Quintò ſi filius, contra inuidiam. Non enim
Mar. 7. eſt *bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus* ad manducandum.

Sexto ſi ſit eſuriens, contra gulam. *Eſurientes*
Luca 2. enim *impleuit bonis.*

Septimo ſi ſit magnus in humilitate, & virtutibus, contra ſuperbiam, iuxta illud: *Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me.*

QVI HÆC in ſe ſigna minimè inuenerit, gemat ſecundum exclamationes infrà ſuo loco ſcriptas. Vt contra ſcilicet immunditiam dicat, *Cor mundum crea in me Deus*, Pſal. 50. Contra infirmitatem, *Domine quem amas infirmatur*, Ioan. 11. Contra rebellionem diſciplinatus, *Domine ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam*, Pſal 142. Contra amicitiam violatam, *Amice commoda mihi tres panes*, Lucæ 11. Contra vitam degenerem, *Pater, peccaui in cælo, & coram te*, Luc. 15. Contra faſtidium boni, *Quẽadmodum deſiderat ceruus*, &c. Pſal. 41. Contra magnitudinem peccatorũ, *Miſerere mei Deus ſecundum magnam*, &c. Pſal. 50. Hæc prædicta longius proſecuta ſunt in Roſarum hortulo.

§. 3. *Probare an ſentiat deuotionis indicia.*

XI. TERTIO principaliter ſe probet, ſi ſufficiẽtia deuotionis in ſe indicia reperiat. Nam licet certitudinem habere non poſſimus, *cùm nemo ſciat an amore an odio ſit dignus*; probabilẽ
Eccli. 9 tamen coniecturam ſumere licet ex ſignis ſubſequentibus,

Si gemit, audit, agit, proponit, praſto remittit.
Pulſus edendo ſapit, calor, ac agilis, color effans.

Primum ſignum eſt ſi gemit, compunctus pro peccatis ſuis: Hoc enim ſignũ eſt infirmi, quod nondum mortuus eſt; ſi flatum emittit. Et ſic ſimiliter cætera ſignã ſequentia accipiuntur, ſecundum ſimilitudinem vitæ corporalis. SECVNDVM ſignum eſt ſi audit: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* TERTIVM, ſi agit pœnitentiam
Ioan. 8. de præteritis. QVARTVM, ſi proponit emendam pro futuris. QVINTVM, ſi promptus ad bona; & ſi ex corde remittit debitoribus in præſenti. SEXTVM pulſus, quia ſignum vitæ fit per tactum pulſum: Ita ſi homo tangitur ad venas tribulationis; *Qualis enim vnuſquiſque apud ſe lateat, illatâ contumelia probat*, ſecundum Gregorium. SEPTIMVM, ſi ſentit & ſapit guſtũ huius dulcedinis, cuius memoriam in Sacramento Euchariſtiæ Chriſtus reliquit. OCTAVVM, calor amoris Dei, & proximi. Aug. *Vita animæ amor eſt, qui non amat mortuus eſt.* NONVM eſt agilitas & motus bonæ actionis. Paulus Gal. 5. *Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus.* DECIMVM, color honeſtæ cõuerſationis. Saluator Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus*, &c. VNDECIMVM, effans, id eſt, verbum rectæ locutionis, & includitur ſub auditu: *Ex abundantia cordis os loquitur*, Matth. 12. Si quis facta diligenti diſcuſſione, hæc ſigna in ſe inuenerit, ſecurus pietati Chriſti innitens accedat: Nam (vt docti ſcribunt) ſi is per negligentiam, etiam quippiam mortalis criminis ſub ſe habuerit, ex vi Sacramenti deletur. Et ſic exponunt verbum illud Auguſtini, Quod *corpus Chriſti viuificat mortuos.* Sed vt ad compendium omnia hæc probamenta deducamus, debet ſe homo in neceſſario requiſitis probare, ſcilicet ſi *habeat carnis mundiciam, mentis puritatem, deuotionem actualem.* Hæc enim neceſſaria ſunt iuxta ſanctum Thomam, quæ ſi repperit gaudeat: Sin aliter, non tamen à communicando deſiſtat; ſed ſe ad hoc diſponat, expurgando ſe per contritionis lauacrum, & inuocationem Sanctorum.

O mens intimè probare, ne edas iudicium,
Caue Iudæ incurſare immane flagitium:
Stude purum immolare Ieſu ſacrificium,

MEMBRVM IV.

Dè gradu expurgationis.

EXPVRGATIO, de qua Apoſtolus 2. Cor. 5. XII.
Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio, &c. Et ſequitur probationem: Quia vbi ſe homo immundum reperit, ſe purgare debebit, vt ſic puro & immaculato corde accedere poſſit. Et eſt, qua homo ſe purget,

A	Vitiis & peccatis,	per	Partes pœnitentiales,
	Cordis impuritatibus,		Cordis exercitationes,
	Peccatorũ reliquiis,		SS. inuocationes, & ſanguinis obſecrationes.

Id etenim potiſſimum præparamentum eſt, vt patet 1. q. 1. c. *Sacroſanctæ*, vbi canon, *Quomodo cæleſtis ſpiritus ad diuini myſterij conſecrationem inuocatus adueniet, ſi, qui eum adeſſe deprecatur, criminoſis plenus actionibus reprobetur?* Opus igitur præuia expurgatione,

A culpa, ſcoria, ſceleris, purgare ſequela.
Pœnitens, tribus exercens, Sanctos ſimul ores.

§. 1. *Expurgatio à vitijs & peccatis.*

PRIMO inquam expurgare nos debemus à *vitijs & peccatis*, per pœnitentiæ partes, id eſt, contritionem, confeſſionem, ſatisfactionem; Valde dolendo, purè confiteri proponendo, plenè ſatisfaciendo. Et vt plenius purgetur, debet ſe homo in via purgatiua exercere. Cuius practica pulchrè in libro de triplici via docetur, quod ſ. homo debet in ſecreto ſe ponere, aliqua ex maximis peccatis cõmemorare, & illa aggrauare ex cõſideratione magnitudinis & beneficentię Dei; deinde ſe confundere & humiliare, clementiam Dei per Chriſti paſſionem exorare, Sãctoſq; interceſſores inuocare.

& ſic demum ſe Deo offerre, & fiducialiter committere; vt hæc commemorantur in verſibus,

Secretũ petat, hinc recolat, grauet in bene factis,
Confundat, poſcens, orans, oblatio, ſubdat.

In his tãgitur via purgatiua, & expeditio ipſius; quæ licet puerilis videatur, ſummoperè tamen neceſſaria eſt plenè purgari volenti: vt declaratur vbi ſuprà. Legantur ergo & ſtudeantur illi libri. Vel poſſet ſe homo, vt à peccatis purgetur, exercere in ſeptem illis gradibus Bonauẽturæ, quos ponit in *paruo bono*, quæ hoc complectitur metrum,

Ecce pudor, timor, atque dolor, clamor, rigor, ardor.

XIII. *Primus* eſt *pudor* in recordatione flagitij, quãtum ad quattuor, ſcilicet ad magnitudinem, propter aggrauantiam circunſtantiarum; Ad multitudinem, propter multitudinem differentiarum; Ad turpitudinẽ, propter exceſſum conſuetudinum; Ad ingratitudinem, propter receptionem gratiarum. *Secundus* eſt *timor* in circumſpectione iudicij quãtum ad quattuor, ſcilicet ad diſſimilitudinem operis, propter ſeparationem à virtute; Excœcationem rationis, propter auerſionem à lumine; Obdurationem voluntatis, propter elongationem ab igne; Condẽnationem finalis animaduerſionis, propter ſeparationem à iuſtitiæ rectitudine. *Tertius* eſt *dolor* in æſtimatione damni, quantum ad quattuor, Ad amiſſionẽ diuinæ gratiæ, qua incurrit inimicitias vniuerſalis creaturæ; Perditionem innocentiæ, qua amiſit ſtatum dignitatis naturę; Vulnerationem culpæ, qua incurrit debilitatem potentiæ; Diſſimilitudinem vitæ præteritæ, qua incurrit paupertatem indigentiæ. *Quartus* eſt *clamor* in prolatione ſubſidij quadruplicis, ſcilicet Dei Patris, Filij Redemptoris, Virginis matris; Eccleſię triũphantis. *Quintus* eſt *rigor* in extinctione fomitis quadruplicis, ſcilicet, Ariditatis, quæ eſt accidia; Peruerſitatis, quæ eſt malitia; Voluptatis, quę eſt concupiſcentia; Vanitatis, quę eſt ſuperbia. *Sextus* eſt *ardor* in appetitu martyrij, ſcilicet propter perfectionẽ purgationis pœnæ, remiſſionis culpę, ſatisfactionis in hoc opere, ſanctificationis in proprio ſanguine. *Septimò* ſequitur *ſopor* in obumbratione Chriſti, vbi eſt ſtatus & requies, quando homo ſentit ſe protegi ſub vmbra alarum diuinarum, vt non vratur ardore concupiſcentię, aut timore pœnę.

§. 2. *Expurgatio à cordis impuritatibus.*

XIIII. SECVNDO debet homo purgari à cordis impuritatibus, & hoc per cordis exercitationes: Vnde notandum, quod impuritas cordis in tribus conſiſtit: (vt dicitur in *Beatus vir*) Scilicet.

In hoc quod {
- inordinatè hæres infimis, amans ſcilicet non amanda.
- ſpiritualia & cęleſtia faſtidis, non amans amanda.
- minus Deo affectione inhæres vigore charitatis deficiente. }

Contra quas cordis impuritates, tribus oportet gradibus ſucceſſiuè aſcendere. Nam

Cõ tra { Primam, / Secũdam, / Tertiam, } aſcendit per { Timorem, / Spem, / Charitatẽ, } {
- Qui quaſi violẽter à noxiis cor retrahit.
- Quæ cor ad cæleſtia erigit.
- Quæ Deo mentẽ inſeparabiliter coniungit. }

Vis depurari? timeas, ſperes, adameſq;.

Qualiter in ſingulis eſt exercendum illic docetur. Quiſquis igitur à cordis impuritatibus voles ocius depurari, illum libellum amplectere, gradus iſtos lege, & iugiter exerce. Facilè enim eius cor expurgatur, qui his diligenter exercitatur.

§. 3. *Expurgatio à peccatorum reliquijs.*

TERTIO, depurandum eſt cor *à peccatorum reliquijs*, & hoc per Sanctorum inuocationes, & ſanguinis effuſi obſecrationes: Vnde ſunt hic inuocandi ſeptem Sanctorum ordines, vt mens noſtra à ſeptem Symptomatibus, & peccatorum reliquijs expietur. Septies item in Iordane effuſi ſanguinis cor lauandum, vt ab omni prorſus genere peccatorum emundetur: *Sanguis* enim *Chriſti emundabit conſcientias*, quibus per orationem deuotam & obſecrationem fuerit applicatus. Hic nota de ſeptemplici effuſione ſanguinis contra omnia genera peccatorum, de quibus infrà. XV. 4.Reg.5. Heb. 9.

Vel debet ſe homo purgare modis, quibus in iure, aut aliàs purgatio fieri ſolet: In iure fit purgatio quinque modis, additur ſextus in medicina;

Teſtis, aqua, bellum, iurans, ignis, medicina.

Primò ſolet fieri purgatio per *teſtes*: Teſtes autem ſignant operum rectitudinem. *Secundò* fit *aqua*, quæ ſignat ablutionem baptiſmalem, vel lachrymarum profluuium. *Tertio bello* aut *duello*: Et ſignat tentationem, quæ purgat ſcoriam vitiorum. *Quarto iuramento*, quod ſignat peccati abrenunciationem. *Quinto igne*, & ſignat ſpiritualem gratiæ infuſionem. *Sexto medicina, & Phlebotomia*. Medicina eſt verbum Dei, quod auditum mundat, ſecundum id, *Vos mundi eſtis propter ſermonem, quem ego locutus ſum vobis*. Phlebotomia abſtinentiam ſignat, vel ſuperfluorum dimiſſionem. His ecce omnibus modis ſe homo communicatutus purgare poteſt, vt purè ſuſcipiat eum, qui ſplẽdor & candor eſt lucis æternæ. Sap.7. Ioan.15.

Purges Chriſte iam fermentum commiſſi peccaminis:
Pietatis Sacramentum igne litem flaminis;
Cernam te per ſpecimentum, Expers poſt velaminis.

MEMBRVM IV.

De gradu exornationis.

XVI. EXORNATIO, de qua Eccleſia, *Adorna thalamum tuũ Sion, & ſuſcipe Regem Chriſtum*, Quæ neceſſariò ſequitur probationẽ & expurgationem.

gationem. Dicit enim Bernardus: *Quantumlibet te purges, quantumlibet te crucies, non tamen veniet ad te Dominus virtutum, niſi virtutibus adorneris.* Et fiet exornatio,

Vitium { Intellectualium, Affectualiũ, Sẽſualium, } Per { Sancta meditamina, Deuota ſuſpiria Diſciplinæ obſeruamina.

Exornes mentem, ſenſus, ſuper omnia velle.

Sic docet Bernardus in ſermone de Dedicatione, & in de Conſcientia, animam parari, quæ templum erit Dei, vt *ſit ratio recta, voluntas non peruerſa, nec memoria inquinata.* Huiuſmodi ornamenta ſuper Cantica docet aſſumenda, dicens: *Gaudet cæleſtis Sponſus talibus ornamentis, & cordis thalamum libenter ingreditur, vbi ſua paſſionis inſignia ſedula nouit cogitatione verſari, vbi crux, corona & lancea eius dependent.* Talia igitur meditabilia; puta de paſſione, de eius Sacramento, ſunt aſſumenda, ex quibus affectus ſuſpiria formanda, & omnis ſenſuum familia, ſub diſciplinæ cenſura eſt reſtringẽda. Vel aliis poteris te modis adornare.

Scilicet per { Tapetorum & ornamentorum appenſiones, Quarundam rerum ſimilitudines, & comparationes, Septem cordis exercitationes.

Aulæis orno, vel ad inſtar comparo corda.

Per PRIMVM intelliguntur virtutum & donorum actuationes, vt ſcilicet illas actues, & à Sanctis (iuxta quod in ſeptenis habetur) exo-
Matt. 25. res, & ſic inſtar ſapientum Virginum, te dignè Sponſo immortali adornes.

SECVNDO, debes te ornare iuxta quarũdam rerum ſimilitudines & comparationes: Cuiuſmodi ſunt iſta,

Vrna, domus, templumq;, cibus, vas, ſponſaq;, cælum.

Primo ſumpturus Dominum, debes cor tuum exornare inſtar *vrna aurea*, Heb. 9. in qua reponebatur mãna, vt ſcilicet ſis *vrna aquea*, per cordis puritatem; *aurea* per charitatem. *Secun-*
Pſal. 92. *do* inſtar *domus Dei*, quam *decet ſanctitudo*, vt ſcilicet in te ſint fundamentum fidei, parietes
2. Par. 8. ſpei, tectũ charitatis. *Tertio*, vt *templum* Salomonis, quod tantis annis ædificauit, tanto auro ſuperduxit, & apparatu adornauit. *Quarto* in-
Ioan. 4. ſtar *cibi*, quo libenter veſcitur Deus, de cuius præparatione agitur in de inſtructione cordis. *Quinto*, vt ſis *vas* per profunditatem humi-
Exod. 16. litatis, vnum per cõcordiam charitatis, in quo iubetur manna reponi. *Sexto*, para te inſtar *ſponſæ* ſponſi immortalis, de cuius ornatu agit Soccus in ſermonibus, & in de inſtructione
Eſa. 66. cordis docetur. *Septimo*, quia cælorum Dominum es excepturus, cui cælum ſedes eſt, orna te, vt *cælum*, de cuius ornatu dicitur *in de triplici via*, quia ſcilicet altum, fulgidum, ſolidum, peregrinarum impreſſionum non ſuſceptiuum. En quanta copiæ ſeminaria, quam abunda meditandi & exercitandi ſub paucis verbis proponitur materia. Abyſſus eſt proſequi iſta.

XVII. TERTIO principalius debet homo ſe adornare per ſeptem illas cordis exercitationes, de quibus plenè agitur in libro de Inſtructione cordis, qui legendus eſt à deuotis: Et ſunt in his verſibus,

Corda para, ſerues, reſera, ſtabilito, Ieſu da.
Erige, vel ſcindas; his ſeptem corda perornes.

PRIMO enim eſt cor præparandum per donum timoris.

Inſtar { Domus, Sponſæ, Cibi, } ad { Dignè hoſpitem recipiendum, Sponſo ſuo placendum, Delectabiliter veſcendum.

SECVNDO eſt conſeruandum & cuſtodiẽdum, vt dicitur in Prouerbijs 4. *Omni cuſtodia ſerua cor tuum*, & hoc dono pietatis; TERTIO eſt cor reſerandum dono ſcientiæ, iuxta illud 2. Mac. 1. *Adaperiat Dominus cor veſtrum in lege ſua.*

Eſt autem aperiendum, vt { Liber, in quo legitur, Oſtiũ; per quod dilectus intromittitur.

QVARTO eſt cor ſtabiliendum dono fortitudinis: Apoſtolus Hebr. 13. *Optimum eſt gratia ſtabilire cor, non eſcis.* Eſt autem ſtabiliendus intellectus in veritate, affectus in bonitate. *Quinto* eſt cor donandum dono conſilij, iuxta illud Prouerbiorum 23. *Præbe fili cor tuum mihi.* Eſt enim iuſtè cor dandum eius auctori, reformatori, amatori. *Sexto*, cor eſt eleuandum dono intellectus iuxta cõſilium Hieremiæ Thren. 3. *Leuemus corda noſtra cum manibus ad Deum*, & hoc per ſupernorum meditationem, deſideriũ & intentionem. *Septimo* eſt cor ſcindendum dono ſapientiæ, Ioel. 2. *Scindite corda veſtra*, per cordis contritionem, carnalium exaſperationem, affectuum depurationem; vt hæc plenius vbi ſuprà deducuntur, per verſus,

Chriſte ornes intellectum cælicis ſpectaculis:
Nudum vulneres affectum amoroſis iaculis:
Ne cor exultet ieiectum à tuis cœnaculis.

MEMBRVM V.

Dè gradu inflammationis.

INFLAMMATIO, de qua Leuit. 6. *Hæc eſt lex holocauſti: Cremabitur in altari tota nocte, per ſingulos dies.* Et recto ordine ſubſequitur gradus iſte: Non enim ſufficit mentem adornare; ſed oportet etiam eam ad actualem deuotionem inflammare. Quę potiſſimum (vt in *Beatus vir*, dicitur) in duobus conſiſtit,

Puta in { Reuerentia & timore, Deſiderio & amore.

§. 1. *Inflammatio ad reuerentiam ex diuina altitudine.*

IN PRIMIS ergo inflammabit ſe communicaturus ad timorem.

Et hoc ſi cõſiderat { Dei altitudinem & ſacramenti. Sui indignitatem, indiſpoſitionem & vilitatem. Indignæ ſumptionis pericula, & aſtantium ſublimitatem.

Primo dicimus, vt homo concitetur ad reuerentiam & timorem, debet conſiderare Dei altitudinem: Quæ ex multis patet. XVIII.

Ex { Eius eſſentia,& diffinitione.
Attributis proprijs, & varia denominatione.
Vniuerſali dominio,& creaturarum atteſtatione.
Sanctorum reuerentia,cultu,& omnium ſubiectione. }

Eſſe Dei nomen proprium,propriata,vel alta.
Facta,poli,baratrum;Sãcti metuũt,quia Iudex.

Quis quæſo eſſentiam eius dicet, cùm ſit ineffabilis? Quomodo diffinietur, cùm omnia ipſe tranſcendat, Salomon Eccli. 7. *Alta profunditas,quis inueniet eam?* Paulus verò Rom. 11. *O altitudo diuitiarum ſapientia & ſcientia Dei, quã incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtiga-*
Eccl. 1. *biles via eius?* Eccleſiaſticus autem, *Profundum*
Iob 11. *abyſſi quis dimenſus eſt?* Iobus, *Excelſior calo eſt,*
Pſal. 63. *& quid facies? profundior inferno, & vnde cognoſces?* Deſcribitur tamen; *Deus eſt, quo maius, meliuſve, nil cogitari poteſt.* O qui debitè hanc deſcriptionem conciperet, verè magnificè de Deo ſuo ſentiret. *Porrò attributa communia,* propria & appropriata, qui reuolueret, nomen Dei in corde exaltaret. De his agunt Doctores ſuper primum. Et Bonauen. in Paruo bono. *Relucet* denique Dei altitudo in *ſpeculis creaturarum:* Quæ omnia atteſtantur potentiam, ſapientiam, & bonitatem; vt pulchrè in ſuo Breuiloquio idem Doctor Seraphicus deducit. *Poſtremo* ſi inualidi ſumus aciem figere in tam exceſſiuum lumen, ſi per nos Dei altitudinem non poterimus contemplari, vel ſaltem quantum *Sancti, & videntes Dei altitudinem,* & maieſtatem venerentur, & honorent attendamus, vt ex hoc, & nos ad timorem & reuerentiam eius inclinemur. Is enim ipſe idem eſt, quem Baptiſta tangere contremiſcebat; Is ille, quem Apoſtolorum vertex Petrus præ formi-
Matt. 3. dine à ſe expellebat dicens, *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.* Is, quem ſumpturus accedis, ille eſt, coram quo contremiſcunt co-
Luca 5. lumnæ cæli, angelicas loquor poteſtates; Hũc
Iob 26. enim *adorãt dominationes, & tremũt poteſtates.* Is
Iob 9. eſt *ſub quo curuantur qui portant orbem*, à cuius contactu fugiunt etiam ſanctiſſimi, vt Ambroſius, Chryſoſtomus & cæteri plures; qui onus Sacerdotij ſuſcipere præ reuerentia nolebant. Is eſt (vt ad ſummum dicam) ille, *quem tremunt impia tartara, colit quoque quem abyſſus*
Iacob. 2. *infima.* Etenim (Iacobo teſte) *diaboli credunt & contremiſcunt.*

Quod ſi hæc omnia te adhuc non permouent, cogita & firmiter crede, quod iſte, quem ſumpturus es, erit iudex tuus, & ad eius tribunal aſtabis iudicandus; ipſe ille eſt, in cuius manus anima tua hinc egreſſura deueniet, ab eo pro meritis receptura. O quam toruis illam animam diſtrictus arbiter oculis ſpectabit, quæ indignè & irreuerenter illum tractauit! Verè, qui his ad reuerendum non inducitur, malè cæcus & inſenſibilis eſt. *Quis enim non ti-*
Ier. 10. *mebit te,* ait propheta, *ô rex gloria?*

§. 2. Inflammatio ad reuerentiam ex Sacramenti dignitate.

DENIQVE, vt ampliori reuerentia concitemur; non modò attendere debemus Dei ipſius altitudinem; ſed & ipſius Sacramẽti, ſub quo nobis datur, & ſub quo ſumitur ponderare dignitatem. Quę potiſſimũ ex his decem relucet,

Nobile,fontanum,mirum,gratum, veneratum. XIX.
Signatum,dictum,quàm dulce,perutile,finis.

PRIMO dignitas Sacramenti relucet ex eius *nobilitate:* Continet enim in ſe, nobiliora in omni genere entis, & id quod eſt nobiliſſimum in fine nobilitatis. Continet enim Chriſtum, in quo tres ſubſtantiæ concurrunt, ſcilicet caro ſancta, rationalis anima, Deitas benedicta, quæ ſuperant vniuerſa: Nam *Deum* cunctis præſtare liquet: *Corpus* quoque iſtud Spiritusſancti artificio, ex puriſſimis Mariæ ſanguine & carne formatum, atque diuinitati hypoſtaticè vnitum, facilè ſuperat omnem reliquam corpoream ſubſtantiam, & illi præſtat: *Anima* Ioan. 3.
verò Chriſti diuinis ſplendoribus candidata, omnique virtute & ſapientia pleniſſima, & *cui ſpiritus non datur ad menſuram*, omnem ſpiritualem creaturam nobilitate & perfectione indubiè tranſcendit.

SECVNDO *Fontanum*, id eſt dignitas Sacramenti patet ex fontalitate omnis virtutis, & gratiæ, & plenitudine ſanctitatis: Continetur enim hic fontalis origo omnium gratiarum, & mare virtutum, & profluxus omnium bonorũ. Eſt enim fons hortorum. Continet quoque Cant. 4.
non particularem ſanctificatiuam quandam virtutem, aut inſtrumentalem, veluti cætera ſacramenta habere dicũtur; ſed fontalem plenitudinem omnis ſanctitatis, vtpotè eum, in quo (ſecundum Apoſtolum Col. 2.) *habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, in quo ſunt omnes theſauri ſapientia & ſcientia reconditi.* Et de quo Eccleſiaſtic. 24. c. dicit, *In plenitudine Sanctorum detentio mea.*

TERTIVM eſt *Mirum*, id eſt, tertio patet dignitas eius ex ſingularitate miraculorum quibus ſplendet dignitas eius: Tantis enim & tot hoc admirabile Sacramentum fulget miraculis, vt humana intelligentia omnino obtundatur tanto ſplendore maieſtatis. Enumerantur aliqua ex his infra. Scribunt paſſim de his docti; ſed & S. Thomas tractatulũ edidit de iſtis, quæ nos breuitati ſtudentes tranſimus.

QVARTVM eſt *Gratum*, id eſt, dignitas patet ex maioritate valoris, & gratitudine acceptabilitatis: Nulla enim oblatio hoc ſacrificio acceptior, in quo agnus innocentiſſimus Dei filius Deo Patri offertur Hinc Malach. 3. *Placebit Domino ſacrificium Iuda, & Hieruſalem, ſicut dies ſęculi.* Vnde etiam dicitur de conſec. diſt. 2. *Nihil in ſacrificio maius eſſe poteſt, quàm corpus & ſanguis Chriſti: Nec vlla oblatio potior eſt, ſed omnes hac excellit.* Cuius rationem pulchrè aſſignat Albertus in ſuo de Corpore Chriſti.

QVINTVM eſt *Veneratum*, id eſt dignitas eius patet ex ſingularitate cultus & veneratio-

nis,

Digitized by Google

nis, qua eſt veneratum: Hoc enim Angeli & homines, hoc dæmones & bruta honorant. Aſſiſtunt enim Angeli in ipſa immolationis hora (vt Gregorius ait) veneratione grandi. Hinc etiam Leo ſuper illud Matthæi 23. *Vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur aquilæ*, dicit: *Circa corpus Domini aquilæ ſunt, quæ ſpiritualibus alis circumuolãt*; angelicæ ſcilicet virtutes. Hoc ab Apoſtolis deuotè exceptum, dignè frequẽtatum, reuerenter prædicatum; Hoc à ſummis Pontificibus ſolennizatum; Hoc à Chriſti fidelibus vndique adoratum. Et vt nihil illius cultui deſit, hoc dæmones verentur, & bruta venerantur, quemadmodum in Exemplorum libris latè patet, videlicet in Cæſario, & aliis.

SEXTVM eſt *Signatum*, id eſt, dignitas Sacramenti pateſcit ex antiquitate figurarum, & prophetiarum multiplicitate. Hoc enim à cunctis exoptatum, hoc rebus & ſignis varijs præfiguratum, hoc à Prophetis magnificè prophetatum, hoc in Scripturis ſublimiter præconizatum. Ponit Magiſter figuras aliquas in quarto, ponuntur & infra. Et Albertus, vbi ſupra, plures adducit.

SEPTIMVM *Dictum*, id eſt, ex ſublimi & varia denominatione, qua eſt denominatum: Nã pro ſui magnitudine vno nomine non potuit denominari; de his infrà. Scripſit de ſeptem nominibus Sacramenti Albertus tractatum, qui multorum iudicio omnem ſuperat laudem.

OCTAVVM, quàm *Dulce*, id eſt, ex magnitudine ſuauitatis: Nullus quippe huius ſuauitatem exprimere poteſt, vbi *ſpiritualis dulcedo in ſonte guſtatur*. Hinc Sap. 16. *Panem de cælo præſtitiſti eis, omne delectamentum in ſe habentem*. Super quo dicit Ioannes de S. Geminiano, quod ſeptem ſunt differentiæ ſaporum, quæ omnes in hoc Sacramento repetiuntur, vt allegatur in ſumma Antonini.

NONVM *Perutile*, id eſt, patet ex magnitudine vtilitatis: Eſt enim vtile exiſtentibus in ſæculo, purgatorio, & in cælo. *De primo* ait Auguſtinus, quod nihil vtilius viuis, quàm hoc Sacramentum, quo miſericordia & gratia præſtatur. *De ſecundo* idem ait, Non eſt dubium, ſacrificio Altaris defunctorum animas releuari; ſicut etiam Gregorius 4. Dialog. per multa exempla deducit. *De tertio* Gregorius in Complenda, *Sumpſimus Domine diuina myſteria, quæ ſicut tuis ſanctis ad gloriam, ita nobis ad veniam prodeſſe perficias*.

DECIMVM eſt *Finis*, id eſt, dignitas huius Sacramenti ex hoc patet, quia eſt finis & conſummatio omnium Sacrificiorum & Sacramentorum: Finis autem potior eſt his, quæ ad finem ordinantur: Ad hoc autem Sacramentũ (vt ait diuinus Dionyſius) omnia Sacramenta ordinari, & in eo conſummari dicuntur; ita
Pſal. 118. vt ſit *omnis conſummationis finis*. Has dignites partim Ioannes de Turrecremata, partim alij ponunt: Quas qui ritè conſideraret, non ſine metu & reuerentia ad illud accederet ſumendum.

§. 3. *De reuerentia & conſideratione propria vilitatis.*

SECVNDO è regione debet homo cogitare ſui indiſpoſitionem & vilitatem; conferendo & comparando eam ad Sacramenti dignitatem: O quantum profundabitur, quanto timore reuerentiali concutietur; ſi conſideret *primò* ſui vilitatem: *Dein* miſeriam; culpam item & indiſpoſibilitatem. XX.

Es vilis, miſer, & reprobus, non eſq; paratus.

Eſt enim homo { Vilis, Vilior, Viliſſimus, } ex { Natura condita: Miſeria contracta; Culpa admiſſa.

Vilis natura, poſt contrahis, ac malus addis.

Quid enim eſt homo ex NATVRA condita, niſi puluis, putredo, & terra? Vt autem plenius in tua vtilitate abyſſeris, & quam ex natura vilis ſis noſcas, conſidera miſerias,

Ex parte { Animæ, Corporis; Vtriuſque.

Miſeriæ animæ ex multis pateſcunt, *primò* ex fundamenti nihileitate, quia ex nihilo creata; *ſecundò*, quia totaliter in peccato originali, (vt ita dicam) animata; *tertiò*, quia nihil eſt tota, & hoc quoad fieri, eſſe, cogitare, velle, operari; perficere; vt pulchrè Nyder in ſuo præceptorio declarat; *quartò*, quia fomite contaminata, tota ſpurca & immunda; *quintò*, quia originali iuſtitia ſpoliata, & malis multis onuſta. O *quomodo mutatus eſt color optimus!* O quomodo mundi *domina, princeps prouinciarum* eſt deſtituta! *Thren. 4. & 1.*

Secundò, & corpus ſuas vilitates habet, quas ſi reuoluere voles, nares ante obſtructas velim. Quid enim corpus?

Sperma prius, modo ſaccus olens, poſt vermibus eſca.

De his pulchrè in meditationibus ſuis Bernardus & Vincentius in Speculo morali.

Miſeria autem totius ſic patet (iuxta Innocentium in de miſeria humana) & planius, & plenius in regione perſonali habentur infrà,

Ex { Miſerabili, Culpabili, Damnabili. } humanæ { Conditionis ingreſſu: Conuerſationis progreſſu; Diſſolutionis egreſſu.

Vnde ergo *ſuperbit homo, cuius conceptio culpa? Naſci pœna? labor vita? neceſſe mori?* Ecce hæc de miſeria, quæ eſt ex natura condita.

QVID quæſo ſi dixerimus de contracta, & de ea, quæ fit ex culpa propria? Quis fœtorem feret? quis tam prolixa legere poſſet?

SED ſi iam cœperis cogitare, quod cùm tali vilitate, tam parum vix media hora es *diſpoſitus*, non credo quin reuerentia afficieris; præſertim cùm crediderís, quod quamuis mille annis te præparaueris, nullatenus ſufficies ad condignam Sacramenti eius ſuſceptionem: Etiam ſi omnium Sanctorum meritis gauderes, Angelorum & hominum puritate floreres. Nulla enim noſtra præparatione, nulla

Digitized by Google

(ait Gerſon) reddimur digni induſtria, ſed ſola Dei gratia. His itaque duobus per ſe conſideratis; puta Dei altitudine, & Sacramenti dignitate, itemque tui indiſpoſitione & vilitate, debes hęc inuicem conferre, & exemplo ſancti Franciſci dicere, *Domine quis es tu, & quis ſum ego?* Tu Deus altiſſimus, ego homo viliſſimus; Tu eſſentia prima, ego creatura nihilo ſimilis, 1.Cor 6. & de nihilo facta. *Quæ conuentio luci ad tenebras?* Tu lux puriſſima, ego abyſſus horrida; Qua igitur frõte? qua audacia ad te accedam? ſic ad ſingula Dei prædicata, & vilitatis tuæ deſcendendo. Qui ſic ſe exercitaret, non ſine timore & reuerentia accederet.

§. 4. *De ſumentium periculo.*

XXI. TErtio cogitabis indignè ſumentium pericula, & aſtantium ſublimitatem. Pericula ante ſunt numerata; De *aſtantium ſublimitate* eſt firmiter credendum, quod Angeli illic Deo aſſiſtant (iuxta quod Eccleſia canit, *Deus, cui aſtat Angelorum chorus*) indignè ſumentes ferire parati: vt hoc in ſuo libro atteſtatur Paſchaſius, & palam clamatum eſt in Scripturis Leuitici 7. *Anima polluti, quæ ederit de carnibus hoſtiæ pacificorum, quæ oblata eſt Domino, peribit de populis ſuis* Extimeſcere igitur debet ſumpturus, ne iudicium edat, & bibat; ne reus corporis & ſanguinis Chriſti fiat, ne mox mortem Heb. 12. incurrat; vt ſub figura legitur de *beſtia, quæ mõtem tetigerit*, de Oza, qui manum ad arcam mi- 2.Reg.6. ſit; & Bethſamitis, vnde verſus,

Iudicium, reus, & mors, Ozaq; beſtia, Bethſam.

Hoc igitur debet homo, quaſi ſenſibiliter imaginari, & cum ſummo tremore, & reuerentia accedere.

§. 5. *Inflammatio ad deſiderium & amorem.*

XXII. VErum quoniam hoc Sacramentum amoris eſt pignus, & charitatis ſignum, ideo cæteris paribus, amor timori præponderare debet: Nam & panis iſte (ſecundum Auguſtinum) quærit eſuriem hominis interioris. Vnde poſtquam mens reuerentia affecta fuerit, deſiderio & amore eſt inflammanda: Deſiderium autem, & amor inflammantur,

Si conſideres
- Inſtitutionis rationes, & Dei pietatem,
- Dei paſſionem, beneficia, & eius amorem,
- Acceſſus inuitatoria, fructum, & neceſſitatem.

Cauſa, pius, bona, mors, perametq;, trahentia, fructus.

Inſtitutionis ratio. *Notula 1.*

INFLAMMATVR *primo* deſiderium, & amor, ſi conſideres inſtitutionis ratiocinia. Quia ſi omnes inſtitutionis cauſas reuolueres, nihil aliud inuenires quam quod Chriſtus hoc tibi in vſum dederit, & crebrius à te accipi voluit; vt pulchrè in quarta parte declarat Vbertinus. Sunt autem plures inſtitutionis cauſæ, quarum ſingulæ ſunt valde deuotionis inflammatiuæ: Ponuntur autem hic numero decem,

Soletur, ſociet, memoret, guſtet, det amorem,
Te paſcat, ſanet, ſit & hoſtia, tres pleoſcripta.

Prima inſtitutionis ratio, quare Chriſtus inſtituerit hoc Sacramentum, eſt, *Soletur*, id eſt conſolatio ſuæ ſponſæ, id eſt Eccleſiæ, vel animæ fidelis, ne ſcilicet omnino ſponſi quaſi viduaretur corporali præſentia; & ſic *ſtat quaſi* Cant. 2. *poſt parietem* tenuem ſacramentalium ſpecierum. O quali amore, quali deſiderio, talis eſt ſponſus amplexandus!

Secunda cauſa eſt *Societ*, id eſt, conuenientia, ac neceſſitas realis præſentiæ capitis Chriſti, cum membris Eccleſiæ: Decet enim, vt membra aliquo modo caput, cui vniantur, habeant,

Vt influat
- Vitam gratiæ,
- Senſum intelligentiæ,
- Motum bonæ operationis.

O influxum! ô vnionem! ô coniunctionẽ deſiderabilem membrorum, cum capite tali!

Tertia eſt, *Memoret*, id eſt, commemoratio ſuæ acerbæ paſſionis, quæ merito noſtrum omnium ſibi vendicat amorem: Nam quia ſine fide paſſionis Chriſti nunquam fuit, vel erit ſalus; imò oportuit, ſicut ante eius aduentum præfiguratiua, vtpote ſerpentem æneum; ita nunc repræſentatiuum eius aliquod eſſe, quod quoties videremus, amicitiarum eius memores, toti in eius amorem raperemur. Hinc ait Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Et per Prophetam Thren. 3. *Recordare paupertatis meæ, transgreſſionis abſynthij & fellis.* Hanc enim vltimam memoriam (ait Hieron.) reliquit, quemadmodum ſiquis peregrè proficiſcens, aliquod pignus ei, quem diligit reliquerit, vt quoties viderit, poſſit eius beneficia ac amicitias commemorari: Quem ſi ille perfectè dilexerit, ſine ingenti deſiderio vel fletu illud videre non poteſt. Hoc igitur cùm accipimus, recordemur, commemoremus, quia caro & ſanguis eſt Chriſti, ne ingrati ſimus beneficijs tantis.

Quarta eſt, *Guſtet*, id eſt, vt per guſtum humanitatis te inuitaret ad diuinitatis amorem: Per ſenſibilia enim & viſibilia, in inuiſibilium rapimur amorem. O dignationem! Siliquis vix digni ſumus, & ad Angelorum cibum inuitamur.

Quinta cauſa eſt, *Det amorem*, id eſt, vt amorem ſuum nobis oſtenderet, & vt eximij amoris ſui, & charitatis teſtimoniũ apud nos ſemper eſſet, & ſic noſtrum ſibi alliceret amorem. Hic doctiloqui elingues, in hoc exprimendo amore, etiam Maronis muſa hebet. Ecce præ nimio amore non fert ſuam præſentiam abeſſe nobis, vt ſic gaudeamus de eo ſub Sacramento, quemadmodum Angeli de viſione in cælo.

Sexta eſt, *Te paſcat*, id eſt, vt cibum & alimoniam ſpiritualem Eccleſiæ ſuæ & animabus prouideret: Sicut enim vita naturalis eget cibo, non ſolum ad quantitatis augmentum, ſed & ad naturam ſuſtentandam, ne propter reſolutiones continuas diſſoluatur, & pereat: ita & neceſſarium eſt cordi humano, pro vita ſpirituali, ſpirituale alimentum; cuius incorporatione & inuiſceratione, fidelis animus virtutibus

turibus creſcat,& conſeruetur. O dilectionem! carnem & ſanguinem, dare in cibum, & potum.

Septima eſt, *Sanet*, id eſt, vt efficax eſſet in eccleſia eius medicina, quotidianæ infirmitatis curatiua. Hinc Gregorius, *Corpus Chriſti medicina ſpiritualis eſt; vulnus quod habemus, eſt quod ſub peccato ſumus. Qui vulnus habet, medicinam quærat.* O quam dulce & carum emplaſtrum, de Chriſti carne, & pretioſo eius ſanguine confectum!

Octaua eſt, *Sit & hoſtia*, id eſt, vt Eccleſia, iugẽ placationis ſacrificium haberet, quod pro quotidianis offenſis offerret, vt ſic haberet homo quo placaretur Deus, vel pro delictis delendis, aut gratitudine rependenda.

Nona eſt, *Tres*, hoc eſt pro actuatione trium Theologicarum virtutum, ſcilicet Fidei, Spei, & Charitatis. Hic enim ſummum eſt fidei meritum, teſte Auguſtino: Laus fidei eſt credere, quod non vides; Hic ſubleuatio ſpei de obtinendo quicquid neceſſarium ſaluti; nam ad nos ipſe inuocatus venit, & ex perceptione munerum præſentium, firma eſt ſpes futurorũ. Hic denique dilatatio & actuatio charitatis: Non enim eſt validioris virtutis incendium ad diuinum amorem nutriendum, quàm memoriale paſſionis eius ſignum; quod totum noſtrum ſibi exigit amorem.

Decima eſt, *Pleoſcripta*, id eſt adimpletio ſcripturarum. De hoc enim dictum erat in pſal. 71. *Erit placenta in ſummis montium* (iuxta Hebraicam veritatem, teſte magiſtro Paulo Burgenſi in additione) Itemque pſal. 109. *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*: qui obtulit panem & vinum, Gen. 14. Item in Euangel. Matth. 28. *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi*, non ſolum ſcilicet per præſentiam majeſtatis, aut inhabitantem gratiam; ſed & per corporalem in ſacramẽto præſentiam, licet abſconditã. Iuxta illud Apoc. 2. *Vincenti dabo manna abſconditum*, &c. Quis quæſo his attentis non ſuccendetur? quis non deſiderio flagret?

Quomodo inflammetur mens ex conſideratione diuinæ pietatis. Notula 2.

XXIII. SEd ne timore nimio retraharis, magiſque ad accedendum inflammeris, conſidera Dei tui, & Domini Ieſu *pietatem*: Eſt enim *ei proprium parcere, & miſereri*. Et *quis inuocauit Dominum, & confuſus eſt ab eo?* Eccli. 2. Quærit occaſiones (ait Chryſoſtomus) miſerendi; inuitus cogitur indignari. Eſt igitur ad tam pium Dominum confidenter accedendum, & de eius pietate confidendum: Et hoc (ait Soccus)

Propter { Innatam ipſi bonitatem, / Promiſſionis veritatem, / Exhibitionis pietatem.

Eſt proprium, didicit, ſpondet, cunctos iuuat ob ſex.

Albertus Magnus ait: *Sunt in Deo omnia, quæ impellere poſſunt ad benefaciendum: quæ ſunt bonitas, benignitas, pietas, dulcedo, charitas, placabilitas*, vt pulchrè in principio de myſterijs Miſſæ declarat. Si non verbis creditur, exẽplis detur fides. Sunt teſtimonia pietatis; Manaſſes, Dauid, & cæteri huius generis enormes peccatores. Vide opera Ieſu, quæ deſcribunt Euangeliſtæ. Nonne ipſe *dolores, & infirmitates omnium* deſiderantium, inuocantium, & in ſe credentium *tulit*, & *infirmitates* omnium *ipſe portauit*? Mulier tangens fimbriam ſanatur. Peccatrix pedes eius oſculans mundatur. Chananea exauditur. Leproſi clamantes mundantur, dæmoniaci & paralytici, & cuncta naturæ monſtra, dum accedunt & credunt, ſalutem conſequuntur. Nam *virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Matth. 8. Publicani & peccatores veniam conſequuntur; nec eorum conuiuia deſpexit. Teſtes horum inuoco, vel in medium adduco Matthæum, Zachæum, mulierem in adulterio deprehenſam. Longum eſt cæteros enarrare, eius pietatem expertos. Inquirantur diaboli, ſi non & illi inuocantes pietatem experti, quippe dimiſit eos in porcos.

Eſa. 55. 4. Reg. 21. Eſa. 53. Matt. 9. Luca 7. Matth. 15 Luca. 17. Matth. 9. Luc. 19. Ioan. 8. Luca 8.

Ad hunc igitur pietatis fontem, ô anima peccatrix properato; nunc more fidelis leproſi clamans, *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Nũc Centurionis inſtar, dicens: *Domine, puer meus iacet paralyticus in domo*, &c. Nunc more ſanguifluæ mulieris, *Si tetigero fimbriam veſtimenti eius, ſalua ero.* Quiſquis enim vera fide, & ſupplici corde, coram venerabili Sacramento veniam petierit; credendum (ait Haſſia) piè eſt, quod aut plenariam, aut maximę partis remiſſionem conſequatur peccatorum. Adducens exemplum de Latrone & Magdalena. Idem dicit diſcipulus in ſermone de S. Stephano, vbi enumerat quibus patet cælum, hunc Doctorem allegans.

Quomodo inflammetur mens ex conſideratione beneficiorum. Notula 3.

XXIV. POrrò, vt ampliori deuotionis & amoris flamma ſuccendaris, debes etiam contemplari beneficia diuina ex pietate ſola tibi præſtita; in quorum hoc fieri iuſſit commemorationem. Luca 22. Debes igitur ad mentem reuocare beneficia illa diuina, maximeque maxima, de quibus plenè agitur infra in beneficiario. Quæ, vt amplius te permoueant, & ad amorem & deſiderium inflamment, debes ſingularius recolere illud ſummæ charitatis incendium, quo cõtulit hæc vniuerſa: Non enim melius ſuccenditur ignis, quàm igne; & nil ita afficit ad amorem, ſicut conſideratio charitatis, & amoris Dei ad nos, de quo plenius infrà.

Potiſſimè tamen paſſionis debemus meminiſſe, vt infrà. Et illius charitatis dijudicare debemus ardorem, quo ſuæ infinitæ bonitati non ſufficit, quòd tanta ac talia præſtitit; niſi adhuc quotidie ad nos deſcendens, ſe nobis taliter, & tali modo exhiberet. O ardorem! ô charitatem! ô quis te vidit, & nõ amauit? Quis abyſſum conſiderauit, & non expauit? Qui nõ amauit, nequam & impius eſt: Sicut qui nõ expauit, vecors & inſenſatus eſt.

§. 5. De inuitatorijs accedendi.

Psal. 18. XXV. VERVM vt nullo te pacto à calore huius abſcondas; ſed vt ad acceſſum animeris, debes conſiderare acceſſus inuitatoria, fructū, & neceſſitatem. Supra autem enumerata ſunt, ſcilicet in gradu conſiderationis, inuitatoria acceſſûs, vnde non ſunt hic replicanda; ſed hic quædam inuitamenta dicemus, ad huius ſacræ communionis frequentationem impellentia.

Pro quo *notandum*, quod abſolutè melius eſt ex amore & humili deuotione crebrius accedere, quàm ex timore ſolo, vel etiam humili timore, abſtinere; Amor enim & ſpes præferuntur timori. Licet in caſu quandoque melius ſit abſtinere, ſcilicet interueniente notabili & legitima ad abſtinendum cauſa. Sumptio enim multis ex cauſis prænalet, quæ fit ex amore, quàm reuerentialis abſtinentia ex timore, vt pulchrè proſequitur Rainerius in Pantheologia, & Matthæus de Cracouia in nobili ſuo dialogo.

Hinc etiam ſanctus Appollonius (vt patet in viriſpatrum) monebat monachos quotidie communicare Chriſti myſteriis, quinque potiſſimè ex cauſis,

Ne longus, præſto, patiens, deleatur, adunit.

Prima ne fortè, qui ſe à longè facit ab his, longè fiat à Deo. *Secunda*, quia qui hoc crebrius ſuſcipit, frequentius recipit Saluatorem, & ad omne bonum ſit paratus, & promptus. *Tertia*, quia ipſa commemoratio Dominicæ paſſionis, dum quotidie à monachis fiat, plurimum confert ad patientiæ exemplum, quæ eſt neceſſaria eis. *Quarta*, quia per hoc datur cōmonitio, vt quiſq; cautius viuat, vt ſēper paratus ſit, & dignus: quia per hoc remiſſio peccatorū credētibus datur. *Quinta*, quia cōmunio inſeparabiliter Chriſto *adunit*, & coniungit. Sed & frequētans & accedēs pleniorem conſequitur ſacramenti effectum: De quibus ſupra & infra adhuc dicendum. Quæ omnia verſu patent prædicto.

De accedendi neceſſitate & fructuoſitate.

Notula I.

XXVI. ET ne aliquo modo ſubterfugias, conſidera poſtremò, quod grādis frequentandi hoc ſacramentum tibi indicitur neceſſitas: De hac enim Bonauentura ſic ait: *O quanta anguſtia! Horrendum accedere; non accedere ex notabili negligentia, damnabilis culpa. Quia qui ſine cauſa accedere dimittit, quantum in ipſo eſt, priuat ſanctam Trinitatem gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iuſtos ſubſidio & gratia, in Purgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam Chriſti ſpirituali beneficio, ſeipſum medicina & remedio contra quotidiana peccata. Quoties effunditur ſanguis Chriſti, in* Math. 6 *remiſſionem effunditur peccatorum. Qui igitur quotidie peccat, ſemper medicinam ſumat. Item priuat ſe quodammodo omnibus bonis venientibus ex communione ſacramentali, vt ſunt peccatorum remiſſio, fomitis mitigatio, mentis illuminatio, virtutum infuſio, Angelorum conuiuatio, &c. Non ſumit viaticum, vnde extimeſcere habet in via defectum. Euacuat diuinum cultum contemnit aut paruipendit Chriſti præceptum, quo hanc neceſſitatem inducit, dicens, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, &c. Et ergo terrifica de huiuſmodi vetus pagina inſonat tuba dicens. Ioan. 6.
Si quis mundus eſt, & in itinere non fuerit, & tamen non fecerit phaſe, exterminabitur anima illa de populo, quia ſacrificium non obtulit Domino tempore ſuo. Hæc ille. Num. 9.

Quod ſi generaliter omnibus tanta neceſſitas inducitur: quanta putas ſacerdotibus Dei, eius cultui conſecratis impoſitum iri? Certè magna eſt (ait Vmbertinus) ſacerdotum abuſio, à celebratione ceſſantium; quia faciunt cōtra Domini intentionem & præceptum. His non modo ex cauſis dictis, neceſsitas indicitur; ſed & ex ordinis ſuſceptione, qua facti ſunt os Eccleſiæ, ex ſtipendiorum receptione, & ex gratiarum & chariſmatum obligatione accedere impelluntur. De his non ampliora proſequimur, quoniam non Dei ſacerdotibus, ſed quibus lacte opus eſt, iunioribus & nouellis Chriſti tyrunculis, hic tractatulus legendus dedicatur. Heb. 5.

O timoris & amoris, ſuccende fornacibus,
Quo complectar iam te fortis brachijs tenacibus:
Noſtri replens guſtum oris, fructibus feracibus.

MEMBRVM V.

De gradu occurſionis, & modo eius primo.

OCCVRSIO, de qua per Prophetam Amos 4. c. *Præparare in occurſum Dei tui Iſrael.* Et item, *Gaude & lætare Sion occurrens Deo tuo.* Et in Euangelio, *Exite obuiam ei.* Hæc recto ordine ſuperiori gradui ſubnectitur; quia poſtquam anima per ſuperiores gradus ſe parauit, nil reſtat, niſi vt venienti occurrat. Et eſt qua Matt. 25.
Dominò occurras,

Per:
- Nunciorum auditum, & reſponſiuas inuitationes;
- Quorundam ſimilitudines, & conditiones,
- Deuota ſuſpiria, & admiratiuas dijudicationes.

Audi, reſpondens, inſtar, ſuſpiria mirans.

§. 1. Occurſionis modus primus.

PRIMO dico fit hæc occurſio per *nunciorum auditum, & reſponſiuas inuitationes.* Debemus enim in hoc gradu conſtituti, audire verba nunciorum; quos Deus, tanquam Rex diues, præmittit *in omnem, ad quem venturus eſt, locū*; vt ſunt propheticæ promiſſiones, & ſacræ inſpirationes. Vnde hic reuoluenda ſunt, & ruminanda prophetica illa promiſſa: Cuiuſmodi Luca 10.
ſunt, *Qui venturus eſt, veniet, dicite filiæ Sion* &c. & conſimilia. Hic quoque comminiſcentur verba Domini, qui nuncios ſubſequitur ſuos, Matt. 21.
vt eſt illud: *Ecce ego venio, & habito in medio tui*, & ſimilia. Poteruntque hic aggregari pluſima Prophetarum verba, quæ multum ſunt Iere. 7.

deuotionis

deuotionis inflammatiua.

Venturus, Sion, en veniet, gaudens, hodie ſum.

Sed vbi anima huiuſmodi voces audierit, mox vt eis per deſiderium & gratitudinem reſpondeat oportet, vt ſic exemplo Abigail nuncios Dauid ſequatur: 1. Reg. 25. Et pro hoc deſeruiunt exclamationes illæ ſeraphicæ, quæ infra ponuntur, vt dicatur,

Chriſte veni, ſalues, loxes, ſitio, neque tardes.

§. 2. *Occurſionis modus ſecundus.*

XXVIII. SECVNDO dicimus, quod occurrendum ſit ſecundum quorundam *ſimilitudines & conditiones*, inſtar videlicet harũ perſonarum, .ſ.

Vt reus, infirmus, preſſus, mendicus, & Abra.
Sponſa, velut proles, venias mihi, tu viceuerſa.

Hæc ſunt ſeptem affectiones orationis, quæ in *profeſſu Religioſorum*, appropriantur ſeptem petitionibus Dominicæ orationis, in quibus deuotum eſt accedere ad Sacramentum.

Et PRIMO accedendũ eſt, vt reus *ad miſericordem iudicem*. Ecce copioſa hic offertur deuotionis & compunctionis materia, dum ſcilicet quiſque ſecum conſiderat, qualis, & in quibus ipſe reus; & qualis ipſe iudex cui occurrere habet. Facilius cogitatu, quàm penna, hæc cõprehenduntur: Quis enim non dico ſcribet, ſed ne cogitabit quidem, in quantis ſumus rei, & quantis expoſiti malis? Verè clamare neceſſe habemus: *Sed libera nos à malo*; & dicere
Matt. 6. in accedendo, *Domine multorum criminũ reus, & vniuerſis expoſitus malis, ad te ſaluandus venio, & quem iudicem ſuſtinere nequeo, Saluatorem habere ſuſpiro.* adiutor meus eſto Deus.

SECVNDO occurrendum eſt Sacramento, ſicut *infirmus occurrit medico*, & ſicut multis hoſtibus *obſeſſus ſuo liberatori*. Verè à *planta pedis vſque ad verticem, non eſt ſanitas in nobis*; Et
Eſa. 1. nos certamine triplici circundant tres inimici, ita quod clamare compellimur, *Et ne nos inducas in tentationem*; & dicere in accedendo, Domine infirmus venio ad te medicum & medicamẽtum, vt vulnerum meorum cicatricibus, quas aduerſarius inflixit, medearis; vt debilem & confractum hoc ſacro edulio corroboret. Et iterum Ierem. 17. *Sana me Domine, & ſanabor*. Itemq́ue, Domine caſtrum conſcientiæ meæ inerme eſt, & penuria affectum, & hoſtibus vndique obſeſſum: Venio igitur ad te Dei virtutem, venio ad te, in quo omnis abundantia boni; tibi reddo caſtrum, opus tuum, plaſma tuum, vt ipſum armis defendas, cibis ac munimine confortes, eſto mihi in Deum protectorem, &c. Pſal. 30.

TERTIO occurrendum eſt, vt *oppreſſus debitis* ſuo liberaliſſimo creditori & remiſſori: *Debemus* autem *decem millia talentorum*, Matt. 18. Vnde clamare habemus, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, & orare, Domine, obligatus ſum debitis, quæ ſoluere non ſum ſufficiens; vnde venio ad te, vt abſoluar à debito, te reddente pro me. *Aſpice* igitur *in me, & miſerere mei*, Pſal. 142. te offerendo pro me, vt ſic retribuas pro me.

QVARTO occurrendum eſt, vt *mendicus & pauper regi gloriæ*, homini diuiti, largiſſimo datori. Ego pauper & mendicus; vnde clamo, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*; & dico, Domine paſtor bone, venit mendicans famelica anima coram te, cupiens ſuſtentari à te pane viuo & vero, Domine paſce me.

QVINTO occurrendum, vt *ſeruus occurrit Domino*, cupiens reconciliari ei. *Seruus tuus ego ſum*, Pſal. 118. Sed proh ſeruus piger, infidelis, & nequam, qui non feci tuam voluntatem; vnde nunc ad te venio, voluntatem tuam perficere cupio, & ergo oro. *Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra*, Matth. 6. *Doce me facere voluntatem tuam*, Pſal. 142.

SEXTO occurrendum, vt *ſponſa ſponſo dulciſſimo*. Nos Chriſti ſponſæ ſumus, qui ei in baptiſmo & fide deſponſati ſumus; ſed proh dolor! virum pudicitiæ noſtrę dereliquimus, diabolo adhæſimus, & cum eo fornicati ſumus. Quoties (ait Hieronymus) concupiſcimus, toties à Deo fornicamur. Sed ipſe clamat Ierem. 12. *Auerſatrix Iſrael reuertere ad me, & libenter ſuſcipiam te.* Ad eum igitur conuerſi, ad thalamum aſpiremus, & dicamus, *Adueniat regnum tuum. Vbi cubas? vbi paſcis*, &c. Cant. 1.

POSTREMO occurrere debemus, *ſicut filius* Luc. 15.
patri, & dicere, *Sanctificetur nomen tuum*. Filij prodigi ſumus, qui ſubſtantiam dilapidamus vniuerſam; vnde dicamus, Domine *Pater*, ego perditus in regione longinqua, omnia dona gratiæ tuæ per peccata mea perdidi, eiectus ſum à poſſeſſione virtutum, ſpoliatus innocẽtiæ veſte, *non ſum dignus vocari filius tuus*. Sed ecce venio ad te, vt reſtituar per te. *Domine quando reſpicies: Reſtitue animam meam.* Pſ. 34. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui*, Pſal. 50. Si his modis cœleſti Patri occurrerimus, ſi cum filio prodigo nos humiliauerimus, & dixerimus, *Pater, peccaui in cælum coram te, & iam non ſum dignus vocari filius tuus*; *non ſum dignus vt intres ſub tectum meum*; Matt. 8. & nihilominus firmo propoſito, *Fiat voluntas tua*, adiunxerimus, non ſe feret, non ſe ſuſtinebit Pater ille cæleſtis, ſed prior in obuiam veniet, in amplexus ruet, vitulo ſaginato te reficiet, gaudens, & lætabundus. Hæc de occurſionibus iſtis, in quibus eſt deuotiſſimum exerceri, ſi fuerint plenè dijudicatæ.

§. 3. *Quomodo occurrendum per crebra ſuſpiria, & admiratiuas dijudicationes.*

TERTIO occurrendum eſt per crebra ſuſpiria, & admiratiuas dijudicationes. Po- XXIX.
nit Guillelmus Parrhiſienſis in ſua Rhetorica diuina, ſeptem ſuſpiriorum ſpecies, quibus debet ſe homo exercere circa Deum, & hoc venerandum Sacramentum. Et ſunt iſtæ.

Occurrens, clamo, miſer, eiulo, rugio, plango.

Clamor	Periclitãtium.	Et nos cum iuſtis clamemus, vt liberemur.
Eiulatus	Paruulorum.	Pro abſentia patris, & alimenti.
Rugitus *qui eſt*	dãna paſſorum, *& noſter*	Vt Eſau qui irrugijt ſupplãtatus. (Gen. 27.)
Plãctus,	luct⁹ mortuorum.	(Vt nos) mortem animæ plangamus.
Gemitus	ſignũ dolorum.	Gemitus in oratione fundamus.
Suſpiriũ	ſpiratio fatigatorũ.	Vehementer aduentum optemus.
Singultus	diu lugẽtium.	Inceſſabiliter doleamus.

Et

Et gemo, ſuſpiro, ſingultio, paſce Ieſu me.

Adhuc occurrendum per admiratiuas dijudicationes, vt, ſcilicet volatum quendam ſuſpẽſiuum & admiratiuum inter diuinam majeſtatem, & tuam propriam vilitatem exerceas, dijudicando videlicet,

Ad quem, quis veniat, cur quomodo quid dabit vnde.

Quis ad quem. Notula I.

XXX. Offertur in hoc verſiculo fœcundiſſima pariter & deuotiſſima contemplationis materia, ſed paucis (ne prolixi ſimus) perſtringenda. Debes igitur (anima) ſuper annunciationibus illis propheticis, & venturi Domini promiſſionibus, tecum exemplo Mariæ cogitare, quales ſunt annunciationes illæ; profundè videlicet dijudicando, quis, qualis & quantus; ad quem, qualem, & quantillum dignabitur aduentare; quę majeſtas, ad quam vilitatem. O dignationem! Ipſe, qui de ſe fatetur, *Ego ſum Deus omnipotens, qui terram reſpicit, & facit eam tremere,* qui habet in *veſtimento, & in fæmore ſuo ſcriptũ, Rex Regum, Dominus dominantium,* is, inquam, talis ac tantus, non dedignatur viſitare hominem miſerum & peccatorem. Hæc ſi ritè dijudicaueris, in admirationem ductus, exclamabis, O quàm ſtupenda dignatio, quàm indebita miſeratio, quàm gratuita dilectio, Regem Regum, Dominum dominantium, ad miſellũ deſcendere vermiculum! Et item Lucæ 1. *Vnde mihi hoc, vt maieſtas Domini veniat ad me?*

Luc. 1. *Gen. 17.* *Pſal. 103.* *Apoc. 19.*

Cur tanta dignatione ad te veniat. Notula II.

XXXI. SECVNDO admiratiuè conſiderare habes, cur tanta dignatione quotidiè ad te veniat; quid, ſcilicet, cũ ad hoc inducat, quid alliciat; Non vtique bonitas tua, non merita tua: ſed ſola gratuita charitas, & innata pietas eius. Hinc Ezechiel. 36. *Non propter vos faciam, ſed propter memetipſum, & propter nomen ſanctum meum.* Et Oſee 14. *Diligam eos ſpontaneè, id eſt, nullo merito eorum.* Cauſæ igitur aduentationis concurrunt cum cauſis inſtitutionis, de quibus dictum eſt ſupra, quarum potiſſima eſt oſtenſio ſuæ charitatis. Et hic exclama dicẽs: O charitas mea, Deus meus, quantum me dilexiſti; qui ſola gratuita charitate ad me aduenis, & aduenisti.

Quomodo veniat. Notula III.

XXXII. TERTIO dijudicandum eſt, *quomodo veniat*. Et quis ſufficiet ad modum veniendi explicandum? Angelus ſuper modo aduentus interrogatus à Virgine prudente, ad ſuperiorem magiſtrum remiſit, ſcilicet, Spiritum ſanctum: Quid ergo nos dicemus? Sed vt pauca & hic aſſignemus, notandum quod venit,

Luca 1.

Occultus ſapiens; ſanctiſq; potens, pius ad nos.

Sapienter, occultatione majeſtatis, ſub ſpeciebus ſacramentalibus. Potenter, cum gloria diuinitatis, cum omnibus ſanctis. Clementer, dignatione pietatis, modis pijs. PRIMO dico, venit SAPIENTER, occultando, ſcilicet ſe, ſub ſacramentalibus ſpeciebus. Quod ſapientiſſimè facit, quia congruis ex cauſis, ſcilicet,

Ob meritum, ſignum, riſum, ſenſum, quia ſcriptum.

Prima cauſa quare ſe ſpeciebus dedit velatũ, eſt *ob meritum*, ſcilicet fidei. *Fides* enim (teſte beato Gregorio) *non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Hunc igitur modum ſapientia illa adinuenit, in quo ſummum meritum (ſi ritè fiat) conſiſtit. *Secundo ob ſignũ*, vt ſcilicet per ſpecies ſacramentales viſibiles, ſignificetur homini quid contineatur, & fiat inuiſibiliter. *Tertiò ob riſum*, ſcilicet infideliũ euitandum, qui inſultarent, ſi crudas comedere videremur carnes. *Quartò ob ſenſum*, id eſt, propter vitandum horrorem ex eſu crudæ carnis, ne ſcilicet horreret animus, quod cerneret oculus: & ne indignè conſpiciens interiret, vt de Bethſamitis 1. Reg. 6. Aut etiam propter ſenſus noſtri debilitatem, qui non poſſet perferre tantæ majeſtatis claritatem, vt patet de claritate vultus Moſayci, Exodi 34. vt ſic in omnibus noſtræ prouideret neceſſitati. *Quinto*, quia *ſcriptum*, vt ſcilicet impleretur illud Apocalypſis 2. *Dabo manna abſconditum.*

Quare autem ſub talibus ſpeciebus, puta panis & vini, commendauit: etiam congruentiſſimæ aſſignantur ſuper hoc rationes, quas longum eſſet hic aſſignare: Habentur enim paſſim in Scripturis Doctorum ſuper quartũ ſententiarum; in Pantheologia, & ſic de alijs. Ita vt qui hæc omnia ſapienter & profundè dijudicaret, verè ſapientiam de occultis traheret, & cum regina Sabba in exceſſum ductus, deficeret ſuper contemplanda ſapientia noſtri veri Salomonis, in hoc Sacramento occultata. Quid enim ſapientius, quàm adeò ſalubriter & conuenienter noſtræ eruditioni, pariterque refectioni, pro ſtatu & captu noſtræ paruitatis conſulere & prouidere? *Iob 28.* *3. Reg. 10.*

SECVNDO dico, quod venit POTENTER, cũ gloria ſcilicet majeſtatis. Verè & firmiter enim credere debemus, & nullatenus dubitare, quod veniat ibi in corpore glorificato, & adornato dotibus, & cum comitiua decenti, puta Angelorum, & Sanctorum agminibus. O niſi hæc eſſent occulta, quis ſtaret ad videndum ea? Malach. 3. Quis ſplendorem, quis decorẽ corporis illius ſuſtineret? Quis *in concilio & congregatione* tantorum Sanctorum aſſiſteret? Nã Angelos ſubſequi & aſſiſtere, in ſuperioribus teſtimonio Gregorij in Dialogorum libris, pariter & Leonis, eſt comprobatum. Nam & eccleſia dicit 4. Eſdr. 8. *Deus cui aſtat Angelorum chorus.* Putas, aſſiſtant in cælo, non ſub Sacramento? Verè ſequuntur eum, & quocunque ierit, & eo dulcius, quo venit dignantius. De omnibus Sanctis Eccleſia in aduentu petit in collecta, dicens Apoc. 14. *Vt veniens Dominus noſter Ieſus Chriſtus cum omnibus Sanctis, paratam ſibi in nobis inueniat manſionem*; Quæ etiam collecta de ſpirituali aduentu, ſecundum plures intelligi poteſt: Nam & hi ſequuntur agnũ, *quocunque* enim *pergit*, ſancti omnes *ſequuntur, atque laudibus poſt eum canentes curſitant, hymnoſq; dulces perſonant.* XXXIII.

XXXIV. TERTIO dico, venit CLEMENTER, nam totũ minus eſt, quod de hoc aduentu dici poteſt: Quis enim dignationem illam majeſtatis? quis diuinæ bonitatis illam abundantiam, qua ita ſe communicat nobis, quaſi ex nobis ipſe dependeat, dignè explicabit? Sed vt pauca pro deuotionis excitatione & hic dicantur; notandum quod clementia eius pateſcit, ſi conſideremus quomodo veniat, & ſi ad quorum inſtar veniat commeminerimus. DE MODO QVO veniat, pulchrè dicitur in libro ſpiritualis gratiæ; quod ſeptem modis Dominus in Miſſa venire dignatur. *Primus* eſt, quòd Dominus cũ tanta illic *humilitate* venit, quod nullus tam vilis ibi eſt, quin ad ipſum Dominus humiliter ſe inclinet, & ad ipſum veniat; ſi tamen homo ipſum velit. *Secundus* eſt, quòd venit cum tanta *patientia*, quòd nullus tantus peccator, aut etiam inimicus eſt ibi, quin ipſum ſuſtineat patienter, ſi ei reconciliari velit, lætiſſimè omnia ſua debita ei dimittit. *Tertius* eſt, quod tanto *amore* illic venit, quòd nullus adeò frigidus & obſtinatus ibi eſt, quin ipſum, ſi tamen velit, amore ſuo valeat inflammare, & cor eius emollire. *Quartò* tam largiflua *liberalitate* venit, quòd nullus adeo pauper eſt, quem non poſſit copioſè ditare. *Quintò* ſe tam dulciſſimum, & delicioſiſſimum, & *ſufficientiſſimum cibum* omnibus præbet, quod nullus tam æger, tam famelicus illic eſt, quin ab eo valeat curari, refici, & abundè ſatiari. *Sextò* tanta *claritate* venit, quòd nullius cor tam cœcum, tamque tenebroſum eſt, quod ſua præſentia non valeat illuſtrari & mundari. *Septimo* tam plenus *ſanctitate*, & *gratia* illuc venit, quod nullus adeo ſegnis & indeuotus ibi adeſt, quin à ſuo torpore valeat excitari, & ad deuotionem incitari.

Valde humilis, patiens, inflammat, amans, pia donat.
Hinc ſatiat, luſtrat, deuoto torpor abibit.

XXXV. SECVNDO principaliter eius clementia ex hoc eluceſcit; ſi conſideres QVORVM INSTAR veniat, & quanta charitate. Venit enim inſtar omnium, qui vnquam aliqua pietate alterum viſitauerunt; Viſitat enim Deus verbum, Bernardo teſte, nunc *vt medicus* languorem ſanãs, nunc vt *ſponſus* animam ſibi copulans, &c. De quibus modis agitur in gradu inuitationis. Et verè nulla ſimilitudo huic, qua nos viſitat, charitati conueniens dari poteſt. Nullus enim amicus ad alterum inuiſendum tam properauit, nullus ſitiens tam feruidè delectabiliſſimum potum deſiderauit, aut moriturus vitam cunctis mortalibus exoptatam tam affectauit; Nullus denique ſponſus vnquam in thalamum amatiſſimæ ſuæ ſponſæ inſilijt, quali deſiderio & affectu huc ad nos in Sacramento aduenit Deus.

Nec ſitiens, medicus, ſponſus moriturus, amicus.

O charitatem, ô dilectionem! Quis non ob-
uiam tantæ charitati ruet? Quis non admirans
Iob 7. clamet? Quid eſt homo, quia apponis erga
eum cor tuum? Et hæc de modo quo venit ſub
Sacramentò.

Quid dabit adueniens tanta charitate.
Notula 4.

QVARTO principaliter conſiderandum, *quid dabit*, ſcilicet Dominus adueniens tanta charitate: Verè largietur munera iuxta magnificentiam ſuam: Dator tranſibit in donum, dabit donum fidei electum, ſcilicet ſeipſum, in quemlibet deſiderabilem vſum. Si ſitis, fons tibi eſt; ſi eſuris, cibus eſt; ſi langues, medicina; ſi ſanus, electuarium confortatiuum. Omnibus omnia fiet. O quid vltra deſiderari poteſt? *Nimis auarus eſt, cui non ſufficit Deus.* En dat corpus in cibum, ſanguinem in potum, animam in redemptionem, ſpiritum in viuificationem, omnia ſua opera operatur nobis in meritum. Dat poſtremò diuinitatem in completionem omnium deſideriorum. Dat ſe totum in Sacramentum communionis, in ſacrificium reconciliationis, in viaticum peregrinationis. Dat ſe totum in futuræ gloriæ pignus certiſſimum, in cęleſtis iocunditatis amabile præludium, in iocale diuinum, in pretioſum clenodium: quia ſaphyrum diuinitatis in auro humanitatis, quaſi in pixide accidentium panis & vini velatum. O donum pretioſum, donum vtile, & quo melius poterit eſſe nihil! O quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? præſertim pro tam nobili dono? Poſſent ad hanc conſiderationem reduci effectus, nomina & portiones quæ infrà. XXXVI.

Vnde veniat. Notula 5.

QVINTO cum admiratione intuendum: XXXVII.
Vnde veniat, qui tanta dona confert, &
quo ſe inclinet. Verè à *ſummo cælo egreſſio* Pſal. 18.
eius, Pſal. 18. hoc eſt à cœlo Trinitatis; Sed quò ſe inclinet intueamur: Et ecce in vallem miſeriæ noſtræ; Venit inquam de monte excellentiæ, in vallem humilitatis; de monte potentiæ, in vallem infirmitatis; de monte gloriæ, in vallem exiguitatis & ignominiæ; dum Majeſtas tanta talibus ſe ſpeciebus inclinat. Hæc & huiuſmodi intuentes cum Eſaia cap. 66. exclamemus: *Quis audiuit vnquam tale? aut quis vidit huic ſimile? Verè ſtupor, & mirabilia facta ſunt in terra.* Et cum Bernardo ſuperiora complexante dicamus: O *mira quærentis, & aduenientis Dei dignatio! O magna dignitas hominis ſic quæſiti! Si perſonam intueor venientis, non capio excellentiam Majeſtatis; Si attendo ad quos venit, dignationis magnitudinem expaueſco; Si modum cogito, ſupra me eſt, & non poſſum ire ad eum.* Hæc de gradu occurſionis, in quo longiuſculè immo-
rati ſumus, quoniam *bonum eſt nos hic eſſe*, & Matt. 17.
in hoc conſiſtere gradu. Eſt enim in hoc gradu occurſionis vſque ad acceſſionem Sacramenti perſiſtendum. Conſiderationes præſertim illæ crebrius ad mentem ſunt reuocandæ, vt vult Dominus Bonauentura. Nam qui hoc nõ facit corpus Domini (ait quidam Abbas) non ritè

dijudicat, & arida conſuetudine accedit feſtinans, non ex affectu deuotionis, ſed ex defectu feruoris. Et ergo, ſicut vacuus accedit, ita inanis ſæpè, & ſine gratia recedit.

HYMNVS.

Tibi Ieſu inuitanti occurram lætiſſimè,
Clamans voce ſuſpirãti, veni Rex dulciſſime!
Veni, veni ægrotanti, medens clementiſſime.

MEMBRVM VI.

De gradu iteratæ præparationis.

XXXIX. ITERATA PRÆPARATIO, de qua Propheta, *Beati, qui parati ſunt occurrere illi.* Nam &
Luca 12. Matt. 25. Virgines, *quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias.* Et non eſt is gradus à cæteris (licet etiam ſint præparatorij gradus) indiſtinctus; differt enim in hoc, quia illi veſperi & mane tantum exercentur; ſed is cùm ingruit accedendi tempus, dum in procinctu eſt eundum ad miſſam, illi mediati, is immediatus. Vnde aliqui triplicem præparationem aſſignare ſolent,

Scilicet { Remotam, Propinquam, Proximam, } vt { Per ſeptimanã vel aliquot dies præuenire. Inſtãti cõmunionis die per gradus exerceri. In procinctu acceſſus ſe diſponere. }

Præparationem remotam Magiſter ille venerandus Gerardus Groet obſeruabat, qui per duos aut tres dies ante communionis diẽ, de nulla alia, quàm de huius Sacramenti materia, loqui volebat. Sic alij ſilentium die præcedenti ſeruant, alij ieiunant. Sed de hoc gradu hic loquamur. Et eſt poſtquam homo ſe per priores gradus diſpoſuit: Domino tamen appropinquante amplius ſe diſponere quærit; Et hoc,

Per { Sacramentalem purgationem, Dei, & Sanctorũ implorationem, Intentionis diſcuſſionẽ, & paſſionis cõmemorationem. } Scilicet { Confitendo, Orãdo, Meditãdo. }

Contere, dic, ſatagas, orans, intende, memor ſis.

§. 1. *Confeſſionis præmiſſio.*

Quod omnino nõ omittatur. PRIMO inquam per ſacramentalem purgationem, & *confeſſionem:* Nam (iuxta Patrum decreta) nullus ad tantum Sacramentum accedere debet, niſi peccata ſua confeſſus, vt Gelaſius dicit. Quod tamen intelligendum de mortalibus, vel ſpeciem mortalium habentibus. Hinc communicaturus ſe reflectat ſuper ſe, & diligenter examinet conſcientiam ſuam, & pro poſſe vera contritione, & humili confeſſione clarificet, & mundet eam, vt dignè ſuſcipiat ſplendorem Patris. Habeat contritionem generalem omnium peccatorũ in generali; & (ſi tempus patiatur) conqueratur Domino ſuper aliquibus defectibus in ſpeciali; Deinde ſtatuat emendandi propoſitum; quod, vt impleat, imploret Dei auxiliũ. Horum practica videatur infrà in examinatorio conſcientiæ.

§. 2. *Quomodo mens præparanda Dei, & Sanctorum inuocatione.*

DE SECVNDO, dicit Ioannes de Turrecremata, Adiuuat præterea multum ad habendam deuotionem, ad diſponendam animã ad dignam ſuſceptionem huius Sacramenti, oratio. Præmittẽda eſt ergo oratio multiplex; XL.
PRIMO ad Deũ, *qui ſolus poteſt facere mũdum de immundo,* & dignum tanto Sacramẽto: Imploranda eſt ergo Patris potentia, quo mentẽ roboret & ſtabiliat; Filij ſapientia, vt intellectum illuſtret, & illuminet: Spiritus ſancti bonitas, vt affectum incendat, & inflammet ad dignè ſumendum tantum Sacramentum. Habentur paſſim orationes huiuſmodi compoſitæ ad ſingulas perſonas diuinas, imò & ad totam Trinitatem ſimul: quas legere poterit cui non datum fuerit poſſe meditari. Habuit Auguſtinus orationes ſuas, Habuit Ambroſius ſuas. Sed & Anſelmus, Thomas, Albertus: vt quoties deuotio defuiſſet, huiuſmodi orationibus, quaſi quibuſdam follibus, reaccenderentur. Eligat ſibi quiſque ex tanto numero orationes ſibi complacentiores. Iob 14.

SECVNDO orationes dirigendæ ſunt ad Virginem Matrem, de cuius honorabiliſſima carne, corpus illud ſacrum formatum eſt. Sunt & ei certæ orationes formatæ. Singulariter tamen ei eligenda eſt oratio Bernardi, *Per te acceſſum habeamus,* quæ multum eſt efficax & deuota. Oratiuncula. Et verſiculus is frequentandus, *Ora virgo nos illo pane cæli dignos effice.* Itemque oratiuncula iſta, O *Virgo glorioſiſſima, humillima, & miſericordiſſima, accede ad tuum prædilectiſſimum filium, oſtendens ei pectus ſacrum, & quibus eum lactaſti beatiſſima vbera, vt ipſe oſtendat pro nobis Patri latus, & quæ excepit ſacratiſſima vulnera. Accedant omnium electorum preces, & merita, & præſta, vt dignè ſumamus tanta ſacramenta, vt ſic nulla ſit repulſa, vbi tanta ſunt charitatis indicia. Amen. Audi nos Maria; nam te Filius tuus nihil negans honorat. Salua nos* IESV, *pro quibus Virgo Mater te orat.* Habet Gerſon inter ſuas orationes, etiam deuotam vnam plurimum erga Virginem beatam, & alij quoque. Et verè ſingularius hæc eſt inuocanda. Eſt enim Euchariſtiæ mater, quia mater gratiæ bonæ. *Virgo Dei genitrix.* Hæc clauigera cellariorum, cui hæc aperuit, mox eſt apertum. Hæc panem frangere potens: Hæc diſtributrix fructus ventris ſui. Hæc quotidie ſplendidè epulatur, non negabit micas vlceroſis mendicis nobis, quorum tot ſunt linguæ (ſecundum Ioannem Gerſon) clamantes ad ſuam miſericordiam, quot ſunt vlcera noſtram oſtendentia miſeriam. Luca 16.

SVNT TERTIO orationes noſtræ ad Angelicos illos ſpiritus emittendæ, qui quoniam *omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis,* faciles, & præſto ſunt ſubminiſtrare nobis quæque ad Heb. 1.

conuiuij

Digitized by Google

conuiuij noſtri perfectionem requiſita. Diuites namque ſunt, & habent ad votum cellaria Regis. Proferunt de theſauris ſuis quæq; voluerit noſter interior homo. Petitur ignis, & caminus incendij. Seraphim ardent. Petitur ſal & lumen? Cherubim ſapiunt & lucent. Petuntur ſedilia, Throni habent illa. Miniſtrat, hæc impetrando ſumma Hierarchia. Quæritur, qui dominetur in conuiuio, qui virtute præeat, qui poteſtate tueatur; hæc ſecunda poteſt Hierarchia. Quæritur tertiò, vt ordo ſit in conuiuantibus: offerunt ſe Principatus, ſubordinant Archangeli, & Angeli miniſtrant. Et hæc de nouem choris. Singularius tamen cuique ſuus Vriel inuocandus, cuique Angelus proprius implorandus. Sunt etiam à quibuſdam certæ orationes ad ſingulos Angelorum ordines confectæ, & ad eos in generali, quarum etiam vnam tangit Ioannes de Turrecremata in ſuo Sacramentali.

XLIII. Svnt postremo orationes etiam ad cæteros Sanctorum ordines dirigendæ, qui apud Deum ſunt potentes, & valde erga miſeros clementes. Vnde nobis ſunt neceſſaria quæque imploranda ab eis veſtimenta nuptialia, ne in tenebras mittamur exteriores, Matt. 22. Et cui multum eſt implorare omnes, ſingulis ferijs, vel ſingulos ſibi ordines, vt infrà in ſeptenis ponitur, aſſumat exorandos. Eſt vna lætania Sanctorum, ſuper communione hac confecta, quæ plurimum huic exercitio deſeruit; Præſertim tamen (ait de Turrecremata) illorum Sanctorum imploranda ſunt ſuffragia, quorum celebramus ſolennia, Oratio ad Sanctos. & eis eſt dicendum: *O Sancte Dei, vel Sancta, quem vel quam diuinitas tanta veſtiuit gloria ſanctitatis, tanta ſublimauit dilectionis ſingularitate, ac majeſtate virtutis; rogo, ſupplico, & exoro per virtutem tuas, per illud ardentiſſimum charitatis incendium, quo totus ardes in Deum, in hac ſolemnitate tua, in acceſſu ad ſacrum altare tuum, ſentiam implorationis auxilium, cuius celebro feſtum. Amen.* Itidem & Gerſon ſuadet dicens, quod tunc *in die bona ad eos venimus*, & fiducialiter eis dicere poſſumus; *proſpera diem triumphalem tuum*. Tunc enim, ſcilicet in feſtis Sanctorum, copioſiores chariſmatum reliquiæ à menſa beatorum decidunt conuiuarum, pauperibus & mendicis largiendæ, &c.

Hæc de præparamento orationum, quod non vſquequaque contemnendum, licet non ab omnibus amplexandum. Qui enim ſacris meditationibus inflammare ſe nouerunt interius; his non opus eſt legere vocales orationes exterius; quanquam tamen Auguſtinus (vt creditur) & cæteri quique certas orationes habuere. Sunt libri compoſitarum orationum plures. Antidotarius animæ; Orationarium, & huiuſmodi. Ex huiuſmodi itaque libris ſeligamus orationes deuotiores; vt ſuppleat defectum noſtræ præparationis, feruor deuotæ orationis. Iuxta quod myſticè inſinuatur, quod, magna pars populi de Ephraim, & Manaſſe, de Iſachar & Zabulon, quæ ſanctificata non fuerat, comedit phaſe. Iuxta quod ſcriptum eſt, *Et orauit pro eis Ezechias, quem exaudiuit Dominus* &c. 2. Par. 3. Vnde & in decretis monet Pater Auguſtinus, Quamuis quis pro peccato mordeatur, peccandi tamen de cætero non habeat voluntatem, & communicaturus ſatisfaciat lachrymis, ac orationibus, & confidens de Domini miſeratione, accedat ad Euchariſtiam intrepidus, & ſecurus. Magnum ergo & efficax præparamentum, feruor deuotæ orationis.

§. 3. *Quomodo mens preparatur per intentionis rectæ diſcuſſionem.*

XLIIII. De tertio dicit Bonauentura, quod homo in accedendo debet intentionem dirigere ad purum affectum, & deſiderium ſanctum, & ad propoſitum neceſſarium; ne, ſcilicet ex conſuetudine, nec ex vana gloria; ſed ſalubribus cauſis attractus accedat. Quomodo autem, & ad quæ homo intentionem ſuam debet dirigere, pulchrè idem Sanctus Doctor breui explicat oratione, dicens: *Da mihi quæſo omnipotens Pater, & miſericors Deus, Pater clementiſſime, immolare, & percipere ſacroſanctum myſterium Corporis & Sanguinis Domini noſtri* Iesv Christi, *ad placandum te Patrem per Filium, Deitatem per Humanitatem; ad gloriam ſanctæ Trinitatis, Beatæ Mariæ, totiuſq; cæleſtis militiæ, ad recolendum* Iesv Christi *paſſionem, ad reddendum vberem gratiarum actionem; ad impetrandum iuſtorum confirmationem, iniuſtorum refrænationem; pro cunctis humanis indigentijs, & tribulationibus ſubleuandis, ad conſequendum augmentum dilectionis Dei; & ad accelerationem viſionis eius. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.* Ecce hic verè comprehenduntur omnes communionis cauſæ, & intentiones; de quibus plenius infrà in gradu intentionis.

§. 4. *Quomodo optimè quis diſponitur per paſſionis meditationem.*

XLV. Est tamen ſtudioſius mens præparanda per Dominicæ passionis commemorationem, iuxta eius inſtitutionem, qui dixit 1. Corinth. 11. *Hoc facite in meam commemorationem.* Gratum enim non habebit, quicquid feceris, neglecto eo, quod debes; nec fidelem illum ſeruum ducet, qui omiſſis mandatis Domini, ea facit, quæ ſibi commoda, aut vtilia videntur, quaſi magiſtro ſapientior ipſe. Hinc nullatenus hæc memoria intermittenda, ſed inter Miſſarum ſolennia, aut ante, de Domini paſſione, de corpore tradito eſt commemorandum, vt vult quidam deuotus Doctor, allegans Auguſtinum dicentem: *Peccat qui legit, peccat qui orat*; Non (inquiens) quòd legere, aut orare peccatum; ſed non obtemperare mandato, peccatum eſt. Dominus enim & Magiſter præcepit facere *in ſui commemorationem*, quotieſcunque fecerimus, & nos mandato ſurdi contemnimus mandatorem, & ſui calicis

commemorationem præcipienti, non ſecundum ſuam; ſed ſecundum noſtram illi offerimus voluntatem; quaſi magiſtro, ac tali magiſtro ſapientiores; ſimiles ſeruo qui ad Cœnam Domino calicem poſcenti, tripodem porrigit; panem poſcenti, cantharum tribuit; abiecta ſeruitute parere contemnens, aut ſaltem ſtultè contra mandatum Domini, melius placere præſumens.

Proſequitur hæc latius ille, qui ſupra, ex cuius dictis liquet, quàm ſit neceſſaria commemoratio iſta. Hoc Machtildis illa nouit, cui hoc moris erat, vt dum communicare vellet, Chriſti paſſionem diligenter cogitaret: Et quando hoc negligebat, grauiter ſe deliquiſſe timebat, eo quòd Dominus dixerat, *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod ſic à Domino docta intelligebat, vt commemoraret *amorem æternum*, quo nos, cùm nõ eſſemus, amauit, & præſciens omnem defectum, creauit; Item *amorem ineſtimabilem*, quo Filius Dei tantis ſe paſſionibus expoſuit; Item *amorem inſcrutabilem*, quo noſtri ſollicitus, ſingulis nobis momentis intentus. Hæc in viſionibus Machtildis. Quanta autem ſint ad hoc inductiua, & quomodo hæc commemoratio ſit agenda, tradetur infra parte ſecunda.

Gradus acceſſorij docentes modum accedendi.

CAPVT II.

ACCEDAMVS *cum fiducia ad thronum gratia Dei*, ait Apoſtolus Heb. 4. *Accedamus in vero corde, & in plenitudine fidei*, Hierem. 10. *Accedite ad eum, & illuminamini*, Pſal. 33.

1. Poſtquam ergo homo per priora ſe diſpoſuit, &, quod in ſe eſt, fecit; accedat *cum fiducia, nihil hæſitans*; Iacob. 1. non tamen ſuis præparamentis; ſed diuinæ miſericordiæ innitens. Nam nulla noſtra induſtria; ſed ſola Dei gratia reddimur digni ad accedendum ad tanta Sacramenta. Qui ergo in prædictis ſe exercuerit, ſecurus accedat, nil de indigna ſumptione vereatur: Nam is ſolum indignus manducat, qui vel ſe non probat, vel corpus Domini non dijudicat, 1. Cor. 11. Quiſquis autem ſuam imbecillitatem, vel ſuam inſipientiam, vel ſuam ſterilitatem agnoſcit & confitetur, hic *ſeipſum probat*. Qui vero propter hæc remedianda recurrendum diſcernit ad panem viuificum; hic *dijudicat corpus Domini*. ☞ Quiſquis ergo hoc de ſeipſo probat, illud autem de corpore Domini ſentit, & iudicat; quantumcunque arida mente hoc faciat, confidenter accedat, edat de pane, certus quia fructum verum, & efficaciam afferet contra indigentias ſpirituales. Et eius ſententiæ eſt Dominus Ioannes Ruysbroeck Canonicus, in ſuo de Ornatu ſpiritualium nuptiarum, quem Dionyſius Carthuſienſis Doctorem appellat diuinum. Poſtquam igitur homo miſſam iuxta modum infrà tradendum audierit, & illi ſe coaptauerit; ſe ſcilicet præparando, Dominicam paſſionem meditando. Poſtquam etiam pro dignitatoſa tanti Sacramenti ſumptione exorauerit, Domini pietate fretus deuotus accedat. In quo tamen acceſſu maxima eſt cura (ait Ioannes de Turrecremata) habenda; quia ſecundum deuotionem accedentium (vt vult Sanctus Thomas) ſacramentum operatur ſuum effectum. Vnde vt & hîc, modus aliquis habeatur, ſunt aliqui acceſſorij gradus aſſignandi, quos homo inter accedendum poterit aſſumere exercendos. Poſtquam igitur in audiendo miſſam, paſſionem Dominicam commemorauerit; poſtquam ſe profundè humiliauerit, quæ (iuxta iudicium Domini Bonauenturæ) optima ſunt præparamenta, quorum praxis patet ex ſupradictis; tunc voces has inuitatorias audiens, in directione cordis, ad Dominum accedat. Quæ intentionis directio ſummè eſt neceſſaria accedenti.

MEMBRVM I.

Intentio. Gradus primus.

INTENTIO. De qua, *Si oculus tuus mundus fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Quam neceſſarium eſt bene dirigere, quoniam quantum intendimus, tãtum (Ambroſio teſte) agimus. Et eſt qua intendas accedere, 11. Luca 1.

Secundum { Quorundam formam. / Finalem cauſam. / Diſpoſitionem requiſitam. }

Intendas formam, finem, dignumq́, modumq́;.

§. 1. *Forma quam imitari debet intentio.*

SECVNDVM inquam *quorundam formam*, modo accedendo, *vt reus* ad Saluatorem: modo *vt infirmus ad medicum*, ſecundum illa puncta in gradu occurſionis aſſignata, vt ſcilicet hoc vel ſimili modo dicas: *En Domine Ieſu paſtor bone, accedo ad hunc panem vitæ, viuum, & viuificum ſumendum; multipliciter à te inuitatus.* Reuocentur hic verba Domini Ieſu ad mentem, quibus inuitat ad Sacramentum, dicens Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis.* Et Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem. Niſi manducaueritis.* Et Prou. 8. *Delitiæ meæ ſunt, eſſe cum filijs hominum*, & huiuſmodi.

Dulcedine quóque, ac multiplici allectiuo attractus. Hic memorentur inuitatoria acceſſus, quæ habentur in gradu conſiderationis, ibi, *Laus & amor, gratus*, vt ſuprà.

Poſtremò, & magna mea neceſſitate impulſus, Hic vnde neceſſitas comprobetur; quia non accedere ex notabili negligentia, eſt damnabilis culpa.

His inquam tantis, ac talibus inductus, coram te venio, & te Deum meum ſub hoc Sacramento veraciter & realiter contentum, ſumere exopto. Vtinam, vel poſſem dignè.

Venio

Venio inquam creatura, coram ſuo Creatore, ouis morbida coram pio Paſtore; venio, vt reus multis (culpæ pariter & pœnæ) malis expoſitus, coram Liberatore piſſimo; vt infirmus, omni morborum genere languens, coram Medico efficaciſsimo, & ſic de ſingulis ſupra tactis punctis, miſeriam aggrauando, & ad ſingulares defectus deſcendendo.

AVT (vt vult Gerſon in Tractatu nono ſuper Magnificat) debet homo in accedendo aſſumere formam quorūdam, cum quibus Dominus Ieſus conuiuia fecit in terris.

Nunc, ſcilicet, *inſtar Marthæ & Magdalenæ*, nunc, vt *Socrus Simonis*, nunc, vt *Matthæus, & Zachæus*, & ſic de aliis Euangelicis cōuiuiis, in quibus deuotum eſt exercere, vt ibi
Luca 10. Luca 4. Matt. 9. ſtrictim deuotè tangit,

Magdala, Martha, Socrus, Matthæus, Zacheuſq́; fameſcens.

§. 2. Quomodo intentio dirigenda ad finalem cauſam.

III. SECVNDO intentio dirigenda eſt ad *finalem cauſam*, vt ſcilicet ideo ſe accedere dicat, & ob finales illas rationes, propter quas Dominus Ieſus Sacramentum inſtituens, voluit, & cenſuit attendendum: puta ad ſummæ & indiuiduæ Trinitatis gloriam, propter Sanctorum honorem, & ſalutem noſtram, vt Bonauentura tangit in ſua oratione immediatius ſupra ſignata. Præſertim (iuxta Vmbertum) intentio eſt dilatanda ad vniuerſalis Eccleſiæ ſalutem, quoniam ſic omnium meritis ſingularius participamus.

§. 3. *Quoad diſpoſitionem requiſitam.*

IIII. TERTIO intentio eſt dirigenda ad *diſpoſitionem requiſitam*, vt quam actu non habemus, ſaltem intentione & affectu teneamus. ☞ Nam quicquid homo operari & agere deſiderat, & non poteſt, Deus accipit tanquam opus: *Deſiderium enim pauperum Dominus exaudit*, Pſal. 10. Vnde his modis homo dirigere debet intentum, dicens pleno corde,

Credo, ſcio, volo, coniungo, memorans, amo, tendo.

Credo. Fides. Notula I.

V. PRIMO ergo dicendum *Credo*, id eſt, venio in firmiſſima ſacræ fidei actuatione, te hic veraciter & realiter contentum profitendo. *Accedentem enim oportebit credere*, *Heb.* 11. *Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum quem miſit ille*, Io. 6.
Num. 8. Quare & ante menſam propoſitionis, ponebatur tabernaculum luminis. Et eſt tunc hic fides actuanda, de cuius inductiuis & praxi dicetur infrà.

Huius actuationis exemplum pulcherrimum habemus in B. Hieronymo, qui hoc ſacramentum (vt in eius obitu Euſebius ſcribit) ſumpturus, fidem ſuam deuotiſſimè actuabat. Et hoc vt ex verborum eius illic ſerie patet tripliciter.

Scilicet quoad	Diuinitatem, Humanitatem, Sacramēti huius veritatē	illam	Magnificè confitendo, Per totum decurſum commemorando, Verè profitendo.	

Et dignum conſultu eſſet, vt omnis communicaturus illa verba legeret, & modum illum memoriæ commendaret, quoniam ignitiſſima ſunt, quæ illic dicūtur. Dicit enim, *Tu es Deus meus, & Dominus meus, qui pro me paſſus es, an fortè alius? Certè tu es ille, qui cùm Deus eſſes, ſolus ante omnia tempora, ſine principio à Deo Patre genitus, æterna & inueſtigabili generatione, qui cum Patre & Spiritu ſancto vnus es Deus, permanens illud idem, quod eras, & es, intra vnius puellæ corpuſculum te clauſiſti, factus homo, ſicut ſum; verè & Deus, & Homo es.* Confirmationem adjicit, ratione fidem ſtabilit, & omnia profitetur, vitæ decurſum, paſſionis tormentum, gloriæ triumphum fide perſtrinxit, & in aduentu ad iudicium actuationem ſuam concludit. Deinde ad Sacramentum ſe conuertens, catholicam edilſerit fidem. Quiſquis igitur fidei actuationem diſcere volet, illic legat, & dignum habet exemplar. Et plurimum huiuſmodi actuatio eſt neceſſaria, & vtilis multum: *Oportet enim credere accedentem*, Hebr. 11. Et quo dignior actuatio, eo Deo acceptior. Vnde nunquam eſt hæc actuatio omittenda.

Alte, Bonus, Cādor, Deus, Æternus, quā Felix.
Gloria, Honor, Iuſtus, Charus, Lux, Lex, Miſerator.
Nobilis, Omnipotens, Pius, atque Quies, Redimens, Rex.
Tu Sapiens, Theos, atque Via es, Vita, Vnctio, Chriſte.

Scio. Agnitio ſui. Notula II.

SECVNDO dicendum eſt *Scio*: Hoc eſt, venio VI.
ad te in plena meæ viſitatis & nihileitatis recognitione & repræſentatione, me, ſcilicet ex me indigniſſimum ob demerita confitendo. Vnde hìc debet ſeipſum homo, quantum poterit, vilificare, & miſerias ſuas, & principaliores defectus Deo exponere, conquerendo cum amaritudine compunctionis, vt agnum comedat, *cum lactucis agreſtibus*, Exod. 12. Et cum Iob 13. c. *antequam comedat ſuſpiret*; Et cum Thobia cap. 2. *panem cum luctu manducet*.

Huius etiam gradus exemplum, vbi ſupra, glorioſus Hieronymus dedit: Nunc ſe inſtar quorundam miſerorum vilificans; puta modò cœcum, modò ægrotum, modò peccatorem ſe compellans; Nunc defectus & peccata ſua, in ſpeciem ordinatim, cum gemitu & dolore exponens, omiſſa pariter, & commiſſa aggrauans, inferno ſe digniſſimum, (niſi à Chriſto in crucis ligno adiutus fuiſſet) pronuncians; Nunc comparatione Patrum antiquorum ſe humilians, dicens Exod. 13. *Nunquid ego melior ſum, quàm Patres mei? Tu Moyſi noluiſti vno ictu oculi te monſtrare:*

Lucæ 5. Ioan. 6. *& ecce nunc non ſolùm cum homine Publicano & peccatore vis manducare, ſed & teipſum iubes ab ipſo manducari.* Ex quibus patêt etiam tres modi ſcipſum viliſicandi,

Scilicet { Miſeris ſe ſimilando,
Defectus in ſpecie profitendo;
Meliores intuendo.

Habuit Arnoldus Buxderick modum talem ſe humiliandi & viliſicandi, quia ſcilicet puta prædicata viliſicantia habebat, quibus ſeipſum humiliabat; puta dicendo ſe ſuperbum, inuidum, auarum &c. Et quid pro magno virum hunc in medium duco? Hoc exercitij genus, ſummis illis Eccleſiæ columnis vſitatiſſimum fuit, Auguſtinum, Hieronymum, ac cæteros ſanctos loquor, vt eorum libri teſtantur. Videantur confeſſiones Auguſtini, legatur alterum capitulum Soliloquiorum, pleni inueniẽtur huiuſmodi exercitatione, Quo quęſo & altero exercitio Diuus ille Franciſcus totas expendit noctes? niſi dicendo, *quis es tu? & quis ſum ego?* indubiè prædicata diuerſa, vel ore, aut mente ſaltem applicando. Quod exercitium minus capacibus, vt promptius ſit ad manum, libet facilem quendam aſſignare modum ſeſe viliſicandi, iuxta ordinem alphabeti, à quibuſdam collectum. Cuius alphabeti inſtar, innumera alia poſſent formari.

Contrarium Alphabetum facilè ex his per ſe patet.

VI.

Quis es tu Dominus Deus?	*Et quis ego miſerabilis peccator?*
Tu	Ego
Altiſſimus ſuper omnem terram.	Nouiſſimus omnium virorum.
Amabilis, & amandus.	Odibilis, & odiendus.
Bonus es tu, & bonitas ipſa.	Malus, & (vt ſic dicam) malitia totus.
Benignus, & beneficus.	Malignus, & maleficus.
Creator.	Creatura.
Candor, lucis æternæ claritas.	Fuligo, & cæcus mente.
Decus quo maius meliúſve nihil.	Homo, quo vilius, peiúſque nihil.
Dominus, & diues.	Seruus, & pauper.
Æternus, & æuus.	Temporalis, & tranſitorius.
Electus ex millibus.	Execrandus à cunctis.
Felix & fidelis.	Infælix, & infidelis.
Gloria & gaudium.	Ignominia, & triſtitia.
Honor, & honorabilis.	Inhonorandus.
Iudex iuſtus internus.	Reus, iniuſtus, & externus, extrauerſus.
Charitas, & charitatiuus.	Liuidus, & inuidus.
Lux, lex, & liberalis.	Tenebræ, & lex illiberalis.
Medicus, miſericors, & mitis.	Infirmus, durus, & immitis.
Tu	*Ego*
Nobilis, nitidus, & nominatus.	Ignobilis, obſcurus, bonis incognitus.
Opifex, omnipotens, & opulentus.	Opus impotens, egens bonorum.
Plaſmator, pius, plenus, & perfectus.	Plaſma impium, vacuus, imperfectus.
Quies, quærens noſtram ſalutem.	Inquietus, incurius ſalutis.
Rex, redemptor, rectus, reuerendus.	Subiectus, redẽptus, curuus, ſpernendus.
Saluator, ſapiens, & ſuauis.	Perditus, ſtultus, & amarus.
Theos, & terribilis.	Antropos, & contemptibilis.
Via, veritas, & vita.	Deuius, vanus, & mortalis.
Chriſtus vnctus præ participibus.	Inunctus, malus Chriſtianus.

Ecce hoc vnum eſt alphabetum, cuius inſtar poterunt alia formari. Quod licet exiguũ ſit verbis, grauidum tamen, & prægnans ſententijs; Nam qui ſe in eo vellet dilatare, ille poſſet proprietates cuiuſque per rationes cõſiderare. Deinde quàm diſtet ſua imperfectio à Dei perfectione dijudicare; illam conqueri, plangere, & exaggerare. Et ab ipſo Deo per proprietates ipſas, pro ſuę imperfectionis perfectione obſecrare; quemadmodum facit ſanctiſſimus Pater noſter Auguſtin. Verbi gratia, Tu altiſſimus ſuper omnẽ terrã, Pſ. 82. Altus inquam, non corporali mole; ſed omnipotẽti alta virtute; quippe qui altiſſima potes, in *altiſſimis reſides*, habitas in *columna nubis*, *altiſſimus ſuper omnem terram*, Eccli. 24. Ego autem nouiſſimus virorum, baſſus, & imus, fex & limus terræ; qui per me nec ſum, nec aliquid per me cogitare, aut facere poſſum, in imo vitiorũ iacens, luto & lateri inſeruiens. O quàm tu altus & ego baſſus. Heu quamdiu ſic tibi diſſimilis ero? quando virtutibus inaltabor? *Exod. 1.* Obſecro per tuam altam latitudinem, fac me virtute altum &c. Sic facit Aug. vt in Soliloquijs. Vnde patet, quod diu ſic homo ſingulis immorari poſſet. Et nota quemadmodum alphabetũ iſtud factum eſt ex contrariis proprietatibus, ſic etiam poſſet fieri de oppoſitis actionibus, quemadmodum Auguſtinus facit hoc modo: *Miſer ego, Deus meus, quando poterit mea obliquitas tua rectitudini adæquari? Tu amas ſilentiũ & ſolitudinem, ego clamorem & multitudinem; Tu veritatem & munditiam, ego vanitatem & immunditiam; Tu in interioribus, ego in externis.*

Sic etiam de virtutibus & vitiis fieri poteſt. Et hæc de modo viliſicationis & humiliationis.

Volo. Propoſitorum renouatio. Notula III.

VII. TERTIO debet communicaturus dicere, *Volo*, id eſt, venio in propoſitorum meorum innouatione, deinceps vitam emendare proponendo. Vnde hic homo debet propoſitá ſua innouare, firmiter ſtatuendo ea obſeruare, & pro eis obſeruandis diuinam clementiam, & Sacramẽti huius efficaciam implorare. *Nulla enim ſunt noſtra propoſita, niſi fuerint à Dei gratia confirmata. Et ideo* (iuxta quendam) *tam in propoſitis noſtris inſtabiles ſumus, quia de nobis nimium confidimus, & diuinum auxilium non ſatis requirimus.* Vnde hæc in conſpectu tanti Sacramenti debemus ſtatuere, vt de nobis diffidentes, ab eo mereamur iuuari, & hunc cibum ſumere in certa ſpe diuinæ largitatis, iuxta illud Pſal. 144. *Oculi omnium in te ſperant Domine.* Modum proponendi, & ad hoc inductiua, plenius vide in *propoſitario* proſecuta infrà.

Coniungo. Sanctorum communio.

VIII. QVARTO dicat *Coniungo*, hoc eſt, venio in Sanctorum communione, eorum ſcilicet precibus & meritis me committendo & ingerendo. Hinc agnus iubebatur comedi in vna domo, Exod. 12. Vnde debet de ſuis propoſitis & præparamentis hic homo plenè diffidere, & Sanctorum, qui illic ſunt, precibus & meritis ſe committere; imò *& debet* (vt Dominus Mechtildim docuit) *Sanctorum ſibi merita, & deſideria aſſumere, & in tali intentione Sacramentum velle ſuſcipere, ac ſi omne deſiderium & omnẽ amorem, quo vnquam Sanctorum corda flagrarũt, haberet; Sicq; in altiſſimo amore, quo poſſibile eſt cor humanum affici, ad Deum accedere. Et ego* (inquit Dominus ad Mechtildin) *illum amorẽ in eo ſuſcipiam, non prout eſt in eo; ſed velut ſimilis ac tantus eſſet, quantum eſſe ille volebat.* Hæc ille. Quam doctrinam noſter Thomas Kempis inſecutus erat, cùm communicaturus dicebat: *O Deus meus, amor æternus, cupio te ſuſcipere cum vehementiſſimo deſiderio, & digniſſima reuerentia, quibus vnquam exceptus es ab aliquo Sanctorum: Et licet indignus ſum omnia illa ſentimenta deuotionis habere; tamen offero tibi totum cordis mei affectum, ac ſi omnia illa gratiſſima inflammata deſideria ſolus haberem. Domine Deus meus cũ tali affectu, reuerentia, laude & honore; cum tali gratitudine, dignitate & amore, cum tali fide, ſpe, & puritate te affecto ſuſcipere: quali & quanto te ſuſcepit Virgo Maria, & Præcurſor tuus Ioãnes*, &c. Requiratur in libro eius de Sacramento.

Memorans. Notula V.

IX. QVINTO dicit *Memorans*, hoc eſt, venio in deuota paſſionis & beneficiorum tuorum commemoratione, tuo præcepto in hoc

1. Cor. 11. obediendo; qui hoc *in tui commemorationem* fieri iuſſiſti. Vnde hic paſſio Domini ad mẽtem eſt reuocanda, & æterno Patri præſentanda; vt cum Bonauentura dicamus, *Ecce cæleſtis Pater, recolens mortem vnigeniti tui Domini noſtri, offero tibi hoſtiam, quam ipſe tibi olim obtulit, pro mea, & totius mundi ſalute: Recordare ergo ſacroſancti illius ſudoris; reſpice illam virgineam carnem verberibus crudeliter flagellatam, colaphis cæſam, liuoribus tumidam, ſputis maculatam, clauis confixam, lancea vulneratam; Illa ergo pietas quæ filium tuum traxit & vicit, vt in ſtatera crucis totius mundi peccata libraret; ipſa te cogat, Pater, miſerere noſtri*, &c.

Amo. Notula VI.

SEXTO dicendum, *Amo*, hoc eſt, venio in ardentiſſimæ illius charitatis, qua hoc Sacramentum inſtituiſti, vnione, ex ea, quicquid minus feruoris habeo, mihi vſurpando. Iubetur enim quod panes propoſitionis calidi ponerentur ante Dominum, Leuit. 25. quia in calore charitatis ſumi debet hoc ſacramentum. O qualis charitas in pectore illo diuino Domini Ieſu exarſit, quando dixit, *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum*, Lucæ 22. O deſiderium, ô deſideraui! O anima Chriſtiana, putas deſiderium hoc imminutum ſit per gloriam? vt & nunc non deſideret tecum manducare ſuam cœnam? Hoc igitur deſiderium in te excipe: Huic te communicatura coniuge, vt in hoc à Patre ſuſcipiaris. X.

Tendo. Notula VII.

SEPTIMO dicat, *Tendo*, hoc eſt, venio in recta & ſeptiformi intentione, ob hoc, ſcilicet propter quod inſtitutum eſt, accedendo. Et hæc intentio eſt dirigenda ſecundum modum & formam iam ſupra commemoratam ſub gradu intentionis, vt patet. XI.

Poſtremò dicitur *Peropto*, quia in Reſurrectionis octaua iſtud finaliter, ſcilicet à Domino Ieſu intentum conſummabitur, & erit: igitur dicendum; Venio in prægustanda futuræ beatitudinis promiſſa perfruitione, illius, ſcilicet accelerationem, vel ſaltem accelerationis deſiderium deuotiſſimè exoptando, quando tu Pater honorabis me per confeſſionem ad menſam tuam; Tu Filius humanitate præcinctus, miniſtrabis mihi peruigil, (& ſi dicere fas eſt) vt empticius ſeruus; Tu Spirituſſanctus in omni plenitudine tuam mihi influes dulcedinem bonitatis. Eſt enim hoc Sacramentum (vt ait Albertus) typus quidam æternæ fruitionis cœnæ nuptiarum agni, Apoc. 19. Et planè perbeatus qui hoc modo panem manducat in regno Eccleſiæ. Hæc plenius proſecuti ſumus ob cauſas memoratas. Luca 15.

Et pro regula nota, quod ſinguli hi intẽtionales gradus fieri debent orando, obſecrando, admirando, exclamando, & inuitationem ad ſingulos gradus ſubnectendo, vt ſemper dicatur: *Suſcipe me ſecundum eloquium tuum, & viuam, & non confundas me ab expectatione mea*, Pſal. 118. qua ſcilicet te excipere in Sacramento deſideraui.

O intentus fac me rectum panis prædulciſſime.
Sacramentum quo electum victimẽ ſanctiſſime.
Laudẽ tuam, & profectum præintendẽs animæ.

Verum quoniam in Deuteronomio c.26. ſcriptum eſt, Adorato Domino Deo ępulaberis, ideo ſequitur,

MEMBRVM II.

Adoratio. Gradus II.

XII. ADORATIO, de qua in Pſalm.28. *Adorate Dominum*, &c. Et eſt honor qui debetur Creatori ex debito ſeruitutis, quo obligamur, non ſolum noſtra; ſed & noſipſos impendere pro ſuo honore, in recognitionem ſuæ dominationis, & beneficiorum, ſuæque immenſæ bonitatis nobis oſtenſæ. Et complectitur in ſumma tria, ſcilicet, timorem, amorem, honorem. Quæ oriuntur ex tribus appropriatis triū perſonarum in Sancta Trinitate.

Nam	Timor,	oritur ex cōſideratione	Omnipotentiæ, & iuſtitiæ:
	Honor,		Maieſtatis, & ſapientiæ;
	Amor,		Bonitatis, & clementiæ.

Extimeas, iuſtumq́, ſuum cole, dilige ſummum.

Ex his conſequenter deriuantur omnes latriæ actus: prout pulchrè Guillelmus Pariſienſis in libro de fide & legibus declarat; & habent hæc concurrere in omni adoratione. Verùm prout hic ſufficiat, debet hæc adoratio fieri hoc modo,

Scilicet	Nihil faciendo nos, & proſternendo.	propter	Omnipotentiam,
	Vtramque naturā adorando,		Sapientiam,
	Illi totaliter ſe ſubmittendo,		Clementiam.

Oportet enim quod homo ſumma humilitate accedat, inde quidem altiſſimam attendēs Dei majeſtatem; hinc ſuam innuens, (vt ſuprà dictum eſt) indiſpoſitionem & vilitatem; vt ſic ſe totum nihili faciat, & præ admiratione cum S. Franciſco exclamet, *Quis es tu Domine Deus meus? quis es tu? & quis ſum ego?* Crebrius hoc profunda attentione repetendo, quod integra Franciſcus exegit nocte, vt patet in vita eius. Et cum Hieronymo dicamus, *Domine quis ego ſum, vt ſim dignus, quod intres ſub tectum meum? Meruit hoc peccator homo?* Certè, *Domine, non ſum dignus.* Hęc iſte. Et hic fient actus illi latrię, qui ex timore oriuntur, vt ſunt pudor, dolor, ſuſpiria, lachrymæ, pectorum tunſiones.

Secundò eſt ipſa fides actuanda, & vtraque in Chriſto natura adoranda, prout docetur in Tractatu Domini Ioannis Ruyſbroeck, Ecce ſponſus. Vnde hoc modo eſt hic procedēdum, *Auguſtiſſimi ſacramenti veneratio.* vt ſic dicatur: Adoro te naturalem Dei Filium, omnium rerum primum principium, Saluatorem meum, futurum quoque iudicem, & retributorem meritorum; Dominum meum Ieſum Chriſtum, veraciter & realiter ſub hoc venerandiſſimo & altiſſimo Sacramento contentum; de Spiritu ſancto ex Maria Virgine pro noſtra ſalute incarnatum; triginta tribus annis in terris laborioſiſſimè & doloroſiſſimè nimis conuerſatum; paſſionem ignominioſiſſimam, atque acerbiſſimam pro noſtra redemptione paſſum; poſtque, deuicto mortis aculeo, ad dexteram Patris reſidentem; iugiter pro noſtra ſalute interpellantem; & nunc tanta dignatione ad me tam deſpicabilem & nequiſſimum vermiculum aduenientem, & teipſum mihi in Sacramentum, Sacrificium, & Viaticū, tanta charitate tribuentem. Te laudo, benedico, te adoro. Et debet hæc adoratio fieri cum reuerentia magna.

Vt ſit velut	Filij,	coram	Patre.
	Serui,		Domino.
	Rei,		Iudice.

Vt Bonauentura in Paruo bono.

Eja corpus veritatis, Chriſti ſanguis anima,
Super bona deitatis ſalutaris victima:
Vos adoro pietatis Latria perintima.
Salue panis prædulcoſe, Salue potus gratiæ:
Salue ſpiritus dignoſe ſacra Euchariſtia:
Salue Deus glorioſe, cibans plena ſatie.

MEMBRVM III.

Inuitatio. Gradus III.

INuitatio, de qua Pſalm. 96. *Ignis ante faciem eius præcedet.* Vbi Bernardus: *Neceſſe eſt ignē præire deſiderij, vbi veniet filius Dei.* Et rectè ſubſequitur iſte gradus præcedentem: Nam ſicut ille effectus eſt reuerentiæ & timoris, vt patet; ſic is gradus, ſcilicet inuitatio, effectus eſt deſiderij & amoris. Et debet XIII.

Fieri	Deſiderando intimis deſideriis,
	Conformando ſe Sanctorum Patrum votis,
	Orando piis obſecrationibus.

Te cupio, Sanctis ſimilis, pius obſecro per te.

§. 1. *Prima formula Inuitationis.*

PRimò inquam inſtanter deſiderando; ita vt homo cum Bernardo dicat, *Deſidero te millies, mi Ieſu, quando venies? me lætum quando facies? me de te quando ſatiabis?* Et cum Pſalm. *Pſal.118.* *Defecit in ſalutare tuum anima mea*, &c. Vt cum ſponſa clamet, *Veni dilecte mi, & apprehendam te*, & huiuſmodi.

Secundò debet ſe homo Sanctorum Patrum deſideriis conformare; illorum ſcilicet vota in ſe aſſumendo, vt ſicut illi deſiderauerunt aduentum in carnem, ſic iſte aduentum in mentem. Vnde quidam deuotus ſcripſit, vt homo ante acceſſum ad Sacramentum, aſſumeret ſibi deſideria Sanctorum Patrum, inſtar eorum venturum Dominum deſiderando: Et in ipſa ſumptione transformaret in ſe affectus Apoſtolorum, Magdalenæ, & cęterorum cum Chriſto in terra conuerſantium, eorum ſcilicet more familiarem ſe Domino iam præſenti exhibendo. Poſt autem ipſam ſumptionem ſe gerat, vt beati iam in cœlis, ipſius ſcilicet fœlicitate ſuſcepti Domini perfruendo: quod valde deuotum eſt, practicanti. XIIII.

Et vt homo ad talia deſideria, qualia priores Patres habuerunt, excitetur; debet conſiderare, quia eaſdem, imò & ampliores iam habeat

cauſas ſic deſiderandi, vt declarat Albertus in de Officio Miſſæ. Eos enim deſiderare incitabant (vt idem ait) multa.

Scilicet { Miſeria cõditionis, Inſtantia hoſtis, Certitudo promiſſionis, Tædium longæ expectationis, Imperfectio conſolationis, Ardor liberationis. } quę { Pungit, Stimulat, Trahit, Angit, Auertit, Accẽdit. }

Hæc omnia cumulatius in nobis.

Itemq́; deſiderare debemus hunc aduentũ,

Quia huius præſentia { Auſertur omnis miſeria, Datur omnis boni copia, Habetur ſummè deſiderabilis præſentia. }

Ac per hoc omnium bonorum abundantia, in hoc vno omnia poſſidentes: Dicit enim Sapiens Prou. 2. *Deſiderium iuſtorum omne bonum.* Hæc quem non deſiderare mouent, mortuus eſt: quem non afficiunt, ſtupidus eſt: quem non accendunt, gelidus eſt; quem vero deſiderare inflammant, fęlix eſt, certus, quia complebitur in bonum deſiderium eius.

XIIII. TERTIO, fiet hęc inuitatio orando, ſcilicet, vt adueniens ſe nobis exhibeat in omnẽ vſum neceſſarium nobis. Sic Hieronymus (vt in eius obitu) fecit, & eum inuitauit dicens: Mortuus en pie Ieſu iaceo, exurge, reſuſcita me: Æger & infirmus ſum, medicus es ſana me: Nudus affligor frigore, diues es indue me: Fame in hac ſolitudine pereo, cibus es, ſatia me: Sitio, ſalubre poculum es, inebria me. Hæc ille. Sic & nos ad omnes neceſſitates noſtras eum inuitare debemus.

§. 2. Inuitatio altera, ſecundum quorundam formam.

VEl vt alteri cuidam placet inuitandus eſt, vt viſitet nos ſub illis formis, quibus ſuos viſitare ſolet. Vnde plures aſſignant modos, quibus Deus animas inuiſere ſolet ex multis.

Quod ſi quis forſan Dominum ad ſe inuitare volet, iuxta ſeptemplices Dominicæ orationis affectus, vnde ſupra commemorãtum eſt in gradu occurſionis, ſecundum quos deuotũ eſt exercitari in omni oratione & actibus, ſicut ſolitus eſt facere S. Franciſcus, poterit enim deſiderare & inuitare his modis,

Vt iudex, medicus, credens, paſtor, Dominusq́;
Sponſe, pater veniasq́; modis viſans variatis.

PRIMO vt adueniat tanquam ad reum pijſſimus iudex, non vt iudicet ad malum; ſed vt diſcernat cauſam iudicaturus pro manſuetis terræ. Pſal. 52. Eſa. 11.

Iudex inquã { Reum morti obnoxium, vitæ adiudicans, In conſpectu indignũ reſpiciens, & approbãs, Pœnis mulctandum, iuſtificans, & liberans. } iuxta illud { *Viuet anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me*, Pſal. 118. *Aſpice in me, & miſerere mei ſecundum iudicium diligentium nomen tuum.* ibid. *Ne intres in iudicium*, &c. Pſal. 142. *Sed iudica me ſecundum iuſtitiam; Et in virtute tua iudica me.* Pſ. 7. }

O quàm copioſa & compunctiua materia hic ſe offerret, cõſiderare de qualitate rei, & iudicis. Itemque de varietate & qualitate iudicij ipſius. Sed eſſet operis prolixioris. Ponuntur infrà ſuper his affectibus quædam Scripturarum exclamationes, ex quibus occaſio ſumi poterit amplioris contemplationis, & deuotionis. Clamet igitur *primo* omnium quiſque peccati reus, tanquam latro morti obnoxius, iudicem propitium ſibi fieri, vt parcatur ſibi dicens, *Sed libera nos à malo.*

SECVNDO inuitandus eſt tanquam ad ægrotum acuratiſſimus medicus, qui *ex his quæ paſſus eſt, compaſſionem didicit*, vt omnes infirmitates omni remedio ſanet medicamentum, medela pariter & medicus factus, curans Hebr. 5.

Morbos { Mentis, Corporis, Vtriuſque hominis, } Medicina { Purgatiua, Conſortatiua, Melioratiua & præſeruatiua, } Quæ eſt { Contritio & confeſſio culpæ, Spes remiſſionis, & veniæ. Virtutũ operatio, & vitatio cauſę. } curãs { Velociter, Liberaliter. Totaliter. }

Ierem. 17. Sana igitur me Domine medicamentum, & medice, & ſanabor. Oh ne pigeat viſitare infirmũ, Et *ne nos permittas induci in tentationem.* Matt. 6.

Matt. 18. TERTIO, inuitandus tanquam ad debitorem decem millium talentorum, centum cororum tritici, & cadorum olei commiſſorum, omiſſorum, & amiſſorum omnium, creditor & dimiſſor. Rom. 10.

Creditor inquam { Liberãlis, facilis & benignus, diues in omnes qui inuocant eum. Iuſtus, ſeuerus & metuendus, in omnes negligentes & offendentes. Pius, placabilis, & miſericordiſſimus erga petentes, & alijs dimittentes. }

Iac. 1. Qui { Tribuit omni petenti affluenter, Exigit diſtrictè & ſeueriter, Remittit facillimè & integraliter, } vt patet in parabola de { Talentorum diuiſione. Matt. 25. Serui exactione. Filio prodigo. Luca 15. }

Tantis itaque debitis obligati, erga Deum, erga proximum, erga noſipſos; & ad ſoluendum impotentes; clamemus ex toto corde, *Patientiam habe in me. Dimitte nobis debita.* Matt. 18.

QVARTO inuocandus ad mendicum & fameſcentem, vt Paſtor munificus & bonus, vt paſcat oues in loco paſcuæ, vt nihil deſit illis, Pſal. 22.

Paſtor oues & agnos { Ducens, Reficiens, Tuens, } in { Multiplici deſerto, & prato. Vario alimento, Omni neceſſitate, & periculo. }

Paſcens, non de	Alieno, Superfluo,	vt	Patres, Matres,	Sed de corpore & ſanguine proprio.		

Paſcens { Verbo, exemplo, ſubſidio. / Pane pœnitentiali, corporali, ſpirituali. / Septem triticeis, quinque ordeaceis. / Tribus Theologicis.

O igitur Paſtor clemens & bone qui noſti, quòd *non in ſolo pane viuit homo, exurge in præcepto, quod mandaſti.* Paſce oues tuas. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Deut. 8. Pſal. 7. Matt. 6.

QVINTO inuitandus eſt, vt Dominus ad ſeruum, vt eum doceat facere ſuam voluntatem, & explere beneplacitum,

Cuius omnes ſerui ſumus iure	Conditionis, Emptionis, Conductionis,	Quoad	Naturalia, Gratuita, Glorifica.

Qui eſt Dominus	Omnium generaliter, Hominum ſpecialiter, Quorundã ſingulariter,	Dominus quaſi dãs	Minas tepentibus, Manus proficiẽtibus, Munus perfectis ſeruis,	Dominus	Magnus & terribilis. Potens & ſapientiſſimus. Opulentus, bonus, & indeficientiſſimus.

O igitur fiat eius voluntas in nobis.

SEXTO inuitandus, vt voluptuoſiſſimus ſponſus, vt ſponſam exulantem introducat ad thalamum. Clamando ſemper *Adueniat regnum tuum.* Cant. 3.

Ipſe .n. Ieſus ſpõſus eſt ſpiritualis cõnubij: quod	Contrahitur, Ratificatur, Conſummatur,	in	Baptiſmali innocentia, Virtualis operis efficacia, Finali perſeuerãtia,	Qui dat animæ pro regali dotaricio	Amplexum amicitiæ. Gradum reuerentiæ. Titulum honoris, & gloriæ.

O igitur *adueniat nuptiale Regnum tuum,* ne { Fides violetur. / Thorus maculetur. / Fœdus ſeparetur.

POSTREMO inuitandus eſt, vt Pater indulgentiſſimus ad Filium: Ipſe enim Pater noſter eſt, qui fecit & creauit nos, qui & ſe Patrem inuocari iuſſit. Deut. 32.

Pater inquã à quo	Formati, Reformati, Educati,	per verbũ	Increatum, Incarnatum, Inſpiratum,	Pater	Miræ ſanctitatis. Magnæ poteſtatis. Eximiæ pietatis.

Iuxta illud	*Pater ſancte ſerua eos,* *Pater omnia poſſibilia ſunt tibi,* *Pater miſericordiarum & Deus totius conſ.*	quare	Deprecandus, Venerandus, Imitandus,	Vt filio prodigo	Occurrens omnia dimittat. Stolam donans deperdita reſtituat. Per annulum hæredem inſtituat.

O igitur *Pater noſter qui es in cœlis.* Pater miſericors, & miſericordiarum, & cæleſtis, qui vnus es Pater in cælis, à quo non eſt alius ſuper terram vocandus; *Sanctificetur nomen tuum* in filijs. 2. Cor. 1. Matt. 23.

Sic ecce ampliſſima & latiſſima eſt hæc materia deuotæ exercitationis, qui ſingula conſiderare volet. Sed ſat occaſionem ſubminiſtraſſe paruulis. Diſcant & ipſi veſci pane ſuo in ſudore vultus. Gen. 3. Et *nota,* quòd in hunc modum multiplices aliæ poterunt fieri inuitationes, ſecundum quas pius Ieſus viſitat animas diligentium ſe, & quibus modis compellatur in Scripturis. Vnde quidam deuotus collegit hos verſus, vbi omnia tamen reſpectum habent ad ſeptem præmiſſas principales inuitationes;

Iudex, Spes, redimens, medicus, ſocius, docet, armans.
Creditor, Agnus, Amor, Sol, Paſtor, Rex, cibus, ornans.
Exemplum, Dominus, Via, Sponſus, Vita, Lapis, Fons.
Pax, Pater, Incenſum, Caput, Hæres, Ignis, Amicus.

Sufficiant hæc de gradu inuitationis. Hoc commonito, quod deuotus ſemper obambulet coram Deo, in aliquo ex affectibus iſtis, vt plenius infrà notatur. Quos verſus quidam proſequens, inquit,

Sol, Medicus, Doctor, Socius, Rex, Igneq́; Sponſus.

§. 3. *Altera inuitationis formula.*

EST igitur inuitandus Chriſtus ſub Sacramento contentus, vt viſitet nos ſub proprietate *Solis,* verus ipſe Magiſter, Sol iuſtitiæ,

Tenebroſitatem, Frigiditatem, Sterilitatem	mentis	Illuſtrans, Accendẽs, Fœcundãs,	iuxta illud	*Exortum eſt in tenebris lumen.* Pſal. 111. *Incaluit Sol, & ſuccendit montes,* 1. Reg. 11. *Valles abundabunt frumento,* Pſal. 64.

Primum

Primum enim opus Dei animam viſitantis, eſt illuſtrare mentis tenebras, hominemq́ue ad ſuorum peccatorum cognitionem illuſtrare, *Eſa. 46.* quaſi diceret, *Prævaricatores redite ad cor*; Oſtendens iudicij ſeueritatem, peccatorum multitudinem, & fœditatem; inducens ad pœnitentiæ acerbitatem; expellens ſecundò mentis torporem & frigiditatem, inducens bonorum operum fœcunditatem, vt latè & pulchrè proſequitur Venerabilis Dominus Ioannes Ruysbroeck in libro ſuo de ornatu ſpiritualis deſponſationis, *Ecce ſponſus*. Hunc igitur ſolem iuſtitiæ inuocemus: hanc lucem, quæ in tenebris *Ioan. 1.* lucet omni venienti in hunc mundum, inuitemus, vt infulgeat in mentes noſtras, illuminans tenebras, torporem pellens, mentem fecundans.

Secundo inuitandus eſt, vt veniat, tanquam *medicus*, peccatorum vulnera, cicatrices, & reliquias ſanando:

Vt {
- Vulnera animę oleo miſericordię lauet,
- Electuariū cōfortatiuum donet,
- Vnguentū repreſſiuum adhibeatur,

} dādo {
- Præteritorū veniam.
- Emendandi gratiam.
- Cōtinēdi perſeuerantiā.

}

Eccli. 38. *Da* itaque (iuxta Sapientem) *locum medico, & non diſcedet à te, quia opera eius ſunt neceſſaria,* *Pſal. 40.* crebrius orans eum, vt ſanet animam tuā, quoniam infirmata eſt, quoniam oſſa tua conturbata, adeò quod non ſit pax in eis. Inſtilletq́ue *Pſal. 50.* auditui tuo oleum lætitiæ, conſolatoria tibi loquens, dicens tibi, *A vulneribus tuis ſanabo te.* *Ier. 9.* Et illud, *Deleui vt nubem iniquitates tuas.* Itē q; *Eſa. 44.* *Dimiſſa ſunt tibi peccata*, &c. O vere medice, & *Mar. 2.* medicamentum, quem Dominus miſit ad *annunciandum manſuetis, mederi contritis corde, cō-* *Eſa. 61.* *ſolari omnes lugētes*, fac ad quod es miſſus, inue- *Eccli. 36.* niātur Prophetæ tui fideles; Veni diſrūpe iugū captiuitatis noſtræ, da oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris, ſatians verbo omnes infirmitates.

Iam *tertiò* peccatis purgatis à Sole, ſanatis affectibus à medico, inuitandus eſt quò veniat, vt *Doctor* & magiſte[illegible]m præſens diſponat cor tuum ad doctrinam [illegible]am, erigens tibi aurem, vt audias eum loquentem vt magiſtrum; docentem te *ablactatum à lacte, auulſum ab vberibus*, Eſa. 28. (id eſt, à carnalibus conſolationibus alienatum) vtilia,

Vt ſcilicet doceat {
- Veritatis ſcientiam,
- Deuotionis ſapientiam,
- Beatitudinis eminentiam.

}

Scilicet {
- De Deo amabilia.
- De nobis vilia.
- De rebus caducis contemptibilia.
- Spernere præſentia, guſtare diuina.
- In monte octo beatitudines docens.

}

Iob 4. O verè nimium beati, qui *venas huius diuini ſuſurrij* percipiunt in ſilentio, qui doctrinam huius magiſtri audiunt, auditam corde cuſtodiunt, cuſtoditam operantur. Da mihi igitur, magiſter bone, qui ſolus vtilia doces, qui vnus es magiſter noſter, qui feſtinanter & ſufficienter de omnibus doces: Da mihi quod in me loqueris ſemper audire; Da cor, quod poſſit præcepta tua cuſtodire; Da item mihi ſurgere, & facere, & factorem verbi tui eſſe, vt ſic impleam illud verbum quod in Deuteronomio *Deut. 11.* dicis, *Audi*, inquiens, *Iſrael præcepta mea, & in corde quaſi in libro ſcribe, & ligabis ea quaſi ſignū in manu tua.*

Quarto iam veritatis & beatitudinis vias à magiſtro edoctus, inuita, quò tibi adueniat, vt *ſocius laboris*, & alleuiator oneris, dicens illud Sap. 9. *Quæſo vt mecum ſis, & mecum labores*, adimplens quod dixiſti Prou. 4. *Ducam te per ſemitas æquitatis, quas cùm ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum* &c. De hoc aduentu miratur Hieremias c. 14. dicens, *Quare quaſi colonus in terra futurus es, & quaſi viator declinans ad manēdum?* Verè miranda dignatio ſic aduenientis, verè fęlix conditio animæ, Chriſtum, vt ſocium, excipientis. Nam inde habet

{
- Viæ alleuiationem,
- Laboris cooperationem,
- Inſidiarum repreſſionem.

} Nam is ſocius {
- Tædium propulſat.
- Vires adminiſtrat.
- Securum ducatū præſtat.

}

De primo dicit Sapiens c. 8. *Non habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tędium conuictus illius.* *De altero* Apoſtolus ait Rom. 8. *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram.* *De tertio* in Deuter. c. 9. dicitur, *Dominus Deus tuus ipſe tranſibit ante te, ignis deuorans, qui conteret & diſperdet hoſtes tuos ante faciem tuam velociter.* Et iterū Numer. 11. *Portabit te Dominus, quomodo nutrix ſolet portare infantem in ſinu ſuo, cuſtodiens te ab omni malo.* Præcepit enim omni creaturæ, ne *tangant Chriſtos ſuos.* *Pſal. 104.*

QVINTÒ inuitandus eſt quo appareat animæ ſub ſchemate *Regis*, oſtendens ei, tanquam alter Aſſuerus, diuitias gloriæ regni ſui, vt per *Heſt. 1.* hæc anima ſancta refocilletur, & recreata ad laborandum amplius prouocetur. Crebro igitur illud dicendum, obſecro *vt videam faciem Regis*, 3. Reg. 14. Et item cum alio ſancto, *Si inueni gratiam in oculis tuis, oſtende mihi teipſum*, Exodi 33. Gratia eſt enim ſuper gratiam, quod ille, qui (ſecundū Ioannē in Apocalyp. 19.) *habet in veſtimento & femore ſuo ſcriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium*; reſpectu cuius excellentię & dignitatis (ſecundū Eſaiā c. 40.) *omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt corā eo, & quaſi nihil, & inane reputata*: is talis & tantus, Æthiopiſſæ & pauperculæ animę dignatur oſtendere ſeipſum, & diuitias glorię ſuæ. Nam adueniens hoc modo,

Oſtendit {
- Dignitatis altitudinem,
- Diuitiarum magnitudinem,
- Decoris pulchritudinem:

}

Animam {
- Nobilitans virtutibus,
- Ditans meritis,
- Glorificans præmijs.

}

O tu Rex omniū ſolus bonorū, qui ipſe es Rex meus, & Deus meus, oſtēde mihi pauper- *Pſal. 43.* culę teipſum, coniunge me tibi; quo fiam Regina aſtans à dextris tuis ſemper. *Pſal. 44.*

SEXTÒ anima ex oſtenſis iam bonis, ad ampliores excreſcens affectus, quo amplius incaleſcat, & amore inflammetur, inuitat Deū, qui eſt *ignis* conſumens; cuiuſque ſpecies gloriæ *Deut. 4.*

dicitur

Exod. 24. Pſal. 96. dicitur quaſi ignis ardens, quique ſe promiſit in igne venturum, quo veniat tanquam

Ignis cæleſtis { Vitiorum rubiginem conſumens. / Mentis vetuſtatem renouans. / Torpentem affectum inflammans.

Pſal. 103. Pſal. 38. Eſt enim { *Ignis Deus conſumens.* / *Spiritum emittens, & terræ faciem innouans.* / *Ignis in meditatione exardeſcens.*

O ignẽ hũc de excelſo in oſſa noſtra mittat; ignẽ hunc Spiritus S. in nobis inflammet, quẽ ignem iſte *miſit in terram volens, vt ardeat.* Nam præter dictas proprietates, innumera alia bona facit. Nã eſt intellectus illuminatiuus, affectus inflãmatiuus, mentis renouatiuus, attractiuus, eleuatiuus, immutatiuus, diffuſiuus, vnitiuus. (Thren. 1. Luca 12.)

POSTREMO iam igne tota liquefacta, amore vulnerata, ad *ſponſalem tendit affectum,* inquirẽs *vbi paſcat, vbi in meridie cubet;* clamãs inceſſanter, *Oſculetur me oſculo oris ſui;* Chriſtũ vt cordis *vnicum ſponſum* ad ſe inuitans. Nam licet Deo ſublimius anima (vt ſic dicam) indignius nihil eſſe poſſit; tamẽ ſtupẽda & amoroſa dignatione, hanc ſibi copulat Deus, tanquã verus Moyſes ducens Æthiopiſſam, licet ſubmurmurent Aaron, & Maria. Et ecce (Cant. 1. Num. 12.)

venit quotidie { Subarrando, / Copulando, / Fœcundando, } Animã ſponsã { Beneficiorũ dote, / Amoris dulcedine, / Virtutũ prole.

Sed vnde tibi anima, vt illius ſis ſponſa, quẽ cœlum contremiſcit & terra? Tu enim genere obſcurior, ſpecie deformior, dignitate inferior es ſpõſo hoc in infinitum. De eius enim generatione Eſaias dicit c. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* De pulchritudine Iob c. 15. teſtatur, quod cæli *non ſint mundi in conſpectu eius, quantominus homo abominabilis, qui bibit ſicut aquam iniquitatem.* Dignior eſt vniuerſis; homo vilior luto, nigrior olla; puluis. & terra: & tamen verè anima eſt Dei ſponſa dignatione Dei admiranda, vt pulchrè ſuper Cantica Bernardus declarat. Poſſent ſuper ſingulis deuota plura cõſcribi; ſed cuiuſque practicæ hæc reſeruantur. De quibus qui inſtructior eſſe volet, legat Soccum in ſermonibus de Aduẽtu; vbi de ſingulis his affectib⁹ & modis deuotos habet ſermones.

Veni Ieſu dux zelotes, ignis ardentiſſime,
Veni, ſeruum cibes, potes ſitientem maximè.
Nolim tardes, veni dotes cor meum pleniſſimè.

MEMBRVM IV.

Sumptio. Gradus IV.

A 1. Cor. 11. SVMPTIO, de qua Dominus, *Accipite, & manducate.* Quæ eſt omnium ſuperiorum completio & finis: Quam

Oportet eſſe verè { Humilẽ, & reuerentialem, / Deuotam & affectualem, / Cautam, & ſapientialem.

Sume humilis, reuerens, feruens, ſapiens, quoque cautus.

OPORTET enim quod in ſumendo, homo ſummè ſe *humiliet,* cum Centurione dicendo, *Domine, non ſum dignus vt intres ſub tectum meũ.* (Matth. 8.)

Quod verbum bene ruminatum, magnæ efficaciæ dicitur eſſe; vnde attentiſſimè dicẽdum. Itemque cum Bonauentura, *Domine mi, quis es tu? & quis ſum ego? vt præſumam te mittere in latrinam fœtidam corporis & animæ meæ? Vt quid me feciſti, vt tibi hanc iniuriam execrandam facerem? Mille lachrymarum anni non ſufficerent ad te dignè ſuſcipiendum; quanto magis ego miſer indignus ſum, qui quotidie pecco, incorrigibilis perſeuero, & in peccatis accedo. Sed in infinitũ maior eſt tua miſericordia, quàm mea miſeria. Vnde de tua pietate confiſus, te ſumo, vtinam dignè.*

Oportet quoque, vt *reuerentialiter* in cũctis ſe habeat, tãtam dignationem admirãdo, quod tantus vult ſumi à tãtillo: ita vt cum Eliſabeth dicendo exclamet, *Vnde mihi hoc vt veniat Dominus tantus ad me?* & ſimilia reuerentiæ verba. Luca 1.

DEVOTE quoque & affectualiter oportet, vt quis hũc Dominum excipiat: ita vt ei dicat, *Ingredere benedicte Dei, cur foris ſtas?* Et cum Auguſtino, *Intra in animam meam, & coapta eam tibi* &c. vt in Manuali eius. Et cùm iam in ore teneretur, fiat ei latricus cultus, & gratitudo ſumma, vt dicamus cum Thoma, Ioan 20. *Dominus meus, & Deus meus,* Ioan. 20. O quã ſtupenda dignatio! *Veniſti deſiderabilis quem expectabamus in tenebris,* &c. vt in antiph. Paſchali: Aut quiſque illud exercitabit, ad quod Sacramentum ipſum inclinabit. Alij in dolore cõpunctionis, alij in deſiderio & exultatione amoris, de præſentia dilecti, & ſic de aliis. Fiet quoque gratialis oblatio ad Patrem cum oratione illa Anſelmi, *Gratias tibi referat Domine Sancte Pater omnis lingua, ſuper ineffabili dono pietatis, qui vnico Filio tuo non pepercisti; ſed eum in noſtrum Sacramentum, Sacrificium, & Viaticum iam dediſti, quem olim tanta miſeratione in noſtræ redemptionis pretium tradidiſti. Vnde laudet te cœlum & terra, mare, & omnia quæ in eis ſunt: Laudet te tua ineffabilis bonitas, & tunc eris perfectè laudatus.* Itemque, *Reſpice quæſo Domine Sancte Pater, reſpice de Sanctuario tuo, & alto cælorum habitaculo, reſpice in faciem Chriſti tui, reſpice hanc ſacroſanctam hoſtiam, quam tibi offert Pontifex Magnus, & eſto placabilis ſuper nequitia vniuerſi populi tui, præſertim meæ,* &c. (Pſal. 68. Deut. 26. Pſal. 83.)

ERIT quoque poſtremò hæc ſumptio *cauta & ſapientalis;* hoc eſt cum diſcretione & moderamine magno agenda, vnde quidam ponũt aliqua documenta, & poſt ſumptionem tenenda, quæ tametſi minima videntur, non tamen ſunt contemnenda, & ſunt iſta:

Deuotus, ſerua, non expue, & abſtineas poſt.

Primum eſt *deuotus,* id eſt, vt homo in ipſa ſumptione, actualiter ſe in Deum leuet, quia tunc ſuum cauſat (ſecundum Thomam) effectum.

Secundum eſt *ſerua,* hoc eſt, quod Euchariſtia non eſt maſticanda, vt alius cibus, ſed cum lingua diſcretè & moderatè mollificanda, ne qua eius particula dentibus adhęreat, & hoc ne fiat aliqua irreuerentia Sacramento. *Item,* quia talis maſticatio non eſt neceſſaria, quia ſola lingua poteſt madefieri. *Item,* vt ſic notetur, quod cibus ſit mentis, magis quàm corporis. Et iſtud documentum docet Raymundus in Summula ſua dicens, *Quando ſumis corpus Domini* &c.

dentibus illud noli conterere, velut eſcas, ſed moderatim lingua mollifices, & hoc, vt eorum rimoſa concauitas non ſeruet particulas, quas forſitan expueres. Datur ergo cautio talis.

Tertio, quia non citò *Spuas* poſt ſumptionē; niſi ſumpto cibo, vel honeſto loco (vt dicit Ioannes de Turrecremata) propter periculum & honorem Sacramenti.

Quartò, Abſtineas poſt; vt ſcilicet ſit aliquod interuallum inter hunc cibum & alios, vt prius paululum dente deuotionis digeras iſtum. Notabilis enim & valde notandus eſt textus Beati Clementis *de Conſec. diſt. 2. Tribus.* ibi poſt cætera ſubdit, *Cum timore & tremore clericorum Sacramenta conſumantur: Qui autem ea conſumunt, non ſtatim ad accipiendos communes cibos conueniant; ne putent ſanctæ portioni miſcere cibum, qui per aqualiculos digeſtus in ſeceſſum diffunditur. Si igitur mane Dominica portio editur, vſque ad ſextam ieiunent miniſtri, qui eam conſumpſerunt. Et ſi tertia, vel quarta hora acceperint, ieiunent vſque ad veſperas: Sic ſecreta ſanctificatione æterna cuſtodienda ſunt Sacramenta:* Hęc Sanctus Clemens Papa. Vel, vt poſt huius cibi ſumptionem, abſtineat à colloquijs & negotiis mundanis, & det ſe exercitijs ſacris poſt communionem agendis.

O manducem timoratus, Omni reuerentia:
Amoroſè dilatatus, Cordis excedentia,
Permirificè lætatus, Tua de præſentia.

Gradus terminatorij, in quibus poſt Cõmunionem eſt exercitandum.

CAPVT III.

C *Hortamur vos ne inuacuam gratiam Dei accipiatis.* 2. Cor. 6. Iam tandem ponēdi ſunt gradus *Completorij*, ſeu *Terminatorij*, quibus homo ſe poſt communionem exercitabit. Parum enim proderit; imò oberit ſuſceptum Sacramentum, niſi dignis exercitijs poſt fuerit veneratum.

Non minor eſt virtus, quā quærere, parta tueri. Nec minus debet præſenti, quàm futuro; ſi creditur Bern. Et hæc, vel vna eſt ex potiſſimis cauſis, quod tam parum fructus plures de mēſa Domini reportant, eo ſcilicet quod poſt ſe non habilitant ad influxus Sacramenti in ſe recipiendos, nec ſatis ruminant, quod Sanctus Sanctorum ſit ad eos ingreſſus, nec dignas gratias ſoluunt. Conuenit enim vt vel vnus cum tanto hoſpite lætus expendatur dies, & vt tantum Sacramentum, vel pauculis exercitiis veneretur; propter iſta inductiua.

Iudæis, Iudæ priuat, reus es, grauat & te.

1. Matth. 21 *Primum* inductiuum eſt, *ne Iudæis ſimiles efficiamur*, qui in die palmarum honorificè quidem Chriſtum, & feſtiuè exceperunt; ſed eodem die expulerunt, ieiunum reliquerunt, & poſt crucifixerunt. O caueamus, enitamur, ne talibus comparemur.

Luca 22. *Secundo*; quia niſi exceptum dignè venerati fuerimus, ſimiles Iudæ erimus, qui quidem (vt aiunt docti) cū cæteris Apoſtolis Sacramentū hoc digna quadā externa reuerētia ſuſcepit, ſed mox poſt ſumptū Chriſtum inimicis tradidit; ita quod verè de eo dictum erat, *Ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa.* Ibidem. Quiſquis poſt ſuſceptum Sacramentum à vitijs ſe non obſeruat, is cū Iuda Chriſtū inimicis tradit: De quo ipſemet Saluator dixit, *Qui mādùcat panē meū, leuabit calcaneum ſuum contra me. Bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille.* Ioan. 13.

Tertiū eſt, ſcilicet, *Priuat*, fructu ſacramēti.

Quartum eſt, *Reus es*, ſcilicet mortis æternæ, iuxta illud 1. Reg. 26. *Filij mortis eſtis vos, eo quod non cuſtodieritis Chriſtum Domini.*

Quintum eſt, *Grauat te*, magis quàm ſatiat, 11. iuxta Auguſt. Nā quod tā facilè illud quidā ejiciunt, magni periculi eſt ſignū: Nam hoc prouenit ex defectu quadruplicis virtutis, .ſ. aut

Ex defectu { Maſticatiuæ, Saporatiuæ, Aſſimilatiuæ, Retentiuæ, } Quæ hoc verſu comprehenduntur.

Maſticat, & ſapit, aſſimilat nil, nilq́, retentat.

Primo prouenit ex defectu virtutis *Maſticatiuę*, id eſt, ex defectu conſiderationis: ideo enim cito rejicit, eo quòd non conſiderat, quantæ ſit pretioſitatis & ſanctitatis natura eius.

Secundo, quia deficit virtus *Saporatiua*; nam impleti aliis cibis, ſcilicet affectu & guſtu carnalium, & huiuſmodi, habent palatū infectum, & idcirco faſtidiunt iſtum cibum, neque nutriuntur, nec delectantur ex eo; imò vt olim Iudæi dicebant Num. 11. *In mentem veniunt nobis cucumeres & pepones*, &c. Et Prou. 27. *Anima ſatiata calcabit fauum. Anima autem eſuriens,*

Scilicet { Iuſtitiam, Euchariſtiam, Cæleſtem gloriam, &c.

Etiam amara pro dulcibus ſumet, id eſt, pœnitentiam pro dulci Chriſto.

Tertio, quia deficit virtus *Aſſimilatiua*: Non enim cibus eis aſſimilatur, vt in carnem cōuertatur: Diſſimilium diſſimilis eſt vnio, ergo & difficilis.

Quarto, quia deficit virtus *Retentiua*: id eſt, memoria ruminans, & vita à recidiuo peccatorum præcauens. Hinc (vt habetur apud Iobum) *Diuitias*, (ſcilicet Euchariſtiæ) *quas deuorauit*, (id eſt indebito modo accepit) *euomet*; Iob. 20. quia propter recidiuationem communicantis diſcedit & rejicitur Chriſtus.

Quiſquis igitur pericula & mala hęc voles effugere, quiſquis Sacramenti in te effectum experimentaliter cupis ſentire, quiſquis poſtremò Chriſtū nolueris à te repellere, ſed apud te retinere, in ſequentibus te gradibus exerce, illis ſedulius poſt communionem immorare.

MEMBRVM I.

Gratiarum actio. Primus gradus.

GRATIARVM ACTIO, de qua Apoſtolus, *In omnibus gratias agitę Deo, per Filiū eius Ieſum Chriſtum*: 1. Theſſ. 2. Quod ſi de omnibus ſunt gratiæ agendæ, quantomagis de gratiarum gratia de beneficio tanto, dignæ ſunt gratię exoluendę? Primum igitur, quod poſt communionem,

cùm tempus ſe obtulerit, eſt agendum; erit, exoluere grates. Quæ gratitudo, ſecundum Bonauenturam fiet vigilanter, lætanter, beniuolenter.

Propter { Beneficiorum vtilitatem, Donorum pretioſitatem, Dantis liberalitatem. } Et { Te excitãdo, Creaturas cõuocãdo. Sanctos orando. }

Et vt homo ad gratitudinem hanc amplius inflammetur, debet diligenter perpendere beneficij aggrauamenta, quæ ſunt,

Commendat donum ſi nobile, & vtile, crebrum:
Si magnus, magno, paruo donet, vel inepto.

Hæc plenius proſecuta infra in beneficiario: Strictim tamen hic aliqualiter tangenda. PRIMÒ, ſi magnus ſit dator, & magnæ dignitatis: Et ecce eo nihil melius cogitatur. *Secundò*, ſi magno affectu dat, & certum eſt, quòd charitas eius ſupereminet omni ſcientię, adeò quod à nullo ſenſu poteſt cogitari. Nónne hoc Sacramentum inſtituturus dixit Lucæ 22. *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum? Tertiò*, circa accipientem videndum eſt; ſi vilis, ſi paruus, & contemptibilis, cui beneficium præſtatur. Et, quid eſt homo, niſi puluis, cinis, & putredo, &c. Iob 13. *Quartò*, ſi indignus & immeritus beneficiis tantis. Et inuenies, quòd nec dignus ſuſtentari à terra; ſed mox demergi ad inferna. *Quintò*, circa ipſum beneficium, conſiderandum ſi in ſe ſit nobile, & pretioſum, & videbis, quod nobilius nihil in cælo, aut in terra; cuius patet nobilitas ex multis, vt ſuprà declaratum eſt. *Sextò*, attende, ſi ſit beneficium accipienti vtile, & commodoſum. Quid autem vtilius hoc Sacramento, quod & regnantibus in cœlo, degentibus in terra, detentis in purgatorio, vtile inuenitur? *Septimo*, ſi beneficium ſit neceſſarium, multiplex, & ſæpe iteratum. Patet eius neceſſitas Ioan. 6. *Niſi enim manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, &c.* Sæpe iteratur, quoties, ſcilicet, accedere volumus, ſemper ſe prõptum offert. Quoties igitur non offert, toties dat.

Sunt autem & gratiæ agendæ pro eo.

Quod { Tantis myſteriis te intereſſe voluit. Tantis Sacramentis te refecit. Tãta dulcedine ſpirituali te præuenit. }

Pſal. 10. Nam (iuxta Bonauenturam) *cùm homo dulcedinem aliquam percipit, gratus erit; totaliter hoc diuina pietati aſcribens; quæ ſe etiam ad malos extendit; & in corde ſuo dicet, In me Dominus mirabilia ſua operatur ad deteſtationem miſeria mea, & ad conuincendum beneficijs ſuis iniquitatem meam magnam. Nam me moriturum fecit ſentire diuina; & vermem viliſſimum fecit caleſtia deguſtare. Si mihi peccatori talia fecit Dominus: quid putas, faciet, ſi correxero vitam meam.* Hæc ille. Practicam autem & modum gratias agendi habes in beneficiario infra. Si autem nullam ſenſerit refectionem, miſeriam ſuam cognoſcat, & ſtudeat mutare vitã; *Nota.* Non tamen nimis anguſtietur, ſciẽs quod hoc pluribus etiã alijs ex cauſis euenire ſolet, vt patet de dulcedine Sacramenti. Imò nec ſaporem quærat (ſecundum Vincentium) reputans ſe gratia tali indignum; ſed fiducialius ſe Deo committat, & pro effectu oret ſacramẽti.

Eya Ieſu adorande, Dator panis gratia,
Mille grates ammirande, Bono Eucharistia,
Qua me hodie amande, Repleuiſti ſatie.

MEMBRVM II.

Oratio. Gradus ſecundus.

ORATIO, de qua Dominus Lucæ 11. *Petite, & accipietis*; Quæ debet humiliter, confidenter, inſtanter fieri.

Scilicet vt { Irreuerentem ſumptionem indulgeat, In æternũ nobiſcũ per gratiã maneat, Suos effectus in nobis Sacramentum efficiat. } IV.

Vt ſcilicet dicamus, { Indulge admiſſam irreuerentiam. Mane mecum Domine, per gratiam. Effectus tuæ virtutis ſentiam. }

Qui autem, & quales ſint effectus petendi, Guillelmus Pariſienſis deuotè commemorat hoc modo. *Quemadmodum* (ait) *aqua baptiſmalis eſt vera regenerationis Sacramentum; ſic vera Chriſti caro acceſſu diuina virtutis, qua ab ea nunquam recedit, fit ſanctificationis ſacratiſſimum inſtrumentum, ac dignè ſumentibus ſacra refectionis adiumentum; qua virtuoſiſſima eſt propter Dei ſapientiam, & Dei virtutem, cuius eſt ipſa veſtimentũ. Nempe ſi veſtis S. Ioannis Euãgeliſtę, ex cõtactu ſui corporis id virtutis obtinuit, vt per manũ Ariſtoboli adhuc increduli, tactu ſuo tres mortuos ſuſcitarit; quid de hoc veſtimento Dei omnipotentis, id eſt, corpore Chriſti, pia fides edocet ſentiendũ? Si Petri Apoſtoli baculus, ex attactu Petri aſſequi potuit, vt tactu ſuo mortuũ ſocium B. Martialis Lemonicenſis ſuſcitaret, & vſque in praſens damones expellit, quid de ſacratiſſimo Chriſti corpore ſentiẽdũ? Si Chriſtus Dominus tãtas virtutes corporibus atque reliquijs Sanctorum largitus eſt, imò oſſibus eorum, & pulueri; quomodo non maiores virtutes dedit carni ſua, vnitę diuinitati? Si fimbria veſtimenti ſui hoc tribuit, vt eius attactu Emoroiſſa ſanaretur,* *Matt. 9.* *imo omnes, qui tangebant eã, curarentur à languoribus: quid inaſtimabilis poteſtatis credendus eſt ſuo corpori contuliſſe?* *Luca 6.* *Si carni, ſeu pinguedini ſerpentinę, de qua theriaca conficitur, conceſſit virtutem effugandi venena, quanto fortius ſua carni virtutem praſtitit eijciendi animarum venena, id eſt vitia & peccata, & omnia tentamenta? Si ligno vita vim perpetuandi vitam contulit in Paradiſo:* *Gen. 3.* *quomodo non caro vita cuncta viuificet? Praterea ſi hanc virtutem dedit herba Peonis & Iaſpidi, vt phantaſmata fugaret, itemq́, damonia: ſi poteſtatem illam dedit verbis exorciſmorum, vt damones arceant & ligent, &c. quomodo non Verbum aternum carnem, quam aſſumpſit, his & alijs virtutibus magis illuſtrauit? Nonne ipſe Smaragdo impreſſit hanc vim, vt latitiam operetur in animabus geſtãtium ipſum? Lapidi quoque bufonis, vt expellat triſtitiam: & lapidi topazio, vt temperantiam ab ardore libidinum donet. ac adamanti, vt gratioſitatẽ inducat in geſtante? & quomodo non mirabiliora in carne ſua operabitur? Vnde beatos reputamus eos,*

qui

qui tam diuina excellentiæ Sacramentum tota deuotione ſuſcipiunt. Hæc ille. Quæ comprehenduntur hoc verſiculo,

Si lignum, vellus, baculus, caro, ſimbria, ſerpẽs.

Hæc omnia poſuimus, vt homo poſt ſumptionem, in hoc gradu orationis, pro effectibus orans, ſtudeat huiuſmodi argumentis petitionem ſuam confirmare.

Sed iam particulariores quidam effectus ſunt aſſignandi, quos ponit Ioannes de Turrecremata, & Leonardus, & Gerſon, aut alij Doctores.

Viuificat, purgat, minuit, queque roborat auget.
Reſtaurat, luſtrat, præſeruat, ſeruet, inarrat.
Dulcat, & impinguat, calet, vnit, gaudia tutat.

PRIMVS effectus eſt, quòd *viuificat animas*: Credendum eſt enim (ſecundum ſanctũ Thomam) quòd, ſicut filius Dei veniens in mundũ mundo contulit vitam gratiæ; ita & in hominem ſacramentaliter veniens, vitam gratiæ operatur, iuxta illud, *Qui manducat me, viuet propter me*, id eſt per me. Ioan 6. Hinc (ſecundum Auguſtinum) *Vitale* dicitur *alimentum*. *Pſal. 118.* Clamet igitur cum Pſalm. *Propter eloquium tuum viuifica me.*

SECVNDO *purgat peccata*, ſaltem venialia; Mortalia quoque tribus modis: *Primo*, in eo, qui cum mortali accedit; cuius tamẽ nec conſcientiam, nec affectum habet. *Secundo*, in eo, qui ſufficienter contritus non fuit; ſed tamen reuerenter accedit. *Tertio*, dando robur mortalia vitandi. *Pſal. 50.* Ora igitur cum Pſalm. *Amplius laua me ab iniquitate mea.*

TERTIÒ. *Minuit fomitem* & ſtimulum carnis, & alios affectus inordinatos; quemadmodum calor ignis remittitur per infuſionem aquæ. Bernardus: *Duo iſtud ſacramentum in nobis operatur; vt ſcilicet minuat ſenſum, & in grauioribus peccatis tollat omnino conſenſum.* Hinc ſpõſa Cant. 1. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi*; Sicut enim myrrha conſeruat corpora à vermibus, ſic Chriſti corpus corda fidelium à prauis affectibus. Hoc Apoſtolus nouit, quando exclamauit, *Rom. 7.* *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Sibiq́ue reſpondens, ſubiunxit: *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum*. Et vbi? & quæ gratia? ſi non Euchariſtia?

QVARTÒ, *Roborat* cor humanum ad grandia agenda, quemadmodum cibus corporalis fortificat ad laborem; ſecundum illud Gen. 18. *Ponam buccellam panis, & confortabitur cor veſtrum.* Pſalm 103. *Panis cor hominis confirmat.* Hinc Iſaac de Iacob Gen. 25. *Frumento* inquit, *& vino ſtabiliui eum*. Sic elephantes viſo ſanguine ad prælium excitabantur, 2. Machab. 6.

QVINTÒ *Auget gratias & virtutes*; Per huius enim Sacramenti virtutem (vt Innocentius ait) vniuerſæ virtutes augentur, & omnium gratiarum exuberant fructus. Hinc & Bernardus aliquot enumerans, dicit, *Corpus Chriſti ægrotis eſt medicina, peregrinantibus dieta*, &c. *Fit homo ardentior ad omne bonum, manſuetior ad correptionem* &c.

SEXTO, *Reſtaurat deperditum ſpirituale*; Sicut enim cibus naturalis in ſumente deperdita reſtaurat, ſatiat, & quantitatem adauget: ita & viuificus is cibus reſtaurat deperdita quæque, ſcilicet, calidum naturale charitatis, & humidum radicale bonæ voluntatis, per concupiſcentiam & cupiditatem imminuta vel abſumpta; quemadmodum in Propheta dicitur; quod *reſtauret annos, quos Eruca* (id *Ioel. 1.* eſt, gaudium carnis) *Locuſta* (id eſt, ſpes arrogantis) *Brucus* (id eſt, iners, & totus exterioribus incumbens motus) *& Erugo* (id eſt mæror ſæculi interiora deuaſtans) *conſumpſerunt*. *Satiat* quoque cibus comeſtus famem; Quanta ſit, & quàm improba fames peccatorum, quos non implet, & occupat charitatis cibus & potus, recogitare ſtupor eſt, ſentire miſeria grandis; quia vſque ad mortem; iuxta dictum Sapientis Prou. 1. *Deſideria occidunt pigrum.* Non enim ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu; ſed pruriunt aures *Eccle. 1.* ad rumores; oculi furunt reſpicere vanitates, &c. quia rabiés famis eſt valida. At verò cibus noſter dignè ſuſceptus, quia vero bono replet, verè ſatiat; aut pro magna parte famem ſedat. Verè nimis auarus eſt, cui non ſufficit ille cibus.

SEPTIMO *Luſtrat* intellectum; In cuius figura, oculi Ionatæ, poſt ſumptum pauculum *1 Reg. 14.* mellis de ſummitate virgæ, illuminabantur: Sic ad ſpectacula diuina noſter Spiritus poſt Euchariſtiæ ſumptionem erigi ſolet. Etiam inde ſequitur ſplendor conuerſationis; Sicut *Simile.* enim poſt cibum corporalem facies formoſior redditur, rubore perfunditur: ita & poſt hunc cibum ſumptum conuerſatio noſtra decoratur. Hinc Chryſoſtomus ait, *Sanguis Chriſti in nobis imaginem regalem floridam facit:* & Agnes gloriatur, *ſanguis*, inquiens, *eius ornauit genas meas.*

OCTAVO, *Præſeruat à peccatis futuris*, & à morte gratiæ: Et hoc, *vel quia* natura hominis interius roboratur contra interiora corrumpentia, tanquam per cibum, aut medicinam, dum Deo per gratiam coniungitur: *Vel per hoc*, quod ab extra munitur contra hoſtiles inſultus, tanquam per arma; nam per hoc Sacramentum munitur contra hoſtes ſpirituales anima, quemadmodum armis & victualibus firmantur caſtra. Patet hoc ex figura illa, vbi Madianita vidit, quod panis *Iudic. 7.* ſubcinericius ſubuertebat caſtra Madian: Pſalmiſta, *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me*, Pſal. 22. Chryſoſtom. *Menſam præparauit nobis Deus, vt poſt epularem refectionem, inimicum robuſti ſuperemus.*

NONO, *Terret dæmones*, & in fugam ducit; Nam hac Euchariſtia munitus, eſt, tanquam *Cant. 6.* caſtrorum ordinata acies, dæmonibus terribilis. Ex eo enim, quod hoc Sacramentum eſt Dominicæ paſſionis ſignum, dæmones pellit & deterret, adeò vt Chryſoſt. dicat, *Vt leones flammam ſpirantes, ſic ab illa menſa diſcedimus, terribiles diabolo facti.*

DECIMO, *Inarrat ſponſã* dilecto; Eſt enim *futuræ gloriæ pignus*, & ſinceræ dilectionis arra, qua qui ſubarratus fuerit, ſecurè cum ſpõſo dicere poterit, *Cant. 2.* *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Itẽq; cum Martyre noſtra Agnete ſancta, *Illi ſum deſponſata, cui Angeli ſeruiunt, cuius pulchritudinẽ Sol*

& Luna mirantur, &c. Itemque, *Annulo ſuo ſubarrauit me Dominus meus Ieſus Chriſtus*; & eo annulo matrimonium hic inchoatur, quod in clara fruitione in cœlis conſummatur.

VNDECIMO *Dulcat*, id eſt, cauſat guſtum dulcedinis Diuinæ, quæ percipitur, dum non ſunt fauces animæ aliena amaritudine infectę. O dulcedinem! ô delectationem! Si enim *delectatio, eſt perceptio conuenientis cum conueniente, aut ex huiuſmodi perceptione conſurgit*; nihil verò conuenientius, vel intimius coniungitur animæ, quam iſte cibus, in quo ſumitur Chriſtus: Delectat igitur in ſummo, ſi ſenſus purgati fuerint in ſummo; niſi diſpenſatiuè aliter Dominus ipſe ordinauerit. Hinc, & per Manna
Sap. 16. figuratur, quod *omne delectamentum in ſe habebat* quod etiam à pleriſque ſenſibiliter, vt patet in exemplis, eſt compertum. Væ illis, quo-
Num. 21. rum *anima nauſeat ſuper cibo iſto*, quaſi leuiſſi-
Exod. 16. mo, ſuſpirans ad *ollas carnium* Ægypti, *allia,*
Num. 11. *porros*, & *pepones*.

DVODECIMÒ. *impinguat animam gratia* Spi-
Gen. 49. ritusſancti, ſecundum illud, *Aſer pinguis panis eius, & præbebit delitias regibus*. Vnde Pſalm.
Pſal. 62. orat, *Sicut adipe, & pinguedine, repleatur anima mea*. & Propheta, *Faciet Dominus omnibus popu-*
Eſa. 5. *lis in monte, hoc conuiuium pinguium medullatorum, & vindemiæ defecatæ*.

DECIMOTERTIÒ, *Calet, & inflammat* ad amorem Dei; Certum enim eſt, quòd ſicut ignis igne conuenientius accenditur, & fortius, & facilius: ſic charitas charitate. Quia ergo illud Sacramentum totum charitatis flammis flagrat, totum Spiritusſancti fornace ſucceſſum flammeſcit: nihil eo efficacius, aut conueniẽtius, pro amore nutriendo, augendo, aut roborando, poteſt inueniri. Vnde, & Sacramentum amoris vocatur. Quidni inflammat, quod inarrat, & transformat? Etenim veræ dilectionis pignus eſt, & arra, & transformat hominẽ in dilectum. Ita quòd rectè (cautè tamen) dici poterunt ſic inarrati, Dij transformati ſub humana ſpecie. Et hęc Euchariſtia, eſt maior ignis ad inflammandum cor noſtrum, quàm foret totus mundus, etiam ſi totus arderet, ad ſuccendendam quandoque fauillam. O gelidum cor, quod tanto igne non flammeſcit!

DECIMOQVARTO, *vnit, & incorporat* hominem Chriſto; Vt enim cibus naturalis cõmeſtus, veraciter in naturam conuertitur comedentis: ita hunc è conuerſo dignè ſumens mutatur in ipſum, factus deiformis, ei incorporatus, & vnitus, ſicut ferrum ignitum in naturam ignis. O quantus amor, qui nos ſic conglutinat, vt nos in eo, & ipſe in nobis tam intimè coniungatur! Verè amor extaſim facit. Et eſt hæc vnio, proprius, & principalis, & finalis huius Sacramenti effectus; vnde intimè expoſcendus. De hac vnione Gerſon pulchrà ſcribit ſuper magnificar. Hanc vnionem ſpon-
Cant. 1. ſa optabat, quando clamabat, *Oſculetur me oſculo oris ſui*.

DECIMOQVINTÒ, *Gaudia dat* (ſpiritu iam ſaginato) propter ſpem futurorum; Nam ex perceptione præſentium, fit ei certa expectatio futurorum. Si enim Filium dat Pater, nunc in cibum; quomodo non ſuſcipiet nos ei incorporatos in regnum?

DECIMOSEXTÒ *Tutat à pœna purgatorij*: Remittit enim pœnam debitam peccatis noſtris, aut in toto, aut in parte, ſecundum charitatem, qua accedimur. Nam *Dominus retribuet pro nobis*. Pſal. 137. Et ſic ad cælum perducit, ſecundum figuram Heliæ, *qui in fortitudine cibi* hunc cibum præfigurantis *ambulauit vſque ad montem Dei Oreb*. 3. Regum 19. Hinc etiam *viaticum* eſt appellatum: O, panem noſtrum da nobis quotidianum. Ecce pro his & ſimilibus effectibus, & pro ſingularibus ſuis defectibus ſuperandis, debet quiſque deuotius poſt ſumptionem Euchariſtiæ Dominum exorare, & fiducialius cum Iacob dicere, *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi*. Gen. 32. Qui latiorem & magis deuotam proſecutionem de huiuſmodi Sacramenti fructibus & effectibus ſcire volet, ille Doctorum ſcripta, & ſermones Bernardini, aut aliorum perſpiciat:

Ieſu in me operare Fructus fœliciſſimos,
Quos tu Manna ſalutare Contines dulciſſimos:
Quantos nemo ſcit narrare, Obguſtus ditiſſimos.

MEMBRVM III.

Oblatio. Gradus III.

OBLATIO de qua Leuitici 9. *Offeres agnum anniculum pro peccato*. Poſtquam enim homo pro ſe orauit, debet & illud ſum- VI.
mum ſacrificium pro aliorum offerre ſalute, & ſua; prout docuit Dominam Mechteldin, vt patet in reuelationibus eius, quod etiam dixit ſibi acceptiſſimum fore. Vnde debet hoc homo offerre,

Pro	Viuis,	vt	Adiuuentur,
	Defunctis.		Liberentur:
	Sibi cõmendatis.		Voti cõpotes efficiantur.

Aut poterit illud offerri pro diuerſis Eccleſiæ ſtatibus, & hominum generibus, vt charitas ad plures dilatetur. Et diſtinguit Ioannes Nyder huiuſmodi ſtatus, ſub ſeptemplici differentia, ſecundum applicationem ad Dominicam orationem, vt ſcilicet homo offerat,

Pro	Miſeris & tribulatis,	orãdo	Sed libera nos.
	Religioſis, & tentatis,		Et ne nos inducas.
	Debitoribus & ſceleratis,		Dimitte no. debita.
	Egenis, & mendicis,		Panem noſt. quot.
	Infidelibus à fide errantibus.		Fiat volũtas tua.
	Defunctis, & purgatorij,		Adueniat regnum.
	Omnibus ſtatibus Eccleſiaſticis,		Sanctificetur nomẽ tuum.

Facilis

Facilis eſt conſideranti applicatio horum. Debet ergo quiſque ſingulorum horum miſerias reuoluere, & ex compaſſionis & charitatis affectu, pro eis hanc hoſtiam offerre, & dicere Deo, *Saluum fac populum tuum Domine*, &c. *Te* (Pſal. 27.) *ergo quæſumus tuis famulis ſubueni, quos precioſo ſanguine redemiſti*. Aut verba illa Heſter ad Aſſuerum, *Si inueni gratiam in oculis tuis, ò Rex, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obſecro. Et quomodo potero ſuſtinere necem, & interfectionem populi mei?* (Heſt. 7.)

DEBET autem hæc oblatio fieri cum deſiderio dilatato, & fiduciali ſuper Dei pietate confidentia, & cum obſecratione & adiuratione pia, vt quidam docet Carthuſienſis.

Per { Sacramenti huius virtutem,
Dominicam vitam, & paſſionem,
Innatam Dei pietatem:

ET DEBET homo non parua & pauca; ſed ardua, & multa à Deo poſtulare; Magnifici eſt magna dare, & magnum magna dare decet. Et verè valde eſt ſperandum, quòd quicquid orauerimus, impetrabimus, ſecundum illud, *Quemcunque locum calcauerit pes veſter, veſter erit*: hoc eſt (ſecundum Bernardum) *Quantum deſiderare, & ſperare à Deo poterimus: tantum obtinebimus*. Talem dilatatam, & fiducialem mentẽ venerabilis Pater Arnoldus Buderie habebat, qui in, & poſt Miſſas talem oblationem faciebat dicendo. *Corpus, animam, carnem, & ſanguinem, vitam, & mortem offero tibi, vnigenite Fili Dei: tuumque ſacratiſſimum corpus, & animam, carnem, & ſanguinem, vitam, & mortem offero pro omnibus, & ſingulis iniquitatibus meis: & pro totius mundi peccatis: nec non & pro omnibus in purgatorio detentis, vultui Paterno. Et per hanc oblationem, & per huius Sacramẽti virtutem, te, clementiſſime Pater, ſupplex oro; quo mihi miſero, vili, peccaminoſo homuncioni hodie ſtipem aliquam tuæ pietatis impartiri digneris: conuertendo triginta tria millia peccatorum in mundo, & eripiẽdo: totidem millia animarum detentarum è purgatorio: cuique anno dilectiſſimi Filij tui millia impertiendo; qui ſe tibi in ara crucis, & nunc in hoſtia Altaris, eadem charitate offert, pro mortuis, & viuis, quorum tot annis peccatis ſeruiuit, vt ait Propheta.* (2. Reg. 19. — Deut. 11. — Oratiuncula. — Eſa. 43.)

O fons pater pietatis, Panem cæli reſpice:
Mirè placabilitatis, Holocauſtum ſuſcipe:
Quod pro donis, pro peccatis, offero Eccleſia.

MEMBRVM IV.

Maſticatio. Gradus IV.

VII. MASTICATIO, vel ruminatio, de qua Oſeæ c. 8. *Super vinum, & triticum ruminabunt*. Quapropter hic iam ponuntur duo gradus, quibus tota die poſt communionem eſt immorandum; quoniam horum omiſſio, vel maxima eſt cauſa, quare fructus Sacramenti non deguſtamus. Debet autem hæc maſticatio fieri,

Per { Dentes ſpiritua-les, / Similitudines reales, / Certas buccellas & portiones. } vt ſic { Conteratur, / Comedatur, / Sẽper ad manũ habeatur.

Verum quoniam in hoc gradu omnis vis, & fructus huius Sacramenti conſiſtit, & quoniam non omnibus eius practica patet: vt de eo latius, & plenius diſputetur, ſingularis ei titulus, aut tractatulus datur, & ideo de eo hic ſuperſedetur. Nihil enim proderit, imò oberit Sacramentalis ſacramenti huius manducatio: niſi ſubſequatur Spiritualis manducatio, & maſticatio. Vide plenius infra,

Des me Pater ruminare Sumptum cibum, gloriæ:
Quem dediſti manducare, nimis amatoriè.
Cuius fructum ſoles dare, Gaudia memoriæ.

MEMBRVM V.

Obſeruatio. Gradus V.

OBSERVATIO, de qua Exod. 11. *Ecce mitto Angelum meum*, (ſcilicet magni conſilij, Ieſum; Sequitur) *Obſerua eum, & audi vocem eius*. Is eſt poſtremus gradus; ſed non reliquis neceſſitate inferior, valde propter hæc excitandus. VIII.

Nil prodeſt, reus, aſſimilis, bona dat, benedicit.
Nihil enim proderit ſuſcepiſſe Dominum, niſi nobiſcum eum detineamus: imò *fiemus rei læſę maieſtatis*, ſi non dignè obſeruauerimus ſuſceptum, & dicetur nobis *Filij mortis eſtis vos, eo quod non cuſtodieritis regem Chriſtum Domini*. 1 Reg. 26

Et eſt is gradus neceſſario exercendus, *propter neceſſitatem: Turpius* enim *eijcitur, quàm non admittitur hoſpes*: Et prægrandis honeſtatis peruerſitas, dum venturo reuerentiam præbet, præſenti iniuriam offert: *Secundò propter vtilitatem*. Qui enim *ſeruat ficum, comedet fructum eius*. Exemplo nobis ſunt Matthæus, & Zacheus, ad quos Dominus ingreſſus, & dignè ab eis obſeruatus, ad magna eos promouit; Primum Apoſtolum & Euangeliſtam fecit; alterum filium Abrahæ. Sic & Obededon, quoniam dignè arcam Dei ad ſe introductam obſeruauit, fructum plurimum inde reportauit, quia benedixit Dominus domui eius. Eya igitur & nos his inducti, exceptum Dominum dignè cuſtodiamus, vt ſic læti cum ſponſa canamus, *Tenui eum, nec dimittam*: imò ſi abſcedere, & longius ire ſe finxerit; vim ei inferamus, & cum peregrinis cogamus dicendo, *Mane nobiſcum Domine, quoniam adueſperaſcit*. Gaudet enim vim ſibi talem inferri, & vult à nobis ſuperari, & deſiderijs teneri. Qui autem eum obſeruare volet ne ab eo recedat, hæc agat diligenter: (Prou. 27. — Matt. 9. — Luc. 19. — 2. Reg. 6. — Cant. 3. — Luca 24.)

Præcaueat, ſeruat, teneat, gratus, placitum fac.

Præcauens ne { Vitijs eum, aut peccatis offendat;
Alijs delectationibus intentus, eum non curet.
Propoſita dimittat; ſed omni diligẽtia ſeruet.

Digitized by Google

§. 1. *Obſeruatio ſui à vitijs.*

IX. PRIMÒ neceſſe eſt, vt *à vitijs præcaueat:* Non
1. Cor. 1. enim ſub eodem tecto morantur vitium, & Chriſtus, qui eſt virrus & ſapientia Dei. Et
Sap. 1. *Sapientia non habitabit in corpore ſubdito peccatis. Quę enim conuentio Chriſti ad Belial?* 2. Cor. 6. Vnde, qui poſt ſacram commuuionem peccata admittit, quaſi pugnis & lapidibus Chriſtum de domo cordis ſui ejicit. O quã hoc horrendum! ô quàm hoc præcauendum, Dominũ Ieſum qui tam dignanter aduenit, quòd tam inurbaniter & immanſuetè expellitur. Verè quiſquis eum ejicit de cordis habitaculo, excludetur ab eo de cælorum regno. Super cuſtodiam igitur noſtri ſtemus, imò & minima quæque, etiam cogitationum peccata, oportet vt deuitemus. *Aufert enim ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu,* Sap. 1. O dulcis Domine, quàm inhumanus & temerarius, qui tam manſuetum & ſuauem hoſpitem cogitatibus prauis excludit! O quàm infęlix & damnoſa cõmutatio, abacto creatore, cogitationes verſare immundas! illud etiam ſecretum paulò ante cubile Spiritus ſancti, quod gaudijs tẽdebatur cæleſtibus, iam porcis tradere conculcandum.

HVIVSMODI abuſum deplorat flebili tragœdia, magiſter & Dominus Petrus de Ayllia-co, dicens: *Adhuc in corde calent ſponſi veſtigia, & iam admittuntur adulterina deſideria.* Malè conueniens & indecorum eſt, aures, quę modò audierãt *verba, quæ nõ licet homini loqui,* 2. Cor. 12. tam cito declinare ad fabulas & detractiones audiendas. Lingua, quæ modò dulce Epithalamium cantauerat, ſponſam ſponſo recõ-
Cant. 2. ciliauerat, & in *cellam vinariam introduxerat;* iterum conuerti ad turpiloquia, ad ſcurrilitates, & ad concinnandos dolos & derractiones, & ſic de aliis. Abſint hæc à nobis Domine! Et ſi fortè reciderimus, præſta vt fortius reſurgamus.

VT AVTEM homo à Dei offenſis caueat, oporter quod de ſibi diffidens, Dei auxilium imploret, vbique & ſemper in Dei timore ſe conſeruet.

Scilicet	Exorando, Præſentiã attendendo, Super cuſtodiã ſtando, Dolendo,	Occaſiones deuitet & principiis obſtet, crebrı⁹ ſe examinet, & de commiſſis lugeat.

§. 2. *Obſeruatio ab alijs delectationibus.*

X. SECVNDO, debet præcauere, *ne alijs quibuſlibet delectationibus intentus*, incurius ſit ſuſcepti Domini ſui. Hinc oportet, quod homo ſibiipſi (vt Bonauentura docet) poſt communionem dicat, *Nolo poſt tam nobilem cibum alia ſtercora degujlare; & cùm iſte ſumma iocunditas ſit, nolo de cætero affici circa aliquam aliam creaturam.* Bernardus: *Sic eſt excipiendus, vt ſemper nobiſcum maneat.* Quantæ enim inſaniæ eſt, vt poſt tanti Regis aduentum, aliis quibuſlibet negotiis ſine neceſſitate aut obedientia homines velint, ſeu audeant occupari, & non magis omnibus omiſſis, ſoli eius cultui vacent? Valde enim inurbanum eſſet, magnum quempiam in domũ ſuſcipere, & ſuſcepto non loqui, nihil obſequij exhibere. Multo ergo amplius inhoneſtũ & indecens obliuiſci ſuſcepti Saluatoris. Quid quæſo eſt dementiæ, vt inuitatus ad delicatiſſimum conuiuium, ante ſtercoribus & cæno ingurgitet ſtomachum? Majoris tamen multo ſtultitiæ eſt, ſuſceptum Chriſtum negligere, & Exod. 16.
vanas conſolatiunculas velle amplexari; quas quamdiu inquiſierimus, tamdiu à ſapore mannæ, inſtar filiorum Iſrael, defraudabimur. Hi enim, quamdiu farinam Ægyptiacam habebant, manna non deguſtabant; *Anguſtum eſt* e- Eſa. 28.
nim *ſtratum, ita vt alter decidat,* ait Eſaias.

§. 3. *Obſeruatio propoſitorum piorum.*

TERTIÒ oportet, vt omnia', quæ nouerit N
Deo placita, perficiat. Placent autem ei poſt eius ſumptionem præcipuè iſta, & maximè ſunt eius conſeruatiua,

Scilicet { Deuota gratiarum actio, Familiaris conuerſatio, Diligens obſeruatio, Intima oratio. }

De GRATIARVM ACTIONE ſupra dictum eſt: Oritur autem ex

Conſideratione { Eius, qui venit, Noſtri, ad quos deſcendit, Fructus, quem attulit. } ¶

FAMILIARIS autem *conuerſatio*, (ſecundum Auguſtinum) *auſum parit, auſus guſtum, guſtus famem, fames contemptum omnium, contemptus ocium, ocium Deum.* Conſiſtit autem familiaritas,

In	Mutua viſitatione. Secretorũ reuelatione.	Scilicet	Sæpè corde ad eũ ſuſpirando. Eius auxiliũ & cõſiliũ poſtulãdo.

Hic ſolent aliqui habere quædam amica exercitia, tropo externorum ſumpta, vt dilectum ducere in hortum, ei cantare Epithalamium, & canere *alleluya* feſtiuum. Non eis fas Matt. 2.
eſt lugere, quãdiu ſponſus vult manere. Vnctio doceat te de his. TERTIVM eſt *diligens obſerua-* 1. Ioan. 2.
tio Domini ſuſcepti, vt ſcilicet ſtudeas, inſtar fidelis ſernuli, & cuſtodis Dominici,

Scilicet	Portas cuſtodire, Lectum ſternere, Cibaria miniſtrare, Pedes lauare,	puta	Sẽſus cuſtodiendo, Pacẽ cordis habendo. Voluntatẽ eius faciẽdo. Affectiones purgando.

QVARTVM eſt intima oratio, quę ſi lachrymoſa fuerit, Deum (vt aiunt) quodammodo cogit, ſecundum illud, *Et coegerunt eum,* ſcilicet Luca 24.
peregrini, *dicentes mane nobiſcum Domine.*

Noli à me Ieſu ire: Mane mecum Domine;
Fac me cuncta faſtidire, dempto tuo nomine;
Dona mecum te vnire, in vtroque homine.
O ſi poſſem te ſeruare ſemper in viſceribus,
Nil te præter cogitare, in cunctis operibus,
Corde, ore immolare, grates his muneribus!

Abbre-

Abbreuiatio ſcalæ.

CAPVT IIII.

VERBVM *abbreuiatum fecit Dominus ſuper terram.* Apoſtolus Rom. 9. Quod ſi Deus Pater, imbecillitati noſtræ conſulens, immenſum, coæqualeque ſibi verbum abbreuiauit: quanto magis pro conſulendis quorundam anguſtijs, humanum abbreuiandum eſt verbum? Hinc, quia longius in ſuperioribus, cauſis ex ſupradictis, verba deduximus; nunc verbum abbreuiatum eſt ponendum. O Sunt enim quidam tam anguſtę mẽtis, quibus omne multum impoſſibile videtur exercitatu; Sed hi teſtantur ſe mentalis latitudinis inſcios & inexpertos, quæ tanta eſt, iuxta quendam, vt omnis multitudo, ſaltem ordinata, quantalibet etiam ſit, facilis ei ſit complexu. Vnde & venerabilis Hugo docet omnem multitudinem ſummatim perſtringi, & certis & ordinatis punctulis complecti. Cuius doctrinam nos inſecuti, pro his, qui anguſtioris ſunt mentis, omnem ſuperiorem latitudinem, ſub ſeptenis (ſecundum ſeptem hebdomadæ Ferias) punctulis complexi ſumus, eademque certis temporibus deſignauimus, vt nullus maneat, ſi hæc non exercitentur, excuſationis locus, cum & certa & pauca punctula, & determinata tempora aſſignantur.

Age ergo ô tu paruulę & anguſtæ mentis, qui ſuperiorem multitudinem cauſaris; vel ſequentem abbreuiatam amplectere ſcalam; cui, ſi bene conſtans inhæſeris, tua mens dilatabitur, affluet cor tuum, & ſub illis paucis, omnem etiam ſuperiorem complecteris longitudinem. *Eſa. 60.* Talia enim ſunt hæc punctula, vt plurima ſub ſe comprehendantur, cùm tamen ſint vnum. Verbi gratia, in gradu excitationis, primus punctus pro excitando eſt, *Exemplum*, id eſt exemplaris informatio: Ecce vnus punctus ſufficiens paruulo ad excitamentum. P Sed ſi quis latioris mentis fuerit, vt hunc punctum profundet, vt genus in ſpecies euacuet, copiam multam inueniet ſub hoc meditationem dilatandi: Plura exempla Sanctorum, exempla ſæcularium, exempla gentium, & huiuſmodi; quæ quiſque pro ſuo captu mentis poterit dilatare, ſic & in cæteris eſt videre punctis. Patet ergo, quòd non ſit ſententiæ noſtræ, velle quempiam anguſtare ad vnum punctulum cogitandum; quippe cum cuique puncto tanta ſubſit copia, non igitur anguſtia; Sed conſulimus paruulis, qui non multa complectuntur, præcauemus pericula, quæ ex incerta multitudine & fluctuatione oriuntur; ne meditari volentes, tempore pariter, & fructu priueutur. Qui enim nullum habet certum ad meditandum punctum, prius tempore fraudatur, quã inueniat quid ſit meditandum.

Abbreuiatæ ſcalæ ſequentis modus eſt iſte. Nam homo, cui nimia ſunt, tradita ſupradicta; debet arripere ſcalam ſequentem; vbi de quolibet gradu vnus in dies traditur punctus meditandus; quem quiſque pro ſuæ latitudine mentis prolongare poteſt, aut ſuccidere. Q Verbi gratia: Eſto dies Lunę, vel ſecunda Feria ſit hodie, & cupit ſe quis præparare ſacræ Communioni, primum excitet animum ad ipſum, potiſſimum propter vnum illũ punctũ, ſcilicet *exemplum*, id eſt propter informationem exemplarem. Cuius meditatione, vbi fuerit excitatus, iam vt ſe præparet, præconſiderare in alio gradu, quid eſt quod agere debet. Videnſque tam arduum eſſe quod agere tentat; iam in tertio gradu, ſi impedimentis accedendi careat, ſe probet, ſicque ſingulos proſequatur gradus. Similiter & faciat poſt communionem.

SCALA COMMVNIONIS ABBREVIATA.

	Excitatio.	*Conſideratio.*	*Probatio.*	*Exornatio.*	*Inflammatio.*
	Primus gradus Scalę cõmunionis eſt, *Excitatio*, qua homo ſe incitat ad condignã præparationem, propter puncta indirecta ſubſequenti linea.	Secundus gradus eſt, vt *conſideret* quid debeat agere cum alijs conſiderandis.	Tertius gradus eſt, quo homo (iuxta Apoſtolum) *ſe probet*, ne ad iudicium manducet.	Quartus gradus eſt, & quintus, vt homo ſe *expurget*, & *adornet*.	Sextus gradus eſt, quo homo ad reuerentiam, & deuotionem ſe *inflammet*. 1. Cor. 11.
FER. 2.	*Exemplum.* Primò enim debet hominem inflammare ad ſe dignè præparandum, *Exemplaris inſtructio*, ſcilicet ſæcularium.	*Quid ages.* Primo conſidera, quia debes Deum latria colere, &c.	*Careas.* Primo probandum, ſi impedimẽtis careas, quæ ab acceſſu prohibent.	*Purges.* Primo debes te ornare, omnem ſcoriam peccati impuritatis expurgando.	*Simul altum.* Primo vt inflammeris ad reuerentiam & timorem Dei, conſidera Dei altitudinem & maieſtatem.
FER. 3.	*Scriptum.* Secundum excitamentum condignæ præparationis eſt, *Scripturarum* ad hoc crebra commonitio.	*Quem ſumes.* Secundo conſiderandum quis, qualis, & quantus ſit, quem debes ſumere.	*Quæſita.* Secundo proba te, ſi neceſſaria requiſita ad acceſſum habeas.	*Potens.* Secundo exornabis animæ potentias dignis ornamentis decorãdo.	*Quia dignum.* Secũdo, vt amplius inflammeris, perpende ſacramẽti huius dignitatem.
FER. 4.	*Suaſum.* Tertium eſt, Sanctorũ & Doctorum frequens *perſuaſio*.	*Parte Dei.* Tertio conſidera, quid te debeat inducere, & primo ex parte Dei.	*Signa.* Tertio vide, ſi ſufficientia deuotionis ſigna in te reperias.	*Et ſenſus.* Tertiò ornabis te, etiam ſenſuales vires ſub diſciplina coërcendo.	*Quia vilis.* Tertio, vt magis reuerearis, debes conſiderare tui vilitatem.
FER. 5.	*Perplacitum.* Quartum incitamentum ad dignam erga tantum Sacramentum præparationem, eſt, bonæ præparationis acceptatio.	*Sancti.* Quarto, conſidera inductiua ex parte Sanctorum, eorum, ſcilicet, gloriam, & honorem.	*Mundus.* Quarto, examina te, ſi illa ſeptem inuenias. ſ. ſi mũdus, ſi ſanus, ſi diſcipulus, ſi amicus, ſi filius, ſi eſuriens, ſi magnus.	*Virtuteq;.* Quarto, virtutum tapeta depẽdẽdo, ſcilicet virtutes Theologicas & cardinales exercendo.	*Cauſas.* Quarto, reuolue inſtitutionis cauſas & ratiocinia, ſcilicet, *Solatur, ſociat*, &c.
FER. 6.	*Iuſtum.* Quinto, quia dignè præparari ad Sacramentum, eſt *iuſtum, & dignũ*, propter eius altitudinem.	*Compatiens.* Quinto, conſidera proximorum viuorum vel defunctorum miſerias, pro eis offerendo.	*Agni.* Quinto, ſi diſpoſitiones in Agno Paſchali prę figuratas in te habeas.	*Paro cor.* Quinto, exornabis te in ſeptem exercitijs, in libro de Inſtructione cordis deſcriptis.	*Pietate.* Quinto, inflammeris, Chriſti clementiam & pietatem (quã nunquã vllum ſpreuit) cõſiderando.
SAB.	*Vtile.* Sexto, quia ſic pręparari *vtile eſt*. Cõſequeris enim fructus, quos impræparatus non experitur.	*Parte tui.* Sexto, inducũt nos quædam ex parte noſtri, ſcilicet infirmitas morbi, cõſcientia peccati, &c.	*Manna.* Sexto, ſi proprietates mannæ in te reperias, ſcilicet, *Si mane*, &c.	*Similis.* Sexto, ad ſimilitudinem quarũdam rerum te ornabis, vt vrna, domus, &c.	*Benefacta.* Sexto, vt inflãmeris, attẽde Dei beneficia, & qua illa contulit charitate.
DOM.	*Multa pericula.* Septimũ, quia ſummè neceſſarium eſt, quatenus declines indignè accedentium multa pericula.	*Opus.* Septimo, neceſſitamur ad acceſſum ex Dei inſtituto, Eccleſiæ præcepto, officij debito.	*Tumuli.* Septimo, *proba te*, ſi circunſtãtias & myſticationes de ſepulcro Chriſti in te inuenias.	*Veſteſq;.* Septimo, veſtes nuptiales à ſanctis cõcedi petẽdo, vt humilitatẽ ab angelis, &c. mititatẽ à Patriarchis, & Prophetis.	*Trahant hæc.* Septimo, attende acceſſus inuitatorios, fructus neceſſitatẽ, vel cauſas, quare frequẽtius accedendum.

Digitized by Google

SCALA COMMVNIONIS ABBREVIATA.

	Occurſio.	*Intentio.*	*Adoratio.*	*Inuitatio.*	*Sumptio.*
	Septimus gradus, quo homo venturo Domino per deſideriũ *occurrat*.	Octauus gradus eſt, quo iam acceſſurus oculũ intentionis *rectificet*.	Nonus gradus eſt, quo Sacramentum *adoret*, iuxta illud, *Adorato Domino epulaberis*.	Decimus gradus eſt, vt homo Deum ad ſe *inuitet*. Neceſſe eſt enim, vt ignis deſiderij præcat, quo ille eſt venturus.	Poſtremus gradus eſt *ſumptio* ipſa, quæ fiet ſubiecto modo. Deut. 26. Pſal. 96.
FER. 2.	*Audi.* Primo, vt ei deſideratiùs occurras, voces propheticas aduentum dilecti annũciantes audire debes.	*Sis credens.* Primo, intentio eſt dirigenda, vt deſideres accedere in firma fidei actuatione.	*Quid & eſt.* Primo actues fidem adorando Chriſti exiſtentiam, ſecundum deitatem, & humanitatem.	*Iudex.* Primo inuites Ieſum, vt veniat, ſicut miſericors iudex, & conſolator, reſpondens pro tuis offenſis.	*Reuerenter.* Primo reuerẽtia ſumptionis erit magna ad modum inclinationis tanquam Patri, maiori vt Domino, &c.
FER. 3.	*Reſpondens.* Secundo oportet, vt per deſiderium & gratitudinem Domino reſpondeas, per exclamationes inſraſcriptas.	*Humilis.* Secundo, in tuæ nihileitatis plena recognitione.	*Nomen.* Secũdo, actuãdo fidem de Chriſti nominatione, ſecundum deitatem & humanitatem.	*Medicus:* Secundo, vt veniat vt medicus ad ægrotum, & doctor ad illuminandam cæcitatẽ tuam.	*Sapienter.* Secundo cautè & ſapienter, vt ſcilicet diſcretè ſumatur.
FER. 4.	*Exi.* Tertio, oportet, vt ab omnibus obſtaculis exeas.	*Proponens.* Tertio, proponens vitam deinceps in melius mutare.	*Perfectus.* Tertio, ſecundũ attributa perfectionis, & dignitatis, & quod Saluator, Mediator, Redemptor, Sacerdos, Rex.	*Sol quoque.* Tertio, vt veniat ſicut ſol, tuas tenebras effugãs, & creditor ſoluens tuum debitum.	*Latè.* Tertio lætè, & iubilanter cum omnium creaturarum ad laudẽ cõuocatione.
FER. 5.	*Suſpirans.* Quarto, ſuſpirabis intentius, ſecũdum ſeptem genera ſuſpiriorum, *Occurrens, clamo*, &c.	*Iungas.* Quarto, in ſanctorum communione, eorum precibus & meritis te coniungendo.	*Communia.* Quarto, communia deitatis, ſcilicet, quod eſſentia prima, natura perfecta, vita beata.	*Rex.* Quarto, vt veniat inſtar Regis, te dignificans, ditans, glorificans, & merces magna cum ſacculo pecuniæ.	*Vt amanter.* Quarto ſumẽdus eſt affectualiter, vt dicas, *Ingredere benedicte Domini, cur foris ſtas?*
FER. 6.	*Mirans.* Quinto, occurras *admirando* Domini veniẽtis maieſtatem, & tuam vilitatem.	*Commemorans.* Quinto, in beneficiorum paſſionis, & charitatis Chriſti *commemoratione*.	*Proprium.* Quinto, actuãdo *propria* deitatis, vt quod filius Verbum, Imago, Mediator.	*Dominus.* Quinto, vt veniat, ſicut *Dominus ad ſeruum* nequãdãs præcepta ſalutaria, & exẽpla familiaria, in mõte aſpicienda.	*Bene velle.* Quinto. *beniuolenter;* vt ſcilicet ei cor extendatur, aperiatur, effundatur.
SAB.	*Quomodo.* Sexto, attende modum, & deſiderium, quo dilectus ad te veniet.	*Et exoptans.* Sexto, in deſiderij, & charitatis illius (quo Dominus hoc inſtituit) vnione.	*Propriataq́;.* Sexto, actuando appropriata, vt, quòd ſapientia, virtus, æqualitas.	*Sponſa.* Sexto, vt veniat, ſicut ſponſus te dignificans, veniens fœcundans, & ſit fons & origo omnis boni.	*Placenter.* Sexto, complacenter, cum *amore gratuito*, vt ſolus Deus placeat tibi. *Cum amore debito*, vt placeat.
DOM.	*Inſtar.* Septimo, inſtar perſonarum variarum, affectus earum in te tranſformãdo, vt reus, infirmus, oppreſſus.	*Rectificans.* Septimo, in recta & Chriſtiformi intentione, quod Chriſtus intendit, & in futuræ gloriæ prægustatione.	*Speculis.* Septimo, actuãda eſt fides deitatis ex Speculis, puta Scripturis, & rebus creatis.	*Pater.* Septimo, vt veniat ſicut *Pater filio prodigo*, occurrens cum oſculo & annulo, & vt ignem in amorem ſui accendat.	*Vt vigilanter.* Septimo vigilanter, confidenter, concupiſcenter, ſecundum ſeptem gradus Bonauenturæ.

Gratiarum

Digitized by Google

SCALA COMMVNIONIS ABBREVIATA.

	Gratiarum actio.	*Oratio.*		*Oblatio.*
	Qua pro ſuſcepto magnifico beneficio magnificè gratias agas.	Pro effectibus Sacramenti percipiendis, & vt irreuerentem ſumptionem tibi indulgeat.		Pro omnibus commiſſis, & tota Eccleſia,
FER. 2.	*Magnus.* Primo gratias age, quod tam magnus dator tibi hoc Sacramẽtum dedit.	*Viuificet.* Ora, vt te viuificet.	*Purget.* Ora, vt te purget.	*Tribulatio.* Offer prǫ tribulatis, *Sed libera nos à malo.*
FER. 3.	*Magno.* Secundo, quia magno affectu dedit.	*Deterret.* Secundo, vt dæmones deterreat.	*Pinguat.* Secundo, vt animã impinguet.	*Tentatio.* Secundo, pro tentatis, ne inducantur in tentationem. *Et ne nos inducas,* &c.
FER. 4.	*Paruo,* Tertio, quia paruo dedit, & viliſſimo.	*Succendat.* Tertio, ora, vt te ſuccendat ad amorem Dei.	*Vnum.* Tertio, ora, vt te vniat ſibi.	*Reprobis.* Tertio, offer pro ſceleratis, quo *debita eis dimittantur.*
FER. 5.	*Indigno.* Quarto, quia dedit indigno.	*Minuat.* Quarto, ora, vt minuat fomitem & inclinationem peccati.	*Fortem.* Quarto, ora, vt roboret te ad grandia.	*Egentibus.* Quarto, offer pro mendicis, *vt panem quotidianum* donet.
FER. 6.	*Nobile.* Quinto, quia nobile beneficium dedit.	*Reſtauret.* Quinto, ora, vt reſtauret deperditũ ſpirituale.	*Augens.* Quinto, ora, vt augeat gratiam, & virtutes.	*Errante.* Quinto, pro errantibus & infidelibus, vt *fiat voluntas* eius in eis.
SAB.	*Vtile.* Sexto, quia beneficium vtile dedit.	*Præſeruet.* Sexto, ora, vt à peccatis futuris te præſeruet.	*Luſtret.* Sexto, ora vt intellectum illuminet.	*Requiem.* Sexto, offer pro defunctis, vt eis *Adueniat regnum.*
DOM. 1. Reg. 26.	*Crebrum,* Septimo, quia crebrum, & multipliciter iteratum beneficium dedit.	*Glorificet.* Septimo, ora vt ad gloriam perducat.	*Dulcet.* Septimo, ora, vt cauſet guſtum dulcedinis diuinæ.	*Cunctiſque.* Septimo, offer pro omni ſtatu Eccleſiæ, *Sanctificetur nomẽ eius.*

SCALA COMMVNIONIS ABBREVIATA.

	Obſeruatio.	*Ruminatio nominum.*	*Ruminatio conſiderationum.*	*Ruminatio portionum.*
	Ne, ſcilicet ſuſceptum Dominum repellat, diligenter ſe obſeruet.	Qua ruminentur ſeptem principaliora Sacramenti nomina.	Qua ruminentur conſiderabilia de hoc Sacramento.	Qua ruminentur ſeptem Agni Paſchalis portiones.
FER. 2.	*Senſus.* Oportet, vt quinque ſenſus cuſtodias.	*Eucharis eſt.* Primum nomen dicitur Euchariſtia.	*Quæ præcedunt.* Prima conſideratio eſt de Sacramenti antecedentibus.	*Cum corpore carnem.* Prima portio eſt, caro, & corpus.
FER. 3.	*Iudæ.* Secundo, ne Iudę, & Iudæis aſſimileris.	*Rumino donum.* Secundo, rumina donum.	*Quæ ſubſtantia.* Secundo, rumina Sacramenti ſubſtantialia.	*Sanguine grandi.* Secunda portio eſt, ſanguis.
FER. 4.	*Bona valde.* Tertio, propter vtilitatem multiplicem quam inde conſequimur.	*Mando cibum.* Tertium nomen, eſt cibus.	*Quæ circunſtant.* Tertio, rumina circunſtantias inſtitutionis.	*Mens ſpiritus agni.* Tertia portio eſt, anima, vel ſpiritus.
FER. 5.	*Ora.* Quarto, obſeruabis eum oratione deuota.	*Nunc bibo potum.* Quartum nomen, eſt potus.	*Per miracula.* Quarta conſideratio eſt de Sacramenti mirabilibus.	*Et intima Chriſti.* Quarta portio eſt, inteſtina agni, id eſt, occulta Chriſti myſteria.
FER. 6.	*Caueto.* Quinto, caueas omne peccatum, & offenſam.	*Ecce ſynaxis.* Quintum nomen, eſt *ſynaxis*, id eſt, communio.	*Quis modus vſus.* Quinta conſideratio, de modo vſus, & aſſumptionis huius ſacramenti.	*Cum pedibus ſit.* Quinta portio, ſunt pedes agni, id eſt, opera humanitatis.
SAB.	*Placitum fac.* Sexto, oportet, vt quæ illi placita ſunt facias.	*Magna, ſed hoſtia.* Sextum nomen, dicitur hoſtia, ſiue ſacrificium.	*Dulcedo.* Sexta conſideratio eſt, de dulcedine Sacramenti.	*Lac lanaq; fructus.* Sexta portio eſt, fructus vel vtilitas Sacramenti.
DOM.	*Neceſſe.* Septimo, quia valde neceſſarium: *Filij enim mortis ſunt, qui non cuſtodiunt Regem.*	*Nunc ſacramentum.* Septimum nomen, dicitur Sacramentum.	*Proprium.* Septima conſideratio eſt, de contemplatione proprietatum Sacramenti.	*Deitas caput agni.* Septima portio eſt, caput agni, id eſt, Deitas.

Ruminatorij praxis,

TITVLVS SEPTIMVS.

SVPER *vinum & triticum ruminabunt*, Oſee 8. Quoniam in penultimo ſuperioris Scalæ gradu promiſimus nos latius & plenius de illo gradu, ſcilicet maſticationis, vel ruminationis acturos, propter cauſas illic commemoratas: ideò nunc promiſſi memores, votum abſoluemus, & ſingularis de illo titulus, qui Maſticatorium, vel Ruminatorium appelletur, eſt cōſcribendus. Eſt etenim hæc maſticatio aut ruminatio, vel vt plenius dicamus ſpiritualis mãducatio, adeò neceſſaria, vt ſine ea nihil, aut parum profuerit effeciſſe omnia quæ dicta ſunt in ſuperiori ſcala. Nam qui ſacramentaliter tātum ſumentes, ſpiritualiter non manducant, hi (ſecundū S. Thomā) *manducantes non mãducant*. Ita & è regione, qui ſpiritualiter ſacramētum illud ruminant; etiā *non mãducantes* (iuxta eundem) *manducant*: imo quandoque felicius ipſo celebrante, vel ſacramentaliter manducante, illud deguſtant. Fęlix itaque horum cōditio, & omni deuotione amplexanda, quibus ſemper ad manum eſt edere Chriſtum. Sacramentalis illa communio, quæ celebrando agitur, tempori & loco alligata, certis tātum perſonis permiſſa, formam ſeruare cogitur. Hæc
1.Tim. 1. verò ſpiritualis *de corde puro, fide non ficta*, nullā ætatē, nullū ſexum, nullū genus reſpuit; omni loco, omni tempore, commoda eſt. Illa ſæpè dānoſa, quia ſine iſta: ſed iſta ſemper fructuoſa & ſalutaris, etiam ſine illa. Spiritualiter itaque hoc ſacramentum noſtræ ſalutis edere diſcamus, vt eius fructus deguſtemus. Nam hæc potiſſima cauſa eſt, ait Ioannes de Turrecremata, quod effectus Sacramenti non recipimus, quia non dignè ruminamus.

Neceſſitas & praxis ruminatorij.

CAPVT I.

IMO & alia complura ad hoc ſunt inductiua:

Eſt gratum, ſuaſum, ſimul vtile, valde neceſſe.

PRIMO trahet nos huius exercitij gratioſitas & acceptabilitas: Eſt quippe Deo plurimum gratum, quod ex eo liquet, quod ruminantia
Leuit. 11. animalia cenſuit fore munda, & quod crebrius huius ruminationis, aut dentium, quibus ruminatur, meminerit in Scriptura. Hinc longè per Oſeæ præfatum elogium decantauit: Gutturque ſponſi *vinum optimum, dignum dilecto ad potandum, labijs, dentibusq; ad ruminandum* per
Cant. 6. & 7. Salomonem declamauit. *Dentesq;* ſponſæ ruminantis & maſticantis, ſub typo *gregum tonſarum de lauacro aſcendentium* commendauit. Liquet ergo quantum illud amet, quod toties commendat.

SECVNDO allicit nos ſuaſibilitas, quia à plæriſque perſuaſum. Suadet hæc Dominus ipſe Ieſus, qui integrum ſuum ſermonem de Euchariſtia, de hac ſpirituali manducatione Ioan. 6.
(vt expoſitores aiunt) contexuit. Suadent hoc Auguſtinus & Bernardus, & cæteri quique. Auguſtinus ait, *Crede, & manducaſti, vt quid paras dentem*, &c. Bernardus in epiſtola ad Fratres de monte, pulchrè de hoc diſſerit, ſuadens, vel vnam horam Dominicæ paſſioni dandam, quam commemorare, non eſt niſi panem vitæ comedere. Suadet hoc Franco Abbas de gratia, dicens, *Oportet fideliter accedentem, & piè ſumentem ſacramentum noſtræ ſalutis de ventre memoriæ cibum vitæ tanquā mundum animal ruminare, & ſurſum reuocare, ſi fructum recipere velit.*

TERTIO inducet nos *vtilitas*: Eſt enim valde commodoſum, omnes fructus communionis adducens. Præſertim ſpiritualis hæc manducatio tria hęc bona affert, (vt ait S. Thomas)

Scilicet { Peccatorum remiſſionem,
A morte ſanationem,
Chriſti participationem.

De primo Ambroſius dicit, *Qui manducant ſpirituale virtutem carnis & ſanguinis Chriſti dicūtur verè ſumere, & verè manducare: quia ipſam corporis Chriſti efficaciam quotidie ſumunt*, id eſt, peccatorum remiſſionem. *De ſecundo* Dominus Ieſus ait Ioan. 6 *Hic eſt panis, vt ſiquis ex ipſo manducauerit* (gloſ. ſpiritualiter) *non morietur*, ſcilicet morte ęterna. *De tertio* Aug. ſuper illud 1. Cor. 10. *Vnus panis & vnū corpus multi ſumus; qui de vno pane & vno calice participamus*, ait: *Nulli dubium eſt, tūc quemquam corporis, ſanguinisq; Dominici participem fieri, quando membrum Chriſti efficitur, nec alienari ab illius panis conſortio, etiamſi antequam panem illum edat, de hoc ſæculo in vnitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat. Quoniam illius Sacramenti beneficio non priuatur, quando in illo hoc, quod Sacramētum ſignat,* inuenitur.

HVIVS ſpiritualis manducationis fructum, quidam Doctor nouit; qui ſuper illo verbo Domini Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, ait: *Domini commemoratio, eſt ſpiritualis eius manducatio*, &c. Et poſt, *Libenter ergo Domine Ieſu tuam carnem pro me paſſam, tuum corpus pro me traditum, tuam animam, tuum animum pro me derelictum cōmemorabo, ſciens quod commemoratio, ſi frequens fiat, ſterilis non erit; Commemorando enim non ſolum promiſſione tua; ſed (quod longè dulcius ſapit) etiam dignatione tua præſentem te habeo. Quomodo enim tuū corpus pro me traditum verè manducabo, ſi non te præſentē, & hoſpitem habuero animæ meæ? Quod ſi tamen te dignantē, diuitem ac dulcem hoſpitem habuero. (Hæc enim omnia tu promittis commemoranti) quid nō maiora tuæ hoſpitalitatis dona ſperabo? Qui enim in te credit, habet vitā æternā. Et quomodo vitā æter-* Ioan. 6.
nam habet, ſi te non habeat? &c. Et infrà: *Quandocunque igitur te, Domine Ieſu, cōmemoro, te habeo locupletem hoſpitem, habitatorem tugurij mei. Neque iā vile mihi videbitur tugurium meū, quod Maieſtas tanta ſua dignatione honeſtat. Scio quoniā ex*

tugurio, & humili caſa, nobilem domum facies. Indignum enim tanto hoſpiti, non magnificè dignationis tuæ monimenta erigere. Dabis igitur, Domine non commemorare ſolum; ſed vt humile tugurium erigatur. Dabis pauperi hoſpiti, tuo conſiderare corpus tuum traditum; dabis dijudicare; dabis, ruminare, &c. Et ſubdit. *Dulce eſt in iſtis eſſe, dulce iſta ruminare, ſalubre, fructuoſum in huiuſmodi verſari; Hæc meditari dixi eſſe ſapientiam. Vere nulla iam deinceps mihi erit excuſatio, aliud quippiam præter te Dominum Ieſum, ac te crucifixum cogitanti, aut commemoranti, præſertim ſcienti quantus te cogitantium fructus comitetur. Quid eſt, quod dico? Imò ſcienti, quantus tu cum quanto fructu adſis cogitanti.* Et in alio loco. *Quicunque igitur exiguo labore magnos fructus mereri cupit; quo poterit vtilius, quam ad iſtud ſaluberrimum conſilium confugere, vt crebro aſſueſcat commemorare corpus hoc, & carnem hanc pro ſe traditam? Nulla mihi videtur via propior, breuior, rectior ad beatã illam ſortem, &*
Luca 6. *optimã partẽ Mariæ ſororis Marthæ, ſedentis ad pedes Ieſu, & audientis verbũ illius, & ſuauiter haurientis & bibentis, ex ore illius, quã ſedulo cõmemorando Dominũ Ieſum.* Et infra. *Qui facit hoc in*
Pſal. 14 Pſ 126. Exod 23. *commemorationem huius magni Sacerdotij, non commouebitur in æternum, non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta, non apparebit in conſpectu Dei vacuus; vtpote, qui tantas oblationes offert omnis generis. Qui ſic manducat habet iam fructum ſacramentalis manducationis intus; quemadmodum Paulus primus Anachoritarum, & plurimi poſt illum, etiam ſine ſacramentali foris manducatione.* Et hæc de vtilitate.

Porrò de NECESSITATE, quod ſcilicet ſpiritualiter ſacramentum illud ruminare ſit neceſſarium; ſatis iam ſupra actum eſt. Nam de ſpirituali manducatione verbum illud, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & bi-*
Io. 6. *beritis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, vt ipſe textus cogit, eſt intelligendum. Nam, qui ſpiritualiter non ruminat, etiam ſacramentaliter manducans non manducat, vt ait Ambr. Cuius conditio nimis infelix: cui nimirum illud Sapientis congruit. Eccli c. 6. *Eſt & aliud malum, quod vidi ſub ſole, & quidem frequens apud homines, Vir cui dedit Deus diuitias, & ſubſtantiam, & honorem, & nihil deeſt animæ eius ex omnibus, quæ deſiderat:*
Mirandũ planè, & miſerandum. *Nec tribuit ei poteſtatem Deus vt comedat ex eo; ſed homo extraneus vorabit illud.* Quia ſæpè ſimplex vetula deuotius venerandum hoc ſacramentum comedit, quam doctus torpens Religioſus. Quiſquis igitur ſacramenti fructum voles percipere: Quiſquis Chriſti præcepto parere, vita ſpirituali viuere, & non mori; ſtude ſpiritualiter hunc panem vitę ſumere, & ſumptum ruminare.

§. I. *Quid ſit ſpiritualis manducatio, & qui dentes.*

IV. VErum ne ex ignotis procedamus; & vt practicam quandam huius maſticationis ſpiritualis, manducationis, & ruminationis habeamus; quædam ſunt hic inquirenda, & notatu digna.

ſcilicet { Quid ſit ſpiritualis manducatio? Qui dentes, & inſtrumenta eius? Quę denique practica, & modus? }

DE PRIMO *notandũ*, quod ſumptio corporis Chriſti dicitur mãducatio, ſimilitudinariè, ſumpta à manducatione reali. Nam ſicut manducatio realis eſt, quando cibus corporeus ab animali ſumitur, atque per vires animales corporeas guſtatur, dijudicatur, atque (ſi opus eſt) maſticatur, & conteritur, deinde in ventrem traijcitur, & inibi per calorem naturalem digeritur; atque tranſmutatur; donec ſufficienti digeſtione, ipſi alendo aſſimiletur, & ſic tandem in naturam, & ſubſtantiam ipſius cõuertatur: Sic ſpiritualis manducatio dicitur ad ſimilitudinem prioris; quando ſcilicet ſpiritus Similitudo. aliquod appetibile, ſiue amabile ſibi ſpiritualiter aſſumit per deſiderium; ſiue concupiſcentiam; & guſtat illud, atque dijudicat per delectationem, ac diſcretionem; maſticat, & conterit per diligentem examinationem; & deinde in ventrem memoriæ, atque affectus traijcit per amoroſam tentionem, ruminationem, immerſionem, atque ſerioſam inhæſionem; Inibi quoque per calorem ſpiritualis charitatis, atque deuotionis digerit, tranſmutat, & conuertit, non cibum in naturam ſui; ſed ſe ſpiritualiter (ſi dicere fas eſt) in naturam cibi; donec vnum fiat cum eo. In hoc enim vltimo (vt Henricus de Haſſia ait) alimentum ſpirituale, differt ab animali; eo ſcilicet quod iſtud intranſmutatum permanens, ſumentem aſſimilat ſibi: Aliud vero tranſmutatione media, fit ſimile finaliter aſſumenti. Eſt enim *amor extaſim faciens*, conuertens amantem in amatum: non vtique in vnitatem naturalem, quia vna natura non fit alia; ſed in vnitatem ſpiritalem. quia fiunt vnus ſpiritus, & vna voluntas: ſic quòd quicquid vult ipſum amatum, hoc idem vult, & ipſe amans. Hinc Dominus dixit Auguſtino, *Creſce, & manducabis me, nec tu me mutabis in te, ſicut cibũ carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.*

Pro ampliori huius ſpiritualis manducationis intellectu, *notandum* eſt, quod ſpiritualis manducatio, nil aliud eſt, quam effectus Sacramẽti participatio, ſcilicet vnitatis corporis myſtici. Sumentiũ autẽ ſpiritualiter triplex eſt gradus, (vt ait Ioannes de Turrecremata.)

Scil.	Communis,	& eſt	Fidei charitate Deo adhærere,
	Proprius,		Ex meditatione Chriſti deuotionẽ percipere.
	Propriiſſimus,		Chriſto adhærere, & deuotionẽ habere cum deſiderio ad Sacramẽtũ.

Et talis effectus conſequitur Sacramenti, etiãſi actu non accedat. Vnde liquet, quod non quicunque Chriſtum manducat ſpiritualiter, hoc Sacramentum ſpiritualiter manducare eſt dicendus. Spiritualiter enim Chriſtum manducat, qui fidem, & deuotionẽ habet ad Chriſtum, etiam ſine ordine ad hoc Sacramentum: Ille vero Sacramentum ſpiritualiter manducat qui fidẽ, & deuotionem habet ad Chriſtum

cum deuotione, & deſiderio ſumendi hoc ſacramentum, ſi diſpoſitus eſſet, de qua infra plenius agitur.

§ 2. *Qui ſint dentes & inſtrumenta ſpiritualis manducationis.*

SED iam, qui dentes, quæ inſtumenta huius ſpiritualis maſticationis ſint videamus. DENTES, quibus hic cibus eſt maſticandus, ſunt ratio, ſiue intellectus, & *affectus fide*, & deuotione, & alijs luminibus virtuoſis illuminati. Qui quanto profundius poſſunt, in hunc cibum agendi ſunt, & figendi, vt ſic copioſior ſapor exprimatur. Horum autem dentium fixiones, non ſunt, niſi profunde de hoc ſacramento meditationes, & deuotæ affectiones. Ex his duplices liquet eſſe dentes:

Sunt enim dentes { Caniculi, Intellectus { Speculatiuus, Practicus,
Sunt enim dentes { Molares, Affectus, { Speculatiuus, Practiuus,

Non enim ſatis eſt infigere dentes caniculares; ſed oportet, vt etiam infigantur, & molares, vt Henricus Conſueldiæ ait. De inſtrumentis autem, & organis, quibus is cibus eſt aſſumendus, pulchrè quidam ait. Quoniam (inquit) manducatio hæc interna eſt, vbi non ſunt, niſi mens, intelligentia, & voluntas; confeſſe patet, quod & dentes hæc ſunt, & inſtrumenta, quoniam ſcilicet ita circa Verbum carnem factum, ita circa Deum hominem factum, circa opera, ſtudia, dogmata, exempla, pręcepta, beneficia, promiſſa verſentur; quemadmodum os, fauces, & ſtomachus exterior, circa epulas negotiantur. Sicut enim illa accipiunt, maſticant, guſtant, ruminant, delectantur, probant, approbant, acceptant, & in ventrem traijciunt, nutriuntur, confortantur, roborantur ad opera vitæ; Sic nobis in interiore homine, caro illa per verbum æternum, in vnitatem perſonæ aſſumpta, in eius operibus, & ſtudijs, in eius dogmatibus, & exemplis, in eius Sacramentis, præceptis, & muneribus, & promiſſis; mente ſedula meditanda, tractanda, conſideranda, conferenda, conſeruanda; ſic per intelligentiam exercitatam dijudicanda æſtimanda, ſublimanda, exaltanda pro ſua dignitate; ſic nobis tota voluntate deſiderāda, concupiſcenda, anhelanda, deligenda, amanda, languido amore quærenda, inuocanda. Ecce hæc inſtrumenta. Neque formidet (qui ſic manducat carnem filij hominis) mortem interioris hominis; quia vita illius hominis, quæ verè ſpiritus, & vita eſt, fiet hominis illius ſic manducantis, & ſpiritus quoque vnus fiet. Quia talis manducatio carnis, & ſanguinis illius, tam accepta Deo eſt, vt ſimul cum ea ſpiritus, & vita, donentur manducantibus. Hæ prædictæ vires ſunt dentes, ſuper quorum cōfractione lamentatur Hieremias, dicens. *Confregit ad numerum dentes meos, cibauit me cinere.* Vbi Albertus, *Diabolus* (inquit) *ſpiritualis manducationis neceſſitatem, & vtilitatem conſiderās, ruminationis dentes, affectum, ſcilicet, & intellectū obtundit, vt homo Sacramentum hoc ruminare non curet, & tandē cinere, i. amore cupiditatis animam cibat; alia, videlicet ſemina, quæ ager Dominicus minimè germinauit, immittens ruminanda. Vnde tandem homo in nauſeam, & irreuerentiam huius Sacramenti venit, more Iſraeliticæ plebis, ſuper cibo leuiſſimo nauſeantis.* O nauſeam, ô cibum leuem! Caueamus itaque, ne dentes hi cinere cibentur, ne fluxu temporalium inquinentur, ne in tanta incidamus mala. Et hæc de dentibus, & inſtrumentis.

Simile. Io. 6. Thre. 3. Num. 21.

§ *De practica, & modo ſpiritualis maſticationis.*

IAM DE PRACTICA, & modo ſpiritualis manducationis eſt inquirendum. Vbi notandū, quod is modus ex carnali manducatione poterit coniectari; vt ſcilicet idē ordo, & iidem gradus in ſpirituali, ſicut & in materiali conſeruentur. Concurrunt autem hæc ad mãducationem, vt colligitur ex diuerſis Quæ ponimus per gradus, P.

Diſpono, ſimul eructo, tum, maſtico, guſto.
Surgens, defero, & vnitus, poſt rumino ſemper.

Gradus primus.

PRÆDISPOSITIO qua te comeſtioni pares:

Videl. per { Eſuriei excitationem, Palati diſpoſitionem, Buccellæ certæ aſſūptionem, } ſci. { Excuſſione, Oratione, Ordinatione.

Oportet enim vt homo *primo Eſuriat*, deſiderium, ſcilicet in ſe excitando, & ardenter Chriſtum deſiderando: vnde Iobus c. 31. *Si non dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus eius, vt ſaturemur?* quaſi optabant, & deſiderabant ſatiari. Eccli. c. 2. *Qui edunt me adhuc eſurient*, & Dauid, *Domine ante te omne deſiderium meum*, vt ſcilicet ſpiritualiter poſſim te manducare. Nec enim vult cibus iſte contemptum, ſicut nec manna faſtidium. Vnde inanes dimittit diuites: ſolos replens eſurientes. *Secundo* oportet, vt homo *palatum mentis diſponat*, affectum, ſcilicet per orationē ab alijs diſtractionibus expurgando. Palato enim non ſano pæna eſt panis, qui ſano eſt dulcis. *Tertio*, qui volet bene refici, oportet vt *certum aliquem morſellum aſſumat*, cui maſticādo intendat, ne multitudine obruatur. Verū, quia hæc ruminatio, vt plærūq; poſt ſumptionem cibi peragitur, imo oportet, vt more mūdorum animalium, cibus rurſus eructetur; Ideo ſequitur,

Pſal. 37. Luca 1. Deut. 14.

Gradus ſecundus.

ERVCTATIO, ſcilicet, qua ſurſum diuinum epulū trahas, quod ſumpſeris commemorādo, & fidē actuando; vt ſic mundū animal cēſeare, & vt cū propheta dicere poſſis, *Eructauit cor meum verbum bonū.* Verum quoniā cibus iſte, manna eſt abſconditum, non mox quibuſlibet ſui afferens ſaporē; hinc qui huius dulcedinem guſtare volet, oportet, vt deuotionis dentibus conteratur, & maſticet illum. Hinc ſequitur,

L. Pſ. 44. Apoc. 2.

Gradus tertius.

MASTICATIO, qua portionem conſideres,

Quæ fit { Cōſideratiōne, Diuiſione, Attentione, } portionis, quæ proponitur.

Eſt autem hæc *maſticatio* (iuxta Albertum) frequens reditus mandibularum, aut dentium, ſuper idem diuidendum. & atterendum; ſignans iuxta eum, meditationē mentis; M. Maſticatio quid.

quæ

Digitized by Google

quæ nihil aliud eſt, quam frequens reditus mentis, & rationis, ſuper cibum ſpiritualem, cogitatione, deuotione, & affectu mentis, vt ſcilicet bene conſideretur, quid, à quo, in quo effectu, & propter quid accipitur. Debem autẽ (vt S. Thomas docet) totum Chriſtum ſpiritualiter maſticare; caput ſcilicet, & corpus cogitare; vel membra,

Scil { Noſipſos, Sanctos, & eorum vitã. Chriſtũ, & eius benefici. } diiudicando, pertractando, ruminando, } ad { Gognoſcendũ, Imitandum, Gratias agendum.

Deut. 14. *Exod. 12.* Hinc ſcriptum eſt, *Omne, quod mundum eſt, comedite.* Itemque. *Caput cum pedibus vorabitis.* Poſt maſticationem ſapor diffunditur: Vnde recte ſequitur

Gradus quartus.

N. DEGVSTATIO, qua deguſtes: de qua Pſal. 33. *Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* Et Eſaias c. 55. *Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra,* id eſt dulcedine ſaporis. Et hoc,

Fiet { Dijudicando, Conferendo, Approbando } ſcili. { Quem ſaporem gignat. Quomodo alijs præſtat. Vt illud magnifices.

Debet enim homo diligenter *diiudicare*, quem ſaporem percipiat; multiplex eſt enim ſapor huius cibi: Omne enim delectamentum, & ſaporis ſuauitatem omnem in ſe habet, vt dicitur *Sap. 16.*; Et, *mel, & lac ſub lingua eius, & eius ſpiritus ſuper mel dulcis* *Cant. 4: Sap. 16.*, vt infra patebit. ti. 7, c. 6. Quod ſi ſaporem nullum perceperit, cauſam inueſtiget, & emendet ſi poteſt. *Secundo debet aliis conferre*, & quomodo præſtat conſiderare & dicere cum Sapiẽte *Prou. 3.* Omnia, quæ deſiderantur, huic non valent comparari. *Tertio debet cibum hunc magnificare*, & cunctis præferre exclamando: *O quam magna multitudo dulcedinis tua*, &c. *Pſal. 30.* Poſtquam eſt deguſtatum oportet, quòd intus trahatur: & ſequitur

Gradus quintus.

O PVRI ſuctio, de qua Eſaias c. 66. *Declinabo in vos, quaſi flumen pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam gentium ſurgetis.* Et infra; *Vt ſugatis, & impleamini ab vberibus, conſolationis eius.* Et eſt, qua inſtar ſuctionis realis (qua per venas nutrimentum iam ſubtiliarum, & depuratum ſugitur) mens ſugat, id eſt, Chriſto intime incorporari optet; ita quod is gradus fiet deſiderando, & optando incorporationem Chriſti. Poſtquam cibus ſic eſt attractus, oportet quod ſingulis membris deferatur. Ergo ſequitur,

Gradus ſextus.

P *Sap. 7.* DELATIO, de qua Sapiens, *Per nationes in animas ſanctas ſe transfert.* Et eſt, qua, inſtar realis, ſiue corporalis delationis, ſingulis animæ viribus, & potentijs, cibus iſte, prout eis congruit, defertur. Et fit oratorio, & obſecratorio modo, vt ſcilicet oretur, & obſecretur per Sacramenti virtutem, Vt is cibus,

In { Ratione, Voluntate, Memoria, Cõcupiſcibili, Iraſcibili, Senſibili, Tota Anima, } fit { Claritas lucis, Feruor pietatis, Cõſeruatio boni, Deſideriũ optimi, Dedignatio peccati. Imaginatio Chriſti, Dulcedo ſpiritualis cibi.

Sic cibo delato fit digeſtio, & aſſimilatio; non quidem cibi ad cibarum, vt in reali, & corporali manducatione; ſed cibati ad cibum, & hoc congrua ratione: *tum quia* cibus ſpiritualis, eſt dignior materiali; *tum quia* in ſua natura ſtabilior, nos enim mutabiles ſumus, Chriſtus vero immutabilis eſt. Hinc ſequitur,

Gradus ſeptimus.

VNIO, vel vnitiua aſſimilatio; De qua, *Qui adheret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo.* *1. Cor. 6.* Q Cum enim virtus huius cibi, & conditio ſit, manducantem conuertere in ſe; homo quadam aſſimilatione, & participatione totus efficitur diuinus; Vnde Euangeliſta, *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* *Io. 1.* Et quoniam ſimilium facilis eſt coniunctio; imo huic annectitur incorporatio, & vnio, quæ eſt nexus amoris, quo amans tranſit in amatum, & homo fit quodammodo Deus, eius vita viuens: Qua vita quiſquis viuit, magna profecto in terris noſtris Dei imago erit; Potens, alacer, fortis, promptus, expeditus, lætus, ad omne opus bonum, ſapiens, intelligens, prudens, circumſpectus, prouidus, aſtutus in omni veritate ſalutari, Amans, cõfidẽs, ſecurus, ſperans, ſpectãs, exultãs, deſpiciẽs, contemnens, paruipendens, multifaciens, ſtabilis, ſerenus, ſibi cõſtans, nihil extra quærens, intra ſibi ſufficiens. An hic homo tibi non paruus quidam Deus videtur? & beatam etiam in terris vitam agere? Et hæc omnia diuinus operatur amor, & iſta Euchariſtia grandis. Sed vt munda animalia ſimus, ſupereſt adhuc vnus gradus,

Gradus octauus.

IVGIS RVMINATIO: De qua illud Oſeæ, *Oſea 8.* R vt ſupra, *Ruminabunt ſuper tritico, & vino.* Et eſt, qua, non ſolum vno tempore praxi prædicta, cibum hunc vitæ manducemus: ſed qua continuè ſuauitatem eius eructemus, &

In { Conſideratione. Gratiarũ actione, Obſeruatione, } tanti Sacramenti tota die perſiſtemus.

His modis, qui cibum hunc manducauerit, vita viuet, & mortem non guſtabit in æternum. *Io. 6.*

§ 4 *Compendioſior practica ruminationis tanti Sacramenti.*

S SEd quoniã forſan aliquibus practica data, prolixa, & difficilis exercitatu videbitur; ideo oportet faciliorem deducere in medium. Bernardus manducationẽ hanc deſcribens ait. *Corpus Chriſti ſpiritualiter manducare, eſt paſſionis & redẽptionis eius beneficia attentius recolere, ad ſumendũ ſuauiter in conſcẽtia, & recolendũ*

cùm tempus ſe obtulerit, eſt agendum; erit, exoluere grates. Quæ gratitudo, ſecundum Bonauenturam fiet vigilanter, lætanter, beniuolenter.

Propter { Beneficiorum vtilitatem, Donorum pretioſitatem, Dantis liberalitatem. } Et { Te excitãdo, Creaturas cõuocãdo. Sanctos orando.

Et vt homo ad gratitudinem hanc amplius inflammetur, debet diligenter perpendere beneficij aggrauamenta, quæ ſunt,

Commendat donum ſi nobile, & vtile, crebrum:
Si magnus, magno, paruo donet, vel inepto.

Hæc plenius proſecuta infra in beneficiario: Strictim tamen hic aliqualiter tangenda. PRIMÒ, ſi magnus ſit dator, & magnæ dignitatis: Et ecce eo nihil melius cogitatur. *Secundo*, ſi magno affectu dat, & certum eſt, quòd charitas eius ſupereminet omni ſcientię, adeò quod à nullo ſenſu poteſt cogitari. Nónne hoc Sacramentum inſtituturus dixit Lucæ 22. *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum? Tertiò*, circa accipientem videndum eſt; ſi vilis, ſi paruus, & contemptibilis, cui beneficium præſtatur. Et, quid eſt homo, niſi puluis, cinis, & putredo, &c. Iob 13. *Quartò*, ſi indignus & immeritus beneficiis tantis. Et inuenies, quòd nec dignus ſuſtentari à terra; ſed mox demergi ad inferna. *Quintò*, circa ipſum beneficium, conſiderandum ſi in ſe ſit nobile, & pretioſum, & videbis, quod nobilius nihil in cælo, aut in terra, cuius patet nobilitas ex multis, vt ſuprà declaratum eſt. *Sextò*, attende, ſi ſit beneficium accipienti vtile, & commodoſum. Quid autem vtilius hoc Sacramento, quod & regnantibus in cœlo, degentibus in terra, detentis in purgatorio, vtile inuenitur? *Septimò*, ſi beneficium ſit neceſſarium, multiplex, & ſæpe iteratum. Patet eius neceſſitas Ioan. 6. *Niſi enim manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, &c.* Sæpe iteratur, quoties, ſcilicet, accedere volumus, ſemper ſe prõptum offert. Quoties igitur non offert, toties dat.

Sunt autem & gratiæ agendæ pro eo.

Quod { Tantis myſteriis te intereſſe voluit. Tantis Sacramentis te refecit.
Pſal. 20. Tãta dulcedine ſpirituali te præuenit. }

Nam (iuxta Bonauenturam) *cùm homo dulcedinem aliquam percipit, gratus erit; totaliter hoc diuinæ pietati aſcribens; quæ ſe etiam ad malos extendit; & in corde ſuo dicet, In me Dominus mirabilia ſua operatur ad deteſtationem miſeriæ meæ, & ad conuincendum beneficijs ſuis iniquitatem meam magnam. Nam me moriturum fecit ſentire diuina; & vermem viliſſimum fecit cæleſtia deguſtare. Si mihi peccatori talia fecit Dominus: quid putas, faciet, ſi correxero vitam meam.* Hæc ille. Practicam autem & modum gratias agendi habes in beneficiario infra. Si autem nullam ſenſerit refectionem, miſeriam ſuam cognoſcat, & ſtudeat mutare vitã; Non tamen nimis anguſtietur, ſciẽs quod
Nota. hoc pluribus etiã alijs ex cauſis euenire ſolet, vt patet de dulcedine Sacramenti. Imò nec ſaporem quærat (ſecundum Vincentium) reputans ſe gratia tali indignum; ſed fiducialius ſe Deo committat, & pro effectu oret ſacramẽti.

Eya Ieſu adorande, Dator panis gratiæ,
Mille grates ammirande, Bono Euchariſtiæ,
Qua me hodie amande, Repleuiſti ſatie.

MEMBRVM II.

Oratio. Gradus ſecundus.

ORATIO, de qua Dominus Lucæ 11. *Petite, & accipietis*; Quæ debet humiliter, confidenter, inſtanter fieri,

Scilicet vt { Irreuerentem ſumptionem indulgeat, IV.
In æternũ nobiſcũ per gratiã maneat,
Suos effectus in nobis Sacramentum efficiat. }

Vt ſcilicet dicamus, { Indulge admiſſam irreuerentiam. Mane mecum Domine, per gratiam. Effectus tuæ virtutis ſentiam. }

Qui autem, & quales ſint effectus petendi, Guillelmus Pariſienſis deuotè commemorat hoc modo. *Quemadmodum* (ait) *aqua baptiſmalis eſt vera regenerationis Sacramentum; ſic vera Chriſti caro acceſſu diuinæ virtutis, quæ ab ea nunquam recedit, fit ſanctificationis ſacratiſſimum inſtrumentum, ac dignè ſumentibus ſacræ refectionis adiumentum; quæ virtuoſiſſima eſt propter Dei ſapientiam, & Dei virtutem, cuius eſt ipſa veſtimentũ. Nempe ſi veſtis S. Ioannis Euãgeliſtę, ex cõtactu ſui corporis id virtutis obtinuit, vt per manũ Ariſtoboli adhuc increduli, tactu ſuo tres mortuos ſuſcitarit; quid de hoc veſtimento Dei omnipotentis, id eſt, corpore Chriſti, pia fides edocet ſentiendũ? Si Petri Apoſtoli baculus, ex attactu Petri aſſequi potuit, vt tactu ſuo mortuũ ſocium B. Martialis Lemonicenſis ſuſcitaret, & vſque in præſens dæmones expellit, quid de ſacratiſſimo Chriſti corpore ſentiẽdũ? Si Chriſtus Dominus tãtas virtutes corporibus atque reliquijs Sanctorum largitus eſt, imò oſſibus eorum, & pulueri; quomodo non maiores virtutes dedit carni ſuæ, vnitę diuinitati? Si fimbriæ veſtimenti ſui hoc tribuit, vt eius attactu Emoroiſſa ſanaretur, imo omnes, qui tangebant eã, curarentur à languoribus: quid inæſtimabilis poteſtatis credendus eſt ſuo corpori contuliſſe? Si carni, ſeu pinguedini ſerpentinę, de qua theriaca conficitur, conceſſit virtutem effugandi venena, quanto fortius ſuæ carni virtutem præſtitit eijciendi animarum venena, id eſt vitia & peccata, & omnia tentamenta? Si ligno vitæ vim perpetuandi vitam contulit in Paradiſo: quomodo non caro vitæ cuncta viuificet? Præterea ſi hanc virtutem dedit herbæ Peonis & Iaſpidi, vt phantaſmata fugaret, itemq́ dæmonia: ſi poteſtatem illam dedit verbis exorciſmorum, vt dæmones arceant & ligent, &c. quomodo non Verbum æternum carnem, quam aſſumpſit, his & alijs virtutibus magis illuſtrauit? Nonne ipſe Smaragdo impreſſit hanc vim, vt lætitiam operetur in animabus geſtãtium ipſum? Lapidi quoque bufonis, vt expellat triſtitiam: & lapidi topazio, vt temperantiam ab ardore libidinum donet, ac adamanti, vt gratioſitatẽ inducat in geſtante? & quomodo non mirabiliora in carne ſua operabitur? Vnde beatos reputamus eos,*

Matt. 9. Luca 6. Gen. 5.

qui tam diuinæ excellentiæ Sacramentum tota deuotione ſuſcipiunt. Hæc ille. Quæ comprehenduntur hoc verſiculo,

Si lignum, veſtis, baculus, caro, ſimbria, ſerpēs.

Hæc omnia poſuimus, vt homo poſt ſumptionem, in hoc gradu orationis, pro effectibus orans, ſtudeat huiuſmodi argumentis petitionem ſuam confirmare.

Sed iam particulariores quidam effectus ſunt aſſignandi, quos ponit Ioannes de Turrecremata, & Leonardus, & Gerſon, aut alij Doctores.

Viuificat, purgat, minuit, quoque roborat auget.
Reſtaurat, luſtrat, præſeruat, terret, inarrat.
Dulcat, & impinguat, calet, vnit, gaudia tutat.

PRIMVS effectus eſt, quòd *viuificat animas:* Credendum eſt enim (ſecundum ſanctū Thomam) quòd, ſicut filius Dei veniens in mundū mundo contulit vitam gratiæ; ita & in hominem ſacramentaliter veniens, vitam gratiæ operatur, iuxta illud, *Qui manducat me, viuet propter me*, id eſt per me. Ioan 6 Hinc (ſecundum Auguſtinum) *Vitale* dicitur *alimentum*. *Pſal.118.* Clamet igitur cum Pſalm. *Propter eloquium tuum viuifica me.*

SECVNDO *purgat peccata*, ſaltem venialia; Mortalia quoque tribus modis: *Primo*, in eo, qui cum mortali accedit; cuius tamē nec conſcientiam, nec affectum habet. *Secundo*, in eo, qui ſufficienter contritus non fuit; ſed tamen reuerenter accedit. *Tertio*, dando robur mortalia vitandi. Ora igitur cum Pſalm. *Pſal. 50.* *Amplius laua me ab iniquitate mea.*

TERTIÒ, *Minuit fomitem* & ſtimulum carnis, & alios affectus inordinatos; quemadmodum calor ignis remittitur per infuſionem aquæ. Bernardus: *Duo iſtud ſacramentum in nobis operatur; vt ſcilicet minuat ſenſum, & in grauioribus peccatis tollat omnino conſenſum.* Hinc ſpōſa Cant. 1. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi;* Sicut enim myrrha conſeruat corpora à vermibus, ſic Chriſti corpus corda fidelium à prauis affectibus. Hoc Apoſtolus nouit, quando exclamauit, *Rom. 7.* *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Sibiq́ue reſpondens, ſubiunxit: *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum*. Et vbi? & quæ gratia? ſi non Euchariſtia?

QVARTÒ, *Roborat* cor humanum ad grandia agenda, quemadmodum cibus corporalis fortificat ad laborem; ſecundum illud Gen. 18. *Ponam buccellam panis, & confortabitur cor veſtrum.* Pſalm 103. *Panis cor hominis confirmat.* Hinc Iſaac de Iacob Gen. 25. *Frumento* inquit, *& vino ſtabiliui eum*. Sic elephantes viſo ſanguine ad prælium excitabantur, 2. Machab. 6.

QVINTÒ *Auget gratias & virtutes;* Per huius enim Sacramenti virtutem (vt Innocentius ait) vniuerſæ virtutes augentur, & omnium gratiarum exuberant fructus. Hinc & Bernardus aliquot enumerans, dicit, *Corpus Chriſti ægrotis eſt medicina, peregrinantibus dieta*, &c. *Fit homo ardentior ad omne bonum, manſuetior ad correptionem* &c.

SEXTO, *Reſtaurat deperditum ſpirituale;* Sicut enim cibus naturalis in ſumente deperdita reſtaurat, ſatiat, & quantitatem adauget: ita & viuificus is cibus reſtaurat deperdita quæque, ſcilicet, calidum naturale charitatis, & humidum radicale bonæ voluntatis, per concupiſcentiam & cupiditatem imminuta vel abſumpta; quemadmodum in Propheta dicitur; quod *reſtituet annos, quos Eruca* (id eſt, gaudium carnis) *Locuſta* (id eſt, ſpes arrogantis) *Bruchus* (id eſt, iners, & totus exterioribus incumbens motus) *& Erugo* (id eſt mæror ſæculi interiora deuaſtans) *conſumpſerunt*. *Ioel. 1.* *Satiat* quoque cibus comeſtus famem; Quanta ſit, & quàm improba fames peccatorum, quos non implet, & occupat charitatis cibus & potus, recogitare ſtupor eſt, ſentire miſeria grandis; quia vſque ad mortem; iuxta dictum Sapientis Prou. 1. *Deſideria occidunt pigrum.* Non enim ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu; ſed pruriunt aures *Eccli. 1.* ad rumores; oculi furunt reſpicere vanitates, &c. quia rabiés famis eſt valida. At verò cibus noſter dignè ſuſceptus, quia vero bono replet, verè ſatiat; aut pro magna parte famem ſedat. Verè nimis auarus eſt, cui non ſufficit ille cibus.

SEPTIMO *Luſtrat* intellectum; In cuius figura, oculi Ionatæ, poſt ſumptum pauculum *1 Reg 14.* mellis de ſummitate virgæ, illuminabantur: Sic ad ſpectacula diuina noſter Spiritus poſt Euchariſtiæ ſumptionem erigi ſolet. Etiam inde ſequitur ſplendor conuerſationis; Sicut *Simile.* enim poſt cibum corporalem facies formoſior redditur, rubore perfunditur: ita & poſt hunc cibum ſumptum conuerſatio noſtra decoratur. Hinc Chryſoſtomus ait, *Sanguis Chriſti in nobis imaginem regalem floridam facit:* & Agnes gloriatur, *ſanguis*, inquiens, *eius ornauit genas meas.*

OCTAVO, *Præſeruat à peccatis futuris*, & à morte gratiæ: Et hoc, *vel quia* natura hominis interius roboratur contra interiora corrumpentia, tanquam per cibum, aut medicinam, dum Deo per gratiam coniungitur: *Vel per hoc*, quod ab extra munitur contra hoſtiles inſultus, tanquam per arma; nam per hoc Sacramentum munitur contra hoſtes ſpirituales anima, quemadmodum armis & victualibus firmantur caſtra. Patet hoc ex figura illa, vbi Madianita vidit, quod panis ſubcinericius ſubuertebat caſtra Madian: *Iudic. 7.* Pſalmiſta, *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me*, Pſal. 22. Chryſoſtom. *Menſam præparauit nobis Deus, vt poſt epularem refectionem, inimicum robuſti ſuperemus.*

NONO, *Terret dæmones*, & in fugam ducit; Nam hac Euchariſtia munitus, eſt, tanquam caſtrorum ordinata acies, dæmonibus terribilis. *Cant. 6.* Ex eo enim, quod hoc Sacramentum eſt Dominicæ paſſionis ſignum, dæmones pellit & deterret, adeò vt Chryſoſt. dicat, *Vt leones flammam ſpirantes, ſic ab illa menſa diſcedimus, terribiles diabolo facti.*

DECIMO, *Inarrat ſponſā* dilecto; Eſt enim *futuræ gloriæ pignus*, & ſinceræ dilectionis arra, qua qui ſubarratus fuerit, ſecurè cum ſpōſo dicere poterit, *Dilectus meus mihi, & ego illi*. *Cant. 2.* Itéq; cum Martyre noſtra Agnete ſancta, *Illi ſum deſponſata, cui Angeli inſeruiunt, cuius pulchritudinē Sol*

& Luna mirantur, &c. Itemque, *Annulo ſuo ſubarrauit me Dominus meus Ieſus Chriſtus*; & eo annulo matrimonium hic inchoatur, quod in clara fruitione in cœlis conſummatur.

VNDECIMO *Dulcat*, id eſt, cauſat guſtum dulcedinis Diuinæ, quæ percipitur, dum non ſunt fauces animæ aliena amaritudine infectę. O dulcedinem! ô delectationem! Si enim *delectatio, eſt perceptio conuenientis cum conueniente, aut ex huiuſmodi perceptione conſurgit*; nihil verò conuenientius, vel intimius coniungitur animæ, quam iſte cibus, in quo ſumitur Chriſtus: Delectat igitur in ſummo, ſi ſenſus purgati fuerint in ſummo; niſi diſpenſatiuè aliter Dominus ipſe ordinauerit. Hinc, & per Manna figuratur, quod *omne delectamentum in ſe habebat* (*Sap. 16.*) quod etiam à plerisque ſenſibiliter, vt patet in exemplis, eſt compertum. Væ illis, quorum *anima nauſeat ſuper cibo iſto* (*Num. 21.*), quaſi leuiſſimo, ſuſpirans ad *ollas carnium Ægypti, allia, porros, & pepones.* (*Exod. 16. Num. 11.*)

DVODECIMÒ. *impinguat animam gratia* Spiritusſancti, ſecundum illud, *Aſer pinguis panis eius, & præbebit delitias regibus.* (*Gen. 49.*) Vnde Pſalm. orat, *Sicut adipe, & pinguedine, repleatur anima mea.* (*Pſal. 62.*) & Propheta, *Faciet Dominus omnibus populis in monte, hoc conuiuium pinguium medullatorum, & vindemiæ defecatæ.* (*Iſa. 5.*)

DECIMOTERTIÒ, *Calet, & inflammat* ad amorem Dei; Certum enim eſt, quòd ſicut ignis igne conuenientius accenditur, & fortius, & facilius: ſic charitas charitate. Quia ergo illud Sacramentum totum charitatis flammis flagrat, totum Spiritusſancti fornace ſucceſſum flammeſcit: nihil eo efficacius, aut conuenientius, pro amore nutriendo, augendo, aut roborando, poteſt inueniri. Vnde, & Sacramentum amoris vocatur. Quidni inflammat, quod inarrat, & transformat? Etenim veræ dilectionis pignus eſt, & arra, & transformat hominē in dilectum. Ita quòd rectè (cautè tamen) dici poterunt ſic inarrati, Dij transformati ſub humana ſpecie. Et hęc Euchariſtia, eſt maior ignis ad inflammandum cor noſtrum, quàm foret totus mundus, etiam ſi totus arderet, ad ſuccendendam quandoque fauillam. O gelidum cor, quod tanto igne non flammeſcit!

DECIMOQVARTO, *vnit, & incorporat* hominem Chriſto; Vt enim cibus naturalis cōmeſtus, veraciter in naturam conuertitur comedentis: ita hunc è conuerſo dignè ſumens mutatur in ipſum, factus deiformis, ei incorporatus, & vnitus, ſicut ferrum ignitum in naturam ignis. O quantus amor, qui nos ſic conglutinat, vt nos in eo, & ipſe in nobis tam intimè coniungatur! Verè amor extaſim facit. Et eſt hæc vnio, proprius, & principalis, & finalis huius Sacramenti effectus; vnde intimè expoſcendus. De hac vnione Gerſon pulchra ſcribit ſuper magnificat. Hanc vnionem ſponſa optabat, quando clamabat, *Oſculetur me oſculo oris ſui.* (*Cant. 1.*)

DECIMOQVINTÒ, *Gaudia dat* (ſpiritu iam ſaginato) propter ſpem futurorum; Nam ex perceptione præſentium, fit ei certa expectatio futurorum. Si enim Filium dat Pater, nunc in cibum; quomodo non ſuſcipiet nos ei incorporatos in regnum?

DECIMOSEXTÒ *Tutat à pœna purgatorij*: Remittit enim pœnam debitam peccatis noſtris, aut in toto, aut in parte, ſecundum charitatem, qua accedimur. Nam *Dominus retribuet pro nobis.* Pſal. 137. Et ſic ad cælum perducit, ſecundum figuram Heliæ, *qui in fortitudine cibi* hunc cibum præfigurantis *ambulauit vſque ad montem Dei Oreb.* 3. Regum 19. Hinc etiam *viaticum* eſt appellatum: O, panem noſtrum da nobis quotidianum. Ecce pro his & ſimilibus effectibus, & pro ſingularibus ſuis defectibus ſuperandis, debet quiſque deuotius poſt ſumptionem Euchariſtiæ Dominum exorare, & fiducialius cum Iacob dicere, *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.* Gen. 32. Qui latiorem & magis deuotam proſecutionem de huiuſmodi Sacramenti fructibus & effectibus ſcire volet, ille Doctorum ſcripta, & ſermones Bernardini, aut aliorum perſpiciat:

Ieſu in me operare Fructus fœliciſſimos,
Quos tu Manna ſalutare Contines dulciſſimos:
Quantos nemo ſcit narrare, Obguſtus ditiſſimos.

MEMBRVM III.

Oblatio. Gradus III.

OBLATIO de qua Leuitici 9. *Offeres agnum anniculum pro peccato.* Poſtquam VI.
enim homo pro ſe orauit, debet & illud ſummum ſacrificium pro aliorum offerre ſalute, & ſua; prout docuit Dominam Mechteldin, vt patet in reuelationibus eius, quod etiam dixit ſibi acceptiſſimum fore. Vnde debet hoc homo offerre,

Pro	Viuis,	vt	Adiuuentur,
	Defunctis,		Liberentur:
	Sibi cōmendatis.		Voti cōpotes efficiantur.

Aut poterit illud offerri pro diuerſis Eccleſiæ ſtatibus, & hominum generibus, vt charitas ad plures dilatetur. Et diſtinguit Ioannes Nyder huiuſmodi ſtatus, ſub ſeptemplici differentia, ſecundum applicationem ad Dominicam orationem, vt ſcilicet homo offerat,

Pro	Miſeris & tribulatis,	orādo	Sed libera nos.
	Religioſis, & tentatis,		Et ne nos inducas.
	Debitoribus & ſceleratis,		Dimitte no. debita.
	Egenis, & mendicis,		Panem noſt. quot.
	Infidelibus à fide errantibus.		Fiat volūtas tua.
	Defunctis, & purgatorij,		Adueniat regnum.
	Omnibus ſtatibus Eccleſiaſticis,		Sanctificetur nomē tuum.

Facilis eſt conſideranti applicatio horum. Debet ergo quiſque ſingulorum horum miſerias reuoluere,& ex compaſſionis & charitatis affectu, pro eis hanc hoſtiam offerre, & dicere
Pſal. 17. Deo, *Saluum fac populum tuum Domine*,&c. *Te ergo quæſumus tuis famulis ſubuenı, quos precioſo*
Heſt. 7. *ſanguine redemiſti.* Aut verba illa Heſter ad Aſſuerum, *Si inueni gratiam in oculis tuis, ò Rex, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obſecro. Et quomodo potero ſuſtinere necem, & interfectionem populi mei?*

DEBET autem hæc oblatio fieri cum deſiderio dilatato, & fiduciali ſuper Dei pietate confidentia,& cum obſecratione & adiuratione pia, vt quidam docet Carthuſienſis.

Per { Sacramenti huius virtutem,
Dominicam vitam,& paſſionem,
Innatam Dei pietatem:

ET DEBET homo non parua & pauca; ſed ardua,& multa à Deo poſtulare; Magnifici eſt magna dare,& magnum magna dare de-
2. Reg. 19. cet. Et verè valde eſt ſperandum, quòd quicquid orauerimus, impetrabimus, ſecundum il-
Deut. 11. lud, *Quemcunque locum calcauerit pes veſter, veſter erit*: hoc eſt (ſecundum Bernardum) *Quantum deſiderare, & ſperare à Deo poterimus: tantum obtinebimus.* Talem dilatatam, & fiducialem mentē venerabilis Pater Arnoldus Bude-ric habebat, qui in,& poſt Miſſas talem obla-
Oratiuncula. tionem faciebat dicendo. *Corpus, animam, carnem, & ſanguinem, vitam, & mortem offero tibi, vnigenite Fili Dei: tuumque ſacratiſſimum corpus, & animam, carnem, & ſanguinem, vitam, & mortem offero pro omnibus, & ſingulis iniquitatibus meis: & pro totius mundi peccatis: nec non & pro omnibus in purgatorio detentis, vultui Paterno. Et per hanc oblationem, & per huius Sacramēti virtutem, te, clementiſſime Pater, ſupplex oro; quo mihi miſero, vili, peccaminoſo homuncioni hodie ſtipem aliquam tuæ pietatis impartiri digneris: conuertendo triginta tria millia peccatorum in mundo, & eripiēdo: totidem millia animarum detentarum è purgatorio: cuique anno dilectiſſimi Filij tui millia impertiendo; qui ſe tibi in ara crucis, & nunc in hoſtia Altaris, eadem charitate offert, pro mortuis, & viuis, quorum tot annis peccatis*
Eſa. 43. *ſeruiuit, vt ait Propheta.*

O fons pater pietatis, Panem cœli reſpice:
Mirè placabilitatis, Holocauſtum ſuſcipe:
Quod pro donis, pro peccatis, offero Eccleſia.

MEMBRVM IV.

Maſticatio. Gradus IV.

VII. MASTICATIO, vel ruminatio, de qua Oſeæ c. 8. *Super vinum, & triticum ruminabunt.* Quapropter hic iam ponuntur duo gradus, quibus tota die poſt communionem eſt immorandum; quoniam horum omiſſio, vel maxima eſt cauſa, quare fructus Sacramenti non deguſtamus. Debet autem hæc maſticatio fieri,

Per { Dentes ſpirituales, Similitudines reales, Certas buccellas & portiones. } vt ſic { Conteratur, Comedatur, Sēper ad manū habeatur.

Verum quoniam in hoc gradu omnis vis,& fructus huius Sacramenti conſiſtit,& quoniam non omnibus eius practica patet: vt de eo latius,& plenius diſputetur, ſingularis ei titulus, aut tractarulus datur,& ideo de eo hic ſuperſedetur. Nihil enim proderit, imò oberit Sacramentalis ſacramenti huius manducatio: niſi ſubſequatur Spiritualis manducatio, & maſticatio. Vide plenius infra,

Des me Pater ruminare Sumptum cibum, gloriæ:
Quem dediſti manducare, nimis amatoriè.
Cuius fructum ſoles dare, Gaudia memoriæ.

MEMBRVM V.

Obſeruatio. Gradus V.

OBSERVATIO, de qua Exod. 11. *Ecce* *VIII.*
mitto Angelum meum, (ſcilicet magni conſilij, Ieſum; Sequitur) *Obſerua eum, & audi vocem eius.* Is eſt poſtremus gradus; ſed non reliquis neceſſitate inferior, valde propter hæc excitandus.

Nil prodeſt, reus, aſſimilis, bona dat, benedicit.
Nihil enim proderit ſuſcepiſſe Dominum, niſi nobiſcum eum detineamus: imò *fiemus rei læſæ* maieſtatis, ſi non dignè obſeruauerimus ſuſceptum,& dicetur nobis *Filij mortis eſtis vos, eo*
quod non cuſtodieritis regem Chriſtum Domini. *1 Reg. 26*

Et eſt is gradus neceſſario exercendus, *propter neceſſitatem: Turpius* enim *eijcitur, quam non admittitur hoſpes:* Et prægrandis honeſtatis peruerſitas, dum venturo reuerentiam præbet, præſenti iniuriam offert: *Secundò propter vtili-*
tatem. Qui enim *ſeruat ficum, comedet fructum* *Prou. 27.*
eius. Exemplo nobis ſunt Matthæus, & Za- *Matt. 9.*
cheus, ad quos Dominus ingreſſus,& dignè ab *Luc. 19.*
eis obſeruatus, ad magna eos promouit; Primum Apoſtolum & Euangeliſtam fecit; alte-
rum filium Abrahæ. Sic & Obededon, quo- *2. Reg. 6.*
niam dignè arcam Dei ad ſe introductam obſeruauit, fructum plurimum inde reportauit, quia benedixit Dominus domui eius. Eya igitur & nos his inducti, exceptum Dominum dignè cuſtodiamus, vt ſic læti cum ſponſa cana-
mus, *Tenui eum, nec dimittam*: imò ſi abſcedere, *Cant. 3.*
& longius ire ſe finxerit; vim ei inferamus, & cum peregrinis cogamus dicendo, *Mane no-*
biſcum Domine, quoniam adueſperaſcit. Gaudet *Luca 24.*
enim vim ſibi talem inferri,& vult à nobis ſuperari,& deſiderijs teneri. Qui autem eum obſeruare volet ne ab eo recedat, hæc agat diligenter:

Præcaueat. ſeruat. teneat. gratus, placitum fac.

Præcauens ne { Vitijs eum, aut peccatis offendat;
Alijs delectationibus intentus, eum non curet.
Propoſita dimittat; ſed omni diligētia ſeruet.

§. 1. *Obſeruatio ſui à vitÿs.*

IX. 1. Cor. 1. PRimò neceſſe eſt, vt *à vitÿs præcaueat:* Non enim ſub eodem tecto morantur vitium, & Chriſtus, qui eſt virtus & ſapientia Dei. Et Sap. 1. *Sapientia non habitabit in corpore ſubdito peccatis. Quę enim conuentio Chriſti ad Belial?* 2. Cor. 6. Vnde, qui poſt ſacram communionem peccata admittit, quaſi pugnis & lapidibus Chriſtum de domo cordis ſui ejicit. O quã hoc horrendum! ô quàm hoc præcauendum, Dominũ Ieſum qui tam dignanter aduenit, quòd tam inurbaniter & immanſuetè expellitur. Verè quiſquis eum ejicit de cordis habitaculo, excludetur ab eo de cælorum regno. Super cuſtodiam igitur noſtri ſtemus, imò & minima quæque, etiam cogitationum peccata, oportet vt deuitemus. *Aufert enim ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu,* Sap. 1. O dulcis Domine, quàm inhumanus & temerarius, qui tam manſuetum & ſuauem hoſpitem cogitatibus prauis excludit! O quàm infęlix & damnoſa cõmutatio, abacto creatore, cogitationes verſare immundas! illud etiam ſecretum paulò ante cubile Spiritus ſancti, quod gaudÿs tẽdebatur cæleſtibus, iam porcis tradere conculcandum.

HVIVSMODI abuſum deplorat flebili tragœdia, magiſter & Dominus Petrus de Ayllia co, dicens: *Adhuc in corde calent ſponſi veſtigia, & iam admittuntur adulterina deſideria.* Malè conueniens & indecorum eſt, aures, quę modò audierãt *verba, quæ nõ licet homini loqui,* 2. Cor. 12. tam cito declinare ad fabulas & detractiones audiendas. Lingua, quæ modò dulce Epithalamium cantauerat, ſponſam ſponſo recõciliauerat, & in *cellam vinariam introduxerat;* Cant. 2. iterum conuerti ad turpiloquia, ad ſcurrilitates, & ad concinnandos dolos & detractiones, & ſic de aliis. Abſint hæc à nobis Domine! Et ſi fortè reciderimus, præſta vt fortius reſurgamus.

VT AVTEM homo à Dei offenſis caueat, oportet quod de ſibi diffidens, Dei auxilium imploret, vbique & ſemper in Dei timore ſe conſeruet.

Scilicet {
- Exorando,
- Præſentiã attendendo,
- Super cuſtodiã ſtando,
- Dolendo,

} {
- Occaſiones deuitet
- & principiis obſtet,
- crebrⁱ⁹ ſe examinet,
- & de commiſſis lugeat.

}

§. 2. *Obſeruatio ab alÿs delectationibus.*

X. SECVNDO, debet præcauere, *ne alÿs quibuſlibet delectationibus intentus,* incurius ſit ſuſcepti Domini ſui. Hinc oportet, quod homo ſibiipſi (vt Bonauentura docet) poſt communionem dicat, *Nolo poſt tam nobilem cibum alia ſtercora deguſtare; & cùm iſte ſumma iocunditas ſit, nolo de cætero affici circa aliquam aliam creaturam.* Bernardus: *Sic eſt excipiendus, vt ſemper nobiſcum maneat.* Quantæ enim inſaniæ eſt, vt poſt tanti Regis aduentum, aliis quibuſlibet negotiis ſine neceſſitate aut obedientia homines velint, ſeu audeant occupari, & non magis omnibus omiſſis, ſoli eius cultui vacent? Valde enim inurbanum eſſet, magnum quempiam in domũ ſuſcipere, & ſuſcepto non loqui, nihil obſequij exhibere. Multo ergo amplius inhoneſtũ & indecens obliuiſci ſuſcepti Saluatoris. Quid quæſo eſt dementiæ, vt inuitatus ad delicatiſſimum conuiuium, ante ſtercoribus & cæno ingurgitet ſtomachum? Majoris tamen multo ſtultitiæ eſt, ſuſceptum Chriſtum negligere, & Exod. 16. vanas conſolatiunculas velle amplexari; quas quamdiu inquiſierimus, tamdiu à ſapore mannæ, inſtar filiorum Iſrael, defraudabimur. Hi enim, quamdiu farinam Ægyptiacam habebant, manna non deguſtabant; *Anguſtum eſt* Eſa. 28. enim *ſtratum, ita vt alter decidat,* ait Eſaias.

§. 3. *Obſeruatio propoſitorum piorum.*

TERTIÒ oportet, vt omnia, quæ nouerit Deo placita, perficiat. Placent autem ei poſt eius ſumptionem præcipuè iſta, & maximè ſunt eius conſeruatiua. N

Scilicet {
- Deuota gratiarum actio,
- Familiaris conuerſatio,
- Diligens obſeruatio,
- Intima oratio.

}

De GRATIARVM ACTIONE ſupra dictum eſt: Oritur autem ex

Conſideratione {
- Eius, qui venit,
- Noſtri, ad quos deſcendit,
- Fructus, quem attulit.

}

FAMILIARIS autem *conuerſatio,* (ſecundum Auguſtinum) *auſum parit, auſus guſtum, guſtus famem, fames contemptum omnium, contemptus ocium, ocium Deum.* Conſiſtit autem familiaritas,

In {
- Mutua viſitatione.
- Secretorũ reuelatione.

} Scilicet {
- Sæpè corde ad eũ ſuſpirando.
- Eius auxiliũ & cõſiliũ poſtulãdo.

}

Hic ſolent aliqui habere quædam amica exercitia, tropo externorum ſumpta, vt dilectum ducere in hortum, ei cantare Epithalamium, & canere *alleluja* feſtiuum. Non eis fas Matt. 2. eſt lugere, quãdiu ſponſus vult manere. Vnctio doceat te de his. TERTIVM eſt *diligens obſeruatio Domini ſuſcepti,* vt ſcilicet ſtudeas, inſtar fi- 1. Ioan. 2. delis ſeruuli, & cuſtodis Dominici,

Scilicet {
- Portas cuſtodire,
- Lectum ſternere,
- Cibaria miniſtrare,
- Pedes lauare,

} puta {
- Sẽſus cuſtodiendo,
- Pacẽ cordis habendo.
- Voluntatẽ eius faciẽdo.
- Affectiones purgando.

}

QVARTVM eſt intima oratio, quę ſi lachrymoſa fuerit, Deum (vt aiunt) quodammodo cogit, ſecundum illud, *Et coegerunt eum,* ſcilicet Luca 24. peregrini, *dicentes mane nobiſcum Domine.*

Noli à me Ieſu ire: Mane mecum Domine;
Fac me cuncta faſtidire, dempto tuo nomine;
Dona mecum te vnire, in vtroque homine.
O ſi poſſem te ſeruare ſemper in viſceribus,
Nil te præter cogitare, in cunctis operibus,
Corde, ore immolare, grates his muneribus!

Digitized by Google

Abbreuiatio ſcalæ.

CAPVT IIII.

VErbvm *abbreuiatum fecit Dominus ſuper terram.* Apoſtolus Rom. 9. Quod ſi Deus Pater, imbecillitati noſtræ conſulens, immenſum, coæqualeque ſibi verbum abbreuiauit: quanto magis pro conſulendis quorundam anguſtijs, humanum abbreuiandum eſt verbum? Hinc, quia longius in ſuperioribus, cauſis ex ſupradictis, verba deduximus; nunc verbum abbreuiatum eſt ponendum. Sunt enim quidam tam auguſtę mẽ-
O tis, quibus omne multum impoſſibile videtur exercitatu; Sed hi teſtantur ſe mentalis latitudinis inſcios & inexpertos, quæ tanta eſt, iuxta quendam, vt omnis multitudo, ſaltem ordinata, quantalibet etiam ſit, facilis ei ſit complexu. Vnde & venerabilis Hugo docet omnem multitudinem ſummatim perſtringi, & certis & ordinatis punctulis complecti. Cuius doctrinam nos inſecuti, pro his, qui anguſtioris ſunt mentis, omnem ſuperiorem latitudinem, ſub ſeptenis (ſecundum ſeptem hebdomadæ Ferias) punctulis complexi ſumus, eademque certis temporibus deſignauimus, vt nullus maneat, ſi hæc non exercitentur, excuſationis locus, cum & certa & pauca punctula, & determinata tempora aſſignantur.

Age ergo ô tu paruulę & anguſtæ mentis, qui ſuperiorem multitudinem cauſaris; vel ſequentem abbreuiatam amplectere ſcalam; cui, ſi bene conſtans inhæſeris, tua mens dila-
Eſa. 60. tabitur, affluet cor tuum, & ſub illis paucis, omnem etiam ſuperiorem complecteris longitudinem. Talia enim ſunt hæc punctula, vt plurima ſub ſe comprehendant, cùm tamen ſint vnum. Verbi gratia, in gradu excitationis, primus punctus pro excitando eſt, *Exemplum*, id eſt exemplaris informatio: Ecce vnus pun- P
ctus ſufficiens paruulo ad excitamentum. Sed ſi quis latioris mentis fuerit, vt hunc punctum profundet, vt genus in ſpecies euacuet, copiam multam inueniet ſub hoc meditationem dilatandi: Plura exempla Sanctorum, exempla ſæcularium, exempla gentium, & huiuſmodi; quæ quiſque pro ſuo captu mentis poterit dilatare, ſic & in cæteris eſt videre punctis. Patet ergo, quòd non ſit ſententiæ noſtræ, velle quempiam anguſtare ad vnum punctulum cogitandum; quippe cum cuique puncto tanta ſubſit copia, non igitur anguſtia; Sed conſulimus paruulis, qui non multa complectuntur, præcauemus pericula, quæ ex incerta multitudine & fluctuatione oriuntur; ne meditari volentes, tempore pariter, & fructu priueutur. Qui enim nullum habet certum ad meditandum punctum, prius tempore fraudatur, quã inueniat quid ſit meditandum.

Abbreuiatæ ſcalæ ſequentis modus eſt iſte. Nam homo, cui nimia ſunt, tradita ſupradicta; debet arripere ſcalam ſequentem; vbi de quolibet gradu vnus in dies traditur punctus meditandus; quem quiſque pro ſuæ latitudine men- Q
tis prolongare poteſt, aut ſuccidere. Verbi gratia: Eſto dies Lunę, vel ſecunda Feria ſit hodie, & cupit ſe quis præparare ſacræ Communioni, primum excitet animum ad ipſum, potiſſimum propter vnum illũ punctũ, ſcilicet *exemplum*, id eſt propter informationem exemplarem. Cuius meditatione, vbi fuerit excitatus, iam vt ſe præparet, præconſiderare in alio gradu, quid eſt quod agere debet. Videnſque tam arduum eſſe quod agere tentat; iam in tertio gradu, ſi impedimentis accedendi careat, ſe probet, ſicque ſingulos proſequatur gradus. Similiter & faciat poſt communionem.

SCALA COMMVNIONIS ABBREVIATA.

	Excitatio.	*Conſideratio.*	*Probatio.*	*Exornatio.*	*Inflammatio.*
	Primus gradus Scalę cõmunionis eſt, *Excitatio*, qua homo ſe incitat ad condignã præparationem, propter puncta indirecta ſubſequenti linea.	Secundus gradus eſt, vt *conſideret* quid debeat agere cum alijs conſiderandis.	Tertius gradus eſt, quo homo (iuxta Apoſtolum) *ſe probet*, ne ad iudicium manducet.	Quartus gradus eſt, & quintus, vt homo ſe *expurget*, & *adornet*.	Sextus gradus eſt, quo homo ad reuerentiam, & deuotionem ſe *inflammet*. 1. Cor. 11.
Fer. 2.	*Exemplum.* Primò enim debet hominem inflammare ad ſe dignè præparandum, *Exemplaris inſtructio*, ſcilicet ſæcularium.	*Quid ages.* Primo conſidera, quia debes Deum latria colere, &c.	*Careas.* Primo probandum, ſi impedimẽtis careas, quæ ab acceſſu prohibent.	*Purges.* Primo debes te ornare, omnem ſcoriam peccati impuritatis expurgando.	*Simul altum.* Primo vt inflammeris ad reuerentiam & timorem Dei, conſidera Dei altitudinem & maieſtatem.
Fer. 3.	*Scriptum.* Secundum excitamentum condignæ præparationis eſt, *Scripturarum* ad hoc crebra commonitio.	*Quem ſumes.* Secundo conſiderandum quis, qualis, & quantus ſit, quem debes ſumere.	*Quaſita.* Secundo proba te, ſi neceſſaria requiſita ad acceſſum habeas.	*Potens.* Secundo exornabis animæ potentias dignis ornamentis decorãdo.	*Quia dignum.* Secũdo, vt amplius inflammeris, perpende ſacramẽti huius dignitatem.
Fer. 4.	*Suaſum.* Tertium eſt, Sanctorũ & Doctorum frequens *perſuaſio*.	*Parte Dei.* Tertio conſidera, quid te debeat inducere, & primo ex parte Dei.	*Signa.* Tertio vide, ſi ſufficientia deuotionis ſigna in te reperias.	*Et ſenſus.* Tertio ornabis te, etiam ſenſuales vires ſub diſciplina coërcendo.	*Quia vilis.* Tertio, vt magis reuerearis, debes conſiderare tui vilitatem.
Fer. 5.	*Perplacitum.* Quartum incitamentum ad dignam erga tantum Sacramentum præparationem, eſt, bonæ præparationis acceptatio.	*Sancti.* Quarto, conſidera inductiua ex parte Sanctorum, eorum, ſcilicet, gloriam, & honorem.	*Mundus.* Quarto, examina te, ſi illa ſeptem inuenias. ſ. ſi mũdus, ſi ſanus, ſi diſcipulus, ſi amicus, ſi filius, ſi eſuriens, ſi magnus.	*Virtuteq́;.* Quarto, virtutum tapeta depẽdẽdo, ſcilicet virtutes Theologicas & cardinales exercendo.	*Cauſas.* Quarto, reuolue inſtitutionis cauſas & ratiocinia, ſcilicet, *Solatur, ſociat*, &c.
Fer. 6.	*Iuſtum.* Quinto, quia dignè præparari ad Sacramentum, eſt *iuſtum, & dignũ*, propter eius altitudinem.	*Compatiens.* Quinto, conſidera proximorum viuorum vel defunctorum miſerias, pro eis offerendo.	*Agni.* Quinto, ſi diſpoſitiones in Agno Paſchali pręfiguratas in te habeas.	*Paro cor.* Quinto, exornabis te in ſeptem exercitijs, in libro de Inſtructione cordis deſcriptis.	*Pietate.* Quinto, inflammeris, Chriſti clementiam & pietatem (quã nunquã vllum ſpreuit) cõſiderando.
Sab.	*Vtile.* Sexto, quia ſic pręparari *vtile eſt*. Cõſequeris enim fructus, quos impræparatus non experitur.	*Parte tui.* Sexto, inducũt nos quædam ex parte noſtri, ſcilicet infirmitas morbi, cõſcientia peccati, &c.	*Manna.* Sexto, ſi proprietates mannæ in te reperias, ſcilicet, *Si mane*, &c.	*Similis.* Sexto, ad ſimilitudinem quarũdam rerum te ornabis, vt vrna, domus, &c.	*Benefacta.* Sexto, vt inflãmeris, attẽde Dei beneficia, & qua illa contulit charitate.
Dom.	*Multa pericula.* Septimũ, quia ſummè neceſſarium eſt, quatenus declines indignè accedentium multa pericula.	*Opus.* Septimo, neceſſitamur ad acceſſum ex Dei inſtituto, Eccleſiæ præcepto, officij debito.	*Tumuli.* Septimo, *proba te*, ſi circunſtãtias & myſticationes de ſepulcro Chriſti in te inuenias.	*Veſteſq́;.* Septimo, veſtes nuptiales à ſanctis cõcedi petẽdo, vt humilitatẽ ab angelis, &c. mititatẽ à Patriarchis, & Prophetis.	*Trahant hæc.* Septimo, attende acceſſus inuitatorios, fructus neceſſitatẽ, vel cauſas, quare frequẽtius accedendum.

Digitized by Google

SCALA COMMVNIONIS ABBREVIATA.

	Occurſio.	*Intentio.*	*Adoratio.*	*Inuitatio.*	*Sumptio.*
	Septimus gradus, quo homo venturo Domino per deſideriũ *occurrat*.	Octauus gradus eſt, quo iam acceſſurus oculũ intentionis *rectificet*.	Nonus gradus eſt, quo Sacramentum *adoret*, iuxta illud, *Adorato Domino epulaberis*.	Decimus gradus eſt, vt homo Deum ad ſe *inuitet*. Neceſſe eſt enim, vt ignis deſiderij præcat, quo ille eſt venturus.	Poſtremus gradus eſt *ſumptio* ipſa, quæ fiet ſubiecto modo. *Deut. 26. Pſal. 96.*
FER. 2.	*Audi.* Primo, vt ei deſideratiùs occurras, voces propheticas aduentum dilecti annũciantes audire debes.	*Sis credens.* Primo, intentio eſt dirigenda, vt deſideres accedere in firma fidei actuatione.	*Quid & eſt.* Primo actues fidem adorando Chriſti exiſtentiam, ſecundum deitatem, & humanitatem.	*Iudex.* Primo inuites Ieſum, vt veniat, ſicut miſericors iudex, & conſolator, reſpondens pro tuis offenſis.	*Reuerenter.* Primo reuerẽtia ſumptionis etiã magna ad modum inclinationis tanquam Patri, maiori vt Domino, &c.
FER. 3.	*Reſpondens.* Secundo oportet, vt per deſiderium & gratitudinem Domino reſpondeas, per exclamationes infraſcriptas.	*Humilis.* Secundo, in tuæ nihileitatis plena recognitione.	*Nomen.* Secũdo, actuãdo fidem de Chriſti nominatione, ſecundum deitatem & humanitatem.	*Medicus*: Secundo, vt veniat vt medicus ad ægrotum, & doctor ad illuminandam cæcitatẽ tuam.	*Sapienter.* Secundo cautè & ſapienter, vt ſcilicet diſcretè ſumatur.
FER. 4.	*Exi.* Tertio, oportet, vt ab omnibus obſtaculis exeas.	*Proponens.* Tertio, proponens vitam deinceps in melius mutare.	*Perfectus.* Tertio, ſecundũ attributa perfectionis, & dignitatis, & quod Saluator, Mediator, Redemptor, Sacerdos, Rex.	*Sol quoque.* Tertio, vt veniat ſicut ſol, tuas tenebras effugãs, & creditor ſoluens tuum debitum.	*Lætè.* Tertio lætè, & iubilanter cum omnium creaturarum ad laudẽ cõuocatione.
FER. 5.	*Suſpirans.* Quarto, ſuſpirabis intentius, ſecũdum ſeptem genera ſuſpiriorum, *Occurrens*, *clamo*, &c.	*Iungas.* Quarto, in ſanctorum communione, eorum precibus & meritis te coniungendo.	*Communia.* Quarto, communia deitatis, ſcilicet, quod eſſentia prima, natura perfecta, vita beata.	*Rex.* Quarto, vt veniat inſtar Regis, te dignificans, ditans, glorificans, & merces magna cum ſacculo pecuniæ.	*Vt amanter.* Quarto ſumẽdus eſt affectualiter, vt dicas, *Ingredere benedicte Domini, cur foris ſtas?*
FER. 6.	*Mirans.* Quinto, occurras *admirando* Domini veniẽtis maieſtatem, & tuam vilitatem.	*Commemorans.* Quinto, in beneficiorum paſſionis, & charitatis Chriſti *commemoratione*.	*Proprium.* Quinto, actuãdo *propria* deitatis, vt quod filius Verbum, Imago, Mediator.	*Dominus.* Quinto, vt veniat, ſicut *Dominus ad ſeruum* nequã, dãs præcepta ſalutaria, & exẽpla familiaria, in mõte aſpicienda.	*Bene velle.* Quinto, *beniuolenter*; vt ſcilicet ei cor extendatur, aperiatur, effundatur.
SAB.	*Quomodo.* Sexto, attende modum, & deſiderium, quo dilectus ad te veniet.	*Et exoptans.* Sexto, in deſiderij, & charitatis illius (quo Dominus hoc inſtituit) vnione.	*Propriataq́;.* Sexto, actuando appropriata, vt, quòd ſapientia, virtus, æqualitas.	*Sponſa.* Sexto, vt veniat, ſicut ſponſus te dignificans, veniens fœcundans, & ſit fons & origo omnis boni.	*Placenter.* Sexto complacenter, cum *amore gratuito*, vt ſolus Deus placeat tibi. *Cum amore debito*, vt placeat.
DOM.	*Inſtar.* Septimo, inſtar perſonarum variarum, affectus earum in te transformãdo, vt reus, infirmus, oppreſſus.	*Rectificans.* Septimo, in recta & Chriſtiformi intentione, quod Chriſtus intendit, & in futuræ gloriæ prægustatione.	*Speculis.* Septimo, actuãda eſt fides deitatis ex Speculis, puta Scripturis, & rebus creatis.	*Pater.* Septimo, vt veniat ſicut *Pater filio prodigo*, occurrens cum oſculo & annulo, & vt ignem in amorem ſui accendat.	*Vt vigilanter.* Septimo vigilanter, confidenter, concupiſcenter, ſecundum ſeptem gradus Bonauenturæ.

Digitized by Google

SCALA COMMVNIONIS ABBREVIATA.

	Gratiarum actio.	*Oratio.*		*Oblatio.*
	Qua pro ſuſcepto magnifico beneficio magnificè gratias agas.	Pro effectibus Sacramenti percipiendis, & vt irreuerentem ſumptionem tibi indulgeat.		Pro omnibus commiſſis, & tota Eccleſia,
FER. 2.	*Magnus.* Primo gratias age, quod tam magnus dator tibi hoc Sacramētum dedit.	*Viuificet.* Ora, vt te viuificet.	*Purget.* Ora, vt te purget.	*Tribulatio.* Offer pro tribulatis, *Sed libera nos à malo.*
FER. 3.	*Magno.* Secundo, quia magno affectu dedit.	*Deterret.* Secundo, vt dæmones deterreat.	*Pinguat.* Secundo, vt animā impinguet.	*Tentatio.* Secundo, pro tentatis, ne inducantur in tentationem. *Et ne nos inducas,* &c.
FER. 4.	*Paruo.* Tertio, quia paruo dedit, & viliſſimo.	*Succendat.* Tertio, ora, vt te ſuccendat ad amorem Dei.	*Vnum.* Tertio, ora, vt te vniat ſibi.	*Reprobis.* Tertio, offer pro ſceleratis, quo *debita eis dimittantur.*
FER. 5.	*Indigno.* Quarto, quia dedit indigno.	*Minuat.* Quarto, ora, vt minuat fomitem & inclinationem peccati.	*Fortem.* Quarto, ora, vt roboret te ad grandia.	*Egentibus.* Quarto, offer pro mendicis, *vt panem quotidianum* donet.
FER. 6.	*Nobile.* Quinto, quia nobile beneficium dedit.	*Reſtauret.* Quinto, ora, vt reſtauret deperditū ſpirituale.	*Augens.* Quinto, ora, vt augeat gratiam, & virtutes.	*Errante.* Quinto, pro errantibus & infidelibus, vt *fiat voluntas* eius in eis.
SAB.	*Vtile.* Sexto, quia beneficium vtile dedit.	*Præſeruet.* Sexto, ora, vt à peccatis futuris te præſeruet.	*Luſtret.* Sexto, ora vt intellectum illuminet.	*Requiem.* Sexto, offer pro defunctis, vt eis *Adueniat regnum.*
DOM. 1. Reg. 16.	*Crebrum.* Septimo, quia crebrum, & multipliciter iteratum beneficium dedit.	*Glorificet.* Septimo, ora vt ad gloriam perducat.	*Dulcet.* Septimo, ora, vt cauſet guſtum dulcedinis diuinæ.	*Cunctiſque.* Septimo, offer pro omni ſtatu Eccleſiæ, *Sanctificetur nomē eius.*

SCALA COMMVNIONIS ABBREVIATA.

	Obſeruatio.	*Ruminatio nominum.*	*Ruminatio conſiderationum.*	*Ruminatio portionum.*
	Ne, ſcilicet ſuſceptum Dominum repeliat, diligenter ſe obſeruet.	Qua ruminentur ſeptem principaliora Sacramenti nomina.	Qua ruminentur conſiderabilia de hoc Sacramento.	Qua ruminentur ſeptem Agni Paſchalis portiones.
FER. 2.	*Senſus.* Oportet, vt quinque ſenſus cuſtodias.	*Eucharis eſt.* Primum nomen dicitur Euchariſtia.	*Quæ præcedunt.* Prima conſideratio eſt de Sacramenti antecedentibus.	*Cum corpore carnem.* Prima portio eſt, caro,& corpus.
FER. 3.	*Iudæs.* Secundo, ne Iude,& Iudæis aſſimileris.	*Rumino donum.* Secundo, rumina donum.	*Quæ ſubſtantia.* Secundo, rumina Sacramenti ſubſtantialia.	*Sanguine grandi.* Secunda portio eſt, ſanguis.
FER. 4.	*Bona valde.* Tertio, propter vtilitatem multiplicem quam inde conſequimur.	*Mando cibum.* Tertium nomen, eſt cibus.	*Quæ circunſtant.* Tertio, rumina circunſtantias inſtitutionis.	*Mens ſpiritus agni.* Tertia portio eſt, anima, vel ſpiritus.
FER. 5.	*Ora.* Quarto, obſeruabis eum oratione deuota.	*Nunc bibo potum.* Quartum nomen, eſt potus.	*Per miracula.* Quarta conſideratio eſt de Sacramenti mirabilibus.	*Et intima Chriſti.* Quarta portio eſt, inteſtina agni, id eſt, occulta Chriſti myſteria.
FER. 6.	*Caueto.* Quinto, caueas omne peccatum, & offenſam.	*Ecce ſynaxis.* Quintum nomen, eſt *ſynaxis*, id eſt, communio.	*Quis modus vſus.* Quinta conſideratio, de modo vſus, & aſſumptionis huius ſacramenti.	*Cum pedibus ſit.* Quinta portio, ſunt pedes agni, id eſt, opera humanitatis.
SAB.	*Placitum fac.* Sexto, oportet, vt quæ illi placita ſunt facias.	*Magna, ſed hoſtia.* Sextum nomen, dicitur hoſtia, ſiue ſacrificium.	*Dulcedo.* Sexta conſideratio eſt, de dulcedine Sacramenti.	*Lac lanaq; fructus.* Sexta portio eſt, fructus vel vtilitas Sacramenti.
DOM.	*Neceſſe.* Septimo, quia valde neceſſarium: *Filij enim mortui ſunt, qui non cuſtodiunt Regem.*	*Nunc ſacramentum.* Septimum nomen, dicitur Sacramentum.	*Proprium.* Septima conſideratio eſt, de contemplatione proprietatum Sacramenti.	*Deitas caput agni.* Septima portio eſt, caput agni, id eſt, Deitas.

Ruminatorij praxis,

TITVLVS SEPTIMVS.

SVPER *vinum & triticum ruminabunt*, Oſee 8. Quoniam in penultimo ſuperioris Scalæ gradu promiſimus nos latius & plenius de illo gradu, ſcilicet maſticationis, vel ruminationis acturos, propter cauſas illic commemoratas: ideò nunc promiſſi memores, votum abſoluemus, & ſingularis de illo titulus, qui Maſticatorium, vel Ruminatorium appelletur, eſt cōſcribendus. Eſt etenim hæc maſticatio aut ruminatio, vel vt plenius dicamus ſpiritualis mãducatio, adeò neceſſaria, vt ſine ea nihil, aut parum profuerit effeciſſe omnia quæ dicta ſunt in ſuperiori ſcala. Nam qui ſacramentaliter tãtum ſumentes, ſpiritualiter non manducant, hi (ſecundũ S. Thomã) *manducantes non mãducant*. Ita & è regione, qui ſpiritualiter ſacramẽtum illud ruminant; etiã *non mãducantes* (iuxta eundem) *manducant*: imo quandoque felicius ipſo celebrante, vel ſacramentaliter manducante, illud deguſtant. Fęlix itaque horum cõditio, & omni deuotione amplexanda, quibus ſemper ad manum eſt edere Chriſtum. Sacramentalis illa communio, quæ celebrando agitur, tempori & loco alligata, certis tãtum perſonis permiſſa, formam ſeruare cogitur. Hæc
1.Tim. 1. verò ſpiritualis *de corde puro, fide non ficta*, nullã ætatẽ, nullũ ſexum, nullũ genus reſpuit; omni loco, omni tempore, commoda eſt. Illa ſæpè dãnoſa, quia ſine iſta: ſed iſta ſemper fructuoſa & ſalutaris, etiam ſine illa. Spiritualiter itaque hoc ſacramentum noſtræ ſalutis edere diſcamus, vt eius fructus deguſtemus. Nam hæc potiſſima cauſa eſt, ait Ioannes de Turrecremata, quod effectus Sacramenti non recipimus, quia non dignè ruminamus.

Neceſſitas & praxis ruminatorij.

CAPVT I.

IMO & alia complura ad hoc ſunt inductiua.

Eſt gratum, ſuaſum, ſimul vtile, valde neceſſe.

PRIMO trahet nos huius exercitij gratioſitas & acceptabilitas: Eſt quippe Deo plurimum gratum, quod ex eo liquet, quod ruminantia
Leuit. 11. animalia cenſuit fore munda, & quod crebrius huius ruminationis, aut dentium, quibus ruminatur, meminerit in Scriptura. Hinc longè per Oſeæ præfatum elogium decantauit: Gutturq́ue ſponſi *vinum optimum, dignum dilecto ad potandum, labijs, dentibusq́ ad ruminandum* per Salomonem declamauit. *Denteſq́* ſponſæ ru-
Cant. 6. & 7. minantis & maſticantis, ſub typo *gregum tonſarum de lauacro aſcendentium* commendauit. Liquet ergo quantum illud amet, quod toties commendat.

SECVNDO allicit nos ſuaſibilitas, quia à plæriſque perſuaſum. Suadet hæc Dominus ipſe Ieſus, qui integrum ſuum ſermonem de Euchariſtia, de hac ſpirituali manducatione Ioan. 6.
(vt expoſitores aiunt) contexuit. Suadent hoc Auguſtinus & Bernardus, & cæteri quique. Auguſtinus ait, *Crede, & manducaſti, vt quid paras dentem*, &c. Bernardus in epiſtola ad Fratres de monte, pulchrè de hoc diſſerit, ſuadens, vel vnam horam Dominicæ paſſioni dandam, quam commemorare, non eſt niſi panem vitæ comedere. Suadet hoc Franco Abbas de gratia, dicens, *Oportet fideliter accedentem, & piè ſumentem ſacramentum noſtræ ſalutis de ventre memoriæ cibum vitæ tanquã mundum animal ruminare, & ſurſum reuocare, ſi fructum recipere velit.*

TERTIO inducet nos *vtilitas*; Eſt enim valde commodoſum omnes fructus communionis adducens. Præſertim ſpiritualis hæc manducatio tria hęc bona affert, (vt ait S. Thomas)

Scilicet { Peccatorum remiſſionem, A morte ſanationẽm, Chriſti participationem.

De primo Ambroſius dicit, *Qui manducant ſpiritualẽ virtutem carnis & ſanguinis Chriſti dicũtur verè ſumere, & verè manducare: quia ipſam corporis Chriſti efficaciam quotidie ſumunt*, id eſt, peccatorum remiſſionem. *De ſecundo* Dominus Ieſus ait Ioan. 6 *Hic eſt panis, vt ſi quis ex ipſo manducauerit* (gloſ. ſpiritualiter) *non morietur*, ſcilicet morte ęterna. *De tertio* Aug. ſuper illud 1. Cor. 10. *Vnus panis & vnũ corpus multi ſumus; qui de vno pane & vno calice participamus*, ait: *Nulli dubium eſt, tũc quemquam corporis, ſanguiniſq́ Dominici participem fieri, quando membrum Chriſti efficitur, nec alienari ab illius panis conſortio, etiamſi antequam panem illum edat, de hoc ſæculo in vnitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat. Quoniam illius Sacramenti beneficio non priuatur, quando in illo hoc, quod Sacramẽtum ſignat,* inuenitur.

HVIVS ſpiritualis manducationis fructum, quidam Doctor nouit; qui ſuper illo verbo Domini Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, ait: *Domini commemoratio, eſt ſpiritualis eius manducatio*, &c. Et poſt, *Libenter ergo Domine Ieſu tuam carnem pro me paſſam, tuum corpus pro me traditum, tuam animam, tuum animum pro me derelictum cõmemorabo, ſciens quod commemoratio, ſi frequens fiat, ſterilis non erit; Commemorando enim non ſolum promiſſione tua; ſed (quod longè dulcius ſapit) etiam dignatione tua præſentem te habeo. Quomodo enim tuũ corpus pro me traditum verè manducabo, ſi non te præſentẽ, & hoſpitem habuero animæ meæ? Quod ſi tamen te dignantẽ, diuitem ac dulcem hoſpitem habuero. (Hæc enim omnia tu promittis commemoranti) quid nõ maiora tuæ hoſpitalitatis dona ſperabo? Qui enim in te credit, habet vitã æternã.* Ioan. 6. *Et quomodo vitã æternam habet, ſi te non habeat?* &c. Et infrà: *Quandocunque igitur te, Domine Ieſu, cõmemoro, te habeo locupletem hoſpitem, habitatorem tugurij mei. Neque iã vile mihi videbitur tuguriũ meũ, quod Maieſtas tanta ſua dignatione honeſtat. Scio quoniã ex*

tugurio, & humili caſa, nobilem domum facies. Indignum enim tanto hoſpiti, non magnificè dignationis tuæ monimenta erigere. Dabis igitur, Domine non commemorare ſolum; ſed vt humile tugurium erigatur. Dabis paupere hoſpiti, tuo conſiderare corpus tuum traditum; dabis dijudicare; dabis, ruminare, &c. Et ſubdit, *Dulce eſt in iſtis eſſe, dulce iſta ruminare, ſalubre, fructuoſum in huiuſmodi verſari; Hæc meditari dixi eſſe ſapientiam. Vere nulla iam deinceps mihi erit excuſatio, aliud quippiam præter te Dominum Ieſum, ac te crucifixum cogitanti, aut commemoranti, præſertim ſcienti quantus te cogitantium fructus comitetur. Quid eſt, quod dico? Imò ſcienti, quantus tu cum quāto fructu adſis cogitanti.* Et in alio loco. *Quicunque igitur exiguo labore magnos fructus mereri cupit: quo poterit vtilius, quam ad iſtud ſaluberrimum conſilium confugere, vt crebro aſſueſcat commemorare corpus hoc, & carnem hanc pro ſe traditam? Nulla mihi videtur via propior, breuior, rectior ad beatā illam ſortem, &*

Lucæ 6. *optimā partē Mariæ ſororis Marthæ, ſedentis ad pedes Ieſu, & audientis verbū illius, & ſuauiter haurientis & bibentis, ex ore illius, quā ſedulo cōmemorando Dominū Ieſum.* Et intra. *Qui facit hoc in*

Pſal. 4. Pſ. 126. Exod 23. *commemorationem huius magni Sacerdotij, non commouebitur in æternum, non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta, non apparebit in conſpectu Dei vacuus; vtpote, qui tantas oblationes offert omnis generis. Qui ſic manducat habet iam fructum ſacramentalis manducationis intus; quemadmodum Paulus primus Anachoritarum, & plurimi poſt illum, etiam ſine ſacramentali foris manducatione.* Et hæc de vtilitate.

Porrò de NECESSITATE, quod ſcilicet ſpiritualiter ſacramentum illud ruminare ſit neceſſarium; ſatis iam ſupra actum eſt. Nam de ſpirituali manducatione verbum illud, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &*

Io. 6. *biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, vt ipſe textus cogit, eſt intelligendum. Nam, qui ſpiritualiter non ruminat, etiam ſacramentaliter manducans non manducat, vt ait Ambr. Cuius conditio nimis infelix: cui nimirum illud Sapientis congruit. Eccli c.6. *Eſt & aliud malum, quod vidi ſub ſole, & quidem frequens apud homines, Vir cui dedit Deus diuitias, & ſubſtantiam, & honorem, & nihil deeſt animæ eius ex omnibus, quæ deſiderat:*

Mirandū planè, & miserandum. *Nec tribuit ei poteſtatem Deus vt comedat ex eo; ſed homo extraneus vorabit illud.* Quia ſæpè ſimplex vetula deuotius venerandum hoc ſacramentum comedit, quam doctus torpens Religioſus. Quiſquis igitur ſacramenti fructum volēs percipere: Quiſquis Chriſti præcepto parere, vita ſpirituali viuere, & non mori; ſtude ſpiritualiter hunc panem vitę ſumere, & ſumptum ruminare.

§. 1. *Quid ſit ſpiritualis manducatio, & qui dentes.*

IV. VErum ne ex ignotis procedamus; & vt practicam quandam huius maſticationis ſpiritualis, manducationis, & ruminationis habeamus; quædam ſunt hic inquirenda, & notatu digna.

ſcilicet { Quid ſit ſpiritualis manducatio?
Qui dentes, & inſtrumenta eius?
Quę denique practica, & modus? }

DE PRIMO *notandū*, quod ſumptio corporis Chriſti dicitur mādūcatio, ſimilitudinariè, ſumpta à manducatione reali. Nam ſicut manducatio realis eſt, quando cibus corporeus ab animali ſumitur, atque per vires animales corporeas guſtatur, dijudicatur, atque (ſi opus eſt) maſticatur, & conteritur, deinde in ventrem traijcitur, & inibi per calorem naturalem digeritur; atque tranſmutatur; donec ſufficienti digeſtione, ipſi alendo aſſimiletur, & ſic tandem in naturam, & ſubſtantiam ipſius cōuertatur: Sic ſpiritualis manducatio dicitur ad ſimilitudinem prioris; quando ſcilicet ſpiritus aliquod appetibile, ſiue amabile ſibi ſpiritualiter aſſumit per deſiderium; ſiue concupiſcentiam; & guſtat illud, atque dijudicat per delectationem, ac diſcretionem; maſticat, & conterit per diligentem examinationem; & deinde in ventrem memoriæ, atque affectus traijcit per amoroſam tentionem, ruminationem, immerſionem, atque ſerioſam inhæſionem; Inibi quoque per calorem ſpiritalis charitatis, atque deuotionis digerit, tranſmutat, & conuertit, non cibum in naturam ſui; ſed ſe ſpiritualiter (ſi dicere fas eſt) in naturam cibi; donec vnum fiat cum eo. In hoc enim vltimo (vt Henricus de Haſſia ait) alimentum ſpirituale, differt ab animali; eo ſcilicet quod iſtud intranſmutatum permanens, ſumentem aſſimilat ſibi: Aliud vero tranſmutatione media, fit ſimile finaliter aſſumenti. Eſt enim *amor extaſim faciens*, conuertens amantem in amatum: non vtique in vnitatem naturalem, quia vna natura non fit alia; ſed in vnitatem ſpiritalem, quia fiunt vnus ſpiritus, & vna voluntas: ſic quòd quicquid vult ipſum amatum, hoc idem vult, & ipſe amans. Hinc Dominus dixit Auguſtino, *Creſce, & manducabis me, nec tu me mutabis in te, ſicut cibū carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* Similitudo.

Pro ampliori huius ſpiritualis manducationis intellectu, *notandum* eſt, quod ſpiritualis manducatio, nil aliud eſt, quam effectus Sacramēti participatio, ſcilicet vnitatis corporis myſtici. Sumentiū autē ſpiritualiter triplex eſt gradus, (vt ait Ioannes de Turrecremata.)

Scil. { Communis, Proprius, Propriiſſimus, } & eſt { Fidei charitate Deo adhærere, Ex meditatione Chriſti deuotionē percipere. Chriſto adhærere, & deuotionē habere cum deſiderio ad Sacramētū. }

Et talis effectus conſequitur Sacramenti, etiāſi actu non accedat. Vnde liquet, quod non quicunque Chriſtum manducat ſpiritualiter, hoc Sacramentum ſpiritualiter manducare eſt dicendus. Spiritualiter enim Chriſtum manducat, qui fidem, & deuotionē habet ad Chriſtum, etiam ſine ordine ad hoc Sacramentum: Ille vero Sacramentum ſpiritualiter manducat qui fidē, & deuotionem habet ad Chriſtum

Digitized by Google

quæ nihil aliud eſt, quam frequens reditus mentis, & rationis, ſuper cibum ſpiritualem, cogitatione, deuotione, & affectu mentis, vt ſcilicet bene conſideretur, quid, à quo, in quo effectu, & propter quid accipitur. Debemautẽ (vt S. Thomas docet) totum Chriſtum ſpiritualiter maſticare; caput ſcilicet, & corpus cogitare; vel membra,

Scil	Noſipſos, Sanctos, & eorum vitã. Chriſtũ, & eius benefici:	dijudicando, pertractando, ruminando,	ad	Gognoſcendũ, Imitandum, Gratias agendum.

Deut.14. Hinc ſcriptum eſt, *Omne, quod mundum eſt, comedite.* Itemque. *Caput cum pedibus vorabitis.*
Exod.12. Poſt maſticationem ſapor diffunditur: Vnde recte ſequitur

Gradus quartus.

N. DEGVSTATIO, qua deguſtes: de qua Pſal.33. *Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* Et Eſaias c.55. *Audite audientes me, & comedite bonum. & delectabitur in craſſitudine anima veſtra*, id eſt dulcedine ſaporis. Et hoc,

Fiet	Dijudicando, Conferendo, Approbando	ſcili.	Quem ſaporem gignat. Quomodo alijs præſtat. Vt illud magnifices.

Sap.16. Debet enim homo diligenter *diiudicare*, quem ſaporem percipiat; multiplex eſt enim ſapor huius cibi: Omne enim delectamentum, & ſaporis ſuauitatem omnem in ſe habet, vt dicitur]; Et, *mel, & lac ſub lingua eius, & eius*
Cant.4: Sap.16. *ſpiritus ſuper mel dulcis*, vt infra patebit. ti.7, c.6. Quod ſi ſaporem nullum perceperit, cauſam inueſtiget, & emendet ſi poteſt. *Secundo debet alijs conferre*, & quomodo præſtat conſi-
Prou.3. derare & dicere cum Sapiẽte. Omnia, quæ deſiderantur, huic non valent comparari. *Tertio debet cibum hunc magnificare*, & cunctis præ-
Pſal.30. ferre exclamando: *O quam magna multitudo dulcedinis tuæ*, &c. Poſtquam eſt deguſtatum oportet, quòd intus trahatur: & ſequitur

Gradus quintus.

O PVRI ſuctio, de qua Eſaias c. 66. *Declinabo in vos, quaſi flumen pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam gentium ſurgetis.* Et infra; *Vt ſugatis, & impleamini ab vberibus, conſolationis eius.* Et eſt, qua inſtar ſuctionis realis (qua per venas nutrimentum iam ſub ſiliarum, & depuratum ſugitur) mens ſugat, id eſt, Chriſto intime incorporati optet; ita quod is gradus fiet deſiderando, & optando incorporationem Chriſti. Poſtquam cibus ſic eſt attractus, oportet quod ſingulis membris deferatur. Ergo ſequitur,

Gradus ſextus.

P DELATIO, de qua Sapiens, *Per nationes in*
Sap.7. *animas ſanctas ſe transfert.* Et eſt, qua, inſtar realis, ſiue corporalis delationis, ſingulis animæ viribus, & potentijs, cibus iſte, prout eis congruit, defertur. Et fit oratorio, & obſecratorio modo, vt ſcilicet oretur, & obſecretur per Sacramenti virtutem, Vt is cibus,

In	Ratione, Voluntate, Memoria, Cõcupiſcibili, Iraſcibili, Senſibili, Tota Anima,	ſit	Claritas lucis, Feruor pietatis, Cõſeruatio boni, Deſideriũ optimi, Dedignatio peccati. Imaginatio Chriſti, Dulcedo ſpiritualis cibi.

Sic cibo delato fit digeſtio, & aſſimilatio; non quidem cibi ad cibatum, vt in reali, & corporali manducatione; ſed cibati ad cibum, & hoc congrua ratione: *tum quia* cibus ſpiritualis, eſt dignior materiali; *tum quia* in ſua natura ſtabilior, nos enim mutabiles ſumus, Chriſtus vero immutabilis eſt. Hinc ſequitur,

Gradus ſeptimus.

VNIO, vel vnitiua aſſimilatio; De qua, *Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo.* Cum 1.Cor.6.
enim virtus huius cibi, & conditio ſit, mandu- Q
cantem conuertere in ſe; homo quadam aſſimilatione, & participatione totus efficitur diuinus; Vnde Euangeliſta, *Dedit eis poteſtatem* Io.1.
filios Dei fieri. Et quoniam ſimilium facilis eſt coniunctio; imo huic annectitur incorporatio, & vnio, quæ eſt nexus amoris, quo amans tranſit in amatum, & homo fit quodammodo Deus, eius vita viuens: Qua vita quiſquis viuit, magna profecto in terris noſtris Dei imago erit; Potens, alacer, fortis, promptus, expeditus, lætus, ad omne opus bonum, ſapiens, intelligens, prudens, circumſpectus, prouidus, aſtutus in omni veritate ſalutari, Amans, cõfidẽs, ſecurus, ſperans, ſpectãs, exultãs, deſpiciẽs, contemnens, paruipendens, multifaciens, ſtabilis, ſerenus, ſibi cõſtans, nihil extra quærens, intra ſibi ſufficiens. An hic homo tibi non paruus quidam Deus videtur? & beatam etiam in terris vitam agere? Et hæc omnia diuinus operatur amor, & iſta Euchariſtia grandis. Sed vt munda animalia ſimus, ſupereſt adhuc vnus gradus,

Gradus octauus.

IVGIS RVMINATIO: De qua illud Oſeæ, Oſea 8.
vt ſupra, *Ruminabunt ſuper tritico, & vino.* Et R
eſt, qua, non ſolum vno tempore praxi prædicta, cibum hunc vitæ manducemus: ſed qua continuè ſuauitatem eius eructemus, &

In	Conſideratione. Gratiarũ actione, Obſeruatione,	tanti Sacramenti tota die perſtemus.

His modis, qui cibum hunc manducauerit, vi- Io.6.
ta viuet, & mortem non guſtabit in æternum.

§ 4 *Compendioſior practica ruminationis tanti Sacramenti.*

SEd quoniã forſan aliquibus practica data, S
prolixa, & difficilis exercitatu videbitur; ideo oportet faciliorem deducere in medium. Bernardus manducationẽ hanc deſcribens ait. *Corpus Chriſti ſpiritualiter manducare, eſt paſſionis & redẽptionis eius beneficia attentius recolere, ad ſumendũ ſuauiter in conſcẽtia, & recolendũ*

Digitized by Google

fideliter in memoria. Imò Dominus ipſe (vt ante diximus) qui hunc panem dedit ipſe facilem practicam docet, ſicut magiſter verba vitæ habens, tradens eam à primis elementis, dicens, *Hoc facite in meam commemorationem.* Io. 6.
Ecce quam latam, facilem, planam ſalutis viam fidelibus ſuis conſtrauerit Deus; ita vt quiſquis volet præ foribus ac domi naſcentem poterit habere ſalutem. Quid enim tam ad manum, ſicut commemorare Chriſtum? Is autem efficacius manducat, qui magis amat. Quod itidem, & Anſelmus in libro ſuo de Corpore Chriſti pulchrè declarat dicens, *Per hunc cibum potius vita animæ, quam corporis quæritur; Vita autem animæ charitas, vel Deus: Vt igitur ametur ille, qui amor ſuus eſt ipſe, & qui habetur vbi amatur, ad hoc enutrire nos debet cibus iſte. Quicquid enim Redemptor noſter in carne fecit, ad hoc vtique, vt amaretur à nobis, fecit. Non, quod amore noſtro indigeat, qui bonorum noſtrorum non eget, per omnia ſufficiens ipſe ſibi: Sed quia, quos bonos facere ſuſceperat; niſi eum amando, non poterant eſſe boni. Cum ergo de carne ſua tantam ingerit ſe amandi materiam; vtique magnam, ac mirificam animabus noſtris vitæ adminiſtrat alimoniam. Quam tunc auidis faucibus ſumimus, cum dulciter recolligimus, & in ventrem memoriæ recondimus, quæcunque pro nobis fecit, vel paſſus eſt Chriſtus. Et hoc eſt conuiuium de carne Chriſti, & ſanguine; cui quicõmunicat, habet vitam manentem in ſe. Tunc autem communicamus, cum de fide ardentes, quæ per dilectionem operatur, reponimus in menſa Domini, qualia inde ſumſimus, ſcilicet vt ſicut ille totum ſe, pro ſalute noſtra præbuit, nulla ſua neceſſitate; ſic nos totos eius fidei, & charitati exhibeamus, neceſſitate ſalutis noſtræ. Liquet ergo, quod hunc cibum ille plus manducat, qui plus amat.* Hæc Anſelmus. Pſal. 15.
Vnde propterea infertur, quod quiſque ſibi illam maſticationis practicam debet eligere, qua ſe nouit amplius in amorem Dei inflammari; ſit hoc commemorando ſolum; ſit hoc conſiderando, ſit ſuſpirando, aut ſcalâ ſupradictâ; quanquam communibus commemoratio ſit magis apta.

§. 5. Quæ & qualia ſint ruminanda.

T SEd de his practicis viſis, qui in ruminando proficere volet, non ſolum modum, vt ſciat oportet; verumetiam ſcire neceſſe habet, quæ ſint ruminanda, & quando hoc oporteret.

Vt ſcil. { Certa puncta habeat, / Certum ſibi tempus conſtituat. } ne { fluctuet: / intermittat. }

De *tempore* ſuo more dicimus, vt quiſque hoc, prout ſibi congruit, adaptet; tantùm certum ſibi præfigat tempus. Poſt celebrationem tamen videtur conuenientius iſtud exercendum à *Sacerdotibus*. De *materia*, autem, quæ ſit ruminanda, varij varia ponunt. *Quidam* conſiderant relucentia diuina attributa in hoc ſacramento, vt Dei potentiam, ſapientiam, & amorem; *Alij* corpus traditum, & ſanguinem effuſum complectuntur. *Nos autem* in diuitijs huius Patris familias menſa tria proponemus in genere fercula maſticanda, ſecundum dies diſtincta, vt ſic ſemper habeat anima *promptuaria ſua plena eructantia ex hoc in illud*, & ſi cui vnum non ſapuerit, vel in alio oblectetur. Alterna enim delectant. Sunt autem iſta fercula, ſingulis diebus ruminanda, Pſ. 143.

Ferculum { Primum, / Secundũ, / Tertium, } *cõficitur,* { Septẽ Sacramẽti nominibus. / Septemplicibus conſiderationibus, / Septem agni paſchalis portionibus. }

Cuiuſque ferculi ſunt ſeptem buccellæ, vel boli, vt ſic cum filijs Iob, conuiuemus ſeptem diebus. Sed iam de primo ferculo proſequamur. Iob. 1.

Incipit Ruminatorium nominum, ſiue de primo ferculo, puta de nominibus Sacramenti.

CAPVT II.

DOMINE *nomen tuum, & memoriale tuum in deſiderio animæ,* Eſa. 26. Eſa. 26.

PRIMVM igitur ferculum inſtruitur ex nominibus huius ſacramenti. Nam tanta eſt altitudo ſacramenti huius, quod vno nomine digne non poterat explicari; & dilectis & caris plura nomina dare ſolemus. Quamquam autẽ multa ſint valde; ſufficiat tamen, vel ſeptem hic aſſignare, Albertum Magnum, in ſuo de Corpore Chriſti, inſequendo; ex cuius dictis maxima pars huius eſt excopiata.

Debemus ergo poſt communionem, diligenter quid ſuſceperimus conſiderare, & nomina iſta deuotè maſticare, & ſic ſuauitatem horum eructare, & dicere cum Sponſa, *Oleum effuſum nomen tuum;* Et cum Sapiente, *Melius eſt nomen bonum, quam vnguenta pretioſa.* Quiſquis autem nomina hæc deuotè portauerit in corde, frequenter ea ruminando, confidat certus, quod nomen eius in libro vitæ ſcribetur, & portabit in cælis nomen Dei, & agni in fronte, ſingulariter inde gaudendo. Sunt autem nomina iſta, Cant. 1. Eccle. 7. Apoc. 22.

Eucharis, & Donum, Cibus eſt Potuſque, Synaxis,
Hoſtia tum dictum, Sacramentum memorandum.

Sed iam de ſingulis his proſequendum.

Digitized by Google

MEMBRVM I.

Euchariſtia.

PRIMO itaque ponitur in genere Euchariſtiæ, & Euchariſtia quid ſonat? bona gratia nominatur ſecundum Albertum, & hoc potiſſimum ſex de cauſis.

Nil, grato, gratis, cauſans, cellit, retinetque.

Quia
- Nil aliud eſt, niſi gratia,
- Non datur, niſi à gratiſſimo,
- Gratiſſimis eſt amicis præparatum,
- Cauſat optimam gratiam,
- Cumulum continet gratiarum,
- Omnis gratię eſt contentiuum.

§. 1. *Euchariſtiam eſſe bonam gratiam.*

I. PRIMO, quia nil aliud eſt, niſi *gratia*, & nil poteſt aliud quod ex nomine patet, quod ſonat bona gratia. Quia cum in omnibus Sacramentis, gratiã percipiamus, tamẽ in hoc Sacramẽto totũ eſt gratiæ quod videmus, tangimꝰ & guſtamus. Vnde dicitur *Exæquabit gratiam gratiæ eius.* Quia quicquid in alijs ſacramentis, & virtutibus eſt ſparſum, totum hic in vna iſta gratia inuenitur recollectum. Vnde & ipſè per menſurã *Gomor*, quæ vnicuiq; ſufficiebat, eſt ſignificatum; & per vrnam auream præfiguratum. Imò nec poteſt eſſe, niſi gratia, eo quod nec merito, nec prece, nec pretio comparari poteſt. Quis enim dignis meritis, aut digna prece, vel pretio hoc comparare poteſt, quod in ſua ſolius dulcedine parauit pauperibus ſuis Deus? Hinc Pſal. 67. *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.* Et Sapientię 12. *Paratum panem præſtitiſti illis ſine labore.* Item, ſi gratia dicitur, quę gratis habetur; non poteſt hoc ſacramentum eſſe, niſi gratia, in quo ſeipſum dat Deus. Si autem gratia dicitur, quia gratis accipitur, iterum non poteſt eſſe niſi gratia, quia nihil ita gratis accipitur, ſicut quando ſeipſum dat Deus. Prouerb. 22. *Super aurum, & argentum gratia bona.*

Zach. 4.
Exod. 16
Heb. 9.

§ 2. *Euchariſtia datur à gratiſſimo.*

II. SECVNDA cauſa eſt. Grato, *quia non datur niſi à gratiſſimo.* Licet enim omne, quod nobis datur, ex bona Dei voluntate nobis detur; tamen excellenter ad nos gratiſſimam habuit voluntatem, quando hoc ſacramentum nobis pręparauit. Ad hoc enim inclinauit eum torrens ſuæ bonitatis; & illa ſex quæ omne cor faciunt exuberare gratia ad ſubiectos (vt dicit Albertus) Et ſunt hæc,

Placat, dulce, bonumque: benignus, & eſt piè charus.

Primum dicitur, *placabilitas*, & eſt, qua quis facile veniam donat agnita culpa, & non auerſatur à beneficijs propter commiſſa aliqua contraria. Oſtendit autem Dominus Ieſus placabilitatem in hoc, quod non niſi gratioſa pro nobis cogitauit; & hanc Euchariſtiam pro veteribus delictis (quibus prouocatus fuit) expiandis præparauit. De hac Ioel 2. *Benignus, ac miſericors, & præſtabilis ſuper malitia.*

Secundum dicitur *dulcedo*, & eſt, qua omnis amaritudo, & memoria iniuriæ, & offenſæ præteritæ de medio tollitur. De hac dulcedine ſe Sponſa in Cant. 5. iactauit dicens, *Comedi fauum* humanitatis, *cum melle* diuinitatis, *Bibi vinum* pretioſiſſimum ſanguinis Chriſti. O dulcedinem! O ſaporem!

Tertium dicitur *bonitas*, & eſt ſui ipſius ad animam communicatio, vel diffuſio, vel qua eſſe proprium jis communicat, quibus bonus eſt. In hac autem Euchariſtia communicat nobis ſuam Deitatẽ, & ſeipſum totũ in nos infundit ſpiritualiter, corporaliter, participatiuè.

Quartum dicitur *benignitas*, quæ eſt ſuper actu ingratos & rebelles, & eſt boni, igniti, & liquefacti cordis in omni bonitate effluxio. In hac autem Euchariſtia, ignitum eius bonum, vt torrens voluptatis nobis infunditur. Pſal. 50. *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Syon*, &c. Non enim ædificabimur in muris Hieruſalem niſi lapidis angularis ſimus partes, & membra, cui incorporamur per admirabile ſacramentum Euchariſtię. Hæc benignitas figuratur in Razia, qui viſcera diffudit ſuper populum.

Quintum dicitur *pietas*, & eſt affectus conſanguineitatis, vel eſt in ſibi ſimilia ſemper liquefactus affectus, & vnio. Pietas tanta hic relucet, quantus eſt affectus conſanguinitatis; & quia omnis Paternus, & Maternus affectus ex ipſo ſcaturit, magis pius hic eſt erga ſuos, quam ſi omnium Matrum affectus erga ſuos filios in vnam Matrem conflarentur. De hac Apoſtolus ait, 1. Tim. 3. *Magnum eſt pietatis ſacramentum*, &c.

Sextum dicitur charitas, & eſt motus animi non propter ſe; ſed propter alterum, quæ omnium præcedentium diuinior eſt, quia charitas non amat rem amatam propter ſe; ſed ſe propter rem amatam. In hoc charitas Chriſti claret, quod ita totum ſe ad nos effudit, & expendit, quod nihil ſui à nobis continuit; Deitatem, ſpiritum, animam, ſanguinem, & Corpus nobis exhibens, ad fruendum. O quis hoc ſecum voluens non totus amore liqueſcet? quis non charitate flammeſcet?

§. 3. *Quia præparatur chariſſimis.*

TERTIA principalis cauſa, quare nominatur Euchariſtia eſt, gratis, hoc eſt, *quia gratiſſimis eſt amicis præparatum*: Quod autem gratiſſimis præparatur, optimè gratiæ nomen accepit; quia gratiſſimis optima cupimus, & optamus. Cuius quatuor (Iuxta Albertum) ſunt cauſæ, III.

Interni, digni, perabundant, conſimiles ſunt.

Prima cauſa eſt, quia Chariſſimi ſunt *Intimi*, & ideo intima ad Deũ gaudẽt dilectionis cõiunctione; & hoc per optimam gratiam perficitur. Hinc Cantica dicunt, *Comedite amici.* & Geneſ. 43. *Introduc viros in domum, comeſturi ſunt mecum hodie.* Hinc verſus ille,

Rex ſedet in cœna, turba cinctus duodena.

ſcilicet Apoſtolorum.

Secunda cauſa eſt *Digni*, quia chariſſimi

maiore coniunctione ſunt digni. Dignitas autem hæc, & electio per optimam gratiam fieri habet, vt ſcilicet optima gratia gratioſiſſimi potiantur. Hoc ſignatum eſt apud Danielem
Dan.1. vbi Rex pueros, quibus nulla macula erat, iuſſit introduci; Item in conuiuio Aſſueri, quod fecit tertio anno Imperij ſui, cunctis Principibus,& inclytis ſuis.

Tertia cauſa eſt *Perabundant*, quia chariſ-
Heſt.1. ſimi non poſſunt eſſe in ſuperabundantia gratiſſimi, niſi per optimam gratiam: De qua A-
Heb.13. poſtolus, *Optimum eſt gratia ſtabilire cor.* De hac Eſaias pulchrè ait, *Faciet Dominus exerci-*
Eſa.25. *tuum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium medullatorum, & vindemiæ defecatæ.*

Quarta cauſa eſt, *Conſimiles* ſunt, quia chariſſimi fonti gratiarum ſunt ſimillimi, quia Christo concorporales, & incorporati ſunt effecti; quæ incorporatio fit per hoc Sacramentum. Hinc Dominus ait, *Ego diſpono vobis, ſicut*
Luc.22. *diſpoſuit mihi Pater, regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*, id eſt gratiæ. Quia igitur hæc Euchariſtia præparatur, & datur,

Tã { Intimis, Dignis, Excellẽtibus, Simillimis, } in { Charitate, Merito, Gratia, Fonti gratiarum, } *Iuſte Eucharistia dicitur.*

O ſtudeamus eſſe tales, quibus talis gratia præparetur!

§ 4. *Quia cauſat optimam gratiam.*

IV. QVARTA principalis cauſa quare Euchariſtia nominatur, eſt, *cauſans*, quia nõ-niſi *bonam gratiam operatur*, & omnis ipſius effectus optimæ gratiæ eſt effectus; quod patet ex quattuor,

Inueniens, proprium, ſimul acceptum, niſi gratum.

Primo patet hoc, quia hoc Sacramentum eſt Spiritualis gratiæ coram Deo Inuentiuum:
Mat. 26. Patet, *quia hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*, vt ſcilicet vos coram Deo gratias inueniatis. Hinc Prou. 13. *Multi cibi in nonalibus Patrum.* Exclamemus itaque cum muliere illa,
Ruth.2 & dicamus, *Vnde mihi hoc, vt inueniam gratiam ante oculos tuos?*

Secundo proprium, id eſt, quia hoc Sacramentum habet proprium gratiæ effectum; qui eſt *ſtabiliri, & confortare in bono*; Panis autem
Pſ. 103. cor hominis confortat. Vnde & Paulus, *Cum*
Act.9. *accepiſſet cibum, confortatus eſt.*

Tertio, quia acceptum eſt ſpecialiter Deo,
Pſ.50. *Acceptabis ſacrificium iuſtitiæ.* Sine hac enim gratia nil acceptum. Hinc Malach. 1. *Non eſt mihi voluntas in vobis.*

Quarto gratum, id eſt, nihil in eo, niſi quod eſt gratum. Omnia enim quæ in ipſo ſunt, ſunt Corpus, Anima, Deitas, quibus gratius nihil eſſe poteſt: Nihil igitur, niſi gratiæ plenitudo inuenitur in hoc Sacramento, quod tanta efficit bona; & ideo merito Euchariſtia, id eſt bona gratia nominatur.

§ 5. *Eſt gratia ſuper gratias & cumulus gratiarum.*

QVINTA principalis huius nominis cauſa eſt, quia Cellit, id eſt, quia *eſt gratia ſu-* V.
per gratiam, quaſi cumulum continens gratiarum. Nam plurimam gratiam hoc confert Sacramentum,

Iungo, pio, redimo, vitam, do, cibo, beo te.

Primo confert hoc Sacramentum gratiam communionis omnium membrorum ex corpore. De qua Apoſtolus. 1. Cor. 10. *Panis quem frangimus nonne communicatio corporis Chriſti eſt?* quaſi diceret, ſic eſt, quia itidem dicit. Ro. 12. *Sicut in vno corpore multa membra habemus,* &c. *ita multi* vnum corpus ſumus in Chriſto. Hinc Pſal. 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te.*

Secundo confert gratiam Expiationis ex ſanguine. Heb. 9. *Sanguis Chriſti mundabit conſcientiam veſtram.* Quem is ſanguis non expiauerit nunquam mundatur. Pſal. 50. *Aſperges me hyſopo*, &c. Hinc dicitur de omnibus ſanctis: Apoc. 6. *Lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni.* Hinc habetur in Exo. 19. *Sanguis eſt expiationis.* Itemque apud Paulũ, Heb. 9. *Sine ſanguinis effuſione non fit mundatio.*

Tertio confert gratiam redemptionis, ex anima, quæ pro nobis offertur in hoc ſacramento. Hoc enim (vt dicit Ambroſius) eſt admirabile pretium, cuius pondere redempta eſt tota captiuitas mundi, tartarea confracta ſunt clauſtra inferni, aperta eſt nobis ianua regni, & nos omnes ſumus liberati. Quia pretium animæ Chriſti plus ponderis intulit Theſauris Patris, quam totum abſtulit genus humanum: vnde Apoſtolus, 1. Cor. 6. *Empti eſtis prætio magno*, quia anima Chriſti.

Quarto confert gratiam viuificationis ex ſpiritu, Ioh. 6. *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Ibidem, *Spiritus eſt, qui viuificat.* Hic ſapiens ait, *Cibauit illum pane vitæ.* Item Eccle. 15. *Sapiens vitam filijs inſpirauit.*

Quinto habet, & hoc ſacramentum gratiam refectionis, ex diuinitate, hæc enim eſt, quæ reficit, & confert homini incrementum, nam, Neque qui plantat eſt aliquid neque qui ri- 1. Cor.3.
gat; ſed qui incrementum, dat Deus. De hac paſtura dicit *Nolite timere, ego paſcam vos, & li-* Gen.50.
beros veſtros. & Eſa. 50. *Suſtollã te ſuper altitudinẽ terræ, & cibabo te hereditate Iacob Patris tui.* Altitudo terræ eſt excellentia corporis Chriſti.

Poſtremo confert & gratiam æternæ beatitudinis ex toto ſigno Sacramenti, ſicut dicit Diuus Dionyſius; Et Gregorius in Collecta quadam, *Præſta, vt quod nunc ſpe gerimus, rerum veritate capiamus.* Sicut enim Chriſtus in ſpecie ſacramenti nunc ſacramentaliter nobis influit ad gratiam; ita ſecundum Deitatem influit ſe nobis, & omnibus beatis ad gloriam. Et hoc eſt, quod dicitur Ioan. 17. *Ego claritatem, quam dediſti mihi, dedit eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus.*

Digitized by Google

§ 6. Eſt omnis gratiæ contentiuum.

VI. SEXTA, præcipua, & vltima cauſa, quare hoc ſacramentum Euchariſtia appellatur, eſt; quia *retinet*, hoc eſt, quia omnis gratiæ eſt contentiuum. Continet enim eum, qui eſt vas omnium gratiarum pleniſſimum, quare, & nominatur ſacramentum ſacramentorum. Quia enim omnia ſacramenta ſignant, & continent diuiſim, & particulariter; illud ſimul complectitur continendo, & vas, & actorem omnium
Eccl. 50. gratiarum. Hinc Eccleſiaſticus habet, *Quaſi vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo.*
Coloſ. 2. *In ipſo enim ſunt omnes Theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei reconditi.* Quod eſſe non poſſet, niſi perfectè in ſe ſplendorem diuinitatis contineret. Splendor enim ſanctorum totus

In {
- Ipſo ab æterno reſplenduit.
- Ipſo contentus remanſit.
- Agro humanitatis eius germinauit &
- Ab ipſo proceſſit.
- Ipſo exiſtens à ſanctis particulariter excipitur.
- Ipſo eſſe cognoſcitur, & admiratione oſtenditur.

Reſplendet, remanet, germen pro, captus vbique.

De primo dicitur Pſal. 109. *In ſplendoribus Sanctorum ex vtero genui te*, & hoc in ſacramento continetur.

De ſecundo, quod continet ſplendorem in plenitudine copię, quia nunquam deficiet,
Matt. 28. Domino dicente, *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſecuh.* Eſt quoque in ſacramento plenitudine effluentiæ, influens in nobis.

De tertio, ſcilicet quod totum, quod eſt ſanctitatis, & gratiæ, in agro ſuæ humanitatis nobis
Gen. 27. germinauit, Patriarcha magnus ait, *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.*

De quarto, quod totum, quod eſt noſtræ ſalutis, ab ipſo proceſſit. Ioan. 1. *De plenitudine eius accepimus omnes.* Hinc dicitur, *Valde admi-*
Heſt. 10. *rabilis es Domine, & facies tua plena gratiarum.*

De quinto patet, quòd à ſanctis particulatim
Mat. 25. hæc gratia excipitur, quia *vnicuique datur ſecundum virtutem propriam.*

De ſexto quod plenitudo gratiarum in ipſo eſſe cognoſcitur, & oſtenditur, patet, quia à quocunque inſpicitur, mirabilis, & plenus gratia inuenitur.

In {
- Facie Deitatis cauſatur gratia.
- Facie Humanitatis propagatur gratia.
- Natiuitate conſecrat virginitatem.
- Vita decorat conuerſationem,
- Verbo oſtendit gratiæ veritatem,
- Miraculis probat gratiam potentem.
- Morte gratiam efficacem.

Heſt. 15. Et ſic omnis facies eius, plena eſt gratiarum probans quoniam gratia per Chriſtum.

MEMBRVM II.

De nomine Sacramenti quo dicitur Donum.

D*Abitur illi fidei donum electum, & ſors in templo Domini acceptiſſima.*

SECVNDO pònitur hoc ſacramentum in genere doni, & *Donum* nominatur: In quo tria ſunt conſideranda. Sap. 3. VII.

Cernas nunc dantem, Donum, ſimul accipienter.

Debemus enim conſiderare proprietatem, {
- Donantis.
- Doni.
- Cui fit donatio.

§ 1. *Proprietas donantis.*

PROPRIETAS autem Donantis in Dono iſto triplex eſt.

Magnificus dator eſt hilariſque affectus & ardens.

PRIMA proprietas Donantis eſt, *magnificentia in largitate.* Magnificus enim eſt, qui tantũ Donum dedit. Vnde legitur, *Quis ſimilis tui in fortibus Domine, magnificus in Sanctitate?* Tantũ enim in hoc Dono dedit, quantum ipſe in corpore, Deitate, & anima habuit. Exo. 15.
Et (vt dicitur in libro Heſter 10.) *Largitus eſt munera iuxtam magnificentiã principalem.* Vere *eleuata eſt magnificentia tua Domine ſuper cælos.* Pſal. 8. quoniam quicquid gratiæ eſt in cælo, & gloriæ nobis contuliſti.

Altera proprietas, *eſt hilaritas* in donatione; Sed quis ſufficiet exprimere iſtam? Si enim aliqua triſtitia cordis in dando tetractus fuiſſet; non totum in dono ſeipſum dediſſet. De hac Eccleſ. 35. *In omni dato fac hilarem vultum tuũ, & in exultatione ſanctifica decimas tuas.* Et Solomon. Prouerb. 16. *In hilaritate vultus Regis, vita & clementia eius.* De proprietate namque magnifici eſt, delectari in magno donando, & contriſtari ſi magna donare non poterit. Quod figuratum eſt in phaſe, quod celebrauit Ezechias. 2. Paral. 19. *Qui magna dedit.*

Tertia proprietas eſt, *affectus donantis*, in doni charitate: ſed ad hunc affectum exprimendũ nullus ſermo valere poteſt. Quantus is fuit ipſe notauit, quando dixit Luc. 22. *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum.* Deſiderio deſiderabat, qui ex intimo affectu ſe ſuis tam plene communicauit, & gaudens mortem ſuſtinebat. O igitur, talem datorem amemus, & colamus.

§. 2. *De proprietatibus doni.*

SECVNDO principaliter debemus conſiderare proprietates ipſius doni, quæ quatuor ſunt, VIII.

Nobile, ſufficiens, dat & vtile, conſimilatum.

Prima proprietas doni eſt, *Nobilitas*, quia nobile pretioſum eſt, & electum: de quo verba ſupra allegata dicuntur. ſcilicet, *dabitur illi fidei donum electum.* Sap. 3. Omnibus enim donis fidei, hoc ſacramentum præſtat, vt patet. Eſt &

ſors acceptiſſima; quia in hoc dono omnia alia fiunt accepta. De hoc dicitur in Prou. 21. *Munus abſconditum extinguit iras, & donum in ſinu indignationem maximam.*

Secundo, eſt hoc donum ſufficientiſſimum, ſiu *copioſitate*, quod de ſuis copioſis abundantijs nobis largitus eſt Deus, Vnde Paulus, 2. Cor. 9. *Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.* In donis enim gratiæ vnum eſt, quod ad omnia ſufficit: Thob. 8. *Omnia in te vno habentes, non te debuimus dimittere à nobis*, & Apoſtolus, 1. Cor. 3. *Sufficientia noſtra ex Deo eſt.* Ro. 8. Quomodo enim cum filio non omnia nobis donauit? Eſt ergo ſufficientiſſimum donum, vt patet.

Tertio, eſt etiam donum *Vtile*, omnem in ſe habens vtilitatem: De quo Eccli 20. *Eſt datũ, quod non eſt vtile*; ſcilicet mundi, *& eſt datum cuius eſt retributio duplex*, ſcilicet Chriſti-Sacramentum, reficiens vitæ ſpiritualis deperditę reſtaurationem, & proficiens in redemptionem: Et poſt ſubditur ibi. *Multum autem pretium* (ſcilicet corporis Chriſti, propter humilitatem) *multa redemit, & reſtituit in ſeptuplum.* Hæc eſt ergo vtilitas huius doni.

Quarto, eſt donum *conſimilatum*, id eſt, habens ad donantem conformitatem, vt in ipſo donans ipſe totus ſit, & in toto habeatur. Mat. 26. *Hoc facite in meam commemorationẽ.* Vnde, *& memoriale abeuntis Domini* vocatur, quia in ipſo recordatio, & repræſentatio Domini habetur, Pſal. 136. *Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui.* Hierem. 25. *Recordamini procul Domini, & Hieruſalem aſcendat ſuper cor veſtrum.* Sunt autem tria, quorum facit memorationem:

Nempe { Dulciſſimæ charitatis, in qua ſe nobis in ſacramẽto exhibuit; Amariſſimæ paſſionis, quam pro nobis ſuſtinuit. Tranſitus ex hoc mundo ad Patrẽ quo nobis aditũ aperuit. } *Ecce* { Amor. Veritas. Spes. }

De primo, Oſeæ 14. *Memoriale eius, ſicut vinum libani*, quod valde inflammat. De ſecundo. Ieremias, cap 3. Thre. 3. *Recordare paupertatis meæ, tranſgreſſionis, Abſynthij & fellis.* De tertio. Paulus Hebr. cap. 9. & cap. 10. *Per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta.* Hinc infertur, *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Chriſti, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei.* Nunquam enim obliuiſcendum, quod pro nobis abij; & ſanguinis, quo introiuij; ad hoc quod ſemper imitare poſſimus nobis frequentandum in deuotione reliquit. hinc Pſal. 136. *Si oblitus fuero tui Hieruſalem obliuiſcatur me dextera mea.* Hæc de conſideratione doni.

§ 3. *De proprietatibus doni huius in accipiente.*

TERTIO, agendum eſt de *proprietate doni in accipiente* Nam donum in accipiente tres quærit, & debet habere proprietates, IX.

Perficiens, quam conueniens hoc, permaneatque.

Prima proprietas eſt, *perficiens*, quod ſit effectuoſum, proprios veri doni perficiens effectus, vt ſcilicet ſuſcipienti aliquid conferat. Multi enim dant, qui effectum doni non habent, quia nihil conferunt, niſi nocumentum. Vnde Eccleſiaſt. 20. *Datus inſipientis non erit tibi vtilis.* Iſtud autem eſt datum, cuius *retributio duplex*, quia *gratiam & gloriam confert*: habet enim hoc donum multiplicem effectum; vnum autem ſubſtantialem præter cæteros, vt eſt reſtauratio deperditæ ſpiritualis vitæ.

Altera proprietas eſt, *modus conueniens*, hoc eſt, quod ſit ei, cui donatur, conueniens, & proportionatum. Non enim idem eſt dandum militi, & ruſtico; Non idem puero, & ſeni. Dicit enim Philoſophus, quod ſphera, & lecytus pulcherrima magnificentia ſunt puerilis doni; quæ tamen ſeni exhibita potius irriſio, quam dona viderentur. Hinc Saluator de homine talenta diuidente, *Dedit vnicuique ſecundum propriam virtutem*, Mat. 25. hoc eſt, ſecundum propriæ virtutis proportionem. Hoc ergo donum quantæ eſt æſtimationis, quod vnicuique propriam, & à ſe deſideratam fert gratiam ac dilectionem? Sap. 16. *Voluntati vniuſcuiuſque eorum deſeruiens, ad quod quiſque volebat conuertebatur.* Et. *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, habente in ſe omne delectamentum, & omnem ſaporem ſuauitatis.* Apoſt. Phil. 4. *Habeo omnia, & abundo.*

Tertia proprietas eſt, permaneatque, quod ſit perſeuerans cum eo, qui accipit, & in vita, & in morte; nec ſit euaneſcens. Eccleſ. 11. *Datio Dei permanet iuſtis, & profectus illius ſucceſſus habebunt in æternum.* Hæc enim eſt vera datio, quæ

In { Tranſitu, Vita, Iudicio, Patria, } *permanet in* { Viaticum, Refectionis cibum, Redemptionẽ. Beatitudinis fruitionem. }

Hoc modo, *nouit pater cæleſtis bona data dare filijs ſuis*, Luc. 11. quæ permanent in gratia, aut gloria vel contenta, aut ſignificata. Thobias, *Bonis omnibus per eum repleti ſumus.* Et hæc de dono. Heb. 12. O tale donum ſtudioſè exoptemus, datum diligenter conſeruemus: vt fructum eius guſtemus.

MEMBRVM III.

De tertio nomine Sacramenti, quod dicitur Cibus.

C*Ibauit illum pane vitæ, & intellectus.* Eccleſiaſticus c. 15.

PONITVR quoque tertiò hoc Sacramentum

Digitized by Google

in genere cibi, & *cibus* nominatur, vt ipſe Dominus Ieſus teſtatur, pænes Ioannem, dicens, *Caro mea verè eſt cibus*, Ioa. 6. & hic cuiuſmodi ſit cibus eſt videndum,

Ex genere,	*Sapore.*	*Præparatione,*
Nobilis,	& ſuauis,	Lautus,
operatione,	*virtute.*	
Sanus quoq;,	nutrit.	
Similitudine.	*Subtilitate,*	
Congruit,	Et penetrat,	
Connaturalitate,	*Apprehenſione.*	
Vnibilis,	Hæſibiliſque,	

Vnde, hæc nouem, hic conſideranda.

Scilicet ibi	Nobilitas,	*Ex*	Genere,
	Suauitas,		Sapore,
	Lautitas,		Præparatione,
	Sanitas,		Operatione,
	Nutritiuitas,		Virtute,
	Ad cibatum congruitas		Similitudine.
	Penetrabilitas.		Subtilitate,
	Vnibilitas,		Cõnaturalitate,
	Hæſibilitas,		Apprehenſione.

§ 1. *Nobilitas Sacramentalis cibi.*

x DE PRIMO, quam nobilis eſſe debet is cibus, ex tribus patet, ſcilicet,

Regius, & natis Regis, Regiſque culina.

De primo, quia eſt *cibus Regius*: Vnde Gen. 49. *Aſer pinguis eſt panis eius, & præbebit delitias Regibus*. Non enim ignobilis ille cibus, qui delitias Regibus præbere valet. Hic eſt cibus, qui Vriæ fideliſſimo militi exhibitus eſt à Dauid, cum reuerteretur ab exercitu: vbi dicitur, *Egreſſus eſt Vrias de domo Regis Dauid, ſecutuſque eſt eum cibus Regius*. Vrias autem interpretatur lux Dei mei, vel incendium meum Dominus. Sic etiam in figura dicitur, quod Euilmerodach Rex Babylonis eleuauit Ioachim, & comedebat panem coram eo ſemper, & de menſa Regali cibaria fecit exhiberi. Sic ergo eſt cibus Regius, quia Regibus præparatus. Regibus inquam illis, qui in regno Chriſti omni decore virtutis coronati, Regium honorem obtinuerunt. — 2. Reg. 11.

Secundo, ideo ex eo apparet nobilis, quia *Filiis Regis ad Regnum vocatis eſt datus*, & ordinatus: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*. Hi autem ſunt filij de quibus dicitur, *Qui non ex ſanguinibus*, &c. *ſed ex Deo nati ſunt*. Et ergo vocatur *panis Angelorum*, qui *filij Dei* vocantur in gloria cum eo regnantes. Pſal. 77. *Panem Angelorum manducauit homo*, ſcilicet, ad ſimilitudinem Angelorum prouectus. Sap. 16. *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum*, &c. & ergo nobilis valde. — Mat. 15. Io 1.

Tertio nobilis eſt, & apparet, quia de *ipſa ſummi Regis Culina, & Promptuarijs eſt Sumptus*. Pſalm. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ*. In domo enim Regis, & talis Regis non eſt aliquid, niſi ſplendidum, & regale, & abundans. Eccli. 31. *Splendidum in panibus, benedicent labia iuſtorum*, Pſal. 142. *Promptuaria eorum plena*.

§ 2. *De huius cibi ſuauitate.*

IAM de *ſaporis ſuauitate* videndum, qui in hoc cibo, à ſpiritualiter guſtantibus eum, inuenitur: Ad cibum enim bonum pertinet ſaporis ſuauitas: Vnde nota, quòd hic cibus habet ſapores ſeptem, Eſt enim, XI.

Ex corpore.	*Sanguine ex anima,*	
Purus,	Dulcis,	arõ,
Ex ſpiritu,	*Deitate,*	*Vnione.*
Subtilis.	Gratia,	Cæli.

Aro, id eſt Aromaticus.

Sapor eſt ſequela complexionis: Vnde ſicut res propriam habet complexionem, ſic etiam habet appropriatum ſibi ſaporem. Et *nota*, Iſaac in dietis vniuerſalibus 6. ſapores ponit, qui ſunt dulcis, pinguis, ponticus, ſtipticus, acutus, acetoſus, qui inſipidus vocatur: Quorum optimi omnes ſunt in corpore Ieſu Chriſti; ita quod de eo dici poteſt, quod guſtus puritatis permanſit in eo, & odor, qui eſt ſaporis quædam euaporatio, non eſt immutatus. Omnino enim incorruptum eſt, quod in ipſo eſt. Pſal. 15. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*. Impuritatis autem odor ab aliquo impuro reſoluitur, & ſapor conſimiliter. Hæc autem omnia ſunt pura: vt patet conſideranti principia hoc corpus perficientia. — Ier 48.

Quæ ſunt	Materia,	*quæ eſt*	Puriſſimus ſanguis vteri virginalis.
	Virtus diffuſa,		Virtus altiſſimi obumbrans.
	Virtus operans,		Spiritus ſanctus ſuperueniens.
	Virtus aſſumens,		Filius Altiſſimi Deus.
	Anima.		A ſancta Trinitate creata.

Quid ergo impuritatis in hoc corpore guſtari poterit? Vnde dicit ipſe, *Puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam & cum eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum*. vt patet ſupra. Habet puriſſimum ex omni parte ſaporem. — Sap. 8.

Secundo habet ſaporem *dulcedinis* valde amabilis ex ſanguine: Naturale enim eſt, quod omnis ſanguis ſit dulcis ſaporis, quia vltimum eſt nutrimentum nil nutriens, niſi dulce. Vnde oportet, quòd omnis ſanguis incorruptus, dulcedinis habeat ſaporem. Quantæ igitur dulcedini putas eſt ſanguis Sacramenti huius,

Qui	ex tam dulci	Fonte emanat.	*Puta*	Sanguine Chriſti.
		Medio hauritur.		Spiritu ſancto,
	In tam dulce vas tranſfunditur.			Corpus chriſti.

Qui conſequenter ex Dominico corpore manat in ſacramentum, & ex ſacramento in corda fidelium, quæ omnia nil habent amaritudinis admixtum: Cant. 2. *Fructus eius dulcis gutturi meo*. Et Salomon Pro. 24 *Comede fili mi mel, quia bonum eſt, & fauum dulciſſimum ſanguinis*, ſ. Chriſti, *gutturi tuo*.

Tertio, habet ſaporem aromaticum omni virtute fragrantem ex anima, quæ omnibus virtutibus fuit, eſt, & erit perfectiſſima. Vnde, & per hortum deliciarum eſt ſignata; Can. c. 4. *Surge aquilo, & veni auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Item, *odor tuus, ſuper omnia aromata.* Odor autem indicium eſt ſaporis, & reſpiratio quædam ex ſapore facta, vt patet.

Quarto, habet ſaporem ſubtilitatis ex ſpiritu humano Chriſti; qui eſt in hoc Sacramento, & paſſiones ad vitam; & animales perficiens operationes, ad cognoſcendũ. Subtilium enim & ſpiritualium ſapores, & odores, valde ſunt ſubtiles, & facile penetrantes. Tali enim ſpiritu pleno ſapore ſe transfert Dominus in omnium animas, & in ſaporem ſuum conuertit: Vnde Apoſtolus, Heb. c. 4. *Penetrabilior omni gladio ancipiti.* Et *nota*, quod quamuis ſubtilitas non ſit ſapor, tamen diſpoſitio eſt omnis ſaporis, & odoris in nos ſubtiliter penetrantis, noſque ad omnem ſui ſpiritus informantis ſaporem.

Quinto habet ſaporem gratioſum valde ex Deitate. In qua (vt dicitur) *Vidimus gloriam eius quaſi vnigeniti à Patre*, &c. Hoc ſapore cibus ille præfertur omnibus delectabilibus, nec aliquid eſt, quod comparari poſſit delectationi huius ſacramenti. Pſal 36 *Delectare in Domino.* Si enim delectatio eſt (vt Aſpaſius dicit) diffuſio naturæ ſuper maximè conueniens; inæſtimabilem conuenit eſſe delectationem ſuper guſtum Deitatis, omni gratia, & omni bono refertum; Pſal. 15 *Delectationes in dextera tua vſque in finem.* Et Eſai 55. *Comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra.* Is ſapor delectabilis omnium ſatisfacit deſiderio Sanctorum. Prouerb. c. 13. *Deſiderium, ſi compleatur, delectat animam.*

Sexto, habet ſaporem inuſitatum in terris ex vnione omnium humanorum cum Deitate. qui eſt ſapor cæleſtium gaudiorum, quo omnia, quæ ſunt in Chriſto, guſtantibus hoc ſacramentum infunduntur. Et hic eſt ſapor vitæ æternæ, de quo Prou. ca. 6. *Guſtauit, & vidit, quoniam bona eſt negotiatio eius.* De hoc eſt illud, Eccli. c. 24. *quaſi libanus non inciſus vaporaui habitationem meam*, ſperans, ſcilicet omnia bona ſignans Deitatis vnionem cum humanitate, in qua cæleſtia terrenis ſociata ſunt, & omnia, quę in cælis, & in terris ſunt, ſapiunt & ſpirant.

§ 3. *De huius cibi lautitate.*

XII. De cibi *lautitate* nunc notandum, quæ eſt ex præparatione, quod lautiſſimus eſt huius præparationis modus, & hoc ex quatuor;

Præparans. En virtus, *Cibum contemperans.* Sapiens,
delectans. Condimentumque, *Seruiens.* Miniſter.

Primo eſt huius cibi præparationis modus lautiſſimus, ex virtutis efficacia, quæ attribuitur potentiæ Patris: De qua Heſt. 14. *Domine Deus in ditione tua cuncta ſunt poſita:* Subeſt enim *tibi cum volueris poſſe*, ait Sap. c. 12. Maxima enim virtutis potentia in hoc articulo fidei relucet.

Secundo patet lautitas, ex altitudine ſapientiæ, hunc cibum contemperantis, quod attribuitur ſapientię Filij: *O altitudo diuitiarum ſapientia Dei, quam inueſtigabiles viæ eius?* Quis enim dignè inueſtigare valeat, qualiter ex antiquo, corpus incorruptum ſic innouatur? qualiter noua anima viuificatur? qualiter vtrunque horum Deitate ſociatur? qualiter in carne infirmitates carnis portauerit? qualiter à mortuis reſurrexerit? qualiter in corpus, & ſanguinem principalia eſculenti & poculenti humani mutauerit? & ſic homini in cibum ſe præbuerit? *Hæ enim viæ etiam ſapienti ſunt occultæ*, vt habetur in Prouerb. 30.

Tertio, lautitas cibi probatur ex condimento dilectationis, quod attribuitur Spiritui ſancto: Ipſe enim Patris, & Filij eſt condimentum. Sapient. 12. *O quam bonus, & ſuauis eſt Domine Spiritus tuus.* Omne enim condimentum, & delectatio in eo eſt. Cant. 8. *Dabo tibi poculum ex vino condito.*

Poſtremo patet lautitas ex abundantia adminiſtrationis, quæ attribuitur maieſtati totius Trinitatis, quę dat impenſas. Hinc legitur in 1. Para. 3. *Ego totis viribus meis preparaui impenſas domus Domini mei*, id eſt, Sacramenti huius, Cuius domus impenſæ ſunt, natura diuina, & humana in anima, corpore, ſanguine, & ſpiritu, & omnibus bonis, quibus plena eſt natura diuina, & quę non ad menſuram data ſunt homini Chriſto. Quas impenſas nemo parare poterat, niſi magnus ille Rex, & Maieſtas totius Trinitatis. Huius magnificentiæ typus fuit conuiuium Aſſueri, & Darij, & illius *Euangelici hominis, qui fecit cœnam magnam.* Heſt. 1. Lautum conſtat edulium, cuius præparatio Eſdr. 3. nõ poterat fieri, niſi de Patris potẽtia; Nec in- Luc. 14. ueniri, niſi de Filij ſapientia; Nec condiri, niſi de Spiritusſancti bonitate, & clementia: Nec expenſæ haberi poterant niſi de maieſtate, & magnificentia totius Trinitatis.

§ 4. *De cibi huius ſanitate.*

Porro de *ſanitate* huius cibi, qui eſt ſanus ex operatione, operans ſanitatem in homine ipſum ſumẽte, & comedente; eſt *notandum*, quòd hic cibus eſt, & dicitur ſanus quadrupliciter. XIII.

Ab infirmitate, Sanus præſeruans, *Infirmitatem pellens,* purgans,
Deperditum, reparanſque, *Sanitatem,* reſeruans.

Primo inquam dicitur ſanus *ab infirmitate præſeruando:* dicit enim Sapiens, *Deus de terra creauit medicinam, & vir prudens non abhorrebit* Eccli. 38. *eam*; & infra, *Medicina omnium in feſtinatione nebula*, quia ſpecies Sacramenti nebula vocatur, Eccli. 43. quæ eſt præſeruans ab omni infirmitate. Iob. 5. *In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum*; Tot enim ſunt noſtrę infirmitates: Nam,

In-

Digitized by Google

Infirmitates cauſantur
- A Corpore: Luxuria, Gula, Accidia,
- Ab anima: Ira, Auaritia, Inuidia,
- A ſpiritu: Superbia.

Ab his omnibus liberat hoc Sacramentum: Si enim accedentes diligenter cogitemus,

- Patientis humilitatem, — liberabimur — Superbia,
- Eius ſtrenuitatem, — liberabimur — Accidia,
- Communionis liberalitaté. — liberabimur — Auaritia,

Et ſic per ſingula diſcurrendo, vt patet exercitanti ſe.

Secundo eſt ſanus *cauſam infirmitatis expellendo*: Omnis enim cauſa noſtræ infirmitatis eſt quintuplex.

ab
- Extra
  - Cõcupiſcentia. {carnis, oculorũ}
  - ſuperbia vitæ,
- Intra
  - Timor nimius,
  - Amor improbus,

Hæc purgãtur Chriſti {paupertate, dolore, humilitate fortitudine morte.}

Omnes igitur cauſæ noſtræ infirmitatis, hoc Sacramento depelluntur.

Tertio eſt ſanus, *ſanitatem deperditam reſtaurando*: Nam ſicut perditur ſanitas corporis; ita & animę vires; Sed omne deperditum per inediam, & concupiſcentiam, hoc cibo reſtauratur: Ita quòd redduntur vires, & debitus vigor; Sapientia, *Non natiuitatis fructus paſcebat homines; ſed ſermo tuus paſcit eos, qui in te confidunt.* Liuida tabes efficitur in interioribus, omnis homo, qui hoc cibo diu priuatur. Sap. 16.

Quarto ſanus eſt, *ſanitatem conſeruans*: *Honora medicum* (ait ſapiens) *propter neceſſitatem*, id eſt, neceſſariam conſeruationem ſanitatis; *A Deo eſt omnis medela. Miſit verbum tuum, & ſanauit eos de interitionibus eorum. Diſciplina medici exaltabit caput.* Clamemus itaque ad eum: *Sana me Domine, & ſanabor, ſaluum me fac, & ſaluus ero, quoniam laus mea tu es.* Eccli. 38. Pſal. 106 Eccl. 38. Ier. 17.

§ 5. *De cibi huius nutritiuitate.*

X.III. DE NVTRITIVITATE cibi, ſciendum, quòd virtus huius cibi ex ſex cognoſcitur, ex quibus valet bene nutrire, ſcilicet,

Vt cœli atque cibi, vita, dans, vnit, & omni.

Primo, nutrit virtute cæleſti, quæ nobilior eſt omni virtute humana, vel cibi humani. Saluator, *Non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verũ.* Panis enim *verus eſt qui de cælo deſcendit.* Hic enim panis vegetare, & nutrire habet ad vitam cæleſtem; imo clamandum, *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis*, ſcilicet ſuperſtantiali virtute nobis præſta nutrimentum. Hinc dicitur, Deut. c. 33. *Oculi Iacob in terra frumenti, & vini*, &c. Nutrit ergo, ea, quam in ſe habet, cæleſti virtute, & hoc ad cæli conformitatem, in cælo noſtram faciens eſſe per cælibatum conuerſationem, & rationis intentionem. Phil. 3.

SECVNDO nutrit ipſa veri cibi veritate, dicente Domino, Ion. cap. 6. *Caro mea vere eſt cibus.* Verus enim cibus vocatur ille, qui nihil habet admixtum, niſi cibum; quod non eſt in cibo corporali, vt patet. Et ergo dicitur, *Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me, non eſuriet*, &c. Adeo enim habet cibi veritatem, quod totam alterius cibi aufert eſuriem in Sanctis, & perfectis, & non admittit famis inediam. Et ergo dicitur, 4. Reg. 4. *hydria farina non deficiet*, & Prou. 13. *Iuſtus comedit, & implet animam ſuam, venter autem impiorum inſatiabilis.* Io. 6.

TERTIO nutrit ad vitam, quia eſt cibus vitæ, quia ſcilicet ipſa vitæ principia ſunt in ipſo: Vbi ait Dominus, Io. c. 6. *Ego ſum panis vitæ* (Gloſſa) qui paſco, donec paſtos iungam vitæ. *Hic eſt verus panis, vt qui ex ipſo manducauerit non moriatur.* Item, *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Hoc igitur alimentum influit Sanctis vitam gloriæ, & nobis vitam gratiæ: Lignum enim vitæ eſt in medio Paradiſi. Cum enim (vt dicitur in Libro de Cauſis) vita ſit actus continuus confluens ab ente quieto (quod eſt fons vitæ) in ea, quæ viua ſunt, patet, quod hoc nutrimentum vitæ cibus eſt. Gen. 2.

Nam
- Pater vitam fluit in filium:
- Filius habens in ſemetipſo vitam fluit in Sacramentum;
- Sacramentum vitam influit in nos.

Cibauit illum pane vitæ, & intellectus. Eccli ca. 10.

QVARTÒ, confert immortalitatem, & eius radicem. Hinc dicitur, *Qui manducat carnem meam, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum.* Inde etiam habet, quod viaticum appellatur, quia ſcilicet eſt vita viantium, id eſt; itinerantium per mortale illud deſertum, vſque ad immortalitatis illius ſtabilimentum: Quia hic cibus eſt radix immortalitatis, quia is, qui ſumitur in ipſo, principium eſt vitæ. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ*, à cuius radice ſurgit vita immortalis. Ioan. 6. Apoc. 22.

QVINTO, cibat virtute excellenti, cibatum ſibi vniente: Et per hanc proprietatem non communicat cum cibo naturali; Vnde dicitur Auguſtino, Creſce, & manducabis me: Nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ; ſed tu mutaberis in me. Et Ezech. c. 3. *Ipſi conuertentur ad te, & tu non conuerteris ad eos.* Nam ſi in nos, conuerteretur, nil nobis prodeſſet: Quando autem virtus eius noſtram vincit infirmitatem, & nos ad ſe commutat, oportet, quòd noſtra infirmitas in ſuam tranſeat quodammodo diuinam virtutem, & ſic firmamur, & perire non poſſumus ab ipſo; audi Dominũ: Io. cap. 12. *Omnia traham ad meipſum.* Hoc in Canticis Sponſa orat. Cant. c. 1. *Trahe me poſt te.* Nam ſicut in vnam perſonam aſſumpſit naturam humanam, non conſumens eam in ſe ipſo; ſed in vnitatem perſonæ traxit, vt in ipſa eſſe diuinum participaret; Sic conuertit nos ad ſe, non conſumendo; ſed vt eſſe diuinum in ſui ſumptione participemus. Hinc orat Hieremias: Thre. c. 5. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* Sic Eccleſia dicitur corpus Chri-

Digitized by Google

ſti, quia Dominus Ieſus, dando illi corpus ſuum, conuertit eam ad ſe, vt corpus eius efficiatur, & ſinguli ſint membra eius.

SEXTO nutrit iſte cibus virtute vniuerſali, & corpus nutriens, & animam, in quo etiam excedit cibi materialis virtutem, qui tantum deperdita in corpore reſtaurat. Vnde Greg. in Coll. *Praſta quaſumus omnipotens Deus, vt quod nunc in Sacramento percipimus, ad noſtrarum vegetationem tranſeat animarum.* Ergo (dicit Ambroſius) Sacramentum ex duobus compoſitum, ſcilicet viſibili Sacramento, & inuiſibili corpore Chriſti; vt vterque homo, ſcilicet exterior, & interior, in Chriſti corpore inueniat refectionem. Ioan. 10. *Ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet.* Pſ. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi de erit.* Tanta enim eſt paſtura iſta, quòd in ea ſunt omnia neceſſaria.

§. 6. De cibi ad cibatum congruitate.

XV. DE CONGRVITATE huius cibi ad cibatum videndum, quam habet ex ſimilitudine: Nihil enim (vt Philoſophi aiunt) nutrit, niſi ſimile; Et ideo cum iſte cibus maximè nutriat, oportet, quod maximè ſimilis ſit: Quia licet diſſimilis ſit cibus à proprio principio antequam nutriat, oportet quòd per digeſtionem fiat ſimilis; Et quia nos conuertimur in hunc cibum: igitur oportet, quòd digeſtio fiat in nobis, ad illius cibi ſalutaris ſimilitudinem. Vnde hic notandum, quòd in quinque conſiſtit congruitas cibi ad cibatum ex ſimilitudine,

Digere, imagine, natura, vixit, mala ſumpſit.

Eſt enim congruitas cibi ad cibatum {
Noſtri ad cibum digeſtione.
Imaginis ſimilitudine.
Naturæ conformitate
Conuerſationis pulchritudine.
Noſtræ miſeriæ indetractabilis aſſumptione.
}

PRIMO, inquam, per digeſtionem noſtri ad cibum fit ſimilitudo, & hoc compunctione peccati, & deuotione feruentis deſiderij. *De primo* Apoſtolus. 1. Cor. c. 11. *Probet autem ſe ipſum homo.* Et Eſa. c. 45. *Aſſimilaui te, non cognouiſti me. De ſecundo*: Pſal. 38. *Concaluit cor meũ intra me*; Quãdo enim cogitamus charitatem Chriſti, qui Sacramentum inſtituit, cogitamus manſuetudinem patientis, aduertimus deuotionem ſe pro nobis exhibentis, benignitatem nos ad menſam recipientis; dulceſcit cor noſtrum ad cibum hunc, & ſic feruet in amore, & aſſimilatur Chriſto, ſciens quoniam talia oportet eum præparare.

SECVNDO, eſt aſſimilatio noſtri ad Chriſtum in imagine: Filius enim Dei imago eſt inuiſibilis Patris, & nos facti ad imaginem ſumus. Sed non poteſt eſſe imago, quæ non imitatur, quia ab imitando eſt dicta: Vnde Hilarius dicit, *Imago eſt rei ad rem imitandam, & coæquandam ſpecies indifferens.* Geneſ c. 1 *Faciamus hominem ad imaginem*, &c. Qui ergo vult hoc cibo dignus effici, imitetur formam filij Dei, ad quam factus eſt, ſcilicet in cognitionis veritate, & affectionis dilectione.

TERTIO eſt hæc ſimilitudo in *natura conformitate*: Apoſtolus, Heb. c. 2. *Nuſquam Angelos apprehendit; ſed ſemen Abrahæ.* Et poſt, *Vnde debuit per omnia fratribus ſimilari. In ſimilitudinem hominum factus.* Contemperauit enim nos ſibi, noſtra aſſumens, vt facilius in ipſum tranſeamus, Geneſ. c. 37. *Caro enim, & frater noſter eſt.* In omnibus enim naturalibus eſt nobis aſſimilatus, Phil. 2.

QVARTO, eſt ſimilitudo in *conuerſationis pulchritudine*, qua conformamur ipſi in pulchritudine morum, & virtutum: Et hoc notatur per veſtem nuptialem, Mat. ca. 22. *Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* In veſte enim tali ſimiles fiunt ſponſo nuptiarum. Eſa. 61. *Induit me Dominus veſtimento ſalutis, & indumento lætitiæ circumdedit me.*

QVINTO, eſt ſimilitudo in *noſtræ miſeriæ* ſecundum pœnas indetractabiles *aſſumptione*: Nullam enim aſſumpſit culpam; ſed nec omnem aſſumpſit pœnam. Quia ſunt quædam pœnæ quas ſi aſſumpſiſſet, honeſtati noſtræ redemptionis detraheretur, quia illæ pœnæ non ſunt honeſtæ. Harum quædam

Ex { Corpore, / Anima, } vt { Fœmineus ſexus, lepra, ſcabies, debilitas, &c. / Ignorantia agendorum, concupiſcentia noxiorum. }

Si has aſſumpſiſſet redemptioni non ſatisfuiſſet: quia *ſexus fœmineus* impediret à prædicatione, & plura inconuenientia, quæ relinquimus ſtudioſis, importaret. *Lepra*, ab hominum conuerſatione; *debilitas* continua Euangelij officium impediſſet, & ideo has, & huiuſmodi non aſſumpſit. Alias autem noſtras omnes aſſumpſit pænalitates, vt ſimilis nobis eſſet. Heb. 2. Et ideo pro hac aſſimilatione, ad maximas ei tenemur gratiarum actiones; Quia ex hac pœnarum aſſumptione, & nobis compati nouit, & ſimilis peccatoribus, minor eſt Angelis effectus, & pro nobis paſſibilis factus, omnia tædia vitæ humanæ pro nobis ſuſtinuit. Optimè ergo & perfectè congruit nobis iſte cibus, & ideo mirabiliter conueniens nobis reputatur.

§7. De huius cibi penetrabilitate.

DE PENETRABILITATE huius cibi, quã habet ex ſubtilitate, eſt notandum, quod cibus naturalis non nutrit membra, niſi membris infundatur; non infunditur autem poroſitati membrorum, niſi ſubtilietur: Et ideo poſuit natura, omnia inſtrumenta in homine ad hoc neceſſaria; Poſuit enim XVI.

Dentes

Dentes { Anteriores, Molares } in ore,	vt sic	cibum diuiderent. In minima cōtererēt.
Calorem igneum in ſtomacho,		Subtile à groſſo ſeparetur.
Venas muſaicas,		Subtile ſugerent.
Colatoria panniculorum,		Fœtulētum colādo auferrent.
Subtiles poros.		Subtile ſubtiliter ſugerent.
Spongioſitatem membrorum,		Mēbris infunderent.

Vt ſic in ſubtiliſſimo nutrimento corporis perficeretur. Hoc ergo modo perficitur etiam nutrimentum animę in Sacramento; vbi oportet hæc, vt penetret, concurrere.

Maſtico, poſt teneo, ſugo, fero, colo, refundo.

Masticatio, quæ eſt frequens reditus dentiū ſuper idē, ſignat meditationem, vt ſuprà patet; quia eſt hoc Sacramentum diuidendum, & atterendum in omnes differentias bonitatis, & virtutis.

Secundò nota, quod ſubtiliatio, quæ fit per calorem digeſtiuum igneum, pura ſeparans ab impuris, non quidem in corpore Domini; ſed potius eſt in nobis, qui nos depurare debemus, vel potius ab ipſo Domino depurari, ad ipſum percipiendum. De hoc Malach. 3. *Sedebit cōſtans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia, & placebunt Domino; Seſſio*, motā; *conflatio*, charitatis incendium; *emundatio*, digeſtionem ad purum deſignat.

Tertio, *ſuctio* dulcedinis huius Sacramēti deguſtatę fit, quādo in dulcedine cordis nimia, dulcedo Chriſti in ſpiritu deguſtatur: propterea Moyſes Deuter. 32. *Vt ſugeret mel de petra*; poſtquam ſcilicet eſt depuratus.

Qvarto, *delatio* huius cibi fit quaſi per quaſdam venas & canales, in totam animam ipſum deportantes, vt vndique anima infundatur, irrigetur, nutriatur: Hæ venæ ſunt cognitiones & affectiones, nutrimentum animæ deferentes à fonte Chriſto; de quo legitur Geneſ. 2. *Fons aſcendebat de terra.*

Qvinto *colatoria* ſignant ſubtiliſſimę conſcientiæ examinationem, ne aliquod impurum remaneat in nobis: *Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris*. Hinc *Simila* præcipitur eſſe in ſacrificio Domini, quæ ſignificat vltimę munditiæ gratiam. Ezech. 16. *Similam & mel, & oleum comediſti, & decora facta es nimis.* Jere. 10. Exod. 29

Sexto, tam purum, tam dulce, tam mundū *infunditur* iam membris animę, & ex illo omnis ſubſtantia eorum, & virtus reſtauratur, & anima exhilaratur, ita vt Pſa. 41. dicat; *In voce exaltationis, & confeſſionis ſonus epulantis*; Quia cor eſt in iubilo, & omnia interiora & exteriora, dulcedine talis epulationis perfundūtur. Nam *panis* confortat ad gratiam, *vinum* inebriat ad ſpiritus iocunditatem; & *mixtio vini* conſeruat rationem ſobrietatis.

§. 8. De cibi ad cibatum vnibilitate.

Iam de cibi ad cibatum vnibilitate videndum: Et eſt ſciendum, quod in naturali cibo, nihil vnitur ei, qui cibatur, niſi quod connaturale eſt illi; Nam non-connaturale putreſcit, generat apoſtemata, & alias corruptiones: De connaturali autem vnito omnia membra confortantur, & proficiunt in operationibus ſuis. Et ideo notandum, quod quinque ſunt, quæ nos faciunt Chriſto connaturales & vnibiles, ſcilicet, XVII.

Diuina generatio. Partus, *Munda.* Vita, *Dei ſincerus.* & Amor,

Illuminoſa, Sic contemplatio, *Vnio deuota.* Iunctus.

Et hæc quinque habet etiam cibus ad cibatum, quando vnitur ei.

De primo horum dicit in Canonica 1. Ioan. 5. *Scimus, quia omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat; ſed generatio Dei conſeruat eum.* Eſt autem ſpiritualis quædā & optima generatio, diuina, qua homo in corpus, & in membris Chriſti generatur. Si enim cibus oleris bonum ſuum cognoſcere poſſet, quando ad corpus, & ad membra hominis per generationem quandam mutatur, multas gratias ageret, & omnes contritiones & modos, quibus conteritur, & mutatur, cum gaudio ſuſtineret, ſciens quòd à ſuo eſſe ignobili & vili, in tam nobilem vitam & corpus tranſiret: Quantas ergo gratias debemus Chriſto, qui ſuo Corpore viuifico nos in ſe tranſmutat, vt corpus eius efficiamur, ſanctum, mundum, diuinum? Hinc Ioann. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, &c. Quia qui eum recipiunt in Sacramento, concorporales illi efficiuntur, *ex Deo nati ſunt.* *Simile, Proportionatam*

Secvnda vnio eſt in munda vita, in ſimilitudine virtutis & operationis: Hinc dicitur, Eſa. 56. *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum*: Ac ſi dicat, Si diſſimilitudo in vita non eſſet; ſed eſſetis vita, virtute, & operatione ſimiles: tunc Deo veſtro vniti eſſetis, ita quod nihil inter vos & ipſum diſtaret; *Non longè eſt ab vnoquoque noſtrum: In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus*, & *omnia opera operatur in nobis*, & magna facit in nobis. *Act. 17.*

Tertivm nos vniens Chriſto, eſt dilectio ad ipſum ſyncera. Hinc Aug. *Fides in compoſitione corporis myſtici membra iungit, ſpes autem nectit, & charitas vnit.* Et Apoſtolus Epheſ. 4. *Solliciti ſeruare veritatem ſpiritus in vinculo pacis. Qui in charitate manet in Deo manet.* Erit autem hæc dilectio pulchra & ſyncera, nil corruptibile, nihil fœdū admittens aduerſus dilectū. *1. Ioan. 4.*

Qvartvm vniens eſt illuſtratio contēplatiua, de qua idem Apoſt. *Nos vero reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.* Omnino enim innaturale eſſet, quod tenebroſum & obſcurum mēbrū eſſet tam lucidi & pulcherrimi corporis: & ideo oportet vt aſſumat Chriſti naturalem lucem & pulchritudinē, imo & colorem *candidum & rubicundum*, vt dicitur in Cant. c. 5 *2 Cor 3.*

Postremo, vnio perficitur, indiſſolubilem habens vnionem ad corpus, & indiſtantem, vt in corpore ſit, & animetur ab ipſo, & viuat, iam de cætero, de corpore reputetur. Hoc autem fit per omnium bonorum (qui à capite, vel corde, corpori influuntur) participationẽ, vt dicitur in Pſal. 118. *Participem me fac Deus omnium timentium te.* Item 1. Cor. 6. *Qui adhæret Deo, vnus eſt ſpiritus:* Reducimur à multis in vnum:

Et hoc { Per cathenam vnionis.
Per vinculum Spiritusſancti.
Quia colligamur Filio in Sacramẽto.
Quia reducimur in Patrem, & fruimur ipſo.

Sic ergo perficitur vnio iſta.

§. 9. *De cibi ad cibatum hæſibilitate.*

XVIII. Circa nonum ſciendum, quod cibi ad cibatum *hæſibilitas*, perficitur ex apprehenſione fortiſſima, qua id, quod cibatur, apprehendit, & tenet, id quod ſibi ex cibo eſt vnitũ. Sicut enim dicit Iſaac in dietis, & Conſtantinus in Pantegnis, quod quidam cibi parum adhærent, vt oua, caro ſubtilis, & herbæ: Quidam firmiter, vt nutrimentum ex puro & ſyncero grano frumenti: Sic etiam Chriſto quidam fortiter adhærent, quidam autẽ facilè ſeparantur. Adhæſio autem fit his modis,

Fortis, amor, ſtabilis, hæret, conſtans in Chriſto.

Fortitudo autem apprehenſionis ſpiritualis fit quaſi duobus brachijs intellectus, & affectus: *Sequor ſi quomodo comprehendam. Apprehendam te, & ducã* Item Cant. 3. *Tenui illum nec dimittã.* Item 4. Reg. 2. *Viuit Dominus, & viuit anima tua: non dimittã te.* Item Cant. 2. *Ego dilecto meo & ad me conuerſio eius.* *Philip. 4. Cant. 6.*

Secundo fit hæc adhæſio glutino amoris, Iere. 13. *Sicut adhæret lumbare ad lumbos, ſic agglutinaui mihi domum Iſrael, & omnem domum Iuda, vt eſſent mihi in nomen, & in laudem & gloriam.* Item Eſa. 41. *Glutino bonum eſt.* Pſal. 61. *Adhæſit anima mea poſt te.* Omnis enim amor facit extaſim, tranſponens amantem in amatum. Eſt igitur amor optimum glutinum quo membrum incorporatum Chriſto firmiter ſubhæret, ne ſeparetur ab eo.

Tertio, fit hæc adhæſio, manſione ſtabilitatis, id eſt ſtabilimento cordis & corporis in ſpiritualium meditatione, & ſtudio. Nam hoc neceſſarium eſt. Hinc dicitur Ier. 14. *Populus hic dilexit mouere pedes ſuos, & Domino non placuit.* Oportet enim firmiter adhærere Deo, quia oportet palmitẽ manere in vite, vt faciat fructum. *Qui enim manet in me* (ait ipſe Chriſtus Ioan. 15.) *& ego in eo, hic fert fructum multum.* Hinc dicitur Gen. 7. *Manſiunculas in arca facies,* id eſt corpori Domini Ieſu firma meditatione & exercitio adhereas. Itẽ de hoc dicitur Gen. 27. *Iacob fuit vir ſimplex habitans in tabernaculo,* id eſt corpore Dominico. Oportet enim cauere, ne ad leuia defluamus, & laxationem patiamur, ne fortè effluat cibus iſte. Vnde oportet cautè, patienter, perſeuerãter expectare huius Sacramenti effectus, & nõ ideo ſeparari ab eo. Et hæc ſimul ſufficiũt de manſione ſtabilitatis & perſeuerantia continuitatis: ac, per hoc, de omnibus proprietatibus ſuprapoſitis huius vitalis cibi. Age iam hunc optemus, edamus, vt in æternum viuamus.

MEMBRVM IV.

De quarto nomine Sacramenti, quo dicitur potus.

Bibite, & inebriamini. Cant. 4. Eſt quarto nomen huius Sacramenti in genere potus, Ioan. 4. *Sanguis meus verè eſt potus.* Circa quem potum, præter cætera, ſunt conſideranda iſta: Nam infrà, vbi agitur de ſanguine, habentur multoplura. Hic verò tantummodo conſideranda eſt huius potus materia congrua: Nam vinum propter ſuas proprietates & effectus, quos in bibente operatur, cõgruentiſſima huius potus eſt materia. Cùm enim ſpecies in Sacramento pro ſigno aſſumantur: vtique quæ efficit vinum corporaliter bibitum, etiam in hoc Sacramento debet ſignare, ad eius confectionem & vſum aſſumptum. Sunt autem vini proprietates, ſiue effectus principaliores hi, XIX.

Conſumit, nutrit, iocundat, prouocat, vnit,
Confortat, curat, ſapit, accendit, quoque ſignat.

Ex his omnibus, huius potus affectuum ſimilitudinem gerit.

Primo, vinum potatum omnes humores malos cõſumit: Sic & iſte potus ſanguinis, ſcilicet Chriſti, omnes animæ affectiones prauas, peccatorumq; ſordes, quaſi quoſdam humores noxios tollit. Apoſtolus Heb. 9. *Sanguis eius emundabit conſcientias veſtras ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti,* & Ioan. Apoc. 1. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris, in ſanguine ſuo,* &c.

Secundo, vinum nutrit non ſolum ex ſe, ſed & ex calore naturali cooperando, & virtutem digeſtiuam adiuuando, &c. Sic & iſte potus animam paſcendo, vehementer ſua virtute nutrit & potat; adeò vt ad plenam ſatietatem perducens, ipſam ſitire finaliter non permittit. Saluator Ioan. 6. *Qui bibit me, non ſitiet in æternum.* Vnde & ſignanter, nõ gregarius, ſed verus potus dicitur. Ibid. *Sanguis meus verè eſt potus.*

Tertio, vinum (ſecundum Albertum) propter ſubtilem & humidum ſui calorẽ cordis eſt lætificatiuum: Sic & hic potus, ſi ritè potetur, ineffabili gaudio mentem gaudere facit, imò & ebriam reddit. Prou. 9. *Venite, bibite vinum quod miſcui vobis.* Et Cant. 5. *Bibite, & inebriamini chariſſimi.*

Quarto, vinum appetitum prouocat: Sic & iſte potus quanto magis bibitur, tanto magis ſemper ſititur. Etſi enim (vt ſupra dictum eſt) ſuauiter animam reficiẽdo ſatiat, faſtidium tamen parere non nouit, ſed miro quodã modo ſatiando appetitum in ſe acuit, & prouocat magis. Eccl. 24. *Qui bibunt me, adhuc ſitient.*

Quinto, vinum non ſolum ſe potanti vnitur; ſed virtuti digeſtiuæ cooperando per vim ſui caloris, cibum cum cibato vnit: Sic & iſte potus potantem vnum eſſe cum Chriſto, ſicut & ille cum Patre vnum eſt, & in illo manere mirabiliter facit, dicente Domino: *Qui bibit* *Ioan. 6.*

Digitized by Google

meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Item
Ephеſ. 2. Apoſtolus: *Vos, qui aliquando eratis longe, facti eſtis prope, in ſanguine eius.*

Sextò, vinum eſt ſtomachi confortatiuum
1. Tim. 5. ſecundum illud, *Modico vino vtere propter ſtomachum tuum*, &c. Sic & ſanguis Chriſti, contra omnia huius exilij mala, per ſpem futuro-
Heb. 10. rum bonorum confortat. Iſdem, *Habentes itaque fratres fiduciam in introitum Sanctorum in ſanguine Ieſu.*

Septimò, vinum moderate potatum, multarum infirmitatum eſt curatiuum: Sic & iſte potus omnium animæ ægritudinum, optima
Luca 6. eſt theriaca & medicina; *Virtus enim de illo exit ad ſanandum omnes*. Et medicina eſt, *quam de*
Eccli. 38. *terra creauit Altiſſimus.*

Octavò, Sicut vinum optimi eſt ſaporis: ſic iſte potus palarum habentem ſanũ, & meretriceis ſuauitatibus nõ infectum, gratiſſimo ſuo dulcore ſuauiter delectar. Vide infra in cõſiderationibus de ſanguine.

Nonò, ſicut vinum potantem calefacit; ſic & potus iſte ardentiſſima effuſus charitate, ſe porantem efficaciſſimè charitate accendit, Bernardus *ſuper omnia te mihi reddit amabilem bone Ieſu, calix quem bibiſti.*

Decimò, ſicut vinum vi caloris ſolis generarum, & in torculari expreſſum, in potũ proponitur: ſic & potus iſte calore amoris cœleſtis præparatus in torculari crucis expreſſus, in Sacramento velut quodam calice, animę proponitur ad potandum. Eya itaque ritè hunc potum bibamus, vt hos eius affectus cõſequamur. Et alios, qui notantur infra.

MEMBRVM V.

De quinto nomine Sacramenti quo dicitur communio vel Synaxis.

XX.
1. Cor. 10. Panis *quem frangimus, nonne communicatio, & participatio eſt corporis Domini?*

Iam qvintò videndum, quomodo hoc Sacramenrum in genere eſt communionis, & Synaxis à Patribus vocatur, quod ſanctam Cõmunionem ſonat in latino. In quo genere ponitur propter ſex cauſas,

Fonti Spiritibus, Sanctis, Corpus, Omnia nectens.

Quia
- Facit communicare
  - Fonti omnis gratiæ.
  - Angelorum gloriç.
  - Sanctis omnibus triumphantibus.
  - Myſtici corporis paſſionibus.
- Facit
  - Omnia noſtra communia.
  - Diuinorum, & humanorum veram communionem.

Ioan. 6. De primo, quod facit communicare fonti omnis gratiæ, patet, quia in ipſo communicamus Chriſto, ſic vt in nobis ipſe ſit, & nos in ipſo, & omnia ſua influat nobis. Vnde dicitur De Filio, *Deriuentur fontes*
Prou. 4. *tui foras, & in plateis aquas tuas diuide*. Et eſt verbum Patris ad filium, qui eſt fons omnis gratiæ, & omnis boni; In quo fonte ſunt multæ venæ gratiarum, vtramque eccleſiam irrigantes. Hic eſt fons, de quo dicitur, quod fons

paruus creuit in fluuium maximum, & in a- Heſt. 10.
quas plurimas redundauit. Facitque quatuor in nobis aquæ fluentis commoditates.

Turpe lauat, rigat, apportat, reuehens aqua fontis.

Nam gratia ſanguinis ſui lauat ſordes pecca-
torum: hinc Paulus, *Omnia pœnè mundantur in* Heb. 9.
ſanguine, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio, vt ſupra. Secvndo rigat ardua noſtra in aqua, quæ cum ſanguine exiuit de latere ſuo.
Ioan. 19. *Exiuit ſanguis, & aqua*. Aqua ſcilicet Ioan. 19.
expians, & omnia rigans. *Fons de domo domini* Ioel. 3.
egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum id eſt vaniratum. vt Diuinæ plantę bonorum operũ creſcant. *Tertio* deportat nauibus, & euehit apud nos abundantia, vt vbi deficiunt, magno pretio commutenrur: Quę ſunr, paupertas ſpiritus, gemitus pro peccaris, fletus, ieiunium, & huiuſmodi, quæ apud nos abundanr, & in cœlo deficiunt, vel deſinunt, & ibi nobis pro huiuſmodi magna pretia dantur Nam pro rẽporalibus æterna, pro triſtitijs beata gaudia pro paupertare diuitiæ, pro labore ęterna requies condonantur. Er omnia noſtra merita per Chriſtum Patri præſentantur, & ad cæleſtẽ Patriam, vt illic remuneremur, deportantur. *Quarto*, hic fluxus aduehit nobis, & reportat neceſſaria, quę deficiunt apud nos, & abundãt in cœlo, hoc eſt gaudium cordis, conſolationem ſpiritus, dulcedinem guſtus Diuinorum, & fructum quendam virtutum, vt illa fortius deſideremus, & iſta, in quibus ſumus, magis
faſtidiamus. Prouer. 31. *Facta eſt quaſi nauis in-* Prou. 31.
ſtitoris, de longe portans panẽ ſuum. ſic ergo huius fontis vtilitatem communicamus ex cuius,

beneficio
- Sordida noſtra lauantur, & defluunt.
- Arida noſtra irrigantur, & fæcunda fiunt.
- Noſtri labores referuntur, & mercede digni fiunt.
- Delitiæ nobis cœleſtes aduehuntur, & dulceſcunt,

Hinc Seruator, *Qui credit in me, ſicut dicit Scri-* Ioan. 11.
ptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Et
Balaam de Iſraele, *Fluit aqua de ſitula eius, &* Num. 24.
ſemen eius in aquas plurimas redundabit.

§. 1. *Quod per hoc Sacramentum communicamus Angelorum gloriæ.*

Secvndò principaliter hoc Sacramentum communicationem nobis cõfert Angelo- XXI.
rum gloriæ, quæ in multis conſiſtit.

Reſtaurat, ſeruit, luſtrat, his atque reducit.

Primò enim ruina Angelorum ex hoc reſtauratur Sacramenro; quia non reparatur, niſi de his, qui Chriſto incorporantur, ſicut ipſe dicit
Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Ioan. 3.
filius hominis, ſcilicet cum corpore ſuo myſtico.
Nullus autem incorporatur corpori myſtico, Obſerua.
niſi per corpus verum; & ſumptionem eius ſaltem ſpiritualem. Oportet ergo, quod per corpus Chriſti verum, ruina Angelorum reſtituatur. Reſtituti igitur communicant gloriæ Angelorum, per cõmunicationem corporis Chriſti: Vnde legitur ſecundũ ſeptuaginta
interpretes, *Statuit terminos populorum, iuxta* Deut. 32.

numerum Angelorum Dei, ſcilicet gloriæ eorũ.

SIC ETIAM SECVNDO, ſi fideles incorporantur, Chriſto, perducitur ad effectum miniſterium Angelorum. Paulus, *Nonne omnes adminiſtratorij ſpiritus ſunt?* Non modicum ergo gloriæ habent, quando eorum completur miniſterium, hinc dicuntur gaudere, & in pœnitentijs peccatorum gaudere, & contriſtari in peccatis commiſſorum. deſiderant enim vt Chriſto ſibi ad cuſtodiam commiſſi incorporentur, & ſic redeant ad cõmunionem gloriæ Angelorum per cõmunionẽ corporis Chriſti, — Heb. 1.

TERTIO etiam ſic participamus Diuinas illuminationes; quia (ſicut dicit Dionyſius) Lex Diuinitatis eſt, per prima media, & per media vltima reducere. Vnde ſicut Angeli illuminantur à Chriſto, etiam ſecundum humanitatem; quia deſiderant proſpicere in eum; ſic & ſibi commiſſos in illuminationes Chriſti reducere intendunt, per incorporationem, & participationem huius Sacramenti. — 1. Pet. 1.

QVARTO participant etiam homines Angelorum gloriæ, in reductione ad Deum; ad quam omnis illuminator, intendit reducere à ſe illuminatum. Dicitur autem, *Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis.* Cum igitur fons ſapientiæ ſit primum illuminans; omnis Angelus illuminatas animas reducet ad verbum; non autem ad verbum reducuntur, niſi quo verbo, & lumini incorporentur. Pſal. *Domine in lumine vultus tui ambulabunt*, quia & corporaliter lumini cõfigurantur; Apoſtolus, *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*. Sic ergo gloriæ Angelorũ cõmunicamus, per hoc, quòd Chriſto incorporamur. — Eccl. 10. Pſal. 92. Philip. 3.

§. 2. *Quod communio dicitur, quia omnibus Sanctorum meritis communicare facit.*

XXII. DICITVR TERTIO principaliter Communio, quia nos omnibus Sanctis facit cõmunicare, vt ſi quid deficit in ſingulis, ex omnibus abundantijs Sãctorum ſuppleatur. Nam ex communicatione huius Sacramenti habemus virtutes Patriarcharum; illuminationes, & fruitiones Prophetarum; iuſtitias Legiſlatorum; dignitates Apoſtolorũ: victorias Martyrium, ſanctitates Confeſſorum. Religionem Monachorum; puritatem Anachoritarum, doctrinas Doctorum; munditiam Virginum; luctum Viduarum: eleemoſynas cunctorũ: ſplẽdorem Innocentium; omnia merita Sanctorum. Hęc enim omnia à Chriſto in corpus eius myſticum fluxerunt, & in efficacia corporis, & ſanguinis eius exiſtunt, & de quolibet in quemlibet per charitatem Spiritus ſancti referuntur, & redundant. Vnde conſulitur, *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine.* Per communionem enim Chriſti ſortem omnis gratiæ communicamus, cum omnibus Sanctis. Vna eſt enim participatio Chriſti in omnibus membris eius naturalibus, & inuicem communicant membra. Hinc legis de priſcis fidelibus quod, *Gratia magna erat in omnibus eis. Neque enim quiſquam egens fuit inter eos.* Pſal. 15. *Funes ceciderunt mihi in præclaris*. Nam ſicut in corpore naturali, per ſanguinem, & ſpiritum vnum membrum redundat in aliud; ita multo magis in membris ſpiritualibus corporis myſtici, vnum membrum, ſpiritus communionem trãſmittit in aliud. *Si quid patitur vnum membrum compatiuntur omnia membra.* &c. Hæc eſt cõmunio Sanctorum; de qua in ſymbolo dicitur. Vnitas enim corporis facit communionem Sanctorum. — Coloſſ. 1. Act. 5. 1. Cor. 12.

§. 3. *Quarto dicitur Communio, quia facit communicare, myſtici corporis paſſionibus.*

XXIII. FACIT ETIAM quarto cõmunicare paſſionibus myſtici corporis; quia (vt dictũ eſt) *ſi quid patitur vnum membrũ, compatiuntur omnia.* Et ex iſta communione membrorum, in membra languida, & deficientia fluunt compaſſiones cordis, conſolationes oris, ſubuentiones in eleemoſynis, ſupportationes in aduerſis. Hinc ſuadet ille, *Neceſſitatibus Sanctorũ communicantes; exemplo capitis noſtri Chriſti, qui ſe expoſuit* paſſionibus multis, vt nobis per effectum ſubueniret. Hinc Ioannes, *Sicut Chriſtus pro nobis animam ſuam poſuit, ita & nos debemus pro fratribus noſtris ponere animas noſtras.* Quamdiu enim Chriſtus in membris ſuis patitur, nos oportet compati; ſi tamen Sancti corporis volumus eſſe membra. Tunc ſanctorum neceſſitatibus communicamus, quando eorum neceſſitatem corde ſuſcipimus per cõpaſſionem, vt Apoſtolus docet, *Gaudere cum gaudentibus & flere cum flentibus, idipſum inuicem ſentientes.* Hæc etiam communio ab ore, exhibet verbum dulciſſimę conſolationis: Vt ibi, *Conſolamini puſillanimes.* & alibi, *Dicite puſillanimes, confortamini*. Item tertio facit ſubuentionem facultatum in eleemoſynis, vt à toto corpore redundantiam ſpiritualium communicent pro temporalibus dicente Paulo, *Si ſpiritualium eorum participes facti ſunt, debent & in carnalibus miniſtrare eis*. Quartò facit ſupportationem in aduerſis: debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum ſuſtinere; *Alter alterius onera portare.* Hinc & ſi videris aſinum inimici tui iacentem ſub onere, non pertranſibis; ſed leuabis cum eo. Sic Yſachar ſupportat onera proximorum ſciens illud, quòd *bonorum laborum glorioſus eſt fructus.* — 1. Cor. 12. Rom. 12. 1. Ioan. 3. Rom. 12. 1. Theſſ. 5. Eſa. 35. 1. Cor. 19. Rom. 14. Gal. 6. Exod. 23. Sap. 3.

§. 4. *Quinto dicitur Communio, quia facit omnia communia in Spiritualibus, & Corporalibus.*

XXIV. FACIT QVINTO omnia noſtra cõmunia, tam in Spiritualibus, quã in Corporalibus, vt verè in nobis impleatur, quod de Eccleſia primitiuorum ſcriptũ eſt, *Nec quiſquam, quod poſſidebat, ſuũ eſſe dicebat; ſed fuerunt illis omnia communia.* Et hoc eſt verè *habitare fratres in vnũ.* De hac communione dicitur in Pſal. 101. *In conueniendo populos in vnum, & Reges, vt ſeruiãt Domino.* Ex hac cõmunione habet eccleſia, vt omnibus ſatisfaciat in Indulgẽtijs, quia quod vni deeſt, ſuppletur ex abũdantia aliorũ. Omnis enim abũdantia eſt in corporis Chriſti Cõmunione; in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientię Dei abſconditi. Hinc gratias agit Apoſtol. dicẽs. Gratias ago Deo, quoniã in — Act. 4. Pſal. 132. Coloſſ. 1.

omnibus

Digitized by Google

omnibus diuites facti eſtis in illo &c. Et ſubdit: Ita vt nihil vobis deſit in vlla gratia. Omne enim meritũ Chriſti, Beatæ Virginis, Apoſtolorum, & omnium Sanctorum efficitur hic commune, & ideo nullus pauper hic inuenitur. Sic ergo omnia noſtra facit communia Concommunio Sanctorum in corpore Dominico.

§. 5. Sexto dicitur Communio, quia veram cauſat communionem diuinorum, & humanorum.

XXV. POSTREMÒ etiam Communio dicitur, eo quod diuinorum & humanorum veriſſimam facit communionem. Deus enim in ea cũ omnibus bonis ſuis eſt in homine, & homo in Deo, & Deus eſt iſto modo in omnibus nobis, vt verum ſit illud 1. Cor. 15. *Erit Deus omnia in omnibus.* Deus enim in hac Communione ſe inclinat, & humana noſtra exaltat in ipſum; iuxta quod Patres deſiderauerunt dicentes; *Domine inclina cælos tuos, & deſcende,* Pſal. 143. *Vtinam diſrumperes cælos,* &c. Eſa. 66. De qua inclinatione habetur Baruch 4. *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt;* humana ſcilicet noſtra ſua faciens, & diuina ſua nobis largiens. De hac Communione dicitur, Act. 2. *Erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & oratione,* quia cõmunicatio fractionis panis, omnium bonorum diuinorum & humanorũ conferebat communicationem. Propter hoc ergo & Sacramentum iſtud ponitur in genere communionis. Vbi nunc ſunt qui magna cupiunt; qui auaritiæ ſtudent? Hanc communionem amplectantur, hanc ruminent & maſticent, & voti compotes fient.

MEMBRVM VI.

De ſexto nomine Sacramenti, quo ponitur in genere Sacrificij, & Sacrificium nominatur, ſiue Hoſtia.

XXVI. Malac. 3. PLacebit Domino ſacrificium Iuda, & ſacrificium Hieruſalem: ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui. PONITVR quoque hoc altiſſimũ Sacramentum in genere *ſacrificij*, & ſacrificium vocatur, vel hoſtia: In quo quattuor notantur,

Antiquum, Sanctum, plus Acceptabile, Verum.

Notanda eſt ſacrificij huius { Antiquitas. Sanctitas. Acceptabilitas. Veritas. }

De antiquitate ſiue auctoritate huius ſacrificij, quæ ſimul dicũtur, (quia auctoritas partim dependet ab antiquitate) Ambroſius dicit, quod noſtra Sacramenta & Sacrificia patent eſſe antiquiora, quã Sacramenta veteris legis: quia Melchiſedech ante legem panem & vinũ obtulit in ſignificationem noſtri Sacramenti, (Gen. 14.) antequã aliquid de ſacrificiis legalibus erat inſtitutum. Et quia antiquiora ſunt noſtra Sacramenta, ideo debent haberi in ampliori reuerẽtia. De auctoritate quoque in Pſal. 109 dicitur, *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Tranſlato enim Sacerdotio, neceſſe eſt, vt Legis tranſlatio fiat:* vt diſputat Apoſtolus ad Heb. ſcribẽs c. 7. Ex cuius verbis ſumitur, quod hoc Sacrificium quattuor in ſe habet, quę in nullo alio inueniuntur,

Cultum, Sanctum, Confirmatum, ſtabilitum.

DE PRIMO patet, quia ab eo, qui Sacerdos Dei ſummi fuit, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, aſſimilatus Filio Dei, ante omnem ſacrificiorum inſtitutionem præſignatum. Et quia tam antiquum, ideo meritò venerandum. Heb. 7.

SECVNDO eſt auctoritate Dei Sanctum, quia ab ipſo Deo Patre collatum eſt huius ſacrificij ſacerdotium, vt dicitur Heb. 4. *Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret; ſed qui locutus eſt ad eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.*

TERTIO eſt iuramento confirmatum, ſicut dicitur in Pſal. 109. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum:* Vbi notatur iuriſiurandi confirmatio de æterno Sacerdotio, ſimul & Sacrificio, quia ſecundum ordinem Melchiſedech, qui obtulit panem & vinum, Gen. 14.

QVARTO eſt ſua perfectione perpetuatum, quia propter iſtius perfectionem ſacrificia veteris legis, cum lege & ſacerdotio ſunt abolita, vt iſtud in perpetuum ſtatuatur obſeruandum: Paulus Hebr. 7. *Reprobatio fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius. Nihil autem ad perfectum adduxit lex: Introductio ſit melioris ſpei, per quam approximamus ad Deum.* Item. *Hic eo, quod manet in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium; vnde & ſaluare in perpetuum poteſt accedens per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Patet igitur, quod auctoritate, & antiquitate, & iuriſiurandi confirmatione & permanentia in æternum, hoc Sacrificium dignius eſt omnibus Sacramentis.

§. 2. Quomodo hoc Sacrificium præ cunctis habeat ſanctitatem.

SECVNDO principaliter habet hoc Sacrificiũ ſanctitatem præ omnibus, & ſanctitatis operationem, ex quattuor, quæ inueniuntur in hoc Sacramento, & non in alio ſimul. Quãuis enim multa fuerint ſacrificia ante legem, & in lege Deo à Patribus oblata; tamen iſtud vnum in omnibus eſt ſignificatum, quia tot gratiæ in eo ſunt, quæ vnico ſacrificio ſignari non poterant. Signatur enim huius XXVII.

Sacramenti	Materia.	Panibus varijs.
	Res, id eſt, Chriſtus paſſus,	Animalibus & volucribus.
	Dulcedinis fructus.	In libaminib' mellis.
	Operationis actus,	Omnibus oblationum modis.

Materiam, paſſum, fructum dulcedinis actum.

MATERIA inquam in panibus varijs. Quãdoque enim ſunt in materia, per quæ ſignantur in quinque panum generibus.

Luc. 13.	Scilicet	Naturæ puritas,	In	Tribus ſatis farinæ.
1. Reg. 21		Chriſti ſanctitas,		Panibus propoſitionum.
Leuit. 23.		Regalis dignitas,		Panibus primitiarum,
3. Reg. 16.		Nutrimenti efficacia,		Pane Heliæ.
Exod. 12. Ezech. 4.		Triumphalis humilitas.		In ſubcinericio & hordeac. pane.

Te ſata, Propoſiti, Primi. Vatis. Madianq́, Purus, & es Sanctus, Dignus, Cauſans, Humiliſque.

SECVNDO quoque ſignatur Chriſtus paſſus in animalibus & volucribus. & hoc etiam varijs modis. Et primo in animalibus.

Per	Agnum,	Propter	Patientis manſuetudinem,
	Hædum,		Paſſionis cauſā, peccatum ſcilicet originale, actuale.
	Hircum,		Ablati peccati fœtorem.
	Capram,		Medicatam peccati pronitatem,
	Iuge ſacrificiū,		Quotidianā paſſionis commemorationem.
	Vitulum,		Saginā deuotionis.
	Bouem,		Vtilitatē paſſionis.
	Veruecē,		Principatū Chriſti in regno fidelium.
	Vitulam ruffam,		Ingreſſum regni per ſanguinem eius.

Agnus & es hedus, aries, vitulus, bonus es bos.
Tu patiens, cauſa, princeps, deuotio ad alta.
Hircus, vel vitula, tu capra, vel hoſtia iugis.
Auferſ, ingrederis, non pronus, ad hæc memoratus.

Signatur quoque in auibus, puta,

In	Turture,	Quia Chriſtus	Pro peccatis noſtris ingemuit.
	Colūba,		Ad patriam reuolare docuit.
	Paſſere,		Fugere peccantium inſidias erudiuit.

Tuq́, gemis turtur, reuolare colūba, fugis paſſ.

SIGNATVR quoque TERTIO in libaminibus, puta, in ſacrificijs ſalis, mellis, & hoc propter diuerſitatem gratiarum. Nam

In	Sale,	Signatur	Rationabilitatis diſcretio.
	Similagine,		Mundiſſima puritas.
	Melle,		Spiritusſancti dulcedo.
	Oleo,		Deuotionis pinguedo.
	Thure,		Orationis odor & acceptio.
	Adipe,		Interna craſſa cōſolatio.
	Sāguine ōnis oblōis.		Redemptionis operatio.

Sal, ſimila es, tu mel, oleum, thus, adeps, quoque ſanguis.
Diſcretus, mundus, dulcis, pinguisq́, odor intus.

Sic patet quomodo ſignatur dulcedinis fructus in inanimatis.

QVARTO ſignatur operationis actus in omnibus oblationum modis; ſcilicet propter diuerſitatem miraculoſam ſuarum operationū. Sunt enim oblationum modi ſex in toto, in quibus ſignificatur: Signatur enim

Holocauſtis,	Quia Chriſtus	Totaliter in igne charitatis ſe obtulit.
Pacificis,		Suo ſanguine nos pacificauit.
Hoſtijs,		Hoſtes in oſtium cœli duxit.
Victimis,		Obedientia ſe offerens vincula noſtra rupit.
Immolationibus,		Signum oblationis habuit.
Oblationibus,		Summus Pontifex oblatus eſt, quia voluit.

Patet ergo, quod in omnibus hoc noſtrum ſacrificium ſignatum fuit; imò præ cæteris acceptum, valore excellentiſſimum, & pro nobis omnibus ipſum ſolum oblatum.

§. 2. *De huius ſacrificij oblatione.*

IAM TERTIO de *acceptabilitate* huius Sacrificij videndum. Quæ ex quattuor coniectari poteſt. XXVIII.

Quia eſt Filius dilectus. *Patri ſuo.* *Seipſum.*

Offert, quis. cui. quid.

Quia corpore ſuo.

pro quo gratum patet ex his.

Dicit enim Auguſtinus in quarto de Trinitate, quod quattuor ſunt in ſacrificio iſto; quorum vnum propoſitum facit, quod alia tria oportet eſſe accepta. In omni enim ſacrificio,

Attenditur	Cui,	Offertur, quia	Patri Deo.
	A quo,		A Chriſto pōtifice ſūmo.
	Quid,		Chriſt' in homine ſūpto.
	Proquibus		Pro genere humano.

Sapientia autem diuina oblatum vniuit offerenti; quia qui offert, & quod offertur, ſunt vnum in eſſe perſonæ. Vniuit quoque offerentem cum eo, cui fit oblatio; quia Pater & Filius ſunt vnum in Deitate. Vniuit quoque oblatū cum his, pro quibus offertur; quia Chriſtus, & homines vnius ſunt naturæ. Vnde ſicut ſibiipſi Pater Deus non poteſt non eſſe acceptus; ita Pontifex offerens vnum cum Patre exiſtēs, non poteſt eſſe non acceptus: Et ſicut Pōtifex Patri non poteſt nō eſſe acceptus, ita id, quod eſt vnum cum Pontifice offerente, non poteſt non eſſe acceptum, & ſic oblatio eſt accepta. Et ſicut offerens & oblatū non poteſt eſſe non acceptum, ita hi pro quibus offertur, non poſſunt eſſe non accepti, quia vnius naturæ ſunt, & cum oblato, & cum offerente; & ſanguis Chriſti purgauit in eis, id, quod ſolum facit nō acceptum; & incorporatio Sacramenti vniuit eos, & oblationi, & offerenti; & ideo pluribus oblationibus non indigemus, quia iſta pro omnibus ſufficit ſemel oblata: Antiqui autem pluribus, quia nulla fuit perfecta, ideo nec accepta. *Illatio neceſſaria.*

Digitized by Google

cepta. Eſt ergo perfectiſſima oblatio, quia Patri offertur, cui ſoli eſt offerendum: *Non erunt tibi dij alij præter me*, Exod. 20.

Filius eſt Sacerdos huius hoſtiæ, & ad hanc oblationem ſolus dignus: *Talis enim decebat vt eſſet nobis Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus.* Heb. 7. Item Heb. 8. *Talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextra ſedis magnitudinis in cœlis.* Habemus ergo ſufficientiſſimam oblationem, de qua dicitur Heb. 7. quod *ſaluare in perpetuū poteſt accedens per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Vnum enim cum Patre eſt Pontifex, & ideo non ſpernit offerentem. Reſtat ergo tantum, vt purificati vniamur ei. Offerens enim & oblatum idem eſt: *Ego pro eis ſanctifico meipſum*, Ioan. 17.

Est qvoqve quarto oblatum cum his, pro quibus offertur, vnum; & ideo mediator vnū cum Patre, & vnum nobiſcum. *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus*, 1. Thim. 2. Acceptiſſimum eſt ergo ex omnibus hoc ſacrificium. Pſal. 50. *Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ* &c. Nam hoc ſacrificium omnem iuſtitiam impleuit, & in ipſo omnes oblationes & holocauſta ſunt perfecta. Hinc Eſa. 56. *Holocauſta eorum & victimæ placebunt mihi*. Inde Gregor. Hoc ſacrificium magis proficit viuis ad gratiam inueniendam, retinendam, recuperandam; Hoc magis deſiderant mortui purgandi, ad impetrandam veniam: Hoc maximè acceptat Deus ad gloriam & beatitudinem omnium Sanctorum.

Hoc gratum Patri, Sanctis, Captis quoq; Viuis. Hinc dicitur in Iob c. 42. *Seruus meus offeret pro vobis, faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur*.

§. 3. *De ſacrificij huius veritate.*

XXIX. Tandem videndum eſt de huius ſacrificij *veritate*. Hoc enim in ſe ſolum continet ſacrificij veritatem, non quòd altera ſacrificia falſa fuerint; ſed quòd alia ſunt vmbra; ſed iſtud totum eſt verum propter iſta,

Nam ſignat verè, cauſat, retinet, reliquum nil.

Primo, quia verè, & nō falsè ſignificat, & hoc commune habet cum legalibus Sacramentis, quæ falſa non fuerunt, tamen vmbra extiterunt. Sed differt in hoc à ſacrificijs idolorum.

Secundò eſt verum, quia omne illud, quod ſignatur abundanter cauſat; in quo legalia ſacrificia ſuperat, quæ id, quod vmbraticè ſignabant, non efficiebant per cauſalitatem. Pſa. 50. *Ecce enim veritatem dilexiſti.*

Tertiò eſt verum, veraciter veritatem in ſe continendo; eo quia veraciter & realiter Chriſtus continetur in hoc Sacramento.

Qvarto eſt verum, quod nil aliud præter verum ei ſit admixtum, & ſic ſuperat ſacrificia cætera, quia iſtud nil aliud in ſe quam ſacrum habet admixtum. Alia autem ſacrificia in ſe habebant, quæ ſanctitatis capacia non erant, vt carnes ouium, taurorū & hircorum, Pſ. 49. *Nunquid manducabo carnes taurorum?* Et ob hoc qui eſt ſacrificium noſtrum de ſe dicit Ioan. 13. *Ego ſum via, veritas, & vita.* Quia ipſe eſt *via* in ſacrificij ſigno, *veritas* autem in contento, & *vita* in exhibito. Et his & ſimilibus de cauſis, nunquam ſacrificium perfectè Deo placuit, niſi iſtud Eſa. 1. *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum dicit Dominus? Plenus ſum.* De filio autem Pater dicit Matt. 4. *Tu es Filius meus dilectus, in te complacuit mihi.* Quiſquis ergo volet Deo reconciliari, ſtudeat Deo hoc ſacrificium perfectiſſimum, veriſſimum, digniſſimum offerre, quod non poteſt ob cauſas dictas non acceptari. Et hæc de ſacrificio.

MEMBRVM VII.

De ſeptimo nomine, quo dicitur Sacramentum.

Magnum eſt pietatis Sacramentum, Paulus XXX.
1. Thim. 3. Poſtquam de ſex nominibus determinatum eſt, reſtat & de ſeptimo dicere pauca, quod dicitur *Sacramentum*. Glorioſum eſt enim pandere Sacramentum Regis. Circa iſtud nomen Albertus Magnus, qui & ſubtilia inquirit, puta de cauſa & neceſſitate inſtitutionis, de tempore & modo inſtituendi, cur accidentia maneant, & quomodo hic contineantur. Verum quoniam hæc noſtra nouellis oliuarum plantulis dedicantur, à ſubtilioribus declinantes, affectuoſa quædam ſunt hic intexenda. Et dicimus, quod Sacramentum dicitur, Quia eſt

Sacrum ſignum { Acerbæ paſſionis. / Magnæ dilectionis. / Æternæ fruitionis. }

Eſt ſignum paſſi, peramantis, ſis fruiturus.

Primo eſſe ſignum acerbæ paſſionis patet ex tribus,

Motiuum, formatiuum, modus excipiendi.

Primò ex motiuo quo inſtitutum eſt; Apoſtolus dicit 1. Cor. 11. *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat*. Et ipſe Dominus Ieſus per ſemetipſum Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Ad hoc igitur iſtud Sacramentum inſtituitur, vt ex eius exercitatione & vſu continuè intuentes Chriſti ſanguinem, vt effuſum; ſic noſtra memoria compleatur Chriſto paſſo, vt ſemper ſit fixus in corde noſtro, qui ſemel pro nobis fixus fuit in ligno. Et ideo etiam iſtud Sacramentum inſtituit, vt quaſi daret nobis plenam poſſeſſionē paſſionis & mortis, vt quotidie lauaremur in ſuo ſanguine, & reficeremur in ſuo corpore; quaſi non ſufficeret ad oſtenſionem amoris, quod ſemel ſanguinem ſuum fudit realiter in ligno, niſi quotidie effunderetur ſub Sacramento. Idem quoque tempus, locus & modus inſinuant inſtitutionis, vt patet conſideranti. Secvndo, ſi conſideres eius *formatiuum*, quo conficitur, omnia ingerunt paſſionem. Ad quod etiam facit numerus dictionum in forma poſitarum, ſecundum numerum quinque plagarum. Sic & ipſe modus hoſtiam formandi, quo inter ferrum ignitum ſtringitur, & decoquitur, ingerit memoriam paſſionis Domini Ieſu. Ferrum enim ignitum, fuit impia cru-

Digitized by Google

delitas iracundiæ Iudæorum in Chriſto. Ferrum multo magis ignitum, fuit immobilitas ſummæ charitatis Chriſti Ieſu; quia *deſiderio deſiderauit* ſeipſum offerre in pretium ſalutis noſtræ. Primi ferri figura remanſit in Chriſti corpore; dum vulneratus clauis, lancea confoſſus, ſpineа coronatus corona, ſputis deturpatus, & totus plenus iniurijs, non apparuit
Eſa. 53. in eo ſpecies neque decor. Ferreris ergo hoc ferro, & figureris, qui accedis ad illud Sacramentum; non vt iſta inferas Chriſto; ſed vt iſta libenter perferas pro Chriſto, exemplo martyrum Sanctorum. Et vt crucifixi effigiem transferens in teipſum, de eius paſſione iugiter meditare. Secundi quoque ferri, ſcilicet amoris Ieſu in te ſculpatur figura, vt eius amore tam ardenter ferueas, quo tibi parum videatur ad eius ſimilitudinem, pro amore Dei omnia mala ſuſtinere, vt ſic fias hoſtia formata, & caracterizata ſimilitudine paſſionis. Infinita eſt hæc materia, ſi quis ruminare poſſit.

Tertiò, ſi etiam conſideres modum quo ſuſcipitur, videbis paſſionis Chriſti amaritudinem memorari: Nam hoſtia frangitur per manus Sacerdotis, dentibus teritur, & in ſtomachum mittitur; per quod ſignificatur corporis Chriſti fractio, & attritio in flagellis, ſpinis, & clauis, & conſummatio in morte, & occultatio in ſepulchro. Iſtis igitur modis dicente tibi Domino Ieſu, Thren. 3. *Recordare paupertatis & tranſgreſſionis* &c. reſpondeas dicens: *Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea.*

§. 1. *Quod Sacramentum dicitur, quia magni amoris ſignum.*

XXXI. Secundò, rectè *Sacramentum* dicitur, quia ſignum eſt magnæ dilectionis: Hinc etiam charitatis Sacramentum, & amoris pignus ſolet dici. Patet autem hæc magnitudo dilectionis ex his, ſcilicet,

ex { Affectu, / Dono, / Modo, } quo { Sacramentum hoc inſtituit. / Seipſum, quo maius nihil eſt, impendit. / Se tam charitatiuè expoſuit. }

En votum, donum, modus, hæc ſunt ſigna, & amoris.

Primo eluceſcit hæc amoris magnitudo, ex affectu quo Sacramentum hoc inſtituit (de quo ſupra aliquatenus actum eſt) qui præſertim ex verbo illo Domini Ieſu effulget, quo dixit Lucæ 22. *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum.* O deſiderium, ô deſiderauit! Grande dictu, durum creditu, vt Ieſus verus Deus, plaſma ſuũ, vel deſideret (taceo, vt deſiderio deſideret) & non modo cum ipſo manducare, ſed & manducari ab ipſo. Quis autem crederet, niſi veritas ipſa dixiſſet? Verè deſiderium illud, amor inſtitutionis huius, *lucem ha-*
2. Tim. 6. *bitat inacceſſibilem*: nec à quoquam, niſi ab ipſo Domino Ieſu plenè poteſt (poſt Trinitatem) dignoſci. Et quoniam de hoc minus eſt, quicquid dici poterit (quippe, quia abyſſus) ideò de hoc ſuperſedendum, & contemplationi relinquendum.

Nam, Non mihi ſufficeret longaui Neſtoris ætas.
Vt canerem quantus corde perarſit amor.

Secundò conijcitur amoris huius immenſitas, *ex dono*, quod impendit; quippe vbi dator tranſijt in donum. *In charitate perpetua dilexe-* Iere. 31.
rat creator creaturam, & multa dedit xenia, & pignora amoris ab initio creator: Sed iam ſol in arce fuit, quando hoc donum amoris teſtimonium credibile nimis impendit, Pſal. 22.

Quia totum mundum. Angelos,
Ante ſuum, atque ſuos
Supſum omnibus & multis modis.
ſed nunc dat ſe variatis.
Peregrinationis, miniſtrans, redemptionis,
In ſocium, ſeruum, pretium,
refectionis:
atque cibum modo donat.

Imò in omnem vſum deſiderabilem, ſe nobis exhibuit, omnibus omnia factus; vt infrà ple- 1. Cor. 9.
nius dicetur. In his autem donis, vnũ eſt quod maximè oſtendere voluit, & maximè de ſe credi atque famari: videlicet, *eſſe Philantropon*, hoc Philip. 2.
eſt, hominum amatorem, & adeò amatorem, vt ſibi-ipſi non parcens, ſemetipſum exinaniret, & ſe propter te traderet in manus inimicorum. Verè Domine Ieſu nunc cognoui, quantum dilexiſti me; quinimò me magis dilexiſti quàm te, quia tibi non parcens te tradidiſti pro me; & non ſolum in paſſionis ſupplicium, ſed & in quotidianum meæ refectionis cibum.

Et pro huius declaratione eſt hic *quæſtio* quædam deuota in medium aſſignanda, qua quæri ſolet, *Verum Chriſtus maius ſignum dile-* Dubitatur.
ctionis nobis oſtenderit patiendo pro nobis, quã tradendo nobis corpus ſuum in cibum? Reſpondet Doctor Sanctus in quolibet. 5. q. 3. art. 2. Illud eſt potiſſimum in vno quoque genere, quod eſt menſura illorum, quæ ſunt illius generis 10. Metaphyſicè: Potiſſimum autem in genere amoris hominum, eſt amor, quo quis amat ſeipſum; Et ideo ex hoc amore neceſſe eſt menſuram accipere omnis amoris, quo quis alium amat. Ad amorem autem, quo quis ſeipſum amat, pertinet, vt velit ſibi bonum: Vnde tanto aliquis alium amare probatur magis, quanto maius bonum, quod ſibi vult, propter amicum prætermittit. Vult autem homo triplex ſibi bonum particulare, quæ ſunt, Anima, Corpus, Res exteriores: Eſt igitur aliquod ſignum amoris, quod aliquis in rebus exterioribus, propter alium, detrimentum patiatur; Maius autem eſt amoris ſignum, ſi in corpore proprio detrimentum patiatur propter alium, vel labores, aut verbera, pro amico ſuſtinendo; Maximum autem eſt dilectionis ſignum, ſi etiã animam ſuam deponere velit, pro amico ſuo moriendo. Quod igitur Chriſtus moriendo pro nobis, animam ſuam poſuit, maximũ fuit dilectionis ſignum; Quod autem corpus ſuum nobis dedit in cibum ſub Sacramento, ad nullum detrimentum ipſius pertinet: Vnde patet, quod minus eſt dilectionis ſignum; vnde & hoc Sacramentum eſt *memoriale quoddam paſſionis* Chriſti, & figura. Veritas autem præminet figuræ, quia, *maiorem charitatem nemo ha-*

bet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Hæc Sanctus Thomas.

QVIBVSDAM tamen acutè conſiderantibus, apparet non minus amoris indicium relucere in Sacramento, quam in patiendo.

TERTIO amoris immenſitas effulget *ex modo* quo ſe expoſuit: Vnde, & dicitur *Sacramentum*, quia eſt Sacrum mirabilis expoſitionis ſui pro nobis ſignum. Vere mirabilis iſte modus. Cum enim non eſſet conueniens, quod in carne paſſibili diutius moraretur in terris, modum tamen hunc adinuenit, quo ſemper ſe nobis etiam exhiberet per præſen-
Lucæ 22. tiam carnis. Nam Apoſtolis, & cęteris poteſtatem conficiendi dedit: A qua poteſtate nullum legitimum Sacerdotem, ſeruatis ſeruandis, excluſit. Vere ſtupendum hoc fuit amoris ſignum, quod ſic in Sacramento ſe pro te expoſuit, & ſic quaſi noua morte, ſeipſum manibus cuiuſq; Catholici Sacerdotis expendit, Quia pro nullius malitia, vel pro aliqua iniuria, quæ ſibi ibi fiat, poteſt eius præſentia violari; quin ſemper ibi ſit verum Chriſti corpus, ritè factis, quæ circa conſecrationem fieri debent, & durantibus ſpeciebus. O quantum eſt hoc in effuſione amoris, ſi noſcemus bene ponderare? Modus quoque huius expoſitionis, eſt vſque ad vnionem tui cum Chriſto: Ad hoc enim facta eſt tanta expoſitio Chriſti, in Sacramento, vt non impediatur Sacramenti effectus, qui eſt tui in Chriſtum conuerſio. Vnde in huius participatione, non tantum efficeris frater Chriſti, aut conſobrinus: ſed efficeris ipſe Chriſtus, per gratiam transformationis.

ET VT hanc identitatem tuam ad Chriſtum plenius poſſis cognoſcere, ſcias quod tribus modis nos cognoſcimus aliquos attinere nobis, ſcilicet generatione, nutritione, familiari locutione. Sic & nos efficimur totus Chriſtus. Vnde quatuor ſunt modi, quibus homo dignoſcere poteſt, quod attineat Chriſto.

Fis Chriſtus generatus eo, paſſus, vocitatus.

XXXIII. Scis enim te eſſe hominē, quia ab hominibus generatum, ſed non in identitate indiuidui, ſed ſpeciei, & de ſemine ſuperfluo indiuidui, ſed neceſſario ſpeciei. At non eſt tale ſemen, quo tu Chriſtianus generaris à Chriſto. Non enim ex ſuo ſuperfluo; ſed ex vitæ ſuæ neceſſario generatis. De tota enim in vita ſua te genuit, qui tibi in morte ſua, & ſanguine, baptiſmum conſtituit. Nam in morte Chriſti ſubmergeris in baptiſmo, & quaſi nouus Chri-
Rom. 6. ſtus, inde reſurgis: Apoſtolus, *Conſepulti ſumus Chriſto per baptiſmum in morte, vt quemadmodum Chriſtus reſurrexit a morte per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Es ergo Chriſtus generatione.

SECVNDO noſcitur attinentia, nutritione, quia ex eiſdem ſumus, ex quibus nutrimur. A matribus autem nutrimentum ſumunt paruuli, ex earum ſuperfluo; ſed Chriſtus nos nutrit de ſuo neceſſario, ſcilicet de corpore, & ſanguine proprio. Nam vt oſtenderet Chriſtus veram ſui exiſtentiam in nobis, & noſtri in ſe; non de alio nos nutrire voluit, quam de ſeipſo. Vnde & ait, *Caro mea vere eſt cibus*, &c. non Ioan. 6.
quidem conuertendus in naturam cibati, quæ eſt infecta, peccatrix, & miſera; ſed conuerſurus cibatum in naturam ſui, quæ eſt ſpiritualis, ſanctiſſima, & Diuina. O vere ſapidus cibus, qui hominem facit Deum, & in Dei prouehit vitam? dicit enim, *Qui manducat me,* Ibidem.
& ipſe viuet propter me. Ita vt dicere poſſit illud, *Viuo ego iam non ego, viuit vero in me Chri-* Galat. 2.
ſtus.

TERTIO, cognoſcitur attinentia, familiari locutione, & per familiaria verba, vt quando mater vocat nos filium, & frater fratrem. Stupendo modo, ſi conſideremus, etiam verba Chriſti, nos ducunt in ipſum: Ipſe enim dicit, quòd ipſe eſt fermentum in ſimilitudine, nos Lucæ 13.
farina; quòd ipſe eſt vitis, & nos palmites. O Ioan. 15.
qualis eſt iſta locutio; non enim facit gradum; ſed vnionem. Tota enim paſta poſt fermentationem, eſt de natura fermenti. Et quid palmites reſpectu vitis; niſi vitis parua reſpectu magnæ, & pars reſpectu totius? Sic & intelligas te non Chriſti filium, ab ipſo ſeparatum; ſed eius membrum in ipſo fixum, & totaliter in eius gratiam per charitatem conuerſum. Hinc ait (vnionem ſui extaticam ad nos exprimens) ad Patrem, *Tu in me, & ego in eis.* Item, *Sicut dile-* Ioan. 15.
xit me Pater, & ego dilexi vos. Quam vnionem Dei ad nos, & noſtri ad Chriſtum. Aug. elegantiſſimè explicat, in quinquagena ſuper Pſal. *Inclina Domine aurem tuam, & exaudi* Pſal. 85.
me; cuius verba prolixum eſt ponere. Patet ergo ex his, quod fias totus Chriſtus. Iuſtè ergo Ieſus cuiq; dicere poteſt illud, *Quid vltra debui* Eſa. 5.
facere, & non feci? quod tui, ſcilicet cordis duritiam emollire valeret, & me tibi vnire. Ideo enim omnia egit. Nam non fuit ei curę panem conuertere in ſe; niſi vt per hoc intelligeret Chriſtianus, ſe debere, & poſſe per gratiam, tranſire in Chriſtum. Patet ergo, quòd ſit magnæ dilectionis Sacramentum.

§. 2. *Quod Sacramentum dicitur, quia beatificæ fruitionis ſignum.*

TERTIO, præcipuè dicitur Sacramentum, XXXIV.
quia eſt beatificæ fruitionis ſacrum ſignū, quod potiſſimum ex tribus patet.

Materia, ſpecies, modus, hoc typat accipiendi.

PRIMO inquam deſignatur æterna fruitio, ex Sacramenti materijs; quia commendatur in pane, & vino; quæ ſocietatem ſignant, & iocunditatem inducunt. Auguſtinus, *Cum cibo, & potu id appetant homines, vt non eſuriant, neq; ſitiant: hoc veraciter non præſtat, niſi cibus iſte, ideſt, ipſa ſocietas* Sanctorum in regno; vbi pax plena, atque perfecta. Et alter quidā, ait quòd panis iſte Sacramentalis ad altiorem tranſmittit refectionis ciuitatem; ad panem, ſcilicet illum ſuperſubſtantialem, ideſt ad Deum Trinum, & Vnum. *Vinum* quoque æternam illam iocunditatem deſignat. *quod lætificat cor homi-* Pſal. 103
nis. Hinc ablutionem ſumendo, dicendum, *Bibam, & hilarior fiam, quia magnificata eſt a-* Ruth 3.
nima mea.

SECVNDO deſignatur beatifica fruitio, in hoſtiæ qualitatibus, & ſpeciebus.

Digitized by Google

Læta, rotunda, nitens, expers ſit, & azima ſcripta.

Nam in hoſtiæ *latitudine*, deſignatur gaudij vniuerſalitas; in *rotunditate*, æternitas; in *candore*, lucis iocunditas, in *carentia fermenti*, *& ſalis*, omnis pœnæ immunitas, & doloris, *in azima*, gaudij puritas, in *imagine* ac inſcriptione, Diuinæ viſionis perſpicacitas. Poterant hæc longè deduci; ſed ſatis pateſcit propoſitum: Vnde de ampliori proſecutione eſt ſuperſedendum.

TERTIO deſignatur beatifica fruitio, in ſumendi modis: Nam ſicut Sacramentales Species totaliter inſumimus; ita in regno facie ad
1.Cor.13. faciem in Dei contemplatione aſſumemur, *&*
2.Cor.3. *à claritate in claritatẽ transformabimur*, & Deo noſtro integrè vniemur, & fiemus per gratiam quicquid ipſe eſt per naturam. Patet ergo, quod hoc Sacramentum eſt beatificæ fruitionis ſignum. Nam iuxta Ambroſium. *Hæc eſt menſa vbi Deus eſt ſedens, & Sancti cum eo recũbentes, & Angeli circunſtantes.* Nam idem ille, qui eſt panis Angelorum, quem Angeli comedunt pleno ore, is aſſumitur à nobis ſub ſpe-
Pſal.77. cie Sacramentali. *Panem enim Angelorum man-*
Sap.16. *ducauit homo.* Et ipſemet, *Ego ſum panis viuus,*
Ioan.6. *qui de cælo deſcendi.* Ideo illud inſtituens dixit, ſe hoc idem cum eis ſumpturum in regno Pa-
Marc.14. tris ſui: *Non bibam*, inquit, *ammodo de hoc genimine vitis, vſque in diem illum, dum illud bibam nouum vobiſcum in regno Patris mei*, De hoc etiam quædam ſupra diximus.

ET HÆC ſufficiant de eo, quod dicitur Sacramentum, & ex conſequenti de omnibus ſeptem nominibus Sacramenti. Non quod nõ plura ſint nomina eius; ſed hæc ſunt principaliora. Nam & alijs nominibus appellatur.

Quia filius mittitur. *Tranſſubſtantiatio.* *Curans.*

Miſſa. Methalepſis. Medicina.

Abſoluens in iudicio.

vel actio dicta.

Quorum etiam declaratio ſatis eſſet pulchra; ſed ex dictis facilè poteſt ſumi horum applicatio. Age ergo, hæc nomina voluamus, & in deſiderio habeamus. Amen.

Carmen in ſeptem nomina Sacramenti Corporis & ſanguinis Domini Ieſu. Et cantabitur ſub modulo,

Dies eſt lætitiæ.

O panis viuifice,
Donum ſingulare,
des tua Deificè
nomina tractare.
Nempe tua nomina
conſecrata ſomina
larga fruge turgẽt.
Hęc rorẽ chariſmatũ
hęc fluẽta dogmatũ
ſacro topo præbẽt.

De nomine Euchariſtia.

Salue Euchariſtia,

fons delitiarum:
nomine, re, gratia,
dulcor animarum.
Salueto pijſſimis
amicis dulciſſimis,
abs Ieſu collata.
Dones ſacra ſatie
Fruar tua facie
anima beata.

De nomine donum.

O donum magnificũ
fluens largitate,

Salue hilarificum
ardens charitate.
Salue nobiliſſimum,
ſufficientiſſimum,
vtile damnatis.
Danti confortiſſimum
te laudo gratiſſimũ
mihi datum gratis.

De nomine Cibus.

Salue cibus Regius
nobilis Gnatorum:
Suauis & egregius
omnium ſaporum.
O eſca lautiſſima
manu prudẽtiſſima
piſta Trinitatis:
Opple languidiſſimã
pereſſetam animam
cibo pietatis.

De nomine Potus.

O potus dulciſſime,
lateris fluentum;
Salue ſapidiſſimẽ
languẽtis fomentũ,
Salue iocundiſſimum,
vinũ, meraciſſimũ
ebries bibentes.
Germinato Virgines
atq; mẽtis cardines
fac mero calentes.

De nomine Communio.

Salueto Communio

omnium bonorum:
Hominum tu vnio
atque Angelorum.
Præſtes influentiam,
præſtes accreſcẽtiã
capitis in membra:
Tuis paſſionibus,
his Cõmunionibus
dedices cõmembra.

De nomine Sacrificium.

Salue Sacrificium
in cruce litatum:
mirum Sacrificium
figuris ſignatum!
Te laudo digniſſimũ,
Deo acceptiſſimũ,
Sanctum iuramẽtũ:
Salue pontificium,
Chriſti Sacrificiũ,
Patris ſpiramẽtum.

De nomine Sacramentum.

Salue admirabile
Chriſti Sacramẽtũ.
Inſigne amabile
tu medicamentum.
Tu commemoratio
atque exaltatio
Chriſti paſſionis:
Te laudo ſignatio
ſupernæ guſtatio
Iam fruitionis.

FINIS.

Ruminatorium Conſiderationum.

CAPVT III.

CVm ſederis ad menſam potentis: diligenter attende quæ appoſita ſunt tibi, ſciens quoniam ſimilia oportet te præparare. Prou. 23. ALTERVM (prout in huius principio diximus) *ferculum* maſticandum conficitur ex diuerſis circa Sacramentum conſiderationibus. Vnde & (iuxta Albertum, & Ioannem de Turrecremata) maſticat, qui ea, quæ circa hoc Sacramentum ſunt conſideranda, attendit. Iuxta etiam quod præcipit in verbis præallegatis ſapiens; diligenter ſcilicet attendere, & conſiderare, & ſimilia præparare; id eſt ſingulis conſiderationibus, deuotis affectionibus correſpondere. Hinc & in huius typo *panis propoſitionum* dictus eſt, in Hebraica Heb.9.
veritate *panis facierum*; eo, ſcilicet, quòd proponitur faciei mentali, id eſt, menti commemorandus; rationi, conſiderandus; voluntati, diligendus.

Aſſignemus igitur, & huius ferculi ſeptem buccellas, per ſingulos dies ruminandas; ne cui ſit fas cauſari, quia deeſt ei conſideranda materia. Verum quoniam conſiderationum iſtarum abyſſus numeroſa, & quia in ſuperioribus

Digitized by Google

tibus multa materia eſt prehabita: ideo ſic hic
buccellas has aſſignamus, ne vel ea repetamus;
aut ne ea, quæ ſupra nos ſunt, proponamus
Iob 28. conſideranda. Nam ſi cuilibet ſublimia huius
Sacramenti, & profluuij huius ſcrutari pro-
funda, habet Doctorum ſuper quartum ſen-
tentiarum ſcribentium dicta, & Sancti Docto-
ris ac cæterorum ſummas & tractatulos, in
quibus inueniet ſubtilia perquam diſcuſſa.
Nobis ſufficiat illa aſſignare conſideranda,
quæ ſunt deuotionis excitatiua, vt ſunt iſta.

Scilicet de Sacramēti
- Antecedentibus.
- Subſtantialibus.
- Circunſtautijs.
- Mirabilibus.
- Vſu, & modo ſumptionis.
- Dulcedine ſaporis.
- Proprietatibus.

MEMBRVM I.

De Sacramenti antecedentibus.

11. PRIMA inquam conſideratio eſt de Sacra-
menti antecedentibus: Nam plura illud
anteceſſerunt,

Vt ſunt
- Sanctorum votiua deſideria
- Varietates figurarum,
- Propherarū vaticinia,

quibus eſt
- Deſideratum.
- Prefiguratum,
- Prophetatum.

Optatum Patribus, præſignatum, prædictum.

§. 1. *Quod hoc Sacramentum fuit ab antiquis deſideratum.*

PRIMÒ enim fuit hoc Sacramentum à prio-
ribus patribus votiuè deſideratum: Nam
quemadmodum fuit deſideratus aduētus eius
in carnem, ita & aduentus eius in mentem; il-
le, qui non niſi per eius manducationem, vel
ſpiritualem, vel ſacramentalem fit. Nihil quo-
que ille in carnem aduentus prodeſt: niſi ſub-
ſequatur & iſte, qui eſt in mentem. Quantum
autem priores deſiderauerunt aduentum iſtū,
patet ex verbis Iob, cap. 31. *Si non dixerunt viri
tabernaculi mei, quis det de carnibus eius, vt ſatu-*
3. Reg. 10. *remur?* Vnde & in huius deſiderij typum,
*omnes Reges terræ deſiderabant videre faciem Salo-
monis*, qui ſub hoc Sacramento veraciter &
realiter continetur. Et in nocte *quærit ſponſa*
Cant. 3. *ſponſum, ſe poſt parietem* Sacramentalium ſpe-
cierum *occultantem*. Sic & nos in omni nocte
aduerſitaris debemus confugere ad hoc Sacra-
mentum in mente inuocando; imò & corpo-
raliter, ante reſeruaculum eius recurrendo.
*O ſalutaris hoſtia, quæ cæli pandis oſtium, bella
premunt auxilia; da robur, fer auxilium;* aut ſimi
le quicquam legendo. Nam huiuſmodi exerci-
Num. 10. tationis figuram videmus in patribus veteris
Ioſ. 6. teſtamenti præoſtenſam, qui quoties tribulati
Iud. 20. fuerunt, ad arcam refugij confugerunt, In du-
1. Reg. 4. biis illic Dominum conſuluerunt, In bellis ſe-
3. Reg. 8. cum adduxerunt; qua coram adorauerunt, gra-
1. Para. 17. tias impetrauerunt, & omne bonum inde per-
2. Para. 36. ceperunt. Quæ indubiè arca huius noſtri fuit
Sacramenti figura,

Arca Dei ſancta, tenet optima, perficit alta.

Primo propter arcæ illius ſanctitatem: Nam
ſicut illa arca continebat veteris teſtamenti
Sancta; ſic noſtrum Sacramentum continet
omnis ſanctitatis fontem. & ſub eo continetur
diuinitatis plenitudo veriſſima. *Secundò* pro- C
pter contentorum qualitatem: Nam ſicut in
illa arca manna, legis tabulæ, & virga Aaron Exod. 25.
fuerunt repoſita: ſic in arca corporis Domini- Heb. 9.
ci inueniemus multo plenius omnia iſta, puta,
manna, id eſt debilium confortationem; *legis
tabulas*, id eſt, ſimplicium informationem; *vir-
gam Aaron*, hoc eſt, malè accedentium corre-
ctionem. Inſuper *tertio* propter effectuum di-
uerſitatem: Nam ſicut arca vetus alios occidit,
alios non, quoſdam verò per omnia benedixit;
ſic & Sacramentum iſtud malè accedentes oc-
cidit, alios autem ad bonum promouet, tertios
verò per omnia benedicit. Patet ergo, quod
hæc arca corpus ſignificat Dominicum, &
hoc Sacramentum. Vnde quemadmodum ve-
tuſti illi ſe exercitauerunt circa arcā; debemus
nos exercere circa digniſſimum iſtud Sacra-
mentum, ſemper ad illud confugiendo, ſemper
eius præſentiam deſiderando. Eſſet hic copio-
ſiſſima, & magnæ deuotionis materia, medita-
ri, videlicet, quomodo hoc Sacramentum fuit
optatum; nam offerunt ſe circa hæc multa
contemplanda, ſcilicet,

Quia Patres, omne bonum, quæ cauſa,
Qui cupiant? quale, & cur?
modus, ad quorum ſimilitudinem.
quomodo? cuius ad inſtar?

PRIMO, qui ſunt qui cupiant, & occurrunt?
omnes iſti.

Angeli. in limbo. in mundo. Prophetæ.
Angelici, Patres, Iuſti, Vates,
Reges & gentes.
quoque gentes.

Angeli deſiderauerunt, quia per hoc ſuas
ruinas reſtaurari nouerunt, vt patet ſuprà de
nomine Communionis. *Patres* in limbo con-
ſtitnti, hoc pro eorum redēptione; & Patriar-
chæ viui pro eorum ſacrificij conſummatione
deſiderauerunt. *Abraham enim Pater veſter de-* Ioan. 8.
ſiderauit videre diem hunc, ſcilicet inſtitutionis
Sacramenti. *Tertiò*, quia *multi iuſti*, vt Domi-
nus ait Matth. 13. *Quartò Vates*, Nam *multi Re-
ges & Prophetæ deſiderauerunt videre, quæ vos vi-
detis. Quinto, Gentes*, vt patet in Iob cap. 37. &
alijs, quia ipſe eſt *deſideratus cunctis gentibus*. Et Haggai 2.
hoc de primo, qui ſcilicet cupiunt.

SECVNDÒ conſiderandum quid, & quale in
Sacramento deſiderabant. *Alter* exſpectabat Gen 49.
ſalutare; *alter* agnum; *alter* redemptorem; ſciē- Eſa. 10.
tes, quod omnibus omnia factus, quod man- Iob 19.
na cuique pro voluntate ſapiebat. Pſal. 77.

TERTIO videndum cur & quare hoc deſi- Eſa. 14.
derabant? cuius cauſas habes ſupra in gradu Sap. 16.
inuitationis.

DE QVARTO autem; *quomodo*, ſcilicet deſi
derauerunt? eſt notandum, quòd Chriſtum, &
hoc Sacramentum.

Deſiderabant { Sæpè, & multipliciter, / Patienter, & longanimiter, / Intensè, & indeficienter. } Sicut patet ſcrutâti Scripturas.

De vltimo nota, quod deſiderabant, inſtar in magna neceſſitate poſitorum, ſicut declarat Eccleſia *in ſeptem Antiphonis in Aduentu*, *O ſapientia*, &c. Item deſiderabāt Chriſtum, & hoc Sacramentum, quemadmodum deſiderat cer- *Pſal. 41.* uus ad fontem aquarum, pullus hirundinis *Eſa. 38.* clamat ad matrem, &c. Et non videatur cuiquam ab re, quod dicamus Patres deſideraſſe hoc Sacramentum; cùm vtique conſtet (Apo- *1. Cor. 10.* ſtolo teſte,) quod *eundem cibum manducauerunt nobiſcum*. Nam quàndo optabant Chriſtum, deſiderabant & hoc Sacramētum, quod vtique continet eum.

Eya itaque & nos deſideremus Chriſtum venturum in Sacramentum: quemadmodum illi expectabant aduentum eius in mundum. Quorum deſiderium Eccleſia in introitu Miſſæ proponit nobis in exemplum; vt ſic excitet torporem noſtrum. Nam ex feruentibus talibus deſiderijs multiplex prouenit bonum, iuxta Albertum.

Intendit, feruet, relenat, ſoluit, mala dulcat.
Ædificat fratres, caleſtia neumata ſignat.

Primo enim intentio intenditur, vt velocius ad Deum perueniatur, vt Auguſtinus ait. Hinc Eſa. 45. *Current, & non laborabunt, volabunt, & non deficient*. Et hinc animalia Ezechielis de- E ſcribuntur alata; *Secundo* cum feruore deuo- *Ezech. 1.* tionis. Non enim ad Deum clamor, niſi de feruore orationis exurgit. Et hoc ſignatum eſt, *Eſa. 6.* ſcilicet vbi dicitur, quod *Seraphin clamabant*, *Ezech. 1.* & animalia Ezechielis in medio ignis apparuerunt; *Tertio* cauſat anxietatis releuationem, quia Deus eum exaudit, *Anima in anguſtijs, &* *Baruch 4.* *ſpiritus anxius clamat ad te Domine, audi, & miſerere, quia Deus es miſericors. Quarto* facit à debito cordis, & oris deobligationem: Tenemur enim de corde & ore (maximè Clerici) clamare ad Deum, & reddere vitulos labiorum. *Quinto* cauſat cordis dulcedinem, vt ait Aug. Hinc Pſ. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua. Sexto* facit proximi ædificationem; quia populus audiens ædificatur ad bonum, Pſ. 21. *Matth. 5.* *Narrabo nomen tuum fratribus meis. Sic luceat lux veſtra* &c. *Septimo* facit in terris cæleſtis *Pſal. 9.* iocunditatis ſimilitudinem; vbi edentes eſu- *Pſal. 20.* riunt, & deſiderantes ſemper ſatiantur, & deſiderium iuſtorum audit Dominus, & deſideriū cordis tribuit eis. Pudeat itaque nos teporis, & torporis noſtri, & iugi deſiderio clamemus, *Cant. 5.* *Veniat dilectus meus. Veni Domine Ieſu*, &c. *Oſtende mihi faciem tuam: Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora*. Et, hæc de primo.

§. 2. Quod multipliciter fuit hoc Sacramentum præfiguratum.

Alterum de antecedentibus principale eſt, quod Sacramentum iſtud fuit *multipliciter præfiguratum*. Circa quam præfigurationem etiam multa ſe offert materia ſpeculanda,

Scilicet de eius { Decentia, / Varietate, / Sufficientia.

Fuit enim *decens* tantum Sacramentum præfi- 111.
gurari: *tum* propter ipſius dignitatem, *tum* propter noſtram neceſſitatem. *In varijs* quoque rebus fuit ſignatum, & per cunctas ætates, vt patet ſupra, vbi de ſacrificio actum eſt, vbi dicitur, quod hoc Sacramentum præfiguratū in animalibus, & volucribus, in rebus inanimatis, & in omnium oblationum generibus. Eſt præterea in multis alijs præfiguratum rebus. *Iam tertio de ſufficientia* præfigurationis eſt ſciendum, quod nihil in hoc Sacramento habetur, quod non plenè præfiguratum, vt patet hoc modo. Nam

Quātū eſt ad { Materiam ſpecierum, vel ſignum, / Rem contentā, id eſt Chriſtū, / Effectū, .i. dulcedinis guſtū, / Compūctionis inductiuum, / Paſſionis repræſentatiuum, / Interioris hominis viuificatiuum. / Oculi mentalis illuminatiuū, / Gloriæ perductiuum, / Deuotionis impinguatiuum, / Actionis roborariuum, } Fuit ſignatum { Oblatione Melchiſedech. / Agno Paſchæ. / Mannæ cibo. / Edulio Gedeonis, / Propoſitionis pane. / Ligno vitæ. / Ionathę melle. / Subcinericio pane. / Vitulo ſaginato. / Sāpſonis fauo.

Manna, & Melchiſedech, Agnus, Vitulus, quoque Panis.
Guſtum, Materiam, Rem, Deuotum, Mala, Paſſum.
Fert, Gedeon, Lignum, Ionathan, Samſon, vel Helias.
Compungit, Viuum, Luſtrando, Roborat, Aſtra.

Sunt & innumeræ aliæ figuræ, quas tangere prolixitas vetat. Quas omnes ad quattuor principales, Patres orthodoxi reduxerunt, ſcilicet ad oblationem Melchiſedech, agnum Paſchalem, ad manna, & ad ſanguinis Chriſti effuſionem. Quarum prima eſt figura tempore naturæ, aliæ duæ tempore legis ſcriptæ: Quarta tempore gratiæ, quę plenè hoc Sacramentum deſignant, vt Sanctus Doctor dicit,

Quoad { Effectū, / Reſpectum, / Vſum, } Scilicet { Viuificare, nutrire, reſtaurare, protegere. / Rei cōtētę effectu efficaciæ ſigni. / Quia his vtimur, vt patet.

Quod autem ponunt, ſanguinem Chriſti effluentem de latere Chriſti cum aqua, huius Sacramenti figuram; hoc intelligendum eſt quod non tam eſt figuratiuus, quàm Sacramenti

Digitized by Google

menti efficaciæ demonſtratiuus; eo modo quo cauſa eſt demonſtratiua ſui effectus. Sanguis enim lateris Chriſti eſt cauſa ſanguinis in Altari, & aliorum Sacramentorum, vt dicit Auguſtinus. Et hæc de quarta figura. Porrò de tribus alijs principalioribus figuris, aliquid dicere deuotio impellit; ſed mater faſtidij prolixitas retrahit. Vnde vt medium obſeruemus, oportet, vt quædam dicamus, & vt paucis illa proſequamur, vt ſic quanta ſit meditandi materia demonſtremus.

Quomodo præfiguratum in oblatione Melchiſedech. Notula I.

IV. DE PRIMA itaque figura, id eſt oblatione Melchiſedech, qui obtulit panem & vinum in huius Sacramenti typum, agitur in Geneſi c. 14. Pro cuius figuræ declaratione notandum, quod multa occurrunt conſideranda, ſcilicet,

Melchiſedech quis, cui, quid, quando, cur, obtulit ipſe.

Nam Melchiſedech perſona offerens, ſignat Chriſtum: *Secundo*, Abraham, cui offertur, Patrem Deum. *Tertio*, oblatio; panis ſcilicet & vinum, repræſentat Sacramenti huius typum. *Quarto*, tempus; quia reuertenti de cede, &c. ſignat paſſionis triumphum. *Poſtremò*, cauſa oblationis fuit, ſalus facta populorum. Sunt hæc igitur plena myſterijs, & deuota meditatu.

PRO dictorum tamen pleniori intelligentia, nota, quòd Chriſtus per Melchiſedech ſignatur, & ſecūdum eius ordinem illius Sacerdos dicitur, propter iſta,

Ob genus, & nomen, decimas, opus obtulit, & qua.

Heb. 7. PRIMO ratione generis, quia nihil legitur de eius patre, & matre, & dicitur ſine genealogia; ſic Chriſtus dicit Matth. 12. *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* SECVNDO ratione nominis; interpretatur enim *Rex Salem*, id eſt Rex pacis; & de Chriſto dicitur Eſa. 9. *Vocabitur Pater futuri ſæculi, princeps pacis.* TERTIO, quia decimas accepit; & Chriſto primitiæ ac decimæ debentur, qui *operatur in* Philip. 2. *nobis velle, & perficere.* QVARTO, ratione operis, quia ſcilicet Abrahæ benedixit, vt dicitur Geneſ. 14. Et Chriſtus dicit, *Inuo-* Num. 6. *cabunt nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis.* QVINTO, quia vinum, & panem obtulit: Et Chriſtus ſanguinem ſuum in ſpecie vini, & carnem ſuam ſub ſpecie panis Deo Patri obtulit, diſcipulis dedit, & of- Matt. 26. ferre quotidie facit.

SECVNDÒ nota, quòd in duplici hac ſpecie ſemper eſt conficiendum, propter rationes ſequentes,

Inſtituens, Vſus, Signat, cauſat, recipitq́,
Sumunt, Offertur, Saluat, Simulando, Replenit.

Ibid. *Primò*, ratione Dominicæ inſtitutionis in cœna, qui ita conſecrauit. *Secundo*, ratione vſus; qui vſus huius Sacramenti, eſt manducatio, quæ ad ſui integritatem panem & vinum exigit. *Tertio*, ratione ſignationis, vel repræſentationis; quia hoc Sacramentum ſignat paſſionem Chriſti, in qua ſanguis à corpore fuit ſeparatus. *Quarto*, ratione integræ ſuſceptionis, vt ſcilicet animæ, & corporis in Chriſto ſuſceptio, & vtriuſque in nobis libe ratio ſignetur. *Sexto*, ratione duplicis Aſſum Ioan. 6. ptionis; cum difficultate, ſcilicet, vt Iudæus murmurans, & ſignatur in pane; Aliter cum Luc. 19. facilitate, vt Zachæus gaudens, & hoc figuratur in vino, vel potu. *Septimò* ratione duplicis immolationis; ſcilicet in vita, & in morte: Omnis enim Chriſti, tam in vita, quàm in morte, actio, fuit iugis pro nobis oblatio. *Octauo*, ratione humanæ ſaluationis; quia ſpecie panis ſignatur redemptio noſtra à dæmone; ſpecie verò vini, abſolutio, vel ablutio ab omni crimine. *Nono*, ratione aſſimilationis, vel perfectionis; quia in his ſpeciebus ſignatur coniunctio membrorum cum capite, & in incarnatione, & in paſſione. Item perfecta refectio, ſcilicet corporis & animæ. Hinc ſanctus Thomas, *Quibus ſub bina ſpecie, carnem dedit, & ſanguinem, vt duplicis ſubſtantiæ totum cibaret hominem. Decimò*, ratione repletionis figuralis; vt, ſcilicet figura de Melchiſedech, qui panem & vinum Gen. 14. obtulit, impleretur.

Quomodo hoc Sacramentum ſignificatum ſit in Manna. Notula II.

V. DE ALTERA autem figura, ſcilicet de Manna videndum, circa quam poteris conſiderare,

Conuenientiam, } Ratione { Proprietatis.
Differentiam, } { Sublimitatis.

Manna enim conuenit cum Chriſto, in proprietatibus multis.

Manna, polo, ſubtile, nitens, per dulce, ſaporē. Indurat, duplum, ſcatet, obſeruet, tenet, haud plus.

PRIMO, conuenit Manna cum Chriſto, quia dabatur de cœlo. Pſalm. 77. *Panem cæli dedit eis.* Et Chriſtus ait Ioan. 15. *Exiui à Patre, & veni in mundū. Hic eſt panis qui de cælo deſcendit.*

SECVNDO, quia Manna minutum erat, atq; ſubtile, ita & Chriſtus ſubtilis eſt, vt nō valeat comprehendi ſecundum diuinitatem. Primo in æterna generatione, *Generationem eius quis enarrabit?* Secundo in cognitione, *Non videbit me homo, & viuet.* Tertio, in progreſſione; quod Eſa. 43. ſcilicet clauſo Virginis vtero egreſſus eſt. TERTIA proprietas eſt, quia Manna erat ni- Exod. 22. tens & candidum, & Chriſtus innocens totus. *Qui peccatum non fecit*, 1. Pet. 2. QVARTO, quia dulcedinem habebat mellis: *Comedi fauum cum melle meo*, Cant 3. Verè totus mellitus, & pius eſt Ieſus, vt patet ex vita eius, & ſermonibus. QVINTO, quia ſapiebat in ore cuiuſlibet, quod Sap. 16. appetebat, deſiderabat, & delectabat, Pſal. 37. *Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus*, omnibus omnia factus. SEXTA, quia indura- 1. Cor. 9. batur ad ignem, & liqueſiebat ad ſolem. Sic Chriſtus roborabatur per ignem diuinitatis in humanitate, & liqueſiebat ad ſolem perſecutionis. SEPTIMA, quia ſexta die colligebant duplum; ſic Chriſtus in ſexta ætate accipitur duplicatus. Pſalm. 48. *Simul*

in vnum diues & pauper.

Octava, quòd in alterum diem reſeruatum, ſcaturiebat vermibus. Ita qui aliter de hoc Sacramento, quàm veritas habet, ſentit, Eſa. 14. æternam pœnam generabit, & vermes operimentum eius erunt. Nona quia vnum *gomor* reſeruabatur in Sabbatum: ſic bona opera pro futura vita facta, in futuro remanent integra. Alioquin computteſcebat; ſcilicet quod ſeruabatur pro amore huius ſæculi. Decimo, quod qui plus colligebat, non habebat amplius. Sic & hoc Sacramentum iuxta Doctorem ſanctum in ſequentia, *ſumit vnus, ſumunt mille, quantum iſti tantum ille.*

Signatvr inſuper per māna, propter multiplex de eo datum præceptum.

Mane & ſufficiens, gomor, haud eras, poſt mare feruent.

Primo mādabatur recollectionis tempus, quia ſex diebus, & hoc mane, non veſpere: Sic & iſtud Sacramentum ſumitur in mane paſſibilitatis & gratiæ. *Secundo*, mandabatur ſufficiētiæ appetitus; quia mandatum fuit, vt ſufficienter colligerent: Sic in nulla re corporali poteſt eſſe ſufficientia, & quies appetitus, niſi in Chriſto. *Tertio*, mandabatur menſurationis terminus; vt, ſcilicet omnes colligerēt ad menſuram Exod. 16. *gomor*; hoc eſt, non plus ſapere quam oportet; Rom. 12. Vel *gomor*, quoniam eſt menſura trium modiorum, ſignat Chriſtum; in quo ſunt tres ſubſtantiæ in vna perſona, ſcilicet, Deitas, Anima, Caro. *Quarto* notatur reſeruationis auſus; Mādatum enim erat vt non relinquerent in craſtinum, alioquin vermibus ſcateret: Sic non debemus differre vſque ad craſtinū futuri ſæculi, ſuſcipere Sacramentum; nec reſeruare ad quæſtum tēporalium. *Quinto* notatur deſcenſionis tempus & locus, quia poſt tranſitū mare, deficiente farina in deſerto, circa filiorū Iſrael caſtra: Sic & noſtrum māna cōmunicat ſe iſtis. *Sexto* notatur conſeruationis ritus, quia præceptum erat, vt implerent *gomor*; & conſeruarēt in Tabernaculo; quia corpus Chriſti ſemper debet ſeruari ſacramentaliter in Eccleſia, & ſpiritualiter in corde Sacerdotis. Et hæc de conuenientiis mannæ, & Sacramenti.

Sed licet in pluribus conueniunt, in multis tamen noſtrum Sacramentū legale illud manna excedit, præſertim in iſtis,

Fons, mentis, viuunt, ſupra cælum, Deus iſtud.

Hoc purum, natis tantum, perducit olympum.

Primo inquam excedit, quia hic eſt origo, & fons gratiæ & vitæ, quæ nunquam fuerunt in manna. *Secundo*, quia manna tantum corporaliter reficit, ſed iſtud eſt cibus mentis. *Tertio* Ioan. 6. quia illud manducantes mortui ſunt, ſed qui manducauerit ex hoc pane viuet in æternum. *Quarto* quia illud manna de cælo, iſtud ſuper cælum. *Quinto* quia illud erat cæli, iſtud Deus cælorum: Nam qui de cælo venit ſuper omnes Ioan. 3. eſt. *Sexto*, quia hoc ſcaturiebat vermes in diem alterum, iſtud ab omni corruptione alienum. *Septimo* illud poſt tranſitum maris ſolis dabatur Iſraelitis; iſtud tantum baptiſmatis fonte renatis. *Octauo*, quia hoc populum per deſertum deduxit: iſtud per peregrinationem mundi, in cælum ſubuehit. Patet ergo, quod multipliciter hoc noſtrum manna præcellit. Vnde, & multo amplius à nobis in Quadragenario pœnitentiæ, in deſerto vitæ præſentis appeti, & excoli debet, quàm illud ab eis, vel deſiderabatur, aut colebatur. Illi in mundo, & aureo vaſe hoc reſeruabant, nos corde charitatiuo & puro hæc obſeruare debemus, vt ſic eius guſtum in patria percipiamus, præſtante Chriſto Domino noſtro. Amen.

Proſecutio tertiæ principalis figuræ, ſcilicet Agni Paſchalis. Notula III.

Vt autem de tertia figura, quę eſt de Agno Paſchali, pauca aſſignemus, nota quòd in illa multa præfigurantur,

Scilicet	Illud quod editur,	id eſt	Chriſtus Ieſus.
	Fructus qui acquiritur,		Liberatio ab hoſtibus.
	Mod⁹, quo quis diſponitur.		Comedendi modus.

Creditur hoc agno Ieſus, vtilitas, modus eſca.

Primo enim in huius Agni qualitatibus, & de eo datis præceptis deſignabatur ipſe Chriſtus in iſtis,

Agnus, & anniculus purus, ſimul integer & mas.

Primo Chriſtus ſignatur in Agno, propter innocentiæ, patientiæ, obedientiæ, & effectus rationes.

Inſons, & patiens, parens, noſcens, bona tollens.

Eſt enim Agnus innocuum pecus, & Chriſtus totus innocens erat. *Secundo* patiens erat. Eſa. 53. *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & ſicut agnus coram tondente ſe obmuteſcet*. *Tertio* Patri obediens. Hier. 11. *Ego quaſi agnus manſuetus qui portatur ad victimam.* *Quarto*, dictus eſt agnus ab agnoſcendo, quia pendens in cruce,

Nouit	Deum Patrem,	dicēs	*In manus tu.* &c.
	Virginem Matrem,		*Mulier ecce*, &c.
	Inuocantem latronem.		*Hodie mecum*, &c.

Hinc in Euangelio, *Ego cognoſco oues meas,* Ioan. 10. *& noſcunt me mea*. *Quinto*, dicitur Agnus, quia quicquid in Agno eſt, totum bonum eſt, & vſui humano commodum; Sic quicquid, ſiue quæcunque in Chriſto fuerant, totum in noſtrum bonum ceſſere, vt patet de carne, ſanguine, &c. *Poſtremo* ipſe eſt Agnus ille, de quo Baptiſta Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Et Apocalyp. 11. *Vidi ſupra montem Sion Agnum ſtantem.*

Secvndo Chriſtus, vt Agnus ille Paſchalis, eſt *anniculus*, id eſt, ſuper quem omnium cæleſtium luminum fuerant completæ reuelationes. Hic eſt enim annus perfectæ cæleſtis illuminationis, annus benignitatis diuinæ, de quo Pſalm. 64. *Benedices corona anni benignitatis tua*. Vel anniculus erat, quia in perfectiſſima ętate, ſcilicet iuuenili, occiſus erat.

Tertio dicitur de hoc Agno Exod. 12. *Erit Agnus ſine macula*, id eſt purus. Abſque omni peccati macula fuit Chriſtus, quia non eſt in 1. Pet. 2. ore eius inuentus dolus:

Qvarto

QVARTO præcipitur, quod totus & integer comedi debet, *Quia os non comminuetis ex eo, & caput Agni cum pedibus & inteſtinis vorabitis.* Ioan. 10. Sic & Chriſti Caro, Anima & Deitas, ſub Sacramento veraciter eſt credendus, & in cruce crura eius (teſte Euangelio) non ſunt confracta.

Poſtremò de Agno illo legali dicitur, & *maſculus*; Et Chriſtus Agnus noſter, maſculini ſexus fuit, & in omni decore perfectus. Patet ergo, quod in illa figura, Sacramentum iſtud, iuxta illud quod creditur, eſt præfiguratum.

SECVNDÒ principaliter dicimus, quòd in hac figura ſignatur etiam fructus, qui ex Sacramento acquiritur,

Protegit, eduxit, redimit, duxitq́; reduxit.

Nam ſicut per ſanguinem Agni illius ſuper poſtes & liminaria intinctum, à deuaſtante Angelo protegebantur, de Ægypto educebantur, de ſeruitute redimebantur, per deſertum & mare deducebantur, in promiſſam terram, melle & lacte manentem inducebantur: ſic & per ſanguinem veri huius agni noſtri, in affectu & intellectu, & in frontibus fide & deuotione ſupertinctum, à diabolo protegimur, à tenebris Ægypti educimur, de ſeruitute peccati redimimur, iuxta illud 1. Pet. 1. *Redempti eſtis pretioſo ſanguine agni immaculati*, &c. Itéque per huius virtutem ſanguinis, per deſertum huius vitæ Chriſti ſequentes tropheum, mari rubro diuiſo, & Pharaone ſubmerſo, id eſt, tentationibus internis, & externis ſuperatis, ſalui deducimur, poſtquam in terram viuentium, à Ieſu noſtro Saluatore deducimur.

TERTIO quoque in hac figura deſcribitur manducandi, & noſtræ diſpoſitionis modus.

Et tempus, locus & ritus, habitus, modus, eſca.

Primò deſcribitur tempus, quod erat,

Menſis primus,	Luna quartadecima;
Dies decimus,	Hora veſpertina;

In quibus omnibus, multiplex eſt abditus myſticus ſenſus, è quibus hic eſt vnus propoſito congruens aſſignandus.

Nam	Menſis primus,	ſignificat perfectam	Reformationem pœnitentiæ.
	Dies decimus,		Obſeruantiā legis diuinæ.
	Luna quartadecima.		Diligentiam operationis virtuoſæ.
	Hora veſpertina.		Conſummationem perſeuerantiæ.

Et quia ſola perſeuerantia (iuxta Bernardum) inter cæteras virtutes triumphat; ideo licet in alijs tribus temporibus ſit quædam Agni præparatio; in ſola tamen hora veſpertina eſt eius ſumptio: quia ſemper ſumi debet in propoſito nunquam peccandi mortaliter. Quæ etiam veſpertina hora deſignat, quòd Sacramentum eſt nobis velatū, iuxta illud Tob. 12. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt.* Et hęc de tempore.

Secundo deſcribitur etiam locus, quia in vna domo comedi debebat. In qua domo

Significatur	Eccleſiæ vnitas.	contra	Hæreticos.
	Proximorū charitas.		Rixoſos.

Tertiò innuitur etiam manducandi ritus, in eo quod præcipitur, quod nihil ſumetur crudum, nec coctum aqua, vel elixum, vel frixum; ſed tantum aſſum igni. Crudum ſumit, qui non cogitat quid ſumit aut recipit, & mentem diligenter non diſcutit. Elixum ſumit, qui mente terrena, & diſtracto affectu, humida, & inſipiditate tota quaſi aquea, ad Sacramentum accedit. Frixum ſumit, qui de hoc Sacramento præſumptuosè inquirit. Patet ergo

Quod	Crudū,	ſumit	Deſidioſa diſcuſſio.
	Elixū,		Accidioſa īdeuotio
	Frixū.		Præſumptuoſa perſcrutatio.
Sed	Aſſū & incenſum, Intinctum	ſumit	Operoſa dilectio. Lachrimoſa deuotio & gratitudo.

Patet ergo manducandi ritus.

Quarto notatur manducantium habitus, ſiue inſignia illorum.

Scilicet	Cingulus renum.	ſignās	Carnis & mentis munditiam.
	Calciamēta pedum.		Exemptorū patrū cuſtodiam.
	Baculus manuum.		Correctionis diſciplinam.

Renes enim accingere, eſt luxuriam refrenare. *Calciamenta* in pedibus habere, eſt mortuorum Patrum vitam inſpicere, & eos imitando, noſtra veſtigia à peccati vulnere cuſtodire. *Baculum* in manibus tenere, eſt iuſtitiæ rectitudinem & diſciplinam apprehendere, vt ſic dignè poſſimus de hoc Agno communicare.

Quinto denotatur in hac figura manducandi modus, de quo modo ſupra in ſcala poſuimus conditiones duodecim quæ poterunt hic applicari.

Sexto etiam deſcribuntur in hac figura eſcæ aliæ, & alia tria fercula in comeſtione huius Agni apponenda.

Scilicet	Lactucæ agreſtes.	ſignātes	Dolorē de peccatis.
	Azymi panes.		Intentionē rectā in operibus.
	Agni sāguis	ſignans	Imitationem Domin. paſſ.

Quæ tria in comæſtione noſtri Agni Paſchalis, ſunt neceſſaria, quia oportet pro peccatis dolere, rectam intentionem habere, paſſionem imitari. Primum præparatione. Secundum in ſumptione, Tertium poſt. Hæc ſtrictim de figura Agni Paſchalis. Ex quibus liquet, quam abunda ſeries in figuris occultatur, ſi quis foret ruminans & diſcutiens eas. Harum itaque inſtar, & cæteras diſcutiamus, & mirabiliter reficiemur, & menſam plenam eſcis inueniemus.

Digitized by Google

§. 3. *De tertio principali, quomodo hoc Sacramentum ſit prophetatum.*

VII. IAM VLTIMÒ principaliter videndum, quomodo hoc Sacramentum ſit *prophetatum:* De quo nota, quod hoc Sacramentum prophetatum eſt,

Tum à { Fidelibus Prophetis. / Gentilibus Poëtis.

De ſacris Prophetis libri pleni ſunt:

Iob, Iacob, & Moyſes, Dauid, at Salomon, ſed & omnes:
Summi cum paruis, gentes magnalia fantur.

De hac eſca *Iob* c. 9. prophetauit, quando dixit: *Quaſi aquila volans ad eſcam.* Item Iob c. 31. *Si non dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus eius vt ſaturemur?* De hoc *Iacob* ait Gen 49. *Aſer, pinguis panis eius, & præbebit delitias Regibus.* Item Gen. 28. hoc prouidit, quando Dominum in ſummitate ſcalæ vidit. *Moyſes* quoque multipliciter de hoc prophetauit, vt in Exod. & Leuit. patet. De hoc dixit Deut. 4. *Non eſt alia natio tam grandis, quæ habet Deos appropinquantes ſibi; ſicut adeſt Deus noſter nobis.* Dauid quoque puer cytharedus, plura de hoc cecinit, vt in eius Pſalterio liquet. De hoc ait Pſal. 77. *Panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo.* Item Pſal. 110. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum.* Salomon ſapientiſſimus de hoc non tacuit: Nam dixit Prou. 9. *Sapientia ædificauit ſibi domum, poſuit menſam, miſcuit vinum.* Item Cant. 5. *Comedite amici, & bibite,* &c. Et, vt in ſumma complectamur, omnes Prophetæ, à maiore ad minimum, in ſcriptis ſuis huius Sacramenti meminerũt. Eſaias c. 55. conuocat *ſitientes ad aquas;*
Osea 2. Hieremias dicit de *Tortã panis;* Commendat alter *frumentum;*
Abac. 1. meminit alter *eſcæ & potus;* alter extollit
Psal. 71. *placentam.* In quibus omnibus nihil aliud agitur; niſi quòd iſtud Sacramentum prophetatur. Qui plura volet ſcrutetur ipſe ſcripturas.

SECVNDO, non modo à fidelibus; ſed etiam eſt Sacramentum iſtud præuiſum, (vt quidam volunt) à gentilibus Poetis. Plura enim de hoc Virgil. in Æneide, vt Proba collegit, canere videtur, vbi inter alia ſic ait.

Deuexo interea propior fit veſper Olympo:
Tunc victu reuocant vires, fuſique per herbam,
Et dapibus menſas onerant, & pocula ponunt.
Poſtquàm prima fames epulis, menſæq; remotæ,
Ipſe inter primos Genitor inſtaurat honores,
Suſpiciens cœlum: tunc facta ſilentia linguis.
Dat manibus fruges, dulceſq; à fontibus vndas;
Impleuitq; mero pateram, rituſq; ſacrorum
Edocet, immiſcetq; preces, ac talia fatur.
Audite, ô proceres, ait, & ſpes diſcite veſtras.
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Promiſſiſq; Patris veſtra inquit munera vobis
Certa manent pueri, & palmam mouet ordine nemo.

Ecce hic apertè loquitur de hora cœnæ, de typico paſchate celebrato, & nouo Sacramento inſtituto, &c. Commemorat in hoc modum Seneca in quadam tragœdia, &c. Similiter & alij quidam; Sed quoniam nos Chriſtiani ſumus, ſatis eſt gentilium dicta commemoraſſe, præſertim cùm à plæriſque hęc non propheticè dicta æſtimentur, ſed tantum à Poëtis Chriſtianis accommodata. Et hæc de buccella prima ferculi huius.

MEMBRVM II.

De huius Sacramenti ſubſtantialibus.

ALTER huius ferculi morſellus intelligentiæ ruminandus, eſt, conſideratio de huius Sacramenti ſubſtantialibus, quæ ſunt quattuor, iuxta Hugonem, VIII.

Ordo, vel intentum, quæ forma, aut materies quæ.

Quæ quattuor ſunt ad ſacramẽtum neceſſaria, de quibus ſingulis pauca ſunt perſtringenda.

§. 1. *Primum ſubſtantiale, ordo Sacerdotij in miniſtro.*

PRIMVM ergo eſt *Ordo*, id eſt, quod conſecrans ſit ſacerdos. Nam nulla creatura altera in cælis, aut in terris, poteſt hoc ſacramẽtum ritè cõficere, niſi ſacerdos ritè ordinatus. Vnde patet eius dignitas maxima. Verba enim huius ſacramenti habent virtutem operantem in conuerſione panis & vini, non tamen ſecundum ſe, & abſolutè; ſed per relationẽ ad ipſum ſacerdotem, inquantum inſtrumentum idoneum. Verbũ autẽ Damaſceni, quo dicit, quod ſola virtute Spiritusſancti fit conuerſio panis, intelligendum eſt, quod dictio excluſiua, ſcilicet *ſola*, adiuncta principali agenti, nõ excludit agens inſtrumentale. Non enim ſequitur ſolus faber facit cultellum; ergo martellus nihil ad hoc operatur. Virtus enim inſtrumẽti non eſt, niſi quædam redundantia principalis agentis. Offert hic ſe magnus quæſtionum cumulus, puta de hæreticis & abſciſis ſacerdotibus, & alijs multis, ſi conficere poſſint, ſi eorum ſacrificium tantum, quantum aliorum, valeat; ſi horum miſſas audire liceat; quantaque mala huiuſcemodi Miniſter incurrat: Sed ſuper his ad Doctores remittimus; ſat ſit, quod materiam ſuper his meditandi aſſignamus, qui ad ea, quæ deuotionis ſunt, properamus.

§. 2. *De ſecundo requiſito, ſcilicet de intentione.*

SECVNDÒ requiritur *intentio* ſacerdotis, vel generalis, vel ſaltem ſpecialis. Generalis IX. enim intentio eſt neceſſaria & habitualis; non ſic intentio actualis: vt quando mens in verbis conſecrationis rapitur ad alia, &c. Tenetur tamen quis, quantum poteſt, intendere verbis conſecrationis. Et nota, quod non ſolum requiritur intentio conſecrantis, ſed etiam ſacramentum illud inſtituentis: Vnde non conficeret, ſecundum plurimos, qui ex ludibrio in foro ſtaret, & omnes panes illic exiſtentes conſecrare intenderet: quia Chriſtus hoc non intendit, nec hoc mos Eccleſiæ habet. Hinc oportet intentionem dirigere actualiter, vel habitualiter, ſecundum morem Eccleſię, & ſecundum quod Chriſtus inſtituit.

Occurrunt & hic numeroſæ quæſtiones, quæ paſſim habētur in Doctorum ſcriptis, & quoniam ſubtiles ſunt; ideo de eis ſuperſedemus.

§. 3. *De tertio requiſito, ſcilicet, de forma verborum.*

X. FORMA quoque verborum congrua, *tertio* requiritur; quia ſi quis aliquid diminueret de his, quæ ſunt de eſſentia & integritate verborum, non conſecraret. Et quoniam duplex eſt forma; ideo de vna quaque videndum eſt ſingulariter. Eſt & hic copioſa materia, ſed magis ſpeculatiua, quàm affectuoſa, tamen nonnunquam cum reuerentia, & admiratione ad memoriam reducenda & meditanda; præſertim à Sacerdotibus; quoniam horum ignorantia eſt ipſis ſatis periculoſa. Quærit igitur Albertus, in ſuo de Corpore CHRISTI, circa formam panis, iſta

Scilicet
- Quæ ſit forma, qua conficitur.
- Qua virtute hæc operetur.
- Vnde virtus illa transſubſtantiandi trahitur.
- Quomodo ab aliis Sacramentorum formis ſegregetur.

Quæ, qua virtute, ſimul, vnde trahat, quoque diſtet.

Hæc pulchrè ad plenum Doctor dictus diſcutit, ſingula verba dente profundę inquiſitionis terit. De his quoque alij multa in ſuis ſcriptis dicunt. Similiter & formam, quæ ſuper vinum dicitur, ille idem diſcutit, & circa eam hæc quærit,

Scilicet
- Quæ ſit forma; & quomodo intelligitur.
- Vnde coniunctim cum forma panis traditur.
- Quare non planè ſicut forma panis traditur.

Hęc ibi ad fundum vſque reſoluit. Sed & alij Doctores multa alia inquirunt.

§. 4. *De quarto requiſito, ſcilicet de huius Sacramenti materia.*

XI. NVNC POSTREMO inquirendum eſt de huius Sacramēti materia, circa quam etiam abunde ſe offert ſpeculationis pariter, & deuotionis materia,

Scilicet
- Ad quid oportet eſſe materiam:
- Quæ ſit materia iſta.

DE PRIMO dicimus, quod oportet in Sacramento eſſe corporalem materiam, ob cauſas multas.

Vt ſignum doceat, humilis, noſcas, opereris.

PRIMA CAVSA ſumitur de ratione Sacramenti, quia cum, Auguſtino teſte, Sacramentum ſit inuiſibilis gratiæ viſibile ſignum; & quoniam viſibile ſignum non poteſt eſſe niſi in viſibili corpore: ideo oportet, quia Euchariſtia eſt Sacramentum, vt habeat viſibile ſignum & elementum. Et hæc eſt cauſa prima, *ad eruditionem*, vt ſcilicet doceat ordinata. Quia ex viſibili elemento & proprietatibus erudit nos Dominus, quid conferat inuiſibilis gratia in Sacramento. Nihil enim eſt in intellectu, niſi quod prius fuit in ſenſu, ſecundum Philoſophum. Et Apoſtolus Tit. II. *Apparuit gratia Saluatoris omnibus hominibus erudiens nos*. Ac hoc enim viſibilia ſigna Sacramenta inſtituit, vt erudiamur de gratia quam ipſe in nobis in Sacramento efficit. Nam & ad hoc ipſe Chriſtus (vt Gregorius ait) viſibilis factus eſt, vt ex viſibilibus ad inuiſibilium amorē raperemur. Hinc etiam viſibilibus formis Patribus apparuit, vt ſic in notitiam eius, qui eſt inuiſibilis, aſcenderent. Propter quod dicitur apud Danielem c. 10. quod *intellectu opus eſt in viſione*: quia per intellectum oportet corporea ad ſpiritualium acceptionem comparare. Et ob hoc dicit Auguſtinus, quod Sacramentum præter ſpeciem corporalem, quam ingerit ſenſibus, aliud facit in notitiam venire. Ex quo patet, quod oportet hominem Sacramenta diligenter conſiderare, ſi bene paſci volet.

ALTERA cauſa ſumitur ex inſtitutione Sacramenti, & eſt Hieronymi: Dicit enim quod Sacramentum ideo materialem & corporalem materiā habet, *propter hominis humiliationem*; vt qui ſuperbiendo à Deo receſſit, ſubiectus corporali elemento, ſalutem quæreret in eo in quo amiſit; vt ſicut per cibū cecidit, ſic per cibum hunc reſurgeret. *Humilibus* enim *dat gratiam Deus*. 1. Pet. 5. Hinc Prou. 9. *Venite, comedite panem meū, & bibite vinum, quod miſcui vobis*: Quia in corporali cibo vitam perdidiſtis, ideo corporalem cibum paraui vobis, in quo vitam inueniatis.

TERTIA cauſa ſumitur ex *imperfectione hominis*, in vſum gratię Sacramentalis, quam tangit Dionyſius: Quia (ſicut dicit) *impoſſibile eſt nobis lucere diuinum radium, niſi ſacris velaminibus circumuelatum*; Eſt enim homo materialem valde habens intellectum, qui ideo, quod coniungitur ſenſui & imaginationi, parum, vel nihil accipere poteſt ſpiritualium, niſi in ſimilitudine corporalium illa ſibi proponantur. Hinc Sapientiæ 9. *Cogitationes mortalium timida & incerta prouidentia noſtra. Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam*, &c. Vt ergo, quæ neceſſaria ſunt nobis, cognoſcamus: conueniens fuit nos doceri ſub ſimilitudine rei corporalis; Gratiam enim ſpiritualis refectionis ſine ſimilitudine homo carnalis non intelligeret, vt Gregorius ait. Et ideo ſpirituale terrenis rebus ſimile eſſe dicitur, *quatenus ex his, quæ animus nouit, ſurgat ad incognita, quæ non nouit, & per ea quæ vſu didicit, diſcat amare quæ neſcit*. Vnde huius Sacramenti ſymbolum, eſt ſcala Iacob ad diuina perducens. Gen. 28.

POSTREMO ideo quoque ſe ſub viſibili materia exhibuit, vt iuge exercitium, quo occupateris, ſemper haberes ſalubriter; otium euaderes, & exemplum proximis dares. Quid enim exercerent Sacerdotes, ſi non eſſent ſpecies Sacramentales? Hæc de cauſis & c.

SECVNDO videdum, quę corporalis elementi ſubſtantia, huius Sacramenti ſit materia: Et ſunt hæc, XII.

Panis materia eſt, cum vino vitis, & vnda.

Duę principales materię, ſcilicet panis & vinū,

Digitized by Google

ſunt de neceſſitate; aquæ verò appoſitio, de congruitate, vt patebit infrà. Quod autem panis & vinum ſint propria, & magis congrua materia patet ex his.

Promptus, opus, mundus, totus ſignatio, ſcripta.

Primo, quia hęc duo inueniuntur communius, & habentur promptius, quia omni loco & tempore facilè deferuntur; vt ſic, ſecundum Damaſcenum, per ea, quæ ſunt ſecundum naturam conſuetam; in quibus conſeruatur, ad ea quæ ſunt ſupra naturam, anima transferatur.

Secundo opus, id eſt, quia hæc duo operantur efficacius. Nam ſicut panis, præ cæteris cibis, corpus ſuſtentat & reficit; & vinum præ cæteris potibus, hominem lætificat, & allicit; ſic caro Chriſti, & ſanguis eius. Pſal. 103. *Panis cor hominis confirmat, & vinum lætificat cor hominis.*

Tertia cauſa eſt *mundus*, id eſt, quia hæc duo tractantur mundius, diuiduntur facilius, ab omnibus ſanis & infirmis ſumuntur conuenientius; Itemque cuſtodiuntur commodius, in ſignum, quod omnia hæc mundi geruntur.

Quarto totus, quia hæc duo integrantur vtilius: Nam corpus alit panis; & vinum lætificat mentem, & exhilarat cor hominis.

Quinto, quia hæc duo figurant myſtica conuenientius, & paſſionem Chriſti figurant, & repręſentant expreſſius. *Primo* inquam *myſtica figurant conuenientius*; nam deſignant hæc duo fidelium vnitatem intimius, quia ſicut ex multis granis conficitur vnus panis, & ex pluribus racemis vinum confluit: ſic ex multis perſonis fidelium vnitas Eccleſię conſtat. *Paſſionem* quoque Domini *repræſentant expreſſius*, quia grana in area conculcantur, & in fornace panis decoquitur, & vinum in torculari exprimitur: ſic & corpus Chriſti ardenti fornace paſſionis excoquitur, & ſanguis eius clauis & lãcea extorculatur.

Poſtremo ſcripta, quia hæc duo Scriptura coniungit, & commemorat crebrius, vt in eius diſcurſu patet. Hinc Iſaac Gen. 27. *Frumento, & vino, & oleo ſtabiliui eum.* Vinum & frumentum ad corporale & ſpirituale nutrimentum, oleum ſignificat Sacramẽtalis gratiæ effectum. Item Deuteronom. 33. *Oculi Iacob in terra frumenti, vini, & olei.* Pſalm. 4. *A fructu frumenti, vini & olei.* Zach. 9. *Quid eſt enim bonum eius? aut quid pulchrum eius? niſi frumentum electum, & vinum germinans virgines*, id eſt, virgineas mentes? & alijs in locis. Hæc de ſpeciebus in communi; ſed iam de ſingulis in ſpecie.

Quod panis de frumento eſt neceſſarius.
Notula I.

XII. PRIMO igitur conuenientiſſima materia eſt panis de frumento, & non debet confici, niſi de pane triticeo. Primo panis conuenientior materia propter iſta,

Hic Typus, hic Signans, Similis, Cauſans, nec in altero.

Primo Typus, id eſt, ratione præfigurationis. Nam veritas debet concordare figuræ, vel potius figura veritati. Sed omnia genera panum oblatorum in lege, erant triticea, ergo. Vnde & ſolo grano frumenti ſe Dominus comparauit, dicens Ioan. 12. *Niſi granum frumenti cadens in terram*, &c.

Secundo Signans, quia eſt ad ſignanda myſteria Sacramenti conuenientior: Panis enim optimè ſignificat myſtici corporis vnitatem: Nam in pane triplex vnio reperitur, per quam triplex fraternitatis vinculum deſignatur: Nã *primo* grana mobilia ad ſibi ſimilia coniunguntur, quę vnio ſignificat fraternitatem, & amorem naturalem, qua omne animal diligit ſimile ſibi, & omnis homo diligit proximum ſuum. *Secundo* farina per aquam conſpergitur, & paſta conficitur; & ſignant vnionem Sacramentalem, qua vno baptiſmate ſumus generati. *Sitis noua conſperſio ſicut eſtis azymi.* *Tertio* vt ſolidus fiat panis, igne decoquitur, ſignat vnionem ſpiritualem, quia vno ſpiritu ſumus congregati: De qua dilectione dicit ipſemet Dominus Ioan. 14. *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Aug. *Non autem carnalis, ſed ſpiritualis inter vos debet eſſe dilectio.* Eccli. 13. 1. Cor. 5.

Tertio panis eſt conuenientior materia, quia Chriſto paſſo ſimilior, & ad ſignandum corpus eius, & paſſionem magis idonea. Nam ſicut ex pluribus granis fit vnus panis, ſic ex pluribus puris membris, conſtat Chriſti corpus. Hinc Cant. 7. *Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus lilijs.* Et antequam perficitur, cribratur, laboratur, & decoquitur; ſignans Chriſti paſſionem.

Quarto ad effectus Sacramenti ſignandos eſt efficacior: Nam ſicut panis tria in genere facit,

Scilicet { Confortat, / Satiat, / Cõſeruat vitam, } ſic Sacramẽtũ agit ad { Peccatum dimittendum. / Mundum fugiẽdum. / Deũ ſemper laudandum. }

Quinto nec in alio, quam triticeo pane conſecrare licet, vel conuenit. Nec debet fieri in pane fermentato, quia hoc non habet conſuetudo Eccleſiæ, ſaltem Romanæ. Et in azymo Chriſtus inſtituiſſe creditur, & hoc ratione ſuæ ſingularis ſimplicitatis, quia in Chriſto omnia bona ſunt modo indiuiſibili; & quia puriſſimus eſt, hoc & ſcripturæ conformius. Dicitur enim Leuit. 11. *Omnis oblatio Domini abſque fermento fiat.* Veruntamen ſiquis in fermentato conſecraret, grauiter quidem peccaret; verè tamen, vt multi Doctores dicunt, cõſecraret. Et hoc de Sacerdote Latino dico. Græci enim adhuc (vt olim ferè tota Eccleſia Orientalis) in fermentato conſecrant, & verè conſecrant. Nec ſuper hoc à B. Gregorio in ſuo Regiſtro, vbi de hac materia ſcribit, repræhenduntur; imò magis, & illorum, & Latinorum conſuetudinem & ritum approbat B. Thomas, ita vt ſi aliquis Græcorum Sacerdotum in azymo conſecrare præſumeret, grauiter peccaret.

De vino. Notula II.

XIIII VIſo de pane, videndum eſt de *vino*. Pro quo nota, quod vinum de vite, eſt propria materia huius ſacramenti, quod patet ex ſequentibus,

Comparat, inſtituit, verum, commune, vel aptū.

Ioan. 15. Osee 14. Matth. 26 Mar. 14. Luc. 22. PRIMO inquam ratione comparationis; quia Chriſtus ſe viti comparauit dicendo, *Ego ſum vitis vera*, Itemque, *Memoriale eius ſicut vinum Libani*. SECVNDO ratione Dominicæ inſtitutionis, qui in cœna ſic inſtituit, vt in Euangelijs patet. TERTIO ratione veritatis, quia vinum de vite, eſt propriè vinum, alij autem liquores vinum ſimilitudinariè dicuntur: *Sanguis* autem *Chriſti verè eſt potus*. Ioan. 6. QVARTO, ratione communitatis, quia vinum de vite communius in vſu habetur, & apud plures inuenitur. Ne igitur deſiderabilis Chriſti ſanguis cuiquam deeſſet, in tali potu commendauit. POSTREMO, quia vinum eſt ſolum naturalis, & conueniens potus hominis, & eius naturæ. Quære ſupra in nomine potus.

De appoſitione aquæ in Sacramento. Notula III.

XV. IAM POSTREMÒ videndum eſt de appoſitione aquæ, quæ licet non ſit vnum de ſubſtantialibus, eſt tamen de congruo apponenda. Circa cuius appoſitionem licet multa conſideranda occurrant, deuotiora tamen ſolum ſunt proſequenda. Poterunt enim hic conſiderari,

Aquæ { Neceſſitas, Congruitas, Proprietas, Conuertibilitas.

Quæ Reynerius proſequitur in ſua pantheologia, dicens, quod appoſitio aquæ non eſt de neceſſitate Sacramenti, vt probat ratione, ſui conditione, inductione, vt patet ibi. De aquæ proprietate dicit, quod non refert quæcunque aqua apponatur, dummodò ſit talis, quod poſſit conuerti in vinum. Non tamen artificialis apponenda, quia grauiter peccaret, qui contra Eccleſiæ inſtitutionem faceret.

Porro de quantitate & conuertibilitate aquæ, notandum, quod tanta eſt aqua apponenda, vt poſſit in vinum conuerti, & non tollere vini ſaporem, vt ſignet coniunctionem humanæ naturæ, quæ eſt inſipida, cū Chriſto, qui ſaporem gratiæ communicat, & ſuum non perdit. Et quia ponitur ad ſignandum tantum, ideo minima quantitas ſufficere poteſt. Tantum enim ſignificat vna gutta, quantum mille amphoræ, aut totum mare, & ideo nullum periculum eſt, in parum ponendo; ſed bene in multum ponendo.

FIT autem appoſitio aquæ propter quattuor rationes.

Transformat, nihilans, delectans, vnit, & vnda.

PRIMO ratione transformationis, ad ſignificandum, quod non debemus manere in volūtate noſtra, & quod Chriſtus non mutatur in nos, ſed è contra. SECVNDO ratione annihilationis, quia ſignificat mortalitatem noſtram annihilandam virtute paſſionis Chriſti. *Abſorpta eſt enim mors in victoria*, 1. Cor. 15. Item Coloſſ. 3. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto*. TERTIO ratione delectationis, quia populus, ſicut aqua de ſe eſt inſipida, id eſt, ſine deuotione & delectatione; ſed efficitur ſapidus Chriſto coniunctus. QVARTO ratione vnionis, qua gentes erant iungendæ Eccleſiæ fidelium de Iudæis. Sunt aliæ rationes quinque.

Inſtituit, ſapit, effluxit, cauſans, aqua ſignat.

PRIMO ratione inſtitutionis, quia probabiliter creditur, Dominum appoſuiſſe aquam, iuxta morem patriæ, ſecundum illud Prouerb. 19. *Bibite vinum, quod miſcui vobis*. SECVNDO ratione præfigurationis: Infectio enim originalis peccati ſignificatur per lepram, ad cuius curationem, vt habetur in Leuitico, hæc concurrebant, ſcilicet *duo paſſeres*, & duæ in Chriſto Leuit. 14. naturæ, quarum vna euolat, ſcilicet diuina, alia immolatur, ſcilicet humana; *Lignum cedrinum imputribile*. *Yſopus*, id eſt, puritas, *coccus*, id eſt, charitas; *Aqua viua*, ſignificans aquam de latere Chriſti; *Septies aſperſa*, ſignificans vniuerſalem applicationem. Hoc etiam ſignatum eſt, *In aqua expiationis*, qua omnia, quæ in Ta- Num. 19. bernaculo erant, & ipſum Tabernaculum expiabatur. Vidit etiam Propheta *aquam egre-* Ezec. 47. *dientem de templo*, quam aſpergimus, quando deuotè paſſionem commemoramus. TERTIO *Effluxit*, id eſt ratione effluxionis: Qua, cùm Chriſti latus apertum, profflueret Sacramenta, *exiuit* non ſolum *ſanguis*; ſed & cum ſanguine *aqua*, vt teſtatur Ioannes c. 19. *Continuo inquiēs exiuit ſanguis & aqua*; vnde Ioannes de Garlandia,

Iungitur vnda mero, fundit vtrumque latus;

Chriſti, ſcilicet. QVARTO cauſans, id eſt, ad effectum ſignificandum, quia in aqua magis eſt vis expiatiua, & in ſanguine pretium redēptionis. Et quia in Sacramento vtrumque eſt, ſcilicet expiatio & redemptio; ideo vinum cum alio debet commiſceri. Ezechiel. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mūdabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*. Hæc eſt aqua, quæ vt dicitur Ezech. 37. *Egreſſa de templo* corporis Chriſti *à latere dextro, omnia, ad quæ venit*, mundauit, purificauit, & *viuificauit*. POSTREMO ſignat, id eſt apponitur aqua vino, ratione multiplicis ſignificationis. Nam per hoc

Deſignat	Mutua vnio,	ſcilicet	Chriſti, & populi.
	Superna dilectio,		Redēptoris, & redempti.
	Perfecta ſaluatio.		A culpa, & pœna.

Potiſſima autem ſignificatio eſt, *populi cum Chriſto coniunctio: Aquæ enim multæ multi populi ſunt*. Hinc Chryſoſtomus: *Sunt quidem homines inſipidi, in nullo ab aqua differentes, hos adducamus ad Chriſtum, & ad ſaporem cæleſtem, per Chriſtū mutabuntur*. In cuius ſignum Chriſtus mutauit Ioan. 2. aquam in vinum. Et de aqua hæc ſatis ſint. Et de omni materia Sacramenti.

Digitized by Google

§. 5. *Quomodo Chriſtus ſub Sacramento continetur.*

XVI POSTQVAM viſum eſt de Sacramenti huius ſubſtãtialibus, & de ſingulis materijs, ſubtilioribus omnibus omiſſis; paucis, quæ deuotionis ſunt, de modo quo Chriſtus ſub Sacramentalibus his formis contineatur, aſſignandum. Vnde nota, quod his modis ſub formis continetur.

Vt in { Loco glorioſiſſimæ habitationis.
Aula dulciſſimæ refectionis.
Atrio, vel myſterio ſpiritualis mactationis.
Nexu amiciſſimæ coniunctionis Dei, & hominis. }

Nam ſpecies Sacramentales ſunt hæ quattuor Chriſto.

Aula, Domus, Atrium, Nexus, Species Sacramenti.

PRIMO inquam eſt in Sacramento, *vt in Loco*, vel *Domo* glorioſiſſimæ habitationis: ita quod in nullo loco ſuæ habitationis ita certitudinaliter & infallibiliter inueniatur, quemadmodum in hoc Sacramento; *Dominus dixit, vt habitaret in nebula*: 3. Reg. 8. Nebula autem eſt Sacramenti hoſtia. Ex quo igitur dixit, & ſtatuendo fixit, omni tempore certitudinaliter ibi inuenietur. Ezech. 44. *Fili hominis locus ſolij mei, & locus ſcabelli pedum meorum, vbi habito in medio filiorum Iſrael; auferant à me abominationes ſuas*, quia non decet, vt ad locum gloriæ, homo immundus accedat. Hinc Moyſi dicitur Exod. 3. *Ne appropies huc; ſed ſolue calceamentum de pedibus tuis. Locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt*. Videant igitur chorales, quomodo ſint aſpectui Dei aſſiſtẽtes. Manet enim in hoc loco nobiſcum, *velatus pariete* Sacramentalium ſpecierum, noſtram deuotionem *proſpiciens per feneſtras* reuelatæ gratiæ nos reſpiciens. *En ipſe ſtat poſt parietem, proſpiciens per feneſtram, proſpiciens per cancellos:* Videns ſcilicet nos, quanquam non videatur à nobis. Hoc eſt tabernaculum, quod fixit Deus, & non homo, in quo veraciter habitat Chriſtus. Nullus enim hoc figere potuit, niſi Deus. Apoc. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum illis.* Hoc eſt tabernaculum mirabile multis mirabilibus depictum, ad excubias Dei perfectum: De quo in Pſal. 41. *Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domũ Dei.* Verè enim Deus homo Chriſtus, habitat in his formis, vt in domo. Geneſis 27. *Verè Dominus eſt in loco iſto.* Et infrà. *Non eſt hic aliud, niſi domus Dei.* Diligamus ergo hunc locum gloriæ ſuæ, & decorem domus eius, dignè ſemper coram Sacramento tanto nos habendo.

Cant. 3.

☞

Heb. 8.

SECVNDÒ continetur hic, ſicut *in Aula dulciſſima refectionis*. Hinc habes Luc. 22. *Vbi eſt diuerſorium, vbi Paſcha cum diſcipulis meis mãducem?* Iſtud enim eſt diuerſorium, ad quod in omni Miſſa diuertit Chriſtus, vt in eo refectionem paret diſcipulis. Etiam eſt ei ſemper in hoc diuerſorio locus, vt ſuas epulas paret diſcipulis. Hoc eſt *cœnaculum* illud *grande*, ſiue *ſtratum* magnum, de quo ſcribit Matthæus, Marcus, Lucas. Cœnaculum enim ſunt ſpecies Sacramentales, in quibus cœli & terræ cœna continetur. Geneſ. 6. *Cœnacula & triſtega facies in archa*, quæ ſignat corpus Domini, hoc eſt architriclinium, in quo Chriſtus exhibet vinũ bonum, quod filiis gratiæ ſpecialiter in cœna Dominica eſt ſeruatum. Hoc cœnaculum eſt grande, quia grandia continet, quæ proponuntur. Eſa. 52. *Oculus non vidit, Deus, abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.* Hoc eſt illud altum, de quo in Prouerb. c. 9. dicitur, quod Sapientia præparato conuiuio ſuo, *miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* Hoc eſt triclinium illud excelſum, in quo Samuel comedit cum Saul, dans ei quod de *induſtria ſuit reſeruatum.* Hoc eſt cœnaculum ſtratum picturis lapidum planorum, hoc eſt, omni genere virtutum, de quo Ezech. 42. Sic ergo iſtæ formæ ſunt Aula dulciſſimæ refectionis.

Matth 26
Mar. 14.
Luc. 22.
Gen. 6.

Ioan. 2.

1 Reg. 9.

TERTIO ſunt myſterium, id eſt *ſecretum ſpiritualis mactationis* & immolationis. In hoc enim myſterio, regnantem cœlo æternaliter deuocamus ad aram, mactandum myſterialiter manibus Eccleſiaſticorum Sacerdotum. Vnde hæ ſpecies per oſtium Tabernaculi fœderis ſignantur, vt habetur Leuit. 1. Quia iſtæ ſpecies atrium ſunt ſacrum, in quo immolatur Chriſtus, *ſuper quam* hoſtiam, *manus ponunt Sacerdotes*, quia opus exercent ſui ordinis Sacerdotalis; *Ad* quod *oſtium* etiam Tabernaculi, *omnes leuatis in cælum manibus*, reſpiciunt, cùm in cælo cum Chriſto Patri offerantur, crucifigi, & incorporari deſiderantes, vt 1. Regum 2. *Da vnam partem Sacerdotalem, vt comedant buccellam panis.* Hoc eſt oſtium Tabernaculi, in quo Abraham ſedit, cùm tres Angelos vidit, & tria ſata ſimilæ parari, in typum huius Sacramenti fecit. Hoc etiã eſt oſtium Tabernaculi, in quo pro peccatis multitudinis, vitulus coram omni populo immolatur, vt patet Leuit. 3.

Gen. 18.

EST POSTREMO in eo, ſicut in *nexu amiciſſimæ noſtri, cum eo coniunctionis:* Eſt enim ipſe cibus in Sacramento, oculis noſtris corporeis inuiſibilis; & connectitur ſenſibus noſtris, vt videatur à nobis, vt oculis etiam paſcamur in ipſo, in ipſis formis Sacramentalibus, quę ſunt quaſi inferiora ipſius, in quibus ipſe à nobis ſenſibiliter videtur, vt dicitur per Eſaiam c. 6. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & plena domus maieſtate eius, & ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum*; Domus cæli plena eſt maieſtate præſentiæ eius, vbi videtur facie ad faciem; ſed ſpecies ſacramentales replent templum Eccleſiæ militantis, quæ etiam ſunt poſteriora eius, de quibus Exod. 34. *Poſteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris.* Quæ etiam ſe vidiſſe ancilla Agar gloriatur Gen. 21. Hoc eſt velum, quod ſuper illuſtratam, & Angelis metuendam, à nobis, ſicut à filiis Iſrael contuendus, verus noſter Moyſes faciem ſuam ponit, vt habetur Exodi 34 Vt ſe nobis contemperet, & connectat. Hæc ſunt Sancta Sanctorum, quæ ſemper operta debent deferri coram populo, quãdiu hic militamus, vt pręcipitur Numer. 4. Non enim aperta eum poſſumus viſione videre; ſed ſub hoc velamine videmus eum quaſi abſconditum, dicentes

illud

Digitized by Google

illud Eſaiæ 45. *Tantum in te eſt Deus, & non abſque te eſt Deus, Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Saluator*, omnibus, ſcilicet ſalutis cibum miniſtrans in hoc Sacramẽto. Sic ergo, tanquã in nexu quodã, continetur in Sacramẽto. Quis quæſo hęc iamperpendens, vnquam poterit à tẽplo, vbi tali modo cõtinetur Deus, ſeparari?

MEMBRVM III.

De tertia buccella, ſcilicet de circunſtantijs institutionis.

XVII. MIſericors & miſerator Dominus: *eſcam dedit timentibus ſe*, Pſal. 110. TERTIA buccella huius ferculi eſt, de circunſtiarum inſtitutionis Sacramenti congruentiis. Vbi hæ circunſtantiæ concurrunt conſiderandæ,

Quis, cur, quando dedit, quibus, & quid, quomodo cernas.

§. 1. *Perſona instituentis.*

PRIMO conſideranda eſt perſona inſtituẽtis; quis, ſcilicet inſtituit illud Sacramentum. Et hanc perſonam deſcribit nobis Pſalmiſta in verbis præſcriptis, quia *miſericors & miſerator Dominus*. Vbi innuuntur duæ proprietates inſtitutoris, *pietas*, ſcilicet & *poteſtas*. Nam vt tale Sacramentum inſtitueret, oportuit, vt moueretur pietate, & exequeretur poteſtate: Quorum neutrum potuit deeſſe huic auctori. *Poteſtas* deſcribitur, cùm *Dominus* dicitur; cui cùm voluerit poſſe ſubeſt: Cuius poteſtas manifeſtè hic relucet, ſicut quando naturam condidit, qui hic eam tam potentiſſimè in ſeipſum conuertit. *Pietas* innuitur cùm miſericors & *miſerator* dicitur; De cuius pietate, quanquam ſupra pauca ſint tacta; ſunt, & hic paucula aſſignanda. Magnæ neceſſe eſt eum fuiſſe pietatis, qui tale donum impendit; in quo, & ſe noſtrum fecit Sacerdotem, Hoſtiam & Sacrificium: *Noſtrum* inquam *ſacerdotem*, quia preces & hoſtias pro nobis obtulit, & nos Deo ſua meditatione reconciliauit; *Hoſtiam* quoque ſe *noſtram* fecit, etiam ſecundum omnia genera oblationum; quorum octo, infrà in Scala Paſſionis Dominicæ aſſignantur, quæ omnia in hoc Sacramento continentur; *Sacrificium* quoque noſtrum ſe fecit; dum ſe tam plenè pro nobis expoſuit. Vbi nota ſecundum Vbertinum, quod omnis illa expoſitio, qua ſic Chriſtus ſe ineffabiliter expoſuit, exterius in Hoſtiam, & Sacrificium, tam in iſto benedicto Sacramento, quàm in crucis patibulo, eſt ſignum illius ineffabilis expoſitionis, & ſacrificationis, qua ſeipſum iugiter immolauit pro nobis, in templo latiſſimo cordis ſui, in quo ſeipſum obtulit ab inſtanti conceptionis ſuæ, vſque ad horam mortis, modis ineffabilibus omni menti creatæ. Et ideo tota eius vita, vna fuit ſolenniſſimã Miſſa; in qua ipſe Templum & Altare, Hoſtia & Sacerdos: Quæ miſſa tanta ſolennitate ab omnibus potentijs mentis, vel animæ Chriſti, & ab omnibus præcordiis charitatis eius eſt decantata, vt in ipſa virtutem accipiat omne ſacrificium noſtrũ. Vnde quiſquis ſalubriter volet celebrare, nitatur hoc ſanctiſſimum templum cordis benedicti Ieſu intrare, & ipſi ſummo Sacerdoti, & ardentiſſimæ ſuæ charitati ſe coniungere; quia in eius charitate & oblatione omnis noſtra charitas & oblatio conſecratur. Mirum ſi ſic ingrediẽs poterit eſſe tanta frigiditate gelidus, quod non ſtatim reſoluatur in lachrymas, & totus inflammetur ab ardore fornacis, quæ tota ardet igne Spiritusſancti.

Sap. 12.

MISERICORS ergo, & *miſerator*, huius fuit inſtitutor Sacramenti. Qui etiam in Hebræo, non tam *miſericors* à ſenſu miſeriæ; ſed *Rahum* à Matrice, quaſi Matricius dicitur. Et hoc non ſine gratia grandi, grandique myſterio; vt ſcribit quidam Doctor, Hebreæ linguæ peritus, voluit Spiritusſanctus; vt ſupra miſericordiam, non ſolum miſericorditer, ſed & maternè nobis affectum Deum, & ſollicitum noſtri confidamus. Dicitur per Eſaiam c. 49. *Si poteſt mater obliuiſci filium ſuum*; Et quo impulſu tangat argumentum, ſubdit, *Infantem vteri ſui*; Vbi in Hebræo Raham, hoc eſt matricis vocabulum ponit. Et vt ſciamus maternos affectus, comicos & perſonales eſſe, ſubiungit: *Et ſi illa obliuiſcitur; ego tamen tui non obliuiſcar*. Quia non picta, non deriuata maternitas eſt; ſed natiua fontalis; vnde *omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur*. Et vnde matribus materna verba, maternæ cohabitationes, materna ſtudia, niſi ex maternis deſiderijs, & amore materno? At maternus amor, vnde matribus, niſi ex matrice? Quo igitur intimius naturæ radicatum ſignificaret amorem, non ſatis erat Spiritui ſancto maternum dicere, niſi matricium nominaret. Vniuerſos enim ſanctæ ciuitatis illius futuros, aliquando matrice ſua concepit, confouit, coagulauit, coaluit, plaſmauit, figurauit, formauit, viuificauit, auxit, prægnauit, grauidauit, portauit, parturiuit, laborauit, peperit, inuoluit, reclinauit, geſtauit, lactauit, balneauit, nutriuit, educauit, duxit, erudiuit, inſtituit, docuit, traxit, incitauit, deſiderio igniuit, ſuperincendit, amore inflammauit. Notentur hæc triginta duo verba, ſignentur myſteria, quoniam verè ſunt optima deuotionis incitamenta. An non maternus tibi videtur erga nos affectus? quando tam de nobis alendis, vt ſeipſum in cibum daret, fuit ſollicitus? O viſcera materna! lactat mater paruulum de ſuo ſuperfluo; Ieſus fœtus ſuos alit carne, & ſanguine proprio. *Miſericors ergo & miſerator*. Hæc de primo. Pſal. 110.

רחום rahhum eſt miſericors.
רחם rahham; eſt matrix: ab eadem radice.

Epheſ. 3.

§. 2. *De inſtitutionis cauſalitate, &c.*

NVNC de altera *circunſtantia*, ſcilicet *cur hoc* Sacramentum inſtituerit, eſt inquirendum: Poteſt autem quæri, Cur, id eſt, XVIII.

Qua { Neceſſitate,
Congruitate,
Cauſalitate ſit inſtitutum.

DE PRIMO, id eſt, de huius *Neceſſitate*, ad longum Albertus, vbi ſupra, diſputat, & multorum opiniones reprobans; tandem in hanc ſententiam venit, quod neceſſitas inſtitutionis huius Sacramenti, eſt meditatio contra peccatum,

delitas iracundiæ Iudæorum in Chriſto. Ferrum multo magis ignitum, fuit immobilitas ſummæ charitatis Chriſti Ieſu; quia *deſiderio deſiderauit* ſeipſum offerre in pretium ſalutis noſtræ. Primi ferri figura remanſit in Chriſti corpore; dum vulneratus clauis, lancea confoſſus, ſpinea coronatus corona, ſputis deturpatus, & totus plenus iniurijs, non apparuit
Eſa. 53. in eo ſpecies neque decor. Ferretis ergo hoc ferro, & figuretis, qui accedis ad illud Sacramentum; non vt iſta inferas Chriſto; ſed vt iſta libenter perferas pro Chriſto, exemplo martyrum Sanctorum. Et vt crucifixi effigiem transferens in teipſum, de eius paſſione iugiter meditare. Secundi quoque ferri, ſcilicet amoris Ieſu in te ſculpatur figura, vt eius amore tam ardenter fer eas, quo tibi parum videatur ad eius ſimilitudinem, pro amore Dei omnia mala ſuſtinere, vt ſic fias hoſtia formata, & caracterizata ſimilitudine paſſionis. Infinita eſt hæc materia, ſi quis ruminare poſſit.

Tertiò, ſi etiam conſideres modum quo ſuſcipitur, videbis paſſionis Chriſti amaritudinem memorari: Nam hoſtia frangitur per manus Sacerdotis, dentibus teritur, & in ſtomachum mittitur; per quod ſignificatur corporis Chriſti fractio, & attritio in flagellis, ſpinis, & clauis, & conſummatio in morte, & occultatio in ſepulchro. Iſtis igitur modis dicente tibi Domino Ieſu, Thren. 3. *Recordare paupertatis & tranſgreſſionis* &c. reſpondeas dicens: *Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea.*

§ 1. *Quod Sacramentum dicitur, quia magni amoris ſignum.*

XXXI. SEcundò, rectè *Sacramentum* dicitur, quia ſignum eſt magnæ dilectionis: Hinc etiam charitatis Sacramentum, & amoris pignus ſolet dici. Patet autem hæc magnitudo dilectionis ex his, ſcilicet,

ex { Affectu, / Dono, / Modo, } quo { Sacramentum hoc inſtituit. / Seipſum, quo maius nihil eſt, impendit. / Se tam charitatiuè expoſuit. }

En votum, donum, modus, hæc ſunt ſigna, & amoris.

Primo eluceſcit hæc amoris magnitudo, ex affectu quo Sacramentum hoc inſtituit (de quo ſupra aliquatenus actum eſt) qui præſertim ex verbo illo Domini Ieſu effulget, quo dixit Lucæ 22. *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum.* O deſiderium, ô deſiderauit! Grande dictu, durum creditu, vt Ieſus verus Deus, plaſma ſuũ, vel deſideret (taceo, vt deſiderio deſideret) & non modo cum ipſo manducare, ſed & manducari ab ipſo. Quis autem crederet, niſi veritas ipſa dixiſſet? Verè deſiderium illud, amor inſtitutionis huius, *lucem ha-*
1. Tim. 6. *bitat inacceſſibilem:* nec à quoquam, niſi ab ipſo Domino Ieſu plenè poteſt (poſt Trinitatem) dignoſci. Et quoniam de hoc minus eſt, quicquid dici poterit (quippe, quia abyſſus) ideo de hoc ſuperſedendum, & contemplationi relinquendum.

Nam, Non mihi ſufficeret longæui Neſtoris ætas.
Vt canerem quantus corde perarſit amor.

Secundò coniectatur amoris huius immenſitas, *ex dono*, quod impendit; quippe vbi dator tranſijt in donum. *In charitate perpetua dilexe-* Iere. 31.
ras creator creaturam, & multa dedit xenia, & pignora amoris ab initio creator: Sed iam ſol in arce fuit, quando hoc donum amoris teſtimonium credibile nimis impendit, Pſal. 22.

Quia totum mundum. Angelos,
Ante ſuum, atque ſuos
ſeipſum omnibus & multis modis.
ſed nunc dat ſe variatis.
Peregrinationis, miniſtrans, redemptionis,
In ſocium, ſeruum, pretium,
refectionis.
atque cibum modo donat.

Imò in omnem vſum deſiderabilem, ſe nobis exhibuit, omnibus omnia factus, vt infrà ple- 1. Cor. 9.
nius dicetur. In his autem donis, vnũ eſt quod maximè oſtendere voluit, & maximè de ſe credi atque famari: videlicet, *eſſe Philantropon*, hoc Philip. 2.
eſt, hominum amatorem, & adeò amatorem, vt ſibi-ipſi non parcens, ſemetipſum exinaniret, & ſe propter te traderet in manus inimicorum. Verè Domine Ieſu nunc cognoui, quantum dilexiſti me; quinimò me magis dilexiſti quàm te, quia tibi non parcens te tradidiſti pro me; & non ſolum in paſſionis ſupplicium, ſed & in quotidianum meæ refectionis cibum.

Et pro huius declaratione eſt hic *quæſtio* quædam deuota in medium aſſignanda, quæ quæri ſolet, *Vtrum Chriſtus maius ſignum dile-* Dubitatur.
ctionis nobis oſtenderit patiendo pro nobis, quã tradendo nobis corpus ſuum in cibum? Reſpondet Doctor Sanctus in quolibet. 5. q. 3. art. 2. Illud eſt potiſſimum in vno quoque genere, quod eſt menſura illorum, quæ ſunt illius generis 10. Metaphyſicè: Potiſſimum autem in genere amoris hominum, eſt amor, quo quis amat ſeipſum, Et ideo ex hoc amore neceſſe eſt menſuram accipere omnis amoris, quo quis alium amat. Ad amorem autem, quo quis ſeipſum amat, pertinet, vt velit ſibi bonum: Vnde tanto aliquis alium amare probatur magis, quanto maius bonum, quod ſibi vult, propter amicum prætermittit. Vult autem homo triplex ſibi bonum particulare, quæ ſunt, Anima, Corpus, Res exteriores: Eſt igitur aliquod ſignum amoris, quod aliquis in rebus exterioribus, propter alium, detrimentum patiatur; Maius autem eſt amoris ſignum, ſi in corpore proprio detrimentum patiatur propter alium, vel labores, aut verbera, pro amico ſuſtinendo; Maximum autem eſt dilectionis ſignum, ſi etiã animam ſuam deponere velit, pro amico ſuo moriendo. Quod igitur Chriſtus moriendo pro nobis, animam ſuam poſuit, maximũ fuit dilectionis ſignum; Quod autem corpus ſuum nobis dedit in cibum ſub Sacramento, ad nullum detrimentum ipſius pertinet: Vnde patet, quod minus eſt dilectionis ſignum; vnde & hoc Sacramentum eſt *memoriale quoddam paſſionis* Chriſti, & figura. Veritas autem præminet figuræ, quia, *maiorem charitatem nemo habet,*

bet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Hæc Sanctus Thomas.

QVIBVSDAM tamen acutè conſiderantibus, apparet non minus amoris indicium relucere in Sacramento, quam in patiendo.

TERTIO amoris immenſitas effulget *ex modo* quo ſe expoſuit: Vnde, & dicitur *Sacramentum*, quia eſt Sacrum mirabilis expoſitionis ſui pro nobis ſignum. Vere mirabilis iſte modus. Cum enim non eſſet conueniens, quod in carne paſſibili diutius moraretur in terris, modum tamen hunc adinuenit, quo ſemper ſe nobis etiam exhiberet per præſentiam carnis. Luca 22. Nam Apoſtolis, & cęteris poteſtatem conficiendi dedit: A qua poteſtate nullum legitimum Sacerdotem, ſeruatis ſeruandis, excluſit. Vere ſtupendum hoc fuit amoris ſignum, quod ſic in Sacramento ſe pro te expoſuit, & ſic quaſi noua morte, ſeipſum manibus cuiuſq; Catholici Sacerdotis expendit, Quia pro nullius malitia, vel pro aliqua iniuria, quæ ſibi ibi fiat, poteſt eius præſentia violari; quin ſemper ibi ſit verum Chriſti corpus, ritè factis, quæ circa conſecrationem fieri debent, & durantibus ſpeciebus. O quantum eſt hoc in effuſione amoris, ſi noſcemus bene ponderare? Modus quoque huius expoſitionis, eſt vſque ad vnionem tui cum Chriſto: Ad hoc enim facta eſt tanta expoſitio Chriſti, in Sacramento, vt non impediatur Sacramenti effectus, qui eſt tui in Chriſtum conuerſio. Vnde in huius participatione, non tantum efficeris frater Chriſti, aut conſobrinus: ſed efficeris ipſe Chriſtus, per gratiam transformationis.

ET VT hanc identitatem tuam ad Chriſtum plenius poſſis cognoſcere, ſcias quod tribus modis nos cognoſcimus aliquos attinere nobis, ſcilicet generatione, nutritione, familiari locutione. Sic & nos efficimur totus Chriſtus. Vnde quatuor ſunt modi, quibus homo dignoſcere poteſt, quod attineat Chriſto.

Fis Chriſtus generatus eo, paſſus, vocitatus.

XXXIII. Scis enim te eſſe hominē, quia ab hominibus generatum, ſed non in identitate indiuidui, ſed ſpeciei, & de ſemine ſuperfluo indiuidui, ſed neceſſario ſpeciei. At non eſt tale ſemen, quo tu Chriſtianus generaris à Chriſto. Non enim ex ſuo ſuperfluo; ſed ex vitæ ſuæ neceſſario generatis. De tota enim in vita ſua te genuit, qui tibi in morte ſua, & ſanguine, baptiſmum conſtituit. Nam in morte Chriſti ſubmergeris in baptiſmo, & quaſi nouus Chri- Rom. 6. ſtus, inde reſurgis: Apoſtolus, *Conſepulti ſumus Chriſto per baptiſmum in morte, vt quemadmodum Chriſtus reſurrexit a morte per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Es ergo Chriſtus generatione.

SECVNDO noſcitur attinentia, nutritione, quia ex eiſdem ſumus, ex quibus nutrimur. A matribus autem nutrimentum ſumunt paruuli, ex earum ſuperfluo; ſed Chriſtus nos nutrit de ſuo neceſſario, ſcilicet de corpore, & ſanguine proprio. Nam vt oſtenderet Chriſtus veram ſui exiſtentiam in nobis, & noſtri in ſe; non de alio nos nutrire voluit, quam de ſeipſo. Vnde & ait, *Caro mea vere eſt cibus*, &c. non Ioan. 6. quidem conuertendus in naturam cibati, quæ eſt infecta, peccatrix, & miſera; ſed conuerſurus cibatum in naturam ſui, quæ eſt ſpiritualis, ſanctiſſima, & Diuina. O vere ſapidus cibus, qui hominem facit Deum, & in Dei prouehit vitam? dicit enim, *Qui manducat me,* Ibidem. *& ipſe viuet propter me. Ita* vt dicere poſſit illud, *Viuo ego iam non ego, viuit vero in me Chri-* Galat. 2. *ſtus.*

TERTIO, cognoſcitur attinentia, familiari locutione, & per familiaria verba, vt quando mater vocat nos filium, & frater fratrem. Stupendo modo, ſi conſideremus, etiam verba Chriſti, nos ducunt in ipſum: Ipſe enim dicit, quòd ipſe eſt fermentum in ſimilitudine, nos Luca 13. farina; quòd ipſe eſt vitis, & nos palmites. O Ioan. 15. qualis eſt iſta locutio; non enim facit gradum; ſed vnionem. Tota enim paſta poſt fermentationem, eſt de natura fermenti. Et quid palmites reſpectu vitis; niſi vitis parua reſpectu magnæ, & pars reſpectu totius? Sic & intelligas te non Chriſti filium, ab ipſo ſeparatum; ſed eius membrum in ipſo fixum, & totaliter in eius gratiam per charitatem conuerſum. Hinc ait (vnionem ſui extaticam ad nos exprimens) ad Patrem, *Tu in me, & ego in eis.* Item, *Sicut dile-* Ioan. 15. *xit me Pater, & ego dilexi vos.* Quam vnionem Dei ad nos, & noſtri ad Chriſtum. Aug. eleganti ſſimè explicat, in quinquagena ſuper Pſal. *Inclina Domine aurem tuam, & exaudi* Pſal. 85. *me*; cuius verba prolixum eſt ponere. Patet ergo ex his, quod fias totus Chriſtus. Iuſtè ergo Ieſus cuiq; dicere poteſt illud, *Quid vltra debui* Eſa. 5. *facere, & non feci?* quod tui, ſcilicet cordis duritiam emollire valeret, & me tibi vnire. Ideo enim omnia egit. Nam non fuit ei curę panem conuertere in ſe; niſi vt per hoc intelligeret Chriſtianus, ſe debere, & poſſe per gratiam, tranſire in Chriſtum. Patet ergo, quòd ſit magnæ dilectionis Sacramentum.

§. 2. *Quod Sacramentum dicitur, quia beatificæ fruitionis ſignum.*

TERTIO, præcipuè dicitur Sacramentum, XXXIV. quia eſt beatificæ fruitionis ſacrum ſignū, quod potiſſimum ex tribus patet.

Materia, ſpecies, modus, hoc typat accipiendi.

PRIMO inquam deſignatur æterna fruitio, ex Sacramenti materijs; quia commendatur in pane, & vino; quæ ſocietatem ſignant, & iocunditatem inducunt. Auguſtinus, *Cum cibo, & potu id appetant homines, vt non eſuriant, neq; ſitiant: hoc veraciter non praſtat, niſi cibus iſte, id eſt, ipſa ſocietas* Sanctorum in regno; vbi pax plena, atque perfecta. Et alter quidā, ait quòd panis iſte Sacramentalis ad altiorem tranſmittit refectionis ciuitatem; ad panem, ſcilicet illum ſuperſubſtantialem, ideſt ad Deum Trinum, & Vnum. *Vinum* quoque æternam illam iocunditatem deſignat. *quod lætificat cor homi-* Pſal. 103 *nis*. Hinc ablutionem ſumendo, dicendum, *Bibam, & hilarior fiam, quia magnificata eſt a-* Ruth 3. *nima mea.*

SECVNDO deſignatur beatifica fruitio, in hoſtiæ qualitatibus, & ſpeciebus.

Lata,

Lata, rotunda, nitens, expers ſis, & azima ſcripta.

Nam in hoſtiæ *latitudine*, deſignatur gaudij vniuerſalitas; in *rotunditate*, æternitas; in *candore*, lucis iocunditas, in *carentia fermenti*, & *ſalis*, omnis pœnæ immunitas, & doloris, *in azima*, gaudij puritas, in *imagine* ac inſcriptione, Diuinæ viſionis perſpicacitas. Poterant hæc longè deduci; ſed ſatis pateſcit propoſitum: Vnde de ampliori proſecutione eſt ſuperſedendum.

TERTIO deſignatur beatifica fruitio, in ſumendi modis: Nam ſicut Sacramentales Species totaliter inſumimus; ita in regno facie ad
1.Cor.13. faciem in Dei contemplatione aſſumemur, & *à claritate in claritatẽ transformabimur*, & Deo
2.Cor.3. noſtro integrè vniemur, & fiemus per gratiam quicquid ipſe eſt per naturam. Patet ergo, quod hoc Sacramentum eſt beatificæ fruitionis ſignum. Nam iuxta Ambroſium. *Hæc eſt menſa vbi Deus eſt ſedens, & Sancti cum eo recũbentes, & Angeli circunſtantes.* Nam idem ille, qui eſt panis Angelorum, quem Angeli comedunt pleno ore, is aſſumitur à nobis ſub ſpe-
Pſal.77. Sap.16. Ioan.6. cie Sacramentali. *Panem enim Angelorum manducauit homo.* Et ipſemet, *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi.* Ideo illud inſtituens dixit, ſe hoc idem cum eis ſumpturum in regno Pa-
Marc.14. tris ſui: *Non bibam*, inquit, *ammodo de hoc genimine vitis, vſque in diem illum, dum illud bibam nouum vobiſcum in regno Patris mei*, De hoc etiam quædam ſupra diximus.

ET HÆC ſufficiant de eo, quod dicitur Sacramentum, & ex conſequenti de omnibus ſeptem nominibus Sacramenti. Non quod nõ plura ſint nomina eius; ſed hæc ſunt principaliora. Nam & alijs nominibus appellatur.

Quia filius mittitur. *Transſubſtantiatio.* *Curans.*

Miſſa. Methalepſis. Medicina.

Abſoluens in iudicio.

vel actio dicta.

Quorum etiam declaratio ſatis eſſet pulchra; ſed ex dictis facilè poteſt ſumi horum applicatio. Age ergo, hæc nomina voluamus, & in deſiderio habeamus. Amen.

Carmen in ſeptem nomina Sacramenti Corporis & ſanguinis Domini Ieſu. Et cantabitur ſub modulo,

Dies eſt lætitiæ.

O panis viuifice,
Donum ſingulare,
des tua Deificè
nomina tractare.
Nempe tua nomina
conſecrata ſomina
larga fruge turgẽt.
Hęc rorẽ chariſmatũ
hęc fluẽta dogmatũ
ſacro topo præbẽt.

De nomine Euchariſtia.

Salue Euchariſtia,
Salue hilarificum
ardens charitate.
Salue nobiliſſimum,
ſufficientiſſimum,
vtile damnatis.
Danti confortiſſimum
te laudo gratiſſimũ
mihi datum gratis.

De nomine Cibus.

Salue cibus Regius
nobilis Gnatorum:
Suauis & egregius
omnium ſaporum.
O eſca lautiſſima
manu prudẽtiſſima
piſta Trinitatis:
Opple languidiſſimã
pereffetam animam
cibo pietatis.

De nomine Potus.

O potus dulciſſime,
lateris fluentum;
Salue ſapidiſſimẽ
languẽtis fomentũ,
Salue iocundiſſimum,
vinũ, meraciſſimũ
ebries bibentes.
Germinato Virgines
atq; mẽtis cardines
fac mero calentes.

De nomine Communio.

Salueto Communio
fons deliciarum:
nomine, re, gratia,
dulcor animarum.
Salueto pijſſimis
amicis dulciſſimis,
abs Ieſu collata.
Dones ſacra ſatie
Fruar tua facie
anima beata.

De nomine donum.

O donum magnificũ
fluens largitate,
omnium bonorum:
Hominum tu vnio
atque Angelorum.
Præſtes influentiam,
præſtes accreſcẽtiã
capitis in membra:
Tuis paſſionibus,
his Cõmunionibus
dedices cõmembra.

De nomine Sacrificium.

Salue Sacrificium
in cruce litarum:
mirum Sacrificium
figuris ſignatum!
Te laudo digniſſimũ,
Deo acceptiſſimũ,
Sanctum iuramẽtũ:
Salue pontificium,
Chriſti Sacrificiũ,
Patris ſpiramẽtum.

De nomine Sacramentum.

Salue admirabile
Chriſti Sacramẽtũ.
Inſigne amabile
tu medicamentum.
Tu commemoratio
atque exaltatio
Chriſti paſſionis:
Te laudo ſignatio
ſupernæ guſtatio
Iam fruitionis.

FINIS.

Ruminatorium Conſiderationum.

CAPVT III.

C*Vm ſederis ad menſam potentis: diligenter attende quæ appoſita ſunt tibi, ſciens quoniam ſimilia oportet te præparare.* Prou. 23. ALTERVM (prout in huius principio diximus) *ferculum* maſticandum conficitur ex diuerſis circa Sacramentum conſiderationibus. Vnde & (iuxta Albertum, & Ioannem de Turrecremata) maſticat, qui ea, quæ circa hoc Sacramentum ſunt conſideranda, attendit. Iuxta etiam quod præcipit in verbis præallegatis ſapiens; diligenter ſcilicet attendere, & conſiderare, & ſimilia præparare; id eſt ſingulis conſiderationibus, deuotis affectionibus correſpondere. Hinc & in huius ty-
po *panis propoſitionum* dictus eſt, in Hebraica Heb.9.
veritate *panis facierum*; eo, ſcilicet, quòd proponitur faciei mentali, id eſt, menti commemorandus; rationi, conſiderandus; voluntati, diligendus.

Aſſignemus igitur, & huius ferculi ſeptem buccellas, per ſingulos dies ruminandas; ne cui ſit fas cauſari, quia deeſt ei conſideranda materia. Verum quoniam conſiderationum iſtarum abyſſus numeroſa, & quia in ſuperio-

ribus

ribus multa materia eſt prçhabita: ideo ſic hic buccellas has aſſignamus,ne vel ea reperamus; aut ne ea, quæ ſupra nos ſunt, proponamus conſideranda. Nam ſi cuilibet ſublimia huius Sacramenti, & profluuij huius ſcrutari profunda, habet Doctorum ſuper quartum ſententiarum ſcribentium dicta,& Sancti Doctoris ac cæterorum ſummas & tractatulos, in quibus inueniet ſubtilia perquam diſcuſſa. Nobis ſufficiat illa aſſignare conſideranda, quæ ſunt deuotionis excitatiua,vt ſunt iſta. Iob 28.

Scilicet de Sacramẽti:
- Antecedentibus.
- Subſtantialibus.
- Circunſtantijs.
- Mirabilibus.
- Vſu, & modo ſumptionis.
- Dulcedine ſaporis.
- Proprietatibus.

MEMBRVM I.

De Sacramenti antecedentibus.

11. PRIMA inquam conſideratio eſt de Sacramenti antecedentibus: Nam plura illud anteceſſerunt,

Vt ſunt:
- Sanctorum votiua deſideria — quibus eſt — Deſideratum.
- Varietates figurarum, — quibus eſt — Prçfiguratum,
- Prophetarũ vaticinia, — quibus eſt — Prophetatum.

Optatum Patribus, præſignatum, prædictum.

§. 1. *Quod hoc Sacramentum fuit ab antiquis deſideratum.*

PRIMÒ enim fuit hoc Sacramentum à prioribus patribus votiuè deſideratum: Nam quemadmodum fuit deſideratus aduẽtus eius in carnem, ita & aduentus eius in mentem; ille, qui non niſi per eius manducationem, vel ſpiritualem,vel ſacramentalem fit. Nihil quoque ille in carnem aduentus prodeſt: niſi ſubſequatur & iſte,qui eſt in mentem. Quantum autem priores deſiderauerunt aduentum iſtũ, patet ex verbis Iob,cap.31. *Si non dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus eius, vt ſaturemur?* Vnde & in huius deſiderij typum, *omnes Reges terræ deſiderabant videre faciem Salomonis*, qui ſub hoc Sacramento veraciter & realiter continetur. Et in nocte *quærit ſponſa ſponſum, ſe poſt parietem* Sacramentalium ſpecierum *occultantem*. Sic & nos in omni nocte aduerſitatis debemus confugere ad hoc Sacramentum in mente inuocando; imò & corporaliter, ante reſeruaculum eius recurrendo. *O ſalutaris hoſtia, quæ cæli pandis oſtium, bella premunt auxilia; da robur, fer auxilium;* aut ſimile quicquam legendo. Nam huiuſmodi exercitationis figuram videmus in patribus veteris teſtamenti præoſtenſam, qui quoties tribulati fuerunt,ad arcam refugij confugerunt, In dubiis illic Dominum conſuluerunt,In bellis ſecum adduxerunt;qua coram adorauerunt,gratias impetrauerunt,& omne bonum inde perceperunt. Quæ indubiè arca huius noſtri fuit Sacramenti figura,

3 Reg. 10. Cant. 3. Num. 10. Ioſ. 6. Iud. 20. 1. Reg. 4. 3 Reg. 8. 1. Para 13. 2. Para. 36.

Arca Dei ſancta, tenet optima, perficit alta.

Primò propter arcæ illius ſanctitatem: Nam ſicut illa arca continebat veteris teſtamenti Sancta; ſic noſtrum Sacramentum continet omnis ſanctitatis fontem.& ſub eo continetur diuinitatis plenitudo veriſſima. *Secundò* propter contentorum qualitatem: Nam ſicut in illa arca manna, legis tabulæ, & virga Aaron fuerunt repoſita: ſic in arca corporis Dominici inueniemus multo plenius omnia iſta, puta, *manna*, id eſt debilium confortationem; *legis tabulas*, id eſt, ſimplicium informationem; *virgam Aaron*, hoc eſt, malè accedentium correctionem. Inſuper *tertio* propter effectuum diuerſitatem: Nam ſicut arca vetus alios occidit, alios non, quoſdam verò per omnia benedixit; ſic & Sacramentum iſtud malè accedentes occidit,alios autem ad bonum promouet,tertios verò per omnia benedicit: Patet ergo, quod hæc arca corpus ſignificat Dominicum, & hoc Sacramentum. Vnde quemadmodum veteri illi ſe exercitauerunt circa arcã; debemus nos exercere circa digniſſimum iſtud Sacramentum, ſemper ad illud confugiendo, ſemper eius præſentiam deſiderando. Eſſet hic copioſiſſima,& magnæ deuotionis materia, meditari, videlicet, quomodo hoc Sacramentum fuit optatum; nam offerunt ſe circa hæc multa contemplanda, ſcilicet, C Exod. 25. Heb. 9.

Quia Patres, — omne bonum, — quæ cauſa,
Qui cupiant? quale, & cur?
modus, — ad quorum ſimilitudinem.
quomodo? cuius ad inſtar?

PRIMO, qui ſunt qui cupiant, & occurrunt? omnes iſti.

Angeli. — in limbo. — in mundo. — Prophetæ.
Angelici, Patres, Iuſti, Vates,
Reges & gentes.
quoque gentes.

Angeli deſiderauerunt, quia per hoc ſuas ruinas reſtaurari nouerunt, vt patet ſuprà de nomine Communionis. *Patres* in limbo conſtituti, hoc pro eorum redẽptione; & Patriarchæ viui pro eorum ſacrificij conſummatione deſiderauerunt. *Abraham enim Pater veſter deſiderauit videre diem hunc*, ſcilicet inſtitutionis Sacramenti. *Tertiò*, quia *multi iuſti*, vt Dominus ait Matth. 13. *Quartò Vates*, Nam *multi Reges & Prophetæ deſiderauerunt videre, quæ vos videtis. Quintò, Gentes*, vt patet in Iob cap. 37. & alijs, quia ipſe eſt *deſideratus cunctis gentibus*. Et hoc de primo, qui ſcilicet cupiunt. Ioan. 8. Haggai 2.

SECVNDÒ conſiderandum quid, & quale in Sacramento deſiderabant. *Alter* exſpectabat ſalutare; *alter* agnum; *alter* redemptorem; ſciẽtes, quod omnibus omnia factus, quod manna cuique pro voluntate ſapiebat. Gen 49. Eſa. 20. Iob 19. Pſal. 77.

TERTIO videndum cur & quare hoc deſiderabant? cuius cauſas habes ſupra in gradu inuitationis. Eſa. 14. Sap. 16.

DE QVARTO autem; *quomodo*, ſcilicet deſiderauerunt? eſt notandum, quòd Chriſtum, & hoc Sacramentum.

Digitized by Google

Deſiderabant { Sæpè, & multipliciter, / Patienter, & longanimiter, / Intensè, & indeficienter. } Sicut patet ſcrutãti Scripturas.

De vltimo nota, quod deſiderabant, inſtar in magna neceſſitate poſitorum, ſicut declarat Eccleſia *in ſeptem Antiphonis in Aduentu*, *O ſapientia*, &c. Item deſiderabãt Chriſtum, & hoc Sacramentum, quemadmodum deſiderat ceruus ad fontem aquarum, pullus hirundinis clamat ad matrem, &c. Et non videatur cuiquam ab re, quod dicamus Patres deſideraſſe hoc Sacramentum; cùm vtique conſtet (Apoſtolo teſte.) quod *eundem cibum manducauerunt nobiſcum*. Nam quàndo optabant Chriſtum, deſiderabant & hoc Sacramẽtum, quod vtique continet eum.

Psal. 41. Esa. 38. 1. Cor. 10.

Eia itaque & nos deſideremus Chriſtum venturum in Sacramentum: quemadmodum illi expectabant aduentum eius in mundum. Quorum deſiderium Eccleſia in introitu Miſſæ proponit nobis in exemplum; vt ſic excitet torporem noſtrum. Nam ex feruentibus talibus deſiderijs multiplex prouenit bonum, iuxta Albertum.

Intendit feruet, releuat, ſoluit, mala dulcat.
Ædificat fratres, cæleſtia neumata ſignat.

Primo enim intentio intenditur, vt velocius ad Deum perueniatur, vt Auguſtinus ait: Hinc Eſa. 45. *Current, & non laborabunt, volabunt, & non deficient*. Et hinc animalia Ezechielis deſcribuntur alata; *Secundo* cum feruore deuotionis. Non enim ad Deum clamor, niſi de feruore orationis exurgit. Et hoc ſignatum eſt, ſcilicet vbi dicitur, quod *Seraphim clamabant*, & animalia Ezechielis in medio ignis apparuerunt; *Tertio* cauſat anxietatis releuationem, quia Deus eum exaudit, *Anima in anguſtijs, & ſpiritus anxius clamat ad te Domine, audi, & miſerere, quia Deus es miſericors*. *Quarto* facit à debito cordis, & oris deobligationem: Tenemur enim de corde & ore (maximè Clerici) clamare ad Deum, & reddere vitulos labiorum. *Quinto* cauſat cordis dulcedinem, vt ait Aug. Hinc Pſ. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua*. *Sexto* facit proximi ædificationem; quia populus audiens ædificatur ad bonum, Pſ. 21. *Narrabo nomen tuum fratribus meis*, *Sic luceat lux veſtra* &c. *Septimo* facit in terris cæleſtis iocunditatis ſimilitudinem; vbi edentes eſuriunt, & deſiderantes ſemper ſatiantur, & deſiderium iuſtorum audit Dominus, & deſideriũ cordis tribuit eis. Pudeat itaque nos teporis, & torporis noſtri, & iugi deſiderio clamemus, *Veniat dilectus meus*. *Veni Domine Ieſu*, &c. *Oſtende mihi faciem tuam: Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora*. Et, hæc de primo.

E Ezech. 1. Esa. 6. Ezech. 1. Baruch 4. Matth. 5. Psal. 9. Psal. 20. Cant. 5

§. 2. Quod multipliciter fuit hoc Sacramentum præfiguratum.

ALTERVM de antecedentibus principale eſt, quod Sacramentum iſtud fuit *multipliciter præfiguratum*. Circa quam præfigurationem etiam multa ſe offert materia ſpeculanda,

Scilicet de eius { Decentia, / Varietate, / Sufficientia. }

Fuit enim *decens* tantum Sacramentum præfigurari: *tum* propter ipſius dignitatem, *tum* propter noſtram neceſſitatem. *In varijs* quoque rebus fuit ſignatum, & per cunctas ætates, vt patet ſupra, vbi de ſacrificio actum eſt, vbi dicitur, quod hoc Sacramentum præfiguratũ in animalibus, & volucribus, in rebus inanimatis, & in omnium oblationum generibus. Eſt præterea in multis alijs præfiguratum rebus. *Iam tertio de ſufficientia* præfigurationis eſt ſciendum, quod nihil in hoc Sacramento habetur, quod non plenè præfiguratum, vt patet hoc modo. Nam III.

Quãtũ eſt ad { Materiam ſpecierum, vel ſignum, / Rem contentã, id eſt Chriſtũ, / Effectũ, .i. dulcedinis guſtũ, / Compũctionis inductiuum, / Paſſionis repræſentatiuum, / Interioris hominis viuificatiuum. / Oculi mentalis illuminatiuũ, / Gloriæ perductiuum, / Deuotionis impinguatiuum, / Actionis roboratiuum, } Fuit ſignatum { Oblatione Melchiſedech. / Agno Paſchæ. / Mannæ cibo. / Edulio Gedeonis, / Propoſitionis pane. / Ligno vitæ. / Ionathę melle. / Subcinericio pane. / Vitulo ſaginato. / Sãpſonis fauo. }

Manna, & Melchiſedech, Agnus, Vitulus, quoque Panis.
Guſtum, Materiam, Rem, Deuotum, Mala, Paſſum.
Fert, Gedeon, Lignum, Ionathan, Samſon, vel Helias.
Compungit, Viuum, Luſtrando, Roborat, Aſtra.

Sunt & innumeræ aliæ figuræ, quas tangere prolixitas vetat. Quas omnes ad quattuor principales, Patres orthodoxi reduxerunt, ſcilicet ad oblationem Melchiſedech, agnum Paſchalem, ad manna, & ad ſanguinis Chriſti effuſionem. Quarum prima eſt figura tempore naturæ, aliæ duæ tempore legis ſcriptæ: Quarta tempore gratiæ, quę plenè hoc Sacramentum deſignant, vt Sanctus Doctor dicit,

Quoad { Effectũ, / Reſpectum, / Vſum, } Scilicet { Viuificare, nutrire, reſtaurare, protegere. / Rei cõtẽtę effectu efficaciæ ſigni. / Quia his vtimur, vt patet. }

Quod autem ponunt, ſanguinem Chriſti effluentem de latere Chriſti cum aqua, huius Sacramenti figuram; hoc intelligendum eſt quod non tam eſt figuratiuus, quàm Sacramenti

menti efficaciæ demonſtratiuus; eo modo quo
cauſa eſt demonſtratiua ſui effectus. Sanguis
enim lateris Chriſti eſt cauſa ſanguinis in Al-
tari, & aliorum Sacramentorum, vt dicit Au-
guſtinus. Et hæc de quarta figura. Porrò de
tribus alijs principalioribus figuris, aliquid di-
cere deuotio impellit; ſed mater faſtidij pro-
lixitas retrahit. Vnde vt medium obſeruemus,
oportet, vt quædam dicamus, & vt paucis illa
proſequamur, vt ſic quanta ſit meditandi ma-
teria demonſtremus.

*Quomodo præfiguratum in oblatione Melchi-
ſedech. Notula I.*

IV. DE PRIMA itaque figura, id eſt oblatione
Melchiſedech, qui obtulit panem & vi-
num in huius Sacramenti typum, agitur in Ge-
neſi c. 14. Pro cuius figuræ declaratione no-
tandum, quod multa occurrunt conſideran-
da, ſcilicet,

*Melchiſedech quis, cui, quid, quando, cur,
obtulit ipſe.*

Nam Melchiſedech perſona offerens, ſignat
Chriſtum: *Secundo*, Abraham, cui offertur, Pa-
trem Deum. *Tertio*, oblatio; panis ſcilicet &
vinum, repræſentat Sacramenti huius typum.
Quarto, tempus; quia reuertenti de cede, &c.
ſignat paſſionis triumphum. *Poſtremò*, cau-
ſa oblationis fuit, ſalus facta populorum.
Sunt hæc igitur plena myſterijs, & deuota
meditatu.

Pro dictorum tamen pleniori intelligen-
tia, nota, quòd Chriſtus per Melchiſedech ſi-
gnatur, & ſecũdum eius ordinem illius Sacer-
dos dicitur, propter iſta,

*Ob genus, & nomen, decimas, opus obtulit, &
quæ.*

Heb. 7. PRIMO ratione generis, quia nihil legitur de
eius patre, & matre, & dicitur ſine genealogia;
ſic Chriſtus dicit Matth. 12. *Quæ eſt mater
mea, & qui ſunt fratres mei?* SECVNDO ratione
nominis; interpretatur enim *Rex Salem*, id
eſt Rex pacis; & de Chriſto dicitur Eſa. 9.
Vocabitur Pater futuri ſæculi, princeps pacis.
TERTIO, quia decimas accepit; & Chriſto
primitiæ ac decimæ debentur, qui *operatur in*
Philip. 2. *nobis velle, & perficere.* QVARTO, ratione o-
peris, quia ſcilicet Abrahæ benedixit, vt
dicitur Geneſ. 14. Et Chriſtus dicit, *Inuo-*
Num. 6. *cabunt nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego
benedicam eis.* QVINTO, quia vinum, & pa-
nem obtulit: Et Chriſtus ſanguinem ſuum
in ſpecie vini, & carnem ſuam ſub ſpecie pa-
nis Deo Patri obtulit, diſcipulis dedit, & of-
Matt. 26. ferre quotidie facit.

SECVNDÒ nota, quòd in duplici hac ſpecie
ſemper eſt conficiendum, propter rationes
ſequentes,

*Inſtituens, Vſus, Signat, cauſat, recipitq́;,
Sumunt, Offertur, Saluat, Simulando, Replenit.*

Ibid. *Primò*, ratione Dominicæ inſtitutionis in cœ-
na, qui ita conſecrauit. *Secundo*, ratione vſus;
qui vſus huius Sacramenti, eſt manducatio,
quæ ad ſui integritatem panem & vinum exi-
git. *Tertio*, ratione ſignationis, vel repræ-
ſentationis; quia hoc Sacramentum ſignat
paſſionem Chriſti, in qua ſanguis à corpore
fuit ſeparatus. *Quartò*, ratione integræ ſuſ-
ceptionis, vt ſcilicet animæ, & corporis in
Chriſto ſuſceptio, & vtriuſque in nobis libe-
ratio ſignetur. *Sexto*, ratione duplicis Aſſum- Ioan. 6.
ptionis; cum difficultate, ſcilicet, vt Iudæus
murmurans, & ſignatur in pane; Aliter cum Luc. 19.
facilitate, vt Zachæus gaudens, & hoc fi-
guratur in vino, vel potu. *Septimò* ratione
duplicis immolationis; ſcilicet in vita, &
in morte: Omnis enim Chriſti, tam in vi-
ta, quàm in morte, actio, fuit iugis pro no-
bis oblatio. *Octauo*, ratione humanæ ſalua-
tionis; quia ſpecie panis ſignatur redemptio
noſtra à dæmone; ſpecie verò vini, abſolu-
tio, vel ablutio ab omni crimine. *Nono*,
ratione aſſimilationis, vel perfectionis; quia
in his ſpeciebus ſignatur coniunctio membro-
rum cum capite, & in incarnatione, & in paſ-
ſione. Item perfecta refectio, ſcilicet corpo-
ris & animæ. Hinc ſanctus Thomas, *Quibus
ſub bina ſpecie, carnem dedit, & ſanguinem, vt du-
plicis ſubſtantiæ totum cibaret hominem. Deci-*
mò, ratione repletionis figuralis; vt, ſcilicet fi- Gen. 14.
gura de Melchiſedech, qui panem & vinum
obtulit, impleretur.

*Quomodo hoc Sacramentum ſignificatum ſit
in Manna. Notula II.*

DE ALTERA autem figura, ſcilicet de V.
Manna videndum, circa quam poteris
conſiderare,

Conuenientiam, } Ratione { Proprietatis.
Differentiam, } Ratione { Sublimitatis.

Manna enim conuenit cum Chriſto, in pro-
prietatibus multis.

*Manna, polo, ſubtile, nitens, per dulce, ſaporē.
Indurat, duplum, ſcatet, obſeruet, tenet, haud
plus.*

PRIMO, conuenit Manna cum Chriſto, quia
dabatur de cœlo. Pſalm. 77. *Panem cæli dedit
eis.* Et Chriſtus ait Ioan. 15. *Exiui à Patre, &
veni in mundũ. Hic eſt panis qui de cælo deſcendit.*

SECVNDO, quia Manna minutum erat, atq;
ſubtile, ita & Chriſtus ſubtilis eſt, vt nõ valeat
comprehendi ſecundum diuinitatem. Primo
in æterna generatione, *Generationem eius quis
enarrabit?* Secundo in cognitione, *Non videbit
me homo, & viuet.* Tertio, in progreſſione; quod Eſa. 43.
ſcilicet clauſo Virginis vtero egreſſus eſt.
TERTIA proprietas eſt, quia Manna erat ni- Exod. 12.
tens & candidum, & Chriſtus innocens totus.
Qui peccatum non fecit, 1. Pet. 2. QVARTO, quia
dulcedinem habebat mellis: *Comedi fauum cum
melle meo*, Cant 3. Verè totus mellitus, & pius
eſt Ieſus, vt patet ex vita eius, & ſermonibus.
QVINTO, quia ſapiebat in ore cuiuſlibet, quod Sap. 16.
appetebat, deſiderabat, & delectabat, Pſal. 37.
Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus,
omnibus omnia factus. SEXTA, quia indura- 1. Cor. 9.
batur ad ignem, & liquefiebat ad ſolem. Sic
Chriſtus roborabatur per ignem diuinita-
tis in humanitate, & liquefiebat ad ſolem
perſecutionis. SEPTIMA, quia ſexta die
colligebant duplum; ſic Chriſtus in ſexta
ætate accipitur duplicatus. Pſalm. 48. *Simul*

in vnum diues & pauper.

OCTAVA, quòd in alterum diem reſeruatum, ſcaturiebat vermibus. Ita qui aliter de hoc Sacramento, quàm veritas haber, ſentit, Eſa. 14. æternam pœnam generabit, & vermes operimentum eius erunt. NONA quia vnum *gomor* reſeruabatur in Sabbatum: ſic bona opera pro futura vita facta, in futuro remanent integra. Alioquin computreſcebat; ſcilicet quod ſeruabatur pro amore huius ſæculi. DECIMO, quod qui plus colligebat, non habebat amplius. Sic & hoc Sacramentum iuxta Doctorem ſanctum in ſequentia, *ſumit vnus, ſumunt mille, quantum iſti tantum ille.*

SIGNATVR inſuper per mãna, propter multiplex de eo datum præceptum.

Mane & ſufficiens, gomor, haud cras, poſt mare ſeruent.

Primo mãdabatur recollectionis tempus, quia ſex diebus, & hoc mane, non veſpere: Sic & iſtud Sacramentum ſumitur in mane paſſibilitatis & gratiæ. *Secundo*, mandabatur ſufficiẽtiæ appetitus; quia mandatum fuit, vt ſufficienter colligerent: Sic in nulla re corporali poteſt eſſe ſufficientia, & quies appetitus, niſi in Chriſto. *Tertio*, mandabatur menſurationis terminus; vt, ſcilicet omnes colligerẽt ad menſuram Exod. 16. *gomor*; hoc eſt, non plus ſapere quam oportet; Rom. 12. Vel *gomor*, quoniam eſt menſura trium modiorum, ſignat Chriſtum; in quo ſunt tres ſubſtantiæ in vna perſona, ſcilicet, Deitas, Anima, Caro. *Quarto* notatur reſeruationis auſus; Mãdatum enim erat vt non relinquerent in craſtinum, alioquin vermibus ſcateret: Sic non debemus differre vſque ad craſtinũ futuri ſæculi, ſuſcipere Sacramentum; nec reſeruare ad quæſtum tẽporalium. *Quinto* notatur deſcenſionis tempus & locus, quia poſt tranſitũ mare, deficiente farina in deſerto, circa filiorũ Iſrael caſtra: Sic & noſtrum mãna cõmunicat ſe iſtis. *Sexto* notatur conſeruationis ritus, quia præceptum erat, vt implerent *gomor*; & conſeruarẽt in Tabernaculo; quia corpus Chriſti ſemper debet ſeruari ſacramentaliter in Eccleſia, & ſpiritualiter in corde Sacerdotis. Et hæç de conuenientiis mannæ, & Sacramenti.

SED licet in pluribus conueniunt, in multis tamen noſtrum Sacramentũ legale illud manna excedit, præſertim in iſtis,

Fons, mentis, viuunt, ſupra cælum, Deus iſtud.
Hoc purum, natis tantum, perducit olympum.

Primo inquam excedit, quia hic eſt origo, & fons gratiæ & vitæ, quæ nunquam fuerunt in manna. *Secundo*, quia manna tantum corporaliter reficit, ſed iſtud eſt cibus mentis. *Tertio* Ioan. 6. quia illud manducantes mortui ſunt, ſed qui manducauerit ex hoc pane viuet in æternum. *Quarto* quia illud manna de cælo, iſtud ſuper cælum. *Quinto* quia illud erat cæli, iſtud Deus Ioan. 3. cælorum: Nam qui de cælo venit ſuper omnes eſt. *Sexto*, quia hoc ſcaturiebat vermes in diem alterum, iſtud ab omni corruptione alienum. *Septimo* illud poſt tranſitum maris ſolis dabatur Iſraelitis; iſtud tantum baptiſmatis fonte renatis. *Octauo*, quia hoc populum per deſertum deduxit: iſtud per peregrinationem mundi, in cælum ſubuehit. Patet ergo, quod multipliciter hoc noſtrum manna præcellit. Vnde, & multo amplius à nobis in Quadragenario pœnitentiæ, in deſerto vitæ præſentis appeti, & excoli debet, quàm illud ab eis, vel deſiderabatur, aut colebatur. Illi in mundo, & aureo vaſe hoc reſeruabant, nos corde charitatiuo & puro hæc obſeruare debemus, vt ſic eius guſtum in patria percipiamus, præſtante Chriſto Domino noſtro. Amen.

Proſecutio tertiæ principalis figuræ, ſcilicet Agni Paſchalis. Notula III.

VT autem de tertia figura, quæ eſt de Agno Paſchali, pauca aſſignemus, nota quòd in illa multa præfigurantur,

Scilicet { Illud quod editur, / Fructus qui acquiritur, / Mod⁹, quo quis diſponitur. } id eſt { Chriſtus Ieſus. / Liberatio ab hoſtibus. / Comedendi modus. }

Creditur hoc agno Ieſus, vtilitas, modus eſca.

PRIMO enim in huius Agni qualitatibus, & de eo datis præceptis deſignabatur ipſe Chriſtus in iſtis,

Agnus, & anniculus purus, ſimul integer & mas.

Primo Chriſtus ſignatur in Agno, propter innocentiæ, patientiæ, obedientiæ, & effectus rationes.

Inſons, & patiens, parent, noſcens, bona tollens.

Eſt enim Agnus innocuum pecus, & Chriſtus totus innocens erat. *Secundo* patiens erat. Eſa. 53. *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & ſicut agnus coram tondente ſe obmuteſcet.* *Tertio* Patri obediens. Hier. 11. *Ego quaſi agnus manſuetus qui portatur ad victimam.* *Quarto*, dictus eſt agnus ab agnoſcendo, quia pendens in cruce,

Nouit { Deum Patrem, / Virginem Matrem, / Inuocantem latronem. } dicẽs { *In manus tu. &c.* / *Mulier ecce, &c.* / *Hodie mecum, &c.* }

Hinc in Euangelio, *Ego cognoſco oues meas, & noſcunt me meæ.* Ioan. 10. *Quinto*, dicitur Agnus, quia quicquid in Agno eſt, totum bonum eſt, & vſui humano commodum; Sic quicquid, ſiue quæcunque in Chriſto fuerant, totum in noſtrum bonum ceſſere, vt patet de carne, ſanguine, &c. *Poſtremo* ipſe eſt Agnus ille, de quo Baptiſta Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et Apocalyp. 14. *Vidi ſupra montem Sion Agnum ſtantem.*

SECVNDO Chriſtus, vt Agnus ille Paſchalis, eſt *anniculus*, id eſt, ſuper quem omnium cæleſtium luminum fuerant completæ reuelationes. Hic eſt enim annus perfectæ cæleſtis illuminationis, annus benignitatis diuinæ, de quo Pſalm. 64. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Vel anniculus erat, quia in perfectiſſima ætate, ſcilicet iuuenili, occiſus erat.

TERTIO dicitur de hoc Agno Exod. 12. *Erit Agnus ſine macula*, id eſt purus. Abſque omni peccati macula fuit Chriſtus, quia non eſt in 1. Pet. 2. ore eius inuentus dolus.

QVARTO præcipitur, quod totus & integer comedi debet, *Quia os non comminuetis ex eo,* Ioan.10. *& caput Agni cum pedibus & inteſtinis vorabitis.* Sic & Chriſti Caro, Anima & Deitas, ſub Sacramento veraciter eſt credendus, & in cruce crura eius (teſte Euangelio) non ſunt confracta.

Poſtremò de Agno illo legali dicitur,& *maſculus*; Et Chriſtus Agnus noſter, maſculini ſexus fuit,& in omni decore perfectus. Patet ergo, quod in illa figura, Sacramentum iſtud, iuxta illud quod creditur,eſt præfiguratum.

SECVNDÒ principaliter dicimus, quòd in hac figura ſignatur etiam fructus, qui ex Sacramento acquiritur,

Protegit,eduxit,redimit,duxitq́, reduxit.

Nam ſicut per ſanguinem Agni illius ſuper poſtes & liminaria intinctum,à deuaſtante Angelo protegebantur,de Ægypto educebantur, de ſeruitute redimebantur, per deſertum & mare deducebantur, in promiſſam terram, melle & lacte manentem inducebantur: ſic & per ſanguinem veri huius agni noſtri, in affectu & intellectu,& in frontibus fide & deuotione ſupertinctum, à diabolo protegimur, à tenebris Ægypti educimur, de ſeruitute peccati redimimur, iuxta illud 1.Pet.1. *Redempti eſtis pretioſo ſanguine agni immaculati*,&c.Iteque per huius virtutem ſanguinis, per deſertum huius vitæ Chriſti ſequentes tropheum, mari rubro diuiſo, & Pharaone ſubmerſo, id eſt, tentationibus internis, & externis ſuperatis, ſalui deducimur, poſtquam in terram viuentium, à Ieſu noſtro Saluatore deducimur.

TERTIO quoque in hac figura deſcribitur manducandi,& noſtræ diſpoſitionis modus.

Et tempus,locus & ritus,habitus,modus, eſcæ.

Primò deſcribitur tempus,quod erat,

Menſis primus, Luna quartadecima;
Dies decimus, Hora veſpertina;

In quibus omnibus,multiplex eſt abditus myſticus ſenſus, è quibus hic eſt vnus propoſito congruens aſſignandus.

Nam { Menſis primus, / Dies decimus, / Luna quartadecima. / Hora veſpertina. } ſignificat perfectam { Reformationem pœnitentiæ. / Obſeruantiã legis diuinæ. / Diligentiam operationis virtuoſæ. / Conſummationem perſeuerantiæ.

Et quia ſola perſeuerantia (iuxta Bernardum) inter cæteras virtutes triumphat; ideo licet in alijs tribus temporibus ſit quædam Agni præparatio;in ſola tamen hora veſpertina eſt eius ſumptio: quia ſemper ſumi debet in propoſito nunquam peccandi mortaliter. Quæ etiam veſpertina hora deſignat, quòd Sacramentum eſt nobis velatũ, iuxta illud Tob. 12. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt.* Et hęc de tempore.

Secundò deſcribitur etiam locus,quia in vna domo comedi debebat. In qua domo

Significatur { Eccleſiæ vnitas. / Proximorũ charitas. } contra { Hæreticos. / Rixoſos.

Tertiò innuitur etiam manducandi ritus, in eo quod præcipitur, quod nihil ſumetur crudum,nec coctum aqua,vel elixum, vel frixum; ſed tantum aſſum igni. Crudum ſumit, qui non cogitat quid ſumit aut recipit, & mentem diligenter non diſcutit. Elixum ſumit, qui mente terrena,& diſtracto affectu, humida, & inſipiditate tota quaſi aquea, ad Sacramentum accedit. Frixum ſumit,qui de hoc Sacramento præſumptuosè inquirit. Patet ergo

Quod { Crudũ, / Elixũ, / Frixũ. } ſumit { Deſidioſa diſcuſſio. / Accidioſa ĩdeuotio / Præſumptuoſa perſcrutatio.

Sed { Aſsũ & incenſum, / Intinctum } ſumit { Operoſa dilectio. / Lachrimoſa deuotio & gratitudo.

Patet ergo manducandi ritus.

Quartò notatur manducantium habitus,ſiue inſignia illorum.

Scilicet { Cingulus renum. / Calciamẽta pedum. / Baculus manuum. } ſignãs { Carnis & mentis munditiam. / Exemptorũ patrũ cuſtodiam. / Correctionis diſciplinam.

Renes enim accingere, eſt luxuriam refrenare. *Calciamenta* in pedibus habere, eſt mortuorum Patrum vitam inſpicere, & eos imitando, noſtra veſtigia à peccati vulnere cuſtodire. *Baculum* in manibus tenere, eſt iuſtitiæ rectitudinem & diſciplinam apprehendere, vt ſic dignè poſſimus de hoc Agno communicare.

Quintò denotatur in hac figura manducandi modus, de quo modo ſupra in ſcala poſuimus conditiones duodecim quæ poterunt hic applicari.

Sextò etiam deſcribuntur in hac figura eſcæ aliæ, & alia tria fercula in comeſtione huius Agni apponenda.

Scilicet { Lactucæ agreſtes. / Azymi panes. } ſignãtes { Dolorẽ de peccatis. / Intentionẽ rectã in operibus.
Agni sãguis } ſignans { Imitationem Domin. paſſ.

Quæ tria in comæſtione noſtri Agni Paſchalis, ſunt neceſſaria, quia oportet pro peccatis dolere, rectam intentionem habere, paſſionem imitari. Primum præparatione. Secundum in ſumptione, Tertium poſt. Hæc ſtrictim de figura Agni Paſchalis. Ex quibus liquet, quam abunda ſeries in figuris occultatur, ſi quis foret ruminans & diſcutiens eas. Harum itaque inſtar, & cæteras diſcutiamus, & mirabiliter reficiemur, & menſam plenam eſcis inueniemus.

§. 3. *De tertio principali, quomodo hoc Sacramentum ſit prophetatum.*

VII. IAM VLTIMÒ principaliter videndum, quomodo hoc Sacramentum ſit *prophetatum:* De quo nota, quod hoc Sacramentum prophetatum eſt,

Tum à { Fidelibus Prophetis.
Gentilibus Poëtis.

De ſacris Prophetis libri pleni ſunt:

Iob, Iacob, & Moyſes, Dauid, at Salomon, ſed & omnes:
Summi cum paruis, gentes magnalia fantur.

De hac eſca *Iob* c. 9. prophetauit, quando dixit: *Quaſi aquila volans ad eſcam.* Item Iob c. 31. *Si non dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus eius vt ſaturemur?* De hoc *Iacob* ait Gen 49. *Aſer, pinguis panis eius, & præbebit delitias Regibus.* Item Gen. 28. hoc prouidit, quando Dominum in ſummitate ſcalæ vidit. *Moyſes* quoque multipliciter de hoc prophetauit, vt in Exod. & Leuit. patet. De hoc dixit Deut. 4. *Non eſt alia natio tam grandis, quæ habet Deos appropinquantes ſibi; ſicut adeſt Deus noſter nobis.* Dauid quoque puer cythæredus, plura de hoc cecinit, vt in eius Pſalterio liquet. De hoc ait Pſal. 77. *Panem cæli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo.* Item Pſal 110. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum.* Salomon ſapientiſſimus de hoc non tacuit: Nam dixit Prou. 9. *Sapientia ædificauit ſibi domum, poſuit menſam, miſcuit vinum.* Item Cant. 5. *Comedite amici, & bibite,* &c. Et, vt in ſumma complectamur, omnes Prophetæ, à maiore ad minimum, in ſcriptis ſuis huius Sacramenti meminerũt. Eſaias c. 55. conuocat *ſitientes ad aquas;* Hieremias dicit de *Torta panis;* Commendat alter *frumentum;* meminit alter *eſca & potus;* alter extollit *placentam.* In quibus omnibus nihil aliud agitur; niſi quòd iſtud Sacramentum prophetatur. Qui plura volet ſcrutetur ipſe ſcripturas.

Oſeæ 2. Abac. 1. Pſal. 71.

SECVNDO, non modo à fidelibus; ſed etiam eſt Sacramentum iſtud præuiſum, (vt quidam volunt) à gentilibus Poetis. Plura enim de hoc Virgil. in Æneide, vt Proba collegit, canere videtur, vbi inter alia ſic ait.

Deuexo interea propior fit veſper Olympo:
Tunc victu reuocant vires, fuſique per herbam,
Et dapibus menſas onerant, & pocula ponunt.
Poſtquàm prima fames epulis, menſæq; remotæ,
Ipſe inter primos Genitor inſtaurat honores,
Suſpiciens cælum: tunc facta ſilentia linguis.
Dat manibus fruges, dulceſq; à fontibus vndas,
Impleuitq; mero pateram, ritusq; ſacrorum
Edocet, immiſcetq; preces, ac talia fatur.
Audite, ô proceres, ait, & ſpes diſcite veſtras.
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Promiſſiſq; Patris veſtra inquit munera vobis
Certa manent pueri, & palmam mouet ordine nemo.

Ecce hic apertè loquitur de hora cœnæ, de typico paſchate celebrato, & nouo Sacramento inſtituto, &c. Commemorat in hoc modum Seneca in quadam tragœdia, &c. Similiter & alij quidam; Sed quoniam nos Chriſtiani ſumus, ſatis eſt gentilium dicta commemoraſſe, præſertim cùm à plæriſque hęc non propheticè dicta æſtimentur, ſed tantum à Poëtis Chriſtianis accommodata. Et hæc de buccella prima ferculi huius.

MEMBRVM II.

De huius Sacramenti ſubſtantialibus.

ALTER huius ferculi morſellus intelligentiæ ruminandus, eſt, conſideratio de huius Sacramenti ſubſtantialibus, quæ ſunt quattuor, iuxta Hugonem, VIII.

Ordo, vel intentum, quæ forma, aut materies quæ.

Quæ quattuor ſunt ad ſacramẽtum neceſſaria, de quibus ſingulis pauca ſunt perſtringenda.

§. 1. *Primum ſubſtantiale, ordo Sacerdotij in miniſtro.*

PRIMVM ergo eſt *Ordo*, id eſt, quod conſecrans ſit ſacerdos. Nam nulla creatura altera in cælis, aut in terris, poteſt hoc ſacramẽtum ritè cõficere, niſi ſacerdos ritè ordinatus. Vnde patet eius dignitas maxima. Verba enim huius ſacramenti habent virtutem operantem in conuerſione panis & vini, non tamen ſecundum ſe, & abſolutè; ſed per relationẽ ad ipſum ſacerdotem, inquantum inſtrumentum idoneum. Verbũ autẽ Damaſceni, quo dicit, quod ſola virtute Spiritusſancti fit conuerſio panis, intelligendum eſt, quod dictio excluſiua, ſcilicet *ſola*, adiuncta principali agenti, nõ excludit agens inſtrumentale. Non enim ſequitur ſolus faber facit cultellum; ergo martellus nihil ad hoc operatur. Virtus enim inſtrumẽti non eſt, niſi quædam redundantia principalis agentis. Offert hic ſe magnus quæſtionum cumulus, puta de hæreticis & abſciſis ſacerdotibus, & alijs multis, ſi conficere poſſint, ſi eorum ſacrificium tantum, quantum aliorum, valeat; ſi horum miſſas audire liceat; quantaque mala huiuſcemodi Miniſter incurrat: Sed ſuper his ad Doctores remittimus; ſat ſit, quod materiam ſuper his meditandi aſſignamus, qui ad ea, quæ deuotionis ſunt, properamus.

§. 2. *De ſecundo requiſito, ſcilicet de intentione.*

SECVNDÒ requiritur *intentio* ſacerdotis, vel generalis, vel ſaltem ſpecialis. Generalis enim intentio eſt neceſſaria & habitualis; non ſic intentio actualis: vt quando mens in verbis conſecrationis rapitur ad alia, &c. Tenetur tamen quis, quantum poteſt, intendere verbis conſecrationis. Et nota, quod non ſolum requiritur intentio conſecrantis, ſed etiam ſacramentum illud inſtituentis: Vnde non conficeret, ſecundum plurimos, qui ex ludibrio in foro ſtaret, & omnes panes illic exiſtentes conſecrare intenderet: quia Chriſtus hoc non intendit, nec hoc mos Eccleſiæ habet. Hinc oportet intentionem dirigere actualiter, vel habitualiter, ſecundum morem Eccleſię, & ſecundum quod Chriſtus inſtituit. IX.

Occurrunt

Occurrunt & hic numeroſæ quæſtiones, quæ paſſim habētur in Doctorum ſcriptis, & quoniam ſubtiles ſunt; ideo de eis ſuperſedemus.

§. 3. *De tertio requiſito, ſcilicet, de forma verborum.*

X. FORMA quoque verborum congrua, *tertio* requiritur; quia ſi quis aliquid diminueret de his, quæ ſunt de eſſentia & integritate verborum, non conſecraret. Et quoniam duplex eſt forma; ideo de vna quaque videndum eſt ſingulariter. Eſt & hic copioſa materia, ſed magis ſpeculatiua, quàm affectuoſa, tamen nonnunquam cum reuerentia, & admiratione ad memoriam reducenda & meditanda; præſertim à Sacerdotibus; quoniam horum ignorantia eſt ipſis ſatis periculoſa. Quærit igitur Albertus, in ſuo de Corpore CHRISTI, circa formam panis, iſta

Scilicet
- Quæ ſit forma, qua conficitur.
- Qua virtute hæc operetur.
- Vnde virtus illa tranſſubſtantiandi trahitur.
- Quomodo ab aliis Sacramentorum formis ſegregetur.

Quæ, qua virtute, ſimul, vnde trahat, quoque diſtet.

Hæc pulchrè ad plenum Doctor dictus diſcutit, ſingula verba dente profundę inquiſitionis terit. De his quoque alij multa in ſuis ſcriptis dicunt. Similiter & formam, quæ ſuper vinum dicitur, ille idem diſcutit, & circa eam hæc quærit,

Scilicet
- Quæ ſit forma; & quomodo intelligitur.
- Vnde coniunctim cum forma panis traditur.
- Quare non planè ſicut forma panis traditur.

Hęc ibi ad fundum vſque reſoluit. Sed & alij Doctores multa alia inquirunt.

§. 4. *De quarto requiſito, ſcilicet de huius Sacramenti materia.*

XI. NVNC POSTREMO inquirendum eſt de huius Sacramēti materia, circa quam etiam abunda ſe offert ſpeculationis pariter, & deuotionis materia,

Scilicet
- Ad quid oportet eſſe materiam:
- Quæ ſit materia iſta.

DE PRIMO dicimus, quod oportet in Sacramento eſſe corporalem materiam, ob cauſas multas.

Vt ſignum doceat, humilis, noſcas, opereris.

PRIMA CAVSA ſumitur de ratione Sacramenti, quia cum, Auguſtino teſte, Sacramentum ſit inuiſibilis gratiæ viſibile ſignum; & quoniam viſibile ſignum non poteſt eſſe niſi in viſibili corpore: ideo oportet, quia Euchariſtia eſt Sacramentum, vt habeat viſibile ſignum & elementum. Et hæc eſt cauſa prima, *ad eruditionem*, vt ſcilicet doceat ordinata. Quia ex viſibili elemento & proprietatibus erudit nos Dominus, quid conferat inuiſibilis gratia in Sacramento. Nihil enim eſt in intellectu, niſi quod prius fuit in ſenſu, ſecundum Philoſophum. Et Apoſtolus Tit. 11. *Apparuit gratia Saluatoris omnibus hominibus erudiens nos.* Ad hoc enim viſibilia ſigna Sacramenta inſtituit, vt erudiamur de gratia quam ipſe in nobis in Sacramento efficit. Nam & ad hoc ipſe Chriſtus (vt Gregorius ait) viſibilis factus eſt, vt ex viſibilibus ad inuiſibilium amorē raperemur. Hinc etiam viſibilibus formis Patribus apparuit, vt ſic in notitiam eius, qui eſt inuiſibilis, aſcenderent. Propter quod dicitur apud Danielem c. 10. quod *intellectu opus eſt in viſione:* quia per intellectum oportet corporea ad ſpiritualium acceptionem comparare. Et ob hoc dicit Auguſtinus, quod Sacramentum præter ſpeciem corporalem, quam ingerit ſenſibus, aliud facit in notitiam venire. Ex quo patet, quod oportet hominem Sacramenta diligenter conſiderare, ſi bene paſci volet.

ALTERA cauſa ſumitur ex inſtitutione Sacramenti, & eſt Hieronymi: Dicit enim quod Sacramentum ideo materialem & corporalem materiā habet, *propter hominis humiliationem;* vt qui ſuperbiendo à Deo receſſit, ſubiectus corporali elemento, ſalutem quæreret in eo in quo amiſit; vt ſicut per cibū cecidit, ſic per cibum hunc reſurgeret. *Humilibus* enim *dat gratiam Deus.* 1. Pet. 5. Hinc Prou. 9. *Venite, comedite panem meū, & bibite vinum, quod miſcui vobis:* Quia in corporali cibo vitam perdidiſtis, ideo corporalem cibum paraui vobis, in quo vitam inueniatis.

TERTIA cauſa ſumitur ex *imperfectione hominis*, in vſum gratię Sacramentalis, quam tangit Dionyſius: Quia (ſicut dicit) *impoſſibile eſt nobis lucere diuinum radium, niſi ſacris velaminibus circumuelatum;* Eſt enim homo materialem valde habens intellectum, qui ideo, quod coniungitur ſenſui & imaginationi, parum, vel nihil accipere poteſt ſpiritualium, niſi in ſimilitudine corporalium illa ſibi proponantur. Hinc Sapientiæ 9. *Cogitationes mortalium timidæ & incertæ prouidentiæ noſtræ. Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam,* &c. Vt ergo, quæ neceſſaria ſunt nobis, cognoſcamus: conueniens fuit nos doceri ſub ſimilitudine rei corporalis; Gratiam enim ſpiritualis refectionis ſine ſimilitudine homo carnalis non intelligeret, vt Gregorius ait. Et ideo ſpirituale terrenis rebus ſimile eſſe dicitur, *quatenus ex his, quæ animus nouit, ſurgat ad incognita, quæ non nouit, & per ea quæ vſu didicit, diſcat amare quæ neſcit.* Vnde huius Sacramenti ſymbolum, eſt ſcala Iacob ad diuina perducens. Gen. 28.

POSTREMO ideo quoque ſe ſub viſibili materia exhibuit, vt iuge exercitium, quo occupareris, ſemper haberes ſalubriter; otium euadetes, & exemplum proximis dares. Quid enim exercerent Sacerdotes, ſi non eſſent ſpecies Sacramentales? Hæc de cauſis &c.

SECVNDO vidēdum, quę corporalis elementi ſubſtantia, huius Sacramenti ſit materia: Et ſunt hæc, XII.

Panis materia eſt, cum vino vitis, & vnda.

Duę principales materię, ſcilicet panis & vinū,

 ſunt

ſunt de neceſſitate; aquæ verò appoſitio, de congruitate, vt patebit infrà. Quod autem panis & vinum ſint propria, & magis congrua materia patet ex his.

Promptus, opus, mundus, totus, ſignatio, ſcripta. *Primo*, quia hęc duo inueniuntur communius, & habentur promptius, quia omni loco & tempore facilè deferuntur; vt ſic, ſecundum Damaſcenum, per ea, quæ ſunt ſecundum naturam conſuetam; in quibus conſeruatur, ad ea quæ ſunt ſupra naturam, anima transferatur.

Secundo opus, id eſt, quia hæc duo operantur efficacius. Nam ſicut panis, præ cæteris cibis, corpus ſuſtentat & reficit; & vinum præ cæteris potibus, hominem lætificat, & allicit; ſic caro Chriſti, & ſanguis eius. Pſal. 103. *Panis cor hominis confirmat, & vinum lætificat cor hominis.*

Tertia cauſa eſt *mundus*, id eſt, quia hæc duo tractantur mundius, diuiduntur facilius, ab omnibus ſanis & infirmis ſumuntur conuenientius; Itemque cuſtodiuntur commodius, in ſignum, quod omnia hæc mundi geruntur.

Quarto totus, quia hæc duo integrantur vtilius: Nam corpus alit panis; & vinum lætificat mentem, & exhilarat cor hominis.

Quinto, quia hæc duo figurant myſtica conuenientius, & paſſionem Chriſti figurant, & repręſentant expreſſius. *Primò* inquam *myſtica figurant conuenientius*; nam deſignant hæc duo fidelium vnitatem intimius, quia ſicut ex multis granis conficitur vnus panis, & ex pluribus racemis vinum confluit: ſic ex multis perſonis fidelium vnitas Eccleſię conſtat. *Paſſionem* quoque Domini *repræſentant expreſſius*, quia grana in area conculcantur, & in fornace panis decoquitur, & vinum in torculari exprimitur: ſic & corpus Chriſti ardenti fornace paſſionis excoquitur, & ſanguis eius clauis & lãcea extorculatur.

Poſtremo ſcripta, quia hæc duo Scriptura coniungit, & commemorat crebrius, vt in eius diſcurſu patet. Hinc Iſaac Gen. 27. *Frumento, & vino, & oleo ſtabiliui eum.* Vinum & frumentum ad corporale & ſpirituale nutrimentum, oleum ſignificat Sacramẽtalis gratiæ effectum. Item Deuteronom. 33. *Oculi Iacob in terra frumenti, vini, & olei.* Pſalm. 4. *A fructu frumenti, vini & olei.* Zach. 9. *Quid eſt enim bonum eius? aut quid pulchrum eius? niſi frumentum electum, & vinum germinans virgines*, id eſt, virgineas mentes? & alijs in locis. Hæc de ſpeciebus in communi; ſed iam de ſingulis in ſpecie.

Quod panis de frumento eſt neceſſarius.
Notula I.

XII. PRIMO igitur conuenientiſſima materia eſt panis de frumento, & non debet confici, niſi de pane triticeo. Primo panis conuenientior materia propter iſta,

Hic Typus, hic Signans, Similis, Cauſans, nec in altero.

Primo Typus, id eſt, ratione præfigurationis. Nam veritas debet concordare figuræ, vel potius figura veritati. Sed omnia genera panum oblatorum in lege, erant triticea, ergo. Vnde & ſolo grano frumenti ſe Dominus comparauit, dicens Ioan. 12. *Niſi granum frumenti cadens in terram*, &c.

Secundo Signans, quia eſt ad ſignanda myſteria Sacramenti conuenientior: Panis enim optimè ſignificat myſtici corporis vnitatem: Nam in pane triplex vnio reperitur, per quam triplex fraternitatis vinculum deſignatur: Nã *primo* grana molibilia ad ſibi ſimilia coniunguntur, quę vnio ſignificat fraternitatem, & amorem naturalem, qua omne animal diligit ſimile ſibi, & omnis homo diligit proximum ſuum. *Secundo* farina per aquam conſpergitur, Eccli. 15.
& paſta conficitur; & ſignant vnionem Sacramentalem, qua vno baptiſmate ſumus generati. *Sitis noua conſperſio ſicut eſtis azymi.* *Tertio* vt ſolidus fiat panis, igne decoquitur, ſignat 1. Cor. 5.
vnionem ſpiritualem, quia vno ſpiritu ſumus congregati: De qua dilectione dicit ipſemet Dominus Ioan. 14. *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Aug. *Non autem carnalis, ſed ſpiritualis inter vos debet eſſe dilectio.*

Tertio panis eſt conuenientior materia, quia Chriſto paſſo ſimilior, & ad ſignandum corpus eius, & paſſionem magis idonea. Nam ſicut ex pluribus granis fit vnus panis, ſic ex pluribus puris membris, conſtat Chriſti corpus. Hinc Cant. 7. *Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus lilijs.* Et antequam perficitur, cribratur, laboratur, & decoquitur; ſignans Chriſti paſſionem.

Quarto ad effectus Sacramenti ſignandos eſt efficacior: Nam ſicut panis tria in genere facit,

Scilicet	Confortat,	ſic Sacramẽtũ ãgit ad	Peccatum dimittendum.
	Satiat,		Mundum fugiẽdum.
	Cõſeruat vitam,		Deũ ſemper laudandum.

Quinto nec in alio, quam triticeo pane conſecrare licet, vel conuenit: Nec debet fieri in pane fermentato, quia hoc non habet conſuetudo Eccleſiæ, ſaltem Romanæ. Et in azymo Chriſtus inſtituiſſe creditur, & hoc ratione ſuæ ſingularis ſimplicitatis, quia in Chriſto omnia bona ſunt modo indiuiſibili; & quia puriſſimus eſt, hoc & ſcripturæ conformius. Dicitur enim Leuit. 11. *Omnis oblatio Domini abſque fermento fiat.* Veruntamen ſiquis in fermentato conſecraret, grauiter quidem peccaret; verè tamen, vt multi Doctores dicunt, cõſecraret. Et hoc de Sacerdote Latino dico. Græci enim adhuc (vt olim ferè tota Eccleſia Orientalis) in fermentato conſecrant, & verè conſecrant. Nec ſuper hoc à B. Gregorio in ſuo Regiſtro, vbi de hac materia ſcribit, reprænduntur; imò magis, & illorum, & Latinorum conſuetudinem & ritum approbat B. Thomas, ita vt ſi aliquis Græcorum Sacerdotum in azymo conſecrare præſumeret, grauiter peccaret.

De

De vino. *Notula II.*

XIIII VIſo de pane, videndum eſt de *vino*. Pro quo nota, quod vinum de vite, eſt propria materia huius ſacramenti, quod patet ex ſequentibus,

Comparat, inſtituit, verum, commune, vel aptū.

Ioan. 15. PRIMO inquam ratione comparationis; quia
Oſee 14. Chriſtus ſe viti comparauit dicendo, *Ego ſum*
Matth 26 *vitis vera*, Itemque. *Memoriale eius ſicut vinum*
Mar. 14. *Libani*. SECVNDO ratione Dominicæ inſtitu-
Luc. 22. tionis, qui in cœna ſic inſtituit, vt in Euangelijs patet. TERTIO ratione veritatis, quia vinum de vite, eſt propriè vinum, alij autem liquores vinum ſimilitudinariè dicuntur: *San-*
Ioan. 6. *guis* autem *Chriſti verè eſt potus*. QVARTO, ratione communitatis, quia vinum de vite communius in vſu habetur, & apud plures inuenitur. Ne igitur deſiderabilis Chriſti ſanguis cuiquam deeſſet, in tali potu commendauit. POSTREMO, quia vinum eſt ſolum naturalis, & conueniens potus hominis, & eius naturæ. Quære ſupra in nomine potus.

De appoſitione aquæ in Sacramento. Notula III.

XV. IAM POSTREMO videndum eſt de appoſitione aquæ, quæ licet non ſit vnum de ſubſtantialibus, eſt tamen de congruo apponenda. Circa cuius appoſitionem licet multa conſideranda occurrant, deuotiora tamen ſolum ſunt proſequenda. Poterunt enim hic conſiderari,

Aquæ	Neceſſitas,
	Congruitas,
	Proprietas,
	Conuertibilitas.

Quæ Reynerius proſequitur in ſua pantheologia, dicens, quod appoſitio aquæ non eſt de neceſſitate Sacramenti, vt probat ratione, ſui conditione, inductione, vt patet ibi. De aquæ proprietate dicit, quod non refert quæcunque aqua apponatur, dummodò ſit talis, quod poſſit conuerti in vinum. Non tamen artificialis apponenda, quia grauiter peccaret, qui contra Eccleſiæ inſtitutionem faceret.

Porro de quantitate & conuertibilitate aquæ, notandum, quod tanta eſt aqua apponenda, vt poſſit in vinum conuerti, & non tollere vini ſaporem, vt ſignet coniunctionem humanæ naturæ, quæ eſt inſipida, cū Chriſto, qui ſaporem gratiæ communicat, & ſuum non perdit. Et quia ponitur ad ſignandum tantum, ideo minima quantitas ſufficere poteſt. Tantum enim ſignificat vna gutta, quantum mille amphoræ, aut totum mare, & ideo nullum periculum eſt, in parum ponendo; ſed bene in multum ponendo.

FIT autem appoſitio aquæ propter quatuor rationes,

Transformat, nihilans, delectans, vnit, & vnda.

PRIMO ratione transformationis, ad ſignificandum, quod non debemus manere in volūtate noſtra, & quod Chriſtus non mutatur in nos, ſed è contra. SECVNDO ratione annihilationis, quia ſignificat mortalitatem noſtram annihilandam virtute paſſionis Chriſti. *Abſorpta eſt enim mors in victoria*, 1. Cor. 15. Item Coloſſ. 3. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto*. TERTIO ratione delectationis, quia populus, ſicut aqua de ſe eſt inſipida, id eſt, ſine deuotione & delectatione; ſed efficitur ſapidus Chriſto coniunctus. QVARTO ratione vnionis, qua gentes erant iungendæ Eccleſiæ fidelium de Iudæis. Sunt aliæ rationes quinque.

Inſtituit, ſapit, effluxit, cauſans, aqua ſignat.

PRIMO ratione inſtitutionis, quia probabiliter creditur, Dominum appoſuiſſe aquam, iuxta morem patriæ, ſecundum illud Prouerb. 19. *Bibite vinum, quod miſcui vobis*. SECVNDO ratione præfigurationis: Infectio enim originalis peccati ſignificatur per lepram, ad cuius curationem, vt habetur in Leuitico, hæc concurrebant, ſcilicet *duo paſſeres*, & duæ in Chriſto Leuit. 14.
naturæ, quarum vna euolat, ſcilicet diuina, alia immolatur, ſcilicet humana; *Lignum cedrinum imputribile. Hyſopus*, id eſt, puritas, *coccus*, id eſt, charitas; *Aqua viua*, ſignificans aquam de latere Chriſti; *Septies aſperſa*, ſignificans vniuerſalem applicationem. Hoc etiam ſignatum
eſt, *In aqua expiationis*, qua omnia, quæ in Ta- Num. 19.
bernaculo erant, & ipſum Tabernaculum ex-
piabatur. Vidit etiam Propheta *aquam egre-* Ezec. 47.
dientem de templo, quam aſpergimus, quando deuotè paſſionem commemoramus. TERTIO *Effluxit*, id eſt ratione effluxionis: Qua, cùm Chriſti latus apertum, profluéret Sacramenta, *exiuit* non ſolum *ſanguis*; ſed & cum ſanguine *aqua*, vt teſtatur Ioannes c. 19. *Continuo inquit exiuit ſanguis & aqua*; vnde Ioannes de Garlandia,

Iungitur vnda mero, fundit vtrumque latus;

Chriſti, ſcilicet. QVARTO cauſans, id eſt, ad effectum ſignificandum, quia in aqua magis eſt vis expiatiua, & in ſanguine pretium redēptionis. Et quia in Sacramento vtrumque eſt, ſcilicet expiatio & redemptio; ideo vinum cum alio debet commiſceri. Ezechiel. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mūdabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*. Hæc eſt aqua, quæ vt dicitur Ezech. 37. *Egreſſa de templo* corporis Chriſti *à latere dextro, omnia, ad quæ venit*, mundauit, purificauit, & *viuificauit*. POSTREMO ſignat, id eſt apponitur aqua vino, ratione multiplicis ſignificationis. Nam per hoc

Deſignat	Mutua vnio,	ſcilicet	Chriſti, & populi.
	Superna dilectio,		Redēptoris, & redempti.
	Perfecta ſaluatio.		A culpa, & pœna.

Potiſſima autem ſignificatio eſt, *populi cum Chriſto coniunctio: Aqua enim multa multi populi ſunt*. Hinc Chryſoſtomus: *Sunt quidem homines inſipidi, in nullo ab aqua differentes, hos adducamus ad Chriſtum, & ad ſaporem cæleſtem per Chriſtum*
mutabuntur. In cuius ſignum Chriſtus mutauit Ioan. 2.
aquam in vinum. Et de aqua hæc ſatis ſint. Et de omni materia Sacramenti.

illud Eſaiæ 45. *Tantum in te eſt Deus, & non abſque te eſt Deus, Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Saluator*, omnibus, ſcilicet ſalutis cibum miniſtrans in hoc Sacramẽto. Sic ergo, tanquã in nexu quodã, continetur in Sacramẽto. Quis quæſo hęc iamperpendens, vnquam poterit à tẽplo, vbi tali modo cõtinetur Deus, ſeparari?

MEMBRVM III.

De tertia buccella, ſcilicet de circunſtantijs inſtitutionis.

XVII. MIſericors & miſerator Dominus: eſcam *dedit timentibus ſe*, Pſal. 110. TERTIA buccella huius ferculi eſt, de circunſtiarum inſtitutionis Sacramenti congruentiis. Vbi hæ circunſtantiæ concurrunt conſiderandæ,

Quis, cur, quando dedit, quibus, & quid, quomodo cernas.

§. 1. *Perſona inſtituentis.*

PRIMO conſideranda eſt perſona inſtituẽtis; quis, ſcilicet inſtituit illud Sacramentum. Et hanc perſonam deſcribit nobis Pſalmiſta in verbis præſcriptis, quia *miſericors & miſerator Dominus*. Vbi innuuntur duæ proprietates inſtitutoris, *pietas*, ſcilicet & *poteſtas*. Nam vt tale Sacramentum inſtitueret, oportuit, vt moueretur pietate, & exequeretur poteſtate: Quorum neutrum potuit deeſſe huic auctori. *Poteſtas* deſcribitur, cùm *Dominus* dicitur; cui cùm voluerit poſſe ſubeſt: Cuius poteſtas manifeſtè hic relucet, ſicut quando naturam condidit, qui hic eam tam potentiſſimè in ſeipſum conuertit. *Pietas* innuitur cùm miſericors & *miſerator* dicitur; De cuius pietate, quanquam ſupra pauca ſint tacta; ſunt, & hic paucula aſſignanda. Magnæ neceſſe eſt eum fuiſſe pietatis, qui tale donum impendit; in quo, & ſe noſtrum fecit Sacerdotem, Hoſtiam & Sacrificium: *Noſtrum* inquam *ſacerdotem*, quia preces & hoſtias pro nobis obtulit, & nos Deo ſua meditatione reconciliauit; *Hoſtiam* quoque ſe *noſtram* fecit, etiam ſecundum omnia genera oblationum; quorum octo, infrà in Scala Paſſionis Dominicæ aſſignantur, quæ omnia in hoc Sacramento continentur; *Sacrificium* quoque noſtrum ſe fecit; dum ſe tam plenè pro nobis expoſuit. Vbi nota ſecundum Vbertinum, quod omnis illa expoſitio, qua ſic Chriſtus ſe ineffabiliter expoſuit, exterius in Hoſtiam, & Sacrificium, tam in iſto benedicto Sacramento, quàm in crucis patibulo, eſt ſignum illius ineffabilis expoſitionis, & ſacrificationis, qua ſeipſum iugiter immolauit pro nobis, in templo latiſſimo cordis ſui, in quo ſeipſum obtulit ab inſtanti conceptionis ſuæ, vſque ad horam mortis, modis ineffabilibus omni menti creatæ. Et ideo tota eius vita, vna fuit ſolenniſſimà Miſſa; in qua ipſe Templum & Altare, Hoſtia & Sacerdos: Quæ miſſa tanta ſolennitate ab omnibus potentijs mentis, vel animæ Chriſti, & ab omnibus præcordiis charitatis eius eſt decantata, vt in ipſa virtutem accipiat omne ſacrificium noſtrũ. Vnde quiſquis ſalubriter volet celebrare, nitatur hoc ſanctiſſimum templum cordis benedicti Ieſu intrare, & ipſi ſummo Sacerdoti, & ardentiſſimæ ſuæ charitati ſe coniungere; quia in eius charitate & oblatione omnis noſtra charitas & oblatio conſecratur. Mirum ſi ſic ingrediẽs poterit eſſe tanta frigiditate gelidus, quod non ſtatim reſoluatur in lachrymas, & totus inflammetur ab ardore fornacis, quæ tota ardet igne Spirituſſancti.

MISERICORS ergo, & *miſerator*, huius fuit inſtitutor Sacramenti. Qui etiam in Hebræo, non tam *miſericors* à ſenſu miſeriæ; ſed *Rahum* à Matrice, quaſi Matricius dicitur. Et hoc non ſine gratia grandi, grandiq́ue myſterio; vt ſcribit quidam Doctor, Hebreæ linguæ peritus, voluit Spirituſſanctus; vt ſupra miſericordiam, non ſolum miſericorditer, ſed & maternè nobis affectum Deum, & ſollicitum noſtri confidamus. Dicitur per Eſaiam c. 49. *Si poteſt mater obliuiſci filium ſuum*; Et quo impulſu tangat argumentum, ſubdit, *Infantem vteri ſui*; Vbi in Hebræo Raham, hoc eſt matricis vocabulum ponit. Et vt ſciamus maternos affectus, comicos & perſonales eſſe, ſubiungit: *Et ſi illa obliuiſcitur; ego tamen tui non obliuiſcar*. Quia non picta, non deriuata maternitas eſt; ſed natiua fontalis; vnde *omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur*. Et vnde matribus materna verba, maternæ cohabitationes, materna ſtudia, niſi ex maternis deſiderijs, & amore materno? At maternus amor, vnde matribus, niſi ex matrice? Quo igitur intimius naturæ radicatum ſignificaret amorem, non ſatis erat Spiritui ſancto maternum dicere, niſi matricium nominaret. Vniuerſos enim ſanctæ ciuitatis illius futuros, aliquando matrice ſua concepit, confouit, coagulauit, coaluit, plaſmauit, figurauit, formauit, viuificauit, auxit, pręgnauit, grauidauit, portauit, parturiuit, laborauit, peperit, inuoluit, reclinauit, geſtauit, lactauit, balneauit, nutriuit, educauit, duxit, erudiuit, inſtituit, docuit, traxit, incitauit, deſiderio igniuit, ſuperincendit, amore inflammauit. Notentur hæc triginta duo verba, ſignentur myſteria, quoniam verè ſunt optima deuotionis incitamenta. An non maternus tibi videtur erga nos affectus? quando tam de nobis alendis, vt ſeipſum in cibum daret, fuit ſollicitus? O viſcera materna! lactat mater paruulum de ſuo ſuperfluo; Ieſus fœtus ſuos alit carne, & ſanguine proprio. *Miſericors ergo & miſerator.* Hæc de primo.

רחום rahhum *eſt miſericors.* רחם rahham; *eſt matrix: ab eadem radice.*

Ephes. 3.

Pſal. 110.

§. 2. *De inſtitutionis cauſalitate, &c.*

XVIII. NVNC de altera *circunſtantia*, ſcilicet *cur hoc* Sacramentum inſtituerit, eſt inquirendum: Poteſt autem quæri, Cur, id eſt,

Qua { Neceſſitate, Congruitate, Cauſalitate ſit inſtitutum.

DE PRIMO, id eſt, de huius *Neceſſitate*, ad longum Albertus, vbi ſupra, diſputat, & multorum opiniones reprobans; tandem in hanc ſententiam venit, quod neceſſitas inſtitutionis huius Sacramenti, eſt meditatio contra peccatum,

Digitized by Google

tum, & contra defectum peccati, quem incurrit homo, ex longa abſtinentia cibi ſpiritualis; Et contra hunc defectum nullam aliam propriam, & eſſentialem medicinam habemus, niſi iſtam, quæ per ſe eſt cibus ſpiritualis (vt patet ſupra) in medicinam inſtitutus. Pſal. 106. *Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.* Vnde quiſquis volet plenè ſanari, oportet vt vel actu, aut ſaltem affectu, Sacramentum hoc ſumat. Non enim actu eſt neceſſarium; ſed voto ſemper deſiderandum, & ſuo tempore non contemnendum, etiam actu.

SECVNDO, hoc Sacramentum inſtituere, & ſub eo contineri *decuit* Chriſtum ob iſta,

Gratus, amor, reddat, iungat, paſcat, ſtatus hoc vult.

Primo enim gratitudo animæ Chriſti requirit, vt ſicut Deus Pater Omnipotens tam incomparabilem ei gratiam præſtitit; ſic Chriſtus, vt homo, omnem reuerentiam, honorem & gloriam, quam poteſt, Deo Patri, imò toti Trinitati rependat. Hoc autem conuenientius, atque perfectius nequit, niſi, vt ſicut ſemel ſe pro hominibus obtulit Patri in cruce in pretium: ſic quotidie velit, & faciat ſe immolari Deo Patri in Altari, per ſacrum myſterium. Nempe vt in cruce ſe offerens, honorem Deo ſublatum reſtituit eidem, tanta pro noſtris patiens culpis: ita in quotidiano miſſę officio idcirco offertur, vt diuina Majeſtas ſummè in omnibus magnificetur, benedicatur, & adoretur; noſtra quoque peccata deplorentur, ac deleantur; diuina inſuper beneficia memorentur, & peccatores Deo reconcilientur. Denique tanto quis magis Deum honorare cenſetur, quanto eo pretioſiorem obtulerit hoſtiam, dummodo ex digna id deuotione efficiat, vt patet in Abel, & in Malachia: Nónne ergo Saluator Ieſus, vt homo per hoc potiſſime Deum inceſſanter honorat, quod tam ſuperdigniſſimam corporis & ſanguinis ſui hoſtiam, Deo Patri iugiter omni die, immolari inſtituit, iuſſit, & fecit? *Geneſ. 4. Malach. 3*

Secundo Amor Domini Ieſu erga nos hoc exegit. Si enim ritè perpendimus, quantum nos (Filius Dei) ſecundum diuinitatem increato dilexit amore: non iam inordinatè mirabimur, ſed dulciter contemplabimur, quod in Sacramento nobis taliter copulari dignetur. Eatenus quippe dilexit nos, vt noſtram ſibi hypoſtaticè naturam vniret, noſq; ad ſuæ deitatis beatiſſimam fruitionē perduceret: Quid itaque mirum, ſi nunc per corporis & ſanguinis ſui veritatem, adſit nobis velatus in via; quos ſua ſupereſſentiali deitate, ſibi clarè coniungere reuelatus decreuit in patria?

Tertio Reddat, id eſt, ex quo Chriſtus noſtram aſſumpſit naturam, decentiſſimum fuit, vt, quod de noſtro accepit, in noſtram ſalutem conuerteret, omni modo poſſibili, magiſque perfecto, charitatiuo & liberali: Hoc autem aptius non valet impleri, quam vt indeſinenter pro nobis Deo in miſſarum ſolennibus immoletur; ac demum à nobis ſpiritualiter manducetur; & ſuæ paſſionis meritum noſtris mentibus per Sacramentalem præſentiam applicetur.

Quarto Iungat, Æſtuantiſſimus præterea ad nos amor Domini Saluatoris id exigit, vt intimè nobis adſit, & pleniſſimè, quātum in ſe eſt, prouideat, auxilietur, atque medelam impendat: Quod totum eminentius fieri non valebat, quantum ſpectat ad viatores, quam per perſonalem in Sacramento præſentiam, oblationemque indeſinentem; quia per hoc potiſſimè peccata abſoluuntur, diuinæ gratiæ chariſmata adipiſcuntur, ſempiterna fælicitas obtinetur.

Quinto Paſcat, Quoniam eius eſt de nutrimento prouidere, qui voluit condere: De qua ratione plura ſunt dicta; Et quia ſumus in labore continuo, ideo ſpirituali quotidie egemus cibo.

Poſtremo Status hoc vult, hoc eſt, Euangelicæ legis perfectio, & ſtatus gratiæ reuelatæ id exigunt, vt nunc in plenitudine temporis offeratur de cælo hoſtia munda, placida, per ſe acceptabilis & finalis, faciens quod deſignat, atque in genere Sacramentorum talis per eſſentiam, qualia fuerunt alia ante legem, ſub lege, & nunc quoque poſt legem ſunt, per participationem: Hoc autem eſſe non poteſt, niſi corpus & ſanguis Saluatoris, aut ipſemet Chriſtus; ergo congruit valde. Hæc partim ex Dionyſio Carthuſiano, quorum contemplatio multum deuota eſt, ideoque crebro ad mentem reducenda.

PORRO de *inſtitutionis cauſalitate* ſupra 12. ſunt rationes aſſignatæ in ſcala communionis.

§. 3. *De tertia circunſtantia, ſcilicet temporis congruitate.*

TERTIA circunſtantia eſt *temporis congruitas*, ſcilicet quando dedit: Circa quam conſidera XIX.

Quare { Non ante inſtituit in noua lege, In fine vitæ dedit, Imminente paſſione in cœna cōfecit. }

DE PRIMO nota, quod non inſtituit tempore legis naturæ, quia non potuit inſtitui hoc Sacramentum, ante Verbum incarnatum; Nō etiam tempore legis ſcriptæ, quia lex timoris & amoris non compatiuntur ſe ſimul reſpectu eiuſdem: Sed lex vetus erat lex timoris, ergo. Non tamen fuerunt hæc duo tempora ſine Paſcha vſquequaque relicta: quia habebant figuraliter, quod nos realiter. Patres enim eādem *eſcam manducauerunt*, dum ſcilicet in futurum hoc magnæ pietatis Sacramentum crediderunt. *1. Cor. 10.*

SECVNDO principaliter, congruum fuit hoc Sacramentum in noua lege dari, ob has rationes:

Continet, excellit, plenum, præſens, reſerata.

Primo, ratione continentiæ, quia hoc tempus realiter Chriſtum continet: ergo & Sacramētum, vbi realiter eſt, continebit. *Secundo ratione excellentiæ*, quia excellentiſſimum donum, in excellentiori lege dari debuit. *Tertio, ratione gratiæ*, & plenitudinis boni, quod continet. Habet enim hoc Sacramentum gratiæ plenitudinem, ergo in temporis plenitudine dari debuit, quod ab incarnatione incepit. *Quarto,*

Digitized by Google

ratione præſentia, vel exiſtentiæ; quia tunc debuit inſtitui, quando præſens actor erat. *Quinto*, quia in hoc tempore exuli ianua eſt reſerata, quæ ante erat clauſa. Et quia iam ad illam conſcendere habebant, viatico non modo ſuſtentante, ſed etiam perducente indigebant, vt magiſter Henricus Coſueld. ait. *Non tamen in principio prædicationis* hoc inſtituit, quia tunc diſcipuli nondum erant tanti myſterij capaces; *Nec etiam poſt tempus reſurrectionis*, & aſcenſionis diſtulit, quia tunc erat diſcipulis tanquam Dominus, aut vt compræhenſor, non vt peregrinationis huius comes, ſicut prius.

Hinc ergo principaliter dicimus, quòd imminente paſſione hoc dari debuit, ob has cauſas.

Terminat, & tollit, præſentat, ſis memor, aptet.

Primo propter *veteris ſacrificij terminationem*, quod in cœna terminandum erat. Non enim conueniens fuit ſimul vmbram currere, & veritatem. *Secundo* propter *corporalis præſentiæ ſubtractionem:* Non enim congruebat, vt ſimul corporali & Sacramentali præſentia haberetur; Hinc Euſebius Emiſſenus, *Tunc corpus aſſumptum ablaturus erat ex oculis noſtris, & ſyderibus illaturus; neceſſarium ergo erat, vt hoc Sacramentum inſtitueret, quo coleretur iugiter per myſterium, quod ſemel offerebatur in pretium; vt quia quotidiana & indefeſſa currebat pro hominum ſalute redemptio: perpetua etiam redemptionis oblatio, & perennis illa victima viueret in memoria, & ſemper præſens eſſet in gratia:* Vtque ſic promiſſum impleret quod dixerat Matth. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus*, *vſque ad conſummationem ſæculi. Tertio*, propter *ampliorem paſſionis repræſentationem*, dum paſſurus eſſet, hoc inſtituit, vt ſic paſſionem arctius noſtris mentibus infigeret, atque ad ſibi compatiendum per hoc admoneret. *Quarto* propter *maiorem memoriæ commendationem*, vt vltimo receſſu traditum Apoſtoli diligentius retinerẽt. Quando enim ab amicis ſeparamur, motus dilectionis ſentitur feruentior, propter dolorem ſeparationis: & ideo verba amicorum à nobis recedentium magis memoriæ imprimuntur. *Quinto* (ſecundum Hubertinum) Ideo paſſurus inſtituit, vt quia pro nobis in paſſione ſoluere debebat pretium, voluit nos ſibi vnire vnione huius Sacramenti, qua ſtrictior non inuenitur in via, & ſic nos Deo in ipſo conformaret, vt cùm ipſe ſatisfecit, & pretium ſoluit, omnes ſoluiſſe, & ſatisfeciſſe videremur. Hæc ille.

Rationes quibus temporis congruentiam oſtendit idem Hubertinus.

Oportet enim (vt ait) in hora comedendi tria hæc attendere,

Quod ſit { Ex abſtinentia deſiderium famis; Conſumptus malus chymus. Virtus cæli qua iuuentur vires corporis.

Vnde antequam cibus iſte daretur, oportuit quod *deſiderium famis* in ipſum excitaretur, & ſentiret homo, quod non poterat reparari ſine illo, id eſt, ideo quamdiu per bona naturæ, in naturali lege refici præſumpſit, cibus iſte non parabatur; Et quamdiu per bona legis factorum refici ſperauit, non parabatur; ſed ſignabatur in vtraque lege iſte cibus. Quando autem famem ſenſit & vidit, quod aliunde refici non potuit, tunc ſub lege gratiæ cibus iſte paratus fuit; Faſtidientibus enim non debebat ingeri; ſed eſurientibus dari. De hoc deſiderio Hieremias Thren. 3. *Et matribus ſuis dixerunt, vbi eſt triticum & vinum, cùm exalarent animas ſuas in ſinu matrum ſuarum, propter ſterilitatem in tempeſtate famis.*

Secundo, quia chymus valde malus creatus erat in homine ex comeſtione vetiti cibi, qui nullo modo tenendus fuit in corpore ſimul cũ iſto cibo ſancto: Ideo expediebat, quod ille prius per longam abſtinentiam conſumeretur, & tunc demum cibus ſanctitatis præpararetur; Oportuit ergo, quod expulſiua & euacuatiua homo ſumeret, antequam cibus iſte pararetur: Hæc autem euacuatiua fuerunt legis auſteritas, & prophetiæ exhortatio; & tunc demum expulſo malo chymo, iſte cibus gratiæ parabatur. *Si coactus fueris multum in comedendo, ſurge è medio, & vome, & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem*; ſcilicet per confeſſionem. Eccli. 31.

Tertia cauſa, quia non erat parandus cibus, donec à virtute cœleſti, natura ad ſumendum cibum iuuaretur: Quãdiu enim Sol aſcendit in meridie, calorem naturalem de intimis euocat ad exteriora, & relinquitur locus digeſtionis frigidus, & deſtitutus; poſt meridiem autem calor reuertitur ad intus, & tunc ſumendus eſt cibus. Sic etiam in die mundi, antequam Sol declinaret à meridie, id eſt, ante finem mundi, non eſt parandus cibus ſalutaris; ſed in fine eius, & veſpera, vt iam membris vacuis auidius appetatur, & ſalubrius ſumatur iſte cibus. Et hinc datur in cœna, Matthæi 26. *Veſpere facto diſcubuit*, faciens cœnam magnam; dans & nobis abſtinentiæ exemplum, non manè ante meridiem comedendi. Tunc enim venerat illa hora, longè iam exoptata. Tunc hora illius magnæ cœnæ. Tunc opportunum illud tempus, quo *eſcam largitur cunctis*. Et licet ipſe Pſal. 144. poſt cœnam dederit ob dictas rationes; tamen nonniſi à ieiunis ſumi debet, *tum propter reuerentiam*, & ſolemnitatem tanti Sacramenti; *tum ob miniſterij ampliorem ſobrietatem*. *Omnia ergo tempus habent, & ſuis ſpacijs tranſeunt vniuerſa*. Eccli. 3. Hæc de tempore.

§. 4. *De quarta circumſtantia, Recipientium qualitas.*

QVARTA CIRCVNSTANTIA eſt, recipientium idoneitas, ſcilicet quibus dedit & innuitur in verſu Pſalmi 110. conditio eorum, quia *timentibus ſe*. Timor autem Domini valet omni ſtatui: XX.

Scilicet

Eccli. 1. Scilicet { Peccatoribus, } ad { Purgationem: *Timor Domini expellit peccatum.*
Eccli. 7. { Penitentibus, } ad { Æmulationem; *Qui timet Deum, nihil negligit.*
Eccli. 34. { Laborantibus, } ad { Iuuamen, *Qui timet Deum, non trepidabit.*
Eccli. 1. { Patientibus, } ad { Solamen, *Timenti Deum, bene erit in extremis.*

Sunt plura dicta ſuperius, quæ poſſent huc applicari, & de qualitate ſuſcipientium, adhuc plura infra dicentur.

SOLET quoque circa hanc conſiderationem quæſtio moueri; ſi etiam Iudæ Sacramẽtum hoc dederit, ad quod communiter affirmatiuè reſpondent. Itemq́ue ſi Chriſtus ſibiipſi dederit hoc Sacramentum manducando. Ad quod aiunt, quod ſic. *Cœpit enim Ieſus facere & docere.* Nam ergo & prius voluit baptizari. Nec eſt impoſſibile, quod idem ſeipſum ſacramentaliter comedat; Et ad hoc facit Canon *de conſecratione diſtinct. 2. cap. Nec Moyſes.* Vbi ex auctoritate Hieronymi dicitur, quòd Chriſtus fuit in cœna conuiua, & conuiuium. Ad quod etiam ſunt illi verſus,

Act. 1.

Rex ſedet in cœna, turba cinctus duodena,
Se tenet in manibus ſe cibat ipſe cibus.

O qualis manducator ille!

§. 5. De quinta circunſtantia, quid dederit.

XXI. QVINTO videndum *quid dederit:* De quo ſecundum fidem tenendum, quod in hoc Sacramento Pater dedit, & dat vnigenitum Filium ſuum, ſibi coæternum, & coæqualem, Filius ſemetipſum, Spiritusſanctus illum à quo æternaliter proceſſit, & procedit. Magnum planè donum, & quo maius meliúſve nil cogitari poteſt, omnium bonorum rationes vnica bonitate compræhendens. O quid nobis Dominus Ieſus facere debuit, & non fecit? Non ſufficit ei dediſſe ſua & ſuos, niſi & ſe nobis impendiſſet. Ecce *ſe naſcens dedit ſocium,*
Iſa. 5. *conueſcens in edulium.* O inflammata charitas Ieſu Chriſti! O ardens amor clementiſſimi cordis eius! Sunt hic multæ quæſtiones. Si ſub vtraque ſpecie ſe totum dederit, & quomodo ibi totus tenetur? Solum quæ deuotionis ſunt, proſequimur, dicentes, quod cùm hoc Sacramentum benedictus Ieſus ſuis appoſuit, tunc eis (ſecundum Vbertinum)

Dedit { Cibum æternæ refectionis.
Pignus filialis adoptionis.
Sacrificium humanæ redemptionis.
Viaticum noſtræ peregrinationis.

Ecce quid dedit, quando Sacramentum hoc contulit: Pſalmiſta. *Eſcam dedit timentibus ſe.*
Pſal. 110. Lectio varia. Hebræus autem prægnantius illic verbum ponit, dicens, *Thereph*, dedit timentibus ſe, *Thereph* autem eſt non ſimplex caro, ſed à feris lacerata. Et hinc inſtituens Dominus, ait, *Hoc*
Matt. 26. ☞ *eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*, Iudæis ſcilicet dilacerandum. *Thereph* ergo, *dedit timentibus ſe*; vt ex timentibus faceret amantes.

Quod autem veraciter, & realiter ſub hoc Sacramento corpus & ſanguinem ſuum det, multipliciter probari poteſt (vt ait Robertus de Licio) ſcilicet,

Per { Auctoritates { Theologorum. Conciliorum. Doctorum.
Per { Rationes { Diſtantiuas: Conceptiuas. Commutatiuas.
Per { Exempla Innumera } { Vetuſta. Nouella.

Proſequitur hæc in ſuo quadrageſimali pulchrè & latè Doctor præfatus.

§. 6. De ſexta circunſtantia, ſcilicet modo, quo inſtituit.

POSTREMO *quomodo* hoc dederit videndum; ſed hoc non dicet homo ſuper terram: Eſt enim *manna abſconditum*, non patens oculis cunctorum. In ipſa autem inſtitutione quædam verba XXII.

Apoc. 2.

tradunt { Modum inſtitutionis, Collationẽ poteſtatis. Iniunctionem vſus. } vt { *Accipite, ſumite. Hoc facite. In commemorationem.*

Hotũ { Primũ, Secundum, Tertiũ, } eſt { Mirabilis gratia. Dignitas immẽſa. Sãctificatio cumulata. } Hæc Albertus.

De deſiderio autem, & amore, quo hoc inſtituens flagrauit, nulla lingua ſat eſt enarrare. O igitur ineffabile Sacramentum! ô inexplicabile amoris ſignum! ô ſapientiale priuilegium, quàm in omnibus circunſtantijs ſapientialiter inſtitutum!

MEMBRVM IV.

Quarta conſideratio de Sacramenti huius mirabilibus.

M*Emoriam fecit mirabilium ſuorum*, Pſal. 110. QVARTA PORTIO ruminanda, eſt, de huius Sacramenti mirabilibus: in quorum conſideratione deficit omnis creatura; Tanta enim mirabilia in hoc Sacramento relucent, vt ſuperent, non modo viatoris, ſed & ſenſum comprehenſoris; Ita vt (iuxta Ægidium de Roma) nec Angeli, nec Archangeli; imò, nec Cherubin, aut Seraphim illa compræhendant. Vt autem, quæ ſint illa ſciamus, & ſic magis tantum Sacramentum reuereamur, pauca ſunt notanda. Variè tamen à varijs, mirabilia iſta ſignantur. Nam quidam aſſignant decem aut duodecim mirabilia illa, quæ ſunt, XXIII.

Primum eſt, in tranſſubſtantiatione. *Secundum, quia in qualibet parte totus Chriſtus* *Tertium, fracta hoſtia non minoratur.*

Mutat, Pars, Non eſt minor;

Quartum, quod ex multis hoſtijs non augetur. *Quintum, quod à malis ſumptũ non coinquinatur*

Aut maior; neque turpant,

Sextum eſt, malis mors, vita bonis. *Septimum, idem corpus in diuerſis locis.* *Octauũ, quod non eſt duplex ſumptio*

Mors, Loca, Non duplex,

Nonum non excedit partes hoſti a *Decimum quod accidentia ſunt ſine ſubiecto.*

Non excedens, Sine Baſi.

Horum proſecutio paſſim reperitur in ſummis Antonini, & aliorum; & in Compendio Theologiæ, & alijs Sermonibus.

VBERTINVS ponit in genere tria ſubdiuidens illa,

Quæ ſunt { Virtus operatiua, Veritas cibatiua, Species contentiua.

Nam ex parte *virtutis operatiuæ*, concurrunt in hoc Sacramẽto ſimul, virtus verbi creati, & increati; huius prolati, illius operantis; ſucceſſiua prolatio, inſtantanea immutatio. Mirabilia ſunt hæc, vt rectè dicere poſſimus, *Man hu*, id eſt, quid eſt hoc? hæc enim ſunt illa abſcondita, de quibus dicitur Eſa. 45. *Dabo tibi Theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum, vt ſcias, quia ego ſum Dominus.* In hoc enim Sacramento per hanc operationem Theſauri abſconditi gratiæ conferuntur, & arcana ſecretorum fidei Eccleſiæ proponuntur, vt ſciat intellectus fidelis, credendo veraciter, quia ipſe eſt Dominus; qui quoniam potentiſſimus, potuit; quia clementiſſimus, voluit; quia veraciſſimus, & ſapientiſſimus, facit ſigna, & mirabilia in hoc Sacramento, quorum non eſt numerus.

Exod. 16

Is. 5.

Secundo hæc ſunt mirabilia, ex parte *veritatis cibatiuæ*: Chriſtus enim eſt cibus, indignè ſumentem probans, & reprobans; cibus dignè ſumentem probans, & approbans. Cibus ciborum ſibi incorporans, poſt cibationem integer perſtans. Cibus ſeipſum conſecrans, ſeipſo ſeipſum cibans. En quanta mirabilia! De quibus omnibus teſtatur ſcriptura, Pſal. 118. vere *mirabilia teſtimonia tua, ideo ſcrutata eſt ea anima mea*, lumine fidei, non ingenij acumine.

Tertio ſi conſideretur ſpecies contentiua, occurrunt multa mira,

Scilicet { Quidditas tranſitiua, Quantitas dimenſiua, Qualitas obiectiua.

Hæc ſunt mirabilium mirabiliſſima.

Quidditas panis, & vini, tranſit in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti: Nihil ſubſtantiæ relinquitur, ſed totum conuertitur; Nihil de nouo efficitur, ſolùm tranſit aliquid in aliquid, & tamen ſine annullatione (ſecundum ipſum Vbertinum. Non annullatur ſubſtantia panis, & vini, ſed vere in Chriſti corpus, & ſanguinem tranſit, & conuertitur.

QVANTITAS dimenſiua, ſpecies ſine ſubiecto, ſupra naturam ſubſiſtit, ſub qua Sacramentaliter continetur Chriſtus, in ſe dimenſionatus; à ſpeciebus, non dimenſione contentus, in ſe commenſuratus, non commenſuratione contentus. *Qualitas* etiam obiectiua ſpecierum ſenſibilium, terminat viſum, alterat guſtum, excitat odoratum, immutat tactum: Nullus enim iſtorum quatuor ſenſuum, diſcernit hunc ſpiritualem cibum, ſed ſolus fidelis auditus indicat verum, Dum audit aſſentit, & credit, Mat. 26. *Hoc eſt corpus meum*, Mat. 26.
Tangit hæc Vbertinus, in quarta ſua parte, videantur ibi plenius. Hæc igitur ſunt mirabilia de quibus dicitur Dan. c. 4. *Signa & mirabilia fecit apud me Deus excelſus.*

DISTINGVNT alij aliter iſta mirabilia dicentes, quod in corporis Chriſti

Sunt { Conſecratione, Poſſeſſione, Perceptione.

Nam in conſecratione, credendum firmiter, quod ibi, ſub ſpecie panis eſt verum corpus Chriſti? Tota ſubſtantia panis mutatur, vel tranſit in corpus Chriſti. Sic mutatur in Chriſti corpus ſubſtantia, quòd tamen manent accidentia.

Probatur à horum {
Primum { Fide dignorum / Signorũ poſitorũ demonſtratione } { teſtimonio / miraculorũ
Secũdũ à { Simili, / Maiori, / Minori, } vt { aquam in vinum, / omnia per ipſum facta, / arte humana.
Tertium { Gratia Prophetali, vt Heliſæus. / Conuerſione ſpirituali, vt Saul, / Mutatione naturali, ouum in pullum.

Mirabilia ergo *opera tua Domine* in Conſecratione. Pſ. 118.

Sunt ſecundo etiam magna mirabilia in huius Sacramenti poſſeſſione, id eſt poſt conſecrationem, quæ ſunt iſta. *Tam magna res*, continetur ſub tam parua ſpecie; *Quod vnum, & idem* corpus, eſt in diuerſis locis. Licet ſit in diuerſis locis, manet tamen in ſe coniunctum. Declarantur hæc etiam rationibus, & exemplis; ſed longum eſt ponere ea, videantur in Sermonibus, qui dicuntur S. Thomæ.

Tertio concurrunt etiam mirabilia in Chriſti perceptione,

Quia { Dum manducatur, non minuitur. / Si non manducatur, quodammodo minuitur. / Dum manducatur, augetur, vel augmentatur.

Quis vnquam audiuit talia? Proſequitur hæc pulchrè Sanctus Thomas, in Sermonibus ſuis de Sacramento Euchariſtiæ.

POSTREMO diſtinguunt alij hæc mirabilia ſecundum decem prædicamenta, diſcurrendo per ſingula, & inde S. Thom. ſpecialem Tractatum fecit, & Leonardus Vticen in ſuis Sermonibus aggregauit. Quæ quoniam magis ſunt ſpeculatiua, quam affectiua, hic ſuperſedemus, & lectorem ad S. Thom. remittimus, niſi quod paucis Epitoma breue ponemus: Non enim inutilis eſt conſideratio horum, nec videntur in Ægypto. Ideo pauca de ſingulis prædicamentis ſunt aſſignanda, pro excitanda erga hoc Sacramentum reuerentia, & fide

actuanda, & vt ſic in huius Sacramenti mirabilibus exerceamur cum Pſalm. 118.

§ 1. *De prædicamento ſubſtantiæ.*

XXIIII. PRIMO igitur circa prædicamentum ſubſtantiæ, eſt valde mirabile, quod panis, & vinum tam ſubito tranſmutentur in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti. In quo etiam tranſitu, ſunt mirabilia mirabiliſſima: Nihil enim ſubſtantiæ relinquitur; ſed totum conuertitur; nihil ſubſternitur; nihil de nouo efficitur. Solum enim tranſit aliquid in aliquid, & tamen ſine annullatione: vt patet intuenti. Quæ ſunt ſupra omnem Philoſophiam, & intelligentiam humanam; & tamen ita eſſe probat rationabiliter Eccleſia (vt in ſequentibus patet) Tranſſubſtantiationē ſpecierum in Chriſtum; ſed non mirum ſi auctor, cuius virtute fit, conſideretur:

Mirantur ſubito; Deus eſt, maioraque fecit.

Bibitum fit ſanguis. Ex aqua vinum Conuerſum in carnem.

En vinū; Vitemq;. Cibum,

Vniuerſum condidit verbo.

Cælum quoque totum.

Moyſi & Aaron, De petra, Ægypti mutatus in ſanguinem.

Virgula, Fons, Fluuius,

De terra, In ſtatuam. In nuptijs.

Adam, Vxor Loth, Aqua vinum.

In quibus verſibus ponuntur congrua probamenta, primo Philoſophiæ reſponſiua, Secundo Synagogæ confutatiua.

NAM Philoſophis mirantibus & obijcientibus, quod eorum, quæ ſunt ſecundum ſe diuerſa, numquam vnum fit alterum (vt dicitur primo Phyſicorum) Eccleſia cum Euſebio reſpondet dicens, Nouum tibi, & impoſſibile eſſe non debet, quod in Chriſti ſubſtantiam terrena, & corporalia conuertuntur: Cuius ratio eſt, quia nullum agens naturale, vel creatum, poteſt agere, niſi ad immutationem ſuæ formæ, & propter hoc omnis conuerſio, quæ fit ſecundum legem naturæ eſt formalis. Sed Deus eſt actus infinitus, vnde eius actio, extendit ſe ad totam naturam entis, faciens conuerſionem totius entis. vt ſcilicet tota ſubſtantia huius, conuertatur in totam ſubſtantiam illius. Et hoc agitur virtute diuinâ in hoc Sacramento. Nam & in natura inueniuntur quædam his, licet à longe, ſimillima, vt declarat Ioan. Damaſcenus. Nam homo bibit vinum, & conuertitur in ſanguinem; vitis humorem aliquando vertit in vinum; Cibus panis conuertitur in carnem. Et quid mirum, qui vno verbo condidit cælum, & omnia, ſi tranſmutet in corpus, & ſanguinem ſuum, materialia elementa.

PORRO ſynagogæ reſpondetur per tertium verſiculum; Et eſt Ambroſij in Libro de Sacramentis, quod natura benedictione mutatur, vt
Exod. 4. patet in virga Moyſi; in fonte de petra; in flu-
Exod. 17. ijs Ægypti; Similiter in formatione Adæ, vbi
Gen. 2. terra mutatur in carnem, & ſanguinem; &
Gen. 19. vxor Loth conuertitur in ſtatuam ſalis: & in
Io. 2. nouo teſtamento mutatur aqua in vinum.

§ 2. *Quantitas in Sacramento.*

CIRCA prædicamentum *quantitatis*, valde admiratur Philoſophia, & Synagoga, XXV.
quomodo corpus Chriſti tam magnum, ſub tam parua hoſtia contineatur; & quomodo totus Chriſtus, ſit ſub qualibet parte ſpecierum panis, & vini. Quibus vtriſque ex his verſibus reſponderi poteſt,

Quauis parte ſacri; vt ſubſtantia parte ſub omni.
Pupilla vt caſtrum, ſpeculo res, pectore magna.
En mare Iordanis, petram, natus, rediuiuus.

Hoc eſt *reſpondendum Philoſophis*: Quia corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento per modum ſubſtantiæ, & non per modum dimenſionum; Manifeſtum eſt autem, quod natura ſubſtantiæ tota eſt ſub qualibet parte dimenſionum, ſub quibus continetur, ſicut ſub qualibet parte aeris, eſt tota natura aeris, &c. Sic ergo hoc corpus Chriſti. Quod etiam exemplis
patet: Nam ciuitates, & caſtra continentur ſub Simile.
parua oculi pupilla, quia non ſunt in ea per modum dimenſionum ſuarum; Etiā in paruo Speculo videntur maximarum rerum, vt Solis, & Lunæ quantitates; Sed & in pectore paruo, magna Sapientiæ copia continetur; Et in paruo corpuſculo, continetur ita anima rationalis, ſicut in magno.

SYNAGOGÆ autem Ambroſius, vbi ſupra, ſatisfacit, dicens: Circuncluſus erat vndique populus Hebræorum, ignarus de diuiſione maris rubri, quomodo tanta dimenſio aquarum, potuit contineri in tam paruo loco ma-
ris; Item Iordanis contra naturam ad ſui fon- Pſal. 113.
tis rediens exordium, illic continebatur; Item in nouo teſtamento, clauſo vtero natus, Ianuis
clauſis poſt reſurrectionem ad Diſcipulos in- Mat. 1.
trauit. Scribūt ſuper hoc contentionis modo,
Doctores ſubtiliſſima, plura, & congrua valde. Io. 20.
Sed nō eſt noſtrū adducere profūdas rationes. In libris requirantur. In Alberto: Henrico Conſueldiæ cum cæteris.

§ 3. *Qualitates in Sacramento.*

CIRCA prædicamentum *qualitatis*, dubi- XXVII.
tant quomodo accidentia ſint ſine ſubiecto: Remoto enim priori, neceſſe eſt, & poſterius remoueri; Cum ergo ſubſtantia panis remouetur, ergo & ipſa accidentia Sed, & hic, cur hæc fiunt, ſubtiliſſimæ, & congruiſſimæ ſunt rationes; quas relinquentes, ſimplicia quædam, vt cæpimus, perſuaſiua aſſignamus, & ſunt hæc.

Accidit haud Pani, Sol, Remus, Dulcia Febri.
Sic Marath, Iſaac, tranſmigrans, & Tabor, Emaus.

Accidentia licet in Sacramento appareant; non tamen Chriſti corpus informant; Sed eſt ibi verum corpus Chriſti, licet accidentia perſtent: In naturalibus enim videmus, quod multa aliter apparent, quam ſunt: Sol enim apparet cubitalis quantitatis, cum tamen ſit multo maior; Apparet quandoque pallidus, aut rubeus, cum non ſit peregrinarum impreſ-

Digitized by Google

impreſſionum ſuſceptiuus; Sic Ramus in aqua apparet curuus;ſiue fractus; Et Febricitanti, dulcia videntur amara.

In Scripturis quoque ſimilia habentur, vt patet de *Marath* aquis, de Iſaac, qui in omni ſenſu, ſolo auditu excepto, deceptus fuerat; In vaſis tranſmigrationum. In nouo quoque teſtamento aliter ſe oſtendit, quam fuit, in monte Thabor; Et poſt Reſurrectionem, Diſcipulis in Emaus in ſpecie Peregrini; & Magdalenæ in ſpecie Hortulani. Non ego mirum, ſi ſub velamine accidentium ſe occultet. *Ezech.12*

§ 4. *Reſpectus in Sacramento.*

XXVIII. QVARTO circa prædicamentum *relationis*, mirandum quomodo totus Chriſtus æqualiter eſt in hoſtia quacunque, ſiue parua;ſiue magna;Sed hæc notanda,

Æqua quo ad finem; ſerræ ferrum, Pater vnus.

Manna ſimul, Panes quini,ſegetes quoque paucis.

Hoc eſt, quod in omnibus habentibus materiam, ratio determinationis materiæ ſumitur ex ordine ad finem: Sicut materia ſerræ eſt ferrum, vt ſit apta ſectioni; finis autem huius Sacramenti,eſt vſus fidelium: Vnde oportet, quod quantitas materiæ huius Sacramenti,determinetur per comparationem ad vſum fidelium, & hoc abſolutè, & non ad certum numerum reſpectiuè, quia numerus fidelium eſt indeterminatus; Ideo & materia huius Sacramenti, non eſt determinata: Sicut nec numerus indiuiduorum in eadem ſpecie eſt determinatus. Etiam vnus Pater, non determinatur ex ſe ad certum numerum filiorum.

ITEM in veteri teſtamento, Manna,licet differenter colligeretur, quia alij plus,alij minus, æqualiter tamen apud omnes inueniebatur, quantum ad menſuram. Sic & hoc Sacramentum, *Sumit vnus,ſumunt mille, tantum iſte, quantum ille.* Item in nouo teſtamento, multiplicatio quinque panum eſt facta (vt vult Aug.) per modum creationis, qui dicit, *Vnde multiplicat de paucis granis ſegetes, inde in manibus ſuis multiplicat quinque panes*: In quibus licet fuerit multiplicatio in materia, tamen in forma, & ſubſtantia non fuerunt,niſi quinque panes. Sic & in hoc Sacramento non eſt, niſi vnum corpus Chriſti, licet materia panis multiplicetur.

§. 5. *Actiones in Sacramento.*

XXIX. CIRCA prædicamentum *actionis* multa mira inquiruntur, quales ſcilicet actiones illi conueniant, ſi videat, audiat,&c. Hoc tamen Philoſophis magis mirandum, quomodo accidentia ſine ſubſtantia vere nutriant: Super quo Albertus nobis ſubtiliſſimè ſcribit; Sed Doctorem Sanctum in ſuo Tractatu ſequentes,pro materia notandum,

Nutrit, ſed Mire, Cibus ac Animam, Cibus Ægro.

Helias, Fructus,vel Ozias, Diſcipuli ſic.

Hoc eſt, verè hoc Sacramentum nutrit,ſed mirabiliter, quia licet ſpecies Sacramentales non ſint ſubſtantia, habent tamen virtutem ſubſtantiæ, ergo, &c. Nam & in natura, cibus corporalis,non ſolum nutrit, & fortificat corpus, ſed etiam alterat, & delectat animam mediante corpore. Etiam homini febricitanti, & ægrotis,ſunt multotiens cauſa mortis,quæ ſanis proficiunt ad ſalutem.

DE mira quoque actione, & diuerſa huius Sacramenti patet in figuris: De Helia,qui vno pane ſubcineritio ſemel comedens optimè fuit nutritus pro quadraginta diebus: Ozias autem,qui ſacrificium obtulit, lepra fuit percuſſus. Similiter, & fructus ligni ſcientiæ bonus in ſe fuit, ſed male ſumentibus cauſa mortis. Diſcipuli quoque Chriſti, qui dignè communicauerant, hoc cibo nutriebantur, & roborati ſunt cōtra inſtantē tentationē. Vnde Aug. *Si refecti ceciderunt,quid ieiuni feciſſent?* Iudas autē qui indignè ſuſceperat,ſe laqueo ſuſpēdit. En quā actio diuerſa. Circa hoc prædicamentum Doctores diſtingunt de duplici actione,ſcilicet immanente, & tranſeunte, vel egrediente ad extra, & mira ac ſubtilia diffiniunt; videantur eorum ſcripta, præſertim Henricus Conſueldiæ, qui de his materijs propoſitiones ponit, & correlaria elicit. Et magnus ille Petrus de Allyaco in ſcripturis ſuis. *3.Reg.19.* *2 Par.26.* *Geneſ.2.* *Matth.17*

§. 6. *Paſſiones in hoc Sacramento.*

IN prædicamento *paſſionis*, hoc inter cætera mirabile occurrit, quomodo ad fractionem hoſtiæ non frangitur Chriſtus; pro cuius declaratione,notandum, XXX.

Frangitur in ſpecie, ſpeculum, mens corpore ſecto.

Sic Iſaac ſanus, aries moritur,fit in emaus.

Hoc eſt, corpus Chriſti verum non frangitur; ſed fractio illa, eſt ſubiectiuè in quantitate dimenſiua panis, ſicut & alia accidentia, quæ ſic propter myſteria, grauida ſignanda,vt patet in Expoſitoribus Miſſæ. Ergo talis fractio, non inducit diuiſionem Chriſti. Sic in natura diuiſo Speculo, non frangitur imago relucens in illo; Nec corpore hominis ſecto,vel diuiſo, diuiditur anima rationalis.

NAM & Gen.c.22. Legitur de Abraham, quod volens immolare filium ſuum Iſaac: non eum ſed arietem ingulauit; Sic in fractione hoſtiæ non corpus Chriſti frangitur,ſed quantitas dimenſiua. In nouo quoque teſtamento Diſcipuli in Emaus cognouerunt in fractione panis Chriſtum, quæ fractio etiam mirifica fuit. Inſuper ſolent multa quæri de paſſionibus Sacramenti,ſuper quibus ſunt doctrinales illi verſus. *Luc.24.*

Pyxide ſeruata poteris coplare dolorem

Innatum, ſed non illatus conuenit illi.

Hæc de prædicamento paſſionis,&c,

Digitized by Google

§ 7. *Mirabilia de loco Sacramenti.*

XXXI. PORRO circa prædicamentum vbi: Dubitãt quomodo idem corpus Chriſti numero, ſecundum idem, eſſe poteſt in diuerſis locis; puta in diuerſis altaribus: quoniam locus ſpecierum panis non eſt vacuus. Scribunt ſubtiliſſimè Doctores ſuper iſto, & varij variè: quorum plures improbat Albertus, & Henricus Conſueldię, vt patet. Vnde ſubtilioribus illis dimiſſis, in quibus, & Gygantes laborauerunt, & ceſpitauerunt, perſuaſiua adducimus tantum, ſcilicet,

Non quantum; at ſubſtans, verbum, lux ſic, ſpecieſque.

De Moyſi menteque Heliſæus, Chriſtus in inferis.

Hoc eſt, corpus Chriſti, non eſt in hoc ſacramento ſecundum proprium modum quantitatis dimenſiuæ, ſed magis ſecundum modum ſubſtantiæ, & modo ſacramentali, etiam Angelicis mentibus incognito. Et hoc poſſibile eſſe in pluribus locis patet. Nam verbum vocale, ab ore loquentis vnum, & ſolum procedens, ad aures omnium audientiũ defertur; ſic corpus Chriſti idem remanet in cælo, & tamen veraciter eſt in altari, & in ore omnis ſumentis; Etiam lux Solis, cum vnica ſit, in pluribus locis relucet; Similiter natura ſpeciei vna exiſtens, eſt in omnibus ſuis indiuiduis. Simile.

Nume. 11. NONNE huius ſimile habetur in Numeris quod Deus accepit de ſpiritu Moyſi, & dedit Septuaginta duobus viris, nec tamen priuauit Moyſen ſpiritu? Et lib. 4. Reg. c. 5. dicitur, quod Heliſæus exiſtens in cella, erat præſens in via, quando Iehezi donaria accepit, &c. In nouo etiam teſtamento creditur, quod idem ſuppoſitum numero Filij Dei, erat in cælo, in ſepulchro, & in inferno poſt paſſionẽ eius. Verũ autem diffinitiuè, circumſcriptiuè, vel commenſuratiuè hoc ſit, magnæ eſt ſubtilitatis.

§ 8. *Duratio Sacramenti.*

XXXII. OCTAVVM circa prædicamentum, *quando*, dubitant, & admirantur, quomodo non conſumitur corpus Chriſti, cum tamen continue fideles manducent, & cõmunicent illud: Ita quod hæretici dicunt, Si corpus Domini omni monte maius eſſet, iamdudum illud Clerici totum conſumpſiſſent. Sed hoc inde tenendum,

Impatiente modo, candela, iubar, ſimul, & ſol.

Hydria, Lecythus, & ſeptem panes ſuperant tot.

Hoc eſt, hic eſt idem verum corpus Chriſti, quod Diſcipulis dedit, tunc quidem paſſioni paratum, & paſſibile, ſed tamen, vt plures volunt, dedit modo impaſſibili, vnde non poteſt pati, nec conſumi, maxime cum iam ſit glorificatum. Et ideo ſpecies quidem conſumuntur, non autem Chriſti ſacrum corpus. Sicut enim ab vna ſola candela, infinitæ candelæ incenduntur; nec tamen lumen primæ conſumitur, etiam aliæ tantum de lumine habent quantum prima: Sic & de hoc Sacramento. Simile. Item ſicut Sol non deficit, lumen ſuum toti mundo communicando, ſic Chriſtus totam Eccleſiam paſcendo.

NAM & in veteri pagina, huius exempla reperimus. De lecyto olei, & hydria farinæ, quæ per tres annos non defecerunt: Vnde tamen Helias, & vidua Sareptana, cum filijs ſuis manducauerunt, vt dicitur 3. Regum. Sic in 3. Reg. 17.
nouo teſtamento, quatuor millibus hominum, ſuffecerunt ſeptem panes: Ita quòd ſeptem ſportæ fragmentorum ſuperfuerunt. Mar. 7.
Quid ergo mirum?

§ 9. *Situs in Sacramento.*

NONO circa prædicamentum *ſitus*, mirãtur quomodo corpus Chriſti, quod eſt XXXIII.
in cælo, tam ſubito veniat ſuper altare; cum tanta ſit diſtantia vtriuſque ab alterutro. Sed his per hæc ſatisfaciendum,

Mox, vis nam ſumma, ſic lux oculis, licet abſtet.

Sic Abacuc iſtu rediit, ſurgens quoque cuncti.

Hoc eſt, conuerſio hæc eſt inſtantanea, propter plura, vt Doctores aiunt, maxime autem quia agitur infinita virtute Dei, ergo. Sicut enim lux vbique ſe diffundit in inſtanti; &, oculus ſubito intuetur cælũ, cũ tamẽ maxima ſit diſtantia inter ea, ſic eſt in hoc Sacramento. Simile. Porro de hoc ſitu huius venerandi Sacramẽti, plura ſubtilia Doctores in eorum ſcriptis inquirunt, puta ſi idem ordo, & ſitus partium in Sacramento, ſicut in celo. Si diſtantia æqua; quæ omnia tranſimus, quoniam curioſitatis magis ſunt, quam deuotionis.

§ 10. *Habitus Chriſti in Sacramento.*

DECIMO, & poſtremo circa prædicamentum *habitus*, mirabile videtur, quo modo XXXIV.
non apparet Chriſtus in habitu gloriæ, in hoc Sacramento, ſicut eſt in cælo, ſed dicitur,

Non ſpecie clara cauſas ob ſufficientes.

Apparet Deus igne, Columna, nube, reſurgens.

Hoc eſt, non poteſt corpus Chriſti in propria ſpecie videri: Nec voluit ſe dare, niſi velatum; ob ſufficientes cauſas, ſupra in gradu occurſionis aſſignatas, maxime quoniam debilitas noſtra, hoc non poſſet ferre. Nec quidem in Solis Rotam lumen figere valemus, Excellens enim ſenſibile ſupra ſenſum, corrumpit ſenſum, vt dicitur tertio de anima, ergo.

PORRO ſynagogæ admiranti, & obijcienti, dicendum, quod nec Patribus ſuis Deus apparuit in habitu, & forma gloriæ ſuæ; ſed ſpecie velatus: Nunc in igne, aut columna, vel nube, aut alijs, apparens. Nam & vxor Manue Iudic. 13.
timebat mori, quia videbat Dominum in ſpecie velatum, aut loco eius Angelum. In nouo quoque teſtamento reſurgens, non in habitu gloriæ apparuit, quia hoc non ſuſtinuiſſent. Hinc etiam manet congruè ſpeciebus ſub Sacramento velatus.

Et

Digitized by Google

ET hæc de mirabilibus Sacramenti, ſecundum prædicamenta deductis, quæ ex his perſuaſionibus redduntur credibilia nimis. Qui ſubtilia legere volent, illi Tractatum Gulielmi Ockam de Euchariſtia, Petri de Allyaco, & eiuſmodi videant. Nobis ſufficit ſimpliciter credere, vt poſt clarius mereamur videre.

SVPERSVNT adhuc in natura alia mirabilia tractanda, pura de mirabili huius Sacramenti tranſubſtantiatione, manducatione & conſecratione: De quibus Doctores ſuper quartum Sententiarũ plenè agunt; vnde ſufficiat; vel iſta tetigiſſe: In quib⁹ S. Tho in ſuo tractatu, & Leonardũ de Vtino, in Sermone de Venerabili Sacramento ſecuti, non tam poſuimus, rationes perſuadentes, quam inductiones ſimplices, in intelligentiam tantorum mirabilium deducentes. vt ſic in mirabilibus huius Sacramenti exerceri poſſimus, & non eſſe ſimiles Patribus, qui in Ægypto tenebrarum conſtituti, mirabilia huius Sacramenti non intellexerunt. Pſ. 118.

NON tamen volumus, quod in acceſſu ad tale Sacramentum hæc ſubtilia ſint ruminanda; ſed affectuoſa quæque tunc magis pertractanda. Non tamen inutile eſſet, quandoque coram venerabili Sacramento, aut eius receptaculo in ſanctuario, hæc mirabilia commemorare, fidem ſuper his actuare, & ſic cum Dauid *in mirabilibus exerceri*, & intellectum noſtrum in captiuitatem fidei huius Sacramenti redigere, firmiter credentes, quia Dominus ipſe dixit. Nam talis modus cognoſcendi Deo eſt glorioſus, & nobis maximè meritorius. Glorioſum enim eſt Principi, ſi ſoli, & ſimplici eius verbo credatur, abſque cautione iuramenti, pignoris, vel fideiuſſionis. Ignominioſum vero eſt ipſi; imo cuique ſufficientis, & notæ bonitatis viro; ſi non ſimplici eius verbo credatur; quanto magis ſummo Regi diſplicet ſi verbis eius non credatur, ſine ratione, vel ſigno. Eſt quoque, & hic modus cognoſcendi per fidem, nobis meritorius. Nam aſſenſus quo rebus per ſe notis credimus, parui meriti eſt, cum ſit quaſi coactus: Aſſenſus autem quo tantis mirabilibus propter ſolam auctoritatem dicentis aſſentimus magni meriti eſſe probatur; & tanto amplioris, quo intellectus promptius conſenſit, ipſaque res credita incomprehenſibilior fuerit, vt patet infra de fidei actuatione primo; & hanc captiuationem intellectus noſtri ſub fide Deo debemus: Nam (vt Hilarus ait) *hoc potiſſimè Deo debemus, vt eum omnis ſenſus, lingua, & vita noſtra loquatur*. Et ſicut quicquid habemus, & ſumus, à Deo habemus; & ſic nos totaliter Deo ſubijcere, & ei obedire tenemur. Cum ergo habeamus à Deo non ſolum affectum; ſed etiam intellectum: non minus tenemur intellectum noſtrum Deo ſubijcere diuino intellectui obediendo, quam voluntatẽ, &c. 1. Cor. 10.

Duæ enim ſunt partes legis diuinæ; videlicet teſtimonia; & mandata; *Teſtimonia* intellectum concernunt, mandata affectum: Quẽadmodum ergo tenemur *mandata* implere; ita *teſtimonijs* tenemur credere. Liquet ergo, quã ſit bonum, in his *mirabilibus quandoque exerceri*: Exerceri dico, non curioſa perſcrutatione; ſed fida intellectus noſtri ſubmiſſione. Nam hoc Deo glorioſum, nobis meritorium, debitum, & iuſtum. Item hoc reuerentiam Sacramenti inducit, hoc meritum auget, hoc mentem erudit, hoc fidei robur præſtat. Nunquã enim Ieſus iſte, tam alta credenda ſuis propoſuiſſet; niſi à Deo fuiſſet, vt patet ex legibus cæterarum ſectarum. O igitur miraculum! O ſtupenda Sacramenta! Verè mirabilium memoria hic eſt congeſta. Pſ. 118.

MEMBRVM V.

De quinta buccella, ſcilicet de modo vſus & aſſumptionis huius Sacramenti.

ACcipite, & manducate. Saluator. QVINTA BVCCELLA erit. de modo aſſumptionis, & vſus. Duplex enim eſt vſus principalis huius Sacramenti; iuxta Doctorem Sanctum: Quia aut offertur, vt *ſacrificium*; vel ſumitur, vt *Sacramentum*, vel viaticum. Ante hîc tempus, quam differendi materia deficeret; ſi cuncta quæ ſe hic offerunt conſideranda, annotare velimus. Vnde præſuppoſitis omnibus ſcriptis, pauculam materiam dabimus, de hoc morſello meditandi. XXXV. Luc. 22.

§ 1. *Vſus Euchariſtiæ vt Sacrificium eſt.*

PRIMVS itaque huius Sacramenti *vſus* eſt, quod offertur, vt *ſacrificium*. Circa quem vſum multa ſe ingerunt ruminanda:

Scilicet { De ſacrificij huius dignitate, Miniſtri offerentis qualitate, Oblationis ritu, & celebritate,

Sacrificij Dignitas. Notula 1.

PRIMO inquam de huius *ſacrificij dignitate*, de qua licet plura dicta ſint, vbi de ſacrificio actum eſt; ſupereſt tamen adhuc aliquid hic annotandum, ſcilicet quod ſacrificij huius dignitas, ex his relucet, quæ ſequuntur,

Mundus, & dignũ, Sancto præ omnia fructu.

PRIMO inquam noſtrũ ſacrificium, præcellit omnia alia legalia in munditia, & honeſtate, quod patet ex his,

Scilicet { Exteriori ſpecie, Virginali origine, Spirituali dulcedine.

Primo ab exteriori ſpecie; Non enim mundius facilè tractari poteſt, quã ſub ſpecie panis, & vini: Et ſic vitantur multa inconuenientia, quæ ſequebantur cruẽta illa legalia ſacrificia. Hinc dicitur. Prouer. c. 14. *Melior eſt buccella ſicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum iurgio. Secundo* huius munditia patet ex *virginali origine*, quia non incepit ab vlla corruptione; ſed à virginali flore. Eccli. c. 24. *Flores mei fructus honoris, & honeſtatis.* Quaſi dicat (vt Aug. ait.) *Nobilitas Matris eſt ex deitate prolis; & nobilitas prolis eſt ex honeſtate Matris. Tertio* patet Munditia à *ſpirituali dulcedine*, qua cunctos Chriſtianos trahit ad ſe. Nam (iuxta Tullium) *Honeſtum eſt, quod ſua vi nos allicet.* Cant. c. 1. *Oleum effuſum nomen tuum*, &c.

Digitized by Google

II. SECVNDO eſt omnibus alijs ſacrificijs *Dignius*: Cuius dignitas patet ex tribus nobiliſſimis in eo contentis, ſcilicet,

Ex { Carne mundiſſima, Anima iuſtiſſima, Deitate altiſſima, } hinc eſt { Angelis reuerendum; Deo per ſe acceptum: Hominibus adorandū.

Nil igitur in ſacrificijs maius corpore, & ſanguine Chriſti.

TERTIO eſt cæteris oblationibus *Fructuoſius*. Eſt enim hoc fructuoſum

In { Mundo, Purgatorio, Cælo, } quia, { Peccata relaxans, Pœnam mitigans, Gaudiū generās.

Hinc eſt, quod triplices Miſſæ ſolent celebrari, ſcilicet

Pro { Salute viuorum, Requie defunctorum, Gloria beatorum.

Hinc, & hoſtia in tres partes diuiditur.

De primo. Leuit. 6. *Anima quæ peccauerit per ignorantiam, offeret arietem immaculatum*, Chriſtum, qui tollit peccata mundi. *De ſecundo*. Leuit. c. 17. *Dedi vobis ſanguinem, vt expietis ſuper altari meo pro animabus veſtris, & ſanguis pro anima piaculum ſit*. Aug. *Orationibus, & eleemoſynis ſancta Eccleſia, & Sacrificio ſalutari non eſt, dubium defunctorum animas relenari*, &c. *De tertio*. Apoc. 2. *Vincenti dabo manna* tunc apertū quod nunc *abſconditum* Pſal. 15. *Adimplebis me lætitia*. Pſal. 25. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Magna enim lætitia Sancti adimplentur in Patria, de huius ſacrificij oblatione digna: Et gratulantur.

In eo de { Memoria ſuæ redemptionis, Aſpectu noſtræ ſalutis, Admiratione diuinæ bonitatis.

Hinc dicitur in collecta, *Quæ tuis Sanctis ad gloriam, nobis prodeſſe facias ad veniam*, &c. vt ſupra.

QVARTO Sacrificium iſtud excellit legis illa ſacrificia, quia eſt nobis ſimul omnia, non tantum Sacrificium; ſed & Sacerdos, & altare, & breuiter omnia, quæ Sacrificia illa complectebantur. Nam illorum pacifica, & ſacrificia, mortem, cibum, propitiationem, reconciliationem, & ſanctificationem, & Sacerdotiū, & ſanctitatem complectebantur: Quæ omnia (ſcriptura teſte) Chriſtus eſt nobis in hoc Sacramento. Et non ſolum iſta, ſed & omnis oblationis ſalutaris genus complectitur hoc ſacrificium noſtrum. Eſt enim & hoſtia pro peccato, victima, oblatio, munus, decimæ, primitiæ, pacifica, gratiarum actio, votum ſpontaneum, ſacrificium, holocauſtum, incenſum. Hæc eſt hoſtia munda, & ſancta, non ſolum æqua, ſed omni debito noſtro maior, prægnans viribus, efficax virtute, libera debito, diues munere, grandis donis. Hæc eſt vere digna hoſtia, placens, placans, placantes hoſtias noſtras faciens; integrè efficiens, quod legales innuebant, & promittebant; conferens quod internæ, & mentales hoſtiæ noſtræ aſpirant. Promittebant quippè grandia, & incredibilia ferè, ſacrificia illa legis: Sed in hoc ſacrificio noſtro, inueniuntur ibidem promiſſa. O igitur ſacrificium dignum, ô Hoſtiam ſalutarem. Vere non apparet in conſpectu Dei vacuus, quiſquis Hoſtia tali venit comitatus, vtpote qui tantas offert omnis generis oblationes. Habeamus igitur in hoc ſacrificio noſtro omnia ſimul: Ipſe Hoſtia noſtra, ipſe Ara noſtra, ipſe Sacerdos noſter, ipſe Deus noſter, ipſe ſi pro nobis: quis contra nos, &c. Exod. 34

DENIQVE ſacrificium noſtrum excellit, quoniam imperfecta legis ſacrificia ſupplet & perficit, & vtilia facit: Nulla enim vnquam Hoſtia Deo placuit, quæ non in huius fide fuit oblata; Ibi vmbra, hic veritas continetur; quantum veritas vmbræ, tantum hoc noſtrum ſacramentum, præſtat legalibus ſacrificijs.

Conſiderationes de Miniſtro offerente. Notula 2.

SECVNDO ſe offert circa vſum huius ſacrificij multiplex conſideratio de *Miniſtro offerente*; Cui tamen conſiderationi, nolumus hic inhærere; tantum materiam adminiſtrantes, quam copioſè adminiſtrat ſanctus Thomas in ſecunda parte ſuæ ſummæ, hæc de miniſtro inquirens. XXXVI.

Si conſecrare ſit Sacerdotis.	*Si plures eandem hoſtiam conſecrare poſſunt.*	*Si hi ſoli diſpenſare.*
Si proprium,	Plures,	Tribuunt,
Si conſecrant; licet non ſumere.	*Si omnino poteſt à communione abſtinere.*	
Non ſumere,	Ceſſans,	
Verum malus Sacerdos poteſt conficere.	*An Miſſa eius minus valeat.*	*Si hæretici conficiunt.*
Si malus	An valet	Hæreſis,
Si degradati conſecrant.	*Si peccat à talibus ſumens.*	
Abſciſſus.	Recipit qui.	

Hæc plenè proſequitur Doctor ille vbi ſupra. Offertur quoque circa hoc membrum materia illa de dignitate miniſterij Sacerdotalis: De qua grandis poſſet ſermo haberi, & magni libri conſcribi; Sed hæc omnia prætereuntes in reliqua pergamus.

De oblationis ritu, & celebritate. Notula 3.

TERTIO igitur videndum de huius oblationis *ritu, & celebritate*: Sed hic etiā numeroſa ſe materia offert contemplanda; Nam de ritu offerunt ſe iſta. XXXVII.

Id eſt de temporis congruitate.	*De apparatu.*	*De loci qualitate.*
Tempus,	Vaſa,	Locus,
De deſectuum & periculorum varietate.	*De verborum & geſtuum myſteriabilitate*	
Defectus.	Verba, moduſque.	

De his paſſim Doctores in ſuis ſcriptis agunt; potiſſimè qui Miſſarum officium explanant, hæc ponunt. Vnde ſufficit materiam adminiſtraſſe meditandi. Quadrat etiam huic loco conſideratio generalis de Miſſa & eius dignitate; de audiendi Miſſam inductiuis, & modalitate; Itemque de veſtium ſacratum, cæ-

teratumque circumſtantiarum Miſſæ congruitate. In alijs hæc videantur. De his S. Thomas agit parte tertia ſuę ſummæ; & Albertus in de myſterijs Miſſæ; & Rupertus de Licio habet de his formales ſermones, in quibus horum plura habentur. Et hæc ſufficiant annotata de vſu huius Sacramenti primo.

De alio vſu Sacramenti prout eſt viaticum.

XXXVIII SVNT iam ſecundo principaliter, & quędam aſſignanda de altero vſu huius Sacramenti; in quantum ſcilicet ſumitur, vt *viaticum*. Circa quem vſum varia ſe offerunt conſideranda,

Scilicet de	Sumptionis proprietate,
	Manducationis varietate,
	Accedentium qualitate.

De ſumptionis proprietate.
Notula. 1.

PRIMO igitur videndum eſt, de *ſumptionis proprietate*; quare ſcilicet per modum manducationis aſſumitur; ad quod aſſignant Doctores rationes iſtas, ſcilicet,

Inſtituit, ſimilis, iungit, ſignant, operatur.

PRIMO, quia Chriſtus tali modo ſumendum ſe *inſtituit*, vt patet. *Secundo* ratione *aſſimilationis*, quia ſe cibo aſſimilauit dicens, *Caro mea vere eſt cibus:* Sed vſus cibi non eſt tantum, vt videatur, aut tangatur; ſed vt manducetur, ergo, &c. *Tertio* ratione maioris *coniunctionis:* Chriſtus enim intimius cordi noſtro vniri debet, quam aliquid aliud; ſed in rebus ſenſibilibus cibus, & potus nobis intimius vniuntur; nam ex cibo & comedente fit vnum ſimpliciter. *Quarto* ratione ſactæ *repræſentationis:* Nam manducatio iſta repræſentat, & ſignat attritum Chriſtum in paſſione, & propter nos vulnere ſuper vulnus laceratū. *Quinto* ratione *operationis*. Sicut enim manducatio corporalis ordinatur ad robur corporis: ita & ſpiritualis ad robur mentis.

Luc 21. Io. 6.

OCCVRRIT, & circa hanc proprietatem ſumptionis conſiderandum, *quare non ab omnibus ſumatur ſub vtraque ſpecie?* cum ſic videatur inſtitutum à Domino. De hoc multi multas rationes dederunt, qui contra Bohemos, qui in hoc errant, ſcripſerunt; quarum tamen rationum potiſſimæ ſunt numero decem, & habentur his verſibus,

Deuites, ſeruet, portes, quia deficit, ager.
Credas conformis, diſtet, fugias, vel adorent.

Prima cauſa eſt *Deuites*, ſcilicet periculum effuſionis, quæ faciliter poſſet accidere, ſi ſub ſpecie vini omnibus diſpenſaretur, vbi ſunt iuuenes, & ſenes, debiles, & infirmi, quod in maximam iniuriam huius colendiſſimi Sacrificij vergeret. *Secunda* eſt propter maiorem idoneitatem *ſeruandi*, & cuſtodiendi Sacramentum ſub ſpecie panis, quàm vini; quod tamen Sacramentum ſemper debet eſſe paratum pro communicandis infirmis, iuxta Sanctorum Patrum diſpoſitionem, in conſilio Tormacen, vt habetur de conſecrat. *diſtin.* 11. *cap. presbyter*. *Tertia* ratio eſt propter difficultatem *deportandi* hoc Sacramentum ad diſtantia loca, quod tamen ſæpe oportet: Et hæc ratio notatur in Concilio Remen. *Quarta* ratio eſt *Defectus* vini, qui ita magnus, & notabilis eſt in quibuſdam locis, quod vix ſuppetit modicum vini, pro conſeruando communi ritu: vt Albertus dicit; Quid ergo ſi tanta numeroſitas ſumptura eſſet ſub ſpecie vini Sacramentum? & etiam in bellis, vbi ſæpe penuria eſt vini. *Quinta* ratio eſt *Infirmitas*, ſeu conditio hominum, quibus grauis, & moleſtus eſt guſtus vini, & nocuus etiam in parua quantitate. Et hanc ponit Sanctus Tho. in 3 par. *Sexta* eſt propter *fidem* firmandam in ſimplicium cordibus; ne crederent, quod Chriſtus non contineatur, ſub vtraque ſpecie perfectè: ſicut quandoque legitur contigiſſe, vt inde exemplum narrat Alexander de Hales in ſua ſumma. *Septima* eſt propter conformitatem ad ſacrificia veteris Legis, quæ figura fuerunt huius Sacramenti; in quorum ritu hoc obſeruabatur, vt de libaminibus non ſumerent offerentes, ſed ſoli ſacerdotes; per quæ libamina, is porus ſignificabatur: Vt igitur correſponderet veritas figuræ, prouidè ſic eſt inſtitutum. *Octaua* ratio eſt, vt aliqua reuerentia, & *Diſtinctio* dignitatis, inter ipſum ſacerdotem, & populum appareret: vt qui præeminent poteſtate conſecrandi, præeminerent etiam modó ſumendi. *Nona* cauſa eſt, *Euitatio* erroris qui apud Bohemos eſt, qui credunt hoc Sacramentum, de neceſſitate ſalutis; ſub vtraque ſpecie ab omnibus ſumendum; quorum rationes ſunt à doctis eliſæ, & ineptæ oſtenſæ. *Decima* ratio eſt, vt cultus *adorationis*, & deuotionis huic cæleſti Sacramento debitus, totus referri intelligatur, ad contentum ſub ſpeciebus illis, & non ad ſpecies ipſas ſenſibiles apparentes. Et hæc de modo ſumptionis.

De manducationis varietate.
Notula 2.

SECVNDO hic videndum eſt de manducationis varietate; nam varijs modis aſſumitur; ſcilicet, XXXIX.

Mente, Sacramento, iunctiſque ſimul, neque neutro.

Quidam enim tantum ſpiritualiter, *quidam* Sacramentaliter tantum, *quidam* communicant vtroque modo, *quidam* vero neutro.

Modo	Sacramentali,	mãducãt	Praui Chriſtiani.
	Spirituali,		Omnes ſaluandi,
	Vtroque ſimiliter.		Boni & pij.

Quid ſit ſpiritualiter, aut ſacramentaliter tantum manducare, ſupra eſt deſcriptum, nec hic repetendum; ſed de ſingulis his modis parumper aſſignandum.

SACRAMENTALITER tantum, manducant mali, qui ſunt in genere triplici,

Digitized by Google

Scilicet { Maliuoli, Doloſi, Præſumptuoſi, } qui { ſunt in peccandi voluntate, hypocriſi accedũt ad altare. ſunt manifeſte mali.

De Primis dicitur, Eſa.c.25 *Appropinquauit populus iſte ore ſuo, cor autem eorum longe eſt à me.* Et hi hæc tria mala conſequntur,

Quæ ſunt { Peccati ſui aggrauatio, A Chriſto ſeparatio, Æterna damnatio.

Proſequitur hæc Sanctus Thomas, in Sermonibus ſuis, de venerabili Sacramento.

De ſecundis, dicitur, Tim.c.2. *Habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes:* ſed hi tria mala incurrunt,

Quia { Socij Iudæ traditoris efficiuntur, Coram toto mundo confundentur, Extra bonorum conſortium proijcientur.

De tertijs ſcriptum eſt, 1.Cor.c.11. *Qui manducat & bibit indigne, iudicium*, &c. Et hos tria mala ſequuntur,

Scili. { Magna culpa. Dei offenſa, Multiplex plaga. } Et { Praua intentio, præcepti trãſgreſſio, ingratitudo. Propter irreuerentiam Sacramenti. Damna Spiritualium, Strages hominum.

Contra tamen hæc omnia mala, bona ſunt remedia,

Scilicet { Emendatio vitæ, Correctio malitiæ, } per { Voluntariam pænitentiam, Superiorum diſciplinam.

Eya agamus, ne vnquam hoc modo, id eſt. Sacramentaliter tantum communicemus. Verè melius eſſet nobis non fuiſſe, quam ſic comedere bolum iſtum.

SECVNDVS manducandi modus, eſt *ſpiritualiter tantum*; de cuius diffinitione eſt actũ. Et hoc modo comedentes ſunt triplices,

Sicil. { Incipientes, Proficientes, Perfecti, } tatione { Fidei Saluatoris, Bonæ cõuerſationis, Deuotæ meditationis.

In hac autem ſpirituali manducatione, inſtar realis,

Oportet { Eſurire, Maſticare, Delectari, } ſcili. { Corde deſiderando; Cibum dijudicando: In Chriſto delectãdo.

Hanc autem ſpiritualem manducationem, comitatur triplex operatio,

Scilic. { Peccatorum remiſſio, A morte ſanatio, Chriſti participatio.

Hæc omnia Sanctus Thom. in Ser. de Sacramento.

TERTIVS modus eſt *Sacramentalis & Spiritualis ſimul*: Et qui ſic manducant optimam elegerunt partem, & fœliciſſimo fructu gaudẽt: vt ſupra eſt declaratum. Luc. 10.

QVI autem neutro modo ſumunt miſeri, ſunt, & infelices, quorum,

Quidam ſunt { Infideles, Negligẽtes, Contemnentes. } Et omnes cibo iſto indigni,

Poſſunt hic plura de his manducationis modis dici; ſed paſſim in aliorum ſcriptis habentur.

Tertium priuncipale, de accedentium qualitate. Notula 3.

TERTIO hic conſiderandum eſt de acceſſus, vel *accedentium qualitate*, vbi abunda ſe materia offert, XXXIX.

Scili. { Quibus licet, & quibus non licet accedere; Qualiter debent ſe accedentes diſponere: Quando, & quotiens debent accedere.

§ 1. *Qui debeant accedere.*

DE PRIMO, ſcilicet, *quibus licet, aut non, accedere*, ſciendum quod idoneus acceſſor, debet in ſe conditiones habere iſtas,

Solus homo, inque via, credens, bona, purus, adultus.
Deuotus, non ſit pranſus, non ipſe notatus.
Mundus, non miro, rectus, proprio, quoque tempus.

Primo erit natura *homo*; Et inde ſequitur, quod animal brutum non debet ſuſcipere hoc Sacramentum. Quocirca tamen ſe dubitatio offert, ſi mus, aut aliud animal comedat Sacramentum; vtrum realiter Chriſti corpus ſumeretur. Ad quod ſunt Doctores pro vtraque parte. Veriores tamen affirmatiuè concludunt, quod quamdiu ſpecies Sacramentales mutatę non fuerint; tamdiu remanet ſub eis corpus Chriſti: vt multipliciter probant. Patet ergo quàm ſollicitè hoc Sacramentum ſit obſeruandum. Dubitatur.

Secundo erit conditione *Viator*, in humanis adhuc agens: Vnde ſequitur, quod nullus comprehenſor, Angelus aut homo; imò generaliter quod nulla creatura, quę non eſt viatrix, debet hoc Sacramentum ſuſcipere; nec etiam tali debet miniſtrari. Non enim eſt corporea, ideo nec diſpoſita ſuſcipere ſpecies Sacramentales. In huius figura filijs Iſrael, tantum manna pluebat in deſerto, non in promiſſionis terra. In cælis enim, modo inuiſibili comeditur Chriſtus, cognitione & amore. Deut. 8.

Tertio erit Religione *Chriſtianus*, & *Fidelis*: Null'enim habet ius in hoc Sacramẽtali cibo, niſi qui eſt de familia Chriſti: In cuius typum, agnus præcipitur à filijs Iſrael comedi in vna domo, id eſt, Eccleſia Catholica, & hoc etiam

iam poſt baptiſmum ſuſceptum. Vnde patet, quod cathecumini, quantumuis in fide inſtructi; non debent ſuſcipere hoc Sacramentum. Manna enim non dabatur, niſi poſt tranſitum maris rubri; poſtquam ſcilicet baptizati erant in nube, & mari. Patet etiã quod hæretici, & apoſtatæ à fide, cum fidem Chriſti non habeant, licet characterem teneant, ſecluduntur. Similiter Pagani, Sarraceni, Iudæi, in quorum figuram in veteri lege incircumciſi, & alienigenæ, non admittebantur ad eſum agni

Ps.77.

Exod.12.

Quarto erit ætate *Senex & adultus*, ſoli enim tales ſecundum rationem viuunt: Adultos autem dicimus, qui iam venerunt ad annos diſcretionis, vt ſciant hoc ſacramento ſacramentaliter vti, id eſt, referre ſignum in ſuum ſignatum, & cognoſcere Chriſtum hic realiter contineri. Hinc patet quod pueris, qui nondum ad diſcretionis annos peruenerunt, non debet miniſtrari, cum nec diſcretionem, nec deuotionem habent. Qui autem ſint anni, relinquitur confeſſori diſcreto diffiniendum: quia ſæpe pueri octo annorum, magis diſcreti ſunt, alijs duodecim, aut quattuordecim annorum.

Quinto erit *rationis compos*, & mente ſanus: Vnde ſecluduntur amentes, furioſi, inſenſati, vel ſtolidi. Diſtinguunt tamen hic Doctores, quod horum *quidam debilem habent mentem*, ſunt tamen dociles eorum, quæ ad fidem & deuotionem ſpectant, & talibus non debet denegari; *Alij lucida* habent *interualla*, & licet talibus dare, dum apparent diſcretionis ſigna: *Quidam* autem à natiuitate, & ſemper ſunt *iudicio rationis carentes*, & talibus non eſt dandum. Porrò *dæmoniaci*, ſi conſtet, & aliquo crimine torquentur, ſecludantur, ſi autem non, non debet eis denegari.

Sexto erit conſcientia *Purus*, vt ſcilicet, ſit ſine conſcientia peccati mortalis: Immundus enim in lege non permittebatur accedere ad eſum agni; Oportet enim accedentem eſſe in gratia gratificante, quæ tollitur per peccatum mortale, & fit mortuus inhabilis ad ſumendũ cibum. Vnde qui in conſcientia peccati mortalis accedit, mortaliter peccat, ſecundum omnes: quia irreuerentiam exhibet Sacramento, & iniuriam, & hypocriſi etiam peccans. Dicitur autem cum conſcientia peccati mortalis; quia ſi quis eſſet in peccato mortali occulto, quod debita adhibita diligentia non potuit memorari, non ille peccat, deinde à Domino iam abſolutus. Hic offerunt ſe multa inquirenda, ſcilicet qualis conſcientia ſufficiat, qualiter diſcuti debet, ſi confeſſio differri poteſt: Item quam grauiter indignè accedens peccet: item an videndo corpus Domini peccet: item, ſi talibus negari, aut Hoſtia non conſecrata dari debet. Quæ omnia à Doctoribus paſſim tractantur, requirantur, videantur.

Ibidem.

Septimo, quod ſit *mente Deuotus*. Ergo cum homo eſt ita diſcraſiatus, & diſtractus, quod non poteſt ſe dare deuotioni, æquum eſt abſtinere: Non enim ſine actuali deuotione eſt hoc Sacramentum digniſſimum accipiendũ. Hic rurſus grandis offert ſe materia de qualitate huius deuotionis; puta qualis ſufficiat, & quomodo excitetur; & huiuſmodi multa, de quibus pulcherrimè inter cæteros; Conſueldiæ in ſuo de Sacramento ſcribit.

Octauo, quod ſit ſuſceptor *Ieiunus* hoc enim præcipitur *de conſecra. diſt. 2. cap. liquido*; niſi in mortis articulo, & graui infirmitate: Et hoc, quia cibum ſummæ reuerentiæ non debet alius præcedere; quia ieiunus magis diſpoſitus eſt deuotè ſumere; Item ne ſpecies Sacramentales, alijs cibis admiſceantur: Itemque ratione vomitus, & reiectionis præcauendæ, quæ fit magis ſtomacho cibato, quam ieiuno. Et hæc conditio intelligenda eſt, non de ieiunio eccleſiæ, ſed naturæ. *Ieiunium autem naturæ eſt priuatio cuiuſcunque præaſſumpti, per modum cibi, & potus*, vnde non licet prius ſumere medicinam. Dicitur autem *per modum cibi, & potus*, quia reliquię ciborum remanentes inter dentes, ſi caſualiter intrent, vel etiam modicum aquæ dum os abluitur, non frangitur (vt aiunt) ieiunium naturæ. Incipit autem dies naturalis, à media nocte.

Nona eſt, quod ſit crimine *non Notatus*. Nulli enim notato de infami crimine, debet Euchariſtia miniſtrari, vt euntibus ad duellũ, aleatoribus, baliſtarijs, euntibus ad torneamenta; dummodo huiuſmodi ſint inhibita. Hic tamen fiunt multæ diſtinctiones à iuriſtis, quas in Doctoribus requires. Item propter hanc conditionem non datur hiſtrionibus, meretricibus, publicis vſurarijs, & cæteris notorijs, niſi pœniteant apertè; Item publicam pœnitentiam agentibus non datur, niſi ea conſummata. Hic ingerunt ſe quęſtiones multæ, vtrum debeat dari ſuſpectis de crimine, excommunicatis: Interdictis, aut ſuſpenſis, Itemque ſi debeat miniſtrari ad mortẽ damnatis. Harum omnium ſolutiones in Doctoribus patent,

Decima conditio, quod ſit corpore *Mundus*. Et tamen hic de immunditia diſtinguendum, quia quædam eſt perpetua, & diuturna; alia temporalis, & facilè tranſitoria, & propter hanc poteſt abſtinere. Vnde patet quòd mulieribus menſtruatis, id eſt, in puerperio agentibus non eſt negandum. Hic fiunt diſtinctiones de ſomno pollutis, & ſic de aliis multis.

Vndecima eſt, quòd ſuſceptor non ſit *miraculo prohibitus*: Si enim appareret alicui ipſa Euchariſtia ſub ſpecie carnis, aut pueri, aut alio modo: tunc non eſt ſumenda ab eo, cui ſic appareret, quia tunc non habet rationem cibi. Hic dubioſa quæſtio verſatur inter Doctores, quid de tali hoſtia ſit agendum, vtrum ſit ſumenda, vel alia iterato conficienda, ſiue inter reliquias ponenda.

Duodecima eſt, quod ſit intentione *Rectus*. Debet enim illa intentione Sacramentum ſumi, ad quam hoc inſtituit Chriſtus, ſcilicet, vt quis Chriſtiformis fiat, id eſt, Chriſto conformetur in virtutibus, hic in gratia, & ibi in gloriã, & vt hic in vita ſpirituali roboretur, &c. vt ſupra de gradu intentionis. Vnde liquet, quòd non debet ſumi ad experimentum; ſiue aliquam purgationem infamiæ, nec ad

medi-

Digitized by Google

medicinam; aut aliquod maleficium exercendum, vt quandoque de vetulis eſt repertum, vt Nicolaus de Lira ſcribit.

Decimatertia conditio eſt, quod non debet ſumi niſi à *Proprio Sacerdote,* magiſtro idoneo, aut alio debito: Vnde non debet ſumi ab alijs non ordinatis, aut Prælatis, &c. Hic tamen diſtinctio ſolet fieri; ſed parum ad nos. Hic multæ ſe, & cumuloſæ quæſtiones circumagunt, ſi à ſuſpenſis, hæreticis, ac cæteris liceat ſumi.

Vltima in verſibus conditio tacta eſt, quod Euchariſtia debet ſumi *Tempore debito;* Eſt autem hoc tempus ab Eccleſia determinatum, vt ſcilicet ad minus ſemel in anno, aut ter in anno. In primitiua Eccleſia quotidie communicabant; in cuius ſignum adhuc quotidie pax in Miſſis datur; Hic tractandum eſſet, ſi liceat omnino à communione ceſſare; & quotiens debet ſumi; ſed de hoc infra. Ex iam dictis facilè patet, quibus accedere licet, & quos non accedere oportet, nota infra.

§ 2. *Qualiter accedentes ſe debent diſponere.*

XXXX. SECVNDO iam inquirendum *qualiter ſe debent accedentes diſponere*, vt digne tantum Sacramentum ſumere poſſint. Fatemur, plura ſupra in ſcala, ſunt de hoc poſita; hic tamen rememorandus eſt tropus ſepulchri Domini, vt per omnia, quæ ſepulto Domino, & eius ſepulchro adhibita, & exhibita ſunt, tropicè in noſtram eruditionem, & tanti Sacramenti præparationem trahamus.

Debet itaque communicans in primis *inuolutus eſſe linteaminibus*, per mundam affectionem, & conſcientiæ puritatem. Aut Ieſum tunc ſindone inuoluit; cum pura mente, & etiam corpore, eum in Sacramento ſuſcipit; *Inuoluere* autem oportet, quia myſterium eius clauſum eſt; Debet *vnctus eſſe aromatibus*, per feruentem deuotionem: Cum myrrha enim & aloe Ieſum inuoluit; qui eius paſſionem in corde cum amaritudine pænitentiæ, & compaſſionis recondit. In *nouitate monumenti*, ſignatur cor per gratiam, & puritatem innouatum, & ab omni vetuſtate peccati purgatum quod eſt aptum ad ſuſcipiendum Chriſtum. Per *monumentum lapideum* in petra exciſum, ſignatur cordis ſtabilitas, id eſt, in bono propoſito firmum, & fidei ſtabilitate, ſupra quam ædificata eſt Eccleſia; firmiſſimum cor, cupientis ſumere Chriſtum. Per *ſaxum autem oſtij monumenti aduolutum* ſignatur longanimitas perſeuerantiæ; vt videlicet mens corpus Chriſti recipiens, in prædictis conditionibus intendat finaliter perſeuerare; Item oſtio lapidem aduoluit, qui ſe claudit, ne poſſit ingredi peccatum, ne Chriſtus eum deſerat, & relinquat, donec ipſum à mortuis reſurgere faciat. Hæc proſequitur Ludolphus ad longum in quarta parte de Vita Domini. Et hæc ſufficiant pro præparamento. Nam de modo præparandi, accedendi, & abſcedendi, plenè actum eſt in ſcala.

§ 3. *Quando, & quotiens ſit ad Sacramentum hoc accedendum.*

TERTIO inquirendũ eſt, quando, & quotiens quis debet accedere: Vbi hæc concurrunt conſideranda, XXXXI.

Scili. quod:
- Nunquam accedere, non liceat:
- Crebro accedere, præſertim debito tempore, bonum ſit.
- Quandoque abſtinere, laudabile ſit.

PRIMO Euchariſtiam nunquam ſumere, non licet; propter iſta,

Votum, mandatum atque, ſtatutum, grande periclum.

Primo ratione Voti: Omnes enim tenentur corpus Chriſti ſpiritualiter manducare, id eſt, Chriſto per fidem, & charitatem vniri; ſpiritualis autem manducatio, Votum ſacramentaliter manducandi includit; ſi opportunitas adeſſet. *Secundo, ratione Mandati Domini* Quicquid Deus mandat, implere oportet; ſed hoc mandat inquiens. Io. c. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis*, (Io. 6.) quamquam hoc de ſpirituali manducatione, magis, quam Sacramentali eſt intelligendum, ergo. *Tertio ratione Statuti Apoſtolici,* quod conſtituit determinata tempora communicandi, vt patuit ſupra.

Quarto ratione Periculi, vel detrimenti: Nam corpus Domini nunquam ſumere, eſt valde periculoſum, propter iſta,

Priuat, mors, peccant, ingrati ſunt, maledicti.
Spernunt, atq́, negant, ſcindunt, fugiunt, bona perdunt.

Primo quia ſeipſos omni fructu huius Sacramentalis ſumptionis *Priuant*; imo & Sanctos, & alios fraudant, vt infra. XXXXII. *Secundo*, quia non comedere cibum eſt *Mortis* ſignum, & ſicut corpus, ita & anima ſine cibo viuere non poteſt. *Tertio* grauiter *peccant*, quia mandatum Dei, & Eccleſiæ tranſgrediuntur. *Quartum* eſt ſignum *Ingratitudinis*, nolle ſuſcipere Chriſtum, qui declinat tanquam viator ad manendum. *Quinto* audient in iudicio, ite *Maledicti*, &c. *Hoſpes fui, & non ſuſcepiſtis me.* (Ier. 4. Matth. 25) *Sextum* eſt ſignum, *Contemptus* menſæ, cum Chriſtus ad cœnam inuitat, vt illi in Euangelio, alijs intenti, à cœna excluſi. (Luc. 14. Luc. 9.) *Septimo* ſunt ſimiles Samaritis, qui Domino hoſpitium *Negabant.* *Octauo* eſt ſignum *Sciſmatis*, quia non communicant vnitati corporis Chriſti. *Nono* hi comparantur Petro, à Domino *Fugienti*, & dicenti; *Exi à me, quia homo peccator ſum Domine,* & luce veniẽte, magis tenebras amant. O errorem! (Alio tamẽ atque alio ſenſu.) *Decimo*, quia maxima *Bona amittunt*, & ergo magnam pœnam incurrunt. (Luca 5. Io. 5. Num. 9.) *Si quis mundus eſt, & in itinere non fuerit*, id eſt, non habens impedimentum iuſtæ neceſſitatis; & *tamen non fecerit phaſe, exterminabitur anima illa de populis ſuis, quia ſacrificium non obtulit Domino ſuo, in tempore ſuo; peccatum ſuum ipſe portabit.* Et hæc de primo.

SECVNDO dicimus, quod *crebro accedere, bonum ſit.* Quod patet auctoritate Eccleſiæ, vt ſcilicet, *cum frequentatione myſterij inquit, creſcat*

noſtra

Digitized by Google

noſtræ deuotionis affectus. Secundo patet ratione. Nam ſiquis, quotiens dignè ſumit, gratia repletur; quare non ſæpè? Tertio ſimilitudine, quia bonum eſt, & neceſſarium, crebrius comedere, &c. Vtrum autem quotidie ſit communicandum, conſcientia cuiuſque optima diiudicatrix eſt; quantum, ſcilicet vita concordet. Vtrum autem pluries licet in vno die communicare, quidam caſus ſunt Presbytero, qui patent in ſcriptis; Laico autem non licet.

Tertio dicitur; quòd quandoque abſtinere laudabile ſit, cæteris tamen paribus, melius eſt ex amore accedere; quam ex reuerentia abſtinere, vt patet ex his,

Carus, honor, valor, actio, par, prastoque Zachæus.

XLIIII. *Primo ratione Charitatis*, & amoris: Amor enim præfertur timori; Sed deſiderium communicandi communiter prouenit ex amore charitatis, in qua radix meriti conſiſtit, ergo. *Secundo ratione Honoris*, quia ſi aliquis reueretur abſentiam Regis, multoplus præſentiam eius; Atque etiam, quia ſummus honor redditur Deo, cum hoc Sacrificium ei offertur. *Tertio ratione Valoris*, Vtilius enim, & laudabilius eſt, valorem effectus, & vtilitatem Sacramenti percipere accedendo, quam abſtinendo eo carere. *Quarto ratione actionis*, aut operis; Melius eſt enim facere, quod ex ſuo genere eſt bonum, quam quod eſt per accidens bonum; Sed communicare eſt ex ſuo genere bonum, abſtinere autem per accidens tantum. *Quinto probatur ex parte ſimilitudinis*, ſic; in alijs Sacramentis, cuilibet melius eſt accipere Sacramentum, non ſolum propter præceptum; ſed etiam propter vberiorem fructum, quam deſiſtere: Sed hoc Sacramentum eſt nobilius cæteris, ergo. *Sexto, ex parte præparationis*. Quanto aliquis eſt melius præparatus, tanto plus meretur, & laudatur: Sed maior eſt præparatio communiter in accedente, quam in abſtinente. &c. *Septimo probatur ex parte*
Luc.19. Mar.8. *comparationis Zachæi*, & Centurionis, quorum vterque laudatur: Zachæus tamen tanto hoſpitio fælicior reputatur, vt dicit Auguſt. Et hæc de vſu huius Sacramenti, & modo ſumptionis.

MEMBRVM. VI.

Sexta buccella de dulcedine Sacramenti.

Panem de cælo præſtitiſti eis, omne delectamentum ſuauitatis in ſe habentem. Sap. 16.
Pſ.33. *Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.*

Sexta buccella maſticanda eſt de *dulcedine Sacramenti*, & de cauſis ſubtractionis huius guſtus. De effectu enim, & vtilitate Sacramenti, plura iam præmiſſa ſunt; imò & pauca de dulcedine Sacramenti: vbi actum eſt de dulcedine, & ſuauitate cibi; ſupereſt tamen adhuc paululum, quod de hoc offeramus. Et videndum eſt in primis.

Scilic. { Quales ſapores habeat,
Cur omnes hos non participant.
Quibus medijs hic guſtus debet conciliari. }

§ 1. *Quales ſapores habeat Eucharistia.*

De primo notandum, vt etiam ſupra eſt allegatum, quia ſecundum Ioan. de ſancto Geminiano, ſeptem illæ differentiæ ſaporum, quos Philoſophus in lib. de Senſu & ſenſato enumerat, ſpiritualiter in hoc Sacramento reperiuntur; & ſunt hi:

Dulcis, acutus, amar. ping. ſalſus, ſtipticus, auſter.

Primo enim, in hoc dulciſſimo Sacramenti ferculo eſt *ſapor Dulcis*, ſignans donum ſapientiæ, quod facit diuina ſuauiter deguſtare. O qualis dulcedo. *Secundo* eſt hic ſapor *Acutus*, ſignans donum intellectus quod facit penetrare vſque ad intima rei. *Tertio* eſt hic Sap.8.
ſapor *Amarus*, non quidem in Sacramento, ſed in nobis ſumentibus illud effectiue: (*Non enim habet amaritudinē cōuerſatio illius*: Multo igitur minus guſtus eius) quia cauſat in nobis ſcientię donum, quod huius mundi amaritudines facit dolere. Sic cibus ille dulcis *amaricauit ventrem* Prophetæ. *Quarto* eſt hic ſapor Apoc.10. Gen.49.
Pinguis: *Aſer enim panis pinguis*, & ſignat pietatem, qui in alios pietatis oleum diſtillat. Pſal.22. *Impinguaſti in oleo caput meum*. *Quinto* habet ſaporem *Salſum*, & hoc effectiuè, cauſans in nobis conſilij donum, in quo eſt ſal diſcretionis. *Sexto* habet *Stipticum* ſaporem, qui eſt ſapor habens multū de terreſtri & calido, ſignās fortitudinis donum, quod fortificat hominem ad terrena omnia calcanda, & ad grandia pro Chriſto ſubeunda: vt patet in Helia. *Septimo* eſt in hoc Sacramento ſapor *Auſterus*, vel aceroſus, ſub quo & ponticus ſapor, vt in piris acerbis, continetur, quo nihil deficit huic Sacramento; Et ſignant hi ſapores 3. Reg.19.
donum *timoris*. qui pungit ex recordatione peccati, & iudicij terrore. Patet igitur, quod verè ſapiens dixerit de manna huius figuratiuo, *panem de cælo præſtitiſti eis* &c. vt ſupra in themate. Habentur plura ſupra de ſaporibus iſtis, vnde ſufficiant hæc. Hoc vnum pro exercitiolo aſſignamus, quod hi ſapores adaptentur ſecundum ſeptem ſpirituſſancti dona, quibus Chriſtus, Eſaia teſte, pleniſſimus fuit: Vnde multorum hoc eſt exercitium ſingulare, Eſa.11.
vt tempore communionis, pro his inſtantius Chriſtum exorent, quo de plenitudine eius accipiant & ipſi. Et ad hoc plurimum quadrat Io.1.
oratio illa S. Bonauenturæ, in fine arboris crucifixi ſcilicet. *Oramus igitur clementiſſimum Patrem, per te vnigenitum eius*, &c. vbi deuotiſſime hæc ſeptem expetuntur. Oremus igitur & nos, vt ſaporibus his repleamur, vt dulcedinem ſuauitatis eius eructare, cum Propheta poſſimus, *quam dulcia faucibus meis*, &c Pſ.118.

§ 2. *Rationes cur Sacramentum hoc, non omnibus ſapiat.*

XLV. Secundo iam inquirendum, cum is cibus tam delitioſus ſit, & ſapidus, cur plures tam irrefecti, & inſipidi, & aridi inde abſcedant? Scripſit ſuper hoc Venerabilis ille

Digitized by Google

Doctor Magiſter Henricus de Haſſia ſuper Geneſi,quem alij inſecuti:vt Coſueldia,Ioan. de Turrecremata, aiunt: Si duo inſpiciamus, fortaſſis ceſſabimus ſuper hoc mirari. *Primum* eſt,quod panis iſte viuificus,etſi delitioſus, & virtuoſus ſit; liberrimus tamen eſt,& voluntarius in operando, dans quibus vult, quando vult, & quantum vult dulcedinis ſuæ,& ſuauitatis potentiam ſentire : Cum ergo hoc Sacramentum non naturaliter,ſed pro voluntate Chriſti, qui omnium corda nouit, agat; quandoque vnus ſentit interius hunc eius effectum,alter alium,& alius nullum. Secundo conſiderandum, quod experientia,& effectus ſaporis huius cæleſtis panis non eſt debitus ſtatui huius præſentis perægrinationis,ſed ſtatui beatæ conſummationis: Cum tamen datur, gratiæ ſunt agendæ; ſed non importunè hoc exigendum.

VT TAMEN particulariusejuſmodi cauſæ noſcantur, aſſignandæ ſunt decem rationes Ioannis de Turrecremata Ordinis Prædicatorum Doctoris Hiſpani, pòſt Sancti Sixti Cardinalis,quas idem dicit ſe collegiſſe ex Hugone Cardinali, & Cancellatio Parifien.& alijs, & ſunt iſtæ.

Culpa, vagans animus , ſubtile,fides , humilis ſis.

Gratus, & inſtructus, feruens, purgatio, rumen.

PRIMA cauſa eſt *culpa*, propter quam fit indiſpoſitio palati; ita vt habeanr fauces amaritudine peccati infectas! Et quia infirmis omnia amara (vt Philoſophus ait) videnrur,ergo. Hinc Auguſt. *Palato non ſano pæna eſt panis, qui ſano eſt ſuauis.*

SECVNDA eſt *Vagans animus*,id eſt quando quis gerit cor terrenis occupatum cogitationibus, aut mundanis, & ſæculi rebus debitum. Exo. 16. Sicut enim manna dabatur deficiente farina Ægypti,& in deſerto, vbi aliud delectabile, & reficiens ad guſtum non erat; ſic non ſentitur guſtus gratiæ, & ſapor cibi huius cæleſtis, niſi ab his, qui ſæculi conſolationes ſpernunt, & corde ſe in deſerto transferunt. Bern. *Delicata eſt conſolatio diuina . nec datur admittentibus alienam.* Hinc Pſal. 64. *Pingueſcent ſpecioſa deſerti.* (Vide.)

TERTIA eſt *ſubtilitas, & ſublimitas* ſaporis illius, ad quem communi lege non valet virtus noſtri palati; ſicut nec omnis intellectus, licet fide illuminatus , Prophericum culmen attingit : Hinc dicitur Apoc. 2. *Manna abſconditum*, ſcilicet in hoc ſæculo; ſed omnibus reuelandum in futuro,Propheta dicente, *Satiabor cum apparueris gloria tua.* Pſal. 16.

QVARTA ratio eſt,ne euacuetur *fidei* meritum, quod fieret,ſi tam ex euidentibus effectibus concluderetur veritas huius Sacramenti, ſicut legitur factum in venerabili Magiſtro Hugone Parrhiſienſi. altero Auguſtino, Canonico Regulari, qui propter quandam reuelationem (vt aiunt) huius Sacramenti merito fidei fraudatus fuit. Quod meritum Rex ille Franciæ Catholicus retinere voluit, qui Sacramentum in ſpeciem pueri transfiguratum videre recuſauit, dicens ſe credere malle.

QVINTA ratio eſt *humilitatis* conſeruatio, vt ſemper ſe homo indignum hoc guſtu profiteatur : Humana ènim lætitia facile luxuriat in ſuperbiam, vt paret in Religioſo, qui quia ſuperbiuit, ſolitum Sacramenti ſaporem amiſit.

SEXTA, quia fortaſſis,de percepta alias ſuauitatis gratia, minus *gratus* fuit, aut minus cuſtoditè eam ſeruauit. Non enim eſt dignus dandis,qui ingratus eſt datis.

SEPTIMA eſt, vt ex hoc *eruditior* in gratia fiat, & intelligat, quia à Deo, non ab homine, ex gratia,non ex meritis, talis guſtus in Sacramento ſentitur, vtque ſic cautior ſit cuſtodiendo.

OCTAVA eſt, vt *feruentior* deinceps ad Sacramentum accedere ſtudeat,quia non niſi chatiſſimis, & diuino amore plenè concrematis datur hac ſuauitate inebriari.

NONA eſt *purgatio* peccati,de quo minus plenè forſan purgatus eſt: Solet namque Deus noſter , purgare animas deuotorum,per ſubtractionem gratiæ, & conſolationis ſuæ, cuius carentia eſt eis, qui guſtauerunt, maxima afflictio,& dirus cruciatus.

DECIMA cauſa,& inter cæteras potiſſima, eſt *defectus ruminationis*, & maſticationis:Quidam enim hunc panem vitæ ita degluriunt, vt non ſolum ex illo ſaporem ſuauitatis maſticando non exprimant, ſed nec etiam vllum ſaporis, aut odoris eius, vel tenue veſtigium retineant : Alij vero,nec cordis faucibus illum tangunt, ſed ſpecie tenus illum tantum ſumunt. Non igitur mirum , ſi nullum ſaporem inueniant , cum nec corporales cibi, niſi maſticati, ſuos ſapores diffundant. Et ne quiſquã in ſui excuſationem,huius maſticationis prætenderet inſcitiam,ideo tanta ſunt hic meditabilia aggregata, vt ſupra dictum eſt. Quiſquis autem cauſas has hoc pro poſſe præcauerit,& quod in ſe eſt fecerit, & tamen nihil huius guſtus perceperit, imo etiam ſi mentis duritiam ſenſerit, non diffidat, nec ob hoc à menſa iſta ſacra deſolatus abſcedat,aut abſtineat,ſed putet hoc ad ſui humiliationem, aut purgationem, aut cæteris ex cauſis deuenire. Nam licet hoc Sacramentũ,quodam occulto influxu virtutes augeat habitualiter,non tamen ſemper in actualem feruorem redundat perceptibiliter; imò quidam areſcunt magis,quibus ſi fortitudinis actus, vt eſt ſuſtinere martyriũ, aut grauis tentatio incumberet, fortitudinem inuenirent; vt Haſſia ait; vbi fortaſſis alij,qui ſapores hos guſtant,caderent. Nonne Petrus plus erga Chriſtum feruit, tamen ipſum primo negauit? Nam & huiuſmodi ariditas,quibuſdam ex naturæ complexione ineſt,aut ex multis cauſis immittitur a Deo: Quarum Ioan. Gerſon venerabilis in ſuo de Myſtica Theologia ſexdecim, aut plures cauſas aſſignat. Cum ergo gratia hæc datur, gratias age: cum non datur,gratus libenter ſuſtine,vt ſuadet Bernardus, ſciens, quod ſupplebitur in Patria, quod negatur in via. Matth. 26 Marc. 14.

§ 3 De

§. 3. *De medijs guſtus ſpiritualis obtinendi.*

XLVII. SED IAM TERTIO, cùm is ſpiritualis gratię guſtus præſertim valde neceſſarius ſit nouellis Religioſis; aſſignanda ſunt quædam media, quæ ſunt ad eius perceptionem diſpoſitiua, Et, pluribus omiſſis, optima ſunt iſta, vt, ſcilicet

Homo	Impedimenta deuitet,
	Promotiua aſſumat,
	In interioribus ſenſibus ſe exerceat.

IMPEDIMENTA autem quædam ex iam dictis pateſcũt, cuiuſmodi eſt peccati infectio, Animæ ad externa euagatio, Timor mentis, & elatio, Ingratitudo, & maſticationis defectus, & ſuper omnia, aliorum (vt Vincẽtius ſcribit) dijudicatio. Qui ſcribit, *Si vis gratiam Dei percipere, ſi non vis corruere, noli alios iudicare, nec te præ cæteris efferre. Maxima enim ſpiritualis guſtus impedimenta ſunt, elatio & præſumptio.* Nam de ſe præſumentes alios indignantur, & ipſos dijudicant: Et communiter illud accidit, quicunque alium in aliquo iudicat, Deus permittit illum in eundem defectum cadere, vel maiorem. Vis igitur guſtum hunc percipere? ſtude omnia iam enumerata declinare.

SECVNDO quoque oportet *promotiua* aſſumere, quorum plurima ex iam præmiſſis pateſcunt, & ſunt contraria impedimentorum pauca, Mentis à culpa purgatio, Senſuum cohibitio, Profunda ſui humiliatio, huiuſmodi pręmiſſis oppoſita: De quibus paſſim habetur inter Sanctorum ſcripta.

TERTIVM ad hunc internum guſtum diſpoſitiuum eſt, quod homo interioribus & ſpiritualibus ſenſibus ſeſe exerceat: Nam cùm cibus is ſit ſpiritualis, ſpiritualem gignit ſaporem; Spiritualis autem ſapor, non niſi ſpirituali guſtu deprehendi poteſt: Impoſſibile enim eſt guſtare, niſi per ſenſum guſtus, de quo guſtu dictum eſt, *Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* Pſal. 33. Apparet ergo, quam volenti ſaporem ſpiritualem deguſtare, neceſſarium ſit circa internos ſenſus, maximè circa ſenſum guſtus, exerceri. Nam ſenſus hi ſpirituales ita in nobis ſunt corporea mole obruti, vt non niſi viuaci exercitatione, ad actus ſuos reducuntur.

XLVIII. OFFERRET ſe hic nunc pulchra materia, non abre pro horum intelligentia, puta de *ſpiritualibus ſenſibus*, quibus ſpiritualis percipitur cibus tractanda, ſed quoniam in ſuperioribus prolixi fuimus, æquum eſt, vt vel iam nos ſuccinctius tranſigamus, præſertim cùm hæc materia non directè concernat hoc Sacramentum. Vt tamen pauca tangamus, *notandum*, quod (ſicut ex Sanctorum dictis, imò etiam Scripturis ſanctis colligitur) quemadmodũ ſunt quinque ſenſus exteriores, ita ſunt & quinque interiores & ſpirituales, vt dicit author de ſpiritu & anima: Nam

De ſpirituali	Viſu,	dicitur,	*Videte, quia ego ſum ſolus.*	Deut. 32.
	Auditu,		*Qui habet aures audiendi.*	Matt. 13.
	Guſtu,		*Guſtate, & videte.*	Pſal. 33.
	Tactu,		*Quis eſt, qui me tetigit?*	Marc. 6.
	Odoratu,		*In odore vnguentorum tuorum.*	Cant. 1.

Bernardus: *Sicut corpus habet quinque ſenſus, quibus anima coniungitur mediante vita: Sic & anima, quibus Deo coniungitur mediante charitate.* Supereſſet iam conſequenter inquirendum, de horum ſenſuum cognitione & diſtinctione, & cætera multa: Sed hæc omnia remittimus inquirenda, in Tractatu Reuerendi Domini Magiſtri Petri de Alliaco, qui deuotum ſuper his tractatulum compilauit: In quo determinat primo de ſenſibus ſpiritualibus in genere, & de ſingulis in ſpecie, docens horum ſenſuum diſtinctionem multipliciter, ſcilicet,

Penes	Potentias rationales,	prout ibi patet.
	Actus vitales,	
	Rationes obiectales,	

Qui etiam poſtquam egit de ſingulis ſenſibus in ſpecie, ſubnectit de horum ſpiritualiũ ſenſuum impedimentis, & eorundem remedijs & iuuamentis.

MEMBRVM VII.

De ſeptima & vltima buccella; ſcilicet contemplatione proprietatum.

M*Emoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt.* Pſalm. 144.

IAM POSTREMA eſt huius ferculi buccella aſſignanda, quę (vt omnia liceat à fine denominari) magis erit affectiua, quàm ſpeculatiua; affectu quàm intellectu exercitabilis magis, & forſitan eo dulcior paruulis, quo facilior exercitatu: Et eſt hæc, proprietates diuinas in Sacramento relucentes conſiderare, & harum memoriam cum laude & gratitudine eructare. Pro cuius intellectu *notãdum*, quod quidam hoc exercitij habent, vt poſt ſumptum Sacramentum, ſe conſiderationi dedant, proprietates in Sacramento relucentes, ſecundum choros Angelorum, vel Sanctorum applicent, ſuper hiſque Deum laudent, & Angelorum choros, vel Sanctorum, quorum proprietates conſiderauerunt in Sacramento, ſimul ad laudem conuocant, & huiuſmodi proprietates per Angelos ipſos, vel Sanctos, à Sacramento exorant, vt gratia exempli,

In	Seraphin,	lauda	amorem,	boni	charitatem,	in	ſpiritu.
	Cherubin,		ſapientiam,		cognitionem,		intelligentia.
	Thronis,		pacem,		tentionem,		memoria.
	Dominationib⁹,		pręcellẽtiã,		puritatem,		affectu.
	Poteſtatibus,		poteſtatẽ,		repreſſionem,		iraſcibili. (li.
	Virtutibus,		virtutem,		operationem,		cõcupiſcibi-
	Principatibus,		principiũ,		directionem,		rationali, (ne
	Archangelis,		artem,		ſecretorũ reuelationẽ,		imaginatio-
	Angelis,		bonitatem,		obedientię velocitatẽ,		ſenſu.

Et huiuſmodi exercitatio affectuoſa valde, cuius ſit hæc exemplaris.

§. 1. *Ruminatio proprietatum in Sacramento relucentium, per conuerſionem ad Angelorum Choros.*

XLIX. IN SERAPHIN conſiderandus eſt diuinus amor, quo hoc Sacramentum inſtituit, & nobis communicauit: Vnde ſunt ad laudem illius amoris conuocandi, & deindeorandi, quo nobis ſuas communicent proprietates, vt ardenti charitate ferueamus hoc modo,

Ad Seraphim.

O *Ardentiſſime amor, ô carbo ignite, panis viue, panis ſancte, Ieſu Chriſte; benedico, laudo, glorifico te in æternum, pro tuo ardentiſſimo amore, quem mihi in hac Euchariſtia oſtendiſti, quo transformatiua charitate vnum tecum eſſem. O amoroſam vnionem! ô vnitiuum, & ardentiſſimum amorem!*

Fiat hic iam conſideratio amoris diuini, quoad qualitatem & quantitatem, dijudicatione & admiratione; Deinde fiet laus & benedictio talis,

O benedicat, laudet, glorificet te pro me, tuus æternus, gratuitus, inæſtimabilis amor, & ſolus quippe ſufficis tibi, tu tibi tua laus.

Poſthæc fiet conuocatio Angelorum Seraphin:

O ſuperardentiſſima Seraphica incendia, flammiuoma fornaces, lapides igniti, ſacroſancta Seraphin, obſecro per omnem, quo flagratis amorem, hanc ardentiſſimam amoris Euchariſtiam pro me benedicite, laudate & ſuperglorificate, participando mihi de proprietatibus veſtris, quo Ieſum ardentem amorem, panem calentem, quem ardens decoxit focus charitatis, non modo diligam, ſed & amem amore immobili, inceſſabili, acuto, feruido, ſuperferuido, inceſſabili. Quæ ſunt proprietates Seraphin iuxta diuinum Dionyſium, quibus ſingulis eſſet immorandum expoſitione, & oratione.

Patet ergo, quàm is modus ſit affectuoſus non modo, verum & materia copioſa. Nam offert ſe hic materia de diuino amore, præſertim in Euchariſtia relucente; Item de proprietatibus Seraphin, ſuper quibus grandis poſſit ſermo fieri; Itemque de torpore & ariditate noſtra, modo conquæſtionis ſiue querelæ. Magnum ergo ſeminarium copiæ iſtud, plurimum quoque valet is modus, pro ſtabilimento animi. Nam cùm homo ſe figit & ponit in vno aliquo Choro Angelorum, non tam facilè diſtrahi poteſt; ſed & ipſe Angelicus efficitur, perfruens ſocietate illorum.

Contemplatio ad Cherubim.

POterunt ad huius præcedẽtis inſtar, etiam ſic ad cæteros Choros fieri meditationes; vt ſcilicet ad Cherubin dicatur: O IESV *illuminatrix Sapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodiſti, quam ſuauiter & ſapienter nobis in* Eccli. 24. *hoc Sacramento diſponis; laudo, glorifico, benedico pro tua ſapientia in hoc Sacramento ſub modis congruentiſſimis myſterialiter collata. Verè ſapientia ædificauit ſibi domum.* Prouer. 9. *O ſapientiam admirabilem! ô menſam propoſitam! ô domum ædificatam! ô exciſas columnas!*

Hic iam fieri poterit conſequenter cõtemplatio ſapientiæ diuinæ, quæ talem modum adinuenit, qua ſub tam congruentiſſimis ſpeciebus hoc inſtituit; qua circunſtantias tam ſapientialiter obſeruauit

Deinde Cherubicorum ſpirituum ad laudem tantæ ſapientiæ conuocatio, & proprietatum eorundem, quæ maximè in hoc Sacramento ſunt exorandæ.

Quę ſunt:
- Clarè cognoſcere,
- Deiformiter videre,
- Diuinam pulchritudinem contemplari,
- Sapientifica luce impleri.

Oremus igitur, vt iſtorum inſtar, det nobis huius altiſſimi Sacramenti claram per fidem cognitionem, diuinam eius ſub ſymbolis Sacramenti viſionem, & ſic de cæteris.

Contemplatio proprietatum Thronorum in hoc Sacramento.

O IESV *verum noſtræ pacationis ſacrificium, pax noſtra, qua feciſti vtraque vnum; benedico, laudo, glorifico te ſuper hoc pacatiuo ſacrificio, in hoc Sacramento exhibito mihi, quo me tibi, Angelis, proximis, mihi ipſi confœderaſti. O ſacrificium adorandum! ô hoſtiam placationis!* Ephes. 2.

Hic materia de ſacrificio patet, vt ſuprà.

O benedicant, laudent te Throni, ſpiritus omnes. Eya vos pacatiſſima Thronica ſubſellia, benedicite, laudate, mihi de veſtris proprietatibus communicate, vt

Habeam:
- *Mentis celſitudinem ad Deum extollendum.*
- *Circundationem Regis, ad ſemper retinendum.*
- *Collocationem ſtabilem, vt ſolium gloriæ fiam.*
- *Regis ſuſceptionem, per inhabitantem gratiam.*
- *Regis delationem, vt ſim Salomonis ferculum.*
- *Familiarem apparitionẽ, vt ſecretoris habeam cognitionem.*

Hæc enim ſunt proprietates veſtræ, propter quas digna eſtis ſubſellia Regis, à quibus proh ego longè abſum. Ego enim mentem depreſſam, animum vagum, propoſitum inſtabile habeo. O en, quàm diſpar ego. Etſi digna Deo ſedes ſiam, oportet, vt in proprietatibus dictis vobiſcum communicem. O miſeremini mei ſaltem vos amici mei, ſuccurrite, vt dignum ſedile Domini fiam. Iob 19.

Conuerſio ad ordinem Dominationum.

O IESV *Domine Dominorum, laudo te ſuper dominio præcellẽti in hoc dominãtiſſimo Sacramẽto illucente, quod tam innumeris priuilegiorum præcellentijs adornatur. O verè præfulgens, ô præ-*

ô precellentiſſimum Sacramentum.

Hic de excellentia Sacramenti, vt ſupra in gradu inflammationis.

Benedicat, laudes te ordo Dominatus. Eja vos Dominationis irrefragabilia numina, laudate, & glorificate communicando mecum de veſtris proprietatibus, vt dignus laudator fiam. Vt

habeã
- *A ſeruitute libertatem,*
- *Subiectionis nullius egeſtatem,*
- *Ab hoſtibus inuincibilitatem,*
- *Dominandi nullam vanitatem,*

ne
- *Peccato ſeruiam,*
- *Cõcupiſcẽtijs ſubyciar.*
- *Vitys opprimar.*
- *Vt ſim humilis corde.*

O dominemini mei in conuiuio iſto, vt Dominum dignè exceptem. Sunt aliæ multæ Dominationum proprietates, quas nec locus, nec prolixitas enumerare ſinit; tantum pro exemplo aſſignantur iſtæ.

Conuocatio Angelicarum Poteſtatum.

O Ieſu poteſtas infinita, te benedico, laudo, pro incomparanda poteſtate, mihi in hoc Sacramento conficiendo exhibita, ſupra omnem creaturam. Nulla Angelica natura, ſacerdotalem charactereм tenet, non magnorum quiſquam hac poteſtate præfulget. O indicibilem poteſtatem, & ordinem digniſſimum, cui nulla dæmoniaca impoſtura, nec propria infecta natura obuiare poteſt. En quodammodo creo me creantem, &c.

Hic de poteſtate & dignitate ſacerdotali. Itemque de poteſtatiua tranſſubſtantiatione Sacramenti.

Vnde mihi culici, lapidi, nihilo, poteſtas tanta? O quid retribuam tibi? Benedicat te pro me, tua infinita poteſtas, quæ ſola laudare dignè poteſt. Laudent te & Angelica illæ poteſtates ſuper tanta poteſtate, mecum de ſuis proprietatibus participantes, vt & ego dignus ſiam poteſtatis tantæ concentor virtute huius Sacramenti,

O ſim, & ego
- *Ordinis & dignitatis cuſtoditiuus,*
- *Aliorum ordinatiuus,*
- *Diſperſorum congregatiuus,*
- *Contrariarum poteſtatum coercitiuus.*

O aduerſas à me abigite ſemper, & cohercete poteſtates.

Conſideratio mirabilium cum inuocatione virtutum.

O IESV *virtus mirabiliſſima, quæ memoriam tuorum mirabilium faciens, virtutémque operum ſuorum populo annuncians, ſuperſtupenda* Pſal. 110. *in hac eſca miracula congeſſiſti. O adorandam! ô mirandam virtutem!*

Hic notentur mirabilia huius ſacramenti, modo profeſſionis & actuationis.

Benedicat te tua virtus pro me. O ſtrenuiſſimæ Virtutes, quibus ſua mirabilia operatur Deus, benedicite & laudate, mecumq́ de veſtris proprietatibus participate, vt ſcilicet,

Habeam
- *Inexpugnabilẽ virilitatem in*
  - *Contrarijs reſiſtendo.*
  - *Ardua aggrediendo,*
  - *Mala tolerando.*
- *Nullius imbecillitatis tarditatem.*
- *Ad inferiores largitatem.*

O veſtris me Dei conuiuam virtutibus ſuffulcite.

Inuocatio Sanctorum Principatuum ad laudem Sacramenti.

O IESV *omnium rerum primum principium, laudo, glorifico te, pro Principatiuo principio, quod verè tu es in hoc liberaliſſimo conuiuio exhibito, vt me conuertes tibi principio effectiuo, refectiuo, reductiuo.*

Hic conſideretur quomodo cõgruit, quod per principium, quo ſunt cuncta creata, etiam reducantur. Et quomodo hoc Sacramentum cunctis rebus præſtet.

O te principium, ô me nouiſſimum! O te omnis boni effectiuum, ô me eius deſtructiuum! Benedicat te pro me æternus tuus Principatus. Et illuſtriſſimi illi principes, mecum de ſuis communicantes bonis, Quo

Sim
- *Principy primi imitatiuus,*
- *Principalium virtutum ornatus fulgoribus.*
- *Inferiorum ad ipſum principium reductiuus.*

O Principes in bonum quæſo præſitis mihi.

Conſideratio artis cum inuocatione Archangelorum.

O IESV *ars exemplaris archetypæ Patris, te benedico, pro exemplari arte tui conſily, arcani, mihi in hoc adorando Sacramento exhibita, quæ ſic nunc aduenisti, & hac arte æterna fruitionis beatificæ, modum nobis tradidiſti; qui etiam ante huius Sacramenti inſtitutionem, ſeruis tuis fidelibus, Patribus, & Prophetis arcanum hoc conſilium per ſanctos tuos Archangelos, typicis, & myſterialibus factis innotuiſti. O quanta in figuris & Scripturis de hoc Sacramento annunciaſti.*

Hic conſidera de figuris & prophetijs huius Sacramenti, vt ſupra.

Et mihi omnium nouiſſimo, iam rem ipſam præſtitiſti. Et tu mihi magni conſily Archangelus ſanctus, de temetipſo nuncias iam palam, & non in enigmate loquens, & dicens, Ego ipſe qui loquebar, ecce adſum. Ioan. 16. Iſa. 52. *O gratias tibi, gratias tibi agant ſummi Ambaſciatores (Archangelos loquor) mecum de eorum proprietatibus communicantes. Vt etiam*

Ego
- *A ſuperioribus cõmunicem,*
- *Inferiores informem,*
- *Tua arcana annunciem.*

præſertim
- *Sacramẽto cõmunicando.*
- *De ſacramẽto docendo,*
- *Sacramẽti virtutes annunciando.*

O ſublimia mihi, & recondita de dilecto annunciate.

Digitized by Google

Contemplatio relucentis bonitatis in Angelis.

O IESV *participatiſſima bonitas, bonum increatum, benedico, laudo, & ſuperexalto pro emanatione tua interminabilis bonitatis, qua te totum dulciflua Euchariſtia, in me, ac totum corpus myſticum effluere voluiſti. O te ſummum bonum, quàm te hic bonum oſtendis, vbi te tam abundè communicas, & effundis? Verè nulla hac diffuſione maior eſſe poteſt quod apparet, tum ex doni magnificentia, tum ex nobilitate dantis, tum ex accipientis vtilitate. In hoc enim dono, ſummus diuina largitatis gradus ſunt hi, quod largitus eſt, &*

Dedit { *Sua, id eſt cælũ & terrã, vt patet* Eccl. 17.
Suos, vt Angelos. Omnes enim in miniſterium miſſi. Heb. 1.

Baruch 3. Dedit ſe in { *Socium, poſt hæc in terris viſus eſt.*
Matt. 20. *Seruũ; filius hominis nõ venit miniſtrari;*
Ibid. *Pretium, filius hominis venit dare animam ſuam.*
Oſeæ 11. *Cibum, ego quaſi nutritius Ephraym, & declinaui ad eum, vt veſceretur.*

Hic eſt ſummus gradus. Magnum enim eſt dare ſe in ſocium peregrinationis, & in ſeruum neceſſitatis, maius in pretium redemptionis. Tamen tale donum adhuc eſt in ſeparatione & remotione ab eo cui datur. Sed quod datur in cibum, datur non ad ſeparationem aliquam, ſed ad omnimodam vnionem; vnde maxima hic bonitatis largitas apparet.

SED *ecce diffuſionem bonitatis, quod tale donum, non ſolum dignis dat, & amicis; ſed etiam nõ ſubtrahit indignis & inimicis. O ſupereffluentem bonitatem. Fiat hic conſideratio diuinæ bonitatis, ſuper cuius conſideratione omnis deficit intellectus & vtilitates, quas conſequimur ex Sacramento. Eya benedicat dulcedinem bonitatis tuæ, tua bonitas infinita. Sed & ô vos boni, & dulciſſimi Spiritus Angeli Sancti, tantæ bonitatis miniſtri, conciues, & coepulones mei, huius eduliy ſacri & boni, licet alto modo, laudate & glorificate bonitatem tantam. Impar enim ego ſum, & deficio in laude tanta. Vos imperfectum meum ſupplete, atque pro me exorate, vt tantæ particeps fiam, & capax bonitatis, mecumq́; de veſtris proprietatibus communicate, vt dignus tanto Sacramento ſim miniſter,*

Sit { *Mens depurata à vitijs.*
Intelligentia illuminata veritatibus.
Voluntas inflammata charitatis odoribus,

Vt ſic dignè participem tanto Sacramento.

Ad proprium Angelum oratio.

ET *tu potiſſimum Angele Sancte cuſtos meus, cùm ſis Angelus Dei, nuncia mihi voluntatem Dei tui, & mei, vt quæ ei beneplacita ſunt noſcam, & quia potens virtute es adiuua, vt cognitam voluntatem perficiã; & quia mandauit tibi Deus,*
Pſal. 90. *de nobis, cuſtodire nos in omnibus vijs noſtris, et in manibus tuis portare nos; ne offendamus ad funda-*
Luc. 10. *mentalem lapidẽ angularem ſummũ Ieſum Chriſtum, pedes noſtros, ſicut mandatũ dedit tibi Pater, ſic fiat, et in omnibus vijs me cuſtodi à vaſtitate draconis, à feritate leonis, à venenata malitia & nequitia Baſilici, et potiſſimum dum Altari quantuluſcunque Sacerdos aſſiſto, Sathanam à dextris aſſiſtentem, ne aduerſetur compeſce; ſed tuis precibus dignè fac, vt conſecrem, et gaudens tecum cõtempler faciem Saluatoris, vt dum me à te protectum intellexero, lætus militem laudibus tuis.*

Hæc vtcunque perſtrinximus de Choris Angelorum, imperfectè tamen; ſed exercitio perfectio eſt relicta.

Iam qualiter tali modo vti, etiam in cæteris Sanctorum ordinibus poſſimus oſtendendum.

§. 2. Conſideratio proprietatum diuinarum in Sacramento relucentium, per conuerſionem ad Sanctorum Choros.

ET quoniam diximus, hunc etiam modum in cæteris Sanctorum ordinibus poſſe obſeruari; exemplari forma, ſupereſt hoc demõſtrandum: vt ſic homo ſe ingerat, ſecundum ferias, Choris Sanctorum, ante Communionem, vt ſupra edoctum eſt, eos pro digniore præparatione ad tantum Sacramentum exorando. Et poſt quidem eoſdem (pro ſuſcepto Domino laudando, & fructu Sacramenti percipiendo) enixius inuocando, vt ſic ſemper
ſua conuerſatio ſit in cælis, qui cæleſti paſcitur cibo. Philip. 3.

Conuerſio ad Patriarchas.

O *Domine Ieſu Chriſte, deſiderium antiquorũ collium, cunctis gentibus deſideratus, quem* Gen. 49.
Patres noſtri ab origine mundi expectauerunt; quẽ Patriarchæ votiuis deſiderijs videre cupierunt, te laudo, benedico ſuper completo deſiderio eorum, & meo in bonum, cum tribuiſti tam deſiderabile donum.

Hic fiet iam conſideratio, de votiuis deſiderijs Patrum, & quare, & quomodo hoc Sacramentum deſiderandum.

O quanto deſiderio olim ardebant Sancti illi, de tua promiſsione, & ego tam aridus maneo in tui præſentia, & exhibitione! O quam hoc pudendum!

Hic iam querela ſuper torpore & ariditate noſtra.

Et tamen tu mihi arido præſtas, quod illis denegabas, imples deſiderium meum in bonum. Vnde Pſal. 102.
hoc mihi? Nunquid ego melior ſum, quam omnes Patres mei? Laus, gloria tibi ſit in ſæcula, laudent te pro me, viri illi deſideriorum, impetrentq́; quo ampliori in te deſiderio ferar, & votis non defrauder.

Conuerſio ad laudabilem numerum Prophetarum.

O *Domine Ieſu verus Meſſias, et Sãctus ſanctorum, & verax clauſula Prophetarũ, quem Prophetæ varijs preconijs cecinerunt, & huius inæſtimabilis doni largitorem te compromiſerunt; te laudo, benedico ſuper plena abſolutione promiſſorum, &c.*

Hic de oraculis Prophetarum ſuper hoc Sacramento.

Et vos oro Prophetas veritatis, qui eundem cibum manducaſtis, & diem Domini annunciaſtis,

laudate

laudate, & glorificate, & inueniantur reliquę promiſſiones fideles, vt præſentiant promiſſos Sacramenti effectus.

Conſideratio circa Chorum Apoſtolorum.

O Iesv *Apoſtolorum feruor, quem mundo annunciauerunt, & in eadem menſa hoc edulio à te refecti, hoc in tui commemorationem fieri diuulgauerunt: te laudo ſuper inenarrabili ritu, & diuulgatione talis Sacramenti.*

Hic de ritu & inſtitutione celebrationis.

Laudent te viri Apoſtolici, & mecum de eo feruore, quem tunc experimentaliter guſtauerunt; quando de tua manu hoc cibo refecti fuerunt, communicent, & impertiantur.

Conuerſio ad candidatum numerum Martyrum.

O *Domine Ieſu Chriſte, fortitudo Martyrum, & robur tuorum fidelium, qui panem hunc reliquiſti, quo corda tuorum ad grandia agenda, ad ardua perferenda pro te confortaſti, te laudo, & benedico, ſuper pane cordis humani confortatiuo.*

Hic de effectibus huius panis.

O vos ſtrenuiſſimi pugiles, qui ſedentes ad menſam diuitis, vt vobis appoſita rependeretis, voſmetipſos impendiſtis, laudate, ſuper confortatiuo tali, orantes, quo eius virtute conforter in omne bonum, accidiam deuincendo &c. Sic poterunt vitia, vel virtutes, à ſingulis virtute Sacramenti orari.

Conuocatio ad laudem Sacramenti Sanctorum Confeſſorum.

O *Domine Ieſu Chriſte ſummus Sacerdos, & verus Pontifex, & Paſtor æternus, tibi gratias, licet impares, ago, ſuper collatione hoſtiæ perfectæ huius, quæ, quia perfecta fuit, in ſempiternum conſummaſti ſanctificatos. O hoſtiā verè dignam, gloriam Sacerdotum.*

Hic de hoſtiæ huius perfectione, vt ſuprà.

O vos huius hoſtiæ digni miniſtri, quorum animæ huius pinguedine ſunt impletæ, iuxta Hier. vaticinium in terris, Iere. 31. *& iam ad menſam eius pleno ore ipſo, quaſi emptitio ſeruo miniſtrante, reficimini in cælis, laudate, ſuper hoſtia tali orantes, quo eius dignus fiam miniſter.* Amen.

Laudatio cum inuocatione Virginum, & Viduarum.

O Iesv Christe *Virginum ſponſe, ſolamen Viduarum, te laudo ſuper nobili iſto iocali, & arrha, ſpōſis peregrinantibus in terris, in omnē deſiderabilem vſum collato: O pignus fidum, ô donum fidei electum.*

Hic de vſu, & ad quid relictum ſit hoc memoriale, vt ſupra de cauſis inſtitutionis.

O Virginum Chorus, ô turma candida, & aureolata, quæ huius arrhæ pignore, ſpōſo fuiſtis ſubarrhata, & iam eius fælici, & filiali copula, in cælis beata, ſequentes agnum quocunque ierit, cantate huic prænobili iocali, canticum nouum, orantes: vt ego huic vni viro poſt parietem ſtanti fidem Apoc. 14. Cant. 2. *ſeruem, & corpus immaculatum.* Amen.

Inuocatio ad laudem omnium Sanctorum.

O *Domine Ieſu Chriſte, iubilus omnium Sanctorum, te laudo, glorifico, & benedico, ſuper viatici illius efficacis collatione; cuius virtute omnes Sancti tui refecti in eius fortitudine, in eius quadragenario myſtico ambulantes, peruenerunt ad* 3. Reg. 19. *montem Dei Oreb.*

Hic de viatico, & de virtute eius.

O vos omnes Sancti, quibus ab æterno hoc viaticum præparatum, & iam fælici guſtu deguſtatum; orate quo huius virtute reficiar, & ad montem Dei Oreb perducar, illicq́ vobiſcum merear ſatiari. Amen.

Oratio ad Virginem Matrem ex Gerſone.

ET *iam ſuper omnes ad te, quâ poſſumus fiducia confugimus, ô benedictiſſima fœminarum, tu mater es Eucharistiæ, quia mater gratiæ bonæ, tu clauigera cellariorum Regis pacifici; tu frangere potes panem illum petentibus, tu quotidie ſplēdidè epularis, non negabis micas vlceroſis nobis,* Thren. 4. *& mendicis, quorum tot ſunt linguæ clamantes ad tuam miſericordiam; quot ſunt vlcera noſtram oſtendentia miſeriam: Tu ſicut vitis fructificaſti, ô repleamur à generationibus tuis: Tu quaſi oliua* Eccl. 24. *ſpecioſa in campis, quæ mundo naufrago, ramum illum oliuæ paternæ protuliſti Ieſum Chriſtum, colligere fas habet ipſum in hoc Eucharistiæ Sacra-* Geneſ. 8. *mento fidelis anima, fas illum ferre in ore ſuo, dum veſper mortis adueniens, ſuadebit redire ad verū Noe Deum; qui dum creauit eum, miſit per aquas & terras huius diluuij: quatenus bene volando, rediret ad eum qui miſit illam. Fœlix planè anima, quæ redibit ad veſperam vitæ ſuæ, ferens in ore ſuo ramum hunc oliuæ Chriſtum, per Sacramentalem, aut ſaltem ſpiritualem ſuſceptionem. Ora nos virgo, illo pane dignos effici.*

Hæc de conuerſione & conuocatione Sanctorum, ſuper tanto Sacramento. Quos ſi noſtris votis fautores habere volemus, oportet, vt quippiam eis rurſus honoris & obſequij, in vicem aliquam rependamus; eos aliquo ſuffragio venerãdo, crebrius (vt infra docebitur) ab eis mendicando, & eorum memorias deuotè agendo. Et quoniam hunc modum paruulis congruentiſſimum diximus, eorum conſulentes teneritudini, eundem ſub Cantico aſſignauimus, vt dum meditari, vel orare hoc modo piguerit, vel ſaltem dulci ſuſurrio cantetur hoc carmen, quod in fine annexum eſt, regratiatorium Domino ſuſcepto.

§. 3. *De mirificis exemplis huius Sacramenti.*

VErum cùm in hac buccella paruulis frangitur panis, quos exempla, magis quàm profunda meditamina, crebro mouere ſolent: ideo etiam hic proponuntur miracula & exēpla per hoc ſacramentū oſtenſa & exhibita

conſideranda, vt dum per ea ſuauitatem Sacramenti percipiunt, alijs eadem narrādo; memoriam abundantiæ ſuauitatis eructare poſſint. Sed ecce hic rurſus abyſſus copiæ offertur. Quis enim non dico ſcribere; ſed vel legere, quæ ſcripta ſunt de hoc mirabiliſſimo Sacramento, miracula ſufficiet? Omnes libri huius mirabilia ſonant, pleni ſunt his cœli, & terra. Habet Cæſarius in ſuo Dialogo grandem ſuper huiuſmodi miraculis diſtinctionem: ſed & liber exemplorum plenus eſt exemplis de hoc Sacramento; vitę & actus Sanctorum, huiuſce abundant. Sed & Doctores, ſuis ſcriptis paſſim huius Sacramenti miracula immiſcent. Quis igitur enarrare, taceo ſcribere, poterit? verè nullus. Sunt inter cætera huiuſmodi exempla, & miracula, vt paucula ſummatim tangamus.

Pſal. 144.

Quędam	Fidem confirmantia,	vt	Cùm in ſpeciem carnis mutatū.
	Altitudinem mōſtrantia,		Cū ab irrationabilibus veneratum.
	Terrorem incutientia,		Quando plagæ ſępè immiſſę.
	Fructū oſtendentia,		In bonis qui tamē profecerūt.
	Suauitatem ſignantia,		In multis qui ſenſibiliter guſtauerunt.

PRIMÒ dicimus, quòd quædam eorum miraculorum, ſunt *ad fidei confirmationem*, cuiuſmodi ex pluribus ſunt iſta:

Carne, puer, luce, cruor, effluxit, remanetq́.

Primò enim legitur quandoque hoſtia tranſmutata in carnem: vt quando mulier communicatura coram Beato Gregorio dubitauit, vt habetur in Promptuario diſcipuli, littera E. exemplo vigeſimoquinto. *Secundò* ſæpè hoſtia viſa eſt in ſpecie pueri, vt in Sacerdote dubitante, cui Maria apparuit, vt legitur in Promptuario diſcipuli, exemplo vigeſimoquarto. *Tertio* quandoque lux magna in Altari effulſit, & hoſtia in ſpecie criſtalli apparuit, vt de Rigmude ſcribit Cæſarius in Dialogo, diſt. 9. cap. 35. & 36. *Quarto* inter ciues Hildeſemen. de ſanguine dubitantes, vidit quidam calicem Domini exuberantem, & plures alij ſæpe ſpeciem humani cruoris in calice viderunt, vt Dial. Cæſarij, diſt. 2. cap. 21. & 22. *Quinto* corporale Sacramento effuſo ablui non potuit; ſed ſanguineum apparuit, donec incluſa quædam dubitans, illud vidiſſet, vt legitur Dialogo Cæſarij, Exemplo 24. & 25.

SECVNDÒ quædam miracula ſunt altitudinem Sacramenti, & *potentiam monſtrantia*: Cuiuſmodi ſunt iſta,

Beſtia, dæmon, apes, hominesq́, coluntq́ elementa.

Primò altitudo Sacramēti apparet, quia etiam *beſtiæ* irrationales coluerunt, ſicut Cæſarius, & Diſcipulus in Prōptuario littera E. Exemplo 30. & 37. ſcribunt, Quod aſini in plateis Sacerdoti cum Sacramento venienti ceſſerūt, & eundi locum dederunt. Itemque quidam Epiſcopus pro hæretico conuertendo, Sacramērum hoc ſuper auenam in dolio ante equū, bouem, & aſinum poſuit; ſed illi non comedebant, ſed genua flectebant. Sic etiam porci illud adorauerunt. *Secundo dæmon* etiam illud veneratur & colit, propter hoc de obſeſſis exiens; illud (vt aiunt) ferre non valens, vt dicitur in Promptuario Diſcip. Exemplo 29. *Tertio apes* illud veneratæ ſunt, quando à muliere in alueolo erat proiectum, de fauis miri ædificij capellam conſtruentes, cum Altari, in quo hoc poſuerunt, vt legitur in Promptuario, Exemplo 36. *Quarto homines* inuiti illud ſæpe adorauerūt, & boni in lutum coram hoc procidentes, veſtes non macularunt, vt ſcribit Cæſarius, & Diſcip. cap. 52. *Quinto omnia elementą* huic obtemperata leguntur; vt *terra*, quia dum Coloniæ ad ſanctam Columbam, è manibus Plebani excidiſſet, lapide miraculosè eſt expreſſum. Itēm *aqua*, quando hæreticos ſuper àquam ambulantes ſubmerſit, & ipſum rurſus in Altari ab Angelis defertur. Item in *aere* potentiam oſtendit, cuius tempeſtates ſedauit. Itęm *ignis* hoc cognouit, quia Eccleſia quadam cum omnibus combuſta, ſola pixis Sacramenti illæſa remanſit. Hæc in Promptuario Diſcipul. littera E. Exemplo 37. 38. 39.

TERTIO ſunt quædam miracula *terrorem incutientia*, quæ contigerunt indignè ſumentibus illud: Et ſunt iſta,

Deformes, moritur, plagas, morbos, quoque ſumi.

Primo à quodam ſancto Epiſcopo, antecedentes viſi ſunt boni quidam, pulchri, & clari; ſed mali, & indiſpoſiti, ſpecie deformes & nigri. Etiam in Vitis patrum, vt legitur in Prōptuario Diſcipul. littera E. Exemplo 20. *Secundo* quidam non contritus, & à Sacerdote prohibitus accedere, accedens tamen, guttur eius eſt ruptum, & exiuit corpus Chriſti, & moriēs mox expirauit. Item quidam poſt ſumptum Sacramentum, mox ad tabernas accedentes, in ſanguine eorum ſunt ſuffocati, vt Diſcipul. Exemplo 21. & 29. *Tertio* diuerſæ plagæ, etiam in præſenti, & in futuro, propter hoc ſunt inflictæ. Nam propter hoc in Phryſia mare inundauit, vt Cæſarius ſcribit diſt. 7. cap. 3. Ob hoc peſtilentiæ poſt Paſcha fuerunt immiſſæ, & quidam, quia ſepties in die communicauerat; ideo quotidie apud inferos ſeptem ignitas hoſtias edere eſt compulſus, vt in Gnotho ſeauton. *Quarto* multi morbi indignè ſumentibus ſunt immiſſi: Nam cuiuſdam Sacerdotis indignè conficientis os circa naſum, & mentū eſt verſum, & lingua computruit. Item, alterius manus in Altari igne cæleſti ſunt ad cubitos vſque aduſtæ. Mulier quædam Paralytica eſt effecta, vt in Promptuario Diſcip. 22. exēplo. *Quinto*, quidam Sacerdos indignè celebrans, hoſtiam difficulter valde aſſumpſit: Nam ex aſtantibus quidam vidit puerum faciem auertere, & ne ſumi poſſet, manibus, & pedibus reluctari: Qui cùm vitam correxit, facilè hoſtiam inſumpſit. QVARTÒ ſunt miracula *fructum Sacramenti oſtendentia*. *Primo*, nam qui libenter communicant, ſæpe appariciones efficaciſſimas habuerunt, & Chriſtum in ſpecie infantuli, aut crucifixi conſpexerunt, vt Cęſarius diſt. 9. cap. 30. 44. *Secundo* plures

ſibi

Digitized by Google

ſibi deuotos hoc Sacramentum à morbis ſanauit, vt Abbatiſſam quandam. Item Mauritius Epiſcopus Parrhiſienſis, per cõmunionem in fine ſenſum recepit; & ancilla cuiuſdam Sacerdotis, vt dicit Cęſarius diſtinct. 9. cap. 43. 45. 52. *Tertio* quorundam peccata plenè abſoluit, ſicut meretrici in luto Chriſtum adoranti, cui de pixide dixit: Ego ignoſco tibi omnia peccata tua, vt refert Diſcipulus in littera E. Exemplo 39. vltimo paragrapho. *Quarto*, plures mirabiliter gratia dotauit, vt ad oculũ patet. Nam & cuidam conuerſo per deſiderium communionis ſpiritum prophetiæ infudit, vt dicitur in Cęſario diſt. 9. cap. 48. *Quinto*, vitam prolongat, & à morte eripit, ſicut legitur de milite, qui ſuſpenſus mori non potuit, niſi hoc Sacramentum ſumpſiſſet, eo quòd ei vnum Pater noſter legere ſolitus fuit, vt Cæſarius diſt 9. li. cap.

SVNT POSTREMÒ & alia miracula, dulcedinem, & *ſuauitatem Sacramenti conteſtantia*, vt ſunt iſta,

Dulcis, adoratur, ſuſpendit, vitaq; Chriſtus.

Primo, quia plures ſenſibili dulcedine afficit, quæ omne gaudium excedit, qualem habet Aleydis Monaſter. & alij plures, vt Cęſarius diſt. 9. cap. 41. *Secundo*, quia quoſdam afficit odore inuſitato, ſicut ſcribit Guillelmus Parrhiſienſis, de Monacho ſibi noto, qui tantum odorem ex pixide Sacramenti ſenſit, quod illam comedere compulſus fuit, qui etiam Sacramentum quantumcunque abditum, ex odore cognouit. Hoc etiam Cæſarius diſt 9. cap. 47. & 44. *Tertio*, quoſdam in aëre ſuſpendit, ſicut legitur de ſancta Monica matre diuiniſſimi Patris noſtri Auguſtini. Itemque idem de quo Guillelmus ſcribit, qui quoties communicauit, à terra ſpacio duorum pedũ, ferè dimidia hora manſit ſuſpenſus, ſola virtute Sacramenti, & Cęſarius de Sacerdote in Canone diſt 9. Exemplo 31. *Quarto* ita quoſdam replet ſuauitate, quod ſola Euchariſtia viuant, ſicut ſolitaria illa, quę de Dominica in Dominicam hac hoſtia ſola refecta, ſine omni eſurie remanſit. Item de hoc in vita Mariæ de Ogoïes, venerabilis magiſter Iacobus de Vitriaco Cardinalis, Canonicus regularis, multa de mulieribus & virginibus Leodien. narrat. *Poſtremò* tantam dulcedinem Chriſtus quibuſdam exhibuit, quod eos per ſe communicauit, vt fœminam illam Brabantinam, & Hildegundim Colonienſem, & alios plures. Vide igitur, quàm ſuauis eſt Dominus, & quã ſuaue eſt hoc Sacramentum.

Hæc longiuſculè de exemplis & miraculis proſecuti ſumus, vt poſtquam plurima meditabilis materia aſſignata eſt, quæ eſt cibus fortium; etiam hic lac paruulis proponeretur, quibus miracula ſæpenumero magis dulceſcunt. Et hæc tantum tetigimus, quæ communiter in Promptuario diſcipuli, aut primordialiter in Cæſario habentur executa, aut in locis alijs aſſignata. Sat ergo de his.

Sequitur hymnus ante promiſſus.

§. 4. *Pręparatorij, & laudatorij hymni in Sanctos, ante, & poſt communionem, pro inflammandis animis frequentandi, cantandi ſub nota.* Dies eſt lætitiæ.

AD SANCTAM TRINITATEM.

Ante Com. ſacramentalẽ vel ſpiritualem.

O Beata Trinitas
gloria Sãctorum,
quam omnis ſublimitas
tremit Angelorũ:
Veni beatiſſima,
veni clemẽtiſſima
omnium creatrix;
Adeſto propitia,
mittas altricia
dona, recreatrix.

Poſt communionem.

O celſa diuinitas
ſalue, ſalue, ſalue:
beás Trina vnitas,
bonitas reſalue;
O mea fruitio,
quoto me delitio
hodie cibaſti!
tum corpus, tum animam,
lito laudis victimã
ô quanta donaſti.

Ad ſanctam Dei Genitricem Mariam.

O Mater egregia
Regina Maria,
ô cum eſca regia
veni mater pia:
Fons miſericordiæ,
Tuo gnato hodie
cibes fameſcentem;
Præ te feras vbera,
gratijs exubera,
Lactes ſitientem.

Salueto triclinium
panis Angelorum:
te laudum cõcinium
decet, fons hortorũ.
Iam donaſti Filium
releuans exilium,
Mater glorioſa:
Mane mecum domina
noſtra cælis nomina
ſcribas dulcoroſa.

Ad proprium Angelum.

O Comes fidiſſime
Angele pręgrate,
veni lator optime
victimæ beatę:
Redux indiuidue
colluſtres occidue
mentis incentiua;
en tuo ſuffragio
propinquans altario
meus ſis conuiua.

Salueto Deiuide;
Eucharis legate:
Pedagoge viuide
Per te mihi date.
O tantis delitijs
cum cæli militijs
mecum modulare:
O tanto viatico
animo Seraphico
tecum fruar chare.

Ad Sanctos Angelos. Feria ſecunda.

O Millena milia
grandiũ aſtrorũ,
vos caſtra hærilia
Angeli amorum;
Venite cum lumine,
Ieſu veſtro numine
mecum celebrare:
O dignĩ militijs
profligatis vitijs
ambite Altare.

O ſtellæ clariſſimæ
Eucharis Sophię,
vos laudo humillimè
Trinæ Hierarchię.
O quotis, quàm varijs
cælicis cibarijs,
fratrem reſtauraſtis!
Mecum Ieſu plaudite,
pectus vanis claudite,
me vobis æquaſtis.

Digitized by Google

Feria tertia ad Patriarchas & Prophetas.

Ante communionem.

O Stirps Patriar-
chica,
genus Saluatoris,
cum turma pro-
phetica,
veni fax amoris;
Veſtrũ deſiderium
Meſſiæ myſterium
mecum celebrato;
Dote mulrifaria
pectoris armaria
mea præparato.

Poſt communionem.

O vos laude cele-
bri
cano, Patres vates,
noſtros cibo mul-
cebri
oppleſtis penates:
Perite Chriſti foliũ,
antiquorũ collium
electum frumentũ;
Iã Chriſti chariſſimi
laudate clariſſimi
mecũ Sacramentũ.

Feria quarta ad Sanctos Apoſtolos.

EYa Apoſtolice
ſacratæ Senatus,
te noſtris Catholice
omnis colit ſtatus:
Deſcendas ætheribus,
diuinis muneribus
mecum miniſtrato;
cordis ſcabellaria
dote multifaria
Chriſto exornato.

O lux Apoſtolica
Aſtra duodena:
iam vos laude polica
concino camena;
Pro magiſtro optimo
cibo prædulciſſimo
dato exultabo:
Quando plenã faciem
facie ad faciem
vobiſcum guſtabo.

Feria quinta ad Sanctos Martyres.

O Caſtra victricia
Martyrum San-
ctorum,
quàm plena lætitia
omnium Sãctorum:
Corp⁹ veſtri Principis
puræ mentis azymis
mecum immolate;
Venite cum laureis,
ornamentis aureis
miniſtrum ornate.

Saluete fortiſſimi
milites vrani:
Martyres digniſſimi
flores Chriſtiani;
O quantis victorijs
Sacramenti glorijs
ſemper triumphaſtis!
Hiſce mirabilibus
mecum laudum mi-
libus
canite in aſtris.

Feria ſexta ad Sanctos Confeſſores.

O Prçcelſa dignitas
veni confeſſorũ,
veſtra me benignitas
ſtipet malis morum;
Digna reuerentia
veſtra aſſiſtentia
gliſco immolare:
Puritatis azymis
iã profuſus lachrymis
accedam Altare.

Saluete Sanctiſſimi
Chriſti confeſſores,
comites fidiſſimi,
concelebratores;
Laudibus ingentibus
vobis concinentibus
cibum vitæ cano:
In veſtris præſidijs,
ac odis hymnidijs
cœlos ſcandẽs cano.

Sabbato ad Sanctas Virgines.

O Spõſę humillimę
cũ ſpõſo venite,
Angelis ſimillimæ
cum ſponſo venite;
O veſtris excubiis
Eucharis connubiis
iam me fœderate:
O Agnes caſtiſſima
cum Agnelli victima
veni indilatè

O cæli plantaria
Virgines ſaluete,
noſtra iam altaria
viſiſtis, ſaluete;
O veſtris aureolis
Eucharis areolis,
mecum concrepate:
Animos ſuſpendite,
pro me laudes pẽdite
coram Trinitate.

Dominica ad omnes Sanctos.

Ante communionem.

O Sãcti pijſſimi
pleni charita-
tis,
vos Syon clariſſimi
Reges ciuitatis:
O cum rege gloriæ
aduenite hodie
mecum epulari;
Veſtro pontificio
Ieſu ſacrificio
date ſatiari.

Poſt communionem.

Saluete digniſſimi
Eucharis precones,
ſaluete gratiſſimi
vos commilitones:
Quantis reuerentijs
iã Chriſti præſẽtijs
mecũ immolaſtis.
Laudemus in tym-
panis,
repſallam* organis
nobis chriſto paſtis

In feſtiuitate vnius Sancti, vel Sanctæ.

O Pater ſanctiſſime
gratiæ fluentum,
veni dignantiſſime
ferro Sacramentum:
O tuis præſidiis
ſcelerum excidiis
eximas clientem;
Virtutum lampadibus
cõplectar cycladibus
Ieſum venientem.

Salue celeberrime
municeps polorum,
cibaſti ſacertime
me cibis amorum:
Iamiam tãtis victimis
hoſtiis diuiſſimis
laudem immolemus;
Suſcipe, reſuſcipe,
mentẽ meam ſuſcipe
in cælos volemus.

In feſtiuitate plurimorum Sanctorum.

SAluete ſanctiſſima
Organa diuina:
venite cum hoſtia
mea medicina.
Nam veſtra ſolennia
Chriſti decet hoſtia,
granditer ornari:
Aram mecum ſcãdite,
Ieſu corpus pandite,
libet epulari.

O mira ſolennia
veſtra laude digna,
quæ nunc tanta xenia
conferunt benigna:
En laudum præconia
pro hac alimonia
ſemper præconabor,
Quãdo corpus eximã,
& veſtram præſentiã
cælo ſpeculabor.

Ruminatorium ſeptem portionum Agni.

CAPVT IIII.

P*Aſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: itaque epulemur.* 1. Corinth. 5. DVOBVS iam ferculis compromiſſis, eſis, & maſticatis, tertium ſupereſt anteponendũ; quod forſan eo dulcius palatum afficiet; quo de dulcioribus eſt ſpeciebus, & partibus confectum; puta de portionibus Agni immaculati. Fercula iam habita circa Chriſtum vel Sacramentum hoc verſabantur; ſed hoc Chriſtum ipſum, & omnia eius edenda proponit; *Itaque epulemur.* Is enim eſt Agnus ille qui tollit peccata mundi, is vitulus eſt ſaginatus, qui filio perdito, ſed reuerſo, proponitur edẽdus; is Agnus eſt Paſchalis, qui vero Iſraeli præcipitur manducandus. Quomodo autem & quibus dentibus manducandus ſit, iam ſupra eſt abſolutum, nec hic repetendum. *Ioan. 1. Luc. 15. Exod. 12.*

Sed vt in huius agni eſu ordinatius procedatur, vtque intimiore guſtu eius dulcedine

manducans

manducans oblectetur; libuit eum in ſeptem portiones diſpartiri, cuiuis feriæ portionem aſſignando. Non enim perfunctoriè; ſed ſeriosè,& matura cogitatione oportet hunc ruminari. Nam ſicut in corporali manducatione,vna buccella bene maſticata, aut trita, melius ſapit,& plus nutrit,quàm multæ integræ ſumptæ: ſic & haud dubiè in manducatione ſpirituali, prout vnumquemque experientia edocere poteſt.Sunt igitur portiones iſtæ agni Paſchæ,id eſt Chriſti.

Feria:
- Secunda. Corpus, vel caro.
- Tertia. Sanguis.
- Quarta. Anima, & ſpiritus.
- Quinta. Inteſtina.
- Sexta. Pedes.
- Sabbato. Fructus,id eſt lac,&c.
- Dominica. Caput.

Proverborum ſuperiorum introductione,hic iam dicēdum eſſet,quomodo Chriſtus Agnus, quomodo itē Paſcha dicatur, aut Agnus Paſ-
I. chalis:Sed quare Agnus,diximus ſupra;Paſcha autem dicitur has ob cauſas.

Tranſitus,en varia,ſignatus,paſſus, amara.

Primò Chriſtus Paſcha dicitur, ratione interpretationis,propter *tranſitum* Chriſti de mundo ad crucem,de cruce ad limbum,&c. *Secundo* ratione *præfigurationis*, quia in legali illo Paſcha præfiguratus, vt patet ſuprà. *Tertiò*, ratione deriuationis, quia à *πάθειν* (vt aiunt) Græcè,quod pati Latinè dicitur,propter paſſionem. De modo autem epulandi agnum, hunc noſtrum Paſcha, Apoſtolus docet 1.Corinth.5. quia *in azymis ſinceritatis & veritatis*; hoc eſt conſcientiæ puritate interioris,& operis bonitate exterioris; Vel *ſinceritatis*, quoad affectus puritatem; & *veritatis* quoad intellectus illuminationem; vt intellectus epulantis ſit fide illuminatus, & affectus amore inflammatus. Age ſic ſingulas portiones maſticemus,& primum corpus,& carnem.

MEMBRVM I.

De prima portione,ſcilicet de corpore, vel carne,& quæ circa hæc conſideranda.

QVis det de carnibus eius,vt ſaturemur, Iob 31. *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum*. Matth.26. O da dignè manducare carnem & corpus tuum. Poterunt ſeorſum, & ſingillatim ſuper carne & corpore, ſpeciales cōſiderationes poni;ſed quo breuiores ſimus, ſimul complectemur eas. Occurrunt itaque hæc in genere, de hac portione conſideranda,

De:
- Corporis multiplicitate,
- Carnis quidditate,
- Eiuſdem qualitate,
- Præfiguralitate,
- Corporis traditi modalitate,
- Pœnarum carnis aſſumptione,
- Bonorum,& fructuum collatione,
- Membris Chriſti in ſpecie.

Quot, quid, quale, typum, traditum, mala,vel bona, membrum.

§. 1. *De prima conſideratione, corporis, ſcilicet, varietate.*

PRimo itaque omnium conſiderandum eſt, II.
de corporis Chriſti *varietate*. Eſt enim omne multiplex ante diuidendum & diſtinguendum, quàm determinandum, vt aiunt. *Pro quo nota*, quod triplex Chriſti corpus à Sanctis (præſertim à venerabili Anſelmo in libro de Sacramento corporis Chriſti) diſtingui ſolet. Scilicet

Corpus Chriſti:
- Verum,& Reale,
- Abſcōditū,aut ſacramētale,
- Myſticum,& ſpirituale.

Corpus Chriſti *verum*,eſt caro illa, quam de Virgine ſumpſit:corpus *Sacramentale* dicitur, vt ſub Sacramento continetur: corpus *myſticum* eſt vnitas Eccleſiæ & Chriſti: Quæ pro tāto dicitur Chriſti corpus, eo quod proprius ſit effectus incarnationis verbi, & finalis cauſa Dominicæ incarnationis,& paſſionis. Sed nos hic de corpore Chriſti vero & Sacramentali duximus, illo relicto, proſequendum.

Quocirca quæſtio moueri ſolet, de corporum horum prælatione, quod ſcilicet alteri *Quaritur*
præſtet, *vtrum corpus Chriſti verum myſtico*, III.
an è conuerſo? Ad quod ſimpliciter *reſpondendum* ſecundum Albertum in ſuo Abbreuiato, quod corpus Chriſti verum propriè loquēdo, multo alteri præſtet,& eſt præferendum,quia corpus Chriſti myſticum propriè non dicit, niſi mēbra adhærentia capiti;ergo ſit hic cōparatio quaſi inter membra,& caput, & caput mēbris æquè eſt anteferendū,& cauſa melior eſt ſuo effectu; ſed corpus Chriſti verum, eſt cauſa myſtici,ergo. *Itemq;* eſt pretium eius infinitè excedens ipſum, quia ſi infiniti eſſent mundi, omnes ſufficienter redimi potuiſſent per oblationem corporis ſui veri. *Tum maximè*, quia corpus Chriſti verum, eſt creatori hypoſtaticè vnitum; myſticum autem eſt pura creatura. Liquet ergo infinita pœnæ præſtantia huius ad illud. Quinque enim rationibus pateſcit hoc præcellere illud,ſcilicet,

Cauſa, caput, pretium, res & typus, hoc quia iunctum.

Patet declaratio eius ex præcedentibus.

Vide ergo; ô tu huius ruminator, quanta opus eſt reuerentia,in portione hac maſticanda:& vide quantum te Deus honorat,qui tali te reficit paſtu, & firmiter tene, hoc ſacrum Chriſti corpus, myſtico immenſum præſtare,vt Doctor quidam pulchrè oſtendit, dicens: *Tanta*, inquit,*eſt Sacramenti huius corporis Chriſti dignitas, & gratiæ plenitudo,quod incomparabiliter omnem reliqui corporis*,(ſcilicet myſtici) *excedat dignitatem. Toti enim corpori* Ioan. 3.
Eccleſiæ ſpiritus datus eſt ad menſuram, & huic tota ſe diuinitatis plenitudo infudit, & non eſt datus ſpiritus ad menſuram. Unde maiore ab æterno Coloſſ.2.
charitate dilectus,quàm tota Eccleſia,et incomparabiliter maiore,vt ille validiſſimis probamentis oſtendit in notulis ſuis.

Nota quoque,ex dictis elici poterit, Chriſtum noſtrum,(vt & poëtæ de quodam neſcio quo fingunt)tricorporem eſſe,cunctaque hæc

corpora

corpora in noſtros expendiſſe vſus.

Nã corpus	Verum, Sacramẽtale, Myſticum.	Tradidit in	Noſtræ redemptionis pretiũ. Noſtræ refectionis cibum. Noſtrę eruditionis exemplũ, & boni cõmunio	

Nec cuiquam hoc miraculo eſſe debet; nam ait de Chriſto noſtro Pater noſter Auguſtinus. *Si* (inquit) *tot corpora Chriſtus haberet, quot ſtellæ in firmamento reſplendent, ante omnia tormentis exponeret, quàm ſui culpa, vel animam vnam deperditam iri ſineret.* O charitatem! ô ſtuporem! ô gratias ſuper corporum horum collatione agamus, deuotè ſingula maſticemus. Maximè autem veri corporis in Sacramento contenti, & exhibiti, conſiderationi intenti ſimus.

§. 2. *De corporis huius quidditate.*

IV. SECVNDO, conſiderare debemus corporis, aut carnis Chriſti veri *quidditatem:* Primum enim in rebus ſe ſubſtantia objicit conſiderationi. Age igitur primo glorioſæ humanitatis conſideremus quidditatem in genere, deinde corporis, vel carnis quidditatem, ſecundum cauſas in ſpecie. *Nota*, quod (vt venerabilis ille Henricus Coſueld. dicit) *humanitas Chriſti*

Erat { *Sanctiſſima,*
Innocentiſſima,
Gratiæ pleniſſima,

Quæ ſuper omnem comprehenſionem intellectus humani, aſſumpta eſt in vnitatem perſonæ à Verbo diuino, vel Filio Dei: ſic quod ipſa non eſt homo, nec ſuppoſitum, nec perſona. Non enim eſt res per ſe vna; ſed eſt tã intimè ſuppoſito Verbi Dei ipſam aſſumentis vnita, quod propriam perſonalitatem, ſiue ſuppoſitalitatem non habet, & in perſonalitatem Filij Dei tranſit. Propter quod contingit, quod omnia prædicata, quæ ipſi in ratione ſuppoſiti conuenirent, ſi eſſet à Verbo derelicta, vel ſeparata, hæc iam veriſſimè Filio Dei, ſiue Verbo conueniunt, vt eſt, eſſe hominem. eſſe filium hominis, & eſſe paſſum, & reſurrexiſſe à mortuis, & cætera actiones vel paſſiones, quæ ipſi concretiuè competerent. Hæc ille. Et vt amplius circa hanc benedictam aſſumptam humanitatem afficiamur, de eius pulchritudine & excellentia pauca differenda.

IN PRIMIS ergo tenendum, quod Verbum æternum nõ debuit, nec voluit humanã naturã ſuę ſuperſanctę diuinitati (cuius eſt pulchritudo prorſus immenſa) ſuppoſitaliter iungere; niſi *pulcherrimam*, atque infiniti decoris, naturæ creatæ, perfectiſſimè completam, ac decoratam, ac in ipſo vnionis momento, omni dono, ac venuſtate gratię perornatam; ita vt quidam ex Theologis gratiam vnionis, aſſerant quid increatum &c.

INSVPER tenendum, quod Deus humanitatem aſſumptam magis dilexit, quàm totum vniuerſum: Maius quippe ei præſtitit bonum, videlicet ſuppoſitale eſſe Verbi, bonum increatum, bonum infinitum. Eſtque incomparabiliter dignius, Deo hypoſtaticè vniri, quàm gratia tantum. Rurſus ſola humanitas Chriſti maiori plenioríque gratia, ampliori quoque. & fęliciori gloria eſt repleta; quam ſint omniũ electorum ſimul ſumptorum gratia & gloria ſimul ſumptæ.

Ex his vtcunque conſpici poteſt, quàm incomprehenſibilis ſit pulchritudo, excellentia, amabilitaſque creata aſſumptæ humanitatis. Gratia nempe, ſupernaturale ornamentũ eſt, ſplendifluus decor, & lumen præclarum mentis creatæ, eius eſſentiam perornans, papè quantus decor exorietur, ſi hæc ad ſingularia profundentur! ſed hæc agentur fœcundius in mentis ſilentio, quàm externo ſcripto. Hanc igitur humanitatem in hoc Sacramento ſumentes, dignè veneremur, deuotè amplectamur, ſollicitè conſeruemus, ne tali dono fraudemur. *Gratia quid.*

SED iam de carnis ipſius quidditate videndum eſt in ſpecie: Nam tunc, iuxta Philoſophum, vnumquodque quid ſit ſcire arbitramur, cùm cauſas eius dignoſcimus. Hinc ſecundum quattuor cauſas hanc tractare oportet.

Materiam, formam, finem, cauſam facientem.

PRIMO inquam videndum eſt, de huius carnis cauſa materiali. Pro quo *nota*, quod hæc caro (vt dicit Damaſcenus) ex puriſſimis ſanguinibus Virginis matris ſit formata; imò ex carnibus eius mundiſſimis, vt vult Albertus in de Laudibus Beatæ Virginis. O qualis caro ſumpta de materia tali. *Eſt fructus talis, radix eſt cognita qualis*. Hic affectus ipſe loquatur: Si in Virgine nil, niſi dulce; dulciſſimam cõſtat carnem inde aſſumptam. Hic ſe offerunt quęſtiones plures ventilandæ. Puta *ſi caro hæc in lumbis Abrahæ fuerit decimata*, & huiuſmodi, de quibus in ſcriptis ſententiarum.

SECVNDO conſideranda eſt carnis huius *cauſa formalis:* Vbi tenendum, quod veri hominis veram formam aſſumpſit, non Angeli, non irrationalis creaturæ. O quam nos tunc honorauit, quando formam & ſemẽ Abrahę, non Angelos apprehendit! Hic de modo aſſumptionis & vnionis, & quare hominem aſſumpſit. *Heb. 2.*

TERTIO intuenda eſt huius carnis *cauſa finalis:* Nam pluribus omiſſis, finaliter ob hæc eſt Verbum caro factum,

Cognoſcens, adamando ſequens, redimat, caro, paſcat.

Primo, vt ſe redderet *cognoſcibilem*, quem in diuinitate videre non potuimus, collyrium appoſuit, & in humanitate ſe cognoſcibilem reddidit. *Item vt amabilem*, dum prior ipſe amaret, & flammaret. *Item imitabilem*, vt ſic errantem ad patriam reduceret. *Item* vt ſic carnis pretio te *redimeret*: vtque eiuſque carnis Sacramento te *paſceret*. O bonitatem, totũ propter me factum. Hic offerunt ſe omnes rationes incarnationis: Itemque quæſtiones, *vtrùm non lapſo homine incarnatus fuiſſet*, &c. de quibus non hic eſt differendum, videantur in ſcriptis Doctorum. *1. Ioan. 4.*

POSTREMÒ eſt carnis huius *cauſa efficiens* contemplanda, quæ nimirum eſt tota Trinitas benedicta; licet ob rationabiles cauſas Spiri-

tui ſancto attribuatur; quas rationes in Pantheologia, & aliis locis inuenies executas. O qualem putamus illam carnem ſummi artificis Dei arte fabricatam. O quis poterit ſufficere ad dicendum! Verè nulla lingua carnis ad æquum exprimet laudes & quidditatem huius benedictæ carnis, quç ex materia Virginis, artificio ſancti Spiritus, ſine noſtræ ſalutis redacta eſt in formam perfectiſſimi hominis. Hæc de qnidditate, in cuius conſideratione eſt fides actuanda,

§. 3. De carnis huius qualitate.

V. TERTIÒ videndum eſt de carnis aut corporis huius *qualitate:* Pro quo *nota* ſecundum quendam doctorem, quod caro Chriſti fuit,

Caro	Sanctiſſima,	in	Conceptione.
	Humiliatiſſima,		Paſſione.
	Exaltatiſſima,		glorificatione.

Qui tali notula ſuper hoc alludit. *Cogitanti* (inquit) *mihi verbum illud Ioan. 1. quia Verbũ caro factum eſt, & ſcrutanti qualis caro, ſtatim occurrit, caro ſancta, caro humiliata, caro ſublimata. Et pergenti quærere, quàm ſancta caro, quàm humiliata, quàm ſublimata; de primo & vltimo facilè occurrit, quia ſupra Cherubin & Seraphin, tum ſanctificata caro illa, tum ſublimata. De medio autem, videlicet caro illa quantum humiliata fuerit, non ita facilè liquet; Hac tamen rationabiliter aſſerere licet, humiliatum eum infra omnes peccatores, quos venit ſaluos facere; quoniam illa ſua humiliatione venerat eos à lepra percuſſione & humiliatione ſaluos facere. Quanto autem intra illos, hoc nulli mortalium in hac vita non reuelante eo, cognitum puto. Cognoſcemus autẽ poſtea, quando menſura ſua pro nobis humiliationis cognita, noſtrum in eum accendet, & incendet amorem.* Longum eſſet ſcribere huius præcellentiſſimi Doctoris verba; ſed paucis nos abſoluamus. *De ſanctitate* eius dictum eſt: *ideo quod naſcetur ex te ſanctum* &c. *De humilitate, Vidimus eum virum leproſum percuſſum a Deo, & humiliatum, nouiſſimum virorum. De ſublimitate.*

Luca 1. Eſa. 53.

Epheſ. 4. Qui *deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit.* Grandis ſuper his ſermo, & deuotione plenus poſſet ſcribi; ſed nos more noſtro, materiam in verſibus commendamus, ampliorem de qualitate huius corporis, vel carnis,

Origine, *Specie,* *Effectu,*
Nobilis, & pulchra, quam mira,
Defectu, *Glorificatione.*
carens, que decora.

Nobilitas carnis Chriſti. Notula I.

VI. PRimo enim caro hæc nobiliſſima fuit, cuius nobilitas ex pluribus colligi poteſt. Scilicet

Ex	Materia,	quia	Ex Mariæ ſanguinibus ſumpta
	Forma,		Deo hypoſtaticè vnita.
	Harmonia,		Eucraticè organizata.
	Originis cauſa,		Ex Regali, Sacerdotali, & Prophetali ſemine orta.
	Poſſeſſionis ſubſtantia.		Omnibus bonis naturæ, gratię, gloriæ plena.
	Actionis efficientia,		Omniũ bonorũ nobis inſtrumẽtalis cauſa.
	Conditionis libertate.		Nunquam decimata.
	Officij dignitate,		Dei placatiua.
	Vitæ ſanctitate.		Nunquam peccato fœdata.

Nobilis eſt caro tua Domine Ieſu Chriſte, omni nobilitatis genere; nec ab vllo illuſtriũ vnquam ſuperata; cui nec aliqua ratio deeſt nobilitatis.

Materia, & forma, complexio, cauſa, retentans.
Actio, libera tu, digniſsima, tu caro ſancta.

Primo dignitas probatur ex *materiæ puritate*, quia ex virgineo ſanguine, vt patuit ſupra. *Secundo* ex *dignitate formæ*, quia Deo inſeparabiliter vnita, & tota deificata. Hierem. 13. *Agglutinaui mihi omnem domum Iſrael, dicit Dominus*; ſcilicet aſſumendo mihi hominis naturam. *Tertio* ex *complexionis ſingularitate*, quia eucraticum fuit corpus Domini Ieſu, & optimæ naturæ, vt patebit. *Quarto*, Si nobilis quis ex originis cauſa dicitur, liquet hanc carnem nobiliſſimam originem habere; puta quæ *ex Regali, Sacerdotali, Prophetali genere* eſt originata, vt patet ex Euangelio, Mat. 1. & Lucæ 1. *Quinto ſi ex ſubſtantia poſſeſsionis* nobilis quis reputatur: caro ergo iure nobiliſſima dicitur hæc, in qua diuitiæ & gloria, quæque ſuperbas opes naturæ, gratiæ, & gloriæ tenet. *Sexto nobilitas* attenditur ex *actionis efficientia*. Vbi quæſo inuenietur caro, quæ talia, vt hæc, operata? Hæc enim omnem dignitatem ad nos tranſmiſit, hæc reconciliationis hoſtia fuit, diabolum triumphauit. Ante mihi tempus deficeret, quam nobiles & ingenuas eius operationes explicarem. *Septimo* ſi ex *conditionis libertate* nobilitas conſideratur, quæ vnquam caro ſic libera fuit? Nunquam peccati ſerua; ſed gratiæ, & diuinitatis plena fuit, liberans eos qui ſub lege peccati erant. *Octauo*, nobilitas huius patet *ex officij dignitate*: Hæc enim digniſſima officia exegit; Hæc domus Dei, hoſtia Dei, miniſtra, & cubicularia Dei, hæc gazophylacium gratiarum omnium. Taceat hic lingua carnis, affectus ipſe hæc declaret. *Poſtremo*, ſi (vt aiunt) nobilis eſt ille, quem nobilitat *ſua virtus*, & ſi, iuxta Poëtam,

Nobilitas ſola eſt, animum quæ moribus ornat,

Facilè omnis nobilitatis caro hæc noſtra palmam, & obtinet, & triumphat. Quæ enim vnquam, non dico caro, ſed vel integer homo,

tam

Digitized by Google

tam ſanctus, virtute plenus, vt hæc caro Chriſti? Non eſt, non eſt, vſque ad iſtam. Conſtat ergo Chriſti carnem eſſe nobiliſſimam; cui omnis ingenuitatis in ſummo congruunt rationes. Pro cuius nobilitatis declaratione grandis ſermo fieri poſſet, ſed prolixitas plura dicere vetat. Scripſit Gerſon venerabilis de origine nobilitatis; ſcribit & Albertus quædam in de Laudibus huius carnis matris, quæ facilè omnia poterunt hic applicari; ſed ſufficiant iſta.

Vbi es nunc, ô ignobilis, & nobilitatis appetens ſuperba anima? quare huic te carni nō coniungis, vt eius conſortio perfruens, & ipſa nobiliteris? Fuge ignobilia, ingenuam hanc amplectere carnem. Offert hic nunc ſe quæſtio illa, *quomodo caro hæc Chriſti ſit adoranda*, ratione tantę nobilitatis. Ad cuius adorationem Pſal. 98. hortatur, *Adorate* (inquiens) *ſcabellum pedum eius, quia ſanctum*, quia Deo vnitum, vt dicit Auguſtinus. Ergo hæc caro ſimul cum Deo adoratur, quia à deitate ſuſcepta & vnita; ſicut Regis purpura, & diadema; de qua tamē vide diſtinctiones Doctorū. Hoc vnum moneo, vt ſummo metu, ſumma reuerentia hanc ſemper carnem verè diuinam adores, & reuerearis. Hęc de nobilitate.

De carnis aut corporis huius pulchritudine.
Notula II.

VII. IAm *de pulchritudine* huius carnis videndum: De qua tenendum, quod hæc caro *pulcherrima* fuit, quod perſuaſiuis rationibus, ſimul & ſcripturis aſtipulari poteſt. *Primo*, quia nobiliori animæ nobilius corpus debetur, corpus enim ad animam ordinatur, ergo &c. *Secundo* per pulchritudinem externam interior conijctari ſolet, ergo. *Tertio* forma & materia proportionabilia ſunt, ergo. *Item* natura eſt vis inſita rebus, ex ſimilibus ſimilia procreans; cùm ergo ex pulcherrima fœminarum naſci-
Deut. 32. tur, ergo. *Item* ordo eſt in naturalibus rebus, ergo oportet, vt ſit aliquod pulcherrimum corpus, quod maximè congruit Chriſto. *Item* Dei perfecta ſunt opera, ergo corpus Chriſti, quod Deus per ſe formauit, pulcherrimum, ſecundum competentem ſtatum. *Item* arbor
Matt. 7. bona bonum fructum facit, & Maria Ieſum.
1. Pet. 1. *Item* Angeli deſiderant proſpicere in eum, id
Heb. 15. eſt, humanitatem, quoniam amabilis eſt facies eius, & plena gratiarum. *Item*, Veronica pulcherrimam & gratioſiſſimam præ ſe faciem tendit. *Item* pulcherrimam ei ſtaturam, diſpoſitionemque annales & hiſtoriographi præbent. Ita ex dictis & viſis verè illud Pſalm. 42. concludere licet, *Specioſus forma præ filijs hominum*. Erant enim in eo,

Et { Debita quantitas, / Elegās diſpoſitio, / Decora venuſtas, } quoad { Staturam, / Figuram, / Colorem,

In quibus naturalis pulchritudo conſiſtit. Omnis quoque perfectio colorum, in Domini Ieſu corpore inuenitur, licet temporibus diuerſis: Scilicet,

Alba, rubens, lucens, nigra, ac biacintina & ardens.

Primo inuenitur *candida* in natiuitate; *Secundo rubens* in paſſione; *Tertio lucens* in transfiguratione; *Quarto nigra* in morte; *Quinto biacintina* in reſurrectione; *Sexto ardens* in iudicio. Vnde elicitur, quod grandis erat huius corporis venuſtas; pulchrior tamen mente, quàm corpore erat. Cui etiam contemplandæ inſiſtendum magis hortamur.

De eiuſdem carnis mirificentijs.
Notula III.

SEd iam, quàm mirabilis hæc caro fuerit videamus. Pro quo *nota*, quod huius mirabilia ex multis eluceſcunt, VIII.

Conceptu, partu, vita, patiendo, reſurgens.

Si hæc mirabilia ad particulare retexere velimus, in immenſum creſcet volumen: Nā quis conceptus (taceo cęterorum) miracula edicet? Fuit caro hęc *in conceptu*, in inſtanti formata, perfectè organizata, animata, & in vnitatem
diuinæ perſonæ aſſumpta: *In natiuitate* clauſo Ezech. 44.
virginitatis ſignaculo exijt ſine dolore, ſine Luca 1.
pudore parta fuit. O res miranda! *In vita* ſuper
aquas ambulauit, contactu morbos curauit, Matt. 14.
& quattuor dotes, iuxta Hugonem, paſſim aſ- Luca 4.
ſumpſit, vel oſtendit. *In paſſione*, quando voluit, Ioan. 10.
mortua fuit, Deo coniuncta manſit, cælum &
terra hanc lugebant. *In reſurrectione* decorem Pſal. 92.
induit, clauſo tumulo prodijt; ianuis clauſis
ad diſcipulos intrauit. Quis vnquam audiuit Matt. 27. Ioan. 20.
talia, de carne dic rogo facta? Mirabilis facta
eſt caro tua Domine Ieſu ſuper me, mirificata Pſal. 138.
eſt, & non potero ad eam.

Nam vt adhuc pauca carnis tuæ mirabilia attendam, hæc inuenio.

Eſt infra, ſupra, iuxta, contra, caro, præter.

Primo inquam inuenio, quod hæc caro ſit *infra carnem, propter profunditatem humiliationis*; Nam ſicut nulla caro hac fuit ſublimior, ita hac nulla humilior.

Secundo tua caro Domine Ieſu, eſt *ſupra* Titi 3.
carnem, propter ſublimitatem exaltationis, quia etiam ſupra merita omnis carnis. Quia *non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed* &c.

Tertio iuxta carnem, vel ſecundum carnem, propter *veritatem aſſumptionis*. Eſa 53. *Verè lāguores noſtros in carne ipſe portauit.*

Quarto eſt caro hæc *contra carnem*, propter *munditiam à fomite*, & concupiſcentia, vel etiā propter damnationem infidelium. Ioan. 15. *Si non veniſſem, & loquutus fuiſſem*, &c.

Quinto eſt caro hęc *præter carnem*; ſcilicet propter *immunitatem contagionis*, quia præter carnis operationem, *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Matth. 1. Ex his omnibus
modis Verbum caro factum eſt propter car- Ioan. 1.
nem, id eſt ſaluationem omnis carnis. O verè mirabilia, ô ſtupor, & noua inaudita! His nouis ſcrutandis cum Athenienſibus; imò præ illis, diligentius vaca, ô anima curioſa; quia, ſi profundè foderis, talia noua inuenies, qualium nec cælum, nec terra, præterquam in hac carne, conſcia ſunt, aut percepetunt.

Quis

Quibus caruit hæc caro benedicta.
Notula IV.

NVNC præterea inueſtiganda, quibus caruit hæc caro benedicta; vnde & caro eſt compellata: Vnde & caruit ſubſequentibus,

Fomite, Peccato, Defectu, Marte, Vacante,
Opprobrio, Tactu, Pului, Putredine, Morte.

Primo rectè caro tua Domine, caro dicitur, quia caruit *fomite originali*: Eſt enim abſque macula Agnus, omnis inſcius peccati. *Secundo* caruit *peccato actuali*, quia peccatum non fecit, immo nec peccare potuit. *Tertio* omni *naturæ defectu*; quippe qui perfectiſſimus in naturalibus fuit. *Quarto* omni aduerſus ſpiritum *rebellione*, quod intelligitur per *Martem*, qui Deus belli: Hæc enim fuit arca Noe, in qua omnia pacificata fuere; *Et pax domui eius.* Gen. 6. *Quinto* caruit omnimoda mala *vacuitate*, quæ Deo repleta fuit: In ea enim *plenitudo diuinitatis corporaliter habitauit* ſecundum Apoſtolum. Coloſſ. 2. *Sexto opprobrio* humano, niſi quantum propter nos aſſumpſit: Non enim eſt opprobrium, niſi vbi peccatum. *Septimò attactu virili*, & omni ſorde in conceptu & natiuitate, quia ſine concupiſcentia conceptus, ſine pudore & omni ſorde natus, quia has tollere ipſe venit. Caruit quoque *poſtremo* in morte, mortis nexibus, *putredine & puluere*: *Impoſſibile enim erat detineri in morte. Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, ait Pſalm. 15. Act. 2. O verè fœlicem carnem omni malo carentem, libera me à malis, & fac vt malis caream omnibus. Hic offert ſe quæſtio illa Theologorum ventilanda; ſcilicet, quæ Dominus Ieſus aſſumpſerit in carne mala? quæ tamen & infrà locum habet.

De corporis huius decore & glorificatione.
Notula V.

IX. TANDEM iam de *decoratione corporis* huius, occurrit videndum. Ante enim viſum eſt, de pulchritudine naturali, hic de ſuperaddito fulgore gratiæ virtutum, & potiſſimum glorificatione eius corporali agendum. Sed quis decorem hunc oculus feret? Si diximus, quod naturalis pulchritudo excellit cuncta creata, quid putandum de decore glorificationis ſuperinducto? Nam conſummato paſſionis triumpho verus Ioſeph attonſus, mortalitatis comam, veſtes carnis mutauit in immortalitatis ſtolam, vt omnium decor eſſet, corpus induens omnibus glorioſis dotibus, & ornamentis decoratum: Scilicet

Beatitudinis,
Dotes, aureolas, partes,
& gloriæ Sanctorum, præmia meritorum.
Rex gloriæ, reddens.

Primo enim corpus eius glorioſiſſimum, ſubtile, agile, & immortale, tantæ claritatis eſt gloria ſuperueſtitum, vt verè ſit Sole fulgentius, exemplarem præferens pulchritudinem corporum ſuſcitandorum; de quibus ſcriptum eſt, *Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol*, Mat. 13. Quod ſi iuſtus quilibet vt Sol fulgebit, qui tunc erit *ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum*: quanti Eſa. 30. putas eſſe vigoris & fulgoris ipſum iuſtitiæ Solem, à quo omnis oritur lux & ſplendor ſanctorum. Tanti inquam (ait Bonauentura) vt ſit ſpecioſior Sole, & ſuper ſtellarum diſpoſitionem luci comparatur, decor præcipuus non immeritò iudicetur. Quod ſi corpus ita ſplendeſcet, anima fulgoris huius cauſa, quo ſplendore decorabitur? Superat intellectum cõputationis, & calculos arithmetici, & geometrici omnis. Deficit hic Zeno computiſta acutiſſimus, non attingit hanc computationem Pythagoras ſuo calculo; Non Archimedes baculo numeroſo: non Perdices ſuo circino. Non demum poterit ad hanc, quiſpiam mathematicorum, quopiam computiſtico inſtrumento. Immenſa enim quodammodo eſt claritas huius corporis. Poſſet in hũc modum deſcenſus fieri ad reliquas corporis dotes: Itẽque ad cætera contexta in verſiculo præmia; niſi & rei profunditas, & ſcribendi prolixitas inhiberent. De præmijs illis in Roſario; de gloria habes alibi.

Verſatur tamen quæſtio inter Doctos, vtrùm Chriſtus poterit dici dotatus, aut aureolatus, cùm ſponſus ſit, & Rex gloriæ ipſe? Problema eſt. Vtriuſque partis ſunt rationes. Quanti decoris ſit aſpectus iſte noſtri corporis decorati, ex hoc potiſſimum coargui poterit, quod & Angeli deſiderant proſpicere in eum. O qualis erit ergo illa viſio, qua oculo ad 1. Pet. 1. oculum, poſt diem iudicij, Domini corpus videbitur tam glorioſum? In quo tantò tunc amplius quiſque oblectabitur, quo reuerentius, hoc nunc velatum contrectauerit; integrius amauerit, crebrius quoque illud conſpexerit, ac amoroſius. O fœlices illi oculi, ô terque quaterque beati, qui conſpexerint Re- Eſa. 33. gem in decore ſuo. Me quoque dicã beatum, ſi Tob. 13. fuerint reliquiæ ſeminis mei, ad videndum illam claritatẽ, quam contrecto nunc ſub ſacramento velatam. Idem enim corpus eiſdem & nunc dotibus inſignitum eſt, quod conſecratur in altari, & quod beatificat, vel lætificat ſuos in cœlo. Sed oportet interim hunc Moy- Exod. 34. ſen faciem ſuam velare ob debilitatem noſtrarum pupillarum: Nam ſemel radium claritatis ex ſacramento cuidam oſtendit; ſed ferre non ſuſtinens totus defecit; contemperat ergo ſe nobis. Hæc de decore, & per conſequens de corporis huius qualitate. Super qua materia & plura alia poſſent dici: vt puta, quod hæc eſt caro perfectè munda, omnium gratiarum theſauro dotata, deificata, ſublimata, redemptionem mundi operata. Sed hæc relinquũtur meditanti.

§. 4. De carnis vel corporis præfiguratione.

IAM circa quartum principale videndum eſt de carnis huius præfiguratione, & aſſimilatione:

Exoptata caro, ſimulata, typata, profata.

PRIMVM enim hæc caro à pluribus Patribus fuit plurimũ exoptata, vt ex ſuſpiriis eorũdem patet: Hinc etiã Iob c. 19. ait, *Si nõ dixerunt viri*

tabernaculi mei, quis det de carnibus eius vt ſaturemur? Si illi ita deſiderauerunt nondum exhibitam: quam mihi pudendum, non exoptare iam in menſa altaris paratam? Plurima ſupra de deſiderio Sacramenti ſunt prętacta.

SECVNDO fuit, & eſt caro hæc variis & ſublimibus rebus, in ſcripturis & prophetiis aſſimilata; quas ſi proſequi velimus, ante tempus, quàm materia deeſſet: Vt autem pauca tangamus, his rebus inuenitur comparata.

Flos, fructus, medicina, cibus, caro, nebula, Sol, lux.
Vmbraq́ue, ros, manna, os, apis, ales, veſtis, aër, nix.

Tanta ſuper horum declaratione occurrerent volenti ſcrutanda, quod vix caperent ea multa volumina; Poterunt enim tractari ſingulorum proprietates, deinde Chriſto applicari, auctoritatibus ſcripturæ roborari, &c.
Cant. 2. Sed ſtrictim tangamus; Chriſtus *flos* dicitur, *Ego flos campi*; Flos ſuper quē Spiritusſanctus quieſcit, iuxta Eſaiam.

Hic flos	Floruit,	In	Natiuitate Eſa. *Flos de radice Ieſſe:* (Eſa. 11.)
	Defloruit,		Paſſione Naum. *Flos Libani elanguit.* (Naum 1.)
	Refloruit,		Reſurrectione Pſal. *Refloruit caro mea.* (Pſal. 27.)

Item Chriſtus flos dicitur propter multas proprietates, quarum 34. enumerat auctor in Mariali, & ſingulas prolixè deduxit. Patet ergo quam copioſa ſit hæc meditandi materia. *Secundo fructui* Chriſtus aſſimilatur, vt habes penes Lucam cap. 2. *Benedictus fructus ventris tui; Fructus terræ ſublimis*, Eſa. 4. Hic nota quare fructui aſſimiletur Chriſtus, & quos gignit fructus. Sed de hoc infra in Roſario expoſitorio ſuper Aue Maria. *Tertio medicina* Chriſtus dicitur, *Altiſſimus de terra creauit medicinam.* Eccli. 38. O, deuota hic ſunt meditanda, quia eſt omnis generis medicina, ſcilicet purgatiua, confortatiua, &c. Item omnis morbi curatiua. Item omnis remedij contentiua. Chriſtus enim emplaſtrum, Chriſtus balneum, Chriſtus in ſe conſtituit dietam. Item multis modis curans; puta ſucco aquæ & ſanguinis, ſpecie bonæ conuerſationis, odore bonæ opinionis. En quàm lata & deuota hic pertranſitur materia. *Quarto cibus* dicitur,
Ioan. 6. *Caro mea verè eſt cibus*. De quo plura iam dicta ſupererunt, tamen plura alia efferenda; puta quod omnis generis cibus eſt, quod mirificus cibus eſt. *Quinto nebulæ* aſſimila-
Eccli. 43. tur. *Sanitas in feſtinatione nebulæ*. Nebula, inquam, quia texit Solem diuinitatis; quia eſt ſignum ſerenitatis, &c. *Sextò Sol* Chriſtus dicitur, *Orietur Sol iuſtitiæ*, Malach. 4. & hoc ratione interpretationis, etymologizationis, proprietatis, efficientiæ, aut actionis, de his in Mariali. *Septimo lux* dicitur, & ei aſſimilatur Ioan. 8. *Ego ſum lux mundi*. Et hoc propter multiplicem lucis proprietatem, propter effectuum vtilitatem, & alia multa. *Octauo vmbræ* comparatur, *In vmbra illius viuemus*. Thren. 4. Sub qua ſponſa ſedet, &
Cant. 2. hoc quia refrigerat, iocundat, &c. *Nono ros*
Exod. 16. dicitur, cum manna deſcendens: *Ero quaſi ros* Oſee. Et hermon propter plura bona. *Deci-* Oſee 14.
mo manna comparatur, vt ſupra patuit. *Vnde-* Pſal. 131.
cimo api aſſimilatur Eccli. 11. *Breuis in volatilibus apis*. Cuius proprietates pulcherrimè quadrant carni, & corpori Chriſti. *Duodecimo ales*, vel auis dicitur. Eſaias c. 46. *Vocans ab oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ*. *Decimotertio veſti* comparatur; qua qui non fuerit indutus, à nuptiis ejicietur, Matth. 22. *Induimini Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Rom. 13. *Decimoquarto aer* Chriſtus dicitur; quia propter bonæ famæ odorem in eo reſpiramus. *Poſtremo etiam niui* comparatur, Eccli. 43. *Imperio ſuo accelerauit niuem.* Et hoc quia candida, minuta, è cœlis orta, frigida, viſus diſgregatiua, calore Solis reſolutiua. Quæ proprietates pulcherrimè congruunt huic carni, & corpori noſtro. Sunt & innumerabiles aliæ per campum ſcripturæ huius comparationes ſparſæ, quas deuotus poſſet recolligere ſibi, & per eas carnem hanc, & corpus ſalutare; quemadmodum Bernardus in Soliloquio ſuo plures aſſimilationes attribuit Domino Ieſu. Porrò qui vlteriorem iam dictorum declarationem requirit, magnum Mariale accedat, & ferè omnia illic inueniet deducta.

EST TERTIO caro hæc multipliciter, & variè præfigurata, ſicut ex ſuperioribus patet: Sunt tamen quædam figuræ hanc carnem cōcernentes aſſignandæ.

Hæc lignū, paradiſus, Adæ caro, victima & arca.

Primo hæc caro figurata eſt in *ligno vitæ:* Verè enim eſt *lignum vitæ apprehendentibus illam*; Geneſ. 2. Nam *qui manducauerit ex illa viuet in æternum.* Ioan. 6. Ratio autem figurationis ex multis ſumi poteſt: vt docetur in Mariali. Eſt *ſecundo* caro hæc figurata in paradiſo; quia verè hortus eſt deliciarum; vnde quattuor egrediuntur flumina, irrigantia vniuerſam terram. Eſt hæc caro mater noui Adam, præfigurata in carne veteris illius Adæ: Nam ſicut ex illius coſta fabricatur caro Euæ; ſic de Chriſto formatur Eccleſia. *Quarto modo* omnibus *victimis* & oblationibus caro hæc eſt præfigurata, ſicut ex ſuperioribus patet. Deſignatur etiam per *Arcam* fœderis teſtamenti, propter congruentiſſimas inuicem proprietates; quas longum eſt aſſignare, requirantur vbi ſupra in Mariali. Hæc ſufficiat notaſſe de figuris. De Prophetijs quoque, quibus caro hæc, & corpus ſunt commendata, poterunt plura ex ſcripturæ ſilua aggregari, ſed ad reliqua feſtinandum: præſertim cum in antehabitis plura habeantur.

§. 5. *De quinto principali, ſcilicet de corporis huius traditione, vel traditionis qualitate.*

QVINTO principaliter agendum eſt de XL.
corporis huius *traditione*, & traditionis illius qualitate: Præſertim cùm traditionem hanc in ſuo corpore Sacramentum inſtituendo, Dominus commendauit dicens 1. Cor. 11. *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur*. Circa quam traditionem plura ſunt conſideranda,

Digitized by Google

Quo quibus hoc tradit corpus, ſeu quomodo, & ad quid:

Primo inquam conſiderandum occurrit: *A quo*, vel à quibus traditum fuerit, & inuenietur quod à multis, licet diuerſa voluntate.

Hunc Pater, & ſemet, Mater, Draco, Iuda, Iudæus.

Huius declaratio in ſcala paſſionis habetur infrà.

SECVNDO videndum, *quibus* hoc Domini corpus traditum fuit: Et dum diligenter & ritè ſcripturas ſcrutamur, variis traditum inuenimus,

Hoc Patri, Sanctis, prauis, Sathanæ quoque, nobis.

In primis traditum inuenitur *Deo Patri*, iuxta illud Apoſt. Epheſ. 5. *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo* &c. Traditum,
Col. 2. inquam, vt ſatisfaceret diuinæ iuſtitiæ & æquitati: vt *deleret quod aduerſum nos erat chirographum decreti*, vt deducit Anſelmus in ſuis meditationibus. *Secundo* traditum eſt hoc corpus comprehenſoribus in patria Angelis, & ſanctis, in ſuæ beatificæ glorificationis obiectum: vt eorum repleret ora in æternum canentium. Eſt enim corpus & humanitas Chriſti (ſecundum Dionyſium) beatitudinis quodammodo poſt Deum, beatificum obiectum.
Ierem. 12. *Tertio* traditum eſt hoc corpus, non ſanè amicis fouendum, palpandum, oblectandum; ſed inimicis odientibus, & in mortẽ quærentibus animam eius: iuxta illud Matth. 20. & 26. *Tradetur principibus ſacerdotum.* Itemque, *Tradetur gentibus ad illudendum & flagellandum*, &c. *Quarto*, non ſolum inuenimus hoc corpus traditum membris diaboli; ſed & quodammodo diabolo ipſi, cui nos, ſcilicet tradendi eramus, vt notat Beatus Gregorius ſuper illo Iob c. 1. *Ecce in manibus tuis eſt, veruntamen animam illius ſerua*, vt latius infrà in ſcala paſſionis dicetur. *Poſtremo* eſt & traditum nobis viatoribus non ſolum in redemptionis pretium: ſed & in quotidianæ refectionis ferculum. O, gratias reddamus in traditione talis corporis.

QVOMODO autem hoc corpus traditum fuerit, plura complectitur digna conſideratu, Traditum in mortem charitate ſumma, in ſacramentum ſapientia ſumma, de quo modo traditionis iam eſt determinatum ſupra.

SI AVTEM AD QVID datum fuerit conſiderare tentemus, quis *iam à calore ſe ferueris abſ-*
Pſal. 18. *condet?* Nam (vt in ſumma vnum dicam) traditum eſt nobis hoc corpus in omnem deſiderabilem vſum: nihil eſt quod mens appetere poſſit, quod non in hoc corpore reperiatur. Nam traditur hoc corpus,

In { Pretium redemptionis,
Viaticum refectionis,
Sacramentum communionis,
Medicamentum languoris,
Sacrificium reconciliationis,
Pignus dilectionis,
Obiectum glorificationis. }

O corpus redimens, cibus &, communio ſanans
Pacificas, pignus peramans, in gloria cali.

Eſt enim hoſtia ſatisfactoria, & *pretium redemptionis*, ſicut quando in cruce offerebatur: Quali enim charitate & affectu ibi tunc ſe obtulit: tali affectu, & non minori, offert ſe in Altaris ſacramento. Immo (vt Sanctus Thomas dicit, in de beatitudine æterna) quã-uis illa ſemel exhibita ſunt ab extra: tamen omni momento in Patre per Filium, cum Spiritu ſancto, ita recenter fiunt, ſicut quando oſtendebãtur ab extra. Et tali nihilominus affectu à nobis quotidie ſuſcipi deberent, ac ſi iam in inſtanti fierent; quæ Dominus noſter exhibere dignatus eſt ad ſalutem noſtram tempore ſuo. O quale hoc inflammatiuum! Eſt quoque *viaticum refectionis*, extinguens in nobis famem, & ſitim mortiferam ſæcularium deſideriorum. Eſt *Communionis Sacramentum*, replens nos omni ſanctitate; Eſt *languoris medicamentum*, theriaca viuificæ carnis, & ſyropo ſaluberrimi ſanguinis omnes morbos propellens. Eſt *reconciliationis Sacrificium*, placans Patrem miſericordiarum. *Pignus quoque dilectionis*, quo certius exhiberi poterat nullum. *Obiectum quoque glorificationis* erit in cælis, 1. Pet. 1.
quod etiam Angeli ſpectare gloriantur.

Complectitur plura alia ille Doctor qui ſupra, oſtendens quòd hoc corpus omnibus omnia factum eſt, 1. Cor. 9.

Eſt { Fœnum iumentis, Pabulum brutis,
Annona ſaginatis, Panis hominibus,
Edulium debilibus, Pulmẽtum delicatis,
Ferculũ honoratis, Conuiuium amicis,
Epulũ celebribus, Sacrificij cibus ſacerdotibus. }

Omnibus en omnia factum, *eſca pullis coruorum innocantibus illud.* Fœlix igitur, & fauſta traditio corporis talis, & iuſtè gratificè recolenda. Pſal. 146.

§. 6. *De aſſumptione pœnarum propter nos, in hoc corpore.*

XII. SEXTO vidẽdum eſt de *malorum* huius corporis *aſſumptione*: Nam non ſufficit bono Domino, fido amico, quod bona ſua communicaret, quod totum ſe tibi impenderet; niſi mala tua aſſumeret, & in corpore ſuo portaret. Circa quam conſiderationem grandis ſe materia offert, & S. Tho. hæc inquirit,

Vtrum aſſumpſit, An neceſſe fuit
Defectus cur debebat,
quales aſſumpſit, defectus pertulit.
quos ſumpſit, an omnes.

Sed ne longis diſputationum ambagibus detineamur, tenendum iuxta Doctorem Seraphicum in breuiloquio ſuo, quod Chriſtus aſſumpſit, non tantum humanam naturam; ſed etiam defectus circa naturam. Nam in corpore pœnalitates corporales aſſumpſit: vt famem, ſitim, & laſſitudinem; non tamen omnes, neque etiam qualitercunque, quia ſic neceſſitatem patiendi accepit, vt tamen nihil poſſet pati inuitè: vt ibi declarat.

RATIONABILE enim fuit corpus aſſumptũ pœnalitatibus ſubiacere propter hæc.

Sic ſatagat, complens, firmans, amor, vt doceat te.

Primo, vt ſic per pœnales ſatisfactiones, pro noſtris delictis ſatisfaceret ſuſtinendo. *Secundo*

vt prophetias impleret: vt illud Eſa. 53. *Verè languores noſtros ipſe tulit.* *Tertio*, vt fidem incarnationis ſic aſtrueret: Nam alioquin de veritate dubium fuiſſet; ſi impaſſibilis fuiſſet. *Quarto*, vt ſic multa patiendo, magnum amorem oſtenderet, & magni nos amoris debitores conſtitueret. *Quinto*, vt te doceret patientiam primo, in tolerandis malis. *Suſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt non fatigemini, animis veſtris deficientes.* Hebr. 12. Item per hoc docuit humilitatem; Item vitare ſingularitatem, & alia plura.

Illos autem defectus non aſſumpſit, qui conſequuntur ex peccato communi totius naturæ; nec tamen repugnant perfectioni ſcientiæ ordinati appetitus diſpoſitionis: vt ſunt, ignorantia, pronitas ad malum, & huiuſmodi. Et ſic Damaſcenus dicit, quod aſſumpſit defectus naturales, & indetrahibiles, vel quos in noſtra natura plantauit.

Sic ergo patet, quod quinque illa mala, quę Ariſtoteles enumerat propter te aſſumpſit.

Æger, egens, infamis, mortem, fert inimicos.

De *ægritudine* Eſaias ait cap. 53. *Verè languores noſtros ipſe portauit*, &c. Item, *vidimus eum nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem.* Bona enim gallina pullis eſt coinfirmata. De *inopia* ipſe teſtatur Mat. 8. *Vulpes inquit foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet*, &c. Paulus 2. Cor. 8. *Videte gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam cùm diues eſſet, propter nos egenus factus eſt.* De *infamia* Matth. 26. *Seductor ille*, dixit. Item, *homo vorax, potator vini.* Euangelium legatur. De *inimicitia* ipſemet, Ioan. 15. *Nunc autem viderunt, & oderunt me.* Item Pſal. 138. *Inimici facti ſunt mihi.* De *morte* Cant. 8. *Fortis eſt vt mors dilectio.* Ioan. 15.
1. Pet. 2. Gal. 3. *Quoniam maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat pro amicis ſuis.* Ecce ſi non omnia tua mala in corpore ſuo pertulit; immo & factus maledictum, & peccatum in corpore ſuo illud cruci affigẽs. O quid debuit facere, & non fecit.

§. 7. *De bonis & fructibus huius carnis.*

XIII. Nvnc de bonorum, & fructuum huius carnis collatione quærẽdum. Nam præter plurima bona ſupra commemorata, habemus ex hac carne duodecim fructus, contra duodecim languores: vt Sanctus Thomas declarat. De quibus Apoc. 22. *Oſtendit mihi Angelus lignum vitæ, afferens fructus duodecim*, cõtra duodecim defectus languoris; ſcilicet,

Effugat, ac vmbrat, mundans, placat, calet, eſt lux.

Delectat, firmat, ſaluat, meritum, bona, corpus.

Primvs langvor, eſt dæmonis tentatio; Sed corpus Chriſti dæmonem fugat, vt Tobiæ 6. *Si cordis particulam ſuper carbones poſueris, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum.* Pſal. 67. *Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius.*

Secvndvs languor eſt fomitis repugnatio; Sed corpus Chriſti *mons Selmon*; id eſt, *vmbra*, refrigerat eius æſtum. *Virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Lucæ 1.

Tertius languor eſt cordis macula; Sed caro Chriſti munda. Eſa. 6. *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari*, &c.

Quartus languor eſt creatoris offenſa; Sed *munus abſcõditum extinguit iras*: vt dicitur Prouerb. 21. Et caro Chriſti placat. Et hi fructus contra vincula culpæ.

Quintus languor eſt defectus in dilectione proximi; Sed corpus Chriſti eſt carbo ignitus, accendens ad amorem; quia eſt ſacramentum charitatis.

Sextus languor eſt defectus in cognitione ſui; Sed corpus Chriſti mel eſt, oculos Ionathæ illuſtrans. Pſ. 26. *Dominus illuminatio mea.*

Septimus languor eſt defectus in ſapore ſpirituali; Sed fructus huius corporis, dulcis eſt gutturi, & delectat: quoniam *ſuauis eſt Domi-* Cant. 2.
nus. In omni ore quaſi mel indulcabitur. Pſal. 33.

Octauus defectus eſt in conſummatione bo- Ezech. 3.
ni; Sed panis huius corporis, cor confirmat. Et hi fructus contra defectus gratiæ.

Nonus languor eſt debitum mortis æternę; Sed corpus Chriſti à morte liberat, *De manu* Pſal. 103.
mortis liberabo eos.

Decimus eſt defluxus bonæ vitæ; Sed caro hæc merita bonæ vitæ accumulat, *Qui manet in me fructum multum affert.* Ioan. 15.

Vndecimus eſt exilium mundanæ miſeriæ: Sed hoc ad bona patriæ deducit Hierem. 12. *Reducam virum ad hæreditatem ſuam.*

Duodecimus eſt incineratio corporalis materiæ; Sed hoc corpus Chriſti, noſtrum reſuſcitat ad reſurrectionem vitæ, *Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die*, Ioan. 6. Et hi fructus contra languores mortis plagę.

Svnt & alia innumera huius carnis & corporis bona, quæ ſola commemoratione tangenda ſunt: vt puta,

Peccatum, Debitum, Peccati iugum.
Damnauit, ſoluit, fregit,
Fomitem, Opprobrium.
minuit, ſimul aufert.

De primo Apoſt. Rom. 8. *Deus Filium miſit in ſimilitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne.* Secvndo, hæc caro Adæ debitum ſoluit. Tertio, diaboli iugum fregit. Qvarto fomitem minuit, liberans à lege peccati. Qvinto, opprobrium noſtræ carnis abſtulit; ita *vt nihil damnationis ſit his qui in Chriſto ſunt, qui non ſecundum carnem ambulant, quia Verbum caro factum eſt*, ac per hoc fit nobis omne, quod concupiſci poteſt. Nã vt Hubert. ait: Eſt nobis Chriſti caro hæc,

Conuerſationis, eruditionis,
Exemplum atque magiſterium,
refectionis, ſatisfactionis, informationis.
cibus, hoſtia, ſpeculum.
Liber ſtudij, ſomni, præmij.
Hæc ſtudium, lectus, merces,
theſauri, refugij.
ſimul arcula & antrum.

Quid vltra deſiderari poterit? vbi nunc qui

philar-

philargiriæ æſtu feruent? Vbi qui grandia concupiſcunt? In hoc vno omnia bona ſimul habentur. Accurrant, carnem hanc deſiderij brachijs apprehendant, in domum mentis iugi meditatione introducant, ſcientes, quòd Dominus domui eorum, ſicut Obededom, benedicet. 2. Reg. 6. Arca eſt, ſacculus pecuniarum eſt, quem vir ille, de quo Sapiens Prouerb. 7. ſcribit, derelinquit; Diſſoluant & *omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ*, illic reconditos inuenient. Col. 2. Et ſi ritè hoc corpus, hanc carnem obſeruauerint, ex ſententia gratulabundi Sapientis eulogium dicent, *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Sap. 7.

Sed de bonis huius carnis is tantum participabit, qui carne ſua mortificata, adhęſerit viuificæ carni Chriſti. Pro quo hic aſſignandum, quàm diſtent caro Adæ primi & ſecundi, & quam differenter coniunguntur vtrique. Scribit de hac differẽtia vtriuſq; carnis, venerab. Raym. in lib. Naturæ, dicẽs. Quia ſcilicet duplex ſit caro, Adæ primi, & Adæ nouiſſimi, id eſt, Chriſti, quarum vtraque animas recipit, quoniam caro propter animam; ſed differenter; Quia ſicut ſecundus homo Chriſtus, contrarius eſt primo; ſic etiam caro Chriſti, contraria eſt carni hominis primi, habentque proprietates contrarias, contrarios effectus & operationes reſpectu animę. Et quoniam anima trahit totum malum ſuum, & mortem, ex ſocietate cum carne primi hominis, libidinoſè generata, ita quod illa ſocietas eſt totum fundamentum & origo totius mali: ideo neceſſe eſt, quod anima contrahat, & accipiat totum bonum ſuũ, totam ſuam purificationẽ & munditiam, ſalutẽ & reparationẽ, & ſuã vitam, ex ſocietate & vnione carnis Chriſti, quæ ſine libidine concepta eſt, & generata. Contraria enim contrarijs curantur. Itẽ: Si animæ imputatur peccatũ, propter ſocietatem cum carne eius corrupta; quanto magis animę communicabitur meritum ſecundi hominis, propter ſocietatem cum carne eius ſanctiſſima? Et ſicut prima caro dat mortem, venenum, & omne malum: Sic ſecunda dat vitam, theriacam, & omne bonum.

Duæ autem ſocietates animæ, cum carne propria libidinoſè generata: Prima eſt naturalis, quando anima creatur, & vnitur carni, ipſa ignorante; Et hæc non eſt voluntaria per proprium conſenſum; & tamen ipſi animæ imputatur crimen primi hominis, & fit immũda, & contrahit maculam ex tali ſocietate. Alia ſocietas eſt ipſius animæ cum carne, quæ eſt voluntaria, & per proprium conſenſum; ſcilicet quando amat delectationes carnis, & conſentit libidini eius: Et hęc occidit animam, & facit nequiſſimam; Ideo neceſſe eſt, ſi debeat liberari à tali morte, & recipere vitam, quod habeat ſocietatem cum Chriſti carne viuifica. Et hoc ſecundo modo (quia primo modo non poteſt) in aſſociatione ad Chriſti carnem, viuificatur, & omni bono repletur; vt ibi longius deducit Doctor prænominatus cap. 95.

Patet ergo quam corruptæ noſtrę carnis ſocietas omni animæ eſt declinanda; immo tanquam facies colubri abhorrenda, quippe cuius ſocietas animam necat. Patet item quam carnis Chriſti vnio exoptanda, quæ omne bonum confert. Si ergo, ô carnalis anima, carnem vis diligere; nullam, niſi carnem Chriſti ames: Hęc enim ſola corruptionem non vidit, nec ſenſit, nec habuit, nec in conceptu, conuictu, aut occubitu; ſed pro ipſa corruptione extinguenda, facta ſacrificium, continuè tuas amaritudines deguſtauit. In hanc ergo te transformes, de hac cogites, de hac tuam phãtaſiam repleas: vt nihil corporale, nihil viſibile, nihil ſenſibile aliud libeat cogitare, niſi hanc benedictam carnem Ieſu, qui eſt *tua eruditionis magiſterium, peregrinationis bonum*, &c. vt ſuprà. Et (vt dictum eſt) ſumma ſpes ſalutis, & omnis boni ſtabile fundamentum. Caro reliqua filiorum hominum, ſtercus, vermis, & fœnum, & flos fœni, Euangelico illo Propheta teſte; Eſa. 40. quam ſi lynceis ocellis (ait Boëtius) inſpiceres, tametſi Alchibiadis pulcherrimi caro eſſer, exhorreſceres. Cur igitur ſic, nunc tuam, ô anima, carnem palpas? cur ſic illi blandiris? Neſcis quam ſit domeſtica inimica? pro bonis retribuit mala. Age, fuge, fuge; crucifige, crucifige eam, Amplectere Chriſti carnem, eamque ſedulo mentis affectu ſaluta, cum Vbertino dicens, *O caro mea mortis viuificatiua! O mea beatitudinis materia! ô mea punitionis ſolutiua! ô mei deſiderij ſatiatiua! Transforma me in te, vt viuam in te, requieſcam in te, cogitem de te, comedam te. Tu ſis mihi liber ſtudij, lectus ſomnij; Tu arca theſauri, tu tranquillatio animi, tu plena crucifixio carnis peccati, tu plena transformatio cordis mei; vt ſic in regno plenius gaudeam in te, quo nunc ſedulius cogitauero de te*, per te carnem benedictam. Amen.

§. 8. *De vltima conſideratione huius portionis, quæ eſt de membris corporis Chriſti.*

XV. IN CONSIDERATIONIBVS ſupra notatis, circa Chriſti carnem habendis, vltima fuit *de membris* Chriſti in ſpecie: Quæ conſideratio ſingulariter paruulis, qui ſolidum cibum nondum capiunt, eſt accommoda; quia exercitatu facilis, dulcis, & iocunda. Et eſt qua corpus illud ſacrum verſent, & reuerſent, & à planta pedis vſque ad verticem capitis, nullum membrum, etiam nullam venam inſalutatam prætereant; ſed circa ſingula ſe contemplanda dedant, attendant, dijudicent

Singulorum mẽbrorum	decorẽ, & cõmendationẽ,	ad	congratulãdum,
	actus, & paſſionem,		compatiendum.
	exemplum, & eruditionem.		imitandum.

Deuota eſt contemplatio, & coram venerabili Sacramento exercenda; vnde & hic meritò aſcribenda; Sed quoniam, quam debuimus, huic prolixius portioni immorati ſumus, ad reliquas eſt feſtinandum: Requiratur

Digitized by Google

huius deductio inter roſaria, de paſſione Domini noſtri infra. Puto, qui ſic corpus Chriſti maſticaret, mirificam refectionis virtutem perciperet, & non macilentus; ſed pinguis, & impinguatus, de menſa Domini abſcederet. Eya igitur ſic comedamus, & potiſſimum corpori huic nos in bonis exemplis conformemus iam in vita, vt poſt corpori claritatis eius conformemur in gloria. Amen.

MEMBRVM II.

De altera portione Agni, ſcilicet ſanguine.

HIc eſt ſanguis teſtamenti. Matth. 26. *Pulli lambunt ſanguinem eius*. Iob 39. IAM ALTERA portio Agni noſtri eſt maſticanda, quæ
1. Pet. 1. eſt *ſanguis* Chriſti pretioſus, vt Petrus ait, tanquam Agni immaculati.

Circa quam portionem, plura ſe offerunt conſideranda, Scilicet,

De ſanguinis
- Qualitate,
- Præfiguratione,
- Comparatione,
- Effuſione,
- Vtilitate,
- Sumptione.

Qualis, ſignatus, ſimilis, fuſus, bona, ſumptus.

Hæc dulci gutture cum ſponſa ruminemus, & auidis faucibus, velut veri Pelicani illius pijſſimi pulli, viuificatiui ſanguinis cupidi, lambamus, & primam qualitatem ſanguinis videamus.

§. 1. *De ſanguinis Chriſti qualitate.*

XVI. QValitas autem ſanguinis huius, ex his perpendi poteſt; nam talis eſt (vt cætera tranſeamus) dilecti ſanguis,

Dignitate, effectuoſitate, acceptabilitate,
Nobilis, & mirus, gratus,
multis, in cælo.
venerabilis, altus.

De ſanguinis Chriſti nobilitate.
Notula I.

PRIMO inquam ſanguis iſte *nobilis eſt*, & pretioſus: Cuius nobilitas, tametſi ex omnibus illis, ex quibus & corporis nobilitas ſtabilita eſt, poterit commendari; ex tribus tamen potiſſimè colligitur, & probatur. Scilicet,

A
- Virginali origine,
- Dignitate innocentiæ,
- Dei vnione.

Primo ex virginali origine. Hinc Eccl. 24. *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris*. Fructus vitis, ſcilicet B. Virginis, vua & vinum, id eſt corpus Chriſti, & ſanguis, Vinum igitur honoris, de flore vitis, eſt ſanguis Chriſti pretioſus, natus de Virginitate Matris.

Secundo, probatur ex dignitate innocentię, Pſal. 93. *Captabant in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabant*. Quanto ſanguis innocentior, tanto carior & pretioſior.

Apoſtolorum Princeps, *Non corruptibilibus* 1. Pet. 1.
auro vel argento empti eſtis; ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni incontaminati Chriſti, &c.

Tertio, Dei vnione: Verè enim totam naturam hominis ſibi vniuit hypoſtaticè; ergo & ſanguinem. Paulus Heb. 2. *Quia pueri communicauerunt carni & ſanguini, & ipſe Chriſtus ſimiliter participauit eiſdem*; id eſt verè aſſumpſit; ita vt verè poſſit dici caro & ſanguis Dei. Idem Apoſtolus Act. 20. *Poſuit vos regere Eccleſiam, quam acquiſiuit ſanguine ſuo*. Ergo ſanguis Chriſti, verè eſt ſanguis Dei, & ideo per conſequẽs vltimata æſtimatione nobilis & pretioſus; ita quod vna gutta plus valeat, quàm totus mundus, ratione vnionis.

VIDE ergo, ô anima Chriſtiana, quanti te fecit, quando tam pretioſum ſanguinem pro te fudit. Sapiens mercator magis aliquid in te aſpexit. Attende quantũ te dignificauit, quando te illo ſanguine pretioſo potauit: Sanguine inquam pretioſo, *tum ex* parte materiæ, quia eſt ex puriſſimis Mariæ ſanguinibus; *tum ex* parte efficientis cauſæ, quia virtute Spiritusſancti fuit formatus; *tum ex* parte modi, quia modo tam mirabili, quod eius generatio eſt ignota omni menti, etiam ſummo Seraph, ſecundum Dionyſium.

Quarto ex parte loci, quia loco ſacratiſſimo, ſcilicet Virginis vtero, in quo factum eſt Sacramentum Incarnationis, quod eſt omniũ maximum. *Quinto* ex parte effectus; nam ſanguis iſte nobilitat nos, vt infrà dicitur, ſecundum quod dicitur in Apocalypſi c. 2. *Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, & feciſti nos Regnum & Sacerdotes*. Exultent reges terræ, & principes, in ſtirpis nobilitate, in potentiæ magnitudine, gigantes in fortitudine, diuites in multitudine diuitiarum ſuarum glorientur: *mihi au-* Gal. 6.
tem abſit gloriari, niſi in Chriſti ſanguine, me nobilitante, & exultare; niſi *in Deo Ieſu meo*. Abac. 3.

Et vt dicta ad ſummam redigamus, patet nobilitas ſanguinis Chriſti ex his quinque,

Mariæ ſanguis, modus excellens, Deo vnitus.
Materia, atque modo, formaq;,
vterus virginis, multiplici.
loco, fructuq;.

Patet huius verſus declaratio ex iam habitis. Nam ſanguinis *materia*, Mariæ ſanguis puriſſimus, *modus* incognoſcibilis, *forma*, quia Deo vnitus, & ſublimiter Deificatus. Quia (iuxta Franciſcum de Maironis) quicquid fuit in Chriſto ad integritatem humanæ naturæ pertinens, totum fuit Deificatum. Sed ſanguis &c. ergo etiam ſanctificatus totaliter; ita quod traditor dixit Mat. 27. *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum*. *Locus*, vterus virginalis, *fructus* nobilitatis in nobis cauſatiuus. Et hęc de nobilitate. Glorientur hoc ſanguine nati.

De mirificentijs huius ſanguinis.
Notula II.

SECVNDO, ſanguis iſte *mirus eſt*, & mirificus valde: Sanguis enim tuus Domine Ieſu XVII.
habet in ſe mirabiles cuiuſque ſanguinis effectus: ſcilicet

Ex pueri, pellit, hirci, conchi, que columbæ.

Mirifica

Mirifica virtus ſanguinis *puerorum*, qui vt, capitolij Pontifices Conſtantino dixerunt) lepram curare poteſt: Sed efficacius tuus hoc agit ſanguis, ô dulcis puerule, qui ſanat ab omni peccarorum lepra, Apoc. 1. *Qui lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.*

Grandis virtutis ſanguis eſt *Pelicani*, cuius pulli à ſerpente intoxicati mox vt huius ſanguinem lamberint viuificantur: Sed tuus, ô vere Pelicane, vitam gratiæ contulit mortuo mundo. Anima omnis carnis in ſanguine. Leuit. 17. Et in ſanguine tuo (iuxta Prophetam Thren. 4. & 70. interpretes) viuemus; tu enim es, qui dicis in Pſal. 101. *Similis factus ſum Pelicano ſolitudinis*, qui ſcilicet non dubitaui ſanguinem fundere, pro viuificandis pullis. O ſim ille pullus, lambens viuificum ſanguinem tuum.

Valida inſuper vis ſanguinis *hircorum*, inuincibilem frangens adamantem, calido illo ſuperlinito; Sed quæ quæſo mens, niſi vel diabolica, quæ non tuo charitatiuo ſanguine tacta conteratur? Præſtat igitur tui ſanguinis virtus illi, quantum præponderat rei corporeæ res incorporea, imò diuina.

Magnificæ virtutis, magnique decoris, conchilij ſanguis effertur, eo quod Regiam purpuram tingat: Boetio commemorante, Neronem tyrio comptum oſtro: Sed tuus, Domine, ſanguis, mentis genas adornat, ita quod ſponſa tua gratulabunda (Agnetem loquor) cantabat, *Sanguis eius ornauit genas meas*. Ornet, & ego hoc tuo roſeo ſanguine, & non verebor

Matt. 22. ſuper defectu veſtis nuptialis. Gratior eſt anima illa ornata tuo ſanguine pretioſo, quàm ſi decorata eſſet Periskelide, ſtibio, & omni cultu muliebri & meretriceo.

Miranda & virtus ſanguinis *columbini*, qui (vt aiunt) hirundinum ſtercore cœcatos oculos illuſtrat: Mirabilior multo ſanguis tuus Domine, qui & mentes, & corpora illuſtrat. Adducatur in medium Longinus ille, lanceator paganus, poſt Chriſtianus; Cyriacus Epiſcopus, & martyr Chriſtianus, & idoneus teſtis, qui tuo ſanguine, mente & corpore illuſtratus fuit. Sunt & alia ſanguinis tui mirabilia, omnem effectum mirificum cuiuſuis creati ſanguinis ſuperantia; ſed longum eſſet enumerare ſingula. Peto ſanguinem tuum in me mirifica, & operare in me hæc mirabilia.

De ſanguinis Chriſti acceptabilitate.
Notula III.

XVIII. TERTIO, videndum de huius ſanguinis *acceptabilitate*, quia eſt Deo valde *gratus*: adeo quod eo viſo, non vltra miſericordiam ſuam potuit continere; ſed iuſtitiæ quodammodo oblitus, immo illi plenè ſatisfactum hoc ſanguine ſciens, hunc omnibus offerentibus plura peccata indulſit. Gratiſſimus inquam,

Ratione {
Pretij ſufficientis, quod ſoluit:
Gratiſſimæ charitatis, quam demonſtrauit,
Formoſitatis, qua nos Deo gratos fecit.
}

De primo Pſal. 68. *Perſecuti ſunt me inimici mei* &c. *quæ non rapui, tunc exoluebam*; ſcilicet ſanguinis pretio, & ipſemet. *Sanguis meus qui pro vobis fundetur in remiſſionem peccatorum.* *Matt. 26.*

De ſecundo Paulus: *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum, cuius hoſtia fuit accepta cauſa intima dilectionis.* *Epheſ. 5.* Nam ſi Noe factus eſt reconciliatio propter iuſtitiam, *Eccli. 44.* multomagis Chriſtus propter charitatem eximiam.

De tertio Apoſtolus Ro. 24. *Iuſtificati nunc in ſanguine ipſius*, &c. Apoc. 1. *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris*, &c. Quiſquis hunc ſanguinem Deo offert, gratiſſimum & pleniſſimum ſacrificium offert: Non quod cruentis oblectetur Deus: ſed quod charitate, & ſanctitate gratuletur, Sacerdotis talem hoſtiam offerentis.

De veneratione ſanguinis huius.
Notula IV.

QVARTO ſanguis iſte *venerabilis* & venerandus multis, & potiſſimum iſtis, XIX.

Scilicet { Angelis, Hominibus, Dęmonibus, } quos { Reſtaurauit, Reparauit, Proſtrauit.

Chriſtus enim *per ſanguinem ſuum pacificauit, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis*, vt dicitur. *Col. 1.* Quam putas is ſanguis *Angelis* venerandus? quo proſpiciunt ciuitatem eorum reparatam, lætitiam augmentatam in conſummationem perfectam? O quanto ſtudio putas ſtillas eius collegerunt, cuius tantam efficaciam dinoverunt? Æſtimet hæc qui poteſt; Quo enim hi illuminatiores, eo reuerentiores. Quod ſi ſic obſeruatus ab Angelis, quo quęſo niſu, quo ſtudio, quóve cultu venerandus eſt *hominibus*? Pro his enim propriè eſt effuſus, in horum pretium datus, in horum lauacrum ordinatus. Nam & *dæmonibus* ſanguis his terribilis eſt, vt *Cant. 6.* caſtrorum acies ordinata, à quo expugnandi, vt mare rubrum Pharaoni, in quo ſubmergendi. *Exod. 14.*

Sed hic nunc ſe offerunt dubia illa inter Theologos crebra: Quod ſi ſic ſanguis Chriſti, vt dictum eſt, ab Angelis colitur, vtrum plenè ab his ſit recollectus? Vtrum totaliter diuina virtute in reſurrectione reaſſumptus, & nullus ſit relictus in terris? Itemque, ſi ſic, qualis eſt ſanguis ille, qui in pleriſque locis Chriſti eſſe dicitur? Poſtremo quo cultu? quáve adoratione talis ſanguis ſit adorandus? vtrũ tali quali in Sacramento veneratur? Varij varia ſuper his ſcribunt, quibuſdam tenentibus, vt Thomiſtis, quod totũ ſanguinem reaſſumpſit, & quod ille qui inuenitur, ſit miraculosè inuentus; Quos contra Franciſcus Maironis cum ſuis ſequacibus tenet (vt recitat Robertus de Lycio in ſermone ſuo Paſchali) ponens illic hanc quæſtionem coram Domino Apoſtolico, & Vrbis Cardinalibus ventilatam, tandémque à Pio II. ſtatutum, vt nullus alteram opinionem audeat damnare; cùm vtraque poſſit ſuſtineri. Et hæc ſufficiant commemoraſſe. non enim noſtrum eſt, quippiã ſuper his diffinire. Hoc vnum dicimus, quod ſanguinem Sacramentalem, ſine dubio, latriæ cultu adorare debemus; quippe quia ibi verus eſt Deus

Digitized by Google

De ſanguinis exaltatione. *Notula V.*

XXI. POSTREMO eſt hic ſanguis *altus*, & glorificatus, ſuperexaltatus nunc ſuper omnes creaturas in cælis; qui effuſus erat vt aqua, ſubter cunctis in terris. O quàm is iam refulget decorus, qui hic tam nihili & vili fuit æſtimatus! Eſt iam quattuor reſurrectionis adornamentis, puta claritate, agilitate, ſubtilitate, incorruptibilitate, cœlos & terras ſuo decore perluſtrās. Nam de incorruptibilitate Petrus,
1. Pet. 1. *Non enim corruptibilibus argento vel auro, &c.* Pleno pectore, vt Apocal. 5. teſtatur, iam offerendus ſanguis ab Angelis, qui horrendis vocibus petebatur effundi ab hominibus. Illum nunc ſancti ſuperglorificant in cœlis, in quo abluti fuerunt in terris; & decorati in terris pariter, & in cælis. Nam ad quæſtionem factam de amictis ſtolis albis, reſponſum eſt in Apocalypſi c. 7. *Hi ſunt qui lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni.* Ex quo colligitur, quod per hunc erimus decorati in patria. Hunc igitur noſtrum talem ſanguinem, dignè veneremur, deuotè bibamus, diligenter cuſtodiamus in terris, vt per eum, & ab eo decoremur in cœlis.

§. 2. *De ſecundo principali, id eſt, de ſanguinis præfiguratione.*

XXII. SECVNDO PRINCIPALITER videndum eſt, de huius ſanguinis *figurabilitate*: Nam multipliciter is ſanguis eſt in veteribus inſtrumentis præſignatus, & magnis præconijs à Prophetis prædicatus, ſicut in proſpectu eſt per decurſum eius. Sunt tamen & hic aliquæ figuræ aſſignandæ,

Vnda, liquor, ſanguis, mare, mel, fluuius, Paradiſi.

Exod. 17. *Vnda* illa de petra, per virgam excuſſa, huius ſanguinis typus fuit, de Chriſto vera petra manantis, & ob multa myſterijs concurrentia, Scilicet,

Ob	Subiectum largitionis,	quia	de petra, id eſt Chriſto.
	Modum eductionis,		per virgam, id eſt lanceam.
	Effectum potationis,		efficit effectũ aquæ.

1. Cor. 10. Ioan. 19. *Petra enim erat Chriſtus.* Fuit tranſlanceatus lancea militis, abundè non aquam, ſed ſanguinem effudit. Omnes aridos aqua potauit: perditos, ſanguine redemit; & per deſertum inaquoſum, in terram promiſſionis perduxit.

Aquarum vſus (iuxta Bernardum) eſt, ſordes abluere, ſitim extinguere, terram rigare, cibos decoquere; quæ omnia ſanguis Chriſti, vt patebit, operatur. Sitientes ergo venite ad aquas: Esa. 55.
Eſa. 55. *Qui biberit ex hac aqua non ſitiet in æternum.* Ioan. 4. Ioan. 4.

Secundo deſignatus fuit ſanguis iſte, in omni illo legali libamine, & liquore oblato. *Tum quia* & noſter ſanguis liquidus, Sacerdotali vſu deputatus; *tum* placationis effectiuus, vt longum eſſet declarare.

Tertio omnis ſanguis hoſtiarum legis, fuit figura huius ſanguinis; Nam ſicut omnia Sacramenta legis penè in ſanguine (Apoſtolo ad Heb. 9. teſte) conſummabantur: ſic omnia Sacramenta noui teſtamenti, virtute ſanguinis Chriſti efficaciam habent. Heb. 9.

Item propter effectus conſimilitatem. Nam in legis ſanguine,

Populus	Mundatus,
	Sanctificatus,
	Sancta Sanctorum ingreſſus;

Hæc omnia in ſanguine Chriſti.

Quarto mare rubrum, huius ſanguinis typum geſſit,

In	Colore rubro, vt patet,
	Effectu vario.

Filios Iſrael mare baptizabat, deducebat, protegebat, Pharaonem cum exercitu, in profundum demergebat. 1. Cor. 10.

Mel quoque illud Ionathæ, oculorum illuminatiuum, huius ſanguinis ſignum fuit, quod mentes cæcas illuminat. 1. Reg. 14.

Poſtremo quattuor illi fluuij de Paradiſo illo egredientes, ſanguinis huius figura fuerunt, de locis quattuor fluentis; & fons ipſe locus eſt quintus. Hi fluuij terram circumeunt, eam irrigant, frugiferā immo & auriferam reddunt. Gen. 2.

O igitur quiſquis es, cuius anima eſt inaquoſa, areſcens deuotionis defectu, hos fontes amplectere, aquas has in gaudio haurire ſtudeto; crebrius videlicet circa quina iſta Domini vulnera, ſanguinis effluxiua te exercitando, Nam qui ritè iſta coluerit, non aridus, non egenus manebit. Terra enim ſua graui fruge ibit; Aurum, & lapides pretioſi gignentur in ea, virtutes loquor, & charitatis ardorem. Leguntur enim plura exempla de exercitatione circa Dominica vulnera, & circa riuos ſanguinis ex his decurrentes, quàm ſint Deo placita, homini vtilia & bona. Psal. 101. Eſa. 12. XXIII.

Vnde quiſquis volet ſe circa hæc exercitare, poterit exercitium illud, ex dictis Bernardi aſſumere: ſcilicet vulnera ſalutare; conſiderare, & aquas petere. Habes enim

In	Siniſtro / Dextro pede	Fontem	Miſericordiæ,	Pete	Stabilitatem,
	Dextra / Siniſtra manu		Sapientiæ,		Morum conuerſionem.
	Vulnere lateris.		Gratiæ,		Paupertatem.
			Charitatis,		Caſtitatem.
			Vitæ,		Obedientiam.
A	Siniſtro / Dextro pede	Pete aquas	Remiſſionis,	ad	Abluendas ſordes.
	Dextra / Siniſtra manu		Diſcretionis,		Potandum ſitim iuſtitiæ.
	Vulnere cordis.		Deuotionis,		Irrigandnm virtutes,
			Æmulationis,		Condiendum affectiones.
			Voluptatis,		Inebriandum vbertate domus Dei.

Digitized by Google

§. 3. *De ſanguinis aſsimilatione.*

XXIV. TERTIO principaliter videndum eſt, de ſanguinis huius *aſsimilatione*, & comparabilitate; ſuper quo, latus poteſt ſermo fieri, vt ſupra de corpore eſt annotatum; ſed pauca memoremus. Eſt igitur ſanguis Chriſti, rebus variis in ſcripturis aſſimilatus. Scilicet,

Potus, Iordanis. vua eſt, opobalſamus & fons. *Primo* enim *potui* aſſimilatur, propter effectus conformitatem, vt ſupra paruit, vbi de nominibus Sacramenti actum eſt. *Iordanis* fluuio, ſanguis is comparatur, in quo Naaman ſepties immerſus, ab omni lepra (vt in quarto Regum 5. dicitur) ſanatus eſt. Verè quiſquis ſepties hoc ſanguine, ſeptenis vicibus effuſo, aſperſus fuerit, ab omni peccatorum ſorde mundus euadet. Quadrat hic ſermo B. Ber-
Deut. 32. nar. de lepra Naaman, circa paſchale tempus. *Vua ſanguis eſt meraciſsimus*, vitis Virginis Ma-
Num. 13. riæ. Hanc vuam, veri illi exploratores, grauido myſterio (vt in vno ſermonum Maximus declarat) portauerunt. Hæc vua, crucis torculari expreſſa, calice ſacro potatur. Hic notentur vuæ proprietates, ſimul & vitis, vt in Mariali. Comparatur quoque is ſanguis *opobalſamo*, id eſt, liquori balſami ob multa, vt patet in libro de rerum proprietatibus. Iam poſtremo, quare *fonti* aſſimiletur videndum. Eſt enim *fons*
Cant. 4. *hortorum*; ſcilicet irrigatiuus, iuxta illud, *Dixi*
Eccli. 24. *rigabo hortum plantationum.* Fons, quia abundè ſanguinem fudit: Hic eſt *fons irrigans vni-*
Gen. 2. *uerſam ſuperficiem terræ.* Fons is in quattuor capita diuiditur, quia effluit per quatuor vulnera, vt ſupra tactum. Hic notandum de fontis qualitate, vtilitate fluuiorum quatuor, & congruitate, de quibus plenè in Mariali. Quoties igitur, quiſquis es, calicem ſumpſeris, memento te de fonte hoc bibere, & quaſi ab ipſa Chriſti coſta, aut ab ipſis vulneribus ſanguinem hauri, hoc fonte inebriare.

Hæc de comparationibus.

§. 4. *De ſanguinis Chriſti effuſione.*

XXV. IAM QVARTO PRÆCIPVE conſiderandum eſt de huius ſacri ſanguinis pro nobis *effuſione*; vt ſcilicet pro nobis fuſus eſt. Nam iuſſit ipſe Dominus Matth. 26. ſic accipere calicem, & bibere ſanguinem pro nobis effuſum: vt patet in inſtitutione. Huic igitur præcepto pareamus, & de ſanguinis effuſione ſequentia moroſè & attentè conſideremus.

A quo, tum quoties, cur, quomodo, proficit, & quis.

A quo effuſus Chriſti ſanguis.
Notula I.

PRIMO inquam conſiderandum occurrit, *à quo* ſit hic ſanguis fuſus; & licet hic multa ſe materia offerat; puta, conſiderare quomodo effuſus ſit à Dracone illo ſitiente
Apoc. 12. ſanguinem Agni ab initio mundi; Itemque à
Luca 23. Iudæo paſſionem procurante: tamen maximè charitatem nutrit, ſi conſideretur, quod effuſus ſit.

A	Patre aſſentiente, Filio offerente, Spiritu ſãcto prædicẽte.	quod tamẽ videtur	Miſericors ſeueritas, Stupenda benignitas. Inaudita charitas.

Nonne (ait Bonauentura) videtur *ſeueriſsimum* fuiſſe, quod Filium iuſtum, Filium ſanctiſſimum, Filium optimum, Pater pro malo ſeruo traderet puniendum? Nulla enim lex mandat, nulla ratio imperat, vt propter ſeruum impium, non dico filius; ſed vel ſeruus alius puniatur innocens. Attendite ergo & videte, ô omnia intima mea, quantus ad vos amor fuerit Dei Patris, qui, vt nos ſeruos malos redimeret, morti Filium tradidit: Vt nos ad ſe reduceret Filium exulem fecit. Hinc Apoſtolus Paulus Coloſſ. 1. *In ipſo complacuit omnem plenitudinem Deitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipſo, pacificans per ſanguinem crucis eius, quæ in cœlis ſunt, & quæ in terris.* Erat enim à cęleſti curia omnis humana natura excluſa, & carceribus mancipata. Sed religatus eſt Filius, vt liberaretur ſeruus.

Seueritas quidem fuiſſe videtur, ſed charitas ſumma probatur, ſi veritas attendatur. Quis vnquam ſic dilexit ſeruum, vt pro eo à patibulo liberando daret filium, & talem filium ſuſpendendum? Verè non eſt auditum. Hinc Ambroſius exclamat, *O ineſtimabilis dilectio charitatis, vt ſeruum redimeres, filium tradidiſti.* O, redamemus ſic amantem, & dicamus, *iam cognoui quod ames me, quia vnigenito tuo non pepercisti propter me*, Gen. 22.

SECVNDO effuſus eſt ſanguis à *Filio offerente*, & eſt ſtupenda & inaudita bonitas. Non enim coactus eſt, ſed ſponte ſe morti obtulit, & ſanguinem, vt verus ille Pelicanus, pro fœtibus, à ſerpente diabolo occiſis, viuificandis effudit. *Oblatus enim eſt quia ipſe voluit*, vt ait Eſa. 53. Hinc Apocal. 5. *Occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo.* Attende ergo nunc, ô anima mea, ne cà corde recedat, quanta erga nos fuit Saluatoris benignitas, qua nos ſic dilexit, vt ſanguinem ſuum pro nobis daret in pretium: & eundem pro nobis ægris ſanandis, quotidie largiatur in potum, & in medicinalem ſyropum. Grandis amor ille erga pullos ſuos Pelicani; ſed grandior infinities ardor charitatis Domini Ieſu. Ille enim naturalis, hic voluntarius: Ille pro ſuis pullis, hic etiam pro impijs. Ille effundit ex ſolo pectore, hic ex toto corpore. Ille manet viuus, hic non emanare ſanguinem, niſi mortuus ceſſat, imò & poſt mortem, teſte Ioanne c. 19. Superat ergo amor Domini Ieſu omne exemplum: non eſt dare ſimile aliquod charitatis ſimulachrum.
Sponſum ergo ſanguinum hunc diligamus, qui Exod. 4.
propterea totum ſanguinem fudit, vt noſtrum amorem ſibi deſponſaret. Apoſtolus Rom. 5 *Vt quid enim Chriſtus, cùm adhuc infirmi eſſemus, pro impijs mortuus eſt? Vix enim pro iuſto quis moritur. Nam pro bono quis audeat mori: Commendat ergo ſuam charitatem Deus in nobis.* &c.

Tertio à Spiritu ſancto prędicente, & ſuo amore incendente effunditur, & eſt inaudita charitas. Per ora enim omnium Prophetarum hanc effuſionem ille prædixit; vnde indubiè hunc effundi voluit. Corque Domini Ieſu ſua charitate ſuccendit, vt ſic hominem diligeret, quod ſanguinem pro eo effunderet. Hinc Apoſtolus Titi 3. *Sanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundauit conſcientias veſtras* &c. Sap. 12. O quã dulcis eſt Domine, & bonus Spiritus tuus, qui ante hoc prædixit in conſolationem; compleuit per dilectionem; quotidie ſua virtute conſecrat hunc nobis, in peccatorum remiſſionem.

Patet ergo, quantum in tota Trinitate fuerat, in effundendo hunc ſanguinem, charitas; licet in Iudæo fuerit maxima impietas. Iudæi enim ſanguinem illius effundi deſiderabãt, qui eos ſuo ſanguine redimere venerat. Illi effuderunt per nimiam crudelitatem; ſed è contra Dominus fundere ſitiebat, per nimiam charitatem. O mira charitas! ô ſtupenda amoris immenſitas Chriſti! Sed væ tibi ſæuæ crudelitati Iudaicæ. Quæ enim beſtia crudeliſſima ſic fuit ſæua, vt Iudæa incredula? Cognoſcunt Eſa. 1. beſtiæ ſuos benefactores, vt patet in pluribus, & rependunt gratiam; ſed plebs hæc miſera, omnium beneficiorum immemor, non modo non reddit gratiam; ſed contumeliam, ſed iniuriam, ſed mortem turpiſſimam. O belluina impietas! O inhumanitas inaudita! Veniet ſanguis ille ſuper vos in iram, quem effudiſtis per inuidiam.

Quotiens ſanguis Chriſti fuerit effuſus.
Notula III.

XXVIII. Secundo, videndum eſt, quoties is ſanguis fuerit effuſus. Non enim abundantiſſimæ ſuę charitati ſuffecit, quòd ſemel effunderet; ſed crebriùs voluit, vt *copioſa eſſet apud eum redemptio*, Pſal. 119. & magni fieret amoris obligatio, & plena vulnerum noſtrorum fieret curatio.

Septies enim Saluator noſter ſanguinem ſuum effudit.

In	Circunciſione,	In redẽptionis	Initium,	Contra	Luxuriam.
	Oratione,		Deſiderium,		Iram.
	Flagellatione,		Meritum,		Gulam.
	Coronatione,		Triumphum,		Superbiam.
	Manuum confixione,		Pretium,		Auaritiam.
	Pedum confoſſione,		Signum,		Accidiam.
	Lateris aperitione,		Sacramentum,		Inuidiam.

Luc. 2. *Primo* inquam fudit ſanguinem *in Circunciſione:* Quia fuit circunciſus in genitalibus, vt concupiſcentiam luxuriæ tolleret ab hominibus. Tantus enim dulci Ieſu erat amor effundendi ſanguinem pro nobis, vt ſe continere non poſſet, quin tempeſtiuè & non ſolum in virili; ſed & in infantili ætate illum effunderet. O qualem dolorem infantulus tenerrimus, lapideo cultro, in membro maximè paſſibili, ſuſtinuit circunciſus! O quam pios eiulatus, etiam ferrei cordis emollitiuos dabat, vt te ad compaſſionem, & ad amorem excitaret. O ſponſe ſanguinum, quam te charitate oſtẽdis ebrium, qui tam cito voluiſti ſanguinari. Hinc Vbertinus, *O Sol iuſtitiæ, in ortu, & in occaſu, voluiſti rubore ſanguineo rutilare: Nam in ortu rutilas triſte cælum futura pluuia, maioris ſcilicet effuſionis ſanguineæ, in alijs tuis vulneribus ſignatiuum. Sed & in occaſu fuiſti diuinæ ſeueritatis ſignum, dum cælum tui corporis, aſperſione totali tui ſanguinis, apparuit rubicundum, vt nebulas noſtræ mortis, tuæ paſſionis rubore fugares, & ſerenam vitam nobis reſtitueres.* Tu ergo, ô ſponſe ſanguinum, per ſanguinem circunciſionis tuæ, dimitte omnia debita incircunciſionis meæ.

Secundo ſanguinem in *Oratione* effudit, quãdo (teſte Luca cap. 22.) ſudorem ſudauit ſanguineum, vt iram Patris tolleret, & maculam iracundiæ (qua noſter ſanguis infectus eſt) mitigaret. O quam putas anguſtiam, quam anxietatem, quos pauores, horrores, ille benedictus Ieſus pertulit? quando ipſe Leo de tribu Iuda fortiſſimus, Gigas robuſtus, Columna fortitudinis, *Murus, & ante murale*, ſanguineum ſudorem ſudauit? Quoniam ſi nullus homo, quantumlibet lubrica & illecebroſa carne, quantalibet ſpe ſalutis deſtitutus, ſimilem agoniam in ſubeunda & vrgenteiam morte perpeſſus eſt, quomodo & exiliter ſuſpicari poterimus de menſura illius paſſionis eius, cuius ſpiritus erat promptus, & *caro* (vtpote nulli maledicto obnoxia) nullatenus *infirma*; ſed ad omne bonum paratiſſima, longè magis quàm cæteros homines trahebat affectio naturalis in vota ſua. (*Tametſi ipſe diceret, Matt. 26. Quatenus noſtri ſe oſtenderet cõſimilem.*) Sileant verba, affectus hic ſecum loquatur. Non eſt huius loci aſſignare huiuſmodi cauſas. Tantum oremus obſecrantes & dicentes, Et in ſanguine ſudoris tui, ô tu Agne Dei, quem pauens pertęſus, mæſtus effudiſti, dimitte omnia debita ſtulti pauoris, tædij irrationabilis, mœroris, noxię puſillanimitatis, & omnem iræ motum.

Tertia eſt in *flagellatione*, de qua Matt. 27. & hoc contra peccatum gulæ, qua quia caro delicatè nutritur, voluit toto corpore ſanguinem effundere, vt ſic laſciuiam humanæ carnis temperaret. O quis hanc effuſionem ſine lachrymis? quis dicam, illam flagellationem, ſine cordis compunctione intuebitur? En exuitur veſtibus, ſtat nudus verecundus iuuenis ille. Caro illa innocentiſſima, & tenerrima, mundiſſima, & pulcherrima, flos omnis carnis, & totius humanæ naturæ, repletur plagis, liuoribus, & fracturis; vulneratur per totum corpus illud ſanctiſſimum; à planta pedis vſque ad verticem, non remanet ſanæ partis veſtigium; Eſa. 1. ſed totum fit rubrum veſtimentum eius. Eſa. 63. Fluit vndique Regius, & pretioſiſſimus ſanguis de omnibus partibus corporis, de ſcapulis, & de coſtis, & de cunctis membris amantiſſimi, & amatiſſimi iuuenis illius. Accedit dolori dolor, ſuperadditur, reiteratur, & ſuperſpiſſatur plaga

ſuper

ſuper plagam, liuor ſuper liuorem, ſanguis ſuper ſanguinem, & corpus eius præ ebore nitidiſſimum, cruore eius roſeo rubricatur per totum. Hæc mente retracta, & cum Anſelmo exclama, *Electus puer Domini Dei mei, quid tantis amaritudine commiſeras dignum? Prorſus nihil. Ego homo proditus, totius contritionis cauſa extiti* &c. vt Ludolphus. Obſecraque dicens, Et in magno diluuio ſanguinis tui, à vertice capitis, vſque ad plantam pedis, acerbo illius caſtigationis, amaræ correptionis, aſperæ emendationis, atrocis contrectationis, crudelis flagellationis, crudeliſſimæ lacerationis,
Eſa. 53. qua tu fuiſti, ſicut *leproſus percuſſus à Deo, & humiliatus, vir dolorum, & ſciens infirmitatem, nouiſſimus virorum, qui non erat ſpecies, neque decor, vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis*; (Pſal. 21.) Te obſecro per hunc ſanguinem, dimitte omnia debita ſocordiæ, ignauię, laſciuiæ, petulantiæ, &c,

QVARTO effunditur ſanguis in coronatione, vt habet Matthæus cap. 27. contra ſuperbiam, quæ maximè fit in capitis eleuatione. (Cant. 3.) *Egredimini*, & hîc, ô animæ fideles, *& intuemini Regem Salomonem, ſpineo diademate coronatum*, & diuinum illud caput multiplici ſpinarum denſitate, vſque ad cerebri teneritudinem ſpina confixum, & transfoſſum ſecundum Bernardum. Quod dum arundine concutitur, ſanguine largiſsimè vndique defluente tingitur, vt comæ capitis ſint ſicut *purpura Regis* (Cant. 7.) *canalibus*; imò ſanguineis guttis tinctæ. Intuere faciem, *in quam deſiderant Angeli proſpicere*, (1. Pet. 1.) propter pulchritudinem, iam leproſo ſimilem. Nam ſputis ſanguis appoſitus, & commixtus, colorem lepræ dabat. Ora & hic dicens, Et per ſanguinem ſacri capitis tui (ô Rex & Pontifex mitrate, ſpinis coronate) per oculos, frontem, tempora, aures, occiput, in ceruicem vſque abundè decurrentem, dimitte omne debitum capitis elati, durę ceruicis, pertinacis, & ſuperbæ.

QVINTO, ſanguis effunditur in manuum perforatione: Voluit enim manibus conclauari exterius, vt purgaret auaritiam cordis interius. Ecce non vt auari parcè vna manu dedit, ſed duabus largiſſimè. O quanta copia ſacer ſanguis emanauit, quando locis illis neruoſis, & venarum ſcaturigine plenis (manus loquor) confoſſus, & conclauatus, diris & groſsis clauis.

SEXTO quoque ſanguis abundè effluxit, quando pedes facti, extenti & confixi in cruce fuerunt, & per hoc permiſit, vt omnem accidiam à nobis excuteret, & ad bona alacres redderet. O attende nunc anima mea, quomodo foderunt manus, & pedes benedicti Ieſu. Tunc fluuij de Paradiſo quatuor defluxerunt, quando abundantes ſanguinis riui, de quattuor plagis manuum, & pedum Domini Ieſu efflnxerunt. O igitur per ſacroſanctum illud balſamum incenſi magni, quod tu ſumme Sacerdos, in die ſolennitatis magnæ, de vulneribus duræ & aſperæ ſtationis, acerbi & amari ſuſpendij effudiſti; te obſecramus dimitte omnia debita infirmitatis, & temeritatis, &c. Dimitte auaritiam, & accidiam omnem. Comprehendit quidam magiſter duas iſtas effuſiones ſub vna, ſcilicet in crucifixione, ponens tertiam in ordine, quod effuderit in benedicti oris contuſione, &c. obſecrans hoc modo. Et per ſanguinem de ore tuo fluentem, quando velatum colaphis & alapis (Luc. 22.) te percuſſerunt, & *os tuum poſuiſti velut petram duriſsimam*, (Eſa. 50.) quando pugnis oppugnarũt, & genas tuas vulſerunt, dimitte omnia debita polluti oris mei, quod polluitur ex verbo ſtultitiæ, nequitię, & malitię.

SEPTIMO effuſus eſt ſanguis iſte copiosè de benedicto latere eius, & hoc, vt inuidiam omnem curaret. Cuius benedicti lateris apertione, & ſanguinis effuſione,

Saluamur ab ira damnationis, Regeneramur in gratia iuſtificationis, Saluamur à culpa infectionis, Sublimamur in gloria fruitionis.	Hæc Vbertinus declarat.

Hic & nos charitatis vulnere cum ſponſa (Cant. 5.) vulnerati, petamus dicentes: O per lanceam, quæ aperuit *latus dextrum templi*, penetrauit Sancta Sanctorum, transfixit arcam teſtamenti; & per ſacroſancta fluenta pignorum, & Sacramentorum teſtamenti ſui, ſemper innouantis, & ſine fine manantis, quæ de corde tuo profluxerunt; aquam ſapientiæ ſalutaris, ſanguinem pretium redemptionis, remiſsionis, & reſtitutionis, & vitæ ſpiritus arteriales: luſtra nos, aſperge nos, laua, munda, baptiza: & omnia debita dimitte peccati in Sacramento ſanguinis tui pretioſi, ſepties pro nobis effuſi.

HABES ergo ex prædictis, quod ſepties is ſanguis pro te ſit effuſus, & quod verè *te lauit in ſanguine ſuo à peccatis*, vt in Apoc. cap. 1. In cuius ſeptenæ effuſionis typum, habes in Leuitico c. 14. quod Sacerdos ſepties eum, qui mundandus erat à lepra, aſperſit ſanguine paſſeris. Iſte paſſer eſt Chriſtus, propter aliquas conditiones ipſius. Nam paſſer zelat vxorem, & pro ea pugnat, cibat pullos, & derelictos ab aliis, & illaqueatos, iuxta poſſe, liberat; quæ omnia fecit Chriſtus. Cuius ſanguine aſpergimur, quoties de illo deuotè meditamur. Huius etiam typus ſeptenæ ſanguinationis, in lotionibus ſeptem Naaman Syri præceſſit. (4. Reg. 5.) Ecce iam fontes egrediuntur de Paradiſo; iam fluēta aquarum emanant; *iam cataracta apertę ſunt cæli*, (Gen. 7.) & inundat diluuium gratiæ, ad giganteam noſtram ſuperbiam, & carnalē laſciuiam ſuffocandam, quando totus ipſe Ieſus videtur in ſanguine liquatus. O actor qui liquas omnia, quomodo in doloribus, pro redemptione tam impij peccatoris, eliquaſti dilectũ? *Rupti enim ſunt fontes abyſſi magnæ*; penetralia, ſcilicet cordis, & viſcerum Ieſu, & aperta ſunt oſtia vitæ. Surge ergo nunc, ô anima deuota, eſto ſicut columba nidificans in ſummo ore foraminis, illic pullos abſconde. Feſtina peccatrix anima, & ingredere oſtium arcæ, ſi non vis diluuio perire. Accurre, & tu eſuriens, & ſitibunda, *comede fauum tuum cum melle tuo, bibe vinum tuum cum lacte tuo*, (Cant. 5.) feſtina ne tardaueris Sanguis tibi in vinum conuertitur, vt inebrieris;

Digitized by Google

ris; In lac aqua muratur, vt nutriaris: Appone hic os, vt *haurias aquas de fontibus Saluatoris*. Eſa. 12. Accede & tu Naaman Syre, ſepties in hoc ſanguineo lauare Iordane, & reſtituetur caro tua ſanitati. Sed & tandem quiſquis, quãuis etiam lepra peccati teneris, accede fidenter, ſepties in ſanguinem occiſi paſſeris Ieſu à Sacerdote magno, aſpergere, & ſaluus eris. Tunc autem ſepties aſpergeris, cùm deuotè hanc ſeptuplam effuſionem memineris, cùm
Heb. 5. te à Sacerdote magno, Pontifice in æternum, aſpergi popoſceris. Orans cum Auguſtino: Rogo te per ſalutifera vulnera tua, quæ paſſus es pro ſalute noſtra, ex quibus manauit pretioſus ſanguis, hoc me perfunde; & tua charitate ſuccende. Itemque cum Baſilio illo, O Verbum caro factum, factus mediator Dei, & hominum; factus Angelus pacis,
Eſa. 9. Angelus magni conſilij, Angelus teſtamenti;
Zach. 9. *qui in ſanguine teſtamenti tui educis vinctos de la-*
Pſal. 2. *cu*; Tu idem factus Rex, & Sacerdos ſecun-
Pſal. 109. dum ordinem Melchiſedech; Factus itẽ agnus
Ioan. 1. Dei, tollens peccata mundi, & ſoluens omnia debita ſeruorum, reatu obnoxiorum Domino: dimitte debita noſtra, in ſacrificio ſanguinis tui ſepties effuſi &c. Fiat obſecratio, vt ſuprà. Eſt enim deuotiſſimum & vtiliſſimum in his exerceri. Hæc de eo, quod ſæpè effuſus ſanguis.

Quæ ſit effuſi pretioſi ſanguinis cauſa, vel ratio.
Notula IV.

XXIX. TErtio conſiderandum, quæ ſit ſanguinis tam ſæpè effuſi ratio, & cur toties effuderit; nil enim fit ſine cauſa. Eſt autem cauſa,

Magni { Debiti neceſſaria ſolutio, / Amoris demonſtratio, / Boni perditi reſtauratio.

PRIMA ratio eſt magni debiti neceſſariæ ſolutio. Maximo enim debito primus homo obligatus erat, quod nec ipſe, nec alter quiſpiam ſoluere poterat, donec Agnus ipſe veniret, & ſui pretioſi ſanguinis pretio hominem liberaret. Ipſe enim ſolus poterat, (vt Doctores ſuper tertium, de incarnatione ſcribentes plenè demonſtrant) Oſee 13. *De manu mortis liberabo populum meum, de morte redimam eos*, pretio, ſcilicet ſanguinis, dicit Dominus Bernardus. Filius Dei iubetur occidi, vt vulneribus noſtris pretioſi ſui ſanguinis balſamo mederetur. Agnoſce igitur, ô anima, quàm grauia tua vulnera, pro quibus neceſſarium fuit Dominum Ieſum vulnetari. Niſi enim eſſent ad mortem æternam, nequaquam pro eis curandis Dei Filius moreretur.

ALTERA ratio fuit, magni amoris demon-
1. Ioan. 3. ſtratio. Tres enim ſunt qui teſtimonium dant in terra,

Scilicet { Spiritus quem emiſit de corpore, / Aqua, quæ fluxit de latere, / Et Sanguis, quem effudit de corde.

teſtes ſunt dilectionis maximæ. O teſtimoniũ, ô teſtes! Bernar. *Verè copioſa apud te redemptio, abunda amoris probatio, quia vndam ſanguinis ſæpè & largiter effudit, cùm tamen pro redemptione noſtra vna gutta ſuffeciſſet; ſed data eſt copia, vt magnitudine muneris, virtus innoteſceret diligentis*. Vt enim oſtenderet quantum te diligeret, non aliter voluit, quàm moriendo, te de morte liberare. Vide ergo anima quanti te fecit, quam tali te pretio redemit. Vide quam te amauit, qui toties & toties ſanguinem ſuum pro te effudit. Noli tuam ingenuitatem contemnere, & nunquam à Chriſti dilectoris tui amore ſeparare.

TERTIA RATIO fuit, magni boni perditi reſtauratio. Et hæc eſt triplex,

Scilicet { Libertas à ſeruitute diaboli, / Introitus cæleſtis Regni, / Hæreditas filiorum Dei.

DE PRIMO Hier. 31. *Redemit Dominus Iacob, & liberauit eum de manu potentioris*. Pſ. 105. *Redemit eos de manu inimici*. Saluator Ioan. 8. *Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis*. Zacharias Lucæ 1. *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitauit & fecit redemptionem*, &c. DE SECVNDO Paulus Heb. 9. *Chriſtus per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta*. Et infrà Heb. 10. *Habentes itaque fiduciam fratres in introitu Sanctorum, in ſanguine Chriſti*. Chriſti enim ſanguis eſt verè Paradiſi clauis. DE TERTIO dicitur Num. 35. *Quod homicidis expulſis de terra ſua non dabatur libertas redeundi, niſi poſt mortem ſummi Pontificis*. Hier. 12. *Reducam virum ad hæreditatem ſuam, & ad terram ſuam*. Tanta eſt enim hæreditatis illius celſitudo, quod non niſi pretio ſanguinis, & talis ſanguinis comparetur.

EST igitur ſanguis iſte cauſa hæreditatis æternæ. Quam tamen hæreditatem, qui obtinere volet, teſtamentum iſtud ſanguinis in cordis ſcrinio, diligenter oportet obſeruet; illius matronæ ad inſtar, de qua vulgariter famare ſolent, quod camiſiam mariti ſui vulnerati & occiſi, in ciſta referuauit, quam quotidie aperiens, & cruentam camiſiam amici intuens, mortem eius fleuit amarè. Sic ſic fidelis quæuis anima, Chriſtum cruenta carne debet intueri, & paſſionem eius amarè flere; ſi nolit hæreditatem ęternam amittere. Ad quod hortatur pulchrè Auguſt. dicens: *Videte in cruce vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis; Hæc quanta ſint cogitate, hæc in ſtatera cordis appendite, vt totus figatur in corde, qui pro nobis fuit fixus in cruce*.

ESSENT hoc loco quæſtiones plurimę mouendæ, videlicet, quomodo ſanguis Chriſti cùm corporale ſit, à peccatis liberet, & in ſpiritum agat? Itemque, Vtrùm Chriſti ſanguis oblatio gratiſſima Deo Patri fuerit; an etiam vna gutta, (vt videtur velle Bernardus) pro redemptione ſuffeciſſet? Quæ paſſim à Doctoribus tractantur, & quia ſubtiliores ſunt, à paruulis non magnoperè ſciri curantur. Hinc illis omiſſis, alias tres cauſas effuſi ſanguinis aſſignemus, quas in ſuo paruo bono Bonau. ponit. Debemus enim pro conſcientiæ ſtimulo exacuendo (vt docet) conſiderare ſanguinem Chriſti, recentem in cruce effuſum,

Pro humano corde { Excitãdo, / Abluẽdo, / Mollificando, } A { Negligentia. / Cõcupiſcẽtia. / Nequitia, & duritia.

Quis

Quis enim tam hebes; vt permittat in ſe regnare culpam, qui cogitat ſe perfuſum pretioſo illo ſanguine? Et hęc de cauſis effuſionis.

De quarto. ſcilicet modo effuſionis ſanguinis huius. Notula 5.

XXX. QVARTO de modo effuſionis videndũ, ſcilicet quomodo is ſanguis ſit effuſus. Et inuenitur ſecundum Doctores,

Quod effuſione.	Pijſſima,	quo ad	Cauſam,
	Plẽniſſima,		Mẽſurã.
	Pænaliſſima.		Naturã

PRIMO effuſione pijſſima, quo ad cauſam Quia effuſus eſt, non pro culpa propria; ſed aliena. Vnde dicit, Mat. 26. *Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur.* Fuit ergo cauſa pijſſima, quia ex charitate ardentiſſima ſanguinem innoxium fudit. Hinc Auguſt. in Chriſti perſona ait. *O homo recogita qualia, & quanta pro te paſſus ſum. Cum eſſes inimicus Patri meo, reconciliaui te, cum aberrares, quæſiui te, humeris portaui te, Patri meo reddidi, caput meum ſpinis oppoſui, manus meas clauis obieci, ſanguinem meum pro te fudi, animam pro te poſui, vt iungerem te mihi; & diuideris tu à me?* Ier. c. 3. *Conuertere ad me, & ego ſuſcipiam te* Quanta fuerit hæc pietas, nec Cherubim oculatiſſimi plene cõprehendunt. O piè redamemus eum.

SECVNDO effuſus eſt, effuſione pleniſſima, quantum ad menſuram, quia non effluxit de corpore eius vna gutta; ſed ſanguinis vnda, & hoc in magna copia. Vnde dicit ipſe per Eſaiam c. 63. *Aſperſus eſt ſanguis meus*, id eſt pro eis effuſus, *ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea*; id eſt corporis membra, *inquinaui.* Nullum enim fuit in Chriſti corpore membrum, quod ſanguine eius non eſſet aſperſum. Tam plene enim hunc ſanguinem effudit, quod nec vnica gutta in corpore (vt aiunt) remanſit. Nam ſanguinem intercutaneum, fudit in flagellatione; & quicquid ſanguinis fuit in capite, & vertice, effudit in coronatione; ſanguinem vero venarum, & neruorum, fudit in manuum conclauatione; ſed ſanguinem qui remanſit in corde, vel in interioribus membris, effudit in lateris aperitione. Et ſic patet, quod plenè ſanguinem fudit, &
Pſ. 21. nil ſibi retinuit, & *ſicut teſta exaruit.* Et hoc totum (vt ſupra dictum eſt) pro amore inflammando erga eum affecit. Quis iam hæc meditans, Chriſtum non debet diligere, quem vidèt ſui amore feruidum, nil de ſanguine retinere; ſed præ amore erubeſcere.

POSTREMO effuſus eſt ſanguis, effuſione pænaliſſima; ſi conſideretur natura. Nam eius natura erat tenera, & nimium delicata, & erat optimè complexionata, ſaniſſima, & ſuauiſſima, nullius humoris ſuperflui læſione turbata; & ideo omnis pæna illi inflicta, fuit acerbiſſima; & propter complures alias cauſas, vt patet infra de aggrauantijs paſſionis. O duri, & indurati, quos is effuſionis modus non compungit. Hircinus ſanguis diuidit adamantem; non ergo faciet ſanguis Chriſti in humano corde, quod facit ſanguis Hirci in lapide? Hæc de modo effuſionis.

Quibus proficit is effuſus ſanguis. Notula 6.

IAM tandem videndum, quibus profuit ſanguis ſic effuſus. Nam licet ſufficiat cunctis ſuperualenter; non tamen æquè prodeſt omnibus efficienter. Nã iuxta Bonauenturã XXXI.

Proficit	Requirentibus puritate intentionis.
	Reſpicientibus viuacitate attentionis.
	Imitantibus conformitate paſſionis.

DE PRIMO Ioannes in Canonica. *Si in* 1. Io. 1.
lumine ambulemus; quantum ad rectam intentionem; *ſicut ipſe in luce eſt, ſocietatem habemus adinuicem, & ſanguis Ieſu Chriſti Filij eius, emundat nos ab omni peccato.* DE SECVNDO Iob. 38. *Pulli aquilæ lambunt ſanguinem*, id eſt viri contemplatiui contemplantur Chriſti ſanguinem. Figuram habemus in ſerpente æneo. DE tertio Paulus, Rom. c. 8. *Si compatimur, & conregnabimus.*

§ 5. De fructu, & effectibus ſanguinis effuſi.

QVINTO principaliter videndum eſt de XXXII.
effectibus, & vtilitatibus huius ſanguinis effuſi, & in Sacramento dati, quas, quanquam varij variè aſſignent, Vbertinus nunc imitandus, qui has recenſet,

Soluit, deuincit, ſignat, purgandoque fortat:
Irrigat, & frangit, curans, placat, reſerando.

PRIMO enim benedictus Chriſti ſanguis, fuit ſoluens pretium noſtræ redemptionis; Princeps Apoſtolorum, 1. Pet. c. 8. *Non enim empti eſtis auro, vel argento, de vana veſtra conuerſatione, paternæ traditionis, ſed empti eſtis pretioſo ſanguine agni immaculati, & incontaminati Ieſu Chriſti.* Leo Papa. *Effuſio ſanguinis iuſti pro iniuſtis, tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad pretium, vt ſi vniuerſitas captiuorum, in redemptorem ſuum crederet, nullum Tyrannica vincula detinerent.* Paulus 1. Cor. 16. *Empti eſtis pretio magno.* Verè pretio magno, quia tam magni pretij ſanguis agni fuit, quanti pretij agnus extitit: Sed agnus valoris infiniti extitit, quia Deus fuit; ergo & ſanguis Chriſti. Huius in figura dicitur Hieremiæ, c. 13. *Hæc dicit Dominus Iſrael; Sume emptionis librum*; hunc ſcilicet Chriſtum ſignatum, ſacro ſanguine rubricatum, & librum hunc, qui apertus eſt in manibus, & pedibus, *& pone illum in vaſe fictili*; tui, ſcilicet cordis, *vt permanere poſſit diebus multis.*

SECVNDO eſt vincens Zabulum noſtræ impugnationis. Vnde fuſo hoc ſanguine dici potuit illud Apoc. 12. *Nunc fa[?]a eſt ſalus, & virtus, & Regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius, quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat eos ante conſpectum Dei*

noſtri die ac nocte, & ipſi vicerunt eum, propter ſanguinem agni. Tunc enim (vt dicitur apud Ioannem c.12.) *Iudicium fuit mundi, & tunc princeps mundi diabolus, eiectus eſt foras,* & victus ſanguinem Domini Ieſu Chriſti. Inper Ioannem, *Vbicunque viderint ſanguinem Dominicum, fugiunt quidem dæmones. & Angeli concurrunt.*

TERTIO Chriſti ſangnis, eſt ſignans populum Chriſtianæ religionis: Hoc enim ſanguine ſignantur, vt à cæteris dignoſcantur Exod.c 13. *Erit autem vobis ſanguis in ſignum* Ezechiel.c. 9. *Signa Thau ſuper frontes virorum.* Itemque Apoc.c.7. *Nolite nocere Terræ & Mari, neque arboribus, quoadnſque ſignemus ſeruos Dei noſtri, in frontibus eorum.* In cuius etiam figura iubetur. Exod.c.13. *Sument de ſanguine agni, & ponent ſuper vtrumque poſtem,* Grego. *Quid ſit ſanguis agni, non audiendo, ſed bibendo diſcimus, qui ſuper vtrumque poſtem ponitur, quando non ſolum ore corporis, ſed ore cordis hauritur.*

QVARTO eſt purgans vitium noſtræ infectionis: Sanguis enim ille purus, & mundus agni immaculati, qui de diuino templo corporis Domini Ieſu, *à latere dextro,* & per totum exijt lixiuium fuit purgans, & mundans omnia crimina originalia actualia, mortalia, & venialia, ſpiritualia, & carnalia, quantum ad ſufficientiam; & ſi non quo ad efficientiam, propter malorum obſtinatam malitiam qui ſe tali lauacro lauari non permittunt. Hinc Apocalypſis c.1. *Dilexit nos, & lauit nos &c.* vt ſupra. Et Paulus Heb.c. 9. *Sanguis Chriſti emundabit conſcientias veſtras, ab operibus mortuis.* Omnia enim pæne *in ſanguine mundantur, & ſine ſanguinis effuſione, non fit remiſſio.* Sanguis autem Chriſti (vt Chryſoſtomus ait) effuſus orbem terrarum, à crimine lauit. O ter quaterque beati, *qui lauant ſtolas ſuas, in ſanguine agni.* Ezech.47

QVINTO eſt confortans animum, ad pugnam congreſſionis. Hinc penes Machabeos, c.6. *Comparauerunt ſe in prælium, & tubis cecinerunt, & elephantibus oſtenderunt ſanguinem vuæ, & mori, ad acuendum eos in prælium. Vua* Chriſtus liuoribus, & vulneribus denigratus. Cuius ſanguine confortamur, & excitamur; quotiens eum intenta mente contemplamur. Hoc ſanguine Martyres excitati triumpharunt.

SEXTO eſt irrigans ambitum Eccleſiaſticæ diffuſionis. Hoc enim ſacro ſanguine, de fonte viuo manante, rigatur Eccleſia, cuius humore, totum eius corpus regitur, & viuificatur, & ornatur. In cuius figura ſanguis vituli, contra propitiatorium ſepties aſpergitur quia vniuerſalis Eccleſia illo iuuatur, Humano ſanguine terra maximè fæcundatur, & homo Chriſti ſanguine, in omne bonum promouetur, & eodem meditatio ornatur, vti ait Agnes beatiſſima, *Sanguis eius ornauit genas meas.* Itemque virtute ſuperna fulcitur: Nam dum Chriſti ſanguine Eccleſia munitur, ab Angelis amplius confortatur. Hinc in huius ſignum dicitur in Apoc.19. quod veſtitus erat *Chriſtus veſte aſperſa ſanguine, & exercitus cæli ſequebatur* eum. Nam illos Angeli ſequuntur, qui hac veſte induuntur. *Lætetur* itaque (ait Beda) *fidelis Eccleſia effuſione pretioſi ſanguinis rubricata; lætetur* inquam, *& redemptori ſuo ſtudeat grata vota rependere, qui pro eo dignatus eſt ſanguinem fundere.* Leuit.4. Apoc.19.

SEPTIMO Chriſti ſanguis eſt, frãgens lacum Tartareæ Incluſionis; Tanta enim fuit virtus huius benedicti cruoris, quod inferni carceres fregit, concluſoſque Patres inde liberauit. Hinc Zach.9. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui, eduxiſti vinctos de lacu, &c.* In cuius tropo dicitur, quod Salomon pullum ſtrutionis, in vaſe clauſerat vitreo; ſtrutio hæc videns, init in ſiluam, detulit vermiculum; cuius ſanguine vas linitum confractam eſt, & pullus liberatus; vt refert magiſter hiſtoriarum. Vermiculus iſte eſt Chriſtus, qui ait. Pſal. 21. *Ego autem ſum vermis, & non homo.* Pullus humanum genus, vas limbus inferni, &c.

OCTAVO eſt curans ægrotum noxiæ infirmationis. Nam pro vnius membri curatione, Philebotomia fieri ſolet in altero: Sic cum totum genus humanum, quaſi vnum membrum, eſſet peccati ægritudine infirmum; ſoluſque Chriſtus, quaſi alterum membrum, innocentia eſſet ſanus; vt curaretur homo, ſanguinatur Chriſtus; non Chirurgi lanceola; ſed clauis, flagellis, ſpinis, & lancea. In huius figura lepra curatur ſanguine paſſeris ſepties aſperſo; quia hic ſanguis omnium mortalium peccatorum infirmitates curat; vt patet diſcurrendo. Sic & Moyſes tabernaculum, & omnia vaſa ſanguine aſperſit, quia dum corpus noſtrum aſpergitur hoc ſanguine, ab omni concupiſcentiæ morbo refrigeratur. Hinc ait Auguſtinus, *Effuſus eſt ſanguis medici, & factum eſt medicamentum frenetici.* Leuit.14.

NONO eſt is ſanguis placãs vultum paternæ indignationis; Pater namque cæleſtis, quantumcunque indignatus; viſo vnigeniti ſanguine mãſueſcit; ſicut dicitur de Leone, quod viſo agni ſanguine, deponit ferocitatem. Et ideo cum propter tua crimina tibi ſentis Patrem iratum, intingas tunicam tuæ veteris vitæ, in ſanguine Ieſu, & defer ad Patrem dicens, Gen. 37. *Vide ſi tunica filij tui ſit an non,* & placabitur Pater. Paulus, Heb. 12. *Acceſſiſtis ad teſtamenti noui mediatorem, & ſanguinis aſperſionem melius loquentem, quam Abel, quia* ille vindictam, iſte miſericordiam clamat. Vnde Iob 16. *Terra ne operias ſanguinem meum, nec inueniat locum latendi in te clamor meus.* Hic enim eſt ſanguis fœderis, per quem omnia pacificantur. Et quid mirum ſi Patrem placauit, qui ſanguinem tantæ pietatis, & dignitatis effudit?

DECIMO eſt ſanguis Chriſti aperiens aditum cælicæ habitationis. In Sancta Sanctorum nullus intrare poterat, ſecundum legem, niſi Sacerdos ſummus, & *non ſine ſanguinis effuſione,* vt dicitur ad Hebræos c. 9. Sic clauſa cæleſtis patriæ ianua, in qua habitat Sanctorum Sanctus, nullus intrare poterit, niſi ſummus Sacerdos. Idcirco *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per proprium ſangui-*

ſanguinem introiuit ſemel in Sancta, æterna redemptione inuenta. vt dicit Apoſtolus vbi ſupra. Et nos eius membra corporis conſtituti, intramus cum ipſo, & per ipſum. Hinc iſdem
Heb. 10. Apoſtolus, *Habentes itaque fiduciam, in introitu Sanctorum, in ſanguine Chriſti,* &c. Sic in
Num. 35. morte ſummi Pontificis exules in terras reuertuntur, ſecundum legem. Sic etiam tertij
3. Reg. 22. Regum vltimo, Vulnerato Rege, & ſanguine fluente, præco inſonuit, vnuſquiſque reuertatur in ciuitatem, & in terram ſuam. Ad quam ciuitatem, ad quam terram, perducat nos ſanguis tuus Domine Ieſu Chriſte.

Hæc de fructu, & vtilitatibus ſanguinis huius, quas is tantum aſſequitur, qui digna illum deuotione veneratur, quique indefeſſe precatur verbum illud Euangelicum in bo-
Mat. 27. num, *Sanguis tuus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Contemptoribus autem, digna reſtabit
Heb. 10. pœna. Nam ſi *irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione, ſub duob. vel tribus teſtibus moriatur;* quanto maiora putatis mereri ſupplicia, eum, qui Filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit? &c.

§. 6. *De huius ſanguinis ſumptione Sacramentali.*

Mat. 26. NVNC QVOMODO Chriſti ſanguis Sacramentaliter ſumitur videndum. De quo modo idem Dominus, *Bibite, hic eſt ſanguis noui teſtamenti.* Sed prætereundum, atque ſuperſedendum, quoniam in ante habitis ſatis copioſè tractatum eſt, & quare ſub duplici ſpecie ſumitur; quare non ſimiliter à populo ſanguis accipitur; de quibus ſuprà actum eſt inter conſiderationes, vnde nunc tantum, quomodo ſpiritualiter bibatur conſiderandum. Vbi notanda ſunt iſta tria;

XXXII. Scilicet { Locus, vbi potus inuenitur, / Vſus, ad quem conuertitur; / Suauitas gratiæ, quæ exoritur. }

DE PRIMO, ſcilicet, vbi ſit locus, vbi ſpiritualis potus ſanguinis inuenitur; ſciendum quod tot ſunt loca quot ſunt Chriſti vulnera. Pſ. 77. *Percuſſit petram, & fluxerunt aquæ.* Sicut *ex foraminibus Petræ,* Iudæi aquam; ſic fideles ex vulneribus Chriſti, Chriſtiani Spiritualem hauriunt ſanguinem. *Eſa. 12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Numera
Eſa. 1. nunc vulnera ſi potes, quoniam numeroſa facta ſunt nimis. Nam præter quinque ſciſſuras illas grandes, etiam à planta pedis, vſque ad verticem non vacat locus à fonte. Suſtinuiſſe namque pro nobis pie creditur, quinque millia quadraginta, & ſexaginta. Vnde & totidem propinauit, bibendi ſanguinem fontes. Hinc dicitur,

L. X. bis duo C. ſuperaddas millia quinque:
Tot fertur Chriſtus, pro nobis vulnera paſſus.

Accede ergo, ô ſitibunda anima, tabernę vini patent.

SECVNDO de vſu ad quem conuertitur, quære in Sermonibus S. Thomæ de Venerabili Sacramento.

TERTIO, vt dicitur in ſumma.

NOTA quod ſanguis non modo attulit dicta bona; ſed omnibus factus eſt omnia,

Expiationis. Refectionis. Redemptionis.
Eſt lauacrum, cibus, eſt pretium,
Curationis. Reconciliationis.
medicina, rogatum.

Hinc itaque ſanguinem iugiter cum Bonauentura præ oculis imaginatiuè habeamus, ſalutantes, & cum quodam dicamus, *Aue ô ſanguis Chriſti benedicte, lauacrum meæ regenerationis, cibus refectionis, in altari poculum, in cruce pretium, in corde medicamentum, in fronte munimentum, in cælo pro nobis aduocatus, imo* [illegible] *vita mea viuificatiuum. Anima enim omnis carnis in ſanguine eſt,* vt Philoſophus dicat, Cor- Leuit. 17
ruptio, & ſenectus non eſt, niſi paucitas ſanguinis. Sicut igitur in ſanguine naturali, eſt vita mea corporalis; ita in ſãguine tuo, ô Chriſte, eſt conſeruatio vitæ meæ Spiritualis, &
perductio ad ſtatum vitæ immortalis. Quis e- Io. 6.
nim biberit ſanguinem tuum habet vitam æternam.

Aſpergantur, itaque oro, vtrique poſtes a- Exod. 12.
nimæ meæ ſanguine tuo, vt intellectus hunc ſemper conſideret, affectus diligat; imo & cor-
poralis oculus imaginando, adeo fortiter aſpi- Ioſ. 2.
ciat, vt quicquid videro, appareat mihi tuo ſanguine rubricatum, vt ſic Angelus exterminator, domum hanc prætereat, Ioſue verus hanc dinoſcat, & ſic nihil mali in ea contingat. Per te cuius eſt ſanguis iſte, Dominum meum Ieſum. Amen.

MEMBRVM III.

De tertia huius Paſchalis agni portione, quæ eſt ipſius Domini Ieſu anima, & ſpiritus.

P*Lacita erat Deo anima illius.* Sap. 4. IAM Sap. 4.
DE TERTIA PORTIONE huius benedi- XXXIII.
cti Agni eſt agendum, quæ eſt *anima, & ſpiritus* Domini Ieſu Chriſti: Quæ duo qualiter differant, & qualiter conueniant, non eſt huius diſputationis. Hic accipimus *animam* pro portione inferiori, *ſpiritum* autem pro ſuperiori; de quibus ſingulis diſtinctim eſt agendum, quoniam diſtincta conſiderabilia habent.

§ 1. *De anima domini Ieſu Chriſti.*

ET PRIMVM de anima, & inferiore portione hæc ſunt conſideranda. Scilicet

Animæ { Qualitas, / Vires, / Affectus, / Aſſumpti defectus, }

En qualis, vires, affectus, en mala quanta,

De qualitate animæ Chriſti.
Notula 1.

PRIMO inquam offert ſe conſideratio de huius animæ Chriſti *qualitate;* qualis ſcilicet fuerit: Et, vt ſparſim colligitur, ſciendum quòd talis extitit;

Prædilecta, placens, prælata, regens, benedicta.

DILECTA inquã *Deo & hominibus:* Pater e-

nim Deus, diligit Filium amore immenſo, & omni menti creatæ inexperto, ac per hoc, & animam eius. Sed vtinam, vel modicum pro aviditate noſtra excitanda, ſentire datum fuerit, quo charitatis ardore, diligat vnicum cordis ſui Filium, Pater ille æternus, & quo diligatur ab eo. Grande Paternæ dilectionis argumentum, vox illa Paterna inſonans de cœlis, *Mat.3.* *Hic eſt Filius meus dilectus*. O verè dilectus. Tenendum enim firmiter, & nullatenus dubitandum, quod Deus Pater, diligit Chriſtum vnigenitum ſuum, amore intenſiuè infinito, quantum Chriſtus Deus eſt. Sed inquantum eſt homo diligit eum Pater, licet amore infinito, non tamen infinitè, ſicut nec Filius hoc modo eſt infinitæ bonitatis: ſed tamen maiore dilectione diligit Deus Pater Chriſtum, quantum eſt homo, ac per hoc, & animam eius; quam totum vniuerſum, viſibilia, & inuiſibilia, irrationalia, & intellectualia. Cuius hoc eſt indicium, teſtimonium reddens credibile nimis, quod Pater maius bonum contulit Chriſto homini, quam toti vniuerſo; ſcilicet hypoſtaticam vnionem, quod donum omnia dona cæteris præſtita, eminenter tranſcendit, vt ſupra dictum eſt de humanitatis Chriſti qualitate. Vnde verè tenendum, iuxta verba cuiuſdam Doctoris, quod *verè magis Deo dilecta ſit benedicta illa anima, quam omnis reliqua creatura; adeo vt ſi alterum duorum oportet fieri, vel dilectam illam animam ex vna parte, vel virginem Matrem, cum vniuerſa Eccleſia beatorum ex altra parte. redigi in nihilum; nemo tam cæcus diuinarum rerum æſtimator, qui non certum habeat quid iudicet* Hæc ille. Idem tenet Gerſon, in Tractatulo ſuper Cantica dicens, Quòd nobiliſſima Chriſti anima, principalius fuerit intenta formaliter ad ſui glorificationem, quam occaſionaliter in lapſorum reparationem, ipſamque cunctis præſtare. Multum ergo anima dilecta. Vereque dictum eſt, in Chriſti perſona, *Ier.12.* *Dedi animam meam dilectam*, &c. Patet ergo, quam dilecta Deo Patri. Quomodo autem ipſa rurſus non dico diligebat; ſed amabat Deum Patrem, infra agetur. Quod autem & hominibus dilecta, verè poſt Deum ſummo gradu. *2.Reg 1.* Verè dilecta, quia *amabilis ſuper amorem mulierum* *Pſ.118.* non modo, ſed & rerum vniuerſarum; *Phil 3.* ſuper aurum, & topazion vniuerſam. Omnia enim hæc Sancti ob eius amorem, vt ſtercora computauerunt.

Eſt ſecundo placens, quia vt dictum eſt, *placita erat Deo anima illius*. Quidni eſſet placita; quæ ſemper, vt ipſe Chriſtus teſtatur, quod placitum erat illi, faciebat? Quod autem erat placita, patet ex eius acceptabilitate: Nam illam traditam, oblatam in odorem ſuauitatis excepit, itam dimiſit, omnes pro quibus eius anima traditur, in gratiam ſuſcepit. O verè placitam animam, placentem, placantem, placentes efficientem vniuerſos.

Tertio hæc anima eſt *nobilis*, & tantæ nobilitatis, vt non modo cæteris prælata, & præ cæteris ſublimata; ſed tantæ ingenuitatis, vt illa præponderet in iudicio Dei, ſuper omnem celſitudinē vniuerſæ reliquæ creaturæ; adeo vt etiam ſublimior illa creatura (Virginem matrē loquor) humilem ſe fateatur eius ancillam. *Luca 1.* Pro magno quoque excelſi illi ſpiritus habēt, quod in miniſterium mittantur myſterij eius. *Heb.1.* O ingenuitatem, O præcelſam nobilitatem. Et tamen nobilis hæc anima, non dedignatur humiles noſtras viſitare caſas, & vilis noſtri tugurioli fieri habitatrix. O dignationem.

Qvarto hæc anima rectrix eſt, & Regina; corpus ſuum nobile ſine contrarietate regens, vt nec minimam peccati contagionem, vel tenuiter admiſerit. O animam verè Reginam fortem, *Luc.11.* fortem vincens armatum. O vere ſapientem, theſauris ſapientiæ, & ſcientiæ plenam. *Col.2.* O reginam iuſtam, iuſtitiæ perfectæ cōplens formam. O rectricem magnam, quia primogenitam, *Pſ.88.* excelſam præ Regibus terræ; *Pſ.2.* accipientem à Patre gentes in hæreditatem, & terminos terræ poſſeſſionem. O animam poſtremo Reginam benignam, quę non ſolum clemens regnicolis, aut miſericors, ſed & amica; & tantopere amica, vt amor eius morte fortior fuerit, & qua nemo fortius amauit, quæ animam talem tradidit, & adeo tradidit pro amicis ſuis. Regens itaque fortiter, iuſte, ſapienter, magnifice, benigne.

Eſt tandem, & anima iſta *benedicta*, omni benedictionis modo; de qua benedictione agitur infra de ſpiritu. Hæc de animæ huius qualitate. Æſtimet qui poterit, quam ſint digne gratiæ agendæ; ſuper collatione animæ talis.

De viribus animæ Domini Ieſu.
Notula 2.

XXXIIII

N*Vnc de viribus* huius animæ eſt videndū. Nam ſicut aſſumpſit veram animam, ita & omnes animæ vires; licet hæretici oppoſitum dicebant. Nam patet hoc ex ſcripturæ teſtimonio, in quibus virium animæ fit crebra mentio. *Item* hoc requirit incarnationis veritas; alioquin non eſſet verus homo. Idem exigit incarnationis vtilitas, quæ eſt iuſtificatio noſtra: Nam (iuxta Damaſcenum) Quod eſt inaſſumptibile eſt, & incurabile. Totus igitur toti vnitus eſt vt, toti mihi ſalutem gratificet; id eſt, gratis faciat. Hæc ille. Sunt igitur hic contemplandæ vires, & potentię corporeę, & ſenſitiuæ. Et hoc triphariа conſide ratione. Quantum, ſcilicet,

Ad { Perfectam obedientiam, Limpidā relucētiam, Exemplarē formam. } quoad { Deū, & rationem. Scientiā & affectionem. In bono conſeruationē. }

Debemus enim conſiderare vires iſtas, quomodo promptiſſime, ac delectabiliſſime, cum affectione amoroſa, cum æſtuantibus deſiderijs, & voluptate multa, ipſi ſpiritui, & rationi ſuperiori ſubijcitur, in laudem, gloriam, & famulatum Dei. O quis capiet illud? Debemus item conſiderare, quomodo etiam dulciſſime ad nos, in Dei charitate afficiebantur, optantes, ac deſiderantes omne bonum noſtrum. Itemque de profectu gaudentes, dolenteſque de imperfectione noſtra. Hinc *nunc Ieſus ſpiritu exultaſſe* *Luc.10.* legitur; hinc fleſſe, vel *Luc.19.*

in-

Jo. 11. *infremuiſſe* narratur. Melius hæc animo, quam ſcripto complecti poſſunt. Conſiderare quoque debemus, vitium harum exemplarem formam; ſecundũ quam omne malũ declinantes, complectebantur omne bonum. Quomodo apprehenſiuæ, nil niſi verum, motiuæ, nil niſi circa bonum verſabantur: Nam cum Chriſtus dux ſit, & omnium noſtrum magiſter, eiuſque vita, quam geſſit in carne mortali, vniuerſæ ſit perfectionis forma, exemplar, & finis, ſpeculumque informationis noſtræ; liquet, quod ſicut in omni actione, ſic etiam in viribus ſingulis, ordinatiſſime, & perfectiſſime ſe geſſit. O quales cogitatus, quam pios, quam Sanctos, quam vere Deo dignos. O imaginationes, quam putas, ſacras; affectiones item, quam ardentes, pijſſimas, credendus eſt habuiſſe! Satius eſt conticeſcere; quam ſuper his ſcribere indigna. Poterit nihilominus, grandis hic meditandi copia afferri. Poterunt enim diſtingui vires iſtæ ſenſitiuæ, in apprehenſiuas, & motiuas; poſſetque fieri ſingularium partium proſequutio in ſpecie. Sed quoniam parum de his à Doctoribus inuenio poſitum, & quia ſunt ſupra intellectum meum; ideo ſuperſedendum. Tanguntur tamen pauca de ſingulis viribus, in Roſario infra ponendo, in parte ſecunda. Agite ergo, vel interdum, etſi non plene, vel tenuiter ſaltem conijciamus, de virium harum perfectione conſideremus, diiudicemus, noſque eis conformemus, & per earum perfectiones, noſtras perfici, & ſpiritui ſubijci oremus.

De affectibus ſenſitiuis Domini Ieſu.
Notula 3.

XXXV. PARI, etiam modo de *affectionibus* Domini Ieſu, in parte ſenſitiua repoſitis, conſideratio poteſt fieri. Et hoc

Quo ad earum { Perfectionem, / Erga nos dilectionem, / Exemplificationem. }

Sicut iam tactum eſt de gaudio, de zelo, quod ſpiritu exultauit, quod fleuit, quod infremuit, ſic etiam de cæteris, vt de ira, &c. vt infra videri poterit.

De aſſumptis defectibus animæ Domini Ieſu. Notula 4.

XXXVI. POſtremo conſideranda ſunt *defectuum mala*, in hac benedicta anima, propter nos aſſumpta. Nam quemadmodum in corpore quædam mala aſſumpſit, & quædam non; ſic per omnia in anima. Vnde circa hanc materiam Doctor Sanctus inquirit iſta.

Si aſſumpſit, Fomitem, Ignorantiam,
Peccatum, atque fomes, ignoras,
Paſſiones interiores, Senſibiles dolores.
Paſſio, Senſus.
Admirationem, timorem, iram, triſtitia.
Miratur, Timor, Ira, dolor,
ſi viator, & comprehenſor.
Via, patria iunctus.

Proſequitur ſingulas has quæſtiones S. Thomas, conformiter concludens cæteris, quod Chriſtus illos defectus aſſumpſit, per quos pro nobis ſatisfaceret, veritatem humanæ naturæ comprobaret, & per quos nobis exemplum virtutis fieret. Vnde patet, quod nec peccatum, nec peccati fomitem, nec ignorantiam, aut cæteras pœnalitates vitioſas, propter peccatum originale inflictas, vt ignorantiam, infirmitatem ad bonum, malitiam, concupiſcentiam malam aſſumpſit. Pœnas tamen exercitiuas vitæ perfectæ, & teſtificatiuas humilitatis naturæ; vt paſſibilitatem, verum dolorem, triſtitiam, timorem, admirationem, iram, prout eſt vindicta ſecundum ordinem iuſtitiæ, propter nos aſſumpſit; ſimul viator, & comprehenſor; prout hæc omnia in ſua Summa, in tertia parte Sanctus Thomas pulchrè declarat. Vnde eius dicta non ſunt hic repetendir.

Gratias agamus, qui mala noſtra pertulit, & nobis ſua bona contulit. Offert quoque ſe hic conſideratio illa de tentationibus Domini Ieſu; ſcilicet quare, vbi, quoniam, à quibus, & quotiens tentatus fuerit, in anima hac benedicta. Scribunt de his paſſim Doctores.

§ 2. *De ſpiritu huius Paſchalis agni.*

O Quàm bonus, & ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus. Sap. c. 12. Iam de ſpiritu huius XXXVII. Sap. 12.
Agni immaculati videndum. Circa quem hæc ſunt conſideranda. Scilicet.

De ſpiritus { Qualitate, / Chariſmatum plenitudine, / Benedictione, / Pro nobis traditione. / Sublimi exaltatione. }

Qualis, quam plenus, benedictus, traditus, altus.

De qualitate ſpiritus Chriſti.
Notula 1.

PRimo inquam de ſpiritus huius qualitate videndum. Quocirca notandum, quod huic ſpiritui poterunt applicari conditiones illæ, quæ libro Sapientiæ habentur; vbi dicitur. Eſt enim in illa *Spiritus intelligentiæ Sanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis, deſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuauis, amans bonum, nihil vetans benefacere, humanus, benignus, ſtabilis, ſecurus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens, & qui capiat omnes, ſpiritus intelligibilis, mundus*, &c. Quę denominationes, ſeu proprietates, licet magis proprie Spiritui ſancto, ratione ſuæ eſſentię, & effectuum aſſignentur (vt dicitur in Pantheologia, titulo de Spiritu ſancto) poſſunt tamen pulchre, & deuote, ſpiritui huic comparari. vt patet conſideranti. Eſt enim iſte ſpiritus *Sanctus*, quia Sanctorum Sanctiſſ. Eſt *vnicus*; id eſt ſingularis; illius, ſcilicet qui de ſe dicit, quia *vnicus & pauper ſu* ego, &c. *Multiplex* virtutibus, & effectibus, & ſic de ſingulis, poterit applicatio fieri. Sap. 7. Ps. 24.

ITEM conſideranda eſt, ſpiritus huius nobilitas. Tum quantum.

Ad	Prædeſtinationem, Creationem, Aſſumptionem,	Vbi quærendū ſi	Sit prædeſtinatus. Perfectior creari poteſt, Sēper vnitus ſubſtitit.	

Longum eſſet proſequi hæc per ſingula, videantur doctores ſuper Tertium ſcribentes, & S. Thomas in tertia parte Summæ ſuæ. Hæc de qualitate.

De plenitudine chariſmatum Spiritus huius, Notula 2.

XXXVIII SECVNDO offert ſe Spiritus iſte contemplandus, quo ad gratiarum, & chariſmatū plenitudinem, de quibus quoniam infra agitur in ſpecie; hic videndum quomodo plenus fuerit in potentijs, & quali plenitudine. Vnde notandum, quod ſpiritus iſte plenus gratiæ, & veritatis fuit, ſic impletus gratia, ſapientia, iuſtitia, & gloria; vt eius vnius gratiæ, & gloriæ plenitudo, præpōderet, ſuper omnē pulchritudinem reliquæ creaturæ. *Non enim ei datus eſt ſpiritus ad menſuram: ſed in eo habitauit plenitudo diuinitatis.* Circa quam plenitudinem, hic concurrunt videnda. Io.3. Col.2.

Scilicet { Qualis eius plenitudo fuerit. / Qualiter ab alijs diſtet. / Quibus plenus fuit.

DE PRIMO notandum, quod talis ea plenitudo fuit, qualem Ioannes diffinit, quia, *plenus gratiæ, & veritatis* fuit, *vnctus oleo lætitiæ præ omnibus conſortibus ſuis.* Plenitudo ergo eius, eſt plenitudo ſpiritus, *non ad menſuram* dati; ſed adeo dati, vt vniuerſæ ciuitati Sanctæ ſufficiat fluminis huius impetus, ad lætificandam ciuitatem Dei, & ciuibus eius, prout pulchrè declarat quidam doctor. Aut ſecundum Albertum plenitudo iſta hæc eſt, quod Chriſtus homo habuit omnia per gratiam, quæ habet Deus per naturam. Et nulla gratia in eo fuit diminuta, vel ocioſa, aut à contrario impedita; ſed omnia in ſummo. Et hæc propriè eſt gratia vnionis (vt patet infra) propter quam incomparabiliter, omnem reliqui corporis plenitudinem excedit; Quæ etiam tanta eſt, quod Eccleſia canat, *Quem totus mundus non capit, portant puellæ viſcera.* Quod non ſolum de verbo, vel ratione verbi; verum de aſſumpta carne verè dicitur: Cuius tanta eſt gratiæ, ſapientiæ, & iuſtitiæ plenitudo, quod eam reliquæ creaturæ vniuerſitas, capere non poſſit; ſed nec æquare. O ſuper plenam plenitudinem. Io.1. Pſ.44. Col.1. Pſ.45.

DE ſecundo autem qualiter hæc plenitudo ab alijs diſtet, ſciendum, quod multiplex plenitudo diſtingui ſolet.

XXXIX. Scilicet { Sufficientiæ, / Excellentiæ, / Supereffluentiæ, &c. vt patet.

Vel iuxta Albertum, eſt multiplex plenitudo gratiæ,

Quædam { Datiua, & effluxiua, non receptiua, vt ſolus Deus; / Receptiua, datiua, non retentiua, vt canalis. / Receptiua, & retentiua, non datiua, vt vas. / Receptiua, datiua, & retentiua, vt fons.

Prima conuenit Soli Deo: Vnde ſcribitur, *Facies tua plena gratiarum*: Secunda conuenit Sacerdotibus in mortali conſtitutis; Tertia Sanctis, Sacramentis Eccleſiæ non miniſtrantibus; Poſtrema autem propriè congruit Chriſto, qui plenus gratiæ, & veritatis, *De cuius plenitudine accepimus omnes,* Euangeliſta teſte. Heſt.15. Io.1.

DE TERTIO autem, quibus is plenus ſpiritus fuit, Notandum, quòd Chriſtus, & eius ſpiritus, his plenus fuit, quia habuit

Plenitudinē { Gratiæ, / Sapientiæ, / Meriti, } In { Affectu, / Intellectu, / Opere, & effectu.

Agunt de his ſuper Tertium ſcribentes; ſed & Bonauentura pulcherrimè de his in ſuo Breuiloquio.

DE PLENITVDINE *gratiæ* in affectu, tenendum, quod in benedicto Domino Ieſu, à ſui conceptione, fuit plenitudo omnis gratię: XL.

1. Quantum ad gratiam ſingularis perſonæ, per hanc habens omnis culpæ immunitatem;
2. Quantum ad gratiam capitis, per hanc habens influere vitam.
3. Quantum ad gratiā vnionis, per hanc habens adorationem latriæ.

Proſequitur hæc pulcherrimè, deuotum Bonauenturam inſequutus, Vbertinus in prima parte ſua, titulo. *Ieſu plene dotatus.* Habet item circa ſingulas has gratias S. Thomas ſuas quæſtiones, pulchrè quæque declarans, in tertia parte Summæ. Legat quiſque deuotus iſta, quia verè deuotum eſt ruminare iſta, quæ breuitatis cauſa tranſilimus.

Adoremus igitur Spiritum hunc, propter gratiam vnionis; veneremur ob gratiam perſonæ ſingularis; amplexemur propter gratiam capitis, & indiuiſibiliter tali capiti adhæreamus; petamus quo nobis influat motum, ſenſum, & vitam. Plurimum enim membra tali capiti obſequi tenentur, vt Vbertinus declarat.

POTERIT, & in hunc modū grandis fieri ſermo de *ſapientia* Ieſu Chriſti, qua plenus fuit intellectu, ſed de hac agitur vbi ſupra: Et tenendum, quod quia ipſe eſt Deus, & homo, ideo in ipſo eſt omnis plenitudo ſapientiæ, non ſolum quantum ad cognita; verum etiam quantum ad differentiam cognoſcendi. Fuit enim in Chriſto Ieſu Domino noſtro, XLI.

Cognitio { Sempiternalis, / Senſibilis, / Scientialis } ex parte { Diuinitatis: / Sēſualitatis, & carnis, / Mentis, & ſpiritus.

Sunt & aliæ plures diſtinctiones de cognitione, & ſapientia Ieſu; Ita quod in vniuerſo

quin-

Digitized by Google

quinq; aſſignentur; ſcilicet *prima* ſecundũ naturam diuinam, *ſecunda* per gloriam, *tertia* per gratiam, *quarta* ſecundum naturam integram, *quinta* ſecundum ſenſibilem experientiam, vt Bonauentura, vbi ſupra, & infra. Et ſecundum harum diuerſitatem, diuerſa diuerſimodè nouit,

Per cognitionem { Spiritualem, Senſualem, Specialem, } vt { Deus, Homo, Viator, } *nouit* { Omnia, Perfectius, Experta.

& iſtorum expertorum quædã per { Naturam, Gratiam, Gloriam,

Per cognitionem *ſecundum gratiam*, vt illuminator, nouit ad hoc neceſſaria; Per cognitionem *ſecundum gloriam*, vt comprehenſor, nouit differenter omnia. O quam immenſa ſapientia iſta, qua, inquantum redemptor, habuit omnia peccata expiare; vnde & omnia, & ſingula ea habebat cognoſcere; & è diuerſo omnia bona, cum per ipſum inſtaurata ſunt omnia. *Eph. 1.* Scribit venerabilis Hugo, ſingularem de Chriſti ſapientia Epiſtolam, quam non ab re eſſet hic tractare, ſed procedendum eſt.

Accurre igitur, ô tu cæca, inſipiens, & curioſitatis auida anima mea, ad hunc omnis doctrinæ fontem: Inde ſcientiarum ſalubrium aquas hauri; ab hoc Sole tuas illuſtrari tenebras depoſcas; cum dubia in ſcripturis inueneris, ab hoc diſſolutionem petas; Ipſe enim *habet clauem Dauid*, cui aperuerit apertum eſt: Non iam ad alios inordinatè aſpires, cum in hoc vnico omnia habes. *Eſa. 22.*

XLII. De perfectione autem *meriti* Chriſti, ſciendum, quod fuit in eo omnis meriti perfectio, & plenitudo: quod ex plurimis conjectatur, potiſſimum ex iſtis,

Quis, quo, cui, quando, ſibi quid, quantum, modus, ipſe.

Deut. 32. Primo, quantum ad eum *qui merebatur*, quia non tantum homo erat, verumetiam Deus; Dei autem opera perfecta ſunt. Secundo, quantum ad *medium*, per quod merebatur, quia per perfectiſſimum habitum charitatis, & per perfectiſſimum exercitium virtutis, in orando, in agendo, in patiendo. Tertio, quantum ad eum, *cui* merebatur, quia non tantum ſibi; ſed quam maximè nobis, & omnibus electis. Qvarto, quantum ad tempus, *in quo* merebatur, quia ab inſtanti ſuæ conceptionis vſque ad horam mortis. Qvinto, quantum ad id *quod ſibi* merebatur, ſcilicet glorificationem corporis, accelerationem reſurrectionis, clarificationem nominis, & dignitatem iudiciariæ poteſtatis. Sexto quantum ad id, *quod nobis*, quia non tantum gloriam; verumetiam gratiam, & veniam. Septimo quantum *ad modum* quo merebatur, quia omnibus modis merendi, quorum tres ſunt, Scilicet,

Vel de { Indebito faciendo debitum: Debito magis debitum; Et ſic nobis propriè meruit; Debito vno modo, faciendo debitum alio modo. Sic ſibi meruit.

Perfectvm igitur meritum Chriſti; ita, quod ſuper eius meritum, omnia alia merita humanæ naturæ habent fundari, & ab ipſo procedunt, ſicut pullulationes à radice. Et hoc eſt ſolum meritum, in quo poſſumus ſaluari: Nam per hoc plenè ſatisfactum iuſtitiæ diuinæ, non ſolum pro toto genere humano in communi, ſed etiam pro quolibet homine in ſingulari. Et non ſolum in quolibet homine ſingulari malitiam vitæ ſuæ, quaſi in quodam aceruo communi, emundauit, ſed (vt Hubertinus ait) pro quolibet peccato ſingulari maculam luit, & defleuit, pœnam ſoluit, & pertulit, & ab ipſa reum abſoluit, veniam & gratiam impetrauit. Ipſumque in opere ſuo meritorio adiuuit, & aſſociauit, & omne bonum in ſingulari, & ſpeciali, quod vnquam habebimus in hac vita, ſiue in beatitudine æterna, prius ipſe nobis meruit, radix meriti factus; prius à Patre ipſe nobis accepit, & pro ipſo in æternum Patri ſe ſubijcit: ipſum laudat, & benedicit, & ipſi in æternum de omnibus noſtris gratus exiſtit. Vnde qui ex nobis nihil, niſi *filij ira*, nihil, niſi mortem æternam meremur: *Ephe. 2.* in Chriſto omne meritum habemus; ita quod dicere debemus, *Omnia opera noſtra operatus nobis es Domine.* *Eſa. 26.* Et ad ita nobis merendum, tantum aſſumpſit de pœna, & dolore, tam interius in corde, quàm exterius in corpore, quòd omnino eſt nobis ineffabile. Et tamen ad hæc patienda; & nobis merenda, tam agillimo ſaltu, tam velociſſimo curſu occurrit, qualem non mens concipere poteſt, vt verè *exultauerit, vt gygas ad currendam viam*, &c. *Pſ. 18.*

Enumerat Vbertinus decem amoroſos, & agilliſſimos ſaltus, quos fecit benedictus Ieſus à ſuæ ſublimitatis extremo, in noſtra infimá, quorum eſſet conſideratio deuota; ſed fieret prolixa. Itemque huic loco quadrat conſideratio de voluntate Chriſti, quæ diſtinguitur multipliciter à doctis; ſed plene de his agitur in locis præmemoratis. Vnde hæc alibi legens, ô anima Chriſtiana, in Domino Ieſu tuo exulta, in quo es quicquid es, & extra quem non niſi malè es, qui tibi omnia eſt. *Abac. 1.* Plaudant alij ſibi de merito, de bono opere ſe iactent, tu nullum meritum tene, niſi quantum Chriſtus tibi meruerit, & Trinitas beata acceptauerit. *Pſ. 77.* Gaude cum Vbertino, in menſura quam tibi Dominus diſtribuit, in funiculo diſtributionis tuę, in hac benedicta terra promiſſionis cordis boni Ieſu, cuius portione contenta, canta cum Propheta, *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.* *Pſ. 15.* O funes, ô hæreditatem, o vere meritoſi, qui hoc merito Chriſti gloriantur. O ne in me Chriſte bone tua merita deperdita iri ſinas. Erro enim ſi alia inquiram. Omnia bona mea ſunt tua dona, & ideo magis obligantia. *Non quaſi merita noſtra nulla ſint, ſed quia non niſi per Chriſtum ſint.*

Quomodo ſpiritus is benedictus.
Notula 3.

XLIII. IAM de huius ſpiritus, imò & totius Chriſti *benedictione* videndum, de cuius benedictionibus, pulcherrime agit Dominus Albertus, in libro de Laude Virginis glorioſæ. Vnde hæc notanda, quod benedictio dicitur his modis,

Signat, ſupponit, in parte modo benedictus.

PRIMO fuit benedictus, quantum ad ſignificationem, Quia ſic benedictio dicitur, &

Eſt:
- Omnis maledicti euacuatio, quia caruit fomite, ignorantia, incineratione:
- Omnis boni poſſeſſio, quia poſſedit naturam diuinam, humanæ coniunctam;
- Fæcunditatis exaltatio, quia Pater in eſſe naturæ, gratiæ, gloriç.
- Congratulantium collaudatio, quia laudatus ab Angelis, Hominibus, Creaturis.

Notentur verba ſingula, quia abundantia eſt in eis, & deuota materia, quæ conſideranti ſatis eſt nota; vnde nec proſequenda.

FVIT quoque benedictus ſecundum omnem ſuppoſitionem,

Sic enim eſt benedictio in { Natura, Gratia, Gloria, } Et ſic Chriſtus ſumme.

In natura autem fuit Dominus Ieſus benedictus, Et hoe

Quo ad:
- Corpus, quod materia, forma, harmonia optimum.
- Animam, carentem omni malo; repletam bono, vnitam Deo.
- Deitatem, in operibus, in ſeipſo, in ſuis donis.

Benedictus item fuit Chriſtus Ieſus *in gratia.* Quia habuit

Gratiam:
- Increatam, cum Patre, quia Deus, Dei Filius, Spirator, Spiritus.,
- Creatam, cum Matre; omnem gratiam accepit, dedit, impleuit.
- Coniunctam, eum vtriſque, quia ſicut Filius, plurium redemptor, & beatitudo hominum.

In gloria quoque benedictus fuit Chriſtus, habens

Gloriam,
- Creatoris, in miſericordia, iuſtitia, gloria,
- Comprehenſoris, auteam, & ſuperabundanter omnia.
- Redemptoris, liberator hominum, victor dæmonum, exaltator omnium.

FVIT quoque *tertio* benedictus, ſecundum partes integrales,

Quo ad:
- Originem, benedictam Trinitatem Patrem, Virginem Matrem.
- Eſſentiam, in odore, ſapore, valore.
- Efficientiam nos benedicens, in eſſe naturæ, gratiæ, & gloriæ.

Et ob hoc merito à nobis benedicendus ſemper corde, ore, & opere.

EST etiam poſtremo benedictus per omnia, & ſecundum extremum modum; habens, ſcilicet omnes benedictiones,

Habēs:
- { Virginalem, Vidualem, Coniugalem, } quia:
  - Virgo & Pater, ſicut Maria Virgo & Mater;
  - Sponſus Eccleſiæ ablatus.
  - Eccleſiæ vir, ei deſponſatus.

Omnes prætereа benedictiones in ſcripturis poſitæ, huic in ſummo ſunt attribuendæ. Habuit enim omnium omnes dignitates, vel per ſe, vel in æquipollenti excellentiſſimo cōgruenti, vt Albertus ibi declarat. Vnde patet quam copioſè hic adminiſtratur deuoræ meditationis materia, quia poteſt fieri applicatio omnium benedictionum, quæ habentur in Biblia: vt de Benedictionibus dierum, Patriarcharum, ſacrarum mulierum &c. quç omnes Chriſto ſunt applicabiles. Hunc igitur verè benedictum Spiritum, & merito à cunctis benedicendum, in nomine Domini venientem deuote amplectere, Eulogium illud in aurem eius ſuſurra dicens, *Ingredere benedicte* Matth. 21 *Domini, cur foris ſtas?* Nam ſi hunc benedictum deuote acceperis, non imbenedictus manebis. Maior arcâ hic. Si ad arcæ ingreſſum benedicebatur Obededum domus, non ad 2. Reg. 6. Chriſti introitum, amans benedicitur ſpiritus?

De Spiritus huius pro nobis traditione.
Notula 4.

IAM quarto de huius benedicti Spiritus, in XLIIII. cruce pro nobis traditione conſiderandū, quomodo, ſcilicet traditus ſit, quomodo *incli-* Mar. 15. *nato capite tradidit ſpiritū,* & emiſit, & hoc voce magna, clamando. Qui quidem clamor (vt Vbertinus in ſua quarta parte pulchre proſequitur) magni fuit valoris, & efficaciæ,

Nā:
- { Excitauit Patrē, Terruit hoſtē, Manifeſtauit ſe Deum, Animauit Hominem, } ad { Exaudiendum; Fugiendum; Confitendum: Congrediendum. }

Ante enim plures clamauerunt, nec exaudiuit eos Deus; ſed huius vnius, cuius oratio non fuit rauca raucedine peccati, *pro reueren-* Heb. 5. *tia exaudita* eſt à Patre: iuxta illud Pſ. 16. *Ego clamaui, quoniam exaudiſti me Deus.* SECVNDO elamor iſte in tradendo ſpiritum, *terruit hoſtem,* ad fugiendum, quia erat victoriæ ſignum: In cuius figura, cum veniſſet arca in caſtra, vociferatus eſt omnis Iſrael clamore grandi & Philiſtei audientes vocem clamoris dixerunt, *Quænam eſt hæc vox magna cla-* 1. Reg. 4. *moris?* &c. Sequitur, *Timueruntque Philiſtei, & ingemuerunt dicentes, Væ nobis,* &c. Sic diaboli territi ſunt clamore Chriſti. Tertio manifeſtauit ſe Deum; Cum enim morientes, deficientibus vitalibus ſpiritibus, vix valeant reſpirare; inſigne Deitatis fuit, quod morti immediate propinquus, ſic alte clamauit; Vnde *Centurio videns, quod ſic clamans expiraſſet, confeſſus eſt, Vere Filius Dei erat iſte.* QVARTO Luc. 23.

is

Digitized by Google

is clamor animauit martyres ad congrediendum: Clamor enim Ducis, animat milites ad pugnam: Cuius pulchra figura ſcribitur
Iudic. 7. de Gedeone, & ſocijs eius, qui conclamauerunt Deo, & Gedeoni, & vicerūt. *Tradidit ergo Spiritum clamando.* Item tradidit animam, in manus Patris ipſam commendando, dicens, *Pater in manus tuas, commendo Spiritum meum.*

Quod eſt verbū {
- Miræ recommendationis electi collegij.
- Doloris intenſiſſimi.
- Victorioſiſſimi triumphi, vt proſequitur deuote Vbertinus vbi ſupra.
}

De huius inuicti Spiritus victorioſo egreſſu, Dauid prædixit. Pſal 145. *Exibit ſpiritus eius*, ſcilicet per ſeparationem à carne, & *reuertetur in terram*, id eſt, in corpus ſuum in reſurrectione; *In illa die* (reſurrectionis videlicet) *peribunt omnes cogitationes eorum* (Iudæorum, & hoſtis antiqui.)

Compvngere nunc anima mea, & viſa tam nobiliſſimi Spiritus traditione doloroſa,
Ier. 6. *luctum vnigeniti* fac tibi, planctum amarum, ſuper ablato, & tradito hoc Spiritu deſiderabili nostrorum tuorum, Nam ſtupenda nimis, nequam & impia erit, anima mea (vt vult Vbertinus) inſenſibilitas tuæ obdurationis malignæ, ſi ad tam exceſſiuos, morientis Ieſu, & Spiritum ſuum, & ſpiritum talem tradentis, clamores; (qui etiam lapides ſcindunt, terram concutiunt, cæli luminaria feriunt, & quod terribilius eſt, mortem ipſam abſorbendo degluriunt) non tota profundaris in profluuiū lachrymarum, faciens tibi planctum amarum, ſuper talis ſpiritus traditione. Nec te iam rationalem creaturam repures, vel ſaltem inſenſibilem petram; ſed infernalem malitiam, & diabolica ingratitudine induratam, ſi ad tanti clamoris vocem non frangaris; ſi ad talis Spiritus traditi commemorationem non compungaris; ſi ad tanti piaculi recordationem, compaſſiua pietate non molliatis.

Hæc ille. Super eſt circa huius Spiritus traditionem, alia plurima materia deuotionis: puta de ratione, de modo traditionis. Offeruntque ſe hic quæſtiones quædam affectiuæ pariter, & intellectiuæ; puta ſi violentia Spiritus fuit ablatus, ſi ſine paſſione aliquando abſceſſiſſet, itemque ſi plura perferre potuiſſet.

De huius Spiritus exaltatione ſublimi.
Notula 5.

XXXXVI Luc. 14. Postremo conſideranda occurrit huius Spiritus exaltatio ſublimis. Nam omni humilianti exaltatio debetur, & ergo ſicut ſe ſumme humiliauerat, tradendo ſeſe in mortem; ita æquam exaltationem accepit, & gloriam: iuxta illud Apoſtoli. *Propter quod & exaltauit illum* &c. O vere excelſum præ Regi-
Phil. 2. Pſ. 88. bus terræ, & omnibus etiam ſummis ſpiritus illis, exaltatum ſpiritum! Cuius Spiritus benedicti altitudo ex his conijcitur,

Quia {
- Deo inſeparabiliter ſemper vnitus,
- Inter omnia creata perfectiſſimus,
- Iugi fruitione, etiam in terris beatus.
}

Quomodo ergo, putas, is Spiritus eſt iam glorioſus in cælis, qui tanta gloria, & altitudine præditus fuit in terris? Vere amplior, & fælicior eſt huius vnius Spiritus diuini gloria, quam ſint omnium electorum ſimul in vnum coaceruata gaudia: Vnde & iſte Spiritus ſolus clarius conſpicit, ac ardentius perfruitur, ac diligit ſummam ac perfectiſſimam Trinitatem; quam omnes mentes creatæ ſimul ſumptæ. Quis quæſo, (taceo de eſſentiali beatitudine Spiritus huius) quis vel accidentalia gaudia eius mente, vel ex parte attinget? Quis gloriam illam *in quam patiendo intrare oportuit*, & iam intrauit? Quis *nomen illud ſuper omne nomen*? quis honorem cælici exercitus commemorabit? Puteus hic altus nimis; nec vas intellectus habeo, quo haurire poſſim. Vnde ſitiens, *quemadmodum ad fontes aquarum, ceruus*; ita ſitio Domine Ieſu videre Regem hunc in decore ſuo. O quando veniam? quando ſpiritum hunc facie renus contemplabor? *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*, & huic beatiſſimo viuifico ſpiritui coniugi. O *imple tu in bonis deſiderium meum*, ô Spiritus *Sancte*, ô Spiritus *recte*, ô Spiritus *principalis*: Reforma deformem meum ſpiritum, quo poſt attingam ad videndum decoratum te, in gloria ſpirituum, per traditionem illam Spiritus tui. Amen. Luc 13. Phil. 2. Io 4. Iſ. 41. Eſa. 33. Phil. 1. Pſ. 40.

MEMBRVM IIII.

De quarta huius Agni portione, videlicet de inteſtinis.

Cvm *inteſtinis vorabitis*. Exod. Per hæc inteſtina intelliguntur (ſecundum Doctores) occulta gratiarum Chriſti myſteria: Circa quæ hæc occurrunt conſideranda, quomodo benedictus iſte Dei Agnus habet in ſuis inteſtinis, id eſt, in interioribus animæ, præter dicta, omnes gratias, XLVIII. Exo. 12.

Scilicet {
- Communes, } Cū in { Pluribus cōmuniter.
- Speciales, } Cū in { Aliquib⁹ ſingulariter.
- Priuilegiatas. } Cū in { Se ſingulariter.
}

Quid ni haberet omnes gratias *de cuius plenitudine accipiunt omnes eas*? Omnes dico, omnes quia & Angeli omnes, & homines, quorum omnium eſt caput influens eas. Quicquid igitur vnquam boni fuit in creaturis; per excellentiam exceſſiuam, eſt in Chriſti noſtri inteſtinis. Si enim (iuxta Diuinum Dionyſium) ſuperiores Angeli inferiorum proprietates habent, cum excellentia earundem; quid non habuiſſe putandum Chriſtum omnium Dominum; potiſſimum cum *vnxit eum Deus præ conſortibus ſuis*? Cum & Apoſtolo teſte, *ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*; ita vt Damaſceno teſte, primitias noſtræ maſſæ accepit. Habuit igitur gratias omnes communes. Io. 1. Pſ. 44. Rom. 11.

§ 1. *De gratijs communibus.*

XLVIII. GRATIÆ autem *communes* (iuxta Albertum) ſunt hæ, Scilicet,

Theologales, Cardinales. Virtus,	*Spiritus ſancti.* Dona,	*Sacramenta.* Sacram.
Fructus Spiritus, Fructus,	*Beatitudines,* Beo.	
Gratia gratis data, Gratia,	*Aureola fructus.* Præ,	*Coniugum, virginum, viduarum.* Stat.

Copioſiſſima offertur hic dilucidanda meditationis materia; videlicet de ſingulorum horum, ad Chriſtum applicatione, de modo quo has virtutes habuit, & huiuſmodi. Scribunt de his latiſſimè Doctores, ſuper tertium ſententiarum, & S. Thomas in tertia parte ſuæ Summæ; mouens plurimas circa ſingula quæſtiones, quas hic recenſere, aut diſſerere longum eſſet; vnde remittimus ad illos; hoc vnum dicentes, quod firmiſſimè eſt tenendum, quod ab inſtanti ſuæ conceptionis anima Domini Ieſu omni impleta eſt gratia habituali, donis quoque Spiritusſancti, omnique ſapientia, & virtute, nullam prorſus imperfectionem habens. Fidem autem, & ſpem non habebat, quoniam diuinitatem beatificè ſemper vidit. Eodem etiam tunc, impleta fuit omni gratia gratis data, ſcilicet gratiæ Propheticæ, miraculorum, linguarum, diſcretionis ſpirituum, cæteriſque enumeratis; ita quod in omnibus his nunquam profecit, quantum ad habitus ipſos infuſos (vt vult Dionyſi. Carthuſien.) nec quantum ad præmium eſſentiale, nec ſibi de illo præmio aliquid meruit. Interea eodem inſtanti prædicto humanitas Chriſti omni creaturæ prælata eſt, & omnem poteſtatem in cælo, ac in terra, à verbo recepit. Quia (vt aſſerit Damaſcenus) hoc penitus condecens fuit, vt mox ex quo humanitati communicatum fuit illud bonum immenſum, videlicet *perſonale, vel hypoſtaticum eſſe verbi,* per quod homo verè eſt Deus, cætera quoque omnia bona iam dicta, quæ creata ſunt, atque finita, communicarentur eidem. De hac tamen omnipotentia animæ Chriſti, Doctores quas, præterimus, quæſtiones habent.

Et notandum, quod non modo fiet conſideratio prætactorum in genere; verumetiam, vt magis magiſque moueatur homo, deſcendendum eſt ad ſingulas ſpecies, & partes; tam integrales, quàm ſubiectiuas. Cardinalium virtutum, & cæterarum. Vtilius enim, & prægnãtius eſt, conſiderare virtutes Domini in ſpecie, quam in genere ipſo; puta de humilitate, paupertate, charitate, reuerentia, obedientia, & cæteris Domini Ieſu. O qui ſic ad ſingulos virtutum flores, in hunc *hortum concluſum*, in hunc Paradiſum delitiarum, in hæc Domini inteſtina deſcenderet, contemplandos, odorandos, miro reſpergeretur odore. Deſcendamus itaque exempli cauſa in hanc areolam virtutum, votemuſque vel pauca, de inteſtinis huius Agni, pauculos ex hoc horto legamus flores. Cant. 4.

De charitate Chriſti.

Notula 1.

XLIX. ET in primis *Roſam charitatis* Domini Ieſu intueamur; de cuius charitate, poſſet fieri longus ſermo; puta de charitate eius ad Deum Patrem, item ad proximum fratrem; Diligit Chriſtus Patrem, inquantum eſt Deus, & Spiritum ſanctum amore immenſo, & prorſus infinito: Sed hanc amationem diuinam quis enarrabit? Quantum Deus Pater amat Deum Filium, tantum Deus Filius Deum Patrem. De qua dilectione, & mutua fruitione, ſuperbeatiſſimæ Trinitatis inter ſe, deuotiſſimè ſcribit Dionyſius Carthuſien. in de Contemplatione, declarans, quoniam illic omnis ratio concurrit amoris, cuius verba prolixum eſſet ponere cuncta, videantur ibi.

Porro inquantum Chriſtus eſt homo, non diligit Patrem amore infinito, quoniam ipſe, vt ſic eſt finitus; ſed tamen maiori, ac magis ardenti, quam omnes ſimul electi qui ſunt, vel fuerunt. Dominus enim Ieſus omnibus diligentibus Deum diligentior; neque ſolum diligens, verum in vertice, & cacumine dilectionis conſtitutus, amans Dei, & omnium amantium amantiſſimus; adeo vt amor, & ardor Seraphicus, eius amoris comparatione languens quidam tepor habendus ſit. Imò omnis amor beatorum, & Sanctorum, velut *ſtilla ſitula*; ſic ad abyſſum amoris illius creati. Cuius amoris magnitudinem æſtimandum Dominus Ieſus ex magnitudine obedientiæ ſuę deſignauit dicens: *Sed vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio, ſurgite eamus hinc.* Igitur ex menſura obedientiæ ſuæ, menſura dilectionis eius, cognoſcenda proponitur. Sed *maiorem dilectionem nemo habet, vt animam ſuam quis ponat pro amicis ſuis*: ergo &c. *Item* ipſe eſt Rex gloriæ, regnum amoris fundans; valdè ergo ſuper omnem æſtimationẽ amans. Item, ipſe plena diuini amoris, etiam ſummis ſpiritibus, imago. Intenſum ergo oportet eſſe eius amorem. Quomodo enim amorem Seraphicum incenderet, non dico amor, ſed feruor tepidus? Chriſtus autem homo incendit Seraphin ſupremum &c. Habet enim complures verè deuotiſſimas de hoc amore notulas Doctor quidam, diſtinguens triplicem amorem Domini Ieſu, Scilicet, Io. 14. Mat. 26. Io. 15.

In { Seipſum,
Totam Eccleſiam ſuorum fidelium,
Deum Trinitatem. }

Sed quid multa dicere iuuat, vbi omnia indicibilia? *Vis noſſe quantum te amarit? attende quantum pro te fecerit.* O væ tibi omni chriſtallo infrigidatior anima, quæ tanto charitatis igne non incaleſcis. O amor Ieſu accende me. O amoris exemplar ſequar te.

Digitized by Google

De humilitate Chriſti.

Notula 2.

§ L. Eſſent in hunc modum de Viola humilitatis Domini Ieſu, deque lilio caſtitatis, item de flore paupertatis diſſerenda, niſi prolixitas obſtaret. Quis enim Chriſto humilior? quis Chriſto caſtior? quis item eo vnquàm pauperior? Paſſim de virtutibus his, Doctores in ſuis ſcriptis agunt. Habet Gerſon ſermonem de Humilitate Domini Ieſu, item habet plurima Vbertinus. Et plurima deuotionis plena de virtutibus Domini Ieſu ponuntur in vita Mariæ de Oegenes. Bonum quidem eſſet nobis immorari, ſed paucis dici non poſſunt.
Obſerua. Quiſquam quanto amantior Dei, tanto humilior, tantoque pauperior, &c. Attende hæc exemplaria virtutum ô anima mea, virtutum inops, in Domino virtutum: Videque è regione, quantum diſtes à perfectionis exemplari, & toto corde exora, quo eius virtutibus pertiaris. Nulla enim alia tibi propior, breuior, perfectior via, ad virtutum diuitias conſequendas, niſi à Domino eas expetere virtutum, vt docet Mechtildis.

§ 2. *De ſpecialibus gratijs Domini Ieſu Chriſti.*

LI. SECVNDO iam de *gratijs ſpecialibus* Domini Ieſu agendum. Quocica notandum, quod Dominus Ieſus habuit omnes gratias ſpeciales, & hoc ſecundum omnes modos,

Quo, ſcil. ad {
Generationē, & vitæ ingreſſū.
Conuerſationem, & vitæ progreſſum.
Mortem, & vitæ egreſſum.
}

Speciales gratiæ *quo ad vita ingreſſum*, Iuxta Albertum,

Sunt { Præfiguratio, Prophetizatio, Annunciatio, Mira cōceptio, Spiritualis repletio, } domin⁹ Ieſ⁹ { Omnibus rebus præfiguratus; Omnib⁹ Prophetis prædictus; A Gabriele prænunciatus, Mirificè nimis cōceptus, Hypoſtaticè Deo vnitus, }

Omnes igitur has in ſummo habuit, vt intuenti patet. Quo ad *vitę progreſſum* gratiæ ſpeciales ſunt,

Scil. { A Deo diligi, Amic⁹ Dei dici, A culpa cuſtoditi, } Domin⁹ Ieſus { Præ omnibus dilectus, Filius Dei nominatus fuit, Nec peccare potuit. }

Has quoque in vertice tenuit.

Gratie ſpeciales circa vitæ egreſſum ſunt,

Scil. { Mortem præſcire, Voluntariè mori Animam ponere, } Dominus Ieſus. { Præſciuit, quia totiēs prædixit. Deſiderantet mortuus, Quia voluit oblatus eſt. }

Patet ergo, quòd omnes omnino gratias ſpeciales, & in ſummo habuit, nec ab vllo vnquā illuſtrium victus fuit. Abundantiſſima hic offertur meditationum deuotiſſimarum materia, quæ acutè intendenti ſatis eſt manifeſta. O igitur hunc Dominum admiremur; huic donato ex intimis congratulemur, petentes, quo de ſuis bonis communicet etiam nobis.

§. 3. *De gratijs ſingularibus Ieſu.*

POSTREMO de gratijs *ſingularibus* ſupereſt videndum: Harum aliquas Albertus enumerat, declarans, quomodo Matrem, & omnes Sanctos priuilegiatos præcellit. Et quid mirum ſi Rex præſtet militi? Dominus ſeruo? fons riuo? Et ſunt iſtæ, LII.

1. Non peccauit, nec in peccato conceptus, nec peccare potuit.
2. In inſtanti omni gratia plenus, omne meritum habuit.
3. Plenitudinē datiuā inſtar ſolis habuit.
4. Virgo Virginis filius fuit.
5. Pater virgo per creationem extitit.
6. Pater omnium multiplici iure fuit.
7. Filios verbo, non carne genuit.
8. Omnium ſcientiam habuit, omni bono plenus fuit.
9. Ipſe lux mundi, & Oſtium fuit.
10. Ipſe nomē ſuper omne nomē retinet.
11. Pater miſericordiarum, & Rex gloriæ dici meruit.
12. Omnium dignitates, omnium ſtatus, omnium dotes, vel per ſe, aut æquiualenter excellentiſſime habuit.

Hæc corona Stellarum 12. qua Rex gloriæ coronatum, quam ſibi non vendicet alter? Hæc enim ſunt priuilegia ſingularia, nec alteri cuiquam conceſſa; Et ſumuntur ad inſtar priuilegiorum Mariæ, quæ Albertus ponit, ſed per exceſſum. Vnde qui hæc plene intelligere volet, illa legat oportet.

Perſpiciat iam, qui poteſt, quàm tota ſit pulchra anima Chriſti, quanta gloria in inteſtinis latitat occulta, vt vere dictum ſit, *Omnis gloria eius ab intus.* Gratia nempe (iuxta Dionyſium Carthuſ.) ſupernaturale eſt ornamentum, Pſ. 44.
ſplendidus decor, & lumen præclarum mētis creatæ, eius eſſentiam perornans; quam ergo pulcher, qui omnes omnium gratias tenet. Gratia quid.
Vere deficit ſermo in horum effatu: Nulla quippe naturalis perfectio, forma, aut claritas his poteſt æquari; Non tantum, neque tā pulchre ornat lux cæleſtis, ſubſtantiā Solis, & Lunæ, quantū decorat gratia eſſentiam animæ: Nec Sol tantum venuſtat regionem cęleſtē; quantū charitas Dei venuſtat animæ voluntatē. Sed nec ſeptē ſplendiflui planetæ catenus ornant orbes cæleſtes, quantum ſeptēm dona Spiritusſancti ornant atque clarificant animę vires: Neque vniuerſitas ſyderum tantum decorat ac perficit firmamentum, ſeu ſpherā octauā; quātum vniuerſitas cæterarum virtutū dignificat, ornat, & perficit animā. Itaque eluceſcit quod ſola pulchritudo creata animæ Chriſti, atque inteſtinorum, maior, plenior, atque amænior fuit, pulchritudine ſpirituali

omnium

omnium electorum pariter acceptorum. Eſt item infinitæ pulchritudinis; immediatè, & hypoſtaticè, iuncta fonti omnis pulchritudinis. Congratulare igitur ô anima mea pulchritudini Domini Dei tui, & ſancta ſuperbia efflate, quod tantarũ gratiarũ receptaculũ, & hoſpitium fieri digna es Quo igitur ſplendore? O quam glorifica luce putas coruſcas, ô anima mea, ſuſcepto in intimis
Rom. 13. iuſtitiæ ſole? *Abijce* ergo *opera tenebrarũ*
Io. 1. *& armis his lucis induere:* Ora, quò de pleni-
Pro. 5. tudine ſua accipere merearis, vt *fontes eius deriuentur foras.*

MEMBRVM V.

De huius benedicti Agni quinta portione, hoc eſt de pedibus.

LIII. *QVam ſpecioſi pedes annunciantis pacem.* Eſa. 52. Id eſt, Domini Ieſu, qui pacem annunciauit, in ortu, progreſſu, & exitu: De cuius pedibus, tanquam de quinta portione iam agendum. Exod c. 12. *Caput enim cum pedibus vorari* iubetur Agni. Pedes autẽ huius Agni, ſunt opera humanitatis eius: vt volunt Doctores; Quæ opera humanitatis, in Euchariſtiæ ſacræ acceptione ſingulariter ſunt ruminanda, & deuotè meditanda; eo quòd ipſũ Sacramentũ eorundẽ operũ ſit, & mortis memoriale ſignũ; iuxta illud Domini Saluatoris, Luc. 20. *Hoc facite in meam commemorationem.* Et illud Apoſtoli, 1. Cor. 11. *Quotienſcunque manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Hæc portio eſt portio deuotorũ; Hæc eſt lac ſimpliciũ; imo & doctiſſimorũ: Hanc ruminare Patres illi Heremicolę (teſte Odilio Abbate) ſolebant, & ſic vitã mãducabant. Sic Paulus primus Heremita mãducabat, etiã temporibus illis, quibus mortalẽ nullũ (ne dixero Sacerdotẽ cõmunicantem) cernebat: Sed mãducabat, quia credebat, & quod credebat, crebro commemorabat, & quid commemorabat, diligenter cõſiderabat, ruminabat &c. Et in omnibus his mortẽ Domini annunciabat. Et cui? niſi ſibi ipſi? Et qualẽ mortẽ? & qualis mortui? & quare mortui? niſi quia cum ſanctiſſimus eſſet, & exaltandiſſimus, voluit interim exinanitus gloria ſua humiliari, charitate Dei præcipientis obedientiam *vſque ad mortem, mortem autem crucis*? Sic oportet annunciare, vt ſic mens in amorem propter ſe mortui Domini, poſſit inflammari. Vnde nec ſancta Mechtildis communicare audebat, niſi ante hoc memorata fuiſſet, vt ſupra.

§. 1. *Pes ſiniſter Chriſti: opera meritoria & labores.*

LIIII. SEd vt ordinatius de hac portione, quẽadmodum, & de cæteris agamus, iuuat huius agni rationalis, duos diſtinguere pedes, ſecundum eius opera, quę ſunt ſub duplici differentia: Pes ergo dexter, ſunt opera victorioſa, & gaudij: Pes ſiniſter, opera laborioſa, & mœroris Et pro cuiuſque pedis perfectione, cuiq; poſſunt aſſignari quinque digituli, & cuique digitulo tres articuli Digituli ſiniſtri pedis, ſunt hi qui habentur in verſu. Articuli tres cuiuſque ponuntur in Gloſſa interlineari.

Præfiguratus, Vnitus, Concluſus. — *In Paupertate, Humilitate, Auſteritate.* — *Docendo Mira faciendo, Sanando.*
Conceptus, Natus, Vixit,
Ignominioſam, Acerbam, Peremptoriam, } mortem, { *Corpore in tumulo, Anima in lymbo. Obſeruatus cuſtodibus.*
Paſſus, Tumulatus.

De ſingulis his copioſiſſima materia ſe offert, quã deuoti, quia in quotidianis ſuis exercitijs habent, nõ magnopere ei immorandũ hic, quoniã hæc plenius Bonauentura, Vbertinus, & Ludolphus proſequuntur, & de ſingulis digitulis, ſingularia Roſaria confeciſſe me memini; parumper tamẽ tangendũ, pro forma exemplari, danda paruulis, ſeſe exercitandi in iſtis.

Contemplatio de primo digito, id eſt Chriſti cõceptu, & antecedentibus. Notula

QVotienſcunque igitur acceſſerimus, commemoremus, & fide teneamus, LV
quod illic ſumimus Dominum Ieſum, tam *multipliciter à Patribus præfiguratum*; hic de figuris; tã *votiuè à Prophetis deſideratum*; hic de deſiderijs; tã *veraciter, & vtiliter, à Deo Patre exhibitum*; miſſo Gabriele, Virgine præbente aſſenſum, Spirituſancto ſuperueniente, tam mirificè conceptum; hypoſtaticè vnitum, inſtantanea operatione, quia Diuinæ poteſtatis virtute; eodemque inſtanti omni gratia, & virtute (vt ſupra) adornatum, & repletum; Propter te tamen; licet à creationis inſtanti perfectus fuerit, nouem menſibus virgineo vtero concluſum, & immoratum. Attende hic ô anima mea, Diuinam illam bonitatem, qua ſuæ ſe creaturæ tam liberaliſſimè communicauit; & ita (ſcilicet hypoſtaticè) communicauit. Vide dignationem, quia quanto verbi aſſumentis ſublimior eſt maieſtas; & humanitatis aſſumptæ maior decliuitas; tanto copioſior Dei dignatio in ipſo oſtenditur, in creationis myſterio. Hic ſummus Dei Patris amor, Filium tradentis elucet. Hic pietas Spiritus, conceptui cooperantis pateſcit. Sic, ſic, iuſtitia, miſericordia, ſapientia, & potentia, ſummè in Chriſti incarnatione, vt deuote proſequitur in ſuo de contemplatione Dionyſius, elucent. Nam incarnatio, & myſterium Chriſti, præclariſſimus eſt liber, & vniuerſæ contemplationis altiſſimum, delectabiliſſimumque obiectum, in quo clarius Dei proprietates relucent, quàm in toto vniuerſo. Iuxta quod Hugo ait, quòd duplex eſt ſimulachrum cognoſcendi creatorem: Vnum naturæ ſpecies, ſcilicet mundi. Aliud gratiæ, ſcilicet humanitatis Saluatoris. Tranſi ô anima omnes circa incarnationem, circa conceptum huius Dei tui quæſtiones, tranſi conſiderationes intellectiuas, pleno tantum affectu rue in amplexum Filij Dei, iam te oſculantis. & vide, quod non minoris eſt dignationis, Sacramentalis iſta dignatiua aduentatio, quam fuit illa, imò etiam aliquo ſenſu maior, quam incarnatio.

Digitized by Google

De ſecundo digito, id eſt de Chriſti pueritia.
Notula II.

LVI. HIc eſt etiam idem ipſe, qui modo tibi exhibetur in Sacramento, qui pro te naſci
non dedignabatur, in Bethleemitico Tugurio;
Luc. 2. Hic eſt, qui pannis inuolutus, hic qui in præ-
Luc. 1. ſepio pro te beſtiali paſcendo eſt reclinatus.
O, gratias age illi. Hic qui fulget in cœlo,
hic qui nunciatur ab Angelo, & qui collaudatur à cæleſti exercitu, hic qui à Paſtoribus quæſitus, hic qui à Magis adoratus, hic
Mat. 2. propter te circunciſus, hic propter tuorum
peccaminum redemptionem, in Templo eſt
Luc. 2. præſentatus. Hic demum ille eſt propter te
Mat. 2. in Ægyptum fugatus, ſeptennio illic commoratus. In terramque Iſrael reuerſus, parentibus ſubiectus, & ſic de alijs, quæ Euangelica narrat hiſtoria, Concurrite nunc
omnia intima mea, & ſingula amplectamini.
Complectere anima mea nunc naſcentis præſepium, & pueri pedibus labia figas, & oſcula
gemines, Circunciſi ſanguinem collige, cum
Magis munera offer &c. Nunc cum beato illo ſene exulta, & cum plena fide velatum ſuſcipe inter vlnas amoris Deum, & cane cum
Cant. 3. ſponſa: Tenui eum, nec dimittam, tripudiaque cum illo beatiſſimo Symeone. Et concinens clama,

Nunc dimittis ſeruum tuum Domine. Noli
Luc. 2. etiam fugiendo in Ægyptum, matrem & par-
Cant. 3. uulum relinquere incomitatos. Noli cum dilecta quærente dilectum, donec inuenias ab
inquiſitione ceſſare. Et vt ad ſummum dicam,
omnibus te præſentem exhibe, omnibus cordialiter afficere, omnibus gratias age. Et vbi
videris, quod Dominus tuus talia pro te agit,
noli tu animæ tuæ negligere ſalutem; ſed eſt
obſequere, illius amori inhære, & ne hæc in te
deperdita eant ora.

De tertio digito: vita Chriſti.
Notula III.

LVII. SEd iam vitam intuere, imò totius Euangelici memorare decurſus, & miras illas permixtiones ſublimium, atque inſignium, ex
parte Verbi aſſumentis, humilium quoque
& decliuium, ex parte naturæ aſſumptæ,
prout te præmemoratus Dionyſius docet,
loco præmemorato contemplare, vt ſic
vtrumque ex alio, amabilius tibi ſit, atque
ſuauius. Etenim diuinitatis eius inſignia, ſeu
diuinorum operum ſublimia, ex hoc nobis
— dulciſſima, atque amabiliſſima redduntur,
quod per eum, & ab eo peracta ſunt, qui noſtræ conſors eſt naturæ, frater, & proximus
noſter. Nonne tota ciuitas, vel etiam integra
patria gaudet, dum vna eius perſona, aliqua
exercetur contra hoſtes, vel in alienis prouincijs, aut contra extraneos victorioſè? Itemque
magnificè. Quantum ergo in Domino gloriari
debemus, quod vnus de fratribus noſtris tam
victorioſa, ſupernaturalia, præclariſſima, ac diuina molitus eſt, ſicut de Domino Ieſu ſancta
docet Scriptura.

Rurſus humanitatis Chriſti humilia, tanto
ſunt nobis honorabiliora, dulciora, & amplius
diligenda, quanto is qui pro nobis illa egit ac
pertulit, extat ſublimior. Nónne ignobilis homo magis appretiaretur, ac reputaret, ſi filius
Regis mortis ſe periculo pro ipſo offerret, quã
ſi vilis hoc faceret perſona? Cùm ergo qui tãta
pro nobis humilia fecit, pœnoſa ſuſtinuit, ſic
homo ſit, vt verus ſit Deus; imò etiam ſecundum humanam naturam cunctis prælatus, ac
dignior; eluceſcit, quod humilia ac decliuia,
quæ de ipſo leguntur, ſint nobis ex hoc incomprehenſibiliter veneranda, diligenda ac
dulcia.

Eya ergo, ô anima mea reliqua percurre,
coniunge ſumma imis, alta baſſis, diuina humanis. Nam triginta annorum venit inter pec- *Ioan. 1.*
catores, vt homo baptizandus; ſed teſtificatus
eſt apertis cælis, reuelatione Trinitatis Deus,
& Dei Filius: Sic dum famem pertulit, ei Angeli miniſtrabant: Sic totus vitæ decurſus im- *Matt. 4.*
miſcetur diuinitatis inſigniis, vt docet Dionyſius. Et quoniam omnis Chriſti actio, tua eſt
inſtructio, vide ſingula quæ agit. ſequere quocũque ierit; & inuenies, quod omnis eius actio
eſt perfectiſſima; vnde & *Theandrica*; id eſt virilis (iuxta diuinum Dionyſium) eſt nominata.
Omnis doctrina ſaluberrima, conſilia ſapientiſſima, & conuerſatio tota in omni perfectione ſancta; huius doctrinæ te conforma, conſilia
obſerua, ſectare conuerſationis veſtigia. Qui
enim ſequitur eum perueniet ad eum per eum, præſtante eo. Amen. Beneficia quæ contulit attende, quàm in omnibus peccatoribus clemens
fuerit perſpice, ſpem concipe, & vt tui peccatoris miſereatur, pete. Eiuſdem eſt miſericordiæ nunc, cuius fuit tunc: Accurre ergo confidentius; Excipe eum mentis hoſpitio deuotius cum Martha: Obſequere cum Magda- *Luc. 10.*
lena, commanduca cum peccatoribus & Pu- *Luc. 15.*
blicanis.

De quarto digitulo, id eſt, de paſſione Chriſti.
Notula IV.

ET non ſolum vitam, ſed multo intenſius LVIII.
in ſumẽdo Dominum Ieſum, debes etiam
annunciare paſſionem & mortem. Cuius
commemoratio (ſi fideliter fiat) vera eſt mentis refectio. Verùm dum Chriſti paſſionem
voles annunciare, quatenus affectio incendatur, mens illuſtretur, & tota anima gratiæ
ſplendore perfundatur; non ſolùm ipſa, quæ
Chriſtus tulit, ſupplicia; ſed multo intenſius
contemplaberis eius circumſtantias: puta,
quis, qualis, quantus, qui patitur, cur, propter,
quid, pro quibus & qualibus, patiatur, vt infra in Roſarijs. Attende quoque circa hanc
Domini paſſionem (vt docet Raynerius) actũ
neceſſarium, principium effectiuum, modum
mirificum, locum congruum, ſupplicium maximum. Quæ omnia diffuſius proſequitur
in ſua Pantheologia. Verùm circumſtantias paſſionis breuiter, ſed deuotè; tangit
Dionyſius, tractatu vbi ſuprà. Expergiſcere hic anima deuota, & cuncta quę de Domino
tuo, à die ipſo Palmarum, in mortis vſque

Digitized by Google

horam dicuntur, deuotè retracta, deuotius gratias age, & ſectare veſtigia; Quoniam ſi
Luc. 24. *oportuit eum patiendo, intrare gloriam ſuam:* non tu, niſi patiendo, ingredi poteris alienam.

Rumpe moras igitur, Impone ſilentia carni:
Delitias ſuſpende tuas, & currat ad arma
Prōpta manus, plangatq́; moras dilata voluptas
Tolle tuam, tulit ipſe ſuam, &c.

De quinto digito ſiniſtri pedis, id eſt de Chriſti ſepultura. Notula V.

LIX. SEd vbi omnia aduerſa ſunt luſtrata, ſepultura Domini nequaquam tranſeunda: in qua grandis Dei dignatio, paupertatis, & multarum virtutum eruditio, numeroſáque relucet myſteriorum multitudo. Non ſolum dignatus eſt mori; ſed Dominus cœli etiam voluit tumulari in corde terræ. O dignationem! Et ſicut natus eſt in Diuerſorio; ſic ſepultus eſt in ſepulchro alieno; paupertatem & ſolitudinem nobis commendans. Omnis autem huius ſepulturæ circunſtantia, eſt noſtræ ad Sacramētum diſpoſitionis doctrina: Quiſquis enim dignè Sacramentaliter volet Chriſtum ſepultum propter nos excipere; oportet, quòd ſtudeat ſe diſponere, vt ſit *hortus* virtualis pullulationis; ſit *nouum* monumentum recenti memoria paſſionis; habeat *aromata* charitatis, & inteſæ dilectionis; aduoluat *lapidem* ſollicitæ obſeruationis, vt ſic Chriſtum ſuſceptum retineat, & dilectum non amittat. Hæc de digitulis ſiniſtri pedis.

§. 2. *Pes dexter Chriſti: opera victoriæ, & gaudia.*

LX. SVnt nunc etiam conſtituendi quinque digituli cum ſuis articulis dextri pedis, id eſt victorioſorum operum Chriſti, & poterunt eſſe iſti,

Corpus glorificauit, apparuit, confortauit. — *In cælum; aperuit, traduxit.* — *Spiritum in ſignum, priuilegiū, annulum.*

Surrexit, Scandit, Miſit,

In æternum; In domo Iacob. Ecclesia militante. — *Iudex, Iuſtus, Sapiens. Potens.*

Regnando, Redibit.

Grandis de ſingulis ſermo fieri poſſet; ſed aperta hæc ſunt cuique meditanti.

Quotieſcunque ad hoc ſacroſanctum Sacramentum acceſſerimus, firma fide meminerimus, quod illic accipimus Dominum Ieſum, non ſolum hominem factum & paſſum, ſed & iam corpore per reſurrectionem glorificatum, decore multiplici indutum, prout Vbertinus pulchrè declarat. Accipimus dico Dominum Ieſum, non iam in terris ambulantem; ſed ad dextram Patris reſidentem, ſpiritum effundentem in totam Eccleſiam militantem, ſimul & triumphantem, triumphaliter regnantem. Accipiſque tuum venturum iudicem, & æquiſſimum tuorum meritorum retributorē, bonos collocaturum ad dextram, per collationem æternæ gloriæ, malos verò poſiturum ad ſini-
Pſal. 109. ſtram, ſcabellum pedum ſuorū, per inflictionem condemnationis & æternæ miſeriæ. Caue itaque, ô anima mea, ne indignius contrectes iudicem tuum: quia licet iā patiens ſileat, tunc quaſi fera raptis catulis ſæuiet, & quaſi Leo in Oſee 13.
te rugiet. O Domine *ne in furore tuo arguas me,* Pſal. 6.
da ne indignè vnquam ſuſcipiam te.

Hęc de pedibus huius Agni Paſchalis, id eſt de operibus humanitatis Chriſti. Quæ dū per intellectū conſideramus, & per memoriā, quia hæc omnia propter nos egit (iuxta Coſueldiū) meminiſſe debemus, vt ſic affectu & voluntate in eū incaleſcamus, & opere & veritate ipſius veſtigia (cum B. Iob) ſequamur, vt ſic ad glo- Iob. 23.
riam eius contuendam, & pulchritudinem contemplandam attingamus.

MEMBRVM VI.

De ſexta portione huius benedicti Agni, hoc eſt, vtilitate & fructu.

ADipe, *& pinguedine repleatur anima mea.* Pſal. 62.
Pſal. 62. *Quaſi modo geniti infantes lac concupiſcite,* 1. Pet. 2. SEXTA PORTIO huius noſtri LXI.
agni, eſt vtilitas & fructus eius: Nam ſicut is agnus fuit in ſe ſanctiſſimus, ita nobis fructu vberrimus. Pro quo notandum, quod agnellus iſte fructus nobis germinauit.

Et in { Terris ambulans, / Cruce pendens, / Sacramēto ſe occultans, } Semper ergo vtilis fuit.

§. 1. *De fructu quem protulit Agnus in terris.*

NAm dum in terris ambulauit, duo bona dedit.

Puta { Lanam exemplaris conuerſationis: / Lac ſalutaris eruditionis.

Omnis enim Chriſti ſacra cōuerſatio, quid a- Perpendas.
liud fuit, niſi nuptialis, quo ornaremur, veſtimenti cōtextio? *Omnia enim opera ſua operatus* Eſa. 26.
eſt in nobis: imò ſeſe veſtem dedit nobis. Vnde
Apoſt. clamat, *Induimini Dominū Ieſum Chriſtū.* Rom. 13.
O verè purpura Tyrio etiā veneno contexta, veſtis ſublimior, omni preſtantior, ſuperbiſſimo licet cultu habitus. Quis iam ciuis beatæ illius & ſanctæ ciuitatis Hieruſalem, nō votiuis hominē illum ocellis inuiſet? quis nō Angelorum etiam, Seraphici licet ſit ordinis, illi homini aſſurget? quem, non dico ſui regis cōuerſatione; ſed & Rege ipſo Regū tā dignāter conſpectant habituatū? Et tamē puto quod toties Chriſto induimur, quoties dignè Sacramento eius participamus. Vbi iā veſticolæ, iſti? vbi qui ſplendido ardēt habitu ſuffulciri? Huc accedant, & voti cōpotes fient. Hic iā grandis meditationum ſe copia offert, ſcilicet de perfecta & exemplari cōuerſatione Domini Ieſu; vbi potes in genere videre, quod habuit ſe,

In omnibus { Obedientiſſimè, / Seueriſſimè, / Charitatiuiſſimè, / Prudentiſſimè, } Reſpectu { Pat. diuini / Sui, / Proximi, / Aduerſarij

Itemque quomodo in omnibus ſuis operibus (vt Bonau. ait)

Monuit eū diuina volūtas, vt { Cognita, / Amata, / In reuerétia habita } per { Intellectū, / Sapientiá, / Timorem.

Mouit

Mouit	Humana neceſſitas, vt	Cognita.	per	Scientiam.
		Miſerata.		Pietatem.
	Virtutis ſtrenuitas, vt	Prouida in eligendo.	per	Conſilium
		Vigoroſa in perferẽdo.		Fortitudinẽ

In omnibus ergo operibus fuit perfectiſſimus; quippe à Spiritus ſancti donis, actus, & regulatus. Si plenius voles hæc attendere, debes ad particularia exempla deſcendere, quæ longum eſſet ponere, tamen non ſolum conſiderare; ſed magis ſtude ea imitari, quod vt poſſis ora, vt qui dedit exemplum, etiam conferat ſectandi auxilium. Amen.

Iam de altero fructu, quem ambulans Agnellus noſter protulerit, videamus: Et eſt is, *lac ſalutaris eruditionis*, quo paſci nos admo-
3. Pet. 2. net Petrus vbi ſupra, & quaſi potauit illos Paulus Heb. 5. quibus non ſolidum cibum dedit. Verba Domini Ieſu omnibus omnia ſunt facta, lac paruulis, grandibus ſolida eſca. O
Pſal. 118. *quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine,*
Cant. 1. *ſuper mel ori meo: meliora vbera tua vino, eloquia caſta argentum igne examinatum ſuper mel*
Pſal. 11. *& fauum dulciora.* Quis verbi verborum dulcedinem, vtilitatem, quis neceſſitatem perpendet? In talibus viuitur, & in talibus
Eſa. 38. vita ſpiritus eſt. *Verba* (ait verbum ipſum Ioan. 6.) *quæ ego loquor vobis; ſpiritus & vita ſunt.* Verum Domine, *verba vitæ æternæ habens:* Amareſcant quæſo omnia vaniloquia; ſola tua cordi meo, tua verba dulceſcant: illa ſola ruminem: illa iugi mente reuerſer. Sanctificant enim animam, & corpora tua verba: Hic lata rurſus materia offertur de doctrina Domini Ieſu, de commendatione verborum eius, déque dulci affamine eius. Sed hæc in aliis requirantur.

§. 2. De fructus pinguedine, quem ſtillauit in Cruce.

LXIII. HABEMVS ALTERVM principalem fructũ ex hoc noſtro Agno in cruce pendente, ſcilicet vtilitatum pinguedinem. Nam in crucis veru extenſus, igne exceſſiuæ tribulationis decoctus, pinguedinem noſtræ ſalutis diſtillauit, quos etiam ſimul nobis in hoc ſacramento coaceruauit. Quoties enim illud ſumimus, omnibus pinguedinibus vtilitatum eius communicamus. Vnde copioſa eſt & hic materia diſſerendi, ſcilicet de fructibus Dominicæ paſſionis; de quibus paſſim Doctores ſcribunt: Et author Pantheologiæ de illis diffuſius agit, vnde non eſt opus retexere illos. Tãtum ita paſſioni eius, eiuſdémque memoriali deuoti ſimus, vt illorum participes fieri mereamur. Tantum enim quis ex his fructibus (vt ait Raymun.) Dominicæ paſſionis cõmunicabit; quantum (de adultis loquitur) pia deuotione & gratitudine quis applicuerit ſibi, vt in lib. Naturæ declarat. Vt tamen & hic paucula materia aſſignetur, aſſignãdi ſunt verſus, quos author compendij ponit, in quibus habentur fructus & effectus paſsionis.

Viuificat, ſanat, placat, ſanctũ, excitat, armat.
Ducit, debilitat, luſtrat, dulcorat, obumbrat.
Informat, reuocat, ornans, inflammat, honorat
Dat pacem, ſpolians, reparãs, dat gaudia, tutat

PRIMO inquam Dominica paſsio *viuificat* ſpiritualiter, Apoſtolus Col. 2 *Cum eſſemus mortui peccato, viuificauit nos per mortem filij ſui.* SECVNDO *ſanat*, ſcilicet mentis vulnera. Numer. 21. *Aſpicientes æneum ſerpẽtem ſanabantur.* TERTIO *placat* iram paternam. Apoſtolus Coloſſ. 1 *Pacificauit in ſanguine ſuo quæ in cælo, & quæ in terris ſunt.* QVARTO *ſanctificat.* 1. Cor. 1. *Chriſtus factus eſt nobis iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio.* QVINTO *excitat* ad ſpiritualem pugnam. Machab. 6. *Oſtenderunt elephantibus ſanguinem vuæ.* Vnde crux eſt quaſi vexillum. SEXTO *armat*, ſcilicet cõtra mundum, carnem, &
diabolum; vnde ſignatur per clypeum quem *Ioſ. 8.*
leuauit Ioſue contra Hay. SEPTIMO *ducit* per mare huius mundi, vt patet Exodi 8. de virga Moyſi. OCTAVO *debilitat* virtutem dæmonũ. Iob 40. *Quaſi in hamo capies Leuiathan.* NONO
luſtrat, vnde crux eſt, quaſi tabernaculi cande- *Leuit. 24.*
labrum. Eſtque Chriſti paſsio reſerans ſigna-
cula ſeptem. Apoc 5. Thobias illuminatus eſt *Thob. 11.*
per fel piſcis, id eſt, amaritudinem paſſionis Chriſti. DECIMO *dulcorat, ſcilicet aquas* tribulationis. Exod. 15 De ligno miſſo in aquas Marath. VNDECIMO *obumbrat.* Cant. 2. *Sub vmbra illius quem deſiderabam ſedi.* DVODECIMO *informat* per exemplum. Petrus 1. c. 1. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Chriſtus enim nobis eſt, quaſi liber poſitus in pulpito crucis, vt diſcamus obedientiam, patientiam, humilitatem, charitatem. DECIMOTERTIO *reuocat* à culpa. Eſa. 53. *Attritus eſt propter ſcelera noſtra.* DECIMOQVARTO *ornat*, vnde dixit ſancta Agnes, *Sanguis eius ornauit genas meas.* DECIMOQVINTO *inflammat* ad diligendum. Bernard. *Super omnia te mihi reddit amabilem, bone Ieſu, calix quem bibiſti opus redemptionis noſtræ.* DECIMOSEXTO *honorat*, ſcilicet imitatores ſuos. Heſt. 6. *Sic honorabitur, quẽ Rex voluerit honorare;* magna gloria ſequi Dominum ſuũ. DECIMOSEPTIMO *dat pacẽ*, id eſt inter Deũ & hominem, hominẽ & hominem, inter Angelum & hominẽ. Apoſtol. Rom. 5. *Reconciliati ſumus Deo per mortẽ filij eius.* Itẽq; Col. 1. *pacificans per ſanguinem crucis, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt.*
In tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio. DE- *Eccli. 44.*
CIMOOCTAVO *ſpoliat* infernũ. Eſa 8. *Voca nomẽ eius, ſpolia, detrahe, feſtina, prædare.* DECIMONONO *reparat* Angelicã ruinã. Ipſe enim Chriſtus
eſt *lapis angularis, qui facit vtraque vnum, in quo* *Epheſ. 2.*
duo parietes, Angelorum ſcilicet & hominum *conueniunt.* VIGESIMO *dat gaudia*, Sicut enim
ſummus Sacerdos intrauit *in Sancta Sanctorũ,* *Heb. 9.*
non ſine ſanguine, ſic nos per ſanguinem Chriſti in cælum. VIGESIMOPRIMO *tutat* ab inferno & purgatorio: vt patet in exemplo, de illo, qui conſueuerat legere, *Domine propter illam amaritudinem quam ſuſtinuiſti in cruce, maxime quãdo anima tua egreſſa eſt de corpore, miſerere animæ meæ in egreſſu ſuo;* quæ mox euolauit ſine purgatorio.

§. 3. *De adipe frumenti, & fructu Sacramenti*

LXIV. T*Ertio*, ſub Sacramento ſe occultans vtilitati noſtræ conſuluit, & quaſi *adipe frumenti ſatians*, quia fructibus Sacramenti refecit. Psal. 62. Qui autem, & quales ſint huius Sacramenti fructus, non opus eſt hic repetere: quoniam pleniſſimè in ſuperioribus de his proſecuti ſumus, & variis modis, ſecundum varios, illos poſuimus. Oremus, vt ſic Sacramento participemus, vt fructus illos deguſtemus, & frugiferi huius Paſchalis Agni vtilitatibus cõmunicemus: nihil enim eſt in hoc Agno, quod non noſtræ militat vtilitati:

Nam huius Agni {
- Vellus, decentem contexit habitum virtuoſorum habituum:
- Pellis, fouet calorem ſuauiſſimum ſanctarum conuerſationum:
- Viſcera, ſonum reddunt dulciſſimum diuinæ laudis:
- Carnes, optimum præſtant nutrimentum, ſcilicet ſpiritualis roboris.
- Fimus, pinguiſſimam reddit humum adipe deuotionis:
- Nomen, naturalis agnitionis, dat Sacramentum, quia ſuos noſcit.

MEMBRVM VII.

De ſeptima & vltima huius Agni portione, hoc eſt de capite.

LXV. C*Aput cum pedibus vorabitis*, Exod. 12. POSTREMA huius Agni portio eſt *de capite*, id eſt diuinitate Chriſti: *Caput enim Chriſti Deus*, iuxta Apoſtolum 1. Cor. 11. De hoc itaq; capite iam agendum, ſuper quo copioſiſſima materia concurrit; ita vt,

De ſolo capite facies bene fercula quinque.

Quinaria enim principalis conſideratio ſe hic offert, circa Chriſti diuinitatem habenda, præter cætera innumera. Nam ſi plenè de cõtemplatione huius ſuperaltiſſimæ Deitatis volemus agere, plura præmittere oporteret; vtputa de incitamentis inducentibus, de qualificatiuis diſponentibus, de modificatiuis dirigentibus, de practicamentis modum docentibus. Et hæc tantum præparamenta. Tunc ponenda eſſent varia meditabilia, nunc per poſitionem, nunc per abnegationem, in quibus omnis illa materia primi libri Sentent. ſcribentiúmque ſuper eo concluditur, & innumera alia. Sed omnibus his tranſitis, paucula hic meditanda aſſignemus. Scripſit de contemplatione huius ſuperſummæ Trinitatis, Dionyſ. Carthuſ. ſatis deuotè in de contemplatione, legatur ille. Nos hic inſequamur magiſtrum Henricum Conſueldiæ, qui hæc docet circa illud contemplari ſublime caput,

Scili- {
- Communia, vt Eſſentia prima, natura perfecta.
- Propria prædicata, Verbum, Filius, media perſona.
- Appropriata, vt Sapientia, veritas.
- Diuinitatis opera, creatio, gubernatio.
- Beneficia emanantia, & vt cuique propria.

§. 1. *Attributa Dei, & beneficia.*

LXVI. VNde dicit, *Cum* (inquiens) *ad ſacram cõmunionem accedimus, vel etiam cùm ſolum ſpiritualiter Sacramentum ruminamus.* PRIMO *per oculos intellectus, fide firmiſſima debemus contemplari, ibi adeſſe Dominum Ieſum Chriſtum, verum Deum, & æternum creatorem vniuerſorum, per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil;* Ioan. 1. *omnium etiam diligentiſſimum, ac benigniſſimum gubernatorem, reformatorem, glorificatorem, ac beatificatorem Sanctorum omnium, omnipotentem, omniſcientem, atque vniuerſa bonitate pleniſſimum, & ſic de alijs eſſentialibus prædicatis. Hæc enim ſingulatim, tanquam buccellas quaſdam, ſiue interiores particulas huius cæleſtis panis, debemus dentibus intellectualibus, in ore eſurientis terere & maſticare.* QVINETIAM *ſi ſaltem acutos dentes habuerimus, cum ſtupore amoroſo contemplari debemus, illa mira, ac nobiliſſima prædicata, quæ ipſi Domino Ieſu propriè, aut appropriatè conueniunt: Vtpote qualiter etiam æternali proceſſione à Deo Patre per modum intellectus gignitur, & per conſequens quomodo ipſe eſt Verbum mentale Patris, in quo Pater omnia loquitur;* Heb. 1. *& qualiter eſt imago eius inuiſibilis,* ſplẽdor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, atque cãdor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula, Sap. 7. *& ſic de alijs prædicatis digniſſimis, proceſſionem filij exprimentibus.* ITEM *contemplari debemus, qualiter ipſe Dominus Ieſus eſt æterna, increata, & abyſſalis Dei ſapientia, æterna & infallibilis, veritas inuariabilis, ac æterna lex, ſiue regula immutabilis, & ſic de alijs prædicatis pulcherrimis, quæ ipſum diuinum intellectum ſimpliciter concernunt.* ITEM *contemplari debemus qualiter idem Dominus Ieſus, ſecundum diuinitatem ſuam, eſt omnium creaturarum exemplar lucidiſſimum, omnium rerum ideis plenum, in quo omne quod factum eſt ab æterno vita erat. Similiter quomodo eſt liber vitæ, in quo ſcripti ſunt omnes, qui habebunt vitam in Hieruſalem,* Ioan. 1. Apoc. 21. *Item quomodo prædeſtinatio eſt omnium Sanctorum, ac ſaluandorum, præſcientia omnium damnandorum ac reproborum; lumen ſanctarum mentium: beatitudo, gloria, vita omnium triumphantium: & ſic de alijs prædicatis dulciſſimis, quæ diuinum intellectum propriè reſpiciunt, per modum redundantiæ in creaturas. Sed hic oportet mentem contemplantis eſſe cautam, ne aliquod ſcilicet prędicatum, quod omnibus tribus Perſonis, & toti Trinitati generaliter conuenit, ſoli Filio aſcribat, aut è conuerſo. Vnde neceſſe eſt legere ſcripta Doctorum, & noſſe regulam illam Anſelmi, quod in diuinis omnia ſunt idem, vbi non obuiat relationis oppoſitio.*

LXVII. *Cùm autẽ ſic per intellectum dignè contẽplamur magnalia Domini Ieſu, debemus etiã memoriam abundantiæ ſuæ eructare,* Pſal. 144. *per memoriã ruminare videlicet illa, quæ nobis ſecundum conditiones præmiſſorũ prædicatorũ, ab ipſo effluxerũt, vel adhuc ſecundũ promiſſionem ipſius effluẽt, vel effluere poſſunt: ſicut ſunt donum creationis, gubernationis, illuminationis, conuerſionis, peccatorum*

remiſſionis, iuſtificationis, præſeruationis à malis,
promotionis in bonis, atque promiſſio æterna glo-
rificationis. Et maximè quilibet debet ſpecialia bo-
na dulciter ruminare, quæ ſibi Diuinitas Chriſti
ſingulariter contulit, quia ſpecialia beneficia ali-
quando plus mouent mentem, quam communia.
Quinimmo, & illa prædicata eius propria, & ap-
propriata, ſpecialiter debemus applicare infirmita-
ti, aut imperfectioni noſtræ, vt cogitemus, cùm ipſe
ſit verbum, poſſit loqui ſpiritualiter in auribus
mentis, ac ſurditatem noſtram repellere; cùm ſit
lumen, poſſit ſpiritualiter oculos mentis illumina-
re, & tenebras eius effugare; cùm ſit imago, noſtrã
Sap. 7. poſſit reformare; cùm ſit candor lucis æternæ,
poſſit maculas animarum tergere, & ſic de alijs
Obſerues. prædicatis dictis. Quin etiam eadem poſſumus no-
bis applicare per memoriam, cogitando ſingillatim
ea quæ nobis ſecundum conditiones eorundem à
Domino Ieſu tã miſericorditer donata ſunt; quo-
Pſal. 32. modo ſcilicet Pater dixit Verbum ſuum, & fa-
cti ſumus; quomodo per expreſſionem imaginis ſuæ
fecit nos ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, &
Gen. 1. ſic de alijs.

Cùm ergo ſic mens contemplatiua in ſpirituali
manducatione terit, & maſticat Dominum Ieſum
cognitione, neceſſe eſt, quod & ipſum voluntas con-
templatiua, id eſt, vis amatiua, etiam guſtet & ſa-
piat Dominum Ieſum affectione. Ad contempla-
tionem namque tantarum perfectionum & benefi-
ciorum naturaliter ſequitur, ſiue concomitatur
amoroſa affectio, quam vocant amorem fruiti-
uũ, quia per talem Domino Deo ſuo quodãmodo
fruitur, & ipſi ſuper omnia tanquam vltimo, & fi-
nali bono, immo infinito omnium bonitatum con-
tentiuo, amicabiliter inhæret, & connectitur. Tunc
haud dubiè ſuperior concupiſcibilis, de omnibus
magnalibus dulciſſimi ſui ineſtimabiliter gaudet,
& delectatur: Iraſcibilis verò ſuperior, ſerioſiſſi-
mè ipſi hærere nititur, ne vnquam ab eo auellatur,
atque longanimiter omnia bona, quæ promiſit, ſpe
certa & interna, pacem preſtolatur. O quomodo
tunc amans ſpiritus totus, in ſe deliqueſcit, combu-
ritur, tranſmutatur, à ſe deficit, & in ſuum ama-
tum totaliter quodammodo tranſit & transfor-
matur.

Verum cùm ſic ſuperior portio, id eſt vis con-
templatiua panem cœli maſticat, comedit, & de-
glutit, & trajicit, vt plena peragatur digeſtio: opor-
tet & ipſam portionem ſpiritus inferiorem, id eſt
vim practicam, concurrere cum opere ſuo: vt in-
tellectus practicus dijudicet & concludat, quod ta-
li ac tanto Domino, tam potenti, ſapienti, tanquam
mirificè bono quoque ac digniſſimo, eſt ſummopere
ſeruiendum, ac obediendum: quod ipſe ſit laudan-
dus, benedicendus, glorificandus, atque ſuper omnia
exaltandus, ipſe non offendendus, aut inhonoran-
dus, & ſic de alijs quæ diuinum cultum reſpiciunt.
Ad quæ exequenda, ſtatim voluntas practica cum
omni promptitudine afficitur, volens omnia quæ
diſplicent Domino vitare, & ſi quæ peracta ſunt,
debitè emendare: quæcunque verò placent, libenter
perficere. Et hæc affectio à quibuſdam vocatur
amor actiuus, quia vult ipſe agere quicquid pla-
cet amico: iuxta quod dicebat Saluator Ioan. 14.
Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.
Quis non videat, quomodo hic tunc concupiſcibi-
lis in ſeruitio & cultu diuino magnopere delecta-
tur? atque quomodo ipſa iraſcibilis fortiter ab hoc
retrahentibus reluctatur? quomodo tunc anima pro
defectibus ſuis releuandis dilectum ſuum amoroſè
deprecatur, ac de beneficijs datis regratiatur? &
ſic de alijs affectionibus amori annexis. Unde ni-
mirum totus ſpiritus ſecundum hoc, in amore cer-
tè à ſe deficit, & in ſuum amatum contemplatione,
amore & praxi tranſit, & per conſequens tunc iſte
panis Angelorum debitè manducatus eſt ab homi-
ne quo ad eius diuinitatem. Hæc Doctor venerabi-
lis memoratus.

Vides ergo, ô anima contemplatiua, anima
deuota, quanta tibi hic meditationum, & de-
uotionis offertur materia. Stude itaque hanc
tibi recolligere, & quantus eſt qui ingreditur,
profundè dijudicare, vt ſic in amorem Dei tui
poſſis inflammari: Valde enim eſt gelidus, qui
in conſideratione huius portionis non fit de-
uotus & inflammatus. Sunt formatæ quędam
meditationes iuxta formam iam dictam illius,
ſcilicet exemplares, & puto quod ſunt eiuſdẽ
Doctoris, quæ ſunt ſatis inflammatiuæ. Gran-
de deuotionis incentiuum eſt, profundius hic
conſiderare de dulciſſimis illis proprietatibus
diuinis, ſcilicet miſericordia, bonitate, & hu-
iuſmodi, de quibus dulciſſimè ſcribit S. Tho.
in lib. de beatitudine æterna.

OFFERUNT quoque ſe hic mores diuini cõ-
templandi, de quibus idem Doctor ſanctus,
deuotum tractatulum compegit. Sed ſat ſit
hic enumeraſſe, libroſque oſtentaſſe, quoniam
prolixum eſſet hic contexere, & quantumuis
hic ſcriberetur, ſemper pelagus reſtaret. Pro
affectu tamen, quædam ſunt ſubnectenda.

§. 2. De præparamentis ad contemplationem huius capitis benedicti.

EXurge, exurge nunc anima mea, & excute- LXVII.
te de puluere, accinge te huius capitis co- Eſa. 52.
meſtioni, id eſt, deitatis contemplationi: Non
enim communis huic portioni ſufficit appara-
tus, ſingularem diſpoſitionem requirit. Vult
portio hęc dentes, qui ſint ſicut greges tonſarũ, Cant. 4.
quæ aſcenderunt de lauacro; expoliati ſcilicet à
phantaſmatibus terrenæ cogitationis; Itemq;
loti ab omni immunditia hæreticæ dubitatio-
nis, hoc eſt, requirit mentem in fide ſtabilem,
& gratia illuminatam. Nam Deitatis con-
templatorem, has conditiones complecti o-
portet,

Sit credens, humilis, reuerens, purus, pius,
orans.

Primò inquam, cùm ad ſuperdigniſſimæ
Deitatis, huius ſcilicet portionis, contempla-
tionem te extenderis, firmum fidei fundamen-
tum ſubjici oportet: vt nil de proprio cogites,
ſed Patrum ſententijs inhæreas; vt non tranſ-
grediaris terminos conſtitutos; Alioquin perſcru-
tator Maieſtatis à gloria opprimetur. Teſte enim Prou. 25.
Auguſtino: Nullibi periculoſius erratur, neque
aliquid laborioſius quæritur, nec fructuoſius quid
inuenitur. Itaque quicquid cernis tuam capa-
citatem tranſcendere, non vanè diſcutias, ſed
Spiritui ſancto id commendes; iuxta quod de
Agno præceptum eſt, Si quid reſiduum fuerit,
igne comburetur.

Digitized by Google

Secundo, oportet quoque cum ſumma *humilitate* hic procedere, ne ſi caput extuleris,
Ioan. 10. ad oſtium elidaris. Oſtium enim humile Chriſtus, per quem niſi introieris, fur eris & latro.

Tertio, quoque cum ſumma *reuerentia* eſt accedendum, vt ſe indignum reputet tanta myſteria contemplari; Itemque vt nil temerè audeat perſcrutari: ſicut B. Ambroſ. ait, *Mihi impoſsibile eſt diuinæ generationis ſcire ſecretum, mens deficit, vox ſilet, non mea tantum; ſed & Angelorum. Tu ergo ori admoue manum, ſcrutari non licet ſuperna myſteria; licet ſcire, quod Dei filius natus ſit, non licet diſcutere quomodo natus ſit*, &c. Sic & Hilarius in de Trinitate. *Ego neſcio, nec requiro, & conſolabor me tamen, Archangeli neſciunt, Angeli non audierunt, ſæcula non tenent, Propheta non ſenſit, Apoſtolus non interrogauit, filius ipſe non edidit: Non ergo putet homo ſuam intelligentiam, generationis Sacramentum conſequi poſſe*, &c. Ecce quam reuerenter tam magnifici viri ſe habuerunt, in loquendo de Trinitate & Deitate: De qua nimirum iuxta Auguſtinum, *cum modeſtia pariter & timore eſt agendum*.

Quarto huiuſmodi contemplatorem purum mente eſſe oportet: Non enim niſi purgatiſſimis mentibus ſummum cernitur bonum.

Quinto, pium opere, & conuerſatione: Nemo enim (iuxta Bonauenturam) ad contemplationem hanc attingit, niſi per meditationem perſpicuam, conuerſationem piam, & ſanctam, & orationem deuotam.

Nota. *Poſtremo*, nemo ſibi hic fidere poteſt, quod hic ſufficiat lectio ſine vnctione, ſpeculatio ſine deuotione, inueſtigatio ſine admiratione, circumſpectio ſine exultatione, ſcientia ſine charitate, intelligentia ſine humilitate, ſtudium abſque gratia diuina. Hinc oportet orare: Oratio enim mater eſt, & origo ſurſum aſcenſionis. Hinc & diuinus Dionyſius orationem præmittit. Oremus igitur, & dicamus, *Senſum tuum Domine quis ſciet? niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris ſpiritum tuũ de celis*. Sap. 9. *Reuela igitur oculos meos, & conſiderabo mirabilia tua* &c. Pſ. 118. Hęc de contẽplationis huius pręparamentis.

§. 3. *Inductiua contemplationis.*

LXVIII. SIc ô anima præparata fidenter accede, & caput illud contere, nec te retrahant quorundam tepidorum obiecta; qui, licet dicunt illud Apoſtoli Rom. 11. *Noli altum ſapere*; Itẽq; illud Salomonis Prou. 10. *qui ſimpliciter ambulat & confidenter*: itemque Prou. 25. *Scrutator maieſtatis opprimetur à gloria*: Non te hæc moueant, non te amoueant; Omnia enim hæc de inordinata deitatis cõtẽplatione intelligũtur. *Extendere* magis (cũ Apoſt. Phil. 3) *in anteriora*, ad cibum ſolidum aſpira, *æmulare charismata meliora*, quęrens cũ Dauid faciem Dei ſemper.
Heb. 5. 1. Cor. 12. Pſal. 104.
Plurima enim ſunt ad Deitatis ſuperbeatiſſimæ contemplationem inductiua, ſcilicet,

Scriptũ, perplacitũ, bona, iocundum, quia finis.

Primo inducit *ſcriptura*, quæ taliter ad hanc monet Hier. 10. *Non glorietur ſapiens in ſapiẽtia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua: & non glorietur diues in diuitijs ſuis; ſed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me*. Itemque Apoſt. Coloſſ. 1. *Creſcentes ſemper in ſcientia Dei*. Itẽq; Philip. 3. *Omnia arbitror vt ſtercora, propter ſupereminentem ſcientiam Chriſti*.

Secundo, quia huiuſmodi contemplatio de Deo, eſt ei gratiſſima, & valde placita: Dicit enim Oſee 6. *Scientiam Dei volo, pluſquã holocauſta*. Ecce quomodo eam præfert omnibus holocauſtomatibus.

Tertio, quia eſt vtiliſſima, Pſal. 90. *Protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Itemq;* maximus in hac contemplatione profectus conſiſtit, quia fini magis appropinquat, vt patet infra. *Ex hac quoque* verè deuotiores exiſtimus. Quo enim obiectum contemplationis diuinius atque præſtantius fuerit, eo & ex ſua natura amplioris deuotionis eſt productiuum; vnde in viris perfectis hoc reperitur: In imperfectioribus tamen, ex eorum incapacitate contingit oppoſitum.

Itemq; in hac deitatis conſideratione, præcipuum meritum conſiſtit, & hoc iuxta Dionyſ. Carthuſ. ob plura: *Primo* propter obiecti incomparabilem dignitatem: *ſecundo* propter virtutis, ſcilicet ſapientiæ (cuius proprius actus eſt contemplatio) eminentiam ſingularẽ: *Tertio*, propter charitatis diuinæ ſpecialem in actu contemplationis incluſionem: *Quarto*, propter fidei eminentem quendam vigorem: Quo enim Deitatis adorandæ cognitio rationem magis tranſcendit, eo purius innititur fidei, & eo exuberantioris eſt meriti: Tanto enim copioſius meritum fides ſortitur, quo minus humanæ rationis experimento probatur.

Quarto eſt huiuſmodi contemplatio *iocundiſsima*, teſte Saluatore Ioan. 17 *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quẽ miſiſti Ieſum Chriſtum*. Quo etenim Deitatis contemplatio clarior fuerit, eo & delectabilior erit & maior: Delectatio autem in opere conſeruat operantem.

Quinto hæc omnium eſt *finis* iuxta illud Sap. 15. *Noſſe te Domine, conſummata iuſtitia eſt, & ſcire iuſtitiam & virtutem tuam, radix eſt immortalitatis* Quoniam ſicut perfectio, beatitudóque patriæ eſt contemplatio Dei immediata & clara per ſpeciem: ſic fœlicitas atque perfectio viæ eſt cõtemplatio eiuſdem per fidem, rationibus credendorum illuminatam. Vnde ſicut ſublimius eſt in ipſo fine, quam in mediis ad ipſum relatis proficere: ſic etiam ſublimius huic inhærere meditationi. Pſal. 45.

§. 3. *Quæ ſint de Deo contemplanda.*

VAcate igitur, ô omnia intima mea, & videte caput huius Agni, contemplemini diuinitatem Chriſti. Et licet plurima occurrãt circa id contẽplãda, tu deuotioribus magis affectiuis immorare, & hæc ſi poteris cõtẽplare. LXIX.

Eſſe Dei nomen, proprium, propriatáq; mores.

Primo de eſſentia Dei, *quia eſt*, hic annotando innumeras rationes Doctorũ, in eorum ſcriptis reſperias. *Secundo* hic vide *quid eſt* deſcriptiuè, & diffi-

& diffinitiuè, hic vide plurium plures deſcriptiones: Quomodo ipſe eſt, quo maius, meliúſve cogitari non poteſt: Ipſe eſt ſummum bonum, quo ſemel adepto, nil vltra deſiderari queat. Attende quoque circa hoc eſſe Dei, *qualis ſit, quantuſq;* ſit Deus tuus: Et ſuper hoc docent re magnificè Doctores in eorũ ſcriptis. Eſt enim omnium perfectione perfectiſſimus, imò perfectio & beatitudo ipſa. Eſt item (Pſal. 146.) *magnus Dominus, cuius magnitudinis non eſt finis*, ac per hoc infinitus. Vide quoque *huius eſſe dignitatem* & excellentiam: (Dei excellentia.) Tanta namque eſt diuinæ dignitatis excellentia, quod mente non comprehenditur, cùm ſit incomprehenſibilis, ſenſu nõ percipitur, cùm ſit inuiſibilis; lingua eum non explicat, cùm ſit ineffabilis; tempus eum non menſurat, cùm ſit interminabilis: locus eum non capit, cùm ſit incircunſcriptibilis: ſcriptura eum non explicat, cùm ſit inæſtimabilis: virtus non attingit, cùm ſit inacceſſibilis: deſideria & vota transgreditur, cùm ſit incomparabilis. Et tamen ecce, cùm talis ſit & tantus, non dedignabitur ſe inclinare tibi! O ſtuporem, ô dignationem Dei!

De nominibus huius capitis.
Notula I.

LXX. PRincipaliter tibi ſecundo occurrit conſideranda, *diuinorum nominum ſeries* & multitudo: Quorum conſideratio, cùm bene fuerit trita, multum eſt deuota. Offerunt ſe hic *decem nomina Dei ſubſtantialia*, apud Hebræos, aliaque myſterijs grauida de nomine Dei, *tetragrammaton*, de quibus agit Burgen. in additionibus Liræ ſuper Exod. Vbi vide, o anima mea, quam grande quippiam crepitabant de hoc nomine Hebræi, granditer ſe de eius notitia iactabant. Et verè grande erat, quia *non manifeſtarat hæc omni nationi*; Sed grãdius quiddam tecum agitur, cùm non tibi nomen conceptuale, ſed verus Dei Filius, nomen Patris, tibi realiter confertur. O gratias illi!

Hic habes conſiderare de nominibus Dei, *qui eſt, & bonum*, de quibus Doctores latius differunt, quod horum magis propriè conueniat Deo: Eſto vtcunque. Vtcunque tibi confertur, cùm Filius ipſe non negatur. Offerunt ſe hic nomina illa, quo dicitur *Deus ab æterno*, *Dominus* à ſempiterno, *Pater* adoptione: Itẽq; totus liber D. Dionyſij de diuinis nominibus. Vbi circiter quadraginta nomina Dei ponuntur, quæ poterunt hic aſſignari; ſed longum eſſet. Sed tu horum quodque verè terribile, ſanctum & pium, magis ſtudebis confiteri, benedicere, laudare, exaltare, magnificare, glorificare, quàm curioſè diſcutere.

Hic quoque communia perpẽde attributa Dei, quomodo iuxta Bonauenturã, ſit eſſentia prima, natura perfecta, vita beata, &c. Vide de omnipotente potentia, omniſciente ſcientia, de ſuperoptima voluntate.

Conſidera abyſſalem & infinitam eius miſericordiam. O miſericordiam, dulce miſeris nomen! Bonum eſt in te morari; *Veniat ſuper me miſericordia tua Domine*. Pſal. 118. *Miſerere mei ſecundum magnam miſericordiam tuam*. Pſal. 50. Verè magna, quia (vt dicitur Eccli. 2.) *Secundum magnitudinem eius, ſic & miſericordia eius cum ipſo*; (Sap. 8.) Verè magna, *attingẽs à fine vſque ad finem*, cœlum & terram implẽs: (Iere. 23.) Patet miſericordia in cœlo, in Angelis & Sanctis, quos miſericorditer beatificat; Patet in terra, in bonis & malis, quia his parcit, illis gratiam miſericorditer indulget: Patet in purgatorio, quia miſericorditer liberat: Patet in inferno, quia dæmones & damnatos in inferno citra condignum punit. O magna miſericordia cuncta complectens, miſerere mei.

Conſidera quoque immenſam Dei bonitatem, quam omnia pariter & ſcripta & creata teſtantur: Tanta eſt enim huius bonitatis immenſitas, quòd neque ſcribi, neque dici poteſt, neque cogitari, vt S. Thomas in de Beatitudine æterna. Vbi ſic ait, *Si enim omnes cæleſtes ſpiritus & maligni, & omnes animæ creatæ & creandæ, ſcribere vellent bonitatem diuinam, etſi quilibet haberet maris abundantiam pro atramento, & cælum pro pergameno, tam immensè bonus eſt Deus, quod antequam mediam partem bonitatis ſcriberent, mare cuiuſlibet eſſet ſiccum, & cælum cuiuſlibet eſſet repletum, quod nec capere vnam litteram poſſet. Sed verbum citius eſt dictum quàm ſcriptum, Et ſi omnes ſtellæ, & ſingulæ guttæ pluuiarum eſſent linguæ, & proponerent diuinam bonitatem eloqui, tam ineffabilis eſt bonitas Dei, quod antequam tertiam partem bonitatis enarrarent, omnes eſſent mutæ. Citius verò eſt aliquod cogitatum, quam vel dictum aut ſcriptum: Vnde ſi tota arena maris, & ſingula ſemina orta de terra, eſſent corda, & vellent ſcrutari bonitatem Dei, tam ſuperbonus eſt, quod antequam decimam partem bonitatis eius inueſtigarent, omnia corda citius ſcinderentur. Quid nunc dicis, ô anima mea? An adhuc tantæ bonitatis conſideratione non promoueris? Verè ſterilis es nimis, ſi non intra te in horum meditatione incalet cor tuũ*. Et nota, quod de ſingulis perfectionibus Deitatis, poſſet talis dijudicatio fieri, omnes enim ſunt infinitæ.

De proprijs huius capitis.
Notula II.

SIc etiam propria huius capitis debes conſiderare: vt puta, quomodo Filius, quomodo Verbum, quomodo imago, vt Bonauẽtura; Ora vt filius te adoptiuum faciat; Verbũ mentis ſurditatem ei loquendo auferat; vt imago increata, creatam tuam reformet. LXXI.

Conſidera quoque huius tui capitis appropriata, cuiuſmodi ſunt ſapientia, pulchritudo, lux, virtus, veritas, &c. ea tibi applicando, per ea obſecrando: Pete vt illa ſapientia tuas tenebras illuſtret, pulchritudo tuam deformitatem decoret, lux caliginem propellat: virtus tuam infirmitatem corroboret &c. Ponit Iſidorus & Rabanus plurima nomina appropriata huic Domino Ieſu Chriſto, quibus in ſcripturis denominatur, quæ prolixum eſſet commemorare, per quæ omnia poſſet tamen homo orare & obſecrare hoc modo cum quodam:

O Ieſu Alpha & Omega, principium & finis omnium creaturarum; à quo omnia oriuntur tanquam à centro, & in quem omnia reflectũtur, tanquam in ſuæ productionis originem: *Eccli. 1.* O fons viuus per modum intellectus, generatione æterna, ſcaturiens de corde Patris in excelſis, à quo omnia fluunt, & in quem refluunt cuncta; Tu fontalis radius, tu flumen pacis æternaliter manans, vniuerſa irrigans, influe in *Eccli. 24.* me. O ante ſæcula genita Sapientia Patris, ô veritas æterna infallibilis! ô lex paterni cordis inflexibilis! ô inquam, Chriſte Dei virtus & ſapientia! ô bonum infinitum, cui nihil boni deeſt, ſatia me, quia inquietum eſt cor meum, donec requieſcat in te. Latiſſima occurrit hic materia; vtpote omnia primi ſententiarum ſcripta.

De moribus diuinis. *Notula III.*

LXXII. SEd quia is verè manducat, qui in mores diuinos tranſit; ideò quoque diuini illi mores, (de quibus S. Thomas deuotum tractatum habet) ad mentem ſunt reuocandi, & à nobis imitandi, dicente Domino Matth. 5. *Perfecti eſtote, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Nihil quippe dignius (iuxta Chryſoſtomũ) quã vt homo ſui conditoris ſit imitator, & ſecundum modum propriæ facultatis, diuini operis executor. Sunt autem hi,

eſt naturaliter immobilis, — ei omne bonum. — in peccatores.
Immotus, placet, eſt patiens,
priuſquam fiunt, — de omnibus creaturis.
videt omnia, curat.
quia vnus non habet detrimentũ alterius. — non ſupra poſſe. — non odit. — communicans ſua.
Diſcretus, miſerens, amat, eſt
ſeruat iuſtitiam & miſericordiam.
liberalis, vtrumque.
non exigens noſtra, — nulli imputans. — ſecundũ capacitatem.
Sufficiens ſibi, compatiens, largus,
omnia benefecit.
benefactor.
plus ab eo cui plus donat. — iudex. — in promiſſis. — inimicis donans. — æquanimus ſemper.
Exigit, eſt iuſtus, verus, pacatus, & equus.
iudicat in idipſum. — non accipit. — commoda propria non quærit. — totus & pius.
Non bis, perſonam, ſua non quærenſq;, benignus.

Hi ſunt ſectandi mores reliquique ſtupendi. *Art. 17.* Sunt enim (præter ſignatos) alij in Deo mores: vt puta, quòd ſolus occulta cordium ſcrutatur; ipſe ſolus habet immortalitatem: ipſe ſolus de nihilo aliquid facit &c. Sed in huiuſmodi non eſt imitandus, quia nec poſſibile, ſed potius admirãdus. Prænumeratis autem quiſque toto nixu ſe conformare debet pro poſſe. Quanto enim anima in his Deo conformior fuerit in hoc ſeculo, tanto erit ei & conformior in futuro, & quanto conformior, tanto beatior, & glorioſior; & qui ſe his conformat, hic eſt qui verè panem vitæ man- *Ioan. 6.* ducat; legatur tractatus memoratus.

De ſpeculis Dei. *Notula IV.*

SEd fortaſſis caligant in tanto fulgore oculi tui, nec in tanta luce mentis tuæ acies inualida perfectè figi poteſt: Es nempe oculis lippus; & nil mirum, ſi tanta claritate excutis: Sed habes quod agas: Nam ſi nondum potes verticem montis cum Moyſe, per altam contemplationem aſcendere, & contemplari ibi Deum tuum in caligine; exi ſaltem cum filijs Iſrael in occurſum Dei tui, captiuans intellectum in obſequium fidei, & ſta humiliter ad radices montis, & vide montem fumantem, audi clangorem buccinæ, & tonitrua: Vide quoque micantia fulgura, id eſt, per fidem ex ſcripturis aut creaturis contemplare Deũ per ſpeculum in ænigmate. LXXIII. *Exodi 16.* *Amos 4.* *2. Cor. 10.* *1. Cor. 13.*

Habes enim plurima ſpecula in quibus potes contemplari diuina. Ponit tibi Bonauentura ſeptem in ſuo Itinerario, exhibet, & Antonius alia ſeptem, in prima ſua parte. In illis te exerce, *& ingrediens & egrediens paſcua inuenies.* Sic Pater noſter Auguſtinus, ſic Agnes beatiſſima, creatorem ex creaturis contemplabantur. *Ioan. 10.*

Quid enim (vt de cæteris ſpeculis taceam) ſunt omnia creata, niſi viuæ litteræ, & amoris irritamenta? Docet modum contemplandi Deum ex creaturis diſertiſſimè, Hugo de ſancto Victore, in ſuo de tribus dietis. Hæc de habendis meditabilibus de Deo ſufficiat tetigiſſe.

Sed vbi (ô anima) videris Deum per intellectum, reuertere ad te, ad incaleſcendum erga eum per affectum; diligenter cõſidera, profundè dijudica, quantum te Deus tuus dignificat; cùm talis ac tantus, tam dignanter ad te quotidie deſcendit. Magnum fuit, quod olim Patribus fuit locutus, quod per eos mirabilia fecit; ſed te præ omnibus magnificauit, quando tibi ſe in cibum Dei Maieſtas tradidit. Si gloriatus eſt Moyſes pro Iſrael, dicens, Deut. 4. *Non eſt alia natio tam grãdis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris;* quanto magis te gloriari oportet? Ipſis nempe Angelis, Dei perſonam repræſentans, affuit, & ſuper his quæ expediebant loquebatur: Tibi autem adeſt *magni conſilij Angelus,* vnigenitus Dei Filius, in plena diuinitate & humanitate, non modo vt loquatur ad te reſponſiones pacis: verumetiã vt ipſum totum comedas, atque vt ſpiritualiter in eum conuertaris. *Eſa. 9.*

Gaude itaque & gratulare, ô Sion, contemplatiua anima, quod poſſis eſſe tanti hoſpitis hoſpita. Verè nimis es auara, ſi non ſufficit tibi tanti hoſpitis præſentia, quia valde eſt liberalis, & abundè tecum communicabit de bonis ſuis. Nullo enim modo deceret tantum principem, ſi hoſpitem ſuam indigentem permitteret. Concine cum Maria Luc. 1. *Magnificat anima mea Dominum,* quia ab eo præ omnibus diebus es magnificata. Nam Rex, *cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur,* cuius magnitudinem cœlum & terra reuerentur, de

cuius

Digitized by Google

cuius ſapientia cœleſtium ſpirituum agmina illuminantur; de cuius clemẽtia omnium beatorum collegia ſatiantur: talis, ad humile tuum venit tugurium, & plus illud, quàm cæleſte amplectitur palatium; libenter vult morari tecum, ſi tu voles eſſe ſecum. Vileſcat tibi igitur omnis creatura, vt tecum omnium creator, qui vnus ſufficit, permaueat. Amen.

Apologia ſuper prolixitate ſuperiorum.

HÆc longiuſculè ac æquum eſt deduximus; ſed danda eſt venia, calamus in ampliora defluxit. Sunt iam obſtructa ora propter torporem ſe excuſantium, ſunt ablata omnia velamina eorundem. Sunt denique ſedati conquæſtus & querelæ ſuper meditabilium inopia cauſantium; cùm vbi nos inopes & aridi pauca colligere tentamus, tantarum ſegetum copia excreuit. Nemo exinde dicat, neſcio cogitatibus ſacris immorari, non poſſum inſiſtere; Punctula hæc apprehendat, & ius querelæ non erit.

Carmen in portiones Agni Paſchalis, cantandum ſub nota, Pange lingua.

POnes agni portionem
Rite Pater edere,
Vtram tingat rationẽ
Sãguis Paſchę ſędere
Ne mentalẽ ſtationẽ
Poſſit hoſtis lædere.

Ad Carnem.

Salue caro Maieſtatis
Alta, ſancta, humilis;
O quam plena veritatis,
Pulchra, mira, nobilis,
Tradita heu prophanatis,
Angelis mirabilis.

Salueto medicamentũ
Quã plenũ effectib⁹:
Expurges inquinamentum
Carnis cũ defectib⁹,
Eſto mihi incremẽtũ
Cũctis in profectib⁹.

Ad Sanguinem.

Eya ſanguis generoſe,
Mirus, venerabilis,
Fluẽs plagis copioſè,
Nimis peramabilis,
Muſtum mẽtis amoroſæ,
Typis præconabilis.

O ſanguis redẽptionis
Venditos redimito,
Sanguis expiationis
Turpatum eluito;
Sanguis conſummationis
In ſancta traducito.

Ad Animam.

Salue anima dilecta
Deo, & hominibus;
Clara, placens & afflicta,
Prælata numinibus.
O, te laudo, benedicta,
Cęlicis luminibus.

Salue ſpiritus diuine
Plenus ſapientia:
Te iam canunt Matutinæ
Stellæ plenũ gratia,
Benedictũ ſine fine,
Traditum pro hoſtia.

Ad viſcera.

O vos exta deuoranda
Agni ſine macula,
Vos virtutum permiranda,
Grandia ſpectacula:
O ſaluete adoranda
Diuina ſignacula.

O vos gratiæ ſaluete
Communes cum ſingulis:
Dona, fructus, reſaluete
Laudib⁹ pertinnulis:
Me iã gratiis replete
Canentem in iubilis.

Ad pedes.

Saluete humanitatis
O pedes pacifici:
Pedes pleni charitatis,
Perfecti, Deifici,
Exemplares, Deitatis
Baiuli viuifici.

Salue Agnus, nate, paſſe,
Sepulte mętoribus,
Surgis, ſcãdis, Agnus aſſe
Spiritus amoribus:
Opplectar pedes hoſce
Placitis clangoribus.

Ad adipem & pinguedinem.

Salue adeps, & pinguedo
Agni manſuetiſſimi;
Tua ſatiat dulcedo
Cor ſerui nequiſſimi;
Tibi laudis pẽſa dedo
Cordis contritiſſimi.

Eya fructus cõdonato
Vitæ tuæ optimæ
Paſſionis cumulato
Frugem, Rex clariſſime,
Cœna fructus ſacræ dato
Eucharis, gratiſſime.

Ad Caput.

Salue caput adorandũ,
Ieſu, mira Deitas,
Ferculum quam celebrandum.
Satians æternitas,
Epulum concelebrãdum,
Angelis, Diuinitas.

Salue naturãs natura,
Prima & eſſentia,
Liber vitę, ars, lux pura,
Patris ſapientia:
Hacce ſemper alitura
Fruar in præſentia.

Ad omnes Sanctos.

Eya ciues Olymporũ
Numina hierarchica,
Mille millia hymnorum
Camena dragmatica
Ferte pani Angelorũ
Pro hac eſca polica.

Amen.

Supplementum Sacramentale: cõtinens incitationes, exclamationes & aſpirationes, quibus occurrendum ſit Sacramento.

CAPVT QVINTVM.

C*Lama ne ceſſes.* Eſa. 58. Continua vox clamoris, deſiderium intenſi cordis.

NVNC iuxta compromiſſum *de aſpirationibus & exclamationibus* Seraphicis eſt agendum: Ille enim, qui dignè volet communicare, non debet ab huiuſmodi ceſſare; ſed (iuxta admonitionem propheticam) ſine ceſſatione debet exclamare, vt ſic cũ Pſalmiſta ex ſententia poterit cantare, *Domine ante te omne deſiderium meum*, &c. Illud quoq; pſalmi implere, *Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem eius ſemper*. O ſemper! Verè fœlix nimium anima, quæ quærit ſine ceſſatione aliqua. Quærendum eſt enim ante, & clamandum, quia *oportet* (iuxta Bernardũ) *vt ignis deſiderij præeat in omnem locum, ad quem ſponſus eſt venturus*, ſecundum illud pſalmi 88. *Ignis ante faciem eius præcedet*. Oportet enim votiuis eum excipere deſideriis: Vnde & ipſe *deſiderio deſiderauit hoc Paſcha manducare nobiſcum*. Profecto nobis *exemplum relinquens, vt quemadmodum ipſe fecit, ita & nos faciamus*. Ante ergo communionem exclamandum. I. Pſal. 37. Pſal. 104. Luc. 22. Ioan. 13.

Sed etiam aſſis carnibus guſtatis, multominus algendum, amplius multo clamandum, vt ſic deſideriorum ſcintillulæ oſtendant, quod *ignem de excelſo miſerit Deus in oſsibus noſtris*. Nam & habitus Dominus, manu deſiderij vult teneri, vt ſponſa recognouit dicens Cant. 3. *Tenui eum nec dimittam*: Et diſcipuli illi peregrini Thren. 1.

Luc.24. egrini, *coegerunt eum*, dicentes, *Mane nobiſcum Domine*.

Vis igitur venienti Domino dignè occurrere? deuotè excipere? exceptumq́ue tenere? Eſa. 62. *clama ne ceſſes*, in ſubſignatis exclamationibus te exerce. Nulla dignior præparatio, nulla deuotior exceptio, nulla poſtremo efficacior obſeruatio, niſi ſine ceſſatione clamando. Modus autem, & practica exercendi infra ſubnectitur.

Sed & hoc annotandum, quod huiuſmodi Seraphicis exclamationibus, non modò in ſacræ cōmunionis procinctu; ſed omni tempore, omniq́; in loco eſt vtendū: Vnde dicitur, *Clama ne ceſſes*, vt ſic exemplo Iob ad *Deum ſtillet* Iob.16. *oculus noſter*. Ad quod plurima licet ſint inductiua, hæc ſunt potiora.

Scilicet
- Priorum Patrū exemplaris informatio,
- Vtilitatis huiuſmodi aſpirationum cōſideratio,
- Sanctorū inſuper multiplex perſuaſio.

De primo; id eſt, de *Priorum Patrum informatione* exemplari, patet in collationibus, & vitis Patrum: Vbi commemoratur, huiuſmodi ſuſpirijs illos operam impendiſſe, quæ ipſi *iaculatorias orationes* dicebant. Quarum & diuus Auguſtinus commemorationem inſtituit in de opere Monachorum, illas perſuadens. Quidē Auguſtinus præ cæteris, huiuſmodi exercitio incubuiſſe dicitur: vt eius ſuſpiria, Manuale confeſſionum, libri meditationumq́ue teſtantur.

Porro *de vtilitate* huiuſmodi iaculatoriarum orationum, quicquid dixerimus minus erit. Scripſerunt plures de laudibus, & adhuc plura ſuperſunt ſcribenda. Legatur Gerſon venerabilis in ſuo de Myſtica Theologia, vbi plenè deduxit, quod huiuſmodi aſpirationes Rom. 4. ſunt verè orationes, quibus Pater in ſpiritu eſt adorandus, quibus nulla actio altera præferenda, vt lectio, aut meditatio. Nil enim melius iſtis, & hoc

In ordine ad
- Deum, quem ſummè placat:
- Subiectum proprium, quod perficit, & purgat.
- Proximum, quem iuuat efficacius.
- Aduerſarium, de quo triumphat victorioſius.

Hæc proſequitur ibi ad liquidum. Sed & huius conſors magiſter Ioannes Nider, in ſuo de eleuatione mentis in Deum, nonnullos cōmemorat horum fructus, quia verè huiuſmodi Pſal.49. exercitatio, iter eſt, quo oſtenditur ſalutare Dei. Sic & Doctor ille deuotus magiſter Ioānes Herphius in tractatulo ſuo de myſtica Theologia, docet, quod in his aſpirationibus & ſuſpirijs myſticæ Theologiæ, recta via conſiſtat, leuior, breuior, & vberior cæteris practicis vniuerſis, ad omnium attingens perfectionem virtutum: Concludens item, quod hoc exercitium per ſuſpiria vnitiui amoris, à multis occultatum, omnis perfectionis finis eſt & initium, omniſque tentationis palmam facilè reportans, iuxta illud Petri Rauennatis, *Tenera militia, & delicati conflictus eſt, ſolo amore de omnibus vitijs victoriam reportare*. Hæc ille.

Postremo ſi dicere volemus, *a quot quantiſq́; hoc exercitium perſuadeatur*, ante deficiet dies, quàm nomina ipſa Doctorum. Hoc omnes memorati, hoc *lingua Eccleſiæ* Auguſtinus; hoc Monachorum Cythara Bernardus, cæterique docti id ſuadent, præcipuè hoc in Canticis ſuis docet Gerſon dicens, Quod amor purgatiuus & nouitius in huiuſmodi ſuſpirijs maximè ſe exercitare debeat: Sic enim magis proficiet, quaſi per quaſdam interiectiones, & quædam ignita verba ſuſpirando, quàm per intelligibiles alias ſpeculationes, quæ non ſunt in hominis arbitrio, ſe exercendo. Vnde ſuadet, quod homo quædam Seraphica puncta recolligat, quibus ſe, quaſi quibuſdam interiectionibus, in omni tempore ſuſpirioſè eleuare poſſit. Cuius conſilio paruimus, dum ſequentia exclamatoria, & ignita verba collegimus, quibus homo ſemper; potiſſimum tamen, vel ante aut poſt communionem, animam ſuam in Deum ſuſpendere poſſit: vt dicitur, *Suſpendium elegit anima mea*. Iob 7. Huiuſmodi enim verba, mentes in cœlum eleuant, & vim inferunt Deo cælorum. Vnde patet, quod hæc exercitatio omni ſuperior eſt laude, de cuius practica agetur.

Nam ne vſquam huiuſmodi exercitatio relinquatur, ita has exclamationes diſtinximus, vt ſingulis diebus octo in duobus verſibus memoratæ aſpirationes deputentur, in reſpectu ad venerabile ſacramentum, vel ſumptum, ſcilicet, vel ſumendum. Quam tamen qui multiplicare & dilatare volet, ex interlineari gloſula facilè poteſt: Singulæ enim plures ſub ſe complectuntur. Et vt aſpirationes huiuſmodi ſint, non modò ad mouendum efficaciores; ſed & ad impetrandum velut obſecrationes faciliores: correſpondentiam habent cum obiectis noſtræ ſalutis. Quorum commemoratione, ſicut qui non mouetur eſt ferreus, ita & eorum obſecratione, qui non exauditur, prorſus à ſalute videtur alienus.

Obiecta autem iſta latius alibi ſunt proſecuta: Hic autem tantum ideo repetuntur, vt aſpirationum harum correſpondentia ad ea inſinuetur. Fit autem hæc correſpondentia, *interdum ad apertum textum*; vt, in primo articulo *eſt genitus*, vbi agitur de Filij ex corde Patris generatione; oratur pro eius ad nos per ſacramentum emiſſione; dum clamamus, *Emitte ſapientiam tuam de ſede magnitudinis tuæ*. Sap.9. *Interdum ad ſenſum*; vt in ſecundo articulo, *creat*; vbi agitur de rerum creatione, aſpirationes correſpondentes agunt de Dei præ creatis omnibus prælatione; adeò vt & ſcindi cœlos petat &c. *Interdum autem diriguntur aſpirationes ad rem ſignatam*; ad ſcilicet interpretatum: vt, vbi agitur de fuga Domini in Ægyptum, ibi aſpiratur pro illuminatione mentis, ne relinquamur in tenebris, quæ deſignantur per Ægyptum &c. Hæc tria qui ſolerter attenderet, facilè harum correſpondentiam inueniret, & pér conſequens practicam dignoſceret.

Item nota, quod ſupra obiecta ſub horis, pro doctioribus poſita ſunt magis ordinata & diſtincta, hic autem pro ſimplicioribus. Quibus & ex-

Digitized by Google

& exclamationes adiunctæ ſunt, quatenus & ipſi quaſi per ſingulas horas, in memoria vitæ & Paſſionis Chriſti communicent.

ADMONITIO.

ANtequam tabellam aſpirationum apponamus, monendus eſt Lector, quanto in pretio debeat illi eſſe hoc aſpirationum exercitium: nempe tanti, vt illud ſolum videatur afferre vitam & viuacitatẽ orationibus & meditationibus noſtris, quæ ſine his aſpirationibus citò morerẽtur. Etenim cùm maligni ſpiritus nobis orantibus maximè inſidientur, & ſubijciant loco piarum cogitationum fœda, aut ſaltem inutilia & aliena ab eo exercitio obiecta: non reſtat nobis alius modus illa obiecta depellendi, quàm quaſi crebra agitatione aſpirationum ſanctarum. Illa enim diaboli incitamenta, quaſi culices quidam importuni, licet facilè depelluntur: & quia tamen ſæpius repetunt & reuolant ad contemplantium oculos, ideo ſæpius debent aſpirationum piarum motibus abigi. Deinde id agimus orationibus, vt accenſo in cordibus noſtris igne deuotionis, inflammetur voluntas amore diuino, & hunc ignem conatur diabolus guttis quibuſdam prægrandibus & creberrimis importunarum euagationum ſuffocare & extinguere: nobis ergo vice verſa dum oramus in pſalmis & lectionibus officij diuini (quod eſt quaſi materiam combuſtibilem orationi ſuperimponere) non relinquitur alia via alias pluuias infernalium euagationum vel iniectionum diuertere, quàm ſi crebris quaſi afflatibus & aſpirationibus breuibus, ſed magno deuotionis conatu ex animæ intimo erumpentibus, conemur materiam illam accendere, vt fiat illud Pſalmiſtæ: in meditatione mea exardeſcet ignis. *Reuera enim experientia patet, exercitio harum aſpirationum (quod eſt facillimum) longè citius ac vehementius accendi ignem deuotionis, quàm alio quocunque. Nam aliæ cogitationes & diſcurſus noſtri, quaſi ligna viridia, applicata affectui, multū diuq́ abeunt in fumum, & niſi crebro (vt dixi) afflatu orationum excitetur flamma deuotionis, humiditatem illam frigidam citò conſumptura. Tandem Sapiens rectè dixit, muſcas morientes corrumpere ſuauitatem vnguenti: crebras nempe diaboli ſuggeſtiones aduolantes, & quaſi exurgentes ſuauitatem meditationis importunis promuſcidibus: quare aſpirationes, quaſi flabella quædam ſunt, quibus illæ beſtiolæ ab inimico immiſſæ, fugentur. Et ſanè affectus pij, ſunt vnguenta, & (vt Ioannes docet in Apocalypſi) odoramenta Sanctorum; & aſpirationes videntur eſſe phialæ illæ aureæ, quibus viginti quatuor ſeniores, præcipui cæleſtis aulæ proceres, patroni noſtri, quaſi incluſos offerunt affectuum noſtrorum odores; nam ſicut in locis maleolentibus vaſcula quædam paruula ferunt delicatiores ſuauibus odoramentis repleta, quibus corrigatur, & abigatur offendiculum aeris maligni; quæ vaſcula parua debent eſſe, vt commodius vſui manuali inſeruiant, citiusq́ naribus apponātur; nam ſi maiora eſſent, nec tam facilè applicarentur, nec tam diu continerent gratum odorem, qui ſubintrante in latius ſpatium aere alio alius diſſiparetur: ita hæ aſpirationes rectiſſimè dicuntur phialæ aureæ; quibus incluſi pij gemitus, & ſancta deſideria commodiſſimè apponūtur animæ ſenſui contra imminētes inter orandum tentationes & importunitates; & citiſsimè ab angelis repræſentantur Deo: nec tam facilè diſtrahuntur, quàm diſtrahi ſolet prolixior oratio: ideoq́ pretioſiſſimæ, & aureæ vaſcula ſunt, quæ ſancti & angeli Deo Optimo Maximo tanquam gratiſsima etiam ipſi odoramenta perenniter offerunt. Hæc eſt ergo huius exercitij vtilitas: eo maior, quo ipſæ aſpirationes hic priore loco poſitæ, non ſunt vaſcula à nobis facta, ſed artificio ipſo Spiritus ſancti formata, nempe ex ſacris literis deprompta.*

§. 1. *Inuitationes, & gratiarum actiones.*

Ad Matutinas.	*Laudes.*	*Primas.*	*Tertias.*
FER. 2. EST GENITVS. Ieſus ex Deo genitus, Spirator quàm beatus. Attēde { *Eſſentiæ vnitatem.* *Perſonarum Trinitatē.* *Diuinitatis felicitatem.*	CREAT. Ieſus creator inclytus, Confirmans cœli ſtatus. { *Potentē rerum creationem.* *Sapientem eorum gubernationem.* *Angelorū lapſum & confir.*	EIICIENS. Ieſus fautor munificus, Adæ vindex reatus. { *Humani gen. exaltationē.* *Præcepti tranſgreſsionem.* *Vltionis retributionem.*	DAT SIGNA PROPHETANS. Ieſus optatus Patribus: Typatus, prophetatus. { *Votiuū Patrū deſiderium.* *Figuras, & Dei promiſſum.* *Multiplex Prophetarum oraculum.*
Emittas. Inuitationes. { Emitte ſap. de ſede. Emitte man. tuā de al. Emitte lucem tuam, & veritatem. Emit. agnū do. dōmin. Dom. mitte quē miſſ.	*Vtinam.* Vtinam diſrumperes cęlos. Rorate cœli deſuper, &c. Reſpice Domine in ſeruos tuos. Quid retribuam Dom. pro. Do. inclina cæl. tuos, & de.	*Mihi reddito.* Redde mihi lætitiam. Dominus pars hæred. meæ. Erraui ſicut ouis quæ per. Adeamus cum fiducia. Domine peccaui in cælū.	*Et egrediatur.* Egredietur Deus de loco ſancto. Ex Siō ſpecies decor. eius. Veniet deſideratus cunctis. Deus noſter manifeſtè ven. Beati qui parati ſūt occur.
FER. 3. OFFERTVR. Ieſus à matre ſiſtitur. Redēptus, prophetat*. Attēde { *Offerentiū deuotionem.* *Oblatorū ſignificationē.* *Vatū prophetationē.*	FVGIVNT. Ieſus in paruis moritur, Extorris, reuocatus. { *Herodis æmulationem.* *Innocentum enecationem.* *Ieſu exilium &, reductionem.*	DVODENIS. Ieſus in templo perditur. Parens matri vocatus. { *Ieſu Religionem.* *Matris deſolationem.* *Obedientiæ Ieſu perfectionem.*	SVBDITVS ILLIS. Ieſus ter denis abditur Annis, domi moratus. { *Sapientiæ occultationem.* *Vitæ moderationem.* *Parentum iocundationem.*
Sæpe veni. Inuitationes. { Veniat di. in hortum, Et veniat ſup. me miſ. Adueniat regnū tuū. Excita potētiam tuam & veni. Veni Do. viſitare nos.	*Pius illuſtret.* Illumina oculos meos. Quale mihi gaudium qui. Reuela oculos meos &. Quon. tu illuminas lu. me. Deus miſereat. noſt. & ben.	*Noctes.* In lectulo meo pernoct. Nūciate dilecto quia amo. Anima mea deſid. te in noc. Domine ante te omne deſiderium. Deus Deus me. ad te de lu.	*Voco paruos.* Sinite paruulos veni. Venite ad me omnes qui. Aperi mihi ſoror mea. Sponſabo te mihi in fide. Delitiæ meæ cum filijs.
FER. 4. MIRA FACIT. Ieſus clarus prodigiis, A cunctis prædicatus. Attēde { *Miraculorū congruitatem.* *Ieſu pietatem.* *Plebis cæcitatem.*	PERNOX. Ieſus ſacris vigilijs Pernox, ſæpe precatus. { *Vitæ auſteritatem.* *Precum ſedulitatem.* *Grandē exemplaritatem.*	DOCVIT ME. Ieſus per tropos varios. Docendo fatigatus. { *Doctrinæ qualitatem.* *Laboris grauitatem.* *Populi ruditatem.*	GLORIA THABOR. Ieſus coram diſcipulis Thabor transfiguratus. { *Ieſu charitatem.* *Teſtium auctoritatem.* *Diſcipulorum iocunditatē.*
Quem peramas. Inuitationes. { Domine, quem amas, infirmatur. Dom. deſcēde priuſq. Si tetigero fimbriam. Si quid potes adiuua. Do. filia mea iacet in.	*Velut incenſum.* Dirigatur oratio mea ſicut incenſum. Domine doce nos orare. Quouſque iraſceris ſu. Quid oremus, ſicut oport. Velociter exaudi me.	*Doceas.* Domine ad te cōfugi, doce. Beatus homo quē tu erud. Domin. quid me vis facere. Eructabunt labia mea. Dirige me in verit.	*Satiabor.* Satiabor cùm apparu. Quis det de carnibus eius. Edent pauperes, & ſaturabuntur. Omnia à te expectant. Indica mihi vbi paſc.
FER. 5. EN LAVAT. Ieſus lauit Diſcipulis Pedes, humi proſtratus. Attēde { *Ieſu humilem officioſitatem.* *Lotionis ſpiritualitatē.* *Diſcipulorū dignitatē.*	ATQVE CIBAT. Ieſus cœnans prodigijs, Factus panis ſacratus. { *Sacramenti dignitatem.* *Inſtitutionis cōgruitatem.* *Inſtitutentis charitatem.*	SERMONEM. Ieſus verbis mellifluis Suis ſermocinatus. { *Sermonis fœcunditatem.* *Diſcipulorum mœſtitatem.* *Conſolantis pietatem.*	SVDAT ET ORANS. Ieſus guttis ſanguineis Perfuſus, deprecatus. { *Ieſu egreſsionem.* *Triſtem agonizationem.* *Angelicam conſolationem.*
Cor mundum. Inuitationes. { Cor mūdū crea in me. Do. nō tantū ped. ſed Ampli* laua me ab in. Fiat cor meum immaculatum. Dom. ſi vis potes me.	*Panem.* Panem noſtrum quotidian. Amice commoda mihi tu. Frange eſurienti pa. tu. Omnia à te exſpectant, vt. Oculi omnium in te ſperāt.	*Cupio Paſcha.* Deſiderio deſideraui. Diſpono vobis ſicut. Ego ſum panis viuus. Si quis me accipit, ac. Ad eum veniemus, & manſionem.	*Dolor vſque.* Vſquequo Domine oblitu. Adimpleb. me lætitia. Lætifica animam ſerui tui. Introibo ad altare Dei. Haurietis aquas in gaud.

Digitized by Google

Poſt communione	*Ad Sextas.*	*Nonas.*	*Veſperas.*	*Completorium.*
	FER.2. CONCEPTVS. Ieſus emiſſo cælitus Legato, incarnatus.	NATVS. Ieſus natus paupertimus, Paſtoribus monſtratus.	CIRCVNCISVS. Ieſus ſubiectus legibus; Ieſus denominatus.	VENIVNT TRES. Ieſus quęſitus Regibus, Cum donis adoratus.
Attende	*Angeli legationem* *Virginis reſponſionem.* *Dei conceptum, & incarnationem.*	Dignatiuã Ieſu natiuitatẽ. Circumſtantiarum congruitatem, Miraculorũ nouitatem.	Legis rigorem. Parentum dolorem. Nominis pueri honorem.	Magorũ quærentiũ diligẽ. Iudæorũ refellẽtiũ inſip. Donorum typũ, & Ieſu indigentiam.
Gratiarum actiones.	*Miſit.* Miſit de ſummo, & acce. Miſit Deus miſericordiam ſuam, &. *Redemptionem miſit De.* *Propter nimiam charitatem.* *Miſit manum ſuam per foramen.*	*Magnificat.* Magnificat anima mea do. Magnificate domin. mecum Magnificata eſt anima mea. Miſericordia tua domine magna eſt ſu. Magnus in medio tui ſu.	*Ob nomen.* Propter nomẽ tuum ded.m. Sanctificetur nomen tuũ. Sanctificetur nomen tuũ. Laudabo nomen tuũ aſ. Nomen ſanctum tuum inuocatum. Nomẽ tuũ, & memoriale.	*Et ad faciem te.* Vidi dominum facie ad faciem. Apparuit gratia Saluat. Manus noſtræ tractauerunt. Exortum eſt in tenebris. Dominus virtutum nobiſcum.
	FER.3. LOTVS. Ieſus præcone tingitur, A patre honoratus.	ET ABSTINVIT. Ieſus fame afficitur, Deſerto commoratus,	TEMPTATVR. Ieſus hoſti congreditur, Triphariam tentatus.	CONGREGAT AD SE. Ieſus paſtor diligitur, Apoſtolos vocauit.
Attende.	*Baptiſmi inſtitutionem:* *Baptizati dignationem.* *Concurrentium myſtificationem.*	Anachoreſis commendationem. Carnis macerationem. Grandem contẽplationẽ.	Tentationum modificationem. Hoſtis confutationem. Angelorum miniſtrationẽ.	Diuinam vocationem. Vocatorum abiectionem. Sanctam eorum conuerſationem.
Gratiar. actiones.	*Gratificat.* Gratificauit nos in dilecto. Proprio filio non pepercit. *Filium ſuũ miſit propicia.* *Sic Deus dilexit mundũ.* *De plenitudine eius ac.*	*Paſcens.* Dominus regit me, & nihil. Comedi fauum cũ melle. Memoriam fecit mirabi. Mãducauerunt, & ſatura. Eſurientes impleuit bo.	*Fac mecum.* Fac mecum ſignum in bon. Dilatum eſt os meum.ſ. Super iram inimicorum meor. Rex Iſrael mutauit ha. Qui docet manus m.ad.	*Quam bonus es tu.* Quã bonus Iſrael Deus his. Beati ſerui tui, qui ſtant coram. Quoniã Iacob elegit ſibi d. Non fecit taliter omni nati. Elegit nos in ipſo ante com.
	FER.4. BLASPHEMANT. Ieſus crebris conuitijs Iudæis blaſphematus.	LACRYMATVR. Ieſus rigatus lachrymis, A Martha hoſpitatus.	ASELLO. Ieſus iumentis myſticis Sedens, Rex honoratus,	VENDITVR ALMVS. Ieſus Iudæis perfidis A Iuda licitatus.
Attende	*Conuitiorum grauitatẽ.* *Ieſu mititatem.* *Iudæorum feritatem,*	Lacrymarũ aſſiduitatem, Marthæ hoſpitalitatem. Lazari ſoſpitatem &.	Ieſu humilitatem. Turbæ obſequioſitatem, Vrbis calamitatem.	Iudæ cupiditatem. Iudæorum iniquitatem. Ieſu benignitatem.
Gratiar. actiones.	*O benedic.* Benedic. anima mea do. Benedic Dom. Deus Iſr. Benedic Dom. in oĩ tem. Benedicite omnia opera Domini Domino. Laudate pueri Domin.	*Conuertere.* Conuertere anima m. in req. Quia eripuit animã me. de. Repleti ſumus mane m. Exultauit cor meum in d. Repletum eſt gaud. os noſt.	*Adhæreo.* Mihi adhęrere Deo bonum. Ego dilecto meo; & ad. Quis nos ſeparabit a. Innixa ſuper dilectũ ſuum. Non timebo mala quoniam.	*Non cadit alter.* Auguſtum eſt ſtratum ita. Empti eſtis pretio mag. Saculum pecuniæ tulit. Benedictus De. diuites facti ſumus. Ditauit me dote bona.
	FER.5. OSCVLA DAT. Ieſus amicis oſculis Tradentem oſculatus:	CAPITVR. Ieſus ligatur vinculis, Captus, Annæ delatus.	FERT LVDICRA. Ieſus horrendis ludicris Illuſus, verberatus.	SÆPEQVE DVCTVS. Ieſus coram iudicibus Percrebro præſentatus.
Attende	*Chriſti admonitionem,* *Iudæ obſtinationem.* *Pij Ieſu proditionem.*	Diſcipulorũ fugationẽ. Capti Ieſu ligationem. Ad Annam ductionem,	Conuitiorum varietatem. Miniſtrorum feritatem. Ieſu tranquillitatem.	Ductionis ſedulitatem. Iudicum peruerſitatem. Animi Ieſu qualitatem.
Gratiar. actiones.	*Suſceptor.* Tu autẽ Domine ſuſceptor. Dicer d. ſuſceptor m. Dextera t. ſuſcepit m. Salus tua d. ſuſcepit. Suſceptor meus no. mo.	*Mihi faſciculus.* Faſciculus myrræ d.m. Tenui eum, nec dimittam. Non dimittã te niſi bened. Dirupiſti vincula me. Suſcepimus Deus m. tu.	*Caro cor.* Cor meum, & caro m. Si oblitus fuero tui. Quam magna multitudo. Delectabitur in craſſitud. Delectabar per ſingul. di.	*Sequor en te.* Sequor te quocunque ieris. Viam mandatorũ tu. cuc. Trahe me poſt te cur. Quis eſt hõ. vt ſeq. poſ. Greſſus meos dirige.

Ad Matutinas.	*Laudes.*	*Primas.*	*Tertias.*
FER 6. HERODI. Ieſus alba induitur. Vt ſtultus æſtimatus. Attẽde: *Iudæorum accuſationẽ.* *Ieſu tacentis aſpernationẽ.* *Clamydis induitionem,*	LATRO. Ieſus à plebe ſpernitur, Latroni comparatus. Populi ingratitudinem. Comparationis diſſimilitudinem. Pylati ſollicitudinem	FLAGELLANT HINC Ieſus flagellis cæditur, Columnę alligatus. Flagellorum truculentiam. Flagellantium maliuolentiam. Flagellati ſanguinolẽtiam.	PVRPVRA SERTVM. Ieſus veſtitur clamyde, Cum ſpinis coronatus. Purpuræ induitionem. Ridiculam coronationem, Grandem cruentationem.
O gemines, Imitationes: O ſapiẽtia quę ex ore altiſ. N Adonay dux & dom. O radix Ieſſe, qui ſtas in O oriens ſplendor,&. O Emanuel Rex,&.	*Ne me,* Si inueni gratiã in oculis tuis ne tranſeas ſ.t. Specie tua,& pulchritu. Quis eſt electus quam prop. Propoſui pro luce habere illam.	*Sitio,* Quemadmodũ deſiderat. Sicut adipe,& ping. Pulli eius lingent ſang. Carnẽ cum ſanguine co. Qui ſitit veniat ad me.	*Rex ſponſus vt intrem.* Ingredere benedic. Domini. Attolite portas princip. Ecce ſponſus venit exi. Qui regis Iſrael intende. Gaudebit ſponſus ſuper.
SAB. NVDATVR. Ieſus ſuis exuitur A veſtibus, nudatus. Attẽde: *Ieſu denudationem.* *Vulnerum cruentationẽ:* *Verecundam ſtationem.*	FIGVNT. Ieſus Cruce extenditur, Heu clauis perforatur, Ieſu extenſionem. Membrorum perfoſſionẽ. Diram confixionem.	EXALTANT. Ieſus agnus ſurrigitur, In ſignum eleuatus. Pœnoſam erectionem. Latronum aſſociacionem. Multorum deriſionem.	FERT PIA VERBA. Ieſus pendens proloquitur Septem verba, teſtatus, Pendentis tormentum. Ipſius teſtamentum. Verborum Sacramentum.
Exue, Imitationes: Exue me veterẽ hominẽ Inclina cor meum in teſ. Quis eſt iſte qui venit de edon. Libera me de ſang. Dilectus meus candidus.	*Suſcipiens,* Suſcipe me ſecundũ eloquiũ, In ſpũ humilitatis,& in a. Leua eius ſub cap.m. Fruamur cupitis ampl. Reuertere ad me,& e.	*Animam leuo,* Ad te leuaui animam meam. Ad te leuaui oculos me. Aſcendam in palmam, &.ap. Suſpendium elegit anima. Quis dabit mihi pennas.	*Sis memor oro.* Memor eſto verbi tui. Domine memento mei. Memento noſtri Domine in be. Memento mei dum ven. Dic animæ meæ ſalus t.
DOM. EDVXIT. Ieſus triumphans mortuus Patres limbo beauit, Attẽde: Ieſu triumphationem: Inferni vaſtationem. Patrum eductionem.	SVRGIT. Ieſus ſurgens glorificus Se ſuis propalauit. Reſurrectionis: qualitatem, veritatem, vtilitatem.	MVLTIS VISVS, Ieſus Mariæ primitus Apparens, honorauit. Apparitionis veritatem. Matris iubiloſitatem. Cum diſcipulis ſocietatem.	PIVS INFLAT. Ieſus chariſma ſpiritus Diſcipulis inflauit. Chriſti charitatem, Diſcipulorum dignitatem Diſcipulorum poteſtatem.
Eripe, Imitationes: Eripe me domine ab ho. Educ de carcere a.me. Educes de trib. an. Redimet in pace an.me. Eripe me de inim. meis	*Et exurge.* Exurge domine adiuua me. Exurge gloria mea exur. Exurge in occurſum me. Tu exurgens miſe. Exurge de. in præcepto quod.	*Dans oſcula.* Oſculetur me oſcu. oris. Quis mihi det te fratrem m. Oſtende faciẽ tuã,& ſal. Aſpice in me,& miſ.me. Ne auertas faciem tuam.	*Tantus vt ad me.* Vnde mihi hoc, vt maieſt. Domine non ſum dignus. Obſecro vt fiat ſpũs tuus, Spũs tuus bonus dedu. O quam ſuauis eſt Domine Spiritus t.

	Ad ſextas.	*Nonas.*	*Veſperas.*	*Completorium.*
	FER. 6. HINC COLITVR.	PRÆSENTATVR.	DAMNATVR.	ONVS FERT.
	Ieſus vti Rex colitur, Tormentis laceratus	Ieſus Iudæis ſiſtitur, Illuſus, laceratus.	Ieſus morti addicitur, Indutus, condemnatus.	Ieſus crucē amplectitur, Portans mundi reatus.
Attende	Ieſu illuſoriā honorationem,	Ieſu præſentationem.	Pylati lotionem.	Crucis grauitatem.
	Fœdam conſpuitionem.	Pylati expurgationem.	Ieſu condemnationem.	Pontificum inhumanitatem.
	Grauem verberationem.	Populi acclamationem.	Veſtiū reinduitionem.	Subſequentium varietatem.
	Concino.	*Nobiſcum.*	*Viuat mea.*	*Reſpuit ergo.*
Gratiar. actiones	Cātabo domino qui bo. tri.	Mane nobiſcum Domine.	Viuat anima mea, & laud.	Renuit conſolari a. m.
	Miſericordias Domini in æternū cant.	Ne derelinquas me domine n.	Memor fui iudiciorum tuorum.	Virga tua, & baculus tuus.
	Adijciam ſuper omnem laudem.	Et vſque in ſenectam & ſe.	Qui poſuit animam meam ad.	Repletus ſum conſol.
	Repleatur os meū laud.	Mane hodie apud me.	Et anima mea illi viuet.	Secundum multitudinem dolorum.
	Cantate Domino cāticum nou.	Omnia in te vno habentes.	Non diſcedimus à te.	Confitebor Domino, quoniam iratus.
	SABB. FEL GVSTAT.	MORITVR.	LATVS ET FODITVR.	TVMVLATVR.
	Ieſus felle reficitur, Mirrato comporatus,	Ieſus in cruce moritur, Agnus Patri oblatus.	Ieſus latus perfoditur, Cruore irrigatus.	Ieſus vnguētis vngitur, Cum fletu tumulatus.
Attende	Militum peruerſitudinem.	Grande Chriſti tormentum.	Mortui transfixionem.	Planctus acerbitatem.
	Potus amaritudinem.	Mundi totius lamentum.	Sacramentorum emanationem.	Vngentium pietatem.
	Satisfactionis plenitudinem.	Placatiuum incenſum.	Ioannis atteſtationem.	Tumulationis qualitatem.
	Paſcitur hic	*Nec in eternum.*	*Vulnera.*	*Pace clientem.*
Gratiarum actionis	Dilectus meus mihi, & ego il.	In æternum non obliuiſ.	Vulnerata charitate ſum.	Nunc dimittis ſeruum tuum.
	Panem Angelorum mand.	Memoria memor ero, & t.	Concaluit cor meum intra.	In pace factus eſt locus eius.
	Paraſti in dulcedinē tua po.	Non moriar, ſed viuam, &c.	Dilexit nos, & lauit nos.	Quis es tu qui inquietas re.
	Sub vmbra illius quē de.	Viuo ego iam non ego.	Facti eſtis prope in ſangui.	In pace in idipſum dormiam.
	Qui edunt me adhuc eſu.	Dilexit me, & tradidit.	Quia inflammatū eſt cor meum.	Qui poſuit fines tuos pacem.
	DOM. SCANDIT.	ET MISIT.	ASSVMPSIT.	ET EST REDITVRVS.
	Ieſus ductor exercitus Ad dexteram locatus.	Ieſus largitor ſpiritus. Per orbem prædicatus.	Ieſus matrem cæleſtibus	Ieſus iudex æquiſſimus, Finis deſideratus.
Attende.	Aſcendentis glorificationem.	Donorum magnitudinem.	Exaltet, ex qua natus.	Iudicantis æquitatem.
	Patrum iubilationem.	Linguarum multitudinem.	Matris priuilegiationē.	Præmij perennitatem.
	Angelorum congratulationem.	Miraculorum valetudinem.	Filij occurſionem. Glorioſam deductionē,	Beatitudinis fælicitatem.
	Quid mihi.	*Largitus.*	*In cellam.*	*Non edo fruſtra.*
Gratiar. actiones.	Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid.	Largitus eſt munera iuxta magnificentiā principalem.	Introduxit me rex in.	Panem ocioſa non comedi.
	Si aſcendero in cælum tu.		Dimitte me vt reuertar.	Adhuc eſcæ erant in ore.
	Cantemus Domino glorioſe.	Os meum aperui, & attraxi.	In Patriam meam, & in domum meam.	Qui manducat, & bibit.
	Aſcendiſti in altum, cæpiſti.	Ne proijcias me à facie t.	Fecit Aſſuerus grande cō.	Adhæſi teſtimonijs tu. d.
	Domin⁹ in cælo prę-parauit ſe.	Quo ibo à ſpiritu tuo.	Vt iumentum factus ſum.	Ne intres in iudicium cū ſ.

Digitized by Google

§. 2. Sequuntur aſpirationes, & exclamationes rythmicæ, decurſum vitæ, & Paſſionis Dominicæ concernentes, ante communionem.

Ante Communionem Sacramentalem vel ſpiritualem inuitatio dilecti.

	Ad Matutinas.	*Laudes.*	*Primas.*	*Tertias.*
Fer. 2.	EST GENITVS. O primum principiū, Ens vnum fontale, Meum participium Verbum ydeale: Deus Deo genite, Veni olim cælite, Hodie vallatus. De petra dimittere Deſerti, emittere Syon cibus gratus.	CREAT. Eya potentiſſime Rex, mundi creator, Cælitum dulciſſime Hierarcha, plaſmator. Quid hinc tibi tribuam? Quid Deus retribuam Hac terra deſerta? O, da tuum calicem, Da vinum, da laticem, Hæc libera ſpe certa.	EIICIENS. O fautor munifice, Adæ exaltator: Te miror mirifice, Parentum zelator, Redde innocentiam, Primam præcellentiā, O Adam ſecunde: Veni ſolue debita, Eſca cæli præbita, Veni lætabunde.	PRÆDICTA FIGVRÆ. O tu deſiderium, Et Patrum, & vatum: Reuela myſterium Angelis optatum. O ſi cælos rumperes, Et te iuſtum plueres, Gomor menſuratum. O petite ſæculis, Reple tuis epulis Cordis mei ſtratum.
FER. 3.	*Offertur.* O ſubacte legibus, Inſtar peccatoris: Iam æquaris gregib⁹, Tu paſtor amoris, Redempte me liberes Hortum tuum viſites, Feſtina, feſtina: Veni cum inſontibus, Saliens in montibus, Veni medicina.	*Fugiunt.* O mira dignatio! Deus proſcriptatur, Dum Hærodis ratio Ambit, excæcatur, O lumen Ægyptium, Veni luſtres ſaucium Animum turbatum: Cum tuis infantibus Adſis manducantibus Paſcha delicatum.	*Duodenis.* Eya Ieſu perdite, Ieſu duodennis: Veni Matri reddite, Doctor minorennis. Per vicos, plateolas, En quæro areolas Tuas iam intrare: O veni de libano. Dona mihi orphano Te participare.	*Matre remanſit.* O tu Sapientia, Quàm diu cælaris! En tota creſcentia Cum Matre moraris. Veni, voca paruulos: Capreas, & ceruulos; Me tibi ſponſando; O! de Matris gremio. Veni, tuo cremio, Veni, me cibando.
FER. 4.	*Mira fecit.* O Ieſu clariſſime, Rex prodigiorum: Suſpendis altiſſime Corda filiorum. Remoues miracula, Accedens cænacula, Veni, leproſorum, Tangam tuam fimbriā, Cū te ſacrā victimā, Litabo reorum,	*Pernox.* O dux pœnitentiæ, Ieſu chriſtiane, Veni rex clementiæ, O Samaritane. O quantis vigilijs Tu precum conſilijs Mihi lucubraſti! Iam fumus aromatis Igne ſcādat pneumatis. Ara cordis caſti.	*Docuit me.* O Doctor veriſſime, Veritas, & vita: Veni fœcundiſſime, Mentem meam dita, Sim tibi docibilis, Hodie vnibilis, Verbum ſalutare. Docendo vtilia, Seraphin per milia Aſcendam altare.	*Gloria Thabor.* Eya veni gloria Monſtrata in Thabor Per carnis tentoria Deum contemplabor. Geſtio te milies Pulchra Patris ſpecies Edere potare. Quis dabit de carnibus Paratis Cherubibus Mentem impinguare.
FER. 5.	*En lauat.* O lotor humillime Seruulis proſtrato Veni lotor animæ Patribus optate. Eya tuum famulum Te petentem pabulū Yſopo emunda, Quo ſtola albiſſima Te litem ſanctiſsima, Anima iocunda.	*Atque cibat.* O diuinæ gratiæ Veni Sacramentum, Cibans plena ſatie Amoris frumentum. Te nunc, & agniculum Saginatum vitulum Concupiſco multum. O panis Angelice Veni veni cælice Duc ad Patris vultum.	*Sermonem.* O Ieſu diſcipulis Fauum diſtillaſti: Dum verbis mellifluis Triſtes ebriaſti. O ſermo ſacerrime, Fœcunde pulcherrime, Veni, veni, veni! De thronis regalibus Iam noſtris ſponſalibus Adſis motu leni	*Sudat hic orans.* O ſudor ſanguinee, Ieſu amatoris: Tu amore vineæ Fers pondus angoris. O precum meſtitiæ! Venite delitiæ, Trinæ Hierarchiæ Ex Syon egredere. Cor meum ingredere Sanguis agoniæ.
FER. 6.	*Herodis.* O rex ſapientia, Chlamyde deſpecta, Tanquàm fætulentia Herode reiecta: Veni, ô rex gentium, Dulcis eſca mentiū, Iam noli tardare: O magne Adonay, Legifer in Sinay, Noli retardare.	*Latro.* O veni Emanuel Cæli legionum; Diceris rex Iſrael, Heu princeps latronū. O grande prodigium, Te diuinum filium Conferri latroni. Electe ex milibus Veni cum vigilibus Tui ſacri throni.	*Flagellant.* O flagellis liuide, Columnis conuincte: Veni Chriſte viuide, Angelis concincte, Veni ſponſe ſanguinum, Princeps cæli agminū, Me ſponſam ſponſare. Bibant pulli ſanguinem Cordi frangēs ſardinē. Tingens poſtes aræ.	*Hic purpura ſertum.* O te veſtit chlamyde, Et truci corona: Seuior heu aſpide Iudæa matrona. Veni ſponſe gloriæ, Serratus luſoriæ, Aſſiſtam regina. O Rex cor ingredere, Sacro mecum fædere Gaude, haud declina.

Poſt

Poſt Communionem Sacramentalem, vel ſpiritualem cantandæ ſub nota: Dies eſt lætitiæ, quæ nota habetur ſequenti folio.

Ad ſextas. *Nonas.* *Veſperas.* *Completorium.*

Gratiarum actionis poſt Cõmunionẽ.

FER. 2. CONCEPTVS.
O mirum ſpectaculum!
O verbũ incarnatũ!
Cæleſte ſpiraculum
Maria geſtatum.
Reſalue dulciſſime
Ieſu, frater optime
Iam communicate.
O totis præcordijs,
Tot miſericordijs,
Cuncta iubilate.

NATVS.
O puer pulcherrime
Patre mihi date:
Salueto pauperrime,
Matre mihi nate,
Lætare Hieruſalem,
Panis mihi Bethleem
Datus ephrateâ:
Angeli attendite,
Gloriam rependite
Laude iubilea.

CIRCVMCISVS.
Salue ſuppar Patribus,
Circumciſe Deus:
Te cæli primatibus
Laudo, Ieſu meus.
O nomen ſaluificum,
Oleum lenificum,
Iam mihi dulceſce,
Nam tuum cauterium,
Guſtaui myſterium,
Dulcis radix Ieſſe.

VENIVNT TRES.
Salue ſtella myſtica
Magorum magiſtra:
Tibi laudum piſtica
Cano, tangens plectra.
En auro diuiſſimo,
Et thure gratiſſimo,
Gaudet mentis vultus:
Nam miſſæ officio,
Myrræ ſacrificio,
Tecum ſum ſepultus.

FER. 3. *Lauit.*
O grandis humilitas!
O Deus! baptizatis,
Salue dulcis pietas,
Quantum abyſſaris.
O tu ſponſe ſanguinis,
Tu baptiſmo flaminis
Seruum baptizaſti;
Dum ſacratum verticẽ
Ad me cæcum culicẽ
Dignans inclinaſti.

Deſerto.
Salue dux ieiunij,
Ieſu heremita:
Reddo penſum munij,
Veritas, & vita.
Panibus angelicis,
Cum fauis me cælicis
Pauiſti gratantem:
Iam ad montem Synai
Ex orbe, Adonay,
Deducas ouantem.

Sathan hunc tentat.
Salue pugil inclyte,
Perpes triumphator:
Profers feræ perditæ
Tela conſolator.
O ignitis iaculis,
Tuis ſacris pabulis,
Dones reluctari.
Nam tuis militijs,
His fretus diuitijs,
Volo gloriari.

Vocat ad ſe.
Salue dignantiſſime
Tuorum vocator:
O ſponſe dulciſſime,
Pius inuitator,
Iam in tuis nuptijs
Concino delitijs
Carmen nuptiale.
O tu mea gloria,
Te ſeruem memoria
Nobile iocale.

FER. 4. *Blaſphemant.*
O quanta conuitia
Vincis pietate!
Præbe corda mitia;
Ieſu blaſphemate.
O veniſti cominus,
Benedictus Domin⁹,
Me iam honorando.
Laudet cæli curia,
Pro omni incuria
Acta celebrando.

Ter fleuit.
O quantis profluuijs
Fleſti lachrymarum,
Pro meis colluuijs
Iugium culparum.
Salue pro dulciſſimæ,
Adipis pinguedine
Mihi inſtillata:
Iubilet mens ebria,
Faceſſant funebria,
Eucharis amata.

Aſello.
Salue rex humilli ne,
Aſelli inceſſor:
Nutrimentum animæ,
Alumnus, poſſeſſor.
Iam tibi adhæreo,
Nam cibo ęthereo
Cor pinguaſti meum:
Te geſtem in corpore,
Geſtem, & in pectore
Ieſum dulcem meum.

Vendidit alumnum.
O Ieſu pijſſime
Vendite, ſalueto:
Te laudo gratiſſime
Corde triſti, læto.
O tu meum pretium,
Redimas mancipium
Peccato ſubſtratum:
O tu emptum pabulum
Agas mecum Sabbatũ,
Ne linquas cibatum,

FER. 5. *Oſcula dat.*
O ſtupendum oſculum
Iudæ condonatum:!
Hinc do laudũ thuſculum
Per affectum gratum.
O quam bonus Iſrael!
Me Deus Emanuel
Iam es oſculatus,
Tu clara facie
Ex hac fauſta ſatie
Fruar ſaturatus.

Capitur.
O amor fortiſſime;
Capte, vinculate,
A Malco ſæuiſſime
Conciſus amate.
O myrtæ faſciculus;
In Adæ funiculis,
Salue, me vinxiſti:
Nam tuo edulio
Cordis meditullio
Me tibi iunxiſti.

Fert ludicra.
Salue pro conuitijs
Deriſe Saluator,
Quæ pro amicitijs
Recipis Creator.
O te mille gratibus,
Pro his pietatibus
Laudo mirabunde:
Ludens fiam vilior,
Omnibus humilior,
Cibatus iocunde.

Sæpeq; ductus.
O cæleſtis gloria
Ducta per plateas,
Mente amatoria
Sponſas quęrens reas!
O quam verecundia
Coram iracundia
Siſteris cenſorum:
Mecum in meridie
Cubans, ſponſe gratiæ,
Mecum habe thorum,

FER. 6. *Hinc colitur.*
Salue fons clementię
Rex dehonorate
Sputo fætulentiæ,
Ligare, fœdate.
Pro tanta dulcedine,
Pro ſacra arundine
Canto fratrueli:
Laudans te pſalterio,
Suſpenſus myſterio,
O Hierarcha cæli.

Præſentatur.
O turbis furentibus
Salue pręſentate,
Ocellis fluentibus,
Leproſis ęquate.
O grande miraculum!
Te laudo ſpectaculum,
Factum peccatorum:
Mane mecum Domine,
Gratiarum fomine
Mentis fulci thorum.

Damnatur.
Salue vita gratiæ
Morti condemnata.
Cuius ſacra facie
Stat vita beata:
Viuat mea anima,
O ſalutis victima
Mihi nata, data;
Tua condemnatio
Sit mea cibatio
Semper tibi grata.

Onus fert.
Salue ô mitiſſime
Crucis baiulator;
Yſaac dulciſſime,
Mundi fabricator.
O quantum deſperneris,
Quã crebro proſterneris,
Sub crucis altari:
De tanto ſupplicio
Stupendo delitio
Des me gloriari.

Digitized by Google

Ante Communionem Sacramentalem vel ſpiritualem inuitatio dilecti.

Ad Matutinas.

SAB. *Nudatur.*

Heu quàm ſeuè veſtibus
Ieſu ſpoliaris!
Dũ mẽbris cæleſtibus
Rurſum cruciaris.
Rubicunde, candide,
Ieſu cibus ſapide,
Sanguine intincte,
De edon me complue,
Culpæ veſtem exue,
De Boſra Rex tincte.

DOM. *Eduxit.*

O triumphatiſſime,
Inferni vaſtator,
Redux amantiſſime,
Patrum conſolator:
Veri deſiderium,
Eucharis myſterium,
Mihi miniſtrare;
Amore deficio,
Et te Deum ſitio,
Veni me potare.

Laudes.

Figunt.

Heu! ligno extenderis,
Clauis perforate:
Totus mihi penderis,
Amor lacerate.
Sordidum amplectere,
Arbor alta flectere,
Dilecte votorum:
Inter tua brachia
Sunamitem ſatia
Epulis amorum.

Surgit.

O Chriſte glorificus
Reſurgens beatus!
O panis viuificus,
Victor laureatus.
O exurgas gloria,
Cadat omnis ſcoria
Carnis cænulentæ;
Galilæam adeam,
Panem Emaus comedã,
Veni quàm repentè.

Primas.

Extollunt.

O monte Caluariæ
Serpens eleuate:
Botre ſanguinarie.
Heu cruce aſſate:
Roris ſtillicidio,
Veni, ſis præſidio
Lapis reprobate;
Elegi ſuſpendium,
Da victus impendium,
Latroni æquate.

Multis viſus.

Eya ſurgens inclytus
Mortis triumphator,
O Mariæ Primitus
Factus conſolator:
Veni dulci iubilo,
Terſo culpæ nubilo,
Iam mihi appare;
O appare Ephraym,
Coram Ioſeph, Benia-(min
Mecũ epulare.

Tertias.

Fert pia verba.

O crudum ſuſpendium
Mei Saluatoris!
Hoſtiæ incendium,
Immolate foris,
Qua obedientia,
Qua nobis clementia
Condis teſtamẽtum?
O docentem audiam,
In pace iam dormiam
Libans Sacramentum.

Pius inflat.

O quantum diſcipulis
Donum condonaſti,
Dum flatus folliculis
Spiritum inflaſti!
O bumbres me ſpiritus,
Fœcunda me celitus,
Amoroſe Pater:
Venias propitius,
Animæ nutricius,
Gratiæ ſim crater,

Ad Sextas.

Fel guſtat.

Salue dulcor cordium
Aceto potate,
En totum præcordium
Tu laudat amate,
O verbi vehiculum
Te mirrhæ faſciculum,
Semper præconabor.
O panis Angelice
Mirrhæ paſtu fellicæ
Tibi conformabor.

Scandit.

Aue ardentiſſime
Zelotes amator
Scandis inclytiſſime
Cæli triumphator,
Aue cum pſallentibus,
Regem proſequentib⁹
Turmis Angelorum,
Trahe me erraticum
Per datum viaticum
Ad arcem polorum.

Nonas:

Moritur:

Salue vita gloriæ
Pro me morti data
Plangunt compaſſorie
Te cuncta creata,
O Dei exitium
Grande Sacrificium
Lacrymis litatum!
O tot mirabilia
Sint mea auxilia
In finem optatum!

Et emiſit.

Salue dator ſpiritus
Spiritus ardoris
Es dulcis paraclitus
Fomentum amoris.
Duplex fiet ſpiritus
Tuus datus cælitus
Multiplex in donis.
Cuncta mecum climata
Tua iam chariſmata,
Guſtant cæli thronis.

Veſperas.

Latus hinc foditur.

O cordis piiſſimi
Fontem Paradiſi
Ferri cruentiſſimi
Mucrone inciſi.
Reſalue fons gratiæ
Plena potans ſatiẽ
Fons Sacramentorum.
O cor meum vulneres,
Charitatem ordines
Spongia dolorum.

Aſſumpſit.

O quantis lætitijs
Scandis glorioſa
Immerſa delitijs
Mater ſpecioſa.
O Ieſu Cellatijs
Gaude multifarijs
Iam inthronizata.
Hoc vitis genimine
Sacro tecum numine
Fruar ô beata.

Completorium.

Tumulatur.

Salue amantiſſime
Ieſu tumulate
Planctus acerbiſſime
Matris charitate.
O cor meum pungito,
Sepultum inungito
Nunc pacis ſopore.
Nunc dimittis Domine
Me in tuo nomine
Sepultum amore.

Et eſt rediturus.

Salue diſtrictiſſime
Iudex creatorum,
Finis beatiſſime
Omnium Sanctorum.
Te collegi hoſpitem
Panem mihi ſoſpitem,
Vt te velis dare.
Hæſi teſtimonijs
Tuis, & præconijs
Noli me damnare.

§ 3. De ſeptem alijs effectibus determinatis, quibus homo iugiter poteſt ſe ferre in Deum, vel in ipſum Sacramentum ſumendum vel ſumptum.

A*Mbula coram me, & eſto perfectus.* Geneſ. cap. 16. Is (iuxta quendam) *coram Domino ambulat*, qui ſe ſemper Domino, & Dominum ſibi, pro aliquo reſpectu, & affectu repræſentat; Et quiſquis ita egerit, facilè perfectus excreſcet. Verum quoniam pleriquenil, niſi quod ordinatum eſt, amplectuntur, ne hi ſuo voto, hacque vtiliſſima exercitatione fraudentur; exclamationes in ordinem quendam redegimus, ſecundum ſcripturæ affectus in gradu occurſionis ſupra ſignatos. Et quoniam illic dicitur quòd Dominus ſit inuitandus, Propheticæ voces conſolatoriç audiendæ; ideo is ordo hic obſeruatur, vt primum conqueſtiones, & inuitationes; poſtque pro ſuſcepto Domino tenendo, ſubnectantur gratiarum actiones.

Vnde notandum, quod ſubſcriptis exclamationibus; & affectibus, non modo inter communicandum, eſt vtendum; ſed & omni tempore, & loco, ſub aliquo horum affectu debet ſe præſentare, & *ſuper ſe Dominum, tanquam tumentes fluctus* (cum Iob c. 31.) *ſemper vereri*, & ſic coram eo, in bonum operando, ambulare. Et poterit ſibi homo, ſecundum ferias, vt hic ſignatum eſt, affectus hos variare, vt ſe intimius his afficiat; ſcilicet vt ſit

Feria	2	vt	Reus,	Coram	Iudice,	Affectu	Timoroſo,
	3		Infirmus,		Medico,		Queruloſo,
	4		Debitor,		Creditore,		Pudoroſo,
	5		Mendicus		Rege Paſtore,		Precatiuo,
	6		Seruus,		Domino,		Doloroſo,
	SAB.		Sponſa,		Sponſo,		Suſpirioſo,
	DOM.		Filius,		Patre.		Amoroſo,

Et vt hi affectus magis ſint cordi, oportet circa ſingulos, ſingulas colligere meditationes; ſcilicet, vt videatur quomodo, in quibus, quàm multipliciter reus. Itemque qualis, quàm metuendus Deus ſit iudex, &c. Et ſic in vno affectu integra die ſe collocare, ſuas miſerias exaggerando, & Dei Maieſtatem amplificando. Sic legitur de Sancto Franciſco, quòd ſic agere ſolebat, & ſpeciales ad hæc orationes habebat, in quibus ſic dicebat: *Domine Ieſu Chriſte, ecce ſto ante te, tanquã magnus peccator, & multorũ criminũ reus, coram Iudice diſtrictè rationẽ exacturo, non modo de verbis & factis; ſed & de minutiſſimis cogitationibus: per tuũ quod pertuliſti, iudiciũ iniuſtum libera me.* Sic etiã de cæteris affectib⁹ ſuis habet orationes, quas longum eſſet ponere Cuius & nos exemplo ſic agamus, vt Gerſon, & Nyder ſingulatiter ſuadent. Nam huius ſolius exercitatio, poſſet hominem ad perfectum plenè deducere; vt ſcilicet & caueat malum, & operetur bonum. Quis enim, videns ſe ſemper ante Deum aſſiſtere, vel peccare audeat? aut tepeſcere à bono? Ergo hoc exercitium Sanctus Antoninus ſnos docebat dicens. *Quocunque vadis, ſemper Deum præ oculis habeas, ſi proficere deſideratis vt dicas cum propheta.* Pſa. 24. *Oculi mei ſemper ad Dominum.* 3. Reg. 27. *Itemque viuit Dominus in cuius conſpectu ſto hodie*, Semperque aliqua eleuatione ſe eleuet in Deum. Vnde poterit plures; immo innumeras Seraphicas exclamationes, vel conqueſtiones reducere, ſub paucculis prænotatis, quibus potiſſimum, quando communicandum eſt, conuenit exercitari; ne ſine affectu accedatur.

§ 4. *Exclamationes Seraphicæ ante Communionem.*

FER.2. PLENA MALIS. Primo exclamat homo, vt omnibus malis repletus, petens: *Libera nos à malo*, conquerens, & dicens, *Anima mea repleta eſt malis. Senſus, & cogitatio prona ad malum. Circundederũt me mala quorũ*, &c.	REVS. Vel, clamat reus ad iudicẽ confitens ſe reũ. *Qui offendit in vno factus eſt omnium reus. Reus eſt mortis* æternę damnationis. *Reus eſt corporis, & ſanguinis Domini.*	ERIPE NVNC. Poſt conqueſtionem, petit à iudice liberationem dicẽs: *Eripe me Domine ab homine malo.* *Libera me, & pone iuxta te. Quis liberabit me de corpore mortis?*	ASCENDE VENI TV Alto item affectu clamat dicens, *Aſcende cito, veni, & libera nos. Accelera, vt eruas me. Veni & libera nos Deus noſter. Veni ad liberandum nos Domine Deus virtutum.*
FER.3. Infirmus. Secundo clamat infirmus ad medicũ vitæ, referans infirmitates: Dicit ergo. *Domine quem amas infirmatur. Infirmata eſt in paupertate virtus mea. Non eſt ſanitas in carne mea. A planta pedis*, &c.	Captus. Vel, clamat, vt obſeſſus ad potentiſſimum Saluatorem, dicens conquerendo: *Tauri pingues obſederunt me. Circumdederunt me, ſicut apes, & exarſerunt, ſicut ignis in ſpinis.*	Miſerere mei. Petit medicum; *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum. Sana animam meam, quia peccaui tibi. Sana me Domine, & ſanabor.* *Non te pigeat viſitare infirmos.*	Modo ſalua. Inuocat Saluatorem, dicens, *Salua me Domine me rex. Salua me ex ore Leonis. Fiat manus tua, vt ſaluet me. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ, vſque ad animam meam.*
FER.4. Debitor. Tertio, clamat, vt debitor ad pium remiſſorem, reuelans ei vias ſuas. dicens. *Debitor ſum vniuerſæ legis.* Debitor inſipientibus, & ſapientibus multis plurima debẽs	Exactus. Exaggerat querelam, quia neceſſario exigitur reddere, quia dicitur ei. *Redde quod debes. Non exibis hinc donec reddas nouiſſimum quadrantem.*	Dimittas. Petit igitur à pijſſimo creditore, & potentiſſimo remiſſore, *Dimitte nobis debita noſtra. Dimittemus hac vice. Dimitte eã quia clamat poſt nos.*	Reddito Chriſte. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.* *Remitte mihi Domine, & miſerere.* *Propter nomen tuum redime.*
FER.5. Pauper. Quarto, ſuſpirat ad diuitẽ pauper, dicens, *Egenus, & pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea. Ego vir videns paupertatem meam. Mendicus, & pauper ſũ ego.*	Et eſuriens. *Eſurientes, & ſitientes, anima eorum in ipſis defecit.* *Anima eſuriens amara pro dulcibus ſumet. Anima eſuriens dat gloriam Deo.*	Frangas panes. *Frange eſurienti panem tuum. Panem noſtrũ quotidianum da nobis hodie. Amice commoda mihi tres panes. Paſce populum gregem tuum.*	Sitio te. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Quemadmodum deſiderat ceruus. En ſiti morior. Da mihi obſecro parum aquæ. Expectabunt onagri in ſiti ſua.*
FER.6. Seruus. Quinto orat, vt ſeru⁹ Dominum di. *Ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Seruus tuus ſum ego. Sed proh Seruus nequam. Ser. pig. Seru⁹ infidelis*, &c.	Non tranſi. *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, ne tranſeas ſeruum tuum. Conuertere Domine aliquantulum, & ne tardes venire ad ſeruos tuos. Domine inclina cælos tuos &c.*	Doceas. *Seruus tuus ego ſum, doce me facere voluntatem tuam de ſede magnitudinis tuę, vt mecum ſit, & mecum laboret. Ad te Domine leuaui animam meam.*	Non dignus & vnde. *Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meũ. Vnde hoc mihi, vt veniat, &c. Obſecro Domine mitte quem miſſurus es. Emitte Agnum Domine dominatorem terræ.*
SAB. Sponſa petens. Sexto clamat, vt ſponſa ad ſponſum. *Qui habet ſponſam ſponſus eſt.* Sed eſt hęc ſponſa adulterata, *fornicata ſub omni ligno frondoſo cũ multis.* Petit tamen, *Oſculetur me, &c.*	Languens. *Nunciate dilecto, quia amore langueo. Vulnerata charitate ego ſum. Aquæ multę non poterunt extinguere charitatem. Fortis eſt, vt mors dilectio. In lectulo meo, &c.*	Venias. *Veniat dilectus meus in hortum ſuum. Veni dilecte mi apprehendam te, & ducam te in domum*, ſcilicet conſcientiæ.	Petit egrediatur. *Egrediatur ſponſus de cubili ſuo. Tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Anima mea deſiderauit te in nocte. Sponſus ſanguinum mihi es.*
DOM. Filius. Septimo clamat, vt Filius ad Patrẽ. *Sanctificetur nomen tuũ.* Sed filius perditionis, filius mortis, ſtultiſſimus omniũ, alienus, filius *hominis putredo, & vermis.*	Oſcula da. *Oſculer, oro, Patrem meum.* *Fiat manus tua ſuper filium hominis quem confirmaſti tibi. Lacta filium tuum.*	Miſerens. *Si poteſt obliuiſci mulier, vt non miſereatur filio vteri ſui; &c. Pater clarifica filium tuum. Fili Dei miſerere mei.*	Saluum Patẽr alme. *Reſpice in me, & miſerere mei* &c. *Saluum fac filium ancillæ tuæ. Pater mi, Pater mi: currus Iſrael & auriga eius.*

Reſponſiones Propheticæ, vel Dominicæ.

FER. 2.	EXVET. Hic Iam conſolatoriæ reſponſiones ſubnectuntur : vt Eſai' *Eruens Dominus liberabit nos. In die mala liberabit eos Dominus. Mitiget ei à diebus malis. Liberabis pauperem à potente.*	EXPECTA, *Expecta Dominum liberabit te. Non accedet ad te malum. In ſeptima non tanget te malum. Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Inuocaſti me & liberaui te.*	TECVM. *Non timebis mala vltra; tecum ſum, vt liberem te. Quoniam in me ſperauit, liberabo eum, Liberabo populum de manu mortis, liberabo gregem meum.*	VENTVRVS, ET IPSE. *Qui venturus eſt, veniet, & non tardabit, &c. Syon noli timere, ecce Deus tuus veniet. Dicite puſillanimes, confortamini, & nolite timere. &c.*
FER. 3.	Cur fles. *Hieruſalem, cito veniet ſalus tua, quare mœrore conſumeris? Nunquid conſiliarius non eſt tibi, quia innouauit te dolor? Saluabo, & liberabo te noli timere.*	Sanabit. *Sanas omnes infirmitates tuas. Auferet à te omnem languorem. Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris. Ecce ſanus factus es noli peccare. A vulneribus tuis ſanabo te.*	Tulit ipſe. *Ipſe tulit languores noſtros. Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras. Ipſe vulnerat, & medetur. Veni vt mederer contritis corde. Non eſt opus medico, bene habentibus,*	Medens, quàm ſaluans. *Humiles ſpiritu ſaluabit.* *In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter.* *Hieruſalem gaude gaudio magno, quia veniet tibi Saluator.* *Dabo in Syon ſalutem.*
FER. 4.	Reddet. *Reddet ei bonum, & non malum. Reddā pro opere tuo. Omne debitum reddebā. Ego reddam gratiam. Reddam vobis annos, quos comedit locuſta.*	Retribuit. *Dominus retribuet pro me. Domine miſericordia tua, in ſaeculū. Retribuet Dominus miſericordiam, & veritatem. Retribuet gratiā, & offeret ſimilaginem. Extendis manum ſuam in retribuendo.*	Merces pretium. *Da mercedem Domine ſuſtinentibus te. Propheta tui fideles inueniantur. Ego protector tuus, & merces magna nimis. Ecce venit Dominus, & merces eius cum eo.*	Redimet te. *Redimes animam de manu inferi. In brachio extento redimam eos. Reuertere ad me, quia redemi te. Appropinquabit redemptio veſtra.*
FER. 5.	Ditans, *Dominus pauperem facit & ditat. Ditabit te Rex diuitijs magnis. Oſtendet diuitias gloriæ ſuæ. In ſiniſtra illius diuitiæ & gloria. Mecum ſunt diuitiæ, & gloria.*	Te paſcet. *Hoſpitabitur, & paſcet te, potabit ingratos. Ego paſcam vos, & paruulos veſtros. Paſcam eos in montibus, in paſcuis pinguibus. Ego ſum paſtor bonus.*	Comedas. *Ex omni ligno Paradiſi comedetis. Comedetis panem in ſaturitate. Comedes panem in menſa mea ſemper. Comedite amici, & bibite. Bona terra comedetis.*	Lapides ede pota. *Si filius à Patre petierit panem, nunquid lapidem &c. Torrente voluptatis tuæ potabis eos. Potabunt omnes beſtiæ agri. Aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum.*
FER. 6	Mandabit. *Sanguis Chriſti emundabit conſcientā veſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendū Deo viuenti, vt vltra non ſeruiatis peccato.*	Seruus. *Seruus ſenſatus dilectus quaſi anima. Seruus meus es tu elegi te. Vocaui te nomine tuo. Seruus meus es tu, in te gloriabor.*	Redimam te. *Eruam de ſeruitute, ac redimam in brachio excelſo. In ſeruitute noſtra non derelinquet nos Deus noſter. De domo ſeruitutis liberabit te.*	Valde beati. *Beati ſerui tui qui ſtant coram te ſemper, & comedunt de menſa tua. Serui mei comedent, & vos eſurie &c.*
SAB.	Sponſabo. *Sponſabo te mihi in fide, in miſericordia, & miſerationibus. Numquid obliuiſcetur virgo ornamenti ſui, & ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ?*	Quærens. *Hanc amaui, & exquiſiui à iuuentute mea, & quæſiui mihi ſponſam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius. Dicite filij Sion. Media nocte clamor factus eſt, &c.*	Gaudeto. *Hieruſalem gaude gaudio magno, quia veniet tibi Saluator. Iocundare filia Sion exulta ſatis filia Hieruſalem. Gaudebit ſponſus ſuper ſponſam.*	Sponſa redito. *Reuertere ad me auerſatrix Iſrael, &c. Ecce veniet deſideratus cunctis gentibus. Feſtinans deſcende, hodie oportet me in domo tua manere. Gaude & lætare, ecce venis.*
DOM.	Primus amat. *Filius meus primogenitus, Iſrael. Sicut mater vnicum amat filium &c. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Tu es Filius meus dilectus.*	Mittam. *Mittam Filium meum dilectum*: Vnum habens filium chariſſimum, & illum miſit.	Cur miſimus. *Heu me, fili mi, vt quid te miſimus peregrinari à nobis? Abſalon fili mi Abſalon quis mihi det, vt* &c.	Es mihi ſemper. *Fili tu ſemper mecū es, & omnia mea tua ſunt, & tua mea. Sicut mater conſolatur filios ſuos, ita conſolabor vos, dicit Dominus.*

Hic iam ſubnectuntur Seraphicaquædam gratitudinis verba poſt Communionem dicenda ſepte m affectibus prioribus correſpondentia.

FER.2. MISIT. *Miſit de cælo, & liberauit me. Miſit de ſummo, & accepit* præ aſſumpſit. *Miſit Deus miſericordiam, & veritatem ſuam. Miſit Dominus Angelum qui percuſſit omnem virum robuſtum.*	LIBRAVIT. *Liberauit me, quia placui ei, humiliatus ſum, & liberauit me. Liberauit me de laqueo venantium. Tu liberaſti populum tuum.*	TIMEAM NON. *Non timebo mala, quoniam tu mecum. Tu es qui liberas ab omni malo. Noli timere, quia tecum ſum, vt eruam te. Tu es qui liberas Iſrael ab omni malo.*	PSALLITE SÆPE *Laudate Dominum, qui liberauit animã pauperis. Sepe liberauit eos. Liberaſti me ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ. Liberaſti me à perditione.*
FER.3. Nuncbenedic. *Benedic anima mea Domino, & omnia quę intra me ſunt* &c. *Qui ſanat omnes infirmitates tuas. Infirmus ſui, & viſitaſti me. Venit legatus fidelis, ſanitas in pennis eius.*	Miſit. *Miſit De. verbum ſuũ, & ſanauit eos. Non enim malagma* &c. *Sed ſermo tuus Domine, qui ſanat omnes. Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.*	Saluat. *Saluauit nos de vniuerſis malis. Humiles ſpiritu ſaluabit. Ego tecum ſum, vt ſaluem te. Clamaui, & ſaluauit me. Saluabit ſibi dextera eius.*	Nunc laudo Deum te. *Collaudabo Deum Saluatorem meum. Pater miſit Filium Saluatorem mundi. Deus meus Saluator meus. Vidi Dominum, & ſalua facta eſt anima mea.*
FER.4. Empti. *Empti eſtis pretio magno, pretioſo ſanguine Agni incontaminati, & immaculati. Glorificate Deum, & portate eum in corporibus veſtris.*	Dimiſit. *Dimiſit vtriſque omne debitum. Omne debitum dimiſi tibi. Sanauit ac dimiſit. Dimiſſa eſt iniquitas mea. Dimiſſa ſunt ei peccata multa.*	Soluit. *Dominus de cælo in terram aſpexit, vt ſolueret filios interemptorum. Soluit medium parietem inimicitiarum. Dominus ſoluit compeditos.*	Quid retribuam nunc. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi. Quam mercedem dabimus.*
FER.5. Pauit. *Pauit eos pane, & aqua in deſerto quadraginta annis, Pauit in innocẽtia cordis ſui. Bonus paſtor animã ſuam dat pro ouibus ſuis. Nos oues paſcuæ eius.*	Cuncta dedit. Quæ ad victũ neceſſaria dedit. *Dotauit me Dominus dote bona. Mecum ſunt diuitiæ, & gloria. In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ*, &c. *Miſit ſacculum pecuniæ.*	Pinguis paniſq; *Azer pinguis panis eius. Panem de cælo dediſti eis. Panem cæli dedit eis. quàm dulcia faucibus meis eloquia tua. Apud te eſt fons vitæ, animam eſurientem ſatiau.*	Paraſti. *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus, quàm magna multitudo dulcedinis tuæ. Paraſti in conſpectu meo menſam. O quam ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus.*
FER.6. Eduxit. *In manu forti eduxit nos Dominus de domo ſeruitutis. Exaltate Deo adiutori noſtro. Diuertit ab oneribus dorſum eius.*	Læti. *Læti ſeruiemus Regi. Seruiamus Domino Deo noſtro, & noſtri iuris ſit offerre holocauſtum.*	Pereat. *Gens, & regnum, quod non ſeruierit tibi, peri Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore.*	Dimitte quàm nati. *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine. Benedictus Dominus qui ſeruum ſuum cuſtodiuit. Si meipſum tradam ſeruituti non ero dignus prouidentiæ tuæ.*
SABB. Suſceptor. *Suſcepit Iſrael puerum ſuum. Bona ſuſcepimus de manu Domini. Dextera tua Domine ſuſcepit me. Suſceptor meus non mouebor amplius.*	Tenui. *Tenui eum nec dimittam. Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Tene quod habes, vt nemo accipiat. Quod bonum eſt tenere.*	Cantabo Deo. *Cantabo dilecto meo. Canet tibi gloria mea, & non compungar. Venit dilectus meus. Miſit manum ſuam,* &c. *Hæc omnia cãtica laudis.*	Vel adhærens. *Mihi adhærere Deo bonum eſt. Innixa ſuper dilectum. Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius. Dilect⁹ deſcendit in hortum ſuum. Iam corpus eius corpori meo ſo.*
DOM. Gratificat. *Gratificat nos in dilecto Filio ſuo. Locutus eſt nobis in Filio ſuo. Proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro* &c.	Lætate Syon. *Lætare, & exulta in omni corde filia Syon. Filium ſuum miſit propitiationẽ pro peccatis noſtris, vt vitæ æternæ heredes efficiamur.*	Mihi pars. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei. Hæredes quidem Dei cohæredes autem Chriſti. Deus cordis mei, & pars mea.*	Pater es tu. *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis. Omne datum optimũ, & omne donum perfectũ deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum.*

§ 5. *Pro-*

§. 5. Roſarium de Sacramento.

1. Co. 9. OMnibus omnia factus ſum. Hoc dicit ad Corinth. Paulus: Cuius & nos hic imitatores facti, omnibus omnia in ſcribendis exercitijs facti ſumus, omnibus condeſcendimus, vt omnes lucrifaceremus, vtq; omnes ad pietatis exercitia cohortaremur, & induceremus. Poſuimus ſcalam longè lateque explicatam pro capacioribus; abbreuiauimus eam pro his qui ſunt mentis anguſtiores; ſed iam tandem (vt nullus ſe abſcondat à calore exercitatio-
Pſ. 18 nis huius, vt nullus in eſu Agni Paſchalis maneat imperatus) ſubnectimus Roſarium, ſub decem verſibus compendioſis, vt cui ſuperiora multa fuerunt, & ea meditari non poterit; vel ſaltem ſequentes verſus per modum Roſarij legat, petendo à Domino, vel Maria, vt dignè accedere poſſit. Nam ferè hic comprehenduntur, quæ vel ante, vel in, aut poſt Cõmunionem, ad dignè communicandum exiguntur. Nam *primo* præmittuntur quædam, ante communionem conſideranda; ſcilicet quæ in Prophetijs, figuris, ſimilitudinibus, & Patrum deſiderijs præceſſerunt, vt quomodo illi deſiderauerunt, ita & eius aduentum in Sacramento optemus, ibi *Optatum*.

Secundo, tangitur varia conſiderabilitas Sacramenti ibi. *Ad quem quis, &c.* vt ſic homo ſciat, quid debeat accipere. Et hæc ſunt Cõmunionem antecedentia.

Tertio etiam, ponuntur quædam in acceſſu memoranda, vt ſunt Sacramenti dignitas, & priuilegia, quibus arctius ſe excitet ad reuerentiam, & timorem ibi, *Nobile, &c.*

Item *quarto* inſtitutionis Sacramentalis cauſalitas, qua homo poteſt inflammari ad deſiderium ſacramenti, & amorem ibi. *Tres placet*, &c.

Ponitur *quinto* intentionis communicandi varia forma, quam communicans debet aſſumere, ibi, *Credo ſcio*, &c.

Sexto debemus pro effectibus Sacramenti petere, ibi, *Viuificat.*

Ponuntur item ſeptem principaliter, quæ poſt communionem debemus agere, quia debemus conſiderare quid ſuſcepimus, & inde gratias agere, quod notatur in verſu *Eucharis*, &c.

Item, debemus Agnum Paſchæ, ſecundum ſeptem portiones ruminare, quæ ponuntur in verſu. *Spiritus intima*, &c.

Quiſquis ergo voles te Sacramento huic dignè coaptare, bene illud percipere, & de percepto fructu gaudere, hoc Roſarium amplectere.

1. In primo huius Roſarij verſiculo deſcribitur Dominici Aduentus, ſub Sacramento exoptatio, præfiguratio, prophetatio, aſſimilatio, ſtabilitio.

Optatum,	*Typicum*,	*Dictum*,	*Simile.*	*ac ſtabilitum.*
Primo, deſcribitur Patrum exoptatio.	Secundo, præfiguratio, ſcilicet, de eius decentia, varietate, ſufficientia.	Tertio, quoniam ſit Prophetatum à Prophetis, fidelibus, gentilibus Poetis.	Quarto quod multis rebus eſt aſſimilatum.	Quinto quod eſt perfectione perpetuatum.

2. In hoc ſecundo verſiculo ponuntur Dominici Aduentus, ſub hoc Sacramento, circumſtantiæ diligentius à communicaturo conſiderandæ.

Ad quem quis	*quantus*,	*cur quomodo*,	*dat ferat*,	*vnde*,
Primo, conſideret ad quam vilem ipſe Deus venit.	Secundo, quãtus eſt, quia immenſus maieſtate, pulchritudine.	Tertio, cur tãta dignatione, & modum veniẽdi conſidera.	Quartò, quid det veniens, & quid mali auferat.	Quinto, vnde veniat, quia à ſũmo cælo egreſſio eius.

3. In hoc tertio verſu inſinuatur Sacramenti dignitas, & excellentia, quibus homo ſe aptare poterit in acceſſu Sacramenti.

Nobile fons,	*mirum*,	*gratum ſapit.*	*vtile*,	*adorant*,
Primo, notatur Sacramenti dignitas, & ſanctitatis fontalitas.	Secundo, patet dignitas ex ſingularitate miraculorum.	Tertio, ex gratitudine acceptabilitatis, & ex magnitudine ſuauitatis.	Quarto, ex magnitudine vtilitatis, quia exiſtentibus in Sæculo, in Purgatorio.	Quinto, ex ſingularitate cultus, & venerationis.

4. In hoc quarto verſu ponuntur cauſæ inſtitutionis, vt homo inflammetur ad Sacramenti deſiderium, & amorem.

Tres placet,	*iungat guſtet*,	*paſcat*,	*memor*,	*vngat.*
Prima cauſa eſt, fidei, ſpei & charitatis actuatio, & Dei placatio.	Secũda, eſt ſpõſi & ſponſæ cõiunctio, & diuinæ dulcedinis guſtatio.	Tertia eſt prouiſio ſpiritualis alimenti animæ fidelis.	Quarta, eſt cõmemoratio acerbę paſſionis. Chriſti, & amoris	Quinta, eſt, vt efficax eſſet in Eccleſia medicina quotidianæ infirmitatis.

Digitized by Google

5. Hic docemur, qua diſpoſitione debeamus accedere, & ſi nequimus habere debitam deſpectionem in opere, ſaltem habeamus in intentione.

Credo,	*ſcio,*	*volo,*	*coniungo,*	*memorans,*	*amo,*	*tendo,*
Primo dicendum Credo, id eſt, venio in fidei actuatione.	Secundo, in plena vtilitatis agnitione.	Tertio, in propoſitorum innouatione.	Quarto in Sanctorũ cõmunione.	Quinto, venio in deuora paſſionis, & beneficiorũ tuorum commemoratione.	Sexto, in ardentiſſimæ charitatis, qua hoc Sacramẽtum inſtituiſti, vnione.	Septimo, venio in recta intẽtione, propter quod; ſcilicet hoc inſtituiſti, accedendo.

6. Hic ſubiungitur Sacramenti huius fructus, & effectus, pro quibus orabimus in ſumptione, vel poſt intenſius.

Viuificat.	*purgat,*	*minuit,*	*vel roborat,*	*auget,*
Primus effectus eſt, quòd viuificat animas.	Secundo, purgat peccata ſaltẽ venialia, & aliquo modo mortalia.	Tertio, quòd minuit fomitẽ, & alios affectus inordinatos.	Quarto, roborat cor humanum ad grandia agenda.	Quinto, auget gratiam, & virtutes.
Reſtaurat,	*luſtrat,*	*præſeruat,*	*terret,*	*inarrat,*
Sexto, reſtaurat deperditum ſpirituale, ſicut cibus naturalis deperdita reſtaurat.	Septimo luſtrat intellectum.	Octauo, præſeruat à peccatis futuris, & à morte gratiæ.	Nono, terret dæmones, & in fugam vertit.	Decimo, inarrat ſponſam dilecto, eſt enim futuræ gloriæ pignus.
Dulcat,	*& impinguat,*	*calet vnit,*	*gaudia,*	*tutat,*
Vndecimo, cauſat guſtum diuinæ dulcedinis.	Duodecimo, impinguat animã gratia ſpiritus ſancti.	Decimo tertio, in flãmat ad amorem Dei, & incorporat hominem Chriſto.	Decimoquarto, dat gaudia Spiritus, propter ſpẽ futurorum.	Decimoquinto, tuetur à pæna purgatorij, & ad cælum perducit.

7. Hic enumeratur ſeptem Sacramenti nomina, quæ poſt poterunt retractari, vt ſciat quid acceperit, & ſic poſſit gratias agere.

Eucharis,	*Hoſtia,*	*ſinaxis,*	*Cibo,*	*po.*	*Sacra.*	*donum.*
Primo, dicitur, Euchariſtia, id eſt, bona gratia,	Secundo, Hoſtia ſiue ſacrificium, vel pacificũ.	Tertio, dicitur Synaxis, ſiue Communio.	Quarto, dicitur Cibus.	Quinto, dicitur Potus.	Sexto, dicitur, Sacramentum.	Septimo, dicitur Donum.

8. Aſſignantur hic præterea ſeptem Paſchalis noſtri Agni portiones, quas debemus dietim ruminare, & maſticare.

Carnem,	*ſanguine,*	*mente,*	*dat exta,*	*pedes,*	*bona,*	*vertex,*
Prima portio, eſt caro, & corpus nobis traditum.	Secunda, eſt ſanguis pro nobis effuſus.	Tertia, eſt ſpiritus Ieſu eſt anima.	Quarta, eſt inteſtina, i. virtutes Chriſti.	Quinta, eſt pedes, i. humanitatis eius opera H.	Sexta, eſt fructus.	Septima, eſt caput, id eſt, Deitas Ieſu.

TIT V

TITVLVS OCTAVVS.

Phagilexis, ſeu Manducatorium.

Rom. 14. QVi manducat, Domino manducet. HABITO IN SVPERIORIBVS latiſſime de ſpiritualis Cibi manducatione, aliorumque ſpiritualium exercitatione; ſubdendum iam de ipſa corporali materialis cibi comeſtione, & aliorum corporalium exercitatione, quanta ſint, & diſciplina celebranda pariter & deuotione. Teſte enim B. Patre Auguſtino, vndique laqueos, & tendiculas nobis parant animarum hoſtes inuiſi; maxime autē in corporali ipſa refectione; quo ſpirituali nos defraudent cibo: Summopere igitur contendendum nobis, ne horum irretiti laqueis aliquando intenſos incidamus caſſes, Deum, ſcilicet inter comedendū quomodolibet, offendendo. Magni enim hoc criminis eſt, & multæ (iuxta Vmbertum) peruerſitatis, tunc & ibi offendere Deum, vbi, & quando eius vtimur donis, & eius in menſa reficimur, & ſumus, vt legitur de proditore Iuda. Luc. 28. Conſilio igitur Apoſtolico parendum, vt *manducans Domino manducet*. Quod ea potiſſimum ratione expletur,

Si Religioſus; & bonus modus obſeruetur,

In { Acceſſu, Progreſſu, Abſceſſu, } menſæ.

De quibus modis breuiter agendum in hoc Manducatorio, ſeu Phagilexi, id eſt, opuſculo de ratione comedendi; ideo ſiquidem tanta ab experriſſimis ſub hoc noſtro æuo putatur raritas ſpiritualium, & contemplatiuorum, quia nimis effuſi in corporeum cibum, ad ſpiritualium non ſinuntur pertingere guſtum. Nam quemadmodum guſtato ſpiritu deſipit caro; ſic contra, vbi carnis guſtus inualeſcit, mentis deuotio (quæ ſpiritus guſtus eſt) deſipit, & euaneſcit. Obſeruandus igitur Religioſus comedendi modus, quo corpus refici poterit pariter, & ſpiritus.

De modo accedendi ad Menſam.

CAP. I.

Iob. 30. ANtequam comedam, *ſuſpiro; & quaſi inundantis aqua, ſic rugitus meus.* Ait in libro Confeſſionum Sanctus Pater Aug. *Cum ad quietem ſatietatis ex indigentię moleſtia tranſitur, in ipſo tranſitu laqueus concupiſcentia, vt irretiat, inſidiatur*, dum; ſcilicet de comedendo nimis cogitatur, aut inordinatē appetitur. Expedit ergo, in primo acceſſu, habere exercitia quædam, quibus mens occupata non ſupplātetur à gula; qualia commemorat Beatus Iob ſe habuiſſe, ante comeſtionem exercitans ſe in cōpunctione ſācta, quia nullū efficacius remediū, ad omnia ſuperanda vitia: Nihil enim (ait venerand' Gerſō, in Ser. de Spiritu ſācto) ita animam lauat, purificat, decorat, illuminat, & eleuat, & contra quaſlibet tentationes munit, & confortat; ſicut intima compunctio cordis. Ante prandium igitur exercitare ſe debet homo in cōpunctione; iuxta exercitia aſſignata ſupra in Diætatio, ſcilicet iſta,

Audito menſa pulſum, Domini, quaſi verbum,
Parens, compunctus, lege, diſpenſus, benedicas:

Quæ quia in Diætario, vtcunque ſunt declarata, breuiter hic tantum ſunt perſtringenda. PRIMO igitur, dum ſignum datur refectionis. ſuſcipiat pulſum, quaſi Domini Ieſu verbum, inuitantis ad prandium, vbi ait, *venite prandete*, & alias; *Et ecce prandium meum paraui*. O Verbum miræ ſuauitatis, plenum dulcedinis, & ſanctæ deuotionis, ſi rite fuerit intelligentię dentibus maſticatum! Quid enim dulcius, ſuauius, deuotius, quam nullam inuitari à tali ac tanto? Mox igitur audito pulſu, deuotè omnibus intermiſſis parendum, & cum viro ſecundum cor Dei dicendum, *Paratum cor meum Deus, paratum*; & cum Diſcipulo, quem diligebat Ieſus, B. Ioanne Euangeliſta, inuitatus ad conuiuiū ſuum, *ecce venio*, gratias agens, quia me dignatus es Domine Ieſu Chriſte, ad tuas epulas inuitare. Iob. 21. Matt. 22. Pſ. 56. Apoc. 19.

DEIN, quia inter eundum, ſub ipſo tranſitu, vt diximus, inſidiatur gulæ virium: conſerua, & exercita te in ſancta compunctione vt notatum eſt in Diętario; vbi gemina ſe offert ratio compunctionis, doloris, & pudoris; imò, & timoris, & amoroſæ gratitudinis, quaſi quattuor Paradiſi fluuij, vbi animæ affectus lauandi veniunt, & depurandi; Suboritur *dolor*, ex conſideratione amiſſæ immortalitatis, & inflictæ miſeriæ, vel deffectibilitatis; *pudor* ex eo, quod amiſſo celeſti cibo, *comparatus eſt iumentis inſipientibus ſimiliſque factus illis, fœnum vt bos manducans*, tam fœdæ ſubiectus ſeruituti exactoris ventris inſatiabilis, & impacabilis, qui nec rationem patitur, nec prece flectitur, nec æquitate mitigatur; Vt Innocentius ait; & Abbas Serapion de tribus debitoribus in vitis patrum. Non modica etiam ſe offert ratio *timoris*, dum in medio obuerſetur hoſtium, & laqueorum, laqueos bibens, & manducans: Veteri igitur habet cum S. Iob omnia opera ſua, maximeque comeſtionem, & conuiuia, propter quæ *ſanctificabat filios & offerebat per ſingulos holocauſta*, ſciens quanta illic offenſarum pericula. Poſtremo magna adeſt occaſio *Sanctæ gratitudinis*, & diuini amoris, qui eſcam dat in tempore opportuno, apetiens manum, & implēs omne animal benedictione, menſam talem parans, in conſpectu noſtro, & inuitans nos ad prandium, comeſtionem, & ſobriam ebrietatē. O Philanthropiam! ô ſacratos ignes diuini amoris! durus, & obduratus, qui in horū, & huiuſmodi conſideratione non emollitur ad effectus prædictos, ſcilicet compunctionis, ſicut legitur multos Sanctorum Patrum, ante & ſub refectione, lachrymas quaſi inundantes, cum S. Iob c. 30. ſæpius profudiſſe, vt de Abbate Iſidoro, Eſichio; & innumeris alijs, qui ſancta compunctione inebriati, nō *audierunt ſermonē, ſ neq; vocē exactoris*, vt de onagro G Pſ. 48. Dan. 4. Iob 9. & 1. Pſ. 31. Pſ. 22. Iob 30

dicitur Iob 39. Vbi moraliſſimus annotat in Moralibus Papa Gregorius, quod ille non audit clamorem exactoris, qui non inordinato afficitur gulæ appetitu, nec vltra menſuram ſumit neceſſitatis. Quales nimirum conſtat fuiſſe rationales illos onagros, liberos à vinculis, domum in ſolitudine, tabernaculaq; *Ibidem.* in terra ſalſuginis, habentes, vt inde oppleti ſunt libri vitis eorundem Patrum. Affectum igitur & nos induamus huiuſmodi ſanctæ compunctionis.

Et inter eundum, non tam gulæ nos concupiſcentia ducat, quam neceſſitas naturæ; ſic accedentes ad menſam, quaſi ad crucem. (Vt docet Bernardus, & ſic accedamus ad ſumẽdum alimentum, quaſi (vt Patrem Auguſtinum ſpiritus docuit) ad infirmitatis medicamentum. Interque eundum aliquid deuoti de Roſarijs, aut alijs exercitijs *legendum*, aut dum lauantur manus, vt mens expietur à vitijs o- *Eſa. 1.* randum, & dicendum, *lauamini, mundi eſtote.* *Ier. 4.* Itemque, *laua cor à malitia. Aſperges me Domi-* *Pſ. 50.* *ne. Cor mundum crea in me Deus.* Qui enim ſic ſemper aliquid ſacri in mente volutaret, & cordialiter oraret, non hunc gulæ appetitus inordinatus ſuperaret, aut ſupplantaret, nec *exactoris* commemorati clamorem exaudiret.

Deinde etiam legendum orandumque eſt, pro defunctis, & benefactoribus, quorum e- *Oſe. 4.* leemoſynis ſuſtentamur, & peccata comedimus. Vt optimè ad hoc cohortatur deuotiſſimus Thomas noſter Kempis, in Epiſtola de Pia memoria defunctorum, ab aliquibus Gerſoni inſcripta, ſed patulum eſt, quod non ſit eius. Vbi ait, *Magnum nobis pietatis, & compaſſionis innititur exercitium, & opus, vt nunquam corporalem cibum ſumamus, niſi prius fidelibus defunctis aliquam ſpiritualem eleemoſynam mittamus; ego* (ſubdit) *noui aliquorum talem eſſe conſuetudinem, qui ſigno refectorij facto ſe expediunt, & vacant orationi ad refrigerium animarum fidelium, quorum eleemoſynis ſuſtentantur,* hæc ille. Et verè laudabilis illa, & obſeruabilis conſuetudo, qua à pleriſque religioſis ſolennis ante ingreſſum Refectorij oratio fit pro benefactoribus viuis, & defunctis per Pſal. 66. *Deus miſereatur noſtri, & De profun-* *Pſ. 129.* *dis, cum Pater noſter, precibus, & collectis.* Saltem ſi non publica fit, fiat vel in priuato ante benedicite à ſingulis.

Poſt hæc diſponere ſe habet homo ad comeſtionem, tam corporalem, quam ſpiritualem, præſtituendo (cum S. Bernardo) quam frugaliter vti volet cibo corporeo, & quanta vigilantia, & ſpirituali eſurie intendere ſpiri- *Mat. 5.* tuali lectioni menſæ, Beati enim qui eſuriũt illum animæ cibum, & ſitiunt potũ, quia verè ſaturabuntur.

Poſtremo deuotiſſime dicendum eſt *benedicite, & gratias agendo*, quod talem in conſpectu tuo pręparauerit, ſine tuo ſudore, menſã, neceſſarijs omnibus inſtructam Deus, orando inſuper ne te in quopiã excedere permittat: Sed te pariter, & ſua dona benedicens; de corporea menſa, tandem ad ſupernã perducat, hæc enim cõplectitur hymnus benedictionis, vt patet: Qui nunquã (præſertim à Clero) intermittendus, vt iubetur, & Concilio. Nanſen in Decretis, vbi Sacer Canon ait: *Quãdo veniunt preſbiteri ad aliquod conuiuium, aliquis prior illorũ verſum, ante menſã incipiat, & cibũ benedicat, & tunc ſecundũ ordinẽ ſedentes, per vices, cibũ, & potũ benedicant. Et aliquis de illorum clericis, aliquid de Sancta ſcriptura legat. Poſt refectionem ſimiliter hymnũ dicãt ad exemplũ Do-* *Mar. 14.* *mini, ſicut in Cana feciſſe legitur* &c. Et ſimiliter c. *non liceat. Nec oportet clericos ante ſacrã diei horam tertiã inire conuiuia; Nec aliquando clericos non hymno dicto comedere panem, & poſt cibos gratias auctori Deo referre;* cui⁹ ratio ponitur, *de conſec. diſt. c. panis, & calix*, quia benedicendus, & regratiandus eſt Deus, in omni eius munere, tam ſpirituali, quam corporali.

Hæc de exercitijs ante menſam, & de modo acceſſus.

CAP. II.

Siue manducatis, ſiue bibatis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriã Dei facite. VIDENDVM *1. Cor. 10.* iam de modo progreſſus in comedendo; Veriſſima ſiquidẽ, (vt ait Vmbertus) abuſio eſt, & peruerſitas Deũ offendere, donis eius abuti, vbi donis eius fruimur & eius in menſa ſumus: agendũ itaque modis omnibus, ſiue mãducamus, ſiue bibim⁹, quo omnia in eius gloriam faciamus. Quod fieri poterit ſi hoc modo manducemus.

Cum diſciplina, deuotus edas, ſocianter.

Vt ſcilicet inter comedendum

Ad { Nos ipſos, Proximos, Deum, } habeamus nos { Diſciplinatè, Socialiter, Deuotè.

Breuiter oſtendendum de ſingulis. Et primũ.

§ 1. *De Diſciplina inter comedendum.*

Vtere quaſi homo frugi iis, quæ apponũtur tibi DICTVR de diſciplina comedẽdi, ne cõ- *Eccl. 31.* pendij excedamus intenti modũ, Lectores remittimus ad Specula diſciplinæ, & alios tractatulos, cõſcriptos ſuper diſciplinato modo edẽdi. Cęterum in his ſũma cõſiſtit diſciplinę,

Sit tacitus, clauſus, geſtu, mundus, moderatus,

PRIMA inter comedendũ obſeruantia, eſt *linguam à loquacitate refrenare*, vnde & ſilentiũ inſtituere Sancti Patres in eo, ſcientes, linguã, quæ omni tẽpore prona eſt (vtpote inquietũ malũ) ad peccatũ, periculoſius crapula inflãmatã labi *Gula enim deditos ſuperfluitas locutionis* (ait Gregor.) *lenitaſq; operis cõcomitari ſolet,* *Luc. 16.* *propterea & diues, qui inter epulas loquacitati ſeruierat, poſt in inferno poſitus, vehementius in lingua ardebat.* Maximè itaque ſilentij cenſura obſeruãda in menſa. Vnde & B. BENEDICTVS iuſſit in Regula, *ſũmũ* (dicẽs) *ſilentiũ fiat ad mẽſam, vt nullius muſſitationis vox, niſi ſolius legẽtis ibi audiatur; ſigno neceſſaria petãtur potius, quam voce. Nec præſumat ibi quis, de ipſa lectione, aut aliunde quippiã referre, ne detur occaſio maligno; niſi forte Prior, pro ædificatione voluerit aliquid breuiter dicere.* De cuius ſilentij ratione &

magni-

magnitudine, plenius proſequitur Pater Caſſianus, in quarto Inſtitutionũ: vt infra patet.

Altera diſciplinæ obſeruantia eſt, in *viſus reſtrictione, & oculorũ cuſtodia.* Sæpe enim ex Crapula, morum leuitas, & ſcurrilitas (iuxta Gregori.) generatur. Eſt igitur oculorũ cuſtodia inter epulas neceſſaria. quia non decet, vt ibi præcipuè vagos quis oculos habeat; neque curioſè, aut impudenter ea, quæ apud alios agũtur, circumluſtrãdo proſpiciat; ſed vt potius demiſſis luminibus ea tantũ, quę ſibi appoſita ſunt attẽdat. Hinc in regula ſua præcipit Pater Pacomius, vt oculos obtegerẽt cucullis, vt ne quidẽ reſpicerent, quam vel quantũ aſſidens Frater comedat; vt ibidẽ Speculũ Monachorum docet. Multa etenim ex circumuagatione hæc mala ſuboriri ſolent, murmur; iudiciũ malum; indignatio, ſcilicet; à quibus omnibus iuxta ſapientem, *qui oculos declinarit, ſaluus erit.* Quin & de hoc Eccleſiaſt. c. 3. ait, *Memento quoniam malus eſt oculus nequam. Nequius oculo quid creatum eſt? ideo ab omni facie ſua lachrymabitur cum viderit, &c.* vbi plura de menſæ & comeſtionis diſciplina proſecutus eſt. Sit igitur (vt verſus breuitatis, & diſciplinę cauſa habet) homo in menſa cæcus, quaſi non videns, vt cum Pſ. 37. dicere poſſit, *lumen oculorum meorum non eſt mecum*, factus tanquam non videns, & iſtud Euangelicum impleatur,
Io. 9. *qui vident cæci fiant, vt videant.*

Tertio diſciplina inter edendum in membrorũ omnium continentia, & *geſtus* honeſtate cõſiſtit, quatenus videlicet, neque in geſtu indecens aliquid, aut inhoneſtũ geratur, neque habitus, aut membrorũ incompoſitione deturpetur. Nihil cum ſtrepitu, aut tumultu ibi fiat; ſed omnia membra ſub diſciplinæ cenſura ſeruẽtur. Scurrilitas ſiquidẽ ex edacitate nonnunquam progigni ſolet. Hinc venerabilis Hugo in ſuo de diſciplina dicit, his tribus debet vnuſquiſque inter epulas conſeruare diſciplinam; in ſemetipſo videlicet vt linguã ſuã à loquacitate reſtringat; & oculos à circũſpectione cohibeat; cæteraque membra, ſub modeſtia, & quiete conſeruet.

Quarto munditia obſeruanda, maximè enim requiritur in menſa, quam ſordes ſũmopere dedecent, vti venerab. præmemoratus magiſter Hugo, inſigni ſuo Tractatu pleniſſime docet, immũditię ſpecies multas deſcribens, quas longum eſſet, & erubeſcibile commemoratu, quæ valde præcauendæ à religioſis. Ne improperetur illud Eſaiæ, c. 28. *omnes menſæ repletæ ſunt vomitu ſordiumque, ita vt non eſſet locus vltra.*

Poſtremo ad menſæ diſciplinam pertinet modeſtia, & moderata ſumptio cibi & potus, ſecundum omnes circumſtantias eius, hoc metro perſtrictas.

Quid, quantũ, quale, quãdo, ſeu quomodo ſumas.

Cura etenim carnis ſobriæ agenda eſt, & cũ quadam ſpeciali diſciplina Religionis, vt neque in modo eius, neque in qualitate aliquid appareat, quod non deceat ſeruum Dei. Nam & ad ſanitatẽ corporis id valet, vt cibus quãto honeſtius, & ordinatius ingeritur, tantò facilius, & ſalubrius digeritur. Obſeruandus eſt igitur *modus ſumendi*, vt non ſæculariter, neq; carnaliter ſumatur. Sed ſicut congruit ſeruo Dei; *tempus*, ne ante vel extra horã; *Qualitas*, qualibus vtitur comitas fraternitatis, excepta cauſa infirmitatis; *Quantitas*, ne nimis, vel minus pro neceſſitate naturæ; *Quidditas*, ne nimis precioſa, vel delicata, nec rara, vel inſolita, nec nimis accuratè præparata ſumat, iuxta illud.

Quid cernes, qualis, quantus, tempus, modus aptus.

Curramus ſingula paucis, erratur ſiquidẽ à multis, in iſtis. De quidditate nota, & obſerua hunc verſiculum.

Non carum, ſapidum, rarum, cautum, leue, fratrum.

§ 1. *Contra pretioſos cibos.*

PRimo etenim homo Religioſus non debet requirere cibum carum, pretioſum, à quo ſunt hæc retractiua quinque.

Paupertas, pietas, corpuſq;, pericula, ſtultum.

Debet ſiquidem *primo* ab hoc retrahere, *profeſſio paupertatis voluntariæ:* Qui enim parum vult habere, conſequens eſt, vt parum etiam velit expendere: Qui pretium non habet, pretioſa quærere non debet. Seneca. *Pauper, vbi diuites capit imitari, perit?* Nullum etenim tam opulentum eſt regnum, quod non prodigalitate fuerit abſumptum, teſtibus Valerio, & Tullio. *Abyſſus* namq; expenſarũ *abyſſum inuocat* diuitiarum. Quo fit, vt eueniat Pſ. 41.
illud à pueris decantatum.

Qui ſua conſumunt, cũ deeſt, aliena ſequũtur.

Vitanda ergo pretioſitas ciborum.

Secundo retrahere *debet affectio pietatis erga pauperes*, qui vix panem ad edendum habent. Nulla enim eſt fraternitatis charitas, imo magna eſt peruerſitas, quod vilis ſeruus pretioſa quærat, cum dominum ſuum in pauperibus egere ſciat. Vix membrum illius corporis, cuius Chriſtus caput eſt, creditur, ſi indigentiæ membrorum eius non compatitur, Apoſtolus 1. Cor. 12. *Si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra*, & Eccli. 22. *Fidem poſſide cum amico tuo in paupertate illius, vt in bonis eius læteris.* Hinc Bernard. *Noli putare gratuitum, quod impendis proximo, velis nolis debitor illis es, cum bona ſint pauperum*: ita quod (teſtibus Hieronymo & Bernardo) quicquid vltra parcũ veſtitum, & victum retinent, furtũ eſt, & rapina, imo & ſacrilegiũ. Horridum, & horrendum verbum pro ſcrupuloſioribus, tamẽ à Gerſone Conſolatorio doctore, in Tractatulo de Temperantia Prælatorum conſolabiliter explanatum. Stat tamen veritas, graue, & non gregarium eſſe peccatum, *tam multa expendere in pretioſis cibis, vt repleantur tres, vel quattuor ventres, vnde ſæpe centum, aut vltra ſuſtentari poterunt pauperes.* Vere crudele, hoc eſt non minus quam comedere fratres.

Tertium retractiuum eſt conſiderata conditio corporis. Cum enim corpus vile vas ſit, vbi corrumpitur, quod infunditur. Nõ cõſonũ rationi videtur ibi pretiũ aliquod recõdendũ. *Vlulate qui bibitis vinum in dulcedine, periit enim ex ore veſtro*; Nec videtur quod Deus Ioel. 1.

Digitized by Google

voluerit, quod corpus pretioſos quæreret cibos, qui eandem eſcam illi aſſignauit, cum
Gen.1. iumentis: *Ecce dedi vobis terram, &c. vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus.*

Quartum retractiuum eſt, periculum conquiſitionis: Pretioſa ſiquidem (vt frequenter) cum periculo conquæruntur, aut eius qui vtitur, aut illius à quo donantur. Noluit au-
2.Reg.23 tem S. Dauid bibere aquam, quam ſibi attulerant tres viri fortes, ſed libauit eam Domino dicens, *propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem: Num ſanguinem iſtorum hominum, qui profecti ſunt, animarum bibam?* Melius eſt, ſine periculo, tantum panem comedere, quam cum illo pretioſa habere, exem-
2.Mac.5 plo illius Machabæi, de quo ſcribitur, Iudas ſeceſſerat in deſertum locum, ibique inter feras, cum ſuis vitam in montibus agebat, Et *fæni cibo veſcentes demorabantur, ne participes fierent coinquinatis.*

Poſtremo retrahit *ſtultitia fatuitatis*, nam quod precioſi cibi quærantur, frequenter accidit, vel ex delectationis amore, vel ex ambitione: Et vtrobique eſt fatuitas multa. Fatuum etenim eſt magnos ſumptus facere pro breui & tranſitoria delectatione, quantum tranſitus ſibi per guttur durat, ſolum durante: Bernardo teſte qui ait, *voluptas gutturis, quæ tanti hodie æſtimatur, vix duorum habet longitudinem digitorum, non durans, niſi quantum durat tranſitus ille per gulam.* Et heu! pro illo tranſitu vult damna gula tot & tanta ſibi præparari. Valde quoque eſt fatuum, & peruerſum, propter ambitionem paſcere oculos mundi de hoc, quod ſubtrahitur in pauperibus famelico ori Dei: vt plenius venerabilis Cancellarius Pariſienſis deducit in opere de Temperantia Prælatorum; ad quod lectores remitto, obſecrans, ne contra Sanctorum exempla, cibos quæramus pretioſos, qui viliſſimis, vtpote herbis crudis, aqua, & potu contenti erant, vt infra.

§ 1. *Contra cibos delicatos & ſapidos.*

QVod etiam non ſint conquirendi cibi delicati, aut ſapidi, patet ex rationibus multis, ſcilicet iſtis hoc verſu perſtrictis.

Dedecet, infirmans, vſus, mala, crux, caret, acta

PRIMO quia delitiæ ſaporum *dedecent*, nec congruunt tempori vigiliarum, loco miſeriarum, ſtatui corruptionis, conditioni corporis, profeſſioni Chriſtianitatis, ſanctimoniæ Religionis, paucis curramus per ſingula. *Delitiæ non congruunt tempori vigiliarũ*, in quo ſum⁹, vniuerſum enim tempus (ait Bernard.) pœnitentiæ vitæque pænitentis, vigilia quædam eſt magnę ſolemnitatis, & æterni Sabbathi ſui, quod præſtolamur in cælis, Delitiæ autẽ ſolẽnitati congruunt, nõ vigiliæ, quæ in aridis fieri debet, vt feſtum in pinguibus ſubſequi poſſet. *Non etiam congruunt loco miſeriarum*, in quo degimus: locus enim exilij eſt, & vallis lachrymarum, vbi per alterã viã contendendũ
Mat.2. eſt, cum regibus Magis in patriã amiſſam, à qua decidimus per gulam. Nec enim homines eiecit de eodem loco voluptatis, & delitiarum, vt delicias ſibi quærerent in valle lachrymarum, ſed vt panem manducarent do- Pſ.126.
loris. *Non etiam congruunt cibi ſapidi, ſtatui huius corruptionis*, vbi omnia corrumpuntur, & Eccli.3.
ſubiecta ſunt vanitati: Melius conuerſantur piſces in aqua ſalſa, quam in aqua dulci: & homo ſub delitijs Paradiſi decidit, & ſub ſalſa aqua tribulationis, ſe melius cuſtodit. *Non etiam conueniunt delitiæ, ſeruili conditioni corporis*: Sed *ſeruo maleuolo*, qualis corpus eſt, Pro.29.
tortura, & compedes, vt habetur Prou.29. Et *virga in dorſo eius.* Qui enim delicate nutrit ſeruum ſuum à pueritia, poſtea ſentiet eũ contumacem, vt de equo auenoſo. Non decent ſtultum delitiæ. Ne (vt habetur Prouer.39.) per *ſtultum cibo ſatiatum, moueatur terra. Non etiam congruunt delitiæ profeſſioni Chriſtianitatis*, quæ ita ab imitando Chriſto eſt dicta. Chriſtus autem (ait Bernard.) qui non fallitur, elegit, quod carni moleſtius eſt: Id ergo melius, id vtilius, id eligendum magis eſt. Exemplo igitur Chriſti non carni delectabilia, ſed moleſtia, Chriſtianus eligere debet. Paulus. Gal.5. Qui *Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs ſuis.* & Mat.c.10. *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Non delitiandũ ſub ſpinato capite. Prælegit Moyſes affligi cum Populo Dei, quam cum Ægyptijs delitiari. Deut.c.8. *Poſtremo non decent delitiæ ſanctimoniam Religionis*, quæ ſtatus eſt pænitentialis afflictionis. Non ergo quęrendæ in deſerto Religionis, delitiæ carnales: ſed à Deo ſperandæ, & quęrendæ ſunt ſpirituales. Tunc filijs Iſrael in deſerto Deus Manna dedit, cum cibus terrenus defecit. Deut.8. *Afflixi te penuria, & dedi tibi Manna.* Qui terrenas delitias non vult habere, cæleſtes poterit ſperare. Gregor. *Si à carne hæc quoadlibet abſcindimus, mox in ſpiritu, quod delectat, inuenimus. Delicata enim eſt diuina conſolatio, nec datur admittentibus alienam* Dicebat Dominus. *Niſi* Io.8.
ego abiero paracletus non veniet ad vos. Si non datis, quod amatis, non accipitis, quod optatis. Quis de cætero carnalibus phantaſticis, illecebris deditus conſolationem ſperare audet paracleti ſpiritus. *Item* qui clauſtrum ingreditur, quaſi qui carcerem prælegit, in quo pro peccatis pæniteat, & puniatur, ne pro eis infernali carcere tradatur: Non eſt autem carcer locus delitiarũ. *Item*, qui Religionẽ intrat, exemplo, & amore Chriſti eius Crucem aſcendit: Non eſt Crux delitiarum locus in qua non Chriſto propinatum vinum electũ, Mat.27.
ſed felleum, acetoſum, ſeu myrrhatum. *Item* Religio locus eſt, & ſchola vbi intendendum eſt ſapientiæ percipiendæ, quod multum impediunt delitiæ. Iob.28. *Sapientia non inuenitur in terra ſuauiter viuentium*: Copia enim ciborum ſubtilitas impeditur, quare abſtinuerunt à delitijs Daniel cum ſocijs ſuis, Dan.1.
cæteris ob idem facti intelligentiores. Plurimæ igitur ſunt rationes dedecentiæ ob quas non ſunt exquirendi cibi delicati.

QVOD idem ſecundo principaliter diſſuadet periculum *infirmitatis*, quę exaggeratur cibis delicatis (vt ait Gregorius) ſunt enim (teſte Patre Auguſtino) alimenta quædam medi-

medicamenta; ſed medicamentum in vulnus vertitur, dum delitioſo ſapore, ſupra menſuram trahitur: Legimus de antiquis, quod pauci inſipidi illis erant cibi, vt de Cæſare, & Scipione aiunt, qui pane ſecundario, fructibusque veſci conſueuerunt; vnde & diu viuebant, & viribus vigebant; ſicut iam ex delitijs vires deficiunt, & increſcunt languores, Seneca in Epiſtolari. Antiqui medici neſciebant dare cibum delicatum, non vino fulciri venas cadentes, non minuere ſanguinem, aut balneis laxare morbum. Nec multa erant remediorum genera, cum eſſent periculorum pauciſſima; non erant apud eos irritamenta famis, immunes erant à morbis, quia nondum ſe ſoluerant delitijs, quos excipiebat cibus, qui nõ niſi eſurientib⁹ placere poſſit; vt latiſſimè illic deducit.

Tertivm retractiuum à cibis delicatis eſt, quia inde conquiritur *malus vſus*, qui vix poſt, niſi graui labore, excutitur, Hinc Seneca, *voluptatibus* (ait) *ſe immergunt, quibus in conſuetudinem adductis, carere non poſſunt; & ob hoc miſerrimi ſunt, quod eo perueniunt, quod illa quæ ſunt ſuperuacua propter vſum malum, quaſi eis facta ſunt neceſſaria*; hunc plures Sanctorum à mollibus abſtinere ſolebant ac delicatis, vt patet.

Qvartvm retrahens, eſt *malum* multiplex inde oriens; nam qui corpori delicata parat, adiutoria hoſti ſuo contra ſe procurat. Hinc monet Bernardus, *ſufficit, vt comeſtibiles fiant cibi noſtri, non etiam concupiſcibiles, vel delectabiles. Sufficit enim concupiſcentia malitia ſua; non opus, vt ei adſint, & delectationis irritamenta, ne duo fiant contra vnum, & periclitetur continentia. Alterum* malum eſt, quia vſum delitiarum frequenter exceſſus comitatur ciborum, & ipſum conſequenter infirmitas mentium, & corporum, quia iuxta Senecam, ex voluptatibus maior pars corporis perit: poterit igitur noſtra prouidentia huic corpuſculo moram prorogare longiorem, ſi voluptates poterimus regere, & coercere. Voluptates enim ciborum in tormenta vertuntur viſcerum: adeo vt nemo vnquam contumelioſior aduerſario ſuo hoſtis fuit, quam in quoſdam ſuæ ſunt voluptates; ſufficeret alicui ſi hoſtem ſuum excæcaret; ſed voluptates non ſolum excæcant, verùm etiam impotentes reddunt; contractos, & leproſos, alijſque infirmitatibus afficiunt, & tandem necant eos. Chryſoſtomus huius veriſſimus eſt teſtis, qui ait, hi qui in delitijs, & luxurijs vitam ducũt, reſoluta corpora, & omni cera molliora circumferunt, atque morbis repleta, quibus ad cumulum malorum podagræ tremor, & immatura ſenectus accedit, & eſt ſemper vita in Medicis, & in medicamentis, ſenſus autem tardi, graues & obtuſi, & quodammodo ſepulti vt habet, & ad oculum de crapuloſis, ebrioſiſque patent.

Qvinto magnum eſt delitiarum, voluptatumque retractiuum, ſi cogitemus, quod tota vita Chriſtiani (ſi ſecundum Euangeliũ Luc. 14 Chriſti geratur) crux eſſe debeat, atque mar- Mar. 8.
tyrium; Et quod cum Chriſto oportebit tollere crucem, cum eoq; perſiſtere in ea, & nõ delicatis; ſed myrratis, fellitis, aceroſiſq; poculis ſatiari. Mar. 15. Mat. 27. Io. 15. Nec enim miles delicatior rege ſuo eſſe debebit; huiuſmodi conſideratione ſe à voluptatibus refrenabat, qui in die Paſchæ ſale appoſito, & oleo, ob ſolemnitatis lætitiam; vlulans fleuit, & exclamauit, Dominus meus in cruce felle veſcitur; & aceto potatur, & ego ſale oleoque delitiabor.

Sextvm retractiuum à voluptatibus eſt, ſi recogitemus, quod illis durantibus ſpirituales deguſtare conſolationes impoſſibile eſt, vt ſupra prætactum eſt: impoſſibile etenim, & ventrem poſſe pariter replere, & mentem; præſentibus carnalibus perfrui, & ſpiritualibus; Non enim poſſumus (iuxta Apoſtolũ) eſſe menſæ Domini participes & menſæ dæmoniorũ. 1. Cor. 10. Sed erimus (vt ait Bernard.) miſelli, quaſi inter duas menſas, vtrarumque delitijs priuati: Nec enim ſe inuicem compatiuntur; ſed quanto corpori ſubtrahitur, tanto ſpiritui adijcitur, & ad ſpirituales cõſolationes meus præparatur. Vnde dictum erat Frãciſco, Franciſce, ſi tu cupis me agnoſcere, amara pro dulcibus ſume, &c. Abſtineamus igitur à voluptatibus carnis, vt repleamur conſolationibus ſpiritus,

Postremvm retractiuum, exemplum eſt Chriſti, Sanctorum omniumque ſapientũ, & magnatum, quod quaſi immane monſtrum præcipuè gulæ illecebras deuitarunt, delitiaſque ſaporum. De Chriſto nouimus, quod felle, myrrha, acetoque cibatus, & potatus fuit. De Sanctis omnibus itidem credimus, quòd *curam carnis non fecere in deſiderijs*, Rom. 13. ſed abſtinuerunt à teneris, heremo, quàm ſæculo ſe magis coaptantes; vt de Martino legitur, Germano, & Bernardo, & alijs Sanctis Patribus, vnde oppleti ſunt libri, & geſta eorundem, qui non modo delicata, aut ſapida non exquiſierunt; ſed & vilium alimentorum, & impræparatorum ſapores permixtione cinerum, aut aliorũ tollebant (vt de Germano, & Franciſco legitur in eorundem vitis) Non aliam ſalſam quam famem, & laborem quærentes. Væ igitur ſemel; Vęque iterum miſeris ſæculis noſtris, vbi carnis voluptates exquirentes, in ſpiritu deſipimus. Hęc enim (iuxta oculatos quoſdam) Summaria ratio eſt temporis, & corporis noſtri, & quod ſęculum noſtrum non illuſtratur illuminatis, & inflammatis viris, vt ante. Nemo ſiquidem vim iam infert carni, nec corpus ſubijcit ſpiritui, nec cum Salomone *abſtrahit à vino animam ſuam*, vt transferat ad ſapientiã nec cum pueris illis Eccli. 2. Iſraeliticis corpus ſub abſtinentia macerat, Dan. 1. quaſi ſupra vires: nec cum Germano, & alijs, ciborum ſapores cinerum permixtione tollit, aut vini ſaporem aqueum reddit, ſeu cũ Bernardo propter abſtinentiæ amorem, perpetuas infirmitates perfert, & cum alijs Sãctis, voluptates reſecat delitiaſque ciborum: cum tamen (iuxta experiiſſimos in contẽplationibus) vix poterit anima ab Ægypto tenebroſæ carnalitatis educi, niſi deſertum

Digitized by Google

tranſeat, & Mare rubrum, pugnaſq; Amalech patiatur, cæteraq; diſcrimina tentationum, euentuum, & viarum: corporalem faciens abſtinentiam non ſolum à ſuperfluis, ſed etiam à multis neceſſarijs; iuxta illud Gregorij, *Nemo poteſt apprehendere, quòd ſupra ipſum eſt: ſi prius neſcierit mactare, quòd eſt.* Quod quia non facimus, vix quiſpiam in contemplationis arcem aſcendit, ſtat, & manet. Hæc igitur commendatur ſobrietas, nõ illa quippe tantummodo, quę mandatum ſeruat, & eximit peccatum; ſed multo aſperior ab initio, atque rigidior more memoratorũ Sanctorum. Tribulationes etenim corporis dilatant animam ad ſuperiora, reſtringuntque ne dilabatur ad inferiora. Sic non inueniens anima, vbi ſuæ affectionis pes dilatetur, aut quieſcat (quoniam inundauerunt aquæ tribulationis ſuper terram ſenſualitatis) regredi compellitur, cum Columba, ad interioris Archam quietis. Qui verò ieiunij talis, atque tribulationum cæterarum aſperitatem à ſe iugiter reppulerit, mirabor (ait Gerſon experti:ſſimus) ſi non expers erit eleuatæ contemplationis, & ſi non aſſiduè per ima ſerpet eius animus, contentus communi aliorum modo cognitionis, ſicut à communi ritu viuendi, vel ad tempus non ſemet abducit. Multum ergo contemplationi; & ſanctitati ſubſeruit, victus aſperitas, euitatioque delitioſitatis.

Similitudo, Gen. 8.

Hæc latius congeſſimus, quia exceditur hic proh dolor! à multis delitioſitatem, ſaporoſitatemque quærentibus in cibis; quorum in ſe perſonam transferens ſub morali Satyra, narrat Sanctus Hieronymus, Natus (inquit) paupere domo, in tugurio ruſticano, qui vix millio, & cibario pane rugientem ſatiare ventrem poteram; modo ſimilã mellaque faſtidio; noui genera, & nomina piſcium, in quo littore collocata ſunt; calleo ſapores auium, diſcerno prouincias. De qualibus latiſſimè, & pleniſſimè in Apologetico ſuo, inque alia Epiſtola ſcripſit Pater Bernardus: Quod quidem Apologeticon digniſſimum lectu eſt à Religioſis, quare nec hic repetendũ. Delicatioribus igitur abſtinendum ſemper, non quòd de omnibus appoſitis, non ſit guſtandum; cum (iuxta Patrem Auguſtinum, in de Doctrina Chriſtiana) fieri poſſit, vt ſine aliquo vitio crapulæ, vel voracitatis, precioſiſſimo cibo ſapiens vtatur; Incipiens autem fœtidiſſima gulæ flamma in cibum viliſſimum ardeſcat, vt de Iacob, & Eſau exemplificat, quorum poſterior plus offendit in lenticula; quàm alter in pingui galina. Affectus igitur abſtinentiam cauſat, vt homo in bona voluntate delicatis carendi conſiſtat, etiam licet propter communitatem, vel carnis infirmitatem, plenè has edat.

Gen. 24.

Conſilium tamen, & conſuetudo bonorum eſt, ſicut guſtare de omnibus appoſitis ſic abſtinere aliquantulum, & minus ſumere, de delicatioribus, & ſaporoſis propter honorem Dei, & amorem virtutis, hæc itaque ſat ſint de vitandis ſaporoſis, delicatiſque cibis.

NON ETIAM RARA, & INSOLITA à Chriſti diſcipulis alimenta, inquirenda, propter iſta,

Hoc labor, hoc conſtat, timor eſt, dat ſcandala, & obſtat.

PRIMO, *vt parcatur labori miniſtrantium,* quibus graue eſt inquirere huiuſmodi, & ſudoroſum. Vnde in de Diſciplina Clauſtralium Magiſter Hugo, *alij quædam noua, & inſolita ciborum genera exquirunt; ita vt ſæpe propter vnius hominis ventrem, per omnes circum pagos turba diſcurrat famulorum, & ſæpe magna ſuboritur difficultas habendi,* vt de filijs Iſrael in deſerto expetentibus carnes. *Num. 11.*

SECVNDO, quia huiuſmodi cara pecunijs pluribus conſtant, & ſunt cara: Quo fit, vt impleatur illud Prouerb. *Qui diligit epulas in egeſtate erit,* & ſic pauperes Chriſti defraudat. *Pro. 14.*

TERTIO, quia expetere huiuſmodi rara frequenter ex tumore procedit elationis, aut ſuperbia, vt alijs excellentiores videantur in victu, aut ieiunio. Contra quos Hieronymus, *ſint tibi ieiunia pura caſta ſimplicia, moderata, & non ſuperſtitioſa. Quid prodeſt oleo non veſci, & moleſtas quaſdam difficultates, ciborum quærere, vt caricas, piper, nuces, palmarumque fructus? Tota hortorum cultura vexatur: vt cibario non veſcamur pane.* Itemque alio in loco idem, *audio præter cætera quoſdam contra rerum, hominumq; naturam, aquam non bibere. non veſci pane; ſed ſorbitiunculas delicatas, & contrita olera; proh pudor! non erubeſcimus huiuſmodi ineptijs, non tædet ſuperſtitionis? inſuper famam abſtinentiæ in ieiunijs quærimus; fortiſſimum ieiunium, aqua eſt, & panis; ſed ipſi gloriam non habent ſi omnes aqua, & pane viuunt; quaſi publicum commune ieiunium non putatur; niſi ſit ſingularis,* habet Hieronymus.

QVARTO, huiuſmodi inquirere inſolita, non parua generat infirmis ſcandala: Notiſſima autem eſt Doctoris gentium ſententia, quàm ſit malum homini manducare per offendiculum, & ponere fratri ſcandalum, & perdere eum, pro quo Chriſtus mortuus eſt; vt grauiter diſputat in Epiſtola ad Roma. c. 14. concludens, *Bonum eſſe non manducare in quo ſcandalizatur infirmus frater, in æternum,* alio in loco malens non edere carnes; quàm per infirmorum ſcandalum. *1. Cor. 8.*

POSTREMO, huiuſmodi rara inquirere, obſtat ſcripturis, & Sanctorum exemplis, illiſque eſt contrarium: qui nihil, tanquam ſingularitatem, vitandum putabant, vt prouerbium Bernardo erat. *Qui facit quod nemo, mirantur omnes;* & Baptiſtæ Sancto cibus locuſta, & mel ſylueſtre erant, non Phaſianæ illi quærebantur aues: vt inſigniter eloquentiſſimus Guerricus in Sermone deducit; ô igitur in huiuſmodi expetendis non ſimus ſingulares. *Mat. 3.*

NON INSVPER LAVTA, & ſtudioſè præparata, ſunt in Religionis Schola quærenda. Hoc etenim faciens facit mala multa,

Armans, abſumit, perdens, grauat, haud quoque ſanctè.

PRIMO

PRIMO, qui lauta Cibaria præparat, hoſtem ſuum contra ſe armat, & gladium illi, exacuit.

SECVNDO, Chriſti crucifixi patrimonium & pauperum bona diſſipat, & prodigaliter abſumit, & quaſi in cloacā ventris proijcit.

TERTIO delicatiores Spiritus ſancti refectiones conſolationesque perdit, & ammittit. Tabernaculo enim corporis deſeruiens, de illius altario manducare non poteſt.

Heb 13.

QVARTO ſtudioſa ciborum præparatio, frequenter nimium ſumendi eſt occaſio, & corporis ſpiritusque prægrauatio, contra Dominicum præceptum, Luc. 21. *Attendite ne corda veſtra grauentur crapula.*

POSTREMO eſt contra Sanctorum omnium exempla, quibus ciborum impræparabilitas erat, vt optimè deducit Ioannes Valenſis. Valde itaque lautitas eſt ciborum deuitanda; quæ tamen, proh! nimis inualuit apud multos, vt Hugo, & Bernardus lamentatur, quorum primus ait: *Alij ſuperſtitioſi nimis in præparandis cibis, ſtudium adhibent, infinita decoctionum, & frixurarum condimentorumq; genera excogitantes; Modo mollia, modo dura, modo frigida, modo calida, modo cocta aqua, modo aſſa, modo pipere, modo alio, modo cimino, modo ſale condita, ſecundum conſuetudinem prægnantium deſiderantes*, vt latius, & plenius in Apologetico ſuo executus eſt eloquentiſſimus, facundiſſimusque Bernar. videatur à lectoribus, & caueatur à lautis. Nec alia quam Sanctorum quæratur ſalſa, quæ conficitur *ex tribus granis; quæ ſunt productæ vigiliæ, longa ieiunia, & ſpes non habendi meliora*, id eſt, labor, fames deſperatioque delicatiorum. Vnde Bernard. panis furfureus, & ſimiliter aqua, olera quoque, vel legumina ſimplicia, nequaquam res delectabilis eſt; ſed amore Chriſti, & deſiderio internæ quietis ventri bene morigerato, gratanter ex his ſatisfacere poſſe, & delectabile eſt; faciliſimum ſi quidem, delectabile etiam, adiuncto amoris Dei condimento, eſt, ſecundum naturam viuere, vt de pauperibus & Sanctis exempla ponit, & de Philoſophis ex eorum auctoribus patet.

Digreſſio cur antiqui à carnibus abſtinuerint, & quatenus ab illis debeamus hodie abſtinere.

CAP. III.

PORSTEMO à Chriſti, & Religionis diſcipulo vitanda ſunt ſaltem in affectu, & deſiderio alimenta inflammatiua voluptatis; cuiuſmodi ſunt, vinum & carnes, à quibus legimus abſtinuiſſe quoſque perfectiores, aut ſaltem ſe contempetaſſe illis: vt de Baptiſta, Helia, Paulo, & Sanctis Patribus conſtat; vt in Apologia pauperum Bonauentura teſtimonijs multis probat, Hieronymum, Auguſtinumque adducens, quorum primus ait: Si vis perfectus eſſe, bonum eſt vinum non bibere, & carnes non manducare; conceduntur quidem nuptiæ, carnium eſus, vſus vini imperfectis: ſed horum abſtinentia conſilio perfectiore ſuadetur; nam ſi vis perfectus eſſe, melius eſt ſaginare animam, quam carnem; mentem, quàm ventrem; vnde & in de Fide ad Petrum, Beatus Pater Auguſtinus, humiles ſerui Chriſti, qui cupiunt Domino, abſque impedimento ſeruire, coniugia non appetunt, à vino, & carnibus abſtinent, quantum corporis valetudo permittit. Non quod peccatum ſit huiuſmodi percipere; ſed vt melius poſſint perficere. Nullus enim (teſte Gregorio) palmam ſpiritualis certaminis apprehendit, qui non prius in ſeipſo per afflictam concupiſcentiam, carnis incentiua deuicerit. Neque enim ad conflictum ſpiritualis certaminis aſſurgitur, ſi non prius inter noſmetipſos hoſtis mentis peſſimus, gulæ videlicet appetitus, edometur.

OB MVLTAS igitur rationes perfectiores, quique abſtinuerunt à carnibus conſiderantes plura inductiua huius, quæ complectuntur verſu iſto.

Natura, exemplum, mala, vel bona, ſcandala, ſuadum.

PRIMO, quia ſic *natura* inſtituit; ab initio ſiquidem (teſte Ambroſio in Exameron, libro octauo) ſimplicem cibum, & naturalem Deus reliquis cibis prętulit; quoniam hic ſobrietatis eſt, cæteri voluptatis; frugalitatis exemplum, & parſimoniæ magiſterium in hoc nobis adminiſtrans, vt herbis & ſimplicis oleris victu, aut pomis contenti ſimus, quem natura obtulit, quem liberalitas Dei primo donauit; vſque enim ad diluuium, carnis eſus inſtitutus non fuit.

SECVNDO, quia Sanctorum præclariſſimorum *exemplaritas* hoc edocuit: vt inſigniter de innumeris, & veteris, & noui teſtamenti Sanctis, contra Iouinianū, & in Epiſtola ad Euſtochium, Diuus Hieronymus adducit, Heliam, Heliſęum, Prophetarum filios, Danielem, Baptiſtam, Sanctoſque Patres nobiliſſima, & eloquentiſſima ſua lingua in medium ponens. Cuius etiam vas electionis ſe exemplum ponit, dum ait. 1. Cor. c. 9. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo*, agoniſtarum exemplo, ad hoc, & alios conuocandum ſubdit, *omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet*, &c. Quod itidem, & Sanctus Marcus (vt Eccleſiaſtica Hiſtoria refert) apud Alexandriam, & Ægyptios inſtituit; vt nemo vinum; nec guſtu contingeret, nec aliquam carnem, tantum aqua eis potus erat, & panis cum ſale, & Hyſſopo cibus. De Sanctis Patribus Hieronymus palam dicit, quòd inter eos viuitur planè leguminibus, & oleribus ſolo ſale conditis; Anachoretarum vero ſublimius genus, excepto pane, & ſale, nil amplius erant habentes, vt Ieſum haberent, teſtaturq; ipſe met vnum ſe nouiſſe qui per triginta annos pane ordeaceo, & aqua lutulenta vixit; pleni ſunt dè his libri Sanctorum Patrum,

& exemplorum non eſt numerus; hoc de Martino Sulpitius in ſuis Monachis; hoc ex Regulis Baſilij, & Benedicti patet; imò & gentilium Philoſophorum, vt Hieronymus pleniſſimè exequitur contra Iouinianum, & Ambroſius de vita Brachmanorum. *Quod igitur* (ait Hieronymus) *Iudaica ſuperſtitio ex parte facit in reiectione quorundam animalium, atque eſcarum; quod Indorum Brachmanes, & Ægyptiorum Gymnoſophiſtæ, in polenta oriza, & pomorum ſolo obſeruant cibo: Cur virgo Chriſti non faciat in toto ſi tanti vitrum, quare, & non maioris ſit margaritum?*

TERTIVM abſtinendi à carnibus inductiuum erat *euitatio malorum*, quæ carnium eſus progignit, quorum aliqua tibi verſus perſtringit:

Obtundit, calet, & ſpumat, cauſat, grauat, & plus.

Primo, quia *obtundit ingenium*: vnde ſapientiæ ſtudentes retraxerunt ſe ab eis, vt de Salomone, Daniele, & conſortibus eius Hieronymus. Si quis æſtimat abundantia carnium, atque potuum ſe perfrui, & vacare poſſe ſapientiæ; hoc eſt verſari inter delitias, & delitiarum vitijs non teneri, ſeipſum decipit; quomodo nuptijs virginitatem, ita ſaturitati, & carnibus, ieiunia ſpiritumque præferimus. *Secundo* gignit pruritum, & calefactionem carnis; Hieronymus, *quid oleum flammæ adijcimus? quid ardenti corpuſculo carnes, aut vinum fomenta ignium, miniſtramus?* Vnde non ſine graui cauſa, in ieiuniorum diebus, Mater Eccleſia abſtinere iuſſit à carnibus, & ab his, quæ ſementrinam originem trahunt ex eis, *Tertio* in libidinem facilè *deſpumat*. Hieronymus ad Saluiam, *Scimus ab Apoſtolo dictum, omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur; ſed idem loquitur, bonum eſt non manducare carnem, neque bibere vinum. Comedant carnes, qui carnibus ſeruiunt, quarum feruor deſpumat in coitum, qua alligata maritis generationi, & liberis dant operam. Quarum vteri portant fœtus, earum inteſtina carnibus impleantur; Tu vero, qui in tumulo mariti ſepeliſti omnes pariter voluptates, nihil neceſſe habes aliud, niſi perſeuerare in ieiunio.* hæc ille. *Quarto*, licet caro, vtpotè Dei creatura, ſit bona, & munda formaliter; occaſionaliter tamen, ex eius vſu, & frequenter, immunditia contrahitur; dum concupiſcentia excitatur, & homo dyſcraſiatur, & contra ſpiritum caro roboratur. Vnde quamdiu in hoc fragili corpore detinemur, quamdiu theſaurum iſtum in vaſis fictilibus habemus, & caro contra ſpiritum concupiſcit, abſtinere debemus. *Quinto*, quia carnes groſſioris naturæ ſpiritum & corpus magis grauant, & ad deuotionem propter iniurias, quas cauſant fumoſitates, ineptum reddunt; ſicut & vinum; vt de Noe, qui inebriatus obdormiuit, & mox verendorum nudatio ſubſecuta fuit. Mala ergo plurima ex inordinata carnium comeſtione procedunt, ex qua caro *impinguata, incraſſata, dilatata* ſpiritui fit rebellis. Quare ſancti abſtineant ab eis, ad quod & cohortantur nos in Sanctorum Canonum decretis *de conſecratione, diſtinctione quinta*, Ne tales accipiamus cibos, quos aut difficulter digerere, aut comeſtos magno paratos, & conditos labore doleamus.

Eccl. Dan. 1. 1. Thi. 14. Rom. 14. Gen. 9. Deut. 32.

QVARTVM inductiuum erat *multiplex bonum* procedens de abſtinentia carnium,

Vincit, & euitat, lux vis, ſeruatque ferenat.

Primo facilè diabolum ſuperat, qui hoſtem domeſticum, & intus poſitam carnem, à carne refrænat. *Secundo* libidinem, imperfectionem, & mala alia, quæ occaſionaliter carnium eſus facit, euitat, & ad perfectionem diſponit. Hieronymus contra Iouinia: Fac eſum carnium contractis nationibus eſſe communem, & paſſim licere, quod paſſim gignitur: Quod ad nos, quorum conuerſatio in cælis eſt, quæ ſuper Pythagoram, & Empedoclem, & omnes ſapientiæ ſectatores, non ei debemur cui naſcimur, ſed cui renaſcimur; quin repugnantem carnem, & ad libidinum incentiua rapientem inedia ſubiugamus. Valde enim abſtinentia à carnibus conſeruat nitorem ſanctæ caſtitatis. Hieronymus, ſollicite prouidendum eſt, *vt quos ſaturitas de Paradiſo expulit, eſuries reducat. Non quod Deus vniuerſitatis creator, & Dominus inteſtinorum noſtrorum rugitu, & inanitate ventris, pulmoniſque delectetur ardore, ſed quod aliter pudicitia tuta eſſe non poſſit. Tertio*, lux eſt animæ, & ad ſapientiam diſponit, vt in Daniele, & pueris patet, quibus intellectus, & ſpiritus Dei collatus, quia abſtinentes erant à carnibus. *Quarto*, vis, & fortitudo animi per hoc confertur, iuxta illud Bernardi, Quomodo ipſum corpus noſtrum quotidie creſcit, & decreſcit: ſic neceſſe eſt, & ſpiritum ſemper perficere, aut deficere; ſed intereſt ordinis, nam ſemper in robuſto, & vegeto corpore animus mollior, atque tepidior eſt; & rurſum in corpore debili, & infirmo fortior viget, promptiorque ſpiritus; quod ſe expertum teſtatur Apoſtolus dicens, *Quando infirmor, tunc potens ſum*; ſicut igitur per abſtinentiam vigor attenuatur in corpore; ſic & augmentatur virtus in animo, maximè in viro perfecto. *Quarto* valet ad cuſtodiam *paupertatis*, & Dei gratiam conſeruat, de primo Hieronymus ad Saluiam ſcribit, *Vbi vile oluſculum, cribrarius panis, & cibus potuſque moderatus, ibi diuitiæ ſuperuacua.* Et contra Iouinianum. *Grandis animæ exultatio eſt, cum paruo contentus fueris, mundum habere ſub pedibus, & omnem eius pompam, & epulas, ac libidines*, propter quæ diuitiæ conquiruntur, vilibus commutare cibis. Quod *Dei gratiam conſeruat.* Eſaias cap. 30. *Dabit tibi Dominus panem arctum, & aquam breuem, & non facies auolare à te doctorem tuum* vltra, &c. *Poſtremo* valet

Dan. 1.

etiam

etiam, & ad continendam *mentis ſerenitatem*, iuxta ſententiam Senecæ in Epiſtolati: *Non eſt* (inquit) *iucunda aqua, & pulmenta, aut fruſtum ordeacei panis, ſed ſumma voluptas eſt, ex his poſſe capere voluptatem, & ad ſe deduxiſſe, quod eripere nulla fortuna iniquitas poſſit*, hæc de bonis, quæ ex carnium abſtinentia procedunt.

QVINTO aliquando Sanctos induxit abſtinere à carnibus ſcandalum infirmorum, vt Auguſtinus in libro de Moribus Monachorum ait, Tres innuens potiores cauſas, cur viri Sancti, aliquando abſtinuerunt à carnibus, *primo* ad carnis concupiſcentiam edomandam, *ſecundo* ad infirmorum ſcandalum euitandum, *tertio* propter euitationem idolothytorum. De quibus cauſis ad propoſitum, præclarum eſt exemplum, de Machabæis & memorabili illo Eleazaro, ſimiliter, & Paulo Apoſtolo, Qui gentilibus gentilis, ne ſcandalizaret fratrem, dixit nō manducare carnes in æternum.

2. Mac. 6
1. Cor. 9.
1. Cor. 8.

POSTREMVM à carnibus abſtinendi inductiuum eſt multorum *ſuaſio*, & conſilium; aiebat Paulus, Rom. cap. 14. *Non manducare carnes eſſe bonum*: Itidem in eorum Regulis conſtituerunt Patres Monachorum, Baſilius, & Benedictus, plurimum id ſuadet Hieronymus, ſcribens ad Euſtochiam, & contra Iouinianū nam in Epiſtola dicit, *ſi quid in me poteſt eſſe conſilij, ſi experto creditur, hoc primum admoneo, hoc obteſtor, vt virgo Chriſti carnes & vinum fugiat pro veneno, nec oleum adijciat flammæ, nec ardenti corpuſculo, ignium ſubminiſtret fomenta*. Qui & contra Iouinia. eſus carnium, & potus vini, ventriſque ſaturitatem vitanda dicit, quia ſeminaria ſunt libidinum, innumeris ad hoc cohortans exemplis antiquorum, vtpotè Athenienſium Sacerdotum, Ægyptiorum, Gymnoſophiſtarum, Prophetarum, Iouis in Creta oraculum ſub Pigmalione, & Magorum perſicorum, atque Indorum: Quorum plerique non modo à carnibus abſtinebant, ſed & oua quoque, & lac pro carnibus vitabant, alterum carnes liquidas, alterum ſanguinem colore mutato dicentes mira, & multum verecunda ſunt, quæ de eorum abſtinentia adducit, qui coctum nil ſumebant, prandia in cænas vertebant, pomis, herbis, vel pumico cortice contenti, pane tariſſimo veſcentes, ne ſtomachum oneratent.

Rom. 14.

O erubeſce Sydon, ait Mare, Eſa. ca. 23. ſit magna Chriſtianis verecundia, tanta gentium abſtinentia; ſit præſertim Religioſis omnibus proficiendi in abſtinentia incitatiuum, tantam vidiſſe Religionem, & parſimoniam in Flaminibus prophanorum. Et qui adeo inualidi ſunt, & infirmi, vt omnimode, cum perfectioribus carere non poſſint eſu carnium: ſaltem libenter abſtineant ab his, vel in alterum diem, vt aliquatenus differant ab hominibus ſæculi. Iccirco enim multo maxime congeſſi hic inductiua, à carnibus abſtinendi. Non quo omnimodam abſtinentiam ſuadere velim infirmioribus, quod non facit ordo noſter Canonicus, ſed ſaltem, vt in indicium perfectionis, & Religionis, diebus Lunæ etiam patienter abſtineamus à carnibus, quod puto conuenire, & corporis ſanitati, & Religioni mentis. Et ſtemus in deſiderio, ſi infirmitas perferret, abſtinendi omnimodè, & abſtinentes præferamus, & iudicemus fæliciores; & ſumamus cum humilitate mentis, quatenus, ſi quid perfectioni ſubtrahitur pro carnis debilitate, ſuppleatur ex mentis humilitate, ne imperfectior ſit pro eſu earnis non edentibus, aut ne Diſcipulus, & ſequax fiat confuſibilis, à Hieronymo confuſi Iouiniani. Non enim eſca, vel abſtinentia eius commendat nos Deo, nec in illis perfectio eſt, ſed inſtrumenta quædam ſunt perfectionis, & per bonum vſum poteſt fieri bonum adæquatum. Vnde inueniuntur viri perfectiſſimi habuiſſe eſum carnium, qualis poſt Chriſtum & Apoſtolos, Auguſtinus, Dominicus, & Franciſcus, & potior pars Eecleſiaſtici corporis. vt patet de multis. Vnde aliquid ſubdendum, pro conſolatione noſtri laxioris ordinis, quomodo ſine detrimento vti poterimus carnibus, & habet ſumma propoſitionis, quam in Apologia Bonauent. ponit.

Eſa. 23.

Rom. 8.

LICET de genere operis abſtinere à carnibus, alijſque delicatis cibarijs, actum dicit conſonum perfectioni, magis quam vti illis, quod quantum eſt de ſui generis, quandam importat notam imperfectionis: poteſt tamen reduci ad perfectionem, per circumſtantiam ſuperadiectam; vt cum ſit ex rationalibus cauſis, cum bonitate, voluntate, & humilitate mentis. Ita quod tam abſtinere à carnibus, & vino, quàm his vti, poteſt fieri perfectè, & imperfectè, tantum non fiat in deſiderio cura carnis, licet abſtinere, perfectius ſit ex proprio genere. Alterum vero perfectè ſit ratione circumſtantiæ adiunctæ, cum ex ſe magis declinet ad imperfectionem. Non quòd cibus ſit aliquatenus, in culpa, de quo Apoſtolus dicit, *eſca nos non commendat Deo*: Gloſſa, *ſumpta*, ſcilicet, *vel non ſumpta*. Et Auguſtinus in de Doctrina Chriſtiana, Quid locis, tempori, & perſonis conueniant diligenter attendendum eſt, ne temere flagitia deprehendamus. Fieri enim poteſt, vt quis ſine vitio cupidinis, pretioſiſſimo cibo vtatur; & ſanus quiſque maluerit more Domini piſce veſci, quàm lenticula more Eſau, aut ordeo more iumentorum.

Rom. 13.

Gen. 24.

Non enim (teſte Gregorio) *cibus, ſed appetitus in vitio eſt*: Vnde cariores cibos plerique ſine culpa ſumimus: Et abiectiores, non ſine reatu conſcientię deguſtamus. Hinc Eſau primatum per lenticulam perdidit. Et Helias in Eremo carnes edendo virtutem corporis ſeruauit. Vnde, & antiquus hoſtis, primum ſibi hominum non carne, ſed pomo ſubdidit, & ſecundum non carne, ſed pane tentauit. Vnde patet, quòd, & carne, & delicatis vti pro tempore, & loco, poſſimus abſque peccato; imo, & cum merito,

Mat. 4.
Gen. 3.
3. Reg. 17.

Digitized by Google

vbi bona voluntas fuerit, & digna ſubeſt ratio.

INVENIVNTVR autem dignæ quatuor, vel quinque rationes, quas complectitur iſte verſus,

Aut opus, vtilitas, ſimiles, ſupplent, adamantes.

PRIMO meritoriè, etiam perfecti quique carnibus veſcuntur, cum id requirit neceſſitas ſuſtentationis propriæ, propter ægritudinem, ſeu debilitatem: Iuxta quod *diſtinct.* 24. dicitur, *Defectus hominum noſtri temporis, quibus non ſolum membra, ſed etiam corpora ipſa defecerunt, non patitur diſtrictionis prioris manere cenſuram.* Adeo vt quiſque occurrere infirmantis habet naturæ neceſſitati, etiam carnibus veſcendo in die ſanctæ Veneris. Dicit etenim in Tractatu de non eſu carnium, Cancellarius Parrhiſienſis. Quod conſuetudo, aut conſtitutio generalis Eccleſiæ de non comedendo carnes in die Veneris, non obligat ad ſui obſeruationem, in caſibus extremæ neceſſitatis; Imò nec excuſaret aliquem ab homicidio, qui, cum poſſet ſaluare vitam per eſum carnium, ſe, vel alium mori permitteret ſpontaneè abſtinendo. Secludendo tamen ſemper caſum grandis ſcandali in fide, vt latius declarat ibidem. Ait dulcis, & pius Pater Auguſtinus, ſolantur eſum carnium, & ſandalia mea, eſus Domini Ieſu, & ſandalia eius: Qui plures ad Chriſtum trahere volens, Ferculum Salomonis media charitate conſtrauit. Ex ratione igitur neceſſitatis, ſine meriti detrimento, & diminutione perfectionis, quis poteſt carnibus vti; ſed ſine cura carnis. Sicut etiam legitur de perfectiſſimis Patribus, ſub tempore morborum, aut infirmitatis, quod conceditur eis carnium vſus. Vnde Hieronym. *Viuitur pane, leguminibus, & aqua: Vinum tantum ſenes accipiunt. Si quis verò cæperit ægrotare, transfertur ad exhedram latiorem, & tanto ſenum miniſterio confouetur, vt nec delitias vrbium, nec matris quærat affectum.* Quod adhuc obſeruatur in Monaſterijs reformatorum.

SECVNDO ratio comedendi cum merito carnes, *vtilitas eſt fraternæ ædificationis.* Per charitatiuam condeſcenſionem erga eos: Cuius exempla manifeſtè in Chriſto capite refulget, De quo Chryſoſtomus ſuper Matth. ait. Vide quanta eſt Chriſti in condeſcenſione diligentia, cum comedat, & bibat, cum tamen videatur ex aduerſo Ioanni faciens, & hoc Iudæorum gratia ſalutis fecit: magis autem orbis terrarum vniuerſi, ſimulque hæreticorum obſtruens ora, Magiſter namque perfectionis omnimodè Ieſus Chriſtus. & ſupportator imperfectionis noſtræ, vtrumque debuit in ſua vita monſtrare; cum tamen Ioannes ſtaret in auſteritate vitæ. Et quamquam actus abſtinendi, perfectior ſit ex proprio genere; perfectius tamen Chriſtus egit comedendo, quàm abſtinendo Ioannes; quia & potiori modo in ſeipſo abſtinuit, & alijs ex perfecta charitate condeſcendit. Sic & Apoſtolus Paulus, & alij Apoſtolici viri, & Pater Auguſtinus qui ſecum agitauerat aſperitates deſerti, ſed reuocatus fuit, vt plures lucri faceret. Perfectior igitur in comedendo carnes, quàm in abſtinendo fuit, qui ex tanta charitate, ſine voluptate id peregit.

TERTIA ratio eſt ſimilitudo, & *conformitas fraternitatis*; ne ſingularitate ſcandalizentur infirmi. Sic Paulus Apoſtolus. 1. Cor. 9. *Infirmis erat infirmis, Iudæus Iudæis, gentilibus gentilis, omnibus breuiter omnia factus, vt ſaluos faceret omnes.* Hinc & Chriſtus conformiter alijs, de omnibus appoſitis Luc.10. ſuos Apoſtolos edere præcepit; ne propenuria, & laboris difficultate in ſeipſis deficerent, vel pro deformitate victus ſuſcipientibus oneroſi redderentur, tam piè quam prouidè, vt & alijs condeſcenderent, & iniunctum ſibi laborem viriliter tolerare valerent. Magnum iſtud eſt exemplum inſtructionis noſtræ, ne ſingulares ſimus; ſed conformes his, quibus conuiuimus; ne vnquam ſcandalum demus: quod quam graue ſit Apoſtolus ſatis, & alij in lucem poſuere, vbi dixit, 1. Cor. cap. 8. *Si eſca ſcandalizat fratrem, non manducabo carnes in æternum.* Quod de cunctis intelligendum eſt, etiam in contrarium: Vt ſi abſtinentia ſcandalizaret, carnes comederet. Mirabile, ſed verificabile verbum, Gerſon ſuper hoc ait, *Mallem* (inquit) *in die veneris ſancta, contra conſcientiæ ſcrupulum comedere carnes, quam contra obedientiæ præceptum, abſtinere à vino, vel carne, cum ſcandalo communitatis*: vt declarat, & explanat in Tractatulo contra profeſſum ex ſingularitate inobedientem.

QVARTA ratio eſt *exercitium pietatis*: Fieri enim poteſt (ait Bonauentura) vt ad aliqua pietatis officia, aliqui ſeipſos exerceant, quæ diſtrictionem illam, vel in toto vel in parte recompenſent. 1.Tim. 4. *Corporalis exercitatio* (de cuius numero eſt abſtinentia carnis) *ad modicum vtilis eſt, pietas autem ad omnia valet*: vnde & perfectiſſimi Patres, propter charitatem, & ieiunia, & abſtinentiam poſtpoſuerunt, vt latiſſimè deducit præclarus Caſſianus in 5. libr. Inſtitutionum, vbi tractat omnem materiam hanc continentiæ abſtinentialis. Mirum eſt, ſed verum, quod de Sancto Spiridione celebratiſſimo tradit Eccleſiaſtica Hiſtoria, qui propter hoſpites in quadrageſima edebat carnes. Cui non diſſimile, quod de Sancta Brigida Scotica fertur, quòd Feria ſexta Epiſcopis Sanctis parauit lardum: & per ſpiritum cogebātur cum ea ex charitate guſtare.

POSTREMO excuſabilis eſt eſus carnis: propter *perfectionē bonæ voluntatis*, & humilitatem mentis, vtpote cum quis habet plenam abſtinendi voluntatem, & tamen illis ſobriè vtitur, ex aliquibus præmiſſorum cauſis, cum humili recognitione mentis, vt ſcilicet non vilipendat, ſed religiosè veneretur, & colat, qui abſtinentiæ ſequuntur rigorem, quatenus illi ex mentis humilitate ſup-

Digitized by Google

ſuppleatur, ſi quid perfectionis per carnis debilitatẽ ſubtrahitur;& ſuppleat humilitas recognitionis,& confeſſionis, quod minus rigoris eſt in eis,abſtinentiæ,& deuotionis.

GAVDEANT itaque & conſolentur ex his, profeſſores humiles Canonicæ Religionis. qui licet Regulæ inſeruiunt laxiori,nihil tamen eis ſubtrahitur, ſi velint,perfectionis. Nec (vt Canon habet) à Sanctorum ſciunguntur conſortio Monachorum, ſi *curam carnis non fecerint in deſiderijs*, ſtantes in charitate, & humilitatis recognitione; imo putat Reuerendus Pater Cardinalis Achonenis magiſter Iacobus de Vitriaco, amplioris apud Regulares Canonicos repoſitam materiam meriti,& profectus, qui condeſcendentes infirmis, carnibus vtuntur, & vinis, mox ſeſe coercentes à repletione inordinati appetitus,quaſi inter epulas eſurientes, quod ſpirituale eſt martyrij genus. Sed forſan illius horti hortulanus voluit laudare porrum ſuum. Firma tamen, & fixa ſtat, quomodolibet ſit, de hoc Apoſtolica commonitio,Rom.14. *Ne non manducant manducantem ſpernat: Et manducantes in charitate perſtent, curam carnis non faciẽtes in deſiderijs.* Et hæc ſupra quã putauerimus,de quidditate comeſtibilium,& comeſtionis. De qualitate, & reliquis circumſtantijs,paucioribus proſequendum.

Rom.13.

Rom.14.

Practica ſeu Ferculariũm.

CAP. IIII.

QVi *manducat Domino manducet.* Paulus Rom.c.13. POSTQVAM in ſuperioribus latius habitum eſt de ſpirituali cibi manducatione; hic iam ſubdetur de ipſa corporali comeſtione,& cæterorum corporalium exercitatione, exercitijsq́; habendis ſub ipſa; vtputa, de audienda ſacra lectione. Quoniam enim (teſte Auguſtino) in Refectione corporali tendiculas vndique parant inimici, quo ſpirituali nos cibo defraudent: ſummoperè nobis contendendum,ne horum laqueis irretiti, intenſos incidamus caſſes; Deum,ſcilicet quomodolibet offendendo. Magnæ enim peruerſitatis eſt, (iuxta Humbertum) illic,& tunc offendere Deum,vbi & quando ei⁹ vtimur bonis,& in eius menſa ſumus. Quapropter cõſilio Apoſtolico parendum, vt mãducans Domino manducet, Is autem Domino manducans manducat,qui ſe habet

Ad { *Se ipſum diſciplinatè.*
Proximum in liberali charitate.
Deum in gratitudine, & deuotionis actualitate. }

in omnibus, ſiue manducans, ſiue bibens, quærens Dei honorem.

HABEBIT autem in primis manducans ſe *diſciplinate* ad ſeipſum; vt ſcilicet,

Sit tacitus.viſu caſtus; geſtu, moderatus.

In his enim (iuxta Hugonem) diſciplina inter edendum conſiſtit. Nam *primo* debet quis linguam à loquacitate reſtringere; *Secundo*,viſum reprimere, ne impudenter,quæ apud alios geruntur,circumgirando oculos proſpiciat. *Tertio* præcauere, ne in geſtu indecens aliquid, aut inhoneſtum agat. *Quarto* obſeruare, vt ſit in ſumendo cibum moderatus, attendens, quid,quantum, quando, & quomodo ſumat: *Quid*,id eſt ne nimis pretioſa,aut delicatoria,*quantum*, ne ſupra neceſſitatem; *quando* ne extra licitum tempus; *quomodo*,ne contra honeſtatem.

SECVNDO habebit ſe erga proximum,& conſecutellionem,in *liberali pietate*, quæ quidem in hoc conſiſtere putatur,

Si { *Honorem ei deferat,*
Meliorè ei praponat.
Diſciplinate ſecum comedat. }

TERTIO habebit ſe *erga Deum deuote*: Et hoc in menſæ acceſſu, progreſſu, & abſceſſu. *In acceſſu*, ſcilicet intentionem rectificando, & cibum benedicendo; *In progreſſu*,à murmure præcauendo, & deuote ſuſpirando; *In abſceſſu* gratias referendo, & ſic per hæc obiecta, pro ſe, & benefactoribus, victimas, & hoſtias immolando. Nihil enim gratius iſtis:

Intendas, benedic,caueas, pete, gratus, & offer.

PRIMO enim in acceſſu ad menſam, intentio eſt dirigenda, & in aliquo obiecto Dominici prandij rectificanda, quæ obiecta infra habentur,vt ſic cum Sancto Iob c.5.*antequam comedas ſuſpires*; Secundo deuotè *Benedicite* eſt legendum, in vnione Aſſumptorum obiectorum, orando ne te in quoquam excedere permittat.

IN PROGRESSV autem neuus gulæ,& murmuris eſt refrænandus, & animus crebrius in Deum ſubleuandus per exclamatorios, & iaculatorios verſus; ſæpius ſcilicet exclamando, *Sicut adipe, & pinguedine* Pſ.62.
repleatur anima mea. Itemque vbi acceperis panem, *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie*; aut, *Amice commoda* Mat.6. Luc.11.
mihi tres panes. Ad carnes autem, *Quis det de carnibus eius,vt ſaturemur*? Et, *ſi piſcem petieris nequaquam ſerpentem dabit tibi.* Vbi Iob 31. Mat.7.
autem potum ſuſcipies dicito cum Pſal. 41. Pſ.41.
Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum,ita deſiderat anima mea ad te Deus. Qui perſtando huiuſmodi ingeminauerit, non irrefectus manebit, *Non in ſolo pane* Deut.8
viuit homo; ſed in omni verbo; imo & in omni facto hominis Dei. Merito ergo, qui Domino manducare volet, in ſequentibus obiectis ſeſe exercitare debet. Nam ibi collocata inueniet Euangelica fercula,ſiue dulciſſima Domini Ieſu prandia, quibus nulla præſtant obiecta. Quid enim ſanctius?quid iucundius, quã edere cũ Domino Ieſu Chriſto? *Non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tadium conuictus illius*,& quid Cap.8. Io 6.
quæſo tam mentis refectiuum; ſicut panis viuus, panis Angelorum? Talia frater ille obiecta aſſumpſerat, qui melle (vt in Vitis Pſal.77
patrum fertur) refici dignus erat. O felix

Digitized by Google

nimium ille, ô terque quaterque; imò millies beatus, cui mellita è Spiritus cellarijs fercula demittebantur, vbi cæteri aſſeſſores, aut muſſidis (vt ita loquar) panibus aut fætidis (quod fædum eſt dictu) ſtercoribus oppleri videbantur. Vis igitur non ſtercore ſatiari? vis non ab hoſtibus (quorum omnia fercula ſunt quædã mentis decipula) illaqueari? vis melle refici? vis adipe, & pinguedine ſatiari? vis denique tota refectione intentè, imò (vt fertur in Vitiſpatrum) centies orare? ſequentia obiecta aſſume, veſcere dapibus iſtis. Hæc enim ſunt *menſa, quam parauit Dominus aduerſus eos, qui tribulant nos.* De hac *menſa non habent edere, qui tabernaculo corporis deſeruiunt.* In hac calidi panes propoſitionis, in hac Manna ſapidum, nectar ſuauiſſimum, poculum conditum; in hac ſuſpiras anxius ad cæleſtem menſam, cupiens diſſolui, & edere cum Chriſto; vbi faciet dilectos diſcumbere, & cariſſimos inebriari, & tranſiens miniſtrabit illis.

Pſ. 22. Heb. 13. ☞ Phil. 1. Luc. 12.

Varijs autem modis mens deuoti ſe dilatate poterit in obiectis ſubnectendis.

Aut { *Imaginaliter*, Dominũ Ieſũ in huiuſmodi prandijs conſpiciendo. / *Ad tropos mortalitatis* prandia iſtiuſmodi retorquendo. / *Ex his affectus deuotionis*, & piarũ orationum eliciendo. } Quod { Incipientium. / Proficientium. / Perfectorum. }

Videatur horum exemplaris deductio in Ferculo primo, primę diei. Sunt & alia complura deuotorum, circa corporales refectiones, deuota exercitia, qualia commemorat Vbertinus; puta qui ſingula fercula conſiderat, quomodo quaſi ex vulneribus Chriſti, ac martyrum, potum hauriunt, & huiuſmodi, quæ relinquimus.

§ 1. *Fercula ſiue conuiuia Euangelica inter prandendum commemoranda.*

Feria Secunda.

L*Ac Ieſu, eſuriſi, vinum, panem pete, tres det.*

Hæc ſunt quinque fercula, quibus hoc die refici poterit mens deuota: Quorum primum eſt, quod Lucas tangit. Luc c. 11. *Beata vbera, quæ tu ſuxiſti Chriſte.* Vt enim eccleſia canit, *paruo lacte paſtus eſt, per quem nec ales eſurit.* Hic iam *incipiens*, & paruulus, in imaginatiua videat paruulum dulciter lactentem, exemplar inde ſumens diſciplinę, & frugalitatis. Videat & *proficiens*, & ſtudioſius ſeſe paruulũ eſſe, cui lacte opus eſt, non ſolido cibo, quaſi modo genitus infans lac concupiſcens. Obſecret *perfectus*, & affectuoſus, piiſſimam Virginem lactantem; quo & eum lactare dignetur,

Luc. 11. Heb. 5. 1. Pet. 2.

vberibus conſolationis ſuæ, virtute huius Ferculi primi. Sicque in reliquis procedendum.

Ad appoſitionem *ſecundi Ferculi* memoraberis illud Matthæi, Quomodo Ieſu poſt ieiunium quadraginta dierum eſurienti, Angeli miniſtrauerunt; orans, & obſecrans, quo det tibi abſtinere à malo, iuſtitiamque eſurire ſemper, & ab Angelis miniſtrari. Mat. 4.

Tertium Ferculum comedes in memoriam conuiuij nuptialis, vbi Ieſus mutauit aquam in vinum, orans quatenus, aquam timoris commutet in vinum amoris, potetque te vino virgines germinante. Io. 2.

Quarto petes panem ſuperſubſtantialem, orans, vt non irretiaris gula, in pane materiali. Zach. 9.

Quinto petes tibi commodari tres panes ab illo vero, & vnico amico: item ipſum Ieſum, in quo eſt ſubſtantia triplex; caro ſcilicet, anima, & Deitas ſuperbenedicta, vel tres virtutes Theologicales. Mat. 6. Luc. 11.

§. 2. *Feria Tertia.*

M*Athæi puteum, ſitiens, flet magdala ſponſum.*

Hodie comedes *primo* cum Ieſu in domo Matthæi recumbente cum Publicanis, & peccatoribus, orans ne, & te peccatorem deſpiciat; ſed conuiuium tecum celebret in domo tui cordis, vocans & te ad ſuum diſcipulatum. Mat. 9. R.

Secundo edes cum Ieſu ſuper puteum petentià muliere potum, orans vt donet & tibi *aquam vitæ, de qua qui biberit non ſitiet iterum*, ſitque, *tuus cibus facere voluntatem Patris.* Io. 4. Ibidem.

Tertio, audies Ieſum clamantem, *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat*: Studeaſque tu *ſitire ad Deum fontem viuum, quemadmodum ceruus ad fontes aquarum.* Io. 7. Pſ. 41.

Quarto, videbis Mariam Magdalenam in conuiuio flentem orans vt & tibi ſint *lachrymæ tuæ panes die ac nocte*, quatenus, & tu ſuſcipias remiſſionem peccatorum. Luc. 7.

Quinto audies Ieſum dicentem, *Nunquid poteſtis filios ſponſi, quamdiu cum illis eſt ſponſus, facere ieiunare?* obſecrans ne te dulcis ille deſerat ſponſus, ne te ieiunum relinquat. Luc. 5.

§ 3. *Feria Quarta.*

A*Ppoſitum, vitulum, digitum, ſpicas vocat ad ſe.*

Hoc die *primo* comedendum cum ingenti gratitudine appoſita tibi, ac ſi de cælis dimiſſa (vt in vitis Patrum) nõ diſcernens, nec murmurans, quemadmodum docuit Chriſtus ſuos cum dixit, *Edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt.*

Secundo, edes vitulum ſaginatum, id eſt, Chriſtum ipſum, qui tibi prodigo filio occiſus eſt, & in cruce coctus, Luc. 10.

Tertio, caueas multiloquia, & gulam inter comedendum; ne cum diuite orante refrigerari linguam, crucieris in inferno. Luc. 15.

Quarto, ſtabis groſſioribus cibis contentus; dum perſpexeris, quia ſpicas eſurientes euulſe- Luc. 15.

Digitized by Google

euulſerunt Apoſtoli duces gregum.

Quinto, properabis ad refectionem Ieſu, qui dicit Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, obſecrans, quo te exoneret à peccatis, reficiatque vberibus conſolationis.

§. 4. *Feria quinta.*

P*Anes, panis ego, murmur, typicum, Sacramentum.*

In hac die *primo* conuiuaberis cum Ieſu, pa-
Ioan. 6. nes multiplicante, & ſatiante de quinque pa-
Mar. 8. nibus quinque millia hominum; de ſeptem verò quatuor; orans perfectionem legis, & ſeptē ſpiritus dona.

Secundo, memoraberis Ieſu inuitantis te ad
Ioan. 6. ſe, & dicentis, *Ego ſum panis viuus, ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*; exclamans, ô Domine da nobis ſemper panē iſtum, vt viuamus in æternum.

Tertio, cauebis murmurationes,

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam,
Hanc menſam vetitam nouerit eſſe ſibi.

Ibidem. Nam murmurabant Iudæi. Et in veteri teſta.
1 Cor 11 qui murmurauerunt, à ſerpentibus perierunt.
Mar. 14. *Quarto*, edes cum Ieſu & Apoſtolis in cœnaculo Agnum legalem, cum agreſtibus lactucis, id eſt, compunctionis dolore, eo quòd brutis aſſimilatus, viuas de terra ſimilis illis.

Luc. 22. *Quinto*, audies Ieſum dicentem, *Deſiderio*
Mal. 1.7. *deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum*; cor-
Thren. 3. puſque proprium, & ſanguinem tibi in cibum & potum; deſiderans & tu deſiderio manducare cum illo, digneque ſumere, vel ſpiritualiter Sacramentum.

§. 5. *Feria ſexta.*

S*Anguis, & aſſa caro, lachrymas, ſitiens, fel, acetum.*

Hodie *primo*, bibes ſanguinem Chriſti, pro te pleniſſimè, piiſſimè, acerbiſſimè effuſum, creberrimè effuſiones illius commemorando.

Secundo, edes carnes Chriſti aſſas in veru crucis in æſtu ſolis, hora meridiana, amaritudinem paſſionis attendendo.

Tertio, bibas lachrymas Chriſti in cruce
Heb. 5. pro te manantes, *Cum clamore enim valido, &*
Ioan. 19. *lachrymis illic orans, exauditus eſt pro ſua reuerentia.*

Quarto memineris ſitis Ieſu, qua pro te ſitiuit in cruce, libenter abſtinens à ſuperfluo, & tu in hac Feria ſexta.

Quinto, condies cuncta cibaria amaritudine
Mat. 27. illius aceti & fellis, quod pro te Ieſus guſta-
Thren. 1. uit, *memor abſynthy eius, & fellis*, & ſic ſapidiſſimæ reddentur.

§. 6. *Sabbatho.*

Luca 10. M*Artha, catelli, altilia, paſtor ego, ſeniores.*

Iſto die *primo*, excipiens Ieſum in cor tuum, cum muliere nomine Martha, paſcēdo Ieſum in te bonis meditationibus & largis eleemoſynis in eius membris.

Secundo, reputabis te indignum pane, quo veſceris; cum Chananea petens, tanquā catel-lus cadentes micas de menſa gloriæ, & largi- Matt. 15
tate Sanctorum. Matt. 22

Tertio, edes altilia occiſa, & tauros Patrum ſanctorum, & martyrum exempla, ad imitationem tibi incorporando.

Quarto ingrediens & egrediens per Ieſum Ioan. 10
paſcua quæres, in contemplatione diuinitatis
ac humanitatis ſuæ te exercitando, ipſe *enim* Ezech. 34
eſt paſtor bonus paſcens in montibus vberrimis.

Quinto recumbes cum Abraham, Iſaac & Matt. 8
Iacob in regno cælorum, attendens, quod iam reficiantur in cælis, quia ſæpius Dominum, & Angelos in conuiuium recepere in terris.

§. 7. *Dominica.*

Æ*Maus, mel, piſcem, ſeptem, cunctis ede regno.*

Hodie *primo* debes obſecrando cogere Ie- Mar. 16
ſum, vt tecum maneat, & ſe cognoſcibilem tibi reddat in fractione panis, quemadmodum diſcipulis euntibus in Emmaus.

Secundo, memoraberis conuiuij Ieſu in die
Reſurrectionis, vbi comedit fauum mellis, Luca 16
orās refici melle deitatis, & piſce humanitatis.

Tertio ad mare Tyberiadis, cum ſeptem diſ-
cipulis conuiuium celebrabis, aſpirando ad Ioan. 21
ſocietatem ſuperiorum conuiuarum.

Quarto, cum recumbentibus vndecim ipſo Marc. 16
die Aſcenſionis, & ipſe recumbens Ieſu aſcē- Cant. 1
denti acclamando, trahe me poſt te.

Quinto memoraberis cœnæ illius magnæ,
quam homo quidam fecit, obſecrans, quo illa Luc. 14
dignus fias. *Beati enim omnes qui ad cœnā Agni* Apoc. 19
vocantur, & quibus datum eſt in regno Dei Luc. 14
comedere panem; quo vt pertingas, crebrius Matt. 6
ingeminabis. Adueniat regnum tuum. Tunc
enim *ſatiabor, cùm apparuerit gloria tua*; cùm Pſal. 16
feceris me tecum diſcumbere in regno tuo,
tranſienſque miniſtraueris mihi. Quod præ- Luca 12
ſtes tu paſtor & miniſter. Amen.

Pauperis in ſpecie cùm Chriſtus venerit ad te,
Impertitor ei, quod dedit ipſe tibi.

§. 8. *De ſacra lectione ſub refectione audienda.*

N*On in ſolo pane viuit homo, ſed in omni ver-* Deut. 8
bo quod procedit de ore Dei. CIBVS mentis eſt verbum Dei, vt Greg. dicit: Et ſicut corpus neceſſe habet refici alimentis, ſic anima Dei verbis: vnde Patres lectionem inſtituerunt. Verè cibus & potus verba Dei, non quæ ventrem periturum ſaturant; ſed quæ mentē ſemper victuram reficiunt. Quod ille perſenſit, qui ex ſententia dixit, Optimum ferculū, quod habeo in Refectorio, eſt ſacra lectio; Et hoc ſi bene fuerit audita. Pro quo nota, quod ſic eſt audienda,

Diſponens audi, ſaltans, pete, punctula, gratus.

PRIMO enim, qui de lectione ſaturari deſiderat, oportet quod diſpoſita mente ad eam audiendam accedat, id eſt, mente recollecta, ſitibunda, & exuberanti. *Beati enim eſurientes, quoniam ſaturabuntur.*

SECVNDO ſic debes lectionem audire, quaſi coram Deus vel Sancti, tibi ore ad os lo-

querentur: O qui hoc attenderet, attentius verba ſacra audiret.

TERTIO, oportet iuxta verborum ſenſum, formari affectum mentis, vt ſcilicet ſis ſaliens, ſicut præcinitur tibi, ne improperetur tibi illud Luc. 7. *Cantauimus vobis, & non ſaltaſtis, lamentauimus vobis, & non planxiſtis.* Debemus enim iuxta Scripturæ ſenſum formare noſtrũ affectum, vt cum dicuntur iocunda de regno illo ſuſpiremus; cùm narrantur inferni ſupplicia, timeamus; vt docet Hieronymus in regula ſua. Et (ſicut plenius poſitum eſt in Chiropſalterio ſupra) qui ſic audierit, & ſalierit, illum verè verba refecerint.

QVARTO ex lectionis ſerie ſæpius oratio (iuxta Bernardum) eſt formanda, vt petas mala euadere, vel conſequi bona quæ narrantur: aut intelligentiam myſteriorum, vt ſic ſemper mens per flammigeros affectus in Deum ſubleuetur.

QVINTO, qui volet fructum ex lectione reportare, debet ex ea certa aliqua & deuotiora punctula memoriæ commẽdare (vt vult Bernardus) quæ propoſito conueniant, quæ intentioni proficiant, quæ detineant animum, vt aliena non libeat cogitare, vt ſit ſimilis animali mundo ruminanti, ait Auguſtinus. Deut. 14.

POSTREMO, quoties dulce punctum audierit, toties gratias agat: iuxta illud Eccleſiaſtici cap. 51. *Danti ſapientiam, dabo gloriam.* Fœlix anima, quæ ad omne Dei donum gratias referre nouit: Vnde & gratias debet deuotè exoluere, dicente Propheta Pſal. 21. *Edent pauperes &c. Super cuſtodia ſua ſtare ne benefactorem offendat* &c. Et ſecundum exercitia poſt prandium habenda ſe exercitare.

§. 9. De Cœna.

VEnite, & congregamini ad cœnam magnam, Apoc. 20. QVONIAM cœna & prandium eiſdem ferè exercitijs decurrunt, ideo inuicem ſibi ſuccedunt; tum etiam quia de exercitijs intermedijs ſuperius plenius eſt actum. Eſt igitur nunc paucis de cœna agendum. Eſt autem cœna (prout Grego- XVIII. rius dicit) conuiuium in fine diei: Quæ cum pro temporis congruentia conceſſa fuerit, ad eam ſicut ad prandium compunctè & deuotè accedendum eſt. Longè autem maiori compunctione, ex commemoratione priorum Patrum, qui biduanis vel triduanis ieiunijs abſtinebant.

CVM igitur ad cœnam pulſatur, poteris audire verbum præmiſſum, & ſuſpirando dicere in corde, *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt.* Apoc. 19. Et habebis te iuxta modum in prandio ſignatum.

In procedendo autem erit (ſecundum Ioãnem Vallenſem) cœnę breuitas. Horatius,

Cœna breuis iuuat, & prope riuum ſomnus in herba.

Erit alimenti modicitas, & in ſumendo ſobria frugalitas, ne fiat ventris oneratio, corporis aggrauatio, virium ad exercenda officia debita impeditio, & ne ſequatur tempore orationis ructus & indigeſtio, & ſomniorum illuſio, quæ omnia ex immoderata cœna oriuntur. Hinc in collationibus Patrum: Recens perceptio tam in veſpertinis, quàm in nocturnis orationibus leuem, tenuemque ſenſum inueniri non ſinit, ideo abſtinendum.

POTERVNT hic eadem, quæ in prandio fuerunt obiecta aſſumi, potius tamen ſunt immutanda, & ſecundum ſeptem ordines ſanctorum agenda; vt ſcilicet ſingulis cœnis, ſingulis ſanctorum ordinibus te ingeras; qui, Iob 1. tanquam filij Iob, conuiuia ſua ſinguli agunt, vt ſcilicet ferijs ſecundis cum Angelis; ferijs tertijs cum Patriarchis & Prophetis cœnes, & ſic de alijs, eorum cœnam attendendo, fercula, quæ ſinguli ponunt, conſiderando; & ad illorum coniunctionem ſuſpirando. Deuota ſunt obiecta, vnde nec minus cæteris amplexanda. De horum conuiuijs, & ſingulorum ferculis, vide de regno cælorum.

In fine cœnæ, eo deuotius ſunt gratię exoluendæ, quod iam ſecundo es refectus. Poſt quam refectionem cœnæ (iuxta Hieronymũ) vt lectio lecta proficiat, vt menti inſcribatur, lecta quiſque ſingulatim cogitatione relegat, & reſumat, & in Eccleſia de his, quæ didicit, meditetur; donec campanula ad Completorium pulſatur; aut altaria viſitet, aut alia deuotionis exercitia ſumere poteſt: vt ſic deuotè ad cantandum Completorium diſponatur. Quod nimirum, quoniam terminus eſt horarum, tanto oportet exolui deuotius, quanto poſterius eſt. Vnde & in huius principio petitur, vt plenè à ſenſibilibus, auerſi toti in Deum conuertamur, vt qui tota die diſtracti actiuæ deſeruimus, vel nunc in Deum conuerſi, contemplatiuæ nos demus. Pręſertim commemoratio, & laus Virginis glorioſæ, deuotiſſimè eſt cantanda, ſuper quo plura exempla leguntur.

TITVLVS NONVS.

De eo quod poſt Completorium eſt agendum.

REDITE præuaricatores ad cor, apud Eſaiam cap. 48. AIT HVGO, Alius modus viuendi eſt nocte, alius eſt in die; dies tempus laboris & operis; nox tempus quietis & recollectionis. In nocte ſecum debent homines eſſe, & aut feſſa membra reficere, aut orationibus & meditationibus ſanctis, in ſilentio animum exercere: Hinc, vbi aſſignata exercitia ſunt diei, de noctis exercitijs dicendum. In quibus poſtquam tota die diſtractus homo fuerit, ſollicitè ſe exercere debet. Exercitia autem aſſumenda ſunt iſta. Conſcientiæ examinatio ſuper collatis Dei bonis: Gratiarum actio, ſuper noctis cuſtodia; Oratio, Profectus menſuratio; Propoſitorum innouatio.

Con-

Digitized by Google

Conſcientiam,	*de beneficijs,*	*pro cuſtodia*
Diſcute,	ſis gratus,	pete,
profectum,	*propoſitum.*	
menſurans,	renouando.	

De quibus ſingulis ſingulariter proſequi poſſet; ſed breuitatis cauſa hæc ſimul ſub examinatorio conſcientiæ complectemur.

De examinatione conſcientiæ, & inductiuis quibuſdam ad eam.

CAPVT I.

I. BEati qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore. Pſal. 105. SE IPSOS ſcilicet, iuxta Apoſtolum, dijudicantes. Et verè beati, cùm Deus non iudicet bis in idipſum. Nam iuxta regulam iuris afflictio non debet addi afflicto. Hinc Apo-

1. Cor. 11. ſtolus, *Si noſmetipſos dijudicaremus, non vtique à Domino iudicaremur.* Ad hoc itaque te exercitium diuerte, quiſquis beatus eſſe voles, & plura ad hoc ſunt inductiua, & præſertim,

Quia hoc { Multipliciter eſt perſuaſum. / Multum vtile, & commodoſum. / Valde neceſſarium. }

Suadēt enim hoc Auguſtinus, Gregorius, Hieronymus, & Ambroſius, & cæteri quique doctorum, quorum ſententias ponere prolixum eſſet nimis. Hinc Bernardus ait, *Poſt Completorium, capitulum ſibi teneat ſingulis diebus frater, & conuocatis cogitationibus ſuis, ponat cum eis rationem.* &c. Suadet itidem & Chryſoſtomus, petens vt ſaltem in lecto fiat.

HÆC DE *primo*. Porro vtilitates huius exercitij quis enarrabit? Complectitur Bernardus ☞ quaſdam hoc ordine, dicens, *Timor Domini generat ſuiipſius diſcuſſionem, diſcuſſio cognitionem, cognitio pœnitentiam, pœnitentia dolorem, dolor confeſſionem, confeſſio emendationem, emendatio purgationem, purgatio puritatem, puritas innocentiam perfectam.* Hæc Bernardus. Commemorat & Auguſtinus nonnullas, dicens: *Vtilis eſt* (ait) *illa perturbatio animi, peccata ſua reſpicientis, & ex reſpectione horrentis, & ex horrore corrigentis* &c. Cæteri autem alias ponunt. Eſt enim hoc exercitium lignum

Apoc. 12. vitæ, duodecim hòs de ſe fructus gignens, ad quos cæteri poterunt reduci.

Pſal. 98. Exod. 4.

Honorificatur & glorificatur hoc exercitio, honor enim Regis iudicium diligit.	*Ex hoc Deus reconciliatur: Dñs enim agnoſcen. Deus ignoſcit.*	*Conſciētia purgatur vnde Moyſes manū mundā reperit.*
Glorificans.	Placat.	Purgans
Ex hoc homo humiliatur, ſeipſum agnoſcit fragilem & infirmum.	*Item ad ſuiipſius cognitionē venit qua praſtat ſcientijs cunctis.*	*Item feruentior redditur, reſurgere tantùm, dū caſum videt.*
Humilis.	Scius.	Ardens.
In bono homo cōſeruatur; vt clauſtrum, vbi crebro capitulum tenetur.	*Homo ad compunctionē inducitur, cuius materia, peccatum hic tractatur.*	*Propoſita caſſata, vbi videt ſe excidiſſe.*
Conſeruans.	Pungit.	Renouans.

Virtutibus ditatur, ſicut trapezita diligentes.	*Ad beatitudinem perducitur, quia ſemper in ſtatu bono conſeruatur.*	*Iudicium, & pœnā poſt mortem auferetur Vt ait Apoſtolus.*
Ditat.	Beat.	Aufert.

1. Cor. 11.

Poterunt ſingula hæc validis ſanctorum auctoritatibus muniri; ſed per ſe ſatis pateſcunt. Et proſequitur ea partim Ioannes Vallenſis in libro ſuo, & Vincentius in Spec. morali. Hæc de vtilitatibus.

DE TERTIO autem, id eſt, quàm neceſſariū ſit hoc exercitium propriæ diſcuſſionis, ſciendum, quod inter cætera eſt neceſſarium,

Ad { Obtinendam peccatorum veniam, / Acquirendam proficiendi gratiam, / Euadendam gehennæ pœnam. }

PRIMO eſt neceſſarium ad obtinendam peccatorum veniam, dicit enim Auguſtinus, *Si non agnoſcis, Deus non ignoſcit*; DE SECVNDO, quàm ſit opus ad acquirendam proficiendi gratiam, ait noſter Thomas Kempis, *Si verè vis proficere, vel omni veſpere diſcutere te non omittas, quod ſi feceris, renouaberis ſpiritu mentis, & pacem habebit tabernaculum tuum*, &c. DE TERTIO, ſcilicet de neceſſitate euadendi pœnam gehennæ, patet, quia nihil remanet impunitum, & aut hic, vel illic ſoluatur oportet. Neceſſarium igitur exercitium iſtud. Væ illi (ait Thomas memoratus) qui hanc horam diſcuſſionis conſcientiæ propriæ præterit negligenter, nec ſtatum cordis, moreſque, vel actus, vix ſemel in die examinat; quod omni hora fieri neceſſarium foret. Quamuis enim tu negligas intima tua diſcutere, Deus tamen nil patietur inultum tranſire. Hæc in libello de ſpiritualibus exercitijs Patris noſtri Thomæ; vbi plura deuotè deſuper ſuper hoc exercitio ſcribit. Age igitur, nunquam hæc exercitatio intermittatur. Et vt de hoc modus ſit ad manum, ſubiecta eſt ſcala ſequens, complectens modum, & cætera exercitia ſubſcripta, quæ patet in his verſibus.

Sis memor, attendens, conuertere mentio, plura
Proponēs, quærens, pete, gratus poſt ſimul offer.

De modo & praxi in hoc exercitio procedendi.

CAPVT II.

MODVS igitur & practica ex ſubiectis gradibus ſumitur, & breuitatis cauſa intermittuntur præparatorij gradus; puta excuſſio, & prædiſpoſitio, quæ ſunt generales, & exordiendum eſt à ſequenti gradu. II.

Vt ſcilicet fiat commemoratio eorum, quæ de illo die vel { Commiſiſti. / Omiſiſti. }

Et poteſt hæc commemoratio fieri iuxta peccatorum ſpecies, vel ſecundum tempora & loca, in quibus homo fuit à principio diei in noctem vſque, ſecundum modos, & ſpecies peccandi.

Digitized by Google

Scil. vt recolat quanta { Cõmiſit mala { Cogitatione. Sẽſibus. Locutione. } Itéque { Opere. Conuerſatione. }
Omiſit bona quæ facere { Debuerat, Propoſuerat, Potuerat.

De ſingulis his diligentiſſimè ſe inquirat, & examinet. Et *primum* videat ſi tota die habuit in corde.

Cogitationes { Charitatiuas, Bonas, Humiles, Puras, } ad { Deum, Proximum, Seipſum, Carnem, & mundum.

Secundo commemoret, ſi non exceſſit in ſenſibus, ad ſingulos diuidendo ſingulariter,

Si fuerint { Diſciplinati } { Verecundi, non curioſi,
{ Cuſtoditi } { Non in vaga diſperſi.

Tertio ſi in locutione fuerit { Tardus, Circunſpectus, Breuis.

Quarto ſi operatus eſt quod { Licet, Decet, Expedit.

Poſtremo ſi in cõuerſatione fuit { Maturitas, Benignitas, Humilitas.

Per horum enim exceſſum, committitur malum. Quidam in ſuis exercitiis de ſingulis proſequitur plenè.

SIC ETIAM examinanda eſt mens ſuper *omiſsis*, vt ſcilicet recordetur quam fuerit negligens,

Sui { Cordis cuſtodiendi, Temporis expendendi Finis intendẽdi. } Item negligẽs in { Lectione, Oratione, Executione boni operis

Itẽ quam negligens fuit ad { Pœnitendum, Reſiſtendum, Proficiendum,

Quia ſcilicet omiſit { Flere culpam commiſſam, Repellere tentationem diabolicam. Proficere de vna virtute in aliam. } vt in Bonauent.

Item quam in propoſitis inſtabilis, quam ad omne opus bonum torpens.

Item, poteſt hæc examinatio fieri ſecundum ſeptem peccata capitalia, vel ſecundum vires animæ, vt in tractatibus, *Beatus vir*, & *Homo quidam*, & ſic de aliis.

POSTQVAM autem homo ſic exceſſus commemorauit, quoniam, vt frequenter, peccatũ inſenſibilitas quædam ſubſequitur: ideo neceſſe eſt ſuperaddere *ſecundum gradum*, (*Conſideratio*, vnde dicitur *conſidera, & vide, quoniam amarum eſt tibi reliquiſſe Dominum Deum tuum.* *Et eſt qua homo conſideret*,

Scilicet { Quam multipliciter & grauiter exceſſerit, Quid peccando egerit, quem', quare offenderit, Quanta per peccatum bona amiſerit, & mala incurrerit.

Singula hæc dijudicando & æſtimando. Latiſſima tangitur in membris his materia, etiam plurimum cordis compunctiua, ſi bene fuerit, & profundè dijudicata: quam Vincentius in Speculi ſui moralis prima parte ſatis proſequitur ac declarat, & cæteri Doctores paſſim hanc materiam tangunt.

Vel vt mens in memoria peccatorum ad compunctionem excitetur, poteſt (iuxta quẽdam) conſiderare præparantia.

Vt de { Natura Dei, Pulchritudine iuſtitię, Enormitate peccati, } quàm { ſit maieſtate glorioſus, Deo placeat, Deo diſpliceat.

Quædam { aggrauatiua, vt { Quid facere debuiſſet, Quid fecit, quem offendit, Quid amiſit, quid meruit.
releuãtia de { Miſericordia Dei, Iuſtitia Dei. Propinquitate iudicij } qui { Nullum reſpuit. Pecc. nõ inultum ſinit. In forib. adſit.

In horum cõſideratione debet homo ſeſe redarguere; debet ſibi dolorem, timorẽ, pudorẽ incutere, inſenſibilitatẽ ſuam querulari, ſpem veniæ ſibi dare, ſeſe ad pœnitentiæ aggreſſum cohortari, & ſequentem gradum ſcandere.

Illa autem eſt *plena conuerſio*, de qua, *conuertere ad Dominum* &c. Item: *Si conuerteris, conuertere* Poſtquam igitur homo miſeria ſua cõpunctus fuerit, ſpe miſericordiæ ſublimatus, debet ſe plenè, Iere. 15.

Cõuertere { Corde, Ore, Opere, } Sc. { Plenè dolendo. Purè confitendo. Dignè ſatisfaciẽdo.

Et in hoc gradu connectuntur tres partes pœnitentiales, de quibus abundantiſſimus eſt apud doctos ſermo. Sed omnibus omiſſis practicè ponimus, quod homo cordialiter debet,

Dolere { Multum, Magis, Maximè } propter { merita ſupplicia, amiſſa gaudia, in Deum commiſſa peccata.

Et ſpiritualiter peccata cõfiteri, & ſuſpiriis, & votis ſatis agere, & tres illas veritates Gerſonis, quas, qui dixerit, nõ dãnabitur (vt ait) debet à ſe inquirere, ſ. vt dicat *primo*: Domine ſic, & ſic cõtra tuã bonitatẽ peccaui, quod mihi diſplicet; ratione cuius & pœnitentiã ago, quia te offendi, qui totus es venerandus & colẽdus, quod mandatũ tuũ tranſgreſſus ſum. *Secũdo*, Domine bonũ habeo propoſitũ & deſideriũ, tuo iuuamine mediãte, mihi in futurum

præcauendi

præcauendi, ne incidam in peccatum, & occaſiones peccatorum, iuxta poſſibilitatem vitiũ euitandi: *Tertio*, Domine bonam habeo voluntatem, peccatorum meorum confeſſionem integraliter faciendi, pro loco & tempore; ſecundum tuum & ſanctæ matris Eccleſiæ præceptum, & cætera. Hæ veritates quantæ ſint efficaciæ, idem Doctor in opere ſuo tripertito pulchrè docet; vnde non ſunt omittendæ. Hinc liquet, quod is gradus plures complectitur gradus partiales; puta contritionem, confeſſionem, ſatisfactionem, & cætera.

Hinc seqvitvr *Menſuratio*, gradus eſt quo homo, vt amplius ſuum imperfectum deprehendatur, opera ſua in fine diei metitur: Et eſt vtilis valde exercitatio huius, ad quã plures cohortantur. Hinc Bernardus: ***Integritatis tuæ curioſus explorator, quotidiana diſcuſsione vitam tuam examina, attende diligenter quantum deficis, aut proficis. qualis ſis in moribus, & qualis in affectibus*** &c. Sic faciebat Sextius ille (vt aiunt) Gentilis, qui conſummato die, animum ſic interrogabat dicens, Quod hodie malum tuum ſanaſti? Cui vitio obſtitiſti? Qua ex re melior es factus? Qui & de ſe ait, Vtor hac poteſtate, quotidie apud me cauſam iudico, totum diem meum ſcrutor, factaque ac dicta remetior, nihil mihi abſcondo, nihil tranſeo, &c. Erubeſcat deſes Religioſus cùm hoc fecerit Ethnicus. Quotidie igitur menſurandum, in dies metiendum, vt dicitur in collationibus Patrum, inſtar boni trapezitæ, mercatoris diligentis. Inde enim plurimus oritur fructus; puta cognitio ſui, humiliatio, feruor, profectus. Metiatur itaque,

Quantum quoque die { Defecerit à priore feruore, / Profecerit in intento fine, / Abiecerit de vitiorum mole.

Et vbi inuenerit homo ſe defeciſſe plurimum, parum profeciſſe; lugeat & contriſtetur, ſequentemque ſcandat gradum.

Qvi est propositi innovatio. Neſcit enim (iuxta Gregorium) per torporem inueteraſcere, qui ſemper ſtudet per propoſitorũ innouationem reſurgere. Ad quorum crebrã innouationem, plurima etiam ſunt incitamẽta; puta *Diuina voluntas* beneplacita, & perfecta &c. *Chriſti conformitas*, qui omnia (iuxta
Rom. 12. Epheſ. 1. Apoſtolum) operatur ſecundum bonum placitum eius, quo propoſuit reſtaurare, &c. *vtilitas*; ſic enim in omne plenis pedibus currit bonum, & iugis iſte conatus ad perfectionem, etiam ſi imperfectum aliquod habeat, pro perfectione reputatur. Quoties quis ſtatuit vias meliores, toties iam bona effecit. Actus enim obiectalis in formalẽ valet. Inde homo perficitur, ædificatur proximus, cæleſtis Hieruſalem exhilaratur. Si enim gaudium eſt Angelis
Luc. 15. ſuper vno peccatore deſerente vias prauas, quanto magis gaudent de iuſto contendente in meliores? Quiſquis igitur voles proficere, hoc te exercere gradu memento. Poterat ſingulare exercitium ſub ſpeciali titulo inde formari, ſed prolixitas vitanda. Qui autem ſe volet hoc modo exercitare, oportet vt ſciat, Quæ & qualia ſunt proponenda; Quæ ſint retractiua: Quæ item conſeruatiuã, aut promotiua, practicam quoque ſcire neceſſe habet. Sed hæc quiſque ſuo ingeniolo practicet. Crebro igitur proponat, & propoſita innouet homo,

Ac { Meliora proponat, / Occaſiones deuitet, / In timore ſe conſeruet.

Sed quoniam à propoſito facilè decidet. Ideo ſequitur gradus ſextus.

Conqueſtio, qua ſcilicet Domino conqueratur propoſitorum inſtabilitatem,

Immo { Conſuetudinem malam, / Infirmitatem propriam, / Hoſtilem inſtantiam;

Singula exaggerando, ſicque de ſe diffidens, ad gradum diuertat ſequentem, ſcilicet orationis.

Oratio qua petat nõ modo ſtabiliri propoſita; ſed etiam

Petat pro { Peccatorum illius diei venia, / Emendandi vitam gratia, / Futuræ noctis cuſtodia.

Et debet ſub hoc gradu comprehendi cõqueſtio, optio, obſecratio, quæ tamen ſingulariter poni poſſent, niſi prolixitas obſtaret. Habent quidam formatas orationes pro cuſtodia noctis, quæ & poſſent hic aſſignari.

Sed quoniam non eſt dignus dandis, qui datis non eſt gratus, iuxta Auguſt. ideo ſequitur, *Gratiarum actio*, quæ pro plurimis agenda, ſcilicet

Pro { Diei conceſſione, & omnibus in eo datis, / Velle, loco, tempore, pœnitentiæ indultis, / Multis iuſtificationum adiutorijs collatis, / Spe veniæ infuſa.

Et quoniam nulla aut tenuis valde eſt noſtra gratiarum actio, ſequitur, *Oblatio*, quæ fiet tam pro diluendis peccatis, quàm pro rependendis beneficijs. Debes autem pro his,

Offerre { Verbum incarnatum, & totũ corpus myſticum. / Omnes diei bonos actus, & proprium ſubiectum.

In craſtinum proponendo offerre Euchariſtiæ Sacramentum, quod dicitur offerendum; Verbum incarnatum, meritum Chriſti, præſertim articulorum illo die memoratorum, ſine qua oblatione nulla holocauſtomata placent. Hæc de exercitiis veſperi aſſumendis, ſuccinctius egimus, prolixitati parcentes; cùm tamen de ſingulis gradibus grauis poſſit oratio coaceruari.

Digitized by Google

De exercitijs ante dormitionem.

CAPVT TERTIVM.

III. D*Ormite iam & requieſcite*, ait Saluator Matth. 26. & Hieronymus: CORPORVM debilitas nimia, etiam vires animę frangit, mentiſque ingenium marceſcere facit. Quicquid cum modo & temperamento fit, ſalutare eſt, optimus in omni re modus, laudabilis vbique menſura. Immoderatum Deo placet nihil. Hinc horis quieti deputatis, quietem captare debemus, vt cæteris temporibus eo vigilantius ſpiritualibus exercitijs inſiſtere poſſimus; alioquin corpore deficiente, ſpiritum etiam deficere reliquum eſt. *Rom.* 13. Rationabile igitur ſit obſequium noſtrum, ne fruſtra, velociter currentes, defecerimus, antequam ad finem veniamus.

SED VT, & circa hunc quietis actum, quemadmodum & circa cætera, exercitium quoddam habeatur deuotionis, ſequentia ſunt notanda, in quibus qui ſe exercuerit, in pace, *Pſal.* 4. in idipſum dormiet & requieſcet; Sed & ſomnus erit ei dulcior, & puriora ſomnia habebit; euigilabit deuotior, ſurget alacrior, & facilius ad priſtinam deuotionem redibit. Sũt autem hæc in eundo ad lectum obſeruanda.

Compunctus, ſignes, componas, ac memor obſtes.

PRIMO enim compunctè, cum dolore ſcilicet & amaritudine, ad locum quietis eſt accedendum, eo videlicet, *Pſal.* 136. quia tunc oportet diuinas interrumpere laudes, organa ſuſpendere deuotionis. Sic legitur in Vitiſpatrum de Abba Daniele, qui cum tota nocte vigilauerat, & quando circa mane volebat propter naturam dormire, tunc dicebat ſomno, Veni ſerue male; & ſic parum ſomni capiebat. Conſiſtit autem hæc compũctio in aliquarum orationum ſuper noctis cuſtodia præmiſſione, quæ paſſim habentur; Itémque in intentionis rectitudine, per quã ſomnus totus meritorius reputatur, ita quod Gregorius dicat, Nec vacat à ſanctis meritis ſomnus. Formetur ergo intentio recta, ad honorem ſcilicet Dei, vt roboratior aſſurgas in laudem eius, &c.

ALTERVM exercitium principale, quod ponitur in verſu eſt *Signes*, id eſt, quod intrans ad dormiendum fidelis debet ſe præmunire ſignaculo ſanctæ crucis, inuocando Dominum Ieſum, & ponendo eum ſicut ſignaculum ſuper cor ſuum, iuxta Cantica, *Pone me vt ſigna-* *Cant.* 8. *culum ſuper cor tuum:* Ad dæmones ſcilicet effugandos, & illorum illuſiones & inſidias deuitandas. Hinc Hieronymus epiſtola lxxxviij. *Exod.* 12. *Crebro ſignaculo crucis munias frontem tuam, vt exterminator Ægypti locum in te non reperiat; ſed primogenita, quæ apud Ægyptios pereunt, in tua mente ſaluentur*. Practicam autem ipſam trini ſignaculi, cum titulo triumphali, in principalioribus hominis locis, tãquam omnibus notam tranſimus; Quomodoque cubiculum ipſum cum lecto ſit cruce muniendum, cunctis præſupponimus notum.

TERTIO *Componas*, id eſt (iuxta Bernardum) cùm ad ſtratum laſſus perueneris, te honeſtiſſimè iacendo compones, nec ſupinus, nec pronus, nec genua leuando ad crura calcaneos iunges. Hæc ille. Nam licet dormientibus non videatur imputandum, quod neſcij faciunt, vel patiuntur: tamen indecens eſt homini Religioſo, ita totum obrutum eſſe ſomno, & ſicut pecus diſiectis manibus, & membris incompoſitè iacere; ſed potius manibus in ſinum retractis, aut (quod vtilius & deuotius eſt) in crucis modum cancellatis.

QVARTO dicitur *Sis memor*, intrans ad dormiendum, cælicis ac diuinis cogitationibus debes eſſe armatus. Bernardus: Iturus in ſomnum, aliquid tecum defer in memoria, in quo placidius dormias, quod nonnunquam etiam ſomniare iuuet. Sic enim tibi *nox, ſicut dies il-* *Pſal.* 137. *luminabitur*, &c. Sic Origenes (Hieronymo teſte) nunquam ſomnum capiebat, niſi vnus è fratribus ſacris litteris perſonaret. Qualia autem meditabilia tunc aſſumere debes, ſcias quod Bernardus ſuadet pſalmos ruminandos; Chryſoſtomus opera diei retractare: Vbertinus autem in reliquo articulo Domini Ieſu docet obdormiendum, diſtinguens ſecundum ſingulas noctes etiam ſomnos Domini Ieſu. Nam vt de ſe ait,

Feria
- *Secunda*, cum peregrina virgine, colligebatur in ſtabulo;
- *Tertia*, per deſertum fugit in Ægyptũ, & dormit in deſerto;
- *Quarta*, diſcipulis in mari laborãtibus, cum ſolo Ieſu in monte ſtabat;
- *Quinta*, cum Ieſu duxit noctem inſomnem, exiens in montem;
- *Sexta*, cum Matre & diſcipulis, mortuum per noctem lugebat.
- Sabbato, cum Ieſu in ſepulchro, vel in lymbo.
- Dominica, in dextra Patris cum Ieſu quieſcebat.

Hoc modo Vbertinus obiecta ſomni diſtinxit. Quæ tamen quiſque pro ſui arbitrio poterit immutare.

POSTREMO dicitur in verſu *obſtes*, id eſt (ſecundum Bernardum) Si fortè te iam dormiẽtem, luxuriæ pompa concuſſerit, viriliter obſiſte: Recordare dilectum tuum, poſitum ſuper lectum doloris, & dic in corde tuo, *Dominus meus pendet in patibulo crucis, & ego voluptati operam dabo?* Sicque ſępe inuocato nomine dulcis Ieſu tentatio ceſſabit.

De ipſius ſomni qualitate.

CAPVT IV.

E*Go dormio, & cor meum vigilat.* Cãt. 5. IIII.
DICTO de exercitijs, quibus ad ſomnum acceditur, dicendum paucis de qualitate ipſius ſomni. Alia enim eſt qualitas ſomni Religioſorum, alia laicorum. Hinc Bernardus, Caue inquantum potes ſerue Dei, ne totus aliquando dormias, ne ſit ſomnus

nus tuus non quies laſſi, ſed ſepultura corporis ſuffocati; non reparatio, ſed extinctio ſpiritus tui. Suſpecta res eſt ſomnus, ex magna parte ſimilis ebrietati. Quantum ad debitum continui profectus, nil tam temporis perit de vita noſtra, quantum quod ſomno deputatur. Nitatur itaque Religioſus, vt more ſponſæ obdormiens corpore quieſcente, cor ipſum non dormitet. Vnde talis erit Religioſorum ſomnus,

Morigerus, Deicus, ſomnus non ſit diuturnus.

PRIMO inquam Religioſorum ſomnus *morigerus* erit, & modeſtus; vt ſcilicet non nimis, ſi poterit ſtertat; non incompoſitè ſe habeat. Legitur enim de beato Bernardo, quod ſi quẽ Religioſum in dormiendo, ſiue durius ſtertentem, ſiue minus compoſitè iacentem videret, vix patienter ferre potuit; ſed carnaliter eum, aut ſæculariter dormire cauſabatur. Ad habendum autem talem modeſtum & tenuem ſomnum, plura ſunt quæ iuuant, & potiſſimum iſta,

Sobrietas victus, operatio ſancta prait quod.

In primis iuuat ad hoc victus & potus, præſertim veſpertini, ſobrietas: Tenuem enim victũ, ſomnus tenuis comitatur. Hinc Bernardus, Sobrium victum, ſobriũmque ſenſum ſequitur ſobrius ſomnus. Eccleſiaſticus c. 31. *Somnus ſuauitatis in homine parco*. *Secundo* iuuat ad hoc prior bona operatio: Vnde iſdem c. 5. *Dulcis eſt ſomnus operanti*. *Tertio* bona exercitatio in ſacris meditationibus ante ſomnum. Nam dicitur Prouer. 3. *Si dormieris quieſces, & ſuauis erit tibi ſomnus*, cùm ſcilicet ante bene es exercitatus.

SECVNDO principaliter Religioſorum ſomnus *diuinus* erit, vel ſaltem humanus, & nullo modo brutalis: vt exemplo Chriſti corpore dormiente, vigilet corde, iuxta Ambroſium. Hinc ait Bernardus, Carnalis ſomnus & brutalis, & (ſicut dicunt) lethæus, abominandus eſt ſeruo Dei. Vnde ad hanc ſomni conditionem pertinent hæc,

Scilicet { Somnia mala deuitare;
Cùm euigilauerit, cor in Deum leuare,
Et inter dormiẽdum quaſi pſalmos reſonare. }

Poſſent ſingula præmiſſæ diſtinctionis membra latius declarari; ſed prolixitas vetat. De ſomnijs enim vnde veniant & cauſentur, & quæ valeant ad dulcia ſomnia habenda, & alia plura, partim in Dialogo Gregorij: plura Antoninus in prima parte ſuę Summæ. Portò *alterum*, ſcilicet, quod homo euigilans debet ſtatim cor ad Deum leuare, pulchrè in Speculo Monachorum edocetur. *Tertium* docet Bernardus, quod ſcilicet inter ſomniandum, quaſi Pſalmos ruminare debemus.

POSTREMO Religioſorum ſomnus non erit diuturnus,

Nam diuturna quies vitijs alimenta miniſtrat.

Bona tamen conſcientia poteſt homo, & debet quiſque Religioſus dormire ſecundum tempora aſcripta: vt in cæteris vigilantius ſeruiat Deo. Caueat tamen ne tempore ſurgendi pigreſcat, & in lecto remaneat, iuxta prouerbium illud, *Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo*. Ad cito enim ſurgendũ plurima ſunt inductiua: Quorum tamen potiſſimum eſt, in deſiderio obdormire cito ſurgendi, & corde illud Iob reuolutare, *Si dormiero*, ſcilicet ad refocillandum corpus, *dicam quando conſurgam?* ad expeditius Deo ſeruiendum. Sic dormientibus, ſomnus omnis meritorius eſt, & oratio, Hieronymo teſte. Nec mirum, Vigilant enim ad bene agendum quamdiu poſſunt, & quaſi coacti ad ſomnum accedunt: vt alacrius deinceps deſeruiãt Deo. Hoc autem ſomno finito, ſurgendum eſt ad diuinas laudes; vt ſic *incipiat iterum cùm conſummauerit homo*, ad eundem rediens punctum, donec ad ſtabilimentum perueniat æternitatis. Ad quod nos Deus perducat. Amen.

Prou. 26.

Iob 7.

Finis Diſtinctionis primæ.

DISTINCTIO SECVNDA,

Continens exercitia Dominicis & feſtis diebus appropriata.

TITVLVS X.

PROLOGVS.

OMNI *negocio tempus eſt & oportunitas.* Eccl. 8. Hugo. *TEMPORA agendi diſcernenda ſunt; Alind enim ſtudium, aliumque conuerſationis modum exigunt feſti dies; atque alium hi, in quibus operari licet, expoſcunt: In illis oportet nos deuotiùs Deo intendere, atque in oratione diutius perſeuerare, habitu, inceſſu, & actu maiorem deuotionem erga cultum diuinum demonſtrare, nihil non ſanctum, nihil non diuinum, nihil non ordinatum agere, linguam à vaniloquio cobibere, pedes ab excurſu & diſcurſu reſtringere, oculos comprimere, vultum inclinare, mentem erigere, omnem denique actum, & omnem motum cordis pariter, diuino miniſterio mancipare, atque vt ita dicam, quadam conuerſationis nouitate, dies honorare feſtos; In cæteris verò diebus operandum. Quantum enim decoris addit diebus feſtis quies vacationis: tantum ornamenti confert cæteris diebus ſtudium boni operis; ita vt in illis quicunque noluerit eſſe quietus, iudex ſit vanitatis ſuæ: & in iſtis, qui non fuerit ſtudioſus, teſtis eſt pigritiæ ſuæ. Quapropter non negligenter habenda eſt in bono opere diſcretio temporum: Quia ſicut malum opus nullo tempore laudabile eſt; ita opus bonum quodammodo reprehenſibile iudicatur, ſi tempore oportuno factum non fuerit.* Hæc venerabilis ille Hugo. Poſtquam igitur in ſuperioribus, in prima huius primæ partis diſtinctione, poſita ſunt exercitia quædam communia, & quædam ferialibus diebus accommoda: ponenda ſunt in hac altera diſtinctione, quædam exercitia Dominicis & feſtis diebus appropriata. Et erunt huius diſtinctionis tres tituli principales, ſinguli cum capitulis ſuis. Primus dicitur Dominicarium, ſecundus Feſtilogium, tertius Mendicatorium.

INCIPIT DOMINICARIVM.

De inductiuis ad celebrandum Sabbathum.

CAPVT PRIMVM.

11. SAbbatizate Sabbatum Domino, Leuit. 25. His verbis, quemadmodum & innumeris aliis, ad Dominicam celebrandam inuitamur: Nam præcepta ferè omnia, quę Hebræis de Sabbato, Chriſtianis de Dominico die dantur. Rationabilibus enim ex cauſis Sabbathum in Dominicam Eccleſia commutauit: vt paſſim tradunt docti, & præſertim ob has cauſas,

Perfectum memoreſq; typum, nam dignior abſtes.

Primo ratione perfectionis, quia adueniente ſignato, debet ceſſare ſignum: Vnde poſt requiem Chriſti in tumulo, Sabbathum eſt euacuatum. *Secundo* ratione gratitudinis; & commemorationis, ſcilicet ad nobilia facta huius diei rememoranda: Dies enim Dominicalis, (vt Leo 75. *diſ. c. Quod in die.* ait) diuinarum diſpenſationum myſteriis eſt conſecrata. *Tertio* ratione plenioris ſignationis. Quia Dominica dies plenius præfigurat gloriæ requiem, quàm Sabbatum; quippe qui in dierum reuolutione non ſolum ſeptimus, ſed & octauus inuenitur; vnde etiam ſignat Reſurrectionis octauam. *Quarto* ratione maioris dignitatis: Quicquid enim, vt inſigne eſt conſtitutum, in huius diei feſtiuitate eſt geſtum, vt patet infrà. *Poſtremo* ratione diſtinctionis, vt ſcilicet à Iudæis diſtemus. Et fundatur huius commutatio in Canone ſacræ Scripturæ, in Apocal. c. 1. vbi dicitur Ioannes *in Dominica raptus*, &c. Patet igitur non ab re commutationem hanc factam, & ergo omni deuotione obſeruandam.

PLVRIMA enim ad diem Dominicum dignè agendum habemus inductiua, cuiuſmodi ſunt iſta,

Exemplum, iuſſum, natura & culpa, promiſſum.

PRIMVM inductiuum eſt exemplum Iudæorum & Gentilium, ſollicitiſſimè ſua feſta ſeruantium: Tam enim Iudæi ſua Sabbata cuſtodiunt, vt mallent plurima (vt quidam ſcribit) perpeti mala, quàm violarent ſua Sabbata; licet & complura alia ipſis ſint feſta; vt patet in Machabeis. Gentiles quoque ſummo ſtudio ſua feſta obſeruant, Vnde Tibullus gentiũ Poeta,

Luce ſacra requieſcat humus, requieſcat arator.
Et graue ſuſpenſo vomere ceſſet opus.

Et Seneca ipſe Gentilis, *Feſtis maximè diebus animo imperandum eſt, vt tunc voluptatibus ſolus abſtineat, cùm in illas omnis turba procumbit.*

SECVNDVM inductiuum eſt *Domini præceptum*, qui mandauit feſtum hoc obſeruari nimis: vt patet in varijs Scripturę locis, ita quod de nullo vix actu tot ſunt monitiones & præcepta, vt paſſim in lege, & Prophetis eſt videre: immo & ad hoc inducit iuſſum Eccleſiaſticum, id eſt præceptum Eccleſiæ, quæ hoc præcepit: vt patet *de conſecrat. cap. pronunciandum.* (Præſertim Exodi, Leuitici, Eſaia, Ieremia.)

TERTIVM inductiuum eſt, nam hoc dictat naturale ratiocinium, Deo ſcilicet aliquo tẽpore ſingulariter vacandum; vt ſicut tempus deputatur refectioni corporali, ita & magis ſpirituali.

QVARTVM inductiuum eſt, culpæ & pœnæ grauitas eorum, qui Sabbati vel Dominicæ feſta non ſeruant: Nam culpæ magnitudo ex quinque patet, quæ complectuntur hoc verſu,

Lege modo mulctum per, & ingratus, ſcelus excors.

Tum quia in lege grauiter punitum, vt patet in colligente Sabbato ligna: *Tum* in lege gratiæ grauiter mulctatum, vt patet in plurimis exemplis, quæ in exemplorum libris inueniuntur: *Tertio* ad culpæ magnitudinem facit grandis ingratitudo, pro illis, quæ illa die ſunt facta, quę infrà ponentur: *Quarto*, quia grande ſcelus committunt in Patrem, qui illo die omnia condidit; in Filium, qui illo die omnia magnificentiora opera ſua (vt patet infra) peregit; in Spiritum ſanctum, qui ſe eodem die in filios adoptionis effudit. *Quinto*, non bene Dominicam diem celebrans, ſtultitias magnas committit, vt prolixius Nyder in ſuo præceptorio declarat. *Poſtremo* nos debet allicere promiſſorum magnitudo: Multa enim bona pollicetur Dominus celebrantibus Sabbata ſua, vnde Eſa. 56. *Omnem cuſtodientem Sabbatum ne polluat illud, & tenentem fœdus meum, adducam in montem ſanctum meum, & lætificabo in domo orationis meæ.* Grande prę̃minm, *adduci in montem ſanctum*. O da, vt tua feſta obſeruem, vt illuc adduci merear. Qui his inductiuis non inducitur ad Dominicam rite celebrandam, duri eſt cordis. Num. 15.

SED poſtpoſitis inductiuis videndum eſt de *practica:* Pro qua notandum, quod tunc bene celebratur Sabbatum, aut Dominica dies.

Quando { Vitatur culpa, / Præcauentur opera ſeruilia. / Aguntur ſacra.

Culpam vites, nil operans, bona fac memorando.

De primis enim duobus dicitur Leuit. 23. *Omne opus ſeruile non facietis in eo*, ſcilicet Sabbato. Non enim opus tantum externum, ſed & multo magis quodque peccaminoſum, dicitur opus ſeruile. *Qui enim facit peccatum, ſeruus eſt peccati*; & hoc maximè quando quis per criminale Sabbatum ſoluit, non ſic opus ſeruile externum: Nam illud tria excuſant, vt aiunt, Ioan. 8.

Scilicet { Neceſſitas, / Pietas, / Modicitas.

Nil peragas, niſi ſit modicumq; piumq; neceſſe.

Quæ paſſim docti declarant. *Neceſſitas* enim multiplex eſt, vt in iuſtis bellis, tempore famis, medicinæ, & in cauſis neceſſariis, vt in nundinis; quando tamen non ſpe lucri, & cum licentia paſtoris. Excuſat *pietas*, vt fortè arare agros pauperum, quadrigare in minoribus feſtis, audita tamen Miſſa. *Tertio* excuſat *modicitas*,

Pſal. 33. *citus*, vt ligare ramum vineæ, & ſcribere lectiones, aut ſermones, quod (iuxta Gerſonem) licentius eſt fabulis vanis. Religioſis tamen conuenit magis moderari: vt magis vacent, & videant quoniam ſuauis eſt Dominus, & ſanctificent Sabbatum, pijs exercitiis trãſigendo, de quibus exercitiis nunc agendum.

Quibus exercitijs Sabbata exornanda.

CAPVT II.

III. A *Veſpere vſque in veſperum celebrabitis Sabbata veſtra*, Leuit. 23. ORDINATE ſolennizare, eſt (vt quidam ait) de profeſto in feſtum ire. Vnde qui ritè Dominicam volet celebrare, debet in Sabbato ſe ad eam diſponere: hinc & filij Iſrael, paraſceuen ante Sabbatum habebant.

MEMBRVM I.

Præparatio Sabbatina.

VNDE per hæc exercitia debet in Sabbato ſe homo diſponere, ſcilicet,

Sabbata præueniens, perpendens, ablue, poſce.

Primo enim feſtum Dominicale præuidẽdum eſt conſideratione: vt ſic pigredo animi excitetur, & animus promptior ad deuotè celebrandum reddatur. Vnde debet conſiderare diei Dominicæ dignitatem, celebrationis rationem & congruitatem, celebrandi modum & qualitatem &c.

Secundo per priores conſiderationes animo excitato, debet ſe homo à vitiorum maculis abluere: vt ſic dignè feſtiuitati poſſit intereſſe. Nam & huius ſæculi homines exteriora quæque tunc mundare ſolent: vt domos & plateas. Multo ergo ſollicitius Religioſus & internus animam debet expiare, ſcilicet pro peccatis dolendo, emendam proponendo, tentationibus reſiſtendo. Et ad hoc hortatur Iſidorus dicens, Tunc (ſcilicet in profeſto & Sabbato die) purgandus eſt animus, atque à temporalium rerum cogitationibus ſegregandus, vt ſic in die feſto pura acies cordis, ad Deum verè & ſimpliciter dirigatur.

Tertio, quoniam nulla aut tenuis eſt noſtra præparatio; ideo ad Deum & Sanctos emittenda eſt oratio, quo ipſi nos purgent, dignè adornent, & deuotionis adipe repleant: vt ſic dignè Deo ſabbatizemus. Qui in Sabbatis aut profeſtis his modis ſe diſponeret, ille vberiora gratiarum chariſmata in Dominico die, aut feſto perſentiret.

MEMBRVM II.

De generalibus exercitijs diei Dominicæ.

IV. O*Bſerua diem Sabbati, vt ſanctifices eũ*, Deuter. 5. VISIS de exercitijs profeſti, videndum eſt de exercitio feſti: Et hoc exercitium eſt, ſanctificare Sabbatum; vt ſæpius ſcripturæ loquuntur. Vnde non ſolum vacare monent, ſed pietati intendere magis, cùm dicunt, ſanctifices Sabbatum. Exterior enim illa vacatio parum vtilis eſſet, niſi ſanctificationis pietati adiuncta foret. Vtrumque tamen agendũ eſt: Nam propter duo in genere Sabbatum eſt inſtitutum, Primo propter rationes *litterales*, quæ ſunt tres, *Prima*, diuini cultus vacatio: vt hoc die reſumeret homo, quod tota amiſerat ſeptimana; *Secunda*, auaritiæ reſtrictio; *Tertia*, diuinæ omnipotentiæ maior recordatio: vt ſicut ipſe requieuit, ſic homo illius quietis memor, eius vacaret laudi. Eſt inſtitutionis quoque ratio *ſpiritualis* triplex: *Prima allegorica*, Chriſti requietio in ſepulchro; *Secunda tropologica*, animarum requies à peccato. *Tertia anagogica*, quies fidelium in cælo, ad quã per præſentem vacationem ſperamus peruenire. Neceſſarium hoc pro intellectu. Pſal. 33.

Vtq; vaces, ſtringas, memores, ſignans requies tres.

Vacandum igitur, & ſanctificandum Sabbatũ eſt. Quæ autem, & qualia exercitia ſint, per quæ Sabbata ſanctificantur, varij varia ponũt, & præſertim Origenes hom. 64. ſuper Exod. docet dicens, *Si deſinas ab omnibus ſæcularibus operibus, & nihil mundanum geras, ſed ſpiritualibus operibus vaces; ad Eccleſiam conuenias, lectionibus diuinis aurem præbeas, de futura ſpe ſollicitudinem geras, de cœleſtibus cogites, non reſpicias ad præſentia, & viſibilia; ſed ad inuiſibilia & futura. Hæc eſt obſeruatio Sabbati Chriſtiano.* Hæc Origenes enumerat, & Ioannes Nyder in ſuo Præceptorio, nouem quædam exercitia pietatis, & alij plura. Sed noſtrum erit determinata quędam ex multis colligere, & temporibus aſſignare certis, ſolito more, &c. Feſti celebratio.

MEMBRVM III.

De exercitijs Dominicæ diei in ſpeciali.

V. M*Aneat vnuſquiſque apud ſemetipſum, & nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo.* Exod. 16. *Et de conſec. diſt. 3. c. Ieiunio.* Gregorius ait, *Die Dominica nihil eſt agendum, niſi Deo vacandum*; cùm propter hoc potiſſimum ſit inſtituta. Nulla operatio in die illa ſancta agatur; ſed tantum in hymnis & pſalmis, & cãticis ſpiritualibus, dies illa tranſigatur, hoc eſt pijs exercitijs decoretur. Iuxta Alexandrum de Hales, vt nihil contrarium fiat vacationi diuinorum. Huic præcepto, dum quidam obedire volunt, retrahuntur, quia quid agere debeant, neſciũt: Vnde hic plura deuotionis certa exercitia aſſignantur, vt cui vnum non ſapuerit, nec poterit hærere, vel alio afficiatur. Et primo ponuntur exercitia ante prandium agenda. Et ſunt iſta,

Dei priuilegia. Et beneficia. A peccatis & ferijs.

Commemorans, laudet, purgando,

Miſſam audiendo.

Colat, Sacra libet.

Et vt deuotius hæc exerceantur, ſingula paucis ſunt proſequenda.

§. 1. *De primo exercitio, ſcilicet commemoratione.*

VI. *MIſerationum Domini recordabor, & laudem dicam pro omnibus, quæ dedit nobis Dominus Deus noſter.* Eſa. 63. AIT DOCTOR ſanctus Bonauent. In præcepto de Sabbatizatione, ponitur hoc verbum *Memento*, quod in nullo ponitur aliorum, propter illos ſpecialiter, quę videntur memoriam amiſiſſe, non recordando ea quæ Deus egit in natura, aut præcepit in Scriptura, &c. & ad denotandum, quod tali die, ad ſpiritualium commemorationem animus ſit ſubleuandus. Iuxta triplicem intellectum ſpiritualis vocationis, tropologicum, anagogicum, & allegoricum, memoriam agere trium beneficiorum, creationis, redemptionis glorificationis: (vt Bernardus in 40 ſermone 4.) Vnde primum exercitium tactum eſt, quod debemus commemorare.

De { Præterito, diei priuilegia. / Præſenti, ſeptimanæ beneficia. / Futuro, promiſſa præmia. } cū { Laudatione. / Gratiarum actione. / Deſideratione. }

Primo inquam commemorare & meminiſſe debemus, Dominicæ diei inſignia priuilegia, de quibus dicitur in genere in decretis: *Dies Dominica tantis diuinarum diſpenſationum myſteriys eſt conſecrata, vt quicquid ad inſigne eſt conſtitutum, in huius diei dignitate ſit geſtum.* Vnde in ſingulari ei iſta priuilegia aſſignantur,

Omniū dierū quā nox non praceſſit. *vltima quam nox ſequitur.* *mundum.* *Angelos.*
Prima vel ima creat, firmat,
datur, *requieuit.* *manna pluit.*
lex, archa, dedit man.
die Dominico. *vt lux facta.* *quicquid ad inſigne pertinet.* *infernum, & eduxit Patres.*
Natus, plura facit, fregit,
mortui, ſecundum plures. *Spiritumſanctum.* *æterna incipiet in cælo poſt iudicium.*
ſurgent, dedit, & laus.

Hæc paſſim in præceptoriis Doctorum, & in ſermonibus Roberti de Licio. Super quibus & aliis diei inſignibus, Deus ipſe tunc eſt laudandus. Vnde notetur hic practica laudis, quæ infra eſt in mendicatorio.

SECVNDO de præſenti, memorari debemus beneficia, tota ſeptimana nobis impenſa: Vnde ſcilicet meminerimus, quanta bona nobis exhibuerit, quam patienter peccantes tulerit, & quod adhuc diem Dominicum, diem reconciliationis conceſſerit; vt ſcilicet in eo redimamus, quicquid cæteris diebus negligentia eſt omiſſum.

Quanta dedit, quantiſq; tulit, tempus tibi parcens.

Et in horum commemoratione gratiæ ſunt agendæ, cuius gratitudinis praxis patet infrà.

POSTREMÒ, & de futuro commemoranda ſunt futuræ illius feſtiuitatis gaudia nobis repromiſſa, quorum typum & figuram præ ſe fert omnis Dominicus dies: Et debet hæc memoria fieri cum anhelo ſpiritu, & patriæ illius deſiderio, vt cum Apoſtolo diſſolui cupiamus, & cum ſene Simeone ex ſententia dicamus *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine* &c. Vt autem animus tali deſiderio inflammetur, debet diligenter commemorare ea, quæ poſſunt ad gaudia illa deſideranda incitare, quæ habentur infra parte ſecunda. Nam qui ad feſtiuitatem illam ſupernam venire deſiderat, oportet vt in huius temporis feſtis, vel erebrius ad eam aſpiret. Non enim veniet ad regnum amoris, niſi qui fuerit vir deſideriorum. Non ſatis (ait Bernardus) regnum æternæ feſtiuitatis deſideras, ſi non quotidie (maximè ergo in feſtis) pro eo lachrymas fundas. Hęc de primo. Phil. 1. Luc. 2.

§ 2. *De alio exercitio, ſcilicet expurgatione mentis.*

VII. *VIde vias tuas in conualle, ſcito quid feceris,* Hierem. 2. HIS VERBIS ad alterum principale exercitium arripiendū incitamur, quod eſt mentem de peccatis tota ſeptimana commiſſis expurgare. Nam & ideo Dominici inſtituti ſunt dies: vt quod tota ſeptimana commiſſum eſt, in illis expietur. Nam & elephantes (vt ait Plinius in lib 8.) in nā. in nouilunio, defectus & ſordes abluunt in flumine, & nouo ſyderi ſe inclinant. Per iſtud nouilunium Dominica intelligitur dies, in qua gratia noua confertur: in qua conueniendum eſt ad Eccleſiam, pro maculis peccatorum diluendis. Gregorius in Regiſt. *Die Dominico à labore terreno ceſſandum eſt, atque omnino orationibus inſiſtendum: vt ſi quid negligentiæ per ſex dies agitur, per diem reſurrectionis precibus expietur.* Et Iſidorus: *Purgandus tunc eſt animus, atque à temporalium rerum cogitationibus ſegregandus: vt pura fides cordis ad Deum verè & ſimpliciter dirigatur.* Vnde & tunc debet homo iuxta verba præmiſſa ſe ad ſe reflectere, & *vias ſuas in conualle conſiderare*, id eſt peccata, quę hebdomada tota commiſit, conſiderare, & ſe ibi ab his abluere & emundare.

DEBET autem hæc emundatio tribus exercitiis perfici,

Scilicet { Cordiali compūctione, / Sacramentali cōfeſſione. / Aquæ benedictæ aſperſione. } hanc { Intimè exercendo, / Purè faciendo, / Deuotè excipiēdo. }

Debet enim homo *primo* ſuper commiſſis *cordialiter* dolere, ſeſe in via purgatiua, (quę aliquatenus ſupra habita eſt) exercendo; ſuper commiſſis ingemiſcendo & dolendo. Quodlibet enim ſuſpirium eſt ſicut lima acutiſſima, purgans ferrum, & rubiginem tollens peccatorum. *Deinde* quoque *Sacramentaliter*, aut ſaltē ſpiritualiter debet aduerſum ſe ſua peccata confiteri; tunc enim *putationis tempus* aduenit. Quæ Sacramentalis cōfeſſio qualis erit, Bonauentura in ſuo Tractatulo de modo confitendi declarat; de ea quoque in libello, qui intitulatur, *Beatus vir*, & in aliis habetur. Ex quibus omnibus, quiſque ſibi modum eligere debet, quo ſe præparet, procedat, & abſcedat. Oportet enim confeſſionem præuenire pe-

Digitized by Google

prædiſpoſitionem peccata commemorando, & colligendo. Domum enim mundaturus, prius pulueres colligere habet, quàm ejicere. Vnde & dicitur Eſa. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.* Et Sap. 6. *Ab initio natiuitatis inueſtigabo, & ponam in luce ſcientiam illius.* Debet quoque peccata ſua aggrauare, execrari, propoſitum non peccandi facere, & pro gratia contritionis à Domino cum Magdalena orare. Hæc enim ſunt confeſſionis prædiſpoſitiua.

Simile.

Præmemorando graues, auerte dolens, pete firmus.

Sic prędiſpoſitus debet coram Sacerdote cum Magdalena, tanquam coram Domino, ſe proſternere, & purè, humiliter, & fideliter peccata confiteri, vt vult Bernardus. Sunt enim hæc confeſſionis qualificatiua, exceptis multis, quæ ponuntur in *pœniteat cito.*

Eſto humilis, fiatq́; fidelis, puraq́; plena.

Scilicet cum circumſtātijs. De quibus paſſim plures ſcribunt, præſertim magiſter Iacobus Catthuſ. in Oculo Religioſorum. Poſtque debet cum gratitudine abſcedere, & deuotè in vnione meritorum Chriſti, pœnitentiam explere, & deinceps non peccare ſtatuere, & à recidiuo, quantum poterit, præcauere. Irriſor enim eſt, & non pœnitens, qui non veretur committere, quæ ſe dolet commiſiſſe. Valde ergo contra recidiuum peccandi ſe homo armare debet, ad quod valent hæc.

Conſtituas timeas, caueas, pœnas, petis, iterum.

VIII. PRIMVM eſt firmiter hoc cum gratia Dei ſtatuere. ALTERVM eſt iugiter in timore Dei ſe conſeruare, & quaſi coram oculis omnia videntis conuerſari; hinc quidam: Vis non peccare? Deum time, & cogita illum omnia videre. TERTIO oportet ſollicitè peccati occaſiones & cauſas deuitare, vt ſenſuum euagationem, malam ſocietatem, loca & tempora peccati. QVARTO, iuxta Gerſonem, expedit ſibiipſi pęnitentiam & pęnam pro quolibet exceſſu imponere & infligere, vt ſcribit in Tractatu ſuo valde vtili, contra recidiuum peccandi, & hoc ſecundum tres ſatisfactionis partes, vt ſcilicet aliquam abſtinentiam ab aliquo delectabili infligat; ſecundo certum numerum Pſalmorum dicat; tertio, vt aliquid pecuniæ, aut ſi non eſt ſui iuris; aliquid aliud Deo, aut Eccleſiæ donet, quarto, vt infra ſpatium breue, rurſus confiteatur & pęniteat. Poſtremo ſi validus tentationis vētus ſurrexerit, adeò, vt peccato victus conſentire videatur, nihilominus ad hoc ſe obligabit, & antequam illud perpetret aliquid legat, vel genua cōram crucifixo flectat. Maximè autem, vt horribile aliquod obiectum, quaſi præſens aſſumat; puta hinc quaſi viſibiliter ponendo regnum cælorum, illinc infernum, & ſibiipſi dicat. Quid cogitas? Quid tibi vis? Quorſum tendis? Nunquid vis pro delectatione momentanea amittere cælorum regna æterna, & intrare tormēta infernalia? Et ſic de aliis conſiderationibus. Magnum quoque adiumentum in omni periculo eſt oratio. *Cùm enim neſcimus quid agere debeamus, hoc ſolum reſidui habemus, vt oculos leuemus ad Deum.* Crebra quoque renouatio, 2. Par. 20

& reiteratio propoſiti maximum eſt adiumētum non recidiuandi. Neſcit enim in lapſu manere, qui ſemper innouatione propoſiti ſtudet reſurgere. Hæc per exceſſum de recidiuo vitanda diximus.

POSTREMO debet homo pro ſui expurgatione *aquam benedictam* aſſumere deuotè: vt ſic plenè etiam à venialium ſcoria poſſit emundari. Nam ob id principaliter eſt inſtituta, vt patet per Alexandrum Papam de *conſ. diſt. 3. vbi dicitur, Aquam ſale conſperſam populis benedicimus: vt ex ea cuncti aſperſi ſanctificentur, & expurgentur.* Nam ſi cinis vitulæ aſperſus populum ſanctificabat, multomagis aqua ſale aſperſa, diuiniſque precibus conſecrata, ſanctificat & mundat. Nam & venialia tollit, ſecundum ſanctum Thomam, non quod ſit Sacramentum contra morbum; ſed eſt Sacramentale quoddam, & diſpoſitio ad Sacramentum, quod remouet prohibens: vt patet in quarto. De cuius inſtitutione & effectu, tractatulum quendam collegit magiſter Ioannes de Turrecremata, enumerans aliquot eius effectus, qui ex benedictione eius colliguntur. Et ſunt iſti, IX. Heb. 9.

Diabolum & tempeſtates.	*Mentem à fantaſticis illuſionibus.*	*Venialia peccata.*
Pellit.	purificat.	dimittit.
Ad deuotionem, & Sacramenta.	*Fructuum vbertatem, morborum ſanitatem.*	
præparat.	affert.	

Quos effectus, vt quis mereatur excipere, oportet deuotè hanc capere, & cum Eccleſia dicere, *Aſperges me Domine*, &c. effuſi ſanguinis memorando. In quo verſiculo petitur primum gratia iuſtificans, ſecundo emundans: vt Innocentius ait, &c. Hæc pro exercitio purgatiuo. Pſal. 50.

§. 3. *Tertium principale exercitium; quomodo, ſcilicet Deus colendus.*

DEt vobis cor omnibus vt colatis eum. 2. Machab. 5.

IAM DE TERTIO principali exercitio agendum, quod eſt, vt latrieo cultu colamus Deū. Quod ritè ſequitur purgationem; alioquin objici ipſi poſſit illud Pſ. 49. *Peccatori autē dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas?* Et hoc præſertim Dominicis diebus. Ait enim Hieronymus, *Hoc cuique ſuus eſt Deus, quod præ cæteris colit.* Vnde qui ratius Deum colit, ſed aliis magis intendit, alia pro Deo habere comprobatur. Hinc neceſſe eſt, vt qui tota ſeptimana aliis inhæſimus, vel Dominicis diebus actualiter Deum colamus, ei intimius inhęrendo. Dicit enim Scotus Doctor ſubtilis ſuper 3. ſenten. diſt. 37. quod ad actualiter Deū colendum, feſtiuis, & potiſſimum Dominicis diebus obligatur homo; ita quod nunc teneatur ſe recolligere, & in Deum actualiter ſuper omnia ferre. Nam & hoc iuxta eundem videtur includere mādatum de ſabbatizatione; ita quod huius omiſſio, iuxta alium quendam graue eſt crimen.

VT IGITVR ſciamus ex quibus, & quomodo Deum noſtrum colere debeamus, *notandū,*

quod

Digitized by Google

quod cultus is tripharius eſt; Cùm enim à Domino Deo noſtro ſuſcepimus tria,

Scilicet { Animam, Corp⁹, Res. } Oportet vt eũ colamus { Anima. Corpore. Rebus. }

Iuxta illud.

Ex anima, rebus, Dominum cole, corpore ſummum.

Corde colis credens, ſperans, actu peramando.

Fide, ſpe, & charitate.

Et licet his ſemper eum colere habitualiter teneamur; non tamen actualiter ſemper, quia non prçualet hoc infirmitas humana, nec exigit pietas diuina. Sed tamen in feſtis, & maximè maximis, tenetur ſe quiſque, & potiſſimum Religioſus quilibet, recolligere, & harum actuatione virtutum, Deum ſuum colere. Harum etenim actuatio, & Deo plurimum placet, & homini congruit, & meritum ſupra modum auget. Quo enim (iuxta Dionyſium) virtus eſt altior & dignior, eo actus eius eſt magis meritorius, atque diuinior. Cùm igitur his virtutibus nullæ digniores exiſtant, liquet quod harum actuatio, aliarum actuationem cæteris paribus antecellat.

Sed iam ad ſingulas deſcendamus. Fide igitur primo colendus eſt Deus, quoniam ipſe fundamentum, baſis, & lucerna eſt cçterarum. Et hoc fieri debet.

Articulos ſtinguas, hærens, contraria ſpernas.

Scilicet { Fidei articulos rememorãdo, Fidem ipſam actuando, Fidei contraria abnegando. } per { Singulorũ diſtinctionem. Aſſenſum & operationẽ. Hæreſũ õniũ deteſtationẽ. }

Lata in membris his materia eſt exercitandi. Vel (iuxta Dominum Albertum ſuper Ioann. cap. 6.) ad fidei actuationem quinque exiguntur, ſcilicet,

Veritati aſſentiatur. Corde creditur, &c. *Per dilectionem operetur Fides quæ per dilectionem.*

Rom 10, Gal. 5. Aſſenti memorans, operanſque, fatenda ſtupeſcas.

Vt { Forma virtutis informetur: hinc, Oſtendam tibi ex operibus fidem. (Iac. 2.)
De credito diſcere te cogitetur. Noſce te conſummata iuſtitia. (Sap. 12.)
In his Dei conſilium miretur. Tunc videbis, & afflues & mirabitur. (Eſa. 60.) }

Qui ſic fidem actuaret, meritum valde in illo creſceret. Spe quoque colẽdus eſt Deus, quia procedit ab habitu infuſo, & hoc iſtis modis, ſcilicet,

Commemores ſperanda, leues operans, mala vites.

Vt { Speranda diſtinctè commemoret, veniam ſcilicet, gratiam & gloriam.
Spem ipſam firmo aſſenſu, & certa expectatione actuet.
Eius contraria, & impedimenta reſpuat. }

Eſt & in his lata materia, de qua agit magiſter Ioannes Nyder in ſuo præceptorio, non omnia ſunt hic ſcribenda.

Postremo, & charitate Deum colere debemus. Tenetur enim homo (iuxta Scotum) in feſtis aut Dominicis ad actualem dilectionem Dei ſui, quam ſic poterit actuare.

Finis amor Domini pro poſſeq́, ſperne retardãs.

Vt { Deum vnicum omnis amoris ſui finem ſtatuat.
Dignè ſecundum modum præceptum, pro poſſe eum diligat.
Dilectioni contraria, & impedimenta aſpernetur & rejiciat. }

Tenemur autem Deum diligere (vt ait Nider) placibiliter, ordinaliter, & appreciabiliter, quẽ modum etiam tunc actuare debemus, ſcilicet, vt in eius perfectionem complaceamus, omnia noſtra in eum ordinemus, & ſuper omnia illum appretiemus. Qui prçdicta ritè compleuerit, ille bene de mente Deum colit.

Secundo principaliter ex parte corporis XI.
colitur reuerentia, & corporali adoratione, quæ debetur ei, tanquam ſupremo omnium Domino, in recognitionem noſtræ ad eũ ſubiectionis; quemadmodum ſerui Dominis reuerentiam debent. Exhibetur autem hæc ſeruitus multipliciter, per varios geſtus, ſcilicet & communes & ſpeciales. *Geſtus communes* ſunt, inclinatio capitis, laus & oratio vocalis, pectoris tunſio, dorſi inclinatio, genuflexio, corporis proſtratio, fletus & gemitus, quæ omnia interioris reuerentiæ, quæ eſt cordis, ſunt ſigna, & vtinã ſemper vera; & omnia poſſunt reuerenter Deo exhiberi in recognitionẽ vniuerſalis dominij ſui. *Geſtus autem ſpeciales* ſunt, ſecundum varias obſeruantias Religioſorum, vt in crinium abſciſſione, in oculorum ad cælum leuatione &c. Huiuſmodi autem cultum iure debemus à corpore quod ipſe creauit, aſſumpſit & glorificauit; vt ſic ipſe honoretur, proximus çdificetur, & mẽs ad deuotionem inflammetur, ſecundum hos verſus,

Corpore laudãdus comedens, ſũpſit, bona reddet.
Inclinans flectis, cantans, ſternis, cole membris.

Et potiſſimum iuxta Scotum, in feſtis ad horum exhibitionem tenemur, in quibus eſt ad Eccleſiam eundum, & diuinum officium, & Miſſæ audiendum, Sacramentum deuotè adorandum, reuerenter coram eo inclinandum, &cæt.

Tertio de rebus eſt Deus colendus, per XII.
ſacrificia & oblationes, quæ lex naturalis Deo offerenda dictat, in ſignum debitæ ſubiectionis & honoris.

Ex rebus cole, namque dedit, ſua ſunt, quia ſubtus.

Sed quoniam Religioſis ſcribimus iſta, quibus nullæ res, aut ſubſtantiæ ſunt; quippe qui omnia reliquerunt: ideo illis notandum, quod ſi externum ſacrificium offerendum non habent; internum tamen nullatenus omittere debent; ne vacui appareant in conſpectu Dei. Sacrificium autem ſpirituale & internum eſt,
quo anima ſe ſacrificet Deo in ſpiritu contri- Exod. 23.
to & humiliato; tanquam principio ſuæ Iudith 8.
creationis, & fini beatificationis ſuç, & hoc omnes offerre tenentur. Hæc de cultu Dei.

Vt autem plenius diuini cultus actus dinoſcamus, vt crebrius exerceamus, & deuotius eos Deo impendamus, libet eorum originem & qualitatem ſingularius, ſecundum

Guillelmum Parriſienſem in libro de Fide, & legibus; & Bernardinum in ſermonibus aſſignare. Vnde notandum, quod eorum quæ de Deo dicuntur, reſpectu aliarum rerum, tria ſunt principalia & radicalia, ad quæ cætera reducuntur; ſcilicet potentia, ſapientia, & bonitas, ex quorum apprehenſione & credulitate oriuntur omnes partes diuini cultus.

Fit Domino, cultuſque potens, ſapiens, bonus ipſe.

De cultu potentiæ diuinæ, & primum de adoratione. Notula I.

XIIII. EX multitudine autem & ſupereminentia potentiæ diuinæ oriuntur adoratio, exoratio, veneratio. Et ratione ſuæ potentiæ, eſt Deo triplex is honor exhibendus,

Poſſe ob adorandus, exorandus, venerandus.

Eſt autem *adoratio* ſubiectio & humiliatio interior & exterior, qua Deo nos ſubiectos eſſe ad perdendum vel ſaluandum plenariè profitemur, dicentes cum Pſal. *In manibus tuis ſortes mea.* Conſiſtit autem hæc adoratio in quatuor actibus. PRIMO in *inclinatione* capitis, vt cùm Chriſtus nominatur, vel Ieſus &c. Et hoc præcipitur *extra. de immunitate Eccleſiæ. Conuenientes*, &c. Et in ſignum erubeſcentiæ cum publicano caput flectendum. SECVNDO *in incuruatione corporis*, cùm dicitur Gloria Patri, & hoc in ſignum, quod omni miſeria pleni ſumus, & ad iterum ruēdum, atque peccandum proni ſumus & procliues. TERTIO *in genuflexione poplitis*, vt in eleuatione corporis Chriſti, & hoc cum vtroque genu: Talis enim debet eſſe reuerentia, qualis cui exhibetur. Si Domino temporali cum ſiniſtro, ſi ſpirituali cum dextro, ſi Papæ cum vtroque inclinatur; multo amplius Deo vtrumque flectendum. Hinc Apoſt. Epheſ. 3. *Flecto genua mea ad Patrem.* Item Eſa 45. *Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu.* QVARTO *in totali proſtratione*, in ſignum plenæ ſubiectionis, quod profiteamur nos nihil eſſe ex nobis, iuxta illud pſal. 94. *Venite adoremus, & procidamus ante Deum*, &c.

Pſal. 30.

Luc. 18.

SECVNDVS diuinę potētiæ cultus & honor, eſt *exoratio*. Per exorationem enim, ad Dei potentiam refugimus inclinandam. Per quatuor autem diuina potentia inclinatur. PRIMO *per orationem*, & hoc in bonis obtinendis: vt in *Pater noſter*, in quo omnia neceſſaria petuntur. SECVNDO *per deprecationem*, quæ fit pro malis remouendis, hinc multum valet deprecatio iuſti aſſidua. TERTIO *per ſacrificationem*, vt audiamur: Sacrificium dicitur ex hoc, quod homo facit aliquod ſacrum. Quorum omnium potiſſimum eſt Euchariſtię Sacramētum, vt patet *de conſecratione.* QVARTO *per thurificationem*, vt exaudiamur: Quæ non tantum deſignat odorem ſacrificij; ſed ſolemnitatem diei, in cuius honorem ſacrificium celebratur. Et quoniam omnis gratia à Deo impetranda, à Ieſu Chriſti merito nobis deriuatur, ad noſque deſcendit miniſterio Angelorum, & ideo altaris thurificatio pręmittitur, deinde adaſtantes venitur.

Matth. 6.

Iac. 5.

Ethim.

TERTIVS diuinæ potentiæ cultus, eſt *veneratio*. Et eſt honor, quem rebus ſacris exhibemus; vt ſcilicet ad diuinam potentiam, vel ad ſacramenta eius, non niſi decenter, hoc eſt loti & purificati mente & corpore accedere præſumamus. Et hæc quattuor requirit: PRIMO *ſacrorum locorum magnificentiam* & decorem. *Terribilis eſt enim locus iſte.* SECVNDO *requirit miniſtrorum munditiam*; ſcilicet in contrectando diuina & Eccleſiaſtica ſacramenta: O quanta pollere puritate deberent, qui ſacramenta contrectant. Eis dicitur Eſa. 1. *Lauamini, mundi eſtote.* TERTIO *neceſſariorum decentia*, ſcilicet in apparatu vaſorum, luminarium, & veſtimentorum, quæ omnia clamant gloriam & magnificentiam cultus Dei. *Honora Deum de tua ſubſtantia.* QVARTO *requirit ceremoniarum harmoniam*, id eſt concentum & ordinē, vel celebritatem canticorum, pſalmorum, lectionum, necnon & tota feſtiuitas muſicalis, huic cultui ſubſeruit.

Gen. 28.

Prou. 3.

De cultibus, qui Sapientiæ diuinæ debentur. Notula II.

SECVNDO ex fide, qua contemplamur immenſam Dei ſapientiam, quæ omnia ad nudum, & luciſſimè intuetur, oritur triplex diuinæ Sapientiæ cultus & honor, ſcilicet timor, pudor & dolor. XIV.

Cumq́, Deus ſapiens, timor hinc: pudor & dolor ortus.

Qui enim credit Deum ſapientia infinitum, hæc tria ei impendit; In oculis nempe Dei aliquid agere intimoratè, impudēter, impœnitēter, non eſt hominis, qui eum credit, vel recogitat omnia aſpicere oculis ſapiētiæ ſuæ, iuxta illud Heb. 4. *Omnia nuda & aperta oculis eius.*

PRIMVS ergo cultus ſapientiæ eſt *timor*, ſcilicet qui oſtendit culpam, & diuinā aperit iuſtitiam. Pſal. 110. *Initium ſapientię timor Domini.* Et ex hoc duo bona oriuntur, ſcilicet ſtupor & tremor. PRIMO ex timore hoc, oritur *ſtupor*, nimirum diuini iudicij, quod continuè videt peccatoribus infligi à Deo. Ad hoc hortatur Sapiens Eccl. 17. *Cognoſce iuſtitias, & iudicia Dei: vt ſtupeas.* Et hinc etiam in diuino cultu præſentamus, & commemoramus diuina iudicia, ſicut beneficia, vt ſtupeamus peccare coram diuina ſapientia. Hinc legitur de Luciferi caſu, de Adæ lapſu, de ſubuerſione Sodomæ & Gomorræ, & cęteris huiuſmodi, vt ſtupor iſte in mentibus generetur. SECVNDO, ex timore oritur *tremor*, ſcilicet, æterni ſupplicij præparati peccatoribus: vbi conſiderat homo momentaneum eſſe quod delectat, æternum, quod cruciat, ponderatque ſententiam illam Matth. 25. *Diſcedite à me*, &c. Et ob hoc huic in cultu Dei ſępè infernale ſupplicium præſentatur.

SECVNDVS diuinæ ſapientię cultus, eſt *pudor*, quo commiſſa penſat & ponderat. Et ex hoc oriuntur verecundia & erubeſcentia. PRIMO *verecundia* culpæ commiſſæ, vt patet Lucæ 7. de Magdalena, quæ ſtetit *retro* (non ante) *ſecus pedes Ieſu.* Et Lucæ 18. de publicano, qui à longè ſtabat, &c. SECVNDO,

erubeſcentia gratiæ amiſſæ, vel pœnæ & miſeriæ inflictæ, quia multa flagella peccatores
Pſal. 31. circundabunt & circundant.

TERTIVS diuinæ ſapientiæ honor eſt, *dolor*, qui penſata emendat per veram ſapientiam. Et ex hoc oriuntur cōfeſſio & correctio: PRIMO *confeſsio peccati defleti*, iuxta illud Pſal. 31. *Dixi confitebor aduerſum me*. SECVNDO *correctio peccati confeſſi*, per veram circonſpectionē: vt ait Pſal. 118. *Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua* vt ſcilicet non delinquerem. Hinc patet quod timoris eſt oſtendere, pudoris videre, doloris dolere & emendare offenſas.

De cultu Dei, & bonitate.
Notula III.

XV. TERTIO ex fide & lucida contemplatione diuinæ bonitatis in ſeipſa conſideratæ, oritur in primis amor Dei, qui eſt radix omnium virtutum. Si autem conſideretur diuina bonitas in comparatione & ordine ad effectus, ſic tres ſunt ei cultus exhibendi; nempe gratitudo deuotionis, promptitudo dilectionis, rectitudo intentionis, qui tres ſunt principales affectus amoris,

Cumq; bonus Deus eſt gratus, promptus, cole rectus.

PRIMVS eſt *gratitudo deuotionis*. Quicunque enim diuinam bonitatem plenè credit & conſiderat, eſt gratus ob beneficentiam eius, qua ingratis & indignis ſua dona confert. Et huius gratitudinis quatuor ſunt actus: PRIMVS EST RECOGNITIO, quæ eſt gratiarum actio pro receptis. Pſalmiſta pſal. 12. *Cantabo Domino*, id eſt, recognoſcendo laudabo, *qui tribuit bona mihi*. SECVNDVS eſt *benedictio*, id eſt bonorum imprecatio largitori: vt ibi Pſal. 18. *Benedictus es Domine* &c. Itemque Pſal. 40. *Benedictus Deus Iſrael à ſæculo* &c. *fiat fiat*. TERTIVS eſt laudatio vel collaudatio quæ eſt benefactoris, & beneficiorum magnificatio: vt ibi 1. Par. 29. *Tibi Domine gloria, imperium, & honor, nobis confuſio faciei* &c. QVAR-
Baruch 1. Dan. 9. Gloria quid. TVS glorificatio, quæ eſt beneficiorum prædicatio, diuulgatio, publicatio ad omnes, ſeu deſtinatio benefactoris, & beneficiorum ab illo. Gloria enim nihil aliud eſt quam clara, ſublimis & lara laus, & fama, aut agniti boni clarum & magnum iudicium.

SECVNDVS diuinæ clementiæ ſiue bonitatis cultus eſt *miſericordia*, inquantum tollit, vel lænit miſeriam. Vnde ſpes veniç & gratiæ oriuntur per partes diuini cultus, ſcilicet per deprecationem, orationem, afflictionem, oblationem & eleemoſynam: velut diximus. Qui quidem cultus eſt promptitudo dilectionis circa eius beniuolentiam, quæ culpam indulget, & alleuiat miſeriam, cuius quattuor ſunt ſigna.

PRIMVM pœnitentia gratanter accepta, ad ſatisfaciendum pro commiſſa culpa. SECVNDVM ſignum eſt victus parſimonia, & quęcunque afflictio carnis. TERTIVM eſt elemoſyna, quæ eſt ſubuentio miſerationis corporalis ad miſeriam releuandam, vel corporis aut ſpiritus. QVARTVM ſignum eſt indulgentia omnis peregrinationis, & labor acceptus voluntariè pro ſuorum venia peccatorum.

TERTIVS diuinæ clementiæ vel bonitatis cultus, eſt rectitudo intentionis circa eius patientiam, qua peccantibus differt vindictam, cuius quatuor ſunt fructus. PRIMVS *reminiſcentia*, quæ eſt recordatio offenſæ toties iteratæ, & per conſequens veniç toties collatæ, vt aliis in te peccantibus libens indulgeas. SECVNDVS fructus eſt *diligentia*, in tali ſe exercens ſeruitio, in ſacris ſacrificiis & ſtudiis, antequam veniat vltima dies, iuxta illud Apoſtoli Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum*. TERTIVS *prouidentia*, declinans à periculis, quibus poteſt cadere in foueam damnationis æternæ. Oritur igitur hinc declinatio à malis, & pœnitentia cum ſuis partibus. QVARTVS eſt *præſtolantia*, anhelans per deſiderium cœleſtium ad remunerationem æternam; ſed ipſi ſuſpecta de obſtaculo, vt Pſal. 83. *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum*. Oritur igitur hic ſpes remunerationis æternæ, pro laboribus poſt hanc vitam recipiendæ in cœleſtibus, quam parit magnifica largitas diuina, obſequiorum remuneratrix ditiſſima. Et ex hac, eſt omne obſequium diuini cultus, inquantum eſt via ad mercedem æternam; hoc eſt, inquantum per ipſum tenditur & intenditur ad ipſum. Non enim dubium eſſe debet, quin eadem opera exteriora diuini cultus poſſint eſſe ex diuerſis virtutum radicibus, & propter fines varios & diuerſos. Idem enim ſacrificium offerri poteſt Deo altiſſimo, ad honorem ipſius tantum, & ad ſperandam veniam tantum, & ad impetrandam gratiam tantum, & ad obtinendam æternam gloriam tantum, & quandoque propter hæc omnia ſimul, ſi placuerit offerenti.

HÆC egregij illi prænominati Seraphici viri, quorum dicta aſſignamus hic, quia de cultu Dei egimus, qui clariſſimè ex his intelligi poteſt. Quis iam cauſabitur in feſto die Dominico non poſſe ſecum conſiſtere? quis iam opponet ſe neſcire quid agere debeat? Certè ſi nulla alia præter iam aſſignata exercitia eſſent, vtique tota die pro fœlici exercitatione ſufficerent. Poterunt enim ſingulæ diuini cultus præmemoratę partes in ordinem ſcalarem extrui, prolixius proſequi, ita quod latiſſimam materiam præbeant exercitandi. O fœlix nimium, qui hos exercuerit omni Dominico die latricos actus. Diſce ô Religioſe hos actus, vel interdum agere in terris, quos in ſęcula ſæculorum acturus es in cęlis. Non nos ſingulos proſequimur, longiores enim fuimus, & dulcius quemque ſuç ſuper his practicę afficere ſolent.

Digitized by Google

De quarto exercitio, ſcilicet de audienda Miſſa.

CAPVT III.

XVI. SAcrificate ſacrificium iuſtitiæ, &c. Pſal. 4. Itemque. *Omne opus non facietis in Sabbato; ſed holocauſtum offeretis Domino.*
Exod. 20. IAM DE QVARTO principali exercitio agendum, quod eſt ſacrificium libare: & Miſſam deuotè audire. Quemadmodum enim in veteri lege præceptum erat de holocauſto in feſto offerendo: ita & in noua de Miſſa audienda Dominicis diebus, omnibus eſt mandatum. Nam omnis Chriſtianus (vt aiunt docti) ad audiendam Miſſam in Dominica obligatur. Dicitur enim *de conſecratione diſtinctione prima. Miſſas die Dominica ſecularibus totas audire, ſpeciali ordine præcipimus; ita vt ante benedictionem Sacerdotis templum egredi non præſumant, quod ſi fecerint, publicè confundentur.* Inſuper dicit Sanctus Bernardinus in Tractatulo ſuo de vita Chriſtiana, Scotum allegans, quod ſi ob neceſſitatem aliquam retrahatur homo die Dominico ab audientia Miſſæ; nihilominus tamen neceſſarium eſt ſuppleri aliquo æquiualenti: vt ſaltem in die illo deputato ſpeciali cultui diuino aliquis actus habeatur immediatè relatus in Deum, ad gloriam & reuerentiam eius. Hæc Scotus ſuper tertio diſtinctione xxvij. Vnde debemus, vel maximè huic exercitio (ſecundum quod in ſuperioribus adhortamur) inſiſtere; vt ſcilicet deuotè Miſſam audiamus.

§. I. *Inductiua ad Miſſam deuotè audiendam.*

PLVRIMA enim, ad libenter Miſſam audiendam ſunt inductiua.

Eſt iuſſum, placitum, iuſtumq́; opus, vtile dignum.

PRIMO propter Chriſti, & Eccleſiæ præceptum. Chriſtus enim hoc *in ſui memoriam*
Matt. 26. fieri inſtituit, & Eccleſia, vt patet ſupra hoc præcepit.

XVII. SECVNDO, quia eſt Deo placitum; quod patet ex plurimis exemplis, in quibus legitur ſpeciali gratia præueniſſe eos, qui libenter audiebunt Miſſam.

TERTIO, quia hoc eſt iuſtum, vt vel aliquando paſſionis Chriſti memoremur, quod agitur in & ſub Miſſa.

QVARTO, quia hoc eſt neceſſarium, & ob hoc etiam quotidie celebratur Miſſa; quia ſicut homo quotidie indiget cibo materiali, ita etiam ſpirituali. Oportet quoque (iuxta Ambroſium) vt contra quotidianum morbum adſit iuge medicamentum.

QVINTO, quia audire Miſſam eſt dignum, & opus magnæ dignitatis, officium angelorum, qui aſſiſtunt Domino ſemper, & opus quo dignius in Eccleſia quodammodo nullũ. Cuius dignitas ex duodecim declarari poſſet; ſed longum eſſet. Dicitur enim in rationali diuinorum, Miſſa tam plena eſt myſteriis ſuo modo, ſicut mare guttis, Sol atomis, & firmamentum ſtellis, & cœlum Angelis. Quis ergo non libenter intererit Miſſæ?

POSTREMO debet nos attrahere, quia eſt Apoc. 22.
vtile multum, eſt velut lignum vitæ duodecim hos pariens fructus.

meritum. — *ad Chriſtum corpus myſticum.* — *venialia.*
Dilatat, ſocians, purgat,
peccatorem. — *ſpiritaliter participatur.* — *bonorum operum.*
gratans, edit, eſt pars.
pro eo orant. — *amicos.* — *plus.* — *in omni opere.*
Orant, ſolatur, valet, adiuuat,
cibus melius — *veniendi in cælum.*
& ſapit, hinc ſpes.

Primus fructus eſt, *dilatat meritum*, ita quod deuota auditio Miſſæ, vt paſſim ſcribũt docti, plurimum merita adauget. Nam vix ex opere operato meritoſior operatio fieri poteſt; ergo valde meretur, qui multas audit Miſſas, & ſæpe.

Secundus fructus eſt, quia in audiendo Miſſam homo ſociatur Chriſto, Angelis, & proximo: CHRISTO, patet Matth. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus.* Ioann. 6. *Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo.* ANGELIS, qui fiunt huiuſmodi familiariores, quia eorum officium ſupplent, in aſſiſtendo Domino in Miſſa, vnde diligentius cuſtodiunt eos, vt ait Ambroſius. Huiuſmodi PROXIMVM aſſociat, quia eſt Sacramentum communionis & vnitatis.

TERTIVS fructus, quia *venialia purgat*, & hoc propter plurima, quæ in Miſſa fiunt, ſcilicet accipiendo aquam benedictam; confiteor legendo; ad nomen Ieſus inclinando, in eleuatione Euchariſtiæ pectus tundendo, benedictionem ſacerdotis ſuſcipiendo. Hæc enim omnia à venialibus purgant, etiam ſingillatim ſecũdum Doctores ſingula, & hoc, vel magis, vel minus, ſecundum piam deuotionem Miſſam audientis, vel ſe in huiuſmodi exercentis. Liquet, quod nulla eſt actio, vbi tanta concurrunt, per quæ fit venialium remiſſio.

QVARTVS fructus eſt, quod licet quis in mortalibus Miſſam audit, quandoque ante finem Miſſæ compunctus & pœnitens *gratificatur*, & ad gratiam recipitur, & dimittuntur ei ſua peccata in parte, vel in toto. Ait enim Henricus de Haſſia ſuper Geneſim: *Chriſtus in terris degens, nulli miſericordiam denegauit, in fide petenti, vt patet in Latrone & Magdalena. Nonne æquale, vel maius eſt nunc inuiſibilem, fide credere præſentem in Euchariſtia Mariæ filium? & ipſum, qui ibi præſens eſt, contrito corde, & humili inuocare? Videtur quod nihil refert, quoad effectum gratiæ & veniæ conſequendæ.* Hæc ille. Chryſoſtomus quoque multis infunditur gratia in præſentia corporis Chriſti, immo maiorem ſæpe influxum gratiæ percipiũt audiẽtes, quã celebrãtes.

QVINTVS fructus eſt, qui deuotè audit Miſſam, quotidie ſpiritaliter cõmunicare poteſt. *Crede* (ait Auguſt.) *& mãducaſti*; vt patet infrà. Vnde

Digitized by Google

Vnde & qui illa die decedit, piè creditur & reputatur communicatus;dum, & quia ſumpſit ſpiritaliter,quod Sacerdos ſacramentaliter.

Sextvs fructus eſt,ſpecialis communicatio & participatio omnium bonorum Eccleſiæ, quam facit communio Euchariſtiæ & charitatis. O magnum bonum!

Septimvs, quia oratio citius exauditur in præſentia Chriſti,præſertim quia ſingulariter à ſacerdote, fideliter & deuotè circunſtãtibus, etiam vocaliter oratur & offerrur: vt patet in Canone,& vt Innocentius dicit.

Octavvs fructus eſt, quia deuota Miſſæ auditio plurimum ſolatur animas,pro quibus orare tenemur in purgatorio (vt dicit Auguſtinus in Enchiridio, & alij docti) dummodo intentio noſtra, vel actualiter, vel virtualiter, aut certè habitualiter,ad hoc feratur.Nullum enim ſubueniendis animabus efficacius ſacrificium,quàm altaris ſacramentum: vt ex multis exemplis deducit Gregorius in 4. Dialogorum.

Nonvs fructus, quod vna Miſſa (ſecũdum Anſelmum) in vita hominis cum deuotione audita,plus valet quoad præmium eſſentiale, & purgatorij diminutionem, quam ſi multæ fiant pro eo poſt mortem.

Decimvs fructus eſt,quia adiuuatur ex hoc in omne bonum: Nihil enim ita prodeſt ad relaxationem culpæ,diminutionem pœnę,augmentum gratiæ, ſicut ſacrificium Miſſæ deuotè oblatum. Nil ita in omni tribulatione adiuuat, ſient audita rite Miſſa: vt patet ex multis exemplis.

Vndecimvs fructus eſt(iuxta Ambroſium) Quidquid homo illa die comedit,plus naturę conuenit auditâ Miſſâ, quàm ante: Ergo laudabilis conſuetudo non comedere,niſi audita Miſſa. Inſuper magis in anima & corpore roboratur,& in omni ſæpe & opere & labore proſperatur.

Postremvs fructus,ſi illo die,quo Miſſam audiſti, contingat te mori in gratia, Chriſtus in extremis aderit tibi protector: ſicut tu in Miſſa aſtitiſti ei miniſtrator, ipſe enim teſtatus eſt,*Eadem menſura*,&c. Et ſpes grandis concipitur,vt illi coniungatur in regno,cui affuit in Miſſæ myſterio in exilio. Quis non iam excitabitur ad libenter audiendam Miſſam? Sed his fructibus non communicabit, niſi qui deuotè Miſſam audierit, vnde de modo pauca dicenda. *Mat. 7.*

§. 2. *De modo audiendi Miſſam.*

XVIII. *Sit credens, reuerens, diſcretus,deditus almo.*

Qvatvor autem erunt in bono auditore Miſſæ;ſcilicet *firma fides* in credendo, *reuerentia* in aſſiſtendo,*diſcretiò* in adorando, *deuotio* in audiendo; Sed cæteris tranſitis, vt notis,de *quarto*;ſcilicet de deuotione dicendum. Qui igitur deuotè volet Miſſam audire,debet ſe eius officio conformare: Nihil enim omiſſum in eo, quod ad boni operis pertinet complementum. Proponitur enim in eo & bonus modus accedẽdi in præparatione, melior progrediendi in executione, optimus terminandi in concluſione. Diuiditur enim in tres partes, his exercitijs exornandas.

In parte
- Præparatoria debet homo prępararı quoad
  - Intentũ, Affectũ, Intellectum, — ipſum
    - Rectificãdo, Purgando, Inſtruendo, — ſub
      - Introitu.
      - Kyrie eliſon, Alleluia.
      - Epiſtola Euangelio.
- Executoria debet homo Chriſtum
  - Venientem adorare, — In eleuatione.
  - Paſſum recolere, — Poſt offertorium,& ſub Canone: Miſſa enim celebratur vt mors Chriſti recoleretur.
  - Offerre & ſumere, — Poſt Agnus Dei, & in ſumptione.
- Terminatoria: debet homo tunc
  - Gratias agere, Pro effectu petere, Cuſtoditè ſe gerere, — ſub
    - Communione.
    - Complenda.
    - Benedictione,& poſt.

Hic iam breuibus inſinuantur exercitia ſub Miſſa habenda, quorum nulla alia (quantumlibet plerique legant, & verba multiplicenr) ſunt meliora, quia intentioni Chriſti, & Eccleſiæ ſunt conformiora. Longiùs ſuper his ſermo fieri poſſet; ſed qui de Miſſa ſcripſerunt, Miſſæ myſteria, ordinem, & congruentiam plenè tradiderunt, videantur illi, & legantur. Non omnia poſſumus omnes. Præſertim Albertus deuotiſſimè, in de myſterijs Miſſæ, ſingula quæque exponit. Sunt igitur generalia exercitia Miſſæ iſta,

Conformans, memores, captus, offers, quoque ſumes.

Id eſt myſterijs Miſſæ ſe conformare, Chriſti paſſionem recolere,venientem in ſacramento deuotè recipere,offerre,& ſpiritualiter ſumere. Sed illis omiſſis, ad exercitia principalia, paucis explananda nos diuertamus.

Primum exercitium ſub Miſſa. Chriſti paſsionem recolere. Notula I.

XIX. Poſtquam igitur ſe homo, vtcunque per exercitia aſſignata præparauerit, ad illa tria aſcripta exercenda ſe diuertat. Tria enim ſunt principalia ſub Miſſa exercitia exercenda,

Scilicet
- Paſſionem Dominicam recolere.
- Aduenientem deuotè excipere,& offerre.
- Spiritual. cõmunicare

quæ vtcũq; ſunt proſequenda.

Cõmemorans recipe atque libãs,ipſũ tibi ſumẽs.

Quorum primvm eſt Chriſti paſſionem recolere. Nã ideo Miſſa celebratur, & hoc à Chriſto, hoc ab Apoſtolo, hoc à cæteris Sanctis iubetur, indicitur, & imperatur. Chriſtus enim dicit, *Hoc facite in meam commẽmorationem*; Et vas electionis, *Quotieſcunque*

Digitized by Google

manducabitis &c. *mortem Domini annunciabitis donec veniat*. Matth. 26. Et in Canone Miſſæ, 1 Cor. 11. *Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis*. Identidémque ſuadent ſancti omnes, adeò quod Eccleſiæ lingua, lux Doctorum, diuus Auguſtinus (vt aiunt) dicat. Peccat ſub Miſſa, qui legit. Non quod malum eſt legere; ſed malum eſt non obtemperare; Chriſti ergo paſſio tunc eſt commemoranda.

Miſſa celebratur, mors vt Chriſti recolatur,
Hoc iuſſum decet expediens opus hoc quoque ſuadent.

Vbi iam ſunt qui vocales orationes, præter Chriſti doctrinam multiplicantes, Chriſti (vt ſic dicam) concilium nihili ducentes, ſuam Chriſto voluntatem præferentes? quaſi ſi magiſtro, ac tali magiſtro ſapientiores, parere cõtemnentes, aut ſaltem (ſed ſtultè) melius præter doctrinam aut mandatum ſuum placere præſumentes? Fidelem enim ſeruum non habet Dominus, qui omiſſis mandatis Domini, tantum facit ea, quæ ſibi videntur meliora & commodiora, & non ſunt. Hæc ideò (vehementius fortè) diximus, quoniam plurimos noſtri temporis, etiam Religioſos, vocales tantum multiplicando orationes Chriſti & Apoſtoli doctrinæ vel præcepti, quodammodo cõtemptores nouimus, qui nec ſub paruo Canone Chriſto obediunt, & Eccleſiæ inſtituto, vt ipſis myſteriis in Miſſa repræſentatis attendant. Non vtique piam ſimplicium in vocalibus o- 1. Cor. 12. rationibus damnantes ſedulitatem, ſed ad chariſmatum meliorum æmulationem, maximè Religioſos & Clericos exhortantes. Quamuis enim Chriſti præceptũ ſolos forſitan concernat Sacerdotes; Apoſtolus tamen abſque vllo dubio omnibus loquitur fidelibus 1. Corinth. 11. *Quotieſcunque inquiens panem hunc mãducabitis* &c. *mortem Domini annunciabitis*. O igitur in melius emendemus, & cæteris omiſſis paſſioni Dominicæ meditandæ, nos totos impẽdamus. Nihil enim gratius Deo, nil commodoſius agere poterimus nobis, vt infrà patebit.

De altero principali exercitio ſub Miſſa.
Notula II.

ALTERVM principale exercitium ſub miſſa agendum eſt, *venientem deuotè excipere*, & acceptum, deuotius Deo Patri offerre; Primo inquam venientem deuotè excipere; ſcilicet in conſecratione & eleuatione. Vnde antea ſub *Sanctus* deuotè debemus illi occurrere, iu- Malach. 3 xta illud Prophetæ. *Ecce venit dominator Dominus ad templum ſanctum ſuum*, &c. *Gaude & lætare Sion, occurrens Deo tuo*. Et Bernardus: *Hic eſt heres, venite, & deuotè occurramus ei*. Magnus namque Rex, magnis deſiderijs eſt excipiendus. Et hinc Eccleſia ſtatuit, vt exemplo Hebrçorum puerorum, venturo occurra- Mat. 21. mus canentes, *Benedictus qui venit in nomine*, &c. Porrò qui deuotè volet Chriſtum excipere, debet exercitia ſequẽtia, vel ante, vel circa eleuationem exercere, ſcilicet.

Perpendens, occurre, colens, mirans, age, poſcens.

Primo enim debemus vẽturi Domini qualitatem & circunſtantias perpendere, iuxta verſum ſupra in gradu occurſionis poſitum, in ſcala Communionis; ſcilicet ad quem, quis veniet &c. pulchrè vel ſufficienter exponitur ibi.

Secundo, debemus magno & anhelo deſiderio occurrere, vehementer eius aduentum, & aduentus effectum deſiderãdo; ita vt dicamus: *Deſidero te millies, mi Ieſu, quando venies* & cæt. Itémque, *Da mihi per præſentiam tuam ſentire gratiam*.

Tertio in conſecratione, venientem iam in eleuatione debemus cultu latriæ colere, deuotiſſimè eum adorando, & fidem actuando: vt patet ſupra in ſcala Communionis, in gradu intentionis. Vbi ponitur formula adorationis. Cui annecti poterit efficax illa oratiuncula, vnde dicuntur exempla multa. *Et nunc quaſo piiſſime Domine Ieſu, reſpice ſuper me miſerrimũ* Matt. 9 *peccatorem oculis miſericordiæ, quibus reſpexiſti beatum Matthæum in Telonio, beatum Petrum* Mar. 14. *in Prætoris atrio, Mariam Magdalenam in con-* Luca 7. *uiuio, latronem in crucis patibulo; vt cum beato* Luca 23. *Matthæo perfectè te ſubſequar; cum B. Petro peccata mea dignè defleam: cum B. Maria Magdalena ſinceriter te diligam: & cum latrone beato, in Paradiſo æternaliter & beatificè te videã*. Amen. Qui huiuſmodi orationes volet, plures ex antidotario & orationum libellis inuenire poterit: Nos hic tantum exercitiorum occaſiones offerimus.

QVARTO debemus dignationem ſtupendi aduentus *admirari*, adeò vt exclamemus cum Bernardo: *O quam ſtupenda dignatio, quam indebita viſitatio* &c. *Regem Regum venire ad vermiculum!*

QVINTO debemus tantæ dignationi *gratias agere*, vt docet Guillelmus Pariſienſis deuotiſſimè gratias agendo.

POSTREMO toto corde debemus *petere*, ne aduentus ille dignantiſſimus in nobis deperditus eat; ſed vt officia, propter quæ venit, efficiat; quæ ſunt quattuor iuxta Dominũ Guillelmum in omni Miſſa deuotè expoſcenda: *Primum* eſt, officium *medicationis*, quo ſcilicet petamus, vt ipſe medicus vitæ, medeatur Eccleſiæ ſuæ, theriaca viuifica carnis ſuæ, & ſyropo ſaluberrimo ſacrati ſanguinis ſui: *Alterum* eſt, officium ſacramentationis, aut *ſanctificationis*, quo petatur ipſe ſummus Sacerdos vt nos emundet ab omnibus inquinamentis noſtris carnis & ſpiritus, repleat nos gratia & ſanctitate: *Tertium* eſt, officium *reconciliationis*, vt ſummus ille aduocatus & mediator peratur, quo per ſacrificium corporis & ſanguinis placet Patrem miſericordiarum, eique nos recõciliet: *Quartum* officium eſt *refectionis*. Vnde à bono paſtore petendum, quo tam nobili cibo & potu nos reficiat & ſatiet, extinguens in nobis famem & ſitim mortiferas corporalium, atque ſecularium deſideriorũ. Hæc ſunt principaliora Chriſti per Sacramentum officia, inſtantiſſimè poſt eleuationem ab eo expoſcenda. Et complectuntur ſub hoc metro.

Sanet, ſanctificet, placet, ſatiet, petis vt nos.

Digitized by Google

Quid poſt elevationem exercendum. *Notula III.*

XXII. SEd vbi ſic Euchariſtiam, id eſt bonam gratiam excepimus: cauendum eſt (iuxta Apoſtoli monitionem) ne in vanum gratiam
2. Cor. 6. Dei recipiamus; Exhortamur, inquit. *Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*; Gratia enim datur propter operari, quam *in vanum accipit*, qui nō id, propter quod datur, facit: Datur autem in duplicem vſum, iuxta S. Thomam, & vt ſuprà declaratum eſt; *Offertur* enim vt Sacrificium, & *ſumitur* vt Sacramentum: Et ſecundum hoc duo exercitia illa ſumuntur, ſcilicet quod debeat offerri & ſumi, de quibus dicendum.

PRIMO debemus altiſſimum illud Sacrificium, quo maius eſſe poteſt nullum, deuotè *offerre*, in, & cum Sacerdote, pro omnibus cauſis noſtris. Non enim Sacerdos offert ſolus; ſed & offerre poſſunt omnes circumſtantes, vt patet in Canone. Et libenter debet quiſque offerre: Nam ad hoc debent quemque trahere, & ſacrificij acceptabilitas, proximorum charitas, fructus multiplex, & grandis neceſſitas, quę proſequi longum eſſet. Per hoc enim Sacrificium dignè oblatum, Deo honor & gloria, Angelis & Sanctis lætitia, viuis & defunctis magna vtilitas accedit. Ad quod etiam neceſſitas impellit, quia dicitur in lib. Numerorum cap. 9 *Exterminabitur anima de populo, quæ non obtulit Sacrificium tempore ſuo.* Grandia ergo inductiua. Verum quoniam Doctor ſanctus, de hoc Sacrificio diſſerens, ait, quod hoc Sacramentum inquantum Sacrificium, habet vim ſatisfactiuam, & prodeſt his pro quibus offertur, tam viuis quam defunctis; Sed in ſatisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm qualitas oblationis; *Quamuis ergo*, ait, *hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna, magis tamen fit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, ſecundum quantitatem ſuæ deuotionis, & non ſemper pro tota pœna*: Ex quibus verbis colligitur, quod valde vtile ſit & neceſſarium, bonum & deuotum ſcire modum offerendi hoc Sacrificium: Nam quali deuotione quis hoc obtulerit, talem inde recipit fructum; Sed prolixum eſſet ponere modum ad plenum; vnde ſufficiat vel praxim tenuiter tetigiſſe.

Debet igitur in hac memoria oblationis primum fieri,

Captatio beniuolētiæ per { Dei exaltationē, Sui humiliationē & verificationē.

Præſentatio hoſtiæ per Chriſti { Vitæ, Paſſionis } oblationem.

Imploratio miſericordiæ pro { Commiſſis omnibus ſecundum caſuum poſitionem, Nominatiuum, Genitiuum, &c.

Commendatoria concluſio per { Obſecrationem, Commendationem,

Vt exemplariter à quibuſdam inuenitur deductum. Qui hoc modo ſacrificium offerret; ille non vacuus à templo (vt plerique) abſcederet. Item dicitur, quod memoria fiet *ſecundum caſus*, hoc eſt, primo pro *Nominatiuo*, hoc eſt pro ſeipſo, pro *Genitiuo*, id eſt parentibus; pro *Datiuo*, id eſt benefactoribus, pro *Accuſatiuo*, id eſt pœnitentibus & inimicis, pro *Vocatiuo*, id eſt Religioſis, pro *ablatiuo*, pro abſciſſis ab Eccleſia. In memoria quoque pro defunctis, eodem modo procedēdum; ſed Nominatiuus vacat, & Ablatiuus erit pro illis, qui ſingularem apud Deum interceſſorem non habent.

MEMBRVM IIII.

De ſpirituali Communione.

TERTIVM principale ſub Miſſa exercendū officium, eſt *ſpiritualiter communicare*. XXIII.
Nullus enim audientium Miſſam ſecluditur à gratia tanta, ita quod crebrius Miſſam deuotè audiens, magis reficiatur, & ampliori gratia dotetur, ſpiritaliter manducando, quam Sacerdos ipſe Sacramentaliter ſumendo; dum ille minus dignè, vel minus præparatè accedit, & iſtius feruor & deuotio vehementer ad Sacramentum afficitur. Quid autem ſit ſpiritualiter manducare, & quomodo à Sacramentali diſtet, & quàm illi quandoque præferatur: Itemque quæ nos ad ſpiritaliter communicādum inducere debent, omnia præhabita ſunt in prologo ruminatorij, & in conſiderationibus, vt eſt illic videre. Debent enim nos ad eā trahere iſta.

Edocet, inuitans, opus, exemplū, bona ſuadent.
Veraq́, ſecura, bona, crebra, locus generalis.

Chriſti inuitatio, qui crebrius ad ſe inuitat dicens, Matt. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & ego reficiam vos. Accipite & comedite*, Luc. 22. Iuſſitque petere *panem quotidianum* Matth. 6. Item fructus magnitudo, itémque neceſſitatis indictio: Sicut enim egemus indies cibo materiali, ita & ſpirituali, vt ſupra declaratum eſt in ruminatorio. Itémque Sanctorum doctrina & exemplaritas: Hanc enim ſpiritualē communionem valde ſuadent docti, vt patet ſupra: Et hac vſi ſunt Patres illi heremicolæ, vt ſcribit Odo Cluniacenſis dicens, Paulus primus heremita, Antonius, Apollonius, Mutius, Hilarion, & Macharij illi, cæterique nominatiſſimę religionis viri: Horum, inquit, ſinguli vna hora diei paſſionis Dominicæ noſtrę redemptionis beneficium commemorabant, ſicut Dominus præcepit, *Hoc facite in meam commemorationem.* Et ſic ſpiritualiter manducabant. Et ideo hi nominati cum vniuerſa beata legione Anachoritarum, adeò grandes excreuerunt in Domino, vt illorum collatione nos in vita ſpirituali pigmeos & homunciones inueniamus. Sunt & recentiora exempla ad manum de Catharina de Senis, de Laico Conſtantienſi, & de muliere partem hoſtiæ recipere aſſueta; vnde dicitur infra: Valde ergo hæc ſpiritualis communio appetenda, quę vera eſt & ſecura, fructuoſa ſæpe magis, quàm Sacramentalis; & creberrimè fieri poteſt, & omni tempore & loco, vt diximus ſupra: & ſanctis heremicolis fuit ſufficiens & aſſueta. Quiſquis igitur horum exemplo voles magnus in Domino

mino excreſcere, in alterum, in ſpiritalem, immo in diuinum hominem mutari: ſuper omnia huic exercitio vigilem animum præbeto. Cuius practica eſt iſta.

XXIV. Qui cum ſacerdote ſpiritualiter cupit communicare, oportet vt ſe ante aliquantulum ſtudeat præparare, ſe à vanis abſtrahendo, in Eccleſiam veniens, ſolum ſe locando, ſuper peccatis dolendo, deinde Miſſam deuotè, iuxta modum ſupra aſſignatum, audiendo; præſertim ſerioſiùs Dominicam paſſionem commemorando.

Deinde poſt eleuationem, intimius ſe ad Sacramentum debet diuertere, illud offerendo, orando & dijudicando: Et præſertim debet ſuum affectum ad eius ſpiritualem ſuſceptionem dilatare, corde & ore: vt magiſter Iohannes Nider & diſcipulus docet, dicendo: *O pie Domine Ieſu Chriſte, qui huc propter me veniſti, & te mihi in panem quotidianum, imo in omnem deſiderabilem vſum tribuiſti, vellem te libenter ſuſcipere, etiam in Sacramento; ſed heu non audeo, nec poſſum accedere, quia timeo te offendere propter indiſpoſitionem meam nimiam, & tamen ſcio, quod ſine te vero cibo, non poſſum viuere; quare humiliter rogo, vt licet te non ſumam ſacramẽtaliter, vt tamen me reficias, & ad me deſcendas ſpiritualiter, & velis mecum de illa gratia impertiri, quam te deuotè ſub Sacramento ſumentes debent ſentire. O bone Ieſu noli me deſpicere, noli ſeruum tuum tranſire; ſed digneris ad me venire, mecum manere, & effectus tuos in me operari, per te Ieſu* Amen.

Huiuſmodi verbis debet homo deuotè inuitare: Et vbi ad communionem à Sacerdote ventum fuerit, os mentis aperire, & per omnem modum, quaſi & ipſe ſacramentaliter Sacramentum ſumeret ſe habere, quia verè ſpiritualiter ſumpſit, quãdo ſic deſiderauit. Nam per Sacerdotem, qui tanquam collum eſt corporis, ad membrum illud ſanum Sacramenti virtus deuenit.

Debet ergo tunc gratias agere, debet pro effectu percipiendo petere, & per omnia, iuxta modum ſupra de communione Sacramentali aſſignatum, ſe habere.

NEC VIDEATVR practica hæc cuiquam puerilis & contemptibilis, quoniam non nos eam poſuimus: ſed Spiritus ſanctus hanc edocuit, vt Ioannes Nider in ſuo Formicario ſcribit: vbi narrat de quodam laico, quem hoc modo ſpiritus edocuit, qui longiuſculè etiam particulam de Sacramento altaris ſenſibiliter, quando os corporis aperuit, cum mira dulcedine percepit. Videatur exemplum illud, quia huic exercitio alludit. Nec mirum, aut incredibile videatur, cùm de pluribus ſimile legatur: vt de Catharina de Senis, de aliis item deuotis mulieribus & Sanctis. Qui omnes vehementi deſiderio, etiam particulam ſenſibiliter exceperunt de altaris Sacramento. *Nec eſt manus Domini abbreuiata*, quin adhuc, quod eis contulit, daret; ſi quis, eorum inſtar, ſe exerceret, aut deſideraret. Aut ſi ſenſibilem illam deuotionem negaret, per internam ſuppleret. Eſa. 59.

Quis ergo non vtriſque (vt aiunt) brachiis amplexabitur exercitium iſtud? Ceſſent igitur cætera, amplectantur iſta. Quis quæſo legẽdo Pater noſter, aut alias orationes vocaliter tãtum multiplicando, hunc fructum vſque percepit? quis etiam ſacramẽtaliter refici meruit? Non hoc donum percipiet, niſi qui ſemotis, relictiſque multiplicibus illis externis tantum muſſitationibus, inſtitutis à Chriſto de ſua commemoratione pareat, & aduentum eius ſpiritualem vehementer deſideret. *Ignis* enim *faciem eius præire habet*; *Et in omnem locum ad quem veniet*, duos diſcipulos præmittere ſolet; ſcilicet ſacram meditationem, & deuotam affectionem. Pſal. 96. Luca 10.

Quiſquis igitur deuotè miſſam audire volet, his ſe exercere debet. Non prorſus ſimplicium deuotionem in legendo multa Pater noſter, quod bonum eſt, damnamus; ſed ad parendum Chriſti præcepto, Eccleſiæ inſtituto, ad *æmulandum chariſmata meliora*, cũ Paulo exhortamur. Nam vbi aliud alio fructuoſius exercitatur, præſtantius deligendum. Stultum enim valde, cùm poſſis eodem labore & ſudore triticum in horrea metere: neglecto frumẽto, infęlix lolium, & ſteriles auenas colere. Agite igitur æmulemur chariſmata meliora. 1. Cor. 12.

§. *Quid poſt communionem agendum in fine Miſſæ.*

PORRO in parte Miſſæ terminatoria, debent fieri exercitia iſta,

Sit gratus Domino, pete, poſt benedicier opta.

Ideo enim *communio* lætabunda voce cãtatur, vt gratiæ ſuper tanto beneficio peragantur: vnde in corde tunc deuotus dicere debet: *Gratias tibi referat, ſancta Trinitas, omnis creatura, ſuper ineffabili dono pietatis, quia vnico filio cordis tui non pepercisti; ſed pro nobis omnibus illum tradidiſti, dando mihi nunc illum ſub Sacramẽto in Viaticum, Sacramentum, & Sacrificium: quem olim tanta miſeratione & charitate dediſti in ſociũ, exemplum, & pretium. O genite fili Dei*, &c. Rom. 8.

Dein complendę dicuntur, vt pro Sacramenti effectibus exoretur.

Poſt benedictio datur, vt accepta gratia confirmetur, vt Pater potentia infirmitatem roboret; Filius ſapientia intimum illuminet; Spiritusſanctus ſui bonitate voluntatẽ in bono inflammet; ne à gratia Sacramenti excidamus. Et hæc de modo audiendi Miſſam, vnde etiam ſupra nonnulla ſunt præmiſſa.

De bonis exercitijs poſt prandium in die Dominica aſſumendis.

CAPVT IV.

I. VIderunt hoſtes, & deriſerunt Sabbatha eius. Thren. 1. MERITO (ait quidam) illorum Sabbata deridẽtur, qui poſtquam mane paululum Deo per ſuperiora exercitia adhæſerunt, in reliquo diei, vbi factum eſt prandium, omni deuotione reiecta, ſolũ ocio carnali & ſuę laſciuiæ vacant: Hinc etiam moralis ille Seneca, Iudæorum Sabbata Thren. 1.

Digitized by Google

riſit, dicens, eos ſeptimam partem tẽporis vitæ eorum perdere. Ne igitur & noſtra Sabbatha ridiculo ſint hoſtibus, operæ pretium exiſtimauimus, & poſt prandium ſicut & ante, pia exercitia aſſignare: Nam & ideo integro die à corporalibus operibus vacamus (vt dicitur *de conſec. diſtinct.* 10. *cap. Ieiunijs*) Et potiſſimum Religioſorum, tanquam magis Deo obligatorum eſt, totam illam diem expendere in vacatione Dei, licet cæteris honeſta recreatio, (vt ſcribit magiſter Ioan. Gerſon) indulgeatur. Poterunt igitur ſequentia exercitia aſſumi, ſi non affuerunt meliora.

Altaria viſitando. *Collationem.* *Proximis orando.*

Circuiens. audi. miſerens.

Deuota. *Propoſita innoua.*

meditare. proponens.

De quibus ſingulis, vt crebrius exerceãtur, paucis eſt proſequendum. Et dicimus vt & ſupra, quod non ſemper neceſſe ſit exercere omnia; ſed interdum, nunc hoc, nunc illud, prout animi diſpoſitio exigit, aſſumendum; quamquam feruens, plurima poſſit & agat.

M E M B R V M I.

De viſitatione Altarium.

II. CIrcui ciuitatem meretrix obliuioni tradita, bene cane, frequenta Canticum, vt memoria tui ſit. Eſa. 23. HIS VERBIS incitamur à Propheta ad exercitium primum in verſibus tactum, quod eſt *circuire ciuitatem*, ſcilicet Eccleſiaſticam, tam triumphantem quam militantem; & *bene canere*, per deuotam orationem & mendicationem: *frequentare Canticum*, per perſeuerantiæ continuationem, vt ſic *memoria noſtri* ſit coram Deo, & Sanctis eius. Et bene congruit hoc poſt prandium exerceri; nam & tunc ſæculi homines ambulant ſuper cibo ſumpto. Debemus itaque & nos tunc Altaria Eccleſiæ viſitare.

Quod exercitium, quoniam vtile eſt multum, vidẽdum de modo eius: *Sciendum* itaque, quod hæc Altarium viſitatio tripharium fieri poterit, ſecundum quod leguntur aliqua ſacra tripliciter viſitari. Vel enim viſitantur,

Vt { Loca terræ ſanctę, / Habitacula ſupernę patrię, / Romanæ vrbis Eccleſiæ. } pro { Agendis gratiis: / Impetrandis auxiliis: / Merẽdis indulgentiis. }

Inuenimus enim Sanctos his modis ſacra Altaria viſitaſſe. Nam & ad altaria talibus modis viſitanda, plurima ſunt inductiua, quorum pauca tangenda. *Tum quia* Deo & Sanctis gratum & iocundum, *nobis vtile*, & neceſſarium, à *Sanctis frequentatum*, quorum plerique, dum altaria in Eccleſiis viſitarent, & miras reuelationes exceperunt, & innumera gratiarum chariſmata meruerunt. Argumento nobis ſunt, Dumſtanus Anglicanus Epiſcopus, Seuerinus Colonienſis, & plures alij: Quorum primus choream cæleſtem, alter Martini tranſitu cœlicam melodiam; alij alia mira inter viſitandum altaria conſpexerunt. Nónne vnus puerum Ieſum? nónne Romana mulier Sanctos, quorum limina viſitarat, Gregorio teſte, ſub ſpecie vidit peregrinorum? O igitur mirandum, ô exercitium colendum, tametſi indulgentiarum inops eſſet, ſummè obſeruandum, propter tam multiplex inductiuum.

Quocirca notandum, quod in vnica viſitatione, tria hæc ſimul poſſunt compleri per directionem intentionis; vt ſcilicet homo tamquam principaliter Chriſti loca viſitet, Sanctos ad laudem & patrocinium conuocet: & pro indulgentijs oret. Aut ſeorſum ſecundum ſingula ter poterunt, quibus vacat altaria viſitare. De quibus dicendum in ſpecie.

§. 1. *De primo modo viſitandi Altaria.*

ADorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius. Pſal. 131.

PRIMVM diximus, Altaria eſſe viſitanda, vt *loca terra ſancta*: Nam quod illic, propter pleraque impedimenta, non poſſumus: hoc in Eccleſiis propriis iſto exercitio implemus. Quis III.
non ad loca illa ſuſpiret? quis non anhelet? Nónne ſanctiſſimi quique, etiam de extremis mundi oris, ad illa loca contenderunt & contendunt, ſingula percurrunt, venerantur, oſculantur, lachrymantur, vt nonnunquam & lapides ipſos (Sarracenos induratos loquor) ad lachrymas pungant? Videtur rurſus Abraham linquere terram ſuam, & ſuos ad terram hanc feſtinans. Gen. 20. Nónne & futurorum præſcij, magni illi Patriarchæ, qui viui illic Saluatoris tempore, & poſt eſſe non poterant, vel mortui illic ſepulturam eligendo eſſe contendebant? Hinc & elegia & funebri Franciſcus Petrarcha tragœdia cum aliis luget, quia & Eccleſia non poſſidet hæc loca. Sed non eſt, quod nos lugeamus, ecce maior Hieruſalem hic: Habemus ſanctæ Eccleſiæ altaria, quæ ſunt vera, in quibus Dominici ſteterunt pedes, loca. Pſal. 131. Illic annis quibuſdam, & mortalis eſt conuerſatus; hic in dies iam venit glorificatus. Hæc itaque, horum locorum recordatione viſitemus, & non minorem, quam ſi illò proficiſcamur, gratiam, forſitan percipiemus. Et potiſſimum nos ad tali modo altaria viſitãdum excitare debet Virginis Mariæ exemplum, quæ (vt Brigida ſcribit) viſitabat ipſa quotidie ſacra loca poſt filij ſui mortem, vſque ad aſſumptionis ſuæ diem: Cum ipſa igitur & nos, quaſi coram ſimus, hæc loca viſitemus, & in ſingulis adoremus, & quę illic Dominus egit commemoremus, & ne in nobis deperdita ſint, ſuppliciter exoremus, & obſecremus. Oportet itaque quod quiſque Eccleſiæ ſuæ altaria diſtinguat, ſecundum loca terræ ſanctæ, vt in multis Eccleſijs fit, & factum vidimus.

Digitized by Google

§. 2. De modo altero per habitacula patriæ cæleſtis.

IIII. SVrgam circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea. Cant. 3. HIS VERBIS innuitur alter modus viſitandi altaria, tanquam ſcilicet ſupernæ patriæ habitacula, donec perueniatur ad illum, quē quærit finaliter anima. Debemus ergo *circuire ciuitatem* cæleſtis patriæ, *per vicos & plateas*, id eſt maiores & minores Sanctos viſitando; donec ad dilectum Deum perueniamus. Sic legitur de ſummis Sanctis, quod Sanctorum memorias frequentabant, etiam noctu altaria viſitando. Sed & Pſalmiſta ait de ſe, *Circuiui,*
Pſal. 26. *& immolaui in tabernaculo eius hoſtiam*, &c. Hoc & exercitium præclaræ illius Romanæ ſanctæ Melaniæ fuit, quæ interrogata, quid in ſolitudine ageret, reſpondit (vt Heraclius in ſuo Paradiſo ſcribit) A principio inquit diei orationi vaco, opus faciens ex lino; poſtea per Sanctos Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, &c. meditatione diſcurro; certis horis cibum capio; appropinquante veſpera Deum glorifico, finémque vitæ meæ cum bona ſpe patienter expecto. Huius itaque, ac cæterorum exemplo, & nos itidem faciamus, & cum ſponſa ciuitatem circumeamus; Quam circuire nihil aliud æſtimo, niſi ſe circa ſanctos patriæ meditatione occupare.

Quadruplex autem erit circuitus iſte: *Primo*, per deuotam meditationem, qualiter ad præmia peruenerunt commemorando, & eis congratulando. *Secundo*, per congruam venerationem, dignè eos honorando; *Tertio*, per ſtrenuam imitationem, eorum veſtigia ſequendo: *Quarto* per humilem ſupplicationem, eorum ſuffragia implorando. Qui ſic vicos & plateas cæleſtes circuiret, eorum indubiè auxilio ad dilectum perueniret. Quomodo autem, & qualiter à Sanctis debemus mendicare, & qualia debeamus rogare, omnia infra in Mendicatorio traduntur. Poterit tamen homo ſecundum quadruplicem iam dictum circuitum, meditationem ſuam dirigere, & ſic orationem formare. Et vt hoc modo homo ſe in viſitando altaria exerceat, oportet vt ea ſecundum Sanctorum ordines, in patria diſtinguat, vnum ponens habitaculum Prophetarum, aliud Angelorum &cætera. vnum Regis ſolium, alterum Mariæ thronum, &c.

§. 3. De modo viſitandi altaria, iuxta tertium modum, id eſt, ſtationes Romanæ vrbis.

V. QVia patiens Dominus eſt, in hoc ipſo pœniteamus, indulgentiam eius fuſis lachrymis poſtulemus. Iudith 8.

TERTIO viſitanda ſunt altaria, vt Romanæ vrbis ſtationes, & Eccleſię, pro merenda ad hoc data indulgentia. Nam non dubium eſt, quin qui ſua viſitaret altaria, ea intentione, ac ſi in vrbe præſens eſſet, participaret etiam copiam gratiarum; præſertim cum hoc pleriſque religionum ordinibus ſit ab Apoſtolicis indultum. Quis non iam peccatorum ſibi conſcius, ad viſitanda altaria accele-ret, cum eaſdem hoc exercitio poſſit mereri indulgentias, tanquam ſi Romæ foret? Variæ ſcimus, ſunt de indulgentijs quibuſdam poſitiones; ſed non ob id deſerendæ, nec prorſus contemptibiles. Fixa regula ſtat: *Qui bene facit, bene habebit*; nec opus bonum, quantumlibet etiam minimum, mercede carebit. Non magnopere de quantitate indulgentiarum ſciſcitandum, ſed pia exercitia maximè indulgentiis priuilegiata ſunt agenda, & præmium ſiue indulgentiarum quantitas: (vt Ioānes Gerſon docet) Deo piè committenda. Fidelis eſt Dominus, nec fraudabit nos merito noſtro.

Suademus quoque, quod in viſitando altaria, magis referamus intentionem ad Dei gloriam; quam tantum propter conſequendam indulgentiam, licet appenditia intentio illa erit. Alijs de indulgentiarum valore diſputationem relinquamus, nos practicam ponamus.

Qui ergo volet Romanas indulgentias mereri, hoc modo debet procedere: imaginetur ſuam Eccleſiam, quaſi illam, in qua ſtationes ſunt Romæ, & ſic altariatim circumeat, ſuper peccatis doleat, Dei miſericordiam, Chriſti paſſionem, Sanctorum merita extollat, & per hæc indulgentiam peccatorum poſtulet, ſe totum Deo committens, aliquot Pater noſter, aut alias orationes, ſuper hoc conſtitutas legens. Qui ſic altaria viſitaret, & Chriſti, & Sanctorum merita, ſummo Pontifici præſentaret; puto quòd ampliores & veriores indulgentias acquireret, quàm ſi Romam curreret. Age ergo ſic agamus dum tempus eſt, non negligamus, non denique ſuper his diſputemus: Doctoribus licet, quorum officium eſt diſputare, Monachis non licet, quorum eſt plorare, indulgentias poſtulare.

Sequitur de diſtinctione altarium, tabula exemplaris, ad quam addi poſſent circa altare ſummum, ad verbum, vbi Trinitas, tribus Pater noſter inuocanda adde,

Et percōgruè, eo quod {
In monte Sion tota Trinitas reuelata, vbi Spiritus in columba, Pater in ſono, Filius in carne conuerſatus.
Dignius ſummum altare ſummo debetur.
Hæc præcipua Eccleſia digniſſima vrbis, & orbis Saluatori intitulata.
}

Et congruenter, eo quod in Bethleem mater lætabunda facta eius nomini vtrumque dedicatum &c.

Et ſic ſingula rationabiliter poſſent coaptari; Sed non eſt magni ponderis, dum fructus habetur deuotionis.

Verum quoniam diximus de diſtinguendis, iuxta triphariam hunc modum altaribus, puto hoc clarius pateſcet, ſi exemplaris forma ſubnexa fuerit. Poterit itaque hoc modo. In Eccleſia cuiuſque.

Digitized by Google

Pedes. Euchariſtia. Feria in Cœna. poſt Reſurrectionem. Spiritus ſanctus.

Hic lauat, atque cibat, ſermonem, veſcitur, ignis.

Summum altare poteſt eſſe iuxta
- Loca terræ ſanctæ, Mons Sion, vel cœnaculum, vbi Chriſtus hæc egit in præcedenti verſu ſignata.
- Habitacula ſupernæ patriæ. Summi Regis ſolium, vel Trinitatis conſiſtorium, vbi Trinitas tribus Pater noſter, inuocanda.
- Eccleſias vrbis Romæ. Eccleſia Lateranenſis, quæ dicitur Saluatoris, vel alia, vbi agitur diei ſtatio, prout cuique dictauerit ſua deuotio.

Et ſunt in Lateranenſi tantæ Indulgentię, quod nemo poteſt enumerare, vt dicit Bonifacius Papa. Et ſunt hic reliquiæ maximæ, & numeroſæ, & eſt capitalis vrbis Romanæ Eccleſia.

Chriſtum. præputium. aderant. filium. pannis in præſepio.

Hic parit. hic ſcindit. reges. lactans. ligat artus.

Altare Mariæ poteſt eſſe iuxta
- Primum modum. Bethleem. Ciuitas Regis ſummi, vbi hæc commemoranda prædicta.
- Secundum. Thronus matris Salomonis. Hoc eſt Virginis Theotocos, quæ ſedulius eſt imploranda.
- Tertium. Eccleſia S. Mariæ. In hac eius Virginis matris merita ſpecialia, efferenda & offerenda.

Poterunt in hunc modum applicari & cætera altaria, ad hæc tria, quod quiſque faciet ſua induſtria: Poſſent item ſingulis locis aſſignari reliquiæ, & mirabilia quæ ſunt Romæ, aut in terra ſancta; ita quod copioſiſſima hic offertur deuotionis materia.

Hic petit. hic ſudat. captus. ſcandit. rediturus.

Altare Angelorum.
- Mons Olueti. Vbi Chriſtus mira geſſit. Nam in hoc monte ſunt duæ capellæ deuotæ, & merentur hic peregrini omnes indulgentias, in aliis locis inacceſſibilibus.
- Angelorum chori. Qui ſunt adeundi tanquam Secretarij, & nuncij ſummi Regis.
- Eccleſia principis Apoſtolorum.

Præco iudicem. in vtero. ieiunans. Apoſtolos. transfiguratur.

Baptizat. pater. eſurijt. vocat. ecce bonum nos.

Altare Baptiſtæ poteſt eſſe
- Iordanis vel Thabor. Supra Iordanem eſt capella vbi mira facta ſunt.
- Thronus Patriarcharum & Prophetarum. Qui ſunt inuocandi tanquam ſenes & ſcribæ, & conſiliarij Regis.
- Eccleſia S. Laurentij extra muros. Hic maximę indulgentiæ, prę ſertim omni Feria quarta.

Ductus, & argutus, cæſus, luſus, quoque paſſus.

Altare Apoſtolorum poteſt eſſe
- Hieruſalem. Vbi tot ſunt loca deuotionem excitantia, quot vix poſſunt dici, ſcilicet domus Annæ, & Cayphæ &c.
- Throni Apoſtolorum. Qui ſunt ſupplicandi tanquam ordinarij iudices & amici Dei.
- Eccleſia S. Pauli. Qui huc ierit omni Dominica per annum, tantam indulgentiam habebit, quàm ſi ierit ad ſanctum Iacobum.

Exutus, tenſus, fixus, moritur, tumulatus.

Altare crucis poteſt eſſe
- Mons Caluariæ. Hic capellæ ſunt multę, & apparet ibi ſanguis Chriſti in petra, vt dicitur.
- Sedes martyrum. Qui adeundi vt primipili, barones, & milites regni ſuperni.
- Eccleſia S. Sebaſtiani ad catacumbas, vbi Angelus apparuit Gregorio, dicens in iſto loco promiſſio vera, & remiſſio peccatorum.

Et eſt hic in Crypta cimiterium Calixti, vbi innumera Sanctorum Martyrum corpora ſepulta. Et ſunt ibi pretioſiſſimæ & ornatiſſimę reliquiæ.

Hicce pedes vnxitque, caput, Lazarus, bonus hoſpes.

Altare Magdalenæ:
- Bethania. Vbi oſtenditur domus Marthæ. Et eſt ibi capella. Ibidem domus Lazari Item domus Simonis leproſi.
- Chorus Virginum. Quæ ſunt implorandæ, vt ſponſæ & Reginæ, ſponſi immortalis.
- Eccleſia Magdalenæ. Vel Agnetis aut Praxedis. Poſitæ enim ſunt Eccleſiæ ſeptem principales.

VI, Præter quas ſunt adhuc minus principales 440. magnis nihilominus indulgentiis dotatæ, & reliquiæ ſacratæ. Capellarum autem, & hoſpitalium ſacrorum tantus eſt numerus, vt quidam dicat, Sunt Romæ mille vigintiquinque capellæ Ad quas tamen viſitandas poteſt homo intentionem dirigere, & ſic plurimum mereri.

POTEST item homo in Eccleſia ita altaria Sanctorum viſitare, tanquam illa loca, quæ à peregrinis viſitari ſolent: vt altare Magdalenæ tanquam ſepulchrum eius in Maſſilia, vt fertur: Itemque altare Michaelis, tanquam montem Garganum. vbi deuotè inquiri ſolet; Altare item S. Iacobi tanquam Compoſtellæ. Et illud exercitium hoc modo altaria viſitandi, legitur reuelatum cuidam deuotæ Abbatiſſæ, nimis anxiè loca ſancta viſitare quærenti; Cui Angelus apparens docuit, quod totidem legeret Pater noſter, in vnione Dominicæ paſſionis, & laborioſæ ſuæ, qua in terris ambulauit, ambulationis; quot ſunt leucæ vel miliaria illuc contendendi, & indulgentias illo proficiſcentium & peregrinantium participaret. Vbi dummodo paruum pro quibuſdā exercitium ſumi poſſet deuotionis. Sed dimittitur practicæ cuiuſque, ſat ſit occaſionem adminiſtraſſe deuotis.

Hæc pro qualicunque exemplari forma poſuimus: vt tali modo quiſque in ſua Eccleſia poſſit ſibi diſtinguere ſua altaria, applicando ea locis ſacris, vel Sanctorum habitaculis aut Romanæ vrbis Eccleſiis, pro deuotione excitanda: vt ſic, vel aliqualiter, interdum imaginariè loca illa ſacra aſpiciat, quæ præſentialiter non poteſt intueri. Et qui velit deuotius in hoc exercitio exercitare, ille poterit ſibi deſcriptionem horum locorum, ex quibuſdam Tractatulis deſuper factis colligere, & certam materiam factorum aggregare, & ſic aliquot Pater noſter, vel Aue Maria, in eorum vnione legere, &c. Pſal. 26. Hæc pro rudioribus & imperfectioribus, ſiue incipientibus, de *circumeundo & immolando in tabernaculo Domini vociferationis hoſtiam* diximus, non perfectis: Illi enim multo ſublimiori atque excellentiori modo meditando, contemplando, orando, tabernacula Eccleſiæ, & triumphantis, & militantis circumire norunt; ſine huiuſmodi ſymbolis exterioribus & corporalibus, quanquam & eis huiuſmodi piæ exercitationes quādoque non ſunt contemnendæ.

MEMBRVM II.

Sequitur de exercitio altero poſt prandium; ſcilicet audiendi verbum Dei.

VII. BEati qui audiunt verbum Dei. Lucæ 11. ALTERVM principale exercitium poſt prandium exercitandum, eſt *audire ſermonem*, & Dei verbum: Nam & ad hoc Eccleſia obligat fideles; Nam dicitur in decretis, *Omnes fideles qui veniunt in ſolemnitatibus ad Eccleſiam, & ſcripturas Apoſtolorum, & Euangelium audiant.* Itemque *de conſecr. diſt. 1. c. Sacerdote,* dicitur ſic, *Sacerdote in Eccleſia verbum Dei faciēte, ſi quis egreſſus fuerit de Auditorio, excommunicetur.* Inter cætera enim quę ad ſalutem populi ſpectant Chriſtiani, pabulum verbū Dei, maximè noſcitur neceſſarium: Nam & alia plurima ad libenter verbum Dei audiendūm ſunt attractiua, vt puta ſcripturarum monitio, naturæ inclinatio, Sanctorum perſuaſio, & exemplario; Item verbi Dei dignitas & cōſequens vtilitas; Dulciſſimos enim fructus gignit Dei verbum auditum, vt paſſim Doctores in ſuis ſermonibus declarant. Nam & vt ex præallegato verbo patet, efficit hominem beatum. Quiſquis igitur volet eſſe beatus, ad Dei verbum audiendum ſit paratus. Nam & qui id audire contemnit, ſignum eſt, Ioan. 8. quia iuxta Domini ſententiam, ex Deo nō ſit. Libenter ergo illud audiamus,

Tum propter:
- Neceſſitatem
- Vtilitatem.
- Neceſſitatem, — Auguſt. 1. q. 1. c. Interrogo vos fratres. *Non minus eſt verbum Dei, quam corpus Chriſti.*

Primò ad hoc nos per recollectionem, & orationem diſponendo: *Secundo* humiliter, attentè, deuotè, memoranter illud audiendo; *Poſtq̄,* ſermone finito, debemus quę audiuimus, inſtar mundorum animalium, repetere, & iuxta Domini vocem cuſtodire, gratias agere, & pro eorum impletione Deum exorare, & ſecundum ea vitam dirigere. Qui hoc Luc. 11. modo collationem aut ſermonem audiret, vtique fructum reportaret. Sed notentur ſingula verba, eſt enim copioſiſſima in ſingulis materia, de quibus nihil dicimus, quia paſſim hæc repetiuntur in Doctorum ſermonibus.

SVPEREST hic vnum exercitium aſſignandum, quod eſt vtile, & pium multum. Magnificant plures prædicatorum merita, ad ſydera vſque tollentes, vt verè ſunt efferenda. Non enim (teſte Beda) acceptior hoſtia Deo, quàm zelus animarum. Ecce edocetur hic vnū exercitiolum, quo & tu poſſis, qui hoc exercitaueris, eorum inſtar, multiplicare meritum, habere zelum animarum, & conuertere eas ad Dominum; imò & magis mereri prędicatore, & fructificare in Eccleſia magis. Nam VIII. illi crebrius ſubrepentè vana gloria, partim, aut totaliter merito fraudantur, & tantum in vna Eccleſia, vbi concionantur fructificant, & animas conuertunt: Tu autem per hoc exercitium non ex vana gloria merito fraudaberis, & per totum orbem, non vno in loco

ſolum

ſolum fructificabis. Sed quo id inquies pacto? Audi quo pacto. Oratione: Vt ſcilicet vbi putas prædicationis inſtare tempus, tete ad te recolligas, & ſupplex, primum pro omnibus per totum mundum verbi prædicatoribus, deinde & pro auditoribus vbilibet locorum exores, quo & illis det gratiam dignè ſeminandi; & his inſtar bonæ terrę ſuſcipiendi, vt ſic creſcat Dei exinde honor, & gloria, animatumque inde ſalus oriatur, & augeatur Eccleſia. Qui ſic deuotè Deum oraret, auſim dicere, quod maius meritum pluribus prædicatoribus reportaret', magiſque in Eccleſia fructificaret. Nam *in vanum profunditur foris verbum Doctoris, niſi intus Deus tangat cor auditoris*: vt Gregorius ait: *Tolle* (ait venerabilis magiſter Ioannes Gerſon) *orationes timentium Deum, & quid proderit obſecro labor fatigantium ſe, vel prædicando, vel monendo?* &c.

PENSET hic ſolitarius, quantum poteſt corrigere delinquentes, abſens, & tacens; ſi bene vixerit, & orauerit. Taliter enim & non aliter, datum eſt illi tollere ſcandala de Eccleſia &c. Et ſic etiam S. Franciſcus Fratribus ſuis, ne de fructu prædicationis gloriarentur, indicebat, quoniam non ipſorum exhortatione ſed aliorum deuotorum precibus eos conuerſos aſſerebat. Vnde & dicebat, magis exemplo, quam verbo magiſque (vt Bonauentura ait) prece lachrymoſa; quam ſermone loquaci, animas conuerti: Vnde & ad hoc exponebat illud Cantici,
1. Reg. 2. *Donec ſterilis peperit plurimos* &c. id eſt, pauperculos, quos orationis ſtudio conuertit, in iudicio, ſuæ gloriæ tunc iudex aſſcribet. Hinc & Gerſõ in de Myſtica Theologia ait, Quod anima deuota, affectiuis orationibus aſſueta, eſt digniſſima portio Eccleſiæ, magis eã promouens, quam prædicator quiſpiam, etiam quamtumuis fuerit eloquens: Nam ille forſan conuertit, ad quos verbum ſuum attinget, pauculos, hic totum Eccleſiæ corpus myſticum viuifico quodam influxu nutrit, omnes complectens, pro omnibus Deũ orans. Vnde ait, quod eius operi nulla exterior admonitio, nulla prędicatio, nulla prorſus corporalis exercitatio poteſt in efficacia coæquari. Nimirum quia hæc omnia fruſtra fiunt, & vanè; ſi non adiuuerit oratio iuncta charitati. Vnde & alij pro huius confirmatione illud Pſal. 112, ſolent exponere, *Qui habitare facit ſterilem in domo', matrem filiorum lætantem*, id eſt, (vt quidam expoſuit) qui hic videntur in cellis delitescere, & ab aliorum conuerſione eſſe alieni, & ſteriles; illic, id eſt in iudicio, multarum erunt animarum, quas eorum orationibus conuerterunt, matres lætantes. Quiſquis igitur in hoc maximo holocauſtomate cupit participare, quiſquis in iudicio, vt multorum filiorum mater lætari; ſtudeat hoc exercitium frequentare, & nunquam in aliquo feſto die omittere, vt ſic nunquam eius fructu mereatur fraudari, Amen.

MEMBRVM III.

De exercitio tertio poſt prandium, id eſt miſeratione fratrum.

VAde, & vide, ſi cuncta proſpera ſint erga fratres tuos. Geneſ. 38. TERTIVM principale exercitium eſt, de *miſeratione*, & viſitatione eccleſiaſticorum, in miſerijs poſitorum, ad ipſis ſcilicet miſericordiæ opera impendenda. Nam (iuxta magiſtrum Ioannem Nyder) optime ſanctificantur feſta, dum exercentur miſericordiæ opera, tum externa, tum interna. Verum quoniam Religioſis non conceditur extrauagando pauperum tuguria ſubire, aut eleemoſinas elargire, ne tamen tanto fraudentur merito, quidam Carthuſienſis pium tradit exercitium, quo plus cæteris, ad extra hæc impendentibus qui hoc fecerint, mereri poſſunt.

ET eſt iſtud (vt Carthuſien. ille tradit, & Gerſon docet) quod debent non greſſu pedum ſed pietate affectionum, circuire hoſpitale magnum huius mundi, pariter, & carcerem viſitare purgatorij, vbi innumera iacet multitudo languentium, quibus ſi velint, benefacere poſſunt. Nam qui pię compaſſionis oculo turbas languentes proſpexerit, & eis orationum ſuarum adiumenta porrexerit, maius profecto bonum impendit, quam ſi millia auri, & argenti conferat. Bonum enim ſpirituale ſine comparatione præſtat corporali. Nam & ſic poterit homo ſeptem miſericordiæ opera implere, ſi pro has miſerias patientibus Deum intente ſtuduerit exorare: Vt ſcilicet oret Deum, quo nudis veſtitum, ſitientibus potum tribuat, & ſic de ſingulis, vt cuiuſque miſeriæ miſericorditer occurrat. Conſimiliter, & opera miſericordię ſpiritualia impendere poteſt, ſi Deum orat, vt doceat ignorantes, corrigat corrigendos, & cætera percurrendo.

Et vt poſſit homo, omnes Eccleſiaſticos ſtatus percurrere, debet Pater noſter, ſtatibus ſeptem (prout ſupra in Scala communionis, in gradu oblationis ſignatum eſt) applicare. Vel aliter ſingulis ſtatibus ſuccurrere; Præſertim pro vniuerſali Eccleſia debes exorare, vt Deus eam conſeruet, dilatet, hæreſes, & ſciſmata tollat, contra Turchas, & omnes Infideles defendat. Pro quo plurimum deſeruit deuota illa litania, quam venerabilis Pater Carthuſienſis compoſuit, contra Turchas in Baſilea,

Orandum eſt iuxta Bernardinum pro moratis, pro impijs, pro iuſtis, & pro ſingulatiter in oratione commiſſis. Ecce latiſſima eſt hic exercitatio, vnde non eſt cuiquam cauſari, quod eo euagetur, quia neſciat in quo debeat exercitari. Et ſic in feſtis oratione inuicem iuuare, ſignatum eſt in veteri lege, vbi dicitur, *Ite & comedite pinguia*. Et poſt, *Et mittite partem his, qui non habent.* Neem. 8. Sicque collectam in feſto fecit Neæmias. Et in nouo Teſtamento, Iacobus Apoſtolus iuſſit *orare* Iac. 6. *pro inuicem*, quod maxime cõuenit Religioſis, qui ſunt quaſi quidã inter Deum, & homines

mediatores. Nam & hoc meritorium valde. Quo enim oratio communior, eo Deo gratior, & homini vtilior. Hinc Chryſoſt. *Si pro te ſolo oraueris, ſolum meritum tuum poſſidebis; ſi vero pro omnibus omnes quoque pro te orabunt.* Eya igitur hoc exercitium non intermittamus; ſed pro inuicem maxime in Dominicis oremus.

MEMBRVM IIII.

Qualia meditabilia Dominicis aſſumenda.

R*Eliqua cogitationes diem feſtum agent tibi.* Pſal. 75. SI CVI poſt omnia ſuperiora x. explera exercitia tempus ſuperfuerit, non opus eſt quod ocio vacet; ſed & his verbis Pſalmiſta, latius aliud exercitium proponit; ſcilicet vt inſiſtat meditationi ſacræ. Quã poteſt ex trib' illis libris formare, vnde frater ille ſolet ſe exercere; ſcilicet *ex libro Rubeo*, meditando charitatem, & paſſionem Chriſti; *ex Nigro*, peccata, & pœnas inferni; ex *Aureo*, gaudia cæli. Quæ potiſſimum ſunt tunc commemoranda; cum in eorum typum Dominica dies ſit inſtituta. Egrediatur itaque de Papilione corporis, ſtet in otio mentis, aſcendat in montem Abarim, contempletur cæleſtis gloriæ locum, videat conſortium, contempletur ſyderum ornatum. Et horum conſideratione liqueſcat, ita vt diſſolui cupiat, concupiſcat, & deficiat in atria Dei; huiuſmodi contemplatione, quæ ſunt conſideranda, & qualia patet infra in regione cæleſti.

Nu.27. *Phil.1.* *Pſ.41.*

Et quia Dominica dies, ſingulariter applicata eſt cultui Dei; ideoque & tunc vacandum, & Dei contemplationi aliquantiſper intendendum (iuxta illud. Pſal 45. *Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus.* Et quia duplici via ad illam contenditur; ſcilicet, per *poſitionem*, & per *abnegationem*; nitatur nunc hac, nunc ſerpere illac, vt vel paulolum contempletur de indiuidua Trinitate. Non ſit *ſcrutator maieſtatis*, dimittat altiora; humiliter, & deuote retractet deuotiora. *In primis*, fidem de Sancta Trinitate fideliter actuet; *Secundo*, increatam, immenſam, ac mutuam ſuperincomprehenſibilis Trinitatis dilectionem, fruitionem, complacentiam deuote retractet; *Deinde tertio* ſingulorum, ac omnium ſimul, proprietatibus ex intimis congratuletur, & congaudeat. *Et ſic tandem* ipſum talem ac tantum oret, laudet, & ſuperglorificet, ſeque totum illi impendat, offerat, & reſignet, & illi vniri exoptet. Qui his vijs ſe circa benedictam Trinitatem exercitauerit, deuotione implebitur, & verè Sabbata colet. De huius ſuperbeatificæ Trinitatis contemplatione, Dionyſius Carthuſienſis, deuote in de contemplatione ſcribit, Et dominus Nicolaus de Cuſa Cardinalis tractatulum fecit de duplici prænominata via, cui titulus eſt *de ſculptore, & pictore*, quorum vnus in ſuo opere demit, alter ſuperaddit, &c. Hæc vtcunque tacta ſufficiant. Nam & ſupra quædam de contemplatione Dei ſunt aſſignata, & in alijs Roſarijs.

Pro.25.

MEMBRVM V.

De poſtremo exercitio, ſcilicet propoſitorum innouatione,

V*Ir prudens diriget greſſus ſuos.* Prouer. 20. POSTREMVM, & finale diei Dominicæ exercitium eſt *innouatio* propoſitorum, iuxta quod Sapiens hortatur: Nam finis eſt, & principium Hebdomadæ; ergo tunc debet homo præſtituere, qualiter tota ſeptimana, ſe vult habere. Hoc enim neceſſarium valde. Qui enim nil de futuro proponit, in omnia incautus incidit; ergo non proficit. Nam & multa ſunt, quę ad crebrius propoſita innouanda, nos inducere poſſunt, quæ ſupra in examinatorio conſcientiæ vtcunque tanguntur.

Debemus autem in proponendo hunc ſeruare modum. *Primo* enim debemus vitia quibus infeſtamur conſiderare; *deinde* contrarias virtutes proponere, & firmiter in vnione alicuius virtutis Domini noſtri Ieſu Chriſti emendam ſub pænitentiæ impoſitione ſtatuere. *Et quia* à nobis nil poſſumus, debemus à Domino, & à Sanctis diligentius petere, vt nobis velint in his ſeruandis aſſiſtere: Et quoniam plerique multa proponunt de ſe fidentes, facile à propoſitis decidunt, quoniam Deum non inuocant.

Poſtquam autem homo ſic Deum exorauerit, nitatur quantum poterit quotiens deciderit, quotiens recidiuauerit, propoſita renouet, reſurgere conetur.

Qui ſic egerit, nunquã ſine profectu erit. Iugis enim ille ad perfectionem conatus, illi profectus erit. Nunquam igitur Dominica dies abeat; quin ſint propoſita innouata. Nam & præter propoſita quotidiana, quidam habent propoſita ſeptimanalia, & menſualia, & annua; de quibus ſilemus breuitatis cauſa.

QVOTIDIANA propoſita poterunt eſſe, vt homo proponat iſta.

Scilicet:
- Ante omnia ſolius Dei laudem, & gloriam in omnibus, & ſuper omnia quærere.
- Ab omni offenſa eius velle præcauere.
- Secundum Dei præcepta, conſilia, regulam, & ſtatuta, & propoſita viuere.
- Concupiſcentijs malis, viriliter reſiſtere, & vitia eradicare.
- In virtutibus proficere.
- Ordinabiliter viuere ad: Deum, Prælatum, Seipſum, Proximum.
- Et ſic perdurare vſque in finem.

SEPTIMANALIA autem, aut menſualia propoſita, poterunt eſſe, quando homo proponit deincepe particulariter aliqua vitia, vt dicitur in deſtructorio vitiorum infra.

Digitized by Google

Horum autē propoſitorum conſeruatiua ſunt. { Frequens innouatio, Pęnitētię certæ iniunctio, Crebra examinatio.

Scio, ſunt quibus hi, qui magna proponunt, & facile deſidunt, ſunt diriſui; ſed videtint illi ſibi; Si hi, qui tam diligenter proponunt, & propoſita innouant deſidunt: quid quæſo de his, qui nihil fixi proponunt? Valde eis verendum, quòd nihil proficiant, qui nunquam cadunt; quia qui imbellis manet, hunc non ſternit hoſtis; Illos tentare, illos deijcere diabolus negligit, quos quieto iure ſe poſſidere nouit. Incipiant, & ipſi ſacra proponere, & vbi lapſui propinquauerunt, ceſſabunt cæteros deridere.

Hæc de Dominicæ diei exercitijs prolixius diximus, vt plurium, qui ſe neceſſe aiunt, quid in feſtis agendum, quàm fabulis vacandum, ora obſtruamus. Tam eſt enim horum exercitiorum copioſa materia, quod non iam exercitia, ſed deficient tempora. Omnibus tamen exercitijs præſtat, *deuote horas ſoluere, & debita deuotius reddere*: Ingratum enim eſt, quicquid obtulerimus, neglectis his quæ debemus.

De Ferijs, & feſtiuitatibus Domini in ſpeciali.

Cap. V.

HÆc ſunt Feriæ Domini Sanctæ, quas celebrare debetis temporibus ſuis.

Vbi visvm eſt de exercitijs Dominicalibus in genere: annotandum eſt de quibuſdam Domini Ferijs, & Feſtiuitatibus in ſpecie. Suadet enim dulciſſimus ille Bernardus, iuxta diuerſa tempora, etiam immutanda exercitia, quemadmodum, & ſuos cantus innouat Eccleſia.

Repræſentat autem Eccleſia per anni circulum, quintuplicia tempora, ſcilicet,

Deuiationis ab Adam vſque Moyſē. — *A Moyſe, vſque ad Chriſtum.* — *Inter vtrumque.*

Deuiat, ac reuocans, mediū,

Reconciliationis. — *Peregrinationis.*

placat, peregrinanis.

De horum temporum diſtinctione, quando incipiunt, vnde ſumuntur, quomodo officiantur declaratione, pulchrè in rationali Diuinorum, & in aurea legenda, vnde de his tranſimus. Vnum dicimus, quod & docet venerabilis ille Pater Theodoricus Herxē, quod deuotus debet ſe his temporibus, vt verus Eccleſiæ filius, conformare, & exercitia ſua ad illa applicare, vt ſic ſemper poſſit deuotionem innouare. Et qui volet ſe ſic exercitare, conſilium eſt, quod altioribus ſtudijs ſepoſitis, ſtudeat illa, in quibus de feſtis agitur, legere; vt Auream legendam, Rationale diuinorum, & huiuſmodi. Et in libro ſpiritualis gratiæ Mechteldis, inueniuntur deuotiſſima exercitia, ſecundum hęc tempora Eccleſiæ. Eiuſmodi, ſi quid nobis conſilij eſt, ſuademus ante feſta inſtantia ſtudere, inde meditationis materiam, ſub faſciculo quodam colligere, & exercitia formare, qui volet in nouis feſtis nouam deuotionē ſentire. Non hæc dico proprio ductu, nec ſpiritu mei capitis, ſed certis edoctus experientijs, quod plerique qui ſic feſta præueniebant, miram tunc deuotionem, cæteris in ſua vetuſtate torpentibus ſentiebant. Sicut etiā de quodā ſcribit in vita Domini Ludolphus Carthuſienſis. Et vt occaſionē demus ſic agendi paucis, quædā exempla ſubnectamus, primum de aduentu Dominico.

MEMBRVM I.

Exercitia in aduentu aſſumenda.

AAuentus Domini appropinquabit. Iacob. 5. Ecclesia ab hoc tempore, *reuocationis* ſua officia inchoat. Quod tempus deuotiſſimum eſt, ſi fuerit qui acutis conſiderationum dentibus premat, ſi fuerit qui dignis exercitijs illud ornet; Cuius temporis dulcedinem qui volet perſentire, debet diligenter ex prænotatis ſtudiis ſibi præuidere: vt noſcat à quo inſtitutum, & inſtitutionis ipſius ratiocinia, vt colligat ſibi certa, & ſufficientia huius temporis meditabilia, & vt habeat huic tempori conformia exercitia. II.

Plurima autem ſunt exercitia, quibus tempus illud poterit ornari: Vnum præ cæteris, & nomen, & Eccleſia videtur cohortari: iuxta illud, Amos c. 4. *Præparare in occurſum Dei tui Iſrael*, quod eſt occurrere Domino venturo. Varius autem poterit eſſe hic occurſus, ſecundū quod varius eſt (quia bene quadruplex eſt) aduentus Domini, ſed multis omiſſis, debet homo exercitium ſuum ſumere, ſecundū cauſas inſtitutionis. Vnde *primo* poterit tempus illud intelligi inſtitutū, tanquam præparatoriū, ad imminens illud ſublime feſtū Natalem Domini loquor: Magnus enim feſtus ille dies, non ſine magna quadā cordis præparatione excipiendus. Qua conſideratione habita, debet deuotus exercitiū purgatiuū aſſumere: vt ſic mundus, mundi pueri poſſit celebrare Natalē; debet familiam (ſenſus loquor) ſub diſciplina reſtringere, & mentē virtutū veſtimentis (vt Maximus in Sermone docet) fulcire. Vnde ſecundum libellū qui intitulatur, *Beatus vir*, poterit ſe exercere; vbi docentur eradicari vitia, & inſeri virtutes.

Secundo poteſt tēpus illud, quaſi gratitudini intelligi adaptatū. Et ſic debet homo exercitia ordinare: vt ſtudeat ſuper tam inæſtimabili beneficio gratias agere, quotidie, ſcilicet cum gratitudine (iuxta Bernardū) Aduentus circumſtantias cōmemorādo, deuotius ſolito officiū explendo diuinū: vt ſic, vbi gratus ſuper acceptus fuerit, ampliora in ipſa ſolennitate ſuſcipere mereatur.

Tertio ſtudebit ſe homo diligentius præparare, vt poſſit ſpiritualiter venientē Chriſtum, cum gratiæ incremento ſuſcipere, vnde debet intentius circa ſpiritualē aduentū ſe exercere: de quo paſſim in Sermonibus illius tēporis Sācti ſcribūt, præſertim Soccus, & Iordanus: vnde & de quattuor aduentibus, quattuor Roſaria confecta ſunt, iuxta quattuor Dominicas, quibus celebratur aduentus.

Digitized by Google

III. SICVT adueniente ſolennitate ipſa Natalis, deuotiſſimè debet ſe apparare: vt dignè eam poſſit celebrare, eam conſiderationibus & orationibus (vt Franciſcus Sanctus) præueniendo: vt ſic eum illis mereatur gratiam Dei ſentire. Ad hoc hortamur in Exod. c. 12. *Habebitis hunc diem in monimentum, & celebrabitis eam ſolennem Domino in generationibus veſtris, cultu ſempiterno.* Ad diei autem cuiuſque maxime ſolennis ſolennitatem peragendam, tria in primis concurrunt. *Primum*, vt tota, quæ debentur deuotius exoluantur; Pſ.75. *Alterum* autem *Reliquiæ cogitationis*, ad diem feſtum peragendum recolligantur; *Tertium*, vt deuota exercitia ad diei decorem aſſumantur. Propter *primum* debet homo Eccleſiaſticum officium præuia meditatione reuoluere; propter *ſecundum* deuotas meditationes diei congruentes aſſumere; Propter *tertium* deuota exercitia feſto conformia, ex Sanctorum dictis colligere. Qui hæc ageret, ille feſtiuum, & ſolenne quid intus in animo ſentiret. Exercitium autem in Natali agendum Euangelium docet, quod nobis paſto..s, puerum natum viſitantes, imitandos proponit: Ad quorum inſtar debemus nos mente Bethleem tranſire, & præſepiũ pueri viſitare. Habetur ſupra hoc formatum Roſarium.

IIII. HOC MODO, & in cæteris feſtiuitatibus Domini debet ſibi homo meditandi materiam prouidere, & principale propoſitum exercere. Vt in *Circumciſione*, debet, ſpiritualiter ſe circumcidere; debet cum nouo anno, & nouo nomine, propoſita innouare. Sic *in Epiphania*, cum magis offerre, & purificationibus ſtudioſè ſe expurgare, & ſic de alijs. 1 Cor.6. Sic vbi aduenerit *tempus acceptabile*, vbi dies occurrerint ſalutis, debet exercitia cauſæ inſtitutionis conformare: Vt cum Domino deſertum ingrediatur, & ieiunet in quadrageſima; vt ſe ad Paſcha præparet; vt deuotius, & tenacius Dominicæ paſſionis inhæreat meditationi. Sic in *Paſcha* cum Domino reſurgere; Rom.6. & in nouitate vitæ ambulare, vt Apoſtolus exhortatur, & ſic de alijs, ſicut videre eſt in Roſarum hortulo, vbi de ſingulis feſtiuitatib⁹ Chriſti, & Mariæ habẽtur ſingula Roſaria. libet hic vt occaſio ſapientibus detur, vel vnum circa feſtum Natiuitatis Domini exercitium, cum annexo Roſario, loco exemplaris aſcribere, cuius inſtar de ſingulis feſtiuis poterunt, & alia formari.

MEMBRVM II.

Exercitium circa Natalem Domini, pro exemplari ad formandum ſimilia, circa alias feſtiuitates exercitia.

TRanſeamus vſque Bethlehem. Lucæ c. 2. INNVITVR in verbis iſtis Euãgelicis, exercitiũ dulce, & frugiferum, in diebus Natalis Domini potiſſimũ exercitandũ, de viſitando ſcil. Dominæ puerperiũ, atq; dulciſſimi pueri dulce (more paſtorum illorum) crepundium. *Debet* (vt hortati ſunt priores, & maximè poſt Bernardum. Ludolphus in vita Domini) *quælibet anima fidelis, atque religioſa, à die Natiuitatis Domini vſque ad purificationem puriſſimæ Virginis, vel ſemel in die, apud præſepiolum Dominam viſitare, puerum Ieſum adorare, ſalutare nutricium, & virgineum Ioſeph; & ſic de paupertate, humilitate, & afflictione ipſorum piè meditari.* Hæc ille. Nouerunt hoc plures ſed non omnes exequuntur, eam potiſſimum ob cauſam, quod modi & praxis id exequendi ignorantiores. Vt igitur modum, & praxim vtcunque tradamus, tria per ordinem ſeriatim de hoc exercitio tangenda.

Scilicet { Inductiua incitantia. / Tempora congruentia. / Practica expedientia.

DE PRIMO nota, quod plurima ſunt, quæ poterunt nos ad huius exercitij frequentationem inducere, quę breuitatis cauſa libet ſub verſiculo complecti,

Paſtorum Euangelicorum, & multorum de motorum. — *Nam crebro aſcendendum ad domum Domini, & eius montem, hoc eſt Bethlem docent.* Eſa.1.

Exemplum. Te ſcripta monent,

Neceſſarium vt ſimus grati. — *Quia inde conſequimur plura bona.* — *Vt viſitemus Deũ propter nos puerum factum.*

opus, vtile, iuſtum.

Immo declarat Hubertinus, quod ea, quæ mouere ſolent homines, ad eundem de ciuitate in ciuitatem, hic maximè concurrunt: Sunt autem iſta.

Primo debemus currere ad vidẽdum noua facta, hic nouum fecit Dominus ſuper terram. — *Secundo ad ſtupendum propter mirabilia, quia ſtuper & mirabilia facta ſunt.* — *Tertio ad emendum neceſſaria, quia Panem Angelorum cibum vita.* Ier.31.

I cernas, ſtupeas, vt emas,

Quarto ad gaudendum propter ſolatia, quod ſolatius quam videre Deum puerum? — *Quinto ad diſcendum vtilia, quibus pellitur ignorantia.*

gaudens, docearis.

Quiſquis ergo noua audire geſtis, quiſquis videre mirabilia, comparare tibi neceſſaria, cernere gaudioſa, accurre cum paſtoribus in Bethlehemiticum tugurium, aſcende cum Luc.2. Eſaia in montem Domini, & ad domum Dei Eſa.2. Iacob, & vide illic verbum caro factum. Hæc de inductiuis.

DE tempore ad hoc ſtatuendo, & præfigendo hoc dicimus, quod nihil ſuper hoc à nobis diffiniendum: Eſt enim cuique (vt comicus ait) ſuus mos, tantum ſibi quiſque præfigat tempus certum, ne aliquando dies tranſeat, quo intermittat exercitium tam pium. Verumtamen paſtoribus noctu id reuelatum, & circa mane præſepium. Nam & Pſ.64. exitus matutini, & veſpere delectabis. Et hæc aptiora ſunt vacationis tempora ſecundum Hieronymum.

DE TERTIO autem, & principalius intento, de modo ſcilicet viſitandi Ieſu præſepium hoc dicimus, quod ſecundum variam qualitatem exercitantium, diuerſus poterit aſſignari modus. *Nam incipientibus* cõuenit exercitari in ſenſu, vt ſcilicet materiale præſepiũ, aut imaginatiuum ſibi præponant, illud

agi-

agitent, illi ſe tenacius affigant; quaſi coram eſſent, in omnibus ſe gerendo. Sic beatus Franciſcus (vt legitur) in Eccleſia præſepe cum aſino ſtatuit, pro rudium incitatione, & ſic feſtiuitatem hanc excoluit. *Magis effectis*, & ſtudioſioribus congruit affectum fouere deuotis meditabilibus, lectionibus, & orationibus Seraphicis, & affectuoſis carminibus, qualia plura habentur: Quale & hic poſt Roſarium ſubnectimus, quod ſententijs eſt plenum, ſenſu grauidum, & deuotioni valde accommodum, habens determinatum modum inchoandi, progrediendi, & terminandi; vt patet intuenti. *Studioſioribus* autem, & magis doctis, non ſatis eſt lacte veſci, opus ſolido habent cibo; vt ſcilicet meditationis, & contemplationis tanta circumeant myſteria operis tanti, quod ad recogitandum dulciſſimum, vtiliſſimum ſimul & ſublimiſſimum, & reuerendum. Et huiuſmodi ſunt *cogitationum reliquiæ*, quæ verè feſtū agunt diē. Vt ergo his non deſit meditandi materia, breuiter quædam & affectuoſiora annectimus meditabilia; & ne modum excedamus (eſt enim abyſſus, & puteus neſciens exhauriri, myſterium feſtiuitatis huius) ſub numero Roſarij per verſus nos reſtringimus, vt ſi meditari non libuerit, ſaltem per modum Roſarij, hæc puncta ante ſingulas ſalutationes angelicas præmittendo legat, vt vel ſic deuotionis affectum eliciat. Et poterit legi, cum ſalutatione angelica præmittendo ſingulis. *Aue benigne Ieſu*, vel huiuſmodi; & de Ioſeph, *Aue Ioſeph Sanctæ Matris Dei ſponſe, Gaudio plene & gloria, Dominus Ieſus tecum, benedictus tu in ſponſis, & benedictus fructus ventris ſponſæ tuæ, quem tu nobis educaſti, Ieſus Chriſtus Amen.*

In primis igitur meditari volenti de Natiuitate Domini, occurrit commemoranda ipſa Hiſtoria, cum expoſitione varia, quæ hic tangitur in ſumma:

Aſcendit, *Primo* meditandū, quomodo Ioſeph aſcendit cum Maria prægnante, & grauida; & compatere in itinere laboranti; attendēdo vnde, quo, quare, quomodo &c. aſcendit.

peperit, *Deinde*, quomodo, completis diebus, peperit filium ſuum primogenitum; cōſiderando partus gaudium, miraculum, & ſtuporem.

ſeruit, *Tertio*, vide Matris Virginis obſequioſitatem, quia panis inuoluit, in præſepio reclinauit, èducauit: O attende, quàm dulciter, & quam reuerenter.

pandunt, *Quarto*, quomodo Angeli annunciāt partum, quam congruè, & lætanter, cantantes gloria in excelſis Deo.

veniuntque. *Tandem*, attēde quibus Chriſti partus reuelatur, quia paſtoribus & quam feſtinanter venerunt, quam gratulanter inuenerunt, quā ſupplicìter adorauerūt, glorificauerunt.

Vbi commemorata eſt hiſtoria, offerunt ſe meditandæ figuræ, & Prophetarum oracula, cum applicatione congrua. Quorum hic quædam ponuntur.

Lux, *Primo*, quod lux eſt facta iuſtis, & in regione, & vmbra mortis ſedentibus eſt orta; Et noua lux Iudæis oriri viſa eſt.

rubus, & *Secundo*, quod rubus ille Moyſaicus, ardens, incombuſtus eſt, quia Mater & virgo, eſt quæ parit.

Samuel Rex, *Tertio*, vetus ille Samuel venit in ciuitatē Bethleem, vt totum genus humanum in Regem vngat, Et, Rex Iſrael mutato habitu, ingreſſus eſt prælium.

virgula terra, *Iam*, virga Aaron floruit, & fructum edidit; Veritas quoque de terra orta eſt, & terra noſtra dedit fructum ſuum.

Propheta. *Sic* etiam commemoranda ſunt oracula Prophetarum, de hac Natiuitate, quæ multa ſunt, valde in Eſaia, & alijs.

Iam conſequenter conſideratio extenditur: Et primum conſideratur Natiuitatis Chriſti qualitas cum laude, & magnificatione. Nam talis fuit ſcilicet,

Vtilis, *Primo*, vtilis, & commodoſa, noſtri lapſus reparatiua; intellectus erudiriua, affectus inflammatiua, & omnis boni datiua.

& mira, *Secundo*, mirabilis, & mirifica. Stupor enim & mirabilia ſunt in ea facta, vt patet infra, quia ſupra rationem, naturā, & conditionē.

iocunda, *Tertio*, læta, lætiſſimè excepta, ſine dolore facta. Germinans enim germinauit lætabunda, & laudans.

decoraque, *Quarto*, honeſta, vt quia fuit ſine crimine, ſine pudore, vbi mater, virgo, puer Deus.

gratis, *Poſtremo*, gratioſa, id eſt, gratis, non noſtris meritis exhibita, de quibus omnibus Apoſtolus, Apparuit gratia Dei Saluatoris &c.

Digitized by Google

Hinc iam attendenda eſt circumſtantiarum huius natiuitatis congruitas.

Cerne locum,	*tempus,*	*cunctum,*	*paſſum,*	*venientes,*
Et primo, quoad locum, quare ſcilicet in Iudæa, in Bethleem, in Diuerſorio, & in Præſepio.	*Secundo*, quoad tempus, quando, ſcilicet naſcitur, quo anno, menſe, qua hora, cur in nocte, ſub Edicto.	*Tertio*, quoad collegium, ſcilicet quare Mater Virgo, cur Ieſus infantiæ tenerioris; cur panditur Angelico concentu.	*Quarto*, quoad iniurias incommodorum, omnia enim quæ patitur ſunt myſterij plena, paruus fit, vt creſcas, ligatur, vt vincula tua diſrumpat, friget, vt charitatem accendat.	*Poſtremo*, vide congruitatem eorum, quibus partus reuelatur, quia paſtoribus, quia vigilantibus, quæ ſunt grauida myſterijs.

Nunc videnda eſt mirabilitas. Et primo ex parte prolis naſcentis.

Omnipotens	*iuſtus,*	*Sapiens,*	*verbum,*	*Iſtet & Rex.*
Nam *hic* omnipotens illa omnipotentia eſt infirmata, dum infirmæ carnis pallio eſt circũamicta, & faſcijs ligata, vt nos liberaret, & roboraret.	*Hic* iuſtitia ſubijt reatum. Pater enim eum fecit pro nobis peccatum, & pro nobis factus eſt maledictum, vt nos iuſtificaret.	Sapientia *hic* abſcondit lucem, & admiſit infantilem ſimplicitatem, vt nos illuminaret.	Verbum immenſum eſt abbreuiatum, verbũ per quod facta omnia, caro factum, Et verbum ipſum, quo omnia dicuntur, infans dictum.	*Sic* enim Regalis poteſtas in ſtabulo obfuſcata, opulentia depauperata, æternitas temporalis facta, celſitudo inclinata, O qualia ſunt, & quanta!

Hic annectuntur mirabilia ex parte virginis parientis.

Clauſa,	*dolore carens,*	*minor eſt,*	*poſterior,*	*potens plus,*
Nam ſicut cõcepit ſine ſemine, ita peperit clauſa ſine corruptione, virgo manẽs perpetua, nec primã ſimilem viſa, nec habere ſequentem.	Non ſolum ſine corruptione, ſed etiam ſine crimine, ſine dolore, euacuans maledictionem Euæ.	Tertio, vterus filium continens, minor contento fuit, cœlo capacior, & latior terra, continens, quem nemo capit.	Quarto Mater pariens, poſterior fuit ſuo partu. Ante enim ſæcula ille Deus, hæc in tempore facta.	Poſtremo, quia ipſa quodammodo potentior apparuit Deo: Nam ipſa fecit, quod impaſſibilis pateretur, altiſſim° humiliaretur, quod ante impoſſibile fuit.

Iam tertio ſubnectuntur mirabilia ex parte creaturæ vniuerſalis: In omni enim creatura facta ſunt mirabilia, ſummo miraculo atteſtantia.

Eſſe tenens,	*ſentit,*	*viuens,*	*homoque,*	*Angelus hæc dant,*
Primo in creatura eſſe tantum habente. Nã terra (vt fertur) templum pacis deiecit, fons olei profluxit; Aer ſtellam. & charitatem dimiſit, tres ſoles in cælo viſi.	Secundo, in ſenſum etiam habente: vt in animalibus. Nam bos, & aſinus, vt piè creditur, Dominum ſuum cognouerunt, etiam ad litteram.	Tertio, in vitam tantum, & non ſenſum habente, Nam vinea Engaddi floruit, & fructum produxit.	Quarto in hominibus etiam rationabilibus, vt in paſtoribus, Sybilla, & Octauiano, & Sodomitis.	Quinto, in Angelicis creaturis, quæ partum prediderant, nouas illuminationes fecerunt, Cantica decantauerunt, obſtupuit igitur omnis creatura.

Digitized by Google

Hic ponuntur quædam circumſtantionalia pro mente ad deuotionem inſlammanda. Quod ſit ſi conſideres,

En quantus, Quis, qualis, & quãtus, hunc natum puerum, & datum filium dedit; quia Trinitas ipſa ſancta, Deus, quo nihil maius, meliuſve.

quantum, Secundo, quale, & quantũ donum; quia nobiliſſimum, vtiliſſimum, & quo poteſt grandius eſſe nullum, ſiiũ quippe conſubſtantialem, coæqualem.

cui dat cur, Tertio, tibi, tam vili vermiculo, & non ſolum indigno; ſed & immerito; & ad hoc inimico, & gratuita bonitate, propter nimiam charitatem; nullo merito.

quomodo, Quarto, qualiter dedit; quia tam affectuosè & libenter; tam cõgruè, & cõueniẽter, tã fructuosè, & vtiliter, dans puerum, non virum.

& ad quid. Quinto, ad quid, qui in omnem deſiderabilem vſum, in ſolatium peregrinationis, conſiliũ directionis, remedium curationis. O gratias tali Domino!

Hic iam ponuntur quædam ad compatiendum puero inductiua. Non ènim ritè congaudebimus, niſi ante compaſſi eidem fuerimus. Compatere ergo.

Quanta tulit, Primo, propter incommodorũ, quæ pertulit, multitudinem, & acerbitatem, Paſſus eſt enim, aeris intemperiem, loci duritiem, frigore conſtrictus, duro in præſepio locatus.

qualis, Secundo, vt magis compatiaris, attende eius, qui patitur, qualitatem. Quia natura nobilis, ætate paruulus, conditione tenellus, totus amabilis, & amandus.

ob quos, Tertio, vide eorum, propter quos paſſus, ingratitudinem, & indignitatẽ, quia pro te homine viliſſimo, nequã, & ingrato.

deſunt, Quarto, attende, quod ei deſuerunt omnia requiſita, domus ad inhabitandum, cunę & lectus ad repauſandum, ignis, familia, & reliqua, ad puerum educandum.

dolor intus, Quinto, conſidera, quod licet grauis ſit dolor eius exterior, interior tamen multo eſt maior: Ex tunc enim, & tunc crucem geſtauit in mente.

Sed quia parum prodeſt deuota meditari, ſi ei non ſtuduerimus nos conformare; imo, nil proderit eius incarnatio, ſi noſtra non ſequatur imitatio; ideo

Flens, Primo, diſce flere peccata propria, cũ iſte mox natus plangit aliena. Quomodo rideamus, flente ſuper nos ſapientia Patris?

humilis, Secundo, cum paruulo paruulus eſto, & cum humiliato humiliare, cuius in omnibus mira lucet humilitas.

pauper, Tertio, paupertatẽ amplectere, quam mox ille natus inchoauit, conuerſando cõtinuauit, moriendo conſummauit.

vir & puer eſto, Quarto, ſeueritatem, ne te ames, amore curno, ſed dura perferas. Et cũ puero puer, non ſenſu, ſed malitia efficere, & conditiones pueri aſſume.

miniſtra. Poſtremo, cum Maria puerum hunc inuolue, reclina, leua, balnea, cuſtodi ſpiritualiter, & alia officia exhibe.

Ecce, habes iam Roſarium latiſſimæ, pariter, & deuotiſſimæ materiæ contentiuũ, quo poteris te exercere ante Chriſti nati crepundium, quod cuiuſque ſtudio relinquimus proſequendum: vt ſic huiuſmodi cogitationum reliquijs Chriſto agas diem feſtum. Et licet modos hos diſtinximus, ſecundum varietatem exercitantium triplicem; poterit tamẽ omnibus tribus modis quælibet anima, quaſi triplici funiculo ſeſe ad Chriſti præſepiolum alligare, & ſecundum omnes vires ſe ad Chriſtum puerum conuertere; *Secundum vim ſenſitiuam* imaginariè, vel etiam coram materiali præſepio ſe ponendo, *ſecundum vim intellectiuam* huiuſmodi pia meditabilia, ſecundum Roſarium retractando; *ſecundum affectiuam*, per iubiloſum Canticum ſe inflammando. Hæc autem dicimus pro feſtiuitate Dominici Natalis, vt & in cæteris feſtiuitatibus ſimilem exercitationis piæ formam inſinuemus: vt ſic exercitemur in feſtis temporis, vt ad feſtum perueniamus æternitatis. Verum iam nunc carmen pro feſcenninis ad præſepij viſitationem ſubnectemus, canendum ſub nota. *dies eſt lætitiæ.*

Exercitatio animæ accedentis.

EYa mea anima
Bethleem eamus,
Virtute magnanima
Puerum quæramus,
Verbum ineffabile,
Angelis mirabile,
Cubans ſinu Patris:
Obiectum amabile,
Semper contempiabile,
Datum fide matris.

Oratio ad Mariam, & Ioſeph.

Virgo pudicitiæ,
Throne Deitatis,
Et Ioſeph nutritie
Ieſu paupertatis,
Me indignũ famulum
Ducatis ad ſtabulum
Mei creatoris:
Tundam tintinnabulũ
Laudis, & cunabulum
Voluam vi amoris.

Captatio beneuolentiæ.

O puer dulciſſime,
Omnibus optate,
Veniſti gratiſſime
Salutis legate.
Te vatum oracula,
Te legis vmbracula
Exortum reſtantur;
Polus, tellus, maria,
Laude multipharia,
Tibi adiocantur.

Captatio beneuolentiæ à compatientis conqueſtione.

Heu quid iaces ſtabulo
Omnium creator,
Vagiens cunabulo,
Mundi reparator,
Si Rex, vbi purpura?
Vel clientũ murmura?
Vbi aula Regis?
Hic omnis penuria,
Paupertatis curia,
Forma nouæ legis.

Vox Ieſu reſpondentis.

Iſtuc amor generis
Me traxit humani,
Quod ſe noxa ſceleris
Occidit prophani.
His meis inopijs,
Gratiarum copijs,
Te pergo ditare,
Hocce natalitio
Vero ſacrificio
Te volens beare.

Excitatio ad conſiderandam dignationem.

O cæli, attendite
Infantis amorem,
Angeli rependite
Laudem, & honorem:
Verbum ens altiſſimũ,
Pulchrũ, quã dulciſſimũ
Limo corporatur;
Verbum diuiniſſimum,
Æternum, ditiſſimum,
Spretum pauperatur.

Exclamatio pro fructu.

O mira dignatio.
Immenſum locari?
Noſtra gloriatio,
Deum humanari!
O ſtupor, ô gaudium!
Hoſtis technas fraudiũ
Tuus ludit ortus:
Iam orbi quadrifido
Tibi gnato feruido,
Cæli patet portus.

Actus feſcenninorum.

Salue Rex, principiũ,
Verbum incarnatũ,
Effectum mancipiũ,
Indignum cunatum:
Salue ſordẽs ſtabulũ,
Salue to cunabulum
Sponſi amatoris;
Tu meum latibulũ,
Conſtruã hic nidulũ
Non videbor foris.

Amoroſa ſuſceptio.

Iam te meis brachijs
Mi Ieſu amplector,
Ac totis præcordijs
Tibi condelector:
Cogis me eſtuere,
Lachrymis effluere,
Puer Effratee;
Amor ineffabilis,
Es intolerabilis
Ieſu Nazatee

Actus latriæ.

O ardens incendiũ,
Deus incarnate:
Animæ ſuſpendium
Tibi deſponſatæ
Omni reuerentia,
Cæli aſſiſtentia,
Laude te honoro:
Cum beneuolentia,
Grata complacentia
Pronus te adoro.

Actus laudis ex conſideratione circumſtantiarum.

O te laudũ millibus
Laudo, laudo, laudo,
Tantis mirabilibus
Plaudo, plaudo, plau
Gloria ſit, gloria (do.
Amanti memoria,
Domino in altis;
Cui teſtimonia,
Dantur, & præconia
Cælicis à pſaltis.

Oratio pro fructibus natiuitatis huius.

O puer dulciſſime
Me purgans luſtrato
Surrigas altiſſimè
Corde inflammato:
Redimens viuifica,
Me compuerifica
Hoc tuo Natali;
Perfectè ſanctifica,
Tecum beatifica
Vita æternali.

Oblatio.

Pater natalitium
Suſcipe Sophiæ,
Gratum ſacrificium
Manibus Mariæ:
Corp⁹, ſenſus, animã
In viuentẽ victimam
Lito Ieſu nato;
Et ſponſe vnanimam
Laudem ſuauiſſimã.
Libans voto grato.

Digitized by Google

TITVLVS VNDECIMVS.

Incipit Feſtilogium, de Sanctorum feſtis celebrandis. Et primo dead hoc inductiuis.

PROLOGVS.

CElebra Iuda feſtiuitates tuas. Naum.1. VBI DE Dominicis, & Domini feſtis egimus, de Sanctorum quoque feſtis agendum; ad quorum celebrationem præmiſſis verbis Propheta hortatur. Circa quæ duo ſunt conſideranda, Primum inductiua, ſecundum de modo celebrandi ea.

DE PRIMO ſciendum, quòd plura ſunt, quæ nos ad Sanctorum feſta, deuotè debent inducere celebranda; ſcilicet,

Vult Deus, Eccleſia, Iuſtumque, Opus, Vtile, Digni.

PRIMVM inductiuum eſt *Dei voluntas*, cuius iuſſa capeſſere fas eſt: Iuſſit enim hoc in ſcripturis, vt patet ſupra; Itemque in Pſal. 150. *Laudate Dominum in Sanctis eius.* Vult enim adeò Sanctos ſuos Deus honorari, & per eos exorari: vt etiam quædam; non niſi per eorum quandoque patrocinia largiatur. Et hoc rationabiliter; vt Gerſon in de Mendicitate ſcribit,

Vt	Sua maieſtas veneretur, Ordo ſapientiæ conſeruetur, Fiducia noſtra erigatur.	dũ per	Suos exoratur. Media oĩa moderatur. Fratres adiuuantur.

SECVNDVM, quia Eccleſia illas celebrari inſtituit: vt patet *de conſecrat. diſtinct.* 3. cap. *pronunciandum; & extra de Ferijs in cap. Conqueſtus.* Vbi in ſingulari quædam Sanctorum feſta numerantur, & vt Dominica dies obſeruari præcipiuntur. Ratio autem quare Eccleſia ſuper Dominicos dies, alias feſtiuitates inſtituit, eſt,

Ratione,	Confutationis, Gratificationis, Imitationis.	vt	Quorundam error refutetur. Super beneficijs regratietur. Eorum exemplum imitaretur.

Prout prolixius deducit Robertus de Litio, in Sermone quadrageſimali.

TERTIVM inductiuum, quia Sanctorum feſta celebrare eſt iuſtum: Et hoc multiplicibus ex cauſis.

Congaudent fratres, bona dant, res noſtraque cauſa.

Primo enim iuſtum eſt, vt eis congratulemur, quoniam ipſi de nobis feſta agunt, & congaudere ſolent. *Gaudium enim eſt in cælo*, &c. Luc. c. 15. *Secundo* exigit hoc ordo charitatis, quia fratres noſtri ſunt, quibus in proſperitatibus congratulari debemus. *Tertio* iuſtum eſt, quoniam multa beneficia ab ipſis ſuſcepimus, & bona. *Quarto* propter procurationem noſtri honoris: Cum enim Sanctos honoramus, rem noſtram agimus, & noſtrum honorem procuramus, quia eorum feſtiuitas noſtra eſt dignitas. Tum poſtremò digni ſunt, & iuſtum eſt eos honorare, quia in eis omnes rationes ſunt, propter quas aliquis ſolet honorari: vt poteſtas, virtus &c.

QVARTVM principale motiuum eſt noſtra neceſſitas; cui ipſi ſuccurrere poſſunt. Nos enim multis miſerijs ſumus pleni, hoſtibus innumeris circumſepti, & omni auxilio deſtituti; de cælo tantum auxilium ſperantes. Vnde neceſſe habemus leuare oculos in montes, vt auxilium veniat nobis. Pſal. 120.

QVINTVM inductiuum eſt vtilitas proueniens, ex Sanctorum feſtis digne celebratis, quæ plurima eſt: vt dicitur in Rationali Diuinorum.

Torpor excitatur, Humilita oritur, Mundus contemnitur.

Hinc feruens, humilis, ſpernens,

In Theologicis firmatur virtutibus. Via virtutis docetur.

firmuſque, doceris.

Hæc paſſim docti in ſcripturis, & ſermonibus proſequuntur.

POSTREMVM inductiuum eſt Sanctorum dignitas, quæ colligitur iuxta Damaſcenum, tũ ex parte animæ, tum ex parte corporis: Nam dignitates ex parte animæ ſunt iſtæ,

Regni, coharedes Chriſti. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Exercitus Chriſtianorum.

Hæredes, natique, duces,

Oratores Dei, Patroni noſtri. Vos amici mei eſtis.

orant, & amici.

Dignitates ex parte corporum ex ſequentibus pateſcunt, nam ſunt,

Spiritusſancti, Neſcitis quod corpora veſtra ſunt templum Spiritusſancti Et Canales gratiarum.

Cellæ, templa Dei, fontes vos,

Sunt ſpiritus, quibus prædicauerunt. Reliquiarum, & virtutum.

organa, vaſa.

Quis iam tantis inductiuis non trahitur ad feſta Sanctorum celebranda? Sed ſubnectendum de modo.

De modo feſtiuandi, & feſta præueniendi.

CAPVT I.

NOn *eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Eccli. 15. POSTQVAM paucula præmiſſa ſunt de inductiuis celebrandi feſta, videndum eſt de modo feſtiuandi: Verum quoniam modus in tribus conſiſtit; ſcilicet in exordiendo, procedendo, terminando; de tribus his agi oportet. Et primum *de modo exordiendi.* Tunc enim (vt dicit author Marialis) ordinate celebramus, quoniam vigilia præcedit in aridis, & feſtum in pinguibus ſequitur.

Nam

Digitized by Google

Nam ob id ſunt profeſta inſtituta: vt homo per illa præparet ſe, ad deuotius feſta peragenda. Ob quod etiam quædam ieiunijs præueniuntur, quæ vigiliæ dicuntur, à conſuetudine antiqua: Vigiliæ enim quæ nocte fiebant, propter inhoneſtas actiones, quibus nox facultatem præbebat, in ieiunia præcedentiũ dierum ſunt mutata, & hoc rationalibus ex cauſis. Scilicet,

Ad feſta celebranda diſponunt. — Aptant,

Sanctis, & eorum paſſionibus. — conformant,

Quod ſine tribulatione non peruenitur ad gaudium cælorum. — deſignant plura profecta.

Et hinc Bernardus pulchrè ait, quod in Sanctorum vigilijs, neceſſe eſt vigilare hominem *Io. 4.* ſpiritualem, qui eorum ſolemnitates celebrare deſiderat, in ſpiritu, & veritate. Ad hoc enim vigiliæ præponuntur: vt euigilemus ſi in aliquo peccato, vel negligentia dormitamus, & præoccupemus faciem Sanctorum in confeſſione; vt nos ad ea digne celebranda præparemus; ab his ſcilicet expurgando, & ad deuotionem coaptando. Nam ob id præcipua Sanctorum feſta ieiunijs præuenimus, quia *Iac. 3.* quotidie multa peccata contrahimus omnes, & offendimus in multis, nec tutum omnino eſt, celebrandas ſuſcipere feſtiuitates ſacras, maximè maximas; niſi prius abſtinentię purificatione præmiſſa, quo, & digniores, & capaciores inueniamur ſpiritualium gaudiorum. Sic enim in principio iuſtus accuſator *Pro. 18.* eſt ſui, nec niſi à propria reprehenſione laudes incipit alienas. Plurimum enim ieiunia hominem gratiæ diſponunt: vt in exemplis per ſacram ſcripturam ſatis apparet.

ALTERA cauſa eſt: vt Sanctorum exemplis in paſſionibus nos conformemus: Dignum enim eſt, vt ſi cum eis pati non poſſumus, cum eis vel ieiunemus. Ieiunamus ergo, vel exigua comunicantes paſſionibus eorum, & ſi non ſimili affecti tormento, ſimili afflicti ieiunio, vt miſerante Deo, etiam coronæ eorum participes ſimus, & in præſenti quo*Rom. 12.* que ſpiritualium ſocij gaudiorum.

POSTREMO, non tamen conformatio, & præparatio; verum, & admonitio, quædam, eruditioque non parua, ſunt ieiunia iſta Diſcimus enim ex hoc ipſo, quænam ſit vera via feſtiuitatis æternę. Quid enim eſt, quod ſolemnia ieiunijs præuenimus, niſi quod mul*Act. 14.* tas *per tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei?* indignus quippe ſolenni lętitia eſt, qui ſtatutam vigiliæ abſtinentiam non ſeruat. Qui enim renuit affligere animam in vigilia, indignus eſt exultatione feſtiua. *Docent* item hæc vigiliarum ieiunia, quanta omnes Sancti paſſi ſunt tormenta, ob acquirenda regni illius gaudia. Quæ ſiquis aſſequi contenderit, vt patiatur etiam pro Chriſto, o*Pſal.* portet. Patet ergo non inutiliter, non ad inſipientiam nobis, inſtituta eſſe ieiunia iſta. Sed quoniam nunc plerorumque ſolemnia, etiam non Gregariorum Sanctorum aguntur, quæ ieiunijs huiuſmodi, ob noſtram infirmitatem non præueniuntur; oportet tamen alijs, hęc exercitijs præueniri. Vnde poterunt cum meliora non affuerint, ſequentes gradus exerceri.

§. 1. *Præparatio in vigilijs.*

CONSIDERATIO excuſſoria, III.

Qua perpendas:
- Quid debeas agere.
- Et cuius celebrare feſta.
- Quæ te debent inducere, vt ſupra.
- Qualiter oportet te procedere,

Non opus eſt hæc proſequi, quoniam per ſe pateſcunt. Verum quoniam, vt dictum eſt, non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, ſequitur,

PRÆDISPOSITIO præparatoria, qua ſcilicet,

Hõ { Expurget, Adornet, Diſponat, } per { Contritionem, Sẽſuũ diſplinationẽ, Orationem.

Poſtquam ſic ſe diſpoſuerit, ad Sanctos ſe conuertat per gradum ſequentem.

COMMEMORATIO conſideratoria { Vitæ, Paſſionis, Gloriæ. } Sanctorum, ſecundũ hiſtoriæ veritatem eam commemorando.

Vnde eſſet neceſſarium interdum vitas, & paſſiones Sanctorum ſtudere, quod plurimum ſuadent glorioſi illi, & deuotiſſimi Doctores Guillermus Parrhiſien. & Ioannes Gerſon, ſociuſque eius Ioannes Nyder. Non ergo cuipiam huiuſce ſtudium contemnendum.

§. 2. *De exercitijs in Sanctorum feſtis in genere.*

SIc honorabitur, quem rex voluerit honorari Heſt. 6. POSITA ſunt exercitia, quibus homo prædiſponendus, in profeſtis Sanctorum, & vigilijs; ponenda iam, quibus occupandum in Sanctorum feſtis. Nihil enim præparaſſe proderit; niſi digne feſta ipſa exigantur. Et tunc digne exiguntur, quando corde ſentiuntur. Non ſe putet (ait Doctor quidam) feſtos dies agere Sanctis, cuius adhuc oculus in nocte eſt, nihil ſentiens in corde, quæ illi ſenſerunt; nihil agens eorum, quæ illi præſtiterunt, quatenus vitam illam nanciſcerentur, in qua, vel propter quam, ab Eccleſia fidelium coluntur. Quibus igitur ſurdaſtra mens, & nihil ſapit horum, quibus illi Deo placuerunt, quibus, & placuerunt ſanctis Patribus; quomodo celebrabunt eos, de quibus nihil celebre ſentiunt? & quibus nihilo celebriter afficiuntur? Et quomodo Sanctis feſtum diem agent, quibus nihil ſanctum feſtum eſt? non fortitudo, non conſtantia, non fides, non virtus vlla. Nihil (ait Thomas Kempis) nihil inquam, nihil feſtum eſt, quod in corde non eſt. Sed quando exterioribus feſtiuitatibus interior homo mens bene concordat

Digitized by Google

cordat, & congaudet, non mihi iam ſimplex, ſed duplex feſtum eſſe videtur; quia quod foris agitur, ab intus ſanctius tenetur. Verè fælix feſtiuitas, quando mentis ſentitur iocunditas. Quā qui crebro ſentire, & Sanctos digne honorare velit, ſequentibus ſe exercitijs, aut huiuſmodi dedicet oportet.

In Sanctorum feſtis nos diuertemus ad	1. Deum vt	Laudemus, Gratias agamus, Cultu latrico colamus.	in Sāctis propter	Proprietates laudabiles relucētes, Beneficia collata. Maieſtatē cultu dignā apparentem.	hinc	Laudate D. in sanctis. Gratias ago pro o. v. Adoremus D. q. glo.
	2. Sāctos vt	Veneremur, Cōgratulemur, Regratiemur,	propter	Dignitatem, Gloriæ felicitatē, Beneficiorum largitatem,	hīc	Laude' viros glorioſ. Gaudere cū gaudētib. In omnib. gratias agite
	3. Nos vt	Excitemur. Inſtruamur, Adiuuemur,	à	Torpore. Errore, Languore,	Eorum	Feruoribus, Exemplis, & doctrinis, Meritis, & orationibus.

In feſtis laudes, grates, cole, Sanct. venerando.
Collætans grates, torpor, perit, inſtruor, oro.

HÆc ſunt exercitia, quibus mentalia coluntur feſta, quibus Sanctorum feſtiuanda ſunt ſolennia; quæ qui egerit non infeſtus manebit. Ad digne tamen peragenda feſta concurrunt plurima; & potiſſimum iſta. Oportet enim tunc

Vt { Eccleſiaſticum officium peragatur, Sacrificiū altaris reuerentius offeratur: Dies tota pijs exercitijs expendatur,

Vnde { Solennioribus tubis, Feſtiuius Sacrificium. Tota die in tabernaculis } in veteri lege. { Clangebant. Offerebant. Manebant.

Exercitia autem quibus feſtiui ſunt expendendi dies, iuxta quendam,

Sunt { Eorum exempla, & paſſiones meditari, Pro ſe, & tota Eccleſia, eorum auxilia implorare: Canticis Spiritualibus, eorum palmas perſonare,

Præſertim tamen in cuiuſque Sancti feſto, ſingularis amicitia cum eo conquirenda, & aliquo ſingulari obſequio venerandus; vt ſic aſtet ſemper pronus.

Exercitium primum circa Deum in Sanctis ſuis magnificandum.

CAP. II.

1. L*Audate Dominum in ſanctis eius.* Pſ. 150. PRIMVM exercitium in Sanctorum feſtis agendum eſt, *Deum laudare* in Sanctis ſuis, iuxta præinductum verbum. Nam (iuxta Rabanum) In omnibus primordijs nos nominare, glorificare, laudare decet eum, qui cunctos condidit Sanctos. Ad quod, & in alio paſſu Pſalmiſta hortatur dicens, Pſ. 67. *Date gloriam Deo ſuper Iſrael*: Rationem ſubnectit: *quia magnificentia, & virtus eius in nubibus*; *Mirabilis*, id eſt laudabilis, *Deus in Sanctis ſuis*; quia ſcilicet magnificentia, & virtus; id eſt proprietates diuinæ laudabiles, relucent in Sanctis. Et ob id in plurium Sanctorum feſtis, in inuitatorijs, Eccleſia filios ad laudem cohortatur dicens, *Magnus Dominus, & laudabilis nimis* Sic enim Sanctorum (iuxta Auguſtinum *feſta miranda*: *vt gratia Domini prædicetur*: *Neque enim & ipſi in ſeipſis laudari voluerunt, ſed in eo cui dicitur, In Domino laudabitur anima mea*, &c. vt dicit in Sermone de Sancto Vincentio. Nam quod bonum fecit caro infirma? vermis, & putredo? Quod ad gloriam peruenerit, quod non ſuccubuerit infirmitas, totum operata eſt Diuinitas. Et ergo illa laudanda, &c. Laudanda inquam propter potentiam, ſapientiam, qua potuit, ſciuit, voluit, tam viles vermiculos, & ſtercore, & puluere procreatos, in tam excellentem gratiam ſublimare. Decidendumque intimo cordis affectu illud. 1. Reg. 2. *Non eſt Sanctus, vt eſt Dominus, & non eſt fortis, ſicut Deus noſter*: *Suſcitans de puluere egenum, & de ſtercore erigens pauperem Vt ſedeat cum Principibus*; id eſt Angelis, *& ſolium gloriæ teneat*, &c. Nam & hoc Sancti ipſi agunt in cælis (teſte Bonauentura) qui ait, quod electi omnes poſt tranſitum per mare rubrum, ſubmerſo Pharaone cum exercitu ſuo, tympanum tenent cum Maria, vna voce dicentes, *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt*, inceſſabiliq; voce proclamāt laudantes *Sāctus, Sāctus, Sanctus Dominus Deus*, &c. *Sanctus* Deus Pater, qui nos à mundo, à carne, diabolo ſua potentia ne ſuperaremur liberauit; *Sanctus* Deus Filius, qui nos ne deciperemur, ſeduceremur, illuminauit, aut à commiſſis iuſtificauit; *Sanctus* Deus Spiritusſanctus, qui nos tam clementer, ab æternis tormentis præſeruauit, ſua bonitate præueniens, & in gloria ſecurauit. Ecce hæc tria attributa diuina ſancti in ſeipſis laudant, quæ nos laudare debemus. Vnde Dominus ſanctam Mechtildem hæc docuit laudare dicens: *Lauda* (inquit) *meam bonitatem in Sanctis, quos tanta in beatitudine donaui, vt in alterutrum omnia fluant*, &c. *In feſto quoque cuiuſque Sancti, poteris me laudare pro æterna electione, qua eos elegi, & vt ad eam pertingerent fortificaui. Lauda me, pro eo, quod ſim omniū corona Sanctorum. Item pro accidentali vocatione, qua eos vocaui. Item*

Pſ. 47.
Pſ. 33.
Pſ. 112.
Exod. 15.

pro

pro accidentali vocatione; qua eos vocaui. Item pro fideliſſima Regni mei cum ipſis diuiſione, qua plene eos beatificaui, &c. Plura huiuſmodi in libro Spiritualis gratiæ ipſius Mechtildis, ſtudioſus lector inueniet.

Sed & illa deuotiſſima Margareta contracta, à Domino edocta in ſingulis Sanctorum ordinibus (vt in eius vita) per ſingulas laudabat relucentes Dei proprietates: Vt, in Angelis Dei bonitatem; in Apoſtolis charitatem; in Martyribus fortitudinem, & ſic de alijs. Itemque in ſingularibus Sanctis, ſingulares Dei notabat proprietates & inde eum laudabat: Vt in Beato Petro principalitatem; in Paulo ſapientiæ luminoſitatem; in Magdalena propitiationis vbertatem, & ſic de alijs. Omnes enim Sanctos, qui ſunt in Regno ſpoliauit, & nudos ſtare permiſit, & omnia effudit in Deum; vnde fluxerunt vniuerſa, & laudauit eum de hoc, quod talia dignatus eſt in eis operari.

Iob 7. Sic & theoricus ille Dominus Ioannes Ruysbroech, cuius ſuſpendium anima elegit, cæterique interni agere ſolebant, quorum,
Pſ. 150. & nos veſtigia ſequentes, Deum in Sanctis laudemus. Laudemus inquam, propter relucentes in eis proprietates.

Generales.	Scilic.	Potentiam, ſapientiam, bonitatem.
Speciales.		In Apoſtolis charitatem.
Singulares.		In ſingulis ſingulas.

MEMBRVM I.

Quomodo Deus in Sanctis laudandus.

II. QVOMODO autem laudandum ſit, & in laudando procedendum; notandum; quod laudatio iſta, ſequentia complectatur; & hæc ad eam concurrunt,

Attendens, pendas, narres, mirans, placeatq;
Hærens, deficias, inuitet, omnia laudent.

PRIMO conſideratio, qua cognoſcamus, quàm laudabilis ſit, propter proprietates relucentes; SECVNDO mentis aſſenſus, & magni æſtimatio. Laus enim eſt æſtimatio agni-
Laus quid ti boni; TERTIO huius ſententiæ, & æſtimationis, foris enunciatio: Qui enim de cognito bono ſuam ſententiam enunciat, bonum laudat, vt dicatur, Tu ſolus ſanctus, Po-
Pſ. 112. tens &c. QVARTO admiratio diuinæ magni-
Exod. 15. ficentiæ, & excellentia cæterorum collatio-
1. Reg. 2. ne: *Quis ſicut Deus noſter? Quis ſimilis tui? Non eſt ſanctus, vt eſt Dominus.* QVINTO complacentia in proprietatibus iſtis, vt ei congratulemur. SEXTO inhæſio in eo, in quo complacuit, *Mihi adhærere Deo bonum*
Pſ. 72. *eſt.* SEPTIMO iubilus cordis, & defectio in laude. Et hic primum verè laudamus, cum præ admirationis magnitudine deficimus, iuxta illud Eccli. 33. *Multa dicimus, & deficimus in verbis: Ipſe enim omnipotens eſt, ſuper omnia opera eius*, &c. Itemque. *Glorificantes Dominum quantumcunque poteſtis; maior enim* Eccli. 43.
eſt omni laude. Et ſequitur, *Ne laboretis, non enim comprehendetis. Quis enim magnificabit eum*, ſicut eſt, vnde Greg. *Tunc Diuinæ virtutis facta plenius explemus; cum nos hoc explere non poſſe cognoſcimus: Tunc facundius loquimur, cum de his obſtupendo obmuteſcimus.* Et ille ſecundum multitudinem magnitudinis eius Pſ. 150.
Deum in Sanctis laudat, qui ſe ſuccumbere in eius laudis expletione cognoſcit. Hinc, & Dominus Contractæ illi Margaretæ pretioſæ dixit: Hæc eſt maxima laus mea, quod nemo ad plenum poteſt, quantumcunque ſe ad laudem meam diſtenderit, laudare. Verum quoniam inflammatum cor, requieſcere non poteſt; niſi vel paululum laudet, alios ad hoc vocat. Et ergo POSTREMVS gradus laudationis, eſt inuitatio aliorum; ſcilicet creaturarum, & Sanctorum; imò & Dei Trinitatis. Pſ. 148.
De primis patet in Laudate Dominum de cælis. Porro Sãctos atq; Deũ ipſũ, quo defectum noſtrum in laude ſuppleant inuocari, Deus ipſe crebrius docuit Mechtildem, & alios ſanctos. Nec noua cuipiam hæc videatur Apocalypſis, vbi non modo qui ſuper terrã, Apoc. 5.
ſed & qui ſub terra ſunt, in laudem conuocantur: Eccleſia etiam canit, *Laudẽ dicite Deo noſtro omnes Sancti eius.* Apoc. 19.

HÆc poſuimus de practica laudis, vt nullus habeat excuſationes, quia nondum ignorat. Ecce his modus traditur, in quo qui ſe exerceret, quàm ſit efficax facilè ſentiret. Cuius ſiquis paradigma, aut exemplares formas requirit, intendat in laudes, & Cantica ſanctorum, & inueniet plene his modis exemplatos. Agite nunc hinc laudem diſcamus, in hanc nunc nos exerceamus, vt cum ad laudis Patriam peruenerimus, laudare ſcia- Pſ. 83.
mus. *Beati enim qui habitant in domo tua domine, in ſecula ſæculorum laudabunt te.*

MEMBRVM. II.

De gratitudine erga Deum in Sanctis.

IN *omnibus gratias agite.* Apoſtolus 1. Theſ. 5. ALTERVM exercitium in Sanctorum III.
feſtis circa Deum, eſt gratiarum actio, vt ſcilicet fonti, & omnium bonorum largitori, gratiæ agantur, ſuper beneficijs Sanctis collatis. Si enim in omnibus gratiæ agendæ, maximè in maximis donis in Sanctis, per quos tanta ſuſcepimus bona. Vnde & ipſe Paulus, gratias agebat pro Sanctis, adhuc in terris conſtitutis, dicens Rom. 1. *Gratias ago* Rom. 1.
Deo pro omnibus vobis, &c. Debemus itaq; & nos, in ſanctorum feſtis gratias agere Deo.

Pro eo quod dederit	Tales aduocatos, & patrocinia,
	Viuaciſſima virtutum exempla,
	Tanta per ſanctos ſuos beneficia.

Quidam prædicauerunt, conuerterunt, ſcripſerunt, Eccleſiam illuſtrauerunt, plantauerunt, erudie-

erudierunt. Numera ſi potes, & gratias age. Sic ſcribitur de illa pretioſa Margareta iam dicta, quod feſtiuis diebus gratias agere voluit pro illo ſancto, cuius feſtum fuit, & pro gratia hic illi, & in futuro data; & ergo omnia opera ſua in gratiarum actionem ordinauit. Et gratias egit pro ſignis quæ fecerunt, pro exemplo quod reliquerunt; pro ſcriptis, quibus profuerunt, & auxilijs; puta iugi oratione, quibus aſtiterunt. In omnibus his & nos gratias agamus: vt ſic & nos gratiam ſuſcipiamus: Flumina in mare reducamus: vt iterum fluentia, nos ea vel tenuiter excipiamus.

IV. Sed vt & hic non ſit, qui inſcitiam gratitudinis alleget, & ob id ab exercitio iſto abſtineat, quandam formulam ex diuerſis ſanctorum dictis colligamus. Vnde hoc modo procedere licet, vt primum fiat beneficiorum ſcalaris commemoratio enumeratione, deinde profunda conſideratio augmētatione; ſcilicet beneficia exaggerando, tum ex parte dantis, tum ex parte accipientis, tum ex beneficio ipſo: vt in profectibus docetur, & infrà dicetur in beneficiario: Tertio admiratiua reſilitio à magnitudine beneficij in propriam paruitatem: vt dicendo, Vnde mihi hoc, vt tantus talia præſtet? Quarto anxietas pro retributione, dicendo, Quid retribuam Domino. Pſalm. 115. Quinto, beneficiorum profeſſio, & vocalis gratiarum actio, dicendo, Gratias agimus tibi. Verè dignum. Sexto parilis facultatis negatio, vt illud Virgilianum dicamus,

Non opis eſt noſtra grates perſoluere dignas, &c.

Septimo, aliorum inuitatio, vt in Cantico puerorum trium, Benedicite: Dan. 33. Nam quā hoc placeat Deo, dixit Dominus Mechteldi: *Cùm is hymnus, vel aliud ſimile cantitur, in quo creaturæ ad laudem connocantur diuinam, omnes creaturæ ſpiritualiter, velut perſona quadam in mea præſentia ſtantes pro homine illo, vel generaliter pro omnibus, & in omnibus, quæ ſibi feci bona, me collaudant, & regratiantur mihi.* Hæc ibi. Valde igitur intentè huiuſmodi dicenda. Poſtremo fiet ſui-ipſius plena ad omne placitum Dei ſubmiſſio, ac meritorum Chriſti & Eccleſiæ oblatio: & perpes gratitudinis ſponſio. De his plenius infrà, vbi & de inductiuis gratitudinis habetur. Et comprehenditur is proceſſus gratitudinis in his verſibus,

Commemorans videas, mirans ſis anxius, & dic.

Deſilias, ſimul inuites, offer bona, te des.

MEMBRVM III.

De cultu latriæ exhibendo circa Deum.

Adorate Dominum in atrio ſancto eius. Pſal. 28.

V. Qvid quæſo aliud ſunt Sanctorum animæ & corpora, niſi ſancta Domini atria? & viua Spiritusſancti habitacula? Quod ſi Deus adorandus præcipitur in atrio materiali, quanto magis in ſpirituali? Et hinc maximè cohortatur Eccleſia filios ſuos ad hanc adorationem in ſanctis. Hinc in Inuitatorijs crebro, *Adoremus Dominum, qui in ſanctis glorioſus eſt.* Pſal. 94. Item, *Regem Apoſtolorum Dominum venite adoremus.* Sunt enim quædam clariſſima ſpecula & ſimulachra, in quibus relucet virtus & maieſtas diuina. Quicquid autem hanc lucidè repræſentat, licitè in hac adoratur Deus, iuxta Gerſonem; ita quod iuxta eum non ſit aliqua res, quantumlibet etiam parua, in qua non poſſet coli Deus, cùm affuerit intentio recta; quanto magis ergo in viuis ſpeculis, in imaginibus Dei, in ſanctis ſedibus atrijs Dei, in quibus veriſſimè, pleniſſimè, & intimè habitat Deus? In quibus reſidet vt hoſpes in domo, vt Pontifex in templo, vt ſponſus in thalamo. Quis non adorabit maieſtatem creantem? poteſtatem conſeruantem? fœlicitatem beatificantem? quæ planè in ſanctis lucent. Hæc in eis videamus, & ſecurè Deum, non ſanctos adoremus. Quomodo autem ſit adorandum, & in quibus conſiſtat, iam plenius eſt ſupra dictum in Dominicario.

Vel, cultu latriæ Deum in ſanctis colimus, dum eorum inſtar, virtutes Theologicas actuamus: vt ſcilicet ſicut & quod ipſi crediderunt credamus; ſperauerunt ſperemus; & vt amauerunt ipſi, ita & nos amare cupiamus. Magnus iſte cultus, & valde homini ſecurus: vt exemplariter ſuper Magnificat venerabilis Gerſon declarat de quodam magno magiſtro, qui ad nullam conſcientiæ quietem attingere potuit, niſi ſe hoc modo actuaſſet, dicendo: *Credo ſicut credidit Sanctus ille, & ille,* & ſic de alijs. Hoc modo & tres virtutes Theologicas actuemus, & verè colemus Deum. His exercitiis, qui in feſtis ſanctorum prolixius immoratur, optimè feſtiuauit. Gaudent enim ſancti magis in ipſis Dei cultum promoueri, quàm honorē propriū. Et ideo latius egimus de iſtis.

Quomodo ſancti in ſeipſis glorificandi.

CAPVT III.

Laudemus viros glorioſos, &c. Eccli. 44. I.
Omnes enim in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudibus. Iam de exercitijs, quibus ad ſanctos cōuertimur, dicendū. Quorum *primum* eſt, quod eos venerari, laudare, honorare debemus cultu debito ſanctis, qui eſt dulia, vel erga maximos ſanctos hyperdulia, quæ debetur Virgini matri, eo quod mater Chriſti. Et ad ſic venerādum ſanctos, hortatur Sapiens in verbis dictis, quoniam ſunt omni honore digni. Nam in eis inuenitur omnis ratio venerationis & honoris, quæ continetur hoc verſu,

Prælati, diteſque, ſcij, proſunt ſeniores.

Si enim honor debetur Prælatis, ratione ſuperioritatis, hi ſummè honorādi, qui omnibus Prelati, ōnia eis ſubiecta; Si diuitibus, ſi his qui proſunt cōmunitati, hi ſunt amatores fratrū,

hi viri virtuoſarum diuitiarum, iugiter orantes pro nobis; *Sap. 10.* Si ſenibus, ſi ſapientibus, *Sap. 4.* horum ſenecta venerabilis, & habent ſcientiam Sanctorum, & ſic de alijs.

Omnis ergo in eis ratio honoris, quia participāt	Potentiæ, Sapientię, Bonitatis	Dei.

MEMBRVM I.

Venerationis modus.

II. SEd dicet aliquis: quomodo honorabo eos? Audi quomodo honorabis eos. Sunt enim ſancti in feſtis ipſorum

Venerandi Affectu,	Scilicet	Corde, Granditer de eis ſentiendo.
Laudandi Effectu.		Ore, Magnalia eorum laudando.
Honorādi Geſtu.		Opere, Signis externis honorando.

Primo inquam magnificè de eis corde eſt ſentiendum, & hæc eſt vera *gloria quæ debetur omnibus ſanctis*; *Pſal. 149* magnificum ſcilicet iudicium de eis. Secvndo, ſunt opera eorum in laudem narrandæ; quemadmodum facit ſapiens pulchrè. *Eccli. 43* Quomodo autem, & de quibus ſinguli ſancti poſſent laudari, & quomodo in laudando eos eſſet procedendum, poſſemus hoc vtique de Ægyptijs eos ſpoliando aſſignare; *Id eſt ab Ethnicis mutuādo* ſed veremur vanitatis ab aliquibus (qui Dei & ſimplicitatis zelum, ſed non ſecundum ſcientiam habent) *Rom. 10.* carpi & notari. Tradit enim pulchrè locos & modum laudationis Tullius; *Cicero.* vbi agit de genere demonſtratiuo, dicēs quod laus poteſt ſumi,

Vel à	Rebus externis.	Vt ſūt	Generis, diuitię, poteſtas, patria, &c.
	Corporibus.		Vires, dignitas, valetudo.
	Animis.		Prudentia, iuſtitia, & virtutes.

Meliores, ſi non ſanctiſſimi viri, hos modos in ſuis ſermonibus: vt Maximus, Bernardus & alij tenent. Verè qui hæc ſciret, latiſſimus & potentiſſimus meditator fieret, & prædicator. Sed abeant ob dicta. Tertio honorandi ſunt opere & affectu. Honor enim non tam iudicium eſt agniti boni, quàm opus dilecti boni: Vnde per externa demonſtratur; *Honor quid.* Eſt enim honor, officium iam cognoſcentis, æſtimantis, diligentis magnum bonum. Vnde reuerentiam exhibet externam, inclinando, genuflectendo, Cantica decantando in honorem ſanctorum. Et ad talem honorem hortatur Auguſtinus dicens, In ſanctorum feſtis reſonent Pſalmi, concrepent lectiones, & alternantibus vocibus carmina miſceantur. Hæc de primo.

MEMBRVM II.

De congratulando Sanctis.

L*Ætamini cum Hieruſalem omnes, qui diligitis eam.* Eſaias Altervm exercitium erga Sanctos eſt, quod debemus eis cōgaudere, & congratulari: Ad quod hortatur Eſaias verbis ſcriptis. Et hoc ipſi Sancti, maximè ex nobis volunt: vt ex pluribus reuelationibus patet. *Congaudete mecum* (ait beatiſſima Mater noſtra Agnes) *& congratulamini, quia cum his omnibus, lucidas ſedes accepi.* Vnde cateruatim clamant illud Euangelicum, *Congratulamini mihi quia* &c. *Luc. 15.* Et hinc eſt, quod etiam Eccleſia crebrius congratulatur, & congratulatiuè cātat eis, *Lætamini in Domino, & exultate iuſti.* *Pſal. 31.* Item. *Gaudete, & exultate, quoniam nomina veſtra* &c. Itemq́; *Beati eſtis Sācti Dei omnes, qui meruiſtis conſortes fieri cæleſtium virtutum* &c. *Luc. 10.* Et illud Thob. *Benedicite Domino omnes electi eius, agite dies lætitiæ, & confitemini illi* &c. *Thob. 13.* Cuius & nos exemplo Sanctis congratulari, & congaudere debemus.

Tū in eo, quòd	Tantas gratias in vita habuerunt;
	Iam mala omnia euaſerunt:
	Tantam gloriam perceperunt;

Primo affectu ſingula hæc conſiderando, fouendo, extollendo: Et vtiliſſimum eſt ſic cōgratulari Sanctis; Nam per hæc, omnia eorum merita ſingulariter nobis applicātur; ita quod iuxta Albertum magnum, quicquid vnquam virtutis, & gratiæ Sancti habuerunt in terris, quicquid gloriæ præmij poſſident communiter in cœlis, hoc totum fit vnicuiq́; proprium, per congratulationem. Non ergo hoc exercitium deſeramus.

MEMBRVM III.

De regratiando eis.

G*Ratiæ eſtote.* Apoſtolus. Tertivm circa Sanctos exercitium eſt, *gratias agere* ſuper beneficijs quæ impenderunt: *Coloſſ. 3.* Quod iuſtum eſt, & dignum, vtile, & neceſſarium nobis. Si enim cupimus largiora in reliquum bona ab eis excipere, primum oportet ſuper ſuſceptis agere grates. Debemus ergo gratis agere.

Pro eo, quod	Aduc in terris poſiti, Eccleſiam dilatauerunt.	Prædicando,
	Tum ſacra exempla reliquerunt.	Scribēdo.
	Toties in cælis poſiti, meritis & precibus ſubuenerunt.	Viuendo.

Gratias autem dignas is agit, qui dona collata extollit cum annihilatione ſui, & reuerentia cordis, ſingulis ſcilicet gratitudinis affectu correſpondendo. His & huiuſmodi exercitijs circa ſanctos nos exercere debemus, vt ſic eorum amicitiam nobis comparemus. Valde enim neceſſaria eſt nobis amicitia eorum: Ipſi enim ſoli ſunt, qui vbi omnes nos deſeruerūt, in ſua nos tabernacula protegendo, adiuuando, ſuſcipere poſſunt. Faciamus ergo amicos exercitijs iſtis.

Digitized by Google

Profectus noſter in Sanctorum cultu.

CAPVT IV.

Eccli. 22 1. DE *ſtercore boum lapidatus eſt piger*. IAM quibus exercitiis nobis ſanctorum applicabimus feſta, videndum: Quid enim proderunt cætera, ſi non & nobis applicentur? Tria itaque iuxta ſanctum Bernardum in ſanctorum feſtis conſiderare debemus, vnde ſumemus exercitia nobis.

MEMBRVM I.

De excutiendo noſtro torpore.

II. PRIMVM eſt, vt attendamus ſanctorum feruorem, & per hoc excitemus noſtrum torporem: Et hoc vult verbum præmiſſum, vt *de ſtercore boum*, id eſt feruentiſſimis ſanctorum exemplis pigredo excutiatur omnis. Agite ergo, ſanctorum feruorem attendamus, & noſtram pigritiam excutiamus, & deſiderium tale faciamus. Attendamus,

Inquam {
Quam fortiter vitijs reſtiterunt,
Quam viriliter in virtutibus profecerunt,
Quantam paſſionem pertulerunt,
Ad quantam gloriam peruenerunt.

Quis enim gloriam illorum attendens, non ad illam aſpiret; & eorum deſideret fœlicitatem? Quis nõ cupiat liberari à malis? ſociari Sanctis? repleri omnibus bonis? Væ nobis à duritia cordis noſtri, væ à peccato (ſi non deſideremus) Rom. 1. gentium, quas Apoſtolus memorat ſine affectione fuiſſe. O deſidiam, ô damnabilem torporem, Præſtolatur nos Eccleſia illa primitiuorum in cęlis, & negligimus? deſiderant nos Sãcti, & paruipendimus? expectant nos iuſti, & diſſimulamus? Excitemur aliquando fratres (ait Bernardus) reſurgamus cũ Chriſto, quæramus quæ ſurſum ſunt, quæ ſurſum ſunt ſapiamus, deſideremus deſiderantes nos, properemus ad præſtolantes nos, expectantes nos, votis præoccupemus animorum. Curramus ad locum tutiorem, ad agrum vberiorem, ad paſtum ſaniorem, excitati in conſideratione gloriæ ſanctorum. Dicamus nobis crebrius pro torpore exercitando illud Iudicum, Surgite, & aſcendamus ad eos, vidimus enim terram valde Iudicũ 10 opulentam & vberem: Nolite negligere, nolite ceſſare, eamus & poſſideamus eam. Nullus erit labor, intrabimus ad ſecuros, in regionem latiſſimam, tradetque Dominus nobis locum, in quo nullius rei eſt penuria. Hæc pro excitanda mente, in conſideratione gloriæ ſanctorum ruminemus. In qua conſideratione lata ſe materia offert, puta de omnibus gaudijs ſanctorum, vt patet in nouiſſimis.

SED vbi attenderimus feruorem, quo reſtiterunt vitijs, profecerunt in virtutibus, perſtiterunt in ſupplicijs, quid quæſo dicemus? Verè non eſt quod reſpondebimus, niſi vt faciem noſtram operiat confuſio noſtra. Homines fuerunt ſimiles nobis, paſſibiles, ex Pſal. 68 eodem luto formati quo & nos; eadem circundati infirmitate, & carni ſuæ eodem vinculo naturalis (ſecundum naturam corruptam) infectionis inhærentes, vt nos. Quid ergo eſt, quod non ſolum difficile, ſed impoſſibile credimus, vt faciamus quæ fecerunt? vt ferueamus in dictis, vt ipſi efferbuerunt? Eadem vt ipſi ſumus inſigniti imagine, eodem redempti ſanguine, vocati in eandem hæreditatem, & nihil agimus eorum, quæ egerunt illi. In minimis periclitamur, & ſuccumbimus conflictibus; dum illi in certaminibus fortibus perſtiterunt. Hi obſtiterunt mucroni, nos vnius acus cedimus punctioni: Illi tulerunt tela, iuncis fragilibus cedit infirmitas noſtra. Verè ad nihilum redacti ſumus, & iuxta Pſal. 72 Bernardum, vt paruuli & mulieres pugnantes laudamus alios, pugnare non poſſumus Exod. 23. ipſi. Quid tamen agimus? Non licet vacuos Pſal. 68 apparere. Vnum hoc ſupereſt, operiat faciem noſtram confuſio noſtra: Erubeſcamus, & Eccli. 4. confundamur, ſi fortè hæc confuſio adducat gloriam nobis, ſi fortè nobis gratiam generet, erubeſcentia & pudor iſte. Statuamus in reliquum feruentius agere velle. Nam pro feruore hoc excitando præcipuè ſancti proponuntur; quemadmodum & Elephantis *ſanguis* 1. Mac. 6 *vuarum legitur, & mori oſtenſus*. Hic ergo nos debemus confundere, hic conqueri Deo torporem noſtrum. Vnde opportunè hic loci ponerentur conqueſtiones.

MEMBRVM II.

De ſanctorum exemplis conſiderandis, vt liberemur ab errore.

III. M*Emores eſtote quomodo ſalui facti ſunt patres noſtri*, 1. Machab. 4. Poſtquam ergo ſumus per priora ad ſequendum ſanctos incitati: oportet vt conſideremus viam, qua ſit ambulandum nobis; vt ſic ab errore liberemur, & hoc conſiderando exempla & virtutes ſanctorum. Dicit enim Auguſtinus, quod ſicut Deus in cæleſti gloria electis ſe præbet, & exhibet ſpeculum æternaliter perfruendi: ſic Obſerua. vita ſanctorum, quos præmiſit, dat nobis ſpeculum illuc perueniendi. Debemus ergo attendere exempla ſanctorum, quomodo conuerſati ſunt in hoc mundo.

Et hoc quoad { Deum, Seipſos, Proximum. } quam etiam { Virtutibus pleni. Donis Spiritus refecti. Omni gratia repleti.

Debemus eligere exempla, in quibus nos velimus conformari, in quibus veſtigia eorum ſequi. Hoc enim gratum eis; hoc eſt, quod votiuis vocibus clamant. In omnium enim perſona Paulus clamat, *Cupimus vnumquemque* Heb. 6.

veſtrum, eandem oſtentare ſollicitudinem, &c. *vt non ſegnes efficiamini, veri imitatores eorum, qui fide & patientia hæreditabunt promiſsiones*. Et quiſque nobis dicit, *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*, 1. Cor. 4. Et omnes clamant, *Ha-*
Phil. 3. *bete inquiunt, formam noſtram*. Qui ergo ſe volet intentius & commoratius hic exercere, ille poterit,

Conſiderare virtutes { Generales, Speciales, Singulares, } { Sanctorum } { Omnium, Aliquorũ, Singulorum. }

Sed dum ſic ſanctorum exempla conſidera-
Mar. 8. mus, & eos, *tanquam arbores* cum Euangelico cæco, aut tanquam gigantes ſtatura proceros, viribus potentes viderimus, quid inquam tũc nobis agendum? Debemus nos conferre ipſis, debemus conſiderare quas ipſi virtutes, quæ nos vitia habeamus, & profundè ſub eis humiliati, rubore confundi, adeò vt vix eos aſpicere, ne dicam imitari præſumere audeamus. Et tunc ſequitur tertium.

MEMBRVM III.

De implorando Sanctorum ſubſidio, procurando languore.

IV. VOca ſi eſt qui reſpondeat, *& ad aliquem ſanctorum conuertere*. Iob cap. 5. POSTQVAM vidimus ſanctorum feruorem, & confuſi ſumus, poſtquam conſiderauimus exempla, & humiliati abſceſſimus; implorandum eſt ſanctorum auxilium, vt ſpe ſubleuemur. Ad hoc enim hortatur ſcriptura in verbis prædictis. Vocemus igitur, & imploremus ſanctos,

Quoniam { Dulces, Sapientes, Potentes, } { ſunt ad } { Audiendum. Succurrendum. Vota implendum. }

Tales enim decebat humano generi conſtitui Patronos, qui & dulces eſſent, vt blandè & miſericorditer venientes ſuſciperent, & audire vellent; ſapientes, vt ſuccurrere ſcirent; potentes, vt efficaciter poſſent. Si miſericordes fuerunt in terris, fonti miſericordiæ iuncti iam ſunt miſericordes in cælis, &c. Ad hos itaque confidenter accedamus, horum auxilia imploremus, & quod noſtra impoſſibilitas non obtinet, eorum interceſſione nobis præſtetur. Clamemus cum Bernardo,
Iob 19 & dicamus, *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei: Noſtis ipſi periculum noſtrum, noſtis figmentum noſtrum, noſtis ignorantiam noſtram, & dolos aduerſariorum; noſtis eorum impetus, & noſtram fragilitatem. Vobis enim loquor, qui in eadem tentatione fuiſtis, qui eoſdem ſuperaſtis conflictus, qui eoſdem laqueos*
Heb. 5. *euaſiſtis, qui didiciſtis ex his, quæ paſſi eſtis, compaſsionem. Vos inquam oportet miſereri oſsi de oſſibus, & carni de carne veſtra. Abſit, abſit a vobis anima ſancta Ægyptia illa crudelitas, pincerna* Gen. 40.
Pharaonis qui in ſtatum priſtinum reſtitutus, ſtatim oblitus eſt Ioſeph ſancti, qui in carcere tenebatur. Nam & veſtra pignora tenemus, inuicẽ mẽbra ſumus, nec eſtis conſũmandi ſine nobis. Hoc modo circumire debemus animo ſedes ſupernas, &
multas quæ in domo Dei ſunt manſiones, hu- Ioan. 14.
militer proſternendo corpora ante thronum
Dei & Agni; ſupplicantes præcelſos ordines Apoc. 4.
Angelorũ, Prophetarum cuneos, numerũ Patriarcharum, Senatum Apoſtolicũ ſalutantes, ſuſpirantes coronas Martyrum, choros Virginum admirantes, ſingulorum implorando auxilia, & vt audiant exorando. Quos qui flectere volet mendicando, ad eos accedat oportet. Vnde de exercitio mendicationis ſpiritualis iã eſt ſubnectendum, quoniam eſt vtile multum.

Mendicatorium ad Sanctos.

CAPVT V.

BEati pauperes ſpiritu, Matth. 5. COM- I.
MENDATVR his verbis exercitium mẽdicationis, de quo nunc eſt agendum. Ad quod exercitium plures ſcripturæ, & ſanctorũ doctrinæ paſſim exhortantur. Hoc Aug. hoc Bern. hoc Anſelmus, & cęteri nouerunt, qui crebrius huius exercitij in ſuis ſcriptis commemorant, & exẽplaria huius formauerunt. Hoc prę cæteris venerabiles magiſtri Ioannes Gerſon & Guilielmus Parrhiſiẽſis cõmendãt, qui ſingulariter ſuper hoc ſcripſerũt. Primus in tractatu de mendicitate ſpirituali; alter in de rhetorica diuina & alijs locis. Magnus nempe eſt huius exercitij fructus, & igitur à magnis laudatus. In cuius laudem idem Gerſon dicit, quod huius exercitij modus præ cæteris eſt ſecurus, ſimplex, atque comprehẽſu facilis, conueniens & magnis & paruis. In quo & doctiſſimus ille & celeberrimus Guilielmus nominatus ſe ſingularius exercuit, & ſimplices & idiotæ mulierculæ hoc ad manũ habuerunt; adeo quod Gerſon narret de vna, quæ tribus aut pluribus horis huic exercitio inhærere & immorari ſolebat. O igitur fœlix exercitium à cunctis amplexandũ, quod nulli diſconuenit, vel ſtatui, vel ętati. Pro cuius ampliori introductione quędam ſunt aſſignanda.

Primum quid debeat ad huius frequẽtationem inducere,

Secundum vbi, & à quibus debemus mendicare.

Tertium, quid debemus petere & rogare.

Poſtremo modus quomodo oporteat procedere.

MEMBRVM I.

De inductiuis ad mendicandum.

DE INDVCTIVIS exercitij huius licet pręmiſ- II.
ſa ſufficere poſſent: pauca tamen, & alia quædam ſuperaddẽda, & ſunt iſta ſcilicet,

Scriptũ, perſuaſum, gratũq́, opus, vtile, dignum.

PRI-

Digitized by Google

Primvm inductiuum eſt ſcripturæ admonitio, quæ ſæpe petere cohortatur, & mendicare. Legis apud Iobum cap. 5. *voca ſi eſt qui reſpondeat*, apud Eſaiam cap. 58. *clama ne ceſſes:* apud Dauidem pſal. 36. *Reuela Domino viam tuam.*

Secvndvm ſanctorum perſuaſio, qui crebrius vt ſupra patuit, hoc ſuadent, & ad hoc cohortantur. Tertivm acceptatio & gratitudo: Plurimum enim hoc placet Deo & ſanctis: vt ex pluribus exemplis patet. Qvartvm neceſſitas noſtra. Pauperes enim ſumus. Nihil in nobis, aut ex nobis boni habemus, ſed nec noſtro labore comparare valemus; quare mendicare neceſſe habemus, ne inedia pereamus. Nec diuites ſæculi hinc excipiuntur, immò magis mendicare coguntur, quibus ait Auguſtinus, *Pauperes ſunt mendici veſtri, & vos mendici eſtis Dei*, & cætera. Qvintvm vtilitas magna: Nam hoc exercitio neceſſitas omnis ſuppletur, virtutibus homo ditatur, & omni bono oppletur; Fit ex paupere diues, ex mendico abundus, conſors ſanctorum, & hæres Dei & Regni. Poſtremo nos allicere debet dignitas exercitij huius. Nam licet hominibus ſæculi nomen mendicitatis officium ingerat vituperabile & inhoneſtum: eſt tamen re vera magnæ dignitatis, excellentiæ, nobilitatis, huius noſtræ mendicitatis actus. Nónne Imperator mundi, Rex Regum, Deus Deorum, huius ſe officij fuiſſe teſtatur, vbi ait Pſal. 39. *Ego autem mendicus ſum & pauper?* O Mendicum, ô Pauperem, ô Principem quæſtus huius, quo verè pauperior fuit nemo. Nónne & Rex ille potentiſſimus Dauid in ſuo pſalterio, ſe huius quæſtuoſæ mendicitatis ſectatorem profitetur, dum ſe nominat nunc infirmum, nunc orphanum, & omni neceſſitate plenum? Sed & Salomon ille ſapientiſſimus ſe dicebat infirmum & pauperem, imò quotquot vnquam ad Regnum peruenerunt, non niſi mendicando illud perceperunt. Grandis igitur dignitatis ingenuitatis officium, quod omnes tenuere ſancti. Sed & lætum eſt & iocundum inter ſanctos iugiter conuerſari in cælis. Quis quæſo non iam ad hoc exercitium aſpirabit? Accedant qui magna quærunt, magnis aſſocientur: Veniant miſeria oppreſſi, capiant ſubleuamen: Qui diuites fieri volunt hoc exercitio voti compotes fiunt; Quem demum tædet viuere in terris, hoc exercitio ſua conuerſatio erit in cælis. 2 Cor. 6, Phil. 3.

MEMBRVM II.

Vbi ſit mendicandum & quæſtuandum, & a quibus.

III. Sed iam alterum pertractandum: ſcilicet vbi, & à quibus debemus mendicare: Oportet enim & loca idonea ſcire, & viros miſericordiæ noſſe. Locus autem diſtributionis largarum eleemoſynarum, eſt in terra viuentium, in cælis; In terris enim pauperes, & miſeri omnes: in cælis diuitiæ, charitas, & miſericordia abundant: vnde pauperũ nullus inde vacuus abſcedit. Ibique copioſi ſunt illi pij & liberales eleemoſinarij Dei, Regis Iſrael clementes. Ibi gratiæ theſauraria Regina miſericordiæ, mater pauperum & orphanorum. Et vt ad ſummam dicam, ſunt illic clementiſſimi omnes, nulli ſe, iuxta Regis ſui edictum, petenti negantes. 3 Reg. 10

Sed forſan loci altitudinem cauſaris, obijcis eum eſſe inacceſſibilem, ſed audi conſilium. Currum igneum habes ad manum, quo cùm voles poſſis, Heliæ inſtar, in aëra ferri: Currus igneus eſt deſiderium feruens, quo te valebis, quo voles, ferre. Vbi enim fuerit ſanctum deſiderium, ibi quiſque ſe eſſe iudicabit. Noſcis ergo locũ, & quomodo pergitur illo. 4 Reg. 2

IV. Sed nunc à quibus mendicandum ſitediſſeramus. Certè ab omnibus incolis illius regni, omnes enim diuites & clementes. A Rege item & à Regina, & ab omni familia, à grandibus & puſillis. Quandoque enim Deus vult largiri per minimum ſanctum, quod non per ſummum, vt patet in pluribus patronis. Vnde, vt neminem deſerat, neminem impetitum & non exoratum relinquat, vel tranſeat: poterit (iuxta Gerſonem) cæleſtem illam ciuitatem in ſeptem partes vel vicos diſtinguere. Et per ſingulos illos vicos, ſingulis ſeptẽ diebus diſcurrere, & quæſtuare: Statuens in vno vico Angelos, in alio Patriarchas, &c. Vel ſic,

Feria	Secunda,	mendices ab	Angelis,	tanquam Dei	Nunciis & ſecretariis.
	Tertia,		Patriarch. Proph.		Senibus & Conſiliariis.
	Quarta,		Apoſt. Diſcipulis,		Ordinariis iudicibus.
	Quinta,		Martyribus,		Militibus & Baronibus.
	Sexta,		Confeſſoribus,		Theſaurariis & Doctoribus.
	Sabbatho,		Virginibus,		Sponſis & diſpenſatricibus.
	Dominica,		Monach. & erem.		Familiaribus & eleemoſinariis.

Hoc igitur modo omnes inuocãdi (imo iuxta conſilium M. Ioannis Nyder) ſinguli quantum patitur tempus implorandi. Vnde vt habeat ſanctos ad manum, poterit ſibi quiſque de ſingulis ordinibus ſingula formare alphabeta, ſecundũ normã ſanctorũ; puta ſub A ponendo omnia nomina Apoſt. & Patriarcharum ab A incipientia: vt Andreas, Auguſtinus: Item de Patriarchis Adam, Abraham. Qui ſic ageret, nunquã deficeret tempus: tãta enim (teſte Euſebio Cæſarienſi, cuius rogatu Conſtantinus Imperator ſanctos vbique conſcribi iuſſit) eſt ſanctorum multitudo, quod quolibet die anni occurrunt plura quã quinque millia Martyrum natalitia, excepto die Calendarum Februarij, quo Gentiles epulis, non ſanctorum vel Chriſtianorum neci intendebant. Verè qui ſic ſingulos veneraretur in terris, ſingulariter ſuper ſingulis gauderet in cælis: & hic eſt, quod quidam ſibi Martyrologiũ familiariter abbreuiatum habere ſolent, & cætera. Et vbi ſic inuocauimus ſanctos, per eos

accedendum eſt ad Regem & Reginam; tanquam per patronos & aduocatos.

MEMBRVM III.

Quid mendia ndum, vel petendum.

V. IAm quid petendum ſit, aut mendicandum dicemus, de quo Gerſon tradit, quod quiſque debet ſuas neceſſitates perpendere, & ſuper eis auxiliũ expetere. Inſuper poterit quiſq; ſecundum ſeptem dies ſeptenas aſſumere vitiorum, & virtutum, donorum & beatitudinũ &c. vt infra habentur, & pro eis, vel deuincendis, aut obtinendis, per ſeptem Dominicæ orationis partes à ſingulis ordinibus Sanctorũ orare. Et quiſquis in ſuis votis audiri volet, quiſquis cupit, vt Deus & ſancti, ſui miſereantur; miſereatur & ipſe miſerorum, non ſolum pro ſe; ſed & pro aliis magni huius hoſpitalis aut purgatorij carceris miſeris, Deum & ſanctos orans. Crebrius enim (iuxta plures) vtilius pro aliis, quàm pro ſe orat homo, vt Gerſon latè declarat.

MEMBRVM IV.

De modo generali & facili mendicandi.

VI. NVnc poſtremo de modo mendicandi videndum, quo ignorato, parum proderũt iam præmiſſa. Et primum præmittimus modum generalem, omnibus facilem, deinde ſpecialem. Facilem dixi modum mendicandi; nam poteſt fieri deſiderio ſolo: Et quid quæſo cuique tam facilè, quid tam, quàm deſiderare, ad manum? Facilis ergo mendicandi modus. Sed obſident latrunculi viam, & fit eorum infeſtatione graue, quod factu facillimum erat. Sed vt hos euadas, deſiderare oportet,

Vtiliter, Tantum ſalutaria, Dei voluntati placita petendo:
Efficaciter, Vehemẽter hinc intendendo, alia ſecludendo:
Perſeuerãter, Longanimiter effectum verum expectando.

De quibus tribus plenè, & pulchra ediſſerit Gerſon in *de mendicatione*. Et vt ad taliter deſiderandum homo perueniat, oportet vt modos, conatus, quibus pauperes & miſeri vtuntur, diligenter inſpiciat. Vnde & venerabilis ille Parrhiſienſis Epiſcopus dicere ſolebat, Trutanni (inquiens) pauperes & captiui me Deum docuerunt exorare, & mendicare à ſanctis. Quorum qui mores ſcire deſiderat, tractatulum Gerſonis præſcriptum legat. Benè igitur atque intenſè deſiderare, eſt vehementer & efficaciter loqui, & vtiliter mendicare. Cuius ſunt varij modi, vt Gerſon vbi ſupra demonſtrat. Nulli igitur ab hoc exercitio tergiuerſari licet, quod in ſolo deſiderio conſiſtit. Sed ad limitatam mendicandi formam pergendum.

Mat. 6. VII. *Sic orabitis*, dicebat Saluator. Tacto modo mendicationis in genere, determinatius de eo proſequendum in ſpecie & practicè. Pluribus enim nihil, niſi quod otdinatum eſt, placet. & qui vult exaudiri, oportet eum efficaciter petere: Non quo Deum, qui immutabilis eſt, mutet; ſed quo ſeipſum excitet & prouocet ad deuotionem. Vnde ſine contrario laborat intentio ſpiritualis & ſæcularis oratoris: Sæcularis enim oratoris ſæpe finis eſt immutatio eius qui oratur; Spiritualis autem oratoris finis immutatio eſt orantis; vt ſcilicet compunctiuis verbis ſe compungat, & alijs potentibus verbis ſe idoneum faciat ad excipiendũ quod orat. Hinc liquet (vt etiam Guilielmus Parrhiſienſis teſtatur) quod plurimum valeat habere modum certum & deuotum, & compunctiuum, quo homo moueatur, & gratiæ diſponatur. Vnde poterit (qui meliorem praxim non habuerit) his procedere viis & gradibus.

Præparet & captet, narret, poſcat, quoq; firmet.
Obſecret, hinc gratus, commendans, offerat inde.

His inquam viis & gradibus noſter mendicus procedat, & tanquam ſpiritualis orator, coram ſummo Deo, ſpectantiumque concione beatorum omnium, ſuas cauſas peroret. Quorum in conſpectu qui dignè exorauerit, verè magnus orator dicendus. De quorum nunc graduum proſequutione agendum eſt paucis.

§. I. *Præparatio.*

ESt itaque præparatio primus gradus: Qui enim dignè orare volet, oportet vt ante ſe orationi coaptet, iuxta illud Eccleſiaſtici 14. *Ante orationem præpara animam tuam.* Eſt autem hæc præparatio, qua ſe homo orationi parat,

Scilicet	Excitando mentis torporem,	per	Inductiuorũ cõſiderõnẽ.	VIII,
	Expurgãdo peccatorũ fętorẽ.		Cordis compunctionẽ.	
	Aſcendendo habitacula SS.		SS. contemplationem.	

IN PRIMIS, quoniam tardi ad omne bonum ſumus, & plerique calcaribus, ſtimuliſq́, opus habemus: Oportet quod ſe homo *excites* per profundam inductiuorum conſiderationem, & ſuiipſius acrem cohortationem: Quemadmodum faciunt venerabiles Anſelmus & Gerſon, qui ſic ſe excitando, vt in plurimnm inchoant ſuas mendicationes. Et qui ſe in hoc membro dilatare volet, ille locos deliberatiuos, exhortatorioſque, ſupramemorataque inductiua omnia adducere (& hoc acriori ac vehementiori quodam dicẽdi genere per modum exſuſcitationis) poterit: vt infra in exemplari patebit.

SECVNDO oportet anima iam exſuſcitata & excitata, vt ſe à peccatis expurget, vt dignè coram Sanctis appareat; ne tam Sanctorum indignationem; quam ſuarum precum exauditionem aſſequatur. *Non enim ſpecioſa laus in ore peccatorum.* Eccli. 15. Debet ergo anima ſeſe ſuper ſe reflectere, & in via purgatiua ſe exercere, ſuper præteritis peccatis dolendo, cautelam futuris indicendo, propoſita innouando.

TERTIO, vtcunque depurata, debet ad

Sanctorum habitacula aſcendere per eorum contemplationem,certum Sanctorum ordinē eligendo , vnde velit mendicare & illorum magnificentiam , beatitudinem & pietatem meditari: vt ad deuotionem & fiduciam poſſit animari. Quod vt melius poſſit , proprium Angelum (vt venerabilis Gerſon docet) ductorem inuocare debet:vt eum ad Sanctos deducere velit . Qui & ſuper hoc deuotam orationem ad proprium Angelum, in ſuo de mēdicitate ſpirituali confecit, quam homo ſemper præmittere poſſet. Et poſtquam per hæc homo fuerit diſpoſitus , poſtquam quo volet fuerit per Angelum deductus, debet ſe à lon-
Luc. 18. gè,publicani inſtar, valde ſe humiliando collocare,& panem propter Deum petere, exordiendo à gradu ſequenti.

§. 2. *Captatio beneuolentiæ.*

Quæ vt ſimpliciter dicamus
IX. Fiet { Sanctos reuerenter ſalutando,
Magnificè commendando,
Tete profundè humiliando.
Et vt { Attenti,
Dociles , } ſint orando.
Beneuoli }

His enim modis,vt in plurimum ,Anſelmus in ſuis meditationibus , Gerſon & alij in mendicationibus ad ſanctos beneuolentiam captant & exordiuntur . Imò dicit Guilielmus Parrhiſienſis in ſua Rhetorica diuina,quod nulla via fauorabilius, aut in conſpectu Dei & ſanctorum gratioſius exordiri poſſit orator ſpiritualis ſuam orationem; quàm ſi à ſtupore & confuſione, à timore & dolore iniuſtitiæ ſuæ, extollentia & laude ſanctorum incipiat, & ordiatur; Immo latius ibi deducit, quod nulla ex parte reorum & peccatorum poteſt materia inueniri,quæ magis attentos,beneuolos, propitióſque ac fauorabiles efficere valeat auditores,quam propriæ vilitatis depreſſio,& magnifica commēdatio ſanctorum. Et qui in hoc gradu volet commorari, ille poterit ex ſæculi rhetoribus locos generis demonſtratiui,locos item exordiorum omnes accommodare; ita vt in hoc gradu non beneuolentiam ſanctorū captare modo , ſed & attentos & dociles eos reddere poſſet:vt in ſuis meditationibus agūt Doctores præmemorati . Patet ergo , quod magna ſit copia commorandi in gradu iſto. Et ſuadet deuotiſſimus & expertiſſimus ille Guilielmus Parrhiſienſis in Rhetorica diuina, vt loci iſti in libris artis illius videantur. Vtile ſiquidem eſt vti iſtis, nō quo tam ſanctos reddamus dociles,beneuolos aut attentiores; ſed vt nos noſtræ ſimus orationi intentiores , & per huiuſmodi deuota verba nos magis orationi coaptemus, & efficiamur deuotiores. Sequitur gradus alter.

§. 3. *Narratio miſeriæ.*

Qua ſcilicet,vt facilius ſanctorum in te inflectas miſericordiam,narres & exponas tuam miſeriam,exponendo,

Quam ſis { Miſeriis plenus, X.
Hoſtibus multis obſeſſus,
Omni auxilio deſtitutus, & ergo dignè miſerendus.

Et eſt copioſiſſima commemorandi materia ſub ſingulis membris. Sub PRIMO enim membro poteſt homo exponere, *vel miſerias generales*,iuxta modum Bonauenturę in *paruo bono ſuo* ;vbi docet deplorare miſeriā de præterito, præſenti & futuro . *Vel* poterit homo narrare *miſerias ſpeciales* , iuxta ſcilicet alicuius miſeri in ſpeciali ſimilitudinem &c. ſcilicet vt reus & captiuus, nunc inſtar mendici egeni & pauperis; nunc vt æger & infirmus, & aliis variis modis, ſecundum ſeptem affectus coaptatos ſingulis diebus,poſitos in ſacramentali ſupra. *Vel tertio* poteſt homo exponere *miſerias ſingulares*,ſecundum eas ſcilicet, quibus quiſque maximè infeſtatur paſſiones: Exponendo ſcilicet quam ſit omni vitio plenus,omni virtute deſtitutus,& quantis afficiatur paſſionibus,& ſic hic occurrit omnis illa materia de vitijs & virtutibus,ex ſeptennis & arboribus, de quibus infrà.Patet ergo quanta ſit copia membri huius, ita quod nulli iam ſit, quod immorari neſciat in mendicando,cauſandi locus.

ET vt hæc miſeriarum narratio affectuoſius & compunctuoſius fiat , vtque amplior commorandi copia miniſtretur: poterit hic mendicator vti locis conquæſtionis aut commiſerationis; quos partim in rhetorica ſua ad Herennium Tullius; latius autem & plenius , exemplariter pariter & definitè ſuper threnos Hieremię exequitur venerabilis ille Gilbertus Altiſiodorenſis,qui in Gloſſ. ordinaria vtcunque tanguntur.

Porrò & ſub SECVNDO gradus huius membro,non multo minor meditationis copia offertur ; vbi poterit homo exponere hoſtium ſuorum multitudinem & varietatem, eorum item inſidias , nequitias & feritatem,& huiuſmodi alia complura. Hoſtes autem iſti ſunt caro , mundus , diabolus, de quorum paſſim agitur tentationibus . Sed vt hoc membrum concitatius dicatur : & ſua copia non fraudetur , poterit hic homo ſe dilatare locis indignationis,quos idem Gilbertus ſuper threnos aſſignat . Locis quoque amplificationis vel exhortationis, quos & Tullius vbi ſupra deducit.

PRO TERTIO etiam membro gradus huius ſuppetit copia multa, vbi homo explanare habet omnem nihileitatem & deſtitutionem ſuam,quæ ex multis (vt Ioan. Nyder docet) deduci poteſt,& vt affectuoſius ea explanetur, poterit homo vti locis generis lamentatiui, & explanandi doloris,quos Goffredus in poetria ſua noua tangit ſub apoſtrophæ ſpecie, deplangens mortem Richardi: Et Anſelmus in deploratione virginitatis . Multa itaque eſt copia gradus huius. Sub quo etiam homo vti poterit locis criminalis defenſionis , quæ fit (vt Tullius docet) aut per remotiuam tranſlationem,comparationem, conceſſionem criminis . Itémque confutatione omnium obiectionum aduerſariorum , cum retorſione in aduerſarios ipſos, vt Anſelmus, Gerſon, &

Guilielmus Parrhiſienſis in ſuis meditationibus docent, vt ex illis exemplificare poſſemus; ſed non eſt noſtrum Rhetoricæ hic artis tradere inſtruméta. Sat nobis eſt vel occaſionem adminiſtraſſe ſtudioſis, vt ipſi ſanctorum inſtar, & ſe per hæc dilatare poſſint; aut ſaltem intelligere modos ſanctorum in ſuis meditationibus, ſermonibus & ſcriptis.

Hoc quoque adhuc pro deuotis annectendum eſt gradui iſti, quod (vt Guilielmus ac Gerſon) miſericordiam quærentibus ſaluberrimum ac neceſſarium eſt, miſerias ſuas non narrare, & exponere ſolum; ſed etiam clamare in aures miſeratorum, & exaggerare atque aggrauare eas, quantum veritas & conſcientia permittunt. Eo enim meliorem coram Deo & ſanctis facimus cauſam noſtram, quo purius & ſincerius noſipſos condemnamus, aut condemnandos profitemur, nullam excuſationem prætendentes: vt pulchrè memoratus declarat Guilielmus, exemplo mendicorum, quorum intolerabilis (vt ait) eſſet amentia, ſi paupertatem & miſerias ſuas occultarent, & ſi quæ habuerint bona oſtentarent; ſic in ſpirituali noſtro mendico. Vnde habet diutius cõmorari hic in deploratione miſeriæ. Poſtquã ſequitur gradus quartus.

§. 4. *Oratio, ſeu imploratio diuinæ miſericordiæ.*

POſt enim expoſitam miſeriam, imploranda eſt Dei, & ſanctorum miſericordia.

XI, Orandũ eſt autẽ { Humiliter, Fideliter, Inſtanter, } pro { Venia, Gratia, Gloria autẽ pro õni neceſſitate remouenda.

Conditiones autem, & orationis requiſita, ſiue inſtrumenta, paſſim traduntur à Doctoribus in ſermonibus & libris; vnde non illis immorãdum eſt nobis. Vnum hoc dicimus, quòd is efficacius orat, qui magis compunctus eſt & affectus, ad quod potiſſimum contendendum. *Omnis enim virtus orationis in affectibus verſatur pietatis*, quibus qui volet abundare, induat affectus mendicorum & pauperum, & eorum ſtudeat mores imitari. Nam Trutanni & mẽdici, Guilielmũ Parrhiſienſem (vt ipſe fatetur) docuerunt mendicare. Et vt in hoc gradu diutius quis commorari, compunctéque magis & deuotius poſſit orare, valde prodeſt noſſe locos orationum. Quorum quattuor aſſignat Auguſtinus Dathus, & comprehenduntur hoc verſu,

XII, *Vtilitas, pietas, minor haud tibi, reddere ſpõdes.* Hoſt eſt, *primus* orationis locus eſt vtilitas, puta ſi dicamus, id, quod oramus, vtile & neceſſarium, & ab ipſo, quem oramus, ſperandũ ſolum. *Secundus*, ſi allegemus pietatem eius, nulli negatam; ſed eum omnibus miſereri ſolitam. *Tertius*, ſi id, quod petimus, paruum, illique facilè oſtendamus, & in nullo nociturum ſibi. *Quartus*, ſi promittamus vicem, quod grati eſſe velimus, & eius meminiſſe ſemper.

Sunt & alij, alios aſſignãtes orationis locos, faciles & vtiles exercitatu, vt ſunt iſti.

Vis noſciſq; potes debes ſolitus, quia tu ſpes.

Primus locus eſt à velle. Volunt enim ſancti Dei quod bonum eſt, & Deo gratum, conforméſque ſunt voluntati diuinæ, qua vult omnes homines fieri ſaluos. *Secundus* eſt à noſſe. Omnia enim ſciunt, quia crebrius egerunt, & ſciẽtem omnia vident. *Tertius* eſt à facultate & 1. Thi. 2,
poſſe: Voluntatem enim timentium ſe faciet Dominus. *Quartus*, à debere, & hoc multiplici iure, tum Dei volentis; naturæ, omnes inſtigantis; amicitię, iuſtitiæ, & miſericordiæ perſuadentis. *Quintus* eſt à ſolere, Similia enim vel maiora fecerunt. *Sextus* ſperare, quia ſpes omnium in eos locata. Dicendum ergo eis: Si renuitis quis tribuet? Vos eſtis vnica ſpes, grandis in ſingulis his locus eſt commorandi, & qui volet, per hæc valde prolongare orationem poterit. Singula enim plura ſub ſe cõplectuntur, vt patet in libris Rhetoricę artis. Scilicet ſi exaudiri velimus, efficacius omnem orationem ſtabiliamus. hinc ſequitur,

§. 5. *Confirmatio.*

EST noſtrę petitionis cum argumentorum adductione ſtabilitio: Stabilitur & confirmatur oratio, nunc, XIII.

Per { Probationum ſpecies, Argumentationes varias, Rhetoricorũ locorum allegationes. } Quib⁹ oratio { Probatur. Stabilitur. Confirmatur.

Grandia ſunt hęc copiatum organa, grandiſſima per hæc offertur commorandi copia; adeò quod non facilè deficere in orando poſſet, qui in his exercitatus eſſet. Sed longum eſſet nimis deducere hæc ſingula. Qui hæc ſcire, & intelligere volet, ex libris rhetoricæ artis hæc inquirat: Vbi inueniet, quod ſpecies probationum dicuntur partes exornationis, aut etiã argumentationis, vt ſunt probationes ab exẽplo, à ſimili &c. Ibi quoque inueniet, quod decem ſunt, & traduntur argumentationum ſpecies: vt ſunt diuiſio, expolitio, ratiocinatio, ſubiectio &c. Locos Rhetoricos autem, qui noſſe volet, ille tractatum venerabilis Engelberti Leydenſis legat, qui ſub verſibus exemplariter ſatis eos tradit. Sunt autem loci iſti, *nomen, natura, conuictus, fors habituſq;* & huiuſmodi multi; Quorum notitia eſt vtilis multũ, tum ad commorandum, & ad orationem confirmandam; tum ad ſanctorum orationem & ſermones, quomodo in eis commorati ſunt intelligendum. Nullus enim locorum horum ignarus, aut Rhetoricorum inſtrumentorum inſcius, intelligere ad plenum poterit, igaitiſſimas illas, pariter & efficaciſſimas orationes Guilielmi in ſua Rhetorica diuina; Meditationes item Anſelmi & Gerſonis. Procedũt enim omnes hi locis & inſtrumentis Rhetoricis iſtis. Sunt confirmationes locorum huiuſmodi inter alia potiſſimum ad duo (iuxta Guilelmum Parrhiſienſem) peruciles; videlicet ad faciendum fidem de impetrando, quod petitur, & ad firmandam fiduciam de obtinendo petito: Quæ duo petentibus ineſſe debent, ſi exaudiri velint, iuxta illud Iacobi Apoſtoli, Iac. 1.

Poſtulet

Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans, imò ſacram Scripturam à Spirituſancto dictatam ad liquidum intelligere poterit nemo; niſi vtcunque imbutus rhetoricis inſtitutis. Eſt enim omnis Scriptura plena rhetoricis inſtrumentis: vt partim in 4. de doctrina Chriſtiana tangit Pater Auguſtinus. Satis igitur conſulendum eſſet ſtudioſis, vt ſe aliquantulum dederent his ſciendis, & *ſtuderent inſtrumenta vanitatis in vſus vertere pietatis*, iuxta Domini præ-
Exod, 12. ceptum, quo ab Iſraelitis iuſſit ſpoliari Ægyptum, vt forſan pleſſius infra erit dicendum. Iam enim (ne confundamus deuotionis exercitium) ad ſequentem gradum migrandum. Quia igitur Dominus Iob penultimo ait. Non parcam Behemoth verbis potentibus, & ad deprecandum compoſitis, ne noſtræ confirmationes repellantur, ſequitur gradus.

§. 6. *Obſecratio*.

Qua ne noſtræ preces, atque precum confirmationes repudiëtur, per ſacra obteſtemur, obſecrando,

XIV. Scilicet per { Dei miſericordiam, attributa, & voluntatem.
Chriſti myſteria, & ſanctis impenſam pietatem, vt exaudiant.
Pietatis eorum viſcera, & debitam charitatem. }

His enim atque huiuſmodi obſecrationibus efficaciter exercitis, ſancti poterunt denegare nihil. Et ideo venerabilis Ioannes Gerſon ſororibus in Epiſtola ſcribens, ſingulariter docet eas his modis obſecrare, & potiſſimum per Dei voluntatem obteſtari; vt ſcilicet ſanctis mendicando dicant, quia à Deo miſſæ ſint ad ſanctos ad petẽdam eleemoſynam gratiarum. Nec enim inquiens falſum dixeritis: Sine enim Dei inſpiratione aliquem ſanctorum deprecari velle, ſeu voluntatem habere non poteſtis. Poteritis igitur (ait) audacter ſanctum alloqui dicentes, Ex quo igitur Dei complacet voluntati, vt te ſanctum exorem, non licet te refutare me, quem Deus ad recipiendam eleemoſinam gratiarum miſit ad te. Grande enim dedecus, indecenſque eſt multum, vt neget, & parcus ſit ſeruus; vbi Dominus dare voluerit, & fuerit largus. Da ergo eleemoſynam gratiæ propter voluntatem Dei &c. Et eſt etiam iſte gradus ſatis ad commorandum copioſus. Poſſunt enim hic ſancti admoneri & obteſtari, per relucentia in eis Dei attributa, quæ ſunt multa valde, vt poteſtas, ſapientia, miſericordia. Per Chriſti item omnia myſteria, quæ etiam ſunt valde numeroſa, vt Conceptio, Natiuitas, Vita, Paſſio, &c. Itémque per omnia illis à Deo præſtita miſericorditer, ac per pietatis eorum viſcera: Quatenus ſcilicet, (vt præmemoratus Ioannes Gerſon docet) commoneantur omnium pietatum, quas in vita, aut poſt mortem exercuerunt, & per eas obſecrentur. Patet ergo quanta ſit & copia gradus huius. Sed qui volet exaudiri, gratias oportet agat de ſuſceptis: Sequitur ergo gradus.

§. 7. *Gratiarum actio*.

Qua vt citius audiaris, gratias agas ſuper exhibitis. Gratias autem ſanctis agere debes pro eo

Quòd dignati ſint { A te alloqni & orari:
Spem exauditionis infundere.
Crebrius ſuccurrere, & conſolationem immittere. }

Quomodo autem gratiæ agendæ ſint, & quibus locis hic vtendum, iam eſt ſupra dictum. Vt tamen nec hic copia deſit, nota, quod dictus magiſter Engelbertus hos tradit gratitudinis modos & locos, ita dicens verſibus iſtis,

Si ſuper exhibito facto vis dicere grates,
Factum conſtitues, quantum potes amplificabis,
De poſt, & facto grates magnas redhibebis
Dic igitur magnum, mirabile, ſiue nouatum
Quod tibi ſit factum, vel monſtres eſſe neceſſe:
Vt grates referas ſi vis probus ipſe putari.
Itémque,
Si tibi præſcriptus non complaceat modus vnus
Iſtum non reprobum modulum ſectare ſequẽter
Oſtendes primo, quod oportet dicere grates
Dona propinata tum verbis amplificabis,
Poſtremo meritas ibi danti dicere grates
Dic, non ſis parilis, extollas, dic memorabis.

Ecce hi ſunt gratitudinis loci, quibus hoc in gradu homo poterit ſe dilatare & commorari. Et poſt hunc ſequitur gradus.

§. 8. *Commendatio*.

Qua iam fiducia concepta effectum tuæ mendicationis fiducialiter ſanctis ipſis committas, tetéque ipſis fidens ſubmittas, tãquam pijſſimis, potentiſſimis, XV.

Fideliſſimis { Cõmẽbris, Patronis, Depoſitarijs, } Qui { Volunt, Poſſunt. Debẽt ſuccurrere nobis. }

Et verè fidenter eis nos ſubmittere debemus, quoniam magis ipſi ſolliciti ſunt noſtri, quam noſmetipſis. Magis & tenerius amant ipſi ſuos cultores, quam amantiſſima mater quæpiam filium vteri ſui. Et ſi ipſi pro nobis, quis contra nos? Fixa enim ſententia eſt, quoniam *voluntatem timentium ſe faciet Dominus*. *Et deprecabitur in Sanctis ſuis, & benedicti erunt quos benedixerunt illi*. Et verè volunt & debent benedicere & fauere nobis. Et hoc, Pſal. 144. Pſal. 134. Num. 24.

Propter { Deũ, Seipſos, Nos, } quia { Eſt eius voluntas, cui cõformes eſſe debẽt.
Eorũ eſt vtilitas, quia non conſummabũtur ſine nobis.
Exigit affinitas, cùm fratres & proximi eorum ſimus. }

Os ſcilicet de oſſibus eorum, & de carne caro, vnius filij Patris. Gen, 2.

Postremo, vt acceptum ſit Deo, & ſanctis meditationis tuæ exercitiũ, illud in vnione ſtudeas offerre Dominicarum orationum omnium. Et per ſanctorum ſuffragia accedes ad Dominum Deum, orando à ſanctis petita:

vt vene-

vt venerabilis Gerſon ſuas docuit ſorores, & exemplificauit in Rhetorica ſua diuina Guilielmus Parrhiſienſis. Hæc paucis de modo & gradibus ſpiritualis mendicitatis. Et vt tam vtile exercitium ſuo fructu non deſtituatur, ſubnectetur circa huius operis finem, exēplar pariter & exemplum, omnes præmemoratos locos, rhetoricæ q̄ue artis inſtrumēta complectentes, quod & deuotis pariter & ſtudioſis non erit infructuoſum.

MEMBRVM V.

De modo Sanctorum feſta terminandi.

XVI. CVm *conſummauerit homo, tunc incipiet.* Eccli. 18. *Septem diebus feſta celebrabitis.* Iam poſtremo vbi viſum eſt, quomodo ſanctorum feſta inchoanda & proſequenda, videndum eſt de modo ea terminandi. Pro quo notandum iuxta celeberrimum Leonem Papam, quod quamuis feſta nos tranſeant tempore; non tamen animo tranſire debent: Nam & ob illud; ſed & propter alias cauſas, octauæ celebrantur: Vnde verſus,

ſunt octauæ ſuppletionis. item ſignificationis. myſticationis.
Supplent, ſignificant, ſignant,
deuoti. præfigurationis.
votique futuri.

Et ſunt hæ octauæ dum fuerint deuotè tranſigendæ. Quando verò non fuerint, aut certè in feſtiuitatum earundem fine, mox coli reincipi debent. Et hoc per conſequentes gradus, qui continentur hoc verſu.

Poſt veniam poſcas, gratus ſis, offer & omne.

Debet enim fieri
- Veniæ poſtulatio, quia
  - Irreuerenter,
  - Negligenter,
  - Imperſeueranter
  - } Feſtum peregiſti.
- Gratiarū actio, quod
  - Solemnitati interfuiſti.
  - Beneficia ſanctorū percepiſti.
  - Spē gloriç perſenſiſti.
- Oblatio qua
  - Tua obſequia
  - Sanctorū merita,
  - Tua propoſita
  - } offeres Deo.

Sic oportet quod feſta noſtra terminemus; ſi aliquem ex eis fructum hauriemus.

BREVE enim eſt & modicum, quod nos celebrando agimus, totum imperfectum & obſcurum, quod nos recolimus. Vnde & omnia noſtra feſta non ſunt, niſi veræ feſtiuitatis quędam præambula; quare etiam oportet, vt ſuppleat humilitas verę confeſſionis, quod minus in eis oſtendimus deuotionis. Qui his exercitijs, hoc pacto ſanctorum feſta perageret, eorum indubiè patrocinia perſentiret, ſicut frater ille, de quo venerabilis ille Ludolphus Carthuſ. de Argentina narrat in prima parte vitæ Domini, qui & ſolerter pijs exercitijs, & ſanctorum feſta præueniebat, deuotè excolebat & exequebatur deuotius: Quare & in omnium ſanctorum feſto deceſſit, & poſt obitum omnibus ſe ſanctis aſſociatum reuelauit. Quis non iam omni, qua poterit, deuotione hæc trāſitoria feſta celebrabit, vt ad æternum illud feſtum attingat? O feſtiuitas feſtiuitatum, vbi homines & Angeli congregati, pariter Deum laudant trinum & vnum. Fœlix cui ad te peruenire fuerit datum.

Aliud exercitium de ſanctis videatur in parte ſecunda.

TERTIA DISTINCTIO PRINCIPALIS, DE EXERCITIIS INTERNIS, ET REFORMATIONE MENTIS.

PROLOGVS.

I. 1.Tim. 4. *CORPORALIS exercitatio ad modicum vtilis eſt, pietas ad omnia valet.* Paulus, Bernard. *Prorſus ſic eſt: Sed pietas ad omnia valet. Eſt autem hæc pietas Dei cultus, qui in interiore homine conſiſtit, cuius pietatis non dico formam, ſed veritatem in omnibus, & præ omnibus promiſit habitus veſter, & propoſitum requirit. Hanc quicunque veſtrum non habet in conſcientia, non exhibet in vita, non exercet in cella, aberrat.* Omnes enim Sancti Deo placere cupientes, magis ſe in interiore homine, quàm in exteriori exercuere: Omnis enim (teſte eodem) cura Sanctorum, ſpreto exteriori cultu hominis, omni ſe diligentia præbet & occupat ad interiorem hominem (qui ad imaginem Dei eſt) excolendum. *Certi enim ſunt Deo non poſſe eſſe quicquam acceptius imagine ſua, ſi proprio fuerit reſtituta decori; Sed & nullum dignius & vtilius eſt exercitium homini, quam in eo, quod melius, & in quo cæteris præeminet, quod eſt mens vel animus exerceri.* Hæc ille. Cùm igitur tàm ſit Deo gratum, tam nobis vtile & dignum, in internis viribus exerceri, plurimumq; neceſſe; adeò vt cætera exercitia parum valeant ſine iſto: poſtquam in ſuperioribus diſtinctionibus egimus de exercitijs externis, id eſt certis locis & temporibus annexis; iam agendum eſt in hac diſtinctione, de ordinatione interna; ſcilicet qualiter quiſque erga interiorem hominem debeat ordinari. Pro quo notandum, quod ad ordinationem hominis interioris pertinet.

Et {
- Tentationibus viriliter reſiſtere.
- Vitijs eradicatis, virtutes inſerere.
- Vires animæ reformare.
- Sic viribus reformatis Deo adhærere.

II. Eccli. 2. Ad primum hortatur Sapiens: *Fili, inquit, accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem:* Et poſſet ſuper his tentationum remedijs ſingulare capitulum ſcribi; ſed tanta ſunt ſcripta, vt noſtro labore non egeat. Scripſit plena Dionyſ. Carthuſ. de remedijs tentationũ;

ſed

ſed & alter ordinis eiuſdem in Paradiſo conſcientiæ ſuæ, ſingularum tentationum remedia ponit, & alij complures, & infra in profectu agitur de iſtis. Ad virium quoque reformationem Apoſtolus exhortatur, dicens Epheſ. 4. *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem*, &c. De quarum reformatione, licet plura ſint ſcripta, præcipuè tamen & ſingulariter plurimumque ordinatè, de hoc egit Dominus Gerardus Zutphaniæ, in ſuis de Reformatione virium animæ, vulgo intitulatis, *Homo quidam.* Itemque *Beatus vir*, qui & *De ſpiritualibus aſcenſionibus* intitulatur: Quorum librorum qui ſe ſtudiis & exercitiis accommodaret, facilè Deo auſpice viribus fieret reformatus. Scribit enim & Vmbertus in De eruditione Religioſorũ, de hac reformatione, vnde nil à nobis agendũ, potiſſimũ cùm infra in profectu plurima habentur. Porrò de eradicandis vitijs, & inſerendis virtutibus, omnes libri ſunt pleni. Vnde nil duximus dicendũ, niſi tantum exercitatorio & practico modo; quomodo ſcilicet nos exercere in his debemus. Hoc vnum exhortantes, quo libri præſignati, in quibus de exercitiis agitur internis, ſtudeantur & exercitentur. In illis enim viuitur, & in
Eſa. 38. talibus virorum ſpiritualium vita conſiſtit. Ita quod qui illis omiſſis ſalutaribus ſtudiis atque exercitiis internis, verè mortuus eſt, tametſi viuere videatur foris. Mortuus enim ille eſt, qui vitales operationes nullas exercet: Et hi foris effuſi totos ſe mancipant externis; ita vt vix ſciant ſi ſit interior homo. O tenebras, ô errorem! Tantum dum compleant quæq; externa, ſalua ſibi æſtimant vniuerſa. Sed non ſic, filij hominum, non ſic, duplicibus oportet eſſe veſtitos, id eſt tam ſpirituali quam corporali exercitio decoratos. Spiritualiaq; primum locum vendicare oportet. Hęc enim opor-
Mat. 23. tet facere, & illa non omittere. Vnde Dominus Ioannes Scoenhouiæ hunc ordinem dat exercitandi: Primum principaliter internis intendendum, deinde actus internis adiuncti, magis frequentandi, cuiuſmodi ſunt Pſalmus, oratio vocalis, exercitium diuinum: Tertium locũ tenet exercitium ſtudij ſanctarum Scripturarum: Poſtremum locum occupat opus manuale. Hęc diximus per exceſſum, ad deſtinatum redeundum.

TITVLVS

TITVLVS DVODECIMVS.

Deſtructorium vitiorum. Ponuntur inductiua ad euellenda vitia.

CAP. I.

N*On inibis cum gentibus fœdus, non habitent in terra tua, ne forte peccare te faciant in me, ſed deſtrues eos, & confringes ſtatuas eorum.* Exod. 31. PER SEPTEM has gentes, quas Dominus funditus ſubuerti, & deſtrui, & demoliri crebrius iubet; vniuerſitas vitiorum (vt fida Patrum expoſitio tradit) deſignatur. Cum igitur Dominus gentes has de terra deſtrui iubet; non niſi vitia de animæ viribus præcipit exterminari. Quod licet omnibus iubeatur; potiſſimum tamen filijs Iſrael de Ægypto in deſertum egreſſis; id eſt Religioſis mandatur, Hi enim præ cæteris in ſubuerſionē vitiorū niti habēt, ob plurima inductiua, quæ ipſi prę cæteris tenent, ſcilicet,

Officium, finis, placitumque opus, vtile, ſuaſum,

PRIMVM & præcipuum Religioſorum excitatiuum ad vitiorum eradicationem eſt, quia proprium eſt officium eorum; quod niſi impleant, à recto degenerant. De quo Anſelmus in de ſimilitudinibus rerum dicit: *Monachus, Sacerdotis. & Regis officium gerit, quod eius corona, capillorumque tonſura demonſtrat:* Obſeruat. *Officium autem Sacerdotis erat in lege diuerſa pecora mactare: Monachi autem officium* debet eſſe, leonem ſuperbiæ; aprum crudelitatis; lupum rapacitatis; taurum feritatis, vulpem aſtutiæ; hircum immunditiæ; glirem ſomnolentiæ; equum, & mulum luxuriæ; aſinum pigritiæ, omniaque beſtialia vitia occidere, & litare. Regis autem officium eſt proprium regnum regere; hoſtes inde propellere; ne iuſto iniuſtus iniuriam inferat prouidere; depreſſis malis, bonos exaltare, & huiuſmodi. Sic Monachi officium hoc erit, vt ſuæ mentis regnum regat; & corporis, & animæ omnia vitia expellat: ne malus appetitus bono reſiſtat; ſed vt bonus malum ſemper ſubijciat, conari. Quod & ipſum omnis vult habitus Monaſticus, vt illic declarat, Si igitur hoc Monachorū officium eſt, imo quia eſt; ſupereſt, vt illi totis viribus inſiſtant. Alioquin niſi hoc agant, mentiuntur tota die, cum hoc habitu, vt dictum eſt, prætendant, quòd non faciūt.

SECVNDO ideo pro vitiorum extirpatione eſt laborandum, quia ad hoc omnia Religioſorum exercitia ſunt aſſumpta (puta labores, ieiunia, diſciplinæ, &c.) quatenus per hæc, tanquam per inſtrumenta, auxiliante nobis Dei gratia, paſſiones animæ reformemus, & vitia extirpemus, ſicut egregiè in collationibus Patrum declaratur. Quod ſi paſſiones, & vitia in nobis damnantur, reliqua omnia vana ſunt. Hinc dicit venerabilis ille Euſebius Emiſſenus: *Quid eſt, quod nos precioſis laboribus vigiliſque conficimus, & ea quæ maximè Dominus Ieſus à nobis deſiderat non habemus: Hoc eſt, cor mundum, & à quotidianis negligentijs liberum,* Mat. 23. *quas qui non vitat paulatim defluit, & ad maiora mala prolabitur. Illud ergo in primis habere ſtudeamus, quod Deus à nobis expectat, & ob quod cætera inſtituta ſunt, id eſt, vt vitia deuincamus, & veris virtutibus proficiamus. Hæc enim ſunt præcipua ſacrificia, hæc pinguia holocauſta, Deo placentia, quę in eius conſpectu aſcendunt.* Hæc ille.

TERTIVM inductiuum eſt, quia Deo placitum, & gratum: Hinc Bernardus, Anima, ſi vis amari à Deo, reforma in te imaginem eius, & amabit te: Repara in te ſimilitudinem ſuam & deſirabit te.

QVARTO, valde eſt neceſſarium Religioſo ad hoc niti: Niſi enim ſe à vitiorum paſſionibus expurgauerit, totus eius labor deperditus ibit. Scriptum quippe eſt, *Victima impiorum abominabiles*; Hinc ſuis laboribus non tam præmium, quam ſupplicium merebitur. Conqueritur enim Dominus de huiuſmodi per Eſaiam c 66. *Populus, qui ad iracundiam prouocat me ante faciem meam ſemper.* Prouer. 15 Eſt quoque neceſſarium huic exercitio inuigilare; ſi in cæteris actibus complacere velimus: Sine hoc enim cætera proderunt nihil. Vnde Euſebius. *Nouerimus nobis nihil prodeſſe, ſi corpus noſtrum ieiunijs, atque vigilijs affligamus, & mentem noſtram non emundemus, nec interiora noſtra curemus. Quid prodeſt afflictio corporalis, ſi linguam noſtram nequitijs & obtrectationibus polluamus? Inaniter nobis de cruce, & corporis afflictione blandimur, ſi exterior homo ſanctis laboribus exercetur, & interior à peccatis, & paſſionibus non curetur. Sic eſt, quomodo ſi quis ſtatuam faciat à foris auream, & abintus luteam. Ieiunare, & vigilare, & mores non corrigere, ſic eſt, quomodo ſi quis extra, & circa vineam extirpet, & colat, vineam autem ipſam incultam, atque deſertam relinquat, vt ſpinas, ac tribulos germinet. Quid iuuat ſi quis corpore caſtus, & mente pollutus, quem malitia deprauat, furor iracundia agitat, ſuperbia omni gratia ſpoliat? Nonne ſeipſum decipit, ac deridet?* Hæc ille. O! notentur verba.

QVINTVM inductiuum eſt, quia vtile eſt in vitiorum eradicatione exerceri: Nam ſi homo citius proficit, facilius optatum finem attingit, & veram deuotionem ſibi conquerit. Hoc autem omittens, ſtulte multum agit; vt dicitur in profectu. Plurimum enim ſtultus ille cenſendus, qui cum habeat viam compendioſam, duarum vel trium dietarum, ad locum, quo tendit; dimiſſa ea, quærit, & vadit viam diſpendioſam, difficiliorem, & periculoſiorem, itinere trium annorum, aut amplius. Sic, & ille Religioſus minus ſapiens videtur, qui cum poſſit in paucis annis ad Dei notitiam, & familiarem amicitiam, per compendioſum ſtudium virtutis, & deuotionis, & puritatis pertingere; relicto eo, occupat ſe alijs minus fructuoſis, & diſpendioſis ad id quo tendit, ſcilicet ad Dei cognitionem; & notitiam veritatis, & ſtudium perfectionis non intendit. Rurſus, ſi ſciret quis plura artificia, quorum vnum præ alijs tam eſſet

nobile, & quæſtuoſum, vt per id in breui poſſit ditari, & ſublimari vſque ad nomen magnorum, qui ſunt in terra: imprudens eſſet nimis, ſi neglecto eo exerceret aliud vilius, & ignobilius, & tanti laboris, quanti illud nobile, per quod poſſit vix tenuem ſumptum acquirere. Fatuum quoque eſſet hortum balſamiferum, ſaluia, aut zizanijs conſitum iri. Sic ſic eſt de Religioſo grandis fatuitatis, qui varijs ſe implicat, & directum iter, verum officium, frugiferum ſemen, quod in vitiorum, & paſſionum extirpatione cõſiſtit, linquit, ſpernit, omittit. *Corporalis exercitatio ad modicum* 1. Thi. 4. *vtilis eſt, pietas ad omnia valet, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt & futuræ.* Vtile quoque eſt, quoniam hominem pacatum, & virtutibus ornatum reddit, ita, quòd magis delectatur in conſcientia ſecura, quam ſæculi homines in voluptuoſiſſima vita. In extirpatione quoque vitiorum vera deuotio conſiſtit, cum cæteræ deceptoriæ poſſunt eſſe deuotiones, vt in *Beatus vir* declaratur.

POSTREMVM inductiuum, quia hoc eſt multipliciter ſuaſum. Suaſum dico Scriptura Canonica, Sanctorum doctrina, exemplati vita, à rerum natura, & ab arte, & humana induſtria. *Scriptura* multipliciter id ſuadet; dum vel *gentes extirminari* iubet, dum *vetus fermentum expurgari*, & huiuſmodi. *Sancti* quoque in ſuis ſcriptis, doctrinis, vnanimiter id ſuadent, quorum hæc vna eſt ſententia, quod in primis ethicæ; deinde theoricæ vitæ, operam dare oportet: Hoc eſt, primò expurgationi vitiorum, refrenationi paſſionum, reformationi affectuum, forti conatu ſtudere neceſſe eſt. Et ſic demum mentis oculo purgato, appetituquè ſenſitiuo moralibus virtutibus adornato, conſiderationi, & ſpeculationi eſt intendendum. Niſi enim hoc ſtudium præceſſerit, parum in ſpeculatiua quis proficere poteſt. Hoc, & eorundem *exempla* agendum eſſe proclamant, quorum hoc exercitium, & vnicum ſtudium fuit, vt victis vitijs, Deo in puritate mentis deſeruirent; quod patet in Vitiſpatrum, & in collationibus eorundem; Imò adeo huic ſtudio dediti erant, quod eorum aliqui, nec de alijs rebus ſermonem admittere voluerunt, vt patet, in eo, qui de Scriptura interrogatus conticuit: Super quo ſciſcitatus, reſpondit, *Illa de ſuperioribus eſt, & cæleſtia loquitur, ego autem de inferioribus ſum, & terrena vix loqui poſſum; Si mihi locutus fuiſſet de paſſionibus Monachorum, forſitan reſpondiſſem ei: Quia autem de cæleſtibus loquitur, ego me confiteor neſcire,* &c. Hæc ille. Proteſtantur & idipſum collationes eorundem. Rurſus vitiorum extirpationi intendendum eſſe, in primis edocet *natura*, vt pia quadam metaphora Boetius eloquitur dicens, *Qui ſerere ingenuum volet agrum, liberet arua fruticibus, Falce rubos filicemque reſecet; Vt noua fruge grauis Ceres eat,* &c. Docet & itidem humanę *induſtria* artis; dum in ægrorum curatione purgatiuam medicinam priorem obtinere locum reſpondit. Quæ quodammodo docet, & ſuadet, quod qui mente velet ſanari, in Deo delectari, in ſpiritualibus ſaporem inueniri; cordis palatum à febrilibus primum humoribus (vitiorum videlicet paſſionibus curet expurgare. Non enim ſapiunt vitioſis, quæ de virtutibus diſſeruntur; habent namque palatum infectum: Quiſquis igitur ad deſiderabilem guſtum virtutis peruenire deſiderat, vitia primum extirpet neceſſe eſt.

Accingamus itaque nos, tanta inductiua habentes, & viriliter agamus: Expugnemus gentes has, proijciamuſq; eas à noſtris terris, quo quiete, & delectabiliter noſtris fruamur bonis. Pudeat fœdæ ſeruitutis, & turpis ſegnitiei. Cur ſemper molles, & dibiles eſſe iuuat? cur ſemper cum moleſtia contra vitia debiliter agere; & non potius breui tempore inimicos ſuppeditare & exinanire ad imum (vt amplius eos non timeamus, ſed ſint tributarij nobis) contendimus? O qui puræ conſcientiæ, & depuratæ à vitijs mentis gaudia ſenſiſſet, nullum refugeret laborem, difficultatem nullam vereretur, pro ea adipiſcenda.

Vt corpus redimas, ferrum patieris, & ignem:
Vtque animo valeas nil vereare tibi.

Attende quid de Iuda ſit ſcriptum, egregio illo præliatore: Dicitur enim. Mat. c. 3. *Induit ſe Iudas loricam ſicut gigas, & accinxit ſe arma ſua bellica in prælijs ſimilis factus eſt leoni in operibus ſuis.* Hic quoniam tam viriliter, & fortiter egit, ocius hoſtes omnes proſtrauit. Accipe, & tu armaturam, perſequere inimicos, Pſ. 17. donec deficiant, viriliter age; Deus ipſe cum omni militia cæli ſe exhibet belli ſpectatorem, certamen inſpicit, præſto eſt coronare victorem. Neque corruptibilis merces dabitur; ſed immarceſſibilem accipies coronam. Aſpice in auctorem fidei, te cogita Dominũ, ne animis deficias. Non timeas, *Dominus pro te pugnabit, plures tecum, quam cum hoſtibus erunt.* Quouſque hoſtibus his ſeruus manes, 4. Reg. 6. quouſque in ſtercore reptas? Certè quamdiù iugum horum non excutis, ſeruus es peccati, mancipium dæmonis, Deo odibilis, luto vilior multo. Nam Philoſopho teſte; ſicut contemplatiuus, & virtuoſus eſt amatiſſimus Deo; ita è regione iniuſtus, & vitioſus decies millies deterior bruto. Quod ex remunerationis diuerſitate apertè clareſcit. Alter in empireo cælo; alter in abyſſo ſepelitur gehennali. Stat eſt dormitum, tempus eſt, vt fœdæ ſeruitutis excutiamus iugum.

Quod tribus medijs, vel inſtrumentis vitia propellantur.

CAPVT. II.

I*Nduite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli.* Epheſ. 6. POSITIS quibuſdam incitamentis, per quæ homo ad vitiorum extirpationem intendendum excitatur: ponenda eſt iam compendioſior, & facilior practica, qua homo, quomodo expugnare has gentes debeat, erudiatur. In qua qui ſe exercitauerit, facile de vitiorum gentibus triumphum reportabit.

Vnde

Vnde *notandum* in primis, quod tria ſunt (vt dicitur *in profectu*) quæ vitia expellunt, & virtutes operantur:

Scili.	Gratia Dei,	hæc	Virtutes infundit,
	Neceſſitas,		Intrare compellit,
	Induſtria propria,		Gratiæ cooperatur.

Sine *primo*, & *tertio* nunquam aut raro virtus; ſine *altero* ſępè. De quibus ſingulis quædam dicenda, & potiſſimum de tertio.

MEMBRVM I.

De primo medio vitiorum propulſiuo. ſcilicet Gratia.

I. GRATIA Dei quibuſdam infundit virtutes, cum modico, vel nullo propriæ induſtriæ labore; licet non ſine conſenſu voluntatis, cum abſque eo nullum ſit bonum, vt patet de Apoſtolis, & alijs. Hæc gratia nulli deſideranti negatur; ſed omni petenti datur. Hæc gratia voluntatem excitat, rationem inſtruit, roborat infirmitatem. Per hanc homo citius, pariter & facilius proficere poteſt: Vnde circa eam quiſque maxime ſe debet exercitare:
Sap.7. *Veniũt enim omnia bona pariter cũ illa.*
Exercitatur autem homo circa eam per deuotam orationem, crebram aſpirationem, iugiter pro ea orando: Et potiſſimũ obſectãdo
Pſ.22. per virtutes Domini Ieſu, quas in vita, & paſ-
Io. 1. ſione oſtendit Nam qui volet vitia deuincere; & virtutibus proficere, apud Dominũ Ieſũ, dominum vtique virtutum, oportet eas ſibi procurare, & mercari. In eo theſauri gratiarũ, *de cuius plenitudine accipimus omnes.* Qui enim *aliunde* ad culmen virtutum aſcendere niti-
II. tur, *fur eſt, & latro*, & non longe ſtabulis manebit: Ipſe enim oſtium, ipſe fundamentum, *præter quod non eſt aliud pons*, ipſe vnica medicina curatiua morborum; ſicut ſcriptum eſt,
Io 11. *Non malagma curauit eos, ſed verbum tuum Do-*
1.Cor.3. *mine.* Hinc eſt quod dicit Bernard. *In caſſum*
Sap.6. *proinde quis laboras in acquiſitione virtutum, ſi aliunde eas ſperandas putat, quantum à Domino virtutum: Cuius doctrina ſeminarium eſt prudẽtiæ. cuius miſericordia opus iuſtitiæ, cuius vita ſpeculum temperantiæ, cuius mors inſigne eſt fortitudinis.* Hæc ille. Quod & longe ante my-
Nu.21. ſticè eſt deſignatũ in Numerorum libro, vbi ab ignitis ſerpentibus percuſſi, non aliud plagarum remedium ſuſcipiunt, niſi in æneũ aſpicere anguem, & qui *percuſſus* (ait ſcriptura) *aſpexerit illum, viuet.* Et ita factum eſt. O remedium facile, ô remedium efficax ſalutis! Quid quæſo illic plagæ ſerpentum ignitorũ, niſi incentiua ſignabant vitiorum, quæ animã quam tangunt ſpiritali morte perimunt? Ser-
Nu 21. pentis enei in palo exaltatio, eſt noſtri in cruce ſuſpenſi Redemptoris paſſio: Quam qui fideliter credendo, & ſcienter imitando aſpiciũt, ab omni vitiorũ plaga ſalui fiunt. Et ob hoc rurſus Bernadus ait, Quid *tam efficax ad curandum conſcientię vulnera? nec non ad purgandum aciẽ mentis, quam vulnerum Chriſti ſedula meditatio? Quoniam in eius corde reſidebit aliquod vitium, qui conſpexerit, & exorauerit Deũ virtutum:* Idem, & Auguſtinus ſenſit cum ait, Cum inquiens pulſat me aliqua tentatio, recurro ad vulnera Chriſti: In omnibus aduerſitatib' meis, nõ inuenio tam efficax remediũ quã vulnera Chriſti; & alibi, Mirabilis eſt paſſio tua Domine Ieſu, paſſiones omnium noſtrorum propulſauit, & nulli vnquam peſti inefficax reperitur. Hæc Auguſtinus. Sed quid multas iuuat coaggerare authoritates, cum veritas ſit in palam, quod *ſolus* ipſe ſit, qui *poteſt facere mundum de immundo, concep-* Iob.14.
tum ſemine. Ipſe Iordanis, in cuius ſolius, non alterius cuiuſquam aqua, Syrus Naaman à le- 4.Reg.5.
pra mundari valet: Quo typicè ſignatur, quod non proprij exercitij inuentione; ſed in ipſius Dominicæ paſſionis deuota exercitatione, à vitijs depuramur. &c. Septies igitur in hoc Iordane immergere, qui voles à vitijs curari: Hoc eſt, *vel ſeptem* principales in Chriſto virtutes attendas, ſeptem mortalibus peccatis oppoſitas, & eas ab ipſo expetas, vt ſic contraria contrarijs cures'; *Vel ſepties* in Iordane immergitur, qui ſeptemplicem ſanguinis Chriſti effuſionem ſuis vitijs applicare nouit, vt patet ſupra; *Vel* certe is ſepties in Iordane immergitur, quod omni tempore circa Ieſum exercitatur: Septenarius enim numerus eſt vniuerſitatis. Quibus modis, qui ſe hoc in Iordane abluerit; ſine dubio (niſi aliunde obſtaculum ponat) eius mens, vt nix alba fiet.

Quiſquis igitur breui tempore, pauco labore, volet vitia deuincere, in virtutibus proficere; debet Ieſum Chriſtum fontem gratiæ præ oculis arripere, eius virtutes propendere, collatione vilificatiua ſibi applicare, & diſtantiam conqueri, & pro ea ſectanda Dominum intenſius obſecrare, vt docuit Dominus ipſam Mectheldim. Magis enim (iuxta Doctorum ſententias) orationi, quam propriæ exercitationi fidendum. Et hæc de *primo medio*, ſcilicet de gratia, quomodo per illam vitia triumphamus.

MEMBRVM II.

De ſecundo medio, ſcilicet neceſſitate, quomodo illa conuenit vti.

PORRO de altero medio, ſcilicet de neceſ- III.
ſitate, quomodo interdum per illam vitia vincuntur, hoc tamen dicimus (quod & Gerſon ſuadet) ſalutarem neceſſitatem ſibiipſi indicere, non inutile fore homini. Suadet enim, quòd, qui velit à vitijs præcauere, debet tales neceſſitates ſibi indicere, quod quotiẽs peccatum hoc, aut vitium rurſus commiſerit, ſibi certam pęnitentiam faciendam imponat; *Vel* ſcilicet, vt ieiunet, *aut* delicatiori cibo abſtineat, *aut* Litanias, aut certum quicquam legat. Huiuſmodi enim (eodem teſte) cum Dei adiutorio reperiuntur efficacia fuiſſe. Nã & ſic fieri videmus in foro exteriori publico: vt pœnæ certæ taxentur ad compeſcendum rebelles, Sic Domine, ſic *in chamo, & freno* Pſ.31.
maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te, & compelle intrare, ſi vere parum eſt Sic, quemadmodum ſupra diximus ex Poeta.

Vt corpus redimas ferrum patieris, & ignem, Lucan.
&c.

Digitized by Google

&c. Hæc neceſſitas quantũ valeat, quamq; ſit ſalutaris, plures Religioſi ſunt experti, qui ſe huiuſmodi ad omne bonum, velut calcaribus quibuſdam agunt. Videbitur forſan alijs ridiculum, ſi determinatius aliqua dixerimus de hac neceſſitate: Eſt enim ſignũ cui contradicitur à multis; ſed probent inexperti & tunc primum obloquantur. Nec imminuit neceſſitas hæc præmium, quoniam voluntaria fuit, & eſt in prima radice. *Luc, 2.*

MEMBRVM. III.

De tertio medio; ſcilicet induſtria, & in quibus conſiſtat.

D IIII. SED IAM *de induſtria* videamus, quę principaliter intenta: *Nam* (teſte Leone Papa) *quamquam Deus omnium bonorum ſit largitor noſtra tamen etiam fructum induſtriæ quærit; Non enim dormientibus prouenit regnum cælorum, ſed in mandatis Dei laborantibus, & vigilantibus, vt ſi dona ipſius non irrita fecerimus, per ea, quæ dedit, mereamur accipere, quæ promiſit.* Hæc ille. Sed & vulgo aiunt,

Dat Deus omne bonum, ſed non per cornua taurum.

Oportet ergo, & induſtriam noſtram apponi. Conſiſtit autem hæc induſtria

In { Prouida conſideratione,
Conatus labore,
Diligentia perſeuerantiæ,

Per quæ tria, adiuuante gratia, facile vitia extirpantur, & inſeruntur virtutes.

Sed (vt de poſterioribus ante dicamus) hoc notatu digniſſimum *de conatus labore*; Quod ſi hoſtibus vitiorum (vt Patres aiunt) viriliter reſiſteremus in principio, quando incipiunt nos impugnare, non ſolum non vinceremur illa vice, ſed ita etiam debilitarentur, quod poſtea rarius auderent nos impetere, & ſi impeterent facilius vincerentur, donec penitus delerentur, quod vix inſurgere auderent. Sed proh! tepidè reluctando, damus eis, & auſum, & vires, ſæpius, & acrius nos deinceps inpugnandi. Patet hoc de Iuda Machabeo, & hoſtibus eorum. Age principijs obſta, perſequere inimicos, donec cadant ſubtus pedes tuos, cum Dauid manu forti. Hæc de conatus labore. *Tota libri ſerie. Pſ. 17.*

Porrò de perſeueranti diligentia, quid dicemus? niſi vt perſtemus, & non deficiamus, alioquin non perficiemus.

Sæpe dat vna dies, quod totus denegat annus.

V. Perſeuerandum ergo, & aſſiduo ſtudio robur addendum, vt deſtinatum aſſequamur. Sola perſeuerantia eſt, quæ de vitijs triumphum meretur:

Perfer, & obdura, labor improbus omnia vincit.

Noli quæſo, noli ſoluere militiæ cingulum, niſi de hoſte habueris triumphum. Qui ſic conſtanter vitijs eradicandis inſtiterit, facile victor erit.

VI. IAM AD *prouidam conſiderationem* veniamus, quæ in hoc conſiſtit, vt homo conſideret, & diſcat modum aliquem efficacem, vitia extirpandi, & inſerendi virtutes, iuxta quẽ ſeſe poſſit exercere. Ideo enim tam parum proficimus, quia modum exercitandi non habemus, circa huiuſmodi. Inter varios autem exercitãdi modos, quos plures poſuere, is videtur efficacior, & ordinatior, quem tradit S. THO. in libro ſuo de diligendo Deo; vbi ſic ait; Cõtra omne virtutis impedimentũ ex quattuor ſimul cõiunctis, ſufficiẽs trahitur remedium.

Quæ ſunt { Meditatio,
Oratio,
Doctrina,
Et exercitium.

§ 1. *De meditatione.*

MEditatio, *quoniam enim, non intellecti nulla eſt curatio morbi,* à meditando incipere oportet. *Meditare igitur,* ait primo, *virtutis mandatum, & debitum, exemplum & motiuum, fructum & præmium, & cætera quæque; Meditare poſtmodum, tuum in virtute defectum, quam raro, & tepidè eam exerceas; Dehinc defectus cauſam meditare, cum circumſtantijs eius, Quid ſit, vnde ſit, quantum, magnum an paruum, vnum an plura, & cætera ſimilia. Quibus propria meditatione inuentis, præmiſſa oratione aliqua, hæc Deo reuela conquerendo, & deinde ad doctrinam reuertere.* Hęc Doctor Sãctus. VII.

Ex quibus verbis liquet, quod inter cęteras noſtri conatus induſtrias, primam & principalem ipſa ſibi conſideratio vendicat ſedẽ. Et probè, quomodo enim vel vitijs reſiſtemus, aut virtutes apprehendemus; niſi ante quid vitia, & virtutes ſint agnoſcamus? Nec quidem amatur bonum; niſi cognitum, nec malum incognitum vitari poteſt. Quæ quæſo remedia ægræ menti adhibebimus, niſi primũ quæ adhibenda ſint meditatione diſcamus? Neceſſe eſt igitur pręire cõſiderationẽ, quę & cauſã & modũ ſequentibus actibus imponit.

Nec exile, aut deſpicabile hoc meditatoriũ genus de vitijs & virtutibus quis dicat, exoro: Non enim eſt inane & exile; ſed grauibus eſt fructibus onuſtum, vbi digne fuerit exercitatum. Teſtimonio ſunt nobis vetuſti illi Patres & omnis legio Sacra Heremicolarum: Omnes enim hoc genus meditandi familiariter habebant, vt eorum ſermo teſtatur, & collatio omnis. Quid enim hi Deo digni, quid veri Philoſophi hi: quid putas differebant? Non vagos ſyderum conſpectabant curſus, non Ariſtotelicis pugnabant argumentis; nõ garrulas quæſtiones noſtrorũ more ventilabant, non demũ meditatio eorũ *in magnis, neque in mirabilibus ſupra ſe* verſabatur; ſed de vitijs, & virtutibus ſermo, & meditatio horũ omnis Ex quo quãtũ profecerint, quãtũ ſuccreuerint magni, qui ignoret reperitur nemo. Non dico quod ſolum de vitijs triumphauere, ſed & virtutibus replebantur cunctis. Hinc omniũ radix cuſtosque virtutũ, in ipſis humilitas (vt de cæteris taceamus) oriebatur. *Pſ. 130.*

Cuius rei Ioannes Climacus exemplũ narrat dicens: Cuidam, inquit, certatori, in corde immundi ſpiritus ſubſannauerunt; Ipſe vero machinatus eſt ex inſpiratione diuina pia circumuentione malignitatem ſpirituum vincere: Surgens quippe ſubordinauit in

muro

moro cellulæ ſuę prædicationes altiſſimarum virtutum, dico vero, charitatis perfectæ, humilitatis angelicæ, illibatæ & incorruptibilis caſtitatis,& horum huiuſmodi talium.Cum igitur illum excogitationes laudare incipiebant,dicebat eis,Eamus ad reptæhenſionem; Veniebat ergo,& diffinitiones,ſeu prædicationes, legebat, & contra ſeipſum clamabat: Quoniam iſta poſſederis,tunc cognoſce, quia longe adhuc es à Deo; Quæ ſi poſſederis, *ſeruus inutilis es, Feciſti quod facere debuiſti*: Si verò non, longinquus es à mandatis Dei.Sic omne ſuperbiæ venenum extinxit. Sic Enachim, & Goliath,Etheum expugnauit.O præclarum, & ſagax ſtudium. O nobile vincendi genus, ô cunctis imitabile exemplum:Virtutum ſola memoria, de vitijs portare tropheũ, Verum quoniam plærique,quomodo in hac meditatione ſit procedendum ignorant;ideo infra modus aſſignandus.Sed iam ad reliqua properemus induſtriæ inſtrumenta.

§ 2. *De Doctrina.*

VIII. POſtquam autem (iuxta ſanctum THOMAM)per meditationem,quantum ſibi de virtutibus deſit,agnouerit,& Deo fuerit conquæſtus; tunc (oratione tamen præmiſſa) ad doctrinam recurrere habet, & ad duplicem doctrinam. *Primo* ad doctrinam ſcriptam, quæ in libro legentis oculo obijcitur;vt ſcilicet in libris remedia vitiorum quærat, inuenta legat, intelligat,retineat,applicet, vt per ea proficiat. Et ob id tales libri ſunt ſtudendi,in quibus huiuſmodi habentur.

Sed quia (Hieronymus ait) *Habet neſcio quid latentis energiæ viua vocis actus*; & Gregorius:*collationis vox,plus quam lectionis ſermo corda tepentia excitat*; ideo à mortua pelle ad hominem viuum recurre; vbi Deum in homine conſulas. Aperi illi impedimentum, quære medicamentum.Auſculta intentè non hominem (de ſe mendacem) ſed per hominem Deum veracem, reſpondentem, docentem, conſulentem,exhortantem: Et diſce diligenter, ne ſenſu proprio, pro tollendo tali forſitan impedimento,vtaris tali remedio,de quo poſtmodum impedimenti maioris tibi naſcatur occaſio:Sicut æſtuans contra æſtum aqua ſe infrigidat, & exinde poſtea magis æſtuat. Vnde vetus & approbata hæc Patrum ſententia fuit,Quiſquis vitia faciliter vincere, non decipi, non in actibus ſeduci volet,omnia ſpiritualis Patris conſilio peragat. Videantur collationes Patrum, vbi multipliciter hoc habetur deductum.Hæc de doctrina.

§ 3. *De Oratione.*

IX. SEd vbi iam homo meditando, & ſciſcitando,quid agendum ſit,dicit: oportet,vt ſe ad Deum conuertat penitus, & gratias agens,quod meditatione illuſtrauit,quod doctrina docuit laudans, & obſecrans per datam miſericordiam, vt det exequendi iam ſcita efficaciam. *Ora igitur*(ait Sanctus THOMAS)*deſideranter,ſuppliciter,humiliter,perſeueranter,confidenter, & frequenter, vt qui mandatum dedit, interpretetur tibi canonem, quem condidit;det quod ſuffit,conſeruet quod dedit,augeat & proficiat, quod incapit, expediat impeditum; compleat incompletum.* Hæc ille. Eſt ergo exorandus Deus ; ſunt & inuocandi Sancti, & potiſſimum illa virtute vitio contraria præfulgentes, quo ſuccurrant, ne vnquam vitium hoc dominetur noſtri. Crebra pro huius extinctione emittenda ſuſpitiorum miſſilia, hoc iugiter in oratione ante oculos tenendum,Et vere, qui orando perſtiterit,quod petierit eſt accepturus. Mar. 11.

§ 4. *De exercitio, & neceſſarijs ad exercendum.*

X. POſtremo, poſt omnia dicta,opus eſt *exercitio*, & operatione noſtra,de qua Sanctus THOMAS ſic ait. Hinc quod aperitur diſcenti, quod datur oranti, exercendum eſt in actibus cordis, & operis: Exercitium enim eſt cauſa potentiæ: vt Ariſtoteles probat; Aſſueti enim contemnere terribilia,& ſuſtinere, ſimus fortes, & ſic maxime poſſumus ſuſtinere; Sic de caſtitate, & cæteris huiuſmodi eſt exemplificandum.

Et quoniam circa hoc vltimum ſumma vis conſiſtit,& plures quomodo ſe exercitare debeant ignorant , ſunt quædam aſſignanda, quæ ſunt exercitari ſe volenti neceſſaria. Et ſunt iſta,

Arma, ducem cape, cerne modum, tempus, medicinam.

Arma certaturi contra vitia.

Notula. 1.

PRimo enim,qui legitimè ſe in decertando vitia ſua exercitare volet,oportet,vt arma comparet,Inermis enim bello ineptus: *Arma autem militia noſtra non carnalia, ſed ſpiritualia erunt*, cuiuſmodi ſunt (iuxta Bonauenturã) *Strenuitas*,quæ negligentiã abijcit, & ad dura ſubeunda animat, *Seueritas*,quæ in pugna nõ cedit,non fugit,ſed adfinem perfert, *Benignitas*,quę etiam vulnerata non deſperat ſed placide perfert cuncta.Hęc tria arma,qui habuerit,non hoſtiũ opus eſt multitudine terreatur, aut apparatu fortiũ concutiatur;E cælo enim victoria erit,& æque Domino vincere in multis poſſibile, vt in paucis, ſolum non abijciat ſua arma. 2. Cor. 10. 1. Reg. 14.

Sed ne armorum inopiã quis opponat,& cauſetur,en potẽtiſſima illi dabo, & ſunt iſta.

Crux Chriſti,nomen,virtus,oratio,verbum.

Potiſſimum munimentũ;victoriæ tropheum, promptũ cuiq; ſemper armamentum eſt *Crux Chriſti*, qua omnis miles ſe inſignire habet: Signum enim Crucis,& fides ad Deum(ipſo Antonio ſancto teſte)murus eſt inexpugnabilis,& triumphale inſtrumentum,Vnde dicebat,*Signate vos,& eritis ſecuri*. Quotiens igitur bellum inſurgit,quotiẽs obſtat gens aduerſa, manus impingat crucem,& cedẽt hoſtes omnes. Iſtud enim triumphale vexillum ſummè timent, & fugiunt hoſtes· Hinc Origines ſuper Exod. cap. 6, *Quid timent demones? Sine dubio crucem Chriſti in qua triumphati ſunt. Timor, & tremor cadit ſuper eos, cum*

lignum viderint in nobis crucis fideliter fixum, & imaginem, quam Dominus expandit in cruce. Sunt libri exemplis pleni, de quo & Gerſon ſcribit: Interrogauit me, inquiẽs, pridem virgo grãdęua, probatiſſimæ, & deuotiſſimę vitæ, nomine Agnes, propinqua quondam Domini Vrbani Papæ Quinti, Quod eſt potiſſimum contra diaboli tentationes, & vitiorum inſultus ſubſidium? Dum ſuſpenderem ego cogitabundus reſponſionem, ipſa ſubintulit mox, crux. Suſcepi (ait idem Gerſon) protinus hanc vocem, quaſi de cælo ſonuiſſet, & ita ſonuerat. Ego etiam atque etiam multis iam annis mecum repetens, conferens inſuper cum alijs, non inuenio compendioſius, non efficacius antidotum Quare? Quia nullum humilius, nullum inſuper arrogantiæ diaboli magis aduerſum, quod ipſum ita proſtrauit nullum. Metuit canis, qua cæſus eſt, virgam ſemper. Sed ne ſim longiſſimus, proſequitur Gerſon ſuper Magnificat plura de efficacia crucis. Hoc ſuademus vnum, Quotiens vitia titillant, ars breuis accipiatur ad victoriam vitiorum, tota crux mente conſtringatur, impingatur manu & dicatur, *O Crux, aue ſpes vnica*, ô aſtes triumphale ſignum, Et in hoſtes cum Eccleſia fulmina. Ecce crucem Domini, fugite partes aduerſæ.

Sed accipe, & aliud non minus tutum
Pro.18. in nomine Domini, & nullus præualebit ad-
1.Reg.17. uerſum te. *Turris enim fortiſſima nomen Domini.* In huius inuocatione exuit Dauid ad Goliath, cum funda, & lapidibus crucifixi: Monſtrum illud horrendum cum armorum apparatu omni armis his mox eſt deuictum. In hoc triumphauere Chriſti martyres. Quãdocunque ergo vitio aliquo premeris, tentatione impugnaris, inuoca Chriſtum, memorare IESV nomen, ſimiliter & matris eius MARIÆ. Et præſertim ad mentem reuoca titulum triumphalem, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Breuis is titulus ad legendum, leuis ad portandum dulcis ad ruminandum, fortis ad protegendum, fidelis ad cuſtodiendum, efficax ad triumphandum. Cum & ſecurè certat, qui hunc titulum pro munimento habet. Magis deuoto is ad diuincendum vitia proderit, quam ſi loricatus, ocreatus ab imo pedis vſque in verticem conſcendat. Tranſeo reliquas tituli virtutes, tempus non patitur exemplis dicta probare.

Tertium munimentum eſt oratio frequens: Hæc neminem deſtituit, nullum derelinquit Quotiens filij Iſrael hoſtibus ſuberant, quotiens deſperationis baratro detinebantur, quando hæc arma ſumpſerunt, in capite facti ſunt ex cauda Sic enim ſcriptum
Pſ.106. eſt, *Clamauerunt ad Dominum cum tribula-*
Ezech. *rentur; & de neceſſitatibus eorum liberauit eos.*
2.Para.20 Hinc & horum Rex vnus ait, *Cum neſcimus quid agere debeamus, hoc habemus reſidui, vt oculos ad te leuemus.*

Poſtremo omnis virtuoſa operatio mentis eſt armatio, vt Apoſtolus vult, Sumamus itaque *fides ſcutum, galeam ſpei, gladium verbi Dei*
Epheſ.6. &c. Hinc in Vitiſpatrum, *In pugna ſpiritali corpus eſt equus, miles ſpiritus, lorica charitas, galea ſpes, ſcutum fides, gladius eſt Verbum Dei,* Pſ.119.
lancea oratio, arcus & ſagitta prædicationes acuta, ſella equi eſt contemplatio, cingulum quod ſellam tenet humilitas, frenum temperantia, ferramenta equi contemptus mundi. Potiſſima quoque armatura eſt verbum Dei, & Sacra ſcriptura: vt dicitur infra. In hoc enim ſolo deiecit Dominus Ieſus omnes inſultus inimici.
Hæc ſatis de armis, non eſt qui iam conque- Mar.4.
ri poteſt.

De ductore ſapienti habendo.
Notula 2.

ALterum requiſitum eius, qui in vitiorum
decertatione ſe exercere volet, eſt, quod XI.
ductorem quærat, qui & viam nouerit, & inſidias hoſtium non ignoret. Solet enim Deus hominem per homines frequenter inſtruere, & eis medijs hoſtes finium exterminare. Væ illi, qui confidit, & ſolus ſine ductore incedit: Nam leuiter incidit in venatorum laqueos, & cum inciderit non habet ſubleuantem Igi- Eccli.4.
tur ad noſtram humiliationem, vult Deus vt ductores ſequamur: Sic ſic populum Iſraeliticum per Moyſen ex Ægypto in terram pro- Pſ.76.
miſſionis deduxit, Sic Loth de Sodomis, non Gen.19.
per ſe ſed per Angelum ductorem exire coactus eſt; Sic Cornelium ad Petrum; Paulum ad Ananiam direxit; imò per medias cauſas Act.10.
omnium ſtudia diriguntur. Quiſquis ergo ſe- Act.9.
cure voles incedere; quiſquis de vitijs reportare palmam, eaque in fundum vſque exinanire; ductorem elige ſpiritalem, non ignorantem aſtutias Sathanæ, virum tibi præficere ſtudeto, cuius conſilio, & ope cuncta agas.

De modo, & ordine certo vitia debellandi præſtituendo. Notula 3.

TErtio, qui expeditè volet in vitiorum e- XII.
radicatione proficere; debet modum certum, & ordinem ſibi præfigere, quo poſſit procedere. Ordinem autem quo progrediendum ſit, Hugo pulchrè edocet dicens, *Purgationis,* inquit, *tuæ ſollicitus, Primo neceſſe eſt, vt paſſiones, quibus impugnaris, attendas, deinde, quæ ſint quibus maxime fatigaris inſpicias; Poſtremo, quæ inſtrumenta, quibus paſſionibus magis obuient, ſagaciter perquiras, & quæ magis impugnat feruentiori inſtantia, vt ipſa obruatur, inſiſtas. Nec ſic tamen extinctioni vnius paſſionis tota vehementia inſiſtendum eſt, vt ad cætera deprimenda corporale organum deficiat.* Hæc Hugo. Notentur verba, ſignentur myſteria; ſunt enim plena, & verum docent ordinem vitia expugnandi. Quæ latius in libro, qui intitulatur *Beatus vir,* explicantur, vnde nec hic rememoranda. Vt autem clarius hunc modum vitia expugnandi intelligas, notandæ ſunt quatuor regulæ philoſophi, quas ſecundo ethicorum cap vltimo ponit. *Prima* eſt, quod quis conſideret ad quod malum ſit plus inclinatus, à natura, aut à conſuetudine, & contra illud plus conetur: Ratio eſt, quia ad quod complexio, aut conſuetudo inclinat, facilius trahit ad tranſgreſſionem

medij

Digitized by Google

medij virtutis; Ad quid autem quis plus ſit inclinatus, patere poteſt ex delectatione, vel triſtitia, quam quis circa vitium certum habet Et hæc eſt efficaciſſima via, ad vitia debellanda. Sed totis viribus eſt hic laborandum, vt patet de volentibus beſtias aliquid docere; oportet enim quod, cum magno conatu operentur contra naturalem illarum inclinationem. vt qui docere vult canem duobus pedibus ambulare, &c. *Altera regula* eſt, vt quis magis fugiat illud vitium, quod magis virtuti certæ contrariatur: Vt temperantiæ plus contrariatur intemperantia; quam inſenſibilitas; Et liberalitati magis repugnat auaritia, quam prodigalitas; Ratio, quia tale vitium plus inficit virtutem. Exemplum de ſanari volente, qui plus nociuum plus vitare habet. *Tertia regula* eſt, Inter omnia maximè eſt delectatio, & delectabile, quodcunque in vitijs cauendum: Ratio eſt, quia naturaliter ad delectabilia inclinamur, & talia appetitui propoſita ſtatim placent: voluntas curuatur, ratio excæcatur, concupiſcibili oblato; Sicut, exempli gratia, per exteriora munera, etiam iuſtorum iudicia peruertuntur. *Quarta regula* eſt. vt quis conſideret ſuper abundantiam, & defectum, quæ opponuntur virtuti; Et perpendat qualia ſint, & quam mala ſint peccata; Et virtutis medium ſic facilius diliget, & medium inueniet virtutis. Hoc quoque circa *modum* obſeruandum, quod carnalia vitia melius vincuntur per fugam, & omnis occaſionis remotionem; Spiritualia autem reſiſtendo melius ſuperantur: vt patet in *Beatus vir*. His modis, qui certaret; facilè palmã reportaret.

De certo tempore expugandi vitia præfigendo. Notula 4.

XXI. QVartò, multum certanti proficeret, quod certum ſibi tempus in his exercendi figeret: ſciretque, quamdiu eſſet contra vnum vitium pugnandum. Vnde DE PRIMO notandum, quòd ſicut varie poteſt quis ſe circa hæc exercitare: ita etiam, & licet variare tempus. *Poteſt* enim primo homo ſe exercitare per *generalem quendam horrorem*, & reſiſtentiam vitiorum, vt ſcilicet quotienſcunque inſurrexit, eis repugnet. Et ſecundum hoc, omne tempus congruit. *Rurſus poteſt* ſe homo circa hæc exercitare, ſingulis diebus vnum aſſumendo vitium, contra; quod *ſingularius* ſe opponat, orando, & meditando: Et ſic conuenit vti ſeptenis, ante, & poſt horas. vt patet infra. *Tertio* quoque poteſt ſe homo exercere circa vnum vitium magis ſibi infeſtum, non ab illius inſecutione deſiſtens, donec ad internecionem vſque interimat: Et ſic longius in hoc oportet exerceri; Et præter continuam orationem, & exercitationem communem erga illud vitium, oportet aliquid certi temporis habere, in quo ſecundum hæc aſſignata poſſit exercere: Ad quod congruentius non ſe offert tempus. quam poſt matutinas: Nam & hoc tempus ipſe Dauid huic exercitio deputaſſe videtur cum ait, *In matutino interficie-*
Pſ. 100. *bam omnes peccatores terræ*, &c. Sed hoc tamen moderate, & breuiter, ne ſomno tempus ſubtrahatur.

DE ſecundo autem, *quam diu ſc. ſit* contra vnum vitium præliandum, & contra aliud bellum ineundum, hoc ſciendum, quod tamdiu debes pugnare, donec ipſum vitium adeo deficiat, & debilitatum ſit, vt mox cum inſurrexerit, ipſum ratione poſſis comprimere, & refrenare, & quamdiu ipſum præ cęteris eſt tibi infeſtum, Vnde Hugo, *Nec importunius eſt laborandum, vt non qualibet paſſio ſentiatur: ſed, cum ſurrexerit, ſecundum iudicium rationis compeſcatur.* Hæc ille. Generalem autem horrorem contra omnia vitia habere oportet, quamdiu in corpore halitus perſtet: Dicit enim Bernardus. *Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & ſopita denuo excitantur.* Parum ergo eſt ſemel putaſſe, ſæpe putandum, imò ſi fieri poterit, ſemper: Semper enim, velis nolis, Iebuſeus erit in terminis tuis; Semper ergo obſiſtere oportet. Vnde, & *militia eſt vita hominis*, quamdiu eſt *ſuper terram*. Noli cedere, noli belli cauſare diuturnitatem, recipies enim æternum præmium, & ſi legitime certaueris, euades pœnarum æternitatem. Hæc de tempore.

MEMBRVM IIII. XVI.

De remedijs ſciendis.

POſtremò, qui legitimè certare, & plenè curare vitia volet, oportet vt medicinam & remedia (quibus, ſi vulneratus fuerit, ſe curet) ad manum habeat. Hæc autem remedia vitiorum curatiua, vel ab alio poſſunt impendi, vel à quoquã ſibiipſi applicari. Quid quæſo aliud ſunt Prælati, niſi animarum medici? Qui vt ſubditos bene curent, ſex remedijs (vt docet magiſter Iacobus Carthuſienſis, in tractatulo de arte curandi vitia) vti debent: Et ſunt hæc complexa hoc verſu,

Orans, exemplum; moneat, bona, ſtringat, & auferet.

Nempe	Deuota ad Deum oratio.	Qua	Prō ſubditorum vitijs oret;
	Irreprehẽſibilis cõuerſatio,		Exemplum virtutum præbeat.
	Sana, & crebra admonitio,		Doceat, & exhortetur ad bonũ;
	Beneficiorũ exhibitio.		Etiam obſecrando, & donis alliciat.
	Diſciplinæ coerctio,		Culpam impunem non dimittat.
	Abſciſionis ferrũ, & cauterizatio.		E medio malum auferat.

Quomodo autem hæc applicare debent, quibus, & circa quos vtentur, quomodo Prælato-

Digitized by Google

rum ſcire refert, non eſt hic, vbi paruuli paruulis ſcribimus,proſequendum.Qui ſcire volet, librum eius legat. Hoc vnum cohortamur, vt diſtricto magiſterio, qui cito ſanari voluerint, ſe ſubijciant, & in omnibus pateant Prælatis, vt infra dicetur in profectu.

§ 1. Remedia à nobis ipſis adhibenda.

SEd iam quomodo quis ſibiipſi medebitur,& per quæ,dicamus: Hoc enim longe nobilius,hoc efficacius curat. Poſtquam igitur omnia priora quis habuerit,poſtquam vitia principalia cognouerit, vt remedia ſingulis contraria quærat,eaque applicet donec curetur:Sed quoniam paſſim hæc remedia in libris inueniuntur, tamen generalia quædam ponemus;vt vbi particularia ad manum non habuerimus,vel hæc ſaltem applicemus;præterea ſeptem,quæ in profectu ponuntur.

Radices fugiat, reprimat, verbum gere quinum.

XV. Primo omnium, qui vitia funditus extirpare vult,oportet, vt vitiorũm radices euellat, qua duæ ſunt (iuxta Auguſtinũ) ſcilicet amor male inflammans,& *timor* male humilians: Quę tamen ſub vnam reducuntur, & dicitur *amor proprius*. His radicibus,qui debita antidota adhiberet, omnia ſimul vitia à

Simile. ſe excluderet : Sicut cum materia peccans in febre abijcitur, tota febrilis ægritudo ſanatur Qui enim non timet, niſi vere timenda; & non amat, niſi vere amanda: nullius vitij habet pauere incurſum. Hinc eſt,quod odium ſuiipſius, fons eſt,& ſcatutigo virtutum. Sed heu!! amor proprius nimium celebratur per orbem: Qui tamen niſi abijciatur, gratis pro extirpandis vitijs laboratur.Nam niſi quis

Simile. vulneratus telum è corpore euulſerit, omnis medicina exterius applicata inanis erit.

Sed forſitan cauſabitur quis difficile fore odiſſe ſeipſum; Fatemur;ſed virtus in arduis collocat ſedem. Si corporalis ſanitatis auidi ferrum patiuntur,& ignem,ſi nulli quantumuis amariſſimæ potioni , imò & ignis exuſtioni, ſed & membrorum putridorum abſciſſioni non ſe dant;quid non pro animæ ſalute ferendum? Et quæ quæſo difficultas,quid tam in poteſtate hominis!, ſicut amare,quod velit,& quod nolit odiſſe? Sumus(Philoſopho teſte tertio ethicorum) domini actionum noſtrarum, imo, & voluntatum à principio vſque ad finem.Fatemur tamen difficile eſſe, ſed ecce apponimus vnguentum lenitiuum.

Si graue videtur non amare concupiſcentias,aut teipſum: appone *commutationis* vnguentum, nobilius quippiam amando,& illis

Simile. leuius habebis. Nam videmus in humanis commutationibus. & emptionibus, quod licet vna res multum diligatur, cum tamen nobilior ſuperuenerit, mox prima vileſcit, libenter commutatur:ſicut in donatione argenti pro auro; aut cupri pro margaritis, &c. Hoc enim morale,imò,& naturale,vt motus, & delectationes maiores,expellant minores. Quid ergo vis viliora amplecti ; cum multo inſigniora, & meliora habere poſſis?Quæ licet ſint abſentia; ſunt tamen verè ventura, Sic igitur vna delectatio aliam vincit; & nihil tam amabile,quod non cedat amabiliori, via commutationis.

Aut certè ſi adhuc difficilè eſt , inordinatum amorem tibi relinquere, lini te vnguento *comminationis*; vt ſcilicet cum delectatio noxia, aut illicitus amor titillat, confugias ad meditationem pænarum infligendarum pro amore illo; mitius tecum agetur: Nam (ſecundum Ariſtotelem) facilius contemnimus delectationes,quám patimur pænas.Sicque contrarium contrario retundendum, & metus pænarum terreat, & prohibeat ab exceſſu culparum. Quæ rogo inſania,vt quis pro delectatione momentanea,mercetur æterna tormenta?

Quod ſi *timor* noxius ad peccata impellat, poterit & ipſe duplici hac via retundi,atque XVI. expelli. *Primo* ſcilicet, *via comminationis*, vt cogitet, quòd per paruas pænas maiores euadat,& æternas; dicens ſibi, *Qui timet pruinam cadet ſuper eum nix*. Et illud, *Melior eſt modica* Iob 6. *amaritudo in faucibus, quam æternum tormentum in viſceribus*.

Secundo , expellitur *via commutationis*, qua cogitat de remuneratione æterna, pro temporali pæna: Nam aſſidua recogitatio præmij,minuit vim flagelli; patet hoc in bellis, & martyribus Sanctis. Hinc Eccleſia de ſancto Laurentio dicit.

Sudat martyr in agone,ſpe mercedis, & corona,

Quæ dantur fidelibus, pro Christo certantibus.

Hinc,& Apoſtolus ait , *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis*,&c. Rom.8.

Agite fratres, præmium ante oculos ſiſtite,viriliter pro eo obtinendo agite,ab omnibus abſtinete. Qui *in agone concertat,ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem, vt corruptibilem* 1.Cor.9. *coronam accipiant , nos autem incorruptam*. Hæc ſpes gaudia obtinendi, euadendi tormenta, grauia quoque dulciſſima facit: Hinc timor malus, & amor conquieſcunt, ad vitia non impellunt; Hinc ieiunia ſuauia , cilicia mollia, conuitia iocunda; Hinc dulces corporis diſciplinæ, hinc cellæ quaſi paradiſi hortus redolent, ſpei ſuauitate perfuſæ, Noctium vigiliæ breues , aſpera mollia fiunt; hinc dura ſeniorum imperia, amplectuntur, veluti cumulata margaritis plena marſupia; & (vt paucis dicam) omnia leuia facit ſpes iſta gemina,euadendi tormenta, & obtinendi gaudia. Crebro igitur nos hæc vnguenta delibemus,crebro ſpei memores ſimus.Hæc latius diximus, quoniam hic nodus ſiſtit.

Sed iam quomodo etiam ab extra mederi poterimus vitijs,ponamus :Qui enim bene, XVII. & intus & foris fuerit munitus, facilius vitia curabit. Eſt autem duplex à foris victoriæ modus; Nam bellatores inclyti,aut pede,aut ſcuto hoſtes vincere ſolent, pede fugiendo, ſcuto reſiſtendo. Et licet glorioſius ſit vincere pugnando , & reſiſtendo, periculoſius ta-

men

men, & grauius eſt; fugere autem ſecurius, & frequentius, *Sufficit enim* (ſecundum Hieronymum) *non vinci ab hoſte*. Scimus enim (ait *Eccli 4.* Iaco. Carthuſien. dictus) contra ictum fluminis difficilem eſſe meatum, cum curſu verò facilem, propter reſiſtentiam paruam.

Qui igitur vitiorum voraginem, & impetum quarumcunque cupiditatum, veraciter volet effugere, oportet Irritamenta, & incitamenta, vnde oriuntur, excludere, & declinare. Oriuntur autem, vel ex exterioribus obiectis ſenſibus oblatis, aut ex propriæ rebellione carnis. Et ſecundum hoc duo remedia ponuntur. *Primum* vt noxia obiecta ſenſuum cauta cuſtodia fugiamus, & à nobis elongemus, & vitiorum occaſionem amputemus: Nam ſic, nihil erit in intellectu, quod non prius in ſenſu; Et, ſi fons obturatus fuerit, clarum eſt, quod riui non fluent. Oportet ergo hominem elongare ſe ab omni occaſione vitiorum; quemadmodum ſenes Troiæ dixerunt, Helenam fugari oportet, abijcientes enim eam minus peccabimus, teſte Ariſt. ſecundo ethnicorum: Sic, & nos quodlibet, circa quod turpiter oblectamur, abijcere oportet, vt nec ſit in memoria. Alioquin præſente delectabili, vix ſalui erimus: Obiectum enim mouet ſenſum, ſenſus intellectũ. Hinc illud Angelicum ſeruemus, *Fuge, tace, quieſce, ſi vis ſaluus eſſe*. Et hoc pro regula ſeruetur, vt quandocunque ſe ſentit in aliquo delectari, quod ad vitium tendit, contrarium ſibi aſſumat. Vt S. Benedictus, vbi carnis delectationem ſenſit, vepribus ſe iniecit. Sic alter amara pro dulcibus ſumpſit. Nam & Ariſt. docet, quod per hoc homo deuenit ad medium virtutis, quando ſe trahit ad oppoſitum eius: Sicut tortuoſa ligna, ſi rectificari debent, oportet, quod violenter ad oppoſitam partem trahantur Non tamen virtutem vltra mediũ ponimus; ſed nimium omne, cum Auguſtino, execramur.

§ 2. *Repreſſio carnis.*

Tertium principale remedium, & idoneum contra omnium vitia antidotum eſt *expreſſio, & caſtigatio propriæ carnis*, vigilijs, ieiunijs, & diſciplinis, ne inſoleſcat, & ſpiritui rebellet. Nam ad carnem ſpiritui ſubiugandam, non eſt efficacior via; quàm afflictio, & ſubtractio voluptatum: ſicut in expugnatione caſtrorum fortiſſimum remedium eſt ſubtractio victualium: vt fame tandem victi hoſtibus ſe tradant. Sic Paulus egit, qui ait, *caſti-*
1. Cor. 9. *go corpus meum*, &c. Et eſt hoc remedium (vt plures aiunt) tantæ neceſſitatis, vt niſi hoc primitus attentatum fuerit, fruſtra alia remedia aſſumuntur. Fiat tamen caſtigatio hæc
Prou. 21. diſcretè. O quàm ſuaue eſt ſpiritui tali co-
Pſ 67. habitare carni. Nam & in eo eſt beneplaci-
Pro. 21. tum Dei. cum non fuerit mulier, ſeu caro litigioſa. Verè durum eſt, priuſquam pax hæc obtinetur; ſed nil carius cum obtinetur; Tunc in domo pacifica iuge eſt conuiuium, & læta cohabitatio: iucunda, ſicut muſica in conui-
Pro 15. uio vini. Sed *dulcia non meminit, qui non guſta-*
Eccl. 49.
uit amara. O hæc remedia iuuenes agamus: vt poſt (ſenes) de victoriç triumpho gaudeamus.

§ 3. *Quintuplex verbum pro remedio.*

Sed iam radicibus, & occaſionibus vitio- XVIII.
rum per ſuperiora remedia reſecatis, apponendum eſt remedium, quo & inter belli
conflictus vtamur: Et hoc eſt (vt vult Bernar- *1. Reg. 17.*
dus) quintuplex verbum, de ſcripturæ torrente, inſtar Dauid manufortis bellatoris collectum, in vaſe memoriæ repoſitum, longanimitatis appoſita funda: Sunt autem verba iſta,

Verba minans, ſpondens, & amans exemplar & orans.

Verbum comminatorium, promiſſorium, amatorium, exemplatiuum, oratorium.

Vt côſideres. {
Quanta comminetur Deus mala,
Quanta promittat bona,
Quãta exhibuit charitatis indicia,
Quam multa proponit ſanctitatis exempla,
Quam oratio efficax ſit valida. }

Hæc verba ſibi aſſumat, quiſquis de vitijs triumphare exoptat. Mox enim, vt vitium mentem pulſat, ſi diuinas comminationes expaueſcas, ſi promiſſiones deſideres, mitius habebis. Quod ſi venerit in mentem dilectio illa tam ineffabilis, quàm tibi Deus maieſtatis exhibuit, nonne vitium omne procul abſcedit? Quod ſi adhibueris Sanctorum exempla, nonne vt à facie ignis diſſipantur, & liqueſcunt vitia? Iam verò (ait Bernardus) Si fortè inſurgente ſubito vitio, nihil ex his, quæ prædiximus, apprehendere quiuerit manus tua, toto feruore ad eam conuertere, quæ ſola reſtat, orationem; & continuo auxilio tibi Deus erit.

Ecce hæc latius diximus de remedijs, & modis vitia expugnandi, quoniam hæc pluribus videmus neglectui eſſe. Student plures obſeruare cæremonias, & monaſtica ſtatuta, & vbi hæc fecerint, ſalua arbitrantur ſibi omnia, & de his vitijs mentalibus expugnandis, eſt eis poſtrema cura; Sed non ſic Patres noſtri, non ſic, quorum vnus dixit, Bonum eſt pſallere, & ſtatuta ſeruare; ſed qui vitia expugnat ſic poſtrema cura (die is die mit dat ſpeck onder de Kiſt ghaet.) ideſt ille qui lardum ſub ciſta reponit. Vel pulices ſporta conſeruare nititur.

Practica meditatoria ſuper vitijs, & virtutibus, ſub tropo duarum alarum.

CAP. III.

Datæ ſunt mulieri alæ duæ magnæ, vt vo- I.
laret. Apoc. 12. Possemvs iam finem
dare vitiorum extirpationi: abunde enim *Apoc. 12.*
iam

MEMBRVM II.

Sequuntur alæ virtutum, & vitiorum.

IV. QVis dabit mihi pennas, ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam. Pſalm.

ALA DEXTRA virtutis, ſcilicet cum deſiderio virtutis acquirendæ,

Pennæ ſunt puncti principales,	*Pennulæ*, ſũt ſubmẽbrationes,	*Plumæ*, ſunt harum proſecutiones.

Diffinitio qua primum conſideres, quid ſit { Nomine, Re, Diffinitione,

Varia quæſtio, verũ ſit virtus, { Summa / Vel ima. — Vt Tho. & cæteri docent.

Diuiſio in { Species, Differentias. Partes ſubiectales,

Filiatio, qua videas quas de ſe virtutes gignat.

Commendatio qua ad virtutem allicimur, vel per { Eloquij ſacri auctoritatem, Doctorum præconizationem, Naturæ doctrinabilitatem, Multorum exemplaritatem, Figuram, vel comparabilitatem, Acceptabilitatem, Effect⁹ & vtilitatẽ, Præmij ſublimitatem.

Promotio vel prouectio, ſcilicet per { Impedimentorum amotionem, Remediorum adhibitionem.

Gradatio qua ſcias { In quo virtutis gradu ſubſiſtas. Quã propè, vel longè virtuti appropies.

Ex ſignis *coniecturatio* vt { Sic de internis iudices. Per ſigna externa.

ALA SINISTRA; ſcilicet vitij contrarij, cum deſiderio vitium exterminandi,

Pennæ ſunt puncti principales.	*Pennulæ* ſũt ſubmẽbrationes.	*Plumæ* ſunt auctoritates, & exẽpla circa ſingula.

Diffinitio, & illa varia eſt, Scili. { Magiſtralis, Vſualis, Deſcriptionalis.

Quæſtio diuerſa, quæ multipliciter variatur.

Diuiſio in { Species, Differentias, Partes ſubiectales.

Filiatio qua cognoſcas, quæ de ſe vitia producat.

Deteſtatio qua à vitio auertimur, quia { Scriptura deteſtatur, A Sanctis vituperatur, Natura illud horret, Exempla diſſuadent, Rebus vilibus comparatur, A cunctis execratur, Vilitas, & damnoſitas, Pœnalitas vitandum docet.

Deiectio vel expugnatio, per { Occaſionum ſubtractionem, Remediorum appoſitionem.

Gradatio ſecundum triplices ſtatus, ſcilicet, { Incipientes, Proficientes, Perfectos.

Signatio qua per externa ſigna. Quam in te vitium dominetur deprehendis.

MEMBRVM III.

Harum alarum myſticarum vberior declaratio. Et practica eis vtendi.

HÆ ſunt myſticæ alæ, quibus inter vitia, virtuteſq́; eſt intervolandum: In quorũ meditatione, qui hoc proceſſu inceſſerit, nunquam ei copia deeſſe poterit meditationum. V. Nihil quippe puto, aut in Scripturis ſacris, aut etiam in Doctorum ſcriptis, de vitijs, aut virtutibus reperiri, quod non ſub alæ pennis, vel pennulis comprehendatur. Quiſquis igitur circa virtutum, & vitiorum cognitionem, illuſtrari voluerit, libellum ſibi, aut Manuale quoddam colligere poterit, in quo ſecundũ huius alæ proceſſum poterit aggregare, & colligere quicquid, aut de vitijs, aut virtutibus, vel legere contigerit, vel audire. Noui qui ita fecerunt, & inde ſemper in promptu, cum meditandi tum etiam prædicandi, & differendi materiam habuerunt. Suadet & itidem venerabilis magiſter Ioannes Gerſon in de Myſtica Theologia, vndecima conſideratione ſecundæ partis, vbi docet alas has fabricare. Et qui hoc modo volet pennas, aut pennulas has, plumis ſcripturarum adornare, ille potiſſimum debet ad ſequentium librorũ auctores accedere, & inde eas aggregare: Scilicet in primis iuxta Gerſonem, ad *Summam virtutum*, & vitiorum; Item ad *Specula moralia* Vincentij Beluacenſis in quibus abundantiſſima, pariter, & deuota materia de Moralibus habetur, Item ad *Dietam ſalutis*, & huiuſmodi. Quod ſi quis in commendatione, vel deteſtatione, Scripturæ auctoritates exoptat, nonne Autorale, Repertorium Bibliæ Concordantiæ item Bibliæ plenè eas tra-

tradunt? Quod ſi Sanctorum dicta volet, Florum Manipulum, Pharetram Doctorum adeat: De cęteris vero, Profectus Religioſorum, item libellum, Beatus vir, intitulatum, aut Antonini Summas requirat.

Sed hoc notatu digniſſimum, quod quamuis has alas quis habeat, plumis, & pennulis ornatis; etſi cogitauerit iſta intellectu, & ſe non in alta librare ſtuduerit affectu; non volare dicendus eſt, ſed Strutioni comparandus magis; habet nempè, vt aiunt Strutio magnas alas; ſed paucos, vel nullos exercet volatus, Quare ei hypocritæ, & vanarum laudum cupidi (iuxta Gregorium) aſſimilari ſolent. Sic plures ſcientiam habent, plumas auctoritatum ſcripturæ aſſumunt, non vt affectu volent, ſed vt alijs ſcioli videantur. Quod vt euitetur nitatur homo iſta cogitans intellectu, aſſignatos circa alam volatus affectuoſos exercere; Vt ſcilicet vbi cogitauerit virtutis alicuius diffinitionem, diuiſionem, commendationem, mox ad ſingula, in affectuoſam proſiliat orationem dicens, O vtinam Domine Ieſu, qui dediſti mihi huius virtutis in te exemplum, dones, & mihi eam aſſequendi auxilium. Hinc enim eſt, quod columbinas alas dixerimus, non alterius cuiuſpiam auis: Ipſa enim eſt, quæ gemere ſolet, Vnde inter volandum, aut inter iſta meditandum, ita te gerere debes, vt cum Rege dicere poſſis *meditabor vt columba*, crebros, ſcilicet, & affectuoſos gemitus emittendo vt virtutem, de qua meditaris, acquiras, & vitium oppoſitum deuincas. *Eſa. 38. Ezechia nimirum.*

Sed poſtquam diu volatum fuerit huiuſmodi meditatione, ad requiem tandem eſt deueniendum, quia eſt Dominus Ieſus Chriſtus, ob quem eſt volatum: Ipſe enim eſt terra deſiderabilis, requies optabilis, in quem omnes conatus noſtri contendunt, vt ſicut volatus ab eo incipit, conſiderando in eo virtutis exemplum, ita & in eo deſinat, humiliter efflagitando eius ſubſidium. Vnde poſſunt ſubſequi iſti gradus, ſcilicet

Obſecratio, qua cum { Affluentia deſiderij, / Confidentia ſpei, / Aſſiſtentia patrocinij.

Per { Promiſſionem. / Paſſionem. / Sanctorum patrociniū. } petas { Auferri vitium. / Elargiri virtutem.

Et quia non eſt dignus dandis, niſi gratus fuerit ſuper acceptis:
Sequitur, *Gratiarum* actio qua gratias agas,

Pro { Meditationibus ſanctis habitis, / Deſiderijs affectuoſis conceſſis, / Exemplis datis, & patrocinijs impenſis.

Et ne à ſpe lata, & ardua defrauderis, & ne inania ſint omnia priora, vnum reſtat. vt ſequentem gradum ſcandas, *Reflexio*, qua anima ad ſe

Reuerſa { Suam pigritiam ad cognita implenda excitet. / Super actus ſuos ne à propoſito exorbitent, inuigilet. / Si proficiat in propoſitis, an non, ſæpe conſideret.

Et quotiens ſe exorbitaſſe, defeciſſe, declinaſſe à propoſito deprehenderit, pænitentiam agat, propoſitum innouet, virilius ſe bello accingat, & ad illa reliqua ſupra memorata exercitia ſe diuertat. Vt ſic omnium vitiorum paſſiones poſſit deuincere, & in veris virtutibus proficere.

❡ *Quomodo iugiter exercendum per ſeptenas, & de ordinatione ſeptenarum.*

CAP. IIII.

CVm intinxerit digitum ſeptiet, aſperget contra velum Tabernaculi Leuit. 4. *1. Leuit. 4.*

SED QVI velit vitia plenè, & citius deuincere, & in virtutibus proficere, hunc oportet (vt quidam ait) iugi exercitatione, circa huiuſmodi exerceri: Parum enim, & lentè in huiuſmodi proficiet, qui ſe non inſtanter circa hæc exercitauerit: Hinc non ſufficiet vero decertatori interdum meminiſſe virtutum, & vitiorum; ſed vt plenè altare mentis expurget, ſeptem diebus oportet vt illud expiet; iuxta Leuiticum præceptum, Et ſi verè hoſtes ſuos deprehendere volet; ſeptem diebus, vt eos inſequatur, oportet; Et ſi funditus muros Hierico cadere volet, ſepties circuire debet. Grandia ſunt, & innumera ſeptenarij numeri myſteria, & longum eſſet adducere vniuerſa, paucis tantum contenti; deſtinatum exercitium breuiter explicandum. *Leuit. 8. Ioſ. 6.*

Igitur ſeptenario maximè gaudet natura (vt Philo tradit libro allegoriarum, & de opificio mundi) *Erratica*, inquit, *ſtellæ ſeptem ſunt in contrarium nitentes quotidiano cæli curſui. Vrſa ſeptem ſtellis completur, commerciorum, conſociationis, hoſpitalitatiſque hominum, cauſa præcipua. Mutationes quoque lunæ ſingulis ſeptimanis fiunt, ſideris rebus terreſtribus familiariſſimi.* Ratio abſoluitur in homine primo ſeptennio, quando idoneus eſt vſitatis verbis & nominibus rationalem habitudinem proferre. Altero ſequenti ſeptennio ad ſummam perfectionem peruenit, id eſt, ad potentiam progignendi ſui ſimile. Tertio ſeptennio incrementi finis eſt: nam vſque ad primum & vigeſimum annum augetur proceritas corporis humani. Spectat & hic numerus ad purgationes: vnde priſci patres non ſine myſterio ſeptennem pænitentiam pro quolibet peccato mortifero inſtituerunt. Sic leproſus mundandus (in Leuit. 14.) paſſeris ſanguine ſepties aſpergebatur, & Naaman Syrus ſepties lauari in Iordane iuſſus eſt ab Heliſæo Propheta. Septimo quo-

que

Digitized by Google

que anno fiebant remiſſiones in lege; & ſeptimo menſe cuiuſlibet anni, & ſeptima die cuiuſlibet hebdomadæ accurrebant omnes ad templum ſacrificia peracturi. Septem quoque petitionibus conſummatur oratio Dominica in expiationem animarum noſtrarum. Septiformis etiam eſt Spiritus ſanctus in donis ſuis; *& eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum, purgatum, purgatum ſeptuplum. Septies in die laudem dicimus Deo* ad exemplum Dauidis, quia *ſepties die cadit iuſtus, & reſurgit*, id eſt, cadet, ſed non peribit in peccato aut periculo. Septem quoque ſunt beatitudines, quæ in actione conſiſtunt, nam octaua in paſſione conſummatur. Septem annis ſeruiuit Iacob pro Rachele, typum Chriſti gerens, qui pro anima tua ſibi deſpondenda laborauit, & vt eam à ſeptem ſpiritibus nequam liberaret, ſicut Mariam Magdalenam à ſeptem dæmoniis. Sed loquatur in laudem ſeptenarij Hieronymus in Amos prophetæ cap. 5. *Septenarium numerum eſſe ſanctum* (inquit) *etiam Sabbatum probat, in quo requieuit Deus ab omnibus operibus ſuis: & iubet ne quid in eo operis ſeruilis fiat, niſi ea tantum quæ ad animam pertinent, & in eo onera portentur. Unde & in ſolitudine, qui die Sabbati ligna collegerat quæ arſura ſunt, ſententia Domini condemnatur. Et ſeptem hebdomades complent numerum ſanctę Pentecoſtes: & iubileus remiſſionis, tubarumq; clangentium hoc numero texitur. In ſeptimo quoque menſe figuntur tabernacula: & Hebræus cùm ſex annis ſeruierit, ſeptimò liberatur. Nouit & hoc ſæcularis philoſophia, & medicorum libri, quorum diſertiſſimus Galenus ſcripſit ternos libros de criſibus & criticis diebus, in quibus ſeptenarij numeri oſtendens potentiam, ardentiſſimas febres ſeptimo dicit ſolui die. Ita ab initio mundi ſex diebus conditi, fit vt omnes labores & moleſtiæ ſeptimo numero conquieſcant. Denique & captiuitas populi Iſrael, templiq; ſubuerſio ſeptuageſimo anno deſolationis impleta eſt; & ſeptem aſtra iuxta numerum dierum dicuntur errantia.* Hæc ſanctus Doctor Hieronymus. Et hæc de laudibus ſeptenarij ſufficiant.

Oportet ergo eum, qui verè velit extinguere vitia, & in virtutibus proficere, crebram harum memoriam agere, indefeſsè pro his exorare, quod optimè fit per exercitiũ ſeptenarium, in quo ſe plures exercitauere ſancti. Vt ſcilicet ſecundum ſeptem horas, ſepties pro diuerſis ſeptenis, reſpectum tamẽ ſemper ad principale vitium, aut virtutem habẽtibus, intentius oret: ſicut docet Bonauentura. Et hoc videtur innuere auctoritas præmiſſa, cùm dicit, *Cùm intinxerit*, inquit, *digitum cordis*, ſcilicet puritatis auidus, de vitijs, aut virtutibus modis dictis meditando, hoc ei non ſufficere debet, ſed *ſepties aſperget contra Tabernaculi velum*; hoc eſt ſub ſeptem horis coram Deo aſſiſtens, pro his orare debet, &c.

Et quoniam plures reperiuntur ſeptenæ: ideo eas ſic ordinauimus, vt ad principale intentum reſpectum habeant, ſcilicet ad vitium euellendum, & ad inſerendum contrariam virtutem, & quod ſingulis diebus contra ſingulare vitium bellantes, ſingularia in ſingulis horis petere habemus auxilia. Verbi gratia, Feria ſecunda cupis expugnare ſuperbiæ vitium, & proficere in contraria virtute; ſcilicet in humilitate: vt hoc valeas, habes petere ad matutinas, baptiſmi Sacramentum, tanquam ſuperbiæ eradicatiuum; Ad primas fidem; ad tertias timoris donum; & ſic de alijs: vt infrà aſſignatum.

Quomodo autem his ſit vtendum, & qualiter non intentioni pſalmodiæ officiant; ſed proficiant magis, ſupra in fine chiropſalterij eſt declaratum.

Et licet complures aliæ ſeptenę poni poſſent; tamen verentes ne multitudine inexercitatos terreremus, poſuimus tantum magis vſitatas: De quarum laudibus, effectibus, concordantijſque, infra differendum. Non abnuas quæſo, ô docte, non horreas, ô ſimpliciane exercitium iſtud: Nam & magni in hoc ſe exercitauere, & Gerſon ſororibus id tradidit exercendum.

MEMBRVM I.

Sequuntur ſeptena.

	Septem peccata mortalia figurata per ſeptem capita draconis, & ſeptem gentes. A quibus auertendum.	Septem petitiones orationis Dominicæ ſignatę per 7. tubas, & ſeptem ſignacula per quas orādum cum affluentia deſiderij.	Septē effuſiones ſanguinis Chriſti ſignatę per ſeptem intinctiones & aſperſiones contra velum Tabernaculi: per quæ orandū cū confidētia ſpei.	Septem verba Chriſti in cruce, quaſi ſeptem tonitrua in Apocalypſi: per quæ orandum cum cōfidentia etiam ſpei.	Septem ordines ſanctorum, quaſi ſeptem ſpiritus ante Deum, per quos orandum cum aſſiſtentia patrocinij.
Fer. 2.	*Faſtus* Superbia quoniam per præcepta prohibita vitanda eſt,	*vt abſque malo* Contra ſuperbiam pro virtute humilitatis ora per petitionem orationis Dominicę. Libera nos à malo.	*caput* Obſecra per ſanguinis effuſionem in coronatione ſpinati capitis Ieſu.	*hinc hodie* Per verbū quoque in cruce, hodie mecum eris in Paradiſo.	*Petis Angles* Per ſanctorum quoque Angelorū humilitatem, qua ſuperbo Lucifero reſtiterunt.
Fer. 3.	*Ira* Ira prohibita per præceptum Dei, non occides.	*nec inducas,* Contra hanc pro virtute patientiæ ora, ne nos inducas in tentationem.	*ſudat* Obſecra per ſudoris ſanguinei profluuium contra ebullitionem ſanguinis circa cor, quæ iram cauſat.	*ſed Heli* Per verbū quoque in cruce, Heli Heli lamazabathani, quod ſummæ fuit patientiæ.	*Patriarchas* Per Patriarchas quibus omnis ſalus in patientia.
Fer. 4.	*Inuidus* Inuidia per præceptum diuinum, non falſum teſtimonium dices, prohibita.	*vt noſtris* Contra inuidiā pro virtute charitatis ora, dimitte nobis debita &c. Inuidia enim debita & offenſiones tenet.	*latus* Obſecra per ſanguinem tranſlanceati vel aperti lateris Ieſu, quaſi de cordis amore profluentis.	*ignoſcas* Per verbum Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt, quod ſummæ charitatis.	*ſed Apoſto.* Per ſanctorum Apoſtolorum interuentum, & merita, in quibus ſūma charitas relucet.
Fer. 5.	*Es piger,* Acedia per Dei præceptum, de ſanctificādo Sabbato prohibita.	*vt panem* Contra acediam pro virtute fortitudinis ora panē illū quotidianū, quo reficiaris & cōforteris.	*pede* Obſecra per ſāguinem ſacrorum pedum, qui nunquam pigri pro noſtra ſalute.	*conſummans* Per verbum illud, Conſummatum eſt, quod fortitudinis fuit, & conſtantiæ.	*peto Marty.* Per ſanctos Martyres, qui nulla acedia victi, vſque in finem perſeuerauerunt.
Fer. 6.	*Es cupidus.* Auaritia per diuinum præceptum, non furaberis, non concupiſces rem proximi, prohibita.	*fiat* Contra hanc auaritiā pro virtute paupertatis ora. Fiat voluntas tua, beneplacens & perfecta.	*manibus* Obſecra per ſāguinem manuum conclauatarū, quæ nunquam petenti clauſæ.	*Pater in* Per verbū quoque Pater in manus tuas commendo ſpiritum meū.	*peto confeſſ.* Per ſanctos Confeſſores & Monachos, qui omnia relinquētes Chriſtum ſunt ſecuti.
Sabb.	*Non luxus* Luxuria per præceptum Domini, non mœchaberis, prohibita.	*veniat* Contra quam, pro virtute caſtitatis ora. Adueniat regnum tuū, vt non regnet peccatum cōcupiſcentiæ in tua carne.	*ſciſſus* Obſecra per ſāguinem illius innocētiſſimi membri in circumciſione effuſum.	*Mulier.* Per verbū, Mulier ecce filius tu', quo nos filios caſtæ matri in caſtitate ſeruandos cōmendat.	*peto virgo.* Per ſanctas ſpōſas Chriſti, & pudicas, quibus nullum luxuriæ vitiū dominatum eſt.
Dom.	*Non gula* Gula diuino prohibita præcepto, non habebis Deos alienos coram me, ventrem enim pro Deo colere facit.	*ſanctificeſq;* Pro abſtinentiæ, vel ſobrietatis virtute pete, vt ſanctificetur nomen Domini, vt ventrem non colas.	*flagella* Obſecra per ſāguinem in flagellatione effuſum, qui fuit nutrimentalis.	*ſitit* Per verbum Sitio, cuius occaſione fellea fuit potione potatus.	*petit omnes.* Per omnes ſanctos verum Deum non ventrem colentes, ad regnum aſcenderunt per viam contrariam viæ primi lapſus.

Ad

Digitized by Google

Ad Matutin.	*Primas.*	*Tertias.*	*Sextas.*	*Nonas.*	*Veſperas.*	*Completorium.*
Hic tenebræ fugantur.	Lux exoritur.	Spirituſſanctus datur.	Sol in altum ſcandit.	Refectio paratur.	Operarij remunerantur.	Impij in carcerem truduntur.
Septẽ ſacramenta ſignata per ſeptem lotiones Naamã, & ſeptem riuos Iordanis orando; vt purgent vitia.	Septem virtutes principales ſignatæ per ſeptẽ filios Iob, quæ docent agere rectè.	Septem dona Spirituſſancti, quaſi ſeptẽ oculi ſuper lapidem, vel agni, quæ faciunt operari expeditæ.	Septem beatitudines, quaſi ſeptem gradus aſcenſus, & ſeptẽ panes, quæ faciunt operari perfectè.	Septem virtutes vitiis ſeptem oppoſitæ ſignatæ per ſeptem columnas, & 7. baſes, quę demictis vitijs operantur cõtrariè.	Septem dotes patriæ, quaſi ſeptem lucernæ, & ſeptem ſtellę quæ remunerãt in patria.	Septem pœnæ inferni, quaſi ſeptem phialæ, & ſeptem plagę nouiſſimæ, quæ faciunt declinare à malo.
Baptiſ.	*fides*	*Timor.*	*& pauper*	*humi*	*viſio*	*viſus.*
Pete ſacramẽti baptiſmi, quaſi cuiuſdã medicamenti efficaciam.	Fidei quoque virtutem ad rectè & piè credendum.	Timoris etiã donũ, qui mẽtem præmit; ne ſe erigat per ſuperbiam.	Beatitud. in ſu per paupertatis ſpir. quæ tumorẽ pellit inflãmationis. Huic paupert. regnũ promittitur cęl.	Humilitatem ſuperbiæ oppoſitam, & Chriſti pręcepto & cõſilio mãdatam.	Viſionem quoque ſummæ veritatis, quæ redditur humili credulitati.	Pete, vt viſionẽ dæmonũ horrẽdã euadas, atque aſpectũ terribilẽ, qua ſuperbi ſuæ vilitatis ignari puniẽtur.
Unctio	*ſpes*	*pietas*	*mites*	*pati*	*tentio*	*vermis.*
Pete vnctionem extremã, quæ iram leniat.	Spem quæ longanimiter aduerſa ſpei mercedis ſuſtinere facit.	Pietatis donum, quæ mentis lenitatem operatur, & placorem.	Mititatẽ, quæ omnem mentis rancorẽ tollit, & aſperitatem, cui in pręmium terræ poſſeſſio ſeruatur.	Patientiã quæ iræ opponitur, quoniam à Deo mandata & ſuaſa.	Tentionẽ ſummæ pacis, quæ dos in patria, ſpei hic patienti ſuccedit.	Vt vermem illum infernalem euadas, qui mentes litigioſas corrodet.
Hoſtia.	*charitas*	*ſciens.*	*luctus.*	*ſed amant*	*frui*	*fletus.*
Euchariſtiæ pete ſacramentum, quod amoris & charitatis fomẽtum optimum eſt.	Virtutem charitatis, quæ proximos propter Deum amat.	Scientiæ donũ, quod dolorẽ, & pro proximis apponit.	Luctũ etiã pro proximorũ peccatis & calamitatibus: vt promiſſam lugenti conſolationem aſſequaris.	Dilectionem proximi, & etiã inimici, quoniã præcepto Chriſti mandata, & conſilia ſuaſa.	Fruitionis ſũmæ bonitatis dotem, quæ charitati promittitur.	Vt inconſolabilem fletum infernalem euadas, ex fumo ignis illius cauſatum.
Confir.	*fort.*	*fort.*	*eſurient*	*feruens*	*agi*	*frigus.*
Pete confirmationis ſacramentum, quod roborat, & morbum corporis curat.	Fortitudinis virtutem quæ agilem facit ad operandum, & fortem ad patiendum.	Donum fortitudinis, quod ad optima molitur, etiam non mandata.	Eſuriem quoque & ſitim iuſtitiæ, omnem accidiam pellẽtem, cui ſatietas promittitur	Virtutẽ quoq; feruoris ſpirit' acedię oppoſitã per obed. & cõformitatis opera ſuaſa à Dom.	Agilitatis dotem, quæ in patria promittitur, non acedioſis, nec pigris.	Vt infernale illud frig' euadas, quod illic conſtringet à bono, eos qui hic acedioſi opari nol.
Ordo	*inſt.*	*conſil.*	*miſe.*	*liber*	*paſſibil.*	*ignis.*
Sacramentum pete ordinis, quo omnia relinquuntur, & Deus in ſortẽ & partẽ hæreditatis ſumitur.	Virtutem iuſtitiæ, quæ ſua vnicuique reddit, non aliena, vt auaritia, diripiens vel tenens.	Cõſilij donũ, quod pro tẽporalibus æterna mereatur habere theſaurum in cælo, terrenis relictis ſuadẽs.	Miſericordiã quoque, quæ neceſſitatibus proximorũ ſubuenit, quæ miſericordiam ſibi promiſſam cõſequetur.	Virtutẽ quoque cõtemptus diuitiarum, quæ opponitur auaritiæ, & à Domino ſuaſa eſt in Euangelio.	Impaſſibilitatis dotem, qua remuneratur, quem nulla auaritiæ paſſio affecit.	Vt ignem inextinguibilem euadas, qui auaritia inſatiabiliter hic ardentibus dabitur.
Coniugi	*prud.*	*intel.*	*cor*	*caſtus*	*clarus*	*& obſcur.*
Cõiugij ſpiritualis pete Sacramẽtũ, quod luxu. expugnat vitiũ, & ſignum caſtarum inter Deũ & animã nuptiarum.	Virtutẽ prudentiæ, quæ præ omnibus carnis deſideriis cæleſtes eligit voluptates.	Donum intellectus, quo animæ contuitus acuitur, ſicut luxuria obtunditur & hebetatur.	Cordis munditiam, quæ omni carnali immunditię aduerſatur, cui & viſio Dei promittitur.	Virtutem caſtitatis pete, quę opponitur luxuriæ, & à Domino mandatur & ſuadetur.	Claritatis dotem, qua dotabitur qui tenebroſas hic ſpernit carnalitates.	Tenebras illas palpabiles, vt euadas quæ hic impudicitiis excæcatos illic torquebunt.
Pœnite.	*temp.*	*ſapiens.*	*pax*	*frugi*	*ſubtili.*	*fœtor.*
Sacramentum pœnitẽt. quod per abſtinentiã & ſobrietatem in ſatisfaciendo valde expletur.	Pete quoque virtutẽ tẽperãtiæ, quę ſicut in õibus cõcupiſcentiis, ita in gula impetum reſtringit.	Donũ ſapientię, quo dũ guſtantur diuina, facile õnia terrena & carnalia ſpernuntur oblectamẽta, quare & gulæ.	Beatitudinẽ pacis, qua verè vires animę intra ſe pacantur, ac õnia inordinata deſideria quierãtur. cui promittitur vocari, & eſſe filium Dei.	Abſtinentiæ quoque ſobrietatem, quæ virtus eſt gulæ intemperãtiæ oppoſita, & ventrem pro Deo coli non ſinit.	Subtilitatis quoque dotem quæ dabitur ei, qui per corporales cibos, & groſſos vẽtrem guloſè non diſtendit.	Fœtores illos ſtagni ſulphuris ardentis, rectè illic per crapulam, & coram Deo & hominibus ſæpe fœtent etiam ſenſibiliter.

Digitized by Google

III. PRo harum ſeptenarum qualicunque declaratione notandum, quod triplices hic ſeptenæ proponuntur. PRIMÆ *ſunt conſiderationis*, quę ſcilicet ante orationem ſunt conſiderandæ; cuiuſmodi ſunt ſeptem vitia cum virtutibus contrarijs, quæ tamen ante dotes patriæ ponuntur. Oportet enim vt qui deuotè orare voluerit, ante conſideret vitij in ſe latitantis effectum, virtutiſque contrariæ defectum. Quæ duo, vt cognouerit, oportet vt primo pro vitijs vincendis, & virtutibus inſerendis, petendi modum agnoſcat. Hinc ſubdūtur SECVNDO *ſeptenæ petitionis* modi expletiuæ, quæ ſcilicet docent quomodo oporteat orare: ſcilicet *cum affluentia deſiderij* per orationem Dominicam, *cum confidentia ſpei* per Christi ſanguinem, & verborum eius in cruce efficaciam, *cum interuenientia* patrocinij per Sanctorum aſſiſtentiam. TERTIO annectuntur ſeptenæ, *quæ ſunt petendæ*, & hoc ſub ordine quodam. Vt ſcilicet *primo* petamus Sacramenta tanquam vitiorum quædam medicamenta, vt ab eis ſanemur, deinde virtutes, vt per eas rectè operemur: *Tertio* dona, vt expeditè: *deinde* beatitudines, vt perfectè operemur &c. Et hoc ſecundum tempora aſſignata, ſecundum ſeptem horas Canonicas, quæ tempora etiam myſteriis non carent, ſed longum eſſet dicere myſteria ipſa.

De practica autem vtendi dictum eſt ſupra; hoc tantum dicimus hic, quod & ante horas, & ſub horis, & poſt, crebrius talis oratio poterit formari (mentaliter tamen, ſi ſub horis fiat.) Domine, cui diſplicet omne vitium, & placet virtutis bonum; ego vitiis plenus, omni virtute deſtitutus, oro per orationis Dominicæ petitionem vltimam, *libera nos à malo*, cum deſiderij affluentia; per effuſum ſanguinem *in coronatione ſpinati capitis Ieſu*; & per efficaciam verbi in cruce dicti ad latronem, *hodie mecum eris in paradiſo*; cum confidentia ſpei; Per Sanctorum *Angelorum qui Lucifero reſtiterunt* aſſiſtentiam, cum interuenientia patrocinij; Da mihi Sacramenti *Baptiſmi gratiam*, qua deuincam vitium ſuperbiæ, da virtutem fidei: da donum timoris; da beatitudinem paupertatis, vt proficiam in virtute contraria humilitatis; vt ſic accipiam promiſſum præmium viſionis Dei, & euadam intentatum ſupplicium viſionis diabolorum.

MEMBRVM II.

Recommendatio harum ſeptenarum, & de vtilitate ſiue fructu earundem.

QVam autem poſitarum ſeptenarum vtilis, quamque commoda ſit earum exercitatio, etſi rationibus id demonſtrare non poſ-
IV. ſemus, merito ſufficiens eſſet inductiuū, quod magni illi viri in his ſe exercitare ſolebant. Nonne Seraphicus ille Doctor (Bonauenturam loquor) in dies laudem Deo dicens, pro
Art. 1. ſeptenis pariter exorabat? Puto prius ipſe (exemplo Ieſu) fecit; quàm docuit alios faciendum. Sed & venerabilis ille Gerſon apertè fatetur, quod in his ſe ſolitus erat exercitare: Vnde & crebrius meminit ipſe harum ſeptenarum in ſcriptis ſuis. Sed & eaſdem docuit chariſſimas ſorores ſuas: vt patet in Epiſtola ad eaſdem. Nec etiam antiquiores hæ ſeptenę latuerunt. Hinc lux Doctorum Auguſtinus, ſuper ſermonem Domini in monte, concordantias quarumdam tradit; Et venerabilis ille alter Auguſtinus Hugo de S. Victore ſingularem deſuper edidit tractatum. Deficiet me tempus, ſi ſingulorum, qui de his ſcripſerunt, nomina edicere tentem. Nonne Doctorum Summæ, pantheologia, ſermones, poſtillæ, ſeptenas vnā ſonant? Patet ergo non nouellæ eſſe inſtitutionis harum exercitium, ſed à Patribus frequentatum: vnde & à noſtris non refutandum: Præſertim cùm plures exinde vtilitates oriantur, vt patuit ſupra, vbi actum eſt de modo frequentandi eas. Nam & inde homo ad orationem redditur feruentior: fit nunc (vt iam illic declaratum eſt) attentior: Mens item fit reformatior, ita vt facilè phātaſmata, vagoſque cogitatus cohibeat, qui ſe his exercitandis dare volet, teſte Gerſone. Non enim huic valetudini, mentis ſcilicet euagationi, efficaciori medicamento ſuccurri poteſt, niſi vt certas ſibi homo materias præfigat, quibus (vtilioribus non occurrentibus) occupetur: vt docetur in ſecunda parte collationum Patrum, collatione 14. Qui autem has ſeptenas habet, illi nunquam materia deeſſe poteſt.

Hinc quarto amor virtutum, odiúmque vitiorum, imò & operatio virtuoſa, ſine noſtro multo conatu interdum procedit. Affici nempe & operari plerumque ſolemus, ſecundum ea quæ in mente verſamus: Tanta enim V.
eſt vis imaginationis: vt nonnunquam talia in opus prodire compellat, qualia ſæpius intentè apprehendit. Patet hoc in ouibus Iacob, quæ Gen. 30
ex forti (vt aiunt) imaginatione virgarum, partus his conſimiles, id eſt varij coloris, edidere. Hinc (vt Hieronymus ait) mulier quædam Æthiopem genuit, quia picturam conſimilem in cubiculo habuit. Sed & Hiſpani tali, vt ait arte vtuntur. Hæc autem non ſolum in partu, ſed & in aliis quibuſdam eſſe, magiſter Henricus de Haſſia ſuper Prologo Bibliæ declarat dicens: Qui de terra eſt, loquitur de terra: qui Ioan. 3
ſęcularia ſtudet, efficitur ſęcularis. Ratio, quia quiſque alteratur & immutatur, ſecundum conditiones earum rerum, de quibus meditatur, & iugiter imaginatur: Iuxta enim naturales medicos & philoſophos, imaginatio ſenſibiliter & realiter immutat corpus. Adeo quod quidam de medicis velint, quod imaginatio & cogitatio aſſidua ignis & flammarum calefaciant: glaciei verò & niuis, frigus inducant. Patet ergo quod cuiuſque ſtudium talem eum facit, qualia ſunt, quæ meditari ſolet: vt cuius conſideratio circa carnalia efficitur carnalis, & cuius iugis eſt meditatio circa ſpiritualia, efficitur ſenſim ſpiritualis. Has itaque ſeptenas, tanquam virgas oculis mentis proponamus, crebrius attentè de his meditemur & imaginemur: vt & nos virtutum fœtus ad harum ſimilitudinem edamus.

Quis oro iam non oblectabitur practica

Digitized by Google

tam facilitatẽ ſalutari? Imò hoc poſtremò auſim dicere, quod qui ſe his ſeptenis iuxta modũ aſſignatum exercet; ſcilicet pro his iugiter orando ſupra id quam putari poſſit in vitiorum eradicatione, virtutũque inſertione proficiet; magis quam ſi quopiam altero exercitio ſe exercitaret. Diximus enim, & monſtratum eſt ſupra, quod nullo inſtituto melius, quam gratia, de vitijs triumphus reportetur. Hæc autem oranti & petenti dari ſolet. Oremus igitur & accipiemus: Fixa enim regula eſt, *qui petit accipit*. Mat. 7. Non hortaretur petere, niſi petita vellet dare. Nec ſi mox te non exaudiri ſentias, dicas, ego quotidie oro, & nullum orationis fructum ſentio. Reſpondet tibi Bernardus, Sic inquiens, *loquitur humana ſtultitia, non attendens quid dicat veritas diuina. Amen dico vobis, quicquid orantes petitis, credite; quia accipietis, & fiet vobis. Noli ergo vilipendere orationem tuam, quoniam ille ad quem oras non vilipendit eam; ſed antequam egrediatur de ore tuo, ipſe eam ſcribi iubet in libro ſuo. Et vnum è duobus indubitanter ſperare debemus, quia aut dabit quid petimus, aut quod nouerit nobis vtilius*. Hæc ille. Conquieſcat ergo querela omnis, cedat pigritia, omnis torpor abeſto. Petat & accipiet, qui à vitijs liberari volet. Verè damnabilis negligentia noſtra, nulla non virtuoſo excuſatio patet. Non ad ſudores laborare oportet, non maria transfretare, non tranſalpinare pro virtutibus neceſſe eſt. Noſtro in deſiderio res hæc eſt poſita, tãtum petamus, & accipiemus; ſi tamen vt oportet petamus. Ideo enim, teſte Iacobo, plerumque non accipimus, quia malè petimus, quia non humiliter, feruenter & conſtanter. Oremus ergo pro ſeptenis, ſepties in *Pſal. 118.* die laudem dicẽtes, & voti compotes erimus, victoreſque vitiorum.

MEMBRVM III.

De concordantia harum ſeptenarum in genere, & vberiore praxi earundem.

VI. PORRO ſi qui poſitarum ſeptenarum concordantiam noſſe volent, non hanc à me expetere debent: Eſt enim res ſua ſponte cuique patula, & iam à pluribus deducta; Habent tractatulum Hugonis, habent in poſtillis & ſermonibus, & in Pantheologia quarundam concordantiam; Scripſit præterea ſuper harũ concordantia magiſter Ioannes Gerſon in cõpendio ſuo, etiam præcepta ipſa ad ſeptenariũ vitiorum reflectendo. Et (quem ante dixiſſem) Bonauentura in quarta parte Breuiloquij ſui, & alij complures; Sunt item ſuper harum cõcordia magiſtrales verſus editi ſatis vulgares; ſcilicet lib. 1. *timor*, *pauper* &c. Hoc tamen cuique notandum, quod magiſtri in concordando has ſeptenas non ſemper conueniunt; vnde nec turbari quis debet; ſi aliter hic ſeptenæ, quam in quorundam ſcriptis coordinentur. Non enim eſt inconueniens, ſi diuerſis reſpectibus eadem res diuerſis rebus concordetur vel opponatur. Vnde & ipſe Gerſon in cõcordando has ſeptenas ſecum diſſidet ipſe: Nam aliter in Compendio, aliter ad ſorores ſcribens, facit concordãtiam petitionum orationis Dominicæ contra vitia. Hoc quoque noſſe volumus lectorem, quod ordinauimus has ſeptenas, non vt concordant inter ſe; ſed vt reſpectum ad vitium vel virtutem habent.

§. 1. *De Superbia.*

PVTA hoc modo contra *Superbiam* ordinauimus *baptiſmum*, eo quod (teſte Gerſon in Compendio) homo ibi ſe maximè humili & communiſſimo elemento; ſcilicet aquæ, & prorſus ſe ſubjicit Deo. Sic & *fides* iuxta eundem, quia mentem illuminat, expellit ſuperbiam, quæ cor excæcat; Aut certè captiuum reddere animum in obſequium fidei, vbi ratio deeſt, ſumma *humilitas* eſt. Sic & *timor* qui mentem deprimit; ne ſuper alium ſe extollat, rectè ſuperbiam excludit, quę ſuper alios extollere facit. Sic & *paupertas ſpiritus*, quæ vera eſt humilitas, ſuperbiam excludit; Cui vitio per humilitatem deuicto rectè promittitur *regnum cœlorum*, vbi Rex erit ſublimiter regnans, qui ſe hic humiliter ſubiecit. Et quia dos viſionis fidei directè correſpõdet merito, & contra idem vitium ordinatur, & contrariæ virtuti in præmium datur. Et quia ſuperbus omne ſublime videt in terris, rectè ei viſio dæ- *Iob 41.* monis infligitur in tormentis. Et ſic in alijs facile eſt concordantiam inuenire. Qui autẽ verè in ſeptenis illuminari cupierit, qui de omni materia virtutum & vitiorum ſibi prouidere volet, ille poterit ſuper ſingulis meditabilia quædam aggregare, & ſic nunquam poterit deficere ei materia. Ad hoc autem valent libri, Compendium Gerſonis, & Theologicæ veritatis, dieta ſalutis, quarta pars Antonini, Speculi moralis pars prima, & huiuſmodi &c. VII.

Sed vt & cæterarum ſeptenarum quorundam inſtantia concordantiam demonſtremus, VIII. quis non videt, quam congruenter contra ſuperbiæ vitium petitur per vltimam petitionẽ orationis Dominicæ, ſcilicet *libera nos à malo*? Ipſum enim eſt initium omnis peccati, & maximum delictum, teſte Scriptura. Quod autem congruè obſecratur id ipſum per *effuſionem ſanguinis capitis ſpinati* facile patet; ſuperbus enim ſuos vortices extollit. Quod etiam directè per *verbum Domini, Hodie mecum eris in* *Luca 23.* *Paradiſo* &c. expugnetur, patet; ſuperbus enim ſocium in regno non admittit, ſolus vult dominari; Sed non ſic Dominus virtutum, qui docuit humiles eſſe corde. Recte etiam per *Angelos ſanctos*, vel ab Angelis pro ſuperbiæ *Matt. 11.* triumpho petitur; cęteris enim per ſuperbiam cadentibus, ipſi in humilitate perſtiterunt.

§. 2. *De Ira.*

PRo *Iræ* triumpho rectè petimus, *Et ne nos inducas*: Hæc enim eſt tentatio, qua & generaliter inuoluimur, & facilius inducimur; *Luca 22.* Et iuſte æque *per ſanguineum ſudorẽ* obſecratur, ira enim ebullitio eſt ſanguinis circa cor: Sed ille hanc iræ ebullitionem repulit, vnde & foris ſudauit. Iræ quoque contrariatur verbũ

Domini Mat.15.*Heli Heli lamazabathani*,quo in mediis pugnis,non indignationis aut iracũdiæ, ſed piæ conquæſtionis protulit verbum. Et pro hoc vitio deuincendo rectè adimus *Patriarchas & Prophetas*, de quibus ſæpe legitur, *Num.12.* quod mitiſſimi fuerũt ſuper terrã, vt de Moy- *2 Mac.15* ſe & Hieremia.Et Abraham ait, *Non ſit iurgiũ* *Gen.13.* *inter nos,fratres enim ſumus*.Rectè quoque *extrema vnctio*,teſte Gerſone,iræ opponitur; ira enim turbat, & tumere facit, vnctio lenit, & mitigat tumorem.*Spes* quoque iuxta eundem, quæ gaudio futurorũ cor lætificat, & aduerſa æquanimiter ferre facit, iuſtè expellit irã,quæ præſenti miſeria mentem turbat & grauat. *Pietas* quoque, quæ ſibi illatas remittit iniurias,iram excludit,quę vindictam quærit.*Manſuetudo* quoque irę directè opponitur; mitis enim eſt,quem ira vel rancor non afficit.& omnia manſuetè ferre nouit.Cui virtuti rectè *terra viuentium* promittitur;pietas enim *promiſſionem habet vitę quæ nunc eſt,& futuræ:* vt illic tunc glorioſè poſſideat, quod hic diſtrictè ab ita infrenauit.*Patientia* quoque quæ iræ directè opponitur, illam perimit. Tertio quoque rectè ſpei debetur, & patientiæ in præmium datur,vt tunc *teneat*, cuius cauſa tam viriliter ſpetando certauit.Huiuſmodi quoque iracũdo nulla decentior pœna,quàm *vermis cõſcientiæ* mordens: vt per quę peccauit, per hæc & torqueatur; Aliorum turbauit pacem: illic *Eſa. 66.* ſemper eum mordebit immortalis vermis.

§. 3. *De Inuidia.*

X. MErito quoque ordine pro inuidia deuincenda, & proximi dilectione acquirenda rogamus,*dimitte nobis debita noſtra:* Ait enim Apoſtolus Rom 13.*Nemini quicquã debeatis,niſi vt inuicem diligatis*.Et iuſtè per *ſanguinem lateris* obſecramus: Ille enim contra inuidiæ morbum eſt effuſus;vt,verè dicat Cant. 5. *Cant. 5.* *Vulnerata charitate ego ſum*.Ibi enim cor dilectione plenum aperuit:vt omne inuidiæ venenum curaret.Quod autem verbum illud, *Pater* *Lucæ 23.* *ignoſce* cõtra inuidiam militet, in quo pro crucifixoribus odio & inuidia dignis orat,non eſt qui ignoret. Quod etiam iuſtè *per Apoſtolos* pro inuidia vincenda, & fraterna dilectione obtinenda oremus,patet; ipſi enim ſunt, qui ſpiritum dilectionis ſuſceperunt, & mandatũ de diligendis inimicis & proximis, ſummè impleuerunt. Patet quoque;quod eſt *Eucharistia* Sacramentum vnionis, amoris & communionis,& ergo inuidię oppoſitum;eſt enim carbo *Eſa. 6.* & calculus ignitus.*Charitas* quoque quæ gaudet de proximi proſperitate, directè inuidiæ opponitur, quæ eſt odium alienæ fœlicitatis. *Scientia* quoque(iuxta Gerſonem) quæ mentẽ illuminat;inuidiam euacuat, quæ mentem excæcat; impoſſibile qui proximum noſceret, quod ei inuideret. Beatitudo quoque *luctus*, quæ & ſua,& proximorum (iuxta Auguſtinũ) mala deflet,inuidiã expellit,qua dolet de bono *Apoc. 21.* alieno.& lætatur de malo. Cui rectè *conſolatio* in præmium datur, qua abſterget Deus omnẽ lachrymam ab oculis Sanctorum; Et *dilectio* proximi,quæ opponitur ipſi inuidiæ, eam tollit.Rectè quoque *fruitionis* dos charitati datur; in ea enim radix meriti conſiſtit. Recta enim lance *fletus inconſolabilis*, inuidię datur in tormento,qui hic gratulatus eſt in alterius malo, & fleuit,vel contriſtatus proximi bono,&c.

§. 4. *De Acedia.*

QVam autem ordinate pro vitio acediæ depellendo oratur, *Panem noſtrum* &c. XI. in propatulo eſt.Ibi enim petitur robur,quod expellit acediam, quæ ignauia eſt & tædium boni operis, & ſeruitutis Dei. Per *ſanguinem autem de pedibus* obſecramus,qui nunquam attediati ſunt; ſed dum ambulare pro noſtra ſalute non poterant,ſanguinem effuderunt. Verbum quoque Domini,*conſummatum eſt*, valde hoc vitium expellit, quia non ceſſauit ab opere, niſi conſummaſſet impoſitum graue mandatum paternum. Quod etiam rationabiliter *Martyres* hic inuocamus, eſt in euidenti; ipſi enim ſunt fortes athletæ, qui non ignauia torpuerunt. Rectè quoque *confirmationis* Sacramentum contra acediam ordinatur, eo quod homo confirmatur, vt fortis efficiatur in ſpiritualibus,in quibus debilis eſt acedioſus.*Fortitudo* quoque,per quam in actus viriles conſurgemus, expellit acediam, per quam deſidia tabeſcimus. Donum quoque *fortitudinis* quod excellit in arduis,acediam tollit quæ torpet in imis.Rectè quoque *eſuries & ſitis iuſtitiæ* Acediam expellit, quę etiam ardua quæque aggredi optat pro iuſtitia & fide.Cui *ſaturitas* in *Pſal. 16.* præmium datur,quia ſatiabor cum apparuerit gloria tua.Iuſte quoque *feruor ſpiritus* acediã, cui opponitur,fugat. Rectè quoque *dos agilitatis* feruori, qui acediam vicit, promittitur: vt & in patria ſit agilis,qui hic noluit eſſe acedioſus,piger & torpidus.Sic e regione torpidis & pigris ,*frigus & ſtridor dentium* etiam datur in *Matt. 8.* pœnam: vt qui hic voluntate operari noluerunt,illic neceſſitate frigoris à bono conſtringantur.

§. 5. *Auaritia.*

IVſtè pro auaritiæ pellendo vitio petimus, XII. *Fiat voluntas tua*; vt ſcilicet etiam conſiliis pareamus,quę ſunt,vt omnia vendamus.Iuſtè item *per ſanguinem manuum* obſecramus,quas nunquam inopi clauſit,ſemper omni animãti aperuit,& dum vltra,quod daret non haberet, ſanguinem copioſè fudit. Rectè etiam contra auaritiam verbum illud, *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*,facit,qua nil ſibi retinuit;ſed poſtquam omnia legauit,etiam ſpiritum Patri commendauit,& litauit.Rectè per *Confeſſores* petimus,qui omnia reſpuerunt, & Chriſto in nuditate & paupertate ſeruierunt. Sacramentum *Ordinis* vitium auaritiæ extirpat,quia ordinati mundana reſpuentes,Deum *Num. 18.* in portionem & ſortem ſibi elegerunt. Vnde & in ordinum initio illud Pſal.15. dicunt, *Dominus pars hæreditatis meæ*. *Iuſtitia* quoque, quæ ſua vnicuique tribuit,rectè auaritiam eliminat,quæ aliena retinet & rapit.*Conſilium* etiam quod docet pro tranſitorijs æterna mer-

cari, remouet auaritiam, quę in, & pro terrenis tantum quærit negotiari. *Miſericordia* quoque beatitudo, quæ aliis dimittit minora: vt ei maiora dimittantur, & confert terrena: vt obtineat cæleſtia, auaritiam excludit; cuius eſt proprium congregare, & non remittere, vel ſua conferre aut impertiri. Rectum præmium huic reſpondet, quoniam *miſericordiam conſequetur*, qui auaritiæ virium extinxit, & alijs ſtuduit misereri. *Contemptus diuitiarum*, qui cum opponatur auaritiæ merito eam tollit. Et qui hic omnia abiecit *impaſſibilitatis* dotem accipiet, quia eum hic nullus auaritiæ appetitus affecit. Et quoniam auarus ſemper arder plura habere, illic ſatiabitur, dum in *ignem inextinguibilem*, (vt ſicut arſit in terris cupiditate, ita illic pœnalitate ardeat) projicietur.

§. 6. *Luxuria.*

XIII, *Rom. 6,* PORRO qui ne regnet luxuriæ peccatum in corpore ſuo volet, quo melius, quam per *Adueniat regnum tuum* exorare poterit? Sunt enim corpora noſtra, & templa, & regna Dei.
1. Cor. 6. Et hoc per *ſanguinem circumciſionis*, quia illo membro profluit, in quo in nobis conſcupiſ-
Ioan. 19. centia viget. Et per verbum, *mulier ecce filius*, quo caſtæ virgini filios in caſtitate ſeruandos commendat. Nobiſque caſtitatis matrem in exemplum dedit. Et recte Chriſti *virgines* & ſponſas adimus, vt ſicut ipſæ vicerunt, ita & nobis impetrent vitij huius triumphum. Recte *matrimonij* ſacramentum contra hoc vitium ordinatur; vbi turpis voluptas honeſtate obtegitur nuptiarum; Aut *ſpirituale matrimonium* intelligimus, quo Deo deſpōſamur. *Prudentia* etiam illi aduerſatur, quę (ſecūdum Auguſtinum) incorruptionem corruptioni præponit, & euacuat luxuriam, qua corpus & anima corrumpuntur. Donum quoque *intellectus* illi opponitur, quod (iuxta Auguſtinum) ab omni infirmitate carnali corda mundat, & in bonis ſpiritualibus oblectatur. *Munditia* etiā cordis omni immunditiæ aduerſatur, amicum
Prou. 22. habens Regem, ſpernit luxum carnalem. Cui recte *viſio Dei* promittitur, quem ſoli mundi cordis oculi videre poſſunt. Et *caſtitas* quæ luxuriam ſecum non patitur, proculdubio eam fugat. Cui etiam *claritas* in dotem datur, eo quod tenebras ſpreuit carnales. Et ſordido qui computruit in ſtercoribus, vt iumentum, *tenebræ* parantur palpabiles infernales. *Matth. 5.* *Ioel. 1.*

§. 7. *Gula.*

QVi gulam (quam plures, qui ventrē pro Deo colunt, obſeruant) vincere volet, vt *Sanctificetur in eo nomen* Dei oret, oportet; vt ſcilicet granditer nomen Dei æſtimet: vt eius nominis æſtimatione gulam frenet. Et hoc per *ſanguinem flagellationis*, qua totum corpus eſt afflictum, & ſanguis nutrimentalis pro ſatisfaciendo pro noſtra gula eſt effuſus. Per verbū quoque illud, *Sitio*, cuius occaſione potatus eſt aceroſo & felleo poculo. Et hoc per omnes *Sanctos* qui Deum coluerunt, & non ventrem pro Deo habuerunt. Et contra gulam recte eſt *pœnitentia*, quæ carnis macerationem inducit, & abſtinentiam. Et virtus *temperantia* quæ exceſſum reprimit, gulam pellit, quæ modum excedit; donum *ſapientiæ* quæ propriè eſt ſapida Dei ſcientia, ſaporem ſpernit cibi. *Guſtato ſpiritu deſipit omnis caro*, ait Gregorius. Et pacis beatitudo gulam deteſtatur, quæ ſeminaria præſtat litis; aut certè *pax* illa omnem concupiſcentiam inordinatam, qualis eſt & gula, tollit. *Sobrietas* & frugalitas gulam necat, cui reſpondet *filiatio Dei* quæ paſcitur cibo Paterno. Et datur *ſubtilitas* in dotem; quippe quia per gulę exceſſum non extendit neque aggrauauit ventrem; Guloſis autem varia pœnalitas paratur, & cruciantur in *lingua*, cuius in terris quæſierunt oblectamenta. Et *fœtor* intolerabilis eorum erit pœna, quoniā guloſi & hic in præſenti ſemper fœtent. Hæc paucis de correſpōdentia addidimus, quibus ſecus videtur teneāt quæ volunt. Potuiſſemus pluribus teſtimonijs & perſuaſionibus ſingula declaraſſe; ſed non hic magna vis conſiſtit. Diuerſitas vt diximus, prouenit ex conſideratione diuerſa. XIIII, *Phil. 3.*

III.

TITVLVS XIII.

PROFECTORIVM VIRTVTVM.

PROLOGVS.

IBVNT *de virtute in virtutem.* Pſalm. 83.

POSITIS in ſuperiore diſtinctione quibuſdam practicis, pro deputatione mentis & extirpatione vitiorum; in hac iam conſequenti ordine agendum eſt de inſertione virtutum & profectu, in reformationem vlteriorem hominis interioris. Verum quoniam de profectu hominis interioris, imò totius Religioſi ſtatus, optimé agitur in *Profectu Religioſorum:* ideo de nobis diffiſi colligere meliora; volumus paucis commemorare illic tradita. Non quidem prolixius ea proſequendo; (quoniam liber hic nulli Religioſo deeſſe merito poteſt) ſed ſub verſibus potiora perſtringendo: vt occaſio detur crebrius exercendi, & facilius memoriter retinendi. Nec etiam omnia, quæ ipſe ponit, ponere intendimus; quoniam plura in ſuperioribus poſuimus. Nec etiam ſuum ordinem inſequi, à primo libro incipiendo; ſed illum ſecundo intexendo, vt ſic propoſito noſtro ordini aliqualiter quadret, vbi de profectu agere mentis fuit. Nec, quæſumus, arguat nos quis de ſuperfluo; quoniam paucis nos expediemus. Et licet eadem dicemus; dicendi tamen modum immutabimus, vt vel ſic formam demus poſteris ſimiliter agendi in alijs, & ſuppleamus plura, de quibus ante nil diximus.

De cautelis proficere volentium, & varijs ſtatibus Religioſorum; & ſeptem dietis.

CAPVT I.

HÆC eſt via, ambulate in ea, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram. Eſa. 30. QVISQVIS ergo verè volet de virtute in virtutem ire, cum Iſaac creſcere & magnus fieri, cum Ieſu coram Deo & hominibus proficere, & cum S. Ioſeph verè filius accreſcens dici & eſſe, ſubnexam ſeptem dietarum viam ambulet, nec ad dextram, aut ad ſiniſtrã ab ea declinet, & voti compos fiet. Pſal. 83. Gen. 21 Luca 2.

Verum priuſquam ad dietas veniamus, primum *de ſtatuum diuerſitate* aliqua, ex primo libro profectus dicamus: & *quæ cauenda ſunt proficere volenti* præmittamus. Nota ergo iuxta autorem *profectus*, qui volet proficere, in quattuor cautus eſſe debet.

Non tepeas, mala nec moueant, temerum fuge ſortis.

PRIMVM, ne à primo nouitiatus feruore tepeſcat, ne dicatur ei illud Apocal. 2. *Habeo aduerſum te, quod charitatem primam reliquiſti*; Sed qualis primo die fuit, ſic ſemper viuat, iuxta illud Exod. 12. *Mementote diei huius, qua egreſsi eſtis de Ægypto.*

SECVNDVM eſt, ne moueatur malorum & tepidorum exemplis, ſed velut ſagax artifex & pictor, meliora exempla quærat & imitetur: dicit enim Ioannes, *Noli imitari malum, ſed quod bonum eſt.* 3 Ioan. 1

TERTIVM ne iudicet temere facta aliorum, ſed interpretetur omnia in meliorem partem, ſi vult tranquillum cor habere, alios non turbare, & Deum non offendere. *Nolite iudicare, vt non iudicemini*, Luc. 6.

QVARTVM eſt, ne frangatur aduerſis; ſed fortiter perferat cuncta, cogitans quia ad hoc venit, & ingreſſus eſt bellum. Oportet nos per multas tribulationes intrare in regnum Dei. Act. 14.

NVNC de Religioſorum generibus videndum, quorum tria ſunt.

Treſq́ ſtatus monachi, Gerſon, merari, chaat hi ſunt.

Hi ſignantur per tres familias Leuitarum. *Primi* boni, *ſecundi* meliores, *tertij* optimi. *Primi* Religioſi per Gerſonitas ſignati, qui in profectione caſtrorum portabant tectum tabernaculi, vela & quæque tactu mollia. Hi ſunt, qui refugiunt ardua & auſtera, & leuia exercitia & exteriora obſeruant: & hi ad occidentalem plagam, poſt tabernaculum caſtrametabantur. Nam qui hic extrema in exercitijs virtutum obſeruare contenti ſunt, in futuro cum extremis remunerabuntur. *Alij per Meraritas*, qui interpretantur amari, ſignantur, qui portabant tabulas, & quæque dura: hi ſunt qui duram vitam in corporali exercitatione ſeruant, virtutum internarum ignari. Et ergo ex latere ad aquilonem manſionem capiunt. *Tertij* ſignantur per *Caathitas*, qui interpretantur patientes, vel componentes: Et portabant Sãctuarium, inuolutum tamen. Hi ſunt qui ſtudent interiorem hominem, in quo Chriſtus habitat per fidem, componere, & vitia extirpare. De his per Amram veniunt ſacerdotes, qui Sanctuarium reuolutum vident & tractant, id eſt contemplatiui. Eligat quiſque de qua familia volet eſſe. Sunt etiam tres ſtatus Religioſorum iuxta Bernardum, ſcilicet *incipientium*, quem animalem & rudem vocãt: *proficientium* quem rationalem, & *perfectorum*, quem vocant ſpiritualem. Num. 3. II. Epheſ. 3

Incipiens eſt proficiens, eſt perficienſq́, Eſt animalis, & eſt rationis ſpiritualis.

De ſeptem profectuum proceſſibus, & de tribus primis in particulari.

CAPVT II.

SED poſtquam diſtinximus ſtatus, videndum eſt quibus profectuum greſſibus & gradibus aſcendendum eſt ad eorum ſũmum. Vnde ſeptem ponit progreſſus autor profectuum:

Feruet & exercet, ſolans, pugnat, meditatur, Virtus, contemplans, hos ſeptem carpe proceſſus.

§. 1. *Prima dieta eſt Feruor nouitialis.*

PRIMVS ergo proceſſus eſt in feruore nouitiatus, qui in his conſiſtit, I.

Ad bona cuncta calet, placet, placeat nemus almo.

Id eſt, quod quodam impetu bonæ voluntatis eſt ad omnia paratus, vt ſic Deum iratum per bona opera placet & reconciliet, & ei placere poſſit, & tempus redimat amiſſum. Sicut viator qui longius dormiuit, poſt accelerat: vt ſocios, qui præceſſerunt, inſequens inueniat, hic opus diſcretione.

§. 2. *Secunda dieta, labor corporalis.*

SECVNDVS proceſſus eſt in labore corporalis exercitationis, qui in his duobus conſiſtit, In ſubtractione delectabilium, Et in exercitatione aſperitatum,

Subtrahit oblectans corporalis, & aſpera ſuaſit.

Et exhibet ſic corpus Hoſtiam viuentem. In qua oblatione oportet etiam eſſe ſal diſcretionis. vt rationabile ſit obſequium eius. Nam propter indiſcretam corporis caſtigationem multa veniunt mala: Corpus deſtituitur, vires deficiunt, ſenſus amittitur, ſpiritus extinguitur, totus profectus ſpiritualis diſſipatur, adſit ergo ſal, &c. Ex moderata autem corporis caſtigatione veniunt bona multa, Rom. 12 Leuit. 2

Digitized by Google

peccata. vitia. virtutes.
Expurgans. reprimit. auget.
ſpiritum deuotionis. exemplo proximorum. [illegible].
Solans. trahit. aſtra.

§. 3. Tertia dieta.

II. TERTIVS proceſſus eſt in ſpiritualis conſolationis infuſione, quæ in duobus conſiſtit, nam

Mens carni concors, vireſq́ decoras.

Spiritualis cõſolatio eſt { In carnis & ſpiritus concordatione. / In virium decoratione. }

Vera ergo ſpiritualis conſolatio eſt, quando corpus ſpiritui obedit: ſicut Domino ſeruus: Et quando ſpiritus, ſicut prudens Dominus ei prouidet de tribus: ſcilicet vt *operetur vtiliter*, ne ocio torpeat, *vt caſtigetur diſcere*, ſi in aliquo offendit; *vt ſuſtentetur temperatè*, ne laſciuiat, aut ſub onere deficiat.

Secundo ſpiritualis conſolatio conſiſtit in naturalium animæ potentiarum reformatione & decoratione: Ad quam omnium religioſorum ſtudium tendere debet; Quas qui vult reformare, oportet noſſe quomodo ſint deformatæ, & quomodo ſunt reformandæ.

Quomodo vires animæ deformatæ.
Notula I.

III. NOta ergo ex primo libro, quòd tres vires ſic ſunt deformatæ.

Eſt ratio cæca; vaga mens; curuata voluntas.

Nam ratio, quæ data erat, vt Deum cognoſceret: cæca facta eſt, & ſæpe falſum pro vero ſuſcipit. Sic memoria, quæ data eſt, vt in Deo quieſceret; inſtabilis & vaga facta eſt, occupans ſe in illis, quibus inquietatur, & deſerit ſummum bonum. Sic voluntas, quæ data eſt, vt Deum amaret; curua & fœda facta eſt, eligẽs ſæpe malum pro bono. Et ſic tota anima, cum inſitis affectibus eſt deformata; vt nempe

vires concupiſcibiles amant fœda.
Fœda petit cupiens,
iraſcibiles cupiunt mala.
Iraſcibilis mala poſcit.

Notula II.

IV. SEd nunc quibus gradibus ſingulæ vires ſint reformandæ videndum, & primum de ratione.

Crede fidem, rationes, in raptu ſpeculare.

Hoc eſt, INITIVM reformationis rationis eſt, *fidem* catholicam firmiter credere: Nam dedit Deus nobis oculis lippis Scripturam ſacram, cui credere debemus, etiam non intellectæ, dicente Doctore, *Quæ per magiſtrorum*, ſeu Doctorum fidei *conſilium data ſunt a paſtore vno*;
Eccli. 12. ſcilicet Deo, *fili mi, his amplius ne requiras.* PROFECTVS rationis eſt ex illuminatione diuina rationes fidei aliquatenus intelligere; PERFECTIO eius eſt, in hac vita per mentis exceſſum ſupra ſe rapi, & puriſſima mẽtis Deum intelligentia, in contemplatione videre. ORNATVS Rationis eſt, lucida intelligẽtia de Deo, & de Scripturis, & pertinentibus ad Deum vel verum.

De reformatione Memoriæ.
Notula III.

MEmoria ſimiliter tribus gradibus reformatur, ſcilicet V.

Stringe vagam mentem, lætus ſis neglige cuncta.

INITIVM enim reformationis eius eſt, mentem euagantem cum labore reducere ad Deum, orando, legendo, vel ſuperficialiter cogitando. PROFECTVS eſt, bonis meditationibus, & orationibus, latè, ſine importuna euagatione poſſe intentum eſſe. PERFECTIO eius eſt, ita in Deum abſorptum eſſe per mentis exceſſum: vt ſuiipſius, & omnium, quæ ſunt, obliuiſcatur. ORNATVS Memoriæ eſt, ſacrarum copia cogitationũ, & ſtabilis Memoria Dei, & perfecta obliuio omnium mundanorum.

De reformatione voluntatis.
Notula IV.

GRadus reformationis Volũtatis ſimiliter ſunt tres, ſcilicet VI.

Obſiſtens vitijs, adames nihil, vnus amore.

INITIVM eſt, ex bono voluntatis aſſenſu vitiis reſiſtere, & operibus virtutum viriliter & fideliter inſtare, propter Deum ſe cogendo. PROFECTVS eius eſt, omnes affectiones habere ordinatas, & in virtutes formatas ſine rebellione: vt iam nil amet, nec libeat, niſi quod eſt ſecundum voluntatem Dei. PERFECTIO eius eſt vnum cum Deo eſſe in ſpiritu per amorem: vt iam non poſſit velle, niſi Deum, & eius ſuauitatis dulcedine inebriari. Vel, hæc voluntas eſt deformata triplici impuritate (vt in *Beatus vir* docetur.) Et ſic reformatur,

Aut { Amat non amanda. / Non amat amanda. / Torpet circa amanda. } Reformatur { Fide, vel timore. / Spe, vel ſpei cõſiderõe. / Charitate, vel amore. }

ORNATVS voluntatis ſunt ſanctæ affectiones, & deuotio ad Deum, Chriſtum, & huiuſmodi, quæ alliciunt ad virtutes, & odium vitiorum.

ECCE, vires animæ ſic reformatas & ornatas habere, eſt ſpiritualibus conſolationibus foueri: Senſibiles ſæpe ſunt ſuſpectę; Datur autem ſpiritualis conſolatio in principiis cõuerſionis, ob multa,

Deus, & bonum eſt ei ſeruire. ſit in remunerando ſibi ſeruientibus. virtutes aſſuat theologicas.
Quam bonus, & largus. tres.
contra tentationes futuras. vt videant quo pergendum ſit.
munit. & erudit iſtis.

Hæc de tertio profectus proceſſu.

De quarta dieta profectus, quæ eſt ſtatus tentationis.

CAPVT III.

I. QVARTVS ſtatus eſt tentationis & pugnæ,quæ pluribus ex cauſis bonis immittuntur;ſcilicet ob iſtas.

Lucta probans, purgat, exercet, & erudit, eſt lux.

PRIMO, homo per illam *probatur:* ſicut omne nobile probari ſolet, ſi valeat, ſicut debet. Thob.12.Quia *acceptus eras Deo, neceſſe erat vt tentatio probaret te.* Eccli.37. *Vaſa figuli probat fornax.* SECVNDO *purgatur* homo à peccatis, vt dignus ſit gloria cæleſti, & maioris gratiæ capax:ſicut vitrū obſcurum tergitur, vt luminis āplius ſit capax. TERTIO, homo *exercitatur*;vt agilior ſit ad exercitia virtutū, & diſcat,quod ſapiētia perfectū opus habet. QVARTO *eruditur*, vt ſciat quæ ſit vtilitas tentationis,& non inniti ſenſibili cōſolationi;ſed ſcripturæ ſacræ & ſemper ſperare in Deum, etiam ſi occiderit ipſum.Iob 13. POSTREMO homo *illuminatur:* vt agnoſcat quid ſit ex ſe,& diſcat humiliari, & quod omnia à Deo accepit.

SVNT AVTEM quattuor à quibus tentamur.

II. *Tentamur Carne,Mundoq́;,Dæmone, Chriſto.*

A Carne tentamur, quando naturalibus vitiorum motibus ad peccandum ſollicitamur; & hoc,vel quia appetit mala;vel quia retardat à bonis. *Mundus* etiam dupliciter tentat,*ſiue* oſtendendo nobis proſpera,quibus alliciat,ſiue aduerſa,quibus terreat. *Diabolus* licet omnium tentationum ſit incentor;duabus tamen maximè infeſtat:Aut quia fidem veram conatur auferre, & ſpiritu blaſphemiæ ſeu deſperatione ſubuertere; aut quia mala ſub ſpecie boni perſuadet, in Angelum lucis ſe transfi-
2. Cor. 11. gurans. *Deus* nunquam tentat in malo, quia non lætatur in perditione noſtra; Sed tentare dicitur, cùm, aut flagellat aliquos in præſenti ad profectum eorum & aliorum, vt Iob, & Thobiam; aut cùm probat eos aliquibus arduis virtutum exercitiis,vt Abraham,&c.

III. QVOMODO autem his ſit remediandū tentationibus verſus ſequens dicit:

Obſiſtas Sathanæ,fuge Carnis,fer Deitatis.

1. Pet. 5. Luc. 4. Hoc eſt, diaboli tentationibus eſt fortiter in fide reſiſtendum, & fugiet à nobis; Carnis melius euadimus fugiendo, quia non eſt tutū diu cohabitare ſerpenti; Diuinæ verò caſtigationes humiliter & patienter ſunt tolerandæ, & eius iuſſis omnino obtemperandum.

SVNT quoque diuerſæ ſpecies tentationis, quibus impugnantur electi:

Subtractus, grauit acedia, blaſphe. patiens non.

IIII. PRIMA ſpecies eſt *ſubtractio deuotionis*, & eſt hæc grauis,quia deuotio eſt quaſi domus refugij ab omni tribulatione: Et fit ad probationē fidei, ſpei, & charitatis; Et debet tantum homo tunc Deum diligere,ſicut quando blanditur. Apocalyp. 3. *Ego quos amo, arguo & caſtigo.* ALIA tentatio eſt *ex grauedine* & difficultate bene agendi torpere: Volunt quidam ſic tentati bonum;ſed diffidunt ſe poſſe, ſicut qui dicebat,*Velle adiacet mihi,perficere non inuenio,* &c. Rom.7. Et hinc aridi,triſtes,ſæpe & murmurantes. In cuius figura dicitur de exploratoribus terræ promiſſionis,quod terram com- Num. 13
mendabant; ſed difficultatem expugnationis allegabant. EST TERTIA ſpecies faſtidij & acediæ,qua faſtidit omne bonum, vt orare, legere,& ſic de alijs. Propheta Pſal.106. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorū,*&c. Hinc autē quæruntur exteriores conſolatiunculæ, quibus occupentur, aut triſtitiæ oriuntur inordinatæ, quia non habent in quo oblectentur. Solum hic reſtat *clamare ad Dominum, vt de neceſſitatibus liberentur;* Quæ conſolatio ſi non ſucceſſerit,ſequitur alia tentatio; ſcilicet *impatientia* contra Deum,quare tam durus, parcus,& immiſericors? dicens illud Iob, *Clamo* Iob 30.
ad te, & non exaudis me, ſto & non reſpicis me. Mutatus es mihi in crudelem &c.Hęc non valet melius ſuperari,niſi patienter tolerando,& humiliter expectando;donec cœlum ſupra nos æreum tranſeat,& ferrea terra cordis, pluuijs pietatis emollita, gignat affectus pietatis. Sed tentatio magis periculoſa eſt, quæ minus moleſta ſentitur veniens ex remiſſione ſoliti feruoris: Contra quam oportet,vt homo vim faciat ſibi, ſe continens in cuſtodia ſui.

SVNT & aliæ innumerę tentationm ſpecies, ſicut & corporalium morborum varietates. Quarum acerbiſſimæ vnitur, Hæſitatio in fide,deſperatio,& huiuſmodi quæ non melius;niſi non curando vincuntur.

quia magis faciunt ad meritum. *quaſi viſibiliter Sathā viderent.* *nec ratiocinando reſiſtant.*

Non timeant.tolerent. non curent.

ipſi orando, & aliorum orationibus ſe commendando.

ſed prece bellent.

Generaliſſima tentatio eſt per variorum vitiorum impulſum; ſed vtile eſt tentari. Eccli. 34. Qui *non eſt tentatus, qualia ſcit?* Nam & in ſubtractione conſolationis tria diſcimus, quæ ſunt hæc,

etiam de minimis bonis. *minimas culpas.*

Gratus, præcaueas,

etiam paruum, quia maiora non ſuperat, qui minora ferre non diſcit.

aduerſum ferre doceris.

TENTATIO ergo, vt hic ſumitur, poteſt eſſe & dici quilibet motus,vel affectus, aut ſenſus,à vero bono retrahens:

Aut	Alliciēdo, Terēdo, Deciēdo.	per	Delectabilia, Cōtraria, Veriſimilia.	hic tētatur	Cōcupiſcibilis. Iraſcibilis. Rationalis.

Vtrùm autem vtilius ſit habere tentationes, aut carere,ſolus rei exitus probat: Quia reſiſtere eſt magnæ virtutis,ſuperaſſe autem glorioſum:Carere autem eis,ſæpe commodius & ſecurius eſt;ſuccumbere periculoſum; Appetere eas,& ſeſe ingerere, incautum ſæpe, maximè in imperfectis, & in pugnis carnalibus. Exercitare ſe tamen in ſpiritali pugna, quandoque

Digitized by Google

doque vtile eſſe ſolet. In tentatione autē tria dolemus, ſcilicet laborem pugnę, & inquietudinem cordis; vel timorem ne ſuperemur, vel quod nimis debiliter reſiſtimus, & ſic Deum offendimus.

OMNIBVS autem tentationibus, his quatuor modis eſt reſiſtendum,

Auertens, fugias, tolerans patienter, & ora.

Primo cogitationes inde auertere, & alias occupationes aſſumere: *Secundo*, occaſiones declinare, maximè carnales; *Tertio* patienter, & humiliter virgam Domini ſuſtinere. Gregorius, *Qui appetit plenè vitia vincere, ſtudeat humiliter purgationis ſuæ flagella tolerare*. *Quarto* orationi incumbere, & aliorum ſuffragia petere. Pſalmiſta pſal. 49. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Et hæc de ſtatu pugnæ & tentationis.

De quinta dieta profectus, in remediatione virtutum.

CAPVT IIII.

QVINTVS religionis progreſſus, eſt ſingularium vitiorum tentationibus ſingularibus remedijs mederi: & poteſt ſtatus curationis vel ſpiritualium remediorum dici; In quo cura diligens vitiorum morbis adhibetur: vt ad ſanitatis ſtatum perueniatur; ergo primum de morbis, & malorum remediis eſt videndum, deinde de ipſa ſanitate.

MEMBRVM I.

De remedijs morborum ſpiritualium.

I. NOTA ergo in primis quàm plurima, quæ vitia inducunt,

vnus eſt fons vitiorum, ſcilicet ſuperbia. — *duo, ſcilicet amor, & timor.*

Fons vnus, riui

triplex, concupiſcentia carnis, oculorum, ſuperbia vitæ. — *quattuor, ignorantia, concupiſcentia, malitia, infirmitas.* — *mortalia.*

tria paſcunt, bis duo, ſeptem.

Et ex illis quattuor vulneribus, vel defectibus prouenit, quod tam proni ad malum ſumus. *Ignorantia* enim excæcat, ne verum agnoſcamus: ſed erremus in iudicio boni & mali; *Concupiſcentia* emollit ad appetendum delectabilia carni; *malitia* exaſperat cor ad iram; *infirmitas* debilitat ad reſiſtendum malo. Hæc quattuor incidimus, & contraximus ex originali. Ex quibus ſeptem vitia ſcilicet.

Superbia, eſt amor proprie excellentiæ. — *Inuidia, odium alienæ fœlicitatis.* — *Indignantis animi turbida commotio.*

Faſtus. In. ira.

Acedia, eſt tædium boni ex torpore animi. — *eſt cupiditas ſupra neceſſe habendi temporalia.* — *eſt inordinatus alimenti appetitus.*

vel ac. vel auar. gula crimina

eſt illicitus ardor libidinis.

luxus.

Hæc vitia tribus expelluntur, vt ſupra dictum eſt.

quæ virtutem infundit. — *Induſtria cooperatur.*

Gratia, duſtria,

Neceſſitas conuertitur in virtutem ſæpe.

depellunt peccata neceſſi.

§. 1. *Remedia generalia.*

EFficaciora remedia vitiorum ſunt iſta, II.

Pauper, deſpectusq́; magiſterium, fuga poſcas.

Et tribulatio poſt meditando nouiſſima, curant.

PRIMVM remedium eſt *paupertas*, vt in omnibus penuriam patiaris, etiam in neceſſariis. SECVNDVM *deſpectio* hominum, etiam amicorum; ſcilicet, vt exprobreris & confundaris, donec tumor elationis penitus in te comprimatur. TERTIVM, ſtrenuum *magiſterium*, vt cogaris facere, quod inuitiſſimè faceres; & nihil habere, niſi quod tibi datur; nec agere, niſi quod iubetur; nec loqui, nec eſſe, niſi ad nutum alterius; & aſperè reprehendi ſemper; donec toruitas propriæ voluntatis, plenè ad rectitudinis formam reducatur. QVARTVM eſt *fuga & elongatio* à conſortio ſæcularium, *Similitudo.* quia ſicut aqua turbata, ſi ponatur ſeorſum à frequentia tranſeuntium, purificatur magis; ita mens ſequeſtrata magis Deo hæret. QVINTVM eſt frequens oratio mentem eleuans, & curationem atque ſanitatem impetrans. SEXTVM eſt quælibet afflictio vel tribulatio aduerſitatis, abradens rubiginem vitiorum, ſicut lima ferrum, cùm fuerit patienter tolerata. SEPTIMVM eſt continua mortis, & omnium nouiſſimorum meditatio, quæ facit vitia timere, & virtutibus inſiſtere. Et hæc ſunt generalia remedia.

§. 2. *Remedia ſpecialia.*

SVNT etiam ſpecialia remedia ſingulorum vitiorum, quæ facilius curant, & potiſſimum contraria eorum. Sicut enim arte medicinæ contraria contrarijs curantur: ita vitia contrarijs remedijs exercitiorum ſanantur; vt ſuperbia humiliatione, gula ſubtractione cibi, & ſic de alijs.

De vitio ſuperbiæ; et quod triplex ſit ſuperbia, eiusq́; remedia. Notula I.

IAm de ſingulis vitijs, & præſertim de eorū remediis videndum, & primum de SVPERBIÆ vitio. Circa quam notandum quod multiplex & præſertim triplex ſit ſuperbia, III.

Reputando ſe maiorem quam ſit in veritate. — *Appetere alijs placere, & videri maior quàm ſit.*

Se reputando, placere cupit,

Ambire & præeſſe alijs, qui repugnat contra Deum.

vel præeſſe ſuperbus.

De

De ramis & filiabus in alijs libris, præſertim in Summa vitiorum agitur. Periculoſius eſt, & maioris culpæ ſuperbire de bonis gratiæ; quam naturæ vel fortunæ.

I T E M ſunt quattuor ſpecies Superbiæ huius.

habere ſe bona putant. *Suis ſibi, & non gratis collata.* *Se de bonis datis.*

Ex ſe, pro meritis, iactans,

In quibus non videt ea bona quæ ipſe habere ſe putat.

Alios quoque ſpernens.

Remedia.

Huius vitij hæc ſunt remedia potiora,

Attendat proprias, agat officium, meliores.

P R I M V M remedium eſt, conſideratio *propria vilitatis*, tam in corpore, quam in anima; communis, & ſingularis; quid fuimus; quid erimus. Item, quod de nobis nil habemus, nec poſſum⁹ ſed omne bonum eſt Dei donum: Et quod bona noſtra multipliciter ſũt imperfecta ſicut pannus menſtruatæ. S E C V N D V M eſt ſe exercere in humilibus operibus, vilibus, & deſpectis officijs, & ruſticanis, humili habitu incedere, humiles mores, & verba habere, locum nouiſſimum eligere, nil oſtentationis prætendere; ſed bona, quæ ſingulariter habuerit, coram alijs celare. T E R T I V M quod ſuperiores, & meliores ſe debet attendere, tam homines, quam ipſum Dominum Ieſum, vt eorum comparatione vileſcat ſibi, qui ſe aliquid putat. Sicut locuſta ad gygantem, calculus ad montem, gutta ad flumen, pannoſus garcio vileſcit inter purpuratos.

De Inuidia, & quod triplex, eius remedia. Notula 2.

IV. DE I N V I D I A notandum, quòd etiam triplex eſt,

Prima non gaudere de bono alterius, nec dolere de malo.

Non gaudet ve dolet.

Secunda dolere, & torqueri in proſperis eius. *Optare promouere malum alterius, & deprimere bonum eius.*

Torquetur, & inuidus optat.

Remedia.

Et contrariatur illud vitium charitati. Cuius remedia ſunt iſta,

Nil amet, non ipſe, reconſ. ſimul obſequium det.

P R I M V M remedium eſt, nil amare, & cupere eorum, quæ mundus amat, id eſt honores, diuitias: Quia qui ea appetit, inuidet alijs ea habentibus, dum ipſe caret. *Secundum* eſt cogitare, quod ſi alius non haberet, illud tamen, vnde ei inuides, tu non haberes; vnde cupias alteri, quòd ſine damno tuo habet.

I T E M, quod oportet quoque proximo *reconciliari*, ſi vult ſaluari, & timere vindictam Dei, quia peccatum non remittitur quamdiu odium manet; Vnde bonum eſt cito reconciliari, ne ſit in ſtatu damnationis, & prodat bona, quæ operatur. Poſtremum eſt, vt ſtudeas illi, qui magis eſt tibi contrarius, obſequioſior eſſe, & affabilior. Per hoc enim lenis cor eius vel ſ[illegible] m. *Noli vinci à malo; ſed vince in bono malum.* Quid prodeſt diu meminiſſe iniuriam? Sufficit diei malitia ſua. Qui ſeipſum per patientiam vincit, omnes aduerſarios ſuperat iuxta illud Hieremiæ, *Bellabunt aduerſum te, & non præualebunt.*

De Ira, & quòd triplex ſit, eiuſque remedia. Notula 3.

IRæ triplex eſt qualitas,

Subito, ex facili cauſa moueri, vt verbo, vel ſigno. *Secunda, vehementer inflammari facto, verbo, geſtu.*

Ira leui cauſa, Vehemens.

Tertia, diuturna commotio, quæ rancorem fouet.

commotio durans.

Ira contrariatur manſuetudini, & patientiæ, Deum nec homines veretur: Sicut fumus oculis, ſic ira eſt cordi.

Iræ remedia.

Sunt autem, inter cætera quinque remedia Iræ,

Præmeditans, os, conuertens, pudor, officit iræ.

P R I M V M eſt *prouida præmeditatio* illorum, quæ poſſunt occurrere, tam verborum, quam factorum contrariorum. Vt ante pugnam ſe homo ad patientiam præparet: vt eo minus perturbent venientia, quo fuerint ante præuiſa. S E C V N D V M eſt *comprimere* os tacendo, & accenſam flammam iræ in corde ſuffocare; ne ſi euaporare permittatur, increſcat, & alios accendat. Nam ad hoc duo oſtia os habent. Eccl. 28. *Facito ori tuo cuſtodiam.* Eccl. 28.
T E R T I V M eſt conuertere ſe ad alia negotia, quibus cor occupetur alia tractando, vel loquendo, vere ſic obliuiſcetur tentationis ſuæ ſicut, qui vult extinguere ignem, ſubtrahit ſtipulas ardentes. Prouer. 26. *Cum defecerint ligna; ignis extinguetur.* Pro. 26.
Q V A R T V M eſt verecundia, qua homo erubeſcit diſciplinæ, & honeſtatis diſpendia pati. Sic etiam timor reprimit Iram, vt patet in ſeruis à dominis caſtigatis, qui non remurmurant, ne forte peiora eis inferantur. Si hoc poteſt timor humanus; quanto magis timor Dei? Tam potens eſt quiſque malo reſiſtere, quantum amor boni in cordis eius affectu conualuerit. Q V I N T V M eſt aſſueſacere ſtatim, cum ſentitur commotio, admittere conſilia prudentię, perpendendo quam efficiat, & noceat ira, quæ lædit conſcientiam, confundit famam, alios ſcandalizat, cor inquietat, Spiritum ſanctum effugat, tormenta meretur. Et quod nil proficimus iraſcendo, niſi quod duplicamus malũ. Non omnia mala poſſumus reſiſtendo ſuperare. Et verba contumelioſa iam cum aura tranſierunt, nil noceat ſi ſumus recti, & patientes. Si æſtimemus verba maledicorum, ſicut latratus canum, vel clamores, aut ſibilos anſerum, quos non curamus, Qui alterum contumelioſè vituperat, ſeipſum magis quam illum dehoneſtat. Item cogitare, quod nemo ſine aduerſitate viuit, & quanta Sancti pertulerunt, & Dominus Ieſus pro nobis.

Digitized by Google

Gulæ remedia.

Velle bonum, verecundia, perpendo, carere.

CONTRA primam ſpeciem ſufficit *bona voluntas:* vt nolit ante, vel ſæpius comedere, quàm ſit conueniens. Infirmis tamen non eſt lex poſita. CONTRA ſecundam vtilis eſt diſciplina *verecundiæ*; vt modeſte ſe habeat, & impetum refrenet. *Item conſiderando,* quod nimis feſtina, & inordinata refectio naturam grauat, & minus nutrit, & è contra. Efficaciſſimũ autem remedium CONTRA tertiá, & quartam ſpecies eſt, non habere vnde poſſit gulæ ſatisfacere: Vnde quanto quis pauperior, tanto hic minus excedit, & peccat. Hæc eſt ſecundum traditiones ſeniorum prima pugna, quam deuincere nos oportet, & quanto minus ſuperata fuerit, tanto validiora ſunt cætera vitia contra nos, & nos debiliores contra ea.
Mat. 4. Per gulam introiuit mors in orbem: Vnde & Chriſtum diabolus primitus per gulam tentauit; quaſi per ianuam aliorum vitiorum. Contra quam oportet conſiderare, quàm cito tranſit, quàm breuiter durat, & quando tranſacta eſt, ſit, quaſi non fuerit. Pone ergo, cum concupiſcis in corde tuo, ac ſi cibum habueris, & ſis ſatiatus, & hora prætererit, & de abſtinentia gaudebis, & dic cum Apoſtolo, Phil. c. 4. *Scio & abundare, & penuriam pati* &c.

IX.

De luxuria, & ſpeciebus eius, atque remedijs. Notula 7.

LVxuria quadruplex eſt, & quattuor eius ſpecies ſunt,

Quando cogitationes immundas ſcienter verſat. — *Oſculando, amplexando, palpando, videndo.*

Corde, vel in geſtu,

Naturalis concubitus ſine coniugij honeſtate. — *Peccatum contra naturam, nec nominabile quidem.*

ſit concubitu, quoque contra.

De illuſione ſomniorum, caueatur, ne occaſio detur ante, vel poſt, & erit pœna tantum.

Remedia Luxuriæ.

Fæmina vitetur, ſocius, corpus maceretur:
Ocia, ſenſus, cogi intus, ſtudiumque precũ ſit.

PRIMVM eſt, vt vir fæminarum, & fæmina virorum continuam, vel frequentem familiaritatem deuitet. Bernardus: *Cum fæmina ſemper eſſe, & non agnoſcere, hoc ego maius reputo, quàm mortuos ſuſcitare* Eccli. c. 42. *A veſtimento prodit tinea, & à muliere iniquitas viri.* SECVNDVM, vitare ſocietatem luxurioſorum. Prouerb c. 19. *Qui ſe iungit fornicarijs, erit nequam.* TERTIVM, corpus ſuum non delicate nutrire. Hoſtem ſuum armat, qui carnem delitijs fouet. Ezech. c. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſaturitas panis, & ocium.* QVARTVM eſt, ocium fugere, *Multam enim malitiam docuit ocioſitas, & in deſiderijs eſt omnis ocioſus.* Ouidius. *Ocia ſi tollas periere cupidinis arcus.* QVINTVM eſt, exteriores ſenſus ab illicitis cuſtodire, ne mors intret. Gregorius. *Non expedit intueri, quod non licet concupiſci.* SEXTVM eſt intus reprimere cogitationes prauas, & affectus carnales. Nulla exterior munitio ciuitatis ſufficit, ſi intus perfidi fuerint. Prou c. 4. *Omni cuſtodia ſerua cor tuum.* SEPTIMVM, frequens ſtudium orationis. Sapien. 8. *Vt ſciui, quia aliter eſſe non potui continens, niſi Deus det, adij Dominum, & oraui.* Semper ergo oremus: vt rore gratiæ extinguat ignem concupiſcentię.

MEMBRVM II.

De animæ ſanitate, & in quibus conſiſtat.

POSTQVAM in hoc ſtatu curationis morbi ſunt remedijs effugati, ad ſanitatem eſt accedendum. Quæ ſanitas eſt inſtar ſanitatis corporalis: Nam ſicut ſanitas corporis, conſiſtit in integritate membrorum, & ſenſuum & in ordinata qualitate humorum, & vigore ſpirituum, ſic ſanitas animæ in quinque conſiſtit, ſcilicet

Id eſt in recta, & circumſpecta actione. — *In cauta locutionis obſeruatione*

Actio prouida, cauta locutio,

In rectitudine voluntatis.

ſana voluntas.

In ordinatione affectionis. — *In vtilitate cogitationis.*

Ordo ſit affectu, poſt vtilitas meditatus.

§ 1. *De actione.*

ACtio in tribus erit *circumſpecta*, quæ ſequenti verſu leguntur, XI.

Illicitum eſt quod contra Dei præceptum, vel Eccleſiaſticum. — *Indecens, quod non bonam ſpeciem prætendit*

An liceat, deceat,

Illud expediens eſt quod non caret fructu vtilitatis

opus expediat, meditare.

§. 2. *De locutione.*

IN locutione ſimiliter tria ſeruanda. XII.

Loquere adoleſcens in cauſa tua vix. — *Circumſpectus in circumſtantijs locutionis.*

Tardus, & intentus

Sine vtilitate, & neceſſitate non multiplicans verba.

breuiter tua verba loquaris.

Debent autem hæ circunſtantiæ in loquendo attendi.

Et qui loqueris. — *Loqueris.* — *Coram quibus, in quo loco.*

Quis, quid, vbi,

& tempus. — *Ad ſenem, vel alium.* — *Ne nimium.*

quando, cui, quantum,

Ne clamosè. — *Quo fructu, & vtilitate, ne ocioſum.*

quomodo, quare.

Digitized by Google

Qui hæc in locutione ſeruat, has vtilitates reportat,

Fit intellectu perſpicacior, & profundior. — Perſpicit,
Per multiloquium, & vaniloquium. — haud peccat,
Quod loquitur, magis apud alios eſt authenticus. — authenticus,
Singularē gloriam in cælo meretur. — ethra meretur.

His modis nos loquendo habeamus, ne vas ſine operculo, aut vrbs patens introitu ſimus.

§ 3. *De morum Diſciplina.*

XIII. MOrum diſciplina in tribus conſiſtit,

Vt non ſit leuis, hac intus mentem componit. — Maturos,
Vt humiles geſtus prætendat. — humiles,
Vt ſit affabilis, compatiens, nulli oneroſus. — mores addiſce benignos.

Maturitas reddit venerabilem, humilitas imitabilem; benignitas amabilem.

§ 4. *De exercitiis mentis.*

XIIII. NVnc exterioribus ordinatis de rectitudine voluntatis videndum. Eſt autem voluntas recta, quæ bonum tantummodo vult; & propter bonum, & plene vult. Quæ voluntas his exercitijs adiuuatur,

Impiger, à vitiis, pax cordis, parcius vtens.
Sis humilis ſis maturus, ſuſpenſio mentis.

PRIMVM exercitium eſt, vt homo ſit agilis ad incipiendum, & faciendum bonum, quod ex alterius inſtructione, vel diuina inſpiratione intelligit faciendum: Alioquin ex deſidia elanguet, & ſemen inſtructionum ſterile manet. Omni ergo tempore ſeruus Dei præuideat, quid illa hora magis ſit ſibi expediens; & penſet qualiter illud congruè, & magis aperte perficiat; & hoc fiet aſſuefactione ad bonum.

SECVNDVM eſt, vt ſicut ad agenda bona agilis; ita ſit velox ad abſtrahendum ſe à malis, mox cum ſentit: vt Abraham volucres a-
Gen. 15. bigebat, quando ſacrificium offerebat. Sic nos malas cogitationes de templo cordis abijciamus, dicentes illud Hieremiæ 4. *Vſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* TERTIVM eſt, vt ſemper cor pacificum cum omnibus habere ſtudeamus, quod conſiſtit in duobus, ſcilicet, vt nulli malum facere velimus; & ſi quis nos in aliquo offendit, patien-
Luc. 21. tię ſcuto vtamur. Benedicimus eos, qui ſuſtinuerunt. In patientia ergo animam poſſideamus. QVARTVM eſt, vt quanto parcius poteſt quis, quæ ſunt mundi vtatur, habeat, & cupiat. Aliena à nobis ſint omnia mundana,
1. Tim. 6 *habentes victum, & veſtitum, his contenti ſimus*, & quicquid penuriæ patiamur, loco illius Deum in corde ponamus, qui omnia implet.
Ier. 13. Quanto quis ſe anguſtat nil cupiendo in terris; tanto dilatabitur in cælis, & è conuerſo. QVINTVM eſt, vt ſemper intus apud ſe, & extra coram hominibus, in omnibus humiliet ſe, & deprimat, & conſideret ſemper, qualis ſit in corpore, & anima, quam vilis, & peccaminoſus. SEXTVM eſt, vt ſit maturus, & ſe-
riosus, cum quadam dulcedine mæroris. *Beati* Mat. 5.
enim lugentes, nam vndique cauſæ concurrunt,

Quia lugendum pro
- Nobis, quia peccatores, inopes, periculis expoſiti,
- Proximis, compatiendo pauperib⁹ afflictis, deuijs, tẽtatis.
- Deo, eius paſſioni compatiendo, eius vicem dolendo.

Sit ergo ſemper ſerium, bonum, & dulce, nõ leuitas inordinata. Diſſolutio enim eſt deuotioni, ſicut aqua igni, & quidu[illegible] in conſuetudinem vix diſſueſcit; & maxime ioculari, vel iocari. SEPTIMVM eſt, mentem ſemper ad Deum habere ſuſpenſam, orando, meditando, legendo, contemplando. Vnde quandocunque ſeruus Dei, vel ad modicum non meminerit Dei, contremiſcit, & dolet; quaſi grauiter offenderit eum, dolens tanti amici memoria fraudari, qui nunquam obliuiſcitur noſtri. Tanto quiſque lætius, & plenius Deũ videbit in patria, quanto frequentius, & deuotius, eius meminerit in exilio. vnde Pſ. 15. *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper.* Nec tantum in ocio, ſed etiam in omni opere eius meminiſſe debemus, imitatione Angelorum, qui ſic exteriora diſponunt; vt tamen ab intimis nunquam recedant. Quanto enim cælum amplius eſt, quàm terra, tanto ſpiritualis meditatio, latiores materias habet, quàm terrenorum. Hæc de quinto proceſſu.

Sexta dieta, quæ in virtutum inſertione conſiſtit.

CAPVT V.

NVnc de ſexto proceſſu, qui in puris vir- 1.
tutibus conſiſtit, & qui principaliter huic diſtinctioni noſtræ deſeruit, pauca dicenda ſecundum *profectus* ordinem.

Eſt autem virtus, ordinatus ſecundum veritatis iudiciũ mentis affectus, vt ſcilicet malũ fugiat, & apprehendat bonũ. Ad quod dati ſunt homini ſeptem affectus, Quorũ quattuor ſunt contra malum, ſcilicet timor, mæror, odiũ, dolor; Tres ſunt ad bonum, Spes, gaudiũ, amor.

Affectus mentis ſeptem ſunt,

Qua confidat, & ſperet in Deo, & vera bona, ſed quidam nimis multum, aut nimis parum. — Spes,
Vt Dei offenſam, & ſeparationem timeamus, ſed iam temporalia timent. — timor atque,
Vt in Deo, & ſpe æternorum gaudeat. — Gaudia,
Vt ſit de peccatis, & imperfectionibus. — mœror,
In Deũ ſuper omnia & alia propter Deũ — amor,
Vitiorum, & malorum. — hinc odium,
Vt indigna agere pudeat, & peccaſſe. — atque pudor.

Cum iſtæ affectiones ordinatæ ſunt ad quod debent, & ſecundum quod debent, ſecundum rationis, & veritatis iudicium; tunc homo eſt virtuoſus: Vt ſcilicet cum timet tantum timenda, & dolenda dolet, & ſic de alijs. Sed hic tantum ſeptem

virtutes ſeptem vitijs oppoſitæ, principaliter ſunt tractandæ. Vnde ſic virtus quomodo nil eſt; niſi vitiorum carentia. Et quanto quiſque ab omni vitio purior fuerit, eo virtuoſior eſt,& perfectior.

II. *Simile.* Hoc prænotandum, quod ſicut nucleus in teſta, vel in cortice; ſic eſt virtus interior cæteris obſeruantijs in religione: Omnia enim cærimonialia propter virtutem acquirendam ſunt inſtituta, qua ſine ſi fuerint, ſunt ſicut teſta nucleo carens. Vnde qui iſtis exterioribus contentus, interiora poſtponit; ſic eſt, quaſi qui corticem vacuam, vel teſtam vacuam, ſine nucleo habet. Sunt autem hæ teſtæ,

Signum tantum eſt non virtus: alioquin ſimia virtuoſa ſæpe.	*Compoſiti poteſt ſæcularis virtus eſſe.*	*Cæremoniales ſæpe minus virtuoſi.*
Aſt habitus,	mores,	geſtus
Pænitentialis hypocritis ſæpe ineſt.	*Vitia expurgare & illud propinquum.*	*Nucleus eſt, & perfectio vitæ.*
labor,	expio,	virtus.

Luc. 13. Io. 6. Hi ſunt ſex dies in quibus operari oportet opus ſalutis, & cibos vitæ quærere; ne ieiuni deficiamus; ita vt in ſexto duplices cibos colligamus; ſcilicet bonæ actionis, & piæ affectionis: vt ſic in ſeptimo, id eſt in Sabbato per quietem quieſcamus. *Exod. 16.* Sed nunc ad virtutes veniamus, & de ſingulis tres gradus diſtinguamus, vt quantum diſtemus, vel propè ſimus dignoſcamus. Et primum de dilectione exordiamur, quia ipſa amatori eſt radix cæterarum, ante quam nulla virtus meritoria eſt vitæ æternæ. Omnes enim ipſa informat.

§. 1. *De charitate.*

III. CHARITAS eſt ordinata,& magna voluntas ſeruiendi Deo, placendi Deo, fruendi Deo.

Quem ſuper omnia potiſſimum propter tria diligere debemus,

Cur diligendus eſt Deus.

Imo bonitas ipſa, quo melius cogitari non poteſt.	*Prior dilexit nos. talis, talos.*
Optimus eſt,	quia dilexit,
Non enim ſufficit diligere affectu ſolo, ſed oſtendit effectu in beneficiis.	
benefecit amandus.	

DILECTIO autem noſtra in tribus conſiſtit.

Primo in voluntate, vt velit bonum rationi conſentiens.	*Secundo, ne otioſa ſit progrediatur in opus cum omni famulia.*
In velle,	aut opere,
Vt ſcilicet ex deſiderio iam operetur, & velit bonum, & contrarium execretur.	
aut effectu reperitur.	

SVNT autem tres huius charitatis gradus, *Simile.* ſecundum tres ſtatus; & habet initium profectum,& finem. Vt terra profert herbam, initium virtutis, ſpicam profectus, fructum perfectionis.

Præponas, conſilium petes, languide ſolui.

PRIMVS eſt, ſic diligere conceſſa, & eis vti, vt tantum illicita vitet, & amori Dei nullius rei amorem præponat: iuxta illud: *Matth. 19* *Si vis ad vitam ingredi* (id eſt in ingreſſu eſſe) *ſerua mandata.*

SECVNDVS eſt cum homo voluntariè pleniori affectu, non contentus eſt ſeruare præcepta, ſine quibus non eſt ſalus, ſed ad omnia, quæ Dei ſunt; voluntarius, etiam ad conſilia; vt Religioſi, promouens quantum poteſt amorem Dei, probans, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens. *Rom. 12.* Vbi nota, *ſi pro tuo velle Domino ſeruis, remunerabit te pro velle ſuo? Si autem ſeruieris ei pro velle ſuo, remunerabit te pro velle tuo.* *Mat. 7.* In quacunq; meſura,&c.

TERTIVS gradus eſt, tanto affectu æſtuare ad Deum, quaſi ſine ipſo viuere non poſſit, coactus deſiderio diſſoluendi,& eſſe cum Chriſto. Talibus viuere eſt in faſtidio, aut patientia, & mors in ardenti deſiderio, etiam *Phil. 1.* per dura tormenta. Nil eſt quo poſſint ſatiari; niſi attigerint ad vitæ fontem. Talibus tamen interim guttulis conſolationum reficiuntur.

Interna ſuauitatis recreatione.	*Chriſti ſanguine, & corpore.*
Internus guſtus,	cũ chriſti corpore
animarum vtilitate.	
Fructus.	

Cant. 2. Hinc iugiter *ſtipate me malis* clamant.

§. 2. *De dilectione proximi.*

IV. DILEXIO proximi, ex dilectione naſcitur Dei,

Nam proximum propter Deum, in Deo, ſecundum Deum diligere debemus.

Deo, id eſt forma qua Deũ.	*Deũ quia ipſe mandauit.*	*Secundũ Deum ad ſalutẽ animæ.*	*Non ficte; nec verbo tantum*
In,	propter,	iuxta,	vere,
Non carnaliter, vel ſenſualiter.		*Ordinate, & non ad vitia.*	
Purè,		ſit & ordo.	

Quo circa notandum, quod multiplex eſt dilectio iſta,

Quæ carnibus nutritur inter virum, & fœminam.	*Quæ diligit pro muneribus.*	*Inter propinquos, vel quæ natura vouſtauit, & ſimilia magis.*
Carne,	cupit,	natur,
Quæ natos & familiares diligimus.		*A ſpiritu ſancto dicta, quæ à Deo mandatur.*
ſocialis,		ſpiritualis.

Spiritalis per ſe ſola eſt meritoria, naturalem,& ſocialem efficiens meritorias, quando ad eam diriguntur, cupidam tolerat,& temperat, carnalem tollit,& fugat.

V. ET QVIA dilectio carnalis quandoque ſe palliat ſub ſpecie ſpiritualis, ideo eius indicia ſunt ponenda: Et ſunt iſta,

Quando pauca de ſpiritalibus, multa de inutilibus, & dilectione loquuntur.	*Inſolentia geſtuum, & morum, quando ſoli ſunt ſemper, vt palpari, oſculari.*	*Inquietudo cordis quando abſentes ſunt cogitando de inuicem.*
Fabula,	geſtus,	& inquies,
Cum dilectum non velit aliam diligere, ne ipſa minuetur.	*Ira, & turbatio, quando offendit. nimia.*	
Impatientia,	turbo	
Munuſcula, & dulces amatoria littera, & amplexus ea	*Inordinata diſſimulatio vitiorũ ad inuicem. quod inuicem excuſant, palpant.*	
Munera	diſſimulant,	
Spiritualis dilectio eſt omnibus his contraria.		
hęc monſtrant carnis amorem.		

Valde carnalitas hæc horrenda Religioſo alioquin vinum eius mixtum aqua.

Digitized by Google

Sed iam gradus dilectionis ponamus.

Non odi, ſi congaudens, adamans inimicos.

PRIMVS GRADVS dilectionis proximi eſt, nullum odire, nulli cupere malum, nullius impedire velle bonum, in neceſſitate proximo ſubuenire; vt ſcilicet alteri non faciat, quod ſibi noluerit fieri, & è contra.

SECVNDVS gradus, & profectus eſt, ſic alterius profectui congaudere, & bonum alterius diligere, quaſi proprium, & ſic eius aduerſitati compati quaſi ſuę. Vbi autem talis ineſt affectus, ibi neceſſario non deerit ſubuentionis effectus, quantum opportunitas patitur, & facultas.

PERFECTIO dilectionis proximi eſt, diligere inimicos ex affectu, & ea dulcedine erga ſe perſequentes affici, ſicut erga ſingulariter dilectos. Et non ſolum res temporales; ſed & corpus pro ponere eis paratū eſſe, ſicut Chriſtus, & Sancti, non ſpe præmij martirij; ſed magis pro affectu ſalutis fraternæ. Et reuera ſunt inimici diligendi, qui præſtant occaſionem tanti præmij.

De humilitate quotuplex ſit, & vnde cenſetur.

VI. NVNC DE humilitate, quę nos ordinat ad veritatem, ſicut charitas ad bonitatem; dicendum Eſt autem humilitas virtus, qua homo veriſſima cognitione ſui ſibimet vileſcit, Ad hanc monet nos,

Et quod { ſumus / nō ſumus } quia { ā nobis nō habemus. / vanū eſt gloriari, quod nō eſt.

Triplicem autem humilitatem habere debemus, Scilicet,

Humiles in nobis. *Humiles ad proximos.* *Humiles erimus erga Deum.*

Ad nos, ad fratres, ad Chriſtum, humiles decet eſſe.

IN NOBIS debemus humiles eſſe quo ad hæc.

Vt ex conſideratione noſtra vilitatis, de ſeſtibilitatis nos deſpiciamus. *Vt humiles mores, geſtus, & verba habeamus.*

Vilia volue tua, mores humiles,

Vt in humilibus operibus nos exerceamus.

opus imum.

AD PROXIMVM humiles debemus eſſe quo ad hæc,

Proximum meliorem reputando, humilitate, ſuperiores inuicem arbitrantes. *Honor exteriori præuenientes reuerenter inclinando, deferendo.*

Fratrem prærepures, & honores,

Tertio patienter proximi infirma, & defectus ſuſtinere.

fer patienter.

Et quia proximorum alij ſunt æquales, alij ſuperiores, alij ſubditi; ſubditi Prælatis obedientiam, & reuerentiam debent, vt patet ſupra.

PORRO de *humilitate prælatorum* tres regulæ notantur.

Rectorem te poſuerunt? eſto quaſi vnus ex illis. *Facti ſumus paruuli in medio veſtrum, quaſi nutrix foueat filium ſuum.* Eccl. 32. 1. Theſ. 2. Luc. 22.

Sis vnus, quaſi ſis nutrix,

Ego autem in medio veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat.

ſisque ipſe miniſter.

HVMILITAS autem *ad Deum* etiam in trib. conſiſtit.

Primo vt ipſum Deum Dominum Iudicem cognoſcamus, ei obediamus, ſicut ſerui, & ab offenſa caueamus, & pæniteamus. *Secundo, vt flagella eius humiliter tolleremus, non remurmurando, ſed dicendo. Iudicium domini portabo quoniam peccaui.*

Noſce tuū dominū, fer flagra pie?

Tertio, vt de beneficiis eius non extollamur, ſed grati ſimus ei aſcribendo.

cane grates.

Licet ex dictis gradus Humilitatis poſſunt dignoſci, vt tamen clare pateant, nota ſequentes,

Quid ſis cognoſcens, ſperni te, ſpernis honores.

PRIMVS eſt, vt agnoſcat homo ſe quid eſt, & vilem infirmum inopem boni, vitioſum peccatorem, non eleuans ſe ſupra ſe, nec laudes hominum quærat, & ſi aliquando excedat ſe reprehendat, & in omnibus ſeipſum ſpernat. Ob hoc tantas fragilitates Deus permittit in nobis, ne ſicut apoſtatæ Angeli extollamur. Pſal. 130.

SECVNDVS eſt, cum non ſolum ex ſui notitia ſpernat ſe; ſed etiam ab alijs patienter accipit ſperni ſe. Imò quia veritatem accipit, & deſiderat; cupit ſe ab alis reputari talem, qualem ſe reputat, ſcilicet vilem, & ignobilem, inquantum credit agnoſcenti non obeſſe.

TERTIVS eſt, quando etiam in magnis virtutibus & donis, & honoribus homo nō extollitur, nihil ſibi ex hoc blanditur; ſed totum illi refundit, à quo fluit omne bonum. Hæc eſt humilitas perfectorum, qui quanto maiores ſunt, humiliant ſe in omnibus, in ſenſu, affectu, verbo, actione, habitu. Talis Chriſti, Mariæ, & Sanctorū fuit. Omnis inopia virtutū venit ex humilitatis defectu, quæ mater, & cuſtos virtutum eſt, & fundamentum. Ideo Deus ſæpe gratiam non largitur, quia inde periculoſius nos extolli cognoſcit. Iac. 1.

§ 4. *De patientia, quàm varia ſit, & quæ ſigna eius, & fructus & gradus.*

VII. EX charitate, & humilitate PATIENTIÆ virtus procedit, quæ ordinat ad fruitionem ſummæ pacis. Eſt autem patientia, æternæ gloriæ reſpectu, voluntaria, & inſuperabilis perpeſſio laborum. Et eſt multiplex, *Patientia quid.*

Quando aut pro humana gloria ſimulat, aut in opportunum tempus differt, hæc vitioſa eſt, & ſupplicium meretur. *Quando aduerſa non vlciſcitur, quia maius ſibi malum timet hac cauta euadit damnum.*

Eſt ſimulata, Inuita,

Vero patientia eſt deſcripta, quæ eſt virtus magna, & meretur cælum.

ſed optima tertia virtus.

Quinque ſunt, in quibus patientia probatur,

Primo in corporis læſione. *Secundo in temporalis penuria ſubſtantiæ.* *Tertio in honoris detrimento, & illata confuſione.*

Læſio, pauperies, pudor,

Quarto in cæterorum offenſa, aut ſubtractione. *In tranquillo mentis turbatione.*

Electis, quoque turbo.

Et nota, quod ſicut iſtis quinque cauſis propter ſe non turbari virtus eſt patientiæ, ita pro defectu iuſtitiæ non turbari vitium tepotis. Pro ſe enim quilibet contriſtari debet, Virtus

Pro	Præteritis defectibus iuſtitiæ, Præſentib⁹ torporibus, Futuris periculis,	& ſic eſt	Pænitentiæ. Feruor proficiendi. Cautela timoris.

Pro proximis quoque contriſtandum,

Pro { Temporalibus moderatius. Spiritualibus amplius.

Et licet videantur differentiæ inter patientiã, fortitudinem, & conſtantiam, magnanimitatem, longanimitatem, mititatem, & manſuetudinem, tamen ſæpe vnum pro altero ponitur. Differentia ex deſcriptionibus patet.

Valet autem patientiæ virtus ad multa.

Præſentis vita incommoda, aliaquin homo affligitur mens, amaricatur, conſcientia, læditur. *Mentem, quia ſicut corpus paſcitur conuiuio, ita mens virtute ſaginatur.*

Mitigat & Reficit

Proximos qui pauca vident patienter, ſed excuſantes ſe. *Peccata præterita, præcauet futura.*

Docet exempto atque repurgat.

Gratiam in præſenti virtutum. ſecundum multitudinẽ dolorum meorum, &c. *In cælo,* gaudete, & exultate ecce merces veſtra multa eſt in cęlo.

Ps. 93. Auget, glorificat,

Mat. 5.

Et retribuens, qualia recepit, & iuuans eum, & conformans quod gloria ſumma.

conformat nos crucifixo.

Gradus patientiæ tres ſunt.

Tu motus reprimas, non turberis, cupe, gaude.

PRIMVS eſt, vt diſcat homo motus iræ, & impatientiæ per pugnam cohibere; ne erumpat foras in verba, vel facta illicita. Solet autem ignis materialis cohiberi quattuor modis; ſic, & ira, ſcilicet,

Primo perfuſione bonorum conſiliorum, vt deliberet, ſicut ignis perfuſione aquæ. *Secundo obſtructione, id eſt oris, & labiorum confuſione.*

Fundens, obſtrue,

Tertio, diſſipatione, vt alios aliud aſſumat, & ſic iram negligat. *Quarto materiæ ſubtractione, ne talia agat vnde ira oritur.*

diſiungas, ſi deficit ignis.

SECVNDVS Patientiæ gradus eſt cum ex longo vſu patiendi, & impatientiam refrenandi, homo didicerit iam non terreri, vel turbari aduerſis: ſed quaſi inconcuſſe aduerſarios conſpicit; ſciens quod nil nocere poſſunt; Aut ipſi torquentur, & ſuæ impatientiæ teſtes ſunt, tu tacendo magis laudaris. Sunt latratus canum nihil reputandi. Oportet pati morſus pulicum, & ſimilium beſtiolarum; ſic etiam punctiones detractorum.

TERTIVS gradus eſt gaudere in tribulationibus cum adſunt, & deſiderare cum deſunt: vt nobilis tyro ad tyrocinium gaudere. Vera humilitas ſic gaudet ab alio humiliari; ſicut à ſe. Et vera patientia, tam libenter fert ab alijs illata; ſicut diſciplinãs caſtigamina, quæ ſibiipſi infert.

§ 5. *De Obedientia.*

VIII. ET quia OBEDIENTIA patientiæ eſt finitima, & omnibus Religioſis valde neceſſaria; ideo & pauca de ea ſunt dicenda. Eſt autem Obedientia propriæ voluntatis ſubiectio arbitrio Superioris, ad licita, & honeſta. Obediendum eſt autem ſoli Deo propter ſe, vel rationali creaturæ vice Dei, in his quæ à nobis Deus requirit, & quæ ad Deum ducunt. Eſt autem, inter cæteras, triplex ratio libenter obediendi,

Primo quia ſic à Deo ordinatum, vt ſumma mediis, & media imis præſint. *Expedit enim ſequi ducatum bonorum, ne errent à via Dei, ſed ſemper mereantur, & ſint ſecuri.*

Ordo, vel vtilitas,

Tertio, vt qui peccando Deum contempſit, obediendo huiuſmodi propter Deum ſatisfaciat, & reconcilietur.

facias ſatis in tolerando.

INVENITVR autem triplex Obedientia,

Prima, neceſſitatis, qua cogitur inuitus, qui libenter eſſet liber, ſi poſſet, vel auderet: vt bos, & aſinus, & huiuſmodi. *Secunda, cupiditatis, qua pro mercede terrena, vel corporis cõmoditate, vel conſolatione exteriori obedit.*

Paret compulſus, cupidus,

Tertia charitatis generaliter ſumpta, quæ propter Deum ex Dei charitate obedit.

vel amans generalis.

CIRCA *Obedientiam cupiditatis* ſciendum, quod quanto Obedientia plus habet de temporali proprio ſolatio, tanto minus habet de merito coram Deo.

Nota quoque, quod generaliter poteſt innui alia diuiſio Obedientiæ, cuius quædam generalis, generalior, generaliſſima. Alia ſpecialis, ſpecialior, ſpecialiſſima, vt in profectibus.

Nõ obedientia.	Generalis,	eſt, qua	Omnes fideles ſuis prælatis in Eccleſia obligantur.
	Generalior,		Omnis creatura ratione vtens Deo obedire tenetur.
	Generaliſſima,		Omnis creatura obedit creatori, ſiue naturali motu aut alias.

Digitized by Google

Nã obedientia	Specialis,	eſt qua	Clerici ſpecialiter tenẽtur ſuis obedire prælatis.
	Specialior,		Religioſi ſe ligant ad aliqua determinata ſtatuta,
	Specialiſſima.		Sine exceptione promittitur obedientia, ad omnia.

Non tamen illicita, ſicut nec impoſſibilia ſunt obedientia agenda.

Svnt verò tres Obedientiæ gradus.

Iuſſis, conſiliis ſis, parens, poſſibiliſque.

Primvs ad præcepta, Secvndvs ad conſilia, tertivs ad omnia poſſibilia. Et hi ad ea in quibus obediendum. Vel aliter; Sed quantum ad effectum mentis ſic gradus ordinantur.

Aut timet, aut ſperat, vel amatur, gaudet, obedit.

Infimvs eſt ex timore ſupplicij parere, tantum in his, quæ præceptoriè iubentur, ad alia tæpidi, niſi inquantum pudor, vel conſuetudo humana cogit, quibus ſufficit mortale per inobedientiam non incidere.

Secvndvs gradus ſpe præmij ad iniunctа voluntariè obedire, non diſputando in quo teneatur obedire, vel non. Semper enim meritorium credit, dum malum non ſit, quod iubetur, etiam ſi Prælatus mala intentione, vel odio iubeat, quia tunc eſt duplex meritum: Obedientiæ, ſcilicet, & patientiæ. Vnde bono obedienti, proficit indiſcretum ſuperioris præceptum, tanquam ſi maſſam auri iactaret in ſinum.

Tertivs eſt ex ſola dilectione Dei etiam cum gaudio obedire, etiam ad difficilia exemplo Chriſti (*obedientis vſque ad mortem,*) &

Phil. 3. Sanctorum. Quanto quis obedientior, tanto ei Deus exorabilior, & omnis creatura ſubiectior.

§ 6. *De contemptu Diuitiarum.*

IX. Iam de contemptv Divitiarvm, qui & pavpertas dicitur, videndum, quæ auaritię opponitur, & eſt triplex.

Eſt pauper rebus, ſeu mente, ſimul vel vtriſque,

Fit autem Diuitiarum contemptus dupliciter: Aut dum liberaliter effunduntur in pauperes, vel ad cultum Dei, aut cum penitus deſpiciuntur, vt à Religioſis.

Svnt autem quattuor cauſæ, ob quas conſulitur Diuitiarum contemptus,

Luc. 1. *Ab amore Dei*, nemo poteſt Deo ſeruire, & mammonæ. — *A profectu virtutum, quia onoratus non poteſt velociter currere.*

Nam retrahunt, tardant,

Meritum, quod paupertas augetique pauperior, eo in calis ditior. — *Temporalis ſubſtantia, ob multa, ſpernenda, &c.*

minuunt, ob multaq; ſperne,

Ex ſui natura, quia terra, & puluis. — *Bonis, & malis; imò mali abundant.* — *In acquirendo; timor; in ſeruando; dolor in amittendo.*

Vilis, communis, labor,

Quo plus habentur plus ſitiuntur, vt hydropicus. — *Multis, & eſt occaſio mortis, & damnationis.* — *Eis iuſtis non diu poſſidentur.*

haud ſatiat, nocet, aufert.

Hæc debet ſapiens perpendere, & quod vile eſt debet paruipendere, & non multum laborare pro eo, quod non eſt vtile, & fugere pernicioſum.

Sunt autem tres gradus huius contemptus Diuitiarum.

Nil petit iniuſtum, nec abundans, poſſidet, & nil.

Primvs gradus eſt *nihil velle habere iniuſti lucri*, nec per ſe acquiſitum, aut ab alio Rom. 13.
datum, vel relictum, & omnibus reddere debita pro poſſe: Et de iuſte habitis facere eleemoſinam, & non abuti propria facultate, ad peccatum ſuperbiæ, laſciuiæ, & gulæ, & ſic de alijs. Et hic nota, quod tribus modis iniuſta bona habentur.

Aut, quia
- Ipſa malè acquiſiuit, quocunque modo.
- Ab alio datum, vel relictum, qui ius in eis non habuit.
- Alteri in rebus iniuſtè nocuit, quod reſtituere debet.

Secvndvs gradus eſt, *nihil ſuperfluum velle habere*; ſed neceſſarijs eſſe contentum, in victu, & veſtitu, & ſic de alijs; reliqua pauperi- Luc. 11.
bus dare, *Quod ſupereſt date eleemoſinam*: Vt Monachi in Ægypto. Eſt autem duplex ſufficientia, ſcilicet indigentiæ, & concupiſcentiæ. *Sufficientia indigentia*, cui ſufficit ſuſtentare naturam, vt Deo poſſit ſeruire; Hanc natura docet, vt patet in brutis, & plantis. Alia eſt *ſufficientia concupiſcentia*, hæc excedit menſuram, limites non habet, niſi impoſſibilitatis, *Cor auari fouea ſine fundo.*

Tertivs eſt nihil *velle poſſidere in hoc mundo, & in neceſſarijs penuriam pati propter Deum*, exemplo Chriſti, & Sanctorum, qui plene docuerunt contemnere eas, tanquam impedimenta ſalutis. Huic paupertati multæ virtutes, & gratiarum dona ſunt annexa, quæ pauci tamen cupiunt, quia verè pauperes non ſunt, ampliora ſemper, vel pro ſe, vel pro alijs deſiderantes, Qui omnem ſollicitudinem in Deum iactat, Deum prouiſorem habet, qui nullum in ſe ſperantem derelinquit, ſed aut dabit illa, aut illis potiora.

§. 7. *De Sobrietate.*

Sobrietas eſt virtus, qua corporis alimenta cum moderamine admittuntur, in cibo, potu, ſomno. Eſt igitur abſtinentia gaſtrimargię vitio oppoſita. Eſt autem abſtinentia multiplex, & varia,

Prima medicinalis propter ſanitatem. — *Secunda paupertatis, pro neceſſitate penuria.* — *Tertia auaritia vt rebus parcat.*

Abſtinet eger, egens, parcus,

Quarta hypocriſis pro laude hominum. — *Quinta Religioſa, pro Deo.*

fictuſque, piuſque.

Fit

Fit abſtinentia Religioſa pro agenda pœnitentia, pro virtute obtinenda, calcandis vitijs, pro ædificatione proximorum, pro gloria merenda, pro intellectu in ſcriptura acuendo, & ſic de alijs. Hæc eſt meritoria dum Deus eſt cauſa prima, & forma.

SOBRIETAS in tribus conſiſtit,

Ne precioſa, ſumptuoſa, ſed ſimplicia cibaria quærat, quæ faciliter habentur. — *Vt non nimis, nec ſæpius comedat, quàm oportet; ſed temperate.*

In quali, quantoque modo

Vt non importune, ſed modeſte, & religioſe.

ſiſtit moderato.

Quando hæc obſeruantur, tunc ſapit ſuauius, minus grauat ſtomachum, facilius digeritur, minus peccatur.

VALET autem ſobrietas ad multa,

Et ſatisfacit pro peccatis voluptate commiſſis. — *Corpus, & laſciuiam reprimit, & ſpiritui ſubijcit.* — *Fit homo ad virtutes promptior, caſtior, deuotior, humilior.*

Purgat, caſtigat, facilis,

Corpus quia noxios humores deſiccat. — *Et ædificat proximos, quia conijciunt interiora.* — *Gloriam meretur, vt comedas illic panem cœleſtem.*

Sanat, docet, aſtra,

SVNT autem tres ſobrietatis gradus.

Scilicet caueat crapulam, & ebrietatem, nec ieiunia frangat. — *Vt abſtineat à carne, vino, aſperiorem eligere potum, & victum vt filij Rechab.*

Illicitũ caueat, licitum reſecans.

Tantum neceſſaria cupit, illis contentus, non faciens curam carnis in deſiderio.

opus optat.

VEL aliter gradus hi aſſignantur.

Primo, patienter carere, cum non poteſt delectabiles cibus habere, & non inde contriſtari. — *Secundo, velle carere pro Dei delicatioribus & fugere ea, eligendo viliora.*

Vt patiens careas, fugias,

Tertio poſſe ſine difficultate abſtinere ab habitis delectabilibus.

habitum quoque ſpernas.

Tertio poſſe ſine difficultate abſtinere ab habitis delectabilibus.

ET NOTA, quod licet quoad paupertatem maior virtus ſit non habere, quod cupias: tamen quo ad fortitudinem abſtinentiæ, maius eſt appetitum poſſe retrahere ab vſu præſentis voluptatis. Securius tamen eſt fugere delectationes carnales, & non habere. Facilius in littore non ſubmergeris; quam in gurgite aquarum.

ET hic notandum, quod virtus medium tenet vitiorum, & in vtroque latere vitijs eſt obſeſſa: vt ſi modicè à diſcretionis tramite deuiauerit, iam virtus non ſit. Vt parſimonia; ſi modum excedit, vitium eſt gulæ: ſi nimis modicum admittat, indiſcretionis vitium, & ſic de alijs. Vitia quoque interdum ſe virtutes mentiuntur, & velamen virtutis aſſumũt: vt aut diſſimulentur, aut laudentur: vt Gregorius dicit. Vnde oportet, vt diſcretio ſpiritus medium virtutis iter eligat, regia gradiens via, non à latere declinans.

§ 8. *De caſtitate.*

CASTITAS ſobrietatis eſt filia, & nutritur ab ea: ſicut è contra luxuria à ventris ingluuie nutritur. Cum fons obturatur, riuus eius deſiccatur. Qui ergo caſtus eſſe deſiderat, ſobrietati ſtudeat. Caſtitas virtus eſt origine cæleſtis, cuius magiſterium eſt de cælis, quam Angeli obſeruant, & facit hæc bona, XI.

Mentem liberat facit vacare Deo, non habentem curam aliorum. — *Corporis fœditates, emaculans luxus quod valde magnũ.* — *Conſcientiam lætificat, quia conſolationem ſpernit carnalem.*

Expedit, emundat, lætum,

Deum, & ei proximum facit, quem ſectatur in caſtitate. — *Facit Angelis, & hominibus naturaliter amandum.*

placat, venerandum.

Ad Caſtitatis autem acquiſitionem, valent remedia luxuriæ ſupradicta; ſcilicet alienatio: & fuga, ſenſuum cuſtodia, ocij deuitatio, & orationis frequentia, & huiuſmodi.

DIVIDITVR quoque caſtitas, quia eſt caſtitas coniugalis, vidualis, & virginalis. Eſt caſtitas corporis, mentis, vtriuſque.

GRADVS caſtitatis prout Religioſis deſeruiunt, ſunt tres.

Abſtrahit à facto, caro ſeruit, ſentiet & vix.

PRIMVS gradus eſt abſtinentia ab actu carnali, cum propoſito ſic manendi, & omnibus illicitis motibus conſenſum negandi. Et hic grandis eſt pugna, vnde ad ſecundum eundum.

SECVNDVS eſt cum per macerationem carnis, & alia ſpiritualia ſtudia, affectus mundantur, & caro ſpiritui ita ſubiugatur: vt rarius tentetur, & minus. Si hoſtibus vitiorum fideliter reſiſteremus in principio, facilè triumpharemus. Nunquam tamen licet deponere arma; ſed oportet ſtare in continua cuſtodia: Ceſſant enim fraudulenter quandoque hoſtes ſalutis noſtræ.

TERTIVS gradus eſt, ita domitas habere concupiſcentias carnis, quod vix rariſſime, & tenuiſſimè ſentiantur; & ex affectu talem induiſſe caſtitatis amorem, vt horreat ita omnes carnales motus, quod quaſi nauſeam inde patiatur, nec poſſit audire tractari de operibus carnis; niſi cum horrore, & execratione cordis. Et ſi quando pro vtilitate ſermo de operibus carnis venerit; ita quietos carnis ſuæ motus ſentit; ac ſi de luto, vel lapidibus, aut alijs tractaret. Et iſtud venit ex ſingulari dono Dei, ita vt Pſ. 45 dicat, *Venite, & videte opera Domini, qui poſuit podigia ſuper terram. auferens bella* (tentationum carnalium) *vſque ad finem terræ*, id eſt ad terminos motus. Et tunc ſequitur, *Vacate, & videte* &c. Nam poſtquàm in hoc ſexto proceſſu, eſt plenè quietatus, ad contemplationem eſt accedendum, qui eſt ſeptimus proceſſus, quem reſeruamus in finem libri, ne materiam, & ordinem confundamus. Verſus tamen qui ſuperſunt, alteratos, non proſequutos hic ponimus

Digitized by Google

mus propter paruulos (quibus liber profectuum ſummè neceſſarius eſt,) quoniam illis difficile erit in ſequentibus inuenire eos, & in libro profectuum plenius inueniet proſecutos.

Proceſſus ſeptimus, de ſtatu contemplationis.

CAPVT VI.

I. VISO de actiuæ vitæ perfectione; nunc videndum de *contemplatiuæ* vitæ perfectione. Nam in contemplationum ſacrarum profectu, ſeptimus ſtatus vitæ Religioſæ, ſcilicet proceſſus ſapientiæ conſiſtit, habens intelligentiæ lumen, & æternæ ſuauitatis ſaporem. Dictum eſt ſupra, quòd profectus, ſiue perfectio ſpiritualis vitæ, in tribus conſiſtit.

Scilicet in { Rationis illuminatione,
Voluntatis rectitudine,
Memoriæ circa Deum occupatione.

Memoria autem, vt in Deum iugiter intendere aſſueſcat, hæc quinque attendat,

Lectio, ſermo bonus, meditatio

Cum oratione, & contemplatione.

cum prece contemp.

FRVCTVS lectionis ſunt vt ſequitur:

Ad Dei notitiam. — *Accendit ad Dei amorem.* — *Bonos inſtruit.*

II. Illuſtrat, calidum, mores,

Ad tolerandum aduerſa. — *Vitia & virtutes quærit.* — *Mundi contemptũ, ingenuis & deſideriũ cæleſte infert.*

animat, cauet, optat.

Vtilitas bonæ lectionis.

Intellectum — *Affectum*

Inſtruit, Inflammat,

Memoriam bonæ cogitationis prole fæcundat.

collatio ſancta perornat.

Intentio noſtra quomodo moueatur.

III. *Intentio noſtra aliquando mouetur pro Deo ſcilicet in actione, quæ pro ipſo ſit, licet de eo interim non cogitetur*

Intendas quandoque Deo,

Propter Deum in charitatem proximi bonum emittatur. — *Ad Deum in lectione, & meditatione.* — *Deum oratione.*

propter, vel ad, aut in.

In oratione eſt triplex attentio.

IV. *Dicit, ne cogaris repetere.* — *Quid verba ſonent exterius*

Quem Pſalmum, quid litera vult,

Quando ex verbis quæritur ſenſus ſpiritualis

quid ſpiritualis.

De varijs affectibus orantis, qui reperiuntur in oratione Dominica.

V. *Libera nos à malo.* — *Et ne nos.* — *Dimitte nobis.*

Vt reus, obſeſſus, ſeruus,

Panem noſtrum quotidianum da.

mendiculus orat.

Fiat voluntas, — *Adueniat regnum.* — *Sanctificetur nomẽ tuum.*

Filius, vt ſponſum, numen velut ebrius orat.

Quę requiruntur ad gratiarum actionem.

Diligenter beneficia Dei. — *Subtiliter intelligas.* — *Fideliter confitearis.*

Vt recolas, ſapiendo, fatens, ſeruans ſtudioſè. VI.

Benefactorem. — *Eius offenſam.* — *Ne gratiam negligat.*

Dilige, præcaueas, exerceat,

Ne inde ſuperbias.

haudque ſuperbit.

Septuplex conſideratio ad gratiarum actionem accendit.

COmmendat donum, ſe nobile, & vtile, crebrum, VII.
Si magnus magno, paruo donet, vel inepto.

De ſeptemplici materia laudis Dei.

LAudis materia, creat, & regit, hinc redimit te. VIII.
Iuſtificat, punit, poſt glorificat requieſcit.

Decem fructus orationis.

Peccatorum veniam. — *Deo appropiat,* — *Vitia.*

Impetrat, eſt prope, & expellit. IX.

Iudicem. — *Tentationis impetum.*

placat quoque, ſedat.

De hoſtibus — *Pericula* — *Dona Spiritusſancti.*

Vindicat, aufert, confert.

In omnibus, — *Gloriam cæleſtem.*

proficit, æthera pręſtat.

Diuerſimode Deus præſentat ſe oranti.

Quaſi audire indignans. — *Quaſi iratus apparens.*

Diuertit, ſtomachans, X

Quaſi alias intendens. — *Quaſi tacendo.* — *Benigne.*

intendens, abnuit, audit.

Quomodo ad puritatem orationis veniendum.

Aliquando orare. — *In oratione.* — *Diutius.*

Sueſce, vaces, perſiſte, XI.

Diuerſos modos orationis attentes.

precum modulis variatis.

Tria ſunt, quæ maximè à profectu retrahunt.

Remiſſa voluntas. — *Difficultatis.*

Tarda volunt, horror, XII.

De auxilio Dei.

vel diffidentia Chriſti.

Nouem cauſæ, quare non ſemper exaudiuntur orantes.

Orantis, Orat. de Deo.
XIII. OB culpam, tepidus, diffidés,
Petenti quod petitur.
nam nocet ipſi,
Ad orandum magis. Accepti. Sit orans.
Prouocet vt, cuſtos, humilis,
In tempus aliud, Dans magis vtile.
differt, ſimul auget.

Circa contemplationis exceſſum variæ ſpecies.

Gaudet.
XIIII. IVbilus, ebrietas, gaudet, liquefactio, raptus.

Septem genera compunctionum, ſeu deuotionum.

XV. E*Cce timor, dolor, adſit amor, compaſſio dona.*
Gaudet, miratur, mixtim deuotio flatur.
Timor ſupplicij, dolor peccati, amor Dei, compaſſio proximi, & Chriſti, beneficia, gaudium in ſpe gratiæ, admiratio de Dei potentia, ſapientia, bonitate.

Quinque rationes, quare gratia deuotionis contrahitur.

XVI. S*Int humiles, purget, punit, docet, vt mereantur,*

Extolluntur deuoti quadrupliciter.

XVII. E*X ſe præ reliquis, maiorem credit, & vti.*
Vel gloriatur ex ſe meruiſſe, aut maiorem quam habet, aut melius ſcire vti.

Octo affectus quibus trahimur ad communicandum.

XVIII E*N amor, infirmus, peccatum, nam tribularis.*
Gratia, gratifices, vel honor, compateriſq;.
Vel trahit amor Dei; infirmitas propria, conſcientia peccati expiandi, tribulatio, deſiderium alicuius gratiæ, gratiarum actio, honor Dei, & Sanctorum, compaſſio proximi.

De ramificatione virtutum, & vitiorum.

CAP. VII.

E*Xinanite, exinanite, vſque ad fundamentum in ea. Pſ. 136.* QVANQVAM in ſuperioribus plurima dicta ſunt de ipſis virtutibus, & vitijs principalioribus, ſcilicet ſeptem dentibus, & ſeptem capitibus draconis, & eorum contrarijs: Valde tamen neceſſariũ ſcientes, volenti vitia plenè deuincere, non ſolum noſſe vitia illa ſeptem principalia, verum etiam ſcire, & filias, & ramuſculos, malæ arboris illius; ideo quo ſuccinctius poterimus, ſub myſtica arbore aſſignabimus eas: vt ſic plenè vitia exinanire, & perfectè virtutes inſerere poſſimus. Nam teſte venerabili magiſtro Iacobo Carthuſienſi, aſtutus ille, & callidus ſerpens, videns vineam Domini non poſſe prima fronte grandibus illis, & principalioribus malis arboribus occupare, ſtudet zizania ſuperſeminare, adeo vt totum ferè ſemen bonum ſuffocet: Hoc eſt, quia videt, quod Religioſos prima fronte non poteſt in mortalia illa, ſcilicet luxuriam & apertam ſuperbiam inflectere, ſtudet ſaltem, vel corda illorum horum vitiorum filiabus, ac ſurculis, ita replere, vt prorſus eos abſtrahat à Deo, adeo offuſcans, vt vix ſe deprehendant, vel putent eſſe in peccatis, dum ſunt infecti diabolicis illis ſagittis, ſcilicet tumore apparentis ſanctitatis, contemptu non ſic viuentium, detractione, & hypocriſi, & innumeris alijs filiabus principalium vitiorum. Quæ tanto ſunt periculoſiora, quanto minus ab eis mala reputata: vt auctor ille in tractatu ſuo, qui *Oculus Religioſorum* dicitur, latè declarat.

Vt itaque huiuſmodi filiæ, ſeu vipereæ progenies agnoſcantur, agnitæ vitentur, extirpētur, ad fundamentum vſque exinaniantur, & virtutum ſemina rurſus inſerantur: ideo ſub typo duarum arborum, vnius eradicandæ, alterius plantandæ, ramificationes vitiorum, ac virtutum inſinuantur, quarum vlteriorem declarationem, qui noſſe volet in ſummis vitiorum, & virtutum, in Speculis moralibus, in ſummis Domini Antonini inquirere poterit. Sufficiat nobis, vel nomina ipſa poſuiſſe, cum diffinitione; vt homo ſe in his exercere, & examinare poſſit, itemque inter meditandum, aut ſermocinandum dilatare, nam poterit ſemper de genere, deſcendere in filias, & ſpecies eius. Quiſque igitur terram ſuam operetur, & colat, & qui ingenuum agrum ſerere volet, liberet arua prius fruticibus, falce rubos ſilicemque reſecet, vitiorũ arbores euellat, ac ſuccidat: vt plantet arborem bonam.

Mat. 12. **A**Ut facite arborem bonam, & fructum eius bonum; aut facite arborem malam, & fructum eius malum. En, vt dicit Eccleſiaſticus,
Eccl. 15. *Appoſita ſunt tibi aqua, & ignis, ante te vita, & mors, bonum, & malum, ad quod volueris porrige manum.* Duas depinximus arbores, cum quibuſdam ramulis earum, eligat quiſque quam volet: Aut faciat arborem bonam, &c. Relictus enim eſt homo *in manum conſilij ſui*, electiuam liberam habet. Vere verè inſanus nimirum rerum æſtimator, quiſquis vitiorum arborem virtutum arbori duxerit præferendam. Agite ergo dum liberi ſumus, ſuccidamus arborem malam, inſeramus virtutes pectoribus noſtris: Nihil enim virtutibus pretioſius; nil decorius inuenitur; Nil vtilius homini in vita ſua; quam virtutibus decorare mentem. Hæ enim ſunt, quæ vim rationalem illuminant ad veri cognitionem; concupiſcibilem excitant ad lectionem boni; iraſcibilem confortant ad deteſtationem mali. Hæ hominem ſuum cultorem, & gratum Deo, & hominibus dilectum reddunt. Adeo enim (teſte Seneca) gratioſa eſt virtus: vt inſitum ſit, & malis probare meliora. Quis igitur non eligat has præ vitijs? Eya igitur (vt
Dan. 4. & iam ante diximus) ſuccidamus arborem malam, hanc plantemus in hortulo cordis noſtri. Quomodo autem vitiorum arbor ſit euellenda, quomodo vitia deuincenda, iam ſat ſupra diſputatum. Porro quomodo virtutum arbor inſeratur menti, venerabilis ille Hugo in libro ſuo de Arca Noe, hoc modo docet, dicens, Sapientiæ (inquit) tantundem & virtutum arbor in cordibus Sanctorum, tanquam in Paradiſo,

Et	Seminatur,	per	timorem, Beati pauperes.
	Rigatur,		gratiam, Beati mites.
	Moritur.		dolorem, Beati qui lugent.
	Radicatur.		fidem, Beati qui eſuriunt.
	Germinat.		deuotionem, Beati miſericordes.
	Oritur,		compunctionem, Beati mundo corde.
	Creſcit,		deſiderium, Beati pacifici.
	Roboratur,		charitatem, Beati qui perſecutionem.
	Viret,		ſpem, Non areſcens.
	Frondet,		circumſpectionem.
	Floret,		diſciplinam,

Arbor hæc	Fructificat,	per	Virtutum intentionem,
	Matureſcit,		Patientiam,
	Carpitur,		Mortem,
	Cibat,		Contēplationē

Proſequitur latius Hugo ſingula hæc vbi ſupra.

Huius arboris	Radix,	Secundū noſtrum Th. Kē pis, eſt	Humilitas, & paupertas.
	Cortex		Labor pœnitentiæ.
	Folia,		Veritas doctrinæ.
	Flores,		Honeſtas pudicitię.
	Fortitudo,		Magnanimitas & patientia.
	Longitudo,		Longanimitas & perſeuerantia.
	Altitudo,		Charitas & ſapientia.
	Fructus,		Salus vita æterna.

Hæc pro qualicunque arboris huius declaratione; quæ ad hoc nobis proponitur, vt in virtutum amorem, & cognitionem, accendamur, & illuſtremur: In qua fere omnium Cardinalium virtutum ſpecies, & partes ponuntur, vt ex virtutum multitudine, dinoſcamus quanta nobis deſunt. Habent tamen, & ſingulæ ferè illæ virtutes, partiales ſuas ſpecies, & diuiſiones, quas non potuimus ponere; ne prolixitatis, & nimietatis argueremur. De quibus, qui plenius inſtrui voluerit ſummas virtutum, itemque Tractatulum, cui *Moralium dogma* titulus eſt; requirat; in his enim plene agitur de eis. Nobis ſufficit, vel occaſionem, & materiam dediſſe quandoque exercitandi, aut meditandi de vitijs, aut virtutibus ipſis. Nam ſpecies, & filias noſſe vitiorum, itemque partes virtutum, valde commodum eſt ad multa: vt ſupra iam tetigimus; ſcilicet, ad ſui ipſius cognitionem, & humiliationem: vt dum ſe in his examinauerit, & repererit ſe tantis vitijs oppletum, itemque, tantis virtutibus vacuum, ab eis remotū, humiliter de ſe ſentire habeat: Item valet pro dilatatione meditationis, & ſermocinationis: Vnde in meditationibus, quando petimus pro vno vitio deuincendo, poſſumus, per cōſequens deſcendere ad ſingulas ſpecies eius; ſic & in virtutibus. Sed pro concluſione dicatur illud Boetianum, *Auerſamini igitur* (quicunque has vidiſtis arbores) *vitia, colite virtutes, ac recta ſpe animum ſubleuate, humileſque preces in excelſa porrigite*, &c. *Magna enim vobis (ſi diſſimulare non vultis) neceſſitas indicta eſt probitatis, cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis.* Euellite igitur vitiorum ramuſculos, virtutum arborem plantate. Et ſic eſt finis huius diſtinctionis.

Finitur pars Prima de Exercitijs vitæ actiuæ.

INCI-

ROSETI SPIRITVALIS

PARS SECVNDA,

DE EXERCITIIS

VITÆ CONTEMPLATIVÆ.

Prologus in eandem partem ſecundam.

Pſal. 38. IN *meditatione mea exardeſcet ignis*. IAM IN ALTERA huius Roſeti parte, de actiua ad contemplatiuam tranſmigrandum eſt vitam: De albeſcentibus roſis Exercitiorum, ad rubeas tranſeundum eſt ſacrarum meditationum ..

In ſuperiori quippe parte Roſeti albas exercitiorum roſas carpſimus, quibus deuenitur ad mentis puritatem: hic nunc, in huius viridarij parte, rubræ ſunt meditationum roſæ legendę, quibus mens inflammetur ad ardoris charitatem. Charitatis namque fomenta ſunt (teſte Pſalmiſta) deuota meditabilia, qui de ſe fatetur, quòd *concaluerit cor ſuum intra ſe, & in meditatione ſua ignis* (haud dubium quin diuinæ charitatis) *exardeſcat*. Vt itaque & in nobis ille ignis ſuccendatur, vt deuotio exardeſcat, charitas inflammetur; collegimus in hac parte quædam deuota meditabilia, tanquam veræ deuotionis ligna & fomenta; vt quoties ignis ille, quem Dominus Ieſus miſit in terram, intepuerit, his mediis foueatur, & rurſus exardeſcat. Tam enim meditationis huius ligna (teſte Gerſone) ad charitatis inflammandum ignem ſunt neceſſaria: vt vix aliquis (ſecluſo Dei ſpeciali miraculo) his ſine perueniat ad ignis illius calorem. In prima itaque parte mens quæ fuerat vitijs humectata, exercitijs pijs deſiccatur, & igni aptatur; in hac igni apponitur, & inflammatur; In illa à vitiorum ſorde abſtergitur: hic genæ eius rubeſcunt; in illa cum candido eſt candida: hic cum electo ex millibus & rubicundo, electa eſt & rubicunda; Illic cum Martha circa plurima ſollicita: hic cum Maria vni & neceſſario intenta.

Pſal. 38 · Luc. 12. · Cant. 9. · Cant. 5 · Lucæ 10.

Iuſto ergo ordine pars illa iſtam præcedit, quoniam Ethica Theoricã, & diſpoſitio actum, & quæ ad finem ſunt, finem præire habent. Finem autem noſtrę fœlicitatis in actu contemplationis, (ad quam itur via ſacræ

meditationis) Dominus Ieſus conſtituit, quando Patri æterno depromiſit, *Hæc*, inquiens, *eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. De hoc itaque fine hic agitur, quo ſine cætera ſunt caſſa. Quid enim valēt exercitia; niſi ſacris meditationibus ſuffulta? Quomodo vitiorum effugabuntur tenebrę; niſi pręſente & irradiante iuſtitię lumine? Quemadmodum ſine luce in vniuerſa mundi machina, cuncta ſunt mortua; ita & ſine meditationis lumine obtenebreſcunt mentis interiora; Et ſicut ſolis fulgore omnia illa illuſtrantur, ornantur & fœcundantur: ſic & ſapientiæ aut meditationis luce, omnia mentis intima iradiantur, decorantur, atque fœcunda redduntur. Quiſquis ergo in exercitiis volet perfici, quiſquis igne diuinę charitatis inflammari, & (vt ad ſummum dicam) quiſquis volet omnis perfectionis attingere culmeñ, & hanc partem amplectatur, & ſequentibus meditationibus ſe ſtudeat exercere.

Ioan.17. *Simile.*

Cauendū. NEC quemquam retrahant incantantes in exitium dulces vſque ſyrenes (quoſdam torpidos loquor & ignauos) qui non ceſſant meditatiuorum, aut contemplatiuorum ſtudijs oblatrare: vt vel ſic propriam deſidiam pallient, & deteſtandi ſui torporis habeant conſortes. *Noli* (aiunt) *altum ſapere; ſed time*. Itemq; illud Salomonis Prou. 12. *Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter*. Huiuſmodi ex Scripturis truncè allegant nec vim neque virtutem Scripturæ intelligentes; adeò vt & dicant: Sufficit mihi vita communis, ſi cum infimis ſaluari potero, nolo Apoſtolorum merita; Nolo volare per ſumma, incedere per planiora contentus ſum; ſingularitas eſt vitanda. Hæc & huiuſmodi multa ſui torporis allegant palliamēta; Sed audiant Apoſtolum, audiant, & oppilent os ſuum. Quid enim dicit? *Ego*, inquit, *non arbitror me apprehendiſſe. Vnum autem, quæ quidem retro ſunt obliuiſcens, ad ea verò, quæ ſunt priora, extendens, meipſum ad deſtinatum perſequor* &c. Item in alio loco. *Creſcentes in ſcientia Dei*; Et 1. ad Corint. 1. *Sitis ergo perfecti* &c. Et Phil. 3. *Omnia arbitror, vt ſtercora, propter ſupereminentem ſcientiam Ieſu Chriſti*. Viderint quoque, quod imperfectio ſit, nolle eſſe perfectum: Et in via Dei non progredi, (vel deſiderio, vel conatu) retrogredi eſt. Damnatur ſeruus piger, qui talentum ſeruare contentus, illud in fœnus non tradiderat. Diſplicet quoque Patri filius ſegnis, proprij honoris & profectus incurius; vt pulchrè Gerſon declarat; Maria Marthæ pręfertur. Viderint hi, quibus ſufficit ſaluari cum infimis, ne damnentur cum reis & pigris. Deuota quoque meditari non eſt altum ſapere, non ſingularitas, non in magnis ambulare: vt pulchrè Gerſon declarat, in de Monte contemplationis, & aliàs. Nec putet quis, quod hic ad vnguem meditabilia hęc exequi velimus, ſat nobis erit ſi occaſionem ſapientibus, aut incitamentum ſtudiorum minus capacibus adminiſtrare his noſtris collectis poterimus.

Rom.11. *Philip. 4.* *Coloſ.1.* *Luc.19.* *Luca 10.* *Pſal.130.*

Digitized by Google

DISTINCTIO QVARTA.

TITVLVS XIV.

MEDITATORIVM.

PRÆLOQVIVM. CAP. I.

V*Enite aſcendamus in mõtem Domini.* Eſa. 2. Venite (ait Guillel. Abbas) omnibus derelictis ad cõtemplationis quietem apprehendendam, aſcendamus &c. Fatuum namque eſt ſemper in imis legendo, & ſtudendo morari, & nunquam aſcendere in montem Domini per flammigeras affectiones amoris. Non enim ad hoc animam creauit Deus, vt contra ſuam generoſitatem multitudine quaternionum, & ouinarum pellium repleretur; ſed ad hoc vt eſſet ſedes ſapientiæ, & ipſe *Rex pacificus* velut in ſolio ei inſideret. Sacris igitur meditationibus iuxta Prophetæ vocem, in montem Domini aſcendamus eumque in noſtrę mentis apice, velut in ſolio conſeruemus. Et vt volentius Propheticæ monitioni pareamus, atque cõtemplationis aut meditationis ſtudio ſedulius incumbamus, quædam in genere ſunt præmittenda. Hoc tamen præmonitum volumus, nos hic nolle ſublimia tradere, & contemplationis materiam explicare; ſed tantum de rudi affectiua meditatione, qua citius peruenitur ad myſticæ Theologiæ arcem; quam ſi ſublimia dixerimus, & altiora. Nolumus item diſtinguere de contemplatione, meditatione, aut cogitatione, quoniam ſuper his & huiuſmodi alij plurimi libri habentur; nos noſtro more practicis dandis inſudare tantum oportet. Sed ad prę mittenda veniamus. Sunt autem præmittenda tria. *Sap. 7.*

Videlicet	*Sacrarum meditationum introductiua.* *Meditantiũ & meditabiliũ qualificatiua.* *Cęterarum materiarũ & practicarum recommendatiua,*	vt	*Alliciamur, Inſtruamur, Expediamur.*

MEMBRVM I.

De introductiuis ſacrarum meditationum.

I. M*Aria autem optimam partem elegit.* Luc. 10. DE PRIMO itaque, id eſt, de introductiuis & de incitatiuis ad ſacræ contemplationis quietem, & ſacrarum meditationum ſtudium; licet ſufficiens poſſet eſſe incitamentum, verbum illud Domini iam præmiſſum, quo optimam dicit Mariæ (haud dubium, quin contemplantis) partem; iuuat tamen ſub Compendio, ex multorũ ſcriptis inductiua congerere potiora. Et ſunt iſta,

Exemplum, bona, perſuaſum, prælata, neceſſe.

PRIMVM itaque inductiuum, & ad ſacrarum meditationũ ſtudium, mentiſq; quietẽ incitamentum eſt, *Exemplum plurium rerum.* Exẽplũ, inquam, *rerum naturalium*, quæ omnes ſuum appetunt, & locum, & quietem, & repetunt proprios quæque recurſus, vt patet in plãtis, lapidibus, & animantibus cunctis, vt habetur in de triplici via. Incitat ad idem exemplum *hominum ſæcularium* & mundanorum actuum. Vnuſquiſque enim induſtrius artis appetitor (vt ait in collatione prima Patrum Caſſianus) cunctos labores & pericula atque diſpendia æquanimiter libenterque ſuſtentat, vt patet in agricolis & negociatoribus; Nam & agricola nunc torridos ſolis radios, nunc pruinas & glacies non declinans, terram infatigabiliter ſcindit, & indomitas agri glebas, frequenti ſubigit vomere, ſola ſpe copioſarum frugum; Sed & qui negociationum ſolent exercere cõmercia, non incertos pelagi timent caſus, non mille diſcrimina perhorreſcunt: dum ad finem attendunt quæſtus, omnia hilariter perpetiũtur. Sed quid de his, qui *mundialis militia* ambitioſo cingulo ſuccincti, commemorem? Hi enim, dum propoſitum conſpiciunt dignitatis finem, nec inter medias mortes pauent, nec belli fragoribus franguntur. Si ergo tot laboribus, tot curis, tot mortibus ſe agricolæ, mercatores, milites, ſæculares, tantũ ſpe quæſtus terreni exponant; pudeat Chriſti milites, agricolas, ſeruos, quibus æterna reponuntur in cœlis bona, his fore ignauiores. Quod ſi iã tertio in medium deduxero *Sanctorũ exempla*, quam illi viriliter egerint, quamque pro contemplationis adipiſcẽda quiete laborauerint, quis quæſo non allicietur? Quantis annis Iacob pro Rachele ſeruierit omnibus eſt notũ; *Gen. 29.* & tamen omnes dies pauci illi videbãtur, præ magnitudine amoris. Non eſt hic differẽdum de conatu Auguſtini, Bernardi, cæterorumque in principio conuerſionis: vt poſt amplexus mererentur Rachelis, Horum tantùm & nos exemplis ad hanc contendamus viam.

ALTERVM inductiuum eſt, *bona*, id eſt ſacrę meditationis *fructus & vtilitas*. Tantæ autem ſunt huius vtilitates, vt nemo, niſi qui guſtauerit, nouit. Verè lignum eſt vitæ per ſingulos menſes duodecim afferens fructus. Longum *Apoc. 22.* eſt ſcribere cuncta: Hæc mentes purgat, & excoquit vitia; hæc intellectum illuminat, affectum inflammat; hominem deificat, & in terris beatum facit. *Hæc eſt enim vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum* &c. Verè pretioſior eſt ſapientia hæc cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari. *Veniunt enim omnia bona ſimul cum iſta.* Si enim diuitiæ quæruntur, quid ſapientia locu-

Digitized by Google

pletius? Vnde & ab Ariſtotele *Diuina poſſeſſio* nominatur: Hæc enim quietat mentes, miraq; dulcedine afficit. Hinc Sapiens cap. 8. *Intrans in domum meam, conquieſcam cum illa: Non enim habet amaritudinem conuerſatio illius* &c. Et vitæ actiuæ, iuxta Gregorium, magna ſunt merita; ſed contemplatiuæ maiora. Et (vt paucis agam) tenendum cum Gerſone, quòd vita hęc Deo gratior, ſubiecto proprio vtilior, & toti Eccleſiæ commodoſior, quam ſit actiua: Adeò vt qui bene perpenderet, qualis excellentia ſit bonorum ſpiritualium ſupra temporalia bona, hic clarè cognoſceret, quòd plus proficit oratio deuota vnius contemplatiui, quàm faciunt centum, & centum vitam ducentium actiuam: vt latius in de Monte contemplationis declarat.

TERTIVM inductiuum eſt, *Perſuaſum*; id eſt, quia in Scriptura ſancta, & doctrinis ſanctorum crebrius ſacris meditationibus inſiſtēdum ſuadetur. Scrutemur ſcripturas, inuenie-mus copioſa teſtimonia horum: Nunc enim expreſsè ad hoc hortantur; nunc ſub typo Rachelis Mariæ & Ioannis extollunt; nunc dulcedines narrant &c. Sancti quoque, & Eccleſiæ Doctores ſingulariter meditationi ſacræ & contemplationi incumbendum docuere. Quis oro tractatus omnes in laudem & in gloriam contemplatiuæ vitæ editos enumerabit?

QVARTVM inductiuum eſt *Prælata*; id eſt laus & commendatio, qua vita hæc contemplatiua aut meditatiua ſuper actiuam extolli ſolet. Et certè innumeræ ſunt laudes huius; ſed ſufficiat paucas, vel paucis perſtrinxiſſe nobis

In Dei contemplatione clara eſt, quæ non marceſcet ſapientia, non ſic Lya, quæ oculis lippa:

In mentis illuminatione hæc eſt ſpecioſior ſole, & ſuper &c. Rachel enim pulchra facie. *Quia Deo intendit, quod eſt vnum illud neceſſarium.*

Clarior & pulchra, perfecta,

Quia ſedet ad pedes Ieſu, Martha turbatur. *Et ſecurior amantiſſimus Domini habitabit confidenter.*

quietaque, tuta,

Ratione obiecti, ſubiecti, & modi, non habet tædium conuictus eius. *Permanentior ex ſua natura: Nō enim auferetur ab ea: Charitas nunquam excidit.*

Hæc iocunda, manens,

Quia Dei capacior, & Deum vngit cum Maria. *Deo familiarior, Ioannes ſuper pectus recumbit.* *Precioſior, quia rarior, arcta in ſummitate anguſta.*

deuotaq;, proxima, cara,

Quia conuertit homini ſecundū dignitatem potentiam, tendens in obiectum nobilius. *Cæleſti vitæ ſimilior, vbi videbimus, & laudabimus.*

Nobilis, aſſimilis,

Paucioribus egens, in ſuperna eius diuitiæ, & gloria. *Magis meritoria, quo ad finem, quoad præmiū.* *Nam vita æterna in hanc ordinatur.*

paucis, merito, quia finis.

Poſſemus ſingulas has pręrogatiuas, & ſanctorum auctoritatibus, & efficacibus rationibus aſtruere & declarare; ſed breuitati ſtudendum. Et facilè in alijs eſt has proſequutas inuenire; vt in Petro de Alyaco in ſuo Compēdio contemplationis; in Dion. Carth. de Contemplatione; partim in Summa virtutum. Sūt quoque præter has prærogatiuas & aliæ plures, quarum Gerſon quaſdam, vt illic eſt videre, complectitur ſuper Magnificat, ex perſona contemplationis.

III. POSTREMVM (ad huius ſacræ meditatiuæ & contemplatiuæ vitæ ſtudium & amorem) incitamentum eſt neceſſitas ad hoc impellens: Ipſe enim Saluator noſter dixit, *Porrò vnū eſt neceſſarium*. Luc. 10. Verè neceſſarium eſt iſtud vnum contemplationis & meditationis ſacræ exercitium, quo ſine (ſi Gerſoni datur fides) vix ad ſalutem pertingitur. Nouit hoc Pſalmographus, cùm ait: *Niſi quod lex tua meditatio mea eſt, tunc fortè periſſem in humilitate mea*. Pſal. 118. Imò multi ſunt, apud quos damnabilis ſępe eſt omiſſio meditationis ſacræ, & contemplationis inquirendæ: cuiuſmodi ſunt, qui gratiam illā à Domino acceperunt, qua periculosè contingit abuti; & cuiuſmodi Eccleſiaſtici, Clerici, & Theologi, quibus ex officio incumbit; Et potiſſimū cuiuſmodi, qui poſiti ſunt in ſchola religionis, quæ eſt ſchola deuotionis, fletuum, & orationis, Et Religioſi omnes, qui labores populorum in ocio poſſident: vt vel ſic cuſtodiant iuſtificationes Domini, & legem eius ſemper exquirant, Pſal. 104. & vt ſint oculi corporis myſtici, cæterorum membrorum opera, & illuminantes, & dirigentes. Cùm itaque tanta habeamus ad ſacrarum meditationum ſtudijs inſiſtendum inductiua, meritò ad eam aſpirare debet, quiſquis aliunde impedimento non impeditur legitimo. Et verè fœlix nimium ille, & excelſa ſorte ſublimis, cui datum fuerit vehementer concupiſcere, ſapienter inquirere, dignè complecti vitam hanc beatam. Quem verò hæc non mouent, trahunt, deuincunt, retinent, ſtupidus, frigidus, vacuus, vanus & ſtultus eſt. Et vehementer Religioſi præſertim (vt Dionyſius ait) ſunt redarguendi, qui cum apta media habent; non tamen ad contemplationem aſpirant, &c. Hæc de primo:

MEMBRVM II.

De meditantium qualitate.

IV. *QVis aſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto eius?* Pſalm. 14.

VISO de ſacrarum meditationum inductiuis, videndum eſt de meditationum diſpoſitionibus; quales ſcilicet erunt tradentes ſe vitæ contemplatiuæ. Valde enim (ſecundum Greg. 6. Moralium) inter ſe diuerſæ ſunt conſperſiones animorum: Quidam enim ita naturaliter quieti, vt labori ſuccumbant; & nonnulli ita inquieti, vt ſi vacationem laboris habuerint, grauius laborent: Primi igitur aptiores, huic vitæ ſe tradere debent; Alij autem, etſi naturaliter inquieti, & huic ſtudio inepti, non tamen totaliter ſe abſtrahere debent; ſed niti, & repere quantum poterunt, & niſus talis, & conatus eis perfectio reputabitur.

Porro omnis qui ſe huic vitæ dedere volet, has in ſe conditiones habeat oportet,

Sit purus, feruens, humilis, tacitus, fuge, paſcēs.

PRIMO omnium, qui in montem hunc contemplationis aſcendere, & in ſancto eius loco ſtare volet, oportet, vt *cordis puritati* ſtudeat:

Alioquin

Heb. 12. Alioquin videndũ, ne velut *beſtia tangens mon-* Eſa. 59. *tem, lapidibus obruatur*. Nam *peccata diuidunt* Ier. 5. *inter Deum & nos*; Et Hieremia teſtante prohibent bonum à nobis; Et, *ſapientia non habitabit* Sap. 1. *in corpore ſubdito peccatis*. Qui ergo ad contemplationis quietem, qui ad diuinorum præfulgidas theorias, qui Deo propinquare, verum & in eius monte ſtare deſiderat: à via purgatiua initium ſumat, & ſic per illuminatiuam ad vnitiuã tendat, de quibus tribus vijs plura ſcripta habentur. Vnde & Gerſon primũ gradum contemplationis ſcalæ, humilem pœnitẽtiam ponit, cuius cauſam plenè in libro de Monte contemplationis exponit & explanat.

Secundo *feruens*, id eſt, oportet ferueat & æſtuet ad omnia bona. Et in primis faciat facienda, & toto niſu ſemper acceleret, (dum tempus patitur) paſci & lactari vberibus ſacræ meditationis. Non enim negligẽtes aut pigros Luca 1. hęc ſchola admittit; ſed *eſurĩẽtes impleuit bonis*; Qualis autem hic feruor erit, pulchrè docet Gerſon, vbi ſuprà. Hic tamen induſtriam & diſcretionem oportet adeſſe, temperantẽ feruorem: non enim ſtabiliter & ſine ceſſatione contemplationi inhærendum, Nam hoc vetat *primo* animæ in ſua natura inſtabilitas; *ſecundo* corporis infirmitas: Decies enim mille (teſte Platone in Phedone) nobis vacationũ impedimenta inde proueniunt: *tertio* obiecti excellentia: Nam ad ea, quę Dei ſunt, contẽplanda, habet ſe oculus noſter, ſicut oculus noctuæ ad ſplẽdorẽ ſolis. Sũt & multa alia, quæ trãſimus.

Tertio *humilis*, id eſt, opus eſt ſumma hu- Rom. 11. militate; ne ſapiat altum, ſed timeat ſemper. Eſa. 66. *Super quem enim reſpiciet, niſi ſuper quietum & humilem*? Et iam erectus obſeruet ne grauior Pſal. 101. ſit (ſi euenerit) caſus, & dicat, *Eleuãs alliſiſti me*. Si conſtitutus es in lecto contẽplationis ocio- Ier. 49. ſæ, & noueris myſteria omnia, ſi poſueris in cœlo nidum, ſi caput tuum tetigerit nubes: tu VI. ad vnum flatum ſuperbiæ, reprobus detraheris in abyſſum, & tanquam ſterquilinium perderis; dũ alter humiliatus, cælos aſcendet. Hæc etenim ſapientia altiſſima eſt: Nemo, niſi qui ſe humiliauerit, apprehendet illam; latius venerabilis Hugo in Didaſcalico deducit.

Qvarto *tacitus*; licet enim omnis diſcipli- ☞ næ obſeruantia requiratur; tamen ſingulariter taciturnitatis religioſitas meditatiuos decet: Vnde Gerſon dicit, Adam expertus, quod nihil fermè quieti mentis, & contemplationi plus inſidioſum, nihil ita pretioſiſſimæ rei, ſcilicet temporis conſumptiuum, nihil poſtremò perfectioni Religioſorum aliunde probatorum plus obuians, quemadmodum colloquia, non ſolum praua, quæ corrumpunt bonos mores; ſed illa etiam, quæ ſuperfluè, diuque protrahuntur, aut ſuper rumoribus vulgo volitantibus, aut ſuper ludicris pluribus, aut cæteris, quibus dies ſenſim atteritur; per quæ dum ſe oblectauerint, vel ignauiæ, vel indignationi, vel faſtidio ſuo mederi putantes, inquietiores & mente diſſipatiores remanebunt. Fallor, ſi Pſal. 37. vnquam in montem Domini, in arcem contẽplationis aſcendet, qui non ad vaniloquas huiuſmodi fabulationes, factus fuerit ſicut homo non audiens, & ſicut mutus non aperiens os ſuum. Fuge igitur, tace, quieſce cum Arſenio, cum Ieſu & Moyſe aſcende ſolus in mõtem: cum Ioanne in deſerto mane; cum Maria in cubilis ſecretario; aut cum Iſaac ſolus egredere, meditari in agro. Solitudinẽ enim & quietem vita hæc amat. Quod viderunt Pythagoras, Plato, Ariſtoteles, & Philoſophus noſter Paulus: Quorum primus dicebat diſcipulis ſuis, vt per quinquennium ſilerẽt, & dictis ſuis crederent; Alius aiebat, ſumendum eſſe ex credulitate compendium; Tertius verò addiſcentem ait oportere credere; Cui quartus pœnè ſimilia verba ponit, dicens: Oportet, inquit, Heb. 11. accedentem ad Deum credere, conſcius nimirum Prophetici verbi dicentis. Niſi credideri- Eſa. 7. tis, non intelligetis.

Qvinto, *oportet obſtacula* & impedimenta fugere, quiſquis in meditatiuo & affectiuo ſtudio proficere volet. Sunt autem à dextris & à ſiniſtris hoſtes, laqueos & tendicula tendentes; ita vt horum non ſit finis. Videatur Gerſon in de Monte contemplationis, item Summa virtutum, & Petrus de Alliaco vbi ſuprà. Neceſſaria eſt perſeuerantia fortis, & longanimitas aſſumenda: Oportet enim perſeueranter & inſtanter poſt repulſam perſiſtere. Vult 1. Cor. 3. nos Deus laborare: vt eius coadiũtores ſimus. Deut. 6. Qualiter enim implebimus non tentabis Dominum Deum tuum, ſi laborem, diligentiam datam humanitus deſerentes, ſolum diuinitus adiutorium præſtolemur? Certè qui perſeue- Matt. 10. rauerit ſolus ſaluus erit.

Oportet item ſuperfluas occupationes ſummè vitare: *Scribe ſapientiam*, ait Sapiens *in tem-* Eccli. 38. *pore ocij; Nam qui minoratur actu percipiet eam.* *Propterea ſint in paucis actus tui*; ſi ſtudere vis Eccli. 11. bonę menti, quam nemo occupatus (ſi creditur Senecæ) inuenit. Non poteſt alligatas habens alas auis, vel illitas viſco, vacuas ſe ferre per auras. Omnis ergo cura & ſolicitudo Luc. 18. pro ſtatu vitanda.

Postremo ſemper orare, & nunquam deficere oportet.

MEMBRVM III.

Qualia ſint meditanda.

Noli *altum ſapere, ſed time*, Paulus Rom. 11. *Hæc meditare, & in his eſto*. Idẽ 1. Thi. 4. Nvnc de meditabilium videndum eſt *qualitate*: Non enim paſſim quæque nobis, nobis, inquam, Deo deditis meditanda proponuntur; ſed ea quæ præcepit Deus oportet cogitare ſemper, qualia ſunt deuotionis & cõpunctionis adminiſtratiua. Non enim vult Apo- Rom. 12. ſtolus nos *altum ſapere*; ſed humilibus aſſentire, eáque meditari, & in illis eſſe.

Nam & quod compunctiuis & affectuoſis potiſſimum ſit immorandum meditabilibus, ex multis patet, ſcilicet,

Officium petit, eſt ſuaſum, decet, vtilẽ multum.

Primo inquam *officium* & ſtatus Monaſticus id exigit & requirit, vt compunctiua meditemur; Quod Monachorum officium ſit, nemo ignorat, qui Climachi diffinitiones legit, vbi Monachus. dicitur, *Monachus eſt mœrens, & dolens anima* &c.

ma &c. *iugi meditatione mortis ſe exercitās, dor-*
miens, & vigilans; Et Hieronymus, quòd offi-
cium Monachorum ſit *flere & lugere*. Et quam
ſit neceſſarium & vtile compunctiuis inſiſtere
plures libri, vt qui intitulatur *Homo quidam*,
& Patrum collationes docent. SECVNDO *ſua-*
ſum, id eſt Scriptura ſacra curioſis inſiſtere, al-
ta rimari plurimum diſſuadet; è regione ſua-
dens humilibus conſentire: vt patet ex toto
eius decurſu. Quāti autem Doctores idipſum
perſuadeant, vt deuotioni cæteris ſepoſitis in-
ſiſtamus, non facilè eſt numerare. Hoc Augu-
ſtiuus, hoc Hieronymus, hoc Patres heremi-
colæ ſuos edocuerunt, qui nec ſermonē qui-
dem, niſi de paſſionibus, admiſiſſe leguntur.
Hoc Bernardus & cæteri docuere. Gerſon
concluſionem hanc familiariter verſat, quod
religio ſchola ſit magis affectus, quàm intel-
lectus, & idcirco affectuoſis conuenit ſtudijs,
& meditationibus inſiſtere illic. Patet in tra-
ctatu de libris à Religioſis ſtudendis deductio
huius. Hinc & Dominus Ioannes Scoenho-
uiæ in ſermone capitulari Vuindeſemenſi, aſ-
ſentitur, dicens, quod Religioſi qui in ſchola
orationis, deuotionis, atque fletuū poſiti ſunt,
myſticæ Theologię potius quàm ſpeculatiuę,
aut litteratoriæ inſiſtere habent. Nam littera-
toriam mundi edocent Doctores; ſed myſti-
cam Dei ſpiritus docet, &c. Ergo ſecundum
eundem patet, quod non poſſumus melius ha-
bere ſtudium, quàm vt nos totos in Deum per
pias meditationes, & flammigeras affectiones
conuertamus. *Veram enim ſcientiam* (ait Ber-
☞ nardus) *non docet lectio ſed vnctio; non littera, ſed*
ſpiritus; non eruditio ſed exercitatio in mandatis
1.Cor.2. *Domini*. Si Paulo ſatis fuit Ieſum, & hunc cru-
cifixum ſcire inter infirmos: quid nobis reſtat
amplius inquirendum, donec creſcamus? Sa-
pientia enim crucis Chriſti omne arcanum
aperit increatæ, ſapientiæ. Satis ergo nobis
erit, & in hoc tractatulo, vel ſecunda hac par-
te, ſolum deuota & affectiua meditabilia tra-
didiſſe, in his vita conſtat.

1.Cor.12. Eya igitur, ô amantiſſimi, chariſmata hæc
meliora æmulemur; & non inutili illi curio-
ſitati, multos libros legendi, & plures quater-
niones euoluendi, nos immergamus; ſed ad
veram ſapientiam, ad effectuoſa hæc & huiuſ-
modi nos meditabilia conferamus, ex quibus
cor noſtrum conualeſcat, & diuinæ charitatis
igne ſuccendatur. Amor enim ſciētiæ præſtat,
quæ eſt verum ſanctuarij pondus, quo præmiū
menſuratur æternum. Vnde erit & mutatio
dextræ excelſi, quod in futuro plures ſimplices
& idiotæ doctioribus doctiores, & in contem-
plando Deum acutiores erunt: Nam affectiua
Dan. 12. hac ſcientia qui docti fuerint, & qui docibiles
ſunt Dei, hi ſunt qui fulgebunt vt ſtellæ. Et
Ioan. 6. quia ſuo exemplo ad iuſtitiam erudiunt mul-
tos, & efficacius quàm plures verbo, ergo in
perpetuas candidiores fulgebunt æternitates.
Abeant ergo curioſa, vana omnia abſunto.

MEMBRVM IV.

De induſtrijs meditatiuorum.

S*I direxerit homo ad Deum cor ſuum, ſpiritum* VII.
illius & flatum ad ſe trahet. Iob 34. NVNC
de quibuſdam *laudabilibus induſtrijs* quibus
homo ad cōtemplationis theoricum culmen
diſponitur & adiuuatur, dicendum. Quamuis
enim Deus quandoque gratiam præſtiterit
quibuſdam, etiam indiſpoſitiſſimis; ſua gratia
præuenerit, affecerit, inuitauerit; regulariter
tamen, communitérque loquendo, ad gratiæ
ſuſceptionem præexigitur, quod homo faciat
quod in ſe eſt, ad illam ſe aptando, & præpa-
rando; & ſic Deus eam illi largitur. Hinc cre-
brius ad hanc præparationem hortatur Spiri-
tuſſanctus, vti Zachar. 1. *Conuertimini ad me, &*
conuertar ad vos, & Iac. 4. *Appropinquate Deo,*
& appropinquabit vobis. Patet ergo quā noſtræ
induſtriæ laborem requirat: Nam licet huma-
na induſtria per ſe non ſufficiat, non tamen
penitus eſt abjicienda. *Dei enim coadiutores* 1.Cor. 3.
ſe ſuoſque vocat, non compulſores, aut præ-
uentores. Sit igitur labor noſter, ſit induſtria,
ſit conatus *plantans & rigans*: *Incrementum* ve-
rò, quaſi viuificum, ſuperinfuſamque virtutē Ibidem.
donet Chriſtus, à quo petatur humiliter & ex-
pectetur confidenter. Nemo torpeat ſed ſata-
gat, enitatur; qui capit capiat, quantum labor
requiritur. ſi nihil abſque labore dedit Deus
mortalibus (vt poeta ait) pudeat pro tanta re
non laborare. Induſtrias igitur quiſque aſſu-
mat. Plures varias tradiderunt induſtrias, quas
longum eſt commemorare. Tradiderunt diſ-
poſitionem *ab intra*, per Dei & ſanctorum in-
uocationem & proximorum compaſſionem;
Ab extra item quoad alimentum, ſitum, tem-
pus, modum &c. Sed hæc in Gerſone, & in de
triplici via, & in Dionyſio Carthuſienſi abū-
dè inueniuntur.

EX MVLTIS pauca colligimus, & tria potiſ-
ſimum neceſſaria dicimus meditanti.

Scilicet
- Corpus, quoad tempus, locum, & ſi-
tum diſponere.
- Determinata puncta habere:
- Praxim & modum cognoſcere.

§. 1. *Induſtria prima, de corporis diſpoſitione.*

PRIMO igitur omnium qui ſe meditationi
tradere deſiderat, oportet vt ſemper Dei, & VIII.
ſanctorum inuocato auxilio, de certo tēpore
ſibi prouideat, & illud ſibi pręfigat. Licet enim
mens in Deū ſemper ſit bonis meditationibus
ſuſpendenda, oportet nihilominus (iuxta Hie-
ronymum) vt homo ſibiipſi certas aliquas de-
putet horas, quibus ſingularius animum exer-
ceat, ſcopando pariter & meditando. Optima
enim ea gubernatio eſt (teſte Aug.) vt omnia Pſal. 46.
ſuis temporibus quæque diſtributa ex ordine
gerantur. Quale autem tempus meditationi
opportunius ſit, non facilè eſt diffinire. Suus
cuique mos, & quiſque ſuo ſenſu abundat.
Tantum præcaueatur, ne tempus meditationi
non deputetur. Plurimum enim expedit, vt
vnumquodque virtutis opus ſuo continuetur

tem-

Digitized by Google

tempore, quatenus actus in habitum verſus, & delectabilius frequentetur, & ne aliquando intermittatur. Plerique tamen in hoc conueniunt, quod nocturnum tempus opportunius ſit meditationi: Vnde ſcriptum eſt pſal. 118. *Et nox illuminatio mea in delitijs meis.* Itéq; pſ. 54. *Serotinum & matutinum: Exitus,* inquit, *matutini & veſpere delectabis*. Nullum tamen tēpus præfiniendum Deo. Temporibus quoq; ſacris & ſanctorum feſtis (ait Gerſon) quis dubitat copioſiora ſolere infundi gratiæ munera deuotè meditantibus?
Eccli. 14. Tunc enim *in die bona* ad Deum venimus; tunc fiducialius dicimus ſancto, *Proſpera diem tuum triumphalem*; Tunc copioſiores chariſmatum micæ à menſa decidunt beatorum conuiuarum, mendicantibus erogandæ: vt patet etiam in mundo iſto.

Deinde & *locus idoneus* eſt contemplatiuo eligendus: Vnde prętereà, quæ ex conſtitutione in eccleſia ſunt dicenda, aptior ad vacandū locus ęſt ſolitudo, ſeu locus ſecretus & quietus, in quo homo liberè ſe coram Deo ſtatuere poteſt.
Matt. 14. Hinc Chriſtus aſcendit ſolus orare in montem, non ſui indigentia, ſed eruditione noſtra. Hinc Matth. 6 *Cùm oraueris*, inquit, *intra in cubiculum, & claude oſtium.* In publico enim impedimenta vanæ gloriæ & tumultus occurrūt. Homini tamē exercitato omnis locus aptus: Intra enim ſe ſolitudinē ſibi geſtat.

Docet quoque Doctor eximius Guillielmus Pariſienſis, quod *corporis debita ordinatio*, multum prodeſt meditatiuo: Vnde & quiſque prouidus erit quo ad corporis ſitum. Inuenimus autem multiplicem orantium ſitū in ſcripturis expreſſum, ſcilicet,

erectus, vt Moyſes. — Stans,
flexis manibus leuatis: Salomon — genibus,
IX. *ad pedes Magdalena.* — proſtrata,
eadem ad pedes. — ſedet,
procidit in faciem Ieſus. — cadit,
manus in cruce, Ieſus & ſancti. — exerit,
facie verſa in cælum, Apoſtoli in aſcenſione. — alto.

Illa autem inter has ſituatio efficacior ęſtimatur, per quam ad deuotionem acquirēdam & conſeruandam homo magis diſponitur: Quæ ſecundum Gerſonem, eſt *ſeſſio* vultu verſo ad cælum; *Sedendo & quieſcendo* enim, *fit anima prudens.* Iuxta Guilielmum Pariſien. eſt *accubitus* ad appodiaculum ex parte ſiniſtra, quia ſic cor quietatur. Dionyſius autem Carthuſ. tetur quod aptior ſituatio eſt *ſtatio* cum eleuatione oculorum in cælum, clauſorū tamen, ne phantaſmata hauriat: ſed ſuus cuique mos eſt, nec voto viuitur vno. Sicquiſq; ſe diſponat, quatenus corporis diſpoſitio internæ actioni correſpōdeat ſemper. Vnde in meditādo vel flendo pro peccatis alia diſpoſitio erit: Tūc enim more publicani fortè terrāreſpicere habet, nec oculos, niſi tenuiter, eleuare in cæ-
Luc. 18. los; Quādo autem de regno, ſtet facie verſa ad cælū; Quādo de paſſione, interdum brachia in crucis modum extendere poteſt: ſicut Bonau. & Bernardin. agere ſolebāt. Et licet quibuſdā grauis ſit diſpoſitio corporis, & cōtinētia hęc in certo loco, ita quod paruus infernus eis eſt, vel quieſcere parum; ſi tamen ad guſtū internū quādoq; pertingere velint, oportet vt violētia leuitates corporis & inſtabilitates dediſcāt. Hę induſtriæ poſitæ multum cōferūt meditatiuo.

Sed caueat quiſque, ne cum alijs, vel inter alios exiſtens, ſingulariter ſe habere velit. Diligentiſſimè cærimoniales obſeruantias obſeruet, alijs ſe conformet cum aliis exiſtens: Alioquin væ illi, per quem ſua ſingularitate Mat. 18.
ſcandalum venit. Caueat eſſe *ferus ſingularis*. Pſal. 79.
Qui facit quod nemo, mirantur omnes. Omnis ſingularitatis nota vitanda.

§. 2. *De punctis determinatis neceſſarijs meditanti.*

MEditatio cordis mei in cōſpectu tuo ſemper, X.
Pſalm. 18. *In omnibus vijs tuis cogita illū.* Prou. 3.
Qui ſemper meditationem ſuam in Dei conſpectu eſſe volet, qui in omnibus viis cogitare illum, huic nulla tam induſtria conducibilis, quàm certa & determinata de varijs materijs habere puncta. Hinc Caſſianus ſuadet, vt aliquod ſacrū fixè infigatur menti, quod ſemper inſpiciat & intendat; quotieſque ab illo ſe viderit elōgari, doleat, & aciem mentis reflectat ad illud, ſatagens in eodem perdurare. Alioquin facilè cor quibuſlibet occurrentibus adhæret; ſi certis non ſit quibuſdā punctis affixū. Hinc docet auctor de triplici via, & ſuadet
ſpiritualia fercula multiplicare, vt ſic ſint prōptuaria plena, eructantia ex hoc in illud, ne Pſal. 142.
vnquā nauſeat ſuper aliquo cibo, ex eiuſdem cōtinua aut diuturniore replicatione; ſed mox cùm ſe in vno deuotionis exercitio ſentit laſſari, ad aliud deuotionale ſe conuertat: vt ſi in diuinitatis contemplatione iugiter figi nō valet; iam de Chriſti vita & cæli gloria aut alia meditanda aſſumat. Solum obſeruet, ne locū præ inſtabilitate mutet, & ad vana, ad lectionē tunc confugiat. Oportet ergo, vt de certis & deuotis materijs quiſque prouideat ſibi, quas vbi habuerit, oportet vt ſuper ſingulis meditabilia puncta ſibi aggreget & multiplicet, vt ſic ſingulis immorari poſſit & ſēper, quæ circa ſingula, meditari debeat, noſcat. Et hoc magiſter Ioānes Nyder docet in ſuo Alphabeto amoris, allegans Cancellariū Pariſien. Ioann. Gerſon, ſcilicet, qui ſuaſit abundantiam colligere punctorū, per quæ ſe ſemper homo, & in
meditatione ſtabilire & inflāmare poſſit. Verè Pſal. 116.
beatus vir qui impleuerit pharetram ſuam (ſecundum tranſlationē Hieronym.) ex ipſis, nō enim cæterorū more, vanè vagè, fluxè iactabitur in ſua meditatione. In omnibus vijs ſuis
præſto erit cogitare Deū, ſēper meditatio ſua Pſal. 18.
in conſpectu eius. Puto enim ad excludendam & prohibendam fluctuationē cogitationū, & ad ſtabiliendam meditationem tā vtile eſſe nihil, nullumq; efficacius remediū poſſe adhiberi, quā habere abundantiā huiuſmodi punctorū ad manum. Nam licet in eadē re diu nō poterit quis morari, licet non rē profundare nouit; ſupplebit tamē punctorū abundantia. Et licet non de vna re diu vnū; de vna tamē multa poterit cogitare, donec exercitatior factus, etiā cōmoratior & profundior ſpeculator fiat. Vnde memorabilis ille dictus Ioannes Nyder, has vtilitates nō ignorās, formā tradidit quandam, plura puncta de materijs aggregandi, ſecūdum ordinem alphabeti: vt patet in libro

ſuo alphabetico, qui modus verè laudabilis, atque pietatis ſuæ labor non aſpernandus. Verum quia in illo nullus ordo, niſi alphabeticus inuenitur, ideo & minus eſt doctrinalis, & difficilis retentu. Quare nos eius inſtituris edocti, puncta quædam ſuper quibuſdam materijs collegimus in hoc noſtro opere & alibi; ſed non forma, nec ordine ipſius. Collegimus quippe ſecundum conſiderationes varias de vna materia habiles, & in verſus redegimus ea; ita quod & ordinatiora, latiora & ad retinendum multo ſint faciliora. Quare autem ſub verſibus poſuimus, in primæ partis initio puto declaratum.

XI. Quod ſi quis inquirere pergat, quare ſub quinquagenario, per modum ſcilicet Roſariorum, hæc meditabilia puncta plerumque complexi ſimus, paucis accipiat rationem, myſterijs huius numeri omiſſis, quę omnis eccleſia nouit. Triplicique ex cauſa id ſciat actitatum. *Prima* ne punctorum multitudine obrueremur; *Secunda*, vt ſic facilius ſub certo numero poſitorum rememoraremur; *Tertia*, vt crebrius in his exercitaremur: vt ſcilicet dum meditari hæc puncta piguerit, vel ſaltem per modum Roſarij cum angelicis ſalutationibus hæc legeremus, & ſic per orationem ad meditationem diſponeremur. O practicam fœlicē! ô exercitationem ſactam, in contemplationis culmen introductiuam! Nouimus vnum, cui puncta hæc ad manum erant, qui antequam hæc illi fuiſſent, rudis & fluxus meditatu erat; ſed per exercitationem hanc, ſcilicet legendo ea per modum Roſarij, ad hoc vſque ſuccreuit, vt & ea memoriter teneret, fixè magis meditationi inſiſteret, & in meditando pariter, & ſermocinando, ante tempus quàm materia

Pſal. 18. ei deerat ſemper. Semper eius meditatio in

Prou. 3. conſpectu Dei. In omnibus vijs cogitabat illum; imò & inter medios laborum rumores, ſuis ſecum verſibus huiuſmodi, ſiue Roſarijs meditabatur. O ter quatérque beatos, qui huius fuerint ſectatores. Nemo ſe excuſet, facilis is modus eſt, & omnibus ad manū. Ideóque etiam per modum Roſarij poſuimus, vt virginem honoraremus, quæ modum hunc primitus inſpirauit.

§. 3. *De modis & vijs meditationum.*

XII. *Viam ſapientiæ demonſtrabo tibi.* Prouer. 4. POSTREMO, & maximè meditari volēti, opus eſt cognoſcere praxim & modum, & vias, quibus intendere debet. Vt ſcilicet noſcat & modum initiandi, progrediendi, & terminādi. *Imperfecta enim ſcientia eſt* (teſte Ambroſio) *ſcire quid agas, & neſcire quomodo agas.* Et, modo ignorato, parum cætera proſunt. Huius ignorantia plures à meditando impedit, retrahit, & auertit. Ita quod plerique cùm meditari cœperint, mox ad alia quæque ſe diuertant, eo quod procedendi modum & viam ignorant. Vnde ſummopere de huius practica inquirendum. Et primum quidem varias Sanctorum aſſignabimus vias: deinde ſcalam ponemus directiuam.

NEC objiciat velim quiſquam, quod vanū ſit inquirere iſta, eo quod vnctio doceat de omnibus. Fateor verum verbum, verè ab vnctione docebitur, quiſquis eius capax ſemper *1. Ioan. 2.*
eſt; Sed reſpondeant mihi, quid vbi non fuerit vnctio? quid quando Dei mirabili diſpoſitione cœlum æneum & terra ferrea? quid tunc agendum? Num abſtinendum? num torpendum? An non eſt vnctio, quæ certas practicas docet? Nónne noſtri induſtriam laboris exigit Deus? Qui hæc dicunt, ſignant ſe foris effuſos, interioris hominis indiſpoſitiones, & naturam ignorantes. Nil placet niſi ordinatum, nam & ſine ordine conditum nihil.

SED iam ad deſtinatum veniamus, primumque viam Auguſtini videamus.

Auguſtinus in libro de quantitate animæ hos gradus docet contemplationis,

Id eſt ex ſenſibilibus incipere. *Induſtria procedere.* XIII.

Senſus, & ars,

Virtute ornare. *Omnia excludendo pergere.*

virtus, tranquilla,

Affectum in videndum dirigere. *Videre veritatem hic manere.*

ingreſſio, ſpecto,

Ponit & alios modos; ſed longum eſt ponere omnes.

BERNARDVS ponit ſcalam quatuor graduum, quam alij plures ſunt ſecuti: vt Magiſter & Dominus Petrus de Alliaco, in ſuo de contemplatione, & Carthuſienſis quidam. Et eſt hæc.

Primus gradus lectio. *Secundus meditatio.*

Primo legas. meditans.

Tertius oratio. *Finis eſt contemplatio.*

poſcas, templareq; ſine.

Ad fratres de monte Dei, alios octo ponit, magis pręparamenta, quàm gradus. Eſt liber ſatis pro ſua dignitate vulgatus, qui ſcire volet, videat ergo illic.

ORIGENES ingenioſiſſimus ſuper Cantica quinque ponit; qui ſunt abſolutio affectus, continua coniunctio intellectus, eorum proportionata commenſuratio, mentis coniunctio, vniformis fixio. De his nil dicimus, ſupra nos eſt ingenium eius.

QVOS Hugo de ſancto Victore venerabilis ponit, ſunt meditatio, ſpeculatio, contemplatio. Similiter & eius diſcipulus Richardus, de quibus pulcherrimè, etſi Gerſoni creditur, prę cæteris magiſtraliter in ſuo de contemplatione, idem Hugo egit. Et in ſuis Beniamin maiori & minori Richardus.

DOCTOR deuotus Bonauētura plures gradus & varios in varijs opuſculis ponit: vt patet legenti illos. Tranſimus vias & gradus Diui Dionyſij, Vercellenſis, Guidonis, Ioānis Ruiſbroeck viri anagogici, & plurium aliorum, quoniam alti ſunt, & inimitabiles nobis.

VENIMVS tandem ad Cancellarium Pariſienſem Iohannem de Gerſona, & quas ipſe tradiderit vias aſſignamus. Tradidit ſiquidem Doctor iſte inſignis inter cætera contemplatiuæ inſtrumenta, ſcalam quandam trium graduum, neceſſariam, vt ait, volenti pertingere ad montem & fructum contemplationis. Et eſt *Pœnitentia humilis* primus gradus, quo quis in ſe amorem mundanum cum deſiderijs prauis mortificat,

Digitized by Google

Silentium & locus ſecretus ſecundus gradus, in quo anima languet, & non vult recipere conſolationes mundi, ſed expectat diuinas. *Perſeuerantia fortis* tertius gradus, & ponit hominē in altitudine contemplationis, ſine qua nunquam pertingitur illuc; & quia plures in hoc gradu deficiunt, iam raro pertingunt ad optatum. Nam ſimiles ſunt montem volentibus aſcendere; ſed inuenta difficultate, mox rurſum deſcendentibus, & ideo non peruenientibus, &c. Item ſimiles ſunt volētibus ſtruere ignem de lignis humidis, quæ cùm nō ſtatim arſerint abſcedunt. Oportet ergo fortiter inſiſtere, & gratiæ expectare aduentum. Nam ſic conātes magis merentur, quia quodammodo Deo ſeruiūt ſuis expenſis proprijs &c. Docet idem venerabilis Doctor fabricare alas, de quarum forma & modo iā ante habitum eſt. Tradit & alium modum fabricādi contēplationis montem, in eo conſtituens tria habitacula paſſim aſcendenda. *Habitaculum baſſum* in pede montis, vbi imaginetur *fides* hoſpitata, quæ oſtendit homini horribilia, & pericula maris, vnde oritur in anima timor, quia conſpicit iudicia Dei terribilia cōtra peccatores: Et in hoc hoſpitatus poteſt memorari omnia incuſſiua timoris, vt peccata, pœnas, mortem. *Habitaculum medium*, in quo locabitur *ſpes*, homini fiduciam tradens ne deſperet: Et hic meditanda omnia, quæ ſubleuant ſpem: vt Dei miſericordia, Chriſti paſſio, beneficia, &c. *Habitaculum ſupremum*, in quo *charitas* demoratur, vbi ſunt inflammatiua amoris, vt Dei bonitas, gloria promiſſa, & huiuſmodi, &c.

Simile.

Hæc ex Doctoribus ſumpta, de vijs contemplationis; ſed patet intuenti, quod hæc omnia inſtrumenta magis ſunt, ac viæ & præparamenta; quàm practicæ procedendi in meditando. Vnde nec ſufficiunt modum inquirenti, quem tamen alter quidam noſtri temporis Doctor tradidit ſub ſcala ſequenti.

Scala meditatoria.

CAPVT II.

I. VIdit Iacob ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangentem cælos &c. Geneſ. 28. HANC ſcalam contemplationis, aut ſacræ meditatiouis typum præ ſe ferre, & ſignificare, plurium Patrum vetus traditio edocuit; quæ ab imo incipiens, in Deum vſque mentis [illegible]cutus attollit. Nam (beatiſſimo Gregorio teſte) ordinatus contemplationis proceſſus eſt, vt mens primum ſe ſe ad ſe colligat, quaſi incipiens de terra: & ſic ad ſe recollecta per intermedios gradus, ad creatoris contemplationem, quaſi ad cæli verticem conſcendat. Quis autem modus in procedendo obſeruandus, aut qui ſint hi intermedij gradus, qui ad cælos ipſos, imò (vt verius loquar) ad cælorum ipſum Dominum, ſuum meditatorem deducant, non palam traditum inuenimus. Hic enim labor, hic nexus eſt quē vix quiſpiam apertè tradidit aut diſſoluit Doctorum. Tanta namque hic difficultas, tanta pro diuerſitate hominum varietas in practicando doctrinam veræ, ſanctæque meditationis, quod etiam limpidus ille & practicus meditator Ioannes de Gerſona hic trepidet, adeò vt dicat, tanto ſe hinc inde quandoque dubio fluctuare, & an ſilere, vel aliquid ſcribere conſultius ſit, non ſatis ſe ſcire, ita quod non niſi pauculas practicas & cautelas meditatiuis poſuit. Progreſſus autem certos; non niſi exemplares tantum tradidiſſe inuenitur, quos tamen neceſſarios plurimum dicit; Et ad eos tradendos ſui temporis Theologos exhortatur, pia inuectiua obiurgans, qui nullis ſe practicis accommodant inueniendis, dicentes, Sciemus talia cùm voluerimus; cùm nil ſcitu difficilius & vtilius, aut neceſſarius nihil. Modo enim & via ignoratis, ad terminum vix peruenitur, vt latius ſupra eſt deductum.

CVI malo quidam occurrit Doctor vir quidem noſtri temporis doctiſſimus, qui ſcala ſua meditatoria viam ſapientiæ menſurauit, plenum tradens per eam meditationis modum, quippe exordiendi, procedendi, terminandique praxim; ita quod ſcala illa omnem ſuperat laudem. De qua tamen ſcala, ſi quid impræſentiarum ponendum ſit, dubius agor, quia paucis non poteſt abſolui. Verum, dum è regione huius vtilitatem, neceſſitatem, quātum item contulerit, mihi alijſque quibuſdam perpendo, non poſſum, quin pauca, tametſi balbutiendo de ea eructem, tranſire, vt dum in lucem venerit, omnes contendant ad illam. Tria igitur de ea dicenda. Primò cōmendanda, ſecundò praxis ponenda, tertiò declaranda.

MEMBRVM I.

Commendatio ſcalæ ſequentis ex vtilitatibus.

LIgnum vitæ eſt apprehendentibus eam. Prouerb. 3. PAVCA pro ſcalæ meditatoriæ commendatione dicturi, hoc primū dicimus, II.
quòd omni eſt ſuperior laude: prout in ea exercitati facilè aſſentiri norunt. Huic enim ſcalæ ſi hæreamus, & per eam ritè aſcēdamus, non fluctuabimus, nec incerti huc illucque iactabimur, & raptabimur. Nihil enim (vt ad vltimum dicatur) ita fluctuationem prohibet, nihil ita meditationem deſtinat, nihil ita ſtabilit: vt amor mundus, & ordo iſte ſcalaris. Huic ſcalę ſi hæreamus, inquam, in omne promouebimur bonum. Hinc enim vilium rerū ſimulachra veteraſcent, obſoleſcent, contenebreſcent, cùm de rebus magnis, & amari dignis ſtabiliter per hanc meditatur. Hinc viuifici amoris excitatur ſcintilla, quam ſi quis fomentis nutrire pergat, in magnum erumpere rogum videbit. Hinc ſapientiæ ſementis, quam ſi colat, & excolat, meſſem in magnam germinabit. Hinc ſuauitatis ille guſtus, quo ſentiat de Domino in bonitate, & guſtet iàm non modo quoniam Sap. 1.
ſuauis eſt Dominus, quam dulcia eloquia Pſal. 33.
eius, quoniam ſuaue iugum eius, & cantabiles Pſal. 118.

iuſti-

iuſtificationes eius; verum vt ruminans & guſtans eſurire incipiat, ſitiat, amet, amore langueat in Deum, vnde omne bonum. Malem ego abſque vlla conſolatione ſacra iſta ſiti & fame concupiſcere & feruere; quàm cœcus, ebrius, temulentus, Ægyptiorum & Babyloniorum ſordibus volutari. Velut enim ſi de aulico nitore ſubulcos conſulas, ac de philomenarum, alaudarúmque concentu paluſtres ranas interroges, & iudicium expectes, quibus nulla melodia, vt ſuum coax in pretio eſt;
Simile. Et ſicut Aquila, quantumlibet in altum volatu libero, limpido contemplatu cœlum obeat, nulla ea noctuis, nicticoracibus, veſpertilio-
Galat. 8. nibus gloria æſtimatur: Sic animalibus, & in carne ſeminantibus hominibus, omnes veri hominis hoc eſt interioris, mortui ſunt ſenſus;
Marc. 8. vt non ſapiant, quæ Dei ſunt, quo fit vt de veris bonis ita iudicēt, quaſi non ſint. Hoc enim omnibus innatum hominibus, vt itidem iudicent de his, quæ non videntur: vt de his, quæ non ſunt. Nihil igitur mirum, ſi ſcalæ huius fructus non ſentiant omnes, ſi non placeat vniuerſis. Perſtent, perſtent noſtri ſcaliſtæ, qui
Pſal. 83. *aſcenſiones diſpoſuerunt in corde*, qui tametſi primum laborent, non mox fructus deguſtantes, confidant nihilominus, certi quod labor in quietem & in gaudium conuertetur mœror. Dulcia non meruit, qui non guſtauit amara. Venient, venient dies illi, quando incipient apparere theſauri, & acerui frumenti, vini & olei, in terra fluente lac & mel: vt ſedeant in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in
Eſa. 32. requie opulenta, & tunc gaudebit cor eorum.

TACEMVS quomodo ſcalæ huius exercitatio augeat, facilitet, locupletet, vigoret, confortet ſingulas partes mentis. Mens enim cōmemoratione, conſideratione &c. ditatur. Suis etiam gradibus intelligentia dirigitur, ducitur, illuſtratur & confirmatur. Purgatur amor à contrarijs colluuijs, fit voluntas liberior & liberalior in bonum. Adeoque mens locupletatur, vt quemadmodum ex horreo diuitis patris-familias, de quibus velit fructibus, mox preſto præſentare valebit. Datur enim huius ſcalæ aſcenſionibus totus ſacrorum eloquiorum campus excolendus, velut Adę paradiſus:
Geneſ. 2. In quo paſſim & ſparſim omnium florum fragrantia, omnium frugum fertilitas, vt quiſque prout deſtinauit in corde ſuo, quæ volet deligere, colligere poſſit & conſeruare, commemorare, conſiderare, dijudicare, ruminare &c. Quam *ſanctam ruſticationem* Cicero ſi vidiſſet, grauius dixiſſet, Omnium rerum ex quibus aliquid exquiritur, nihil eſt agricultura melius: nil liberius, nil dulcius, nil homine libero dignius. Verum hoc quidem in his, quæ externa bona cenſentur. Noſtra autem in hac ſcala ruſticatio, tanto fœcundior atque præſtantior, quanto diuina prophanis, æterna ſæcularibus, cœleſtia terrenis, carnalibus ſpiritualia præferenda ſunt. Fac igitur te diligentem in hac ſcala agricolam, ſedulum, ſollicitū, vigilē, ſtudioſum exhibeas, non paruus fructus eruendus promittitur. Repoſita enim colenti & ruſticanti tibi certa ſalus, & ea ſalus qua regnum in horrea referas: Grandes igitur ſcalę huius fructus.

VERVM non modo ex fructu ſcala hæc cōmendabilis redditur; ſed & ex aliis multis; puta ex ſubiecti & obiecti in quo exercetur, & in quod erigitur dignitate. Item ex copiæ multitudine, quam tranſimus. Præcipua tamen exinde laus huius ſcalæ colligitur; quod omnium ferè ſanctorum exercitia, per Scripturam ſparſa, complectatur & comprehendat. Quod ſic eſt videre. Hæc enim ſcala *inprimis* *Mat. 6.*
iuxta Domini doctrinam orare docentis, ſed à quærendo incipere pręcipientis, eum ducem & ductorem conſtituens; Quærit. *Eſa. 52.*
Hæc *ſecundo*, Cum filia Sion à ſordibus Ægyptiorum ſe *excutit*. *Ier. 15.*
Hæc *tertio*, Iuxta Prophetam, vt os Domini fiat, pretioſum à vili *deligit*. *Luca 22.*
Hęc *quarto*, Iuxta Domini præceptum pignus amoris relinquentis, *commemorat*. *Eccleſ. 7.*
Hæc *quinto*: Iuxta Sapientis monitionem, propoſita *conſiderat*. *1. Cor. 11.*
Hæc *ſexto*, cum Paulo *conſiderata dijudicat*. *Luc. 2.*
Hæc *ſeptimo*, cum Maria matre Dei confert, & in corde *conſeruat*. *Leuit. 11.*
Hæc *octauo*, Cum animalibus (iuxta legem) mundis, *ruminat*. *Pſal. 33.*
Hæc *nono*, Cum viro ſecundum cor Dei, quoniam ſuauis eſt Dominus, *guſtat*. *Pſal. 83.*
Hæc *decimo*, Cum eodem in atria Hieruſalem, *eſurit & concupiſcit*. *Pſal. 119.*
Hæc *vndecimo*. Cum eodem incolatum luget, & cum Hieremia in threnis querulatur & plangit.
Hæc (vt ad ſummam dicamus) poſtremò, *Cant. 2.*
cum ſponſa in Canticis amat, inardeſcit, æſtuat, amore languet; donec ſacrum attingat amplexū. Quid igitur hac ſcala dignius? quid iocundius? quid ſacratius? Quis ergo ad hanc nō aſpirabit? Nam dum vno hoc exercitio inſiſtit, Sanctorum complectitur exercitia vniuerſa. Verè igitur amplectenda ſcala, & vtriſq; amplexanda brachijs. In cuius & laudem hoc quidam dedit epigramma.

Hac reſonant ſe ſcala ſuis reſonantibus odis,
Multigeno fœtu turgida vernat ouans.
Floccida corda domat, vel marcida prorſus opimat
Affectus laceros colligit occiduus.
Hac mentis nauum vegeto medicamine curat,
Quam volucrem ſuperos cogit adire polos.
O ſacra ſcala Iacob claris celebranda camenis
Tu decus egregium, laus tibi nulla ſat eſt.
Virtutum germen, paradiſus delitiarum
Roſida ſcala, pluc pectora ſparge mea.
Hanc frater gerito vigil alta mente repoſtam
Qua poteris facile ſcandere regna Dei.

PEr *gradus aſcendebatur in templum.* Ezec. 40.
Quid aliud hoc *templum*; niſi contemplationis ſummitas, in qua contuetur Deus? Et quid eſt in illud *per gradus* aſcendere; niſi per ordinatam contemplationis ſeriem, ab imis ad ſumma contendere? Hanc itaque ordinatam contemplationis ſeriem, ſeu ſcalam poſituri, in hoc lectores commonitos velim, quod non tam ponere, quam tāgere eius proceſſum, paucis pro præſenti velimus. Quippe cū nec hāc nos perfectā abs ſuo auctore ſuſcepimus, & amplioris voluminis modū ſcala

hæc, pro plena ſui declaratione exigeret; vtpote quæ omnium rhetoricorum inſtrumentorum copias, locos, & colores complectitur: vt prolixum eſſet demonſtratu. Solum itaque ſcalæ huius gradus nos tangemus: vt occaſionem ordinati proceſſus deuotis & meditatiuis adminiſtremus. Qui ordinatus proceſſus quãtum conferat, experienti patet. Omnia enim
1. Cor. 14. cum ordine fieri Apoſtolus voluit; imò ſine ordine ſummus Deus nihil fecit, & nihil ſine ordine quietum, decorum, perfectum eſſe poteſt. Scala autem hæc ordinat; Ordo germana coniungit, vnit & ligat: Germana mutuo iuuant; iuuantia confortant: ſicut è regione inordinatum & inconcinnum omne, diſſolutioni eſt proximum, inualidum & diſperſum. Et ſunt ſcalæ huius tres principales partes, quarum *prima* complectitur gradus ad meditandum præparatorios: *Secunda*, gradus in meditando proceſſorios. *Tertia*, terminatorios: vt ſignatura patet. In proceſſu quoque optimus eſt graduum ordo, ſecundum tres animæ vires, aut potius ſecundum harum viriũ actus. Nam ſicut naturaliter memoria intelligentiæ præeſt & volitioni; ſic & hîc gradus monitionis præcedunt gradus iudicij & motionis. Impoſſibile enim eſt affici aut moueri; niſi ante intellexeris, & iudicaueris mente & intellectu.

Sequitur ſcala meditatoria.

Per gradus aſcendebatur in templum. Modus recolligendi.

Quæſtio,	Qua ſcilicet, quiſque à ſe requirat { Quid cogito. / Quid cogitãdum. }	*Exuſcitatiua.*
	Gradus Preparatorij.	
Excuſſio,	Eſt repulſio eorum, quæ minus cogitanda.	*Depulſiua obſtantium.*
Electio,	Magis .ſ. cogitandorum, puta quæ magis { Expediunt, / Conferunt, / Decent;	*Aſſumptiua conferentiũ.*
	Gradus Proceſſorij, & mentis.	
Commemoratio,	Eſt actualis electæ, & deſtinatæ rei cogitatio.	*Haret conduplicatione.*
Conſideratio,	Eſt ſedula, & iterata commemoratio & inhæſio, donec propriè noſcatur commemoratum.	*Penetrat.*
Attentio,	Eſt fixa & attenta conſideratio, vel perfectio rei conſideratę & commemoratæ.	*Figit.*
Explanatio,	Eſt quædam illuſtratio in attentione poſitorum.	*Illuſtrat.*
Tractatio,	Eſt rerum commemoratarum &c. ad alia quædam extẽſio.	*Extendit.*
	Gradus proceſſorij, & iudicij aut intellectus.	
Dijudicatio,	Eſt qua pro dignitate ſua ſuſcepta res æſtimatur, (nis.	*Æſtimat.*
Cauſatio,	Eſt ſtabilitio factę dijudicationis, ſicut confirmatio oratio-	*Stabilit.*
Ruminatio,	Eſt moroſa ſuperiorum cum commemoratione tractatio, donec guſtum attingat.	*Iterando inquirit.*
	Gradus Proceſſorij amoris voluntatis & affectus.	
Guſtatio,	Eſt qua, ſicut ſuperioribus monemur ac docemur, ita hic nos affici ſentimus.	*Videt exclamatione.*
Querela,	Eſt quærentis impatientia, vel denunciatio diſplicentis.	*Deplangit lamẽtatione.*
Optio,	Qua quod dulce iudicat poſſidere deſiderat; vel, eſt deſiderium complacentis.	*Eſurit deſideratione.*
Confeſſio,	Eſt veritatis aſſenſus, & publica agnitio,	*Congeſta detegit.*
Oratio,	Eſt optionis ad Deum inſinuatio,	*Exigit.*
Merſio.	Eſt oratorum collatio, & orantium.	*Animat.*
Conſecratio,	Eſt cum ſacræ rei atteſtatione oratio.	*Extorquet.*
Confidentia.	Eſt perſenſæ & agnitæ bonitatis argumentum, ad impetranda monens.	*Poſſidet.*
	Gradus terminatorij.	
Gratiarũ actio,	Perceptorum verorum bonorum grandis æſtimatio eſt.	*Refundit.*
Commendatio.	Deſideriorum ſuorum in Dei bonitatẽ fiducialis remiſſio.	*Cuſtodit.*
Permiſſio.	Eſt integra proprię voluntatis in Dei voluntatẽ reſignatio.	*Holocauſtat.*
	Modus commorandi.	
Complexio,	Eſt gradus ſimilis cum gradu ruminatiuo. Hæc complexio eſt omnium graduum, ſicut ruminatio tantum intellectualium, vnde maximam copiam præſtat.	

Licet enim quemlibet gradum ſuperiorum, cum quolibet coniungere cæterorum, puta dijudicationem cum oratione, orationem cum dijudicatione, & ita de quolibet cum quolibet. Et non ſolum quemlibet cum quolibet; ſed etiam quemlibet in & ſuper quemlibet; vt orare de meditando, meditari de orando, & pro orando. Grandis igitur fœcunditas ſcalæ huius, & latiſſimus pro commorando modus. Poteſt enim, vt ex prædictis patet.

Primo quiſque gradus tractari in ſe: Secundo cum gradu comite, Tertio ſuper quemque: vt quiſque gradus cuique ſit obiectum.

MEMBRVM II.

Declaratio & proſecutio qualiſcunque ſcalæ huius. Et primum de modis exordiendi meditationem.

I, MEditabor vt columba. Eſa. 38. *Figam gradum ſuper munitionem, & contemplabor vt videam.* Abacuc 2. QVISQVIS meditari, vt columba voluerit, quiſquis item, vt videat cōtemplari, hoc eſt compunctiuè, vel affectiuè, & ſpeculatiuè, vel intellectiuè procedere in meditando, gradum figar in ſcala iſta, & vtrūque facilè aſſequetur. De cuius declaratione iam eſſet agendum, ſed iam ante proteſtati ſumus, non eam tradere in præſenti; ſed tangere ſolum. Ne tamen, quorum deſiderium irritatum eſt, prorſus ſua ſpe fraudentur, ſub quadam tenui practica, graduum ſcalarium connexionem & dependentiam ſtatuimus demonſtrare.

§. 1. *Primus itaque gradus ſcalæ huius eſt, Quæſtio.*

II. QVAESTIO, qua, ſcilicet homo inquirat
à ſe, *quid cogitet*; & item diſquirat, *quid
magis cogitandum*. Et recto ordine eſt primus:
Mat. 7. Sapientia enim Dei Patris, quando petere, &
pulſare monuit, à quærendo præcepit inchoari; Nec etiam quæpiam facilior & efficacior (pro diſtracta mente recolligenda) practica; quàm quæſtio talis. Non igitur putet quis, quæſtionem hanc primam, quia facilem ſemper & pronam ad manum habet; ideo inutilem fore. Habet enim non paruum fructum obſeruati cordis. Et in quæſtionibus & interrogationibus bene ordinatis non paruus profectus & proceſſus eſt ad ſciendam veritatem; vt ferè experimentaliter verum ſentiamus. *Quærite & inuenietis.* Sed & facilè fluxus vagos, vanos & irrationabiles cogitatus excludet, qui tanquam diligēs & vigil oſtiarius crebrius à ſe quęrit, quid eſt quod cogito? Mox enim hoc ſeuero diligentis oſtiarij tonitruo inſonante, tota ſtultarum cogitationum cohors euaneſcit, ac deliteſcit. An paruus igitur fructus hoc vno tam facili ac prono ſarculo zizaniam illam omnem eradicare? & mentis agrū in propriam vendicare dignitatem? Et grandis eſt copia huius gradus. Itaque, quamdiu quis volet, in eo poterit commorari. Poteſt enim quæſtio multiplicari per omnes partes entis; vt, ſcilicet iuxta inſtrumentum Raymundi Lulli, fiant quæſtiones prædicamentales; vt, ſcilicet non quæratur modo, quid eſt quod cogito? in ſubſtantia; ſed & quantum in valore, quale in bonitate. Et implicant ſemper reſponſiones &c. Licebit quoque quærere omnibus quæſitiuis pariter & modis quærendi: vt longum eſſet deductu. Et debet fieri hæc quæſtio acrimonia quadam: vt verbi gratia, Quid eſt quod cogitas anima mea? quid quęſo mente retractas? Cur ſolito vagæ mentis fluctu vagaris? Quis hactenus ex huiuſmodi cogitatibus, & fluxa mente fructus fuit?

SECVNDO item diximus in hoc gradu diſquirendum, quid magis cogitandum: Quæ, ſcilicet diſquiſitio multum neceſſaria. Non enim ſatis eſt priori ſarculo malas cogitationes extirpaſſe; niſi mundatam aream, inſuper bona ſemente conſeuerimus; Alioquin dimidia iaceret ocioſa: Ocioſum enim omne, quod
fructu torpet. Qui enim præcepit à malo de- Pſal. 30.
clinare, ſimul adiecit facere bonum. Secernēdum igitur, non ſolum quid non cogitandum; ſed etiam quid magis cogitandum. Et eſt hæc diſquiſitio comparatiua: vt ſic interrogetur, Quid ergo cogitandum? Num hoc cogitandum? hoccine par, aut ęquum illi? Nū melius de paſſione Domini, quàm vagè agi tractandum? Et fiet reſponſio ad quæſitum. Quid ergo cogitādum? certè de Domini paſſione memorandum &c. Et hæc de primo gradu.

§. 2. *Gradus præparatorij excuſſio.*

EXCVSSIO. Poſtquam autem homo per ſu- III,
periorem gradum ad cor redijt, & ſalubre quippiam tractandum decreuit; vt in meditatione ſua proſperetur; oportet vt ſe meditationi præparet, hominis enim eſt parare cor.
In primis itaque, quia ad bonum plerumque Prou. 17.
pigri ſumus, calcaribus opus habemus, quo nos incitemus ad illud. Fiet igitur Excuſſio,

Scilicet	Ignauię propriæ,	per	Excitationem, vt in ſe inuehatur.
	Cogitationis prauæ,		Conſideratione, quam dedeceat;
	Obſtātiæ vniuerſæ,		Repulſione, qua eam abjiciat.

PRIMO igitur excutias & ſeuerius excutias ignauiam mentis, te hoc modo excitando: Eya
igitur, anima mea, excutere de puluere, ſurge, Eſa. 52.
ſede filia Sion, de Domino meditare. Indignū viro faſtidium, indignum ſeruo Dei ocium, & præſertim in ea parte, qua Dei ſeruus ad ima-
ginem Dei factus, filius Dei fieri poteſt. Non Gen. 1.
faſtidio, ignauia vel ocio hæc adoptio conquiritur, vel inuenitur; ſed ſtudio, exercitio, vel labore, &c. Excutere ergo à torpore.

SECVNDO, excutiendum à cogitatione praua, conſiderando, quam dedeceat, officiat, &c. Huiuſmodi tractare, hoc modo: Nolis quæſo amplius vagè agi; Iſtinc enim velut ex fonte, ſterilitas mihi omnis, & egeſtas animi ſcaturit, iſtinc malum omne &c. Quæ ergo prudentia eſt? Imò quæ ſtultitia eſt? vndecunque flauerint concupiſcentiarum venti, velut in medio mari, abſque ampluſtri nauis, iactari procellis, & duci quorſum non vis? Et quorſum ducēt? Ad cordis duritiam. Et nemo duro corde vnquam ſalutem adeptus eſt, niſi miſerās ei Deus cor carneum dediſſet. Patet ergo, quod in omne malum propellant, &c.

TERTIO, fiet excuſſio obſtantiæ vniuerſæ, omnium ſcilicet impedimentorum, vt vacare poſſit & videre hoc modo: Age igitur homūcio, fuge paululum occupationes, abjice curas,
ſenſus conclude, contine te intra te; vt vacare Pſal 33.
poſſis, & videre, & meditari bonum. Et qui hic commorari volet locos exuſcitatiuos aut dehor-

dehortatiuos, & indignationis hic adducere poterit. Hæc de excuſſione. Et debet fieri concitatiuè obſtantia repellendo.

Electio.

IV. QVÆ eſt ſecundus præparatorius gradus; Neque reieciſſe aut extuliſſe obſtantia ſatis eſt; ſed accingere lumbos oportet, & iter deſtinare: Et eſt hæc *electio* magis cogitandorum; puta quæ magis expediunt, magis conferunt, magis ad manum ſunt, magis prona, & in facultate ſunt, & magis decent. Nam & in bonis cogitandis, poſtquam aliud alio fructuoſius cogitatur, delectus habendus eſt: vt ea potiſſimè ſedula commemoratione verſentur, quorum pia commemoratione vberior fructus pullulabit. Stultum enim valde, cùm poſſis eodem labore & ſudore triticum in horrea metere; neglecto frumento, infœlix lolium, & ſteriles hauenas colere. Delectus in hac re, conuiuas à mendicis, filios à mercenarijs, refectos ab extenuatis diſcriminat. Adhuc inter immunda cenſetur animalia,
Iere.15. qui non *pretioſum à vili* nouit ſeparare. Debet ergo electio fieri potioris, & non electio ſolum, ſed & confirmatio eius: vt ſcilicet, ſicut in priori gradu repulimus mala; ſic hic incitabimus nos ad meditanda electa bona, perpendendo quam dignum, vtile, gratum bonis immorari hoc modo. Bonum ergo verſandum: Illo enim animus transferendus, in illo verſari, ex quibus cogitatis fructus manet, & fructus non qualiſcunque, ſed vita æterna. Vita inquã non miſera, non calamitoſa, non ærumnoſa; ſed vita Regum, vita regnantium in Deo, fœliciter & ſapienter in æternum regnantium; hic fructus eſt ſapientis, fixæ & ſtabilitæ mentis. Diſce igitur anima mea ſtabilire mentem in ſanctarum rerum cogitatu, non huc illuc vagè fluctuare, &c. Et pro commoratione poſſunt hic adduci verba imperſonalia in ordinem digeſta, quæ plurimum dilatant: vt ſic, Bona meditanda ſunt; nam hoc Deo placet, vult, oportet, ſuppetit, expedit, intereſt, refert, congruit, competit, cõuenit, decet, iuuat, delectat, placet, placat, pacat, libet, quietat, beat. Super quibus ſingulis ratio eſt aſſignanda, & mens incitanda. Tota quoque methodus generis deliberatiui cum omnibus ſuis locis hic adduci pro copia poſſet.

SECVNDO principaliter electio hæc non ſolum in genere meditandum aſſumit, & ad illud incitat; verumetiam ne multitudine obruatur, vnum certum quempiam articulum, vel punctum deligit: vt eum profundius rimetur. Gratior namque ac melior eſt vnius cuiuſpiam certi punctuli ſtudioſa moroſáque meditatio, quàm plurium accelerata ſuperficialis, & indeuota. Vnum igitur aſſumendum, ſicque ſibi meditaturus dicat; de Domino paſſo meditãdum. Et ne multitudine obruamur, in contriſtationis aut crucifixionis articulo verſemur, & eum commemoremus. Hęc mihi meditatio, panis quotidianus & ſuperſubſtantialis erit. Pia enim commemoratio ſemper efficax ad refectionem. Hæc meditatio plures pauit &c. Hæc de electione.

Verum quia, teſte Apoſtolo, *non ſumus ſufficientes aliquid cogitare* (non dicit meditari) *à nobis tanquam à nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, ſine cuius gratia nihil valet, quantauis 1.Cor.3.
etiam ſit, induſtria humana: ideo (vt vult huius ſcalę auctor) vt fructuosè negotiemur, & affectuoſius promoueamur, ante proceſſionis gradus, fons, origo, & cardo omnis boni pulſandus, exorandus ſcilicet Pater luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum Iac.1.
perfectum; vt cui ſacræ meditationis ſtudium placet, ipſe miſſa luce ſuæ veritatis, illuminet oculos noſtros, ignem mittat in cor noſtrum, quo fida agnitione, vehementi affectione curramus, velut in odore vnguẽtorum, trahamur Cant.1.
poſt eum, per eum, ad eum. Omnem enim practicam ſuperat conſilium beati Iacobi Apoſtoli: vt qui indiget ſapiẽtia poſcat à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat &c. Non enim eſt in nobis (hoc eſt in carne Rom.3.
noſtra) bonum, quia ſterilis eſt caro, nec huiuſmodi cogitationes parit; ſed ſpinas & tribulos generat nobis. Genes.3.
Qui enim de terra eſt, de terra loquitur. Hinc Bernardo credendum, cùm mala in corde noſtro verſamus, noſtra Ioan.3.
cogitatio eſt; ſi bona, ſermo Dei eſt. Illa cor noſtrum dicit, hæc audit. Vnde, *audiam*, inquit Propheta, *quid loquatur in me Dominus Deus.* Psal.84.
Omneſq; igitur bonæ meditationes, ſunt Dei ad animam locutiones, pro quibus habendis ipſe exorandus, pro habitis regratiandus ipſe. Hæc de gradibus, *& modis exordiendi*, inter quos oratio non ponitur, quoniam generalis hoc regula dictat, quod in cuiuſque boni operis initio, inuocandus eſt luminum Pater, quo prætermiſſo nullum ritè fundatur exordium; quin & infra in ſuo ordine ponitur gradus orationis. Hoc quoque hic notandũ, quod non ſemper oporteat ab gradibus his præparatorijs meditationem initiari; niſi cũ hoc tempus cõceſſerit, aut hoc exegerit nimia diſperſio mẽtis. Nã vt Tullius dicit, nõ ſemper exordio in rhetorica vtendũ eſt. Hæc de præparatione.

§. 3. *Gradus procedendi.*

V. COMMEMORATIO. Poſt præparatorios gradus ſequũtur gradus procedẽdi, & hoc ſecundũ tres partes imaginis; .ſ. mentis, intelligẽtiæ & volũtatis; ita quod mens ſecundũ ſe totã, intẽta ſit meditationi. Et ideo ſunt gradus *monitionis*, quæ mentẽ monent; *doctionis*, quæ intelligentiam docent; *motionis*, quę voluntatẽ mouent. Sterilis enim omnis meditatio, quæ non in iudicium tranſit; meditatio & iudicium inefficacia, quæ non pro dignitate rei in deſiderium & amorem accendũtur. Fructus enim meditationis eſt amor &c. Sed iam primũ de *gradibus monitionis* videamus, quorum primus eſt commoratio, quæ eſt propoſitæ & electæ rei cogitatio. Et hunc primum conſtituit Dominus Ieſus, quando artẽ hanc docuit, quando chariſſimũ amoris pignus relinquere curauit: Docuit inquam, vt magiſter, verba vitæ æternæ habens, à primis elementis docens, & di- Iob 6.
cens, *hoc facite in meam commemorationem.* Luc.22.

Neque terreat humilis actus commemorationis, quæ tanquam vẽter eſt animæ, & primum indoctis elementum: Tam enim in omnibus efficax, vt omnium ſcientiarum & cõſiliorum perfectio & cõſummatio ſit; Ex hoc enim grano cõmemorationis omnia prodierunt. Sciẽtia omnis, vel ars, quantũcunque ſplendida vel ſpectabilis polluceat, commemorando, meditando accepit, vt ex teneris primordijs in eum ſplendorem erumperet. Quod ſi ex tam paruo fonte commemorationis, etiam in re prophana, tantus fructus exundat, quid credendum, ſperandum; imò fiducialiter præſumendum in re ſacra? Quicunque igitur volet pro foribus, ac domi naſcentem habere ſalutem; ambulet commemorando latam, planam, facilem hanc ſalutis viam, quam fidelibus conſtrauit Deus. Sola enim commemoratio exigitur, quæ ſi fideliter fiat, reliqua omnia ſpontanea erunt. Nemo tã leuis voluntatis, potentiæ animalis tam debilis: vt non ei commemoratio facilis, aut ſaltem tolerabilis fiat.

Tu igitur dulciſſime hominum amator Ieſu, qui commemorationis gradum docuiſti, oro per hanc tuam doctrinam, concede mihi puero tuo, ſemper & vbique ſalutaria commemorare. Inſtitue, & firma me in hac via commemorationis, quo tandem altiorem gradum attingam conſiderationis.

Et notandum, quod in hoc gradu ſufficit commeminiſſe tantum; vt ſcilicet homo cogitet, vel commemoret ea, quę fides, vel textus de illa materia tenet. Nam commemoratio eſt cogitatio, vel tractatio pridem cognitorum. Et in hoc gradu commemorationis commorando, valent iteratio & conduplicatio, colores rhetorici: Modi quoque omnes prolongandi, & rem circunducendi, & colores idem dicentes, de quibus nobis nil hic dicendum. Hoc item ſciendum, quod in his gradibus intellectiuis, procedendum eſt caſtè, id eſt non vltra quàm limes poſtulat, ne gradus cõfundantur: *pedetentim* ex altero in alterum. *Lentè*, id eſt moroſè & ordinatè, vt ex minoribus ad maiora, ex germanis ad germana procedatur.

Conſideratio. Notula I.

VI. SECVNDVS monitionis gradus, qui rectè ſubſequitur gradum priorẽ: Nam ex frequenti commemoratione conſiderationis, oculus vigoratur & acuitur, vt non ſolum cõmemoret iuxta Domini primum inſtitutum; ſed accingatur ad altiora: vt iuxta verbum ſapientis
Prou. 23. conſideret, & commemorata conſideret diligenter. Eſt autem hæc *conſideratio* ſedula & iterata cõmemoratio, cum intentione aliquid eruendi; & attenta inhęſio, donec propriè quodque commemoratum cognoſcatur. Vnde patet, quod hæc non ſolum commemorat cognita; ſed & incognita inueſtigare nititur, & penetrare.

Et notandum quod dupliciter conſideratio hæc capi poteſt; ſcilicet generaliter & propriè. *Generaliter*, prout ſcilicet ſe diffundit ad res vſquequaque diffuſas proſpiciendas, conſiderans omnia, quæ ſe offerũt circa rem commemoratam conſideranda. Et ſic ſub ſe comprehendit omnes gradus intellectiuos; attentionẽ ſcilicet, explanationem, &c. vſque ad dijudicationem. *Secundo* propriè capitur, prout ſcilicet limitatur circa certa aliqua conſideranda, & ſic diſtinguitur à gradibus cæteris intellectiuis, & ſic hic nobis capiẽda. Vtile enim & operepretium eſt, diſtinguere inter ſe hos gradus intellectiuos, propter habendam ampliorem fœcunditatem & cõmemorationem: vt dum ſingulis his gradibus vtilia præcepta reperta fuerint, fœcundior & latior fiat homo, & copioſior in meditatione. Singulis enim gradibus ſua inſtrumenta, (id eſt colores & rhetorici loci) eſſent aſſignanda, de quibus ſcribẽtes de rhetorica inquirendi.

Propriè igitur conſideratio accepta, conſiderare habet,

Scilicet { Quidditatem, / Qualitatem, / Actum, } Rei commemoratæ, vt. ſ. inquirat { Quid ſit, / Quale ſit, / Quid agat,

Aut ſi thema aliquod fuerit ante commemoratum: Conſideratio illud diuidere habet in membra,

Proſequẽdo { Subiectum, / Prædicatũ, / Determinãs } thematis ipſius.

Præcipuè tamen conſideratio *quid nominis* inquirit, volens conuertibile eius; & diffinitè quicquid ponit agnoſcere: Vnde potiſſimum tribus coloribus tractari poteſt.

Scilicet { Interpretatione, / Diffinitione, / Deſcriptione, } quæ { Cõmutat quod poſitum eſt verbũ. / Eſſe rei per ſubſtãtialia deſignat. / Per accidẽtalia eſſe rei deſcribit.

Qui colores quomodo fieri habent, in rhetoricis libris requirendum.

Breue aſſignandum conſiderationis exemplum. Cõmemorato quod *Chriſtus paſſus* pro nobis; conſideratio mox inquirere habet, Et quis eſt ille *Chriſtus*, niſi Ieſus Nazarenus? Verè Chriſtus totus vnctus, totus ſuauis; adeò mei amans, vt meas amaritudines, duro mihi calice potandas, ipſe pro me biberit, quippe pro me paſſus &c. Sic de *Paſſus* inquirendum, quid ſit illud pati? Itemque & de *Pro nobis*, qui ſunt illi, & quales, pro quibus ſit paſſus? Singula locis prænumeratis. Vnde grandis eſt latitudo gradus huius, & copia multa nimis. Qui tractari poteſt omnibus locis topicis, & attributis negotij & perſonæ: vt conſideret rei quidditatem, quoad nomen, naturam, ſexum, notam, genus, ſpeciem &c.

Attentio. Notula II.

TERTIVS monitionis gradus rectè ſubſequitur conſiderationẽ: Nam vbi aliquid de re VII.
commemorata per conſiderationem oculus mentis viderit & penetrauerit: ſcientiæ amplioris cupidus, magis ſe illi ſciendo per attẽtionem infigit. *Attentio* enim nihil aliud, niſi fixa cõſideratio rei commemoratę, & propriè *Attentio quid.*
conſideratæ, propriè commemoratæ.

Attendens

Attendens	Quantitatem, Mirabilitatem, Vtilitatē.	ſcilicet ſi	Dignū & pręcipuum. Mirabile, carū & nouum. Vtile & commodoſum.

Hi enim ſunt loci attentionis. Et tractari debent illis coloribus, qui delucidationem & acrimoniam habent, qui ſunt valde numeroſi: vnde nec à nobis recenſendi. Locus quoque amplificationis & auctionis, & modus dicendi aliquod magnom & nouum, quæ in rhetoricis patent. Pro concilianda autem & combinanda attentione ad conſiderationem, hoc modo dicendum: Non negligenter aduertendum, non perfunctoriè tranſeundum, non ſuperficietenus hinc gradiendum; magis attendendum, innitendum, profundandum. Quantus ſit is Chriſtus, pro nobis quanta itē paſſus. Latent enim digna attentione &c.

Explanatio. Notula III.

VIII. Explanatio congruè ſequitur attentionem. Vidit enim in attentione nona quædam magis, & mirifica, in quibus proſpiciendis, ne mentis oculus reuerberetur, vult hæc ſibi per alia quædam latius explanari. *Sciendum* tamen dupliciter poſſe hic accipi explanationem: *generalius* ſcilicet, pro cuiuſque obſcurius dicti declaratione planiori, & ſic omnes poteſt circuire huius ſcalæ gradus: Sic euacuationes genericæ latitudinis explanandæ ſunt per omnes eius ſpecies. Vt, qui explanare volet quanta Chriſtus ſit pro nobis paſſus, ad ſingula tormentorum genera, ad ſingula item, in quibus pati potuit, deſcendere habet. Et huiuſmodi explanatio eſt vna grandis abundantiæ copia, *Alio modo* propriè magis accipitur explanatio iſta, prout ſcilicet eſt quædam illuſtratio eorum, quæ in attentione ſunt poſita per quaſdam ſimilitudines aut ſimilia.

Et ſic explanamus res per	Figuras, Prophetias, Cōparationes.	ſcilicet	Illas applicādo. Has exponēdo. Parabolas huiuſmodi aſſimilando & cōformādo.

Et certè fœcundiſſimns hic eſt copiæ locus, & quem omnium potiſſimum & creberrimū Spiritusſanctus in ſcripturis offert: Omnis enim ſcriptura parabolis eſt plena, quas dum per explanationem rebus commemoratis, cōſideratis, attentis, applicare volumus, magnū copiæ inſtrumentum acquirimus, per ſimilitudinum & exemplorum colores, quorum varij ſunt tractandi modi. Poteſt enim *in primis* fieri ipſius parabolę figuræ aut prophetię totalis ſimplex explicatio: *Deinde* earundem ad rem intentam commoda applicatio: *demum* differentiarū aſſignatio & alijs modis: vt patet in rhetoricis. Poterit quoq; hic adduci omnis materia diuiſionis & partitionis, & quattuor inſtrumenta copiarū Ariſtotelis, & alia multa.

Tractatio. Notula IV.

Tractatio. POSTREMVS eſt monitionis gradus, quæ iuſtè poſtremum in ordine obtinet locum, quoniam ſuæ extenſionis neſcit terminum, quippe qui ſe extendit ad omnia conſideranda, quæ à cæteris gradibus non ſunt conſiderata. Eſt enim *tractatio* rerum ad varias conſiderationes extenſio. Extēdit enim meditabilia, IX.

Per	Attributa partium rei, & eas conſiderādo rerum circumſtantias.	
	Quæſtiones dubias, pro & contra arguendo.	
	Opiniones varias,	Has ſtabiliendo. Alias confutando.

Latiſſima & turgida habet hic gradus copiæ organa & inſtrumenta. Tractat enim *primo partium rei attributa*, quæ ſunt valde multa: Sunt enim attributa perſonæ & negocij: *Perſone*, vt nomen, natura, patria, &c. *Negocij* locus, tempus, ordo, modus, &c. vt eſt videre in rhetorica. *Similiter & circumſtantias rerum:* vt quomodo, quando, quoties, quare, &c.

Secundo tractat res ad quæſtiones dubias, vbi etiam offertur magna latitudo, pro & contra arguendo.

Tertio ad opiniones varias, veras ſtabiliēdo, contrarias confutando, locis conſtitutionum & confutationum (quemadmodum agit Ockam) ita quod hic innumera eſt copia. Poteſt enim is gradus dilatari per omnes conſtitutiones, & per omnes ſpecies argumentandi. Ecce hi ſunt gradus intellectiui, qui copijs ſunt pleni, in quibus tamen non eſt fidendum; ſed mentis vela gratiæ ventis ſunt pandenda, & inſpiratio magis, quàm practicatio ſequenda. Sed ideo practicas damus, vt, dum ſpiritus non affuerit, non vacemus.

§. 4. Sequuntur gradus iudicij & intellectus. Dijudicatio.

Dijudicatio. POST gradus monitionis ſequuntur gradus *doctionis* & iudicij. Quorum primus eſt *dijudicatio:* Et eſt alterius cum altero collatio; vt res commemorata & conſiderata &c. pro ſua dignitate æſtimetur. Sterilis enim commemoratio, & conſideratio omnis, quæ non in iudicium tranſit. Debet ergo homo poſt conſiderationem, rem dijudicare, an ſit videlicet bona, an mala; ſi acceptanda, an reſpuenda: & approbare, vel eligere bonum, reprobare & reſpuere malum. Et vt moneat & doceat magis, debet fieri collatiuè; vt ſcilicet res dijudicetur, per comparationem ad maiora vel minora. Primo quanta eſt in ſe, ſecundo in ordine quo ad nos. X.

Primo quo ad ſe, hoc modo. Eſto, conſideratū ſit verbum Apoſtoli, *Chriſtus paſſus eſt pro nobis*; fiet dijudicatio hoc modo. Talis inquam 1.Pet. 2.
conſiderata &c. eſt paſſio tua. O quam grande, quàm ingens, quàm magnificū, glorioſum tuæ amariſſimæ paſſionis incenſū, quod nulla

lingua, etiam Angelica, poſſit vel tenuiter explicare! Talis, & tantus; pro tali, & tantillo; voluiſti pati; & talia, tantaque taliter pati. O dignationem, ô ſtuporem, ô inauditam charitatem! Verè ſemper colendum, obſeruandum, laudandum incenſum huius paſſionis.

Secundo quo ad nos, hoc modo. Si enim, ô dulciſſime Ieſu, amoroſiſſime ſponſe, ne dicã potentiſsimus quiſque, ſed ex plebeis quiſpiam, etiam vultu deſpectus, habitu trũcatus, genere degener, vel leui pro me vulnere ſauciaretur, nónne totus in eius amorem, in eius magnificationem, glorificationem ſuſpenſus ſtuperem, ſemper illius preconia ſonarem? Quid ergo tibi retribuendum, pro omnibus quæ pro me es paſſus? Tibi inquam, tibi tali, ac tanto, nõ leui modo vulnere ſaucio; ſed morte
Sap. 2. Gal. 3. turpiſſima propter me damnato, maledictum facto, vt me de maledicto liberares? &c. Quid tibi videtur anima mea? quale iudicatis ô vires rationales? Nónne ſemper memorandus, diiudicandus, qui talia & tanta pro nobis paſſus? &c. Et tunc approbatio à viribus ipſis, & magnificatio Domini paſſi, ſecundum octo gradus iudicij ſupra memoratos. Valde ergo copioſus eſt gradus iſte, includens probationem affirmatiuè, negatiuè. Et poteſt tractari per omnem methodum comparatiuam, per formas magnitudinem rei expandentes, & per locos generis demonſtratiui.

Sequitur Cauſatio. Notula I.

XI. CAuſatio. ALTER iudicij gradus rectè ſubſequitur præcedentem: ſicut determinabile, determinans; & ſtabiliendum, ſtabiliens. Eſt enim cauſatio rationalis, & cauſalis ſtabilitio in dijudicationem probatorum, vel reprobatorum. Nam ſtabilit id quod probatũ, aut reprobatum duplici via,

Scilicet, aut { Plures cauſas afferendo:
Cauſaliter argumentando.

Vnde cauſatio eſt dijudicationi, ſicut confirmatio orationi. Et dicitur quod fit argumẽtando: Eſt enim argumẽtatio ſtabilitio minus agniti, per alterum plus notum. Cuius *quadã eſt dialectica*, puta acuta, magis cogens ad aſſenſum: *Altera rhetorica*, efficax magis ad mouendum. Cuius etiam quædam eſt cauſalis, quædam rationalis: *Cauſalis* eſt, quæ rei totius ſtructuram ſtabilit; *Rationalis*, quæ ſingularem quamlibet rem, vbilibet in cauſa ſparſam cõfirmat; & illa poteſt omnes gradus circumire; Altera autem, ſcilicet cauſalis argumentatio, propriè fieri habet in hoc gradu, & habet multas ſub ſe ſpecies: vt in rhetorica docetur, & fit tali modo. Et verè Chriſtus pro nobis paſſus adamandus. Nam ſi omni amanti amor redhibetur, quanto magis ſic amanti? &c. Et poterunt hic pro copia adduci omnes ſpecies probationum, cum varietate argumentationum.

Ruminatio. Notula II.

RUminatio. POST conſiderationem & di- XII.
iudicationem affectio mox ſequeretur; verum quia non æquis paſsibus intellectus & affectus currunt; ideo, vt vehementior affectio ſurgat, & guſtus dulcius afficiatur, ruminationem præire oportet, quæ eſt moroſa ſuperiorum cum commoratione tractatio, donec ad guſtum attingatur; vt ſcilicet cum Maria ma- Luca 2.
tre Dei, conſiderata & dijudicata conſeruemus, in corde conferamus, & inſtar animaliũ iuxta legem mundorum ruminemus, donec Leuit. 11.
dulceſcant in corde. Et eſt hæc ruminatio ferè eadem in ſuperioribus, quod complexio in omnibus, & fiet hoc modo. Verè tu ſemper meditandus & amandus, qui talia pro me paſſus. Frequenter igitur ad has meas epulas reuertar. Agnum Dei, Deum ipſum, peccata mea tollentem in ſe, & ſuo ſanguine expiantem, pro me patientem, crebro reuiſam; etſi nondum ſequar cum patiente patiens; aſpiciam ſaltem, & videbo patientem, quoad amã-
dum inflammer; non obhuiſcar comedere Pſal. 101
panem meum. Tu igitur, Chriſte, pro me paſſus, tu, Agnus Dei, pro me portas. Mea igitur ſarcina quã portas, meũ debitum quod exoluis, mea vulnera quæ pateris, meis opprobrijs tu ſatiaris, quaſi Agnus ad victimam ageris, & pro me victimaris: vt ouis coram tõdente ob-
muteſcis, de me hæc pompa omnis in te dul- Eſa. 53.
cis Ieſu celebratur. Tu ergo mihi ſemper amãdus, qui adeò amaſti, quod pati, & talia pro me pati voluiſti &c. ſecundũ dijudicationem, &c. Et vtẽdũ eſt in hoc gradu, loco rhetorico, qui dicitur demonſtratio, quę rẽ factã tanquã in præſentiarum fieret, ante oculos ponit, & celerrimè incitat ad affectũ, & hoc per commorationem, qua multiplici verborũ frequẽtia, ſuſcepta res quadrifariam (ſecũdum Ciceronem) tractatur. De quibus coloribus grãdis poſſit ſermo fieri; ſed non eſt propoſiti noſtri. Videantur illius artis tractatores, quoniã efficaciſſimi ſunt ad meditandum, & affectum incitãdum, quibus etiam Doctores Eccleſiæ deuotiſſimi, teſte Gerſone vſi ſunt, & vtuntur: vt eſt videre in Auguſtino, Ambroſio, Hieronymo, & Bernardo, Chryſoſtomo & alijs. Non ergo nos religioſiores ſimus patribus noſtris, non nos curioſitati huiuſmodi ſtudia deputemus, quæ bene vſurpata ſunt ſummę pietatis inſtrumenta; vt venerabilis Beda ſuper libros Regum declarat & allegatur in decretis *diſt. 37. Turbant*. Item *Chiaſmus* & rotatio vel circulatio (quæ Cicero continuationem vel dẽſam verborum frequentationem vocat) locũ habent, quæ ſunt valde fœcunda, ſimiliter & modi abbreuiandi & concludendi.

§. 5. *Sequuntur gradus affectiui, & primo Guſtatio.*

GVſtatio. POST gradus mentis & iudicij, XIII.
ſequũtur gradus affectionis: Qui niſi cõſequatur, ſterilia & inefficacia omnia ſuperiora; ſine amore enim omnia nihil. Et inter hos

primus eſt guſtatio. Vbi enim viderit Dominus conatum iudicantis, & in meditatione inſtantis, dabit profectò vacanti ab immundis & ſor-
Leuit.11. Sap 1. didis cogitationibus, tanquam animali mun-
Pſal.33. do & ruminanti, guſtum ſuauitatis: vt ſentiat de Domino in bonitate, & guſtet quoniam ſuauis. Et hæc eſt prima amoris ſementis, quę ſi excolatur, ampliorem in meſſem germinabit. Et eſt hæc guſtatio, qua ſicut ſuperioribus gradibus monemur ac docemur; ita nos hic mouemur, & affici ſentimus. Et fit exclamatione, interrogatione, dubitatione, & alijs coloribus & modis exuſcitatiuis; Modis quoque auctiuis & introducendæ paſſionis, quibus & omnes ſequentes gradus tractari poſſunt. Vnde vtile eſſet hic, noſſe modos & latitudinem exuſcitationis, quibus pſalterium Dauidicum potiſſimum plenum eſt. Fit ergo guſtatio exclamatione, hoc modo. O quam hæc mihi ſapere, quàm ſuauiter meis hærere deberent medullis? Quis tam cæcus, vt id non videat? quis tam peruerſus, vt tam amantem redamare nolit? quis tam diſgratiatus, cui non ſapiunt fercula hæc amoris? O vere bonum, epulari de hoc Agno pro me paſſo? ô verè digne redamandus, qui ſic amauit, & talia ex amore paſſus! &c. Hęc de guſtu.

Querela. Notula I.

XIV. QVerela. POSTQVAM in ſuperiore gradu guſtare cæpit Dei bonitatem, videns quã merito Dominus paſſus, ſit redamandus; hic reſiliens in ſe, ſuam conqueritur paupertatem, cauſans torporem qui adeſt, & amorem qui abeſt. Et hoc per locos conqueſtionis, amplificationis & commiſerationis, & exprimendi luctus, quorum aliquos puto aſſignatos in mendicatorio ad ſanctos. Reuelet ergo hic Domino viam ſuam, certus quod non ſine fru-
Pſal. 56. ctu. *Oculus* enim *videns paupertatem ſuam*, hanc habet repromiſſionem repoſitam, quod *in*
Prou. 14 *gaudio eius non miſcebitur alienus*. Et quo clarius homo hanc ſuam paupertatem agnoſcat, oportet, quod è regione paſſi Chriſti amorem ac diuitias effuſi eius amoris recolat, granditer æſtimet & conferat ſuo torpori. Neque vſquam melius homini innoteſcit, quam crebro cum Magdalena proſtrato ad pedes crucifixi, ſcięti quoniam pro ſe crucifixus eſt; Hic enim niſi lapideo corde ſit, mox velit nolit, iudicat amandum eum, qui ſic amauit: Et ſi inuenerit ſe non amantem, agnoſcat imperfectũ ſuum, Domino conquerendo, dicens, Vidi non intellectu ſolum, ſed & affectu ſenſi, te Dominum ex amore, & ex tanto amore paſſum, dignè redamandum, tibi compatiendum, te imitandum. Sed vbi eſt meus amor, mea compaſſio, imitatio mea? Verè Domine Ieſu heu mihi, non eſt paſſio tua cordi meo, qualis eſſe deberet; non amo, non condoleo, non ſector, vt deberem. Væ mihi ſuper ingratitudine mea, qui præter hunc aridum paſſionis tuæ cogitatum, præter tepidum hoc deſiderium, vix excitor, vix oſcito, vix anhelo, tantus eſt mentis meæ torpor! Timeo ne tepidum, torpentem,
Apoc. 3. euomas ex ore tuo. Iuſtè eſſes amandus &c. ſed eſt ignauia, torpor, pigritia, quæ deſideriũ retinent, vt inſipidum palatum meum tantus non permoueat amor. Væ tibi duritia cordis mei! Væ tibi adamantinum, gelidum pectus meum! &c. Et diutius per locos conqueſtionis eſt in hoc gradu commorandum. Magnum enim velut ſeminarium diuitiarum, propriam noſſe interioris hominis paupertatem, & reuelare Domino &c.

Sequitur Optio. Notula II.

OPtio. QVI enim imperfectum ſuum cõſideraucrit, qui Domino plenè id reuelauerit, ſuperaddet Dominus gratiam illi, vt ſit bonæ voluntatis, vt quamquam adhuc non amet, deſideret vel amare. Et hoc grande donum, verum ſacri amoris incentiuum, & velut annulo Regis conſignatum, beatæ ſortis habens cautionem. *Beati* enim *qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam*. Debet ergo homo id, quod dulce dignum iudicauit, & quod abeſſe conqueſtus eſt; etſi non habeat, vel optare vt dicat, *Concupiuit anima mea deſiderare* &c. Non enim nato Saluatore ſolis perfectis allata pax eſt per Angelos pacis; verum omnibus hominibus bonæ voluntatis. Crebro igitur optandum, crebro ſuſpirandum & exclamandum. O ſi cor carneum haberem! O ſi cor meum eſſet ad te amandum, ad tibi compatiendum, ad te imitandum! Vtinam ego te ſic amarem Dominum pro me paſſum: ſicut amat & ardet in gratioſam adoleſcentulam, iuuenis verè amans! Quid non illius inſtar, promptus & alacer adirem? Quos labores, quas vigilias, quam inediam recuſarem? O cor meum ſi eſſet ſicut cor Magdalenæ, quàm fœcundè, quã efficaciter, quàm dulciter hæreret tibi! Mors eſſet, vel ad momentum immemorem eſſe tui. Væ, væ, longè nimium ab illa fida amantis Magdalenæ abſiſto integritate. O quando veniet petitio mea, & quando dabitur quod exopto? O quando erit dies illa? O quam longa mora, ô diſtantia longa nimis &c. Et poteſt hic gradus dilatari per omnes modos exuſcitandi. Complectitur gradus iſte ſeptem illos dies Canticorum, ſcalam videlicet amoris, quam Spiritusſanctus in Canticis ſparſit, quemadmodum in cœlo ſydera, in arenis carbunculos & ſaphyros, in campis flores. Et ſunt, *deſiderare, quærere, diligere, amare, amore languere, amore vulnerari ad mortem, requieſcere in optato*. Quæ omnia hic optãda; ſed vt ea aſſequamur,

XV. (Optio) · Matt. 5. (Beati … eſuriunt) · Pſal. 118. (Concupiuit) · Luc. 2. (Angelos pacis)

Sequitur Confeſſio. Notula III.

XVI. COnfeſſio. QVÆ iuſtè ſequitur præcedentes gradus: Nam vbi miſeriam videris, vbi deſideraueris, qui per te nihil poſſis; oportet vt hæc congeſta illi qui poteſt ſuccurrere, detegas, & Domino, qui potens eſt, cõfitearis. Confitearis hæc duo, quia ſcilicet, quod deſideras ex te non poſſis, & quod alter nemo ſit præter eum qui poteſt. Et debet non tam eſſe intellectiua, quàm affectiua, vt dicas: Domine Ieſu, amator paſſe pro me, cupio redamare te; ſed noſti quia non poſſum hoc à me, quippe

qui nihil præter te poſſum. Tu ſolus es qui poteris hoc præſtare mihi, non eſt alius abs te. Et debet hæc confeſſio fieri cum confirmatione vtriuſque partis: Et poteſt tractari locis purgationis, & confeſſionis, aut cõciliationis.

Sequitur Oratio. Notula IV.

XVII. ORatio. Vt ſcilicet iam illi optionem, & querelam inſinues, qui iuxta confeſſionem ſolus iuuare poteſt. Et debet fieri cum modificationibus, & locis ſuis, de quibus pauca in mendicatorio ſunt dicta. Orandum ergo & dicendum, O Chriſte pro me paſſe, qui ſolus ſuccurrere potes, *o diues in omnes qui inuocant nomen tuum*, eo me tui amore accende, vt crux tua, tropheum victoriæ tuæ, cordi meo triumphale fiat inſigne, quo *mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini.* Per amorem tuæ crucis, mihi fiat amarum omne, quod non ſapit crucifixi amorem. Tuæ crucis lignum, aquas Marath amaritudinẽ ſc. ferocis conuerſationis meæ condiat, eloquia mea humili, & miti tuo typo dulcoret, vt in omnibus vijs meis, nihil mea vita redoleat; niſi amorem crucifixi. Sic pro compaſſione, ſic pro imitatione, & pro omni deſiderio orandum, per locos rhetoricos, captationis, deprecationis, orationis &c. Rom.10. Gal.5. Exod.15.

Sequitur Mentio. Notula V.

XVIII. MEntio. Qvæ eſt quędam confirmatio orationis ab argumentatione ſimilium: vt ſcilicet fiat mentio rei petitæ, quam ſcilicet multis illam tribuerit, & miſericordiæ eius omnipotentis, quæ nunquam exhauriri poteſt & dicatur ſic. Peto, velis me audire, fac me cõpotem voti: plurimis enim hoc tribuiſti: Nõ ergo ego ſolus voto fraudãdus. Non enim abbreuiata eſt manus tua, immenſa eſt miſericordia tua. O igitur qui fœlicem illam amatricem tui Magdalenam, tam diuite dono tui amoris donaſti: vt per crucem & mortem, tanquam per ferrum & ignem, per igneum gladium te lignum vitæ, te vnicum fructum ligni vitæ, fortis & audax omnium contemptrix, præceps & fœliciter temeraria, ſeſe proiecit, quo te vitam ſuam inueniret: tu etiam miſerere mei amorem impertiendo. Etſi non quantum fœlici illi amatrici Magdalenæ multum diligenti dederis, ſaltem quantum debet in gratiam receptus peccator, fac amem te Chriſtum paſſum. Et nota, quod poterit hæc confirmatio fieri per locos illos in mendicatorio poſitos ſupra, & formas argumentandi. Eſa.50.

Sequitur Obſecratio. Notula VI.

XIX. OBſecratio. Qva ſcilicet pulſando, petendo inſtes, & ne repulſam patiaris, etiam cum ſacræ rei atteſtatione ores, & dicas: Fac me fidum amatorem tui; etſi non propter me, vel propter te. Per te enim Chriſtum paſſum per te noſtrum theſaurum, per te noſtras diuitias, te noſtrum panem, noſtrum cibum, per te noſtras epulas, & noſtras delitias, per te fratrem vitæ noſtræ. Per illũ fidum amorem noſtrum, quo noſtram beatitudinem per crucem & mortem quæſiſti, quaſi ſine nobis beatus eſſe non poſſes, obſecro fac me fidum tui amatorem. O per incomparabilem paſſionem tuam, ô per agonem in tota vita; per agoniam in horto, per anguſtiam in morte, ſint vulnera tua vulnera mea, paſſio tua omnis, paſſio mea. Et in hac exercitatione da militare mihi, donec tibi ſponſo ſanguinis, fideli amore, tanquam annulo ſtabili, nuptiarum connubio deſponſer &c. Et poterit huius obſecrationis multa eſſe copia; ſi ſcalariter fuerint omnia per quæ obſecratur ordinata per ſe, ſuos, ſua. Exod.4.

Sequitur Confidentia. Notula VII.

XX. COnfidentia. Et est perſenſæ & agnitę bonitatis argumẽtum. Non enim crudelis, non fallax eſt Deus; ſed verax in omnibus promiſſis. Et qui promiſit in nomine ſuo petentibus accipere, dabit quod oratur, aut hic in ſpe, & tandem in re pro bona ſua voluntate. Vnde id dulciter illi hoc modo profitendum: Tu benigne Domine, non affliges fame animas pauperum tuorum, qui tam benignè inuitas ad petendum; nec inuitas modo, quinimmo præcipis, & vrges. Nunquid vt petentes caſſa ſpe, vana expectatione affligeres, inuitaſti? Nunquid afflictione noſtra tu dulcis amator delectaris? Velut exauditam, & annulo tuo conſignatam, ratam accipio, & acceptam fero petitionem meam, liberaliſſime Domine, quando ſaltem in me ſentio hæc tui amoris deſideria. Verè me fœlicem, ſi ſortem meam ipſe agnouero. Dominus pro me paſſus, vt à paſsionibus ego eriperer æternis: Qui igitur tam liberaliter pro me paſſus eſt peccatore, quid negabit confeſſori? Iam ferè fœlix mihi videor ſola ſpe promiſsionis. O quid erit, vbi tuum amorem linceis (vt aiunt) oculis videns, & velut approximans ipſe ſimili (licet non æquali) amore incaleſcens te amabo? & (vt ita loquar) totis pedibus in te amorem ibo? O beatum illum diem, quando ego me tui videbo amatorem! O verè me ſublimem, excelſum, & ſuperbum, non amplius limo & luto ſeruiturum. Tunc ſedebo conuiua cum filijs Regis, bibam vinum huius torcularis nouum in regno Patris; deoſculabor te fratrem & ſponſum animæ meæ, & poſt ſuperbum & ambitioſum illud oſculum iam me deſpiciet nemo. Hæc fiducialiter ex te ſpero. Hæc de confidentia, & cæteris proceſſorijs gradibus, qui omnes poſſent ſuis locis dilatari; ſed longum eſſet aſſignare omnes, nam tractari poterit methodo conſolatiua, & ſpei. Rom.3. Matt.7. Cant.2.

§. 6. Gradus terminatorij ſacrarum meditationum.

XXI. GRatiarum actio. Hic iam terminatorij gradus incipere poſſunt: vt quod ab oratione eſt inchoatum, in gratiarum actione, & ſequentibus gradibus terminetur. Non enim erimus ſuperioribus gradibus exercitatis beati, ſi

ti, ſi donanti fuerimus ingrati. Gratias igitur
in calce agere oportet: Gratias inquam agere
pro eo, quod meditari dedit, quod confidentiā
immiſit; & pro re tractata, quod eam pro te, &
tibi effecit. Quomodo autem gratiarū actio ſit
exoluenda, & quibus locis amplificanda, par-
tim habitum eſt ſupra, & latius forſan infra di-
Pſal. 111. cendum. Sic ergo procedendum. Confidentiā
Pſal. 102. en dediſti? Verè igitur benignus Deus Domi-
nus Pater, qui ſic dignanter humilia reſpicis, &
erigis de ſtercore & puluere pauperē; Verè di-
gnus Dominus Deus meus, vt omnia interio-
ra mea confiteantur, & benedicāt nomini ſan-
cto tuo, qui hæc meditari donaſti, & fiduciam
immiſiſti, & pro me pati voluiſti, ne paterer
ego. Quid reddam tibi Saluator meus, & Deus
meus, pro omnibus quæ retribuiſti mihi?
Tantus eſt non cumulus bonorum, ſed orbis
& mundus vniuerſus tecum donatus: vt ne-
que te donatorem, neque te donatū, neque per
te donata comprehendere queam. O me fe-
licem donatarium, ſed ſi quid retribuere poſ-
ſem! Ingratum enim eſſe non licet. Quid
ergo retribuam tibi Ieſu pro me paſſe, pro
tam fido amore? Quid retribuam Domino
Patri tuo, qui te miſit, paſſioni tradidit, dere-
liquit, mandauit, vt ſuſcitares nos à morte, ſa-
nares à morbis, quæreres abiectos ſub præua-
ricatione, venditos redimeres, ſolueres vin-
ctos, eriperes captiuos, errantes reduceres, ſal-
uares perditos, mundares ſordidos, iacentes
Pſal. 115. ſublimares? Quid retribuam, qui nil habeo
quod meum, niſi vt accipiam calicem ſaluta-
ris, & ſuppleam Domine Ieſu de tuo, quod
minus habeo de meo? O mirabilis ſolutio, qua
& debitor plenè ſoluitur à debito, & tamen
penitus pauper eſt. Amabilis perinde ſolutio,
non minus quàm mirabilis, qua capitis reus
redit in gratiam, & qui ceruicem debebat, re-
cipitur in amplexus, & gladius in oſculum
commutatur. Patet ex hoc paruulo exemplo;
quā fecunda cōmoratio poſſet fieri circa ſin-
gulos gradus, qui inſtrumentis rhetoricis vti
volet.

Commendatio. Notula I.

XXII. COmmendatio. QVI gradus ritè ſequitur
prædictū: vt ſicut egiſti illic gratias ore,
ſic hic opere te totum Domino, illi commen-
dando, ſecurè ei omnem cauſam committen-
do, qui talia & tanta præſtitit tibi; quo, ſicut,
& quando volet & norit, ita tecum agat, cor-
Pſal. 54. dialiter ei dicens, & omnem cogitatum ia-
ctans in eum, hoc modo. Securè iam deinceps
omnem cauſam meam & meipſum, fido tibi
depoſitario commendo. Tu mihi portus &
vallum, tu firmamentum & refugium, tu ſpes
mea ex omni tribulatione &c.

Sequitur Permiſſio. Notula II.

XXIII. PErmiſſio. QVA te, non modo mēte & ver-
bo; ſed opere & veritate ſubdas Domino
illi fideli, in cunctis agendis & perferendis, te
plenè holocauſtando, illi poſt vota tua tui
arbitrium permittendo; certus, quoniam
1. Pet. 5. qui cœpit, ipſe ſaluabit, perficiet, & confum-
mabit, illi pleno corde dicēdo, Domine Ieſu,
amator bone, Chriſte pro me paſſe, tibi non
me commendo ſolum; ſed & plenè in omni-
bus ſubmitto, quo mecum agas, ſicut placet
in conſpectu tuo. Vre, ſeca, proba, aut, ſicut
placet, mecum age: Non mea voluntas, ſed
tua in omnibus fiat: Sicut ſcis & ſicut vis, mi-
ſerere mei Deus. Fiat miſericordia tua, ô Chri-
ſte paſſe, ſuper me, quemadmodum ſperaui in Pſal. 31.
te; ſolum, vt cœpiſti, ſalua me. Amen.

Eſt enim permiſſio color rhetoricus, totū
ſe ſe alteri decedens. Vide nunc quomodo ſca-
la hæc, tametſi primi gradus ſint ſuper terram,
quomodo poſteriores hi, non dico cælos; ſed
& Dominum Angelorum attingant, plena
ſubmiſſione voluntatis, in quo iuxta doctos,
omnis perfectionis ſumma conſiſtit. Vnde &
ſe illi verbo Chriſti conformat dictis Mat. 6.
Fiat voluntas tua: quo nunquam (vt dicitur in
libello de ſponſalibus) Chriſtus dixit verbum
Patris amabilius, ſibi honorificentius, nobis
vtilius, confuſibilius diabolo, quo & noſtra
ſalus perfecta. Verè igitur ſcalæ huius cacu-
men cælos tangit.

Sequitur gradus vltimus, tradens modum commorandi. Notula III.

COmplexioq;, quæ (iuxta ſcalæ auctorem) XXIV.
non tam eſt gradus, vt quidam voluerūt,
ſed locus ad cōpiā magis: Docet enim miram
(vt declaratum eſt ſupra) ſeminarij copiam &
locum commorandi; ſi tempus patitur plura
meditari. Poteſt enim fieri connexio gradus ad
gradum, & replicatio omnium memoratorū,
cum reflexione & exuſcitatione eorundem ad
mentem meditantis, de qua plura dici poſſent,
ſed ſufficiant iam dicta. Sunt enim ſatis co-
pioſa, adeò quod non opus ſit copia ampliori.
Sed pro ampliori ſcalæ intelligentia, & medi-
tatione dirigenda, quędam ſunt ſubnectenda.

MEMBRVM III.

Annotationes doctrinales circa ſcalam hanc.

EST itaque ſciendum, quod ſcala hæc eſt XXV.
generalis de omni complexo & incōple-
xo; ita quod omnis materia per eam tractari &
meditari poteſt ſub finib' diuerſis: Licet enim
in hac meditari de Deo & dijudicare quam ille
colēdus & venerandus, de paſſione Chriſti ad
amorem, de ſanctis, de nouiſſimis, & de mate-
ria omni. Et eſt hęc ſcala, fons & origo omniū
poſitarum, vel adhuc ponendarum ſcalarum,
quas virtualiter complectitur, & in ſe tenet:
Expedit tamen exinde formare ſcalas, ſingulis
materijs applicabiles particulares; Sic enim
particulariter animus magis eruditur, vt patet.
Sciendum (vt iam ſupra proteſtati ſumus)
ſcalam hanc, non hic eſſe proſecutam: ſed te-
nuiter tactam ſolum: Vnde ſi cui diſplicuerit,
non in ſcalæ auctorē, ſed in me præſumptuo
ſum eius retorqueatur abbreuiatorem. Non
enim facilè cuique ſcalæ fructus patebit, niſi
ſinguli gradus cum ſuis copijs, & abūdantibus

inſtrumentis tradantur, quæ ponere prolixi eſſet operis. Nulla ſiquidem putem eſſe inſtrumenta copiarum in tota Rhetoricæ officina, quorum non hic commoda applicatio fieri poſſit ad ſingulos gradus: vt tentatum eſt à quibuſdam; ſed prolixioris hoc operis eſſet; quanquam tamen & pro meditari; immo & pro prædicare volentibus, vtiliſsimum & efficaciſsimum adiutorium eſſet.

§. 1. *Annotatio altera.*

XXVI. TENENDVM item, parum cuiquam prodeſſe, ſi noſſet omnia iam ſuperiora meditationum directiua, & ſcalam hanc, & praxim procedendi; niſi frequenter ſe exercuerit circa eam. Non enim (ſi Gerſon credimus) facilius, ſecurius, poſt diuinam gratiam, habere poterimus artem meditandi, quam per ſedulum exercitium, & ſecurum alterius exercitati in ea conſilium. *Vſus & ars docuit quod ſapit omnis homo.* Et ſterilis ferè ars; niſi exercitio concomitata. Qui igitur facilè in meditationis ſtudio proficere volet, qui tritus in ea eſſe cupit, crebrius agat; non tranſeat feſtus dies, quo non etiam ſcribat meditationem, vel exiguam ſaltem, ſecundum duos aut tres gradus, quam oſtendat & examinet cum altero peritiore. Fatemur, in initio patietur difficultates: Ars quippe & virtus circa difficilia verſantur; ſed exercitio facilia fient. Patet hoc in omni arte: In pictore, ſcriptore & chytariſta, qui dum exercitati fuerint, omnia facilia (quæ ante impoſſibilia videbantur) fiunt eis; ita vt Ariſtoteles dicat, Quod ars *perfecta non deliberat*, quia tam facilis eſt ſibi actus ſuus. Tria tradit Cicero, quibus conſequimur intenta: Artem, imitationem, exercitium; Quorum potiſſimum exercitatio eſt: vt plures aiūt. Eya igitur dilectiſsimi fratres, exercitationi nos demus huiuſmodi, qua ſine verendum eſt, quod proficiemus nihil. Non irrideatur conſilium de meditationibus ſcribendis: Non meum eſt; ſed ſapientum, qui opere id, magis quam verbo conſuluere. Attendantur deuotionalia, Auguſtini meditationes, rythmi planctus Bernardi, Exemplaria meditationum Anſelmi, ſtudia Gerſonis &c. Patet, quod omnes in his magis ſe exercitio, quam magiſtrali eruditioni dabant; exemplum haud dubiè dantes nobis, vt itidem faciamus. Non ſimus deſidioſiores ſeculi hominibus, artificibus vanitatis: Mentior, ſi non vidi ſeruos pictorum, aut vitrificum, furari tempora; imò totis feſtis ſe in ſecretario concludere diebus, quo tunc exercitarent, quod cæteris diebus non licebat. Turpe ſit nobis vinci à ſeruis vanitatis. Captemus & nos tempora noſtra, vel ſaltem feſtis diebus maneamus nobiſcum, circuitus, vaniloquia vitemus, exercitio nos accommodemus, & gaudebimus poſt de fructu aſſecuto.

§. 2. *Annotatio tertia contra tædium aſcendendi.*

IN hoc quoque meditatiuos omnes præmonitos eſſe oportet, vt, etſi non mox vt XXVII.
manum apponant, omnia pro voto cedant, ſi non mox affectus incaleſcat, Nihil hinc conſternendum. Longanimes eſſe oportet, perſiſtere inceptis, & volentibus attingere ad fructum, conſtanter aſcēdere oportet, ſæpiuſque repulſos perſtare in aſcenſu. Hinc enim raritas contemplantium omnis, quia vix ſuſtinet aliquis ſecum ſolus eſſe, ſecumque diu morari. Non ſic agat noſter ſcaliſta, hanc ſcandat ſcalam, aut aliam, ſi iſta non placet, leuet ſe ſuper ſe ſi poteſt, & ſi vnus non ſapuerit gradus, ad alium feſtinus contendat. Quod ſi diu conatus frigidus perſtet, non propterea deſerat aſcenſum: Tædebit forſan laboris; ſed expectet, videbit auxilium Dei, vincet tædium mora pertinax, longanimis tantum perſtet; & ſi non profecerit, merebitur ſine dubio, & in humilitate fundabitur magis. Nec mirabile videbitur, quod ignis deuotionis difficilè exardeſcat flatu meditationis, conſiderantibus ignem materialem: vt Gerſon declarat de lignis viridibus, aquoſis, aut luto aſperſis, à quibus quātumlibet ſufflentur, exſufflentur, plurimus ab initio fumus oculos conturbans, vix tenuis emicabit ſcintilla; niſi poſt plurimos labores, & diutinam moram. Meminerit huius exempli omnis meditator, longanimitatem aſſumens. Pſal. 38.

§. 3. *Annotatio quarta.*

ESSENT adhuc plurima animaduertenda, meditantibus aſſignanda; niſi noſſemus ab XXVIII.
alijs tradita ea: vt, quod ſine phantaſmatibus meditari conentur, quod ſtabiliter figi: Ad quæ plures plurima media tradiderunt; Sed poſt gratiam Dei (vt vult Doctor quidam) efficacius remedium nullum, quàm vehemens affectio in Deum, & amor mundus. Difficile enim, & cum tormento de Deo non cogitat, quiſquis verè ſincerè & merè Deum amat. *Vbi enim theſaurus ſuus, illic & cor eius*, Mat. 6. Vnde in meditatione dilecti ſtabilitur. Et quia amor in affectiones magis erumpit, quanto curioſius rem intuetur, liberat à phantaſmatibus, quæ multis fuere grauium periculorum graues occaſiones: vt Gerſon & Magiſter Gerardus Groet teſtantur. Vis igitur à periculis ſimulachrorum carnalium tutari? ama, opta, deſidera. Vis non inſtar fluctuantis nauis periculo iactari; ſed ſtabiliri in meditatione tua? ama. Quod ſi non amaueris, vagus & vilis eris, & periculoſius iactabere.

§. 4. *Annotatio quinta.*

HOC quoque digniſſimum ſcitu, quod XXIX.
magna & ſalutaris homini ſapientia, non momentaneo, aut temerario cogitatu prouenit: Crebro, grauiter, attentè, moroſè meditari oportebit, & ſapientiam effodere; tāquam

theſauros, antequam affectuosè ſapiat; quia niſi ſapiat, non afficiet. Hinc admonet ſcalæ huius auctor: *Cuiuſcunque, inquit, rei volueris efficacem & fructuoſum cogitatum penes te eſſe, vt, cùm volueris, efficaciter poſſis cogitare de illa; nulla tibi tam recta via eſt, quam crebra mente illam reuoluere. Longo iam experimento didici, eam mihi eſſe animi conſperſionem, vt momentaneo cogitatu, neque rem integrè comprehendam, neque etiam efficaciter moueat, vt velim. Igitur, verbi gratia, mortis meditatio, vt fructuoſa mihi fiat, & facilè omnia contemnere faciat; ſæpius oportet neceſſitatem eius, incertitudinem eius, celerem aduentum eius, deformem deſtitutionem eius, magnam commutationem eius, grauem lapſum eius cogitare; quomodo videlicet caro de qua nunc tibi plaudis, & quam nunc palpas, deterius corrumpenda, quàm ſi tota cancro, lepra, lupo, igne perſico, aut eſthiomeno ſcateret. Hæc tria, & talia qui non meminit, cæcus eſt; qui meminit, & non ſentit, ſtupidus eſt; qui ſentit, & non curat, inſanus eſt.* Hæc ille.

§. 5. *Annotatio ſexta.*

XXX. POſtremò (quod & iam ſupra memorauimus) ſuademus, quod his practicis nemo nimium fidat; nulla demum exercitia ita appropriet ſibi, quin, dum inſtinctus venerit ad alia impellens, dimiſſis omnibus, illum ſequatur, vt volunt Patres: Magis ſemper gratiæ, quam induſtriæ innitens; ſuum tamen ſemper conatum per pia exercitia apponẽs. In quibus dum profecerit parum; non tamen mox ea rejicere debet; ſed ad ſummam & primam induſtriam recurrat, quæ eſt oratio humilis & fidelis, imperfectum ſuum cum ſuſpiratione & ſingultu Deo reuelando, eius efflagitando & ſanctorum opem. Qui ſe ſuperioribus & poſtremæ huic practicę accommodaret, non ſine profectu meditationis ſtudio vacaret.

MEMBRVM IV.

Exemplum præmiſſæ meditatoriæ ſcalæ, cuius inſtar in cæteris quibuſque materijs procedendum Non tamen eſt euacuans plenitudinem ſcalæ huius; ſed ſolum pro teneris demonſtrans ordinatum proceſſum eius.

Quæſtio, quid cogito?

XXXI. QVid agis, ô anima mea? quid eſt quod cogitas? quid tecum oro mente retractas? Cur ſolito vagæ mentis fluxu vagaris? Cur vanis, vagis, truncis cogitatibus intendis? Non ſic vagandum anima mea.

Quæſtio, quid cogitandum?

Sed forſan quæris, quid tibi cogitandum; Certè ſtabile, ſalubre aliquid verſandum, non hucilluc que vagandum: Stabilis enim cogitatus, vbi in re ſalubri figitur, ſtabilem & ſalubrẽ fructũ affert; Diſce igitur in ſanctarum rerum cogitatu, ô anima mea, figere mentem.

Excuſſio.

Eia igitur, excutere de puluere ſordidarum, nocentium cogitationum; abigo volatiles cogitatus, qui nullum afferunt fructum, imò impediunt omne bonum. Quis enim alius ex vanis, vagis, truncis, cogitationibus, fructus ſperandus, niſi vt quales illæ fuerint, talem efficiant & ſuum meditatorem? Vagæ enim, neglectæ, ſteriles ac truncę cogitationes, hominem truncum, ſterilem, neglectum, ac nullo deſtinatum fini reddunt; ſed inſtar fluctuantis nauis, iactitant ad periculum omne: Plurimũ muſcæ hæ, ſuauitatem perdentes vnguenti, exterminandæ, proſcribendę, cauendæ. Eccli. 10.
His igitur ſepoſitis vtilioribus intendendum.

Electio generaliter.

Age, de Chriſto Domino, de Dominica incarnatione meditare: Nihil enim huiuſmodi cogitatu Deo gratius, vtilius tibi, neceſſitantius tuæ ſaluti nihil. *Primum* docti plures, & veriſſima Chriſtianę fidei lumina promittunt; *Alterum* Chriſtus docet; vbi in nomine ſuo mittendum Spiritum ſanctum dicit; *At tertiũ* probat regula illa magiſtralis, quòd tantum proderit cuique Dominicæ incarnationis fructus (de adultis intelligendum) quantum pia meditatione & gratitudine id applicuerint ſibi. Vis igitur gratum agere Deo? tibi prodeſſe? conſulere tuæ ſaluti? de Verbo incarnato meditare. Ioan. 14.

Electio particulariter.

At ne materiæ circa incarnationem ſeſe offerentis multitudine obruaris, certus tibi aſſumendus morſellus, cui ſedulius inhæreas maſticãdo: Saltẽ de incarnationis exordio, de Patris Filium mittentis charitate meditemur, & verbum illud Eccleſiæ ex Paulo ſumptum retractemus, *Propter nimiam charitatem, qua dilexit nos Deus, miſit Filium ſuum in mundum.* Ephеſ. 2.

Oratio.

Volenti itaque mihi meditari de te, ô Verbum incarnatum, ſed paupertatem meam, ſed inſufficiẽtiam meam, ſed indignitatem meam mihi intuenti, adſis quæſo te inuocanti, mentem inſtruens ſacris cogitatibus, intelligentiam illuſtrans rectis iudicis, voluntatem digna deuotione inflammans, quo dignè mediter tibi.

Commemoratio.

Commemoro itaque tibi, tua gratia fretus, tuo ô Verbum incarnatum, inſtituto edoctus, quo tui commemorationem fieri iuſſiſti; principium tuæ incarnationis, quo te Pater vnà cum Spiritu ſancto diſpoſuit incarnari. Quodque ſub paruo verbo, myſterijs tamen turgido, Eccleſia ex Doctoris gentium archiuis gratulabunda proponit dicẽs. *Propter nimiam*

charitatem,

charitatem, qua dilexit nos Deus, miſit Filium ſuũ *in mundum*. Et (vt paulo latius repetens commemorem ſuperiorã) iacebat poſt lapſum perditum genus humanum; pendens ad promiſſum Saluatorem, dabat in aera voces, quo (*Aggæi 2.*) deſideratus & promiſſus gentibus cunctis adueniret, accelerarET, feſtinaret, ne tardaret; amplioris impatiens moræ. Itidem deſiderabant viri illi deſideriorum, (*Eſa. 64.*) & adeò deſiderabant quod cælos rumpi, (*Eſa. 45*) iuſtum pluere nubes, terram apetiri, & germinare Saluatorem exorabant. (*Pſal. 118*) Quid multis moror? Defecerunt eorum oculi in ſalutare promiſſum, raucæ factæ ſunt fauces, (*Pſal. 68.*) dum clamabant tota die. Sic illi pulſabant Deum fotis, pulſabant & Patrem miſericordiarum miſericordiæ eius viſcera ab intus. Sed & Angeli pacis, noſtræ reconciliationis cupidi, ſuper ſuæ ruinæ & numeri reſtauratione ſolliciti, non dabant illi requiem die ac nocte, quippe qui vigilant, ſemper loquentes bona pro nobis. Vincitur tandem inuincibilis, & ſuæ miſericordiæ recordatus, conſilium cogit, conſilium init in triclinio ſuæ Trinitatis; vbi alius affuit Patri conſiliarius nullus; niſi (*Eſa. 9.*) Filius magni conſilij Angelus, & ſpiritus conſilij boni. Miſericordia proponebat, veritas & iuſtitia obſiſtebant: Sed nimia charitas Patris concludebat, quod Filius ipſe mittendus. Et hoc eſt, quod aſſumpſimus memorandum, quia *propter nimiam charitatem* &c.

Conſideratio.

Miſit Filium ſuum Deus propter nimiam charitatem. Breue verbum de verbo abbreuiato; ſed litteris nõ ſenſu breue. Latiſſimę enim, vt video, conſiderationes ſub hoc verbo concluduntur. Præmittitur enim incarnationis exordialis ratio, *Propter nimiam* &c. Deſcribitur ipſa incarnatio, *Miſit*; Mittentis perſona exprimitur, *Deus*; Et quis mittitur explicatur, cùm dicit, *Filium ſuum.*

Hic cæteras incarnationis cauſas conſidera. Plurima ſunt incarnationis Dominicæ motiua, & rationes; ſed charitas omnium eſt ſumma: Sed quæ charitas? Apoſtolus ait, *Propter nimiam charitatem*. O nimiam charitatem! Quæ eſt iſta nimia charitas? Charitas superexcedens, charitas incomprehenſibilis, infinita charitas. An non infinita charitas, qua infinitus infinito amore, (quia Spirituſancto) amat? Prorſus infinita. Quod ſi infinita, ergo & nimia, quia modi exceſſiua; Quid enim aliud nimium; niſi excedens modum? Magna charitas, qua Pater ille miſericordiarum ſua impendit; maior, qua ſuos omnes adminiſtratorios ſpiritus fecit; (*Heb. 1.*) ſed maxima & nimia charitas illa, qua Filium ſuum propter nimiam charitatem miſit Deus. Nimia charitas iſta, quia inſueta vſu, incognita viſu, incomperta auditu, incogitata mente, dura dictu, creditu difficilis: (*1. Cor. 2.*) Nõ enim auris audiuit, non in cor hominis, vel tenuiter hoc vſquam aſcendit, quod Deus homines amaret, & quod tãtopere amaret, quod propter nimiam charitatem ſuam Filium mitteret, imò daret.

Habes ergo incarnationis cauſam, charitatem nimiam: Sed opus ipſum intueamur: *Miſit*, inquit. Quid eſt hæc Filij miſſio, niſi incarnationis ſuæ exinanitio? Et quid Filij exinanitio; niſi diſpenſatoria in Filio hominis diuinæ maieſtatis occultatio? Sed de hac aliàs.

Quis miſit videamus: *Deus* inquit. Et quis Deus? Certè Deus Trinitas, Pater, Filius, Spirituſſanctus. Miſericordia enim Trinitatis diuiſit ſibi appropriatiuè opus noſtræ redemptionis: vt Pater propriè mitteret, Filius obediret, Spirituſſanctus incenderet: Hoc Euangelia habent: (*Eſa. 61.*) De Patre palam eſt; De Spiritu ipſe dicit, quod *pauperibus ipſum euangelizare miſit*. Sed quomodo ſeipſum miſit? Quomodo Ionas volendo & dicendo, mittite me in (*Ionæ 1.*) mare &c. Sed Pater propriè magis mittit, Et quem mittit? *Filium ſuum* mittit, Filium ſuũ, Filium proprium, Filium vnigenitum, Filium dilectum, in quo ſibi bene complacuit, (*Matt. 3.*) propter nimiam charitatem Deus ipſe miſit. Habes ergo miſſionem, mittentem & miſſum.

Attentio.

Sed non perfunctoriè hic tranſeundum, non negligenter verſandum; ſed tota intentione hic inſudandum: Latent enim abdita multa, Intendite itaque omnia intima mea, vigiles hic oculos præbete: Attendite charitatem, ſtupete dignationem, ampleCtimini opus & miſſum. Non me capio, vbi nimiam hanc charitatem attendo, propter quam miſit Filium ſuum. Et ô quis, qualis, quantus quibus, & qualibus, quam nimia charitate Filium, & talem Filium donaſti? Et verè donaſti. *Filius enim datus eſt nobis*, (*Eſa. 9.*) non venditus, non mutuatus; ſed datus, & liberaliter datus. O viſcera paterna, ô nimia charitate amantia nimis. Dum enim mihi Filium, quem vt teipſum diligebas, dediſti; tibi non pepercisti, ſed omne quod es, quodammodo potes & habes, in eo, & cum illo mihi dediſti. Omne inquam quod es, quia non aliud ab eo es. Dum igitur Filium tuum, Filium naturalem mihi dediſti, omne quod es, quodammodo mihi impendiſti. Sed & omne, quod potes, dediſti; dum Filium tibi per omnia coæqualem, cum quo tibi vna eſt poteſtas, miſiſti. Inſuper & omne, quod habes, mihi dediſti, dum Filium ſingularem, Filium ſcilicet tuum proprium, & vnigenitum ad me demiſiſti. Illi enim plenè ſubſtantiam tuam, quippe ex vtero gignens communicaſti, cuius omnia, ipſo teſte, tua ſunt, & quæ tu Pater habes ſua ſunt. Illum igitur, dum miſiſti, quomodo non cum illo omnia nobis dediſti?

Sed quibus, qualibuſve Filium, & talem Filium dediſti? Certè hominibus, ex nihilo conditis, de limo terræ formatis, de muliere natis, breui tempore viuentibus, (*Iob 14.*) multis & multiplicibus miſerijs oppletis. Filijs nequam, & ſceleratis, (*Eſa. 1.*) populis iniquitate grauibus, omnis boni immeritis, & prorſus indignis, atque inimicis. Et tamen his talibus, tantillis, tantus, talis, talia impendiſti taliter. O ſtuporem! o dignationem! Si attendero mittentem, non capio maieſtatem; ſi eorum quibus Filium mittis vilitatem perſpexero, ſtupeſco dignationem.

Quis enim audiuit vnquam tale, aut vidit huic ſimile? Summus imum; Deus hominem; quo maius meliúſve nil cogitari poteſt, tantopere complectitur, quo vilius poſteriúſve nihil cõſiſtit? Res miranda! Virga digni fuimus, merueramus gladium; ſed en pro virga datur Filius, gladius in oſculum mutatur. Iure igitur hæc attendenda, ſtupenda, admiranda. *O mirabilia teſtimonia tua Deus!* Pſal. 118

Explanatio.

Nunc tu Patrum ſummus, tu dulcis fratrum amator, dilectum tuum Ioſeph, pro fratrum ſalute ad fratricidas fratres paſcentes oues: aut (vt verius loquar) hædos in Dothaim paſcentes, inuiſendos dimittis. Nunc veſte polymita à te vero Iacob, Ioſeph verus veſtitur; Iam fortiſſimus Samſon vxorem deſponſaturus cum Patre deſcendit; Moyſes Æthiopiſſam ducit; fornicatiam Oſea ingreditur ad mulierem. Et, vt de cæteris taceam, vt nuptias Iſaac, Heſter ſponſalia, ſolis in tabernaculo poſitionem, agglutinationem domus Iſrael ad Deum Filium Dei, & cætera id genus Prophetarum oracula præteream; nunc poſt ſpretos, captos, cæſos, occiſos ſeruos, Paterfamilias, Pater iſte miſericordiarum non continuit viſcera ſua, niſi & dilectum cordis ſui, vnicum Filium ſuum, paternæ hæreditatis hæredem, *propter nimiam charitatem ſuam* in vineam mitteret, daret, traderet, & derelinqueret & obliuiſceretur in finem, *propter nimiam quippe charitatem miſit Filium ſuum.*

Gen. 37. Gen. 37. Iudic 14. Num. 12. Oſea 1. Gen. 29. Heſt. 2. Iere. 13. Matth. 21. Gal. 4.

Tractatio.

Sed quando, quomodo & quare miſit? In plenitudine temporum, in habitu hominum, pro omnium ſalute miſit. In plenitudine temporum primo ad circunſtantias: Non ante miſerat, non longius differendum erat; ſed vbi plenitudo temporum venerat nimia charitate plenus Pater Filium miſit. Notentur hic rationes. Sed quomodo miſit in habitu hominum? *Formam* quippe *ſerui ſuſcepit, & habitu inuentus eſt vt homo.* Filium enim ſuum ſi non volebat incaſſum venire Pater, oportuit non mittere neque apparere ſublimẽ. Si enim non humiliaretur, nõ contẽneretur: Si non contẽneretur, nõ odiretur. Si nõ odiretur, non crucifigeretur; Si nõ crucifigeretur, redemptionis pretium non offerretur. Si non redimeret, incaſſum veniſſet, in vanum euerſa à Patre nimia charitate diligente miſſus fuiſſet. Ergo vt Filius talis fructuosè veniret, vt non incaſſum Pater mitteret, oportuit vt redimeret: vt redimeret pretium obtulit; Vt offerret pretiũ pro nobis, crucifixus eſt; Vt crucifigeretur, odia perſequentium pertulit; Hæc odia perſequentium, ne maieſtate obrueret, contemptibilis haberi voluit; Et vt contemneretur, venit humilis, & in habitu hominum à Patre miſſus eſt. Neque tamen ea humilitas vilis aut ſordida fuit: vt contemptoribus in excuſationem eſſet: Habuit enim diuinitus teſtimonia; ſed eiuſcemodi atte modificata, qua bonorũ pietas traheretur & retineretur, & impietas irritaretur. Philip. 2.

Sed quare miſit? Pro ſalute omnium miſit. Non enim miſſus eſt, vt *iudicet mundum; ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Secundo ad quæſtionem: An ergo ſalus fieri non poterat, niſi miſſo & incarnato Filio Dei? Aliàs vtique poterat; ſed modus is reparatori, reparabili, reparationi congruentiſſimus erat. Tertiò ad opinionem. Hic fiat ſtabilitio opinionis huius, quod Chriſtus incarnatus fuiſſet, etiam homine non lapſo, per varias rationes. Sed quid ô Domine Ieſu, quid ô Verbum incarnatum, an ſi lapſus non fuiſſem, etiam te fratrem habuiſſem? An & tu miſericordiarum Pater, an etiam Filium tuum, non pro me reparando; ſed pró nimio charitatis ardore (ſi reparatione non eguiſſem) miſiſſes, dediſſes, impendiſſes? Varij varia aiunt. Sed certè, vt ego video, vt ſapio, vt Apoſtolum intelligo, Apoſtolus ipſe diffinit, dum ait, nõ propter noſtram ſalutem; ſed propter nimiam charitatem tuam, Filium tuum miſſum: Miſſus itaque etiam ſi non cecidiſſem, propter nimiam charitatem fuiſſet, qui propter noſtram ſalutem, alioquin non paſſurus, eſt paſſus, ſaluis tamen Doctorum opinionibus. Ioan. 3.

Dijudicatio.

O nimiam charitatem, ô charitatis nimietatem! Quis nimiam hanc charitatem non pauebit, mirabitur, obſtupeſcet? Qui non pauet, vecors eſt; qui non miratur ſtultus; qui non ſtupet, inſenſatus. Quam ergo mihi pauendum, mirandum, obſtupeſcendum: & intima, vt ita dicam, intelligentiæ lance pendendum Sacramentum hoc nimiæ charitatis! quam mihi Pateris charitas amanda, quam miſſi filij dignatio miranda, quam ſalus mea mihi amplexenda! Si enim, ô anima mea, ſi beneficium hominis cuiuſque quantolibet etiam tepido ex amore impenſum complecteris, ſi redamas te amantem; collige hinc (& noli cœca rerum fore æſtimatrix) quam hunc amatorem Deum tantoperè amantem, ac tantum beneficium ex nimia charitate impendentem, quam hunc complecti, redamareque debebis? Certè ſi Princeps quiſpiam terræ, ſi Rex Franciæ, ſi Imperator aut (vt altiſſimè loquar) ſi terrenus ille (vt aiunt) Deus, Papam loquor: ſi inquam quiſpiam horum (ne dicam Filium ſuum dare, ſeſe pro tua ſalute impendere, omne quod eſt, poteſt, habet communicare) ſed ſi, vel ſemel mandare tibi ſalutes, loqui verbum, aut exiguum, & momenti nullius xenium tibi mittere dignaretur, nónne tota in eius laudes, glorias, amores tranſires? Quàm ergo mihi tu, Deus meus, Rex Regum, Dominus dominantium, Dominus immenſæ maieſtatis, quam tu mihi ſemper colendus, obſeruandus, amandus, qui non dico ſalutem mihi mandare, tranſitorio verbo loqui, xenium dare patuum, non es dedignatus, ſed ex nimia charitate, ad cor ſerui tui verbo ęterno loqui, æternas mittere, & mandare ſalutes non abnuiſti, *donum optimum, datum perfectum*, Filium tuum, Apoc. 19.

tuum, & omnia tua dediſti, & adeò dediſti, quod fieret *tanquam vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Pſal. 21 O viſcera illa, & viſcera illa paterna! Quis hæc conſiderauit, & nõ amauit? quis recoluit, & non coluit? Quid tibi videtur, ô anima mea? quid iudicas? quid dicis rependendum? Nónne is, qui talia, tam magnifica, tam eximia charitate, tanta nobis fecit, nónne ſemper colendus, obſeruandus, amandus? Verè dignum & iuſtum, quo totis neruis colatur, obſeruetur, ametur. Verè tu miſericordiarum Pater: tu mihi ſemper colendus, &c. Te confiteor, tibi benedico, laudo, honoro, glorifico, magnifico, ſuperexalto, adoro ſuper nimia hac charitate, ſuper Filij miſſione, datione, exinanitione, incarnatione. Te omnigeno cultu colant cœlici omnes.

Cauſatio.

Et quid ni tu mihi colendus, omníque obſequendus cultu, & totis adamandus neruis? Nónne hoc ratio dictat, iuſtitia exigit, nimia tua charitas in funiculis Adæ nos trahens exigit? Imò compellit & inuitos. Cur enim tan-
Oſee 11. toperè nos, Domine amator bone, cur tantoperè amaſti non te amantes; ſed offendentes, ſed contemnentes, ſed nihil te amantes? cur ſic amaſti, vt ex nimia charitate Filium mitte-
Deut. 32. res; niſi vt ſuper nos velut *aquila volitans prouocares* non amantes, noſtrum tibi amorem allíceres, & impelleres ad redamandum? Tam enim te amabilem exhibuiſti, tam copioſum
Thren. 1. ignem de excelſo, quem accendi volebas, in
Luc. 12. oſſa noſtra demiſiſti, vt qui ſe abſcondat à ca-
Pſal. 18. lore tuo iam reperiatur nemo; ſed verè duriſſimi iam conuincatur cordis, qui te non dilexerit ex toto corde. Quis enim, niſi prorſus deſipiat? (Et quid dico deſipiat? inſaniat dicendum fuit.) Quis inquam, niſi inſaniat prorſus, non amabit? taceo Deum, quo nihil amandius; amorem quo nihil amabilius; vitam qua nihil amatius; ſed Patrem nimia charitate amantem, quo amantius nihil, quis niſi inſanus non amabit?

Ruminatio.

Leuit. 11. Quid enim (vt mundorum animalium inſtar ruminem ſuperiora) quis non amabit Deum diuitem in miſericordia, qui propter
Epheſ. 2. nimiam charitatem ſuam, tantam lapſo noſtro generi exhibuit pietatem, vt Filium ſuum mitteret; talis, tantus, nobis talibus, tam immeritis & indignis. Ecce enim iacebamus ſub
Pſal. 106. peccato venundati, peccatis pleni, graui iniquitate morbidi, in *mendicitate & ferro vincti,* alienati à vita, damnati in ira, perditi in miſeria, ciuitatis habitaculi ignari, auxilio omni deſtituti, quippe immeriti, quia mandati tui tranſgreſſores, præceptis inobedientes, ingrati, contumaces, ſemper voluntati tuæ *bonæ,*
Rom. 12. *beneplacitæ & perfectæ,* incircuncisi corde, dura
Act. 7. ceruice reſiſtentes. Et tamen tu noſtri Pater, miſerorum miſeratus, Filium tuum proprium
Matth. 3. vnigenitum, *in quo tibi complacuit,* & dilectum miſiſti, dediſti, duro mandato oneraſti, in manus inimicorum tradidiſti, dereliquiſti; imò tu, vt Eſaias ait, abieciſti, conculcaſti, percuſſi- Eſa. 53.
ſti, & iuxta pſalmum *in finem* oblitus fuiſti: vt Pſal. 41.
præceptis reſiſtentes, ingratos, contumaces, charitate peruinceres; per in mortem obedientem Filium, pro inobedientibus traditum, ſatisfaceres iuſtitiæ tuæ; pro tranſgreſſoribus miſſus Filius exoraret, deſtitutis auxilio ſuccurreres, errantes per viam in viam reduceres, ſaluares perditos, ſuſcitares mortuos, ſanares à morbis, peccantes eriperes, vinctos ſolueres, redimeres venundatos ſub præuaricatione. Et tu bone Pater, tu miſericordiarum Pater, Verbum tuum generi noſtro extorri coniunxiſti; tu Verbum tuum, tu Filium tuum, tu vir-
tutem tuam, & figuram ſubſtantiæ tuæ pater- Hebr. 1.
nè nobis miſiſti in habitu hominum, in plenitudine temporum, pro omnium ſalute; & tam eximia charitate miſiſti. Verè tu ergo redamandus, qui tam nimiè adamaſti. Si homines amo ex amore beneficos, quam te debeo amare Deum, Dominum, Patrem, tam nimia amantem charitate?

Guſtatio.

O quam debeo te amare! Quis tam cæcus, vt hoc non videat? quis tam peruerſus, vt tam amantem redamare nolit? tam diſcratiatus oro quis erit, cui non ſapiat, quem nõ afficiat amor iſte ingens? nimia hæc charitas Patris? Quiſquis ille eſt, ſtupidus nimis eſt. O quem non mouebunt viſcera hæc paterna; imò maternè nobis affecta? Quæ enim ſic mater diligit cordis ſui filium: vt tu me amaſti, nomine filij indignũ? Verè, verè, nunc affectu vtcunq; ſapio, quod ante intellectu cognoui, quod tu nimia charitate amás nimiè, & ex totis neruis es redamandus, obſequendus, colendus.

Querela.

Sed vbi eſt amor meus, obſequium & cultus? Certè Domine Pater, vt tibi cauſam meã reuelem, detegam paupertatem, neceſſitatem conquerar, non te amo, vt debeo; non obſequor, vt teneor; non, vt æquum eſt, colo. Filio enim tuo quem ex nimia charitate miſiſti, teſte; qui te diligit, mandata tua ſeruat. Ioan. 14. Quæ quia ego non obſeruo, confeſſum & palam eſt, quod te, non dico non amem, ſed nec diligam quidem.

O durum & obduratum me hominem, quẽ tantus amor non emollit, tam nimia charitas non peruincit, tam ingens dilectionis flamma non ſuccendit. Tu *toto* te me amas, totum te mihi impendis; & ego nec anguſtum cordis mei angulum tuæ charitati rependo. proh dolor! Væ ſuper ingratitudine, væ mihi ſuper nimia indeuotione, qui tanta & tam nimia charitate commemorata, conſiderata, dijudicata, vix excitor, vix oſcito, vix ad redamandum anhelo! Valde verendum mihi, ne dum tanti ſim torporis, tepidus ego à charitatis ore
euomar, à regno amoris proſcribar, proijciar Apoc. 3.
fugatus ad aquilonem; vbi intolerabile frigus.

Væ igitur

Digitized by Google

Væ igitur tibi duritia cordis mei, væ tibi adamantino, ferreo, gelido pectori meo, quod inter medios etiam tam æſtuantiſſimi ardoris globos, tanto friges charitatis gelu. Vbi vſquã id auditum, vbi viſum ſimile? Quis dabit capiti meo aquas, & oculis profluuia lachrymarum: vt monſtruoſum cordis mei inſenſibilis, pariter & inſenſati defleam gelu? Vſquequo Domine durus perſtabo? vſquequo lapideus permanebo? Caro & mundus amorem facilè eliciunt, ſolus Deus, tam amans non redamaris. Hei mihi!

Iere. 9.

Optio.

O ſi cor carneum mihi eſſet, ô ſi pectus aptum amori! Nihil enim ita æquè exopto, vt redamare tantoperè me amantem. O ego, ſi ſic te amarem Deum Dominum Patrem, vt malè quandoque in creaturas exarſi: O me tũc beatum, & excelſa ſorte ſublimem. Quando veniet peritio mea? quando dabitur quod exopto? O quãdo te deſiderabo? quærã, diligam, amabo? quando amore languens vulnerabor, requieſcens in te nimiè amante? O quando toris (vt aiunt) pedibus totus in te amantẽ amorẽ ibo? Q quãdo veniet dies illa? Putas accipiam? putas videbo? O longa nimium mora.

Confeſſio:

Certè Domine, amator bone, tribulos & ſpinas, amores puta prauos & malos, mea mihi ſpontè gignit tellus: non tui amoris eſt ferax, non amorifera eſt. Non parit rectum amorem, cordis mei ſpinis obſitus hortus, nec ſemen mihi eſt, quo inſeram eum. Tu es agricola magnus, tu bonorum ſeminum veri, meri, ſinceri amoris ſeminator; tu niſi inſerueris pectori meo ſemen tui amoris, non te potero redamare, quippe qui ex me nihil boni poſſum. Tu es ſolus huius potens, & non eſt alius abs te.

Gen. 3.

Oratio.

Te itaque oro, ô Deus, charitas; amor, qui ſemper ardes, & nunquam extingueris, ô diues in omnes qui inuocant te: Da, oro, mihi ſentire, quam nimia charitate amaſti me; Da quæſo etiam, vt vel tenuiter redamem te; vt totis neruis complectar te. Tu per Filium dixiſti, *Petite & accipietis:* En peto; accipiã quod oro. Da nunc te omni petenti, exurgens in præcepto quod mandaſti. Tu enim ſi renueris, quis oro dabit? tu ſi non annueris, quis quæſo fauebit? Potes enim, ſcis & vis.

Rom. 10. Matth. 7. Pſal. 7.

Mentio.

An quod quæro, opto, peto, poteris denegare? Quis ſperans inuocauit Dominum, & non eſt exauditus ab eo? Non eſt abbreuiata manus Domini. Nónne & de lapidibus Abrahæ facis filios? Nónne de gelido pectore Pauli, etiam non optantis, deſiderantis, petentis; ſed tergiuerſantis, inſectantis, cor obdurantis; cor ignitum, imò fornacem fabricaſti amoris? Nónne Magdalenam, nónne & cæteros ſceleſtiſſimos quoſque, etiam in media charitatis hyeme conſtitutos, auſtro tuę charitatis perflaſti, & calida facta ſunt veſtimenta eorum, & hortorum eorum vnguenta fluxerunt? An ſoli mihi denegabitur hæc pietas, omnibus impenſa? Non negabitur ſcio, tantum ſi fuero aptus. O igitur, qui omnes te inuocantes, tam diuite tui amoris vena donaſti, tu fac & me amantem tui. Etſi non quantum illi; da ſaltem vel amem pauxillum. An tu amantiſſime Pater, an ſuper inuocante Filio, & pro te tali inuocante, poteris continere viſcera miſericordiæ tuæ? Non poteris Pater. Aut enim dabis filialem amorem, aut paternum ſubtrahes nomen. Non amodo dices per Prophetam, *Voca me Pater meus.* Iere. 3.

Eſa. 50. Matth. 3. Rom. 9. Cant. 4.

Obſecratio.

O igitur Deus meus, Domine meus, pater meus, qui nulla gratiæ, neceſſitudinis vocabula dedignaris, qui noſti quàm charitas tua mihi neceſſaria, quàm hac ſine omnis trunca, & imperfecta res mea, vita mea; te obſecro, per nimiam illam charitatem, qua Filium mihi miſiſti, qua Pater vocari, & inuocari voluiſti; diffunde per Spiritum tuum in me, filialis amoris affectum, quo dignè clamem Abba Pater. O Pater orphanorum, ô parens miſerorum, per tuam natiuam pietatem, per tuam ſpontaneam & naturalem bonitatem, ô per viſcera miſericordiæ, & per affectum charitatis paternæ, per charitatem tui Filium mittentis, tradentis, derelinquentis, o Pater per obedientiam Filij patentis, ſacrificantis, impendentis, obſecro da, vt ex toto corde, toto ſpiritu, tota anima, ex tota mente, intelligentia, voluntate, ex tota virtute, veritate, charitate, ſancto timore, integro honore, perfecto amore, te Deum, Dominum, Patrem adorem, admirer, adamem, & iugi inhæream charitate.

Rom. 8. Matt. 22.

Confidentia.

Certus ſum, o Pater miſericordiarum, Deus totius conſolationis, certus ſum, quod deſiderium pauperum exaudies, & non me defraudabis ſpe mea, vſque in finem; ſed dabis quandoque amare te, qui dediſti deſiderare te: Dignabunda enim exhibitio preteritorum, ſpem dat firmam futurorum. Si me tanti æſtimaſti, dum adhuc eſſem inimicus, vt filium tuum mihi propter nimiam charitatem mitteres: quid non dabis iam amico, quærenti, deſideranti, oranti, obſecranti? Velut igitur exauditam, & annulo tuæ promiſſionis conſignatam, ratam teneo petitionem meam, quamdiu liberaliſſime Pater, ſenſero in me deſideria tui amoris. Sed fauſtus nimium ille dies, quando, quod ſpero, datum fuerit mihi! O terque quaterq; beatum diem illum

2. Cor. 1. Pſal. 9.

dum me videro tui amatorem! O verè me tùc ſublimem, excelſum & ſuperbum; nõ amplius
Exod. 1. luto, & lateri Ægyptiorum ſeruiturum, non viſco terreni amoris adhæſurum, te oſculaturum, poſt quod ſuperbum & ambitioſum oſculum, *iam me deinceps deſpiciet nemo.* Cant. 8.

Gratiarum actio.

Verè miſericors tu, Pater miſericordiarum, qui tam miſericorditer miſero mihi, miſericordiæ fiduciam infudiſti, tam miſericorditer hæc meditari donaſti, tam miſericorditer, *propter nimiam charitatem Filium tuum mihi miſiſti*; quas igitur de immenſa hac fiducia, de data meditatione ſacra, de exhibita charitate tanta, tam nimia, quas vel tandem pro his gratias exhibebo? Ingratum eſſe non licet.
Pſal. 115. Quid ergo retribuam tibi Pater pro omnibus quæ tribuiſti mihi? Non eſt meæ virtutis dignas perſoluere grates, non ſuppetit mihi facultas, non enim habeo quicquam, quod non ante multiplici iure tuum fuit. Et tamen non licet eſſe ingratum, tam benefico, tantа, talibus, tã eximia charitate donanti. Quid
Eſa. 38. ergo retribuam? Domine vim patior, reſponde pro me, tu ſupple de te, quod mihi deeſt ex me.

Commendatio.

Vt tamen & aliquid de meo, (vt ita loquar, qui nihil habeo meum) exhibeam ego, en me totum quicquid ſum, poſſum, habeo, tibi, qui te totum quicquid es, potes, habes, Filium mittendo mihi communicaſti; plenè commendo, in te omnem cogitatum, ſpem in te iacto omnem. Fido tibi depoſitario, ſecurus omnem meam cauſam commendo. Scio, ſcio, qui fidus non quærenti fuiſti in arduis, non poteris petenti, obſecranti, exigenti deeſſe in paruis.

Permiſſio.

Tibi igitur, ô amantiſſime Pater, quem verè cognoui mei amantem, quia vnigenito tuo
Rom. 8. propter me non parcentem, tibi me non commendo ſolum; ſed & prorſus in cunctis ſubmitto, quo mecum in omnibus agas, ſicut bonum fuerit, ante conſpectum tuum paternum. Si gratum fuerit in oculis tuis, da quod oro, fac me amantem tui; ſin autem, da ſaltem deſiderare, & à deſiderio tui amoris nunquam ſeparari. Sicut ſcis, & ſicut vis miſerere mei
Pſal. 50. Deus. *Paratum cor meum Deus, non mea, ſed tua*
Pſal. 107. *voluntas fiat.* Fiat ô miſericordiarum Pater,
Luca 22. miſericordia tua ſuper me, quemadmodum ſperaui in te, ſolum, vt cœpiſti non in finem
Pſal. 32. me derelinquens. Salua me, vt illic ſemper diligam, imo amem te. Amen.

MEMBRVM V.

Aliud exemplar ſcalare de Sanctiſſimo Patre noſtro Auguſtino, in cuius initio aliqui gradus exordiales ſunt ex ſententia intermiſſi. Quali modo etiam de ſingulis Sanctis; imò & cunctis ſuper rebus meditatio poterit formari.

Excuſſio.

EYA ô anima mea impia & ingrata; vſque- XXXII.
quo Patris, qui te genuit, obliuiſceris, & inter alia quæ meditaris, nunquam Patris in medium memoria occurret? Multum profecto hoc dedecet, & non tranſibit obliuio talis lethargica impunis. Nónne *dedecus filij pater* Eccli. 3.
ſine honore? Imò & Scriptura teſte, *Maledictus* Deut. 27.
qui non honorat patrem ſuum; magis autem qui ne meminerit patris quidem. Quomodo enim honorabit, quem non honore æſtimat dignũ? Et quomodo honore æſtimabit dignũ, in quo honoris rationes non cõſideraujt? Et quomodo conſiderabit, qui nec meminerit honorandi? Qui enim non meminit, non cõſiderat; qui non conſiderat, non ęſtimat; qui non æſtimat non honorat; qui Patrem non honorat, ſcribitur maledictus; damnabilis ergo obliuio Patris, & prorſus execrãda. Patris igitur crebrius memorandum.

Electio.

Nónne hoc natura ſuadet, dictat ratio, vtilitas allicit? Qui enim Patrem honorauerit, Eccli. 3.
benedicetur in terris, vita viuet longiore, & iocundabitur in filijs ipſe. Vis ergo, ô anima mea, vis benedici, non maledici? vis viuere vita producta, non cito auferri de terra? Vis item non dedecori eſſe tibi; ſed iocundari in prole? Honora patrem tuum, attende in illum frequenter, ſemper memineris eius. Eſt autem is pater tuus beatiſſimus Auguſtinus: de quo nunc memorandum tibi.

Humiliatio cum oratione.

Sed quæ ſum cœca ego, inſufficiens prorſus & indigna; vt te lucem Doctorum, columnam templi, gemmam confeſſorum, auſim inducere intra memoriam fœdam, caſam humilem & eliſam? Prorſus inſufficiens ſum & indigna. Sed ſcio quod humilis tu & potens, non deeris volenti de te meditari. Te ergo inuoco beatiſſimum patrem, ſpiritu intelligentiæ & intellectus impletum; igne illo, quem de cælo demiſit Dominus ſuccenſum, quo mihi communices de tuis bonis; vt ſcilicet vel exigua lucis ſcintillula intellectum cœcum illuſtres, charitatis vel aliquanto fomiculo affectum aridum ſuccendas: quo ita de te des meditari, vt mens tuam celſitudinem clarè videat, intelligentia granditer æſtimet, affectus te patrem dignè amplectatur & colat.

Com-

Digitized by Google

Commemoratio.

Tua ergo nunc ope confiſus, tibi mens mea commemoret hiſtoriam tuam, quam vitæ tuæ comes & collega Poſſidius nobis deſcribit, quo ſcriptore didici, quod tu es magnus ille Auguſtinus, qui patria Aphricana, ciuitate Tagaſtenſi, honeſtis valde ex parentibus ortus, in pueritia ſcientiæ ſtudio deditus, in iuuentute hæreſi infectus, poſt vir factus mirabiliter ad Deum conuerſus. At iam conuerſus ſanctiſſimè vixiſti, mirificè profeciſti, fœliciter in Domino conſummaſti &c.

Conſideratio.

Ex hac iam vita commemorata, facilè conſiderare mihi, qualis fueris tu, beatiſſime Auguſtine, quid item exegeris in vita tua. Qualis ergo fuiſti? Nónne origine nobilis, ingenio acutus, vita ſanctus? *Genere nobilis dico:* Omnes enim nobilitatis & ingenuitatis rationes, facilè in te vno eſt deprehendere. Si enim nobilitas ex ſanguine claro, ſi ex antiquatis diuitijs, ſi ex honeſtis moribus, aut vt plenius loquar, ſi ex ſubſtantia, cauſa efficientiæ, aut quolibet alia ex re conſideretur, inter nobiles nobilior ipſe triumphabis. Nónne genus, educatio, diuitiæ, poteſtas, gloria, ciuitas & patria te nobilem oſtendunt? Oſtendunt prorſus. Nobilis ergo valde. Et eſto ſint ſanguine te clariores, altiores genere; ſi te tamen moribus compoſitiores dari poterunt (in quibus nobilitatis ſumma conſtat) neſcio,

Nobilitas ſumma eſt, animum quæ moribus ornat.

Ac ſi inter genere clariſſimos nobilior ipſe præſtas, quod non tam ex maioribus hanc cõtraxeris, quam eam dederis illis.

Sed & ingenio acutus. Nã (teſte hiſtoria tua) Liberalium artium; imò vniuerſarum ſcientiarum peritus eras, & nullo exponente; ſed tuo ingenio; imò ſanius, lumine Dei te illuſtrante, libros Ariſtotelicos, aut quoſlibet alios, quos legere contigerat, mox acutie ingenij deprehendebas: vt ipſe in confeſſionibus teſtaris. Horrori omnibus ingenium tuum, cunctis miraculo fuit. Quàm fueris acutus ingenio Doctorum ſchola norit, nouerunt qui libros tuos legere omnes.

Porro de ſanctitate vitæ ſatius ſilendum puto; quam indigna & meritis imparia loquendum.

Non mihi ſi centum linguæ forent, oraq; centum;
Non ſi Argi inſtar
Centum fronte oculos, centum ceruice tenerem;

Non ſi membra cuncta in linguas verterẽtur, tuis virtutibus dicendis, conſiderandis, eloquẽdis, me putem parem. Quis enim vt quattuor illos cunctarum virtutum cardines, iuſtitiam, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, cum omni illa innumera ſibi virtutum cohorte ac prole, prætercam; vt ſileam quomodo vir iſte non pertimuerit principem; quomodo lex veritatis in ore ipſius; quomodo eius verbum, vt facula ardebat; quam iuſti tenax; continentia, vt lorica ſuccinctus; vt inquam taceam omnia iſta, quis viuam illam fidem, ſpem certam, perfectam charitatem dignè cogitabit? Abyſſus eſt intendere in eas. Quis fidei propagator? nónne Auguſtinus? Quis tutor? nónne Auguſtinus? Quis acrior inſidorum & hæreticorum inſecutor, quàm malleus hæreticorum, vt Bernardus ait, Auguſtinus? Non opus eſt diſcurrere ſingillatim per virtutes tuas, beatiſſime Pater. Stultũ eſt verbis eas velle complecti, quas res & ſcripta tua teſtãtur; imò quas & omnis Eccleſia iuſtorum enarrat. Tua vna vita tantæ fuit ſanctitatis, *Eccli. 39.*
quod cæteras omnium (ſi Voluſiano creditur) ſeruorum Dei vitas fecit apparere peccatum. Talis ergo eſt pater meus, ortu ſcilicet nobilis, acutus ingenio, vita ſanctus, & ipſe pater meus. Sed vir is talis, tam ſanctus, quid egit in vita ſua? Non ocio torpuit, non vanè conſumpſit tempus; ſed fortè reliquit exemplum, poſteris omnibus prodeſſe ſtudens. Mox enim conuerſus, malos, quibus aberrauerat (& fœliciter aberrauerat; quippe & fortior ſurgebat) ſtudebat redimere dies, in pace & æquitate ambulans, multos ab iniquitate auertens. In vita fecit monſtra, operatus mirabilia in morte. Nam hæc egit,

Hæreticos, ciuitatem Dei, libros.
Conuertit, amplificat, ſcribendo,
egenos in lege Domini die ac nocte
iuuat, meditatur.

Attentio.

Quidni faceret mirabilia Auguſtinus mirabilis? Agite vires meæ, intendite quam mirabilis Auguſtinus pater meus. Non eſt ſimilis inuentus tui in omni choro ſanctorum, mirabilis & mirificus, præſtans vniuerſis. Quis enim ſimilis tui in fortibus? quis ſimilis tibi Auguſtine? Verè iuxta nomen tuum magnus es tu, & adauctus nimis. Quis enim glorioſus nomine? excelſus priuilegio? commendatus à tantis? Diceris Auguſtin. gratijs oppleris, à doctiſſimis commendaris Auguſtinus. O mirabile nomen, & ipſis ſolis (vt aiunt) litteris, oraculum tuæ magnitudinis oſtendens, quantus ſis tu pater meus. Quid enim Auguſtinus? Nónne,

Vt Auguſtus Imperatore. Eccleſiam, vt menſis Auguſtus.
Præcellens, auget, feruet,
intelligentia, dignitate.
clarus, ſimul altus.

Hic omnia reuolue de nomine, & attende vt in Aurea legenda. Deinde attende eius priuilegia, quæ ſunt iſta,

Conuerſione, Eccleſiæ, ſeptuaginta ciuitatibus.
Præuentus, Doctor, Præſul,
contrectauit, poſt mortem.
Chriſtum, reſilit cor.

Hæc proſequuta in diuerſis Doctorum ſermonibus. Tertio reſolue & attende com-

Digitized by Google

mendationes ſanctorum, quæ patent in paſ-
Pſal. 47. ſionali, & ſermonibus in laudem eius. Magnus
verè Dominus, & laudabilis nimis, in hoc ma-
gno & mirabili Auguſtino.

Explanatio.

Hic eſt ille Auguſt. qui licet ſero exhibitus;
in rerum tamen primordio eſt demonſtratus;
imò & per totius veteris paginæ decurſum,
rebus archanis creditur præſignatus. A Pro-
phetis prædictus, rebus ſublimibus in ſcri-
Gen. 2. pturis comparatus. Plantauerat Deus ab ini-
tio creaturæ Paradiſum voluptatis; vnde ir-
rigabatur terra vniuerſa; fecit & duo lumina-
ria magna, tenebras profugantia. Vide ſi his
non Auguſtinus ſignetur, quem Noe archæ
rector? Abraham ſummus Patrum? Iſaac
meditatiuus ad meditandum egreſſus in a-
grum? quem omnis ille veterum Doctorum
chorus? vt Ethan & Salomon, & cæteri ſa-
pientes? quem præter hunc (qui poſt Apoſto-
los ſecundus ſurrexit) Auguſtinum ſignauit?
Eccli. 15. Hic eſt ille quem impleuit ſpiritu ſapientiæ &
intellectus, cuius & in medio Eccleſiæ ape-
Dan. 9. ruit os Deus. Hic eſt Sacerdos ille magnus,
quemadmodum eruditus &c. vt patet in Epi-
ſtola. Hic vir deſideriorum, cui pro deſide-
Ezech. 28 rio intelligentia conceſſa. Is eſt ſignaculum
ſimilitudinis Dei, plenus ſapientia, perfectus
Iob 28. decore, qui profunda fluuiorum ſcrutatus, cu-
Eccli. 23. ius oculus omnia vidit. Is eſt (vt ad nouum te-
Matth. 5. ſtamentum veniamus) lux mundi, ſal terræ,
ciuitas poſita ſupra montem, Nónne lux Au-
guſtini hæreticas tenebras effugans? mundi
caliginem veritate illuſtrans? charitatis ardo-
re ſuccendens vniuerſos? & ſic de alijs.

Tractatio ad circunſtantem materiam.

Sed putas ne vir iſte talis, tantus, tam no-
uus & vetuſtus, tam ſanctus & ſublimis, putáſ-
ne ſit is Pater tuus, ô anima mea? Certè puto.
Eſt pater mihi genitura, pater cura, pater æta-
te, pater eſt mihi honore. Sum ego filius eius.
Nónne filius tuus ego ſum Auguſtine? Filius
inquit, filius meus es tu, quia ego genui te.
Filius meus es tu, quia paterna viſcera geſto
erga te. Filius tamen ſingulariter meus; ſi ſe-
quaris me. O ſtuporem, o amorem, o patrem
& filium! Non qualis pater talis & filius tuus.
En tamen pater meus. Sed qualis ſis pater
noſſe velim. Certè, vt hanc conſiderationem
hic intextam video, quod ſis pater verus, pa-
ter ſanctus, pater pius, pater magnus, fœ-
cundus & generalis pater. Quis te fœcundior
inter omnes patres regulares? Viginti ſeptem
tuæ regulæ ordines habes, qui tamen & ſub-
diuiduntur, ſicut in vita ſeptuaginta ſub te ci-
uitates habebas, quod cunctis ſæculis inaudi-
tum. Ita & mortuus non eſt, qui ſimilis ſit
tibi. Et quis generalior pater, qui neminem à
filiatione ſecludis? Cunctis regula generalis.
Es & pater magnus. Hanc tibi paternitatis
dignitatem Proſpero teſte ſummus indidit re-
rum parens, cuius cùm lauiſſes pedes, dixit
tibi, Magne pater Auguſtine Filium Dei ho-
die in carne videre meruiſti. O ſuperbiam, o
honorem! Nunquam auditum, nunquam le-
ctum, in hoc priuilegio non communicat alie-
nus. Quis vnquam de ſanctis Dei ab ore Dei
ſe eſſe magnum audire, pater item appellari
meruit? Dixit de Baptiſta, quod inter natos
mulierũ &c. non legitur quod Chriſtus Ioan- Matt. 11.
ni hoc dixerit, aut quod ab eius audierit ore.
Et hinc eſt, quod omnis Eccleſia ſanctorum,
caput ſuum inſequens, magnum te patrem in
hymno decantat, dicens: Magne pater Augu-
ſtine. Quam autem pius ſis pater nõ dico, quis
narrabit; ſed quis, vel cogitabit? Paterna tua
viſcera ſunt incogitabilia nobis. Si tam pia in
aduerſarios tuos hæreticos dico, in mortem
tui paſtoris, atque totius gregis ſpirantes, viſ-
cera geſtabas; quod crebrius à morte eos de-
fenſabas, quis neget viſcera paterna, quæ in fi-
lios geſtas? Porrò quam ſanctus fueris, & ſis
pater patet, quod magnificus in ſanctitate.

Ad opinionem.

Es & poſtremo pater meus verus, licet ob-
ganniant multi.

Ad quæſtionem dub[...]

Hic poteſt opinio tractari, quę verſatur in-
ter Heremitas & Canonicos regulares, de eo
quorum verior ſit pater Aug. Et poteſt aduer-
ſariorum pars cõfutari, altera ſtabiliri proba-
bilibus argumentis, quemadmodum venera-
bilis ille Euſebius fecit Canonicus Lateranen. Conradus
Sed eſto res hæc vtcunque non grandis eſt de- Mediola-
uotionis, nolo tractare diſſenſiones iſtas. Salu- nen. ſcili-
brior mihi occurrit quæſtio ventilanda, ma- cet.
ioris erga patrẽ honoris & reuerẽtię incuſſiua.

Ad quæſtionem dubiam.

Putant nonnulli patrem hunc non inferio-
rem, eo quo inter natos mulierum, non ſurre-
xit maior in gloria cęli, ac Apoſtolis hunc pa-
rem, cæteriſque Doctoribus omnibus in glo-
ria præſtantem in cælis, quemadmodum exce-
dit in terris. Certi nil poſſumus in tenebris
diffinire; ſed coniectare poterimus de re tali.
Aiunt enim hoc Doctores ſancti, quod poſt
Apoſtolos, ſicut ſecundus effulſit in terris, ita
& in cælis. Hoc Proſper & Petrus Damianus.
Ad idem faciunt reuelationes. Nónne Grego-
rius ipſe apparens Thaioni ſuper Auguſtin. in-
quiſitus dixit, Non eſt hic nobiſcum; ſed altior
eum tenet locus. Nónne & alteri ſciſcitanti
de eodem reſponſum eſt Aug. in diuinitatis
abſorptum arcano &c. Sed & viuenti pal-
mam debere illi omnes. Ambroſius eũ effert,
Hieronymus ſe paruulum & infirmum, mino-
rem aquilæ illius collatione aſſeruit. Gregor.
ſcripta ſua, ſcriptorum Auguſtini compara-
tione, furfurem dicit.

Sed ex rationibus iam coniectandũ. Gloriæ
enim celſitudo aut intelligentiæ, ſecundum
quoſdam debetur, aut verius creditur amo-
ri. Quod ſi intelligentiæ profundiori amplior

gloria

gloria debetur, mox hunc cæteris poſt Apo-
ſtolos præſtare liquet. Super enim omnes
Doctores & Sanctos, Apoſtolis exceptis, &
inter natos mulierum maiore, myſteria diuina
profundius intellexit, & explanauit perfe-
ctius, Proſpero teſte. Et verè, hic enim eſt qui
profunda fluuiorum eſt ſcrutatus, & abſcōdi-
ta produxit in lucem. Quis Trinitatis archa-
num, incarnationis myſterium, prædeſtinatio-
nis abyſſum intellexit clarius, & ſcripſit aper-
Num.7. tius? Certè nullus ego &c. Quod ſi pondus
ſanctuarij cæleſtis ſit amor Dei & proximi,
imò quia eſt; certum eſt illum præſtare in glo-
ria, qui maior fuit charitate. Sed quem poſt
Apoſtolos dabis, qui primitias ſpiritus ha-
buere, & poſt illum quo Domini teſtimonio
maior nullus fuit, qui tanta efferbuit charita-
te? quem ſic vnquam ſanctorum vulnerauerat
charitas Chriſti, quem ad ſuſpiria tanta emit-
tenda ſagittauerat, quem ſic totum ſibi rapuit
charitas, vt Auguſtinus? Non puto vlli ſecun-
dū. Hinc & depingitur corde vulnerato. Quid
eius tota vita, niſi proximi dilectio? Ideo e-
nim vt ipſe ait, viuebat, quoniam ſine alijs eſſe
ſaluus nolebat. Quid eius ſcripta ſpirant,
niſi charitatem? Si igitur cunctis præſtitit cha-
ritate, palam eſt, quia & gloria præſtet. Et cer-
tè ſi creditur auctoritatibus, reuelationibus,
rationibus, puto illum in gloria cæteris celſio-
rem, qui intelligentia clarior, charitate arden-
tior fuit in terra.

Dijudicatio.

Videte ergo nunc, o omnia intima mea, &
profundius dijudicate, quam is Pater talis ac
tantus mihi ſit venerabilis & imitandus. Si
enim eum etiam ſumma ingenia, & ſanctiſſimi
quique tanta laude proſequuntur in terra; ſi
tanta illum Deus gloria cæteris prætulit in
cælo; quam mihi exiguo, præſertim cū Pater
meus ſit, eſt vir is venerandus? Si patrem carnis
tuæ venereris, o anima mea, & colis; quanto-
magis ſpiritualem patrem venerabere, & co-
les? Si patriſas in carnis moribus, quantoma-
gis in ſpiritualibus? præſertim cū adoptio tua,
potiſſimum in imitando patrem conſiſtat. Is
enim vt ſuprà verè eſt concluſum, verior eſt fi-
lius Auguſtini, qui in moribus conformior ei.
Vide ergo o anima mea, ſi non ex æquo vene-
randus, imitandus, obſeruandus pater talis ac
tantus. Verè dignum & iuſtum, æquum & ſa-
lutare obſeruare mandata regulæ paternalis,
& regulę tam dignæ. Non enim eſt talis inter
regulas vniuerſas. Excedit ab auctoris condi-
tione, exemplaris perfectione, temporis anti-
quitate, mandatorum diſcretione & ſpiritua-
litate. Quis ergo non obſeruabit regulam
talem?

Cauſatio.

Certè iuſtè obſeruanda; ſed & vtiliter mul-
tum. Qui enim ſeruauerit regulam illam, &
ſecutus fuerit eam, pax ſuper illum, & miſeri-
Gal 6. cordia Dei; tenens quippe viam Regiam, per-
ducit ad æternam patriam. Quam qui non ſer-
uauerit, partem cum patre non habebit, nec
filius eſſe poteſt verus. Vbi enim filiatio, imi-
tatione & regulæ obſeruatione ſaluatur; ib
qui non imitatur, non poteſt filius eſſe: Qui fi
lius non eſt, hęres nō eſt; Qui hæres nō eſt, par
tem cū patre non habet, Qui nec partem nec
ius in paterno bono habet, iniuſtè hæreditatē
poſſidet, mentitur tota die filij habens nomen,
cùm verè degener extet. Si ergo voles, imo
ſcio, quia voles eſſe, quod diceris, ſectare Pa
trem, obſerua mandata eius. Nam vt de voti
profeſſione, ſcripturæ admonitione, obſerua
tæ regulæ vtilitate, non ſeruatæ periculoſita-
te, ac cæteris taceam inductiuis; ideo ſummo-
perè regulam obſeruare debes: vt filius ſis Au
guſtini, & dicaris. Magna enim gloria talis
Patris filium eſſe; Si itaque filius eſſe voles
Auguſtini, opera eius facito, regulam ob-
ſeruato.

Ruminatio.

Quis enim talis patris, tam nobiliter nati,
mirabilitet cōuerſati, mirabilius mortui; quis,
inquam, patris tam genere incliti, animo acu-
ti, vita ſancti, mandata non libens obſeruabit?
Non erat vir illi ſimilis ſuper terram, tam no-
mine glorioſus, priuilegijs opimus, à ſummis
etiam ingenijs commendatus, olim præſigna-
tus, vatum præfatus oraculis, rebus altis in
manibus Prophetarum aſſimilatus. Qui & ve-
rus eſt tuus pater. Pater tam ſanctus, pius,
magnus, & fœcundus omni iure paternitatis,
inſtitutionis genitura, educationis cura, æta-
te tēporis, honore venerationis. Et adeo tuus
pater, quod licet cæteri vendicare, & præripe-
re eum tibi velint, nihil eſt, quod moliuntur.
Te regulę datione rurſus parturijt, te habitu
ſibi configurauit, birro & linea tunica, vt ipſe
in de Vita clericorum ſermone ſcribit indu-
tus, te ſcriptis educauit, te ſuis roborauit exē-
plis. Manet tibi ſolus, manet tibi indiuiduus
pater, regulæ datione; licet cæteris pater ſit
communione, & regulæ participatione, quod
tibi in gloriam cędit, & in gloriam tui patris,
etiam in cœlis præſtantis vniuerſis. Facilè iam
tibi videre, niſi cœca prorſus ſis rerum æſti-
matrix; quàm ſedulè pater is talis & tantus ſit
tibi memorandus; quàm magni æſtimandus,
quam dignè venerandus, ac ſollicitè obſer-
uandus, ſtrenuè imitandus; cùm filij etiam
carnis, filij Rechab & heremitæ, tam patrem
ſectentur, obſeruent, & venerentur, præſertim
cùm obſeruatio regularis ſublimet ad filialem
dignitatem, tantam adducat vtilitatem, eua-
dat pericula tanta.

Guſtatio.

O quam hęc me, niſi prorſus ſenſu deſtitu-
tus eſſem ad cultum & ſequelam patris, ac re-
gulæ obſeruantiam incitare debeient! O quam
mouere, trahere, pellicere deberent! Quis e-
nim tanti patris conſiderans dignitatem, non
venerabitur? quis ſequelæ neceſſitatem, non
ad ſequendum incitabitur? Quis demum re-
gularis obſeruantiæ inductiua attendens, non

ad obſeruantiam allicietur? Certè qui videt hęc,& non ſentit,ſtupidus,ſtultus,inſanus eſt.

Querela.

Væ igitur mihi ſtupido,ſtulto,& inſano;qui, vbi hæc commemoraui,conſideraui,dijudicaui,durus, rigidus obſiſto,& ad hæc non inclinor?Patrem non veneror,veſtigia non ſequor, non ſeruo regulam eius. Væ mihi. A ſæculo
Iere. 2. fregi iugum,rupi vincula, regulam ſum tranſ-
Iudic.19. greſſus. Velut filius Belial, manſi abſque iu-
Iob 39. go,Rhinocerontis inſtar, nolens autem regulæ inclinare, quaſi ruptis vinculis malè liber,
Oſee 4. agebar à dæmonibus in deſerto. Sicut vacca laſciuiens declinaui terminos quos ſtatuit mihi Pater meus,tranſgreſſus ſum mentiens tota die. Quid oro in tota regula eſt mandatum, quod non ſum prætergreſſus? Si ad prima charitatis mādata attendo, en inuidia fratrum tabeſco; Si paupertatis recolo, auaritiæ facibus ſuccendor; Si attentionis ſub horis, en vanè,vagè,fluxè agor. Longum eſt nimis,dulciſſime Pater, longum & inexplicabile mihi, numerare regulam fractam. Sic miles ſub regulæ tuę vexillis certaui, ſic diſcipulus ſub te magiſtro profeci, ſic filius obtemperaui tibi Patri? O bellatorem egregium, diſcipulum docilem, filium obedientiæ; imò en regulæ tranſgreſſorem, diſcipulum hebetem, inobedientiæ partum. Proh pudor! Quid vnquam regulam voui, ſi obſeruare nolui? Qualis dementia & impudentia mea? Volo,& gaudeo filius tuus dici, & patri non obedire, diſcipulus vocari, & non inclinare aurem, miles caſtris tuis aſcribi, ſed non pro domo & regulæ
Ezech.13. me opponere murum. Heu me miſerum,quid agam? Anguſtiæ me vndique tenent, Si enim te patrem negauero,votifragus,mors mihi eſt;
1.Reg.4. Si filium me compellem,mentior tota die. O anguſtiæ,ô dolores! Quouſq; alter Miphiboſeth vtroque claudicabo pede, & cum Samaritis tuæ regulæ profeſſor,idolis etiam inſeruiam mundi? Sic etiam fiet querela de diſparitate morum,& de non veneratione.

Optio.

O quando totis pedibus curram viam obſeruantiæ regularis! O quando ſequar te Patrem,quocunque ieris,obſeruans quæ iuſſeris
Iob 6. vniuerſa!O quando veniet petitio mea,& quis quod opto dabit mihi.

Confeſſio.

Tu Pater Auguſtine,tu à Deo magnificatus, tu poteris hoc dare mihi, impetrare dico orationibus & votis tuis. Deſiderium tuum dabit tibi Deus,potens es,ſuccurre lapſis. Quæ voles,omnia potes. Non poſſum etiam(te teſte) licet ceciderim per me,reſurgere per me; ſed tua potero ope.

Oratio.

Ad te igitur,ad te,ô potentiſſime virorum, clementiſſime Patrum, qui erga Deum valde potens, erga miſeros valde clemens; ad te venit is prodigus filius tuus, vix filij nomine dignus. Venit, inquam, qui ipſe ſum petiturus, quo tu miſerearis mei,ſciens quod paterna erga me viſcera geſtes, & quòd tu ſalutis meæ auidior quàm ego ipſe,exiſtas. Te itaque oro, ô vere ſancte,pie, magne Pater Auguſtine,indulge quicquid hactenus contra regulam commiſſum; confer auxilium, quo poſt hac regulæ tuæ obſeruātior viuam. O ne me ſpreueris Pater, ne differas exaudire,maximè cùm ea popoſcerim, quæ te donare velle, poſſe, noſſe ſciam. Potens enim poteris, quia nihil impoſſibile tibi, qui iam factus gratia quodāmodo Deus. Noſti autem, quoniam te prudentior nemo.Quod autem voles,cui dubium erit,quippe qui fauus mellis,totus miſericordiæ viſceribus affluis, noſtræ ſalutis ſpirans? Non patrum, non matrum carnalium omnis conflatus amor in vnum illi tuo amori, quo in filios ſpiritus ardes, comparari poteſt. Vis ergo magis ſalutem meam, quam illi vnquam optauere, amantiſſimorum etiam filiorum ſalutes. Fac ergo audi me.

Mentio.

Et certè debes. Nónne pijſſimus Patrum appellaris? Oſtende in me nomen tuum. Nónne & te non quærentibus; ſed alio quopiam tendentibus, quadraginta illis morbidis viris prior ipſe occurriſti,oſtendiſti,& ſanaſti? Nōne & complurium aliorum morbos curaſti? An ergo morbidæ huic meæ animæ ſub regula tua fatiſcenti,anxiè te inuocanti non ſuccurres? Succurres ſcio. An maior te ſanandorum corporum, quod curandarum animarum ſollicitudo detineat? Non optime Pater. Scio quod animarum ſemper tibi prima cura fuit. Verè crudelis,non pius(vt cum venia loquar) comprobaberis nimis; ſi qui aliorū miſertus es ſemper,iam filio viſcera claudis. Non hoc ſciunt natura,non clementia,non pietas,non religio,non affectio paternalis.

Obſecratio.

Anné ob multa mea demerita, ob regulæ tranſgreſſionem, Patris inhonorationem patiar, & iuſtè patiar repulſam? habeo quid agam. Te commoneo viſcerum illorum, ô inuiſceratiſſime Pater, quibus tui aberrantis, Pater ille miſericordiarum, à quo omnis paternitas deriuatur,fuit miſertus. O per viſ- *Epheſ.3.*
cera,quibus te ab æterno Deus amauit,erraticam ouem longanimiter portauit, expectauit, miſericordiſſimè conuertit; O per ſanguinem
Agni ſedentis in throno; tingentem, vt pur- *Cant. 7.*
pura Regis, comas capitis tui; ô per omnem *Apoc.5.*
illam Dei pietatem & miſericordiam, ô mi matricie Pater, à ſummo illo Patrum impenſam, miſerere & tu filij tui,impetrans ei exceſſuum veniam, emendandi gratiam, vt idem deinceps dignus filius tibi digniſſimo Patri condignè viuam.

Confi-

Confidentia.

O ſcio,non differes in finem,non continebis ſuper me viſcera illa paterna. Certus ſum miſereberis,etſi non modo. Sed longa nimiũ mora. O rumpatur obſecro mora omnis,currat velocius hora,feſtinet tempus. Veniat oro veniat, & ocius veniat dies ille,quo dignè te Patrem colam, perfectè ſequar, obſeruem ſtrenuè præcepta regulæ tuæ. O tunc me verè ſublimi ſorte ſuperbum, tunc me térque quatérque fœlicem; ſciens me tunc verè filium tuum.

Gratiarum actio.

Et vt veniat petitio mea: vt aſſequar quod ſpero,vtque dignus fiam dandis, gratias æquũ eſt prius agam ſuper acceptis O. gratias igitur tibi,gratias tibi dilectiſſime Pater (licet impares) multas, ſuper omnibus quæ impendiſti tantus tu, & talis, tantillo mihi, & indigno. Tu me elegiſti amando,tu me vocaſti orando, tu me prouocaſti exemplo,aſcripſiſti regulæ, in filium adoptaſti,fouiſti,nutriſti, de te nunc meditari dediſti,& ſpem hanc infudiſti. Quid igitur dignum gratiæ rependam?

Commendatio.

Verè non habeo quicquam; niſi vt totum me plenè ſubmittam tibi. En totum me offero tibi, cauſam meam omnem tibi commendo. Scio quia paternè ſuccurriſti ſemper, etiã te non inuocanti; ſed contemnenti,nihili pendenti; ſcio in te ſalubri non poteris non adeſſe petenti.

Permiſſio cum exornatione valedictionis.

Tu igitur,ô beatiſſime,pijſſime,verè Pater, tu me filium habe,tu,vt voles,me rege; cum opportunum videbitur, filio miſerere; tibi omne ius plenè permitto. Et iam nunc vale, regnans ſemper beatus. O tu pijſſime Patrũ, gemma confeſſorum,ſcriba vitę,lux Doctorũ, Doctor Eccleſię ſanctæ. Vale fundamentum, baſis & columna totius ædificij ſpiritualis. Vale fons ſapientię,lignum vitæ imputribile, Paradiſus delitiarum. Vale Apoſtolica vita, Clericorum regula,Canonicorum Pater. Vale Grammaticorum liber,Logicorum veritas, profunditas Theologorum,ſumma omnis artis. Vale hæreticorum malleus, perfidorum baculus,protectio fidei & Chriſtianorum. Vale tandem, ô tu Pater, currus & auriga totius Canonici ordinis,diffuſi per orbem. Sentiam & ego qualiſcunque filius ordinis tui, viſcera miſericordiæ tuę ſuper me; quemadmodum ô mi Pater Mater Frater,ſperaui de te, & in te. Amen.

Item, ſi per thema in meditando quis procedere volet, poterit hoc modo ſequenti.

CAntat de te Patre noſtro Eccleſia, & exultabunda decantat: *Amauit eum Dominus, & ornauit eum, ſtola gloria induit eum.* Quod verbum thematis per conduplicationẽ aut commorationem crebrius repeti poterit in commemoratione. Porrò in *conſideratione*, poterit fieri horum verborum recta diuiſio, conſiderando in his triplicem ſtatum Auguſtini; propoſitum ſcilicet conuerſionis,cõuerſationis, glorificationis; cum ſingulorum expoſitione,diffinitione &c. In *attentione* autem poteris attendere,quantus ille amor, quantus item ornatus,aut gloria illa quanta, qua eum induit Deus cum ſtupore &cæt. *In explanatione* figurę & prophetiæ adducendæ,vt quòd iam Sol & Luna in ornatum totius creaturæ creantur; quod templum obducitur auro; & iam ornauit Deus ſapientia cælos &c. Pſal. 8. Gene. 3. Reg. 7. Prou. 3.

Deinde *tractare* per circunſtantias,quando, quantoperè amauit &c. Item per *quæſtionem*, vtrùm omni virtute ornauit, & adeò cor eius charitate vulnerauerat, quod ſtigmata Chriſti,ſicut Paulus (vt Bonau. ait) portauit &c. Item per *opinionem*. An in gloria (vt quidam volunt) Apoſtolos ac Seraphin attingat,& cęteros Doctores præſtet &c. Et tandem *dijudicare*, quàm nobis Auguſt. amandus, colendus, glorificandus, quem Deus tantoperè amauit,ornauit,glorificauit, & ſtabilire ex alijs cauſis &c. Et *conqueri*, quod non dignè colas, ſatis ames &c. Cant. 5.

Poſſent latius exempla hæc ſuperiora & copioſius pariter & ornatius, aut eloquentius deduci; ſed morem paruulis geramus,& faſtidij matrem, prolixitatem deuitemus oportet, qui breuitate & ſimplicitate gaudent.

Sequitur de meditabilibus deuotis in ſpecie.

QVÆ præcepit tibi Deus illa cogita ſemper. Eccl. 3. POSTQVAM diximus de meditatione in genere,proſequendum eſt de quibuſdam meditabilibus in ſpecie. A generalibus enim,vt habetur 1. Phyſic. ſemper inchoandum,& ad ſpecies deſcendendum. Deſcenſum ſiquidem à generalibus ad particularia diuinus Plato velut vtilem iubet: vt perfectior rerum notitia fiat. Maioris ſiquidem efficaciæ ſunt particulariter dicta; quàm generaliter deſcripta. In particulari igitur quędam ſunt meditabilia tradenda, & potiſſimum quæ compũctiua ſunt & deuota. Ea ſiquidem ſunt, quæ præcepit Deus cogitanda, quæ deuotionis, ſcilicet & pietatis ſunt inflammatiua: Vbi finis præceptorum eſt, & in quo pendent omnia mandata. Ordinatè itaque in his procedendum & exordiendum à fonte totius deuotionis,& autore ipſo Ieſu Chriſto. Cuius vita & paſſio fundamentum primarium eſt omnis compunctionis & pietatis. 1.Tim.1. Matt.22.

TITVLVS XV.

MODVS MEDITANDI, ET NEGOTIANDI fructuoſè circa vitam Domini IESV.

I. 1.Cor.3. FVNDAMENTVM *aliud nemo poteſt ponere præter id quod eſt*, CHRISTVS IESVS. Iam de meditabilibus in ſpecie dicturi, à ſolido eſt omnis contemplationis fundamento exordiendum, à Chriſto Ieſu, qui (ipſo teſte) *principium eſt, & ſinis, alpha & omega*, oſtiū, (Apoc. 1.) per quod qui non ingreditur, proficere altius non poteſt. (Ioan. 12.) (Ioan.14.) *Nemo enim venit ad Patrem niſi per eum*. De hoc autem fundamento dupliciter erit tractare; puta *primò* de eius vita; *ſecundò* de paſſione, & ſecundum hæc duo fient tituli principales. Primum itaque de eius vita dicēdum. Pro cuius introductione quædam ſunt præmittenda.

Scilicet
- Allicientia incitatiua,
- Expeditia diſpoſitiua,
- Certa practica eruditiua,

ad
- Eam memorādum.
- Eam exercitandum.
- In ea procedēdum.

Et ſic demum ſubjiciēda meditabilia ipſa &c.

MEMBRVM I.

Inductiua ad meditandum de vita Domini IESV.

P*One me ſicut ſignaculum ſuper cor tuum*. Cātic. 8. DE ALLECTIVIS dicturi, quæ inducunt ad Chriſti vitam libenter commemorandam; & ad eam (iuxta verbum poſitum) velut ſignaculum ſuper cor ponendum; tametſi multa dicere poſſemus, breuitatis tamen cauſa, potiora ex multis ſunt ſumenda. Et ſunt iſta,

Hoc gratum, ſuaſum, dignūq; opus vtile multū. PRIMO eſt gratum ſummæ Trinitati, & omni Eccleſiæ triumphanti; adeo quod nihil gratius, nihil placidius eis tractare poſſimus. Nam quod tam placeat Deo, aſſerit Vbertinus; imò & alij poſt eum. *Promitto*, inquit, *tibi ſecundum veriſſima lumina fidei Chriſtianæ, quod nihil gratius potes facere Deo Patri, Filio, & Spiritui ſancto; quam in ipſo benedicto* IESV, *Deo & homine, expendere totum tempus tuum, & facere de eo, velut vnum myrrhæ faſciculum, qui ſemper inter vbera tua commoretur*. Hæc ille. (Cant. 1.) Quod ex reuelationibus plurimis legitur affirmatū; quod itidem ex verbis Euangelicis, vbi Chriſtus dicit, (Ioan. 14. 11.) *Paraclitus autem Spiritusſanctus, quē mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*, ſubtiliter elicit quidam dicens, Valde notandum verbum, quod *Pater in nomine* IESV *mittit Paraclitum: Tantam liberalitatem, imo tantam largitatem Deus de ſeipſo facit, imo tantū amat in nobis incarnati verbi agnitionem & fidem; vt vbicunque in rationali mente verbi carnis facti pia agnitio fuerit, mox illi menti Spiritum ſuum infundat. Nomen enim* IESV *nihil aliud eſt, quam cum pietate creata notitia* IESV. (Matt. 18.) *Neque ſolum Spiritum ſuum Deus donat; ſed & Filius Dei in medio eſt, vbi in nomine* IESV *duo congregati fuerint, quibus non propterea, quia congregati ſunt, in medio eſt; ſed propter nomen* IESV. *Nomen ergo* IESV *Paraclitum habet & Filium: neque ſolos hos, quoniam quo Filius ingreditur, vnà & Pater* (Ioan. 14.) *venit, ac tota ſimul Trinitas manſionem illic facit. Compēdioſum ergo & breuiſſimum iter in Deum, dulcis & pia meditatio de Domino* IESV, *quoniam verè Pater Saluator & Paraclitus, fœlici comitatu ad eum veniunt, & manſionem faciunt. Agitur enim quod placet eis, & quod vult ipſe Pater. Nam, Chriſto ipſo teſte, hæc eſt voluntas Patris,* (Ioan. 6.) *vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem* &c. Et quod ſanctis placet illud, idem declarat ſubnectens: *Et quis iā ciuis beatæ illius & ſanctæ ciuitatis Hieruſalem, cui non cōplaceat in homine iſto? Quis non votiuis hominē illum gaudijs inuiſet, quem ſui Regis tam dignanter conſpiciunt honoratum hoſpitio?* Hæc ille. Hinc & Ludolphus Carthuſienſis ait: *Exercitatio hæc multum reddit Sanctos Dei fauorabiles, pios & benignos cultoribus eius, vt patet. Nunquid beata Virgo Mater miſericordiæ, pietatis & gratiæ, poterit deſpicere, vel oculos ſuos auertere à te, quamuis etiam ſis peccator, quando viderit non ſolum ſemel in die; ſed & frequenter Filium ſuum, quem ſuper omnia diligit, in brachijs tuis, & inter vbera tua commorantem?* (Luc. 2.) (Cant. 1.) *Nunquid poterit cum Filio quem portas deſerere? Nullo modo. Sic & cæteri Sancti libentiſſimè reſpiciunt illos, cum quibus Deus placatus habitare dignatur; cùm & hæc*

exercitatio faciat cultores ſuos conſortes illorum, quia eſt vita & exercitatio eorum: in æternum Pſal. 118 *enim non obliuiſcuntur iuſtificationes eius*,&c.

SECVNDO, quia eſt *ſuaſum* à pluribus. Sacra enim ſcriptura plena eſt huiuſmodi monitionibus, vt ſunt. Eſa. 43. *Reduc me in memoriam* &c. *Gratiam fideiuſſoris tui noli obliuiſci*. Eccli. 39. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, ſicut ſignaculum ſuper brachium tuum*, &cæt. Cantic. 8. Doctores autem ſancti, non verbo & lingua ſolum; ſed exemplo & opere monuere: 1. Cor. 2. Quis enim eſt Doctorum, cui non Chriſtus oſtium & via fuit? *Paulus non arbitrabatur ſe* 2. Cor. 4. *ſcire aliquid præter Chriſtum, cuius mortificationem in corpore circumferebat ſemper*. Auguſtin. ab hoc exercitio Chriſtum induens incœpit, qui non ceſſabat dulcedine mirabili, pio gutture, ruminare illis diebus, quid dulcedinis habebat *Verbum caro factum eſt*; qui & fatetur nullum ſe dulcius, efficacius exercitium reperiſſe, quo tutari à tentatione poſſet, & in omne proficere bonum. Tranſeo cæteros, venio ad Bernardum, qui quanto huius exercitij cultor fuit, crebrius ipſe teſtatur, teſtantur & ſcripta eius, teſtatur & dulciſſima quam geſſit vita. Ait enim: *Et ego, fratres, ab ineunte mea conuerſatione, pro aceruo meritorum, quæ mihi deeſſe ſciebam, faſciculum hunc mihi colligare, & inter* Pſal. 144. *vbera mea collocare curaui; & quoad vixero memoriam abundantiæ ſuauitatis illius eructabo, nec in æternum obliuiſcar miſerationes, quibus ſum iuſtificatus* &c. *Hæc meditari dixi ſapientiam, hæc mea ſublimior interim Philoſophia* &c.

TERTIVM inducens eſt *dignitas*, quia nihil dignius agere poſſumus. *Dignum* inquam propter digniſſimum obiectum, quippe Chriſtũ Deum & hominem circa quod verſatur; *Dignum* propter ſanctos, quibus in hoc exercitio aſſociatur. Hæc enim exercitatio eſt beatæ & Luc. 2. digniſſimæ matris Chriſti, ipſi ſedulè miniſtrãtis & famulantis; Hæc eſt vita Apoſtolorum, III. familiariter Chriſto adhærentium, & cum eo fideliter perſeuerantium, Hęc eſt vita & exercitatio ciuium ſupernorum, Chriſto fruentiũ, & eius opera magnificentiſſima admirantium, de æternis annalibus in æternum ea relegentium, & pleno pectoris ſpiritu, digno hymno ea extollentium & laudantium: Luc. 10. In æternum quippe miſericordias dicunt. Hæc ergo vita, optima eſt pars Mariæ, quæ in æternum non auferetur. An non magna gloria ſeruo ſequi Dominum quocunque ierit? Et planè gloria & dignitas magna. *Dignum* poſtremo eſt in Chriſti vita exercitari, quia hinc omnis noſtra actio, quãtumuis vilis, digniſſimè informatur; adeo quod ſupra omnẽ æſtimationem nobilis Mechtildis. fiat. Quod patet ex libro gratiæ ſpiritualis; vbi Dominus docuit tres practicas iſtas, quibus homo poteſt ſua facta ex Chriſti merito nobilitare: *Prima* eſt, quod homo omnia deſideria ſua, intentionem & orationem in vnione deſideriorum, orationum & intentionũ Chriſti offerat Deo Patri; Tunc in tanta acceptatione aſcendet coram Deo, vt ſit omnino vnũ, velut ſi diuerſa aromata ſimul accenſa, quorum fumus in vnum collectus directè aſcendit; Et ideo adeo eſt grata Deo, quod omnis alia oratio, licet cælum penetret, non inde tali nec tanta gratitudine acceptabitur à Deo; addendum, cęteris paribus. *Secunda*, quod homo omnem laborem & omnia opera ſua, in vnione operum & laborum Chriſti faciat, à quo opera eius nobilitantur, ac ſi cuprum cum auro liquatum, penitus à ſua tranſiliens vilitate, in auri nobilitatem mutaretur. *Tertia*, quod homo omnem vitam ſuam, ſcilicet motus, vires & ſenſus, cogitationes & verba, & omnia, ſecundum modum conuerſationis Chriſti dirigat: Ex quo eius vita & conuerſatio ita renouatur ac nobilitatur; ac ſi nobilis auis de lutoſo ac fœtenti aere tranſmigrans, in optimũ aerem ſe renouaret: Sic homo terreſtris à priſtina conuerſatione ſua in nouitate vitæ Chriſti totus efficitur cęleſtis & digniſſimus Deo. O nobiles doctrinas, ô pręclaras ſuper aurum & topazium, à veris rerum æſtimatoribus amplexandas practicas. Si enim, non dico nobilẽ; ſed & beatum dicunt huius ſæculi homines, eum qui chryſolitum ſeu philoſophicum lapidem habet, cuius virtute & abraſione pulueris cætera æra commutantur (vt aiunt) in fuluum aurum; quàm is beatificandus, cui doctrinæ iam poſitæ ſunt ad manum, quibus non modo ęra; ſed & vniuerſa opera & cogitata, non dico in aurum ſolum, ſed in rem cæleſtem, ſed in quodammodo diuinam commutare poteſt. Gaudeamus itaque ſuper inuentis doctrinis, & nunquam vel minimum agamus opus, quod non huius diuini noſtri chryſoliti, id eſt Chriſti puluere aſpergamur, omnia opera aliquo articulo vitæ eius vniendo. Hæc de dignitate.

QVARTVM eſt opus, id eſt *neceſſitas*: Neceſſarium enim eſt homini exercitari in Chriſti vita, & hoc propter tria, IV.

Scilicet
- Primo, ſi volet in virtutibus proficere,
- Secundo, ſi volet in contemplationem promoueri,
- Tertio, ſi nolit Chriſti meritum in ſe deperditum iri.

PRIMO inquam eſt neceſſarium volenti in virtutibus proficere, & vitia deuincere: In hoc ſiquidem ſtudio edomatur concupiſcentia, infirmatur gula, corrigitur lingua, & excludũtur, quaſi ſine labore, de anima omnia vitia; Adeo vt qui vult paſſim laborare ad aliquod vitium corrigendum, ſine hoc medio multum laborabit, & parum, aut nihil fortè obtinebit. Chriſtus eetnim nobis factus eſt ſanctificatio. 1. Cor. 1. Et de virtutum profectu quid dicendũ? Cùm ſine Chriſto, Domino virtutum, nunquam fiet quis virtuoſius: vt vult Bernardus dicẽs, *Quid*, inquit, *eſt vobis cum virtutibus, qui Dei virtutem, id eſt Chiſtum, ignoratis?* Vbi nam quæſo vera prudentia, niſi in Chriſti doctrina? vbi vera iuſtitia, niſi de Chriſti miſericordia eſt? & ſic de alijs. SECVNDO neceſſarium eſt volenti in altiorem contemplationem promoueri: Nunquam enim quis perueniet ad Dominum innixum ſummitati ſcalę; niſi incœperit à Filio hominis lapide fundamentali in pede ſcalæ. Gen. 28. Pulchrè de hoc Beda in homilijs de perdito Ieſu in templo. 1. Cor. 3. TERTIO neceſſarium eſt

nolenti

nolenti in ſe Chriſti meritum deperditum iri: Fixa enim regula, & à pluribus approbata, quòd tantum in vnoquoque homine efficaciæ ſortietur Chriſti vita, & omne diſpenſationis eius myſterium; quantum (de adultis loquor) pia rememoratione & gratitudine ea homo applicuerit ſibi. Nihil nobis proderit Chriſti vita, imò & paſſio; niſi fiat illorum pio ſtudio ad nos applicatio. Sicut enim medicina, vel herba quæpiam, miram habens virtutem, non prodeſt infirmo, niſi applicetur & vniatur ei: ita Chriſti vita & mors non proficient homini lapſo; niſi applicentur ei, nec homo aliter recipit virtutem ex eis, ſine quorum virtute nunquam poteſt ſaluus fieri. Vnde quicunque volet ſaluari, oportet quod ſtudeat hæc ſibi applicare. Quomodo autem hæc applicatio fiet, *auctor libri naturæ* latius declarat titulo 279. cuius hæ ſunt principaliores concluſiones. In Chriſto & in eius morte, eſt omne meritum hominis: Qui ergo vult in ſe habere omne meritum & omne bonum, recipiat oportet in ſe Chriſtum; ſed quia Chriſtus tranſijt, & meritum eius ſemper in æternum manet, ideo Chriſtus non poteſt recipi in homine; niſi per memoriam & cogitationem: Et ideo per memoriam mortis Chriſti, Chriſti mors manet in hominibus, quæ eſt radix meriti & præmij omnis. Et ideo qui habet in ſe memoriam piam & fidelem mortis & vitæ Chriſti, habet in ſe meritum & virtutem Chriſti: Et per talem memoriam facit homo mortem & vitam Chriſti ſuam, & incorporat ea ſibi, & vnitur cum eis; Et facit vitam & mortẽ Chriſti (in memoria tali) ſua. Et talis memoria viuificat hominem, & facit ipſum participare meritum Chriſti. Eſt itaque memoria vitæ & mortis Chriſti, radix ad recipiendum meritum & præmium Chriſti: Et vbi fortior & maior eſt talis memoria, ibi recipitur magis de merito & virtute Chriſti. Debet igitur laborare omnis homo Chriſtianus, qui nolit in ſe Chriſti mortem & myſteria deperdi, vt fiat & permaneat in eo memoria operũ & mortis Chriſti, quia per memoriam ipſam manebit in eo virtus Chriſti, & ipſe Chriſtus, qua ſine deperditur ab eo. Patet ergo neceſſitas huius.

QVINTVM eſt vtilitas & fructus eius. Sed fructus hos quis ſtilo complectetur?

V. *Non mihi ſi centum linguæ ſint, oraq́; centum.*
Ferrea vox, poſſem tantos deſcribere fructus.

Narrat Bernardus plurimos (vt plerique aiũt) quos ex hac exercitatione excepit fructus, & potiſſimum ſeptem vtilitates recenſet, dicens: *Primo* in his mihi iuſtitiæ perfectionem conſtitui, & ita perfectus fiebam, quaſi nunquam peccaſſem; *Secundo*, ex his copias meritorum acquiſiui, quaſi centum annis exercitatus fuiſſem; *Tertio*, quòd talem ſecuritatem & fiduciã regni ſuſcepi, vt ſine dilatione me ſperarem ad Dominum venturum; *Quarto*, hæ cogitationes non me ſinebant frangi in aduerſis, nec in proſperis efferri; Hinc *Quinto*, potus ſalutaris amaritudinis, & rurſus ſuauis vnctio conſolationis; *Sexto*, hæ cogitationes reformauerunt pacem inter me & creatorem, reconciliando vindicem mundi; dum tremendum poteſtatibus, mitem, humilemque figurant; dum nõ ſolum placabilem, ſed & amabilem repræſentant eum, qui inacceſſibilis eſt principibus, terribiliſque apud Reges terræ. Hæ me *poſtremo* ſapientem & prudentem fecerunt: Vnde etiam in his diuitias ſalutis, & plenitudinem ſcientiæ conſtitui mihi. Et probe ô Bernarde,

Qui Chriſtum bene ſcit, ſatis eſt ſi cætera neſcit.
Hoc eſt neſcire, ſine Chriſto plurima ſcire.

Hæc deuotarius, vt autumo, quædam partim ex verbis Bernardi, partim ex ſuo collegit.

PONIT & alios fructus Ludolphus in prologo primæ partis, qui ſunt hi.

Purgans, illuſtrat, rigat, & collapſa reſtaurat.
Adq; Patrem ducit, dulcat, finemq́; bonum dat.

PRIMO purgat à peccatis: Deus enim, cui adhæret, ignis conſumens eſt. SECVNDO illuſtrat, Deut. 4.
quia *lux in tenebris lucet*. TERTIO, rigat dando Ioan. 1.
gratiam lachrymarum, quia *fons hortorum, & puteus aquarum eſt*. QVARTO reſtaurat collapſa: Qui enim percuſſus à ſerpente eum aſpexerit, viuet. QVINTO, ducit ad cognitionem Patris in diuinis: *Nemo enim venit ad Patrem, niſi per Filium*. SEXTO, dulcat omnes tribulationes: *Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus:* SEPTIMO dat finem bonum, Qui enim Chriſtum recipit in corde, ſecurè excipietur in cœlo. *In omnibus itaque vijs tuis cogita illum*, Prou. 3. vitam ſcilicet & mores Domini Ieſu, & hæc ſit ſapientia tua & ſtudium ſummum, de Ieſu ſemper aliquid cogitare; vnde prouoceris ad imitandum, vel afficiaris ad amandum eum.

(Cant. 4. — Num. 21. — Ioan. 14. — Pſal. 33.)

Qualis erit meditator myſteriorum CHRISTI.

CAPVT SECVNDVM.

VI. ANimalis homo non percipiet ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtultitia enim eſt illi. 1. Cor. 2.

IAM de altero principali videndũ; ſcilicet de expedientibus & diſponẽtibus meditatorem myſteriorum Chriſti: Singularis enim in hoc prædiſpoſitio ab eo requiritur, qui internum horum guſtum percipere volet; Non enim ſapiunt mella febrilibus humoribus guſtum habentibus infectum; nec animales percipiunt, quæ de ſpiritualibus dicuntur, vt patet ex præallegato. Habent infectum palatum, nec afficiuntur in Chriſtum. Cùm tamen amor exæſtuans internum pariat ardorem; hinc qui cupit Chriſto adhærere, eiúſque myſterijs refici, & ea ſalubriter contemplari, hæc faciet,

Abnegites te, delitias fuge, carpe quietem.
Hinc humilis, perſtans, Chriſti feruens meditator.

PRIMO abnegabis vitia & concupiſcentias; SECVNDO fugies delitias. Non enim Chriſtus & riſus ſe compatiuntur. TERTIO carpe quietem; Pudicus enim ſponſus ſolitudinẽ amat, nec ſe dat in turbas. QVARTO ſis humilis teipſum

ipſum contemnens. QVINTO perites, licet attedieris. SEXTO ſis feruens meditator paſſionis Chriſti; totis neruis intendens. Qui enim cupit hoc manna refici, oportet farinam Ægyptiacam aſpernari, ponens Chriſtum vnicum ſolatium cordis; &, cũ Chriſti myſteria prorſus ſint ſupernaturalia, qui volet ea dignè ſcrutari, oportet hũc ſenſum & ſpiritũ Chriſti induere, quo ſine nemo horum idoneus (teſte Dion.) eſt contẽptor. Is autẽ ſenſum & ſpiritũ Chriſti (iuxta eundẽ) habet, qui per ſapientiã ſalutarem rectè de diuinis ſentit; Chriſti documentis, exemplis & operibus per conformitatem affectus cordialiter adhæret; quem quia non habuerunt plures, errauerunt. Oportet item quod cum ſumma humilitate ad hæc myſteria reuoluenda accedat, quippe ſunt digniſſima ex parte obiecti, ſubiecti, & actus ipſius: Ita quod credat ſe indignum, vel minimum articulum reuoluere de Chriſto. Oportet quoque, ſi ex his meditationibus fructum ſumere cupiat, quod toto mentis affectu diligenter, delectabiliter & modeſtè, alijs quibuſlibet ſepoſitis, præſentem ſe exhibeat ſingulis quæ de Ieſu dicta, vel facta ſunt, & narrantur, ac ſi ea coram videret, vel auribus audiret. In hoc quoque poſtremo præmonitum ipſum eſſe oportet; quia, cùm per exercitij huius ſtudium totaliter transformatur in Chriſtum,

Sathanas hoc ſummè odiens, tendet ſibi inſidias, vt cum tædio & acedia ſæpe incipiat memoriam Chriſti reuoluere, & huius myſteria ruminare: Sed hoc pro certo cognoſcat, quod licet ex diabolica immiſſione, corporis paſſione, aut animæ indiſpoſitione hoc aliquando cum difficultate & tędio incœperit; ſi ſeipſum vincat, ſi vim inferat, per meditationem continuet, triſtitia tua vertetur in gaudium, & tædium in feruorem commutabitur. Talis igitur ſit myſteriorum Chriſti contemplator: vt fructum aſſequatur. Hoc de ſecundo. Ioan.16.

De practicis circa CHRISTVM *exercitandis.*

CAPVT TERTIVM.

MIHI *autem adhærere Deo bonum eſt.* Pſalm. 72.

IAM iuxta tertium membrum inquirendum de cæteris practicamentis, quibus homo circa Chriſtum iam per ſuperiora excitatus & diſpoſitus, exerceri poterit. Et poſſumus ex Sanctorum dictis colligere tres generaliores modos, ſecundum tres præcipuas animæ vires. Nam

Per	Memoriam,	Poſſumus	Myſterijs	Chriſti	Iugiter inhærere commemorando:
	Intelligentiam,		Myſteria		Subtilius ſpeculari conſiderando;
	Vim affectiuã,		Myſteria		Sequi, complecti, his nos afficiendo.

MEMBRVM I.

Practica per memoriam.

PRIMO inquam, *per memoriam* poteſt ſe homo circa myſteria Chriſti exercere, ea iugiter commemorando, & quaſi Chriſtum præ oculis mentis tenendo, iugiquodam & ſuaui (licet quodammodo adhuc carnali) affectione ei adhærendo. Et eſt hæc exercitatio incipientium, & magis ſimplicium. Et poteſt in hoc gradu multipliciter exercitium variari, iuxta quod Chriſtum in vita multi diuerſis intentionibus, diuerſimodè affecti ſequebantur; vt docetur in tractatu, cui titulus eſt, *Beatus vir.* Cauſæ autem variæ quare Chriſtum varij ſequebantur, hoc verſu patent,

Morbus, ſigna, cibus, pulcher, blaſphemia, dogma.

Et tu etiam interdum ſectare, *vt infirmus medicum:* vt curet tuum morbum, & tuos languores.

Clamando cum morboſis,	*Domine, ſi vis potes me mundare.* Luc.5.
	Ecce quem amas infirmatur. Ioan. 11.
	Miſerere mei Ieſu fili David. Marc. 10.

Item *ad videndum ſigna & mirabilia*, in miraculis. Tertio vt *ab eo paſcaris.* Quarto ad videndum corporis eius *pulchritudinem*, & morum decentiam gratioſam. Quinto ad audiendum & diſcendum vtilia ex eius doctrinis. Sexto

caueas ne eum imiteris: vt quidam ad eum blaſphemandum, vt Phariſæi; Contendas autem potiſſimum, vt ſemper ante oculos mentis tuæ teneas aliquo modo Ieſum Chriſtum, vel aliquem eius actum: In cuius vnione (vt ſupra dictum eſt) perficias quicquid eſt agendum, ſiue vigiles, ſiue eas dormitum, ſtes, ſiue ſedeas, comedens & bibens, loquens & tacens, ſolus & cum alijs. Ex hoc enim in omni virtute ſtabilieris, & perfectior eris, vt docetur in Speculo Monachorum. Et, vt hoc conſuetudinis eſt incipientium deuotorum, ſemper ab inuicem, & ab animo proprio interrogantium; vbi eſt modò Ieſus? Et ſemper habetur aliquis imaginarius locus præ oculis, vbi cogitatur & imaginatur ab eis: Nunc in Virginis vtero vel gremio; nunc in præſepi vel templo; nunc prædicans vel orans; nunc in cruce vel tumulo; nunc vel cum patribus in limbo, aut diſcipulis in monte vel pinnaculo, aut ad patris dextram ſedens in cælo.

Sed in hoc exercitio oportet infirmari appetitum ſuperuacuum, qui non eſt contentus cogitare de Chriſto, vel de ſuis myſterijs, niſi feratur in altas radices ſuæ diuinitatis: Et hæc fuit cauſa, quare multi ruerunt à via perfectionis, quia neſcierunt in Chriſto *humiliter exerceri*; Nihil enim eſt in operibus vitæ eius tam minimum, quod ſi ponderetur debito modo, non debeat diligentis animæ ſatiare appetitum. Mens enim amoroſa, de Ieſu quantumcunque minima tantum reputat, quod nihil eorum excidit ab eius memoria. Nec eſt ita paruum Ieſu, vel de Ieſu verbum vel nomen, etiam vſque ad infantiles neceſſitates naturæ

Digitized by Google

eius, quod non teneat eam fixam, & in amoroſa contemplatione ſtabilitam, tanquam res ſummi Dei pro ipſa anima, ex amore Dei aſſumpta; Sed omnia, etiã quæ patiebatur puer, Deus ligatus in faſcia, tantum obſtupeſcit & miratur; magiſque delectat ſæpe deuotam animam, quod amore experientiæ talia proptet ipſam Deus ſuſtinuit, quàm quod ſpiritus Seraphicos in cælis creauit. Quis mihi det, vt veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi

Iob 6.

Deus? vt totus in has vilitates à Deo aſſumptas, tam mente quàm carne immergar, habẽs ſub pia imaginatione Filium Dei præſentem mihi ſemper. Scio & fateor, longè ſublimius eſt Ieſum in ſpiritu intuèri, eiuſque myſteria per intelligentiam ſpeculari, quàm carnem commemorare tantum, id eſt, geſta carnis: ſed è regione noui, licet tenuiter nimis, quod hæc exercitatio in imaginatione Chriſti, & actuum eius, longè reficiat dulcius, maiorémque affectionem, conſolationem & deuotionem tribuat multis; quàm alijs myſteriorum profundatio; imò quàm contemplatio ipſa ſuæ diuinitatis. Debet ergo mens deuota exerceri in his quæ ſunt humanitatis Chriſti; donec eleuetur & rapiatur ad intuendum & guſtandum gaudium diuinitatis ſuæ: Eſt enim meditatio humanitatis, ſcala, qua peruenitur ad contemplationem diuinitatis.

Nec tamen qui ad contemplationem diuinitatis aſcendunt, hanc dimittere debent pro loco & tempore: quia hoc eſſet magnæ præſumptionis & ſuperbiæ. Ideo enim (Auguſtino teſte) Chriſtus carnem aſſumpſit, vt carnales per carnem in Deum tandem reduceret; & per humanitatis lac, ad ſolidum diuinitatis cibum, qui perfectorum eſt, trajiceret; vt inſigniter ſuper verſu, *Sicut ablactatus ſuper matrẽ*, deducit. Vnde liquet, quod licet huiuſmodi

1. Cor. 3. Pſal. 130.

exercitatio per imaginationem in ſe, & potiſſimum incipientibus, ſatis ſit vtilis, tamen de per ſe non ſufficit; ſed parum prodeſt, niſi retorqueatur ad dignum & vtilem finem. Quid enim profuit Iudæis, quod Chriſtum corporaliter viderunt, & non amauerunt, nec ſequi voluerũt? Igitur vt nobis hæc exercitatio proſit, ad hoc contendere debemus: vt ſicut Apoſtoli Chriſti præſentia tracti omnia reliquerunt; ita nos ſic perſeuerare oportet, vt totum cor noſtrum illa ſuauitas occupet, &

Matt. 19.

totum ſibi ab amore vniuerſæ carnis ac carnalis illecebræ vendicet. Quiſquis talis eſt, non metuat ille à periculis Doctorum; ſed confidat certus, ſi perſtiterit creſcet, & cum Paulo dicere valebit. *Etſi Chriſtum ſecundum carnem cognouimus, iam nunc non cognoſcimus*; & in finem ſaluus erit. Hanc practicam docuit Chriſtus, iubens ſua myſteria commemorari, non dixit conſiderare, aut dijudicare: vt omnibus, & laicis & mulieribus facillimam aperiret practicam.

2. Cor. 5. Luca 22.

MEMBRVM II.

Quomodo exercitamur erga Chriſti myſteria per intelligentiam.

IAM ad alterum exercitationis gradum aſcendendum, qui eſt, qua *per intelligentiam* poterimus myſteria eius profundius perſcrutati, attentius ea præmeditando; qua via videtur Dauid ſe exercitaſſe cùm dixit Pſalm. 118. *Conſiderabo mirabilia tua*, quæ & eius anima ſcrutabatur. Et eſt hæc via magis exercitatorum, iam ſolidum cibum ſumere potentium: Nam hic non circa hominem ſolum, & nudam humanitatem ſe exercet; ſed altius aſcendens (vt Bernardus docet) in homine Chriſto Deum inuenire ſtudet; non Deum nudum, neque hominem nudum; ſed Chriſtum Deum pariter & hominem comprehendit, diligit, & adorat. Et plurimum talis comprehenſio & actualis conſideratio de Chriſto, vt aiunt Patres, confert: Qua ſcilicet homo, quoties aliquid de Chriſto legit, vel cogitat, Chriſtum hoc egiſſe vel illud; informet ſibi conceptum de Chriſto, quo lucidè Deum & hominem, id eſt vnam perſonam ſignificet, quæ eſt Deus & homo. Quanto enim lucidius quis hoc concipit, tanto pinguior ex Chriſti operibus in eo reſultat deuotionis affectus. Nam ex homine aut humanitate, deuotio, amor, & fiducia; ex deitatis apprehenſione timor & reuerentia oriuntur, inter quæ tutiſſimum eſt militare. Et ſicut hic non humanitatem nudam; ſic nec opera Chriſti nuda commemorat: Sed opera conſiderat, attendit & explanat, & trahit per omnes circunſtantias & negocij partes, diligenter attendendo cauſas, fructus, loca, tempora, modos, qualitates. Et hi quo fortius vbera premunt, eo copioſius lac eliciunt deuotionis; quo aromata hæc terunt plenius, ſuauiori perfunduntur odore. VIII. Metaph.

ET qui ſe hac via exercitari volet, illi ante deficiet tempus, quàm materia meditandi. Poteſt enim procedere & trahere quemque articulum operum Chriſti, per ſcalam meditatoriam iam ante memoratam, iuxta practicas illic aſſignatas; Et ex hac exercitatione mens illuſtratur, adeò quod fiat *prudens ſuper inimicos, intelligens ſuper docentes, ſuper* inexercitatos *ſenes* (licet corpori ętate adoleſcentior) *intelligentior* tamen multo. Et probè, quia *teſtimonia & opera* Chriſti *meditatio eius ſemper*, per ſpiritum, qui omnia ſcrutatur, ſcrutans & rimans ea ſemper. Hic vana curioſitas perit, quia ingreditur veritas, mentem ſic ſe exercitantis. Et hãc viam huius exercitationis inſtitutum tradidit ſapientioribus Salomon ſapientiſſimus ipſe, pręcipiens diligenter conſiderare omnia, *quæ apponuntur in menſa*, haud dubium Euangelica, nobis. Sic itaque nos exerceamus per serioſam operum Chriſti conſiderationem, adhæręamus ei ſemper dicentes, *Mihi adhærere Chriſto bonum eſt*, &c. Pſal. 72. Pſal. 118. Pſal. 118. Iere. 17. Prou. 23.

MEM-

MEMBRVM III.

Quomodo excitamur ad eadem per vim affectiuam.

IX. TERTIVS circa Chriſti myſteria exercitandi modus, eſt, per *vim affectiuam*, qua diſcat amare Chriſtum, cõplecti veſtigia eius, & exempla ſectari:

Hic opus, hic labor eſt, arx hic, diſcedite ſegnes; Fortibus Dauid congruit exercitatio hæc, & perfectis, exercitatos ſenſus habentibus. Eſt ſiquidem hæc *ſublimior illa via, & excellentior*, 1. Cor. 12. quam Paulus perfectioribus demonſtrandam reſeruauit; finis & perfectio vtrarumque iam ſupra poſitarum: Qua, ſcilicet ita homo Chriſti myſteria reuoluit, vt non tam facta ipſa, quàm amorem, vnde prodierunt, attendat; & ſic magis in Dei amorem promoueatur. Quem qui ritè perpenderet, certè inueniret, quòd omnia externa Chriſti opera non ſunt niſi tenuia illius exceſſiui ardoris indicia: quæ omnia ob id potiſſimum fecit, vt nobis, quàm nos amaret, vel aliqualiter inſinuaret; & ſic nos ad reciprocum amorem incitaret. O ſileant hic verba, mens ſecum recogitet iſta! De hoc amore quicquid dicitur, minus eſt eo, quod dicendum eſſet: Vnde de eo taceamus, quia forſan infrà aliqua ſcribemus. Quiſquis igitur volet myſteriorum Chriſti fructum apprehendere, quiſquis facilè in eius amorem inflammari, ſtudeat in omni Chriſti opere amorem, ex quo hoc egerit, attendere; & finem, ob quem, conſiderare. Et vt oculi tui reuelentur ad illum contuendum, ora cum Bernardino crebrius dicens, Domine Ieſu Chriſte, fac vt te amem ardenter, facque me ſentire, quàm immenſo amore nos amaſti. Aperi mentem meam ad tua opera, vt ex eis intelligam amoris inſignia: vt totus inflammatus, totus in te reſoluar amore. Amen.

ET QVIA verus amor ocioſus non eſt; ſed operatur grandia vbi eſt, extaſimque facit in amatum, non ſinens ſui-ipſius eſſe amatorem; ſed vult aſſimilari dilecto; ideo non ſufficiet mente amare; niſi & opere & veritate, ſtudeat ſe dilecto conformare, & eius veſtigia ſectari per voluntatem practicam, quam quidam amorem actiuum vocant. Parum enim proderunt; imò nec vera ſunt omnia ſuperiora; niſi etiam ſequamur eius veſtigia. *Exemplum* enim
1. Pet. 2. *dedit nobis, vt & nos ita faciamus*: dicens illud
Ioan. 13. Iudicum nobis, *Quod me videtis facere, hoc fa-*
Iudic. 7. *cite*. Et certè ſecurè imitandus eſt Chriſtus. Habet enim eius

ſequela:
- Ioan. 14. Veſtigium indeuiabile, ſecurè deducens, ipſe via, lux, oſtium.
- Solatium inæſtimabile, tribulatos conſolans, ipſe iocũditas mentiũ.
- Eccli. 24. Deſideriũ infatigabile, ad paternam gloriam ducẽs. Qui edũt eſuriunt.
- Heb. 13. Stipendium indefectibile, prœmium æternum, manens Ieſus Chriſtus heri, & hodie.

Hæc proſequitur Ioannes Schoenhouiæ, in ſermone quodam capitulari Voinden. Sed heũ Domine Ieſu, quàm pauci ſunt, qui volũt ire poſt te, cùm nemo ſit (vt Bernardus ait) qui nolit venire ad te, ſcientibus cunctis, quia *de-*
lectationes in dextera tua vſque in finem! Congregnare cupiunt, ſed non compati; conſequi volunt, ſed non ſequi. Sed non ſic, ô fratres, non ſic; ſed, ſi cupimus eius gaudia, ſectemur veſtigia: Quo enim quis Chriſto fuerit in moribus ſimilior; eo in gaudiis ſublimior. Pſal. 15.

Ecce hæ ſunt tres practicæ vel gradus circa Chriſti myſteria exercitandi, quibus licet iugiter adhærere Chriſto; & poſſunt diuiſim ſeorſum, aut inſimul vna meditatione exerceri.

Et eſt *primus gradus omnium fidelium* fideliter credentium, & commemorantium in omnibus vijs ſuis Dominum Ieſum Chriſtum:

Secundus proficientium, diligenter omnia, quæ illius ſunt conſiderantium, & tractantiũ,

Tertius iam perfectorum, guſtantium, & ex guſtu ad imitandum accinctorum. *Primus* in imaginatione, *ſecundus* in meditatione, *tertius* in pia affectione, & in dulci imitatione verſatur. *Primis* Chriſtus lac, *alijs* pulmentum, *tertijs* ſolidus cibus & panis. Qui ſe fideliter exercuerit in *primo*, perueniet ad *tertium*; dumtaxat ſi perſtiterit. Eya igitur his modis nos exerceamus circa Chriſtum &c.

Meditabilia per Roſaria tradenda.

CAPVT QVARTVM.

SVNT iam poſtremò determinata aliqua punctula, & certa meditabilia de Domino Ieſu aſſignanda, ob cauſas iam ante memoratas: Et ponemus ea per modum Roſariorum; cuius etiam cauſas ſuprà diximus, quarum potiſſima eſt, facilior exercitatio horum; vt ſi qui fuerint, qui ſe non poſſe meditari cauſentur, vel legant ſingula hæc puncta per modum Roſariorum, ſingulis Aue Maria applicando, & à tenuibus illis exercitijs, creſcent in virile robur. Ponemus autem obiecta hæc de myſterijs Domini IESV, ſub triplici differentia. X.

Primùm vnum Roſarium de toto decurſu Domini IESV proponetur omnibus legendum *vniuerſaliter*.

Secundo meditari cupientibus; ſed nondum potentibus, ponemus Monoteſſaron Gerſonis *ſpecialiter*.

Tertio perfectioribus conſiderationes ſingulariter, ſcilicet quæ ſequuntur Monoteſſaron. *Prima* ad legendum, *ſecunda* ad commemorandum, *tertia* ad conſiderandum.

MEMBRVM I.

Modus eruditorius, quomodo Roſaria legenda.

Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ Dei, vt miſericordiam conſequamur: & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Apoſtolus. POSITVRI aliqua obiecta meditabilia de Domino Ieſu, primo omnium præmittemus generale Roſarium de toto decurſu vitæ & paſſionis Domini Ieſu; in quo, & principiũ, & finis, ad beatam Virginem, thronum vtique gratiæ Dei, refertur: vt per ipſam, qua Ieſus ad nos venit, gratiam meditandi de Domino Ieſu conſequamur, & inueniamus. Nihil enim nos Deus habere voluit, quod non ante per manus Mariæ tranſiret. Adhortamur ergo in verbis præmiſſis, vt *adeamus* omnes generaliter; paſsibus, ſcilicet amoris, & deuotæ orationis, *cum fiducia ad thronum gratiæ Dei*, id eſt ad Mariam matrem Dei miſericordiſsimam, quæ verè eſt thronus pacifici Salomonis, & gratię, in quo ipſa increata gratia nouem menſibus requieuit; *vt ſcilicet miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus*; quo per eius adiutorium, deuotè nos circa Chriſti Filij eius myſteria exerceamus, dignè ea commemorando, conſiderando & imitando, &c. Quicunque igitur Domino Ieſu, & Virgini matri gratum volet præſtare obſequium, & ſi non profunda meditari, ſi non de his plurima ſufficiat commemorare; vel ſaltem memoriæ hoc vnum commendet Roſarium. Nam ab huius exercitatione nemo ſe excuſare, ſubterfugere poteſt nullus; cùm vulgus omne, imò & perditiſſimi quique, vel vnum Roſarium in dies lectitare ſolent, ob plurima quæ ad hoc (vt infra patebit) habent inductiua. Quod vt acceptius fiat Virgini, & Filio eius, & deuotius exoluatur, ſitque ſapidius exercitanti, articulis vitę & paſsionis eſt vniendum: vt crebrius edoctum eſt, & reuelatum. Et ergo ſub decem his verſibus, quinquaginta articuli comprehenduntur, quorum quiſque ante quodlibet *Aue Maria*, voce vel cogitatione præmittendus: vt ex eo eliciatur deuotionis affectus, vel congratulationis, aut piæ compaſſionis, aut orationis: prout eſt in interlineari gloſſa ſignatum. Vnde patet, quod hoc emolumento iſta Roſaria ſequentia prærutilant, quo non operæ precium ſit, ſymbolico quinquagenario, ſeu (vt vulgo dicitur) patriloquio contenti, ad numerandum *Aue Maria*; ſed potius debet quiſque ante ſingula *Aue Maria*, vnũ articulum corde ruminare, ſiue ore promere, de paſsione vel vita Ieſu, vel Marię, & ſic de alijs; tanquam ſi impręſentiarum corporalibus obtutibus coram eſſet hoc modo, vel cõſimili. Eſto habeas præ oculis articulum de flagellatione, leges in hunc modum Roſarium *Aue Maria*. Quaſi mente deuota diceres, O Maria merito tibi ſæpius cum Gabriele replico *Aue*, quia tu es ſine omni væ; ſaluans nos ab omni væ. O impetra mihi de væ peccati mei (propter iſtud væ flagellationis Filij tui) plenam indulgentiam, & in futuro cautionem ſollicitam, ne rurſus eum peccatis flagellem. Nec immerito hæc peto, quia tu es *gratia*, cunctarum virtutum *plena*. O propter hunc articulum, replear & ego de plenitudine tua: vt dignè flagellato compatiar, & ſequar veſtigia eius. Nam *Dominus tecum*, tuis orationibus fauens: Non enim fas eſt, vt confundat faciem tuam. O ſit & mecum in omnibus aduerſitatibus & vijs meis, in corde, ore, & opere, ne indignus laudator à laude tua, proliſque tuæ rejiciar, quia es *benedicta tu in mulieribus*, benedicenda ſuper omnes creaturas: Benedic & mihi obſecro, per articulum iſtum, vt dignè te, prolémque tuam benedicam; cùm ſit ipſe & *benedictus fructus ventris tui*, cauſa omnis benedictionis noſtræ in tempore & æternitate, qui & te interueniente, fructibus operum meorum benedicat. Nam ipſe eſt Ieſus, id eſt Saluator Chriſtus, cunctos chriſmate gratiæ inũgens, cum quo viuis & regnas, fœcunda in imperio cęli. Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Sequitur Roſarium generale.

Prædicta es

Maria à prophetis prædicta, & multipliciter præfigurata. O deſideratiſſima Domina, da mihi torpido indeſinẽter aſpirare ad dulciſſimæ tuæ præſentiæ ſolatia, & deſideranter reſonare tua præconia, continuè dicendo, Aue Maria.

ſine væ

Maria ſine vę peccati concepta & nata, & ſemper præſeruata. O puriſſima & ſãctiſſima Virgo Maria, impetra peccaminum veniam, & dona mihi ſemper & ſtudioſè vitare peccati contagia, & puro tibi corde concinere Aue Maria.

nupta

Maria caſtiſſimo Ioſeph nupta. O Virginea Maria ſanctiſſimè in templo conuerſata; & Ioſeph ſponſo virgineo pudiciſſimè iuncta; detur mihi vtrorumque meritis & ſanctè Deo viuere, & illibatè tibi & Ioſeph ſeruire dicendo, Auete coniuges pudoris. Aue.

audis Aue

Maria Chriſtum concepit per Aue ſalutata. O Domina Angelorum, Chriſtifera Virgo Maria, da mihi te tali; quali ab Angelo ſalutata es & affectu & eulogio ſalutare, & Chriſtum indefeſsè mente concipere, & corpore portare, per dulce illud, Aue Maria.

paris Aue.

Maria Chriſtum peperit væ expers gratulata. O alma Dei mater, per dulcem hanc dulcis Filij tui Natiuitatem, da mihi renaſci ſpiritu, Chriſtumque parere per bonorum operum fœcunditatem, dum dico Aue.

Scinditur,

Ieſus circunciditur. O perfectiſſima Maria, per hanc pœnalẽ Filij tui circunciſionem, & per cordis tui intimam cõpaſſionẽ, da mihi eſſe circunciſum corde, & ore, & ſenſu, ab omnibus quæ diſplicent Chriſto & tibi, dum dico, Aue Maria.

adueniunt

Ieſus à magis adoratur. O Regina cunctorum, Regis Chriſti mater, placeant tibi munera deuotionis, dũ dico tibi Aue: Facque me ſemper immolare thus deuotionis, aurum charitatis, myrrham pœnitentiæ & compaſſionis.

ſiſtunt

Ieſus in templo offertur. O templum veri Salomonis Maria, propter gladium illum, verbum ſcilicet Simeonis, purificer: vt dignum fiam templum, quo ſemper Filius tuus præſentetur; daque mihi dignè compati, dum dico Aue Maria.

fugiunt

Ieſus in Ægyptũ fugatur. O patiẽtiſſima Maria, propter fugã hãc doloroſiſſimam, da mihi mundum, & carnis delitias, & omne malum fugere ſẽper, quia toties replico Aue Maria.

duodennis

Ieſus perditur, & reinuenitur. O quæſitrix Dei Maria, da mihi ſemper Ieſum perditum quærere, & reinuenire, & inſtar tui, Ieſum ſollicitè cuſtodire, & dulciter ſecum conuerſari, ſæpius dicendo, Aue Maria.

Mira

Ieſus ſignis mirificus. O ſtupor, ô miraculum Maria, quo grandius in mundo nullum, propter larga cordis tui gaudia de miraculis Filij tui concepta, perfice in me per gratiã, quod non poſſum per naturam, dum dico tibi, Aue Maria.

docet

Ieſus doctor mellifluus. O virtutum doctrix Maria, per vitalia illa verba doctrinæ Filij tui, da mihi ſemper perficere doctrinam Chriſti, cum conſiliis Euangelicis, & mandatis, quoties replico, Aue Maria.

blaſphematur

Ieſus à multis blaſphematus. O ſumma laus creatoris Maria, nimium in blaſphemiis Filij contriſtata, propter illam triſtitiam, da vt ſemper toto corde & ore, dulciſſimum nomen Domini Ieſu, & tuũ benedicam, dicendo Aue Maria.

ter flevit

Ieſus fletu rigatus. O ſolamen mœrentium Maria, per Filij in lachrymatione affectum, fac Chriſto condoleam, eiuſque exemplo cunctorum aduerſitates lugeam, ſintq; lachrymæ meę panes die ac nocte, vt peccata ſemper defleã dicendo Aue.

aſello.

Ieſus ramis palmarum honoratus. O gloria Dei, ô decus altiſſimi Maria, propter illud gaudium, quo honorato Filio collætabaris; da vt dignum ei ſemper exhibeã honoris cultum, ſæpius ingeminando Aue Maria.

Venditus eſt

Ieſus à Iuda venditus. O precioſior cũctis Maria, propter vilem inappretiabilis illius pretij Filij tui venditionem, adiuua me, ne vnquam trãſitoria quærens, vendam Ieſum, ſpiritualibus præferens illa; ne indignè dicã Aue.

lauat

Ieſus pedum lotor humillimus. O mundiſſima Maria, omnis pulueris peccati neſcia, propter dignantiſſimam lotionem iſtam, laua affectus meos, opera & intentiones: vt ſemper purè cõcinam tibi, Aue Maria.

atque cibat

Ieſus panis ſacratus. O fornax viuifici huius panis Maria, per ardorem æſtuantiſſimi amoris Filij tui, quo ſe nobis dedit in cibum, ora nos illo pane cæli effici dignos, quia toties replico Aue Maria.

ſudat

Ieſus orans ſudauit. O deuotiſſima Maria, propter anxiã illã & deuotiſſimam orationem Filij tui, fac nos ſemper deuotè orare, & libera cor noſtrum ab omni inordinato dolore; vt ſemper Angelus adſit nobis orantibus, deferens ea in conſpectu Dei. Aue.

capiebant.

Ieſus captus & ligatus. O captiuorum redemptrix Maria, propter diram iſtam captiuitatem, pręſerua me; ne capiar laqueis carnis, mundi, aut diaboli; néve liger viſco terreni amoris, aut funibus peccatorum. Aue.

Conſpuitur

Ieſus ſputis illitus. O pulcherrima mulierũ Maria, propter fœdam hanc conſputionem ſpecioſi præ filiis hominum nati tui, fac ne fœdis cogitationibus inquinem faciem imaginis eius, cor ſcilicet meum, & animam. Aue.

velant,

Ieſus vultu velatus. O ſpeculum ſanctorum Maria, propter faciei illius velationẽ, in quam cæli & terra proſpicere exoptant, fac me reuelata facie gloriam Filij tui, & tuam ſpeculari, quoties dixero, Aue.

cædunt,

Ieſus cæſus à pluribus. O virtutum operatrix virgo Maria, propter dilecti Filij tui cęſionem variam, & alaparum duritiã, præſerua me, ne Chriſtum cædã manu praui operis, Aue Maria.

Pilato

Ieſus coram Pilato accuſatus. O conſiſtorium ſupremi iudicis Maria, propter iniuſtas illas accuſationes Filij tui liberer à reatu peccaminum, & fac, vt meipſum ſemper accuſem & non alios. Aue.

& Herodi.

Ieſus alba veſte illuſus. O Virgo prudentiſſima, propter illam irriſionem, qua Sapientia Patris, vt ſtultitia eſt reputata, da mihi verã ſapientiam, vt & in aliorum illuſionibus habeam patientiam. Aue.

Latro

Ieſus latroni cõparatus. O hominũ viuiuificatrix Maria, propter diſſimilem hanc comparationem, & inſipientẽ delectationem, qua vitę mortẽ, luci tenebras filij tenebrarũ prętulerunt; da vt de me viliter ſẽtiã, & nunquã diuinis præferam terrena, vt dulciter cõcinã Aue.

flagellatur,

Ieſus dirè flagellatus. O amarum mate Maria, per acerbam caſtigationem, amaram correptionem, crudam flagellationem Filij tui, propter magnum illud diluuium ſanguinis ſui, lauer à culpa, & patienter feram Dei flagella, quia toties replico Aue.

ſpinis

Ieſus ſpinis coronatus. O duodecim ſtellis coronata Maria, per amorem Regis gloriæ ſpinis coronati, mitrati Sacerdotis diademate, quo ſynagoga illum coronauit, deduc me ad coronam æternę gloriæ, vt in æternum te glorificem cum Angelis, dicendo Aue.

damnat

Ieſus iniuſtè condemnatus. O Mater miſericordię, propter iſtam condemnationem Filij tui iudicis noſtri, libera me à peccatis, ne damner in tremendo iudicio cum impijs, quia tu es mater Dei, & hominis; rei & iudicis; quia tibi dico, Aue Maria.

tulit aram

Ieſus crucis onere grauatus. O crucifera Maria, quæ crucẽ paſſionis vnici tui ſẽper mẽte tuliſti, propter hanc baiulationem, qua inſigne latronum Filius tuus crucem geſtat, fac vt ſine murmure feram crucem pœnitentiæ, indefeſsè concinens, Aue Maria.

Exuitur,

Ieſus veſte nudatus. O verecũdiſſima Maria, propter verecundam verecundi Filij tui corã aſtãtibus nudationem, exue me veterem hominẽ, cũ actibus ſuis, & verecundiæ me veſte adorna, dum dico Aue Maria.

tendunt

Ieſus in cruce extenſus. O amoroſa amplexatrix Ieſu, propter diram Filij tui in modum pellis ſuper crucem porrectionem, expanſionem & extenſionem, extendar totis neruis in amoroſum amplexum crucifixi, dum dico Aue.

figendo

Ieſus cruci confixus. O Maria, verius Paulo, Chriſto cruci confixa, per atrocem Filij tui contrectationem, crudeliſſimã ſuper crucem confixionẽ, confige timore Dei carnes meas, ſimq; ſemper Chriſto cruci cõfixus: vt ſẽper cõpatiẽter dicã Aue.

leuant

Ieſus cum cruce leuatus. O anagogica, cuius anima ſuſpendium elegit; Maria, per amaram ænei illius ſerpentis tui, in palo crucis exaltationem, da vt infimis cõtemptis, cor ſurſum habeam ſemper, dũ dico tibi Aue Maria.

pia verba.

Ieſus ſeptem verba locutus. O taciturna Maria, per ſalutaria illa taciturni Filij tui in cruce ſeptem verba, per Philomenæ Philãtropiæ illius cãtica, præſerua me, ne defluam in ocioſa verba; ſed ſæpius tibi replicem Aue.

Fel guſtat,

Ieſus felle potatus. O dulciſſima Maria, propter felleã iſtã rorationem filij tui, da vt hoc condimento fercula mea cõdiantur, quatenus fructus vẽtris tui benedictus ſemper ſit dulcis gutturi meo, & dulciter canam tibi Aue.

moritur,

Ieſus pro nobis mortuus. O mundo mortua Maria, per amariſſimam mortẽ Filij tui, & vitæ tuæ, da vt mundo, & concupiſcẽtiis eius mortuus ſemper; Deo, & tibi viuam, & eius viuificer morte; dum dico Aue.

latus

Ieſus tranſlãceatus. O transfixa gladio Simeonis Maria, propter cor Filij tui charitatis cuſpide vulneratum, & per martyrium confoſſi tui cordis, vulnera cor meũ amore Dei: vt flammigerum ſæpius promat Aue.

à cruce tunc

Ieſus in matris gremio collocatus. O gerula Chriſti Maria, propter dilecti Filij tui mortui de cruce depoſitionẽ, & in tuo gremio collocationẽ, da vt corde ſemper tecum illum geram, & tecum lugeã dicendo, Aue.

tumulatur.

Ieſus intumulatus. O alma, id eſt abſcondita Virgo Maria, & verè Chriſto conſepulta, propter Filij tui intumulationem conſepeli me ei: vt in ſolitudine ſẽper deliteſcam, donec ad vitã veram reſurgã, propter iſtud Aue.

Eduxit

Ieſus de limbo PP. educẽs. O triumphatrix diaboli, cuius caput cõtriuiſti; ꝓpter dignantiſſimam Filij tui ad lymbũ deſcenſionem, & amicorum inde eductionẽ, educ de carcere mortis, & purgatorio omninm fidelium animas. Aue Maria.

ſurgit

Ieſus ſurgens beatus. O conſurgẽs Aurora, propter ineffabile illud gaudiũ tui cordis, quo ſuper reſurrectione Filij es gratulata, fac vt reſurgam à vitijs, & ambulem in nouitate vitæ; dum dico Aue Maria.

ſcandit

Ieſus cælo leuatus. O aſcendens per deſertum, vt virgula fumi, dulcis Maria, propter glorioſam illam Filij tui aſcenſionem trahe me illo, quo abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierũ in lõginquam regionem.

mittit

Ieſus largitor Spiritus. O gratia plena, inſuper & Spiritusſancti donis referta, propter profuſam Filij tui ſpiritum mittentis charitatis liberalitatem, replear & ego donis Spiritusſancti, quia totiens dico Aue.

rediturus.

Ieſus iudex iratus. O Triclinium Trinitatis, ô conſiſtorium tremendi iudicis, per omnia Chriſti Filij tui myſteria, nobis ſuccurre in tremẽdo Filij iudicio, ne excludamur à regno, & tui ſolio, quia toties replicaui, licet tepidè Aue.

Aſſumpta

Maria ſuper omnes cælos aſſumpta. O dextri ſedia Chriſti, propter aſſumptionis tuæ gaudium, trahe cor meum poſt te ſurſum: vt illic ſit mea conuerſatio, vbi tua iam ſancta eſt exaltatio, quatenus cõtinuè dicam. Aue Maria.

ornatur

Maria variè adornata. O præfulgida nunc præmijs, quæ eras ſummis adornata in terris meritis, per rutilum tui ornatum, adorna me nunc hic virtutibus, vt & poſt reſplẽdeam cęli ſplẽdoribus, propter iſtud Aue.

prælata ſtatu

Maria in cælis ſtatu prælata. O præ cũctis venerãda Maria, in cuius nomine flectuntur genua cũcta, innumerabilium per Filium, Deorum conſtituta Dea, primas cæli, & primiceria cęlicolarum facta, obſecramus, vt ſicut Sãctorum es gloria; ita ſis miſerorum aduocata. Aue.

fugat,

Maria dęmonibus terribilis, vt caſtrorum acies ordinata. O Regina cæli, Domina mundi, ſine cuius oris imperio nullus, vel ſe mouet, aut mutat in vniuerſo, præcipe Angelis, vt nos cuſtodiant, coerce dæmones ne nobis noceant. Aue.

orat.

Maria noſtri ſollicita, pro nobis aduocata. O Maria Mater pia, filiorum ſis ſollicita. Recordare quę ſumus noſtri; dum ſteteris in conſpectu Dei, vt loquaris pro nobis bona, qui tibi ſemper canimus, Aue Maria gratia plena.

MEMBRVM II.

Roſaria ex Monoteſſaron Magiſtri Ioan. Gerſonis, confecta ad Chriſti myſteria plenius commemoranda.

MEmor ero ab initio mirabilium tuorum, & meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor. Pſal. 76. IAM alijs qui libenter meditari de Chriſto velint, ſed nõ ſatis cõmorari poſſunt; alia obiecta miniſtrabimus, ex toto euangelico decurſu vnum cõtextum denumerãdo, quo ſic multitudine obiectorum recõpenſent imperſpicacitatem: vt quanquam diu vni inhærere non poſſunt; ſaltem multa habentes cõmemoranda, latius immorentur. Tũ etiã potiſſimè propter Religioſos quoſque collegimus hunc Euangelicum totum Domini Ieſu decurſum; quibus nõ ſat eſt (vt cęteris) potiora euãgelicæ hiſtoriæ monumenta mente verſare; ſed hi ad altiora vocitati, qui & ſpiritũ acceperunt Domini: vt non (Rom. 8.) poſſint non ſcire, quæ ſunt donata eis à Domino; etiã ad minimum opus, aut verbum Ieſu repetendum, aut memorandum, quodãmodo obligentur; quippe quibus dedit *regiones gentium, & labores populorũ poſſidere*; Nõ quidem, (Pſal. 104.) vt ocio torperent; ſed vt *cuſtodiant iuſtificationes eius*, & cum Pſalmiſta meditentur in omnibus operibus eius.

DEBITVM ergo ad hæc memoranda, & quia æquum eſt, nos inducere debet. Debet & nos ad itidem memorandũ trahere dignitas & ſublimitas operũ illorum: Nihil enim dignius, nil ſublimius mente tractare poterimus. Inter omnes enim diuinas auctoritates, quæ ſacris litteris cõtinentur (teſte Aug.) merito euangelica pręcellit, ob plurimas (quas longũ eſt enumerare) cauſas, quas inquã Doctores ſparſim ponunt. Quid enim euangelijs vnquã æquale fiet? quibus (vt ait Chryſoſt.) vtique Deus cõuerſatur in terra, homo aſcendit in cælum, & facta eſt omnium vna permixtio. In hoc totius perfectionis naturæ rationalis ſumma cõtinetur, & (ſecundum Hiero.) euangelia legis impletio ſunt, & in eis præcepta & exempla viuendi pleniſſimè ſunt digeſta; ſed quẽ nõ trahet vtilitas horum? hæc enim tãta eſt, vt nulla lingua ſufficiat ad eam. Dicit Chryſoſt. magnum quid ita ſcribens: *Sicut in domum vbicũque fuerit poſitum euangelium, non audebit accedere diabolus; multo magis animam intelligentias habentem tales, & circumferentem, nõ tanget vnquã, neque ſuperueniet ei dæmonis neque peccati natura. Sanctifica ergo animam, ſanctifica corpus tuũ, hæc in lingua & corde tuo ſemper habens. Si enim turpiloquium ſordidat, & dæmones vocat; manifeſtum eſt, quod ſpiritualis lectio ſanctificat, & ſpiritus aduehit gratiam.* (Vide.) Attendamus ergo dilecti ſcripturis; etſi nullum aliud, euangelica ſaltem nobis circumſtudioſa fiant, & hæc præ manibus habeamus. Nõ enim otioſè Chriſti hiſtoria *euangelium* vocatur, eo quod ipſius collatione & comparatione omnia alia verba ferè inania ſunt, & vaneſcunt. Ipſum autem pręcęteris bona annunciatio anthonomaſticè eſt, & appellatur. Nec quiſquã putet noua hæc exercitia eſſe & ideo contemnenda. Non ſunt noua exercitamenta, nec recẽter ſunt inuẽta; ſed à ſanctis exercitata, & à ſanctis veteribus. Nõne de Cecilia illa theologizante, & nõ nouelli æui ſancta, ſcribitur, quod euangeliũ Chriſti abſcõditum ſemper in pectore portabat? Nec diebus, nec noctibus à colloquijs ceſſabat diuinis? De euangelij ſcriptoribus & Apoſtolis eius annunciatoribus taceo; quanti enim illi euangelium faciebant, facilè eſt coniectare ex circumferentia Barnabæ, qui & ſecum ſepelijt illud, cum quo & ſub Zenone in monumento inuentum. Nõnne & poſt hos doctiſſimi quique, euangelijs ſe tradidiſſe leguntur? Teſtimonio ſunt concordantiæ euangelicæ diui patris noſtri Auguſtini, Patriarchę illius Cõſtantinopolitani Ammonij Alexandrini, & Euſebij Cæſarienſis canones, Cõtinuum Thomæ, hoc præſens Monoteſſaron Gerſonis, opera quoque plerorumq; aliorum. O igitur quiſquis voles agere, quod dignum & iuſtum, quiſquis memorari quid commodoſum, quiſquis exerceri iuxta exercitia maiorum & Doctorum, ſequentia Roſaria cõplectere, euãgelia cara habere, & ea viuaci corde circumferre ſtudeto.

IDEO enim Monoteſſarõ Gerſonis ſub verſibus complexi ſumus: vt facilius ea memoriæ commendaremus. Et qui horum deductionẽ volet, in auctore ſuo eam requiret, cuius & capitula ſũt in gloſſula interlineari notata. Et per dies Roſaria diſtinximus; ne multitudine obruerentur: videlicet hoc modo: vt .ſ. legatur,

Feria	2. Roſarium 1.	ſc.	Principio mutus dat.
	3. Roſarium 2.		Munda centurio.
	4. Roſarium 3.		Mœcham lux mundi.
	5. Roſarium 4.		Vinea, nec veſtem.
	6. Roſarium 5.		Egreſſus monuit.
	Sabb. Roſariũ 6		Mens vires habitus.
	Dõ. Roſariũ 7.		Veſpere confregit.

Et nota, quod quemadmodum hic habentur ſeptem Roſaria, vitam & paſſionem IESV ſingularius reſpicientia, cum vno, quod reſpicit generalem decurſum vitæ & paſſionis Dominicæ ſimul: Sic & in diſtinctione altera habentur totidem Roſaria, laudi virgineæ, ſingulis diebus applicabilia, cum vno generali complectenti ſimul omnia, ſcilicet Triclinium: vt & feruentior ſingulis diebus, nouam ſibi deuotionis materiam inueniat, & qui noluerit innouare quotidie ſingula, legat vel illa generalia.

Item dicas ſæpius, Aue benigne Domine (Aue Ieſu.) Ieſu, gratia plenus, miſericordia tecum, benedicta vita, paſſio, vulnera, & mors tua, & benedictus ſanguis pretioſus vulnerum tuorum. Amen.

Vel ſic. Aue benigne Domine Ieſu, Aue Maria, &c.

Itémque, Eya Maria triſtitia plena, dolor vndique tecum, afflicta tu in mulieribus, & afflictiſſimus fructus ventris tui Ieſus Chriſtus. Amen.

Item. Nos eum prole pia benedicat virgo Maria.

Item benedictum ſit dulce nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, & dulciſſimæ Virginis Mariæ matris eius, & tota cæleſtis curia ſit benedicta in æternum & vltra. Amen.

Digitized by Google

Ioan. 1. Luca 1. Matth. 1.	*Principio.* In principio erat Verbum, & Verbũ erat apud Deũ, & Deus &c. Cap. 1. Gerſonis.	*mutus* Apparuit Angelus Zachariæ, ſtans à dextris altaris incenſi. Capitulum 2.	*dat aue.* Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ &c. ad Virginẽ. Cap. 3. Gerſ.	*montana* Exurgens autẽ Maria abijt in montana cum feſtinatione. Cap. 4. 5. Gerſ.	*liberq́;* Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Cap. 6. Gerſ.
Luca 2. Matth. 2.	*Cum Ioſeph* Cũ eſſet deſpõſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirẽt, inuẽta eſt habens in vtero de Spiritu ſancto.	*hinc peperit* Exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Cap. 7.	*cantant* Angeli cantãt, gloria in excelſis Deo. Paſtores adorant.	*ſcidit* Et poſtquam conſummati ſunt dies, vt circuncideretur puer. Cap. 8.	*tria reges* Magi ab Oriẽte venerunt Hieroſolymam dicẽtes, vbi eſt qui natus eſt.
Luca 2. Matth. 2. Luca 3. Matth. 3.	*Siſtitur* Tulerũt Ieſum in Ieruſalẽ, vt ſiſterent eũ Dom. Cap. 9.	*Ægypto.* Fugerũt in Ægyptum vſque ad obitum Herodis. Cap. 10.	*perdunt* Inuenerunt eũ in templo, ſedentẽ in medio Doctorum. Cap. 11.	*verbum* Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem in deſerto. Cap. 12.	*lauat almum* Ieſus baptizatur à Ioanne in Iordane.
Luca 3.	*Qui fuit* Qui fuit Heli, qui fuit Mattat, qui fuit Leui, qui fuit Melchi. Cap. 13.	*eſurijt* Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu vt tentaretur à diabolo. Cap. 14.	*non ſum* Helias es tu? nõ ſum. Propheta es tu? non ſum. Cap. 15.	*remanens* Vidi colũbam deſcendentem, & mãſit ſuper eum.	*vbi rabbi.* Rabbi vbi habitas? Dicit eis: Venite & videte. Venerunt & viderunt. Cap. 16.
Ioan. 2.	*Vina dat* Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ, & erat mater Ieſu ibi. Cap. 17.	*è templo* Eiecit vendẽtes de templo: Oues quoq; & boues, & nummulariorum effudit æs. Cap. 18.	*Nicodemus* Homo ex Phariſæis, Nicodemꝰ nomine, Princeps Iudæorum, hic venit ad Ieſũ nocte. Cap. 19.	*ſic Deus* Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum Filiũ ſuum daret. Cap. 20.	*audit* Amicus autem ſponſi ſtat, & audit eũ, & gaudio gaudet, propter vocem ſponſi. Cap. 20.
Matt. 14. Marc. 6. Luc. 3. & 4. Ioan. 4.	*In vinclis* Herodes tenuit Ioannem, & alligauit eum. Cap. 21.	*puteum* Ieſus fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſuper fontem. Cap. 22.	*Rex* Erat quidẽ regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Cap. 23.	*præcipitent* Duxerunt eum vſque ad ſupercilium montis, vt præcipitarent eũ. Cap. 24.	*cito regnum.* Pœnitentiã agite: Appropinquabit enim regnum cœlorum.
Luca 5. & 4. Matth. 8. Marc. 1.	*Peccator* Exi à me Domine, quia homo peccator ego ſũ, &c. Cap. 25.	*vocat hos* Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum. Cap. 26.	*tibi quid* Quid tibi, & nobis Ieſu Nazarene? ſcio quod ſis ſanctus Dei. Cap. 27.	*ſocrus* Socrus Simonis tenebatur magnis febribus. Cap. 28.	*omnia ſanat.* Et omnes malè habẽtes curauit: vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam, Ipſe infirmitates noſtras tulit. Ca. 29.
Luca 6. Marc. 3.	*Pernox* Factum eſt in diebus illis, & Ieſus aſcendit in montem orare. Cap. 30.	*monte beat* Beati pauperes ſpiritu, &c. Beati mites, quoniam ipſi. Beati qui lugẽt, quoniam.	*vos ſal* Vos eſtis ſal terræ. Quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur?	*periuria* Iterum audiſtis quia dictum eſt antiquis nõ periurabis: Ego autẽ dico vobis, non iurare omnino.	*caſus* Audiſtis, quia dictũ eſt, Oculũ pro oculo, dẽtem pro dente: Ego autẽ dico vobis.
Matth. 6.	*Dilige* Audiſtis, quia dictũ eſt, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem.	*iuſtitiam.* Attẽdite ne iuſtitiam veſtrã faciatis coram hominibus.	*Pater orans* Sic enim orabitis, Pater noſter qui es in cælis, Sanctificetur nomen tuum.	*vnge* Tu autem, cũ ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua.	*duobus.* Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ.
Matth. 7. Luca 11.	*Sis miſerans* Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.	*canibus* Nolite ſanctũ dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.	*lapidem* Si petierit panem, nunquid lapidem porriget illi?	*falſos fuge.* Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouiũ.	*in altum.* Qui venit ad me ſimilis eſt ædificãti domum, qui fodit in altum, & poſuit fundamẽtum ſupra petrã.

Matth. 8. Marc. 1. & 4. Luc. 5. 7. & 9.	*Munda* Leproſus adorabat eum dicẽs, Domine ſi vis potes me mundare. Cap. 31.	*centurioq;* Domine puer meus iacet in domo paraliticus. Cap. 32.	*Naym* Ibat Ieſus in ciuitatem, quæ vocatur Naym. Cap. 33.	*vulpes* Sequar te quocunque ieris: Et dixit illi Ieſus, Vulpes foueas habent. Cap. 34.	*quia dormit* Ipſe verò dormiebat, & erat in puppi ſuper ceruical dormiens, Cap. 35.
Matth. 8. & 9. Marc. 2. & 5. Luca 5. & 8.	*In porcos* Si ejicis nos, mitte nos in porcos. Cap. 36.	*lecto* Surge tolle grabatum tuum, & ambula. Cap. 37.	*Matthæus* Fecit ei conuiuium magnũ Leui in domo ſua. Cap. 38.	*ſanguine* Et ecce mulier quæ fluxum ſanguinis patiebatur Cap. 39.	*cumi* Tabita cumi; hoc eſt, puella, tibi dico ſurge. Et reuerſus eſt ſpiritus eius. Cap. 40.
Matth. 9. 11. 13. & 14. Mar. 5. & 6. Luca 7.	*Hic Faber* Nónne iſte eſt fabri filius: Nónne mater eius dicitur Maria? Cap. 41.	*ad meſſem* Meſſis quidem multa, operarij autem pauci: Rogate ergo Dominum. Cap. 2.	*venturus* Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Cap. 44.	*crine* Rogauit Ieſum quidã Phariſęus; vides hanc mulierem? Cap. 45.	*necatur.* Miſſo ſpiculatore præcepit Herodes auferri caput Ioannis. Cap. 46.
Io. 5. & 6. Matt. 14. Marc. 16. Luca 9.	*Angelus* Angelus Domini ſecundum tempus deſcendebat in piſcinã. Cap. 47.	*omne dedit* Pater omne iudicium dedit Filio: vt omnes honorificẽt Filium.	*vocem* Audiẽt mortui vocem filij Dei, & qui audierint viuent.	*teſtis* Si ego teſtimonium perhibeo de me, teſtimonium meum non eſt verum.	*duo piſces* Eſt puer vnus hic habens quinque panes. Cap. 50.
Ioan. 6. Matth. 11. 12. Marc. 3. Luca 10, 11.	*Hinc mare* Cùm ſero factum eſſet, deſcenderunt diſcipuli eius ad mare. Cap. 51.	*panis ego* Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me non eſuriet. Cap. 52.	*tibi væ* Væ tibi Corozaym, væ tibi Bethſayda. Cap. 54.	*digito* Si in digito Dei ejicio dæmonia. Cap. 55.	*mea Mater.* Ecce mater mea, & fratres mei. Cap. 56.
Mat. 11. 12. Luca 10. 11.	*Iona* Sicut fuit Ionas in ventre ceti. Cap. 57.	*cadit Sathanas* Videbam Sathanam ſicut fulgur, de cœlo cadentem. Cap. 58.	*latrones* Homo quidam deſcendebat de Hieruſalẽ in Hierico. Cap. 59.	*Martha* Martha autem ſaragebat circa frequens miniſterium. Cap. 60.	*peto tres.* Quis veſtrûm habebit amicum. Amice accõmoda mihi tres panes. Cap. 61.
Luc. 6. 4. 8. Matt. 12. 13. Marc. 2. 3. 4.	*Fricantes* Diſcipuli eſurientes cœperunt vellere ſpicas. Cap. 63.	*aridam* Et erat ibi homo, & manus eius dextera fuit arida. Cap. 64.	*mulieres* Et mulieres multæ, quæ erant curatæ à ſpiritibus. Cap. 65.	*ſemina* Ecce exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.	*grano.* Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis.
Mat. 13. 15. Marc. 7.	*Hæc tria* Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit.	*quære in agro* Simile eſt regnũ cœlorum theſauro abſcondito in agro. Cap. 66.	*corbam* Si homo patri aut matri corbam dixerit, Cap. 67.	*Chananæa* Mulier Chananæa egreſſa de finibus illis. Cap. 68.	*ſpuitq;* Et expuens tetigit linguã eius. Cap. 69.
Mat. 15. 16. 17, Marc. 8. Luca 9.	*Quattuor* Erant autẽ, qui manducauerant, quaſi quattuor millia. Cap. 70.	*en noſtis* Faciem cœli dijudicare noſtis. Cap. 61.	*quem dicunt* Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? Cap. 73.	*cum cruce* Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum. Cap. 74.	*Thabor.* Poſt dies ſex transfiguratus eſt Ieſus. Cap. 75.
Matt. 17. Marc. 9. Luca 9.	*Ieiunans* Hoc genus nõ poteſt exire, niſi in ieiunio, & oratione. Cap. 76.	*tempus* Tempus meũ nondum aduenit, vos aſcendite ad diem feſtum. Cap. 77.	*quæretis* Quæretis me, & non inuenietis; & vbi ego ſum, vos non poteſtis venire.	*qui ſitit* Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura; fluent de ventre, &c.	*aſtant.* Aſtant miniſtri venientes ad Põtifices, dicentes: Nunquam ſic locutus eſt homo.

Ioan. 8. 9. & 10. Matt. 17.	*Mœcham* Adducũt ei mulierem in adulterio deprehenſam. Cap. 78.	*Lux mundi* Ego ſum lux mũdi. Qui ſequitur me non ambulat in tenebris. Cap. 79.	*luto* Lutum fecit ex ſputo, & aperuit oculos cœci nati. Cap. 80.	*Paſtorq;* Qui non intrat in ouile ouiũ, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt. Ca. 82.	*ſtaterem* Mitte hamum, & aperto ore piſcis, inuenies ſtaterem. Cap. 83.
Matt. 18. Luca 12.	*Qui minor* Intrauit in eos cogitatio, quis eorum videretur eſſe maior. Cap. 84.	*argue* Si peccauerit in te frater tuꝰ, corripe illum. Cap. 85.	*quod debes* Redde quod debes; Et procidens conſeruus ille. Cap. 86.	*tecto* Nihil opertum eſt. Quod in aure audiſtis, prædicabitur ſuper tecta. Cap. 88.	*petit hæres,* Magiſter, dic fratri meo: vt diuidat mecum hæreditatem.
Luc. 13. Matt. 19.	*Horrea* Deſtruã horrea mea, & maiora faciam. Cap. 89. cap. 90.	*Pilatus* Aderãt quidam nunciãtes de Galilæis, quorũ ſanguinem miſcuit Pilatus cum ſacrificijs eorum.	*erecta* Mulier annis 18 erat incuruata, nec poterat omnino ſurſum reſpicere. Cap. 91.	*vxore* An liceat homini dimittere vxorem. Cap. 92.	*ſinatis.* Sinite paruulos venire ad me, talium eſt enim regnum cœlorum. Cap. 93.
Luca 15. Matt. 19. & 20.	*Hæc dragmas* Quæ mulier habens dragmas decem, Et ſi perdiderit dragmam vnam. Cap. 94.	*Vitulum* Homo quidam habuit duos filios &c. Adducite vitulum ſaginatũ.	*bonus* Quid me dicis bonum. Nemo bonus, niſi vnus Deus Cap. 95.	*Omnia nos* Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: Quid ergo erit nobis? Cap. 96.	*operantes.* Exijt primo mane conducere operarios in vineã ſuam. Cap. 97.
Luca 13. & 14.	*Anguſta* Contendite intrare per anguſtã portam. Cap. 98.	*Hydropicus* Quidam hydropicus ſanatur. Et de vocatis ad nuptias, Cap. 99.	*inuites* Cũ facis prandium, aut cęnam, noli vocare amicos. Cap. 100.	*cænaq;* Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.	*turris.* Quis volẽs turrim ædificare, nõ prius computet ſumptus? Cap. 101.
Luca 17. Ioan. 10.	*Vilicus* Homo quidam erat diues, qui habebat vilicum, & hic diff. Cap. 102.	*Vlcera* Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & biſſo. Cap. 103.	*ſeruus arans* Quis veſtrũ habens ſeruum arãtem &c. Serui inutiles ſumus. Cap. 104.	*encœnia* Facta ſunt encœnia Hieroſolymis, & hyems erat. Cap. 105.	*quærunt.* Quærebant ergo Iudæi appræhendere eum, & exiuit de manibus eorum.
Ioan. 11. Matt. 20. Marc. 10. Luca 11.	*Lazarus* Erat quidam languens, Lazarus à Bethania. Cap. 106.	*expedit* Collegerũt pontifices conſilium &c. Expedit vt vnus moriatur. Cap. 107.	*occident* Ecce nos aſcendimus Hieroſõlymam, & filius hom. trad. Cap. 108.	*denoſq;* Occurrerũt ei decem viri leproſi: Qui ſteterunt à longè &c. Cap. 109.	*pararent.* Samaritani non receperunt diſcipulos miſſos, vt pararent Ieſu. Cap. 110.
Matt. 20. Marc. 10. Luca 18.	*Dic ſedeant* Acceſſit ad Ieſum mater filiorũ Zebedæi. Cap. 111.	*videam* Cœcus ſedebat ſecus viam dicẽs, Domine vt videã. Cap. 112.	*Zachæus* Zachæus quærebat Ieſum videre, quis eſſet, aſcendens in arborem ſicomorũ.	*mnas* Homo quidam nobilis &c. dedit ſeruis ſuis decem mnas.	*duo cœci.* Egredientibus illis ab Hierico, duo cœci illuminati ſunt. Cap. 113.
Mat. 17. Marc. 14. Ioan. 12. Mat. 21. Marc. 11. Luca 19.	*Vnguentum* Maria Magdalena, fracto alabaſtro, effudit. Cap. 114.	*palmas* Et acceperunt ramos palmarũ, & exierunt. Cap. 115.	*flens* Videns ciuitatẽ, fleuit ſuper illam, dicens, quia ſi cognouiſſes, & tu. Cap. 116.	*eijcient* Ejiciebat de tẽplo vendentes, & ementes in illo.	*tonitruum dat.* Gẽtiles ad Philippum dicunt, volumus Ieſum videre. Cap. 117.
Matth. 21 & 11 Marc. 11. & 11. Luca 20. & 18.	*Ficum* Cùm vidiſſet ficulneam habentem folia &c. maledixit. Cap. 118.	*baptiſma* In qua poteſtate hæc facis, &c. Baptiſmus Ioannis, vnde erat. Cap. 119.	*nec eo* De duobus filiis, quorum alter fecit voluntatem Patris. Cap. 120.	*iudex* Iudex, qui Deũ non timebat, nec homines reuerebatur. Cap. 121.	*Deus eſto.* Duo homines aſcenderũt in tẽplum, vt orarent, &c. Deus propitius eſto mihi peccatori.

Vinea

Digitized by Google

Matt. 21. 22. Marc. 12. Luce 10. 11.	*Vinea* Quidam plantauit vineam &c. Forſitan verebũtur filium meum. Cap. 122.	*non veſtem* Homo quidam fecit nuptias Filio ſuo. Cap. 123.	*nummiſmata* Licet tributum dare Cæſari, an non? Cap. 124.	*nubere* In regno cęlorũ neque nubent, neque nubentur. Cap. 125.	*quærit* Magiſter, quod eſt mandatũ magnum in lege? Diliges Dominum Deũ tuũ. Cap. 125
Matt. 23. Marc. 12. Luce 20. 11. 15. & 21.	*Filius* Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius ſit? dicunt ei Dauid. Cap. 127.	*in cathedra* Super cathedrã Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Cap. 128.	*væ væ* Væ vobis Scribæ & Phariſæi, hypocritæ. Cap. 129.	*ſanguis* Ecce ego mitto ad vos Prophetas, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus.	*duo donat* Vna vidua miſit duo minuta in Gazophilacium. Cap. 130.
Matt. 24. Marc. 13. Luce 21. 17 20. & 22.	*Aſpice* Magiſter aſpice quales lapides & ſtructura. Cap. 131.	*bella* Cùm audieritis prælia, & ſeditiones, nolite terreri. Oportet enim hęc fieri; ſed nondum ſtatim finis.	*ante reges* Dũ ſteteritis ante Reges, & Præſides, nolite præmeditari quẽadmodum reſpondeatis.	*fuga neque* Orate, ne fuga veſtra fiat hyeme, vel Sabbato; Erit enim preſſura magna.	*ſed hic eſt* Et dicent vobis, ecce hic, ecce illic. Cap. 132.
Matt. 24. Marc. 13.	*Signa, & erunt* Et erunt ſigna in ſole & luna, & ſtellis, & in terris preſſura gẽtium, præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum.	*Noe* Sicut fuit in diebus Noe; ſic erit in aduentu filij hominis. Sicut enim erant ante diluuium.	*tunc duo erunt* In illa nocte erunt duo in lecto vno, vnus aſſumetur, & alter relinquetur; Duo erũt molentes.	*manibus* Sint lũbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes.	*mora tardans.* Si autem dixerit malus ille ſeruus in corde ſuo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere cõſeruos.
Mat. 25. 26. Ioan. 12. 13. Marc. 18. Luce 22.	*Virgo* Tunc ſimile erit regnũ cœlorũ decẽ virginibus, Cap. 134.	*quinque dedit* Homo quidam peregrè proficiſcens vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua.	*miſerans* Eſuriui, & dediſtis mihi manducare; Sitiui, & dediſtis mihi bibere; hoſpes fui, & col. &c.	*nec credere* Cùm autẽ tanta ſigna feciſſet coram eis, nõ credebant in eum. Cap. 135.	*vendit* Quid vultis mihi dare, & ego vobis. Cap. 136.
Matt. 26. Marc. 14. Luce 22. Ioan. 13.	*Paſchatibi vis* Vbi vis paremus tibi, vt manduces Paſcha? Cap. 137.	*lauat* Et cœna facta ſurgit, & cœpit lauare diſcipulorum pedes. Cap. 138.	*atque cibat* Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum. Cap. 139.	*terret* Veruntamẽ ecce manus tradẽtis mecum eſt in menſa. Cap. 140.	*minor altus* Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor. Et qui præceſſor eſt, ſicut miniſtr. Nam &c.
Ioan. 14.	*Turbetur* Non turbetur cor veſtrum. Creditis in Deum, & in me. Cap. 141.	*veniam* Non relinquã vos orphanos, veniam ad vos. Adhuc modicum, & mundus me iam non videt.	*ſiquis me* Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Et Pater meus diliget eum.	*gaudeat* Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia ad Patrẽ vado, quia Pater maior me eſt.	*hinc nos* Sicut mãdatum dedit mihi Pater, ſic facio. Surgite eamus hinc.
Ioan. 15.	*Vitis* Ego ſum vitis vera, & Pater meꝰ agricola eſt. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eũ	*præceptum* Hoc eſt præceptum meũ, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos, maiorẽ hãc dilectionẽ nemo habet.	*mandans* Hæc mãdo vobis, vt diligatis inuicem. Si mũdus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis od.	*odio* Qui me odit, & Patrem meum odit. Si opera nõ feciſſẽ in eis &c. Nunc autem, & viderũt, & oder.	*veneritq;* Cũ venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritũ veritatis, qui à Patre procedit; ille t.
Ioan. 16.	*Vado* Vado ad eum qui me miſit, & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis?	*ſed arguet* Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio.	*en modicum* Modicum & iã non videbitis me; & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem.	*mulier* Mulier cũ parit triſtitiam habet, quia venit hora eius: Cũ autẽ pepererit puerũ, iã nõ meminit preſ.	*pete ſi quid.* Amen amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.
Ioan. 17.	*Sublenat* Subleuatis oculis dixit, Pater clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te.	*eximi* Ipſi acceperũt, & cognouerunt verè, quia à te exiui; & crediderũt, quia tu me miſiſti	*periyt* Nemo ex his perijt, niſi filius perditionis, vt ſcript. impleatur; nunc autẽ venio ad te.	*credent* Non pro his rogo tantum, ſed pro eis, qui credituri ſunt per verbũ eorum in me.	*ſimul vnum.* Rogo vt omnes vnũ ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnũ ſint.

Egreſſus

Digitized by Google

Ioan. 18. Marc. 14. Luca 21.	*Egreſſus* Egreſſus eſt Ieſus cũ diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron. Cap. 142.	*monuit* Sedete hic donec vadam illuc, & orem; Et aſſumpto Petro.	*ter, & orat* Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: Veruntamen non ſicut ego volo; ſed ſicut tu.	*ſudat* Et factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram, & cùm ſurrexiſſet &c.	*ab alto* Apparuit autẽ illi Angelus de cælo confortans illum.
Ioan. 18. Matt. 26. Marc. 14. Luca 22.	*Excitant* Vigilate & orate, vt non intretis in tentationẽ, ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.	*occurrit* Surgite, eamus. Ecce appropinquabit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum.	*ſtrauit* Vt ergo dixit eis Ieſus, ego ſũ; abierunt retrorſum, & ceciderũt in terram.	*dedit oſcula* Et oſculatus eſt eum. Dixit illi Ieſus: Amice, ad quid veniſti.	*ſanat.* Et cùm tetigiſſet auriculam eius, ſanauit eum: Erat autem nomen ſeruo Malchus.
Matt. 26. Marc. 14. Ioan. 18.	*Captum* Tunc acceſſerunt, & manus iniecerũt in Ieſum, & tenuerũt eum.	*fune ligant* Cohors autem & tribunus, ligauerunt eum.	*fugiunt* Tunc diſcipuli relicto eo omnes fugerũt. Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum.	*Annam* Duxerunt eum ad Annam primum: Erat autem ſocer Cayphæ.	*negat hinc ter.* Petrus negauit; ſecundum traditionem concordantium Euangeliſtarum. Cap. 143. 144. 145.
Marc. 26.	*Accuſant* Principes Sacerdotum, & omne conſilium quærebant falſum teſtimonium. Cap. 146.	*Spuitur* Et viri qui tenebant eum, illudebant ei.	*velant* Et velauerunt faciem eius.	*cadendo* Et colaphis eũ ceciderunt, & dabant ei alapas.	*Pilato* Surgens omnis multitudo, vincientes eum, duxerunt ad Pilatum.
Ioan 18. & 19.	*Herodi* Et vt cognouit quod de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem.	*Latro* Eſt conſuetudo vobis, Quem ergo vultis dimittam?	*flagellant* Tunc Pilatus apprehendit Ieſum, & flagellauit.	*heu purpura* Et veſte purpurea circundederunt eum.	*ſertum* Et milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti eius.
Luca 22. & 23. Ioan. 19.	*Heu colitur* Veniebant ad eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum.	*Spina* Exiuit ergo Ieſus portans ſpineam coronam, & purpureum veſtimentum.	*damnatq;* Adiudicauit fieri petitionem eorum.	*crucem* Et baiulans ſibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum, Cap. 147.	*mulieres* Sequebatur eũ turba multa, & mulieres, quæ plangebant & lamentabant eum.
Luca 23. Ioan. 19.	*Exuitur* Milites, cùm crucifixiſſent eũ, acceperunt veſtimenta.	*tendunt* Extendẽtes eum, ſicut pellem, dinumerabilia facta ſunt omnia oſſa eius.	*figuntq;* Ibi crucifixerunt eum, manibus & pedibus dirè transfixis.	*leuant* Cum cruce in aera leuatur, & latrones, vnum à dextris, & vnum à ſiniſtris.	*titulum dant.* Scripſit autem Pilatus titulum, quem cùm legiſſent.
Matt. 27. Luc. 23. Ioan 19.	*Conuitia* Prætereuntes autem blaſphemabant eum, mouentes capita ſua.	*ignoſcat* Pater, ignoſce illis, quia neſciũt, quid faciunt.	*hodie* Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.	*mulier* Mulier, ecce filius tuus. Ad diſcipulum autẽ, Ecce mater tua.	*tenebræ ſunt.* A Sexta autem hora, vſque ad horam nonam, tenebræ factæ ſũt ſuper terram.
Matt. 27. Marc. 15. Ioan. 19. Luc. 23.	*Clamat Hely* Et circa horam nonam, clamauit, Hely &c. hoc eſt.	*ſitio* Poſtea ſciens Ieſus &c. vt conſummaretur ſcriptura, dixit, Sitio.	*conſummo* Et cùm accepiſſet Ieſus acetum, dixit, conſummatum eſt.	*Pater* Et clamans voce magna, ait, Pater, in manus tuas.	*moriturq;* Et inclinato capite, emiſit ſpiritum.
Ioan. 20 Matt. 27.	*In limbum.* Et ſtatim anima eius Patres in limbo viſitauit, lætificans eos.	*latus* Vnus militum lancea latus eius aperuit.	*à cruce tunc* Ioſeph mercatus ſyndonem, deponens, inuoluit.	*gremio* Corpore depoſito, Dña gratiſſima deuotiſſimè in gremio ſuſcipit.	*tumulatur.* Et poſuit eum Ioſeph in monumento ſuo nouo. Cap. 149.

Digitized by Google

Mens In primis benedico animā Chriſti præcellentiſſimam.	*vires* Vires, & potentias animæ Chriſti, tam vegetatiuas, quàm ſenſibiles, & intellectuales.	*habitus* Virium habitus tam ſpeculatiuos quàm practicos.	*ſpecies* Species intelligibiles & ſenſibiles.	*affectio grandis.* Vim affectiuā, tam concupiſcibilem, quàm iraſcibilem, cum affectionibus.
Te benedico O caput ſuper omnia exaltatū, & ſpinis 72. depreſſum.	*caput os* O os veraciſſimum, à Iuda oſculatum.	*aures* Benedictæ aures, quæ audierūt crucifige, crucifige.	*lingua* Benedicta lingua, quæ guſtauit acetum.	*oculoſq;* Benedicti oculi, qui velo fuerūt velati.
Brachia Benedicta brachia, diè ſuper crucem retortā.	*ſtringo manus* Benedictæ manus pro me crucifixæ.	*cor laudans* Benedictū cor, crebro pro me contriſtatum.	*pelle* Benedicta pellis, pro me flagellata.	*latuſq;* Latus benedico, pro me tranſfoſſum.
Laudo pedes Benedicti pedes transfoſſi clauis.	*genua* Benedicta genua ſæpius in oratione curuata.	*ſimul intima* Benedicta intima & inteſtina omni acerbitate diſcraſiata.	*vulnera* Benedicta vulnera, horridè dilacerata.	*& oſſa.* Benedicta oſſa, variè afflicta.
O ſanguis. Benedictus ſanguis, grandi profluuio profuſus.	*caro* Benedicta caro ſanctiſſima, in cruce aſſata.	*& o corpus* Benedictū totū corpus, omni genere paſſionum vndique expoſitum.	*nomen* Benedictum nomē humiliatum, ſanctificatum, & exaltatum.	*Deitate* Benedicta ſancta Deitas, ab omnibus tunc neglecta.
Mitra bona Pro epiſcopalibus inſignijs, pro mitra ſpinas.	*chirotheca* Pro chyrotecis, clauis groſſis indueris.	*chlamys* Pro chlamyde, aut pallio Archiepiſcopali, veſte alba.	*ſandalia* Pro ſandaliis, confoderunt pedes clauis ferreis.	*ſceptrum.* Pro baculo Epiſcopali, dabant tibi arundinem.
En albam Pro alba, illuderis veſte Herodiana.	*caſulam* Pro caſula, charitatis figura, veſte purpurea.	*vel amictum* Pro amictu, obtegeris vili in deriſionem velo.	*ſtola* Pro Sacerdotali ſtola, illuſus es fune pœnoſitatis.	*maniplus.* Pro manipulo aut ſudario, reſte ligaris dura.
O galeam Pro regali galea, velamen oculorum.	*gladios* Pro gladio, virgam arundineam & ferreos clauos.	*loricam* Pro lorica, tunicam inconſutilem, & cutem dirè vndique perforatam.	*lancea* Pro lancea, eſt tibi lancea militis lateri infixa.	*ſcutum.* Pro ſcuto, in humeris onuſtā nimis crucem.
Caſio Hi modi curationum. Primo, circūcidi pro me ſanando voluiſti.	*balnea* Secundo, curaſti me balneo in baptiſmo.	*ieiunas,* Tertio, curaſti me bona dieta, quadraginta diebus ieiunando.	*confectio* Quarto, curaſti nos confectionibus ſpecierum, id eſt, corpore, & ſanguine.	*ſudor* Quinto, curaſti nos ſudore ſanguineo in monte Oliueti.
Vnguento Sexto, Curaſti nos vnguēto ſputorum fœtidiſſimorum.	*emplaſtroq;* Septimo, Curaſti nos emplaſtro, quando oculos tuos velo obtegiſti.	*minutio* Octauo, Curaſti nos minutione, quando toties ſanguinem effudiſti.	*potus* Nono, curaſti nos potu, quādo fel & acetum guſtaſti.	*& orat.* Decimo, curaſti nos oratione, quando indefeſſè pro me oraſti.

Digitized by Google

Matt. 28. Marc 16. Ioan. 20. Luc. 24.	*Veſpere* Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati. Cap. 150.	*confregit* Confregit portas æreas, & vectes ferreos confregit.	*duxit* Duxit patres (ſecundum Ludolphum) in Paradiſum.	*ſurgit* Surrexit, non eſt hic. Quid quæritis viuentē cum mortuis?	*,duo in albis.* Dum ergo fleret, vidit duos Angelos in albis ſedentes.
	Cerne modum. Reſurrectionis qualitatem, & etiam reſurgentis, vide infrà.	*cauſam* Cauſalitas reſurgentis, & quare reſurrexit, infrà.	*cur vulnera* Quare vulnerū cicatrices retinuit.	*gaudia* .Multipliciter apparuit ſuis dilectoribus viuus.	*dicta.* Figuræ & prophetiæ reſurrectionis.
Ioan. 20.	*Magdalis* Mariæ Magdalenæ in ſpecie hortulani. Item mulieres acceſſerunt & tenuerunt.	*Petro* Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.	*vel Emaus* Duo ex diſcipulis ibant illo die in caſtellum Emaus.	*ſero* Cùm ſero eſſet, die illa, vna Sabbatorum.	*redit & poſt.* Poſt dies autē octo, iterum diſcipuli erāt intus, & venit Ieſus.
Ioan. 21. Marc. 16. Luc. 24. Act. 1.	*Ad mare* Poſtea, manifeſtauit ſe iterum Ieſus ad mare, Manifeſtauit autem ſic: Erant.	*fert Petro* Dixit Ieſus Petro, Sequere me; Conuerſus Petrus, vidit diſcipulum.	*Galilea* Vndecim autem diſcipuli ibant in Galilæam, in mōtem, vbi conſtituerat.	*veſcitur* Recumbentibus vndecim diſcipulis.	*exit* Eduxit autem eos foras in Bethaniam.
	Conueſcens Conueſcens, præcepit illis, ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed ex	*docuit* Non eſt veſtrū noſſe tempora, vel momēta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.	*ſcandens* Et cùm hæc dixiſſet, videntibus illis, eleuatus eſt.	*benedixit* Et, eleuatis manibus, benedixit illis.	*& aſtant.* Cùm intuerētur in cælum eūtem illum, Ecce duo viri.
	Quomodo Aſcēſionis qualitas, quomodo aſcendit; quia patenter, propria virtute, gaudenter, decenter.	*cur* Quare aſcendit, & aſcenſionis rationabilitas; quia iuſtum, decet, & propria vis & Pater vocat.	*vel quo* Attendatur aſcenſionis Chriſti ſublimitas, ad dexteram, iudex omnium.	*prædicta* Figuræ & prophetiæ de aſcenſione: Aſcendit, pandens iter.	*vel vtilitates.* Vtilitas aſcenſionis, nobis proueniens: vt exoret, viam monſtret.
	Complentur De Pentecoſte. Et dum complerentur dies Pentecoſtes.	*tonat* Factus eſt repentè de cœlo ſonus.	*implentur* Repleti ſunt omnes Spiritu-ſancto.	*fanturq́;* Locuti ſunt varijs linguis, prout Spiritus ſanctus dabat.	*ſtupeſcunt* Facta hac voce, conuenit omnis multitudo, & mente confuſa.
	En donum Septem dona S. Spiritus; duodecim fructus Spiritus; gratias gratum facientes, & inſpirationes.	*quotiens* Viſibiliter, inuiſibiliter; In terra; de cælis; in Mariam; ſuper Chriſtum; ſuper Apoſtolos.	*qua cauſa* Propter promiſſi impletionē; vt firmaret in fide; vt ſolaretur.	*modus* Patenter, verè, potenter, ſapienter.	*bona ſigna.* Signa, per quæ coniecturat homo, ſe habere Spiritum ſanctum.
	Ecce docent Populo prædicando. Primo in Iudæa, demum per orbem.	*vertunt* Populum ad fidem trahēdo per prædicationem.	*miranda* Miraculis fulgebant, Domino ſermonem confirmante.	*ferunt* Ibant gaudentes à conſpectu cōcilij, quoniam digni.	*cumulantur.* In Eccleſiam Catholicam, quā ſibi Dominus copulauit.
	Commanet Ecce ego vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem ſæculi.	*aſſumpſit* Demum aſſumpſit Matrem ſacratiſſimam.	*Iudex* Deinde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos.	*dat gaudia* Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnū.	*pœnas.* Ite maledicti in ignem æternū, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius.

MEMBRVM III.

Quomodo Chriſti myſteria per conſiderationem moroſius ſunt tractanda.

MIrabilia teſtimonia tua: ideo ſcrutata eſt ea anima mea. Pſal.118. POSTQVAM poſuimus Roſarium *generale*, de Chriſti myſterijs ad legendum; Itemque *alia* ad commemorandum; nunc *tertio* conſideratoribus quædam ſunt puncta conſiderabilia ponenda, circa Chriſti myſteria. Non enim ſatis erit perſpicatiori, Chriſti myſteria commemorare; ſed ſingula conſiderare, ſingula cum pſalmiſta ſcrutari debet: quo eruat *mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo*. Cui perſcrutationis exercitio, qui ſe accommodare valet, non opus erit illi multa habere puncta, ſed certis articulis ſe dabit perſcrutandis, quo longius immoretur, & figatur attentius, tractando eos per ſcalam meditatoriam ſuprapoſitam. Et qui in conſiderationibus abundare volet, legat magiſtrum Gerardum groet, in de quattuor meditabilibus; vbi materiam latam præſtat in vno commorandi, ſcilicet, vt *primo* homo retractet, quæ de articulo aſſumpto narrat Euangelica hiſtoria; *ſecundo*, quas tradat ei correſpondentes figuras, & prophetias vetus pagina; *tertio*, quæ Sanctis reuelat; *quarto* quæ his videntur veriſimilia, & pia; *quinto* rationabilia conſideramenta, qualia Doctores ponunt. O latiſſima commemorandi inſtrumenta, ô turgida organa copiarum! Qui vos ad manus haberet, ante tempus, quam meditandi materia illi deeſſet ſemper? Nam ſingula horum, latiſſima adhuc ſub ſe complectuntur membra.

Nec obijciat quis de labore; veſcendum eſt enim pane nedum materiali, ſed & doctrinæ, in ſudore vultus noſtri. Et paneus labor grandem pariet fructum. Vno anno laborem apponat, punctula conſiderationum circa Chriſti myſteria congregandi, & poſt æternis diebus ſuis fauis quiete veſci poterit. Mos iſte (ait Gerſon) non virorum eſt, ſed infantium, non poſſe, vel nolle cibum recipere; niſi aut præmaſticatum, aut minutatim diſciſſum. Verumtamen morem gerentes paruulis, cæpimus alibi certa puncta per Roſaria colligere, circa Chriſti incarnationem, natiuitatem, circumciſionem, Magorum oblationem, in templo oblationem, paſſionem, reſurrectionem, & alias quoque plures feſtiuitates, modum ſimiliter faciendi, & formam dantes, ſtudioſis, & deuotis. omnibus

TITVLVS XVI.

EXERCITATORIVM, ET SCALA DOminicę paſſionis.

CHRISTO *in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armamini.* 1. Pet. 4. POSTQVAM egimus de quibuſdam conſiderationibus circa Chriſti vitam, & myſteriorum eius diſpenſationem generaliter; hic
I. agendum de eius paſſione ſpecialiter, quæ efficacius mentes mouere ſolet. Amplius enim (teſte Bernardo) mouet ad pietatem mortis atque paſſionis Chriſti, quàm vitę recordatio: Illa ait mihi regula, hæc à morte redemptio eſt; Illa vitam inſtruxit, hæc mortem deſtruxit. Vita quidem laborioſa; ſed mors pretioſa; vtraque admodum neceſſaria; ſed hæc ſedulius mihi; & frequentius memoranda quemadmodum exhortatur Paſtor primus, in verbis præſcriptis, quarę, & ſingularis de ea titulus eſt formandus.

De inductiuis ad Dominicæ paſſionis meditationem frequentandam.

CAP. I.

II. AD paſſionis Dominicæ memoriam frequentandam, plurima poſſent poni inductiua: Quippe omnia iam ſupra, circa myſteria vitæ eius aſſignata; quia ſcilicet eſt hoc gratum, ſuaſum, dignumque, opus, vtile multum, vt ſupra. Nil enim hoc exercitio gratius, aut acceptius. Ait enim Bonauentura. Nullum gratius Deo pro peccatis ſacrificium; defunctis efficacius remedium. Angelis maius gaudium; ſummæ glorioſæ Trinitati præſtantius reuerentiæ, amoris, & gratitudinis obſequiū, valebitis offerre; quam in vita, & paſſione Ieſu Chriſti contemplandis, totius vitæ veſtræ impendere decurſum. Vnde, & cuidam heremitæ, poſtquam longiuſculè exoraſſet Dominum, vt oſtenderet ſibi, quid inter cætera ſeruitia magis acceptaret; apparuit Chriſtus cum cruce, dicens, quod in nullo ſibi ita complaceret, ſicut in eo, quod homo paſſionem, & crucem portet in corde. Quàm autem huius memoria neceſſaria ſit, ſupra eſt monſtratum, vbi dicitur, quòd tantum vnicuique (ſaltem adulto) proderit Chriſti paſſio; quantum eam applicauerit homo, per piam meditationem ſibi. Omnis enim (vt Chryſoſtomus ait) ſalus hominum, in Chriſti morte poſita eſt, nec vlla res eſt, quæ magis ad ſalutem hominum pertineat, quam paſſio Chriſti. Quam autem vtilis ſit memoria Dominicæ paſſionis, non facile dici poteſt. Ponunt varij varios fructus, quos tamen nos ad duodenarium, inſtar duodecim fructuum ligni vitæ, reducemus.

Paſſio penſata fructus pariet duodenos.
Compungit, purgat, luſtrans, ſpem dat, calet, auget.
Robur dat, vitam, reficit, laus, gaudia, tutat.

PRIMVS fructus eſt Compunctio mentis: Paſſionis enim Chriſti deuota meditatio, ad pœnitentiam, & ad partes eius, compungendo, mentem accendit; nam *contritionem inducit*, In cuius ſignum petræ ſciſſę ſunt, & terræmotus factus eſt, tempore paſſionis. Quorum inſtar, & peccator; ne petris durior, ne terra, inſenſibilior videatur, ad contritionem debet commoueri. *Confeſſionem inducit*: In

cuius iudicium monumenta apetta ſunt. *Ad ſatisfactionem* commonet, vt velimus etiam aliquid pati pro peccatis proprijs, dum Chriſtum contemplamur, tanta paſſum pro alienis, ſiue noſtris. Immo, & hæc plenè ſatisfacit; ita quòd (teſte Bonauentura) nihil eſt in homine, quod ita operatur vniuerſalem ſatiſfactionem, ſicut meditatio Dominicæ paſſionis. Quiſquis igitur vere ad pænitentiam volet compungi, de Chriſti paſſione hunc fructum carpere debet.

SECVNDVS fructus eſt purgatio mentis, à vitijs, & vitiorum reliquijs, puta à concupiſcentijs malis: Eſt enim Iordanis, in quo Naamam leproſus mundatur; 4.Reg.5. & in ſolius huius *agni ſanguine Sancti dealbant ſtolas ſuas.* Apoc.22. Et, quiſquis veneno concupiſcentiæ percuſſus, *Serpentem hunc aneum* aſpexerit; ſtatim ſanus Nu.21. erit. Hinc Bernardus, Quid tam efficax ad curandum conſcientiæ vulnera, nec non ad purgandum aciem mentis, quàm Chriſti vulnerum ſedula meditatio? Eſt ergo efficaciſſima medicina purgatiua.

TERTIVS eſt illuſtratio mentis: In hac enim plenitudinem ſcientiæ Bernardus inuenit; imo & Apoſtolus ipſe, qui dixit, 1.Cor.2. *Nihil arbitratus ſum me ſcire inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Quare, & hæc noſtra ſit ſublimior philoſophia, hæc enim de omnibus docet, vt dicitur in Horologio æternæ ſapientiæ. Frequens memoria huius paſſionis indoctum reddit doctiſſimum, & idiotas, & imperitos, facit proficere in magiſtros, 1.Cor.8. magiſtros inquam ſcientiæ, non quæ inflat, ſed charitatis, quę ædificat. Ipſe eſt velut quidam liber vitæ, in quo omnia ſaluti neceſſaria inueniuntur: Hic liber præ omnibus Philoſophorum libris, de omnibus docens, mellea quadam dulcedine perunctus. Felix qui eius ſtudio ſeriosè incumbit, quia omnium gratiarum, & virtutum citius ſumet incrementum. Quomodo autem in hac paſſione dicitur, omnia ſcibilia, & artes relucent, pulchrè Bonauentura in ſuo (vt aiunt) *ſtimulo*, docet.

QVARTVS eſt *ſpei ſubleuatio.* Bernardus, *Scio, quod merita mea non ſufficiunt, quod mihi deeſt, audacter vſurpo ex viſceribus Chriſti*, &c. Tota ſpes mea in morte Domini mei eſt. Et Auguſtinus, *Non poſſum terreri multitudine peccatorum meorum, non poſſum deſperare, ſi mors Domini in mentem venerit, quia peccata mea illum vincere non poſſunt.*

QVINTVS eſt *inflammatio ad charitatem.* Bernardus & ante eũ Auguſtinus. *Super omnia mihi reddit amabilem, ò bone Ieſu, calix quem bibiſti; opus noſtra redemptionis: Hoc enim omnino amorem noſtrum neceſſario vindicat ſibi. Hoc inquam noſtram deuotionem blandius allicit, iuſtius exigit, & arctius ſtringit. & afficit vehementius.* Quo duriora pertulit, eo efficacius amorem noſtrum ad ſe rapit. Eſt enim carbo ignitus.

SEXTVS eſt *augmentatio virtutum*, & meriti. Prærit enim hæc meditatio omnia opera bona, qua ſine cætera parum valent, niſi enim paſſioni applicita fuerint, non grata erunt, ſed cruda. Et hic fons eſt, & origo meritorum. Satius autem ex ipſo fonte bibuntur aquæ. Hinc Albertus Magnus. Simplex, inquit, recordatio paſſionis Chriſti multo plus homini valet, quam ſi integrum annum ieiunaret in pane, & aqua, vel ſi quotidie virgis, aut flagellis cæderetur, vſque ad ſanguinis effuſionem, vel ſi quotidie legeret integrum pſalterium. Hæc ille. quod intellige ſi abſque paſſionis memoria fiant. Præſtat enim ſpirituale hoc exercitium omni corporali. Eſt ergo nobis in meditatione Dominicæ paſſionis magna multitudo dulcedinis, gratiæ plenitudo, & perfectio virtutum.

SEPTIMVS fructus eſt *arboratio*, & confortatio in tribulationibus. *In omnibus aduerſitatibus* (aiunt Auguſtinus, & Bernardus) *non inueni tam efficax remedium, quam vulnera Chriſti. In illis dormio ſecure, & requieſco intrepidus.* Itẽ in tentationibus. Bernardus. *Cum me pulſat aliqua turpis tentatio, recurro ad Chriſti vulnera. cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei reſurgo, cum Diabolus mihi parat inſidias, fugio ad viſcera miſericordia Domini mei, & recedit à me. Si ardor libidinis mouerit membra, recordatione vulnerum Domini mei extinguetur.* Magnæ ergo virtutis eſt (ait Origenes) memoria paſſionis Chriſti, quæ ſi fideliter in mente tenetur, omnes tentationes, & peccati exercitus fugantur. Eſt ergo tutiſſimum præſidium contra inſultus diabolicæ tentationis, quia dat hic ſcutum cordis laborem ſuum, &c. *Confortat quoque ad preferenda mala*, in ea enim eſt dulciſsimum ſolatium contra ictus omnis afflictionis. Vnde Gregorius ait, *Nihil adeo graue, quod non aquanimiter toleretur, ſi Chriſti paſſio ad memoriam reducatur.* Et Iſidorus, & Auguſtinus. Si paſsio redemptoris ad memoriam reducitur, nil tam durum, quod non æquo animo toleretur. *Parua erunt, qua toleramus, ſi recordemur, quid biberis ad patibulum, qui nos inuitat ad calum.* Eſt ergo *lignum temperans aquas marath.* Exod. 15. Quapropter Apoſtolus ait, *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum* Heb.12. *contradictionem: vt non fatigemini animis veſtris deficientes.* Confortat etiam ad agenda bona, quia magni amoris oſtendit nos debitores. Hinc & Elphantis *oſtendebatur* ſanguis quo 2. Mac. ad prælium animarentur.

OCTAVO dat vitã, id eſt, viuificat in vera animæ vita. Abac.3. Bernardus, paſsio Domini mortuos viuificat. O obſcondita fortitudo mors Chriſti mortuos viuificat vniuerſos.

NONVS eſt refectio mentis dulcedine mira. In ea enim inueniuntur vberrima paſcua diuinæ conſolationis, quibus ſponſa recreatur. Hic comedit fauum cum melle, & bibit vinum cum lacte ſuo, Cant.5. ita vt dicat cum Bernardo, *Bonum mihi diligere Ieſum, nil vltra quarere, mihi prorſus deficere, vt illi quam viuere.*

DECIMVS eſt inflammatio ad laudem Dei. Bernardus. Omnia oſſa mea germinant laudem, cum recordor Chriſti paſsionem: Vnde, & ſuper iudicia iuſtitię huius Dauid confitebatur media nocte, & ſepties in die laudem dixit. Sic filij Iſrael canticum cecinerunt poſt

tranſitum maris rubri. Inter enim omnia opera Chriſti, iſtud digniſsimum laude.

VNDECIMVS eſt æternæ vitę præſtatio: Poſt mortem namque Summi Pontificis, homicida, & exul reuertitur in terram ſuam. Nu. 35. Et quo quis huius crebrius, & deuotius meminerit in via: eo amplius (iuxta Sanctum Thomam) gloriabitur in Patria. Vt patet in exemplo de Fratre carbunculum ſub pectore gerente pro præmio ſingulari, quia ſæpius huius rememorabatur.

DVODECIMO tutat, & liberat à purgatorio: *Liberat* enim & illic detentos, quippe, quia ſacrificium ſufficiens eſt pro eis Deo acceptum: *Tutat* etiam, & præſeruat, ne quis eò deueniat, ſi digne applicuerit hanc ſibi practicam, quæ in horologio æternæ ſapientiæ docetur: vt ſcilicet primo cum dolore peccata homo commemoret, *ſecundo* aggrauet, *tertio* ſe valde humiliet, *quarto* Chriſti meritum, & paſsionem extollat, per eam pro plena remiſsione peccaminum obſecrando: Et tunc nihil hæſitandum, quin etiam dicit nobis, Mar. 2. *dimittuntur tibi peccata tua*. Pronior enim eſt fons ille pietatem iugiter ſcaturiens ad miſerandum, quam nos ad petendum. Hæc de duodecim fructibus ligni huius vitalis, quos facile conquirit mediator ſedulus Dominicæ paſsionis. Aſcende igitur in palmam, quicunque his fructibus refici voles: Cant. 5. Si te non poſſunt allicere iam dicta, vel ſaltem impellant te Dei præceptum, & Eccleſiæ inſtitutum. Iuſsit enim Dominus ſui commemorationem fieri, Luc. 22. & Eccleſia, Miſſam in huius memoriam audire præcepit. Si non trahit bonum vtile, & honeſtum, vel alliciat te delectabilitas huius: Apoc. 2. Meditari enim Ieſum, & hunc crucifixum, vere eſt edere de ligno vitæ, & guſtare viuum Dei verbum & manna abſcondito refici, cuius guſtum, præter eum, qui accipit, nouit nemo, cuius dulcedo, in immenſum ſuperat omnes, etiam delectationes mundi, licet congeſtæ fuerint in vnum. 1. Pet. 16. *Chriſto igitur in carne paſſo eadem cogitatione armare*, quiſquis in omne cupis progredi bonum, quiſquis guſtare voles prænumeratos fructus.

VERVM tametſi dulciſsimi ſint fructus, palatum tamen non ſanum, aut vix, aut non omnino afficere poſſunt: Qua propter, qui hos guſtare cupit, purgato affectu oportet accedat. Et licet ex ſuperioribus colligi poſſet, qualis erit myſteriorum Chriſti contemplator; paſsionis tamen meditatorem, ſingularius oportebit diſponi. Ait enim Bernardus, qui in hac ſcientia, quæ ſuper omnes eſt, proficere volet, oportet, vt omnem vanam conſolatiunculam, & delectatione prorſus abſcindat: Nō enim decet eum, qui vult Chriſti dolorem memorari, & ſentire, in verbis, riſibus, & luſibus vane reſolui: Sed omnis oportet vana conſolatio abijciatur, ſi vnquam in cruce gloriari cupit. Non enim bene conueniunt, nec in vna domo morātur cōſolatio carnis, & cōtēplatio Gal. 6. dominicę paſsionis. Crux Chriſti voluptati aduerſatur, & voluptas cruci. Renuat cōſolari anima tua in alijs, ſi vis in crucis memoria oblectari. Nec (vt quoſdā) te terreat crucis nomen, cuiꝰ tametſi durus, amarus, doloroſus, horridus à foris videatur aſpectus; eſt tamen in ea tanquam horrido vaſe, dulciſſimum, & pretioſiſſimum nectar amantis, & tantopere amantis Dei, reconditum; cuius nectaris cui vel ſtillicidium vnum delibare donatum fuerit, mox reſpuet omnia mundi; mox illi aberit, niſi in cruce gloriari. *Vt igitur tibi crux ſapiat, opus eſt, carnem crucifigas*. Gal. c. 6.

Qui autem verè in Dominicæ paſſionis exercitio proficere cupit, non illi, quòd excitatus, quòd diſpoſitus ſit ſufficere debet; ſed oportet, vt de illis tribus ſupra iam dictis, etiam prouideat ſibi:

vt ſcili.
Certum Tempus ſibi præfigat,
Debitum modū præſtituat,
Punctula quædā colligat,
ne
Intermittat:
Deficiat,
Fluctuet,

Tempus oportunius eſt ſub miſſa: *Miſſa* enim *celebratur, vt mors Domini recolatur*. Cætera coaptet quiſque ſibi. De punctulis habendis, quam id congruat, ſupra eſt declaratum; vnde & infra Roſaria quædam aſſignabimus, & certa puncta. Supra omnia autem neceſſe eſt habere modum bonum: Niſi enim lignum iſtud vitæ affectuoſæ meditationis, & maſticationis dentibus attritum, imò, & ruminatum fuerit, minimè animi palatum afficiet, reficiet, impinguabit. Qua propter ſcala ſubnectenda eſt, quæ habet & modum initiandi, progrediendi, & terminandi, ponens practicas determinationes.

Scala meditatoria Dominicæ Paſſionis.

CAPVT II.

H*Æc eſt ſcala peccatorum, per quam Chriſtus Rex cælorum, ad ſe trahit omnia*. Quoniam filius hominis in monte Myrtæ, in palma frugifera exaltatus, qui in eius palmam conſcendere, benedictum fructum eius cum ſponſa apprehendere volet, ſcala opus habet: Teneat itaque ſcalam iſtam, qui non habuerit Cant. 7. meliorem. cuius ita ſunt ordinati gradus, vt duo primi ſint exordiales, duo poſtremi terminatorij, aut finales: Intermedij autem proceſſionales, ita quòd adminiſtrent bonum modum inchoandi, progrediendi, terminandi, quæ tria, ad laudabile quodque opus concurrere debent. De quibus ſingulis breuiter agendum. Nec quemque moueat, quòd ſufficere poſſet pro modo meditandi, ſcala illa ſuperior generalis, quia licet ſufficiat, non tamen determinatos proceſſus habet, qui paruulis neceſſarij ſunt.

MEMBRVM I.

De gradibus initiatorijs ſcalæ paſſionis.

Prou. 16. H*Ominis eſt animum præparare.* QVONIAM, vt crebrius iam diximus, talem de actibus ſuis plerunque homo fructum reportat, quali animi præparatione. quali item affectu ad eos acceſſit; ideo neceſſarium eſt, vt homo ſemper præparet cor, & potiſſimum cum ſacratiſſima quæque, puta paſſionis myſteria, corde retractare volet, & ideo præparatorij gradus præmittuntur. Quiſquis igitur Domino pro te paſſo non ingratus voles inueniri; ſtudeas quo vel vnam indies horam, tanto beneficio retractando dedices, ne dum iudex aduenerit, improperet tibi, Mat. c. 25. *Hoſpes fui, & non ſuſcepiſtis me.* Itemque, *Non vna hora potuiſtis vigilare mecum?* Et licet mens ſuo more, aut diabolica inſtigatione, ad optima quæque algeat, licet ſubterfugiat; non ideò memoria paſſionis intermittenda, ſed pigram mentem primo hoc gradu, velut calcaribus quibuſdam vrgeat, & ad id inuitat, ſit ergo

Mat. 25. Mat. 26.

§ 1. *Gradus Primus.*

Eſa. 52. N E*Xcuſſio diſpoſitoria.* De qua Eſaias, *excutere de puluere, conſurge, ſede Hieruſalem, ſolue vincula colli tui, captiua filia Syon, quia gratis venundati eſtis,* Et eſt, qua

mentē	Torpentem excites,	per	Inductiuorum cōſiderationem:
	Diſtractam recolligas,		Tui reuocationē, & vacationem;
	Fluctuantē ſtabilias,		Certi articuli aſſumptionem.

PRIMO enim omniū mentē torpidā, debes per inductiuorū conſideratioñē excutere, vt poſſis viriliter, & feruenter aggredi (vt Bonauentura ait) tam ſacrum opus. Inductiua autem ad id incitantia, plurima iam ſunt prætacta: Quæ tamen poterit homo ſub ſeptenario hoc tenere. ſecundum ſeptem ferias dierum, vt excitetur ad Chriſti paſſionem libenter ruminandam; Quia

Scilicet {
- Tam Deo, & Sanctis gratum,
- A Chriſto, & Apoſtolis etiam præceptum,
- A Sanctis vniuerſaliter ſuaſum;
- Tam iuſtum, & dignum;
- Tam ſaluti noſtræ neceſſarium;
- Tam in præſenti vita commodoſum;
- Et in futuro vtile, & meritorium.

Declaratio horum ex ſuperioribus colligi poteſt.

Per hæc itaque & huiuſmodi mens à torpore excitanda.

SECVNDO principaliter oportebit mentem diſtractam *recolligere*, & ab omnibus impedimentis, & obſtaculis meditationum euacuate, iuxta illud Pſal. 45. *Vacate, & videte.* Pſ. 45.

TERTIO neceſſe eſt mentem iam excitatam, recollectam, & diſpoſitam, per certi articuli alicuius aſſumptionem *ſtabilire*; ne incertum, & in multitudine obruatur: Valde enim cauendum Dominicæ paſſionis contemplatori, (ait Ludolphus) ne plurima gluriat ſimul; ſed ſeriatim aliquid de ea per ſingulos dies accipiat, in quo Sabbatum faciat delicatum, Eſa. 48. cuique ruminando inhæreat tenacius, & longius immoretur. Vnde poterit quiſque certos ſibi arripere articulos, ſecundum dies diſtinctos, vt patet in arbore crucifixi Bonauenturæ, aut in Roſario ſuperiori; vel infra. Verum ſi meditari non libuerit, vel exemplo Heliſæi applica tibi ſaltem concinendo, ſubnexum excitatorium verſum: Cantus enim & aurum iuxta Philoſophum cordialia ſunt, id eſt excitatiua cordis. Et cantabitur ſub nota. *Crux fidelis: Pange lingua*, Vel *Vrbs beata.*

Hymnus.

EXcitare excitare, ô peccatrix anima,
Chriſtum paſſum ſpeculare, virtute magnanima:
Inductiua meditare, quæque linquens infima.
Nihil quippe Trinitati, delibabis gratius,
Nil ſupernæ ciuitati dedicabis ſatius,
Chriſti quam humanitati hærere tenacius.

Verum quoniam ſcriptum eſt, *beſtia quæ montem tetigerit, lapidabitur*: licet ſis excitatus, licet vtcunque recollectus, non tamen mente immunda, ad ſacratiſſima hæc ſacramenta reuoluenda, aſcendendum. Vnde oportet exerceri ſequenti gradu.

§. 2. *Gradus ſecundus.*

B*Eniuolentiæ captatio.* DE QVA Exod. ca. 19. *Qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiam eos.* Et eſt, qua intuearis hæc tria,

Nēpe {
- Tuam inſufficientiam, & vtilitatem, Hinc te humiliando,
- Diuinorum actuum altitudinem, & dignitatem, Hinc myſteria Chriſti reuerendo.
- Dei potentiam, & pietatem, Hinc pro dignitoſa meditatione orando.

ET EST huius gradus exercitatio vtilis, & neceſſaria valde. *Neceſſaria*, quia (ſecundum Auguſtinum) melius eſt ſpiritualia penitus omittere, quam impure ea tractare: Vnde ante ſpiritualia neceſſe eſt purgari corda: Dicitur enim. Leuit. 22. *Omnis homo, qui acceſſerit ad ea, quæ conſecrata ſunt, in quo immunditia eſt, peribit de populo ſuo.* Et quæ ita conſecrata,

Digitized by Google

& ſancti, vt paſſionis Chriſti myſteria? Vnde non licet ea verſare mente immunda; Patet ergo neceſſitas. Quod etiam *vtilis ſit* exercitatio huius gradus, docet Bonauentura, Quo (inquiens) perfectius contritionis lauacro caligo mentis detergitur; eo lucidius diuinæ reparationis beneficium ſpeculatur. Si igitur periculum indignæ meditationis voles euadere; ſi mente perſpicaci Chriſti myſteria contemplari: ſtude te in hoc gradu primum exercere; te ſcilicet profundè humiliando, ex conſideratione tuæ inſufficientiæ, & vilitatis. *Non enim ſumus* (teſte Apoſtolo 2. Cor. 3.) *ſufficientes cogitare aliquid ex nobis*, &c. quanto ergo minus, tam altiſſima myſteria contemplari? Sed etiam ex vilitate indigni ſumus, vt introeant tam ſancta myſteria ſub tecto mentis noſtræ; Quam vilitatem ex multis deprehendere poterimus, vt ſupra in de Sacramento eſt tactum; Sed ne multitudine diſtrahamur, poterimus aſſumere per ſingulos dies, ſingula mortalia peccata, ſecundum ſeptenas præſcriptas; Et videre, quam ſingula cum ſuis ſpeciebus, & filiabus, dominentur, & regnent in nobis. Et ſi foderimus parietem, inueniemus, quod ſuper carbones denigrata ſit facies mentis noſtræ, & quod luto ſimus viliores. Vnde valde verendum, ne ſi beſtiali mente acceſſerimus ad montem, lapidemur.

Mat. 8. — *Ezech. 8* — *Tren. 4.* — *Heb. 12.*

ET QVO amplius humilieris, & ad reuerentiam erga Chriſti paſſionem inceutiaris; attende è regione *Diuinorum actuum* altitudinem, & dignitatem; Quia (iuxta Vbertinum) tam ſunt digni, vt quiſque merito reputabit ſe indignum, vel minimum articulum paſſionis eius tractare. Valde ergo humiliari, & reuereri debemus.

Iob 14. SED NE nimium deijciamur, habemus *tertio* perpendere Dei *potentiam*, quæ facilè poteſt de immundo facere mundum: Itemque *pietatem*, qua exaudit omnes ſe inuocantes, & ſic implorare debemus, quo ipſe mentem expurget, intellectum illuminet, affectum inflammet, ad dignè de Chriſti paſſione meditandum.

Heu quid auſim meditari, de te, viua hoſtia,
Sus aſſueta volutari ſpurca per paluſtria!
Verè tremo lapidari montem tangens beſtia.

MEMBRVM II.

Sequuntur gradus profectorij. 2.

A*Scendam in palmam: & apprehendam fructus eius*: Cant. 7. POST GRADVS prænominatos præparatorios, ſubnectendi ſunt gradus *proceſſorij*, ſiue procedendi, qui ſumuntur ſecundum varios modos, quibus Chriſti paſſio inuenitur à Sanctis exercitata. Quidam enim Sanctorum exercitauerunt ſe circa hanc,

Ad {
- Memorandum, vt Hiere. Tren. c. 3. dicens. *Memoria memor & tabeſ.* &c.
- Compatiendum, vt Paulus, Rom. ca. 8. *Sic compatimur, inquit, & conregnabimus.*
- Imitandum, vt Petrus. 1. Pet. c. 2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens.*
- Gratiandum, vt Sapiens, Eccli. 29. *Gratiam fideiuſſoris tui ne obliuiſcaris.*
- Admirandum, vt Dauid, Pſal. 118. *Exercebor in mirabilibus t. Mirabilia teſti.t.*
- Exultandum, vt Sponſa, Can. 1. *Exultabimus & lætabimur in te.*
- Liquefiendum, vt Iohannes. 1. Io. ca. 3. *In hoc cognouimus charitatem Dei.*
- Vniendum, vt Vir ſecundum cor Dei, *Mihi adhærere Deo bonum eſt.* Pſ. 72.

Sunt item & alij modi, quibus paſſio hæc, poterit ad exercitium trahi: Puta cum populo Iſrael à ſerpentibus percuſſo, ad ſanandum: *Nu. 21.*
Item cum Abacuc ad contemplandum: Sed *Abac. 2.*
ſunt hi modi ſub prioribus cõplexi: & cõprehẽſi vt patet. Ad ſanandũ ſub imitatione, Cõtẽplatio ſub exultatione &c Et ſinguli hi modi, ſuos habent fines, & fructus ſingulares.

Nam	primus,	conſiderat	Textum,	inducẽs ad	Mentis puritatem.
	ſecundus,		Aggrauãtia.		Gloriæ ſublimitatem.
	tertius,		Exemplum,		Chriſti ſocietatem.
	quartus,		Beneficium,		Bonorum ampliorum effuſionem.
	quintus,		Mirabilia,		Mentis extaſim, & ſtuporem,
	ſextus,		Fructum,		Spiritualis guſtus dulcorem.
	ſeptimus,		Charitatem,		Charitatis feruorem,
	octauus,		Finem,		Inſeparabilem Dei vnionem.

Modis igitur omnibus his, circa ſingulos paſſionis articulos excitemur, vt omni fructu hoc oppleamur; nec ſufficiat commemorare ſolum, ſed accingamus vires, ad cæteros etiam gradus aſcendendos, & percurrendos. Nec obijciat quiſquam, multitudinem cauſans, dicens illud Poetæ,

Pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus;

Quaſi vno ſolo ſufficiat pertractare modo: Nam non eſt hic multitudo; vni quippe articulo inhæretur, qui trahitur per omnes gradus, inter quos dependentia eſt, & connexio ſcalaris: ita quod vnus ſine altero, per-

Digitized by Google

ſectè non poterit exerceri: vt patet. Suademus tamen, vt quiſque illi gradui tenacius inhæreat, quo ſe magis affici volet: Puta ſi durus, & ad compatiendum ſit inſenſibilis, longius circa compaſſionem exerceatur: Si frigidus & ſegnis, volens inflammari, liquefactionis gradui inhæreat pertinacius, & ſic de alijs.

§. 1. *Primus gradus.*

COmmemoratio meditatoria, DE QVA DOMINVS. Matth. ca. 26. *Hoc facite in meam commemorationem.* Itemque Tren. ca. 3. *Recordare paupertatis, & transgreſſionis meæ, abſinthij, & fellis. Memoria memor ero: & tabeſcet in me anima mea.* Et eſt,

Qua	Moroſe cõmemores,	ea quę patitur Ieſus ſecundũ	Euangelicam hiſtoriam.
	Attente cõſideres,		Conſiderationũ varietatem,
	Profũde dijudices		Æſtimationem veram.

Hic notandum, quod primus iſte gradus, præ cęteris concernit proceſſum *intellectiuum*, complectens omnes gradus intellectiuos, poſitos ſupra in meditatoria ſcala: ſcilicet commemorationem, conſiderationem, dijudicationem: Cæteri autem ſubſequentes, reſpiciunt magis *affectum*. Diligentius itaque huic gradui immorandum, quoniam ſine hoc cæteri afficient parum: Nam non intellecti (iuxta *S*anctum Thomam) nulla affectio eſſe poteſt. Intellectualiter itaque eam tractare debemus.

In primis iuxta Domini inſtitutum commemorando ea, quæ Dominus paſſus eſt, ſecundum quod euangelica enarrat hiſtoria: textum ſcilicet euangelicum de propoſito articulo memoriter reuoluendo, & per commemorationem crebrius repetendo. Itemque inſtar Ludolphi, & cæterorum poſtillatorum, illum diuidendo, & exponendo, & hoc, vt dicitur, *moroſe*: Hoc enim docuit æterna ſapientia diſcipulum dicens, Memoria, inquit, paſſionis meæ debet fieri non perfunctoriè, nec cum feſtina acceleratione, maximè cum tempus aderit ſufficiens & opportunum: ſed cum matura, ac modeſta, ac præcordiali rememoratione: vt ſic intus eat in affectum. A primo huius gradus membro, nullus ſe abſcondere, nullus ſe poteſt excuſare. Facilis enim eſt, & omnibus ad manum, commemoratio creditorum & ſcriptorum, & ob id toties ſcriptura hortatur ad eam: vt in Deuterono. cap. 4. & cap. 28. *Caue diligenter ne aliquando obliuiſcaris Domini Dei tui.* Item ibidem: *Erit vita tua quaſi pendens ante te.* Et in Thobia cap. 4. *Omni tempore in mente habeto Deum.* Et ſic de alijs. Quibus omnibus libentiſſime obediendum (ſecundum Bernardum) Nouit enim, quicunq; habet ſenſum Chriſti, quantũ Chriſtianæ pietati expediat, quantum ſeruum D[e]i deceat, & vtile ei ſit, ſaltem vna hora diei paſſionis ipſius, ac redemptionis noſtræ attentius recolligere beneficia, ad fruendum ſuauiter in conſcientia, & ad recondendũ fideliter in memoria. Expergiſcere itaque ô anima Chriſtiana, & modeſte pertracta ſingula, quę de Domino Ieſu narrat euangelicæ Syluæ hiſtoria.

Secundo progrediens, debes etiam cum Salomone, Prou. 23. *conſiderare, quæ apponuntur tibi*, per mentem recolligendo, quomodo illa iam olim fuerint præfigurata, & Prophetis multipliciter prædicta; Cætera item, quæ Sancti ponunt conſiderantia: diligenter & attente conſiderando cuiuſque articuli cauſalitatem, modalitatem, circumſtantiarum congruitatem, fructuoſitatem, & exemplaritatem, & huiuſmodi multa, quę abunde exercitanti ſe, ſubminiſtrabit inſpiratio diuina. *Prou. 23.*

Tertio quoque oportebit, vt iam conſiderata profunde cum Paulo *diiudices*, & quàm is, qui talia pro te taliter paſſus eſt, redamari dignus ſit perpendas, & quanta compaſſione, gratitudine, deuotione, myſteria eius recollenda, concludas. Latiſſima in his materia meditationum adminiſtratur, in quibus quomodo ſe homo exercitare debet, ex ſcala meditatoria ſuperiori patet. Verum vt iam conſiderata per intellectum magis afficiant, oportebit res geſtas, vt vult Dionyſius Carth. in *imaginatiua formare*, tanquam præſentes: vt ſcilicet (ſecundum Bernardum) ita ſe homo cogitet Chriſto paſſo præſentem in cogitatione ſua, ac ſi tunc temporis ibi præſens fuiſſet, quando paſſus eſt iam meditata, & ita ſe habeat in loquendo, videndo, dolendo, ac ſi Dominum coram oculis ſuis iam cerneret patientem. Ita enim, & ipſe Dominus ſibi in ſpiritu præſens erit, ſicut, cogitabitur ab eo præſens eſſe, & ita accipiet ſua vota, & acceptabit ſua facta. Hæc Bernardus. De qua imaginatione formanda, iam ſupra quædam ſunt præmiſſa Et quo hæc meditatio, & imaginatio afficiant magis, debet homo iuxta Bonauenturam fidem actuare, & quidditatem patientis, attente, & fideliter ſpeculari: Conſiderando ſcilicet, *1 Cor. 11*

Ioan. 1. Luca 1. Matth. 1.	*Principio.* In principio erat Verbum, & Verbũ erat apud Deũ, & Deus &c. Cap. 1. Gerſonis.	*mutus* Apparuit Angelus Zachariæ, ſtans à dextris altaris incenſi. Capitulum 2.	*dat aue.* Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ &c. ad Virginē. Cap. 3. Gerſ.	*montana* Exurgens autē Maria abijt in montana cum feſtinatione. Cap. 4. 5 Gerſ.	*liberq;* Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Cap. 6. Gerſ:
Luca 2. Matth. 2.	*Cum Ioſeph* Cũ eſſet deſpõſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirēt, inuēta eſt habens in vtero de Spiritu ſancto.	*hinc peperit* Exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Cap. 7.	*cantant* Angeli cantãt, gloria in excelſis Deo. Paſtores adorant.	*ſcidit* Et poſtquam conſummati ſunt dies, vt circuncideretur puer. Cap. 8.	*tria reges* Magi ab Oriēte venerunt Hieroſolymam dicētes, vbi eſt qui natus eſt.
Luca 2. Matth. 2. Luca 3. Matth. 3.	*Siſtitur* Tulerũt Ieſum in Ieruſalē, vt ſiſterent eũ Dom. Cap. 9.	*Ægypto.* Fugerũt in Ægyptum vſque ad obitum Herodis. Cap. 10.	*perdunt* Inuenerunt eũ in templo, ſedentē in medio Doctorum. Cap. 11.	*verbum* Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem in deſerto. Cap. 12.	*lauat almum* Ieſus baptizatur à Ioanne in Iordane.
Luca 3.	*Qui fuit* Qui fuit Heli, qui fuit Mattat, qui fuit Leui, qui fuit Melchi. Cap. 13.	*eſurijt* Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu vt tentaretur à diabolo. Cap. 14.	*non ſum* Helias es tu? nõ ſum. Propheta es tu? non ſum. Cap. 15.	*remanens* Vidi colũbam deſcendentem, & mãſit ſuper eum.	*vbi rabbi.* Rabbi vbi habitas? Dicit eis: Venite & videte. Venerunt & viderunt. Cap. 16.
Ioan. 2.	*Vina dat* Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ, & erat mater Ieſu ibi. Cap. 17.	*è templo* Eiecit vendētes de templo: Oues quoq; & boues, & nummulariorum effudit æs. Cap. 18.	*Nicodemus* Homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, Princeps Iudæorum, hic venit ad Ieſũ nocte. Cap. 19.	*ſic Deus* Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum Filiũ ſuum daret. Cap. 20.	*audit* Amicus autem ſponſi ſtat, & audit eũ, & gaudio gaudet, propter vocem ſponſi. Cap. 20.
Matt. 14. Marc. 6. Luc. 3. & 4. Ioan. 4.	*In vinclis* Herodes tenuit Ioannem, & alligauit eum. Cap. 21.	*puteum* Ieſus fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſuper fontem. Cap. 22.	*Rex* Erat quidē regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Cap. 23.	*præcipitent* Duxerunt eum vſque ad ſupercilium montis, vt præcipitarent eũ. Cap. 24.	*cito regnum.* Pœnitentiã agite: Appropinquabit enim regnum cœlorum.
Luca 5. & 4. Matth. 8. Marc. 1.	*Peccator* Exi à me Domine, quia homo peccator ego ſũ, &c. Cap. 25.	*vocat hos* Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum. Cap. 26.	*tibi quid* Quid tibi, & nobis Ieſu Nazarene? ſcio quod ſis ſanctus Dei. Cap. 27.	*ſocrus* Socrus Simonis tenebatur magnis febribus. Cap. 28.	*omnia ſanat.* Et omnes malè habētes curauit: vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam, Ipſe infirmitates noſtras tulit. Ca. 29.
Luca 6. Marc. 3.	*Pernox* Factum eſt in diebus illis, & Ieſus aſcendit in montem orare. Cap. 30.	*monte beat* Beati pauperes ſpiritu, &c. Beati mites, quoniam ipſi. Beati qui lugēt, quoniam.	*vos ſal* Vos eſtis ſal terræ. Quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur?	*periuria* Iterum audiſtis quia dictum eſt antiquis nõ periurabis: Ego autē dico vobis, non iurare omnino.	*caſus* Audiſtis, quia dictũ eſt, Oculũ pro oculo, dētem pro dente: Ego autē dico vobis.
Matth. 6.	*Dilige* Audiſtis, quia dictũ eſt, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem.	*iuſtitiam.* Attēdite ne iuſtitiam veſtrã faciatis coram hominibus.	*Pater orans* Sic enim orabitis, Paternoſter qui es in cælis, Sanctificetur nomen tuum.	*vnge* Tu autem, cũ ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua.	*duobus.* Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ.
Matth. 7. Luca 11.	*Sis miſerans* Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.	*canibus* Nolite ſanctũ dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.	*lapidem* Si petierit panem, nunquid lapidem porriget illi?	*falſos fuge.* Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouiũ.	*in altum* Qui venit ad me ſimilis eſt ædificãti domum, qui fodit in altum, & poſuit fundamētum ſupra petrã,

Munda

Digitized by Google

Matth. 8. *Marc.* 1. & 4. *Luc.* 5. 7. & 9.	*Munda* Leproſus adorabat eum dicẽs, Domine ſi vis potes me mundare. Cap. 31.	*centurioq;* Domine puer meus iacet in domo paraliticus. Cap. 32.	*Naym* Ibat Ieſus in ciuitatem, quæ vocatur Naym. Cap. 33.	*vulpes* Sequar te quocunque ieris: Et dixit illi Ieſus, Vulpes foueas habent. Cap 34.	*quia dormit* Ipſe verò dormiebat, & erat in puppi ſuper ceruical dormiens, Cap. 35.
Matth. 8. & 9. *Marc.* 2. & 5. *Luca* 5. & 8.	*In porcos* Si ejicis nos, mitte nos in porcos. Cap. 36.	*lecto* Surge tolle grabatum tuum, & ambula. Cap. 37.	*Matthæus* Fecit ei conuiuium magnũ Leui in domo ſua. Cap. 38.	*ſanguine* Et ecce mulier quæ fluxum ſanguinis patiebatur Cap. 39.	*cumi* Tabita cumi; hoc eſt, puella, tibi dico ſurge. Et reuerſus eſt ſpiritus eius. Cap. 40.
Matth. 9. 11. 13. & 14. *Mar.* 5. & 6. *Luca* 7.	*Hic Faber* Nónne iſte eſt fabri filius: Nónne mater eius dicitur Maria? Cap. 41.	*ad meſſem* Meſſis quidem multa, operarij autem pauci: Rogate ergo Dominum. Cap. 2.	*venturus* Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Cap. 44.	*crine* Rogauit Ieſum quidã Phariſęus; vides hanc mulierem? Cap. 45.	*necatur.* Miſſo ſpiculatore præcepit Herodes auferri caput Ioannis. Cap. 46.
Io. 5. & 6 *Matt.* 14 *Marc.* 16. *Luca* 9.	*Angelus* Angelus Domini ſecundum tempus deſcendebat in piſcinã. Cap. 47.	*omne dedit* Pater omne iudicium dedit Filio: vt omnes honorificẽt Filium.	*vocem* Audiẽt mortui vocem filij Dei, & qui audierint viuent.	*teſtis* Si ego teſtimonium perhibeo de me, teſtimonium meum non eſt verum.	*duo piſces* Eſt puer vnus hic habens quinque panes. Cap. 50.
Ioan. 6 *Matth.* 11 12. *Marc.* 3. *Luca* 10, 11.	*Hinc mare* Cùm ſero factum eſſet, deſcenderunt diſcipuli eius ad mare. Cap. 51.	*panis ego* Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me non eſuriet. Cap. 52.	*tibi væ* Væ tibi Corozaym, væ tibi Bethſayda. Cap. 54.	*digito* Si in digito Dei ejicio dæmonia. Cap. 55.	*mea Mater.* Ecce mater mea, & fratres mei. Cap. 56.
Mat. 11. 12. *Luca* 10. 11.	*Iona* Sicut fuit Ionas in ventre ceti. Cap. 57.	*cadit Sathanas* Videbam Sathanam ſicut fulgur, de cœlo cadentem. Cap. 58.	*latrones* Homo quidam deſcendebat de Hieruſalẽ in Hierico. Cap. 59.	*Martha* Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium. Cap. 60.	*peto tres.* Quis veſtrûm habebit amicum. Amice accõmoda mihi tres panes. Cap. 61.
Luc. 6. 4. 8 *Matt.* 12 13. *Marc.* 2. 3. 4.	*Fricantes* Diſcipuli eſurientes cœperunt vellere ſpicas. Cap. 63.	*aridam* Et erat ibi homo, & manus eius dextera fuit arida. Cap. 64.	*mulieres* Et mulieres multæ, quæ erant curatæ à ſpiritibus. Cap. 65.	*ſemina* Ecce exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.	*grano.* Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis.
Mat. 13. 15. *Marc.* 7.	*Hæc tria* Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit.	*quære in agro* Simile eſt regnũ cœlorum theſauro abſcondito in agro. Cap. 66.	*corbam* Si homo patri aut matri corbam dixerit, Cap. 67.	*Chananæa* Mulier Chananæa egreſſa de finibus illis. Cap. 68.	*ſpuitq;* Et expuens tetigit linguã eius. Cap. 69.
Mat. 15. 16. 17. *Marc.* 8. *Luca* 9.	*Quattuor* Erant autẽ, qui manducauerant, quaſi quattuor millia. Cap. 70.	*en noſtis* Faciem cœli dijudicare noſtis. Cap. 61.	*quem dicunt* Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? Cap. 73.	*cum cruce* Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum. Cap. 74.	*Thabor.* Poſt dies ſex transfiguratus eſt Ieſus. Cap. 75.
Matt. 17. *Marc.* 9. *Luca* 9.	*Ieiunans* Hoc genus nõ poteſt exire, niſi in ieiunio, & oratione. Cap. 76.	*tempus* Tempus meũ nondum aduenit, vos aſcendite ad diem feſtum. Cap. 77.	*quæretis* Quæretis me, & non inuenietis; & vbi ego ſum, vos non poteſtis venire.	*qui ſitit* Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura; fluent de ventre, &c.	*aſtant.* Aſtant miniſtri venientes ad Põtifices, dicentes: Nunquam ſic locutus eſt homo.

Digitized by Google

Ioan. 8. 9. & 10. Matt. 17.	*Mœcham* Adducũt ei mulierem in adulterio deprehenſam. Cap. 78.	*Lux mundi* Ego ſum lux mũdi. Qui ſequitur me non ambulat in tenebris. Cap. 79.	*luto* Lutum fecit ex ſputo, & aperuit oculos cœci nati. Cap. 80.	*Paſtorẽ* Qui non intrat in ouile ouiũ, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt. Ca. 82.	*ſtaterem* Mitte hamum, & aperto ore piſcis, inuenies ſtaterem. Cap. 83.
Matt. 18. Luca 12.	*Qui minor* Intrauit in eos cogitatio, quis eorum videretur eſſe maior. Cap. 84.	*argue* Si peccauerit in te frater tu', corripe illum. Cap. 85.	*quod debes* Redde quod debes; Et procidens conſeruus ille. Cap. 86.	*tecto* Nihil opertum eſt. Quod in aure audiſtis, prædicabitur ſuper tecta. Cap. 88.	*petit hæres,* Magiſter, dic fratri meo: vt diuidat mecum hæreditatem.
Luc. 13. Matt. 19.	*Horrea* Deſtruã horrea mea, & maiora faciam. Cap 89. cap. 90.	*Pilatus* Aderãt quidam nunciãtes de Galilæis, quorũ ſanguinem miſcuit Pilatus cum ſacrificijs eorum.	*erecta* Mulier annis 18 erat incuruata, nec poterat omnino ſurſum reſpicere. Cap. 91.	*vxore* An liceat homini dimittere vxorem. Cap. 92.	*ſinatis.* Sinite paruulos venire ad me, talium eſt enim regnum cœlorum. Cap. 93.
Luca 15. Matt. 19. & 20.	*Hæc dragmas* Quæ mulier habens dragmas decem, Et ſi perdiderit dragmam vnam. Cap. 94.	*Vitulum* Homo quidam habuit duos filios &c. Adducite vitulum ſaginatũ.	*bonus* Quid me dicis bonum. Nemo bonus, niſi vnus Deus Cap. 95.	*Omnia nos* Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: Quid ergo erit nobis? Cap. 96.	*operantes.* Exijt primo mane conducere operarios in vineã ſuam. Cap. 97.
Luca 13. & 14.	*Anguſta* Contendite intrare per anguſtã portam. Cap. 98.	*Hydropicus* Quidam hydropicus ſanatur. Et de vocatis ad nuptias, Cap. 99.	*inuites* Cũ facis prandium, aut cęnam, noli vocare amicos. Cap. 100.	*cœnaq̃* Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.	*turris.* Quis volẽs turrim ædificare, nõ prius computet ſumptus? Cap. 101.
Luca 17. Ioan. 10.	*Vilicus* Homo quidam erat diues, qui habebat vilicum, & hic diff. Cap. 102.	*Vlcera* Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & biſſo. Cap. 103.	*ſeruus arans* Quis veſtrũ habens ſeruum arãtem &c. Serui inutiles ſumus. Cap. 104.	*encœnia* Facta ſunt encœnia Hieroſolymis, & hyems erat. Cap. 105.	*quærunt.* Quærebant ergo Iudæi appræhendere eum, & exiuit de manibus eorum.
Ioan. 11. Matt. 20. Marc. 10. Luca 11.	*Lazarus* Erat quidam languens, Lazarus à Bethania. Cap. 106.	*expedit* Collegerũt pontifices conſilium &c. Expedit vt vnus moriatur. Cap. 107.	*occident* Ecce nos aſcendimus Hieroſolymam, & filius hom. trad. Cap. 108.	*denoſq̃* Occurrerũt ei decem viri leproſi: Qui ſteterunt à longè &c. Cap. 109.	*pararent.* Samaritani non receperunt diſcipulos miſſos, vt pararent Ieſu. Cap. 110.
Matt. 20. Marc. 10. Luca 18.	*Dic ſedeant* Acceſſit ad Ieſum mater filiorũ Zebedæi. Cap. 111.	*videam* Cœcus ſedebat ſecus viam dicẽs, Domine vt videã. Cap. 112.	*Zachæus* Zachæus quærebat Ieſum videre, quis eſſet, aſcendens in arborem ſicomorũ.	*mnas* Homo quidam nobilis &c. dedit ſeruis ſuis decem mnas.	*duo cœci.* Egredientibus illis ab Hierico, duo cœci illuminati ſunt. Cap. 113.
Mat. 17. Marc. 14. Ioan. 12. Mat. 21. Marc. 11. Luca 19.	*Vnguentum* Maria Magdalena, fracto alabaſtro, effudit. Cap. 114.	*palmas* Et acceperunt ramos palmarũ, & exierunt. Cap. 115.	*flens* Videns ciuitatẽ, fleuit ſuper illam, dicens, quia ſi cognouiſſes, & tu. Cap. 116.	*eijciens* Ejiciebat de tẽplo vendentes, & ementes in illo.	*tonitruum dat.* Gẽtiles ad Philippum dicunt, volumus Ieſum videre. Cap. 117.
Matth. 21 & 11 Marc. 11. & 21. Luca 20. & 18.	*Ficum* Cùm vidiſſet ficulneam habentem folia &c. maledixit. Cap. 118.	*baptiſma* In qua poteſtate hæc facis, &c. Baptiſmus Ioannis, vnde erat. Cap. 119.	*nec eo* De duobus filiis, quorum alter fecit voluntatem Patris. Cap. 120.	*iudex* Iudex, qui Deũ non timebat, nec homines reuerebatur. Cap. 121.	*Deus eſto.* Duo homines aſcenderũt in tẽplum, vt orarent, &c. Deus propitius eſto mihi peccatori.

Vinca

Matt. 21. 22. Marc. 12. Luca 20. 11.	*Vinea* Quidam plantauit vineam &c. Forſitan verebũtur filium meum. Cap. 122.	*non veſtem* Homo quidam fecit nuptias Filio ſuo. Cap. 123.	*nummiſmata* Licet tributum dare Cæſari, an non? Cap. 124.	*nubere* In regno cęlorũ neque nubent, neque nubentur. Cap. 125.	*quærit* Magiſter, quod eſt mandatũ magnum in lege? Diliges Dominum Deũ tuũ. Cap. 125
Matt. 23. Marc. 12. Luca 20. 11. 13. & 21.	*Filius* Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius ſit? dicunt ei Dauid. Cap. 127.	*in cathedra* Super cathedrã Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Cap. 128.	*væ væ* Væ vobis Scribæ & Phariſæi, hypocritæ. Cap. 129.	*ſanguis* Ecce ego mitto ad vos Prophetas, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus.	*duo donat* Vna vidua miſit duo minuta in Gazophilacium. Cap. 130.
Matt. 24. Marc. 13. Luca 21. 17 20. & 12.	*Aſpice* Magiſter aſpice quales lapides & ſtructura. Cap. 131.	*bella* Cùm audieritis prælia, & ſeditiones, nolite terreri. Oportet enim hęc fieri; ſed nondum ſtatim finis.	*ante reges* Dũ ſteteritis ante Reges, & Præſides, nolite præmeditari quẽadmodum reſpondeatis.	*fuga neque* Orate, ne fuga veſtra fiat hyeme, vel Sabbato; Erit enim preſſura magna.	*ſed hic eſt* Et dicent vobis, ecce hic, ecce illic. Cap. 132.
Matt. 24. Marc. 13.	*Signa, & erunt* Et erunt ſigna in ſole & luna. & ſtellis, & in terris preſſura gẽtium, præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum.	*Noe* Sicut fuit in diebus Noe; ſic erit in aduentu filij hominis. Sicut enim erant ante diluuium.	*tunc duo erunt* In illa nocte erunt duo in lecto vno, vnus aſſumetur, & alter relinquetur; Duo erũt molentes.	*manibus* Sint lũbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes.	*mora tardans.* Si autem dixerit malus ille ſeruus in corde ſuo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere cõſeruos.
Mat. 25. 26. Ioan. 12. 13. Marc. 18. Luca 22.	*Virgo* Tunc ſimile erit regnũ cœlorũ decẽ virginibus, Cap. 134.	*quinque dedit* Homo quidam peregrè proficiſcens vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua.	*miſerans* Eſuriui, & dediſtis mihi manducare; Sitiui, & dediſtis mihi bibere; hoſpes fui, & col. &c.	*nec credere* Cùm autẽ tanta ſigna feciſſet coram eis, nõ credebant in eum. Cap. 135.	*vendit* Quid vultis mihi dare, & ego vobis. Cap. 136.
Matt. 26. Marc. 14. Luca 22. Ioan. 13.	*Paſcha tibi vis* Vbi vis paremus tibi, vt manduces Paſcha? Cap. 137.	*lauat* Et cœna facta ſurgit, & cœpit lauare diſcipulorum pedes. Cap. 138.	*atque cibat* Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum. Cap. 139.	*terret* Veruntamẽ ecce manus tradẽtis mecum eſt in menſa. Cap. 140.	*minor altus* Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor. Et qui præceſſor eſt, ſicut miniſtr. Nam &c.
Ioan. 14.	*Turbetur* Non turbetur cor veſtrum. Creditis in Deum, & in me. Cap. 141.	*veniam* Non relinquã vos orphanos, veniam ad vos. Adhuc modicum, & mundus me iam non videt.	*ſi quis me* Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Et Pater meus diliget eum.	*gaudeat* Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia ad Patrẽ vado, quia Pater maior me eſt.	*hinc nos* Sicut mãdatum dedit mihi Pater, ſic facio. Surgite eamus hinc.
Ioan. 15.	*Vitis* Ego ſum vitis vera, & Pater me⁹ agricola eſt. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eũ	*præceptum* Hoc eſt præceptum meũ, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos, maiorẽ hãc dilectionẽ nemo habet.	*mandans* Hæc mãdo vobis, vt diligatis inuicem. Si mũdus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis od.	*odio* Qui me odit, & Patrem meum odit. Si opera nõ feciſsẽ in eis &c. Nunc autem, & viderũt, & oder.	*veneritq;* Cũ venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritũ veritatis, qui à Patre procedit; ille t.
Ioan. 16.	*Vado* Vado ad eum qui me miſit, & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis?	*ſed arguet* Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio.	*en modicum* Modicum & iã non videbitis me; & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem.	*mulier* Mulier cũ parit triſtitiam habet, quia venit hora eius: Cũ autẽ pepererit puerũ, iã nõ meminit preſ.	*pete ſi quid.* Amen amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.
Ioan. 17.	*Subleuat* Subleuatis oculis dixit, Pater clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te.	*exiui* Ipſi acceperũt, & cognouerunt verè, quia à te exiui; & crediderũt, quia tu me miſiſti	*perijt* Nemo ex his perijt, niſi filius perditionis, vt ſcript. impleatur; nunc autẽ venio ad te.	*credent* Non pro his rogo tantum, ſed pro eis, qui credituri ſunt per verbũ eorum in me.	*ſimul vnum.* Rogo vt omnes vnũ ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnũ ſint.

Egreſſus

Ioan. 18. Marc. 14. Luca 22.	*Egreſſus* Egreſſus eſt Ieſus cũ diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron. Cap. 142.	*monuit* Sedete hic donec vadam illuc, & orem; Et aſſumpto Petro.	*ter, & orat* Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: Veruntamen non ſicut ego volo; ſed ſicut tu.	*ſudat* Et factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram, & cùm ſurrexiſſet &c.	*ab alto* Apparuit autẽ illi Angelus de cælo confortans illum.
Ioan. 18. Matt. 26. Marc. 14. Luca 22.	*Excitant* Vigilate & orate, vt non intretis in tentationẽ, ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.	*occurrit* Surgite, eamus. Ecce appropinquabit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum.	*ſtrauit* Vt ergo dixit eis Ieſus, ego ſũ; abierunt retrorſum, & ceciderũt in terram.	*dedit oſcula* Et oſculatus eſt eum. Dixit illi Ieſus: Amice, ad quid veniſti.	*ſanat.* Et cùm tetigiſſet auriculam eius, ſanauit eum: Erat autem nomen ſeruo Malchus.
Matt. 26. Marc. 14. Ioan. 18.	*Captum* Tunc acceſſerunt, & manus iniecerũt in Ieſum, & tenuerũt eum.	*fune ligant* Cohors autem & tribunus, ligauerunt eum.	*fugiunt* Tunc diſcipuli relicto eo omnes fugerũt. Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum.	*Annam* Duxerunt eum ad Annam primum: Erat autem ſocer Cayphæ.	*negat hinc ter.* Petrus negauit; ſecundum traditionem concordantium Euangeliſtarum. Cap. 143. 144. 145.
Matt. 26.	*Accuſant* Princeps Sacerdotum, & omne conſilium quęrebant falſum teſtimonium. Cap. 146.	*Spuitur* Et viri qui tenebant eum, illudebant ei.	*velant* Et velauerunt faciem eius.	*cadendo* Et colaphis eũ ceciderunt, & dabant ei alapas.	*Pilato* Surgens omnis multitudo, vincientes eum, duxerunt ad Pilatum.
Ioan. 18. & 19.	*Herodi* Et vt cognouit quod de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem.	*Latro* Eſt conſuetudo vobis, Quem ergo vultis dimittam?	*flagellant* Tunc Pilatus apprehendit Ieſum, & flagellauit.	*heu purpura* Et veſte purpurea circundederunt eum.	*ſertum* Et milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti eius.
Luca 22. & 23. Ioan. 19.	*Heu colitur* Veniebant ad eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum.	*Spina* Exiuit ergo Ieſus portans ſpineam coronam, & purpureum veſtimentum.	*damnatq;* Adiudicauit fieri petitionem eorum.	*crucem* Et baiulans ſibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum, Cap. 147.	*mulieres* Sequebatur eũ turba multa, & mulieres, quæ plangebant & lamentabant eum.
Luca 23. Ioan. 19.	*Exuitur* Milites, cùm crucifixiſſent eũ, acceperunt veſtimenta.	*tendunt* Extendẽres eum, ſicut pellem, dinumerabilia facta ſunt omnia oſſa eius.	*figuntq;* Ibi crucifixerunt eum, manibus & pedibus dirè transfixis.	*leuant* Cum cruce in aera leuatur, & latrones, vnum à dextris, & vnum à ſiniſtris.	*titulum dant.* Scripſit autem Pilatus titulum, quem cùm legiſſent.
Matt. 27. Luc. 23. Ioan. 19.	*Conuitia* Prætereuntes autem blaſphemabant eum, mouentes capita ſua.	*ignoſcas* Pater, ignoſce illis, quia neſciũt, quid faciunt.	*hodie* Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.	*mulier* Mulier, ecce filius tuus. Ad diſcipulum autẽ, Ecce mater tua.	*tenebræ ſunt.* A Sexta autem hora, vſque ad horam nonam, tenebræ factæ ſũt ſuper terram.
Matt. 27. Marc. 15. Ioan. 19. Luc. 23.	*Clamat Hely* Et circa horam nonam, clamauit, Hely &c. hoc eſt.	*ſitio* Poſtea ſciens Ieſus &c. vt conſummaretur ſcriptura, dixit, Sitio.	*conſummo* Et cùm accepiſſet Ieſus acetum, dixit, conſummatum eſt.	*Pater* Et clamans voce magna, ait, Pater, in manus tuas.	*moriturq;* Et inclinato capite, emiſit ſpiritum.
Ioan. 20 Matt. 27.	*In limbum.* Et ſtatim anima eius Patres in limbo viſitauit, lætificans eos.	*latus* Vnus militum lancea latus eius aperuit.	*à cruce tunc* Ioſeph mercatus ſyndonem, deponens, inuoluit.	*gremio* Corpore depoſito, dña gratiſſima deuotiſſimè in gremio ſuſcipit.	*tumulatur.* Et poſuit eum Ioſeph in monumento ſuo nouo. Cap. 149.

Mens

Digitized by Google

Mens In primis benedico animã Chriſti præcellentiſſimam.	*vires* Vires, & potentias animæ Chriſti, tam vegetatiuas, quàm ſenſibiles. & intellectuales.	*habitus* Virium habitus tam ſpeculatiuos quàm practicos.	*ſpecies* Species intelligibiles & ſenſibiles.	*affectio grandis.* Vim affectiuã, tam concupiſcibilem, quàm iraſcibilem, cum affectionibus.
Te benedico O caput ſuper omnia exaltatũ, & ſpinis 72. depreſſum.	*caput os* O os veraciſſimum, à Iuda oſculatum.	*aures* Benedictæ aures, quæ audierũt crucifige, crucifige.	*lingua* Benedicta lingua, quæ guſtauit acetum.	*oculoſq́;* Benedicti oculi, qui velo fuerũt velati.
Brachia Benedicta brachia, diiè ſuper crucem retortà.	*ſtringo manus* Benedictæ manus pro me crucifixæ.	*cor laudans* Benedictũ cor, crebro pro me contriſtatum.	*pelle* Benedicta pellis, pro me flagellata.	*latuſq́;* Latus benedico, pro me tranſfoſſum.
Laudo pedes Benedicti pedes transfoſſi clauis.	*genua* Benedicta genua ſæpius in oratione curuata.	*ſimul intima* Benedicta intima & inteſtina omni acerbitate diſcraſiata.	*vulnera* Benedicta vulnera, horridè dilacerata.	*& oſſa.* Benedicta oſſa, variè afflicta.
O ſanguis. Benedictus ſanguis, grandi profluuio profuſus:	*caro* Benedicta caro ſanctiſſima, in cruce aſſata.	*& o corpus* Benedictũ totũ corpus, omni genere paſſionum vndique expoſitum.	*nomen* Benedictum nomẽ humiliatum, ſanctificatum, & exaltatum.	*Deitate* Benedicta ſancta Deitas, ab omnibus tunc neglecta.
Mitra bona Pro epiſcopalibus inſignijs, pro mitra ſpinas.	*chiroteca* Pro chyrotecis, clauis groſſis indueris.	*chlamys* Pro chlamyde, aut pallio Archiepiſcopali, veſte alba.	*ſandalia* Pro ſandaliis, confoderunt pedes clauis ferreis.	*ſceptrum.* Pro baculo Epiſcopali, dabant tibi arundinem.
En albam Pro alba, illuderis veſte Herodiana.	*caſulam* Pro caſula, charitatis figura, veſte purpurea.	*vel amictum* Pro amictu, obtegeris vili in deriſionem velo.	*ſtola* Pro Sacerdotali ſtola, illuſus es fune pœnoſitatis.	*maniplus.* Pro manipulo aut ſudario, reſte ligaris dura.
O galeam Pro regali galea, velamen oculorum.	*gladios* Pro gladio, virgam arundineam & ferreos clauos.	*loricam* Pro lorica, tunicam inconſutilem, & cutem dirè vndique perforatam.	*lancea* Pro lancea, eſt tibi lancea militis lateri infixa.	*ſcutum.* Pro ſcuto, in humeris onuſtã nimis crucem.
Caſio Hi modi curationum. Primo, circũcidi pro me ſanando voluiſti.	*balnea* Secundo, curaſti me balneo in baptiſmo,	*ieiunas,* Tertio, curaſti me bona dieta, quadraginta diebus ieiunando.	*confectio* Quarto, curaſti nos confectionibus ſpecierum, id eſt, corpore, & ſanguine.	*ſudor* Quinto, curaſti nos ſudore ſanguineo in monte Oliueti.
Vnguento Sexto, Curaſti nos vnguẽto ſputorum fœtidiſſimorum.	*emplaſtroq́;* Septimo, Curaſti nos emplaſtro, quando oculos tuos velo obtegiſti.	*minutio* Octauo, Curaſti nos minutione, quando toties ſanguinem effudiſti.	*potus* Nono, curaſti nos potu, quãdo fel & acetum guſtaſti.	*& orat.* Decimo, curaſti nos oratione, quando indefeſſè pro me oraſti.

Veſpere

Matt. 28. Marc 16. Ioan. 20. Luc. 24.	*Veſpere* Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati. Cap. 150.	*confregit* Confregit portas æreas, & vectes ferreos confregit.	*duxit* Duxit patres (ſecundum Ludolphum) in Paradiſum.	*ſurgit* Surrexit, non eſt hic. Quid quęritis viuentẽ cum mortuis?	*,duo in albis.* Dum ergo fleret, vidit duos Angelos in albis ſedentes.
	Cerne modum. Reſurrectionis qualitatem, & etiam reſurgentis, vide infrà.	*cauſam* Cauſalitas reſurgentis, & quare reſurrexit, infrà.	*cur vulnera* Quare vulnerũ cicatrices retinuit.	*gaudia* .Multipliciter apparuit ſuis dilectoribus viuus.	*dicta.* Figuræ & prophetiæ reſurrectionis.
Ioan. 20.	*Magdalis* Mariæ Magdalenæ in ſpecie hortulani. Item mulieres acceſſerunt & tenuerunt.	*Petro* Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.	*vel Emaus* Duo ex diſcipulis ibant illo die in caſtellum Emaus.	*ſero* Cùm ſero eſſet, die illa, vna Sabbatorum.	*redit & poſt.* Poſt dies autẽ octo, iterum diſcipuli erãt intus, & venit Ieſus.
Ioan. 21. Marc. 16. Luc. 24. Act. 1.	*Ad mare* Poſtea, manifeſtauit ſe iterum Ieſus ad mare, Manifeſtauit autem ſic: Erant.	*fert Petro* Dixit Ieſus Petro, Sequere me; Conuerſus Petrus, vidit diſcipulum.	*Galilea* Vndecim autem diſcipuli ibant in Galilæam, in mõtem, vbi conſtituerat.	*veſcitur* Recumbentibus vndecim diſcipulis.	*exit* Eduxit autem eos foras in Bethaniam.
	Conueſcens Conueſcens, præcepit illis, ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed ex	*docuit* Non eſt veſtrũ noſſe tempora, vel momẽta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.	*ſcandens* Et cùm hæc dixiſſet, videntibus illis, eleuatus eſt.	*benedixit* Et, eleuatis manibus, benedixit illis.	*& aſtant.* Cùm intuerẽtur in cælum euntem illum, Ecce duo viri.
	Quomodo Aſcẽſionis qualitas, quomodo aſcendit; quia patenter, propria virtute, gaudenter, decenter.	*cur* Quare aſcendit, & aſcenſionis rationabilitas; quia iuſtum, decet, & propria vis & Pater vocat.	*vel quo* Attendatur aſcenſionis Chriſti ſublimitas, ad dexteram, iudex omnium.	*prædicta* Figuræ & prophetiæ de aſcenſione: Aſcendit, pandens iter.	*vel vtilitates.* Vtilitas aſcenſionis nobis proueniens: vt exoret, viam monſtret.
	Complentur De Pentecoſte. Et dum complerentur dies Pentecoſtes.	*tonat* Factus eſt repentè de cœlo ſonus.	*implentur* Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.	*fanturq́,* Locuti ſunt varijs linguis, prout Spiritus ſanctus dabat.	*ſtupeſcunt* Facta hac voce, conuenit omnis multitudo, & mente confuſa.
	En donum Septem dona S. Spiritus; duodecim fructus Spiritus; gratias gratum facientes, & inſpirationes.	*quotiens* Viſibiliter, inuiſibiliter; In terra; de cælis; in Mariam; ſuper Chriſtum; ſuper Apoſtolos.	*qua cauſa* Propter promiſſi impletionẽ; vt firmaret in fide; vt ſolaretur.	*modus* Patenter, verè, potenter, ſapienter.	*bona ſigna.* Signa, per quæ coniecturat homo, ſe habere Spiritum ſanctum.
	Ecce docent Populo prædicando. Primo in Iudæa, demum per orbem.	*vertunt.* Populum ad fidem trahẽdo per prædicationem.	*miranda* Miraculis fulgebant, Domino ſermonem confirmante.	*ferunt* Ibant gaudentes à conſpectu cõcilij, quoniam digni.	*cumulantur.* In Eccleſiam Catholicam, quã ſibi Dominus copulauit.
	Commanet Ecce ego vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem ſæculi.	*aſſumpſit* Demum aſſumpſit Matrem ſacratiſſimam.	*Iudex* Deinde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos.	*dat gaudia* Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnũ.	*pœnas.* Ite maledicti in ignem æternũ, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius.

Quo-

Digitized by Google

MEMBRVM III.

Quomodo Chriſti myſteria per conſiderationem moroſius ſunt tractanda.

MIrabilia teſtimonia tua: ideo ſcrutata eſt ea anima mea.* Pſal. 118. POSTQVAM poſuimus Roſarium *generale*, de Chriſti myſterijs ad legendum; Itemque *alia* ad commemorandum; nunc *tertio* conſideratoribus quædam ſunt puncta conſiderabilia ponenda, circa Chriſti myſteria. Non enim ſatis erit perſpicatiori, Chriſti myſteria commemorare; ſed ſingula conſiderare, ſingula cum pſalmiſta ſcrutari debet: quo eruat *mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo*. Cui perſcrutationis exercitio, qui ſe accommodare valet, non opus erit illi multa habere puncta, ſed certis articulis ſe dabit perſcrutandis, quo longius immoretur, & figatur attentius, tractando eos per ſcalam meditatoriam ſuprapoſitam. Et qui in conſiderationibus abundare volet, legat magiſtrum Gerardum groet, in de quattuor meditabilibus; vbi materiam latam præſtat in vno commorandi, ſcilicet, vt *primo* homo retractet, quæ de articulo aſſumpto narrat Euangelica hiſtoria; *ſecundo*, quas tradat ei correſpondentes figuras, & prophetias vetus pagina; *tertio*, quæ Sanctis reuelat; *quarto* quæ his videntur veriſimilia, & pia; *quinto* rationabilia conſideramenta, qualia Doctores ponunt. O latiſſima commemorandi inſtrumenta, ô turgida organa copiarum! Qui vos ad manus haberet, ante tempus, quam meditandi materia illi deeſſet ſemper? Nam ſingula horum, latiſſima adhuc ſub ſe complectuntur membra.

Nec obijciat quis de labore; veſcendum eſt enim pane nedum materiali, ſed & doctrinæ, in ſudore vultus noſtri. Et paucus labor grandem pariet fructum. Vno anno laborem apponat, punctula conſiderationum circa Chriſti myſteria congregandi, & poſt æternis diebus ſuis fauis quiete veſci poterit. Mos iſte (ait Gerſon) non virorum eſt, ſed infantium, non poſſe, vel nolle cibum recipere; niſi aut præmaſticatum, aut minutatim diſciſſum. Verumtamen morem gerentes paruulis, cæpimus alibi certa puncta per Roſaria colligere, circa Chriſti incarnationem, natiuitatem, circumciſionem, Magorum oblationem, in templo oblationem, paſſionem, reſurrectionem, & alias quoque plures feſtiuitates, modum ſimiliter faciendi, & formam dantes, ſtudioſis, & deuotis. omnibus

TITVLVS XVI.

EXERCITATORIVM, ET SCALA DOminicę paſſionis.

I. CHRISTO *in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armamini.* 1. Pet. 4. POSTQVAM egimus de quibuſdam conſiderationibus circa Chriſti vitam, & myſteriorum eius diſpenſationem generaliter; hic agendum de eius paſſione ſpecialiter, quæ efficacius mentes mouere ſolet. Amplius enim (teſte Bernardo) mouet ad pietatem mortis atque paſſionis Chriſti, quàm vitę recordatio: Illa ait mihi regula, hæc à morte redemptio eſt; Illa vitam inſtruxit, hæc mortem deſtruxit. Vita quidem laborioſa; ſed mors pretioſa; vtraque admodum neceſſaria; ſed hæc ſedulius mihi; & frequentius memoranda quemadmodum exhortatur Paſtor primus, in verbis præſcriptis, quarę, & ſingularis de ea titulus eſt formandus.

De inductiuis ad Dominicæ paſſionis meditationem frequentandam.

CAP. I.

II. AD paſſionis Dominicæ memoriam frequentandam, plurima poſſent poni inductiua: Quippe omnia iam ſupra, circa myſteria vitæ eius aſſignata; quia ſcilicet eſt hoc gratum, ſuaſum, dignumque, opus, vtile multum, vt ſupra. Nil enim hoc exercitio gratius, aut acceptius. Ait enim Bonauentura. Nullum gratius Deo pro peccatis ſacrificium; defunctis efficacius remedium. Angelis maius gaudium; ſummæ glorioſæ Trinitati præſtantius reuerentiæ, amoris, & gratitudinis obſequiū, valebitis offerre; quam in vita, & paſſione Ieſu Chriſti contemplandis, totius vitæ veſtræ impendere decurſum. Vnde, & cuidam heremitæ, poſtquam longiuſculè exoraſſet Dominum, vt oſtenderet ſibi, quid inter cætera ſeruitia magis acceptaret; apparuit Chriſtus cum cruce, dicens, quod in nullo ſibi ita complaceret, ſicut in eo, quod homo paſſionem, & crucem portet in corde. Quàm autem huius memoria neceſſaria ſit, ſupra eſt monſtratum, vbi dicitur, quòd tantum vnicuique (ſaltem adulto) proderit Chriſti paſſio; quantum eam applicauerit homo, per piam meditationem ſibi. Omnis enim (vt Chryſoſtomus ait) ſalus hominum, in Chriſti morte poſita eſt, nec vlla res eſt, quæ magis ad ſalutem hominum pertineat, quam paſſio Chriſti. Quam autem vtilis ſit memoria Dominicæ paſſionis, non facile dici poteſt. Ponunt varij varios fructus, quos tamen nos ad duodenarium, inſtar duodecim fructuum ligni vitæ, reducemus.

Paſſio penſata fructus pariet duodenos.
Compungit, purgat, luſtrans, ſpem dat, calet, auget.
Robur dat, vitam, reficit, laus, gaudia, tutat.

PRIMVS fructus eſt Compunctio mentis: Paſſionis enim Chriſti deuota meditatio, ad pœnitentiam, & ad partes eius, compungendo, mentem accendit; nam *contritionem inducit*, In cuius ſignum petræ ſciſſę ſunt, & terræmotus factus eſt, tempore paſſionis. Quorum inſtar, & peccator; ne petris durior, ne terra, inſenſibilior videatur, ad contritionem debet commoueri. *Confeſſionem inducit*: In

cuius iudicium monumenta aperta ſunt. *Ad ſatisfactionem* commonet, vt velimus etiam aliquid pati pro peccatis proprijs, dum Chriſtum contemplamur, tanta paſſum pro alienis, ſiue noſtris. Immo, & hæc plenè ſatisfacit; ita quòd (teſte Bonauentura) nihil eſt in homine, quod ita operatur vniuerſalem ſatiſfactionem, ſicut meditatio Dominicæ paſſionis. Quiſquis igitur vere ad pænitentiam volet compungi, de Chriſti paſſione hunc fructum carpere debet.

SECVNDVS fructus eſt purgatio mentis, à vitijs, & vitiorum reliquijs, puta à concupiſcentijs malis: Eſt enim Iordanis, in quo Naaman leproſus mundatur; & in ſolius huius *agni ſanguine Sancti dealbant ſtolas ſuas.* Et, quiſquis veneno concupiſcentiæ percuſſus, *Serpentem hunc æneum* aſpexerit; ſtatim ſanus erit. Hinc Bernardus, Quid tam efficax ad curandum conſcientiæ vulnera, nec non ad purgandum aciem mentis, quàm Chriſti vulnerum ſedula meditatio? Eſt ergo efficaciſſima medicina purgatiua.

4. Reg. 5. Apoc. 22. Nu. 21.

TERTIVS eſt illuſtratio mentis: In hac enim plenitudinem ſcientiæ Bernardus inuenit; imo & Apoſtolus ipſe, qui dixit, *Nihil arbitratus ſum me ſcire inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Quare, & hæc noſtra ſit ſublimior philoſophia, hæc enim de omnibus docet, vt dicitur in Horologio æternæ ſapientiæ. Frequens memoria huius paſſionis indoctum reddit doctiſſimum, & idiotas, & imperitos, facit proficere in magiſtros, magiſtros inquam ſcientiæ, non quæ inflat, ſed charitatis, quæ ædificat. Ipſe eſt velut quidam liber vitæ, in quo omnia ſaluti neceſſaria inueniuntur: Hic liber præ omnibus Philoſophorum libris, de omnibus docens, mellea quadam dulcedine perunctus. Felix qui eius ſtudio serioſè incumbit, quia omnium gratiarum, & virtutum citius ſumet incrementum. Quomodo autem in hac paſſione dicitur, omnia ſcibilia, & acies relucent, pulchrè Bonauentura in ſuo (vt aiunt) *ſtimulo*, docet.

1. Cor. 2. 1. Cor. 8.

QVARTVS eſt *ſpei ſubleuatio.* Bernardus, *Scio, quod merita mea non ſufficiunt, quod mihi deeſt, audacter vſurpo ex viſceribus Chriſti,* &c. Tota ſpes mea in morte Domini mei eſt. Et Auguſtinus. *Non poſſum terreri multitudine peccatorum meorum, non poſſum deſperare, ſi mors Domini in mentem venerit, quia peccata mea illum vincere non poſſunt.*

QVINTVS eſt *inflammatio ad charitatem.* Bernardus & ante eũ Auguſtinus. *Super omnia mihi reddit amabilem, ô bone Ieſu, calix quem bibiſti; opus noſtræ redemptionis: Hoc enim omnino amorem noſtrum neceſſario vindicat ſibi. Hoc inquam noſtram deuotionem blandius allicit, iuſtius exigit, & arctius ſtringit, & afficit vehementius.* Quo duriora pertulit, eo efficacius amorem noſtrum ad ſe rapit. Eſt enim carbo ignitus.

SEXTVS eſt *augmentatio virtutum*, & meriti. Præit enim hæc meditatio omnia opera bona, qua ſine cætera parum valent, niſi enim paſſioni applicita fuerint, non grata erunt, ſed cruda. Et hic fons eſt, & origo meritorum. Satius autem ex ipſo fonte bibuntur aquæ. Hinc Albertus Magnus. Simplex, inquit, recordatio paſſionis Chriſti multo plus homini valet, quam ſi integrum annum ieiunaret in pane, & aqua, vel ſi quotidie virgis, aut flagellis cæderetur, vſque ad ſanguinis effuſionem, vel ſi quotidie legeret integrum pſalterium. Hæc ille. quod intellige ſi abſque paſſionis memoria fiant. Præſtat enim ſpirituale hoc exercitium omni corporali. Eſt ergo nobis in meditatione Dominicæ paſſionis magna multitudo dulcedinis, gratiæ plenitudo, & perfectio virtutum.

SEPTIMVS fructus eſt *arboratio*, & confortatio in tribulationibus. *In omnibus aduerſitatibus* (aiunt Auguſtinus, & Bernardus) *non inueni tam efficax remedium, quam vulnera Chriſti. In illis dormio ſecure, & requieſco intrepidus.* Itẽ in tentationibus. Bernardus. *Cum me pulſat aliqua turpis tentatio, recurro ad Chriſti vulnera, cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei reſurgo, cum Diabolus mihi parat inſidias, fugio ad viſcera miſericordiæ Domini mei, & recedit à me. Si ardor libidinis mouerit membra, recordatione vulnerum Domini mei extinguetur.* Magnæ ergo virtutis eſt (ait Origenes) memoria paſſionis Chriſti, quæ ſi fideliter in mente tenetur, omnes tentationes, & peccati exercitus fugantur. Eſt ergo tutiſſimum præſidium contra inſultus diabolicæ tentationis, quia dat hic ſcutum cordis laborem ſuum, &c. *Confortat quoque ad preferenda mala*, in ea enim eſt dulciſsimum ſolatium contra ictus omnis afflictionis. Vnde Gregorius ait. *Nihil adeo graue, quod non æquanimiter toleretur, ſi Chriſti paſſio ad memoriam reducatur.* Et Iſidorus, & Auguſtinus. Si paſsio redemptoris ad memoriam reducitur, nil tam durum, quod non æquo animo toleretur. *Parua erunt, quæ toleramus, ſi recordemur, quid biberit ad patibulum, qui nos inuitat ad calum.* Eſt ergo *lignum temperans aquas marath.* Quapropter Apoſtolus ait, *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem: vt non fatigemini animis veſtris deficientes.* Confortat etiam ad agenda bona, quia magni amoris oſtendit nos debitores. Hinc & Elphantis *oſtendebatur* ſanguis quo ad prælium animarentur.

Exod. 15. Heb. 12. 1. Mac.

OCTAVO dat vitã, id eſt, viuificat in vera animæ vita. Bernardus, paſsio Domini mortuos viuificat. O obſcondita fortitudo mors Chriſti mortuos viuificat vniuerſos.

Abac. 3.

NONVS eſt refectio mentis dulcedine mira. In ea enim inueniuntur vberrima paſcua diuinæ conſolationis, quibus ſponſa recreatur. Hic comedit fauum cum melle, & bibit vinum cum lacte ſuo, ita vt dicat cum Bernardo, *Bonum mihi diligere Ieſum, nil vltra quærere, mihi prorſus deficere, vt illi quam viuere.*

Cant. 5.

DECIMVS eſt inflammatio ad laudem Dei. Bernardus. Omnia oſſa mea germinant laudem, cum recordor Chriſti paſsionem: Vnde, & ſuper iudicia iuſtitiæ huius Dauid confitebatur media nocte, & ſepties in die laudem dixit. Sic filij Iſrael canticum cecinerunt poſt

Digitized by Google

tranſitum maris rubri. Inter enim omnia opera Chriſti, iſtud digniſsimum laude.

Nu.35. VNDECIMVS eſt æternæ vitę præſtatio: Poſt mortem namque Summi Pontificis, homicida, & exul reuertitur in terram ſuam. Et quo quis huius crebrius, & deuotius meminerit in via: eo amplius (iuxta Sanctum Thomam) gloriabitur in Patria. Vt patet in exemplo de Fratre carbunculum ſub pectore gerente pro præmio ſingulari, quia ſæpius huius rememorabatur.

DVODECIMO tutat, & liberat à purgatorio: *Liberat* enim & illic detentos, quippe, quia ſacrificium ſufficiens eſt pro eis Deo acceptum: *Tutat* etiam, & præſeruat, ne quis eò deueniat, ſi digne applicuerit hanc ſibi practicam, quæ in horologio æternæ ſapientiæ docetur: vt ſcilicet primo cum dolore peccata homo commemoret, *ſecundo* aggrauet, *tertio* ſe valde humiliet, *quarto* Chriſti meritum, & paſsionem extollat, per eam pro plena remiſsione peccaminum obſecrando: Et tunc nihil hæſitandum, quin etiam dicit nobis, *dimittuntur tibi peccata tua.* Pronior enim eſt (Mar.2.) fons ille pietatem iugiter ſcaturiens ad miſerandum, quam nos ad petendum. Hæc de duodecim fructibus ligni huius vitalis, quos facile conquirit mediator ſedulus Dominicæ paſsionis. Aſcende igitur in palmam, quicunque his fructibus refici voles: Si te non poſ- (Cant.5.) ſunt allicere iam dicta, vel ſaltem impellant te Dei præceptum, & Eccleſiæ inſtitutum. Iuſsit enim Dominus ſui commemorationem fieri, (Luc 22.) & Eccleſia, Miſſam in huius memoriam audire præcepit. Si non trahit bonum vtile, & honeſtum, vel alliciat te delectabilitas huius: (Apoc.2.) Meditari enim Ieſum, & hunc crucifixum, vere eſt edere de ligno vitæ, & guſtare viuum Dei verbum & manna abſcondito refici, cuius guſtum, præter eum, qui accipit, nouit nemo, cuius dulcedo, in immenſum ſuperat omnes, etiam delectationes mundi, licet congeſtæ fuerint in vnum. 1. Pet. 16. *Chriſto igitur in carne paſſo eadem cogitatione armare*, quiſquis in omne cupis progredi bonum, quiſquis guſtare voles prænumeratos fructus.

VERVM tametſi dulciſsimi ſint fructus palatum tamen non ſanum aut vix, aut non omnino afficere poſſunt: Qua propter, qui hos guſtare cupit, purgato affectu oportet accedat. Et licet ex ſuperioribus colligi poſſet, qualis erit myſteriorum Chriſti contemplator; paſsionis tamen meditatorem, ſingularius oportebit diſponi. Ait enim Bernardus, qui in hac ſcientia, quæ ſuper omnes eſt, proficere volet, oportet, vt omnem vanam conſolatiunculam, & delectationē prorſus abſcindat: Nō enim decet eum, qui vult Chriſti dolorem memorari, & ſentire, in verbis, riſibus, & luſibus vane reſolui: Sed omnis oportet vana conſolatio abijciatur, ſi vnquam in cruce gloriari cupit. Non enim bene conueniunt, nec in vna domo morātur cōſolatio carnis, & cōtēplatio dominicę paſsionis. Crux Chriſti voluptati ad- (Gal.6.) uerſatur, & voluptas cruci. Renuat cōſolari anima tua in alijs, ſi vis in crucis memoria oblectari. Nec (vt quoſdā) te terreat crucis nomen, cuius tametſi durus, amarus, doloroſus, horridus à foris videatur aſpectus; eſt tamen in ea tanquam horrido vaſe, dulciſſimum, & pretioſiſſimum nectar amantis, & tantopere amantis Dei, reconditum; cuius nectaris cui vel ſtillicidium vnum delibare donatum fuerit, mox reſpuet omnia mundi; mox illi aberit, niſi in cruce gloriari. *Vt igitur tibi crux ſapiat, opus eſt carnem crucifigas.* Gal. c 6.

Qui autem verè in Dominicæ paſſionis exercitio proficere cupit, non illi, quòd excitatus, quòd diſpoſitus ſit ſufficere debet; ſed oportet, vt de illis tribus ſupra iam dictis, etiam prouideat ſibi:

vt ſcili.	Certum Tempus ſibi præfigat,	ne	Intermittat:
	Debitum modū præſtituat,		Deficiat,
	Punctula quædā colligat,		Fluctuet,

Tempus oportunius eſt ſub miſſa: *Miſſa enim celebratur, vt mors Domini recollatur.* Cætera coaptet quiſque ſibi. De punctulis habendis, quam id congruat, ſupra eſt declaratum; vnde & infra Roſaria quædam aſſignabimus, & certa puncta. Supra omnia autem neceſſe eſt habere modum bonum: Niſi enim lignum iſtud vitæ affectuoſæ meditationis, & maſticationis dentibus attritum, imò, & ruminatum fuerit, minimè animi palatum afficiet, reficiet, impinguabit. Quapropter ſcala ſubnectenda eſt, quæ habet & modum initiandi, progrediendi, & terminandi, ponens practicas determinationes.

Scala meditatoria Dominicæ Paſſionis.

CAPVT II.

HÆc *eſt ſcala peccatorum, per quam Chriſtus Rex cælorum, ad ſe trahit omnia.* Quoniam filius hominis in monte Myrtæ, in palma frugifera exaltatus, qui in eius palmam conſcendere, benedictum fructum eius eum ſponſa apprehendere volet, ſcala opus habet: Teneat itaque ſcalam iſtam, qui non habuerit meliorem. cuius ita ſunt ordinati gradus, vt duo primi ſint exordiales, duo poſtremi terminatorij, aut finales: Intermedij autem proceſſionales, ita quòd adminiſtrent bonum modum inchoandi, progrediendi, terminandi, quæ tria, ad laudabile quodque opus concurrere debent. De quibus ſingulis breuiter agendum. Nec quemque moneat, quòd ſufficere poſſet pro modo meditandi, ſcala illa ſuperior generalis, quia licet ſufficiat, non tamen determinatos proceſſus habet, qui paruulis neceſſarij ſunt. Cant.7.

Digitized by Google

MEMBRVM I.

De gradibus initiatorijs ſcalæ paſſionis.

Prou. 16. HOminis eſt animum præparare. QVONIAM, vt crebrius iam diximus, talem de actibus ſuis plerunque homo fructum reportat, quali animi præparatione. quali item affectu ad eos acceſſit; ideo neceſſarium eſt, vt homo ſemper præparet cor. & potiſſimum cum ſacratiſſima quæque, puta paſſionis myſteria, corde tractare volet, & ideo præparatorij gradus præmittuntur. Quiſquis igitur Domino pro te paſſo non ingratus voles inueniri; ſtudeas quo vel vnam indies horam, tanto beneficio retractando dedices, ne dum iudex aduenerit, improperet tibi, Mat. c. 25. Mat. 25 *Hoſpes fui, & non ſuſcepiſtis me.* Itemque, *Non vna hora potuiſtis vigilare mecum?* Mat. 26 Et licet mens ſuo more, aut diabolica inſtigatione, ad optima quæque algeat, licet ſubterfugiat; non ideò memoria paſſionis intermittenda, ſed pigram mentem primo hoc gradu, velut calcaribus quibuſdam vrgeat, & ad id inurat, ſit ergo

§ 1. *Gradus Primus.*

Eſa. 52. N EXcuſſio diſpoſitoria. De qua Eſaias, *excutere de puluere, conſurge, ſede Hieruſalem, ſolue vincula colli tui, captiua filia Syon, quia gratis venundati eſtis*, Et eſt, qua

mentē	Torpentem excites,	per	Inductiuorum cōſiderationem:
	Diſtractam recolligas,		Tui reuocationē, & vacationem;
	Fluctuantē ſtabilias,		Certi articuli aſſumptionem.

PRIMO enim omniū mentē toripdā, debes per inductiuorū conſideratione excutere, vt poſſis viriliter, & feruenter aggredi (vt Bonauentura ait) tam ſacrum opus. Inductiua autem ad id incitantia, plurima iam ſunt prætacta: Quæ tamen poterit homo ſub ſeptenario hoc tenere, ſecundum ſeptem ferias dierum, vt excitetur ad Christi paſſionem libenter ruminandam; Quia

Scilicet:
- Tam Deo, & Sanctis gratum,
- A Chriſto, & Apoſtolis etiam præceptum,
- A Sanctis vniuerſaliter ſuaſum;
- Tam iuſtum, & dignum;
- Tam ſaluti noſtræ neceſſarium;
- Tam in præſenti vita commodoſum;
- Et in futuro vtile, & meritorium.

Declaratio horum ex ſuperioribus colligi poteſt.

Per hæc itaque & huiuſmodi mens à torpore excitanda.

SECVNDO principaliter oportebit mentem diſtractam *recolligere*, & ab omnibus impedimentis, & obſtaculis meditationum euacuare, iuxta illud Pſal. 45. *Vacate, & videte.* Pſ. 45.

TERTIO neceſſe eſt mentem iam excitatam, recollectam, & diſpoſitam, per certi articuli alicuius aſſumptionem *ſtabilire*; ne incertum, & in multitudine obruatur: Valde enim cauendum Dominicæ paſſionis contemplatori, (ait Ludolphus) ne plurima glutiat ſimul; ſed ſeriatim aliquid de ea per ſingulos dies accipiat, in quo Sabbatum faciat delicatum, Eſa. 48. cuique ruminando inhæreat tenacius, & longius immoretur. Vnde poterit quiſque certos ſibi arripere articulos, ſecundum dies diſtinctos, vt patet in arbore crucifixi Bonauenturæ, aut in Roſario ſuperiori; vel infra. Verum ſi meditari non libuerit, vel exemplo Heliſæi applica tibi ſaltem concinendo, ſubnexum excitatorium verſum: Cantus enim & aurum iuxta Philoſophum cordialia ſunt, id eſt excitatiua cordis. Et cantabitur ſub nota. *Crux fidelis: Pange lingua*, Vel *Vrbs beata.*

Hymnus.

EXcitare excitare, ò peccatrix anima,
Chriſtum paſſum ſpeculare, virtute magnanima:
Inductiua meditare, quæque linquens infima.
Nihil quippe Trinitati, delibabis gratius,
Nil ſupernæ ciuitati dedicabis ſatius,
Chriſti quam humanitati hærere tenacius.

Verum quoniam ſcriptum eſt, *beſtia quæ montem tetigerit, ipſa lapidabitur*: licet ſis excitatus, licet vtcunque recollectus, non tamen mente immunda, ad ſacratiſſima hæc ſacramenta reuoluenda, aſcendendum. Vnde oportet exerceri ſequenti gradu.

§. 2. *Gradus ſecundus.*

BEniuolentiæ captatio. DE QVA Exod. ca. 19. *Qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiam eos.* Et eſt, qua intuearis hæc tria,

Népe:
- Tuam inſufficientiam, & vtilitatem, Hinc te humiliando,
- Diuinorum actuum altitudinem, & dignitatem, Hinc myſteria Chriſti reuerendo.
- Dei potentiam, & pietatem, Hinc pro dignitoſa meditatione orando.

ET EST huius gradus exercitatio vtilis, & neceſſaria valde. *Neceſſaria*, quia (ſecundum Auguſtinum) melius eſt ſpiritualia penitus omittere, quam impure ea tractare: Vnde ante ſpiritualia neceſſe eſt purgari corda: Dicitur enim. Leuit. 22. *Omnis homo, qui acceſſerit ad ea, quæ conſecrata ſunt, in quo immunditia eſt, peribit de populo ſuo* Et quæ ita conſecrata,

Digitized by Google

fectè non poterit exerceri: vt patet. Suademus tamen, vt quiſque illi gradui tenacius inhæreat, quo ſe magis affici volet: Puta ſi durus, & ad compatiendum ſit inſenſibilis, longius circa compaſſionem exerceatur: Si frigidus & ſegnis, volens inflammari, liquefactionis gradui inhæreat pertinacius, & ſic de alijs.

§. 1. *Primus gradus.*

Commemoratio meditatoria, De qua Dominus. Matth. ca. 26. *Hoc facite in meam commemorationem.* Itemque Tren. ca. 3. *Recordare paupertatis, & transgreſſionis meæ, abſinthij, & fellis. Memoria memor ero: & tabeſcet in me anima mea.* Et eſt,

Qua	Moroſe cōmemores, Attente cōſideres, Profūde diiudices	ea quę patitur Ieſus ſecundū	Euangelicam hiſtoriam. Conſiderationū varietatem, Æſtimationem veram.

Hic notandum, quod primus iſte gradus, præ cęteris concernit proceſſum *intellectiuum*, complectens omnes gradus intellectiuos, poſitos ſupra in meditatoria ſcala: ſcilicet commemorationem, conſiderationem, diiudicationem: Cæteri autem ſubſequentes, reſpiciunt magis *affectum*. Diligentius itaque huic gradui immorandum, quoniam ſine hoc cæteri afficient parum: Nam non intellecti (iuxta Sanctum Thomam) nulla affectio eſſe poteſt. Intellectualiter itaque eam tractare debemus.

In primis iuxta Domini inſtitutum commemorando ea, quæ Dominus paſſus eſt, ſecundum quod euangelica enarrat hiſtoria: textum ſcilicet euangelicum de propoſito articulo memoriter reuoluendo, & per commemorationem crebrius repetendo. Itemque inſtar Ludolphi, & cæterorum poſtillatorum, illum diuidendo, & exponendo, & hoc, vt dicitur, *moroſe*: Hoc enim docuit æterna ſapientia diſcipulum dicens, Memoria, inquit, paſſionis meæ debet fieri non perfunctoriè, nec cum feſtina acceleratione, maximè cum tempus aderit ſufficiens & opportunum: ſed cum matura, ac modeſta, ac præcordiali rememoratione: vt ſic intus eat in affectum. A primo huius gradus membro, nullus ſe abſcondere, nullus ſe poteſt excuſare. Facilis enim eſt, & omnibus ad manum, commemoratio creditorum & ſcriptorum, & ob id totiens ſcriptura hortatur ad eam: vt in Deuterono. cap. 4. & cap. 28. *Caue diligenter ne aliquando obliuiſcaris Domini Dei tui.* Item ibidem: *Erit vita tua quaſi pendens ante te.* Et in Thobia cap. 4. *Omni tempore in mente habeto Deum.* Et ſic de alijs. Quibus omnibus libentiſſime obediendum (ſecundum Bernardum) Nouit enim, quicunq; habet ſenſum Chriſti, quantū Chriſtianæ pietati expediat, quantum ſeruum Dei deceat, & vtile ei ſit, ſaltem vna hora diei, paſſionis ipſius, ac redemptionis noſtræ attentius recolligere beneficia, ad fruendum ſuauiter in conſcientia, & ad recondendū fideliter in memoria. Expergiſcere itaque ô anima Chriſtiana, & modeſte pertracta ſingula, quę de Domino Ieſu narrat euangelicæ Syluæ hiſtoria.

Secundo progrediens, debes etiam cum Salomone, Prou. 23. *conſiderare, quæ apponuntur tibi*, per mentem recolligendo, quomodo illa iam olim fuerint præfigurata, & Prophetis multipliciter prædicta; Cætera item, quæ Sancti ponunt conſiderantia: diligenter & attente conſiderando cuiuſque articuli cauſalitatem, modalitatem, circumſtantiarum congruitatem, fructuoſitatem, & exemplaritatem, & huiuſmodi multa, quę abunde exercitanti ſe, ſubminiſtrabit inſpiratio diuina. *Prou. 23.*

Tertio quoque oportebit, vt iam conſiderata profunde cum Paulo *diiudices*, & quàm is, qui talia pro te taliter paſſus eſt, redamari dignus ſit perpendas, & quanta compaſſione, gratitudine, deuotione, myſteria eius recollenda, concludas. Latiſſima in his materia meditationum adminiſtratur, in quibus quomodo ſe homo exercitare debet, ex ſcala meditatoria ſuperiori patet. Verum vt iam conſiderata per intellectum magis afficiant, oportebit res geſtas, vt vult Dionyſius Carth. in *imaginatiua formare*, tanquam præſentes: vt ſcilicet (ſecundum Bernardum) ita ſe homo cogitet Chriſto paſſo præſentem in cogitatione ſua, ac ſi tunc temporis ibi præſens fuiſſet, quando paſſus eſt iam meditata, & ita ſe habeat in loquendo, videndo, dolendo, ac ſi Dominum coram oculis ſuis iam cerneret patientem. Ita enim, & ipſe Dominus ſibi in ſpiritu præſens erit, ſicut cogitabitur ab eo præſens eſſe, & ita accipiet ſua vota, & acceptabit ſua facta. Hæc Bernardus. De qua imaginatione formanda, iam ſupra quædam ſunt præmiſſa. Et quo hæc meditatio, & imaginatio afficiant magis, debet homo iuxta Bonauenturam fidem actuare, & quidditatem patientis, attente, & fideliter ſpeculari: Conſiderando ſcilicet, *1. Cor. 11*

Quis ſit ſecundũ
- Humanitatẽ quantum ad
  - Naturam, Denominationẽ, Officium, quia
    - Verus homo, carne, atq; anima, labor, & ſitis, & mors.
    - Lux, manus, & vitis, via, ſtella, Leo, lapis, agnus.
    - Dux, Auctor, Paſtor, Rex, Angelus, atque Sacerdos,
- Deitatem quoad eius,
  - Cõmunia, quia
    - Ipſe Deus, Dominus, perfectus, & eſſe, bonumque.
    - Prima eſſentia, natura optima, vita beata.
  - Propria,
    - Filius, & verbum, ſimilis, ſpecies, & imago.
  - Appropriata, Opera, quia
    - Æqualis, virtus, decor, & ſapientia verax.
    - Eſt medians, reparans, ſaluans, medicãsq; beanſque.

Ecce latiſsima hic aperitur commemorationis in meditando via, in quibus qui volet proficere, ſibi debet illa prædicta de Doctoribus, & ſcriptis ſuper ſententiarum libris eligere, & ſcalariter ordinare, vt ſic poſsit in promptu habere. Et poteſt hic gradus exerceri modo repręſentatiuo, vt in centum articulis fit.

Hymnus.

Stilo tibi Rex amande, per piam memoriam,
Paſſionis admirandæ Diuinam hiſtoriam.
Sacrificium pregrande, Chriſtiani gloriam.

Et quis tam ferrei cordis, qui videns Deum in pœnis, non compatietur ei? Ideo ſequitur.

§ 2. *Gradus ſecundus.*

COmpaſſio. DE QVA Apoſtolus Rom. 8. *Si compatimur, & conregnabimus.* Et eſt hæc compaſſio libenter exercitanda; quia ſcilicet,

Eſt
- Deo grata, & accepta.
- Nobis vtilis, & commodoſa.
- In ſe digna, & iuſta.

Quantum enim ei ſit grata, quia totiens per ſcripturas hortatur ad eam dicens: Tren. c. 1. *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* Item conqueritur de non compatientibus dicens, Pſal. 68. *Suſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur, non inueni.*

Quam autem nobis vtilis, & commodoſa, verba Apoſtoli innuunt iam præmiſſa, ſcilicet, *Si compatimur, & conregnabimus.* Nam (iuxta cuiuſdam deductionem) iuxta menſuram cõpaſſionis, erit gloria conregnationis.

De tertio autem, quam, ſcilicet digna, & iuſta, Doctor ille deuotus Guillermus Textoris, in ſuo ſermone ait, *Reuera nihil iuſtius, nihilque debitum magis, quam compati ei, qui non pro ſe, ſed tantum pro nobis patitur, quod etiam inſenſibilia ipſa norunt inſtrumenta* &c. Agite ergo compatiamur.

Vt autem compaſſio in te excitetur magis,

Attende
- Patientem perſonã, Inflictam pœnam, Iniuſtam cauſam, quo ad
  - Eius qualitatem.
  - Paſſionis acerbitatem,
  - Criminis immunitatem.

Conſideratio prima perſonæ patientis.

PRimo, inquam ô cor durum, & obduratum, quo magis ad compaſſionem emolliaris, attende, ſcilicet conſiderando eius qualitatem; & niſi ferrei fueris cordis, inuenies vnde liqueſcas. Complectitur enim aggrauantia plurima paſsionis.

Attendite igitur, qualis ſit ſecundum humanitatem, & diuinitatem. Secundum humanitatem quidem

Quõ ad
- Originem, *Nobilis eſt, primus, radix Dauidiga ſtirpſque.*
- Naturam, *Pacificus, viuax, tener, & fortis ſpecioſus.*
- Vitam, *Innocuus, Sanctus, plenus, perfectio, teſtis.*
- Pœnam, *Eſt mitis, patienſq;, tacens, eſt victima, & agnus.*
- Famam, *Quam celebris medicus; doctor, miruſque Propheta.*
- Attinẽtiã, *Sponſe, Pater, frater, hæres, caput eſt, & amicus.*

Secundum diuinitatem quo ad perfectionem. *Perfectus, ſcius, omnipotens, bonus, & Deus almus.*

Qualis Chriſtus ſecundum humanitatem.

Notula 1.

PRIMO igitur omnium, attende qualis ſit (de humanitate loquor, diuinitas enim tranſcendit nos) qui patitur, *quoad originem:* Et inuenies, quod ſit *nobiliſsimus*, quippe, & Patriarchali, Regali, Sacerdotali ſanguine ortus, complectens in ſe omnes cauſas nobilitatis, vt ſupra eſt declaratum. Fons, & origo totius nobilitatis, decus carnis vniuerſæ, & tamen adicitur tormentis, Ipſe homo *quidam* ſingularis, & nobilis. Ipſe *primus*, & primo genitus Dei Patris, & Virginis Matris, primatũ in omnibus tenens, *Radix & ſtirps Dauid*, Dominus, & eius Filius. Attende ergo, & hinc conſidera, quantus ſit dolor eius: Quo enim perſona nobilior, eo inflicta paſſio ignominioſior: Et quo dignior, qui patitur; eo afflictio (teſte Chryſoſtomo) maior. *O cor ſecum hac trutinet calamus hic deficit omnis.*

SECVNDO attende, qualis ſit quo ad naturam, & inuenies, quod ſenſu *viuaciſsimus*, cõplexione, corpore, & *anima pacificus*, totus eucraticus &c. ex quibus granditer paſsio aggrauabatur. Primo inquam ſenſu *viuaciſsimus*: Mat. 26.
Notum autem eſt, tamen præciſè vnumquemque pœna aliqua ſenſibili torqueri, & affligi; quanto plus aliquis ſenſuum eam, tanquã ſibi inconuenientẽ, ſentit: Sed & omnibus rurſus confeſſum, ſenſus alicuius hominis, tanto plus & citius pœnam ſentire, & ex eadem torqueri, quãto ſẽſus illius hominis fuerint viuaciores: Chriſtus autẽ natura viuaciſsim⁹, quia optimè complexionatus, & perfectæ ætatis, ergo &c.

Item fuit complexione carnis *tenerrimus*: Auguſtinus. Nulla natura Chriſti tenerior eſt, & ideo nullus dolor aſperior.

Ruſticus autem duros habet neruos: vrticas tangit ſine dolore, quas delicatus ſine ingentibus tumoribus non valet tangere. Prouenit autem teneritudo ex duobus, ſcilicet ex naturæ generoſitate, & conſueta diutina voluptate, & ſecundum hæc duo Chriſtus tenerrimus fuit: *Tum quia* de puriſſimo ſanguine Mariæ Spiritusſancti artificio formatus: *tum quia* ab æterno ſecundum Deitatem in ſinu Patris voluptuoſè nutritus: & à Matre optime, & ſollicitè educatus in pueritia. ita quod in prouerbijs dicat, *Filius fui tenellus Patris mei.* In cuius typum in libris Regum dicitur, 2. Reg. 23 *Ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus.* Hinc ergo collige Chriſti dolorem. Si homo groſſæ complexionis vix patitur acus punctionem, quanto putas tenerrimum hunc pertuliſſe, tam duram, & diram paſſionem.

Item fuit corpore, & anima *pacificus*, vnde horum ſeparatio fuit acerba nimis: Dicit enim Galenus, quod omnis dolor eſt ex ſeparatione; Et quanto aliquorum magis concors fuit commanſio, tanto grauior eſt ab inuicem ſeparatio: Sed anima, & caro Chriſti concordiſſimam inter ſe habebant commanſionem, nullam inter ſe (vt nos) pugnam habentes: vt dicitur de arca Noe, quod omnia pacata fuerunt in ea: & ideo quanto horum commanſio quietius concordabat, tanto eorum ſeparatio grauius perturbabat. Inde fuit fortè, quod ex ſola mortis memoria tantum trepidabat: Vnde Eccleſ. c. 4. *O mors quam amara eſt memoria tua homini habenti pacem in ſubſtantijs ſuis*, id eſt ſpiritu, & carne, quod ſoli plenè congruit Chriſto. Et hinc dicitur per Eſa. c. 38. *In pace amaritudo mea amariſſima.* Quaſi dicat, Quanto pax quietior tanto ſeparatio eſt amarior.

Item fuit etiam quo ad naturam totus *eucraticus, pulcherrimus*, & ætate perfectus, quæ omnia aggrauabant dolorem patientis. Quo enim natura cum viribus fortior, eo mors amarior: Sed hoc eſt in ætate perfecta, in qua voluit mori Chriſtus, vt dicitur in Pantheologia, *ratione dilectionis*, vt illam oſtenderet, cum in perfectiſſimo ſtatu morti ſe pro nobis daret: Item *ratione perfectionis*, ne diminutus, & *ratione præfigurationis* reſurrectionis futuræ. Attende ergo, & vide &c.

TERTIO, attende quali conuerſatione, & vita: Quippe erga Deum Sanctiſſimus, erga proximum innocentiſſimus: *Sanctiſſimus* omni bono plenus, *innocentiſſimus* omnis mali immunis. Attende ergo quam lamentabile, ſanctum Dei, Sanctorum ſanctum: (*non enim eſt ſimilis Sanctus, vt eſt Dominus*) morte perdi & affici tormentis Deſcende hic ad gratiæ plenitudinem, & ſingulas virtutes, & fac luctum cum Michea plorans: *Perijt Sanctus de* Mich. 7. *terra*, &c. & cum Pſalm. 11. *Quoniam defecit Sanctus.*

Item innocentiſſimus fuit, omnis peccati im- Nu. 21. munis: Ipſe enim eſt, qui *peccatum non fecit* &c. Ipſe ſerpens æneus, ſimilitudinem quidem ſerpentis habens, ſed non venenum, id eſt ſimilitudinem carnis peccati, ſed non peccatū. 1. Pet. 2. & tamen pænis exponitur, vt reus. Et licet quibuſdam videatur, quod innocentia minuat dolorem, eo quod minuat numerum, quia ſ. non patitur cū culpa, augmentat tamē plurimum, dum comprehendit nocumentū illatum, magis indebitum, & ſic patet innocentia, quia nec cōtraxit peccatum, nec admiſit.

QVARTO, videndum *qualis in pena*, quia *mitiſſimus, & patientiſſimus* nimis: vt nec in corde, nec in ore, nec in opere, contra malefactores exhibuerit impatientiæ quippiam. Vnde Hierem. c. 11. *Ego quaſi Agnus manſuetus, qui portatur ad victimam.* Et Eſa. c. 53. & c. 52. *Sicut ouis ad occiſionem ducetur*, Et eiuſdem, *Tacui ſemper, ſilui, patiens fui Cum enim malediceretur* (teſte Petro) *non maledicebat*, & cum pate- 1 Pet. 2. retur non comminabatur, ſed tradebat iudicanti iniuſte, ſuam cauſam, ſcilicet non ſe vindicans. Iuxta illud Hier. c. 11. *Tu autem Domine, qui iudicas iuſte, &c. videam vltionem tuam ex eis, tibi enim reuelaui cauſam meam.* Verè ergo patientia tua ſingularis, Domine Ieſu, quod dum ſupra *dorſum tuum fabricauerunt peccatores*, Pſ. 128. & omnibus te afficerent malis; non aperuiſti os tuum, non aduerſus Patrem tuum murmurans, à quo miſſus, & traditus fueras; non aduerſus genus humanum propter quod miſſus, *quæ non rapuiſti exoluebas*; nec comminabantis populo affligenti nec in omni paſſione, vel os aperuiſti, niſi ad ſel, & verba pietatis. Inuenieris enim 14. verba in decurſu paſſionis habuiſſe, ante crucifixionem ſeptem, & in cruce ſeptem: Ante crucifixionem verbum *primum* piæ exhortationis, ſcilicet, *vigilate, & orate*, ad diſcipulos; ſecundum piæ condeſcenſionis; ſcilicet, *dormite, & quieſcite*, ad diſcipulos; *tertium* deuotæ orationis, ſcilicet, *Pater ſi fieri poteſt*, ad Deum Patrem; *quartum* voluntariæ oblationis, ſcilicet, *ego ſum; ſi ergo me*, ad inimicos: *quintum* piæ reprehenſionis, ſcilicet, *Non potuiſtis. Amice. Tanquam ad latronem*: *ſextum* benignæ rationis, ſcilicet, *ego palam. Tu dixiſti. Regnum meum*: *ſeptimum* piæ conſolationis, ſcilicet, *Nolite flere ſuper me*, ad ſequentes. Septem verba quæ dixit in cruce cunctis præſupponimus nota, in quibus omnibus non apparet, niſi patientia ſtupenda, indignatio nulla.

QVINTO, vide, qualis quoad famam, & inuenies, quod *famoſiſſimus*, aut potius inclitiſſimus, & omnibus notiſſimus habebatur, & qui ante à multis ſequebatur, & amabatur: vt Doctor veritatis, Dominus maieſtatis, & mirificæ virtutis, præcellentis Sanctitatis, & qui ante, vt Rex Iſrael, cum tanta gloria in Hieruſalem ſuſcipiebatur: is iam, vt ſeductor, trufator, magus, grauiſſimus peccator, ab omnibus deſpiciebatur, & contemnebatur O dolorem! omnia enim, quę prius egerat, bona, & miracula, iā reputabāt ut arte magica facta: & eo cōfuſibilior fuit ei⁹ paſſio, quo honorabilior ante aliquot dies præceſſerat proceſſio, & ſuſceptio.

SEXTO attende, qualis quoad attinentiam, quia vere tibi amandiſsimus, totus merito deſiderabilis. Frater quippe tuus, & Pater, Sponſus, & amator; vt nihil diſtare comprobaretur, membrum de membro, imo caput vniuerſi corporis ſacri. Vel hinc nunc collige ô inſenſate! quam debes compati pa-

ſcripturas ſtudioſè voluerit meditari, & profundè diiudicare. Vnde quandoque ponunt talia verba *acceſſerunt*, *tenuerunt*, *expuerunt*, *conſpuerunt*, quæ grauiſſima in ſe tormenta habent, ſi diſtinctè fuerint euoluta. Semper igitur de Chriſti tormentis cogita ſummè, & extremè, quantumuis enim cogitaueris, non ad rerum veritatem, non ad tormentorum acerbitatem attinges, propter plurima aggrauantia, quæ Chriſti paſſionem augmentabant, quorum quidam plurima ponunt:

Ponunt enim duodecim aggrauantia paſſionis externa, ſcilicet,

XIII. *Te duodena premunt externa grauantia Chriſte:*

Primum eſt, nobilitas generis, ex Patre, & Matre.	*Aſpicientium deriſio, & multitudo inter notos.*	*Tortorum crudelitas, & ingratitudo.*
Nobilis,	aſpiciens,	infert,
Fortitudo corporalis perferens duriora morte	*Teneritudo corporalis, & oncratica cōplexio.*	*Aetatis vigoroſitas, quia in 33. vel potius 34. anno.*
validus,	tener,	ætas.
Pœnarum multitudo, & generalitas.	*Vilitudo, & ignominioſitas.*	*Magnitudo, & acerbitas*
Plurima,	vilia,	magna,
Loci conditio, & fœtiditas caluariæ.	*Temporis, & diei ſolemnitas, in Paſcha.*	*Societatis ignominioſitas, & vilitudo.*
locus,	tempus,	ſociuſque.

Ponunt æquè, & totidem aggrauantia interna. Cuiuſmodi ſunt iſta.

Tu duodena Deus interna grauantia paſſus,

Iuſtitia, & Diuina æquitas volens ſatisfactionem.	*Et Dei charitas voluntariè aſſumens.*	*Sapientia diſpenſans dolores ſecundū culpas.*
Iuſtus,	amor,	ſapiens,
Quia non erat influxus in vires inferiores	*Præſcientia futurorum.*	*Innocentia, & precioſitas vitæ eius.*
deſertus,	prçſcius,	inſons.
Anima Chriſti viuacitas, & potentiarum capacitas.	*Obiectorum vilitas, & multitudo.*	*Cuius animam gladius pertranſiuit.*
Viuax,	obiectum,	Matrem,
Diſcipulos, & omnes bonos præſentes tunc.	*in quibus paſſionem [illegible] videt.*	*Futuros, in quibus ingratitudinem præuidebat, & martyria.*
notos;	reprobos,	nos,

Fateor, deuota eſſet horum ſingulorum executio; ſed prolixum requireret opus. Vnde breuitati ſtudentes, ad ſeptenarium nos noſtro hæc more reducere ſatagemus; ne multitudine obruamur. Sunt itaque aggrauantia in genere ſeptem, quorum prima tria ſunt externa, reliqua quatuor ſunt interna.

Paſſionē Chriſti aggrauantia
- Externa
  - Cauſa efficiens, ſcilicet conditio eorum, qui paſſionē intulerūt.
  - Res circumſtans, puta aſtantium multitudo, locus, tempus.
- Interna
  - Præcognitio, qua præuidit paſſiones, peccata, & alia multa.
  - Obiectorum multitudo, vt iuſtitia, ſapientia &c.
  - Fortis impulſio.
  - Plurium compaſſio, vt charitas ſui, matris, ſuorum.

1. *De cauſa efficiente.*

Notula 1.

PRimum aggrauans eſt cauſa efficiens; qui ſcilicet paſſionem intulerunt. Fuerunt enim multi; Nam, XIIII.

Hunc Pater, & ſemet, Mater, draco, Iuda, Iudæus.

Prima cauſa effectiua paſſionis Chriſti, fuit *Pater æternus*, qui filium tradidit paſſioni, & hoc tribus modis,

Scilicet
- Præordinando,
- Inſpirando,
- Deſerendo.

Primo, *præordinando ab æterno*. Eſa. 53. *Deus poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrum.* Secundo *inſpirando*, quia filius ſecundum humanitatem infudit charitatem, & inſpirauit voluntatem patiendi. Eſa. 53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Tertio *deſerendo*, & non protegendo, nec liberãdo, propter ea audis, *Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me*, &c. Matth. 26 Paulus Ro. 8. *Proprio filio ſuo non pepercit Deus; ſed pro omnibus nobis tradidit illum*; & Iob 16. *Manibus impiorum tradidit me*; ſuper quo Gloſſa. *Pater meus cæleſtis.*

Secunda cauſa efficiens paſſionis *ipſe filius fuit*, qui ſemet tradidit pro nobis in mortem: Vnde Apoſtolus; Gal. c. 2. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum in mortem.* Item Hier. c. 12. *Dedi dilectam animam meam in manibus inimicorum meorum.* Vnde hoc ipſum oſtendit, quia obuiam iuit, dicens, *Ego ſum.*

Io. 18. *Tertio Mater Maria* tradidit Filium ſuū, ex affectu tali, quia videlicet maluit Filium ſuum mori, quam genus humanum non redimi, (vt teſtatur Bernardus) quamuis cum magno dolore Filium mori vidit.

Quarto eius paſſionem aggrauauit, quod à Iudæis paſſus fuit, & hoc *ratione religionis:* Maioris pœnæ eſt, quod à populo ſpirituali vnius Dei cultore hæc patiebatur. Secundo *ratione perfectionis*, quia Phariſæi, qui ſingulariter perſequebantur, perfecti à populo reputabantur. Tertio *ratione cognitionis*, grauius erat à peritis, & doctis pati, quam ab idiotis, & ignaris. Item *ratione familiaritatis*, ſollicitudinis &c. Et potiſſimè grauabant horum *crudelitas*, & *ingratitudo*. Ex natura enim populus ille Iudaicus, crudelis, & ſæuus plurimum fuit, vt aiunt docti. Vnde & propter hoc, vbi in lege præceptum datur de homine virgis cedendo, numerus plagarum notatur: additur quia alias ex crudelitate ad mortem vſque, hominem cecidiſſent. Et præter hanc naturalem ſæuitiā, erga Chriſtum erant inuidia pleni, ita quod dentibus libenter diſcerpſiſſent, ſi potuiſſent. Vnde in perſona Prophetæ ipſe ait, *Facta eſt mihi hæreditas mea, quaſi leo in ſylua* &c. O attendat qui valet. Deinde *ingratitudo horum*, plurimum adauxit Chriſti dolorem, quare & iuxta Hierony ſingulariter orabat, *Si poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*: Iſte, inquam, iſte, id eſt, ab hoc populo propinandus: Is enim eſt populus, cui tanta impenderat bona, quæ ſummatim Chryſoſt. recitat dicens. Præ cæte-

ris

tis hominibus noua quædam, & magnifica quædam vitæ ſunt ei inſtitutatradita. Exod. 15 In medio mari ſiccum apertum iter, &c. Exod.15. Longum eſſet enumerare ſingula, ſed vt paucis expediamus, is eſt populus, quem creauit, quem elegit, propter quem tam innumera effecit, de Ægypto eduxit, per deſertum deduxit, in terram induxit, & nunc propter eos Mat. 15. ſingulariter de cælis aduenit. Ita vt rectè meritoque dicere poſſet, *populo meus* &c. Sed ipſi his omnibus ingrati iuxta Pſalm.34. *retribuebant mala pro bonis*, manus ſacrilegas in Dei Filium mittentes, vt crudeliſſimi homicidæ, imò (ſi fas eſt dicere) Deicidæ. Hinc ergo plurimũ triſtabatur, quod paſſus eſt à gente peccatrice, Eſa. 1. *populo graui iniquitate, ſemine nequam, filiis ſceleratis, generatione nequam, & peruerſa.*

Sed quod à diſcipulo proprio, non quocunque, ſed à populo electo, procuratore promoto, Angelorum cibo refecto &c. traditus fuerat, quam agrauauerit, quis dignè æſtimabit? Teſte namque Gregorio, *minorem dolorem mala inferunt, quæ ab extraneis inferuntur, pluſque in nobis tormenta ſæuiunt, quæ ab illis patimur, de quorum mentibus præſumebamus, quia cum damno corporis, mala nos cruciant amiſſa charitatis.* Et ideo conqueritur in Pſal.54. *Si inimicus* inquiens, *meus maledixiſſet mihi*, &c.

Quod ſi tandem attenderis ipſum Agnum mitiſſimum, non ab hominibus paſſum ſolũ, ſed & *à dracone*, vt quorundam opinio habet, infernali, qui ab initio ſitiuit ſanguinem eius, quomodo non afficieris? Apoſtolus 1.Cor.2. enim non tam hominibus in hoc mundo illius crucifixionem tribuit, quam principibus huius mundi: vt patet ex dependentia textus eius apertè. Apertius quoque ipſe Dominus dicit iam paſſurus. Ioan.14. *Venit huius mundi princeps*, &c. Nam (teſte Theophilo) qui abceſſerat in deſerto ad tempus, iam venit cum ira magna, ſciens quia tempus modicum habet. Luc. 22. Hinc, & Dominus palam, *Sed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Vnde & in Pſalmo ait, *Circundederunt me funes mortis, torrentes Belial*, (vel vt Hieronymus ex Hebraica veritate, ait) *diaboli tenuerunt me.* Ipſe enim videtur ille verus Iob traditus, & derelictus in manus inimicorum ſuorum, eorum qui verè Pſ. 7. inimici erant, Sathanæ, ſcilicet principis tenebrarum, qui maximè ſanguinem agni ſitiebat, &, vt gloriam eius in puluerem deduceret, æſtuabat, laborabat, agitabat, & in omnibus viribus tumultuabat: vt quem ab origine mundi, ab initio creaturæ perſecutus fuerat, & in membris quantum potuit occiderat, Agnum ipſum iam trucidaret. Qui ei traditus fuerat à Deo, cui nos tradendi omnes eramus, & traditus perfectè (*Dei enim opera ſunt perfecta,*) Deute. 32. vt perfectè redimeremur, & plene obſtrueretur os aduerſariorum, draconis vis, & omniũ ſuorum Angelorum. Quale igitur putandum fuiſſe certamen, vbi Dei virtus derelicta eſt, vt pateretur, & malignus permiſſus eſt, vt perſequeretur? Grande, & valde grande neceſſe eſt fuiſſe prælium iſtud: Vere maximum omnium certaminum fuit hoc certamen draconis, & Agni duriſſima neceſsitas, vbi Agnus cum dracone præliatur: Liuidiſſimus enim omniũ animantium draco; mitiſſimus omniũ Agnus, qui non niſi legibus & armis agninis pugnauit; ſcilicet patiendo. Paſſus igitur eſt Agnus quantum potuit, & permiſſa eſt malitia, & furor draconis, quando fuit hora, & poteſtas tenebrarum, & Agnus illi traditus, ac derelictus; donec tela, & frameæ furoris eius penitus conſumptæ eſſent, ac deficerent inimici iacula in finem. Vicit enim manſuetudo Agni patientiſſima, malitiam rugientis leonis; & ſapientia Agni, nequitiam inſidiantis draconis; & Agni tranquillitas, furorem inſanientis vrſi. Vicit inquam patiendo, quicquid vniuerſa illa cohors tenebrarum, & poteſtas omnis aſpidum, & baſiliſcorum, illa ſaltem horá impunè permiſſa, totis naturalibus viribus, & induſtria, malitioſè, nequiter, furioſè, effundere potuerunt. Vere igitur grande certamen æternis annalibus relegendum, perpetuo fortitudinis præconio ab Angelis ſapienter iudicantibus efferendum; quod facere expetunt, quando, ipſo Domino poſt paſſionem in gloriam ſuam intrante, alijs interrogantibus, quis Pſ. 23. eſſet rex iſte gloriæ, alij reſponderunt, *Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio*, &c. *potentẽ in prælio* nõ inaniter appellantes: Mortẽ enim corporalem, & corporalis mortis dolores, contemnere, & ſubire, non adeo magnum putandum, vt Seraphin, & Cherubin id præcipuum gloriæ præconium putent: Videmus enim Reges gentium, & Romanorum Imperatores, pro ſalute ſui populi, ſeſe morti obtuliſſe; Codrus, Decius, exemplo ſunt, qui non triduana tantum exanimatione, ſed perpetuo æuo morituri, non poſt triduum amicis maiore gaudio reddendi, non æterna immortalitate, & fœlicitate mox exaltandi, non Diuina, clara, certa ſapientia illuſtrati, non ſpirituali deſiderio inflammati (vt Chriſtus noſter erat) ſeſe tamen pro populi ſui ſalute, in necem ſpontaneam (vt hiſtoriç tradunt) obtulere. Neceſſe eſt igitur alijs euidentijs prelij magnitudinẽ Chriſti noſtri aſtruere: vt Angelicis virtutibus) prçlium illud glorioſum, in conſpectu Dei attollatur; & prçſtet humanis actibus cunctis. Quod fit cum attenditur, quod certamen hoc, non aduerſus carnem, & ſanguinem ſolum fuit, ſed *magis aduerſus ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* Eph. 6. Et id non communi, & gregario modo tantum (vt erant Sanctorũ Antonij, Furſei, aut aliorum Patrum, & Sanctorum cum dæmonibus horrida, & ſtupenda bella) ſed modo quodam exceſsiuo, & prorſus inexcogitabili omni menti creatæ, etiam pennis ventorum, Angelicæ ſcilicet perſpicacitati, quæ ſuper hoc prælio demirantes quærunt, & obſtupeſcunt, vt patet in Eſaia ca. 63. Paſſus eſt igitur Chriſtus aliter, & ab alijs hoſtibus, exceſsiue magis, quam omnes homines, aut Sancti omnes, etiam cum dæmonibus bella ducentes: Adeo, quod Agnus ille mitiſſimus, truculentiſsimam illam beluam, draconem, leonem, Sathan, pertulit à *dextris ſtantem, dum ſordidis erat veſtibus indutus* (vt Zacharias Propheta dicit) Zach. 3. ſubiturus miniſteriũ ſacrificij grandis, vt *aduerſaretur ei* cum plena

illa

Digitized by Google

illa nequiſſima arte, cum tota malitia, cum integra permiſſa poteſtate.

Dices forſan: Sed mortalis erat, cur nō momento primo tantorum malorum extinctus eſt? Sed quia ſummus erat Sacerdos, iurejurādo conſtitutus offerre incenſum dignum Deo in odorē ſuauitatis, magis quā omnia reliqua, etiā cæleſtis templi ſacrificia; Sacrificiū videlicet obedientiæ illius, quæ melior eſſet, quam omnes reliquiæ omnium cæleſtis Hieruſalem Sacerdotum victimæ: Ideo non decebat eum emori, niſi obedienter conſūmato, & perfecto

1. Reg. 15 ſacrificio. Ideo datū eſt illi, vt eſſet anima eius

Pſ. 118. in manibus eius: vt nemo eam tolleret, quan-

Io. 10 tuncunque affligeret; ſed ſolus ipſe *poteſtatem*

Io. 19. *haberet ponendi animam ſuam*, quam nulla doloris, aut mæroris vehementia, extorquere potuit, niſi quando ipſe voluit. Nec ipſe voluit; niſi conſūmato ſacrificio: Nec conſūmatum eſt ſacrificium, niſi obſtructa prius ora iniqua loquentium dæmonum; & impleta ora canentium Angelorum, & diuinæ iuſtitiæ ſatisfactū. Vnde, qui huius prælij magnitudinem noſſe vellet; illi expediret ſparſa per ſcripturam argumenta colligere, Nunc diabolicæ virtutis; nunc poteſtatis; nunc nequitiæ; nunc malitiæ: Item furoris, liuoris, contumaciæ; ſingula ſuo genere ſeorſum, & poſtea in ordinem digerere Quoniā poſt, & extra Deū, nihil tam ſalubre cogitatur, neque per aliud propius acceditur ad Deum.

Nec cuiquam noua videatur poſitio iſta, aut à Patrum ſemitis exorbitantior, quæ tam ex apertis ſcriptis deduci videatur, quæ patrū teſtimonijs comprobatur, & rationibus fulcitur. Nā beatiſſimus Auguſtinus in xiij. de Trinitate, in hanc ſententiā plurima ponit, declarans xij. xiij. xiiij. capitulis, quo merito homo traditus fuerit diabolicæ poteſtati: De conſilio quoque Dei quo ei placuit, vt poteſtas diaboli, non potentia, ſed iuſtitia vinceretur; Deque omnium debito per Chriſtum nil debentē ſoluto; dicens, Chriſtū iniuſtè à diabolo occiſū, & paſſum: deducens hoc ex verbo Domini, quod per eo carnis expreſſit paſſurus, *Ecce venit*

Io. 14. *Princeps mundi huius*, &c. Et Cyrillus, *Poteſtas* inquit, *eſt tenebris data, id eſt diabolo, & iudæis, inſurgendi in Chriſtum.* Similiter in iij.

Ibi. Moralium Gregorius ſuper illo verbo, *Ecce in manu tua eſt*, licet prima facie contrarium dicere videatur, in proſequendo tamen in eandem ſententiā venit dicens, *Si per Sathanæ manus, eius poteſtas accipitur, claret, quia eius poteſtati traditus fuit: Et licet animam ſeruare iubetur: non ſic accipiendum, quo hanc tentare prohibeatur, ſed hanc ſuperare, tentator non poſſe conuincitur.* &c. Theophilus quoque ſuper illud

Luc. 4. Lucæ. *Receſſit ab eo vſque ad tempus: Quia de voluptate tentauerat in deſerto, receſſit ab eo vſque ad tempus Crucis, in quo eum erat cum triſtitia tentaturus.* Et huiuſmodi multas ponit Sanctus Thomas ſparſim Sanctorum auctoritates in ſuo commento. Poſſent plura pro huius declarationis poni, ſed res ineffabilis paucis eſt tangenda, præſertim cum poſitio hæc, non omnibus ſit confeſſa, quanquam tamen pia videtur, ſcripturis innitens, & veterum Patrum ſcriptis conſona. Opinio, eſt opinio, Non hęc dicimus pro credulitate certa nos, ſed recitamus, quid alij ſenſerint, pro occaſione deuotionis, cui placet placeat. Et hæc de cauſa efficiente. Quod ſi volueris hic conſiderationem delirare, poteris conſiderare, quòd à varijs Chriſtus oblatus, vt ſupra.

2. *De pæna inflicta Chriſto.* *Notula 2.*

SEcundum principale aggrauans, fuit pæna inflicta, quæ plurimum afflixit. XVI.

Tum quia { Generalis, / Multiplex. & diurna, / Puriſſima, & acerba. }

Plurima, pura fuit, generalis, acerrima, longa.

PRIMO fuit *generalis*, quia licet non pertulerit omnes ſpecies paſſionum (quæ ſibi inuicem non compatiuntur, nec Chriſtum decuerunt) paſſus tamen eſt omnia genera paſſionum: Quod patet quantum

Ad { Inferentia, / Bona amiſſa, / Ipſa paſſa, } quia { ab omni ſtatu, cōditione, ſexu / in ſenſibus, in rebus, fama. / in toto corpore, ſenſibus. }

Fert, quibus; amiſſa res, paſſus corpore toto.

Requiratur horum proſecutio in Pantheologia, & in alijs Doctorum libris, & vide infra in Roſario, vbi habentur ſingula proſecuta, & profunde dijudica, ſi non ex totis viribus illi compatiendum, qui ab omnibus, & in omnibus, voluit propter te pati.

SECVNDO fuit eius pæna *multiplex, & diuturna. Tam enim multiplex* fuit pæna inflicta, vt non ſit, qui dinumeret, *multiplicata* quippe *ſuper capillos capitis* eius. Multa enim flagella peccatoribus multis debebantur, quibus omnibus ſe ſuppoſuit ipſe. Nonne ab Pſ. 39. ortu natiuitatis, vſque ad occaſum mortis, paſ- Pſ. 31. ſus eſt plurima, & varia genera tormentorum? Paſſus eſt, (vt dominus Ioan. Scoenhouię in Epiſtola ad Carthuſienſes declarat) in verbis, in factis, in cordialibus machinationibus, & æſtimationibus impijs, & iniurioſis: Tertio in tormentis: Quarto ineffabilibus & inæſtimabilibus doloribus, benedicti cordis ſui: vt illic latè declarat. Et nonne etiam in omnibus actibus ſuis? Habuit enim *in verbis*, contradictores: *In prædicationibus*, contemplatores: *In operibus*, obſeruatores: *In miraculis*, blaſphematores: *In pænis*, irriſores: *In morte*, exprobratores. Vere, vere, Domine Ieſu, ſaxo durior eſt, qui tantis non commouetur. Nonne, & in omnibus locis? *In præſepio*, indigentiam: *in deſerto*, pugnam: *in templo* reſiſtentiam: *in hoſpitio*, obſeruantiam: *in itinere*, moleſtiam: *in ciuitate*, eiectionem: *in monte*, præcipitij conatum: *In horto, in atrio, in prætorio, & cruce tanta, & talia*, quanta nec enumerari poſſunt. Paſſus eſt, & de omnibus inſtrumentis, puta illuſorijs, vileſactorijs, & tortorijs, lineis, ligneis, & ferreis. Quis ergo non compatietur tibi, cum tam multiplex ſit pæna inflicta?

Fuit & pœna Chriſti diuturna, paſſus in tempore omni, etiam ab inſtanti ſuæ conceptionis (Iuxta intellectum Gerſonis.) Nonne in *infantia*, paſſus eſt anguſtias vteri, fœtorem ſtabuli? &c. Nonne *in pueritia*, labores multiplices, cum ſubditus eſſet eis? Quis vnquam paupertatis tantæ, quis abſtinentiæ tantæ? *In adoleſcentia*, in deſerto congreditur, poſt ad paſſionis viam currendam accingitur, ita quòd nullum tempus, aut ætas inuenitur, in quo ſalus mundi non pateretur. Vnde & in pſalmo
Pſ.8?. 88. introducitur *die ac nocte anima eius ſatiata in malis*. Non tædeat igitur compati vnquam, nec ei benedicere in omnibus Diuinis horis.

Plurimum quoque aggrauabatur pœna hæc ex *puritate* afflictionis, & *acerbitate* eiuſdem. *Puram* autem dicimus, quia non habuit mixturam conſolationis: Sicut vinum dicitur purum, quod non alteri liquori admixtum. In omni autem ſua paſſione Chriſtus nullum habuit conſolatorem; adeo, quod ipſe conquærendo dicat, *Qui me conſolaretur, non inueni.* Non enim conſolabantur eum lictores, & hoſtes, ſed pro vino conſolationis, myrrham propinabant afflictionis: Non Iudæorum principes: ſed *ſtabant illudentes*, & in eum dentibus frementes? Non gentiles, ſed coronam capiti infigendam erant plectentes: Non noti, & diſcipuli, ſed derelinquebant eum aufugientes: Vnde ſingulariter conquæſtus eſt, dicens, Pſal. 87. *Elongaſti à me amicum, & proximum, & notos meos à miſeria.*

Vere Domine Ieſu noti, quaſi alieni receſ-
Iob 19. ſerunt à te! dereliquerunt te proximi tui, & qui nouerunt te, obliti ſunt tui, & beneficiorum tuorum, & præſumptuoſæ ſuę ſponſionis. Vbi enim nunc ſunt, quos paterna ſollicitudine in omnibus conſeruabas? cum quibus nocte illa paſcha manducabas? quorum pedes laueras? quibus corpus, & ſanguinem dederas? quos tam dulci ſermone conſolatus fueras? atque Patri tam diligenter commendaueras? &c. Vbi nunc ô Petre conſtantia tui? dixiſti enim, Mat. 26. *Etſi omnes ſcandaliza-*
Mat. 10. *ti fuerint, ego non ſcandalizabor*, &c. Vbi Iohannes familiaritas tua? Vbi tua fratriſque tui germana præſumptio, qui calicem Domini potare vos poſſe affirmaſtis? Vbi proinde Iacobi minoris, Simonis Thadæi, carnalis
Io. 6. conſanguinitas? Vbi Thomæ virilis animoſitas? Vbi Bartholomei generoſitatis audacia? Vbi paulò ante, ô vos omnes ſocij menſæ, qui abite noluiſtis ab habente verba vitæ?
Eſa. 63. Ecce nunc fugiſtis omnes! Sic amantiſſime
Zach. 13. Domine *torcular calcas ſolus, & de gentibus vir non eſt tecum: percuteris bone Paſtor, & ecce diſperguntur oues.*

Sed forſan mulier tibi adeſt, mater aſtans cruci: At non ad conſolationem tibi, ſed ad
Io 19. aggrauamentum doloris. Sed nec Pater æternus, qui te dilexit ſuper his conſolari te voluit. ſed pro nobis tradidit te voluntati inimicorum, permittendo agere quæcunque voluerunt. Abiecit; imò percuſſit, tradidit, & de-
Mat. 27. reliquit, & *in finem*, vt ipſe conquereris, eſt *oblitus tui*. Væ mihi! heu! oblitus in finem!

Verè grauis paſſionis hoc verbum argumentum. *Ad quid obliuiſceris mei in finem?* Grauius illo verbo, *Vt quid dereliquiſtis me?* Eya quis modo tam inſenſibilis, qui non compatiatur, audita tam lamentabili dilecti conquęſtione? quis non lachrymis rigabit ora, & riuos deriuabit lachrymarũ? Grauius enim eſt obliuioni traditũ, quam auxilio deſtitutum, & non ſolum oblitum, ſed oblitum *in finem*. Maiorem traditi, deſtituti, derelicti ſignificat calamitatem, quando ſic derelictus, vt neque in memoria ſit eius, in quem multo maximè ſpem ſuam poſuit, penitus proiectus in illum *Pſt.* *ex vtero, & ab vberibus matris eius.*

Qualis autem hæc derelictio hæc obliuio fuit, paſſim omnes ſcribunt, quia ſubtractio ſupernæ conſolationis, aut auxilij ſupernaturalis: ita quod nulla fuit in eo mitigatio dolorum: quemadmodum in patientibus cæteris Deus immittere ſolet. Sed quid eſt, quod dicit *in finem*? Eſt vltimum planè quiddam finis iſte, ſed non temporis. Non enim oblitus eſt eum Deus, vſque in conſummationem ſęculorum: ſed vltimum eſt virium, & poteſtatis. Tradidit enim eum Deus in manus inimicorum. Et quia plenus gratia, & veritate, cui non erat vir ſimilis ſuper terram, traditus eſt velut verus Iob (ſi fas eſt dicere) in manus Sathanæ, & derelictus, & oblitus vſque *in finem*, hoc eſt, vſque ad vltimum poteſtatis, & furoris diabolici. Traditus iuxta Eſaiam c. 35. & c. 50. vt conculcaretur: derelictus, vt pateretur omnia hoſticæ libidinis tela; quia plenus gratia, & fortitudine, certus non vinceretur. Derelictus ergo Chriſtus in paſſione, ſicut in certamine fortitudo, qui oppugnari poteſt, vinci non poteſt. Non enim conſolatus eſt eum Pater; ſed pure in paſſione dereliquit; qui tamen cæteros etiam peccatores conſolari ſolet. Pater ergo nullius, nec omniũ quidẽ inſimul Sanctorum paſſiones, Chriſti paſſioni poſſe comparari, nec quempiam ſic vſpiam derelictum. Verè *proprio filio non pepercit; ſed pro nobis omnibus tradidit*, dereliquit, & ita dereliquit illum. *Rom. 8.*

Et poſtremum, quod omnium mirabilius dictu, difficilius creditu; nec pars ipſa ſuperior Chriſti, quæ continuè fruebatur Deo, eſt conſolata eum. Nullus enim (iuxta Sanctum Thomam) fiebat influxus virium benedictæ animæ eius ſupernatum in inferiores; ſed fuit redundantia talis cohibita, & per miraculum (ſecundum Scotum) ſuſpenſa: vt totus purus pateretur, & dicere poſſet, *Repleta eſt malis anima mea.* Pſ. 87. A nullo igitur conſolatus.

Non pater, aut mater, noti, hoſtes, non animæ pars.

FVIT & paſſio hæc *acerba*, partim propter aggrauantia dicta, & adhuc dicenda, & propter genus mortis. Fuit enim mors turpis, immatura, violenta, & acerba; & adeo intenſus dolor, vt fortiſſimus ille gigas, columna totius fortitudinis, murus, & antemurale, defecetit, ferre non ſuſtinens; adeo quod in Pſal. 30. dicat, *Defecit in dolore vita mea.* Et per Hierem. c. 20. *Defeci, ferre non ſuſtinens.* Et nihil mirum: Pſal. 17. *Circundederunt* enim eum

dolores

dolores inferni, & funes mortis circundederant eum. Pſ.68. *Intrauerunt tunc aquæ vſque ad animam eius, & torrentes Belial terruerunt eum.* Pertulit ipſe quod nos debuimus pertuliſſe, in quo *Dominus poſuit iniquitates omnium noſtrum.* Conſtat autem, eius ipſius hoſtia ac victima, vniuerſæ ſacræ paginæ teſtimonio, redemptum hominem à miſerijs inferni: Inferni autem miſeriæ non ſolo ſenſibili dolore ſunt; neque ſic ab inferni doloribus redemit, vt ad reliquas infernalis miſeriæ calamitates, abſque dolore maneremus aſtricti perferendas. Qui ergo totos totaliter redemit; ſicut pro dolituris indoluit, ita (iuxta quorundam opinionem non ſcripturis contrariam) pro infernaliter turbandis, turbatus eſt, pro anguſtiandis etiam diabolico, & inuiſibili artificio anguſtiatus, pro deſolandis deſolatus, iuxta illud Pſal. 87. *Super me confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.* Vel (vt ſanctus Hieronymus habet) *In me tranſierunt iræ tuæ* Super quo verbo in commentarijs ſuis dicit, *Iram ac elationem furoris tui, quas in gentibus effuſurus eras, ſuper me induxiſti, quia eorum peccata ſuſcepi:* ſicut alibi dicis, *Propter peccata populi percuſſi eum.* Eſa.53. Vnde, & in eodem Pſal. ait, *Quia repleta eſt malis anima mea,* Pſal.87, Vt nullus fuerit ſanctæ illius animæ angelus, neque in carne, neque in mente, quo non diabolicæ (vt aiunt) malitię inſultus penetrauit. Illo ſolo non paſſio in homine redemptore, quo non eſſet paſſurus apud inferos redimendus. Sane tamen intelligatur, propter opinionem Doctorum, vtrum paſſus in ſuperiore portione; pro quo non parum facere videtur verbum illud in Canticis, c.8. *Fortis eſt, vt mors dilectio, dura, ſicut infernus æmulatio* &c.

Tren. 1. Salua intelligentia Gerſonis, qui explanat verbum Vbertini (vt infra tangitur &c.) O igitur vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte; ſi paſſio ſit ſimilis huic, dolor ſimilis huic dolori, aperiantur catharactę cordis, fluant profluuia oculorum ſuper Domino tali, talia, tam vniuerſalia, multiplicia, diuturna, puriſſima, acerbiſſima paſſo pro nobis.

De circumſtante re.
Notula 3.

✠ III. TErtium principale aggrauans, eſt res circunſtans.

Ipſe locus, ſitus, & tempus, ſocius, genus aſtant.

PRIMA circunſtantia aggrauans, eſt *locus* ipſe, & ciuitas inclyta Hieruſalem, in terra promiſſionis; vbi multi erant, vbi tanta bona impenderat, ſed retributum eſt pro bono malum. Voluit autem in Hieruſalem pati (vt dicitur in Pantheologia) Pſal. 34.

Propter	Proditorum iniquitatē,	vt	Oſtenderet ex principib. ortā.
	Paſſionis virtutem,		Diffunderetur per orbem.
	Saluatoris humilitatem,		Sequamur eum: natus Bethleē, paſs' Hieruſalē.

ALTERA circumſtantia aggrauans, eſt *crucis ſitus* in monte, ſcilicet Caluariæ, loco deſpecto, & viliſſimo, quia extra portam in loco damnatorum, inter cadauera & oſſa damnatorum defunctorum: Voluit autem extra portam pati, ratione triplici,

Scili.	Figurationis,	Hircus enim extra caſtra ducebatur.	Leuit 4.
	Imitationis,	*Exeamus ergo extra caſtra, improperium eius portātes.*	Heb. 13.
	Cōmunis ſaluationis,	Non ſub tecto, ſed in arce cōmuni: vt omnibus pateret acceſſus cōmunis.	

Pati nihilominus congrue in loco Caluariæ voluit, vt in loco damnatorum erigerentur vexilla martyrum.

TERTIO aggrauat *tempus,* quia tempore Paſchali, & hora miridiana: Nam in Paſcha multi conueniebant; Et quoniam gaudium habuiſſet; ipſe occidebatur. Et plurimum doluit, quod tunc, quando deuotioni inſtitiſſent, morti Filij Dei operam dabant. O, verè Domine feſtum tibi vertitur in luctum, & gaudium in mærorem.

Notetur tamen hic ſententia eximij & præſtantiſſimi doctoris Pauli Burgen. Epiſcopi, viri præclariſsimi, quam ſuper Matth. c.26. addit, quæ vix tandem magno Dei munere prodijt in lucem. Qua facile omnis inter doctos diſceptatio tollitur, & ambiguitas Doctorum, tum Græcorum, tum Latinorum, quàm illic latiſsimè, & multorum magnorum iudicio doctiſsimè eſt proſequutus. Tenendū enim, Dominum Ieſum Paſcha non reiectū; ſed rigore legis vera de cimaquarta Luna, ad veſperum, cum Iudæis manducaſſe, quia eodem calculo, non in illorum die feſto, Dominus fecit in monte Caluariæ *conuiuium pinguium medullatorum, conuiuium vindemiæ defecatæ,* pręcipitans mortem in ſempiternum. Hoc viuum, & viuificum Paſcha celebrauit in vero plenilunio, quando ipſi teſtante veſpera, parabant manducare Paſcha legale. Et id grandi Diuinæ diſpenſationis myſterio, vt veris Iudæis, verus Rex Iudæorum Paſcha tum typicum, tum verum in vero, non traiecto die feſto celebraret. Qui plenius iſtud noſſe volet, illic Paulum illum, vbi ſupra, legat, & diſceptationem inter Græcos & Latinos, ab eo concordatam inueniet. Et licet quidam aliter, quam ipſe de calculo ſentire videantur, ſuam tamen opinionem fortiſſimis Sacræ ſcripturæ (cui in huiuſmodi magis, quam calculo ſtandū) auctoritatibus ſtabilit, Chriſtū ſcilicet non in die ſolemni Paſchæ (ſecundum Iudæorum tunc obſeruationem) paſſum, ſed die quo agnum Paſchalem manducare ſe parabant, & die Paraſceues Paſchæ. De hora quoque tenendum, quia hora meridiana crucifixus, ſcilicet ſexta, in æſtu ſolis, dum liberè omnes concurrere poſſent, & in propria redire: mortuus vero Nona, quæ. Tertia illic erat poſt Meridiem, quoniam ab ortu Solis computabant horas: Eſt enim Nona hora (ſecundam Gregorium, & Bedam) quando ſol à ſummo axe deſcendit tepeſcens, quæ erat & in climate noſtro meridies. Quod facilè

Iac.1.

Hæc ſententia Burgēſis non tenetur communiter à Theologis.

Eſa. 25.

Mat. 20. ex Euangelio liquet, [vbi Pater familias primo mane exiſſe dicitur, conducere operarios in vineam ſuam, deinde circa horam Tertiam, & Sextam, & Nonam; vbi nouiſſimam horam, ſcilicet vndecimam vnam facit reſtantem in 12. Cum igitur diei duodecim horæ ſint, & in illis regionibus comiter ferè æquinoctium eſt, relinquitur ſextam horam fuiſſe illic Meridianam. Tertia itaque poſt Meridiem, Nona diei hora, illic fuit. Hæc pro ſtudioſioribus annotata, & veritate reuelanda, Iam vt ad deſtinata veniamus, patet quod & tempora iſta, grandia fuerunt, paſſiones aggrauantia.

Io. 11.

QVARTVM *eſt ſocietatis*, vtilitas, ſcilicet, latronum, in quorum medio illum crucifixerunt, vt ſic illorum particeps putaretur Chriſtus: Voluit tamen ipſe hoc fieri,

propter	Significationem,	vt	Doceamur diſtātiam habendam in extremo.
	Intentionem,		Crucem cum bono latrone ſubeamus.
	Electionē,		Miſericordiam, & Dei iuſtitiā cōtemplemur.

Eſa. 53. Mar. 15. Pſ. 16. Et item propter *ſcriptura impletionem*, qua dicitur, & *cum iniquis deputatus eſt*. Et item, *propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras*: Quod verbum licet, ſicut latinè ponitur, ab omnibus fidelibus congruenter dicatur, non minus quàm à Domino Ieſu; verum in originali Hebraicæ veritatis, nulli cōpetere poteſt verbum, niſi Domino Ieſu, vt Hieronymus in tranſlatione ſua ex Hebraica veritate teſtatur. Dicit enim ibi non *vias duras*, ſed *vias latronis*. Quis enim tantopere amauit verba omnia labiorum Dei, vt propter ea interroganda, & complenda ſeruet, & ambulet vias latronis? Et qualiter propter illa verificanda cuſtodiuit vias latronis; niſi cum latronibus, & præ latronibus ductus ad ſupplicium, baiulans inſigne principatus latronum crucem? In medio latronum, velut Princeps latronum, & ſupra latrones excelſius crucifixus fuit. Hæ ſunt *via latronis*, quas propter verba teſtamenti Dei complenda cuſtodiuit, exoluens pro latronibus quæ nunquam cum latronibus rapuerat, conſors mortuorum, immunis à reatu mortuorum. Verè *inter mortuos*, quia mortuus: Vere tamen *liber*, quia liber à reatu mortis. O vera via vitæ, quæ verè cuſtodiſti & perfectè cuſtodiſti vias latronis, dirige vias meas, conuerte pedes meos in teſtimonia tua.

Pſ. 68. Pſ. 87.

QVINTVM circumſtans aggrauās eſt genus ſuæ mortis, & qualitas, & vilitas tormētorum

Fuit enim id mortis ſuppliciū	Acerbiſſimū.
	Turpiſſimū.
	Diuturnum.

Phil. 2. Pœna enim hæc (crucis, ſcilicet) *amarior* eſt morte: Eſt enim mors producta. Et ideo Apoſtolo non ſtatim ſatis fuit dicere, *obediens vſque ad mortem*, niſi adderet, *mortem autem crucis*. Itemq; Petrus Act. 2 *Hunc affigentes interemiſtis*: Neque enim *affigentes*. Item infra Act. 5. *Quem interemiſtis ſuſpendentes in ligno*, & iterū, Act. 10. *Quē occiderunt ſuſpendentes in ligno*. Quia morte nihil acerbius fuit inter omnia genera mortis, vt ait Auguſtinus: Quia ibi, & dolore acerrimo exagitantur, & cruciatus, propter quorum finitionem, etiam mors ipſa quandoque dulcis apparet, protelantur. Heu, heu, quantus cruciatus, Chriſtum in cruce extendi, & clauis ferreis affigi.

Eſt & genus huius ſupplicij *turpiſſimum*, quo nullum ignominioſius in lege fuit, iuxta illud Deut. 21. *Maledictus omnis, qui pendet in ligno*: Adeo, quod ante orauit, *Ne perdas cum impijs animam meam*, id eſt, genere talis mortis. Tamen, vt nos à maledictione eriperet, pro nobis *factus eſt maledictum*. Act. 5. Act. 10.

Eſt & diuturnum. Non enim crucifigi eſt occidi, ſed in doloribus mortis diutius viuere, & in productiore cruciatu ſemper mori. Quis hic gemitus lachrymasque continebit, attendens mortis Chriſti genus! O diram mortē, ô inauditam à ſæculo crudelitatem! Nuſquam aliquando patriæ proditor, ciuium depopulator, latro publicus, in fratres ſiccarius, parentum interemptor, aut quantumlibet facinoroſus, tali mulctatus eſt genere mortis. Fuerunt, & latrones conſuſpenſi, ſed non leguntur ſic extenſi, transfoſſi, irriſi. Sed quid multis moror? Neſcio quibus verbis tantum proſequar nefas. Non enim Gabianā hic crucē deſcribimus, quam Marcus Tullius vniuerſę eloquentię ſuæ verbis, ac viribus velut effuſis totius ingenij ſui fontibus, proſequutus eſt: facinus indignum eſſe proclamans, ciuē Romanum contra omnes leges in crucem eſſe ſublatum: Quid de huius igitur crucis indignitate dicemus, in qua Deus, à cultoribus Dei ſuſpenſus, atque ſuffixus eſt: Taceamus, quia impares ſumus &c.

Sed voluit hoc genere mortis in cruce, ſcilicet mori: vt dicitur in Pantheologia.

Ratione	Imitationis,	vt	Membra nullū mortis genus timerent.
	Satisfactionis,		In ligno fieret ſatisfactio, in quo & tranſgreſſio.
	Purgationis,		Exaltat' nō ſolū terrā ſed aera purgaret.
	Saluationis,		A cruciatu, diriſſimo inferi nos ſaluaret.
	Perfectionis,		Ad perfectionis viam per crucē nos duceret & myſterijs erudiret.

VLTIMO aggrauabat plurimū aſtantium, & concurrentium ad ſpectaculum multitudo, & irriſio. Conuenerant enim illuc populus, ex omni fere natione, quæ eſt ſub cælo, ad feſtū diē, inter quos eius fama denigrabatur, cuius læſione bonis, & dignis, maius nihil. Crudelis enim qui negligit famam. Qui quo ante famoſior, eo deſpectior modo. Et tot fert fere opprobria, quot famæ eius detrectant. Sed quo modo irriſus fuit, Euangelica hiſtoria tradit: Quæ irriſio quantum patientem grauet, nouit poeta, qui dixit, *Nil habet infœlix paupertas durius in ſe quam quod ridiculos homines facit*. Et vt aliquantulum coniectare poſſumus,

aſtan-

Digitized by Google

iſtantium, & deridentium multitudinem, conſideratu digniſſimum eſt, quod Ioſephus de bello Iudaico ſcribit: Dicit enim quod cum Nero Cæſar ſpteuiſſet rebellionem gentis Iudeæ contra imperium, ſcripſit ei Præfectus, numerum Iudæorum concurrentium ad diem feſtum, eſſe mille millia, & mille millia, & centum millia, id eſt vigeſies centena millia, & centum millia, cum tamen ſecundum legem immundi non eſſent numerati. Vnde & in obſidione, & vaſtatione Hieroſolimitanæ vrbis, quæ ſub Tito facta eſt, mille millia, & centum millia hominum, aut fame, aut gladio interfecti ſunt, exceptis his, qui captiuitate in omnem ventum diſperſi ſunt, quorum grandis numerus erat: vt idem Ioſephus tradit. Et non dubium, quin omnes iſti ad tam grande ſpectaculum, vel curioſitate, vel rei nouitate peruolauerint; præſertim cum fama Chriſti, & opinio, in omnes illos fines nota fuerit. Attende ergo cum claritatem nominis ſui à Patre, tam attenta oratione petierit tametſi honorem ſuum (quia ſuum) nunquam quæſierit, quantum hæc denigratio ſui nominis, ei moleſtiæ intulerit. O duras mentes, ô ſaxea pectora, ô adamantina corda, quæ circunſtantiarum harum conſideratio non mouet, mollit, flectit! Verè ſaxis duriora corda, quæ tantorum attentione aggrauantium, non dant profluuia lachrymarum! O, da cor carneum Chriſte: vt compatiamur tibi.

De aggrauantijs internis, & primo de præcognitione.

Notula 4.

XIX. SED IAM ad cōſideranda aggrauātia interna nos demus, quæ tamen ſuperficialiter, & perfunctoriè ſunt tangenda: integrū enim ea ſola tractatum exigerent, ſi plenè deberēt declarari. ET PRIMVM eſt *præcognitio*, & animæ Chriſti limpitudo: Plenè enim omnia pænalia futura præcognouit; nec clauſis (vt aiunt) oculis calicem paſſionis bibit, Sed habens latitudinem mentis, omnia præcognouit; nec propter multa, ſingula minus. Dicitur in Eccli. cap. 1. *Qui addit ſcientiam, addit & dolorem:* Hoc in te Domine Ieſu factum,

Dum præuidebas { Omnia & ſingula tormenta, / Omnia peccata commiſſa & committenda, / Paruipenſionem paſſionis, futuram Ingratitudinem.

Omnia tormenta, peccata videt, quia ſpernent.

Quam horum præuiſio Chriſtum aggrauabar, teſtimonio ſunt duodecim illi gradus exordiales ſuæ paſſionis: Quando ex ſola horum (vt ſic dicam.) imaginatione præuidit bibendi calicis amaritudinem. (*Mar. 14.*) qui tam grandis hauſtu fuit, vt omnium animalium fortiſſimus ille leo de Tribu Iuda, qui *ad nullius pauebat occurſum*, (*Apoc. 5. Prou. 30.*) ſubiturus tamen miniſterium illud, *cæpit pauere, tædere, contriſtari*; (*Mar. 14. Matt. 26.*) adeo vt confiteretur, *triſtem animam ſuam, vſque ad mortem*. Factus item in agonia, anxietate, & anguſtia, moleſtia, labore, laſſitudine tanta, tamque vehementi, vt (quod nuſquam factum commemoretur, quod etiam de nullo quantumlibet afflictio compertum) *ſudorem ſanguineum* ſudaret. (*Luc. 12.*) Et qui fortibus omnibus columna fortitudinis eſt, velut gigas ad currendam viam: (*Pſ. 18.*) ipſe quaſi ſub onere fatiſcens, opus habere voluerit Angelo confortante de cælo. (*Luc. 22.*) Et fortiſſimus ille Gigas, qui velut murus, & antemurale toti vrbi fortitudinis poſitus Saluator, (*Eſa. 26.*) immo qui petra, & rupes totius refugij à Deo derelinqui voluit, (*2. Reg. 22.*) exinanire ſeipſum, ac deficere, vt neceſſitatem haberet aliunde quærendæ conſolationis. Nunquid vel ſimulate defecit, aut Angelus adulatoriè confortauit? Abſit. Sed verè, & veraciter omnia geſta ſunt, & verè cum Angelus confortauit, vt pateret magnitudo paſſionis, Et hæc duodecim in his verſibus.

Heu pauet, & tædet, triſtis; ſed agone, vel anxi.
Anguſtuſque moleſt. labor, & laſſus, quam ſudat
Sicque fatiſcit, deficiens, ſolatur ab alto.

Si eum ſic afflixit ſua præuiſio, quid fecit ipſa perlata paſſio?

PRO aliquali tamen lucidiore notitia graduum prædictorum, notandum quod hi gradus ſumuntur, non quidem omnes ex Euangelico textu, ſed ex cōdependentia actuum, & conſequentia eorum inter ſe: Ita quod qui non ponuntur in textu, vel conſequentia, vel antecedentia ſunt, ad ea quæ ponuntur. XX.

PRIMVS autem, vt ex textu patet eſt *pauor*. *Cæpit autem pauere*, dicitur. (*Mar. 14.*) Eſt autem pauor ſubiti terroris concuſſio: Sic dicitur de Abraham immolaturo ſacrificium (*Gen. 15.*) Domino, quod pauor irruit ſuper eum &c. O! attendat hic mens deuota, quod ille, cuius nomine audito pauent vniuerſa, ad cuius item nutum pauent columnæ cæli, quod is pauere cæpit. SECVNDVS gradus eſt *tædium*. (*Iob 26. Mar. 14.*) Dicit enim textus, & *tædere*: Eſt autem tædium, ferè victa ſufferentia: Qui gradus rectè ſubſequetur priorem: Nam adeo pauor increſcit, quod tædium gignat, ita quod dicere poterat Dominus omnis vitę, *Tædet me vitæ*. De quo videtur dici illud, 1. Reg. cap. 10. *Dominus cæpit tædere ſuper Iſrael.* O! nota verbum, diiudica myſterium.

TERTIVS *gradus eſt mæſtitia* vel triſtitia vſque ad mortem, non ſolum extenſiuè, ſed & intenſiuè. Adeo enim duo priores increuerunt, quod ad hunc deduxerunt. Eſt autem triſtitia vſque ad mortem, mæror, qui ſi maior eſſet, occideret. Vnde ipſe dixit, Mar. cap 14. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*. &c. Cui quadrat illud Eccli. cap. 37. *Nonne triſtitia ineſt vſque ad mortem?* &c. Sed increſcit iſte mæror ad apparentiam, & ſequitur QVARTVS gradus, ſcilicet *agonia*, de qua Lucas cap. 22. *Factus in agonia*. Eſt autem hæc agonia, ſanctæ voluntatis pugna cum natura

æquata, vel cum poſſibilitate naturę, hac re-
fugiente , illa volente ex charitate mori.
Hanc autem agoniam ſemper Chriſtũ ab in-
ſtanti conceptionis habuiſſe, aſſerit Gerſon
(ad Prouincialem Cæleſtinorum ſcribens)
alij hoc dicunt temerarium falſum , & præ-
ſumptuoſum: Vnde pro concordia ſic dicen-
tium, notanda eſt differentia inter agonem,
& agoniam: *Agon* quidem in tota vita fuiſſe
dicitur;non *tamen agonia*, ſcilicet experimen-
talis in corpore pugnæ præceptio &c. Notant
Luc.11. hoc Domini Ieſu verba crebrius, præſertim
ibi, *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor
quouſque perficiatur?* Et hoc Bernardinus te-
net. Sed ecce quid ex pugna conſequitur.
QVINTVS gradus, ſcilicet *anxietas*, quæ licet
in textu non ponatur, conſequitur tamen ex
agoniæ pugna, & eſt agonia anguſtiæ proxi-
Pſ.142. ma: De qua dici videtur, *Anxiatus eſt ſuper me
Baruch.3 ſpiritus meus*, &c. Et in Baruch, *Spiritus anxius
clamat*. Hanc in Domino contemplatus An-
ſelmus, cum Bonauentura aiunt, *Dominator
Domine; vnde animæ tuæ tam vehemens anxie-
tas? & anxia ſupplicatio* &c. Hæc increſcens
Anguſtia quid. gignit gradum ſequentem qui eſt SEXTVS
gradus & eſt *anguſtia*, & perplexitas, cuius
nullus apparet exitus: Ita vt dicere habuerit
Dan.13. illud Suſannæ, *Anguſtiæ mihi ſunt vndique*. Quæ
Eſa.21. quanta fuit in Eſa. Dominus dicit, *Poſſedit
me ſicut anguſtia parturientis*. Hinc ſequitur
SEPTIMVS gradus, eſt *moleſtia*, & eſt ſuper, vel
prægrauata virtus mole anguſtiæ obruta, & ſu-
Dan.6. pra vires quaſi preſſa: Et licet apud Danielem
dicatur, quod Rex non ſuſtineret moleſtiam:
Rex tamen Regum moleſtatur, & ſumus mo-
leſti Deo ſequitur OCTAVVS gradus qui eſt
labor , & eſt fatiſcens virtus; Concatena-
tio autem eſt ex hoc, Quia cum ſarcina eſt ſu-
pra virtutem , tunc neceſſe eſt laborare: La-
borauit ergo Dominus Ieſus: Laborare enim
Eſa 43. eum *fecimus in peccatis noſtris*. Vnde dicit, *La-
Pſ.6. borans clamans* &c. Hinc ſequitur NONVS
Pſ.68. gradus qui eſt laſſitudo, & eſt fatigatio labo-
rantis, Hoc eſt , laboribus exhauſta virtus.
Grandem, & prægrandẽ neceſſe eſt fuiſſe ſar-
cinam illius mandati, ſub quo magnus ille gi-
gas laſſitudine ſuccubuit, qui laſſo dat virtutẽ;
Iud.16. adeo quod dicatur de Samſone, *Anima eius
ad mortem vſque laſſata*. Eya igitur reficite laſ-
ſum. Ex hoc ſubſequitur DECIMVS gradus,
ſudor, & eſt ex fatigatione humor excuſſus: Et
Luc.22. non gregarius Domini Ieſu ſudor: Sed ſudor
ſanguineus, quia *factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ
ſanguinis* &c. Quod ſingulariter coarguit ma-
gnitudinem Dominicæ paſſionis, quoniam ſi
nullus homo, quantumlibet lubrica, & illece-
broſa carne quantalibet ſpe ſalutis deſtitutus,
ſimilem agoniam in ſubeunda; & vrente iam
morte perpeſſus eſt, quomodo, vel exiliter
ſuſpicari poterimus, de menſura illius paſſio
nis eius, cuius, & ſpiritus erat promptus, & ca-
ro (vtpote nulli maledicto obnoxia) nullate-
nus tam infirma, quam aliorum, ſed ad omne
bonum paratiſſima, longè magis, quam cæte
ros homines traheret affectio naturalis in vita
ſua &c. Silentio id reuereamur: ne fruſtra ſu-
dauerit enitamur. Putat enim Bernardinus
diſpoſitiuè eueniſſe, quia timor, & amor bel-
lantes erant in corde Ieſu: Et ex timore immi-
nentis paſſionis ſanguineum humorem ad in-
teriora reductũ, quem nimius amor liberandi
hominis, ad exteriora repercuſſit, & per poros,
& venas emiſit. Qui partim rememoratiuus
erat omnium agonũ ab inſtanti conceptionis,
partim repræſentatiuus præſentiũ anguſtiarũ
ſui cordis, partim prognoſticus imminentium
pænarũ inſtãtis paſſionis. Sequitur VNDECI-
MVS gradus; ſ. defectio, quo non plus poſſit:
Defecit enim anima eius , vt dicitur de Sam-
ſone, *& ad mortem vſque laſſata eſt* : vt dicat Pſ.118.
Hierem. c. 20. *Defeci, ferre non ſuſtinens. Defe-* Ibidem.
*ctio enim tenuit eum, pro peccatoribus derelin-
quentibus legem*. O, deficiat, & in ſalutare tuum
anima mea! Sequitur DVODECIMVS gradus,
neceſſitas aliunde quærendæ conſolationis:
Et eſt qua, ſicut pauper, opus habet eleemoſi-
nis; ita laſſus, fatiſcens, deſertus, opus habuit
conſolatione , ſcilicet Angelo confortante:
Quæſiuit enim qui conſolaretur eum, vt dicit in
Pſ.68. Proinde (ait Bernardinus) Chriſto in
forma hominis conſtituto, Angelus viſibiliter
eius ſenſibus apparuit , & velut hominem in
agonibus fatiſcentem, verè confortauit; ita ta-
men, vt hæc confortatio ad formam ſerui,
non Dei referatur. Dixit autem verba confor-
tantia, ſicut decebat Angelum, & audire ho-
minem Chriſtum, cum dæmonijs, & diaboli-
cis hominibus certaturum. Prægrandis ergo
fuit hæc paſſio in finis complemento , quę
tantis gradibus excreuit in principio: Dirior
forte in cruce, vbi prorſus derelictus, vt pate-
retur, ſi tam dira vbi Angelus adhuc confor-
tans habetur. Verè *fortis vt mors dilectio, dura* Cant.8.
ſicut infernus æmulatio Nõ tamen dicimus, quod
eius dolor intentior fuit, & acerbior qualita-
tiue, quam afflictio etiam damnatorum: Nam
hoc aſſerere Gerſon temerarium dicit.

QVANTVM autem apprehenſio delictorum
cor ſuum aggrauabat, nec penna ſcribere, nec
lingua dicere, nec cor valet cogitare, Omnia
enim omnium hominũ præſentia, præterita,
& futura peccata plenius vidit , & magis di-
ſtinctè, quam aliqua mens aliquod ſingulare,
quæ omnia vidit poſita ſuper eum. Dominus
enim (teſte Eſa. c. 53.) *poſuit in eo iniquitatem
omnium noſtrûm* : quę & ſecundum Sanctum
Petrum, 1. Pet. c. 2. *portauit in corpore ſuo ſuper
lignum* , vt copioſè ſatisfaceret pro eis. Tan-
tum igitur pro vnoquoque dolorem aſſum-
pſit, quantus pro expiando ſufficere poſſet:
Qui tantus erat, quod (iuxta Vbertinum)
nullus intellectus minor ipſo, in æternum po-
terit æſtimare. Nam non ſolum nouit pecca-
torum multitudinem, ſed & eorum malitiam,
& deteſtabilitatem clarè, & diſtinctè, per ple-
nitudinem ſuæ ſapientiæ, ita quod quodlibet
peccatum per ſe ſumptum, innumeros in eo
cauſabat dolores. Et potiſſimum (iuxta eun-
dem Vbertinum) quinque, ita quod quodli-
bet peccatum mortale, reſpectu animæ Chri-
ſti erat ſicut furca quinque dentium , vno
ictu, quinque faciens vulnerum aperturas:
Peccatum enim,

Eſt

Eſt { Iniuriatiuum Dei, Prouocatiuũ vindictę Dei, Maculatiuũ imaginis Dei, Deſtructiuũ gratiæ Dei, Acquiſitiuũ pęnę inferni, } Chriſtus autem erat { Chriſtus Dei, Filius gloriæ, Deitatis amator, Pacis mediator, Animatum ſpõſus, & zelator, Regni gratiæ inſtaurator, Saluandorũ redemptor.

Habuit igitur Chriſtus, propter conditiones iſtas, tantũ dolorẽ; quantũ requirebat regula perfectę iuſtitiæ, quę in ipſo erat &c. Proſequitur hæc Vbertinus deuotè. Et vere totus ſtupidus, qui in illorũ commemoratione non mouetur. Nos autem hæc in decem diſtinximus, iuxta decem peccati affectus qui ſunt.

Offendit, ſpernit, proſtat, deformat, & aufert.

Vulnerat, inſanit, occidit, priuat, ad orchum.

Primo peccatum eſt *Dei offenſiuum*, iccirco propter peccatum vehementer doluit: Nam ipſe erat Dei Filius, & gloriæ Deitatis amator, & ideo doluit de offenſa Patris, eo quod nihil ita offendit Deum, ſiue diſplicet, ſicut peccatum. Quantum autem peccatum Deo diſpliceat, ex his ſeptem perpendere poſſumus,

Nihil diſplicet Deo, niſi peccatum. *Multa contumeliæ infertur Deo per peccatum.*

Nil odit, hic multa,

Patet ex perſecutione, quam infert propter peccatum. *Ex Dei immutatione quia optimum iratum facit.*

nã perſequitur mala, mutat.

In bonorum abhominatione, quia ſi iuſtus peccauerit, omnium iuſtitiarum non recordabor. *Ad deſtruendum peccatum.*

Et bona contemnitq;, laborat,

Ezech. 18. *Ab anima peccatoris, tanquam à templo diaboli.*

ſeparat, & ſe.

Attende igitur, & perpende quantum ille vnicus Patris, de iniurijs tantis, tanto Patri illatis doluit, quem tantũ adamauit, & pręſertim, quia has iniurias ad ſatisfaciendum aſſũpſit. Vnde tantũ dolere debuit, pro qualibet ſingulari iniuria, cuiuſlibet peccati; quantum erat grauitas iniuriæ, & requirebat emendam, quæ prorſus, vel pænè erat infinita. De hoc Vbertinus exemplum adducit, & ſimilitudinem talem. Imaginare, inquit, ſi filius Imperatoris ſummi, videret viliſſimum ribaldum, patrem ſuum valde dilectum Imperatorem, trahentẽ per capillos, & barbã, & per luta, & cloacas inficiendo iactaret, & calcibus os, & faciem horrendè percuteret; quantum putas dilectus Filius illius Patris amaritudinis deguſtaret talia cernẽdo? Ita nihil ſunt in cõparatione eorum quæ fuerunt in Chriſto, reſpectu iniurię ſuæ diuinitatis.

Secundus effectus peccati eſt, quod eſt *Contemptiuum Dei*, & beneficiorũ eiuſdem: & ſic quodammodo paſſionis fructum annihilat, & iterum crucifigit, &, quantum in ipſo ſanguinem eius denuo fundit, dum pretium redemptionis eius abijcit, iuxta illud Apoſtoli, Heb. 6. *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes.* Ibi Gloſſa, *Chriſtum crucifigunt &c. qui gratiam eius vilipendentes, in peccatis iacent.* Et certè plus (ſecundum Gloſſam) peccat, qui contemnit regnantem in cælis; quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris. O quantum hæc conſideratio grauabat dolorem Ieſu. Quare, & conquerens ait, *Laborem inuacuum vane conſumpſi &c.* Eſa 49.

Tertio Proſtat, id eſt peccatum animam Chriſti ſponſam diabolo proſtituit, & coniungit: Vnde Hierem. c. 2. *Quomodo proſternebaris meretrix?* Ipſe autem Ieſus animarum ſponſus eſt, & zelotes, qui quantum animas amauerit, tunc oſtendit, quando pro eis in mortem tradidit animam ſuam. O quantum ergo doluit, quando ſe ab eiſdem deſpici, diabolo admiſſo, conſpexit! Groſſum exemplũ Vbertinus ponit. Si aliquis pulcherrimus, Simile. perfectiſſimus ſponſus, intraſſet mare, & aridam, pro vna ſibi ſponſa acquirenda, quam de viſceribus ſuis pauiſſet, & nutriuiſſet, & ad debitam naturæ formam perduxiſſet, & quod de eiſdem ſuis viſceribus, veſtes, & ornamenta dediſſet, & feciſſet eam Reginam nobiliſſimã, & decorã; ſi iſta in oculis ſui ſponſi viliſſimum ribaldũ, & nigerrimũ Æthiopẽ acciperet, & amaret, & ſtercora eius comederet, & de ipſis totã faciem deturparet, & ſic ſponſo diceret, modo me oſculare, quia in tali forma me habere non poteris, nihil eſſet dolor illius ſponſi, reſpectu doloris Chriſti Ieſu, ſuper anima proſtituta, & peccatrice. Quia incomparabiliter plus pro iſta fecit, quam ſit deſcriptum ſuperius illum feciſſe, & iſta plus incomparabiliter, & peius cum diabolo fornicatur, quam illa &c.

Quarto peccatum animam *deformat*, *nigram reddit*, hinc Hieremias, Treno. 4. *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum.* Et Anſelmus. *Anima ſi in peccato fuerit, nigrior erit corno.* Hinc quidam in Vitiſpatrum, vidit alios facies nigras habentes: Et de Paulo ſimplice idem legitur. Ieſus autem venit, vt ſponſus, perfectiſſime diligens ſponſarum decorem; doloribus, & anguſtijs ſe totum relinquens, & ſe totum per cineres malorum noſtrorum infudit, vt faceret de ſe lauachrum: vt poſſet lauare, & delere turpitudinem, & maculam peccatorum. Quomodo ergo doluit, quod poſt hæc anima ſe luto inuoluit, & inquinat?

Quinto, *Aufert bona* gratiæ, Vnde legis in Trenis cap. 1. *Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius*: ſicut Antiochus omnia abſtulit bona. Et nota quattuordecim quæ aufert, ſecundum ea, quæ de templo ablata erant. 1 Mac. 1.

Id eſt altare aureum. *Candelabrũ luminis.* *Vaſa templi.*

Chriſtũ aufert, pneuma, pia dona,

Menſam propoſitionis cum libatorijs.

fides abit, & ſpes.

Thiala. quæ continent liquida, id eſt, cor pium. *Mortariola, in quibus meditationibus mala teruntur.*

Et pietas, memorans,

Velum de ſagis, præſentiam ſignificat. *Ornamentum aureũ charitas.* *Argentũ omne, id eſt: fructũ bonæ locutionis*

dolor, ac amor, & bona verbi.

Cortinas de quattuor coloribus. quattuor virtutes Cardinales. *Vaſa concupiſcibilia.*

Quattuor, acta bona.

Theſauros abſconditos. *Tollit omne aurum id eſt meritum obedientia caſſat.*

ſuſpiria, caſſat obedit.

O quanta iactura peccati, quæ hominem tantis ſpoliat bonis. Ieſus autem venerat vt reparator regni gratiæ, vnde contraxit ex iſto reſpectu ineffabiles rationes dolorum; Culpa enim totum regnum gratiæ, quantum eſt ex ſe, annihilat, & diſſipat. Hinc attende (ait Vbertinus) quantum habuit horroris, & doloris: Ipſe enim Ieſus, ſecundum ſuum eſſe, videtur quaſi totaliter gratia: Non enim eſt conceptus naturali opere, & ſubſiſtit in diuino ſuppoſito per infinitam gratiam vnionis: Habuit igitur horrere culpam, ſicut deſtructiuum ſui eſſe, & ſuæ intentionis, & cauſę aſſumptionis naturæ. Et quia reparatio regni gratiæ non eſt, niſi per declarationem culpæ, quæ non habet deleri, niſi per dolores correſpondentes offenſæ, ideo hoc reſpectu fortiſſimè dolere habuit, & per ineffabiles ſupplicationes, & immolationes ſui, habuit acquirere gratias ſic indignis.

Sexto peccatum vulnerat ipſa naturalia, & lethiferum in anima vulnus infligit: Vnde Hier. c. 30. *Inſanabilis eſt fractura tua, peſſima plaga tua.* Pro cuius intelligentia notandum, quòd bonum humanæ naturæ tripliciter intelligi poteſt: *Primo* ipſa principia naturæ, vt puta potentiæ animæ, & huiuſmodi, & iſtud neque tollitur, neque diminuitur per peccatum: *Secundo*, quia homo per naturam habet inclinationem ad virtutem, & hæc dicitur quoddam bonum naturæ, & iſtud diminuitur per peccatum: Ex hoc enim, quod aliquod inclinatur ad vnum contrariorum, oportet quòd diminuatur inclinatio ad aliud: *Tertio* autem modo, poteſt dici donum naturæ, donum originalis iuſtitię, quod totaliter eſt ablatum, per peccatum primi Parentis. Quattuor autem vulnera (ſecundum Bonauenturam) peccatum animæ infligit,

Scil. { Ignorantiam, Malitiam, Infirmitatē, Cōcupiſcētiā. } in { Ratione, Voluntate, Iraſcibili, Cōcupiſcibili. }

Sic itaque ex peccato omnem languorem homo incurrit; ſic quod neceſſe dicere habet, *Miſerere mei, Domine, quoniam infirmus ſum.* Pſal 6. Magnitudo autem infirmitatis peccati patet ex magnitudine medici, & medicinæ: Propter hoc oportuit Dei Filium ſic pati, ſic vulnerati, potionari, & tam diuerſas adhibere medicinas, vt patet infra Roſario. Quantum ergo bonus Ieſus doluit, quod eum vltro ad mortē feſtinaturū proſpexit, pro quo curādo tanta medicamina adhibuit! Hinc conquærens ait Angelis ſuis. *Curauimus babylonē, & nō eſt curata.* adducitur ſimilitudo hic realis &c. *Ier. 51.*

Septimo, peccatum, *inſanum, & fatuum* reddit. Pſal. 48. *Homo enim, cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Cuius ſtultitia patet in multis, *Primo* in via, quia eligit magis ambulare viam latam, quæ ducit ad mortē; quàm arctam, quæ ducit ad vitā. Exemplū de duobus fratribus. *Secundo in incuria.* Bernardus. Sic ſtulti æſtimatores de maximis minimam, de minimis maximā curā gerunt. Maiorem curā habent de carne morbida; quam de anima Similitudo Præpoſiti, qui canem ſic impinguauit, quòd puellam iugulauit. Et Epiſcopo cui pyra oblata, &c. *Tertio* inſanum facit in menſa. Gregorius. Quid inſanius, quàm pro modica delectatione carnis, æternis ſe obligare ſupplicijs? *Vita enim peccati* (ait Bernardus) *ingredientibus propinat mel ſophiſticum, progredientibus fel, & acetum; egredientibus venenum aſpidum, & inſanabile.*

Octauo peccatum *occidit morte* peſſima. Pſ. 33. *Mors peccatorum peſſima* & Paulus Rom. 6. *Stipendia peccati mors.* De iſtis plurima Vincentius in ſpeculo; Et Dionyſius Carth. in tractatu de remedijs, dicit, quod peccator domum propriam incendit, ſeſe occidit; de ſitu virtutū in os leonis, & diaboli currit; in tempore belli, virtutum arma proijcit; pro pomo vili, regnum vendit æternum, ſerpentē venenoſū in ſinu ponit, ſpontaneus ſe diabolo tradit; & funē quo ſuſpendat ſe, nectit; ſponſum ſpecioſiſſimū abijcit; ſeſe à regno excludit; precioſius quod habet, viliùs, & deteriùs quo poteſt expendit. Sed quantū putas ſuper huiuſmodi Ieſus doluit. Nimirum ipſe venit ad nos viuificandos Perpendat qui poteſt.

Nono, peccatum *priuat à gloria æterna:* Non enim habitabit in domo eius, qui facit peccatum; Ieſus autē benedictus mortuus eſt. vt ſic poſt mortē magni Pontificis exul in patriam rediret: Quantū ergo doluit, quod mortē ſuā fruſtrari vidit, vel, fruſtrandā homine ſponte decurrente à regno? *Pſ. 100.* *Nu. 35.*

Decimo, peccatum ad Orcum, id eſt ad pænas ducit inferni: Peccata etenim ſunt inferi portæ; Ieſus autē (ait Vbertinus) venit, vt Saluator, & liberator à pænis inferni, qui vt nos liberaret, habuit pro omni peccato mortali dolorē exoluere correſpondentē, & præpollētem, in ratione diuinæ acceptationis, cuilibet particulari pęnæ in inferno debitę malitiæ ſingulorū. Proh quantū doloris hinc habuit, quod tātas euacuari cernebat! Hæc ergo anima fidelis perpendat, & videat, impoſſibile eſſe comprehendere dolores, quos pertulit benedictus Ieſus.

Cæterū etiā atque etiā præuidit iuxta prædefinitū diuinitatis conſiliū Ieſ⁹, omnē, & ſingulā paruipenſionē, & ingratitudinē futurorū Chriſtianorū, in quibus videbat paſſionē deperditā iri, eo quod ruſus eum crucifigerēt, & oſtentui haberēt. Hinc Rabanus ait, Videbat Dominus ad augmentū doloris ſui, ſanguinē ſuū tā viliter, & inutiliter effundendū, quodq; ſic inanū laborauit: vt tunc vix vnum latronē acquireret: & vnum Apoſtolum perderet. Videbat iterū à præſentibus & futuris generalem ingratitudinem, quod etiam à Chriſtianis *tanquam mortuus à corde, obliuioni erat dandus*, quodque pauciſſimi de tanto beneficio ſibi gratias acturi erāt; ſed peſſima viciſſitudine, mala pro bonis darent; ita quod ſi pati iterum *Heb. 6.* *Pſ. 30.*

Digitized by Google

Pſ. 88. rum poſſet, peiora à malis Chriſtianis paſſurus fuiſſet, quam tunc à Iudæis. Nouit enim quod *ſuper dolorem vulnerum eius addentes* præuaricationes, plagas ſuas quotidie renouarent. Hinc conquæritur per Eſa. 49. *Innacuum laboraui, vane fortitudinem meam conſumpſi* Et per alterum lamentatur, Mich. 7. *Ve mihi, quia factus ſum, ſicut qui colligit racemum in autumno*. Et in Pſal. 29. *Quę vtilitas in ſanguine meo?* Eya igitur compatiamur tam granditer patienti, propter præuiſionem futurorum.

Obiectorum multitudo.
Notula 5.

XXV. A*Lterum internum aggrauantium*, eſt *obiectorum doloroſorum multitudo*, quæ tam ſunt innumera, vt nullus ſit, qui poſſet ad calculanda ea. Paſſus namque eſt, & doluit, de Patris offenſa, de Matris triſtitia, de amiſſa gloria, de merita pæna, propter commiſſa, & committenda peccata, ob omnia quæ dilectis ſuis nouit ſuperuentura mala, de paſſione ſua acerba. Et quid multa numeraſſe proderit, cũ non poſſimus attingere ad ſummam? Omnia illi dolorem adauxere, etiam quæ pleriſque releuamina videntur: vt ſunt recognitio ſalutis humanæ, reſtauratio ciuitatis ſupernæ, acceleratio reſurrectionis tertia die, glorificatio eiuſdem. Iſta enim omnia, & ſimilia quodammodo auxerunt Chriſti dolorem, non minuerunt: Cuius eſt ratio iſta, Quia cum omnia hæc eueniant ex Chriſti dolore, tantum dolorem debuit aſſumere, & diuina ſapientia tantum illi menti doloris debebat infundere; quantum ſat erat, ad prædicta omnia conquirenda. Et ideo quo nouit viciniorem inſtare reſurrectionem: eo ampliorem aſſumpſit dolorem: vt immenſurabilem, ſibi à Deo præfixam menſuram poſſet adimplere &c. Et quo ſua glorificatio ſublimior, eo paſſio ſua maior: Non enim niſi patiendo magna, ad magnam potuit gloriam introire, per æquas enim vias contenditur ad eam. Quantam igitur confitemur gloriam, tantam etiam neceſſe eſt fuiſſe arduam viam: Per pronas enim, & ignauas vias, magna gloria non ambitur, nec conquiritur vnquam. Sicut igitur gloria inexcogitabilis; ita paſſio incomprehenſibilis. Merito igitur compatiendum ei.

Impulſio fortis. *Notula* 6.

XXVI. T*Ertium aggrauamentum, eſt impulſio fortis.* Impellebant enim mentem benedicti Ieſu ad grandem dolorem,

Dei	Iuſtitia, & ęquitas diuina,	Scil.	Plenam ſatiſfactionẽ exigens:
	Sapientia, & diſpenſatio mira,		Pie eos in mẽſura diſpenſans:
	Amor, & charitas immenſa,		Voluntariè copioſé reducens.

Æſtimet hæc qui poteſt, fontes hi omnium dolorum. Dominus igitur Ieſus, conformis diuinæ iuſtitiæ, ſciens, quod non parceret delinquenti, & quòd ſolus ipſe manum mittere poſſet in vtrunque, tantum dolorem aſſumpſit, quo diuinæ iuſtitiæ ſatisfecit & eam nobis placauit, Diuini tribunalis rigori ſatiſfaciendo, pro omni dilecto. O iuſtitiæ ſacrificium grande. Si nullus Diuinam ad plenũ in iudicandis ſceleribus iuſtitiam comprehendit, quis hoſtiæ illius magnitudinem, qua diuina iuſtitia placata eſt, præter illum qui obtulit, intellectu dimenſus eſt? Iob 9.

Item Dei ſapientia, & diſpenſatio diuina, plurimum aggrauat: Aiunt enim, quod illi dolores fuerunt in corde benedicti Ieſu à diuina ſapientia diſpenſati, ſecundum menſuram innumerabilium doloroſorum obiectorum: vt latè Vbertinus in quarta Parte declarat.

Et potiſſimum amor fuit omnium intimorum dolorum cordis benedicti Ieſu cauſa, & radix: Pari namque, & ſimili curſu, currunt amor, & dolor: ita, quòd tantus fuit benedicti Ieſu dolor, quantus amor ad Deum Proximũ, & Seipſum. Et quot habuit reſpectus amoris, quaſi tot habuit diſtinctiones numeroſas doloris: Et in illo reſpectu, quo magis amauit, doluit magis. Quiſquis ergo noſſe volet magnitudinem doloris, prius habeat exercitatũ oculum in conſideratione amoris: vt ſciat metiri quantum Ieſus dilexerit Deum Patrẽ, & hominem, ac ſeipſum, & virginem Matrẽ, &c. Et reperiet, quod ſicut amor iſte eſt incõprehenſibilis: ita & paſſio ineffabilis &c. Tum potiſſimum ex eo, quòd Chriſtus ex amore voluntariè eos aſſumpſit, & pleniſſimè ponderauit, & virtutem, & Dominum ſupra potentias animæ habuit, & eas in conſideratione doloroſorum obiectorum continuè ſeruauit &c. Quare copioſè, & inæternum ſatisfecit. O Tre igitur attendite, & videte, ſi dolor ſit ſimilis dolori Chriſti.

De compaſſione Chriſti.
Notula 7.

P*Oſtremum*, vel quartum internum aggrauatiuum, eſt *plurium compaſſio*; adeo, quod dolor compaſſionis, maior fuit (iuxta Bonauenturam) dolore paſſionis. Et fuit multiplex nimis;

Compatiebatur	Humano generi,	propter	Culpá, & paruũ fructũ quẽ præuidebat.
	Sibimetipſi,		Pænam, quam ferre debebat.
	Virgini Matri,		Gladium, qui animũ fodiebat,
	Omniũ electorum gregi,		Multa quæ ferre debebat.

En generique, ſibi, matri, dolor eſt adamatis. De his latius agitur 1. Epiſtola de paſſione, ad Carthu. Et in Vbertino; qui etiam dicit, quòd ſingulariter ex cõpaſſione dolebat *de penis, & martyriis Sanctorũ martyrũ*, pro nomine ei⁹ inflictis; adeo quod nihil eſt pænale receptũ ab aliquo electorũ quod nõ fuerit cordi Chriſti multo firmius infixum, quam illi, qui recepit

affixum.

Digitized by Google

affixum. Dolebat, & non minus ex compaſſione. *ſuper ſingulis tentationibus, & deſolationibus* Sanctorum confeſſorum, & ſingulorum electorum, tanquam caput pium pro membris. O quam latæ ſunt iſtæ feneſtræ, volenti proſpicere dolores Ieſu internos! Mirum ſi in horum commemoratione, non toti in lachrymis reſoluamur. Compatere ergo tam dira patienti. Quod ſi te paſſionis acerbitas nō permouet, vel compatientium multitudo moueat. Conululare lupis debet qui commanet illis, Et flere cum flentibus ſolent; Compaſſi ſunt Christo patienti *amici*, qui viderūt: Cuius vel ferreum pectus non concutiet Mariæ, & Apoſtolorum fletus? *Secundò gentiles*, vt centurio, & turba pectora tundens; *Tertiò omnes Sancti* qui præceſſerunt, vt Prophetæ, & qui ſequuntur deuoti; *Quarto creatura omnis cæleſtis*: vt Sol, aer; *terreſtris*, vt terra, petræ, velum; *ſubterreſtris*, vt inferni.

Ro. 12.

Luc. 31.

Angelici gentes, Sancti omnes, facta, & amici. Pudeat igitur duros obſiſtere, & lachrymas frenare.

Conſideratio huius §. 2.

De iniuſta cauſa paſſionis.

XXVIII. QVod ſi omnia hæc non emolliunt corda, tertium membrum attendamus, conſiderando cauſam iniuſtam, quo ad criminis immunitatem, firmiter tenendo, quod tanta, & talia tulerit nulla ſui culpa, nulla item neceſſitate; ſed paſſus eſt ea innocentiſſimè, ex nimia erga nos charitate. O quam largiter merito flere deberemus, ſi, quòd occaſio ſumus morti Filij Dei, intimè cogitaremus! Quid enim, ô lecte puer Domini Dei mei, quid tu Agne Dei, quid tu Pontifex ſumme, qui nec ſuper Patre nec Matre contaminatus; quid inquam tanta amaritudine, quid tantis tormentis dignum commiſeras? Prorſus nihil! Ego homo perditus, totius tuæ paſſionis cauſa fui! Ego Domine vnam acerbam comedi, & dentes tui obſtupuerunt; quia quæ non rapuiſti, ſed quæ rapui ego, tu exoluiſti. Amor tuus, & iniquitas noſtra, ſic te afflixere. Maledicta ſit tanta iniquitas, pro qua ſic affligeris Deus charitas. Poteris hic attendere cæteras cauſas paſſionis &c. Plurimum vere mirandum, ſi non vel hoc cor concutiatur. Quiſquis ergo Christo compati: vt poſt conregnare poſſit, voluerit; præſcripta conſideret, profundè dijudicet, & Christo ſe intime per amorem coniungat, & rem ante oculos ita ponat, quaſi Patrem, Matrem, aut ſeſe hæc patientem videret.

Ier. 31.
Pſ. 68.

Quod ſi inter hæc adhuc durus obſtiterit, aliquo flagello ſeſe, (vt Bonauentura docet) caſtiget: vt ſic per experimentum ducatur ad compatiendum.

Qualis autē debeat hæc compaſſio eſſe, Albertus notat, qui dicit, quòd triplex erit:

Scil. { Accidentalis, Subſtantialis, Perſonalis, } id eſt, vt cōpatiatur ſicut { Seruus Domino; Filius Patri: Membrum capiti.

Omnia enim hæc in nobis Deus. Qualiter autem fieri debet ſciendum, quod tripliciter, XXIX.

Scili. { Corde, Ore, Opere, } piè { Compatiendo, per triſtitię aſſumptionem. Querulando, & planctum faciendo; Lachrymas fundēdo, & geſt⁹ triſtes habēdo.

Oportet enim quod *planctum vnigeniti* faciamus nobis: Et cum Hieremia exclamemus, Ier. c. 6. & 9. *Quis dabit capiti meo aquas?* &c. Et inſtar Dauid planctum ſuper Ionatha, aut Abſalon aſſumentis, & nos tragædiam faciamus dicendo, 2. Reg. 18. *Doleo ſuper te, frater mi Ionatha, decorus nimis, & amabilis* &c. Et cum Franciſco lugeamus, & triſtitiæ geſtus aſſumamus; nam plurimum hoc Deo placet: Ait enim ad Mechtildim, *Dico tibi in veritate, ſiquis ex deuotione paſſionis lachrymas effuderit, ſic eas ſuſcipio, ac ſi pro me ſit paſſus* &c.

O *Cor durum, & prophanum, condolendo rumpere;*
Regem plange golghatanum; rumpere cor, rumpere:
Flens externum, & internum, grauamen, cor rumpere.

Sed quia vera compaſſio, teſte Gregor. ſuper Iob, conformationem requirit. Ideo ſequitur.

§. 3. *Gradus Tertius.*

IMitatio. DE QVA Gedeon, Iud. 7. *Quod fecero, ſectamini.* Et Dominus, *Siquis vult venire poſt me &c. ſequatur me.* Nihil enim, aut parum placebit Deo compaſſio, niſi ſequatur imitatio, qua ſine eſt imperfecta compaſſio. Compaſſio dico, non miſerantis, fauentis, aut diligentis ſolum, quæ affectu pietatis, & triſtitiæ peraguntur; Sed compaſſio verè, merè, ſincerè amantis, ad ſui perfectionem requirit omnimodam conformitatem dilecti patientis, non in affectu ſolo, ſed re ipſa, cupiens cum dilecto ligato colligari, cum crucifixo crucifigi, ſepulto conſepeliri. Et hæc eſt perfecta compaſſio, ſcilicet imitationis, quam & Christus à nobis requirit. *Christus* enim *paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Et libenter imitandum. Hoc enim, XXX. Luc. 4. 1. Pet. 2.

Eſt { Deo acceptum, Nobis glorioſum, Valde neceſſarium. } Quia { Sic eius perficitur voluntas, ad quam hortatur; Magna gloria ſequi Dominū, Nil proderit paſſio, niſi ſequatur imitatio.

Acceptum ſequere, dignum, quia valde neceſſe.

Ipſe enim Christus crebro ad ſui ſequelam nos hortatur, quippe qui in omnibus exem

exemplum dedit nobis, vt & nos ita faciamꝰ. Eſt & imitatio Chriſti nobis digna, *Magna gloria* (ait Sapiens Eccl.21.) *ſerui ſequi Dominũ ſuum,* & eadem ſecũ veſte veſtiri, & lateri eius hærere ſemper. Eſt & neceſſaria ſaluti, Ait enim Auguſtinus: Quod ad perficiendã ſalutem noſtram, duo concurrere neceſſario oportet, præſertim in adultis; imò, & quodam modo in paruis; Domini, ſcilicet paſſionem, & noſtram imitationem: Nec alterum ſine altero ſaluat; Paſſio enim ſine imitatione, ſaluare non debuit; maximè adultos, qui peccata cõmiſerunt: Imitatio ſine paſſione non poteſt: vt late declarat Bernardus in Sermonibus de Diuerſis dicens, Sola ſecundi Adæ paſſio purgat, quos contaminat præuaricatio Adæ prioris. Vbi autem propria macula committitur, propria iam ab eo vnda exigitur lachrymarum, & concrucifixoribus Chriſti &c. Mea igitur eſt Domine tua paſſio; ſed ſi acceſſerit imitatio: vt ſequar veſtigia tua ait Bernardus. Alioquin nedum non ſaluat, ſed profundius damnat &c. Oportet ergo imitari. Vt igitur imiteris,

Cõſidera {
- Modum generalem, quem in omnibus tenuit:
- Doctrinam ſingularem, quem in ſingulis propoſuit,
- Conformationem realem, quam à te exigit.

Quis modus hic, quæ doctrina eſt, conformis, & eſto.

XXXI. Debes igitur attendere in omnibus articulis Dominicæ paſſionis, *modum generalem*, de quo poſt dicemus. Debes, & attendere *doctrinam ſingularem*, quam in ſingulis articulis, & paſſionibus innuit. Itẽque, & *conformationes reales*, in quibus nos ſibi configurari voluit. Quæ duo latius explicant in ſingulis articulis, Ludolphus, & Iordanus, in Sermonibus de paſſione Chriſti. Sed vt exemplariter, vel vno exemplo demõſtraremus, quid velimus, Eſto, cogitetur *de crucifixione*, proponitur in articulo illo *doctrina ſingularis* vt, ſcilicet, & nos crucifigamus carnem, cum concupiſcentijs ſuis &c. Vbi latiſſima offertur Moralium materia: Cui articulo etiam per *realem configurationem*, oportebit te conformari, vt ſcilicet Chriſti exemplo etiam tu brachia in crucis modum extendas. Sic in articulo *de Flagellatione* Chriſti, *doctrina ſingularis* eſt, vt patienter feras flagella Dei: *Realis confortatio*, vt te flagello diſcrete cædas, & ſic flagellato configureris, & ſic de cæteris articulis.

Modus autem generalis, quo ſe Chriſtus in omnibus generaliter habebat, optimus, & deuotiſſimus fuit: Habuit enim ſe Chriſtus,

In omnibus	Obediẽtiſſimè,	quoad Deum Patrẽ,
	Seueriſſimè,	Seipſum,
	Charitatiuiſſimè,	Proximum,
	Liberaliſſimè,	Genus humanum,
	Prudẽtiſſimè,	Aduerſarium,
	Patientiſſimè,	Pęnale tormẽtum,
	Perſeuerantiſſimè.	Finale cõplementum.

Faciamus, & nos omnia *ſecundum exemplar monſtratum in monte.* Exod.c.25. Habeamus & nos obedienter, parẽdo Dei voluntati, & Prælati; Factus enim eſt obediens vſque ad mortem, & vt ſciret mundus, quia diligat Patrem; ſic fecit, ſicut mandatum ei dederat Pater: dicens illud Prouerb. c.5. *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide*; Conſentit volentiſſimè Filius dicens ei. Mat.c.6. *Fiat voluntas tua.* Quam quàm libentiſſime explet, ipſe indicat cum dicit. Luc.c.12. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſque dum perficiatur.* Et alias, *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me.* Io.c.4. Phil.2. Io.14.

Habuit ſe ſeueriſſimè erga ſeipſum, in nullo parcendo ſibi: Item. *Amantiſſimè* erga proximum: In hoc enim cognouimus charitatem eius, quoniam pro nobis animam ſuam poſuit, qua maiorem dilectionem habet nemo. 1.Io.3. Io.15. O verè amanter, ex amore perferens talia, & tanta *Liberaliſſime* ſe habebat, qui nil ſibi de ſuis retinebat, ſed ſe totum in noſtros vſus expendit: Corpus dedit crucifixoribus, dorſum flagellantibus, faciem cædentibus & conſpuentibus, genus percutientibus, barbam vellentibus, veſtes luſoribus, ſanguinem reis, fontem lateris immundis: lachrymas perditis, diſcipulo Matrem, Symoni crucem: Paradiſum latroni, animam Patri, vitam morti. Verè Chriſtus liberalis, & liberaliſſimus, qui inſtar duodecim fructus ligni vitæ, duodecim fructus nobis dedit. Apoc.22. Nam 1. carnem dedit in cibum: 2. ſanguinem in potum: 3. animam in pretium: 4. vulnera in remedium: 5. brachia in refugium: 6. crucem in clypeum: 7. cor in amoris indicium: 8. aquam in balneum: 9. ſudorem in medicamentum: 10. clauos in ſalſamentum: 11. ſpineam coronam in ornamentũ: 12. verba in documentum, vitam, & mortem in exemplum.

Hic cibus, hic potus, pretium, medium, refugis cor.

Sal, medicans, docet, exempla, ornans, balnea, ſcutum.

Habuit ſe denique *prudenter* quoad aduerſarium, cui diuinitatem occuluit: *Patienter* ad tormenta, inter quæ nec ſemel os impatienter aperuit: Eſa.53. *Perſeueranter* vſque in finem: vt voce alta, *Conſummatum eſt*, dixerit. Io.c.19. Sic nos ſemper habeamus, & Dominum imitemur, aduerſa omnia libenter in vnione ſuæ paſſionis perferentes, quod grauiſſimũ Chriſto. Debet autem hæc imitatio fieri primum exempla conſiderando, deinde proponendo, tertio obſecrando: Et dum homo Chriſti perfectionem conſiderat, ſuamè regione imperfectionem attendere debet, & ſe vilificare, & vt eius exempla imitari poſſit, inſtantius obſecrare,

O Me tanta imitari des exempla regia:
Foris, intus, immerſari, Chriſti nunc elegia,
Preſtans haccé immorari, doctrina egregia.

Et quia non eſt dignus dandis, qui non eſt gratus de acceptis. Ideo ſequitur.

§ 4. Gra-

§. 4. *Gratiarum actio.* *Gradus* 4.

XXXII. GRatiarum actio, DE QVA Apoſtolus, Epheſ c. 5. *In omnibus gratias agite per Ieſum Chriſtum.*

Ad locum enim *vnde exeunt flumina reuertentur*, vt iterũ magis fluant: Vnde & ad hanc
Eccli. 1. Sapiens monet, in Eccleſiaſtico dicens, *Gra-*
Eccl. 29 *tiam fideiuſſoris ne obliuiſcaris, dedit enim animam ſuam pro te.* Magis enim torſit Chriſtum ingratitudo noſtra, quam omnia tormenta ſua: Vnde in eius perſona Philippus Cancellarius (vt Bonauentura ſuper Tertium ait) exclamat,

Homo vide, quæ pro te patior,
Ad te clamo, qui pro te morior:
Vide clauos, quibus confodior,
Et dolores, quibus afficior,
Cum ſit tantus dolor exterior,
Intus tamen planctus eſt grauior,
Tam ingratum dum te experior.

Nam vt hoc vitium ingratitudinis tolleret, vna eſt ex cauſis, quare tam plurima, & tam acerba pati voluit; cum tamen multo minoribus (vt aiunt) nos liberaſſe potuiſſet,

Gratus, ames, redimat fortis noſcas, imiteris.

Primo inquam tam multa pati voluit, vt peſſimum vitium ingratitudinis excluderet à nobis: vt quos facilitas creationis ingratos fecerat, redemptionis difficultas ad gratitudinem obligaret. Hinc Bernardus, *Non valuit opus ſuum reparare Saluator abſque tanta difficultate? Valuit, ſed maluit cum iniuria ſui, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret, commoneretque gratiarum actionis difficultas redemptionis, quem minus deuotum fecerat facilitas creationis. Quid enim dicebat homo creatus, & ingratus? Gratis quidem conditus ſum, ſine vllo auctoris grauamine, vel labore: Siquidẽ dixit, & factus ſum, ſicut vniuerſa. Sic beneficiũ creationis attenuans humana impietas, ingrati-*
Pſ. 32. *tudinis materiam inde ſumebat, vnde amoris*
Pſ. 62. *cauſam ſumere debebat, ſed obſtructum eſt os loquentium iniqua: Luce clarius enim patet, quantum pro te ô homo, diſpendium fecit Deus, de Domino ſeruus, de diuite pauper, de Dei Filio hominis filius eſſe non deſpexit. Memento ergo iam te, etſi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, ſed per triginta annos operatus eſt ſalutem tuam in me-*
Pſ. 73. *dio terræ, vbi in recreando, dixit multa, geſſit mira, pertulit dira, ſufferens dura verba, duriora verbera, & tandem crucis tormenta duriſſima.* Grati igitur ſimus.

Altera cauſa vt magnum nobis ſuum amorem, magna agendo, & dira pro nobis patiendo oſtenderet, & ſic noſtrum ſibi amorem prorſus vendicaret: vt infra dicetur.

Tertia vt copioſe nos redimeret, & plenè ſatisfaceret pro cunctis erratis noſtris.

Quarta, vt nos ad grauia ſufferenda confortaret: Seruus enim non ſentit ſua incommoda, ſi inſpiciat Domini vulnera. Hinc ad Hebræos Apoſtolus, Heb. 12. *Recogitate Dominum Ieſum Chriſtum, qualem ſuſtinuit aduerſum ſemetipſũ à peccatoribus contradictionem: vt non fatigemini animis veſtris deficientes.*

Quinto vt nos illuminaret ad cognoſcendum, quam peccatum diſpliceat Deo, quam horrendæ pœnæ, quam gloria regni magna. Agnoſce ergo ô homo (inquit Bernardus) quam grauia ſunt vulnera tua, pro quibus neceſſe fuit Chriſtum Dominum vulnerari, &c. Sic de cæteris patet.

Sexto, vt nos ad veſtigia ſua ſectanda animaret, & etiam calicem ſuſciperemus ſalutatarem, & nullum horreremus mortis genus, cũ tam viliſſimũ pertulerit Dominus. Merito ergo gratię agendę. Et hoc potiſſimum pro eo,

Quid	Tã pænoſa, talis pro te ſuſtinuit,	Et ſic te	Redemit.
	Tam præclara virtutũ exempla reliquit,		Inſtruxit.
	Nũc ſenſũ intelligẽdi, & affectũ imitãdi dedit,		Prçuenit.

Pænoſa, exempla, meditans, imitaris eundem.

Et vt verè ad gratiarum actionem ſuccendaris, poteris videre,

Scilicet	Quã multa	Egit & pertulit	In quantitate, dinumera ſi potes.	
	Quã magiſter		In acerbitate, *non eſt dolor ſicut.*	*Tren. 1.*
	Quam vtilia		In fructuoſitate, *fructus eius dulcis gutturi.*	*Cant. 2.*
	Talis, & tantus		In immenſitate, *magnus Dominus, & lauda.*	*Pſ. 47.*
	Tali affectu		Quia nimia charitate, *incharitate perpetua.*	*Ier. 31.*
	Tibi tali		In vilitate, & indignitate, *quid eſt homo.*	*Pſ. 18.*
	Tali fine		In gloriæ æternitate.	

Plurima, magna, bona, tantus, tanto, tibi fine.

Hæc facilè ex dictis, vel dicendis elici poterunt. Verè, verè magnificæ illi gratiæ ſunt agendæ, qui magnificus, tam magnifica paruis impendit. Et quo ampliora, & diriora pro nobis pertulit, eo magis ad gratitudinem nos obligat.

Deinde etiam gratiæ agendæ, quod tam prçclara virtutum exempla reliquit: Omnia enim eius facta, & tormenta, ſunt virtutum præclariſſima exẽplaria, quibus mentem monuit, intellectũ docuit, affectum inflãmauit.

Poſtremo ſingulariter gratias debes agere, quod ſingula præ multis te benedictione præuenit, & hæc tibi meditari dedit. Fructus, & vtilitates paſſionis, in his verſibus continentur,

Viuificat, placat, ſanat, Sanctũ excitat, armat,
Ducit, debilitat, luſtrat, dulcorat, obumbrat.
Informat, reuocat, ornans, inflammat, honorat.
Dat pacẽ, ſpoliat, reparans, dat gaudia, tutat.

Hæc in compendio Theologicæ veritatis proſecuta, & ſupra in Sacramentali portione, quę dicitur fructus. De inductiuis autem ad gratitudinem, & practicam eiuſdem, infra habes, ſed vt breuius modum ſcias, gratias exolues.

Vigi-

Digitized by Google

Vigilantiſſimè, Lætiſſimè, Pleniſſimè } cum omnium { Virium recollectione. Creaturarum conuocatione. Sanctorum obſecratione.

Pſal. 101. Vt { *Benedic anima mea.*
Dan. 3. *Benedicite omnia.*
Apoc. 9. *Laudem dicite ſancti Dei puſilli, & magni.* }

Sis vigilans, lætus, plenè, vires, ereo, Sanctos.

Cùm enim omnis laus noſtra & gratitudo inepta ſit, & imperfecta; oportet vt noſtra viliſicantes, aliorum laude id ſuppleamus: Et potiſſimum, vt Sanctos ipſos, & hoc ſecundum ferias; imò & Deum ipſum: (vt Mechtildis docet à Deo edocta) ad pro nobis gratias agendum, pia obſecratione conuocemus; imò & creaturas omnes: quemadmodum Ioannes tradit in Apocal. quòd ſoluto libro per Agnũ occiſum ſeptem ſigillorum, ſuperna & infera pariter ad laudem concitantur. Apoc. 5.

Eja trina hierarchia, iam mecum infinities
Ieſum laudes in hac via, ob pœnas multiplices.
Quas guſtauit mẽte pia, pulchra Patris ſpecies.

Et quia gratitudo aſcenſum meretur; & ducit in caliginem quandam: Ideo ſequitur,

§. 5. *Gradus quintus.*

XXXIII. ADmiratio, DE QVA Pſal. 118. *Mirabilia teſtimonia tua.* Teſte enim Leone Papa, nihil mirabilius, nihilque inter omnia opera miſericordiæ Dei, quæ ab initio ſaluti noſtræ ſunt impenſa mortalium, reperitur ſublimius & ſtupendius, Sacramento Dominicæ paſſionis &c. Huc itaque accedant noſtri Athenienſes, qui ad nil aliud, niſi ad audienda, vel videnda noua, & mirabilia vacant; ad hunc gradum concurrant, qui curioſa ſectantur, & implebitur in bonis deſiderium eorum; tametſi curioſum. Non quæſo iam vltra egrediantur cum Dina, ad videndum mulieres regionis alienæ; vanas ſcilicet curioſitates; ne fortè ſimul cum ea, à malo Æmor filio Sychen, id eſt diabolo corrumpantur; ſed confluant ad theatrum noſtrum; in petra cum lepuſculo plebe inualida collocent nidum ſuum; confugiãt ad domum refugij, & libero oculo, quæ in hac geruntur curioſa conſpectent, & videbunt talia noua, qualia à ſæculo non ſunt audita. Stupor enim, & mirabilia facta ſunt in ea; adeò quod venerabilis ille Pater Dominus Theodoricus Heren ait in ſuis punctulis de paſſione, quòd nunquam mirabilius aliquod factum eſt, aut faciendum. Et verè fœlices qui in his ſcrutandis mirabilibus, vigili oculo fuerint curioſi: Rapientur enim quandoque in cellam vinariam, id eſt, abyſſum dulcedinis diuinæ, vt vel ex parte guſtent bonum Dei donum, quo guſtato mox facilè deſipiet omnis caro.

Pſal. 101. Gen. 34. Prou. 30. Cant. 2.

Libenter ergo verſandum eſt pia curioſitate, ad ſcrutandum mirabilia Dominicæ paſſionis: Et hoc

Ad { Implendum appetitum, Euadendum periculum, Aſſequẽdum guſtum, } quia { Cætera afficiunt, iſta ſufficiunt: In cæteris peccatũ, hic prẽmium; Cætera cruciant, hæc delectant. }

Fœlix igitur verè ille, qui cum Propheta exercetur in mirabilibus Chriſti. Qui autem volet ad hanc admirationem moueri, is debet hæc conſiderare, Pſal. 118.

Scilicet { Patientis immenſitatem: Tormentorum, quæ patitur, & modi quo patitur, qualitatem; Eorum, à quibus, & pro quibus hęc patitur, vilitatem. }

Immenſum, tormenta, modum, fert à quibus, & pro.

Vt ſcilicet *in primis* conſideres, quantus ſit is, qui tormentatur. Ipſe enim excelſus eſt ſuper omnes gentes Dominus, cuius magnitudinis non eſt finis: De cuius ſublimitate in Iob c. 11. dicitur: *Forſitan veſtigia Dei cõprehendas?* Quaſi dicat, nequaquam; Cauſam ſubnectit: *Excelſior cœlo eſt, & quid facies? Profundior inferno eſt, & vnde cognoſces? Longior terra menſura eius, & latior mari. Si ſubuerterit omnia, vel in vnum coarctauerit, quis contradicet? aut quis dicere poterit ei cur ita facis?* In quibus verbis ipſe Iob quattuor tangit, quæ veram & perfectam dignitatem conſtituunt, ſcilicet altiſſimam poteſtatem, quia *excelſior cœlo:* ſapientiæ profunditatem; ibi *profundior inferno*; ſtabilem æternitatem, quia *longior terra*; immenſam charitatem, quia *latior mari*. Et tamen is talis ac tantus, cuius altitudo eſt inattingibilis; abyſſus imperſcrutabilis, longitudo interminabilis, latitudo incommenſurabilis; ecce *ad qualia tormenta* propter nos inclinatur. Certè ad mortem vſque humiliatur; adeò vt amaritudine inebriatus dicat, *Ego ſum vermis, & non homo.* Pſal. 21. Vermis enim cùm conculcatur, è contra ſe non erigit; ſed ſe cõtrahit præ dolore: Vnde & dicit illud pſal. 37. *Aﬄictus ſum, & humiliatus ſum nimis.* O verè nimis. Quod ſi *tertio attenderis modum*, quomodo pertulerit tanta, quomodo te continebis? Nónne patientiſſimè, mitiſſimè, humillimè? Cætera vt ſuprà. Paſſus eſt inquam, vt fur patibulum; vt latro vincula & tormenta; ſicut ſtultus, contumelias, & ludibria, tanquam ſeditioſus, blaſphemias & odia, ac velut maleficorum maleficus, abſque miſeratione repudium; tanquam opprobrium hominum; tanquam vermis inutilis, & abiectio plebis. Sic ecce paſſus eſt Dominus: cuius magnitudinis non eſt finis. Sed ſi *poſtremò* tractare volemus *à quibus* paſſus eſt hæc Deus, quis ſtabit ad videndum? quis non in extaſim, quis non in ſtuporem rapietur? Nónne à nequiſſimis optimus; à ſanie fœtidiſſima ſplendor æternus; ab hominibus, & talibus hominibus, Deus? Sed *pro quibus hæc patitur?* Certè pro nequiſſimis mancipijs, ſceleſtiſſimis inimicis; imo (vt Bonauentura ait) pro diabolicis, & diaboli filiis, pro cõtemptoribus diuinæ maieſtatis, & ingratis ſuæ bonitati. Res miranda!

Pſal. 46. Pſal. 144. Pſal. 21. Pſal. 144. Malac. 3.

Sed vt & ſub hoc gradu ſeptenariũ adminiſtremus.

ſtremus. Nota, quòd Bonauentura hunc ſeptenarium ponit conſiderandum pro excitanda admiratione.

Immẽſus { Vniuerſali dominio, Omnipotentia, Incircumſcriptibilitate. Fœlicitate. Æternitate. Sapientia, Speciositate. } Vt { Seruus annihilatur. Impotens torquetur. Terminabilis vincitur. Miſer tormentatur. Mortalis mortificatur. Stultus infatuatur. Deformis decoloratur. }

Et hæc omnia tam benignè & patienter patitur pro nobis, ac talibus, tam vilibus. Patitur à luto figulus; ab infimo ſummus; à peccatore Deus, à mancipio Dominus; à creatura creator; à vili orbis portione, omnium gubernator; ab eo, quem redimere venerat, piiſſimus Redemptor. O ſtuporem! ô dignationem!

Vel ſi latiora membra voles, hinc meditandi, attende quantus ſit

quoad { Se, Intellectũ, Senſum, Linguam, Locum, Tempus, Deſideriũ, } quia { Infinitus: *Magnitudinis eius nõ eſt finis* Incomprehẽſibilis; *O altitudo diuitiarum ſap.* Inuiſibilis, *Deũ nemo vidit vnquã.* Ineffabilis: *Quem lingua nõ explicat.* Incircunſcriptibilis: *Locus non menſurat eum.* Æternus: *Tu autem Domine in æternum permanes.* Incomparabilis: *Transgrediens omnia vota.* }

Pſal. 144. *Rom. 8.* *Ioan. 1.* *Baruch 3.* *Pſal. 101.* *Pſal. 9.*

Nec ſenſus, mens, lingua, locus, tempus, petit in ſe.

Intuemini igitur, & admiramini, quantus ſit iſte, qui ſe inclinauit tantillo; & ad talia ſe inclinauit; & profundè dijudicate ô omnia intima mea. Si Rex quiſpiam magnus erga aliquem inopem, abiectum, & penitus execrabilem, ac ſibi inimicantem ribaldum, ſiue (vt dignatio & affectio magis eluceſcat) in buffonẽ aliquem ita eſſet amore euiſceratus: vt ob illum ad gloriam ſuam ſublimandum charitate cogente, à ſua celſitudine dignaretur deſcendere; atque ribaldus ſiue buffo fieri, inſtar eorum, & pro eis, & ab eis ludibrio haberi, omnis cruciatus amaritudine repleri, demum probroſiſſimo mortis genere interimi, Quanto putatis ribaldus iſte ſeu buffo: ſi mente vigeret, amore in illum afficeretur? quanta gratitudine obſequeretur in omnem honorem regis illius? Sic quiſque reuoluens immenſum Deum, propter ſe exinanitum, ad crucẽ vſque humiliatum, quomodo non ſtupore reuerberabitur? quomodo non deficiet amore præ mirabilis & ſtupendiſſimæ dignationis conſideratione? Proſequatur hæc in intimis ſecum anima, non poteſt ad hæc ſcribenda penna. O qui ſic Chriſti patientis immenſitatem, ſuique pro quo patitur vilitatem dijudicaret, in abyſſum, in caliginem abſorberetur, ex qua in omne bonum ex conſequenti promoueretur.

Debet autem hæc admiratio fieri tribus modis,

Scilicet { Profunda dijudicatione, Admiratiua exclamatione, Extatica defectione, } per { Viam cõparationis. Interiectionũ frequentat. Caliginis ingreſſiones. }

Vt ſcilicet diſcurrat cum Bernardo, volatico proceſſu, inter extremitates excellentiſſimæ dignitatis, & miſeræ infirmitatis, & exclamet cum eodem, O quàm indebita miſeratio! quã gratuita dilectio! quàm inopinata dignatio! quàm ſtupenda dulcedo! quàm inuicta manſuetudo! Regem gloriæ pro deſpicatiſſimo vermiculo crucifigi. O nouiſſimum & altiſſimum! ô humilem & ſublimem! ô opprobriũ hominum & gloriam Angelorum! Nemo illo ſublimior, & nemo humilior. Quis audiuit vnquam talia, aut quis vidit huic ſimile? Attendite hæc omnes gentes, obſtupeſcite cœli & terra, quia Deus paſſus eſt. O, *deficiunt in ſalutare tuum oculi mei.*

O ſim quantus, admirare mactatus feraliter:
Verbum Patris ſalutare, natus æternaliter;
Hinc defectum patiare mentis abyſſaliter.

Et quoniam admiratio eſt intuitio effectus ſine cauſæ cognitione, qua inducitur ad eam inueſtigandam; & quia ea inuenta mens exhilareſcit, ideo ſequitur,

§. 6. *Gradus ſextus.*

Exaltatio: DE QVA Apoſtolus, *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini* &c. Et Eſaias. *Pauperes homines in ſancto Iſrael exultabunt.* Nã & ipſe Dominus paſſurus, *exultauit vt gigas ad currendam viam.* Pſal. 18. Lugeat igitur carnalis Iudæus; ſed ſpiritalis de Domini paſſione gaudeat Chriſtianus. Multa enim in Dominica paſſione nobis repoſita eſt materia gaudiorum. Nam & Chriſti paſſio (iuxta Leonem) eadem eſt, & credentium gloria, & non credentium pœna. In cruce igitur Chriſti cum Paulo gloriemur, & hoc non ad inſipientiam nobis. Nam huiuſmodi gloria, *Galat. 6.* *Eſa. 14.* *Pſal. 21.*

Et { Vanas ſæculi conſolatiunculas auferet: Mentis triſtitias dulcorans leniet, Debitum exoluet. }

Nos enim *in cruce gloriari oportet*: Et hoc ex multiplici cauſa, ſcilicet,

Propter { Ablata mala, Collata bona, Reſerata ſignacula clauſa. } Gaudemus .n. quãdo { Euadimus mala. Acquirimus bona. Inuenim' noua deſiderata. }

Paſſio autem Domini, *ab omnibus nos malis*

eripuit,

eripuit , ſecundum illud ,

Paſſio contracta, culpam, pœnam, tulit acta.

Id eſt tulit contracta , originalia & actualia peccata, tam quoad pœnam; quàm quoad culpam . Quàm ergo debes gratulari, cùm vides te à tantis malis liberari?

Contulit item ſecundo Chriſti paſſio *omnia bona*. Nam

Gratia fertur, gaudia dantur, cuncta reducit.

Id eſt reus reuertitur in gratiam; exul in patriã; homo redit in dignitatem priſtinam . Enumerauimus ſuprà aliquos fructus Dominicæ paſſionis in verſibus ſub titulo portionum de lana, quos hic poteris rememorari ſi voles. Tãtis igitur dotati bonis , cum ſponſa læti decantemus illud Cantic. 1. *Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum*.

Tertio gratulandum eſt propter reſerata ſignacula, quæ ante erant clauſa: Nam & ob horum reſolutionem gaudium magnum fuit in cælis, vt Ioannes ait in Apoc. c. 5. Sunt autem hæc ſeptem ſignacula, vniuerſalis veritatis notitia, Et iuxta Bonauenturam, *in paruo bono*, pulcherrimè deducta.

Septẽ ſignacula quæ ſoluit Agn⁹ in Apocalyp.	Deus admirabilis quia, ſumma	Sapientia . Iuſtitia . Miſericordia.
	Spiritus intelligibilis, quàm	Benigni angeli. Crudel. dæmones Nobiles animæ.
	Mundus ſenſibilis, quia in eo	Cæcitas. Sterilitas. Impietas.
	Paradiſus deſiderabilis, prõptuarium plenum.	Gloriæ . Lætitiæ. Opulentiæ .
	Infernus horribilis, plenus	Egeſtate. Vilitate. Calamitate.
	Virtus laudabilis, quàm	Speciosa. Precioſa . Fructuoſa.
	Reatus culpabilis, qui indigeat tã	Grandi pretio, Magno piaculo, Difficili medicamento.

In iſtis mira & abundans offertur contemplandi materia, tantum ſi quis vacare volet ad hęc videnda.

Quid Deus ac animus, cælum mundus, quid & orcus.
Virtus, peccatum, reſerat tibi paſsio Chriſti.

ET NOTANDVM circa ſuperiora mẽbra , quod homo in ſingulis articulis poterit conſiderare, quòd ſingula Chriſtus paſſus eſt, ob ſingularia mala noſtra tollenda, & ob ſingularia bona conferenda, & ſpecialia aliqua documenta reſeranda. Verbi gratia : Velatus eſt Chriſtus. Quare? Certè vt oculorum curioſitatem auferret, & pro ea ſatisfaceret ; & te de aſpectu horrendo dæmonum eriperet: Sic ergo abſtulit mala; Velatus eſt etiam, vt conferret bona. Quæ? Vt, ſcilicet oculos mentis reuelaret; velum cordis auferret, & te reuelata facie ad Dei gloriam ſpeculandam perduceret , &c. De omnibus ſic.

In magno autem *ſtimulo amoris* ponitur, quod in Chriſti paſſione,

Gaudere debemus, pro
- Redempt. humana,
- Reſtauratione angelica.
- Clementiã diuina.

Quæ habentur illic , ſub quarto capitulo pulchrè proſecuta; vnde & remittimus ad ea illic inquirenda. Gaudens igitur gaude in Domino, & exulta in Deo ſalutari tuo. *Eſa. 61.*

Debet autem hæc exultatio, vt ritè fiat fieri,

Cum
- Vanorum gaudiorũ abrenunciatione:
- Mentis in Chriſti paſsionibus vera exultatione;
- Laudis iubilo, & cantici decantatione.

Vt ſcilicet *primo* cum Paulo dicas, *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*, alia contemnendo. *Secundo* cum eodem Gal. 6. *Nos autem gloriari oportet in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, in quo eſt ſalus, vita & reſurrectio noſtra. Tertio* cum Propheta, laudem dic *Eſa. 63.* ſuper omnibus quæ fecit tibi Dominus : vt *Exod. 18.* tanquam verus Iſrael per Chriſti paſsionẽ de manibus inimicorum liberatus , carmen Domino lætabundus decantes , vt ſic verè cum Pſal. canere poteris, *Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ*; Et vt ſic ſit *vox exultationis & ſalutis in tabernaculo tuo*; & iuxta Apoſtolum cantes, & pſallas in corde tuo. *Pſal. 118. Pſal. 117. Epheſ. 5.*

Habes enim in Domini tui paſſione omne motiuũ, propter quod aliquãdo inuenitur canticum aliquod decantatum: Nam per hanc,

Cum
- Iſrael, traduceris, & liberaris.
- Delbora, vincis & triumphas.
- Iudith, Holofernem occidis;
- Matre Samuelis, fructu imprægnaris;
- Prophetis, donis, & ſanitate repleris.

Quia itaque oportet vt cantes , ne Deo ſis ingratus: Poteris igitur ſuper ſingulis articulis iubilum tibi inſtar Bernardi conficere , & carmen canere dilecto Patrueli tuo. Ad quod deſeruiunt loci laudis , donec perducaris ad iubilum, quem ſola docet vnctio, & noſcit experientia. *Eſa. 5.*

Latabunda exultatio, eja mea anima:
Libro clauſo reſerato, mortuis Chriſti victima:
Mira pandit crux, intrato in plagarũ intima.

Gaudium dilatatio eſt cordis: corde autem dilatato, rectè ſequitur,

§. 7. *Gradus ſeptimus.*

LIqueſactio, DE QVA Cãt. 5. *Anima mea liquefacta eſt* &c. Quã vt in nobis cauſaret Dei filius tanta & talia fecit, quibus, qui nõ liqueſcit, verè duriſſimi cordis cenſeri poteſt . *Volẽs ſiquidem nobilem creaturam* (vt Bern. ait) *reparare; ſi, inquit, inuitum coegero, aſinum habeo, non habeo hominem* &c. *Vt ergo habeam voluntariũ, terrebo eum; ſi fortè cõuertatur & viuat: Et comminatus eſt acerbiora, quæ excogitari poſſunt , tenebras æternas, vermes immortales , ignẽm inextinguibilem; Cùm autem nec ſic homo reuocaretur, ait: Non ſolum timidus; ſed etiam cupidus eſt, promittã ei, quod potiſſimum delectabile: Promiſit ergo omne bonum* &c. *Videns autem quod nihil proficeret, vnum inquit reſtat adhuc : Ineſt homini* XLV.

non ſolũ timor & cupiditas; ſed & amor, nec quicquam in eo vehementius ad trahendum eum: Venit igitur in carne, & tam amabilem ſe exhibuit: vt illam nobis impenderet charitatem, qua maiorem nemo habet, vt animam ſuam daret pro nobis Ioann. 15. O quam qui conuerti noluerit merito audiet: *Quid debui tibi facere, & non feci?* &c. Eſa. 5. Fecit tam multa, paſſus eſt tam acerba, potiſſimum eam ob rationem, vt ſe nobis exhiberet amabilem, & noſtrum ſibi alliceret amorem. Teſtatur hoc Deuteron. c. 4. Vbi poſt enumerata beneficia ſubnectit, *Et nunc audi quid Dominus requirat à te; niſi vt diligas eum.* Eya igitur cordis liquefactioni inſiſtamus, & præſertim in omni articulo, ad huius conſecutionem enitamur; Sic enim viui-

Eſa. 38. tur, & in hac conſiſtit vita noſtra: Quam, vt aſſequamur, debemus attentius attendere eam charitatem, ex qua paſſus eſt paſſionem; Nam teſte Auguſtino beatiſſimo, nil adeò cuipiam in eius paſſione conſiderandum, quemadmodum ardor illius chatitatis, Hoc enim & Deo gratius, vtilius, & dulcius nobis. Attende ergo.

Quod	Pater,	ex charitate	Filio ſuo non pepercit.
	Filius,		Seipſũ tormentis expoſuit.
	Spiritus ſ.		Hæc omnia effecit.

Et totus liqueſce; dũ totam vides per charitatem tibi ſuccurrere Trinitatem. Nihil enim poteſt in ea eſſe actione diuiſum, vbi nil eſt voluntate diuerſum. Vnde & iuxta Papam Leonem, miſericordia Trinitatis diuiſit ſibi opus noſtrę redemptionis: vt Pater propiciaretur, Filius propiciaret, Spiritus-ſanctus igniret.

DE PRIMO, id eſt Patris dilectione, filius ipſe penes Ioannem teſtimonium reddit, dicens,

Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* O attende verba, ſigna myſteria; Verba pauca, ſed myſterijs turgida. Ibi enim ponuntur nouem valida dilectionis paternæ argumenta. *Primo* perſonæ amantis dignitas, Deus, non Imperator terrenus; non ſpiritus Angelicus; ſed quo maius nihil eſt, aut melius. *Secundò* in modo, actus dignitas ibi, *ſic dilexit*; Omnium enim bonorum principium & cauſa, eſt amor ille Paternus. *Tertium*, dilecti indignitas, quia *mundum*, id eſt

Pſal. 18. hominem, *Domine, quid eſt homo, quia memor es eius* &c. Chryſoſt. Dilexit altiſſimus cinerem; Dominus optimus ſeruum inutilem; diues pauperem; nobilis & magnus, miſerum & vilem; fortis impotentem; beatus infœlicem: O amorem! *Quartum* muneris dati nobilitas, quia *vnigenitum filium ſuum*; Verè exhibitio operis, probatio eſt dilectionis. Verè granditer dilexit, qui tam grande donum dedit. Grande foret dare *filium*; maius *ſuum*; ſed maximum eſt *vnigenitum*. Dedit enim filium, non agnum aut bouem; non ſeruum, aut Angelum; ſed Filium: & talem Filium; Dedit Filium ſuum, non alienum; verè ſuum nimium dilectum, de quo ipſe dat teſtimonium dicens Matth. 3. *Hic eſt Filius meus dilectus.* Dedit & vnigenitum, cuius eſt & tota hæreditas, in quo reſidet, & totus amor Patris. Cùm enim ſunt plures filij, paternus amor diuiditur, ſed vnigenito infunditur totus; O ergo nobile donum, datori coæquale, coæquum & conſubſtantiale. *Quintum* dati irreuocabilitas, Ibi *daret*: Non mutaret, non cambiret, & non venderet; ſed gratis & liberaliter daret, nullis meritis exigentibus, aut redhibitione ſperata. Magnum fuiſſet, ſi Deus Filium mundo oſtendiſſet; vt petiuit pſal. 79. dicens, *Oſtende nobis faciem tuam.* Maius, quod in mundum miſiſſet; vt deſiderauit Moyſes Exodi cap. 4. *Obſecro Domine; mitte quem miſurus es*; Sed maximum, quod eum dedit. Et ita dedit; in omnem ſcilicet deſiderabilem vſum: Naſcendo quippe in ſocium & fratrem; prædicando in exemplum & doctorem; conueſcendo in edulium; moriendo in pretium; regnando in præmium. *Sextum* eſt mali euitabilitas, ibi *non pereat:* Niſi enim Filium illum dediſſet, triplici morte genus humanum interiſſet & periſſet; ſcilicet morte corporis, peccati mortalis, perpetuæ damnationis. *Septimum*, boni adhuc obtinendi vtilitas, *Sed habeat vitam æternam*: Non vegetantem cum plantis, quæ deficiunt; non animalem, cum brutis; non humanam mortalem, cum viatoribus; non dæmoniacam cum damnatis, ſed Angelicam; ſed diuinam quodammodo, & verè vitam ęternam, *Octauum* eſt recipientium generalitas, ibi, *Omnis*. Nam pauper & diues, ſeruus & dominus, fœmina & maſculus, ſenex & paruulus, ſimplex & gnarus, peccator & iuſtus, infidelis & Chriſtianus, poteſt recipere donum datum. *Non enim eſt acceptor perſonarum Deus*, dixit beatiſſimus Apoſtolorum Princeps, Act. 10. *Nonum* eſt pretij & meriti modicitas: ibi, *Credit in eum.* Quid enim his actibus internis, fide ſcilicet & dilectione facilius? Nec enim exigunt ſanitatem & diuitias; non labores vel amicos &cæt. Sed ſola ſufficit per gratiam tracta voluntas. Hæc de explanatione verbi illius Euangelici ſecundum Ioannem Nyder.

Quid ergo retribuam tibi, ô Pater æterne, ſuperne, & interne, qui ſic mundum dilexiſti, & proprio Filio non pepercisti; ac per hoc, nec tibi-ipſi, quoniam illum, vt te dilexiſti, & tamen tam dilecto non pepercisti; ſed nobis omnibus illum dediſti, & ſic dediſti? In mundum illum miſiſti, moleſto illo duræ iuſtitię tuę mandato onerasti, quo ipſe Sacerdos in ſeipſum hoſtiam duram & crudelem ſacrificantis iuſtitię gladium exerceret & conuerteret, ſeque ipſum tibi pro nobis ſacrificaret, mandaſti. In eo iniquitates omnium *Eſa. 53.*
poſuiſti, illum tradidiſti, percuſſiſti, dereli- *Ioan. 3.*
quiſti, abieciſti, in finem obliuiſci voluiſti; *Pſal. 88.*
tu talis, tantus, pro nobis talibus, tantillis. O *Matt. 27.*
viſcera paterna! vt ſeruum nequam ſuſcitares à morte, ſanares à morbo, quæreres abiectum, redimeres venditum, ſolueres vinctum, eriperes captiuum, errantem reduceres, ſaluares periclitantem, mundares

ſordidum,

Digitized by Google

ſordidum,iacentem ſublimares; Filio non pepercisti. O,gratias tibi,verè ex operibus patet mihi magnitudo dilectionis. Verè nunc noui, quod diligas me, quia vnigenito tuo non pepercisti pro me. O mira charitatis dilectio: vt ſeruum redimeres Filium tradidisti, &c. Verũ iam noſco vnigeniti tui verbum, quo dixit, ipſe Pater amat vos; licet ſit grande dictu, & creditu durum. Quis enim, niſi expertus,crederet,quod tantus,tales, tantopere, non diligeret ſolum; ſed & amaret?Hæc de dilectione paterna.

Iob 16.

XXXVII. Attendenda eſt etiam relucens in opere noſtræ redemptionis charitas, quam exhibuit ipſa charitas, Spiritum ſanctum loquor. Is enim eſt ſpiritus ille bonus, benignus & beneuolus,hilaris,liberalis & largus,dulcis, ſuauis,amabilis,qui vt nos ad charitatem inflammaret, vt ſua charitate noſtra adamantina pectora liquefaceret; hæc eadem omnia ſua charitate effecit. Ipſe Charitas Patris & Filij, ad hæc agenda ab æterno corda intrinſecus tangens commouit. Ipſe per ora omnium Prophetarum, per innumera ſimulachra rerum, Filij Dei aduentum prænunciare,promittere, ac præfigurare non deſtitit; vt ſic per multa millia annorum, magnis & miris multiplicatis oraculis,intelligentias ad fidem erigeret,& affectus per viua deſideria inflammaret. Ipſe filium miſit, ipſe & ſuper eum in omni plenitudine gratiæ, & donorum requieuit; oleo dulcedinis agonistico præ cunctis vnxit. Pauperibus *euangelizare miſit, annunciare annum placabilem,vinctis redemptionem*, &c. In deſertum duxit,expulit,egit,præſentauit, tradidit: vt à diabolo tentaretur: & vt paucis multa complectar, omnia ſacrata myſteria, ſua ipſe charitate expleuit. O igitur ſpiritum dulcem, ô ſpiritum ſuauem,ô verè amabilem,& ſpiritum amandum! Talis eſt tua charitas, qualis ipſe,quia tua eſſentia eſt tua charitas. De hac charitate diuina latius agetur infrà, Quæ poterit hic memorari.

Pſal.44. Eſa 61. Matt. 4.

XXXVIII. SED iam ex quali *filius ipſe patiens* charitate ſingula paſſus ſit, videamus: Quæ licet ſit inexplicabilis; pauca tamen balbutiendo ſunt commemorãda ipſa: Dilexit enim nos Filius, & paſſus eſt pro nobis,

Ex charitate {
Æternali,
Liberali,
Vtili,
Singulari,
Conuenienti,
Vehementi,
Perſeueranti.
}

Hęc proſequamur,applicãdo ad Filium; nam infrà agitur de amore totius Trinitatis in cõmuni; Et paucis ſingula tangemus: vt liquefiamus. PRIMO inquam paſſus eſt ſingula ex *amore æternali*. Inquantum enim Christus Deus dilexit nos ante mundi conſtitutionem,vt dicitur ad Epheſ.1. & ſic non habet initium neque finem; Inquantum autem homo ab inſtanti conceptionis nos dilexit, & diliget in finem, ita quod verè poterit dicere illud Hieremiæ 31. *In perpetua charitate dilexi te,propterea attraxi te miſerans.* O retracta hunc amorẽ.

SECVNDO dilexit nos amore *liberali & gratuito*, nullis noſtris meritis præuijs, aut ſui commodo ſperato: Quippe, *qui bonorum noſtrorum non eget*. Pſal.15. Hinc Oſee 14. *Diligam eos ſpontaneè*, id eſt, nullo merito motus. *Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos; ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit.* O Tit. 3.
ſuauitatem, ô gratiam omnis amoris. Summus omnium factus eſt imus; impaſſibilis eſt plurima paſſus: Nec cauſa de hoc dati poterit,niſi quia dilexit nos.

TERTIO, amore *vtili*. Omni enim tempore,quo nobiſcum fuit in omnibus, quæ pro nobis pertulit,noſtrum commodum quæſiuit; noſtræ vtilitati prouidit Petrus Act. 10. *Qui pertranſiuit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo*. Ante numerabis ſtellas cæli, quàm vtilitates paſſionis Chriſti.

QVARTO amore *ſingulari* & ſpeciali: Plenus enim gratia & veritate fuit. In cognitiua vi, illuminatiſſimus, in latitudine mentis cõſtitutus,ſciens & noſcens ſingulos,ſecundum omnes circunſtantias,pro quibus pati debuit; & ex amore voluit. Et ita ſingulariter quemque dilexit, vt pro quoque in ſingulari eadem quæ pro omnibus paſſus eſt, & ſi conueniret libenter pati deberet. Et ideo(ſecundũ Chryſoſtomum) debet quiſque ſibi hoc beneficium attrahere, quaſi pro ipſo ſolo ſit factum, exemplo Apoſtoli, qui dicit Galat. 20. *Quod enim nunc viuo in carne, in fide viuo Filij Dei, qui tradidit ſemetipſum pro me*. Hoc dicebat non coanguſtare volens ampliſſima, & per totum orbem terræ diffuſa Chriſti munera; ſed quaſi pro omnibus ſe iudicauit obnoxium. Et reuera, quid intereſt ſi & pro alijs paſſus ſit, cum fructus ita integer tibi proueniat,quaſi nulli alij ex eo fuerit datum? Hinc etiam in parabola dixit; vnam quętendam ouem, non multas,&c. Vna namque eſt, quia Luca 15.
ſic omnibus, quaſi vni beneficia confert.Hinc quidam,*Forte quiſpiam dicet, Non pro me ſolo; ſed pro omnibus Chriſtus paſſus eſt.Dico inquit tibi, quod ita ſingulariter Chriſtus pro te Ioanne, Petro, Baſilio, &c. paſſus eſt,quaſi ſi ſolus fuiſſes, qui peccaſſes, omnia hæc pro te ſolo paſſus fuiſſet. Si non credis mihi,audi*(inquit)*Auguſtinum.Dicit enim, Si Chriſtus filius Mariæ tot habuiſſet membra, quot ſunt ſtellæ in firmamento cœli, & quodlibet membrum haberet proprium corpus, prius omnia membra ad patibulum crucis tranſfixiſſet; quam vnam animam ex parte ſui, non redemptam in tormentis reliquiſſet*. O vere ardorem intenſum,ô charitatem ſingularem.Hinc etiam (vt dicit Sanctus Thomas in libello de æterna beatitudine)quælibet anima in Regno cælorum paſſionem Chriſti totam pro ſe ſola reputabit factam, ita quod cum Apoſtolo dicet. *Me dilexit, & tradidit ſemetipſum pro me.* Gal. 2.
Hinc, & Vbertinus ait. Meritum Chriſti plenè,& integrè;immo & ſuperabundè ſatisfecit diuinæ iuſtitiæ, non ſolum pro toto humano genere in communi, ſed etiam pro quolibet homine in ſingulari. Et non ſolum,&c. vt ſupra dictum. Et ideo dicit per Amos prophetam: *Tantummodo vos cognoui, de omnibus cognationibus terræ*. Et in Deuter. *Elegit te Deus*, Deut. 14.

Cant. 2. *vt ſis ei populus peculiaris.* Et in Cãtic. *Dilectus meus mihi, & ego illi.*

QVINTO dilexit amore *debito, & conuenienti:* Puta *amore recto,* habendo rectum reſpectũ non ad ſuum commodum; ſed ad honorem paternum. Item *amore diſcreto,* diligens in homine naturam, & odiens culpam: Vnde & naturam noſtram aſſumpſit, & vt prudens apes, Eſa. 7. ſciens eligere bonum, reprobareq́ue malum, culpam vitauit. Item *amore dulci,* ſapienti, & forti: vt Bernardus in Sermone de diuerſis.

SEXTO dilexit *amore vehementi:* Vnde ait, Ioan. 15. *Maiorem dilectionem nemo habet* &c. O verè amorem ardentem, ô charitatem vehementem! Probatio quippe vehementis amoris, eſt vehemens exhibitio operis. Quæ opera ipſe dat in argumentis amoris, in libro gratiæ ſpiritualis dicens: S. Mechtildis. *Si vis vehementem amorem agnoſcere, debes illius charitatis rememorari, quæ me de ſinu Patris traxit, triginta tribus annis tibi ſeruire fecit, & quæ me venundari permiſi, & me totum tibi cibum & potum reliqui. In quo vltimo conuiuio, cythara & organum per dulciflua verba fui.* Secundò recorderis *qualem ego ſponſus iuuenis, poſt conuiuium illud, choream duxi, cùm tribus vicibus in terram procidens, quaſi tres ſaltus feci tam validos, quod ſudore totus madens, guttas perfudi ſanguineas.* Tertiò memoreris amoris humilitatis meæ *id oſculum ſponſæ; cùm Iudæ oſculum dedi: In quo oſculo cor meum tantum perſenſit amorem, quod ſi pœnituiſſet, animam eius in ſponſam, per oſculum illud aſſumpſiſſem. Tunc & omnes mihi copulaui, quos ab æterno ſpõſas prædeſtinaui.* Quartò *recoles qualia aures meæ ex amore ſponſæ audierunt epithalamia; cùm ſtans coram iudice tot audiui falſa teſtimonia, & blaſphema verba.* Quintò recorderis, *quàm decenter me ob tui amorem ornaui; cùm toties veſtimenta mea mutaui, alba, purpurea, coccinea, & ſerto roſeo; ſpinea, ſcilicet corona; chirotecas bene perforatas habui, quando me clauis transfodi permiſi.* Sextò memorare, *qualiter te ſum amplexatus; quando ad columnam fui ligatus.* Septimò recorderis, *qualiter thalamum crucis ſum ingreſſus: vt ſicut ſpõſi veſtes ſuas dant hiſtrionibus; ita veſtimenta mea dedi militibus, & corpus meũ crucifixoribus; & tam gaudenter & amanter in eam inſilij, quod nunquam ſponſus in lecto eburneo aut ſerico, amantiſſimæ ſponſæ ſociandus ſic accelerauit. Deinde brachia per duriſſimos clauos in amplexus extendi, ſeptem cantilenas miræ ſuauitatis, in thalamo amoris decantaui. Et poſt hæc cor meum ad introeundum tibi aperui; cùm ſomnum amoris tecum moriens in cruce cœpi.* Hæc ibi. O verè vehementem amorem! De quo & altera in Chriſti perſona dicit. *Tam vehemens dilectionis charitas in me exarſit, vt nullus ſitiens tam feruidè delectabiliſſimum potum deſiderauit, aut moriturus vitam cunctis mortalibus optandam affectauit; ſicut ego ſitiui ex amore pati, & ſaluos facere peccatores, & eis me amabilem exhibere. Facilius dies præterita reiterabitur, flores ab initio mundi areſacti reuireſcent, pluuiarum guttę innumerabiles colligerentur; quàm*
XLI. *æſtimari poſſet vehementia meæ charitatis.* Hæc ille.

SI IGITVR, ô homo, non credis verbis, vel credas operibus, quæ ſunt indicia vehementis amoris, quæ tametſi vehementia ſint, & grandia nimis; collatione tamen æſtuantis interni ardoris, non ſunt niſi vt typus & pictura ad rei veritatem. Hæc cor illud vulnerauit, vt vel modicè ardorem cordis nobis oſtenderet. Verè igitur duri & indurati, & diri filij Adam, quos tanta benignitas non emolliat; tanta flamma & ingens ardor amoris, tam vehemẽs amator, non accendat. Certè ſi non plus dilexiſſet te, quàm ſe, nunquam impendiſſet ſe pro te.

SEPTIMO dilexit amore perſeueranti & finali: dicit enim Ioan. *Cùm dilexiſſet ſuos,* &c. Ioan. 13. *in finem dilexit eos.* O in finem! *In finem* conſummantem, non conſumentem. Sic dilexit quod ex quo diligere cœpit quòd nunquam à diligendo, quantum in eo fuit ceſſauit. Per latitudinem mentis actualiter ferè nobis ſemperintendit. Vide ergo ſi poteris, quanta ſit Ephes. 3. longitudo, latitudo, ſublimitas & profundum huius charitatis, & cùm non poteris ad eam, redamare ſtudeto.

Et vt exceſſus huius amoris magis tibi pateat, quis, quales, quantum, & cur amauerit attende. Illo nihil maius aut melius, cui omnis ſpiritus confitetur; quoniam eſt Deus. *Quales* amauit Paulus exponit: *Cùm adhuc inimici* Rom. 5. *eſſemus, reconciliati ſumus Deo. Quantum* amauit, nullus æſtimare ſufficit: O tu fortiſſime Samſon, intantum amaſti mulierem non te Iud. 16. amantem, ſed perſequentem: vt eius amore ſapientia tua ſtulteſceret, fortitudo infirma fieret. Quid ergo gratiæ? quid amoris tibi amatori rependam, qui me *in charitate perpetua dilexiſti,* miſerans attraxiſti domum, hæreditatem reliquiſti, tanquam viator declinans ad manendum, & quaſi colonus apparuiſti, domũ Iſrael tibi agglutinaſti? Ier. 31. Iere. 12. Iere. 14. In terris videri, & cum hominibus conuerſari non dedignari voluiſti; languores noſtros tuliſti, vniuerſa opera tua nobis operatus, peccatis noſtris ſeruiſti; noſter mediator, Euangeliſta, Angelus, Sacerdos, & omnigena hoſtia fieri cupiſti, & factus es; dilectam in manus inimicorum dediſti pro nobis animam; animum, ſpiritum poſuiſti; & te in omnem deſiderabilem vſum cum omnibus tuis mihi plenè dediſti. Bar. 3. Eſa. 53. Eſa. 43. Iere. 12. 1. Ioan. 3. O, gratię tibi. Debet hæc liquefactio fieri per conſiderationem, æſtimationem, incitationem, & optionem.

O liqueſcam vi feruoris, amans te ſponſaliter,
Videns fontem te amoris paſſum quàm pœnaliter:
Quo affectu me dulcoris, trahis ſingulariter!

Et quia cor liquefactum vnioni eſt aptum, ideo ſequitur,

§. 8. *Gradus octauus.*

VNio amoroſa; DE QVA Paulus, *Qui adhæret Deo; vnus ſpiritus eſt cum eo.* Et Dominus: *Volo Pater, vt vnum ſint,* &c. Et eſt hic XXXIX. 1. Cor. 6. Ioan. 18. ſummus gradus, & finaliter in prioribus intentus; vnde & diligentiſſimè exercendus. Et hoc, quia hæc vnio,

Eſt	Principaliter à Chriſto intẽta.	quia	Pro ea Chriſtus orauit:
	Dignitas maxima,		Per hanc homo fit Deus;
	Vtilitas nimiũ fructuoſa.		Tali nil obeſt.

PRIMO, inquam, conandum eſt ad hanc vnionem, quia hæc eſt à Chriſto in omnibus principaliter & finaliter intenta: Nam ideo omnia egit, vt ſe nobis amabilem exhiberet, vt dictum eſt: & ſic noſtrum erga ſe amorem alliceret, & nos ſibi vniret, & in patrem per ſe deduceret. Hinc ex mundo receſſurus, tanquam omnium laborum præmium exorans, dicebat, *Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo,* &c. *vt ſint vnum ſicut & nos.* Et rurſus, *Tu Pater in me, & ego in te: vt ipſi in nobis ſint.* Itaque hanc & nos tanquam finem noſtrum appetamus, & niſi illam obtinuerimus, non quieſcamus; Adeò enim & in Deum (teſte Bernardo) conditus eſt animus rationalis, vt ad ipſum ſit conuerſio eius, & ſit bonum eius. Vnde ſicut omnia particularia entia, naturali conatu tendunt ad ſuum perfectibile, vt in eo perficiantur: ſicut ignis ſurſum; aqua in mare, & quod de terra naſcitur redit ad terram; ſic etiã omnis anima rationalis, ſciens quod à Deo exiuit, ad Deum redire debet.

Ioan. 17.

Ibidem.

SECVNDO ad hanc contendere debemus, quia eſt dignitas maxima. Apoſtolus enim ait: *Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo.* O dignitas ſtupenda! fit homo amore Deus: ſicut Deus amore homo; diſpari tamen modo: Cùm enim anima eſt Deo vnita, tunc fortior vincit minus fortem, id eſt Deus animam attrahit, quodammodo in ſuæ, & vitæ, & nominis ſanctitatem; vt ſicut ipſe eſt Deus naturaliter; ſic talis homo vnitus ſit nuncupatiuè, & dicatur Deus, iuxta illud pſal. 81. *Ego dixi dij eſtis.* Et quod talis vnio ſit poſſibilis, patet *per figuram*; quia columba in huius typum reuertitur ad Noe in Archam; patet *per naturam*, quia condita eſt anima ad Deum; patet & *per ſcripturam*, quæ crebro tangit eam. Fit ergo homo per hanc Deus. Bernardus, Quomodo ſtilla aquæ multo infuſa vino, deficere à ſe tota videtur, & ſaporem vini induit, & colorem; & quomodo ferrum ignitum & candens igni fit ſimillimum, priſtina exuta forma; ſic omnis in ſanctis humana affectio, quodam ineffabili modo à ſemetipſo liqueſcens, in Dei transfertur voluntatem, & fit homo quodammodo Deus.

1. Cor. 6.

Sanè tamen hoc intelligatur, de modo ſcilicet vnionis illius, qua homo quodammodo fit Deus; propter plures hinc confictos ab imperitis errores, vt ſublimiter Ioannes Gerſon in ſuo tractatu ſuper Magnificat, ſtudioſè annotauit quædam.

EST ITEM hæc vnio TERTIO appetenda, quia eſt vtilitas in ea ſumma; Ex hac enim omnia opera noſtra, cùm Deus ea in nobis operetur, nimium nobilitantur, & gratiſſimè acceptantur. *Secundo* ex hac omnia Chriſti opera nobis pleniſſimè communicantur, eius potentia roboramur, ſapientia illuſtramur, meritis ditamur: Ita quod illud Thobiæ rectè poterimus dicere, *Bonis omnibus per eum repleti ſumus; Tertiò* ex hac omnia noſtra obſequia alleuantur: Deus enim nobis vnitus, portat nobiſcum labores noſtros, ſed & nos ipſos. Vnde Deut. 1. *Portauit te Deus tuus, vt portare ſolet homo paruulum in ſinu ſuo.* Et Oſeæ 11. *Ego quaſi nutritius portabam eos.* Et ideo noſtrum obſequium vocat *iugum*, dicens Matt. 11. *Tollite iugum meum ſuper vos.* Quis ergo non iã ad hanc aſpiret? quis non conetur? *Verè mihi adhærere Deo bonum eſt.*

Thob. 12.

Semper ergo dum paſſionem meditamur, in fine omni conatu ad hanc vnionẽ aſſequendam nos reflectamus: Ideo enim paſſionem Chriſtus finaliter pertulit, & ob eum finem etiam à nobis meditari debet. Qualiter autem ad hanc vnionem perueniatur, multi multa ſcripſerunt, & varios gradus poſuerunt.

PONIT Bonau. in *paruo bono* ſeptem gradus vnitiuos iſtos, ſcilicet,

Vt	Vigilãtia te ſollicitet,	propter ſpõſi	Prõptitudinẽ. *Anima mea deſiderauit.*	Eſa. 26.
	Cõfidẽtia te cõfortet,		Certitudinẽ. *In te Dom. ſpe. non conf.*	Pſal. 30.
	Concupiſcẽtia te inflammet,		Dulcedinem: *Quẽadmodum deſiderat* &c.	Pſal. 30.
	Excellentia te eleuet,		Celſitudinem: *Suſpendium elegit.*	Iob 7.
	Cõplacẽtia te quietet,		Pulchritudinem. *Ecce tu pulcher es.*	Cant. 1.
	Lætitia te delectet,		Plenitudinẽ: *Quàm magna mul. dul. tu.*	Pſal. 30.
	Adhærẽtia te cõglutinet.		Fortitudinẽ: *Quis me ſeparabit.*	Rom. 8.

Tradunt alij alios gradus, & plura ſubtilia de hac vnione: vt Gerſon ſuper Magnificat, & in myſtica Theologia.

SED TV, vt ad ſummam dicamus, ſi hanc aſſequi voles oportet

Vt	Media inter te, & Chriſtũ amoueas.	per paſſionis memoriam	Fortiſſimam.
	Aſſiduè pijs aſpirationib. hãc exoptes,		Continuam.
	Omnia opera paſſioni vnias, & pro ea ores.		Digniſſimam.

Primò neceſſe eſt, vt *media remoueas*, quę ſũt volũtas propria, amor & inhæſio ſenſibilium, inconſideratio ſpiritualium, & huiuſmodi.

Secundò oportet indeſinenter cum Auguſtino pro hac aſpirare, & cum Bernardino ſuſpirioſè exclamare, *Domine Ieſu fac me ſentire, quã immenſo me amore amaſti, Da mihi te amare ardenter, tibi adhærere ſemper*, & ſic de alijs. Et cum Ioanne Herp. O amantiſſime Ieſu, vtinam dignus inueniar, vt anima mea tuo dulciſſimo fruatur amplexu; immo & tu in ea, & ipſa in te Vicario amplexu recreetur: vt ſic eius tepiditas ab immenſo tui amoris incendio valenter incaleſcat. O vita vitæ meæ, te totum deſidero, me totum offero, totum toti vnicum vnio. O vtinam impleatur in me illud oraculũ tuum, *Rogo Pater, vt ſint vnum, ſicut & nos vnũ ſumus*, ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnum. Hæc ille.

Ioan. 18.
Ioan. 17.

Oportet item aſcẽdere per ſeptem illos vnitiui amoris gradus, quos Spiritusſanctus ſparſit in Canticis, per quos ſponſa aſcendit, velut
Cant. 3. *virgula fumi per deſertum*. Qui licet ordinatim non ponuntur; tamen quemadmodum in cœlo ſydera, in arenis ſaphyri, & carbunculi, in agris flores à Spirituſancto ſparguntur, & noſtro labori & exercitationi ordinando relinquuntur. Et ſunt iſti, ſcilicet,

Deſiderare: Et eſt bonum abſens cupere: vt,
Cant. 5. *oſculetur me oſculo. Veniat dilectus meus. Veni dilecte mi*, &c.

Cant. 1. *Quærere:* Et eſt in illud poſſidendum tendere; vt, *per vias & plateas quæram, quem deſiderat anima*, in omni opere dilectum quærens.

Diligere, eſt bonum ipſum propter ſe quærere:
Cant. 8. *Dilecte mi, apprehendam te*, quia ſolus ſufficis mihi propter te.

Amare, eſt vitaliter, totaliter, & finaliter, totis viribus & neruis diligere. Recti diligunt te.

Amore languere, eſt grauiter abſentiam amati
Cant. 2. perferre: vt, *Annunciate dilecto, quia amore langueo.*

Amore vulnerari ad mortem, eſt mortali vulnere languere, & nullam aliam conſolationem; niſi de præſentia amati ſuſcipere: *vt vulnerata*
Cant. 4. *charitate ego ſum.*

Beata requies. Totaliter in amato per vnio-
Cant. 3. nem *requieſcere: Tenui eum nec dimittam. Adiuro vos ne ſuſcitetis.*

Deſidero, quærens te diligo, poſt amo totus:
Corde adamo, languens, amo vulnera, tuta quieſco.

De tertio autem, quo ſcilicet vnienda ſunt omnia opera noſtra Chriſti vitæ & paſſioni, plenius deductum eſt: Fiet ergo hic gradus per contrariorum abrenunciationem, & per obſecrationem, &c.

Stringe, ſponſe vnitatis, me diuinis nexibus,
Vinctum vinclis charitatis, animi exceſſibus,
Cunctis in te transformatis internis affectibus.

MEMBRVM III.

Gradus terminatorij.

O*Mne ſacrificium ſacerdotum igne conſumetur.* Leuit. 6. QVONIAM omnis perfectio à fine ipſo & nomen ſortitur & laudem; dignum eſt, vt quemadmodum bono exordio meditatio eſt inchoata, & bene proſecuta; ita & bono fine terminetur. Incaſſum enim bonum bene agitur; ſi non fine congruo & bono conſummetur. Et ideo ſequuntur duo gradus concluſorij, quemadmodum fuerãt duo præparatorij.

§. 1. *Gradus nonus, & primus ſignatorius.*

O*Blatio obſecratoria.* DE QVA Pſal. 4. *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ.* Et eſt plurimum neceſſaria hæc: Nam (teſte Hugone) meditari, legere, orare, eſt quemadmodum ſemen iacere; ſed hæc offerre, eſt quemadmodum ſemen
XLI. iactum operire. Quiſquis igitur nolit iactum ſemen à volucribus diripi; ſed graui velit ſegete ire, ſtudeat id Deo in fine offerre. Et eſt hęc oblatio, qua iam Deo vnitus, meditatorium ſacrificium illi ſacrifices, teque in viuam hoſtiam offeras Deo, & pro rebus tibi neceſſariis & debitis obſecres, ſub hac vel conſimili forma. Suſcipe clementiſſime Pater Domine Oratio.
Deus, hoc meditatorium ſacrificium paſſionis Domini mei Ieſu Chriſti, quod in vnione omnium ſuarum reuerentiarum, charitatis, obedientię, paſſionum, tibi in hac vita ab ipſo exhibitarum, & in æternum exhibendarum, tibi ego vilitatis abyſſus, cum omni eo quod ſum, & poſſum in tempore, & in æternitate offero; præſertim in vnione articuli huius N. à me iam meditati, ad tuam & ipſius laudem, gloriam, & benedictionem perpetuam; in pleniſſimam ſuper beneficijs gratitudinem; in omnium Sanctorum honorem; in totius eccleſiæ profectum: vt in purgatorio exiſtentes liberentur, peccatores conuertantur, iuſti in gratia conſeruentur; præſertim omnes mihi in orationibus commiſſi, tanto ſacrificio iuuentur.

Per hanc { Hoſtiam, victimam, / Decimam, primitiam.
Per hoc { Pacificum, ſacrificium, / Holocauſtum, incenſum.

Da mihi omnium & ſingulorum peccatorum meorum veniam; emendãdi vitam meam gratiam; concupiſcentias malas deuincere; in veris virtutibus proficere; pręſertim te in hoc articulo N. imitari; vt ſic tibi conformis merear tecum glorificari. Amen. Sic Eccleſia poſt miſſam offert; ſic & Anſelmus poſt habitas meditationes in ſuo ſtimulo oblationem facit, dicens: Reſpice Domine ſancte Pater de ſanctuario tuo excelſo &c.

Sed quoniam aliquoties graduum ſacrifi- XLII.
ciorum meminimus; ideo plenius pro eorum intelligentia ſunt pauca annotanda. *Et in primis ſciendum*, quod perſpicienti officinam legalium librorum, varia offeruntur genera, aut ſpecies oblationum, de quibus grandis & grata poſſet fieri, & fœcunda materia diſputationum & deuotionis. Illic enim eſt audire nunc hoſtias, nunc victimas, nunc oblationes, aut munera, vota quoque, & ſpõtanea &c. id genus multa. Quæ omnia, oblationum ſpecies, extento nomine, dici poſſunt; ſed non ita ſacrificiorum. Octo enim (ſecundum quendam Doctorem Hebraicæ atque Græcæ linguæ peritum) ſunt genera ſacrificiorum, ad quæ facilè reliqua inflectuntur: Et ſunt Hoſtia, Victima &c. Quæ varij variè explicant, tenui ratione plerumque nominum innixi; ſed nobis prout paſſim in veteris inſtrumenti pagina diffiniuntur, ſunt paucis ſcalariter, & ſub clymace exequenda, vt exercitio applicentur. Crebrius tamen in Scripturis ſuffunditur, & confunditur differentia horum, & hoc plerique incuria interpretum; vt ſuper Leuitico Eſichius dicit, & vt Vallenſis cum ſtomacho, in correctorio ſuo profitetur.

Hoſtia, victima, vel decima, ſic primitia ſunt.
Pacificum, ſacra ſunt, holocauſta, incenditur omne.

Hoſtia eſt propriè pro peccato; vt in Leuitico

tico deducitur; cuius pars altera comburebatur, altera in vſum Sacerdotis cedebat: Et huic acceptationi congruit illud vulgare, Hoſtia pro hoſtibus. Nil enim tam animæ hoſtile & inimicum, vt peccatum. VICTIMA pro impuritate & imperfectione: Et huic quadrant omnia illa genera expiationum Leuiticarum, quæ pro contracta immunditia, etiam ſine culpa fiebant. DECIMÆ quæ dabantur in recognitione dominationis: Sic inferiores ſuperioribus: Omnes autem Deo decimas dabant, in ſignum & profeſſionem ſubiectionis. De quibus ſæpius mandatur à Domino, præſertim in Exodo cap. 23. PRIMITIÆ quæ offerebantur in beneuolentiam donationis Dei, & in gratitudinis vicem. De quibus pulchrè agitur in Deuteron. cap. 26. Quomodo ſcilicet in harum oblatione profiterentur beneficia ſuſcepta &c. PACIFICA, quæ pro pace & vnione adhærentiæ Dei dabantur. Quæ (iuxta Rabbi Salomon) ſic dicebantur, quia pacem faciebant, reddendo cuilibet, quod ſuum; ſcilicet Deo, Sacerdoti, ſibi ipſi. vnde eius tres fiebant partes: vt patet Leuitici 3. SACRIFICIA, quæ ſacra religione Deo reddebantur, & quæ ſanctificabant, quæ propriè ſoli Deo ſunt reddenda: Vnde & omnis gens ſuos Deos ſacrificijs colit; vnde dicitur, *Sacrificium & libamen Deo*, ſcilicet ſoli: vt propter multa deducunt. HOLOCAVSTA, quæ integrè Deo offerebantur, & totaliter cremabantur: Vnde *holocauſtum* quaſi totum combuſtum, Græco vocabulo dicitur. *Holon* enim Græcè, Latinè totum eſt, & cauſtum combuſtum, quia totaliter incendebatur,

In { Honorem maieſtatis,
Amorem bonitatis,
Signum ſtatus perfectionis.

Et ſic ſolus maſculus, qui perfectior eſt, immolabatur. INCENSVM quod penitus igne feruet & ardet, è quibus nil, ne cinis quidem, remanet: vt thus in thuribulo; De cuius oblationis ritu agitur in Exodo cap 30. Et concurrit, vt dicunt expoſitores, cum *thymiamate*. Et *thymiama* Græcè, Latinè dicitur incenſum. Et eſt perfectior hoſtia in odorem ſuauitatis. Hæc breuiter perſtrinximus de generibus ſacrificiorum ſcalariter poſitis, cætera ſtudioſis reſeruantes; hoc dicentes, quod hoſtiæ hæ legales, carnales, cruentæ & externæ, ſine internis mentalibus nil proderant; immò execrabiles Deo adeò erant, vt diceret, *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum?* &c. *Incenſum abominatio eſt mihi*. Et plura in alijs.

Eſa. 1. SED & hoſtiæ ipſæ mentales & internæ nō iuſtificant in iudicio Dei, quippe cùm omnes iuſtitiæ noſtræ ſint velut pannus menſtruatæ; Sed Dominus Ieſus Chriſtus Sacerdos noſter in æternum; gratificat has hoſtias noſtras cruentas & menſtruatas, vna conſummatæ iuſtitiæ hoſtia ſua, id eſt ſeipſo: qui nobis omne hoſtiarum genus ſe exhibuit nobis perfectiſſimus ſacerdos, & perfectas hoſtias afferēs. Fuit igitur & ipſe hoſtia pro peccatis noſtris, quip-
Eſa. 53. pe in quo poſuit Deus iniquitatem omnium noſtrûm, & pro nobis peccatum eum Pater fecit: & ipſe obtulit ſe pro peccatis; Et victima ſanguine expians maculas mentis, & lepram luridam contactu placido fugitans. (Heb. 7.) Primitiæ ipſæ noſtræ, calicem illum accipiens pro omnibus, quæ retribuit Deus. (Pſal. 115.) Non decimas tantum; ſed ſe totum impendens maieſtati. In ſanguine ſuo *pacificans ea quæ in cælis, & in terris*, (Coloſſ. 1.) ipſe factus pax noſtra; Sacrificium dignum Deo; Holocauſtum perfectæ oblationis; Et incenſum in odorem ſuauiſſimi odoris, non ſolum olfactibus ſpirituum ſummorum; ſed & dignum Deo incenſum. Cuius omnigenæ & digniſſimæ oblationi, ſi noſtras menſtruatas hoſtias acceptari velimus, vt vniamur oportet; iuxta quod Apoſtolus docet Heb. 13. *Per ipſum hoſtias offerentes ſemper Deo*; Et ſic ex coniunctione eius dignificabuntur, vt ſuprà eſt deductum.

Sectemur itaque hunc ſummum Sacerdotem noſtrum, contendamus perfecti fieri; velut Pater & Frater noſter iſte cæleſtis; & noſtra opera eius paſſionis hoſtiæ iungentes, omnigenas & nos hoſtias vno ſub opere offerre nitamur, practica ſub tali. Vt ſcilicet in omnium operum noſtrorum initio, aut ſaltem in diei ipſius primordio, intentionem dirigamus, quod omnia, & ſingula opera noſtra, in vnione conſummatæ illius & vnicæ ſummi Sacerdotis hoſtiæ agere velimus, & cum eo pariter omnigenas hoſtias offerre; & ideo ſingula operari, vt ſint ei in hoſtiam pro peccatis remittendis; In victimam pro cordis impuritatibus & imperfectionibus tollendis; In decimam recognitionis dominij; In primitias gratitudinis diuini beneficij. In pacificum vnionis cum Deo; In ſacrificium latriæ; In holocauſtum reſignationis perfectæ; In incenſum perfecti vnitiui amoris. Et auſim dicere, ſi ſic confeſſi fuerimus Domino in directione cordis noſtri, (Pſal. 118.) non fraudabimur deſiderijs voti noſtri; (Deut. 11.) ſed *quemcumque locum calcauerit pes deſiderij noſter erit*, & intentio acceptabitur à Deo. Hinc Gerſon inter regulas de intentione, in ſuo compendio, docet formare plures intentiones, alterutram ſub altera. Et alij quidam dicunt, quod multum referat, ſic vel ſic dirigere intentionem. Nam ſi in opere intendo ſolius peccati veniam, ſolam quaſi offero hoſtiam; Si ſolam gratitudinem, primitias ſolas reddo: Sed ſi omnia hæc ſimul intēdo, omnis generis hoſtias vno in opere exhibeo. Quod ſi intentionem neglexerimus, ſaltem in fine operum noſtrorum, ſub tali oratione opera noſtra offeramus, dicendo cum deuotario quodam, in fine horarum, meditationum, & operationum reliquarum.

O ſuperclementiſſime Pater, ecce hoc quantulumcunque laboris, ſcripturæ, meditationis, orationis &c. ſacrificium tibi offero, (Oratio.) in vnione accepriſſimi & ſummi Sacerdotis noſtri; quo fine, omnes noſtræ iuſtitiæ ſint vt pannus menſtruatæ, obſecrans, vt id ſuſcipias in hoſtiam pro meis, & totius eccleſiæ peccatis: In victimam pro putribilibus affectuum ſordibus expiandis: In decimas

pro feudaria recognitione vniuerſalis tui in me dominij, quo tibi ad omnia me obnoxium agnoſco; In primitias pro omnibus beneficijs vnquam acceptis; In pacificum pro vnione mentis meæ; immo totius imaginis tuæ, cum te Deo vino & vero; In ſacrificium, quod ſacrata religione & latria, tibi tanquam Deo principio, & fini debeo; In holocauſtum pro ardenti amoris dilectione debita, In incenſum pro conſummato & perfecto reſignationis amore.
Pſal. 140. O *dirigatur oratio*, operatio &cæt. *ſicut incenſum* ſummi illius Sacerdotis *in conſpectu*
Exod. 34. *tuo* &c. Amen. Qui tantis hoſtiarum generibus venit comitatus, non in conſpectu Dei apparet vacuus.

Captes Pater paſſi nati, quam delibo, victimam,
Noxam mei ob peccati, & donorum copiam;
Defunctorum paupertati dans æternam gloriam.

Et quia parum prodeſt plura meditari; niſi inde vitam ſtuduerimus emendare, ſequitur,

§. 2. *Gradus decimus.*

XLIV. REflexio *mentis ſuper ſe.* DE QVA Dominus ait Marc. 8. *Quid proderit homini ſi vniuerſum mundum lucretur, anima verò ſuę detrimentum patiatur?* &c. quaſi dicatur, Quid proderit pro alijs obtuliſſe; ſi non applicuerit ſibi? Ergo ſerioſius eſt hic gradus exercendus: Et eſt, qua à monte meditationis deſcendens, te admoneas & cohorteris,

Vt { Meditata per imitationem, opere & veritate impleas: In feruore ſpiritus concepto, infatigabiliter permaneas; Omnia diei opera in vnione meditati articuli peragas. }

Deinceps quoque oportet,

Vt { Propoſita & intentionem innoues; Vitam ſecundum verum exemplar IESV immutes; Habitaculum columbinum in vulneribus IESV fabrices. }

Inſtar ſcilicet *columbæ in foraminibus petræ* ni-
Cant. 2. dificantis, quatenus ſic in Chriſto abſorptus, nil velle, intelligere, meminiſſe, niſi quæ ſunt Chriſti paſſi & crucifixi, nitaris; Alijſque occupatum iri, æſtimet mortem inexplicabilem, infernum horribilem, deſolationem intolerabilem; ſed *Chriſto in carne paſſo, ea-*
1. Pet. 4. *dem cogitatione ſemper gaudeat armari* &cæt. Sic habet reflexio fieri. Qualem modum reflectendi Gregorius ſatis familiarem habet, vt patet in fine Moralium Ezechielis, & homeliarum quarundam finibus. Quem etiam venerabilis Hugo in de tribus dietis apertè docet: vt eſt videre ibi. Eſt enim neceſſaria valde reflexio iſta finalis, quia complectitur fructum meditationum.

Poſtquam igitur homo meditationē compleuit, non ſe mox ad alia effundat; ſed ſeſe ſuper ſeipſum reflectat, quid egerit, quidve propoſuerit cogitet; & corda ſua ſuper itinera ſua ponat, vt ambulet iuxta meditata. Quod vt agere poſsit, neceſſe cum Bonauentura orare habet, & dicere,

DOmine Ieſu Chriſte, cor meum tuis vulneribus ſaucia, & mentem meam tuo ſanguine inebria: vt quocunque me vertam, te ſemper paſſum & crucifixum aſpiciam; vt quicquid aſpexero, mihi appareat tuo ſanguine rubricatum; vt ſic totus in te tendens, nihil præter te valeam inuenire, nihil niſi vulnera tua intueri; hæc mihi ſit conſolatio, tecum mi Domine crucifigi; & mihi ſit intima afflictio abs te aliquid meditari: à qua non quieſcat cor meum, donec te inueniat Deum ſuū, vbi cubat: ibi ſuum terminet appetitum. Amen. Oratio.

Itemque cum Auguſtino,

SCRIBE, Domine Ieſu, vulnera tua in corde meo, precioſo ſanguine tuo: vt legam in eis tuum amorem, & tuum dolorem; *Tuum amorem*, ad contemnendum omnem alium amorem præter te; *tuum dolorem*, ad ſubeundum omnem alium dolorem propter te. Amen.

Scala paſſionis ſecundum ferias diſtincta & abbreuiata.

CAPVT TERTIVM.

FAſciculus *myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*, Canticorum 1. QVONIAM in proſequendo gradus ſcalæ prolixi fuimus, & forſan ob id tędio, moleſto & torpido lectori: ideo his, qui plura legere, aut meditari non potuerint, condeſcendendo, circa ſingulos gradus ſeptem tantum ponimus meditabilia, per ſeptenarium dierum diſtincta: quæ tamen ſatis ſunt lata & copioſa volenti ſcrutari ea. Quod potiſſimum eas fit ob cauſas; ſcilicet ne iuniores multitudine deterreantur, ne in incertum vagi agantur; ſed ſemper omni die in promptu habeant, quæ circa Domini paſsionem, ſecundum ſcalam iam poſitam, meditari & conſiderare debent. Nullus igitur ſuper multitudine cauſetur, dum breui faſciculo ſuperiora ferè omnia colligantur.

Notandum autem circa ſcalam iſtam ſequentem, de practica & modo eam exercitandi. Super quo ſciendum, quòd poterit homo in ea (quemadmodum & in cæteris meditationibus) exerceri,

Aut { Simpliciter commemorando: Soliloquio, } procedendo. Dialogo, }

Per modum inquam *ſoliloquij*, quo anima ſibi loquatur, & ad ſeipſam dirigat meditationem: ſicut Gerſon in de mendicitate; Aut per modum *dialogi*, quo vel homo cum CHRISTO ipſo paſſo ſermones miſceat: quemadmodum auctor horologij æternæ ſapientiæ facit: Aut certè cum ſancto

aliquo, ſuper Chriſti paſſione colloquatur; puta interrogando à Virgine Beata; vt Bernardus in planctu, & Anſelmus; Aut cum Angelo proprio, vel aliquibus Sanctis, quali modo quidam Carthuſienſis in meditando procedit.

Porrò hic inter hos modos videtur conuenientior, quo mens magis Chriſto vnitur, & Deo fit intimior: vt ait vir quidam non contemnendæ auctoritatis. Qualis videtur dialogicus proceſſus cum Deo, quia in eo mens immediatè fertur in Deum; Sed non voto viuitur vno.&c.

Notandum inſuper quod hæc ſcala poterit bene comprehendi, ſub generali illa meditatoria ſcala: vt eſt ſupra tactum. Nam præparatorij gradus & terminandi, continentur illic ſub gradibus exordialibus, & finiendi: vt patet; Gradus autem iſti procedendi omnes poſſunt ſub conſiderationis gradu comprehendi; Nam omnes iſti gradus diſtinguuntur ſecundum varias conſiderationes. Si enim conſideras aggrauantia, fit compaſſio; ſi exempla, fit imitatio; ſi mirabilia, fit admiratio &c. Vnde patet quod, qui volet magis immorari, poterit ſingulis iſtis gradibus omnes illos gradus iudicij & affectus applicare.

Scilicet { Dijudicando quã ei compatiendum. / Quærulando quod non compatitur, &c.

Scala paſſionis IESV CHRISTI abbreuiata.

	Excuſſio Paſſionem itaque Dominicam meditaturus, te primum diſponere debes tripliciter; ſcilicet corporem excutiendo; à diſtractione recolligẽdo; fructibus paſſionis te alliciendo.	*Commemoratio* Deinde, de paſſione Dominica commemorare debes ea, quæ euangelica narrat hiſtoria, figuris & ſcripturis conſona; conſideratione varia; & exiſtimatione pia.	*Compaſſio* Tertio circa meditata, per memoriam & intellectum; debes te exercere per compaſſionis affectum, qui eſt gratus, &c. Quod fit præcipuè ſi videris vigilanter patientis perſonam, quo ad eius qualitatem;	Item ſi perpendas aggrauamentorum paſſionis varietatem;	*Imitatio* Non enim omninò aut parum placebit Deo cõpaſsio in affectu; niſi ſequatur & imitatio in effectu; quæ eſt Deo accepta, nobis glorioſa, nobis neceſſaria.
FER. 2.	*Ecce placet* Primo, ſummè nos inducere debet ad paſſionis Chriſti meditationem, quia Deo & Sanctis placet; & eſt gratiſſimũ adeo; quod acceptius eis penè nihil facere poſſimus.	*natura* Eſt autem ſub hac commemoratione actuanda fides de quidditate patientis; & primo quoad humanitatis veram naturam; quia verus homo veram naturam habens carnem, &c.	*ortus* Primo, quoad eius originem, quia eſt nobiliſſimus, complectens in ſe omnes nobilitatis cauſas, decor vniuerſæ carnis.	*cauſa hac* Primum aggrauans eſt, cauſa efficiens; illi ſcilicet qui paſsionẽ intulerunt, nam Pater hũc ſemet, Mater, Draco, Iuda, Iudęus.	*ſed obedit.* Imitari autem debemus modũ, quem in paſsione tenuit, & primo, quia erga ſuperiorem; id eſt Patrem, obedientiſsimè ſe habuit.
FER. 3.	*Præcepit* Secundo, quia hic ab eo præceptum & inſtitutum, qui ſui commemorationem fieri iuſſit; & miſſa celebratur, vt Chriſti mors recolatur.	*nomen* Secundo, quoad denominationem variam, quia dicitur lux, brachium, lignum, via, ſtella, leo, lapis, agnus.	*natur.* Secundo, qualis ſit, attende quoad naturam, quia ſenſu viuaciſſimus, complexione tenerrimus; corpore & anima pacificus; & totus eucraticus.	*pœna* Secundum fuit, pœna inflicta, & affligens, quia generalis, multiplex, diuturna, puriſſima, & acerba.	*ac patienter.* Secundo, patienter, erga tortores, & tormenta ſe habuit, inter quę nec os aperuit; ſed ſicut ouis coram tondente &c.
FER. 4.	*Suadent* Tertio, quia in ſcripturis, & ſanctis ſuaſum; quibus vnum hoc conſilium; & ſcriptura ferè per omnem ſui decurſum ad hoc hortatur.	*officium* Tertio quoad officium, & dignitatis ſtatum. Angelus, hoſtia, Rex, paſtor, iudexque, Sacerdos.	*vita* Tertio, qualis conuerſatione, & vita; quia ad Deũ ſanctiſſimus; ad proximum innocentiſsimus; gratia plenus; & omni virtute perfectiſsimus.	*aſtant res* Tertium eſt, res circumſtans. Ipſe locus, ſitus, & tẽpus, ſocius, genus aſtant; locus ciuitatis Hieruſalem; tempus Paſchale; ſitus crucis, genus mortis &c.	*ſed amanter.* Tertio, charitatiuè, quoad proximum, quia maiorẽ dilectionem ſic oſtendit, dum animam ſuã etiam pro inimicis poſuit.

Digitized by Google

Scala paſſionis IESV CHRISTI abbreuiata.

Gratiarum actio.	*Admiratio*	*Exultatio*	*Liquefactio*	*Vnio.*
Merito ergo gratiæ agendæ, & hoc, quia tam penoſa ſuſtinuit; tã præclara exempla reliquit, affectum imitandi dedit, & præſertim propter fructus paſſionis ſubſcriptos.	Qui volet ad admirationẽ ſ moueri, conſideret patientis immenſitatem, tormentorum, & modi qualitatem; eorum pro quibus, & à quibus, vilitatem.	Nam pauperes homines Iſrael in Deo exultabunt propter ablata mala; collata bona; reſerata ſignacula.	Vt liqueſias, attende; quod ex magna charitate Pater Filio non pepercit; Filius ſe tormentis expoſuit; Spiritus ſanctus hæc omnia effecit.	Hæc vnio diligentiſſimè optãda, quia eſt à patiente CHRISTO principaliter intenta; dignitas maxima, vtilitas fructuoſa.
Viuificat	*dominans*	*Deus*	*æterno*	*vigilanter.*
Primo, gratias ages, quia ſua morte te viuificauit, ſecundo quia aſpicientes ſanat, tertiò quia iram paternam placat, quæ in cælis, & quæ in terris ſunt pacificans.	Primò, admirare quod immẽſus vniuerſali dominio, qui omnibus præſidet, libero iure dominatus; vt ſeruus ſubjicitur & humiliatur.	Potiſſimè exultandum propter ſignacula ſeptem per Chriſti paſſionem reſerata, quorum primum eſt Deus admirabilis.	Primo, amorẽ illũ ex quo Chriſtus traditus, & paſſus eſt, attende: Nam amore æterno, ſecũdum illud, in charitate perpetua dilexi te.	Graduum, quibus ad vnionem aſcenditur, primus eſt vigilantia te ſollicitãs; propter ſponſi promptitudinem, vt dicas, Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo,
Sanctificatq;	*potens*	*Sathan & mens*	*gratui*	*fidens.*
Quartò, quia te ab omni peccati ſorde purgatũ ſanctificat: quintò ad ſpiritualem pugnam excitet, ſextò quia contra mundum, carnem, & diabolum armat.	Secundò, quod omnipotens, qui omnia quæcunq; voluit fecit &c. cuius nomen omnipotens; vt impotens afficitur tormentis, infirmatur & vincitur.	Secundo, ſignaculo ſoluto, apparet ſpiritus intelligibilis ſecundum differentiam triplicem; ſcilicet quantæ ſit benignitatis, crudelitatis, dignitatis.	Secundo, ex amore gratuito, nullis noſtris meritis, præmiis, aut ſuo cõmodo ſperato, aut incommodo vitando, dilexit enim nos ſpontaneè.	Secũdus gradus eſt, confidentia confortãs, propter ſponſi certitudinem, vt poſcere, In te Domine ſperaui, non confundar. Item, In Deo ſperaui, & adiutus ſum.
Ducit	*hic immenſus*	*mundusq;*	*bone*	*cupias hunc.*
Septimò, per mare huius mundi ducit; Octauo, virtutem dæmonum debilitat; Nono illuſtrat, aperiens ſeptem ſignacula.	Tertio immenſus & incircumſcriptibilis, cuius magnitudinis nõ eſt finis, attingens à fine in finem: vt terminabilis ſuppliciis terminatur.	Tertio, mũdus ſenſibilis manifeſtatur per crucẽ, quoniam eſt locus tenebrarum in quo regnat cęcitas, ſterilitas, impietas.	Tertio ex amore bono, & vtili nobis: In omnibus quæ pertulit, noſtrum commodũ quæſiuit, noſtræ vtilitati prouidit.	Tertius gradus eſt concupiſcentia inflammans, propter ſpõſi dulcedinem: vt dicas, Quemadmodum deſiderat ceruus. Nunciate dilecto meo, quia amore langueo. Dilecte mi apprehend.

FER. 5.	*Iuſtum* Quartò, quia dignum & iuſtū, vt tantum beneficium nobis exhibitum, vel ad mentem reducamus; extremus enim gratitudinis gradus eſt, accepti beneficij reminiſci.	*commune.* Quarto, quantum ad diuinitatis communia, quia eſt eſſentia prima, natura perfecta, vita beata.	*pœna* Quarto, qualis fuit in pœna, quia mitiſſimus, patientiſſimus; intus, & extra, totus tranquillus.	*praſcita* Quartum eſt, præcognitio, quia omnia ſuper ſe ventura pœnalia præcognouit; omnia peccata cōmittenda, & commiſſa, & multorum ingratitudinem.	*ſeuere* Quarto, ſeueriſſimè erga ſeipſum in nullo parcendo ſibi; ſed dedit dilectam animam ſuam in manus inimicorum ſuorum, corpus, ſanguinem, &c.
FER. 6.	*Eſt opus* Quintò, quia ſummè neceſſarium; quia non amplius proderit adultis CHRISTI paſsio, niſi quantum applicata fuerit meditatione pia; ſed & viuitur in (& non ſine) ea.	*hoc proprium* Quinto, quantum ad Deitatis propria, quia filius, & Verbum ſimilis ſpecies vel imago.	*bona fama* Quinto, qualis fuit quoad famam, quia inclytiſsimus, & nominatiſsimus habebatur, vt doctor, medicus, mirus & propheta.	*obiectaq;* Quinto, obiectorum doloroſorum multitudo, quia doluit de Patris offenſa, de matris triſtitia &c.	*largè* Quinto liberaliſſimè, quoad omne genus humanum, in cuius vtilitatem ſe totum expendit, res, corpus, & animam.
SABB. *Apoc. 22. Cant. 5. Iob 40.*	*Vtile & eſt* Sexto, quia vtile & commodoſum: verè enim eſt lignum vitę afferens duodecim fructus & vtilitates meditanti; ſi tamen deuotionis dentibus fuerit ritè attritum.	*propriata* Sexto, quantum ad appropriata. Verus tu, ſapiens, pulcher, virtus, bona vita.	*ac proxima* Sexto, qualis ad attinentiam; quia verè tibi amandiſsimus, & totus deſiderabilis, frater quippe tuus, caput, ſponſus, & amator, omnia tibi factus.	*pulſio* Sextum, impulſio fortis; nam impellebant ad triſtitiam, iuſtitia, & æquitas diuina, ſapientia, amor, & charitas immenſa.	*prudens* Sexto, prudentiſſimè, quoad aduerſarium, cui diuinitatem occuluit, & quaſi hamo Leuiatan cœpit.
DOM.	*Glorificans* Septimo, quia poſt hanc vitam, & quandoque in hac vita, præmiatorium, liberans à pœna, & gratiam atque gloriam augmentans.	*operans* Septimo, quantum ad opera, es medians, reparans, ſaluans, medicanſque beator.	*perfectio* Septimo, attende, qualis ſit ſecundum diuinitatem, certè ineffabilis, in ſe omni perfectione perfectus, quippe qui & æuo æternus, fœlicitate beatus, atque perfectio ipſa, æternitas, fœlicitas,	*compatitur* Septimum fuit plurium compaſſio, quæ fuit multiplex, nam compatiebatur humano generi; ſibi-ipſi, Virgini Matri; omnium electorum gregi.	*ſtans* Septimo, perſeueranter; ad finale complementum; in finem enim vſque perſeuerauit, & completo ſacrificio, Conſummatum eſt dixit.

	Dulcorat	*fœlix*	*cælum*	*ſingulariter*	*altum.*
Iere. 12. Gal. 2. Cant. 1. Iob 7.	Decimo, dulcorat aquas tribulationis, vndecimo, obumbrat contra æſtum tẽtationis; duodecimo, informat per exemplum.	Quarto fœlix, imò & fœlicitas atque beatitudo ipſa; cuius participatione omnis beatificatur; hic, vt miſer, tormentatur.	Quarto manifeſtatum eſt cœlum, vel Paradiſus deſiderabilis, quod, ſcilicet eſt faſtigium totius gloriæ, ſpectaculum lætitiæ, prõptuarium opulẽtiæ.	Quarto, amore ſingulari pro ſingulis ſpecialiter ſua perferens tormenta, ſecundum illud, Qui dilexit me &c.	Quartus gradus eſt, excedentia eleuans propter ſponſi altitudinem: vt dicas, Trahe me poſt te &c. Suſpendium elegit anima mea.
	Nos reuocans	*anne*	*infernus*	*congruit*	*optet.*
Cant. 1, Eſa. 53. Eſa. 7.	Decimotertio reuocat à culpa, attritus eſt propter ſcelera noſtra, quarto decimo ornat ſanguis eiꝰ, decimoquinto inflammat ad diligendum.	Quinto, æternus, ſine principio, qui & permanet in æternum; imò æternitas ipſa, atque incommutabilitas; vt temporalis & mutabilis moritur.	Quinto, infernus manifeſtatus eſt horribilis, quod eſt, plenus egeſtate, & penuria, vilitate & ignominia, calamitate & miſeria.	Quinto, amore congruo, & conuenienti; recto ſcilicet, & diſcreto; dulci, ſapienti, & forti, ſciens reprobare malum, & eligere bonum.	Quintus gradus eſt, complacentia quietans, propter ſponſi pulchritudinem; vt poſſis dicere, Ecce tu pulcher dilecte mi; Sub vmbra illius &c.
	Hinc honor	*eſt ſapiens*	*virtus*	*vehementia*	*latus*
Eccli. 1, Ioan. 15, Pſal. 63.	Decimo ſexto, honorat imitatores eius; decimo ſeptimò, dat pacem inter Deum & hominem; decimo-ſeptimo, poliat infernum.	Sexto, ſapientia Dei Patris, fons ſapientiæ, verbum in excelſis, cuius ſapientiæ non eſt numerus, à quo ſapientia omnis, vt ſtultus deſpicitur.	Sexto, manifeſtata eſt virtus laudabilis, quantum ſit pretioſa, ſpecioſa, fructuoſa.	Sexto, amore vehementi & magno; maiorem enim charitatem nemo habet, &c. Cuius vehementis amoris argumentum eſt, talis paſſionis perlatio.	Sextus gradus eſt, lætitia delectans, propter ſponſi plenitudinem, vt poſſet dicere, ſecundum multitudinẽ dolorum meorum in corde meo. Quã magna multitudo dulced.
	Vt reparet	*pulcher*	*vitium*	*conſtanter*	*adhærens.*
Pſal. 41. Eſa. 53, Ioan, 13. Pſal. 72. Rom. 8.	Decimonono, reparat Angelicam ruinam, vigeſimo, dat gaudia cæli, vigeſimo primo tutatur ab inferno, & purgatorio.	Septimò, pulcherrimus ipſe, increata pulchritudo, ſpecioſus præ filijs hominum; decoloratur, vt non ſit ei ſpecies, neque decor.	Septimo, manifeſtatus eſt reatus culpabilis, quoniam ad ſui remiſſionem neceſſarium fuit tã magnum pretiũ; grãde piaculum, difficile medicamentum.	Septimo, amore conſtanti, & perſeueranti, in finem diligens ſuos; nunquam à diligendo in medijs tormẽtis ceſſauit.	Septimus gradus eſt, adhęrentia conglutinans, propter ſpõſi fortitudinem, vel charitatem; mihi adhęrere Deo bonum eſt. Quis nos ſeparabit à charitate.

Varia Roſaria de Paſſione Domini IESV.

CAPVT QVARTVM.

I. STatue tibi ſpeculam, ſume amaritudines. Hierem. 31. POSTPOSITAM ſcalam, quæ tradit modum ad paſſionem Domini meditandam; ſubnectenda ſunt aliqua Roſaria ad legendum: vt, ſcilicet qui meditari non poterit, aut cùm non libuerit; ſaltem ſubiuncta punctula per modum Roſarij cum *Aue Maria*; vel potius cum *Aue benigne Ieſu* legat. Et *in primis* præmittuntur quædam Roſaria de Dominica paſſione *in generali*; *ſecundo* de quibuſdam articulis *in ſpeciali*. Roſaria *generalia* traduntur, ſecundum quod variè poterit ſe homo exercere circa ipſam paſſionem Domini in genere. Quidam enim tam ſunt inſcij, & beneficiorum Dei ignari, vt nec hiſtoriam noſcant Dominicæ paſſionis, & ne hi tamen fructu eius priuentur, traditur his vnus exercitandi modus in Roſario primo, à quo nemo ſe poterit, quantumuis rudis, excuſare; ad membra ſcilicet Chriſti, quod dicitur *Mens, vires* &c. Sunt autem & alij prioribus magis illuminati, qui ſcilicet hiſtoriam noſcunt; ſed illi conſiderando inhęrere nequeunt: Vnde opus habent integrè eam commemorare, quia vni articulo nequeunt immorari; Et illis deſeruit Roſariũ *egreſſus*, ſupra in Monoteſſaron poſitum. Sunt poſtremò alij in omnibus acutiores, qui res proſpiciũt vſquequaque: Et his valet Roſarium conſideratorium, ſcilicet *principium*, *Deus* &c. In quibus abundans eis offertur materia meditandi, vt patet.

MEMBRVM I.

Exercitatio primi Roſarij ſecundum membra Chriſti.

PRIMO igitur, qui profunda conſiderare nequeunt, & qui Chriſti paſſionem ſecundum rem geſtam commemorare neſciunt; cõſilium Hieremiæ audiant, *Speculam ſibi ſtatuãt, amaritudines ſumant*, imaginem ſcilicet crucifixi ſibi præfigurant: Ibi diligenter vultum
Pſal. 83. Creatoris ſui agnoſcant; in faciem Chriſti reſpiciant, ſingula membra circumuoluant, & quanta Dominus pro eis paſſus ſit agnoſcant; dum à planta pedis ad capitis verticem inte-
Eſa. 1. grum nil repererint. Deuotè igitur ſingula membra ſalutent, & ſequens Roſarium legant. Nec eſt huiuſmodi exercitatio contemnenda, quoniam à magnis viris, puta Bonauentura, Bernardino, & huiuſmodi frequentata. Nam qui acutius hic proſpicere velit, latam & deuotam contemplandi materiam inueniet: Poterit enim circa membra ſingula haberi conſideratio triſaria; Poſſunt enim conſiderari quantum

Ad { Decorem & commendationem: / Actus, & paſſionem; / Exẽpli exhibitionem. } vt ex gloſſula interlineari.

Et per ſingula poteſt homo obſecrare, vt ſua membra decorentur; & peccata per ea commiſſa deleantur; prout Dominus docuit Mechteldin.

Primo, inquam, poterit homo contemplari hæc Chriſti membra, quantum ad decorem, ſcilicet natiuum & commendationem, qua in Scripturis, & à Sanctis efferuntur; & ex huiuſmodi contemplatione debet incitari ad horũ reuerentiam & venerationem.

Secundo, poterit ea conſiderare, quantum *ad actus & paſſionem*; vt ſcilicet ſtudioſè conſideret, quid in ſingulis membris Chriſtus egerit, vel pertulerit; & exinde debet incitari ad gratiarum actionem.

Tertio, poterit ſingula Chriſti membra attendere, quoad *Exempli exhibitionem*, & ex hac debet niti ad conformationem: Quam vt aſſequatur, debet per ſingula obſecrare, vt ſua vitia per ſua illa membra à ſe commiſſa deleantur, & vt eis in virtutibus poſſit configurari.

Huiuſmodi exercitationes circa membra Chriſti habere, pulchrè docuit Dominus Mechteldin, dicens, quod ſingula eius membra lucent nobis velut ſpecula: Vnde & ſe laudari voluit per ſingula eorum lineamenta, docens etiam quomodo in ſingulis exponere debeamus vitia noſtra contraria, & orare pro horum extirpatione.

Et notandum, quod Roſarium iſtud tria in ſumma tenet: *Primo*, habet Chriſti membra; *ſecundo*, eius ornamẽta, puta paſſionis inſignia; *tertio*, varia continet medicamenta, ad ſananda omnium peccatorum vulnera. *Primus verſus* continet membra, aut (vt ſanius loquar)
potentias internas, reliqua externa; Et fiet de II.
his quædam executio infra. Et non debes attendere crucifixi tantum membra; ſed & ſitum horum; quomodo ſcilicet diſpoſita ſint & extenſa. Eſt enim & conſideratio talis, multum deuota.

ATTENDE ergo, quod habet caput inclinatum ad te deoſculandum; brachia extenſa ad amplexandum; manus apertas ad remittendũ; corpus expoſitum ad ſe totum impendendũ; pedes infixos ad tecum commanendum; latus apertum, ad te in illud intromittendum. Age ergo anima, eſto ſicut columba nidificans in foraminibus petræ, in cauernis maceriæ; peruola manus, peruola pedes, inuola lateri, ibi enim tota requies, ibi ſecura quies &c.

Porrò ornamenta ponuntur triplicia; ſcilicet Pontificalia, Sacerdotalia, & Regalia, quibus ipſum (quippe qui verus ſecundum ordinem Melchiſedech Sacerdos, & Rex Regis filius erat) coronauit impia mater ſynagoga. Egredimini igitur ô filiæ Syon, & videte Regem in diademate, Pontificem in cidari; imò in
omni ornamento ſuo irriſorio dicentem, *Ecce* *Pſal. 109.*
Rex veſter. Sed pro corona regia, ſertum eſt illi *Luca 1.* *Cant. 3.*

corona ſpinea, pro torque aurea, colaphum habet ſine miſericordia; pro vexillo bellico, crucem cum titulo ſcripto &c. Patent ornamenta in Roſario. Sed attende victualia; Pro ſcypho, habet ſpongiam; pro lagena, acetabulum; pro vino, acetum; pro nectare, myrrham; pro medone, fel amariſſimum. Sed & vide quę ſit huius familia: Ab omnibus ſuis eſt derelictus, tanquam hoſpes & peregrinus; perdidit ſodales optimos, inuenit hoſtes peſſimos. Pro reddituario habuit furem; pro ſecretario traditorem; pro vexillifero Symonem Cyreneũ; pro cubiculario latronem nequam, qui exprobrauit ei; pro infirmario deriſorem; pro veſtiario ſpoliatorem; pro refectorario, fellis braxatorem; pro dormitorio ſepulchrum: pro lectulo, ſaxum durum in petra exciſum. Quis ergo in horum conſideratione non mouebitur ad compaſſionis affectum?

Ponuntur item *nouiſſimè* modi curationũ, aut medicamenta quibus nobis medetur, & quæ aſſumpſit pro ſalute noſtra. Vnde cum ſumma gratitudine & mentis deuotione re tractanda, & ideo intima deuotione, vnà cum ornamentis & armis, æque vt Chriſti membra veneranda. Quis enim ſeruus de dira captiuitate Domino propugnante liberatus, non haſtam, aut mucronem, ſeu cætera bellica arma, in quibus ereptus eſt, diligat, & amplectatur? Aut quæ mulier ſponſi acquiſita vulneribus, ſi forſan peregrè ijs abierit, non quotidie contrectet amoris eius, quod reliquit, pignus? Sic & anima fidelis, victricia arma Chriſti ſemper (vt Anſelmus ait) excolere habet, & infirmus complexari antidota quibus curatus. Nam & indulgentias ſuper horum rememoratione plures Põtifices contulerunt.

Et notandum, quod Roſarium iſtud legi poterit cum illa ſalutatione communi *Aue benigne Ieſu* addendo in fine, *Et ſanctiſſima anima tua ſemper ſit benedicta*; Aut vires, aut genua &c. variandum ſecundum verbum. Aut ad arma, poteris legere oratiunculam illam Benedicti Papæ in rithmo ſuo orantis, *Cuncta Chriſti armatura nos hic ſaluet, vt futura perfruamur gloria. Amen.*

Verſus vide ſupra poſt Monoteſſeron Gerſonis, in Sabbatho legendos: vt ibidem ſignatum eſt.

§. 1. *Proſecutio Roſarij præmiſſi, quantum ad internas potentias* CHRISTI.

B*Enedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius.* Pſal. 102. PRO qualicunque declaratione Roſarij ſuperioris, ſciendum, quod in primo verſu ponuntur *potentiæ animæ Chriſti*, quo eas benedicat anima noſtra cum omnibus quæ ſunt intra eã: Inſunt autem animæ rationali quinque, ſcilicet potentiæ, habitus, actus &c. præmittitur autem in verſu, & in primis benedicitur mens ipſa, in qua ſunt omnia iſta: Verè ſemper, & in æternum merito benedicenda, quæ ordine, & dignitate ſuperat in immenſum omnia creata, vt ſuprà in Sacramentali eſt declaratum. Benedicta igitur ſit, Domine Ieſu, tua Deiformiſſima anima, quæ in principio creationis, in inſtanti, verbo eſt hypoſtaticè vnita; omni gratia & veritate repleta; toto vniuerſo longè prælata; tam mei amans, quod pro me egit talia, & tanta, & expoſuit omnia ſua. O ſit in æternum benedicta, & vltra. Et per hanc tuam mentem ſanctiſſimam, reforma mentem meã deprauatam &c. Et poterit hic mens poni pro vi ſuperiori, & ſpirituali, quæ infra animam ponitur pro vi inferiori, & vita corporali, &c.

Vires animæ CHRISTI. *Notula I.*

SECVNDO benedicuntur vires, id eſt, potentiæ Chriſti omnes, quarum numeroſus eſt exercitus. Sunt enim in anima quauis

- Vires animæ
  - Vegetatiuæ
    - Nutritiua
      - Attractiua,
      - Retentiua,
      - Digeſtiua,
      - Expulſiua.
    - Augmentatiua,
    - Generatiua.
  - Senſitiuæ
    - Appreheſiuæ
      - Exterius
        - Viſiua,
        - Audituia,
        - Olfactiua,
        - Guſtatiua,
        - Tactiua.
      - Interius
        - Senſus communis,
        - Imaginatiua,
        - Æſtimatiua,
        - Memoratiua,
    - Motiuæ
      - Appetitus
        - Concupiſcibilis,
        - Iraſcibilis,
      - Exequutiua
        - Naturalis,
        - Vitalis,
        - Animalis,
  - Rationales
    - Intellectus
      - Agens paſſibilis,
      - Speculatiuus & practicus.
    - Voluntas
      - Affectiua, quæ dicitur voluntas,
      - Imperatiua, quæ libertas.

Hæc eſt diſtinctio Venerabilis Petri de Aliaco, quam proſequitur in ſuo Tractatu de Anima; ſed non hic de his ſeriatim agendum. Legatur ſuper potentijs animæ rationalis, Gerſon in de Myſtica Theologia; pulcherrima enim ibi ponit. Sed pro re noſtra iam applicandum.

Contempletur itaque mens Chriſto deuota, quam ſingulæ hæ animæ Chriſti vires fuerunt in natura perfectæ, per gratiam ſuperornatæ & Deiformes, & Deificę, iugiter Deo inhærentes. Contẽpletur quam ex viribus vegetatiuis tota natura eſt exaltata, quia per eas ad obſequium Dei ſummi admiſſa. Verè (teſte Propheta) *luxerunt ei ſtellæ cum iocunditate*, Baruc. 3. & omnia ei ſpontaneè obſecuta. Has itaque ſemper benedicamus.

Videat deinde, qualia ex viribus ſenſitiuis reliquerit nobis exemplaria diſciplinæ. Quis non dico ſcribere, ſed quis vel exprimere, imo quis

Digitized by Google

quis intelligere poterit, quàm ſenſus omnes externos & internos, ſub diſciplina habuerit
Pſal. 42. magiſter omnis diſciplinæ? O ſi vel ad momē-
tum videre datum fuerit, quomodo ſpecioſus
Pſal. 33. ille præ ſpecioſis omnibus hominū filijs, omnes diuinos illos ſenſus auerterit perfectè à malo, conuerteritque ad omne bonum! O ſi vel tenuiter capere poteris, quid in viribus illis apprehenſiuis, internis verſabatur, in quibus haud dubiè non niſi optima quæq; fuere.

Præterea ſenſuales vires, motiuæ, appetitiuæ, perfectiſſimæ fuerunt in eo; Nam iraſcibilis aduerſabatur omni malo; tendebat concupiſcibilis in omne bonum. Et has itaque benedicamus, & pro noſtrarum apprehenſiuarum vitium reformatione exoremus. Memineris etiam, quàm eum his paſſus, & quàm ex his ſeruierit tibi, & quanta contulerit bona. Motiuæ autem; executiuæ ſcilicet vires, vel ſpiritus naturales, animales & vitales, non tales quales noſtra anguſtia perpetitur; apud nos enim dū vna earum remittitur, intenditur altera, & è contra vna intenſa fit remiſſior reliqua: Iuxta illud vulgare. Dum vires naturales remittuntur, animales intenduntur, & è contra. Non ſic inquam non ſic in Chriſto; ſed ambidexter fuit in vtriſque, neutrius actus, vt creditur, obſtitit alteri, quippe poſito in latitudine mentis, qui & perfectus in animalibus & naturalibus non præpeditus. Oremus eum per hanc latitudinem ſpirituum vel virium eius: vt ſi in latitudine hac ſectari non poſſumus gygātem currentem; vel ſaltem ceu animales; ita in eius cultum extendamus, vt minus in nos potuerint naturales. Nec miraculo ſit cuiquā, quod Domino Ieſu latitudinem potentiarum animæ tribuamus, quæ multis viatoribus etiam communis fuit, vel ex parte conceſſa: vt poſſemus declarare; niſi prolixitas obſtaret. Habuit
3. Reg. 4. aliquantulam latitudinem mentis Salomon, *velut arena, quæ in littore eſt maris*. Conceſſa fuit ad horam Sancto Benedicto, dum ſub vno radio totum conſpexit orbem. Cyrus, Alexander, Petrus Bleſen. & quos ante dixiſſe debuiſſem, Origenes, & cæteri quique in hac participauere, quorum miræ fuere actiones, quæ ſecus non poſſunt ſaluari. Et hanc non excitatam, abditam vocat Auguſtinus animæ operationem.

SED iam ad *vires intellectiuas* veniendum. Quis autem, oro, harum perfectiones, quis item laudes, quis quas pro nobis pertulerint paſſiones, dignè poterit explicare? Verè non eſt qui poſſit ad hæc. Fuit intellectus innumerabilibus & luminoſis cogitationibus illuſtratus; quippe plenus omni veritate: vt ſuprà de Sacramento eſt declaratum. Memoriæ intellectiuæ obliuio nulla accidebat; ſed ſtabilis in omni bono, nunquam peccati næuo, vel tenuiter offuſcata.

Porrò quam Chriſti voluntas in omnibus perfecta, quam Dei & proximi dilectione, charitate, omnium item virtutum tapetis adornata; facilè innuitur, quia omni gratia ple-
Ioan. 1. nus erat, teſte Euangeliſta. Habes de gratijs Chriſti generalibus, ſingularibus &c. vt ſuprà. Sileat hic omnis lingua, hæc laus maxima erit, quod in laude ſe deficere, & ſuccumbere fateatur. Oremus quo noſtras reformet vires, & perficiat imaginem ſuam. Gratias agamus, quod nec ſupremis his ſuis viribus, à paſſione pro nobis pepercit. Verſabat obiecta doloroſa in memoria, conſiderabat noſtram ingratitudinem, paſſionis fruſtrationem; intelligentia compatiebatur; & nimium ſuper his æſtuabat voluntas illa inamorata. In omnibus eſt viribus paſſus: vt reformaret omnes. O gratias illi!

De habitibus. Notula II.

TErtio benedicendi ſunt *habitus illi* præclari, habituatiſſimæ animæ Chriſti, qui inclinant potentias ad actum. Et ſecundum quod triplices ſunt potentiæ, etiam triplices habitus in Chriſto eſt reperire,

Scilicet habitus { Senſuales, Intellectuales, Affectionales. } practicos, ſpeculatiuos.

O benedicti ſint habitus ſenſuales, qui omnem ſenſualitatem ad omne inclinabant bonum. Benedicti item habitus intellectuales, qui omnes perfecti in te fuere.

Et ſunt { Duo practici { Ars, Prudentia. Tres ſpeculatini { Scientia, Intellectus, Sapientia.

O dijudicet qui poterit, quàm hi perfecti in Chriſto fuere.

Poſtremo habitus potentiæ volitiuæ omnis eſt virtus moralis, quæ quam in Chriſto perfectæ non noſtræ eſt diſſerere linguæ. Quis enim Chriſto *prudentior* circa conſiliabilia? quis eo *iuſtior* circa communicabilia? quis circa terribilia *fortior*, aut *temperantior* circa delectabilia? Verè nullus. Patet ergo, quod in Chriſto fuerunt habitus boni, ſcilicet ſcientia & virtus in ſummo. Nunquam ſibi vendicarent in eo locum habitus mali, cuiuſmodi ſunt ignorantia & peccatum. O ſint igitur benedicti.

De ſpeciebus in CHRISTO. *Notula III.*

FVERVNT autem & in Chriſto *ſpecies rerum*; Eſt autem *ſpecies* (vt hic capitur) ſimilitudo, vel imago rei cognitæ, manens naturaliter in anima, (etiam poſtquam ipſa deſijt actualiter cognoſcere) apta nata ducere animam inn notitiam rei, cuius ipſa eſt imago vel ſimilitudo. Et eſt *ſpecies ſenſibilis*, puta ſimilitudo rei particularis in phantaſia: Itemque *intelligibilis*; ſcilicet ſimilitudo rei vniuerſalis exiſtens in intellectu poſſibili. Hoc autem notatu digniſſimum, quod quo acriores vigorioſioreſque fuerint vires, ſeu potentiæ ipſius animę; eo clariores & ſubtiliores, efficaciores oportet exiſtant ipſæ ſpecies ſenſibiles & intelligibiles: Cùm igitur potentiæ Chriſti non modo eueraticæ, & naturæ puritate præditæ; verum & à verbo Dei illuſtratæ, & ei *comperſonata* fuerunt, liquet quàm digniſſimæ illæ

ſpecies

Digitized by Google

ſpecies in anima Chriſti, modo ſingulariſſimo refulſerunt. Et eo nimirum clariores, quo ipſa Chriſti humanitas, illis æterni verbi ydeis, & prototypo perſtiterit vicina. O quàm placidas (quidam exclamat) quàm acres, quàm diuas conſiderationes & dijudicationes (vt iam de ſpeciebus ſenſibilibus loquar) Chriſtus habuit; cùm vel lapidem, vel herbam, aut cæterorum quodlibet particularium creatorum, & potiſſimum particularem hominem, lucidis & ſuauiſſimis ſuis phantaſmatibus, ipſis ſuis oculis abſtractiuè diſpexit! O quid illi mentis, ô quid conſiderationis in ſingulis fuit! Si legitur de ſāctis aliquibus hominibus, quod in omni creaturarum occurſu, mox in creatoris ſubuehantur contemplationem: quid de ipſis omnium creatori incarnato Domino Ieſu ſentiendum? Porrò ſi iuxta præallegati verbum, differentem Ciceronem omnis facundia deficeret; ſi Maronis muſa hebeſceret, cùm volet de illis genericis vniuerſalium rerum Chriſti conceptibus diſſerere; puta ex Anima, Angelo, & huiuſmodi immaterialibus rebus
1.Thi. 2. elicitis; quid nobis hic dicendum? Certè digitus opponendus ori. Corda cum manibus ſunt leuanda, pro illis lucidiſſimis ſpeciebus, diuiniſſimis conceptibus, omni peregrinationis & incolatus ſui tempore, in gloriā Patris, & æternam noſtram ſalutem habitis, Chriſtus ipſe laudandus, benedicendus, glorificandus. Te confiteor, benedico, laudo, glorifico, honoro, magnifico, ſuperexalto & adoro Domine Ieſu, ſuper omnibus ſacris, de me, & pro me habitis, & cogitationibus diuinis. Te laudant cælum & terra.

De affectionibus animæ IESV.
Notula IV.

SVNT quinto in anima etiam *affectus*, qui in Chriſto ob eorum perfectiones ſunt benedicendi. Sunt autem hæ affectiones diuiſæ ſecundum vim iraſcibilem; Et omnes eas Chriſtus aſſumpſit, quas in natura plantauit: Nunquam tamen inordinatas, neque rationis iudicium præuenientes; propter quod dicitur in Propheta, *Non erit triſtis neque turbulentus*;
Eſa. 42. & magis vocantur in Chriſto *propaſſiones*, quā paſſiones. *Gaudium* in Chriſto fuit, quia *exul-*
Mat. 11. *tauit in Spiritu ſancto*. *Iram* habuit, quia *infre-*
Ioan. 11. *muit*, & *conturbauit ſeipſum* teſte Ioanne. Et
Marc. 6. penes Marcum legitur, quod *contriſtatus* ſu-
Pſal. 118. per cœcitate cordis eorum, circumſpiciēs eos cum ira dixit. Iniquos *odio* habuit ſecundum quod iniqui, & perfecto odio odiuit omnes peccantes; adeò quòd tabeſcere eum fecit *ze-*
Pſal. 138. *lus* ſuus; imò qui & *comedit eum*. *De triſtitia*
Pſal. 68. quid dicam? Certè imminente paſſione *pauere cœpit & tadere, & triſtis eſſe vſque ad mortem*,
Mar. 14. vt Euangelium habet: vt ſic curaret noſtrarū triſtitiarum affectiones. Porro affectum *dilectionis* eius quis vel modicè cogitabit, cùm & in aduerſarios, & capitales inimicos, perfectiſſima eius dilectio fuit? Vnde in Pſalmo 108. in Domini IESV perſona Propheta dicit, *pro eo, quod diligebam eos aduerſabantur*. Et poſtea, *Odium pro dilectione mea*; quod, vt Iudæorum peccatum grauius intelligatur, dicit. Neceſſe igitur dilectionem Domini Ieſu in eos non perfunctoriam fuiſſe, aut, quod dici ſolet, ſuperficialem. Et licet hic non dicatur quanta fuerit; magna tamen ex fideli ſeruo eius, & docili diſcipulo, officioſo comite Paulo, coniecturæ noſtræ aperitur fe- Rom. 9.
neſtra: Is enim quantum amauerit, ex verbis eius, *qui veritatem loquens coram Deo non mentitur*, *teſtimonium ei reddente conſcientia ſua in Spiritu ſancto*, adaperit in magna illa triſtitia, & *continuo cordis dolore*; *quo aliquando* Rom. 9.
optabat anathema eſſe pro fratribus. Verè magna hæc dilectio, ſed ſerui, ſed diſcipuli: haud quicquam par illi, quo nemo maiorem habuit charitatem: qui omnibus filiis Dei di- Ioan. 15.
lectionis exemplar præpoſitus, & datus magiſter. Non tamen oportet quod ſit etiam Chriſtus, ſicut Paulus, anathema fieri cupiat à Deo &c. ſicut nec oportet (licet Paulo magis amauit) ideo etiam omnia quæ Paulus paſſus eſt, pati: Illis enim ſpiritus datus erat ad menſuram, Chriſtus autem non ad menſuram; Vnde nihil tale paſſus, licet ex dilectione ſua, qua maiorem nemo habuit, ad ini- Ioan. 1.
micos, *triſtitia ei magna*, *& dolor continuus cordi* eius, incomparabiliter magis, quàm Paulo &c. Et de his affectibus loquitur crebro in Pſalmis, & Prophetis: Vt, vbi nos habemus, *Quaſi fratrem, quaſi proximum com-* Pſal. 35. Varia lectio.
placebam &c. Ibi Hieronymo teſte, Hebraica veritas habet, *Tanquam amicus*, *tanquam frater inceſſi, tanquam mater lugens & triſtis incuruabar*. Habuit ergo matricium affectum. Et ibi. *Factum eſt cor meum, tanquam cera li-* Pſal. 25.
queſcens in medio ventris mei, vtique ex amore, qui liqueſcere facit. Qui affectus amoris ſi tantus erga inimicos fuit; quis comprendet qualis in amatos, aut in Deum ipſum extiterit? Certè diximus quædam ſupra; ſed indicibile eſt prorſus. Et grande quiddam de hoc innuit principium Pſalmi 17. *Diligam te Domine*; Vbi in Hebręo habetur *erchanicā Adonay:* Hoc eſt, *Matricaliter* amabo te Domine: vel matricaliter mouebor in te. O cogitet mens iſta, ſileat lingua de inexplicabili.

Omnes igitur affectiones Dominus Ieſus, & eas perfectiſſimas habuit; nam pro noſtra ſalute eas aſſumpſit. Quid igitur tantæ dignationi retribuere, quid niſi gratiarum actiones & congratulationem debemus? Gratias itaque tibi referat Domine Ieſu omnis lingua, ſuper pœnalibus, delectabilibus, ſuauiſſimiſque affectionibus tuis, propter me aſſumptis. O da mihi ſentire quantum ſuper meis peccatis dolorem, quantum pro ſalute gaudium perſenſiſti. Daque mihi affectiones meas tuis conregulare; vt de nullo gaudeam, niſi de quo tu gauiſus fuiſti; non doleam, niſi quod indoluiſti; non iraſcar, niſi cui iratus fuiſti; ſemper ſperem, quod promeruiſti mihi.

Digitized by Google

De actibus in anima CHRISTI.
Notula V.

SEXTO ſunt iam in anima *actus* quidam in Chriſto extollendi: Et ſunt duplices, ſcilicet *cognitiui & affectiui*, quia de ea procedunt cognitiones & volitiones; quæ in Chriſto, quàm fuerint perfectę, quis verbis conſequetur? Quales cognitiones habuit ex ſuperioribus eliciendum.

Quinque enim (iuxta Doctores) modos habuit cognoſcendi: Scilicet,

Secūdum	Diuinā naturam,	& ſic cognouit	Omnia actualia & potētialia.
	Gloriam,		Omnia finita actualiter; infinita habitualiter.
	Gratiam,		Omnia ad redēptionē ſpectātia
	Naturam,		Quę ſpectāt ad vniuerſi cōſtitutionem.
	Experientiam.		Quæ venerunt ad ſenſuum organa.

Heb. 5. Nam & ſecundum vltimum modum, *didicit ex his quæ paſſus eſt obedientiam.* Sicque *tentatus*, & paſſus, factus eſt miſericors, & *potens ad auxiliandum* eis qui tentantur. *Non enim* Heb. 2. *habemus Pontificem, qui non potens ſit ad compatiendum infirmitatibus noſtris: ſed potens eſt factus, quoniam tentatus per omnia pro ſimilitudine.* Subdit quarto paulo infra Paulus: *Et ad condolendum potens eſt, quoniam & ipſe circundatus* Heb. 4. Heb. 5. *ſunt infirmitate.* O qualis hic contemplationis abyſſus, quale profundum cogitationum! *Actus* autem *volitiuos Domini Ieſu quis exprimet?* Non enim (ſeipſo teſte) *venit facere voluntatem ſuam; ſed eius qui miſit eum Patris.* Certè ſi noſti apprehendere volita Patris: & actus volitiuos Domini Ieſu contemplare. Satius eſt ſuper his tacere, quàm dicere indigna. Magna tamen ex his, quæ de affectibus, præſertim dilectionis, dicta ſunt ſupra, feneſtra nobis patet, ad videndum actus mentales Domini Ieſu, ad introſpiciendum & cognoſcendum cor, & animam; cogitationes & conſimilia; anguſtias, & continuos mœrores cordis eius, & orationes, & planctus, à primo incarnationis momento, vſque in horam emiſſi ſpiritus. Magis enim Chriſto, quàm Paulo, Rom. 9. *dolor continuus*; quia erat ei latitudo pontis, *ſicut arena in littore maris.* Igitur ſicut pſalmo, prææallegato ſcilicet, Semper diligebat; triſtabatur ſemper, dolebat, & orabat, compunctus corde, vulneratus intrinſecus, pro omnibus & ſingulis nobis.

Circa cuius actus mentales, & hoc digniſſimum annotatu, quod quidam ait ſuper illo Mat. 14. verbo, *Dominus Ieſus aſcendit in montem ſolus orare: Non ſic accipiendum verbum illud, aut quod pernoctauit in oratione; quaſi tunc vacuum illi à prædicationis labore tempus ad orandum fuit: Non enim in illa mentis noſtræ anguſtia fuit Dominus Ieſus: vt non cùm prædicaret ſimul attentiſſimè oraret; In latitudine enim mentis conſtitutus, omnia veriſſimè cognouit, rectiſſimè iudicauit, iuſtiſſimè voluit: Semper igitur orauit: Sed quoniam id ſuum orare noſtræ infirmitati non imitabile, voluit ad exemplum nobis aliquando ſequeſtratus orare; Quemadmodum & ipſe in* Ioan. 11. *Ioanne proteſtatur, vbi gratias egit Lazarum reſuſcitaturus.* Leuemus animos ſurſum, totiſque virtutum neruis animam diuinam cum omnibus quæ intra eam ſunt magnificemus ſemper.

Et per hæc iam dicta, patet primi verſus explanatio quantulacunque. Quo circa notandum, quod quo ſpiritualia præſtant corporalibus, ex his potentijs & actibus ſpiritualibus operoſius benedicendis incumbere oportet. Id item ſciendum, quod non mouere quempiam debeat, quod plures, quàm quinque dictiones in vno verſu ponuntur; cùm magis ad meditandi materiam adminiſtrandum, quā ad Roſaria legendum verſus ſint collecti, & quæ ſuperfluunt facilè poſſunt intermitti, vel ad duas ſimul vna ſalutatio dici.

§. 2. *Et Verſus ſecundus, De membris exterioribus Chriſti.*

VISO de internis viribus animæ Chriſti, iam ad *externa membra* benedicenda ſe ſermo deflectat. In primis autem benedicendum *caput* Domini, hoc vel ſimili modo dicendo: O caput à Deo exaltatum, Angelicis ſpiritibus tremendum, Ioanni Baptiſtæ reuerendum, auro optimo, & carmelo aſſimilatū, pro me humiliatum, palmis, pugnis, & arundine cęſum; ſeptuaginta duabus (vt aiunt) ſpinis perforatum; in tradendo ſpiritum Patri inclinatum. Obſecro per huius alti capitis inclinationem, & profundam humiliationem, da mihi omnem elati mei capitis ſuperbiam deuincere. Ecce hic complectuntur tria illa ſupra prȩmiſſa, quia ponitur capitis.

Decor, & cōmendatio,	quia	Auro & carmelo aſſimilatum.
Actus,		Humiliatū, cæſum, perforatum.
Exempli exhibitio,		Humiliter Patri inclinatum &c.

Deinde ſimiliter, & *os* benedicendum, & triplici hoc modo colendum: vt dicatur,

O os Ieſu	Veritatis tenax,
	Iudam proditorem deoſculans,
	Homines ſapientiam docens.

Oſculeris me oſculo oris tui, dans vt & ego verè ſim tenax, ſemperq́; ſapientiam docens.

Deinde tertio *ad aures* Domini Ieſu benedicendas accedendum: vt dicatur hoc vel conſimili modo,

O aures	Adeò perfectè cæleſti melodia refectæ:
	Blaſphemijs & Iudæorum clamoribus affectę.
	In auditu auris obedientes, & Patri inclinatæ.

Vos benedico obſecrans, vt obedientiā detis.

Digitized by Google

O oculi Ieſu
- O verè oculi columbarū, lacte loti, ſępè lachrymis madefacti, velo obuelati.
- Simplices, & ab omni malo auerſi.

Auerte oculos meos ne videant vanitatem &c.

O dentes
- Pulchrior es vino, ſicut grex tonſarum;
- Cruentati forſan, & excuſſi;
- Nunquam in malam iram exaſperati.

Non in iram exaſperem dentes meos; ſed ruminationis ſpiritualis inſere, & exacue dētes.

O gena
- Pulchræ, ſicut turtur, ſicut fragmen mali punici.
- Alapatæ; in morte decoloratæ.
- Prę verecūdia ſępe rubore obductæ.

Da verecundiam condecentem.

O lingua
- O lingua eucharis, lingua bona, fauum diſtillans,
- Potionem felleam & acetoſam guſtans.
- In qua dolus non erat; ſed gratia diffuſa.

Da vitare dolum, da & abſtinentiæ virtutem: gratiamque linguarum.

O collum
- Altiſſimum verè, ſicut turris Dauid, eburnea, & vt monilia.
- Crebro colaphizatum, crucis onere preſſum.
- Parentibus obedienter inclinatum.

Da humilem ſub omni creatura ſubiectionem.

O humeri
- Tributis propter me ſeruientes ſuppoſiti;
- Crucis ligno, & erratica oue onuſti.
- Laboribus à iuuentute ſubiecti.

Vos benedico obſecrans, quo des fortiter laborare tibi Chriſte.

O cor diuinum
- Tanquam cera liqueſcens, vno crine & oculo ſponſæ vulneratum; propter nos cōtriſtatum, & militari lancea transfixum.
- Verè ſanctum ſanctorum, armariū vitæ, portans nomina filiorum.

Vulnera cor meum charitate.

O brachia
- Verè beata ſanctos amplexantia, perditos recipientia;
- Dire in cruce retorta, protenſa & expanſa.
- In omne Dei obſequium promptè extenſa.

Da vt me totum in tui amorem extendā; tuis brachiis amplectar.

O pellis
- O vera pellis veri Salomonis: vt tabernacula cedar.
- Vt cœlum extenſa, ſanguine purpurata; æſtu tabernaculi afflicta.
- Pro pelle mea, imo pro tota Eccleſia data.

Reſuſcita me quo pellem meam ponā pro te.

O manus
- Aureæ & tornatiles, plenæ iacinthis; mirrham diſtillantes.
- Frigore affectæ, cruci affixæ, clauis perforatæ.
- Quæ cōdidiſtis cælos, curaſtis ægros, & operationes rectas.

Vos laudo orans, vt detis operationes rectas.

O latus
- Veri Adæ, vnde & Eccleſia fabricata.
- Lancea militis transfixum, & ſacrorum pignorum effluxiuum.
- Habitaculum factum columbinum.

Inhabitem ſemper ibi.

O oſſa
- Columnę fortitudinis, & baſes totius ædificij ſpiritualis.
- Non quidem vt veri agni, comminuta, variè tamen afflicta.
- In quibus non erat ſanitas conturbata & abſcondita.

Conforta me, & da vt fortitudinem meam cuſtodiam ad te.

O venter
- Aceruus tritici vallatus lilijs, eburneus, ſaphiris diſtinctus.
- Fame extenuatus, & intremuiſti tormentis tactus.
- Cuius vmbelicus, vt crater tornatilis non egens poculis.

Ne doleam malè ventrem memoriæ ne cadat in puluerem.

O pedes
- Pedes pulchri, recti, ſimiles aurichalco.
- Prædicatione fatigati; à Magdalena loti, vincti, cruci affixi.
- Vias bonas ambulantes, in bono perſeuerantes.

Non currant pedes mei ad malum, perſtent in bono ſemper.

O genua
- Sublimiſſima, ſub quibus curuantur genua omnia.
- Sæpe in oratione curuata, tormentis afflicta.
- Reuerentiali & filiali timore Patri flexa.

Ignoſce meam pigritiam & indeuotionē, confer reuerentiam & feruorem.

O vngues
- Manuum & pedum non rapaces, vt aquilæ.
- Propter me funibus conſtricti, cruētati, & afflicti.
- Omnis mali immunes, & verè agnini.

Non ſim rapax mali.

O intima
- Sacratiſſima viſcera, beatiſſima intima.
- Diro & vario dolore propter nos affecta.
- In quibus omnis filiorum conſtat gloria.

Vos benedico & laudo, reformate mea interiora.

O vulnera
- Sacerrima, ſuper aurum & topazyon amplectenda.
- Dira, dura, & ſuper numerum multiplicata.
- Noſtrorum vulnerum medicamēta, & vera amoris inſignia.

Benedico ſingula, orans, vt curetis animæ vulnera.

O crura
- Gygantis fortiſſima, verè marmoreis columnis ſimilia.
- Sæpius ſtando, eundo, orando fatigata, & tormentis affecta.
- Super aureas baſes fundata, & in bono perſtantia.

Da perſeuerantiæ & fortitudinis virtutem.

O corpus

O corpus
- Nobile & pulchrum, mirabile, omnibus dotibus glorificatum.
- Humiliatum, afflictũ, paſſionibus expoſitum.
- Cui in nullo pepercisti; ſed pro nobis à te traditum.

Te benedico, petens corpus meum benedici.

O anima
- Deo dilecta, & placita.
- Propter nos tradita & expirata,
- Affectionibus ſanctis, & paſſionibus plena.

Sana animam noſtram, faciens eam placitam & gratam tibi.

O ſanguis
- Capitis, oris, & cordis, & omnium membrorum.
- Tam abundè, penosè, charitatiuè effuſus.
- Tam multorum fructuum, & bonorum cauſatiuus.

Sit in æternum benedictus.

O caro
- Sanctiſſima, ab omni corruptione aliena, humillima, exaltatiſſima.
- Vulnere ſuper vulnus, liuore, tumore & tormentis affecta.
- Grãdis beatitudinis materia noſtræ reſuſcitatiua.

Sit ſemper benedicta: non aduerſus ſpiritum concupiſcat mea.

Sed & deitas
- Benedicta, & ſemper benedicendiſſima;
- Cui inſeparabiliter & hypoſtaticè humanitas vnita;
- Quam nulla ſat poteſt laudare lingua.

A ſolis ortu vſque ad occaſum, ex hoc nunc, & vſque in ſæculum ſit benedicta.

Sed & nomen
- Benedictum, & dulciſſimum, turris fortiſſima, pręter quod nullum ſaluat.
- Nomen pium, confeſſum, exaltatum & laudabile; propter nos blaſphematum.
- Nomen magnum & glorioſum, in omnibus ſanctificandum.

Ex hoc nunc & vſque in ſæculum, & à tota cæleſti curia ſit benedictum. Amen.

Hæc iam paucis annotauimus circa ſingula membra. In quibus abundans deuotionis, & contemplationis eſt materia; ſed tam illius membra ſupra tacta, quæ relinquimus meditatori, & exercitanti inueſtiganda, nil inde proſequentes vltra; niſi tantum aliqua, circa hoc verbum intima, annotando pro deuotione excitanda, quia ſub hoc verbó comprehenduntur omnia membra interiora, in reliquis non enumerata; quæ omnia iuxta Niderin Chriſto fuerunt læſa, ac plura pro nobis paſſa. Vnde & ipſa non generali nomine ſolum; ſed & ſpeciali cultu ſunt benedicenda. Quorum etiã cognitio ad hoc (iuxta præfatum magiſtrum Ioan. Nider) potiſſimũ valet: vt multitudinem dolorum Chriſti vtcunque ſcias. Vnde paucis eum inſequentes dicemus de illis.

Sunt igitur in quolibet homine perfecto (vnde & in Chriſto fuerunt) quinque differentiæ partium, ſeu membrorum interiorum, in quibus quis pati poteſt: vt tradit Albertus libro ſuo de animalibus, & ſunt iſta. Oſſa quæ licet non ſint confracta, non tamen eſt ſanitas relicta. *Muſculi*, qui ſunt membra neruoſa, multipliciter læſa; *Nerui*, qui confracti fuerunt, & perforati; *Arteriæ* pulſatiles, quæ exhauſtæ fuerunt, & impotentes; *Venæ* ſanguinis, quæ ſanguine vacuæ fuerunt, etiam compreſſæ. Et licet dentes ſint inſenſualia, oſſa tamen omnia hęc lędi poſſunt quodammodo per aduentionem potentiæ tactiuæ. Sunt autem ſecundum veritatem (vt Albertus ait, vbi ſupra) capitis oſſa 59. In collo, dorſo, & ſpondilibus 33. In brachijs, thorace, id eſt, pectore & eis adiunctis 72. Et in pedibus totidem, præter alia plura oſſa: Ita quod in ſumma 200. ſeptuaginta ſex oſſa, ſecundum ſubtilem computationem, circa quorum coniunctionem homo pati poteſt. Et licet in Domino Ieſu (Euangeliſta Ioanne teſte) *os non ſit confractum*; tamen (vt ſæpe in Prophetis conquæritur) nullum fuit ex oſſibus à dolore & paſſione ſanum. Non enim (vt ait) *fuit ſanitas in oſſibus eius*. O igitur compatiamur tam multipliciter paſſo, ſingula ſalutemus oſſa. *Ioan. 19. Pſal. 21. Pſ. 6. 30. 140.*

Muſculus eſt membrum neruoſum, in quo complectitur motus, & habet ſenſum, eſtque quoddam quaſi compoſitum ex carnea ſubſtantia, inuoluta paruis neruis, reticulatim eam circũdantibus. Sunt autem muſculi multi in capite, collo, gutture, facie, dorſo, & alijs membris; quia per hos muſculos mouẽtur membra hinc inde; & ſunt d. 29. Et hi omnes in Chriſto confracti.

Neruus eſt, qui ſuſcipit ſpiritum animalem à cerebro, & defert ad ſingula membra ad faciendum ſenſum: Et eſt ſubſtantia viſcoſa à cerebro directa per corpus, vt per ipſum ſenſum & motum largiatur corpori; Primus tamen ortus eorum eſt à corde; ſed principium diuiſionis eſt à cerebro. Et ſunt in capite, collo, dorſo, viſceribus, manibus nerui 77. principales. Et ſunt hi nerui de eorum numero, quæ ſenſum habent. O doleamus!

Arteriæ, ſunt viæ ſpirituum, & vehicula vitæ & virtutum, quæ vitæ habent operationem & potentiam; quia in hoc ſalus indiuidui conſiſtit. Continent etiam aliquid ſanguinis arteriæ, & vocantur venæ pulſatiles; arteriæ, quaſi arctæ viæ aëris; eo quod pulſat in eis ſpiritus aêris, per cordis dilatationem, aut conſtrictionem, aut euentationem cordis, aut etiam ventus ad arteriam vocis. Et oriuntur à corde. Vnde cùm cor Domini fuit tranſlaceatum, omnes ſunt quodammodo confoſſæ.

Venæ autem, ſcilicet non pulſatiles, ſunt in quibus principaliter decurrit ſanguis, qui eſt ſedes animæ, & ducunt ab hepate ſanguinem per corpus, ad nutriendum ipſum. Et ſunt numero plures. Quę tamen omnes ſic ſunt exhauſtæ: vt nullus, vel penè nullus, in eis remanſerit ſanguis. Vnde merito à nobis ſunt benedicendæ & colendæ &c.

Habent & reliqua ferè ſingula mẽbra plures ſub ſe partes, meritò à nobis benedicendæ & memorandæ, quoniam nihil in eis integrũ eſt

eſt relictum; ſed non eſt noſtrum ponere partes corporis humani omnes. Qui deuotionem circa hæc habuerint, facilè ex auctoribus phyſicis poterunt ſibi aggregare eas.

§. 3. *Ornamenta Pontificalia.*

O Pontifex ſancte & impollute, Epi-ſcope irreprehenſibilis; Epiſcope animarum pro hominibus aſſumptæ: attendenti mihi in te Epiſcopum, & auctorem fidei noſtræ; videnti mihi te in cathedra crucis, inter viuos & mortuos in confractione ſtantem; ornamenta pontificalia conſideranti, occurrit, quod pro ornamentis pontificalibus circumdatus ſis innumeris paſſionū inſtrumētis, quibus es afflictus. Nam pro *mitra aut cydari* Pontificis, *ſertum ſpineum* pertuliſti, vt creditur, ex ſeptuaginta duabus ſpinis acerrimum nimis. Pro *annulo* ſubarrationis ſigno, & fidelitatis in ſponſam indicio, digiti tui *cruore* proprio inſigniuntur. Pro *chyrotecis* candidis, cautelam boni operis demonſtrantibus induceris *clauis* groſſis & ferreis. Pro *chlamyde* aut pallio Patriarchatus, aut Archiepiſcoparus illuderis *veſte alba* plenæ confuſibilitatis. Pro pōtificis *ſandalijs*, incarnationis myſterium ſignātibus, confoderunt pedes tuos *clauis* ferreis. Pro *baculo* aut ferula Pontificis deſignante Chriſti poteſtatem, dabant tibi *arundinem* præ ſe ferentem pro tantis vacuitatem.

1. Pet. 2.

Ornamenta Sacerdotalia.
Notula I.

Pſal. 109. 1. Tim. 1.

O Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, Mediator Dei & hominum factus; qui mādatum accepiſti à Patre, vt Sacerdos pro nobis fieres, in temetipſo offerens pro hominibus hoſtias & vota in die ſolennitatis magnæ in ipſo Paſcha, in magno tranſitu eductionis & egreſſionis Iſrael de Ægypto à ſeruitute dura fornacis ferreæ; iuuat conſiderare, qualibus veſtibus indutus eras, dum tu Ieſus Sacerdos magne, dura illa ſtatione ad altare crucis ſtabas; dum acerbo ſuſpendio fidus mediator in ſacrificio veſpertino manibus eleuatis, pendebas; grande illud obedientię incenſum, quo nulla victima melius, offerebas; & Sathan, vt aduerſaretur, tibi aſſiſtebat. Certè *ſordidis veſtibus indutus eras:* Nam pro *ſtola* iocunditatis, illuſus es *fune* pœnoſitatis; Pro *alba*, & ſic de alijs: vt patet in gloſſa interlineari verſuum.

Zach. 3.

Inſignia regalia. Notula II.

Cant. 3.

E*Gredimini & nunc, ô filia Sion anima fideles, & videte Regem Regum, verum & pacificum Salomonem*, ex regali progenie Dauid ortum, regem ſalem & gloriæ, regem pacis & iuſtitię, videte inquam quo apparatu in *die ſolennitatis* & ſuæ coronationis à nouerca ſua impia ſynagoga honoratur. Videte quomodo arma bellica commutantur. Gerebas enim (ô inuictiſſime Regum) pro regali *galea*, velamen oculorum: O auerte oculos meos ne videant vanitatem, & ſic de alijs; vt patet in gloſſa interlineari vt ſupra, Pſal. 118.

Modi curationum multiplices.
Notula III.

C Onſiderandum mihi *poſtremò*, ô Domine Ieſu, medicamentum & medice, ô bone Samaritane, quàm meæ ſalutis fuiſti cupidus, quam pro morbo meo curādo ſtudioſus; nam omnibus modis, quibus corporaliter infirmi curantur, me ſanare curaſti. *Primo* enim quidam inciſione curantur, & tu te circuncidi pro me ſanando voluiſti; Circumcidar & ego à vitio omni, & in membris omnibus, atque animæ viribus; & ſic de alijs, vt patet in gloſſa interlineari.

MEMBRVM II.

Roſarium de circunſtantijs Paſſionis.

O *Vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus.* Thren. 1. Poſt Roſarium præmiſſum ſubnectitur iam alterum; ſcilicet *conſideratorium*, abundantem ſubminiſtrans meditandi materiam, & deuotionis & contemplationis viam. Nam pro explanatione huius Roſarij, quidam deuotus & acutus hoc modo ſcripſit: Grande (inquiens) quippiam crepitat præſens Roſarium, quod veluti florentiſſimum ac tutum itinerarium ordinatiſſimè ſuum contemplatorem traducit ad celſiſſimum gloriæ faſtigium, complectens principium, medium, & gloriæ noſtræ fœlix complementum. Nam ſecundum decem verſus, decem complectitur itinerationis fœlicis gradus. Et ſunt iſti.

Aſſenſus rationis, firmiter credens;	Quia	*Principiū Deus* &c.
Affectus cōpaſsionis, dolenter cōpatiens;		*Nobilis & ſanctus* &c.
Aſpectus admirationis, ſtupendo admirans.		*Omnipotens*, &c.
Amictus aſsimilationis, modū ſequens.		*Strenuus* &c.
Amplexus crucis prōptus & patiens.		*Ludicra* &c.
Feruor benedictionis illum benedicens.		*Senſibus* &c.
Progreſſus laudationis in aggrauantijs externis.		*Plurima* &c.
Stupor liquefactionis pro aggrauantijs internis.		*Iuſtus* &c.
Exceſſus deuotionis, pro magnitudine amoris.		*Æno ſingula.*
Exhibitio gratiarum actionis pro fructu benefactionis.		*Vt redimat*, &c.

Quis

Quis eſt qui patitur?
Principium, Deus, & natus, ſapientia, Iudex.
Qualis eſt?
Nobilis ac ſanctus, tener, innocuus, peramandus.
Quantus eſt?
Omnipotens, magnus, fœlix, auus, ſpecioſus.
Qualiter patitur?
Strennuus & patiens, ſapienter, liberè, obedit.
Qualia patitur?
Ludicra, conuitia, pœnas, fert vincula mortem.
Quanta, vel in quibus patitur?
Senſibus, in rebus, anima cum corpore, fama.
Aggrauantia externa.
Plurima, magna, locus, tempus, ſtatus, aſpicit, infert.
Aggrauantia interna.
Iuſtus, amor, ſapiens, deſertus, praſcius obiect.
Quo amore patitur?
Æuo ſingulari grato, ſummo, quoque forti.
Quo fructu patitur?
Vt redimat, placet & reparet, luſtretq́, beetq́.

§. 1. *Quis patitur?*

IN PRIMO itaque gradu atque verſu conſiderandum, *quis eſt qui patitur*; & ei ſubdere per rationis aſſenſum (vt Bonauentura ait) actuando fidem, quia ipſe eſt, vt dicitur in verſu primo, *principium, Deus.* Vbi tantum quinque ponuntur nomina, cætera tamen ferè omnia complectentia. Nam ſub *Principium* debent comprehendi omnia nomina ad creaturas reſpicientia, ex tempore ei conuenientia, vt *Dominus creator* &c. Vnde poſſet quis hoc modo exercere affectum, dicendo cum fidei actuatione, & rationis aſſenſu firmiter credẽs, quod ille qui eſt *alpha & omega*, omniũ rerum principium primum, Dominus dominator, conditor & rector vniuerſorũ, paſſus eſt amariſſimæ mortis exterminium. O per te principium morte extinctum, terminentur vitia mea.

Secundo ſub *Deus* comprehenduntur omnia eſſentialia nomina Dei; vt El, Eloy, Yach. Iohanach. & ſic de alijs. Vnde dicendum: Credo itẽ quod tu es Deus Deorũ, quo maius meliuſve nil poteſt cogitari; cuius eſſe nõ poteſt claudi; poſſe non numerari; bonitas non terminari. Qui vt nos faceres Deos, es Deus tanta paſſus. Credo quod tu es eſſentia prima, natura perfecta, vita beata, & ſic de alijs.

Tertio ſub *Natus* comprehenduntur omnia propria; ſcilicet, verbũ, ſimilitudo, ſpecies vel imago, & ſic de aliis. Dic ergo: Tu es naturalis Dei Filius, Deo Patri per omnia coæqualis, Verbum eius ac imago indelebilis, ars Patris, ſplendor paternæ gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius. Qui vt nobis *poteſtatem dares filios Dei fieri*, paſſibilis hominis filius fieri voluiſti. *Heb. 1. Ioan. 1.*

Quarto ſub *Sapientia* cõprehenduntur omnia appropriata: vt virtus, veritas, pulchritudo, vita, & ſic de alijs. Dic ergo: Tu, qui es ſapientia æterna, *quæ ex ore altiſſimi prodijſti, diſpones omnia ſuauiter*; qui es virtus paterna, moderans omnia potenter, cunctis præſidens mirabiliter; tu es ſtultitia reputata, infirmata, offuſcata, mortificata propter me. *Eccl. 24.*

Quinto ſub *Iudex* comprehenduntur omnia nomina dignitatum: vt Rex, Princeps: Et officiorum, vel operationum, vt gubernator, ſaluator &c. Dicas ergo: Tu iudex viuorum ac mortuorum à Deo Patre conſtitutus, æquiſſimus, ſapientiſſimus, potentiſſimus; cuius nemo æquitatem flectere, ſapientiam fallere, vindictam effugere poteſt; iniuſtè pro me condemnaris. Tu princeps regum terrę, ſublimis Rex Regum, primatum tenens in cunctis, propter me humiliaris, & ad mortem crucis condemnaris. Vnde hic liquet, quod acuto oculo latiſſima hic offertur materia.

§. 2. *Qualis eſt qui patitur?*

SECVNDVM gradum aſcendimus, dum *qualis ſit qui patitur*, conſideramus, vt ei configuremur per compaſſionis affectum: Vbi offerunt ſe multa compaſſionis incitamenta; quia talis talia paſſus. Nam *primo* qui es genere & origine *nobilis*, ex claro Patriarcharum, Regum ac Sacerdotum ſanguine ortus, cunctis prælatus in ſubſtantia, cauſa & efficientia; omnium illuſtriſſimus, ab ignobiliſſimis es ignominioſiſſimè paſſus.

Secundo, qui es erga Deum *ſanctiſſimus*, quippe ſanctorum ſanctus, qui ſanctum vocaris, cui ſanctus alter non eſt ſimilis; cui omnes Angeli acclamant Sanctus, Sanctus; nunc petit de terra, & audit tolle tolle; quanquam plenus virtutibus. *Luca 1. Eſa. 6. Mich 7. Ioan. 19.*

Tertio, qui es quoad naturam tenerrimus, ſenſu viuaciſſimus, totus eucraticus. Vnde grauiſſimè paſſus, & dirè, & acerbiſsimè tortus. Quis ergo non compatietur tibi? O da cõpati ſemper: vt merear conregnare.

Quarto, qui es erga proximos innocentiſsimus, ſine offenſione, pro falſi criminis impoſitione, pro beneficij exhibitione paſſus, & qui peccatum non feciſti, & nec contrahere potuiſti, pro nobis factus es peccatum! O libera me à peccatis.

Quinto, qui es totus amabilis & peramãdus; amabilis ſuper amorem omnem mulierum, omnes cauſas habens in te amoris, pater, frater, mater, ſponſus, amicus, caput, odio habitus pro me. Da mihi compati tibi; ne durior ſim, & inueniar inſenſatus. *2. Reg. 1.*

§. 3. *Quantus eſt qui patitur?*

TERTIVM proinde gradum aſcendimus; ſi conſiderãtes *quantus eſt qui patitur.* Egrediamur ad ipſum per admirationis affectum, & inueniemus quod tu, qui es potentia immẽſus; qui omnia ſcis & potes; apud quem *non eſt impoſſibile omne verbum*; cui, cùm volueris, poſſe ſubeſt; Dominus fortis & potens, vt impotens & infirmus pateris & ligaris. *Luca 1. Sap. 12.*

Secundo, magnus Dominus & immenſus, *cuius magnitudinis non eſt finis*; *quem cœli cœlorum capere non poſſunt: qui cœlum imples & terras*; funibus conſtringeris & circumligaris. Res miranda.

Tertio, qui es beatitudo & fœlicitas æterna, iubilus omnium ſanctorum, omniũ bonorum

aggre-

aggregatione perfectus, tanquam miſer, & calamitoſus pateris, & tormentaris: vt nos tua paſſione beares.

Quarto, conſiderem quòd tu, qui es æternitas, interminabilis vitæ tota ſimulque perfecta poſſeſſio, verus Melchiſedech ſacerdos in æternum, principium non habens, nec finem; cui nomen ęternum; in paſſione moreris, & terminaris.

Quinto, quod ſpecioſitate, & pulchritudine immenſus, fons omnis ſpecioſitatis, decor glo-
Pſ. 42. riæ paternę, *præ filiis hominum ſpecioſus*, cuius pulchritudinem *aſtra mirantur*; decoloraris a-
Eſa. 53. deo, quòd non erat tibi ſpecies neque decor;
Pſ. 21. *reputatus es leproſus*, factus opprobrium hominum, vermis, & non homo.

§ 4. *Qualiter patitur.*

QVartum gradum aſcendimus ſi conſideramus *qualis forma patitur*: vt induamus ipſum aſſimilationis amictum; in quo proponitur regula, & exemplar omnis perfectionis. Vide ergo *primo*, quòd *erga ſeipſum*, ex parte corporis, ſe ſeueriſſimè, & ſtrennuiſſime, in nullo ſibi parcens, geſſerit; fortiter ſe pro te aduerſis omnibus exponens.

Secundo ex parte animæ, habuit ſe patientiſ-
Proue. 21. ſime; vnde *locutus eſt victorias*, qui nec ſemel mente dedignatus eſt, non os aperiens, qui
Eſa. 53. *cum malediceretur non maledicebat* &c. Da mi-
1. Pet. 2. hi in patientia poſſidere animam meam.

Tertio reſpectu aduerſarij habuit ſe ſapienter, & prudentiſſimè, diuinitatem, & gloriam in omnibus occultando, ſub carnis infirmitate, & ſic tandem triumphando: Dona oro, & mihi cautelam in tentatione, vt in me non habeat tentator quicquam.

Quarto reſpectu proximi habebat ſe liberaliſſimè, & charitatiuè, pleniſſime ſe pro nobis exponendo, charitate, qua maior non eſt, nos diligendo. *Domum, & hæreditatem ſuam reli-*
Ier. 12. *quit, corpus percutientibus dedit*, animam moriens poſuit. Habeas, & tu charitatem fraternā.

Quinto reſpectu Patris habuit ſe obedientiſſimè, duro, & diro illi mandato Paterno parendo, & *ſicut mandatum dederat ei Pater, ſic*
Io. 14. *faciendo, factus obediens vſque ad mortem*. Habeas & tu inconcuſſam obedientiam, erga ſuperiores tuos.

§ 5. *Qualia patitur.*

QVINTVM gradum attingimus ſi conſiderantes *quanta paſſus ſit Chriſtus*, vt crucem eius amplectamur, per paſſionis deſiderium:
Philip. 2. & vt nos velimus hoc *ſentire in nobis, quod, & in Chriſto Ieſu. Et primo* vide, quòd paſſus ſit *ludicra*, & ludibria in ſignis: vt dum conſpuitur, velatur, purpura induitur, & in ſtemmate regis, rex gloriæ irridetur. Feras, & tu ludibria hominum, & contemptus patienter.

Secundo paſſus eſt *conuitia* in verbis, & *contumelias* in blaſphemijs; quando potatorem vini, voracem, amicum publicanorū, diabolo plenum dicebant; quando blaſphemabant, quando *crucifige, tolle, tolle* clamabāt. Eſto patiens ad aſpera, & contumelioſa verba.

Tertio paſſus eſt pænas, & *tormenta* turpiſſima, acerbiſſima, & multa. Sicut maleficus, & latro, repudium, vt reus iniquum iudicium, vt malus flagellicidiū, vt fur patibulum, vt peccator peſſimus, iniquorum conſortium. Feras, Matt. 5.
& tu patienter flagellum Dei, præbe maxillā alteram, cum percuſſus fueris in vnam.

Quarto paſſus eſt, *vincula*; immo, & omnia paſſionum inſtrumēta, quorum quædam ſunt *illuſoria*, vt velum, ſputa, veſtis varia, quædam *vulſifactoria*, vt crux, claui, malleus, lancea. O auferat nobis omnia pænalia, præſentia, & futura.

Poſtremo paſſus eſt omnium terribilium terribiliſſimum, amariſſimum, ſcilicet mortis diuortium, & non quamlibet mortem, ſed mortem turpiſſimam, acerbiſſimam, indebitā. O miſereatur noſtri in hora mortis, & det interim concupiſcentijs mori.

PATET ergo ex. verſus huius explanatione, quia paſſus eſt, & in nomine deſpectum, quia conuitia, & cordis machinationes, oſtenſas per ludicra, & ſigna ludibrioſa, quæ duo ſingulatius animam eius ſanctam affecere. *Et primo* conuitia, & certè plurima, in verbis, & dictis, & blaſphemijs nefarijs. Nam vt colligit venerabilis ille Ioannes Scoenhouiæ, Di-
cebatur pauperculæ matris, & fabri filius, & Mar. 6.
frater pauperum, de parentela ſcilicet Iacobi,
& Ioſeph &c. Detrahebāt etiā *ei de vili patria*, Ioa. 7.
quod eſſet Galileus, aut Nazarenus, dubitan- Io. 1.
tes ſi inde aliquid boni. Blaſphemabant *vitā*, Mat. 11.
dicentes, quod eſſet peccator, & peccatorum amicus, vorax, & potator vini, & populi ſeductor. *Doctrina* detrahebant, dicentes eum litterarum ignarum, Samaritanum, & in di-
uino cultu hęreticum, & non Iudæum. *Mira-* Io. 8.
cula culpabant, imponentes, quod in nomine Luc. 11.
Beelzebub faceret ea, dicentes, quod inſanus eſſet, & furioſus, demoniacus, & demonum ſocius.

Quid igitur iniuriarum, quid conuitiorum deſuit benigno Ieſu?

Conuitiatus enim fuit in { Nomine. Patria. Conuerſatione. Doctrina. Miraculis.

Quas in paſſione blaſphemias ſuſtinuit, ſecum meditetur homo. Simus, & nos in conuitijs patientes.

Paſſus eſt, & *ludicra* in ſignis, & factis, & in cordialibus machinationibus impiorum inhonoratus. Grandi enim ſupercilio ſcribæ, & Phariſei ſe Chriſto præponebant, & ipſum, vt ſceleratum, blaſphemum, gloriæ cupidum, reputabant, prophanum de Ieſu fantaſma ſibi formantes, & inuidentes, in eum diligenter conſpirantes, ac ſemper in mortem eius machinantes. O quot cruces, quot mortes in cordibus ſuis ei fabricabant! O quam toruos vultus, horribiles oculos, in eum vibrabant! O quam crudeles, & iracundiæ, & ſubſanationis plenos geſtus, in eum mittebant! &c. Hæc fuit ſumma inhonoratio, & contumelia Filij Dei, quam quotidie experiebatur,

& videbat; & tamen tam patienter ferebat: Patrem pro eis conuertendis prædicabat, ac ſe pro eis in mortem offerebat. O inauditam charitatem, patientiam ſingularem, pro tam impijs, iugiter in morte eius ſpirantibus orare!

Et nota ſecundum eundem, quod quibuſdam malitiæ gradibus, Iudæi contra Chriſtum aſcenderunt. Nam *primo* viderunt Chriſti vitam innocentem, & doctrinam veracem eis contrariam: Hinc prædicanti contra eorum auaritiam, & denudanti ipſorum malitiam, cæperunt inuidere. *Secundo*, dum eos confundebat cæperunt doctrinæ detrahere. *Tertio* miracula falſificare, ex modo agendi reprehendere, & dæmoni attribuere. *Quarto* quando non poterant dæmoni attribuere, vt de
Io. 12. Lazaro, ceperunt inuidia, & ira tabeſcere, & de morte tractare. *Quinto* quando populus magis eum ſequebatur, cæpere eum diffamare verbis, perſequi factis, expellere de terris ſuis, reprobum oſtendere ſuis ſententijs, & contra eum ſequentes, & confitentes, ſententias fulminare, deinde paſſionem inferre, O igitur gratiſſimus!

§ 6. *In quibus patitur.*

SEXTVM gradum aſcendimus; dum benedictum fructum Mariæ in omnibus benedicimus; vt ſcilicet in hoc gradu Roſarium præpoſitum (*mens, vires*) exerceamus, & hic omnia membra, & ſenſus Ieſu; imo cuncta in quibus paſſus eſt benedicamus. Paſſus eſt enim *in omnibus corporalibus ſenſibus*, in viſu per velum, & lachrymarum profluuium: in auditu, in audiendo clamorem horrendum: in guſtu, per poculum felleum: in odoratu, per ſputa, & caluariæ montis fætorem: in tactu, per flagellorum verbera, &c. O reformet ſenſus meos, & ſibi conformet.

Secundo paſſus eſt *in rebus* quibus caruit,
Matth. 8. quia *vulpes foueas habent* &c. *filius autem hominis*, &c. quas amiſit, quia veſtibus ſpoliatus,
Io. 19. *quas diuiſerunt, & ſortem ſuper eis miſerunt*, &
Mat. 27. in alieno ſepulchro ſepelierunt. Eſto, & tu pauper in omnibus.

Tertio paſſus eſt *in anima*, & ſingulis potentijs eius (vt ſentiunt plures) tam ſenſitiuis; quã intellectiuis: *In illis* per paſſionem, *in his* per conſiderationẽ fruſtrationis paſſionis, & obiectorum plurimorum, aut per compaſſionẽ, aut dolorẽ de inhonoratione diuina. O cõpatiare ei, ex tota anima, ex tota mẽte, & virib⁹.

Quarto paſſus eſt *in toto corpore*, in longitudine, latitudine, & profunditate, adeo quod à planta pedũ, vſque ad verticem, non eſt in eo
Eſa. 1. reperire ſanitatem: verſanti, & reuerſanti, vndique apparet dolor, liuor, & plaga tumens O compatiatur & totum corpus tuum, pro gloria eius.

Quinto paſſus eſt *in fama*, per infamiam, & blaſphemias falſas: Quod vtique tanto grauius, quanto plus nomine bono fuit, & præſertim inſigniter bono, quo pretioſius nihil. Qui enim ante Doctor habebatur, & Propheta, iam ſeductor dicitur, & blaſphemus &c.

§ 7. *Aggrauantia externa.*

SEPTIMVS gradus eſt *proteſtus laudationis*; Nam tametſi in cunctis paſſionum ſuarum modis laudabilis appareat Deus, tamen inde ſingulariter laudandus, & magni æſtimandus, quia ipſe per circumſtantias ſuam paſſionem aggregauit. Sunt autem circunſtãtię aggrauantes externę multiplices. Quarũ *prima* eſt, quòd tam multa, & varia pœnarum genera ſufferebat, tam generalia, ignominioſa, & diuturna. Quis enim ea enumerare, quis vel mente complecti poterit? Ipſe enim paſſus eſt ludicra, conuitia &c.

Secundo paſſus eſt magna, acerba, & intenſa. Non enim eſt dolor ſimilis ſicut dolor eius. Peſſima plaga eius: adeo, quod omnis omnium martyrum paſſio, vix conferibilis eſt dolori eius. Tren. 1.

Tertio loci, & temporis qualitas, paſſionem augmentabant, quia paſſus eſt in locis varijs, in ciuitate regia, in Monte Caluarię, & crucis patibulo: In die ſolenni Paſchæ, & feſti tota die. Vnde vocauit tempus aduerſum ſe.

Quarto plurimum aggrauabat, ipſius patientis conditio, & ſtatus: Erat enim genere nobilis, complexione tenerrimus, ſenſu viuaciſſimus, ætate iuuenis, robore fortis.

Quinto plurimum aggrauabat paſſionem, concurrentium irriſio, & pluralitas: Itemque inferentium pœnas ingratitudo, inuidia, & crudelitas: Fuerunt enim peculiares populi, inuidia pleni, natura crudeliſſimi. Sunt adhuc alia aggrauamenta plura externa, quæ habentur ſupra in verſu. *Plurima vilia, magna*, &c.

§ 8. *Aggrauantia interna.*

OCTAVVS gradus, conſiſtit in *ſtupore liquefactionis*: Nã tunc ritè mens liqueſcit, & in Chriſtum reſoluitur, dum *intima aggrauantia* deuotè retractat, & contemplatur. Fuerunt aggrauantiæ internæ plurimę, mentalem dolorem Chriſti aggrauantes, quarum *prima* fuit, iuſtitia, & ęquitas diuina, plenariã ſatiſfactionem, pro omnibus, & ſingulis peccatis exigens: Volebat enim Ieſus, plenè Deo reſtituere, ſibi ablatum honorem.

Secundo aggrauabat dolorem internum miſericordia, & charitas, aut amor Chriſti; ita, quod tantus fuit dolor, ſiue mæror benedicti Ieſu, quantus amor eius ad Deum, & proximum fuit: Et quos habuit reſpectus amoris, tot habuit ſtimulos doloris.

Tertio ſapientia, & diſpenſatio diuina, quæ dolores Chriſti (vt quidam volunt) in certa menſura, ſecundum ferè infinitatem peccatorum diſpenſauit, quę omnem mentẽ creatam excędit.

Quarto plurimum aggrauabat dolorem internum, quòd deſertus fuit ab omnibus, & à nullo conſolabatur, à multis exprobrabatur: Deſertus inquã fuit etiam à Patre, & à ſeipſo, non vt vinceretur, ſed vt pateretur.

Quinto quòd paſſionem ſuam tam multis inefficacem prænidit, & cætera doloroſa ob-

iecta

iecta, prorſus innumera quæ habebat: vt peccata, compaſſio ad matrem, & ad diſcipulos, & ſic de alijs. Hæc ſupra.

§ 9. *Quo amore patitur.*

NONVS gradus oſtendit quo motiuo, & *quali amore*, paſſionem talem, ac tantam ſubijt: Qui amor potiſſimè ab ijs, qui in deuotione accendi voluerint, eſt conſiderandus; Et hoc eum affectu liquefactionis. Tantus enim ac talis eſt amor ille, quo Pater æ-
Rom. 8. ternus filium ſuum vnigenitum pro nobis paſſioni tradidit, & quo filius ipſe ſibi non pepercit, vt in eius conſideratione, non liquefieri non poterit. Nam *ano*, id eſt ex æterno, &
Ier. 31. nihilominus actualiſſimo amore, paſſionem hanc pertulit: In charitate enim perpetua, ô amantiſſime Ieſu, me dilexiſti, & ab æterno pro me mori diſpoſuiſti: Non habitualiter modo, ſed actualiſſime ſemper, inde cogitaſti vſque dum opus perfeciſti, abſque vllo vel momenti intercapedine: Es enim actus purus, & amor tuus, nec vſu deficit, nec tempore veteraſcit. O redamem te actualiter ſemper.

Secundo etiam video ô amoriſiſſime Ieſu, quòd non communi ſolũ amore, ſed & *ſingulari* pro me ſcilicet ſolo, ſubieris paſſionẽ tuã: Adeo vt ſi ſolus ipſe peccaſſem, pro me ſolo opus hoc grande ſubijſſes. Eſt enim vnicus, & indicibilis amor tuus, vnicè, & ſingulariter ita ſingula, vt omnia, amans. O ſingulariter & vnicè te amem.

Tertio gratuito amore, hæc omnia tu gratiſſime amator feciſti: Nullis ſcilicet præuijs meritis noſtris; nec vllo ſperato commodo
Pſ. 15. tuo, ſolum quærens bonum noſtrum. *Non enim eges bonorum noſtrorum*, qui, plenus es omnibus bonis. Nec amor tuus eſt cupiditatis, quærens quæ ſua ſunt: ſed quæ aliorum.

Summo quoque animo, & vehementi hæc omnia tu ſummus amor, & amator feciſti: adeo
Pſ. 18. vt non ſit qui poſſit ad eam, nec qui ſe ab-
Mat. 7. ſcondat à calore tuo: *Maiorem enim charitatẽ habuit nemo*, non dico hominum; ſed neque Angelorum. Omnis enim Seraphicorum ſpirituum intentiſſimus, & ſummus ardor, tuo collatus; non eſt niſi velut ſubſolanus tepor.
Rom. 5. Amore enim totali extatico: vt dicit Dionyſius, & prorſus infinito; licet non infinitè, adamaſti nos, adhuc dum inimici eſſemus Ante dies præteriti redirent, ante flores ab initio mundi areſacti reuiuiſcerent, ante pluuiarum guttæ innumerabiles prorſus colligerentur; quã æſtimari poſſet immẽſitas tuæ charitatis.

Poſtremo, & conſtantiſſimo amore me dilexiſti, in finẽ, quos amore cœperas, dilexiſti;
Io. 13. amaſti, & adeò fortiter amaſti, vt aquæ mul-
Cant. 8. tæ tribulationũ non potuerint extinguere tuã charitatem; ſed fortis erat, vt mors; imò fortior morte, tua dilectio, dura, vt infernus æmulatio tua. Quis ergo te non redamabit? Verè duri, & indurati, & diri nimium filij Adam, quos tanta benignitas nõ emollit; tanta flamma, & ingens ardor amoris, & tam vehemens, & fortis amator non ſuccendit: Nulla enim hac dilectio maior, nulla charitas ſincerior, nullus amor fortior *Diligam* ergo te Domine virtus mea, amabiliſſime, amandiſſime, amatiſſime, & amantiſſime amator.

§ 10. *Quo fructu patitur.*

DECIMO vltimum gradum conſcendit, & in arcem palmæ rapitur, qui eſt *exceſſus deuotionis*; dum velut cum ſponſa in ſummum palmæ reſidens, *fructus eius* deguſtat, & ſunt *dulces gutturi ſuo*; orans, & oblectans, vt tam dira paſſio ſit ei *primo redemptionis pretiũ*,

Scilicet à { Diaboli poteſtate.
Vinculo culpę.
Debito pœnæ. }

O redime me Domine: *Pretioſa enim apud te redemptio*, quia pretioſo ſanguine, *non corruptibilibus auro & argento* facta. 1. Pet. 1.

Secundo ora, vt ſit tibi *placationis inſignium*, oblatum pro tua reconciliatione: vt placaret vultum Paternæ offenſionis, vt tibi reſtituat amicitiam prioris dilectionis, vt manum ponat in ambobus reconcilians te Patri.

Tertio ora, vt ſit tibi *reparationis medium*, qui pro reſtauratione angelica paſſus; vt ſcilicet Hieruſalem reædificaret, & diſperſiones Pſ. 146.
Iſrael congregaret, factus lapis angularis; licet Ephe. 2.
ante reprobatus.

Quarto ora, vt ſit tibi *illuſtrationis collirium*, pro tua enim illuſtratione ante oculos tuos appenſus eſt, per eum ſeptem ſignacula reſerantur, & mens de omnibus illuminatur. O pendeas ſemper ante oculos meos, & reuela eos, vt conſiderem &c.

Quinto ora, vt ſit tibi *beatificationis præmiũ*, Paſſus enim eſt propter noſtram glorificationem; vt, ſcilicet ſingula tormenta, ſingularis nobis gloriæ, & materiæ eſſent, & merita. O ne eant hæc in me deperdita. Eya igitur ô vos omnes, qui per viam huius mortalitatis tranſitis, ne Domino omnium propter vos paſſo ingrati ſitis.

Hoc Roſarium crebrius legite, diligenter attendite, & clare videte, quòd non fuit paſſio ſimilis paſſioni eius: Non ſine dolore, & acerbitate, non etiam ſine fructu, & vtilitate, vt patet ex eo. Super quo Roſario; licet plurima pro eius explanatione poſſent dici; non tamen nobis hic diffuſius proſequendum; cum in ſuperioribus omnis ferè hæc materia eſt tractata, videlicet in Scala paſſionis.

Et ſciendum. quod ſingula puncta huius Roſarij poterunt legi cum ſalutatione illa, *Aue benigne Ieſu principium omnium, gratia plenus, miſericordia tecum* &c. & ſic conuertendo ad ſingula puncta, & in fine decimi punctuli, poterit annecti ſalutatio illa venerabilis Domini Ioannis Brugman, qui in fine ſuarum conſiderationum, illam adiungere ſolebat & dicere. *Laudo te Domine Deus meus, redemptor meus, miſeratorr meus, miſericors, & longanimus, & multum miſericors, benedico te, adoro te, glorifico te, & gratias ago tibi, propter magnam ignominiam, quam tempore paſſionis charitatiue pro me ſuſtinuiſti, & nunc propter gloriam, quã ob eandem paſſionem à Patre in humanitate ſuſcepiſti, te obſecro miſerere mei Amen.*

MEMBRVM III.

Roſaria conſiderabilium, circa Domini geſta.

MEditabor *in omnibus operibus tuis:* Pſ. 76. POSTQVAM poſita ſunt aliqua Roſaria, habentia meditabilia de paſſione Domini in genere; ſubnectenda ſunt quædam adhuc Roſaria, continentia meditabilia de quibuſdam articulis in ſpecie. Et non modo de paſſione Dominica: verum, & de tota vita: vt ſic meditabilia habeamus, circa omnia Chriſti opera, ſicque *meditemur in omnibus operibus eius* cum Pſalmiſta Pſ. 118. Et ſciendũ, quòd hæc ponuntur tanquam quædam exemplaria, aut paradigmata: vt horum inſtar quiſque ſtudeat ſibi aggregare de certis materijs certa meditabilia: & non ſolum, vt hic, vnam figuram, aut Prophetiam, vnam conſiderationem, aut doctrinam; ſed de ſingulis ſtudeat plura aggregare, & ſub hac vna dictione omnia alia comprehendere, vt ſub vna figura cæteras figuras, ſub vna conſideratione reliquas conſiderationes; & ſub vna Prophetia, & doctrina reliquas Prophetias doctrinas &c.

Et nota quod in his ponuntur quintuplicia meditabilia; ſcilicet. *Primo* textus, *ſecundo* figura, *tertio* conſideratio *quarto* Prophetiæ, *quinto* documenta, aut doctrinę Quæ tamen ſunt ad quattuor illa magiſtri Gerardi magni meditabilia reducibilia, quia Prophetiæ, & figuræ contexuntur in veteri pagina. De quibus quattuor iam latius dictum eſt ſupra. Patet ergo quod in his offertur latiſſima meditationis materia, in quibus ſunt omnia illa meditabilia, ſuper quibus ſingulis diu poſſet homo immorari. Nam *textum* commemoratum poteſt exponere, diuidere & declarare: Deinde *figuram* textui per interpretationem applicare: Tertio *conſiderationem* dilatare, per attentionem, & tractationem. Quarto *prophetiam* varijs modis explanare, & textui applicare. Deinde *documentum* conſiderare, quàm merito illud amplectendum diiudicare: & quia tam ab eo diſtat, querulari; pro illo adipiſcendo, adimplendo, optare, orare, obſecrare &c. Non igitur ei, qui meditari volet materia deerit. Imo, & prædicare volenti, abundantem copiam dicendi affert. Nam his inſcius inſtruitur, meditatiuus locupletatur. prædicator dilatatur: vt nõ facilè ei deſit materia dicẽdi: Imò, & deuotio excitatur: dum figurę dignè applicantur. Ab omnibus igitur amplexanda, ſæpe legenda, crebrius meditanda, fortiter documenta in his contenta exequenda: vt ſic attingamus æterna præmia. O igitur anima deuota, O anima meditatiua, quæ deuotè voles retractare Chriſti myſteria, diligenter ſingula ſubnexa conſidera.

Et nota, quòd tametſi propriè loquendo prophetiæ, & figuræ non ſint, niſi in Chriſtum futurum: Complectuntur nihilominus generaliter totum Chriſtum, & quoad antecedentia, concomitantia, & ſubſequentia ipſum. Sicut enim, Doctorum omnium conſenſu, prophetia de præterito, præſenti, & futuro, in ſcripturis inuenitur: Ita & figura de Chriſti antecedentibus, & ſubſequentibus reperitur. Satis tamen largè hic capitur præfiguratio, vt idem ſit, quòd comparatio, vel aſſimilatio. Et ſic hic in primo articulo Chriſti æterna generatio, comparatur proceſſui ſplendoris de Sole &c. Qui & conſubſtantialis, coæuus eſt, & coæqualis, vt patet. Qui autem latiora ſibi meditabilia volet, ille ex Doctorum ſcriptis copioſam materiam aggregare poterit: ita, quòd circa primum articulum, conſiderare poterit omnem materiam primi libri Sententiarum: Quæ eſt vel de diuinæ eſſentię Vnitate, vel de diuinarum perſonarum Trinitate Et circa ſingula eſt materia multa. CIRCA enim Diuinæ *eſſentiæ* vnitatem poſſunt conſiderari iſta.

Primo quòd Deus eſt	*Secundo, quòd vnus eſt.*	*Tertio quid nomine deſcriptione*
Eſt Deus,	eſt vnus,	quid,
Quarto qualis in proprietatibus.	*Quinto de actibus, & operationibus.*	*Sexto de loco manſionis.*
qualis,	agitque,	vbi,
Septimo de Diuinis moribus		
mores.		

Circa autem *perſonarum Trinitatem.* In genere conſideranda ſunt iſta.

Quòd eſt trinus in perſonis; & quod eſt Trinitas multiplex.	*De circunſtantiis, id eſt emanatione, relatione, notione.*	*De perſonarum proprijs.*
Trinus,	circunſtans,	proprium.
De ſingulorum appropriatione.	*De officiis bonitatis, & beneficijs.*	*De expreſſione Trinitatis.*
propriata,	bonum,	dic.

Compræhenditur fermè in his verſibus omnis materia de contemplatione Deitatis.

ITA etiã circa ſecundũ articulũ, de *rerum creatione*, occurrit materia multa nimis: vt

Primo auctor creationis qui eſt ſolus Deus.	*Materia de nihilo.*	*Cauſa bonitas.*
Quis creet,	vndeque,	cur,
Tempus in principio.	*Modus, in verbo.*	*Ipſum opus tam multum, magnum, bonum.*
quando,	vel quomodo,	quanta.

Et ita etiam de ſingulis creatis in ſpecie, de Angelis, homine &c. vt longum eſſet annotare. Similiter, & circa ſingulos articulos, offertur materia abundans: Ita quod ſuper aliquibus integra Roſaria collecta ſunt de conſiderabilibus: Imo aliquãdo duo, vel tria. Hæc pro tanto annotauimus: vt vel occaſionem adminiſtremus ſtudioſis, colligendi huiuſmodi meditabilia. Pſ. 126. *Beatus enim vir, qui impleuerit pharetram ſuam ex ipſis, non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta.*

Fe-

Digitized by Google

Feria Secunda.

	Textvs cum figura.	Consideratio.	Prophetia.	Obsecratio.	
Heb. 1.	*Eſt genitus, ſplendor* *Ad Matutin.* In primis æterna Chriſti generatio cõparatur proceſſui ſplẽdoris, in ſcripturis de luce qui illi eſt coæuus, vnde ad Heb. c. 1. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ.*	*quę Dei* Circa hunc articulum ſe offert omnis materia de Vnitate, & Trinitate Dei quæ eſt latiſſima in primo Sententiarũ libro.	*genui* De hac æterna Filij generatione dicit Propheta Dauid: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*	*peto credam.* O per hanc æternam generationem tuam, da vt omnia credenda firmiter credam, & piè, & credendo filius Dei fiam.	Pſal. 2.
Ier. 18. Rom. 9. Eſa. 42.	*Ecce creat, plaſtes* *Ad laudes.* Chriſtus omniũ creator, plaſtes, & gubernator, comparatur in ſcripturis figulo: vt patet Hier. c. 18. Et ad Rom. c. 9. Eſa. quoq; cap. 42. *Nunquid dicet lutum figulo quid me feciſti?*	*tria cerne* Hic conſideranda triplex operatio conditoris: ſcilicet creationis, diſpoſitionis, & gubernationis, in quibus relucent tria appropriata Trinitatis.	*creans* De hac creatione propheta Dauid. *Qui creauit cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt.*	*recrees me.* O qui omnia, & inter omnia, me, tã potenter, ſapiẽter, clemẽter creaſti per naturam; iam nunc me recrea per gratiam.	Pſal. 146
Gen. 1.	*Eiecit tenebras* *Ad Primas.* Protoplaſtorum propter pręuaricationem diuini mandati, de Paradiſo eiectio, Præfigurata fuit in lucis à tenebris diuiſione.	*iuſtus* Hic conſideranda eſt diuina iuſtitia, quam æqua pro culpa retribuat præmia: dignaque tormenta.	*non commanet,* De hac eiectione Dauid. *Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam, item non veniat mihi pes ſuperbiæ ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem.*	*haud me.* O æquiſſimè meritorũ retributor, nõ me proijcias à facie tua pro multitudine peccatorũ meorũ; ſed miſerere pro multitudine miſerationum tuarum.	Pſ. 100. Pſ. 35.
3. Reg. 10.	*Concipit ecce Sara* *Ad Tertias.* Chriſti à Sanctis Patribus exoptatio, atque feruentiſſimũ deſiderium, pręfigurabatur in Salomone, cuius vultũ deſiderabant omnes Reges terræ, audire quoque ſapientiam eius.	*cur* Hic conſiderandæ cauſæ tantorũ deſideriorũ, modi quoque, & deſiderantium Patrũ longanimitas.	*cunctis* De hac optatione Propheta: *Ecce veniet deſideratus cũctis gentibus.* Item. *Et ipſe erit expectatio gentium.*	*da cupiam te.* O *deſiderium collium æternorum*, ô rex gentiũ, & deſiderat⁹ eorũ, da mihi te ſẽper cõcupiſcere & nunquam in tuo amore lãgueſcere.	Aggei 2. Gen. 49.
Gen. 18. Iud. 6. Gen. 2.	*Concipit ecce Sara* *Ad Sextas.* Conceptio Domini Ieſu pręfigurata fuit in mirabili conceptione Iſaac à Sara; In vellere Gedeonis; in hõmine locato in Paradiſo.	*dignatio* Conſidera, quanta fuit dignatio Dei, quòd naturam noſtram, & limum aſſumpſit.	*virgo:* Eſa 7. *Ecce virgo cõcipiet in vtero.* Itẽ Ier. 31. *Fœmina circundabit virum.*	*feram te.* Domine Ieſu Chriſte, propter dignatiſſimam iſtam cõceptionem, fac ferã te ſemper deſiderio protectus.	
Exo. 3. 1. Reg. 28.	*Natus rex mutat* *Ad Nonas.* Natiuitas Domini Ieſu, pręfigurata fuit per regẽ Iſrael: Lux venit in mundum: Rubus non comburitur: Samuel venit in ciuitatem, qui mutauit habitũ.	*Frater* Conſidera, quia creator noſter, qui cõditione verè Pater noſter eſt, fact⁹ eſt frater noſter: vt cohæredes faceret.	*puer hic* Eſ. 9. *Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* Bar. 4. *Poſt hac in terris viſus eſt.*	*generem te.* O antique dierũ, propter iſtam Natiuitatem tuã humillimam, da bonis operibus, te generem in corde.	
Gen. 21.	*Scindetur en Abraham* *Ad Veſperas.* Circumciſio Ieſu præfigurata fuit in Abraham, & Iſaac, cui, & nomen tunc impoſitum eſt. Ipſe enim eſt vetus Pater multarum gentium, & mundi riſus.	*caſtus* O quam caſtus es, Domine Ieſu, qui dum nihil purgabile habebas, circuncidi volebas, & peccator videri.	*ſponſus* Exod. 4. *Spõ⁹ ſãguinũ tu mihi es.* Itẽ c. 12. *maſculus cuius præputij caro circũciſa non fuerit* &c.	*mea ſcinde.* O Ieſu, propter circumciſionem tuã acerbiſſimam, omnia, quæ tibi in me diſplicent, reſcinde à me.	
3. Reg. 10. Gen. 41. 1. Par. 11	*Stella magos, Salomon* *Ad Complet.* Magi quærunt puerum, quẽadmodum Regina Sabba, & Reges terræ concurrebant ad Salomonem: ad Ioſeph, vt emerent pabulum: & tres fortes tulerunt aquam de ciſterna Bethleem.	*ſtella eſt* Conſidera multiplicem ſtellam: ſcilicet materialem, fidei; rationis, & Ieſum ſtellam matutinam.	*Reges* Pſ. 71. *Reges Tharſis, & inſulæ. Et adorabunt eum omnes gentes quaſcunque feciſti. Omnes de Saba.*	*me & cuncta.* O Rex cunctorum, da mihi cuncta mea tibi offerre; res ſcilicet corpus, & animam.	Pſ. 85.

Feria Tertia.

	TEXTVS cum figura.	CONSIDERATIO.	PROPHETIA.	OBSECRATIO.
1. Reg. 7. Exo.13. *Ad Matutin.*	*Offertur Samuel* Offertur Ieſus in templo à Matre Maria; vt Samuel ab Anna. Similiter in huius typũ omnis primogenitus in lege. Ecce in Natiuitate homo, in circunciſione peccator, hic ſeruus videri voluit, & redimi.	*hic & hoſtia* Chriſtus & hoſtia iugiter pro peccatis offerenda, ipſe victima, primitiæ, decimæ, pacifica, ſacrificium, holocauſtum, incenſum.	*peruenit* Malac.3. *Et ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum, dominator quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti quem vos vultis.*	*ornent.* O templi cordis inhabitator, da cordis mei templũ ornem: quo dignè inhabites.
Gen.12. Pſ.104. *Ad Laudes.*	*Ægypto, Patres* Dominus Ieſus ingreſſus eſt Ægyptum: quemadmodũ olim patres noſtri Abraham, Iſaac, & Iacob; iſtos ſequutus multiplicatione nimia.	*peregrinus* Conſidera, quia ipſe, cuius eſt terra, & plenitudo eius, factus eſt peregrinus, & quaſi vir vagus ſuper terram.	*nube* Eſa.9. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptũ, & commouebũtur ſimulachra Ægypti.*	*tenebras.* O ſol iuſtitiæ per deſcenſum tuum in Ægyptum, illumina mentis meæ tenebras.
Cant.3. Mat.13. *Ad Primam.*	*Perdidit hunc ſponſa* Ieſus à Matre quęritur in tẽplo: quemadmodum ſponſa dilectum in Canticis, per vicos, & plateas igitur quæſiſſe, & poſt paululum inueniſſe. O qualis dolor Matris tam dilectum Filium quærentis.	*theſaurus* Ipſe theſaurus abſconditus, quẽ qui inuenit homo abſcondit. Ipſe Margarita pretioſa.	*& erudit* Prouer.8. *Ego ſapiẽtia habito in conſilijs, & eruditis interſum cogitationibus.*	*adſit.* O theſaure deſiderabilis, adſis mihi quærenti te, deſiderabili tua præſentia.
Gen.25. Sap.9. *Ad Tertiam.*	*Commanet, vt Iacob* Ieſus dilectiſſimæ Matri ſuæ ſubiectus, & Sancto Ioſeph, cũ illis vſq; ad annos triginta, ſimplex, vt Iacob, domi manens, publicum fugitabat: vt ſimile doceret nos.	*ſocius* Ipſe ſocius noſter, emiſſus de ſede magnitudinis Dei: vt nobiſcum ſit, & nobiſcum laboret.	*cum virgine* Eſa. 62. *Habitabit iuuenis cum virgine.* itẽ Pſ.101. *Similis factus ſum pellicano ſolitudinis.*	*amem ſic.* O indiuidue comes ſolitariorum, amem ſemper mecum ſolitariè conſiſtere.
1.Cor.10. 2.Reg.18. Iob 14. *Ad Sextam.*	*Lotio nube mari* Ieſus baptizatus eſt in Iordane: quemadmodum omnes filij Iſrael in Moyſe baptizati ſunt in nube, & Mari, & per Iordanem tranſierunt. Item ſicut Heliſæus fudit aquã ſuper manus Heliæ &c.	*mundus* Ipſe ſolus mundus, nullam habens peccati maculam, potens facere mundum de immundo conceptum ſemine.	*diſrumpit* Eſa.50. *Aperiam in montibus flumina, in medijs cãpis fontes diſrumpam.*	*vt albes.* O cunctorum candidator, terras mẽtis meæ ſordes ſuper niuem dealbes.
Exo.24. 3 Reg.19. Dan.1. Exo.33. *Ad Nonam.*	*Abſtinet Helyas* Ieiunium Chriſti quadraginta dierum, & totidẽ noctium præfiguratur in ieiunio Moyſi, & Heliæ, & Danielis Ieſus publicũ fugitãs, Moyſes cũ Domino colloquia miſcẽs. Per hoc amicꝰ intimus ſponſi Ioannes claruit.	*placans* Ieſus iram Paternam, in quã ex guſtu ligni vetiti incidimus, per ſuum ieiunium placauit.	*animam* Pſ.68. *Et operui in ieiunio animam meã.* Bar. 2. *Anima eſuriens dat gloriam Deo.*	*gula deſit.* O placator offẽſæ paternę, propter tuam eſuriem petimus, vt gula nunquam nobis dominetur.
Gen.22. Thob.12. Dan.1. *Ad Veſperas.*	*Tentat Euam* Ieſus tentatur, & vincit; ſed Eua tentatur, & vincitur. Abraham in tentatione inuentus eſt fidelis. Thobias in tentatione probatus eſt. Daniel cum tribus pueris decem diebus.	*vincit ſapiens* Conſidera, quòd ipſe verè eſt ſapientia Patris, quæ vincit malitiam iã crebro, & tam potenter.	*circundo* Pſ.90. *Scuto circundabit te veritas eius.* Sap.2. *Tentemus quæ ventura ſunt illi, & ſciemus quæ erũt nouiſſima illius.*	*reſiſtam.* O triũphator ſerpentis antiqui, da ſemper reſiſtã callidiſſimis diaboli tẽtationibus.
Gen.14. Nu 33. Io.6. 4 Reg.25. 3.Reg 10. 3.Reg.18. Exo.15. 3.Reg.7. *Ad Completor.*	*Ecce vocat his ſex* Duodecim Apoſtoli vocati à Domino Ieſu prefigurati ſunt in duodecim Patriarchis; 12. fõtibus: 12. horis: 12. menſibus: 12. Leonibus Salomonis: 12. lapidibus: 12. exploratoribus: duodecim principibus: duodecim bobus.	*vita hic eſt* Conſidera, quàm ſecurè eſt huic vocanti obedire, quia ipſe via, non errans, exemplum cunctorum.	*vocito* Eſa.13. *Mandaui ſanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea.*	*reuoces me.* O via errantiũ, reuoca me errantẽ ad te: vt te ſequi poſſim Dominum meum quocunque ieris. Apoc.14.

Digitized by Google

Feria Quarta.

	TEXTVS cum figura.	CONSIDERATIO.	PROPHETIA.	OBSECRATIO.
Ad Matutin. 3. & 4. Reg. Exod. Leuit. Deuter.	*Mira propheta facit* Miracula, quæ Chriſt⁹ fecit, præfigurata fuerũt in prophetis veteris teſtamenti; qui ſæpius mirifica egerunt: vt patet de Helya, Helizeo. Moyſe; ſed Chriſtus ſuperauit omnes virtute, multitudine, & poteſtate.	*quantus* Intuemini, quãtus eſt hic, cui obediunt elemẽta, quia mortui reſurgunt, claudi &c. Et cõſitemini, quia ſurrexit Propheta magn⁹	*ſcitote,* Pſ.4. *Et ſcitote quoniam mirificauit Dominus Sanctum ſuũ.* *Item innoua ſigna, immuta mirabilia.*	*memor ſim.* O mirabilis cunctis operib. Deus, da mihi tuorum mirabiliũ vtiliter cõmemorari.
Ad Laudes. Pſ.118. Heb.4.	*Pernoctans Dauid* Ieſus ſæpe in orationibus pernoctabat, quemadmodum Dauid media nocte ſurrexit ad confitendum Domino; Item quẽadmodum Moyſes, Helyas. Heliſæus, Ezechiel &c.	*mediator* Ipſe mediator Dei, & hominum potens &c. Accedamus ergo cũ fiducia ad thronum gratiæ eius.	*nox mea* Pſ. 118 *Et nox illuminatio mea in delitijs.* Pſ.62. *Deus Deus meus, ad te de.* Pſ.101. *Vigilaui, & factus ſũ, ſicut paſſer.*	*in horis.* O obſecrator attentiſſime, da in horis canonicis ſemper attentè, & deuote pſallam. Eſ.2. Pſ.142.
Ad Primam. Mat.5. Neem.8. Pſ.118. Deut.32.	*Hic docet eſt Eſdras* Poſt hęc per vicos, & caſtella doctor veritatis Ieſus doctrinã ſuam ſemper ſit, in cuius olim figura magnus ille Eſdras ſcriba docebat populum; Dauid iniquos docebat; Moyſes cælum, & terram prouocauit.	*verus* Ipſe doctor veritatis; imo ipſe veritas, à paupertate inchoans ſermonẽ.	*doceo* Eſa.43. *Ego Dominus docens te vtilia.* *Docebit nos vias ſuas.*	*fugio ad te.* O veritatis doctor, ad te cõfugio, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Eſa. 2. Pſ.142.
Ad Tertiam. Exod.34. Sap.7.	*Monte Thabor, Moyſes* In transfiguratione Domini facies eius reſplenduit, vt Sol; ſicut olim facies Moyſi ex colloquio Dei cornuta apparuit.	*ſplendor* Conſidera hic, quia ipſe eſt ſplendor gloriæ Paternæ, & candor lucis æternæ.	*cernent* Eſ.33. *Regem in decore ſuo videbũt.* Eſ.2 *Erit germen Domini in magnificentia, & gloria.*	*videam te.* O ſplendor lucis æternę, propter iſtã trãſfigurationẽ, fac vt internis te videã oculis.
Ad Sextam. 2.Reg.16.	*Blaſphemant, Semei* Blaſphemias quas ſuſtinuit Ieſus patientiſſimè à Iudæis dicentibus, quia dæmoniũ habes, vorator, & potator vini, &c. præfigurabat Semei, clamans ad Dauid, egredere vir ſanguinum, & vir Belial.	*laus* Heu quàm graue ei erat audire, dæmonium habes, qui ſemper in cælis audit, Sãctus, ſãctus, ſanctus.	*ſanctum,* Eſ.1. *Dereliquerũt Dominum, blaſphemauerunt Sanctum Iſrael,* & Eloquium Sancti Iſrael blaſphemauerunt.	*te benedicam.* O omni laude digniſſime da pro tuis opprobrijs ſemper te benedicã in æternum, & vltra. Eſa.5.
Ad Nonam. Io.6. 2.Reg.3. 2.Reg.18. 2.Reg.16.	*Flet Dauid* Fleuit Ieſus defunctum Lazarum, vt Dauid Abner, & Abſalõ; fleuit ſuper ciuitatẽ, vt Dauid Sycelech vrbem incenſam fleuit; & in cruce in monte Caluariæ, vt Dauid aſcendens cliuum oliuarum.	*obiectum* Amaritudinem fletus Ieſu indicat obiectum magnitudinis peccati, & triſtitiæ maternæ.	*facieſque tumet* Iob.16. *Facies mea intumuit à fletu.* *Defecerunt oculi mei præ lachrymis.*	*reflеam te* Domine Ieſu Chriſte, propter tuas crebras lachrymas, fac defleã amarè peccata mea.
Ad Veſperas. 1.Reg.18. 4.Reg.2.	*Clamat oſanna, chorus* Clamor puerorum dicentiũ, ô ſanna benedictus &c. præfiguratus eſt in mulieribus choros ducentibus, & dicentibus, percuſſit Saul mille, & Dauid decẽ millia. Et Chriſtus excipitur cũ Pſalmis, vt quondam Heliſæus.	*ſalus hic* Ipſi ſemper acclamabimus Oſanna, quia in eo tota ſpes noſtra, & ſalus vera conſiſtit.	*tibi Rex,* Zac.9. *Dicite filiæ Syon, ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam.*	*pia ſternam* O ſalutifer Chriſte, fac tibi virtutũ flores ſubſternam, & oſanna corde, & ore decantem.
Ad Completorium. Matth.26. Gen.37.	*Venditur ecce Ioſeph* Ieſus à proprio diſcipulo venditus, Ioſeph à fratribus, in ſalutẽ eorum. O quis dignè trutinabit Ieſu dulciſſimi patientiam, & Iudæ obſtinatiſſimi ingratitudinem!	*Dominus* Obſtupeſce mẽte, hæreat animus admiratione, quia Rex regũ, cui nulla condigna eſt æſtimatio, vẽditur pro vili pretio.	*pretium* Zach.11. *Appenderunt mercedem meam triginta argẽteis.*	*tibi nulla.* O pretiũ inappretiabile, nulla vnquã tibi tranſitoria præponam.

Digitized by Google

Feria Quinta.

		TEXTVS cum figura.	CONSIDERATIO.	PROPHETIA.	OBSECRATIO.	
Gen. 24. Gen. 18.	Ad Matutin.	*Hos lauat ecce Laban* Dominus Ieſus non dedignatus eſt lauare pedes diſcipulorum; quemadmodum Laban pedes camelorũ ſerui Abrahã; Sicut Loth pedes Angelorum.	*humilis,* Conſidera quomodo, qui ſedet ſuper Cherubin, humillimè proſternitur ante pedes piſcatorum.	*dat aquam,* Ezec. 36. *Cum ſanctificatus fuero in vobis, effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini.*	*peto mundes.* O lotor pedum humillime, propter iſtam lotionem, fiat cor meũ immaculatum in iuſtificationibus tuis.	
Exo. 16. Exo 12. Gen 14. 3. Reg. 16.	Ad Laudes.	*Eſca hæc Manna,* Accepit Ieſus panem &c. Accipite, & mãducate, hoc eſt corpus meum. Cuius figura fuit Mãna datũ filijs Iſrael, In agno; in Melchiſedech, qui obtulit panem, & vinũ; in pane Heliæ.	*Sacerdos* Ipſe Sacerdos in æternum ſecundũ ordinem Melchiſedech panem & vinum obtulit, ipſe ſemper aſſiſtẽs vultui Patris.	*eſcam dat* Pſ. 100. *Memoriã fecit mirabilium ſuorum. Oculi omnium in te ſperant Domine; & panem angelorum manducauit.*	*mihi panem,* O panis vitæ, fac vt per te, panem viuificũ, impinguer ſemper, & ſatier.	Pſ. 144. Pſ. 77.
Gen. 49. Eccli. 1.	Ad Primam.	*Sermo Iacob* Sermo Domini, quẽ in cæna fecit in vitæ termino, præfiguratus fuit in Iacob; qui moriturus filijs benedixit, futura prædixit.	*verbum* Ipſe verbũ Paternum, quo ſe, & cũcta dicit formari, reformat, fons ſapientiæ, verbum in excelſis.	*liquor adſum* Eſa 52. *Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipſe, qui loquebar ecce adſum.*	*corde memor ſim.* O verbum æternum, fac quæſo me verborum tuorum ſemper memorem, & opere executorẽ.	
2. Mac. 3. Gen. 32. 3. Reg. 19. 3. Reg. 18.	Ad Tertiam.	*Sudat Onias* Factus eſt ſudor Domini Ieſu, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Sic Onias in agone conſtituitur. Sic Iacob Eſau timuit; Helyas, Iezabel; Iacob cum Angelo; Helyas in montem carmeli.	*fortis* Heu quale fuit bellũ, vbi ipſe, qui eſt fortitudo Patris, ſanguinem ſudauit præ timore paſſionis.	*cernite* Tren. 1. *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus.*	*& Angelus adſtet.* O magni conſilij Angele Ieſu, fac vt Angelus conſolator ſemper mihi aſſiſtat.	
2. Reg. 10. 2. Reg. 3. 1. Reg. 31.	Ad Sextam.	*Oſcula dat Ioab* Chriſtus à Iuda ſub ſigno pacis proditur: quemadmodum Ioab mentũ Amaſæ tenens ferrum in viſcera ſtrinxit. Item ſicut Abner dolo à Ioab occiditur: Saul certus de morte occurrit Philiſtijm.	*ipſe pius* En quanta benignitas Domini, proditorem oſculantis, tam dulciter alloquitur & adhuc in malitia perſeuerat.	*homo pacis* Pſ. 40. *Homo pacis mea, in quo ſperabam, magnificauit ſuper me ſupplantationem. Tu vero homo vnanimis dux meus.*	*vt oris.* O pie Ieſu, propter iſtam doloſam oſculationẽ, oſculare me oſculo oris tui.	Pſ. 54.
1. Reg. 4. Iud. 16.	Ad Nonam.	*Captus vt archa* Captiuitas Ieſu præfigurata fuit in captione Archæ à Philiſtijm vbi Hely præ dolore expirauit. Quis ergo non dolebit de captione Domini ſui? Item victus eſt Dominus Ieſus, vt olim Samſon.	*immenſus* Immenſus, & interminabilis, quem cæli cælorum capere non poſsũt, capitur, & ligatur.	*ſpiritus,* Tren. 4. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in iniquitatib⁹ noſtris.* Eze. 4. *Fili hominis data ſũt ſuper te vincula et ligabunt te in eis* &c.	*haud Sathane ſim.* O diſruptor vinculorũ peccati: cuſtodi me vt pupillã oculi, ne fiam ſathanæ captiuus.	
Iud. 16. 3. Reg. 22. Eſa. 6.	Ad Veſperas.	*Ludicra Samſoni* Poſt hæc multis contumelijs Ieſus afficitur, in domo Annæ, & Cayphæ, cõſpuitur, velatur, palmis cęditur. Sic olim cõuenerũt, vt viderẽt ludentẽ Samſon: velatur Dominus, vt ſancta ſanctorũ in templo, percutitur, vt Michæas.	*Sanctus obedit* Ipſi enim omnes angeli clamant, Sãctus ſãctus, ſanctus, qui nunc ludibria, & conuitia patitur.	*decor haud* Eſa. 53. *Vidimus eum, & non erat ei ſpecies, neque decor.* Eſa. 50. *Corpus meũ dedi percutientibus, & genas meas vellẽtibus.*	*mediter te* O tremor Angelorum, mediter te ſẽper, ne fœdis cogitationibus contaminer.	
Ier. 18. Dan. 14.	Ad Completo.	*Ductus vt agnus* Ductus eſt legiſer noſter, de iudice ad iudicem: vt agnus ad victimam ducitur ac trahitur, & falſo accuſatur, vt Hieremias; ad mortem petitur, vt Daniel, & quaſi ouis ad occiſionem ductus,	*obedit* Attende, quanta ſit obedientia Domini Ieſu, qui trahitur, non quo ipſe vult, ſed quo Pater ſuus.	*ouis currunt.* Eſa. 53. *Sicut ouis ad occiſionem ducetur,* &c. Pro. 1. *pedes eorum ad malum currunt, & feſtinant vt effundãt ſanguinem.*	*trahe poſt te.* O Ieſu Patri obedientiſſime, trahe me, quo ſemper obediens currã poſt te.	

Digitized by Google

Feria ſexta.

	TEXTVS cum figura.	CONSIDERATIO.	PROPHETIA.	OBSECRATIO.
Luc.23. 1.Reg.21. Ad Matutin.	*Herodes in Geth* Herodes, vt fatuum, Chriſtum alba indutum ſpreuit cum exercitu ſuo; quemadmodũ olim Achis rex in Geth Dauid oblatum, dicens, Nunquid deſunt vobis furioſi?	*ſapiens* Obſtupeſce, quod ipſa Patris ſapiẽtia, propter te ſtultitia eſt reputata, & qui gloria eſt Angelorũ, illuſio fit hominum.	*rident* Pſ.21. *Omnes videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labijs, & mouerũt caput.* Iob 30. *Derident me iuniores tempore.*	*ſimulem me.* O ſapientia Patris, propter iſtam tuam deriſionem, fac ſapiẽter ſimulem me.
Io.18. 3.Reg.20 Ad Laudes.	*Latroni Benedab* Poſt hæc latroni comparatur, & præeligitur: quemadmodum olim Benedab rex Syriæ vir dignus morte, à rege Iſrael dimiſſus eſt, qui tanta facinora in populum Iſrael commiſerat.	*inſons* Obſtupeſce, quia qui peccatũ fecit, ad mortem petitur, & latro dimittitur.	*reputant* Eſa 53. *Et cum iniquis deputatus eſt.* Item, *filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerũt me.*	*cupiam te.* O deſideratiſſime, propter tuã repudiationẽ, cupiam te millies, & tibi nulla præponam. Eſa.1.
Iob 1. Iudith 6. Ad Primam.	*Ecce flagellant Iob* Tunc apprehendit Pilatus Ieſũ, & flagellauit: In cuius typum Sathan a facie Domini egreſſus, Iob ſanctum vulnere peſſimo, à planta pedis vſque ad verticem, percuſſit; Achior ligatur ad arborem.	*fert multa* Cõſidera, quia non ſolũ magna, ſed & multa patitur, & à planta pedis non eſt in eo ſanitas.	*tulere,* Cant. *Tulerunt pallium meum, percuſſerũt me.* Pſ. 37. *Ego autem in flagella paratus. Flagellatus ſum tota die.*	*ſeces me.* Domine Ieſu Chriſte, propter iſtam flagellationẽ, hic vre, hic me ſeca, vt in æternũ parcas. Pſ.71.
Gen 2. Gen. 3. Pſ.8. Ad Tertiam.	*Serto, aries* Plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti eius; in cuius figuram aries immolandus inter vepres cornibus hæret: Et vero Adæ terra ſua ſpinas, & tribulos gignit.	*qui gloria* Cõſidera, quod qui gloria eſt, & corona Sanctorũ omnium, gloria, & honore coronans eos in cælis, ſpinis coronatur in terris.	*mater* Cant.3. *Egredimini filia Hieruſalem, & videte regẽ Salomonem in diademate quo coronauit eum mater ſua.*	*condoleam nunc.* O gloria Sanctorũ, per tuã coronationem, fac tibi ex animo cõdoleam.
4.Reg.2. 2.Reg.10 Ad Sextam.	*Heu colitur caluus* Et genuflexo ante eum dicebant, Aue rex Iudęorum; Sicut pueri videntes Heliſeum, clamauerunt, *aſcende calue aſcende calue:* Sic Amon dehoneſtauit nuncios Dauid.	*Deus* Attende, quod ille, qui verè eſt Deus, cui ſoli cõpetit latria, deriſoriè adoratur.	*illuſere* Abd.1. *Omnes viri fœderis tui illuſerunt tibi.* Eſ. 29. *Populus iſte labijs me honorat.*	*& adorem.* O adorãde Ieſu, per tuam illuſionem, da te corde & corpore adorem.
Ier.26. Ad Nonam.	*Præſentant Hieremi* Deinde populo educitur, & exijt Ieſus, portans ſpineam coronam, & purpureum veſtimentum, & clamabant, *crucifige, crucifige,* ſicut olim clamabant de Hieremia, *Iudicium mortis eſt viro huic.*	*multi* O quantũ augmentauit eius dolorem, aſpectus tã innumerabilium hominum in Paſcha!	*grauis eſt,* Sap.2. *Grauis eſt nobis, etiam ad videndum.* Iob 31. *Aduerſũ me terra mea clamat.*	*fugiam nunc.* Domine Ieſu Chriſte, propter tuam ab omnibus deſpectionẽ, da, gloriam humanã deteſter.
3.Reg.21. 1.Reg.8. Ad Veſperas.	*Damnatur Naboth* Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum: Sicut Iezabel mandauit Naboth interfici iudicio iniuſto: Item filij Samuel peruerterunt iudicium.	*iuſtus* Ipſe iuſtus ante Deum, & homines, qui nunquam peccauit iniuſtiſſime condemnatur.	*turpi nece* Sap.2. *Morte turpiſſima condemnemus eũ: Cũ ſis iuſtus, iuſte omnia diſponis; ipſum quoq; qui non debuit puniri, condemnas.*	*damnem* O iudex iuſtiſſimè, propter tuã iniuſtam condẽnationem, damnẽ ego peccata mea.
Gen.22. 3.Reg.17. 2.Reg.23 Ad Completorium.	*Sub cruce fert Iſaac* Et baiulans ſibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur caluariæ, locũ; quẽadmodum Iſaac portauit ligna, patrem in montem ſequens immolãdus. Item figura eſt quando mulier duo collegit ligna.	*tener eſt* O quantũ opprobrium, O quãta pœna, quia hic eſt quaſi *tenerrimus ligni vermiculus.*	*humerum,* Eſa.9. *Factus eſt principatus eius ſuper humerum eius.* Iob 31. *Pondus Domini ferre non potui, humero meo portans illud.*	*tolerem ſic.* O noſtrorum peccatorum ſarcina grauate, Domine Ieſu, fac crucem religionis tolerare libenter.

De Paſſione.

	Textus cum figura.	Conſideratio.	Prophetia.	Obſecratio.	
2.Reg.6. Gen.9. Gen.27. 2.Reg.20.	*Nudatur Dauid,* Ad Matutin. Ieſus veſtibus ſuis exuitur crucifigendus; ſic denudatur Dauid ante arcam; Noe à filijs; Ioſeph tunica talari; ſic & Amaſa aſperſus ſanguine iacet in via.	*verecundus* Quanta eſt verecundia verecũdi iuuenis; dum quaſi vnꝰ de ſcurris nudatur.	*ſors* Pſalm.21. *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.*	*timeam te.* O verecundiſſimè Domine Ieſu, propter tuam denudationem, timeam coram te nudus apparere.	
Pſ.104. Gen.28.	*Fixus, & iſte Ioſeph* Ad laudes. Deinde cruci affigitur. Sic humiliauerunt in compedibus pedes Ioſeph, ferrum pertranſijt animam eius. Obſtetrix ligauit coccinum in manu Phares.	*mea ſpes* Ipſe certiſſima ſpes noſtra, ad nobiſcum manendũ totus confixus.	*fodere* Pſalm.21. *Foderũt manus meas, & pedes meos: dinumerauerunt omnia oſſa mea. Cornua in manibus eius.*	*timore.* O refugiũ cunctorum, confige me timore tuo, quo tecum perſeuerem.	Abac.3.
Nu.21. Nu.13.	*Exaltant ſerpens* Ad Primam. Hinc in aera cum cruce leuatur omnibus aſpiciendus, omnia ad ſe tracturus: quemadmodũ olim ſerpens æneus fuit erectus, ſerpentum morſibus venenatos ſanaturus. Botrus portatur in pertica.	*lapis eſt* Ipſe lapis angularis, coniungens terrena cum cæleſtibus.	*pendens* Deuterono. 28. *Erit vita tua quaſi pendens ante te.*	*cor ad alta.* O eleuatũ ſignum montis Caluariæ, eleua ſurſũ cor meum ad te.	
3.Reg.2. Thob.4.	*Septiloquus Dauid* Ad Tertiam. Chriſtus ex mundo egreſſurus teſtamentum condidit, 7 memorialia verba reliquit; quemadmodum Dauid moriturus, vocans Salomonem verba nouiſſima dixit, & de omnibus ordinauit; commendat Thobias Thobię matrem.	*numerum* Cõſidera profundum verborũ, & numeri ſeptenarij myſterium.	*de nube* Pſ.98. *In colũna nubis loquebatur ad illos.* Iob. 10. *Loquar in amaritudine anima mea.*	*grauis ſim.* O cenſor verborum, da vt tui exemplo, verbis meis ſemper grauis ſim.	
Iud.15. 2.Reg.23.	*Heu ſitit hinc, Samſonque* Ad Sextam. Dominus Ieſus præ magnitudine paſſionis ſitiens, aceto, & felle potatur; ſic Samſon de mandibula aſini potatur; Dauid ſitiens cupiuit aquam de ciſterna, quę erat in Bethleem.	*ſeuerus* Cõſidera, quàm ſeueriſſimus ſibi, in opere ſalutis noſtræ fuit.	*fel* Pſalm.21. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.*	*ſacra guſtem.* O dulcor cordium propter fellitam tuam potationem, da ſæpe guſtẽ, quàm ſuauis es Domine.	Pſal.33.
2.Reg.3.	*Mors nece Abel* Ad Nonam. Mortem Domini Ieſu præfigurauerunt magni principes veteris teſtamenti: vt Abel, Hieremyas, Eſayas, Eleazar, & Machabæi. Nunc ergo ignoratis, quod princeps magnus cecidit in Iſrael?	*primus auus* Obſtupeſcite, quod primus, & principium omnium, & æternitas, moritur.	*tradit* Eſa.53. *Tradidit in mortem animam ſuam.* Pſa.21. *Et in puluerẽ mortis deduxiſti me.*	*moriar nunc.* O mortis amarę deſtructor, propter mortem tuã amariſſimã, mundo moriar.	
Gen.1. Gen.6. 1.Reg.19.	*De latere Eua.* Ad Veſperas. Ex latere Chriſti dormiẽtis fons omnium Sacramentorum effluxit, & Eccleſia formata eſt; ſicut ex latere Adæ dormientis Eua; item in Arca Noe facta eſt feneſtra; Saul caſſo vulnere in parietem lanceam fixit.	*adamans* Cõſidera, quàm forti amore te amat; fortior morte dilectio eius.	*cernent me* Pſal. 21. *Super dolorem vulnerum meorũ addiderũt.* Zac. 12. *Et aſpiciẽt ad me, quem confixerunt.*	*vulnera corde.* Domine Ieſu, propter vulnus lateris tui, fac amoris vulnera in corde portem.	
2.Reg.3. Iona.3.	*Hinc tumulant Abner,* Ad Completo. Cum magno luctu ſepultus eſt Dominus: quemadmodum olim Dauid cum fletu ſepeliuit principẽ militię Abner; Ionas fuit tribus diebus, & tribus noctibus in ventre cæti.	*pauper* Ecce quã pauperem ingreſſum, progreſſum; & egreſſum habuit, quia in alieno ſepulchro. &c.	*tumulat* Eſa.11. *Et erit ſepulchrũ eius glorioſũ.* Pſ.138. *Subſtantia mea in inferioribus terræ.*	*ſepeli me.* Domine Ieſu Chriſte, propter tuam ſepulturã, ſepeli me tecum, vt neſciti gaudeã.	

De-

Digitized by Google

Dominica die.

		TEXTVS cum figura.	CONSIDERATIO.	PROPHETIA.	OBSECRATIO.	
Iudic. 16. Gen. 14. Dan. 14. Apoc. 5.	Ad Matutin.	*Eduxit Samſon* Dominus Ieſus ſuos à lymbo liberauit; cuius figura fuit in Sãſone, qui portas Gazæ tulit; Abrahã reduxit Loth, Daniel draconem interfecit.	*redimenſque* Ipſe eſt, qui redemit nos Deo in ſanguine ſuo, ex omni tribu, & lingua.	*lacu* Zach.cap.9. *Tu quoque in ſanguine teſtamẽti tui eduxiſti vinctos de lacu.*	*ſimul educ.* O redemptor animarũ fideliũ, educ animas omnium fidelium de pænis purgatorij.	
Gen. 41.	Ad laudes.	*Eſt viſus Ioſeph* Apparitiones Ieſu poſt reſurrectionẽ, præfiguratæ fuerunt in Ioſeph de carcere educto, qui à fratribus ſuis viſus, agnitus, & adoratus, eſt ſaluator mundi dictus.	*varia hic* Varia hic occurrit conſideratio, ſcilicet quibꝰ, quando, quomodo, quotiens apparuit.	*mane* Pſal. 29. *Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.*	*videam te.* O mærentium conſolator, da nunc deſiderare, & in futurũ vultum tuum in iubilo videre.	
Nu. 11. Gen. 42.	Ad Primas.	*Inſufflando Senes* Spirituſſancti in terris largitio, præfigurata fuit in ſenibus repletis ſpiritu Moyſi, qui ſtatim Prophetauerunt, nec vltra ceſſauerunt: Et in pecunia ligata in ore ſaccorum fratrũ Ioſeph, & benedictione Patrũ.	*ſpirat hic* Cõſidera quomodo Spirituſſanctus non ſolũ à Patre, ſed & à Filio procedit.	*verbo* Pſal.32. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.*	*peto perfla.* O inflãmator hominum, peto, perfla hortũ meũ, auſtro Diuini amoris, pariter, & proximi.	Cant. 5.
Iona 3. Gen. 9. Exo. 2.	Ad Tertias.	*Surgit, & ecce Ionas* Reſurrectio Domini præfigurata fuit in Iona, qui tribus diebus fuit in ventre ceti: In Noe euigilante, in Moyſe de aqua tranſlato.	*vita eſt* Cõſidera, quia ipſe vita eſt, reſurrectio, ipſe cauſa reſurrectionis noſtræ.	*ego dormio* Pſal.2. *Ego dormiui & ſoporatus ſum, & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me. Reſurrexit, & adhuc.*	*prima.* O reſurrectio, & vita mea, Domine Ieſu, da in prima reſurrectione partem habeam.	
4. Reg. 2. Gen. 5. Gen. 8. Leuit. 14.	Ad Sextas.	*Scandit Helyas* Aſcenſio Domini præfigurata fuit, quando Helyas igneo curru raptus eſt in cælũ: Item in Enoch: In columba ad Archam reuerſa, in paſſere, in Iacob.	*qui reparator* Ecce ipſe, qui reparauit ruinam angelicam, collocat hominem ad dexteram.	*duxit* *Aſcendẽs in altum, captiuam duxit captiuitatem. Aſcendit, iter pandens ante eos.*	*vt ad te.* O reparator curiæ cæleſtis, da vt ad te veniẽs ſemper tibi congaudeam.	Pſ. 67.
4. Reg. 2. 4. Reg. 4. Exo. 12.	Ad Nonas.	*Mittit Eliſeus* Miſſio ſpirituſſancti præfigurata eſt in Elizæo petenti duplicẽ ſpiritum Helyę, in oleo, quod vbi erãt vaſa vacua, abundauit; in lege data quinquageſima die; in ſenibus.	*donum* Obſtupeſce tã grande donũ datum homini, quia ſeipſum, tantus, taliter.	*fundam* Ioel.2. *Effundã ſpiritum meũ ſuper omnem carnẽ, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ.*	*mihi ſeptem.* O largitor Spiritus præſta mihi ſeptem dona Sãcti ſpiritus veraciter poſſidere.	
Heſt. Gen. 1. Cant. 8.	Ad Veſperas.	*Aſſumpta eſt Heſter* Aſſumpta eſt Maria in cælum, quemadmodum Heſter ducta fuit ad cubiculum Aſſueri pro Iudæis ſupplicatura: Item fons aſcendebat de terra: Sponſa innixa ſuper dilectum ſuum, affluens delitijs.	*mediatrix* Cõſidera quoniam habes Matrẽ, vt confidenter accedas.	*ſurge* Pſal.131. *Surge Domine in requiẽ tuam tu, & arca. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto.*	*memor ſis.* O dextriſedia, dũ ſteteris in conſpectu Dei, eſto memor mei.	Cant. 8.
3. Reg. 3. 2. Reg. 8.	Ad Complet.	*Iudex vt Salomon* Iudicium extremum præfiguratum eſt in iudicio Salomonis, quod egit inter duas mulieres meretrices: Et in Dauide duos funiculos mittendo.	*ſtrictus* Attende, quàm diſtrictus redit, qui mitis modo tranſijt, inflexibilis, ſcilicet, infugibilis, infallibilis.	*Ioſaphat* Ioel.1. *Conſurgant, & aſcendant gentes in vallem Ioſaphat, quia ibi ſedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu.*	*peto parcas.* O diſtrictiſſime iudex, parce mihi; dum ad iudicandum veneris. Domine ne in furore tuo arguas me &c.	Pſal. 6.

BENEFICIARIVM.

TITVLVS XVII.

M*Iſerationum Domini recordabor, laudem Domini ſuper omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, & ſuper multitudinem bonorum domus Iſrael.* Eſa. 63. POSITIS iam ſub duobus titulis meditabilibus quibuſdam de Chriſti vita, & eius paſſione; ponenda ſunt iam aliqua meditabilia, circa reliqua beneficia Dei; de quibus vtiliſſimum eſt, & valde neceſſarium meditari. Vnde merito omnis Religioſus, præmiſſum Eſayanum Eulogium crebra, imò quotidiana ruminatione ſecum eructare deberet; ſcilicet, *Miſerationum Domini recordabor*, &c. Et quotidie, vel vnum ex beneficijs Dei potioribus ſecum retractare.

De beneficiis diuinis in generali.

CAP. I.

ET NE longiores ſimus in proloquendo, quàm in proſequendo; ſunt nobis in hoc beneficiario tria potiſſimum (ſicut & circa cætera exercitia) aſſignanda: vt ordinatius procedi poſſet:

Scili. { Varia incitamenta, Scalaria prædicamẽta, Diſtincta pũctuatim, } quibus mens, { Excitetur, Ordinetur, Stabiliatur.

Oportet, & præterea circa iſtud exercitium, ſicut & circa reliqua, certum aſſignare tempus; ne ſcilicet aliquando ea intermittat. Quod tamen, quia quique ſuo ſenſu abundant, poterunt ſibi quod vacauerit aſſignare.

MEMRBVM I.

De primo principali, ſcilicet de incitamentis ad gratiarum actionem.

1. DE INCITAMENTIS, & inductiuis ad gratias agendas, licet plurima poſſent poni, ſciendum, quod hæc ſint potiora, ſcilicet,

Eſt iuſtum, placitumque, opus vtile, nobile, ſuaſum.

PRIMO inquam eſt iuſtum, & hoc iure naturali: Quiſque enim beneficiatus (iuxta Doctores) obligatus eſt iure naturæ ſuo benefactori, ſecundum proportionem beneficiorum, gratus eſſe: Quod ius & gentiles nouerunt, qui dijs ſuis ſummas gratias egerunt, vt patet ex orationibus Tullij, qui ſupplicationes ad omnia puluinaria templorum, cum feſto die conſtituerunt, pro defenſione contra Catilinam. Omnis enim effectus, naturaliter ad ſuam cauſam conuerti debet. Quare, & Deus (teſte Dionyſ. 3. Capitulo de Diuinis nominibus) omnia in ſe conuertit, tanquam omnium cauſa. Semper enim oportet quod effectus ordinetur ad finem agentis: Et ideo naturalis ordo requirit, vt ille qui ſuſcipit beneficium, per gratiarũ recompenſationem conuertatur ad benefactorem &c. *Iuſtum itaque eſt* (teſte Gregorio) *ſemper Deo gratias agere, quia nunquam ceſſat beneficere.*

SECVNDO eſt, & *placitum Deo*, vnde in huius typum iuſſit ſibi offerri omnem adipem, qui eſt gratitudinis figura: Vnde dicitur Leuit. cap. 3. *Omnis adeps Domini erit iure perpetuo.* Hæc etiam gratitudo eſt optimum illud vnguentum (vt Bernardus ait) quo vngitur caput Chriſti, id eſt Deus. Et ſicut gratitudine Mat. 6.
hac acceptius nihil Deo, ita è regione (ſi Bernardo creditur) nihil ei æquè diſplicet præſertim in filijs gratiæ, in hominibus conuerſionis, quemadmodum ingratitudo, vt latè declarat.

TERTIO opus eſt, & *neceſſarium*, vt grati

ſimus, ſi multa, & grandia mala euadere velimus, quę ingratitudo adducit, quæ ſunt iſta:

Aufert, reſtituit, ſiccat, mala plurima perdit.

Primo enim aufert bona conceſſa: Teſte enim Auguſti. quod *Deus dederat gratis, abſtulit ingratus.* Vnde & Iudæis Chriſtus, propter ingratitudinem; *ideo*, inquit, *auferetur à vobis regnum Dei.* Mat.21. Vnde & iuxta leges propter ingratitudinem reuocatur beneficium. § *ſciendum. Inſtit. de dona, &c. Hinc* 11. *quæſtione* 3. Audi. Primi parentes, quia repleti omnibus bonis naturalibus, & ſpiritualibus omniũ virtutum, & temporalibus, ingrati fuerunt Deo, adhærentes aduerſario eius, & mandatũ tranſgredientes; omnibus, virtutibus expoliati ſunt. Ingratus enim extitit (ait Auguſtinus) qui plenus virtutibus Deum omnino non timuit, nec gratus fuit; ideò (iuxta magiſtrum Henricũ de Haſſia) cecidit. *Secundo* ingratitudo quodãmodo reducit peccata dimiſſa: Nam ſeruus, qui Domino ingratus, conſeruo dimittere noluit, in carcerem reiectus, vniuerſum debitum ſoluere cogitur, vt ibi Raban⁹ ait. Vnde & Auguſt. ait: *Si alijs tu non dimiſeris, dimiſſus à me reuocabo te, & quicquid dimiſeram replicabo contra te. Tertio* quia fontem diuinæ gratiæ exſiccat, & gratiæ obſtruit vias: Nam (iuxta Auguſtinum) *Non eſt dignus dandis, qui eſt ingratus de datis.* Et Bernardus, *Ingratitudo eſt ventus vrens, fontem pietatis exſiccans, fluenta gratiæ, miſericordiæ rorem, & gratiarum ceſſat decurſus; vbi gratitudinis recurſus non fuerit?* Nam & vias obſtruit gratiæ; ita quòd vbi illa fuerit; gratia acceſſum non habet. Locum non inuenit &c. Hinc Sapient.c.16. *Ingrati ſpes, tanquam hybernalis glacies tabeſcet*, id eſt, deficiet. *Quarto* incurrit quis, & alia plurima mala, & temporalia, & ſpiritualia: Quare Philoſophi cum Deum cognouiſſent, dati ſunt in reprobum ſenſum; niſi quia ingrati? &c. Ezechias rex Hieruſalem poſt victoriam de Sennacherib, quare ægrotauit vſque ad mortem, niſi quia (teſte Ioſepho) dignas gratias non egerit, cantando Cãticum Domini ſecundum morem populi eius? Ioas Rex Iuda propter ingratitudinem etiam infirmatus, & ſic de alijs. Quare in gratia non proficimus, ſumma (iuxta Bernardũ) cauſa eſt ingratitudo noſtra, propter quam verendum eſt, ne & gloria promiſſa fraudemur. Nemo enim donis Dei fiet beatus, qui donanti extiterit, ingratus. *Poſtremo*, ingratitudo omnia bona, & merita, facta, diſſipat, & perdit: Bernardus. Ingratitudo eſt inimica animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, perditio beneficiorum Quiſquis mala hæc euadere, cupit, neceſſarium eſt, vt gratias agat; Sicut enim claudus fruſtra habet pulchras Tibias: ita grauiore peccato omnia dona cum ingratitudine poſſidentur.

Gen.3. *Mat.18.* *Rom.1.* *4.Reg.1.*

QVARTO, gratiæ ſunt agendæ, quia *vtile*, ita quòd vix vtilius illo agatur: Auguſtinus. *Quid melius, & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus; quam Deo gratias? Hoc nec dici breuius, nec audiri latius, nec intelligi grandius, nec agi fructuoſius poteſt.* Vnde hæc bona ſequuntur:

Aſtat, & infundit, conſeruat, præmia donat.

Primo meretur homo Dei in omnibus aſſiſtentiam, & in tribulationibus, vt patet in Paralipomenis.c.18. De Ioſaphat, qui poſt gratias, & laudes decãtatis, inuenit hoſtes proſtratos &c. Pſalm. 17. *Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis ſaluus ero. Secundo* liberalitas Dei gratias agentibus, ampliora dona *infundit.* Prouerb. 12. *Anima, quæ benedicit, impinguabitur.* Et Eccleſiaſt.44. *Exaltantes eum replemini ſpiritu illius.* Et Eccleſiaſticus cap. 1. *Ad locum, vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.* Fœlix igitur (ait Bernardus) qui ad ſingula dona gratię, redit ad eum, in quo eſt plenitudo omnium gratiarum. Cum enim poſt acceptum donum non ingratos nos exhibemus, locum facimus in nobis gratiæ: vt inde maiora accipere mereamur. Fidelis enim in modico, cenſetur dignus munere ampliori. *Tertio* gratitudo datam gratiam conſeruat. Quare enim tepeſcimus proceſſu temporis à feruore conuerſationis? quare amittimus gratiam deuotionis? cur paulatim frigeſcit charitas, abundat iniquitas? vt conſummemur in carne, qui ſpiritu cepimus, niſi quia grati non ſumus? Omnino ergo impedit à profectu (vt ait Bernardus) ingratitudo noſtra dum quodammodo amiſſum reputat dator, quod ingratus accepit &c. Oportet proinde gratum hominem eſſe, & deuotum, qui percepta gratiæ munera, non tantummodo ſibi manere deſiderat; ſed & multiplicari. *Poſtremo*, qui fideliter gratias agit in tempore, aſcribetur ſublimi pręmio in regno, quod illic officium erit ſemper, vt patet in exemplo de Cyſtercienſi Monacho. *Mat.24.* *Gal.6.*

DEBEMVS quinto gratias agere, quia *Nobile.* Hoc enim opus, & officium eſt Beatorum in patria; imò, & Domini Ieſu, qui ſemper ſtat gratias agens pro omnibus nobis. Eſa.51. *Inuenitur in eo gratiarum actio, & vox laudis.* Miſericordias enim Domini cantat in æternum, vt patet in Apocalipſ.c.7. de quattuor animalibus, ſenibus, & omni turba. Dignum igitur tam dignè aſſueſci operationi.

POSTREMO ideo libenter gratias agere debemus, quia eſt hoc multipliciter *ſuaſum*: Suaſum inquam,

A { Scripturis, Sanctis, / Creaturis, } quib⁹ { Admonemur, Exhortamur, / Incitamur, } Ad gratias agendas.

In omnibus, Scripturæ inquiunt, *gratias agite.* Omnes Sancti hoc hortantur; vt patet: Innumera Creaturarum incitant ad hoc exempla. Patet de Leone Hieronymi, De Leena Macharij, & alijs innũmeris exemplis, quæ Vincentius Beluacen. recitat in Speculo Morali.

Ob huiuſmodi igitur talia, & tanta indu-

ctiua, libenter gratias agere debemus. Mirum, quòd homo Deo non ſemper gratias agit, & laudat; cum omnis creatura ad hoc ſemper inuitet.

MEMBRVM II.

De ſecundo principali; ſcilicet de gradibus Scalaribus.

NVNC *ſecundo* principaliter videndum de *Scalaribus practicamentis*; quomodo videlicet gratiæ ſunt agendæ. Sine modo etenim, & ordine, ſicut eſt conditum nihil; ita nihil his ſine poteſt complacere. Qui igitur meliorem modum neſcierit, ſequentes gradus attendat, & teneat. Quorum PRIMVS eſt Excitatio, iuxta illud Eſa. c.26. *Vos qui in puluere eſtis, expergiſcimini, & laudate* &c.

Et eſt qua ſe homo incitat ad gratias agendas, Tum

II. Quia { Iuſtum,
Vtile,
Suaſum,

Et propter cætera inductiua iam dicta. Et ab hoc gradu, vt frequenter, exordiuntur Sancti ſuas gratitudines: vt patet in meditationibus Auguſtini, Bernardi, Anſelmi.

Gradus Secundus.

III. COmmemoratio vt illud Eſa. c.63. *Miſerationum Domini recordabor, & memor ero omnium bonorum* &c. Et eſt qua iam commemorando, ad mentem reuoces ea beneficia, quorum memoriam agere voles,

Siue { Generalium,
Specialium,
Singularium, } Aut aliter diſtinctorũ.

Et debet hæc commemoratio eſſe ſcalaris, & ordinata; ſic enim magis mouet, & complectitur plura. Et eſt hæc commemoratio primum gratitudinis; vt ſcilicet ſtudeat, vel accepta memorari: Nam immemorem beneficij omnes horrent; *Ingratus eſt* (ait Seneca) *qui ſe negat accepiſſe beneficium; Ingratus qui diſſimulat; ingratior qui non reddit; ingratiſſimus autem, qui oblitus eſt. Nunquam enim gratus fieri poteſt, cui totum beneficium elapſum eſt. Et nunquam voluit fieri gratus, qui beneficium tam longè proiecit: vt extra cõſpectum ſuum poneret. Memoria enim nihil perdit; niſi quod non ſæpe reſpexerit. Apparet igitur illum non ſæpe de reddendo gratias cogitaſſe, cui obrepſit obliuio.* Caue igitur ne beneficio obliuiſcaris; ſed in corde tuo ea abſconde ſemper, crebroque tecum retracta, & memorare. Et vt ad gratitudinem te magis permoueant. *S*equitur.

Gradus Tertius.

IIII. CONSIDERATIO, ſiue perſpicax attentio, iuxta illud, 1. Cor. 2. *Videte, quæ donata ſunt vobis à Deo:* Vt ſcilicet diligenter, & attentè conſideremus omnes circunſtantias, quibus beneficium aliquod augetur & amplificatur. Et ſunt iſtæ, vt dicitur in profectu Religioſorum,

Commendat donum, ſi nobile, & vtile, crebrum.

Si magnus, magno, paruo donet, vel inepto.

Immo, & alia quædam conſiderare debemus. Nam conſiderandum,

Ex parte {
- Dantis ſi { Magnus, & præpotẽs, Debito modo, & liberali. } donet,
- Doni ſi { Nobile & pretioſum, Vtile, & congruum, Crebrũ, & neceſſarium. } ſit beneficiũ ipſum,
- Recipientis { Vilis, & contemtibilis Indignus, ingratus, & immeritus.

Pauca de ſingulis agenda; quoniam ſæpe ad hæc ſupra remiſſum.

PRIMVM igitur *circa datorem* videndum; *ſi magnus ſit & magnificus*: Et iam palam conſtat quod dator ipſe, & benefactor noſter ſit Deus, omnium facilè ſummus; & immenſę dignitatis, à quo magnum eſt, ſi etiam, vel dignaretur cogitare de nobis. O qui linceos hic oculos haberet, vel ſaltem aquilinos obtutus, vt dantis benefactoris magnitudinem vtcunque ſpeculari poſſet; quàm illi beneficium omne, quantumuis etiam minimum, maximum videretur. Sed nec ſi nos ſuperimus, eius magnitudinem, & excellentiam cogitare, vel comprehendere poterimus: Ipſe enim eſt quo maius, meliuſque nihil cogitari poteſt, nec etiam æquale; Ipſe *magnus Dominus, & laudabilis nimis, cuius magnitudinis non eſt finis*; quare Pſ.47.
neceſſario infinitus: Nam omni bono finito, maius meliuſque cogitari poteſt bonum; ſcilicet infinitum, quod omni delectabili, & concupiſcibili, infinitè infinities melius, & delectabilius eſt, teſte Doctore Sancto.

Ad cuius magnitudinem, ſaltem ænigmaticè conſiderandam, quidam ex noſtris tali manductione vſus eſt, propter ſimpliciores, quorum oculi nihil ſublime vident, nec altas Theologicas ſpeculationes concipere valent. Sunt, inquiens, vtique tot rationales ſpiritus, & intellectuales, quot ſunt arenæ Montium, ſiue Oceani Maris Guttæ: quorum ſingulorũ minima cogitatio, totius vniuerſi (cæli videlicet, penè nobis ob ſui immenſitatem capacitatis incomprehenſibilis) terræ item, maris, & abyſſi ambitum concipiat, & concludat. Papè quid tunc tota ipſorum dilatata extenſio cõprehendet? Quo præſuppoſito, commaſſemus hos ſpiritus: vt prædicitur, ferè innumerabiles; ita ſcilicet, vt ſentiamus ſingulos, tantum, quantum omnes pariter commaſſatos capere, & luſtrare. Quod licet ob ſui incomprehenſibilitatem, nobis penitus ſit infinitum: attamen iſti ſic commiſſati, ſic ſimul omnes, multo minus de diuinæ ſublimitatis

poten-

potentiæ, nobilitatis, bonitatis, voluptatis, pulchritudinis, ſanctitatis, & cæterorum prędicatorum ſupereminentia comprehenderent; quam minima foret arena, reſpectu vniuerſi; Vna enim arena, reſpectu totius vniuerſi præmonſtrati, proportionem ſaltem minimam habet in quantitate: Totum vero pręmiſſum de ſpiritibus rationabilibus, ad diuinam exceſſiuam ſupereminentiam, nullam penitus habet proportionem; Quia licet nobis omnino incomprehenſibile ſit, & infinitum; in ſeipſo tamen, vtique eſt finitum: Finiti verò ad infinitum, nulla eſt omnimodis comparatio. Quoties igitur de Deo cogitare voles, ſiue de beneficijs eius, mens ſe in alta eleuat, cor quantum poteſt ſurſum dilatet, ac ſuper ſe, quandam tantamlibet admirabilem magnificentiam, bonitatem, ſanctitatem, nobilitatem &c. Vtcunque præualet, intendat, quæ ſic ſuper pręimaginatã excedit, & eminet: ſicut totius immenſitas Oceani, modicam aquæ guttulam ſupergreditur, & excellit. Non enim multum à veritate aberrat, qui talem diuinæ ſupereminentiæ imaginem, ante cordis oculos in ſuis meditationibus, aut orationibus verſat. Pſ 63. Iſtud enim eſt *ad cor altũ accedere*, hoc de Deo Eccli. 43 altiſſimo ſentire. Iſtud exaltare Dominum (ſuper tamen adhuc valentem) quantum poterimus.

Anima quæ ſuum benefactorem, tam conſpicit immenſum, omne ipſius donum etiam minimum (quantomagis maximum) intuetur, vt quoddam Pelagus infinitum. Vnde ego credo (ait qui ſupra) quod non ſit aliquod Dei donum, quòd (ſi anima ſic cum debita affectione, & gratiarum actione ruminaret) ipſam non deduceret ad perfectum, præexcludens ab ea omne peccatum; vt latè declarat. Sic itaque benefactoris magnitudinem videre poſſumus, qui etiam omnipotentiſſimus apparet in rerum creatione; ſapientiſſimus in earum gubernatione, clementiſſimus in earũ conſeruatione. Vnde omne eius donum grãditer æſtimandum.

SECVNDO principaliter circa benefactorẽ, videndum ſi *debitis modis* beneficia donet: Eſt enim beneficium donandum, affectuosè, libenter, & hylariter, citò, gratuitè, permanenter. O quis iam, ne dicam ſcribere; ſed vel cogitare poterit, quomodo, his modis Deus ſua beneficia præſtet? Paucis ſingula tangenda. *In primis* enim beneficium *affectuoſe* dandum: Amor enim eſt primum donum, in quo cætera donantur, qui ſi non affuerit, nihil eſt quod datur: Hinc Poeta,

Affectus præſt effectum; non reſpice quantum,
Sed fluit ex quanta ſedulitate datum.

Gratitudinis enim virtus (teſte Seneca) nulli eſt præcluſa, omnibus patet, omnes inuitat. Nõ quęrit donum, non cenſum, nudo homine contenta eſt, præponderat affectum. Sed quis affectum illum, quo Deus ſua beneficia præſtat, enarrabit? Tãto affectu hæc præſtat, quod etiam ſi modica daret, gratiſſimè eſſent accipienda. Deſiderio deſiderauit tibi benefacere, ab æterno prædiſpoſuit, ſemper actualiſſimè ſuper his cogitauit: vt plenius infra patebit. Affectus & charitas eius ſupereminet omni ſcientiæ, quòd à nullo ſenſu poteſt æſtimari.

Eſt, & libenter beneficium tribuendum iuxta illud Senecæ, In tribuendo caue ne ſis durus; O Deus præoccupat beneficium; imò cum nondum eſſemus benefecit nobis. Quoties vel tenuiter cogitamus pro beneficio, præſto eſt ſemper Deus. Non frontem trigat, non lumina obducit, vultum non auertit, occupationes non ſimulat, gratulatur quodammodo dandi ſe inueniſſe occaſionem.

Eſt tertio beneficium *hilariter* dandum: iuxta illud, *Hilarem datorem diligit Deus;* Et, *in omni dato hilarem fac vultum tuum, & In exultatione ſanctifica decimas tuas.* Exultat Ieſus in Spiritu ſancto; cum occaſio datur beneficia præſtandi. Cor. 9. Eccl. 35. Luc. 10.

Eſt & citò benefaciendum, iuxta illud Senecæ, Caue in benefaciendo dilationem, *Errat enim qui ſperat reſponſurum ſibi illum, quem dilatione laſſauit, expectatione torſit, Ingratum eſt beneficium, quod diu inter manus hæſit: Proximus eſt enim neganti, qui dubitauit, quod tarde fecit, diu noluit. Tantum gratiæ dimoues, quantum moræ adijcis. Nihil æque amarum quam diu pendere. Æquiore animo quidam ferunt præſcindi ſpem ſuam; quàm protrahi.* Non differt Deus dare beneficia volenti, quacunque hora quis ingemuerit, plenis manibus obuius ipſe occurrit.

Eſt & gratuitè dandum, cum roganti ſuffundatur rubor, qui hoc remittit multiplicat munus. *Optimum eſt enim antecedere deſiderium cuiuſque poſt preces proximum ſequi. Non tulit gratis, qui cum rogaret, accepit. Nulla enim carius conſtant; quam quæ precibus empta ſunt.* Nam moleſtum eſt verbum, & oneroſum, demiſſo vultu dicere rogo: Vincit autem omne beneficium, quod obuiam venit: Vide ergo, quàm gratuitè Deus beneficia ſua præſtet, qui etiam impendit his, qui non erant; qui dum erant non deſiderabant, nihil faciebant, impugnabant, & eis abutebantur.

Dandum eſt poſtremo permanenter; ne ſcilicet exprobretur, conqueratur, vel auferatur: Lex enim beneficij eſt inter duos, quod *dator ſtatim debet obliuiſci dati, alter memor eſſe accepti.* Nunquàm data vir bonus cogitat; niſi admonitus ab accipiente. Verè ſic facit Deus, non improperat; niſi in finem. Non item eſt de ingrato conquerendum; ſed beneficijs amplioribus obruendum, iuxta illud Senecæ; Sis munificus in dando, non acerbus in exigendo; Quæ enim ratio eſt exacerbare eum in quem magna contuleris, vt ex amico fiat inimicus? Perfert Deus patienter: vt de ingratis faciat ingratos. Nam licet ingratus dignus ſit beneficio priuari, benefico aliud ſtudium erit; ſcilicet, vel excuſare ingratum, aut beneficijs obruere, vt ſic faciat tandem gratum. Sic facit Pater noſter cæleſtis, dans permanentia dona, iuxta illud, Eccli. c. 6. *Datio Dei permanet iuſtis, & profectus illius, ſucceſſus habebunt in æternum.*

CIRCA donũ, itẽ cõſiderandum; ſi *nobile*, & pretioſũ. Quid autẽ Dei beneficijs pretioſius,

Digitized by Google

quæ nullo pretio ſunt comparanda? Nam vt ſileam de beneficijs gratiæ, & gloriæ, quis, vel minimum beneficium naturæ dignè ponderabit? Perpende quid cæcus pro oculo, ſurdus pro auditu, quid pretij daret?

Quam autem *vtilia* donet, non eſt quod explicet quiſquam; Dat enim quæ proſunt multis, noceant nemini, & quæ ad æternam conferant ſalutem. Dat, & cuique conuenientia dona dat. Vnde & dicitur, *Vnicuique iuxta propriam virtutem*: Non enim idem dandum milui & ruſtico, puero & ſeni. Dedit ergo varia dona ſuis Deus.

Quam autem hæc *crebro* conferat, quis numerabit? Quotiens gratiam perdimus; quotiens ingrati ſumus, aut abutimur donis ſuis, quotiens demeremur, aut aufert, totiens rependit. Quæ etiam beneficia tanto ſunt pretioſiora, quanto neceſſaria magis, adeo quod ſine eis, vel eſſe, vel ſaltem bene eſſe non poterit nobis. Videte ergo qualia data donata ſunt nobis.

SED quibus hæc talia ac tanta, tantus, & talis donat? Nonne hominibus, filijs hominum, ſtercori, & vermi? Iob c. 7. *Domine quid eſt homo quia magnificas eum, aut quid apponis*
Iob 7. *erga eum cor tuum*? Quid? Sine dubio (Bernardus ait) vanitati ſimilis factus eſt homo, ad nihilum redactus eſt homo, nihil eſt homo: Nã vt de corpore taceam, cuius origo ſordida, vita miſera, mors neceſſaria: Exterior enim homo de immundo ſemine eſt conceptus, ad laborẽ natus, velit nolit moriturus: Ac ſic vile ſperma in conceptu, vas ſtercorum in reliquo vitæ curſu, eſca vermium in occaſu: His inquã omiſſis, ſi animã intueamur, quid verius ſentiendũ, quam ad nihilum eam eſſe redactam? Quid neceſſe eſt ſingulas eius miſerias numerare? quam ſit onerata peccatis; offuſcata tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiſcentiis, obnoxia paſſionibus, impleta illuſionibus, prona ſemper in malum, in vitium omne procliuis? Poſtremo totius confuſionis, & igno-
Gal 6. miniç plena, adeo quod *qui ſe putat aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducat*, Gal. 6. Et tamen huic nihil, tam vili, & contemptibili, & cum tanta vilitate, nihilominus omnipotenti Deo benefactori ſuo, tam ingrato, & rebelli, non deſiſtit benefacere Deus.

O pietas ſtupenda! O miſericordia Dei, quæ illis tanto ſtudio vult benefacere, qui beneficia plene contemnunt; imo inde eum impugnant: Verum Seneca dixit: *Dij dant etiam ingratis.* Nam, & ſceleratis ſol oritur, & piratis maria patent. Benefacere merenti iuſtum eſt: Benefacere nihil merenti, ſed tamen humiliter petenti, pium eſt; Benefacere, nec promerenti nec petenti, magis pium eſt: Pijſſimũ autem, & non niſi Diuini cordis eſt, benefacere contemnenti, & aduerſanti, & hoc vili, & indigno &c. Hæc itaque circa ſingula beneficia cõſideremus, & vt conſiderata magis moueãt, ſequentẽ ſcandamus gradum qui eſt diiudicatio.

Gradus Quartus.

VIII. DIIVDICATIO, Qua iuxta legem, rectum iudicium iudices, & profundè dijudices, aut ratiocinãdo approbes, quam ſit iſtiuſmodi

Benefactor { Regratiãd⁹, Adamãdus, Obſeruãd⁹, } Pro beneficijs tantis.

Quæ dijudicatio fiet comparatiuè, & admiratiuè iuxta venerabilem patrem Theodoricũ Herxem, ita vt reſiliat homo à magnitudine benefactoris, in paruitatẽ ſuã dicens: Vnde mihi hoc? &c. Anxietatemque pro redibitione aſſumat dicendo. Pſ. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi*? Et quia dignè non poteſt, ſequitur

Gradus Quintus.

QVERELA optatiua, Qua conquerendo defleas; IX.

Quod { Hactenus beneficijs tã ingratus fueris. Ex æquo reſpondere non poſſis. Omnibus beneficijs impar ſis. }

Et qua in reliquũ { Dignas gratias agere optes; Gratitudinis munus tibi conferri exores, ita dicendo, }

Non opus eſt noſtra grates perſoluere dignas.
O mihi ſi poſſem, grates exoluere dignas. &c.

Et cum Auguſt. *O ſi poſſem vel aliquas; licet impares, exoluere grates.* Nam licet non poſſum tantum, & tantas, vt deceret amorẽ, obſequiũ, & gratiarum actiones; tamen quantum, & quantas poſſum, rependere cupio, & volo &c. Sequitur igitur

Gradus Sextus.

PROFESSIO ſuſceptorum beneficiorum, ea ordinatè X.

Coram { Summa Trinitate, Virgine Matre, Tota Sanctæ Eccleſiæ ciuitate, } profitendo.

Mandatum enim erat in lege Iſraelitis, vt deferentes primitiarum manipulos, profiterentur coram Sacerdote, hæc & alia à Domino accepiſſe &c. Hinc & Seneca. *Recognitio*, Deut. 26. inquit, *ac beneficiorum profeſſio, ſumma eſt gratitudo.* Sed caue ne clam gratiam referas: Ingratus eſt enim, qui remotis arbitris gratias agit: Hinc Thob. 12. *Benedicite Deo celi, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit vobiſcum miſericordiam.* Sequitur

Gradus Septimus.

GRATIARVM actio, vel dictio, qualis gratias agas, & hoc ſecundum Bonauenturã, XI.

Cũ { Vigilantia exurgente ad Cãticum, Lætitia exultãte ad iubilum, Beniuolentia accendente ad amplexum, } propter { Beneficiorũ vtilitatem. Beneficiorũ pretioſitatẽ, Benefactoris liberalitatem. }

Ita quod ad gratitudinem, Pſ. 104.

Fiet { Vitiũ exhortatio, Creaturarũ cõuocatio, Sanctorũ inuocatio, } Vt ibi { *Benedic anima mea Dominum.* *Benedicite omnia opera Domini Do.* Dan. 3. *Benedicite Angeli Domini Domino.* }

Item

Item, Apoc. 19. *Laudem dicite Deo puſilli, & magni* &c. Vel ſecundum Gorram ſuper Epiſtolas Pauli, fiet gratitudo,

Hæc	Iocunde,	vt	*Iocunda decoraq;* ſit laudatio. Pſ. 146.
	Magnificè,		*Magnifice gratias agimus.* 2. Mac. 1.
	Aſſiduè,		*Semper gratias agentes in omnibus.* 1. Tim. 5.

Sic gratias agebat homo ille francus, de quo Vincent. ſcribit, quod à mane vſque ad tertias, non ceſſabat pro peccatis pectus tundere dicendo: *Deus propitius eſto mihi peccatori* &c. Et deinceps vſque ad veſperam, ſuper ſingulis Dei donis; non ceſſabat gratias agere, ad ſingula beneficia dicẽdo, *Deo gratias*, &c. Sequitur,

Gradus Octauus.

XII. Pſ. 115. OBLATIO, quę agenda eſt, quia per nos inſufficientes ſumus; ideo in ſupletionem gratitudinis, calicẽ ſalutaris debemus accipere,

Et offerre { Ieſum Chriſtũ, & Euchariſtiæ ſacramentum. Totius corporis myſtici meritũ.

Reſignando plenè noſipſos, offerendo duo minuta, orando vt Deus pro nobis reſpondeat, & ſibi ipſe gratias pro nobis agat. Sequitur,

Gradus Nonus.

XIII. Luc. 2. REPENSIO; qua ſcilicet non modo ore gratias dicas; ſed opere, & veritate ſuſceptis beneficijs reſpondeas, & exercitia ad gratitudinem pertinentia, exerceas, quæ ſunt hæc, vt dicitur in profectu Religioſorum,

Vt recolas, ſapiendo, fatens, ſeruans, ſtudioſè.

Dilige, præcaueas, exercens, haudque ſuperbis.

Primum eſt beneficia ſæpe recolere; *Secundum* beneficia ſubtiliter intelligere: *Tertium* fideliter fateri beneficia: Quartum beneficia ſtudioſè ſeruare: *Quintum* benefactorem diligere: *Sextum* eius oſtenſam præcauere: *Septimum* non ocioſè tenere; ſed ad quod dantur exercere: *Octauum* non inde extolli.

Hæc eſt beneficiorum, & gratitudinis ſcala, quæ ſi cui prolixior fuerit, poterit abbreuiare eam Cuius poſterioris gradus, ſuccinctius proſecuti ſumus; quoniam in ſuperioribus, in feſtilogio ſcilicet, plura de modo gratias agendi diximus. Hoc vnum obſeruando: vt circa ſingula beneficia, conſiderationes ſupra dictas cogitemus: Quod, ſcilicet, tanta maieſtas, cuius magnitudinis non eſt finis, infinitis perfectionibus, & nobilitatibus eſſentialibus infinitis infinita; de qua magnum eſſet, ſi dignaretur vel ſemel amoroſè nos reſpicere, ſiue cogitare de nobis; imo ſi vna anima, haberet coaceruata omnia Sanctorum merita, diuina pietate, & largitate ſublata; non tamen poſſet emere momentaneam Dei de ſe memoriam; & tamen tam immenſis beneficijs obruit nos, qui ſumus vile lutum; fæx ſcilicet fæcis elementorum, fœdiſſimus ſaccus ſtercorum, & ſanies deteſtanda; repleti innumeris miſerijs, & abominationibus, ac vaniſſima creatura; à nobiſipſis continuè procliues labi in execrationem culpæ. Et cum iſta vilitate, Deo omnipotenti rebelles, elati, & ingrati, ac pro eius dilectione tanta, & tantis beneficijs, contumelias reddentes. Hęc ſemper conſideremus, ac profunde dijudicemus, quàm redamare debeamus beneficum Deum tam amantem: Nam in huiuſmodi conſideratione, ac profunda dijudicatione, datur gratia ſuper gratiam, omnis conſummationis perfectio; & virtutes altiſſimæ oriuntur. Hinc enim charitas Dei & proximi, ſpes, ſapientia, & humilitas oriuntur; imo omnis virtutum propago, hoc ſumitur ex fundamento: vt quidam pulchrè declarat. Vnde plurimum conſultum, huiuſmodi conſiderationibus crebrius exerceri. Et hæc de ſecundo principali.

MEMBRVM III.

De tertio principali; ſcilicet de cæteris punctis beneficiorum

XIIII. 1. Cor. 2. NOn *accepimus ſpiritum huius mundi; ſed ſpiritum qui ex Deo eſt; vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.* Paulus 1. Cor. 2. Ex his verbis colligitur, quam ſit neceſſarium & præſertim Religioſis, non modo Dei generalia beneficia crebro commemorare; ſed tanquam ſpiritum Dei habentibus, etiam ad ſingularia Dei dona deſcendere, vt poſſint ſuper ſingulis agere grates. Hinc ſub ſeptem generalibus beneficijs, octo ſingularia puncta aſſignauimus: vt ſic ſub numeris vniuerſitatis, & cõpletionis, cætera complecteremur; dantes *partes ſeptem nec non & octo*, iuxta Sapientiam; vt ſic Eccl. 11. ſingulis diebus ſub ſingulis horis, etiam ſub Laudibus matutinis, ſingula puncta habere- Pſ. 33. mus, & Dominum in omni tempore benediceremus; cum ſint innumera beneficia eius. Pſ. 70. Vnde in Pſalm. vbi nos habemus, *Os meum annunciabit iuſtitiam tuam, tota die ſalutare tuũ, quoniam non cognoui litteraturam* &c. Veritas Hebraica talem litteram habet, *Os meum numerabit iuſtitiam tuam, tota die ſaluationem tuã, quia neſciui numeros*; id eſt (vt Rabbi quidam Hebræus doctiſſimus explanat) Recolendo beneficia tua, numerabo ſemper iuſtitias, & ſaluationes quas feciſti mihi, & nunquam potero ad finem venire, quia neſcio numerum, præ multitudine earum. Quod autem noſtra tranſlatio *litteraturam*, vel (vt Hieronymus, & Auguſtinus) negociationem hic habet, per metaphoram eſt, quia litterati, & negociatores vtuntur numero, illi litterarum, iſti calculorũ in numerando; propriè tamen vocabulum (ait) *numerum* ſonat. O! itaque numeremus & nos tota die beneficia Dei, & quantũ liber numerauerimus, adhuc numeros neſciemus; multi enim ſunt, & ſuper numerum multipli- Pſ. 39. cata nimis. Et ſciat lector, quod in bonorum proſecutione tantam occaſionem, & materiã alijs miniſtrare voluimus; cum ſingulorum executio, excederet modum magni voluminis. O proſequatur, ruminet, & deducat quiſque ſibi illa liquidius.

Sequitur diſtributio beneficiorum per Ferias Hebdomadæ.

Digitized by Google

Beneficiorum diſtinctiones per ſingulas Ferias.

Beneficia creationis. FER. 2.

Præuidit

In *creationis* igitur beneficio, eius anteceſſorium occurrit primo meditandum, & cum pia gratitudine retractandum, quod ſcilicet *ab æterno te prædeſtinauit*, te in perpetua charitate amauit, tui ſemper curam geſſit.

creat

Deinde, quod tempore ſibi placito (licet omnes nequitias, & ingratitudines tuas præuiderit) in *eſſe te* deduxit, inſuper ſentire, & viuere dedit; ſed & inter nobiliſſimas creaturas; puta *hominem* te condidit, non lapidem, aut huiuſmodi aliquid.

Hinc corpus

Tertio, quòd tanta tibi bona *ex parte corporis* dedit; largiẽdo, ſcilicet in eo *membrorum integritatem*, complexionis ſanitatẽ, ſenſuum perſpicuitatem, delectabiliũ obiectorum varietatem, & ipſius corporis dignam qualitatem.

dignum tibi ſexum.

Quarto ſingulariter regratiandum, quòd ex parte corporis etiam, contulerit *virilis ſexus nobilitatem*, quo & dignitate præemines, pænas, & ærũnas muliebres, ſubiectionem item, & ignominias euadis, & diuino cultui aptus redderis.

Gratificationis. FER. 3.

Natum

Circa beneficium *gratificationis*, primo gratiæ agendæ, quod gratificauit nos in *dilecto Filio ſuo*, illi nõ parcendo, ſed illum exponendo, dando in ſocium, exemplũ, & pretium.

pneuma dedit,

Deinde & *Spiritum ſanctum dedit*, in ſignaculum acceptationis; in priuilegium amoris; in annulum deſponſationis; dona, & fructus, & inſpiramina ſacra, per illum impartiendo.

Sacramenta

Sacramenta quoque ad noſtram gratificationem neceſſaria inſtituit: vt nos his ſanctificaret, humiliaret, excitaret, erudiret, & alia ſua bona conferret, ſimiliter, & Sacramentalia multa.

domum tibi præſtat.

Eccleſiam quoque ſanctam, tanquã arcam Noe, qua à diluuio ſaluareris, cõdidit; aut, velut triclinium, quo diſponereris ad Aſſueri nuptias, parauit; Illã defendendo, promouendo, & adornando.

Vocationis. FER. 4.

Pertulit

In beneficio *vocationis*, primo conſiderandum venit, quod te ab eo poſt tanta beneficia auerſum, tam patienter tulit, longanimiter expectauit, non damnauit, nec mori permiſit.

acciuit

Secundo, quòd *aberrantem* tam crebro, & multipliciter *reuocauit*, nunc per internam inſpirationem, nunc per aliorum admonitionem; ſcripturæ exhortationem, beneficiorũ, & aduerſorum immiſſionem, & alijs modis.

tibi velle dedit

Tertio, *quod voci ſua vocem virtutis dedit mentis ſurditatem effregit, bonam voluntatem*, quo dono pretioſius nihil dedit, & conuerſionis impedimenta ammouit.

recipit te.

Quarto, quòd *quotiens cõuerti voluiſti*, paternè te, ſicut filiũ illum prodigũ gaudenter excepit, ruens in amplexus, ammiſſa reſtituens, & ſubleuans in priora.

Beneficiorum diſtinctiones per ſingulas Ferias.

Beneficiorum creationis. FER. 2.	*Dans animam* Quinto ex parte *animæ*, multa tibi bona fecit, quando tibi animam ad ſui ſimilitudinem, & imaginẽ dedit, quod illam Dei capacem, & immortalem fecit, quòd eam omnibus prætulit, & tantis potentijs, & viribus adornauit.	*dedit angelicos* Magna quoque animarum dignitas, & non minor benefactoris largitas: vt vnaquæque ab ortu; imo, & à conceptu, *Angelum habeat cuſtodem*, qui innumera ei bona confert; imò, quod omnes ſũt adminiſtratorij ſpiritus propter eos qui he.ca. ſalutis.	*tibi cuncta* Septimo grande illud beneficiũ, quòd *omnia, quæ condiderat ſubiecit ſub pedibus tuis*, dando ſuperiora in patrocinium; paria in ſolatiũ, & meritũ, inferiora in obſequium; ita quod omnia homini ſeruiant.	*parentes* Dedit & octauo, & quibus naſcereris *parentes ſi non nobiles*, & generoſos, non infames, & ſuſpectos; nõ pauperes, & mẽdicos; ſed honeſtos, mediocres, & pro te ſollicitos, qui tui curam geſſerũt ſtudioſè. Heb.1. Pſ.8. Ier.31.
Gratificationis. FER. 3.	*Tempus* Quinto poſt hæc, quæ antequam eſſes propter te effecit; cum te conderet hoc curauit: *vt in tempore gratiæ diuulgatæ, non legis aut naturæ*, te naſci voluit, & inter Chriſtianos, non Iudæos, aut Paganos.	*Baptiſmum* Sexto *gratiam Baptiſmalem* tibi conceſſit; non te in vtero, vt plures, abortiri; aut ante mori permiſit, ſed ritè, & Catholicè te baptizari dedit, quo culpam deleuit, gratiæ filium effecit.	*Confirmat.* Septimo ſacramento *Confirmationis*, & cæteris te perfecit, quæ pluribus denegauit, quibus plura tibi bona dedit, & à malis tutauit.	*nomine grandi.* Octauo vt verè ſibi te gratificatum oſtenderet, *nomine ſuo te vocauit*, & ſui memoriale reliquit, filiũ Dei fecit, hæredem, & cohæredem Chriſti conſtituit, & *Chriſtianum* dici voluit. Eph.1. Gen.6. Heſt.2.
Vocationis. FER. 4.	*Eduxit* Quinto non ſolũ ad pœnitentiam vocauit, & recepit; ſed *& de ſæculo hoc nequam eduxit*, tanquã Loth de Sodomis; Abraham de Vr Caldæorum; Noe de diluuio.	*loca,* Sexto, quòd nõ ſolum eduxit; ſed & ad loca ſalutis bona, *& reformata monaſteria* te induxit, præſeruans te à conuenticulis malorum, & irreformatorum.	*tempora dat* Septimo quod tibi in loco *pœnitentiæ adduxit tempus* (quod pretioſiſſimum eſt) indulſit; ad plenè pœnitendum, gratiam merendam, ſupplicia euitanda, regnũ poſſidendum.	*peccata deleuit.* Octauo quod *omnia ſuperiora peccata plene quaſi altero Baptiſmo deleuit*, & ita plene dimiſit; quod nec damnet vlciſcendo, cõfundat improperando, minus diligat imputando. Pſ.67. Luc.15. Gen.19. Gen.15. Gen.8.

Digitized by Google

Beneficiorum diſtinctiones per ſingulas Ferias.

Iuſtificationis. FER. 5.

Immutat

Circa beneficium *iuſtificationis*, id primum occurrit, quod voluntatem immutauit: vt dulcia eſſēt, quæ ante amara erāt, dans continentiam à malo; licet grandis ſit difficultas.

perſtes

Secundo, in *bono capto conſtantiam*, & *perſeuerantiam* dedit, ſine qua non iuſtificatur homo; cum tamen tanti cadant, & tam plura pericula obſiſtant.

ſpem profectus

Dedit quoque, ne inceptis deficeres, *ſpem obtinendi veniā, gratiam, & gloriam*; certificans te ex charitate adoptionis, veritate promiſſionis, poteſtate redditionis.

cito creſcas

Quarto, *gratiam proficiendi* indulſit, quæ conſiſtit in odio præteritorum malorum; in contemptu præſentium bonorum; in deſiderio futurorum bonorum.

Singularis dotationis. FER. 6.

Dat ſingularia.

Poſt hæc communia, dedit tibi hęc *ſingularia. In donis natura*, dando ſenſū capacem, memoriam tenacem: *In donis fortunæ*, fortitudinē, pulchritudinem *in donis gratiæ*, ſincerius credere, ardentius imitari.

plura

Sed & multa alia tecum bona ſingularia fecit, in tanta copia, quòd prorſus ſunt innumerabilia. *Cum errantem reduxit, inſcium inſtruxit, cadentem erexit.*

memor

Gratiam quoque ſingularem *meditandi, & internis exercendi tibi dedit*, intellectum erudiendo, affectum excitando, in effectum propoſita ducedendo.

deuotio guſtans.

Quarto, quod maius eſt non ſolū intellectū meditatione inſtruxit; ſed & *affectū deuotionis guſtu affecit*, & inflammauit, interna conſolatione reficiens, & arrā vitæ præbens.

Gubernationis. SAB.

Seruat

In beneficio *gubernationis*, huius primū eſt, *quod tamdiu te in eſſe tali conſeruauit*, quotidianum augmentum dedit; eſſe lætum, bonum, ſanum indulſit, cum ex nobis nihil ſimus.

præſeruans

Secundo, quòd à puerita, in hunc diē vſque, tam ſollicitè *præſeruauit*, à *tā multis periculis*, varijs morbis, dæmonum plagis, & alijs malis.

nutrit te

Tertio inde regratiandū, quod pro ſuſtentamento indulſit *nutrimenti ſufficiētiā*, multiplici te edulio reficiens: Ita quod nō opus habebis egere, ſollicitari, aut mendicare.

veſtibus ornat.

Quarto, & de competenti tibi prouidit *veſtitura*, quo ad vſū neceſſarium, ornatum cōgruum, ſtatum honeſtū, vt nuditatem tegeres, infamiam non incurreres.

Glorificationis DOM.

Gaudia dat

In beneficio *glorificationis*, videndum, quod promiſit gaudia vndecunq; procedentia. Nam *de ſupra* dabit Deitatis fruitionem, Ieſu, & Matris viſionē, &c.

ſupra, iuxta

Secundo, *de iuxta* habebimus Sanctorum ſocietatē, quæ multum eſt iucunda, propter eorum qualitatem, quia ſunt pulcherrimi, nobiliſſimi, charitatiuiſſimi, & numero multi.

ſimul intus

Tertio, *ab intus* habebim' corporis per quattuor dotes adornationem, animæ item per tres dotes glorificationem; duplicibus veſtiti, ſicut Sol fulgentes.

& extra.

Quarto, *ab extra* erit loci delectabilitas, & multorum obiectorum gaudio ſorum, puta victus, cātus, varietas, locus altus, & ſpacioſus, clarus, & luminoſus.

Beneficiorum diſtinctiones per ſingulas Ferias.

Iuſtificationi. FER. 5.	*Manna dedit* Quinto, ne in proficiendo aliquando deficias, menſam tibi parauit, qua te reficiat, dans *tibi Sacramentum corporis*, & ſanguinis, in viaticum peregrinationis; ſacramentum communionis; ſacrificiũ redemptionis.	*libros* Sexto, vt plene iuſtificareris, & purgareris, omnia neceſſaria dedit, *dans ſacram ſcripturam*, *& libros quaſi ſpeculum*; quo contempleris defectum, accendas affectum.	*ornatum* Septimo, præſtat & ornamenta, quibus fœditatem adornares: vt ſunt *ſacra exercitia*, *virtutum ornamenta*, lachrymarum lauachra, & ſmigmata.	*reſpice Sanctos.* Octauo ne in iuſtificatione deficeres, aut ab ea tepeſceres, contulit *tibi Sanctos in exemplum*, *& patronos*, quibus excitetis à torpore, inſtruaris ab errore, cureris à languore.
Singularis dotationis. FER. 6.	*Gratis dans* Quinto, pluribus gratijs *gratis datis in ornamentum Eccleſiæ*, *& perſonæ te adornauit*, cuiuſmodi ſunt quæ Paulus, ad Corinth. enumerat donum linguæ, bona expreſſiua &c.	*aufert* Sexto ne gratias prædictas amitteres, *ſingulariter te à peccatis cuſtodiuit*, *auferẽs peccatorum occaſiones*, aut cauſas ſubtrahẽdo; aut vim reſiſtendi dando, aut affectiones ſanando, ne tentareris.	*fortem facit* Septimo, Etſi quãdoque in tentationẽ cadere permiſit, *fortius reſurgere fecit*, aut vires reſiſtendi dedit, vel manum ne contereris ſuppoſuit.	*ordo decorat.* Octauo tibi fecit, quod omni nationi non fecit, dum ad *ſacros ordines te* promouit; diſpenſatorem indulgentiæ, doctrinę, Euchariſtiæ te conſtituit. 1. Cor. 12. Pſ. 147.
Gubernationis. SAB.	*Datque neceſſe* Quinto, omnium neceſſariorum cæterorum tibi copiam adminiſtrauit, dans *domum ad inhabitandum*, *lectum ad quieſcendũ*. Et non ſolum neceſſaria; ſed etiam dedit *vtilia*, *& iucunda*.	*regit* Sexto, non ſolũ te gubernauit, ſed & *omnem creaturam aliam propter te in eſſe conſeruauit*, & rexit, tempora immutans, fructus producens, virentia prata ad oblectamentum.	*aduerſa dedit* Septimo, non ſolũ per proſpera; ſed & per *aduerſorum immiſſionem te gubernauit*, ex quibus tibi multa pręſtitit bona. Nam & peccata purgauit, meritum auxit, &c.	*pius aſtat.* Tanquã proſtremo, tuæ ſemper ſit gubernationi intentus; quaſi omnium cæterorum oblitus, *tui ſolus* videatur gerere curam, *ſemper tibi præſens*, omnia tua conſpiciens.
Glorificationis DOM.	*Infra* Quinto, dabit quoque, vt promiſit, gaudia plurima, ex contemplatione *ad inferiora*, quando videns te euaſiſſe mundi vanitatẽ, peccati fœditatem, hoſtis caliditatem, inferni pœnalitatem.	*plura bona* Sexto & alia bona innumera tibi dabit, bona inquã tã multa, quod non poſſunt numerari; tam magna, quod non cogitari, tã pretioſa, quòd non æſtimari, *Aureã*, *aureolas*, *dotes*, *fructus*.	*remouet mala* Septimo dabit *omnium malorum amotionem*; puta culpabilium, penalium, hoſtilium, ita quod erit *ſecuritas* omnium horum. Non enim erit dolor amplius, neque luctus &c.	*vota replendo.* Poſtremo illic dabit, vt promiſit, *omnium deſideriorum impletionem*, *replens* in bonis deſiderium tuũ vt quicquid voles, habeas, & quo volueris careas & ſic beatus perſiſtas. Apoc. 21. Pſ. 102.

De beneficio creationis.

CAP. II.

Eccl. 17. DEus creauit de terra hominem. Eccl. Vbi recenſet innumera alia creationis dona: Vnde hic de *beneficio creationis proſecuturi*, Primum nobis videndum eſt, de beneficio illud antecedente: ſcilicet de prædeſtinatione diuina: Deinde de creatione ipſa: & tandem de medijs, & ſubſequentibus eam, vt patet intuenti.

MEMBRVM I.

De prædeſtinatione igitur dicturi, illud Apoſtoli præmittendum. Preuidit.

Eph. 1. *BEnedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti &c qui elegit nos in ipſo, ante mundi conſtitutionẽ: vt eſſemus ſancti:* & infra. *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum.* Ad Eph.

PRIMVM itaque in creationis beneficio attendendum eſt, quod ante mundi conſtitutionem nos elegit, & ab æterno *prædeſtinauit*: Vnde & in principio ſui capituli ſuper hoc beneficio Apoſtolus gratias agit, vt patet. Et verè dignum, & iuſtum eſt, ſuper hoc agere gratias, quoniam grandiſſimum eſt beneficium illud, pluraque alia, quæ ad prædeſtinationem concurrunt continet, ſcilicet iſta.

Praenoſcens, amat, elegit, proponit, & aſtat.
Nam & quinque iſta neceſſaria ſunt cuique artifici erga opus ſuum, prius quã perficiat illud.

Primum igitur ad prædeſtinationem, requiritur *præcognitio*: quia ſicut neſcire Dei, eſt reprobare: ita ſcire Dei, poteſt dici cauſa prædeſtinationis, dicente Paulo, *Quos præſciuit, hos & prædeſtinauit.* Ab æterno itaq; te in mẽte geſſit, te plenè cognouit, & tamen tam tui amans fuit quod omnis cognitio nequitiæ tuæ, à te creando, eum diuertere non valuit. O res miranda! O gratiæ tibi Domine. Rom. 8.

Secũdo, te etiam amauit, & bonum tibi voluit. Hieremiæ. *In perpetua charitate dilexi te.* O grande dictu, difficile creditu, quod Deus homines amet, & adeo ab æterno amet. Rediligam te Domine, amator, & amor meus. Ier. 31.

Tertio poſt te elegit. Ex eo enim quod diligit (ait Apoſtolus.) *Elegit nos in ipſo &c.* & ipſemet, Ego elegi vos. O electionem gratuitam, electionem vilem nimis, qua ſine ſaluatur nemo. Electio Dei non præſupponit bonos: ſed quos malos elegit, facit bonos. Eph. 1. Io. 15.

Quarto propoſuit, & voluit miſereri. Paulus. *Sumus prædeſtinati ſecundum propoſitum eius qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. Cuius vult miſeretur.* Nullus enim (teſte Auguſtino) fit ſaluus: niſi quem Deus vẽlit. Et ideo rogandus eſt: vt velit, quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit &c. Eph. 1. Rom 9.

Poſtremo ab initio conditionis ſemper mihi aſtitit, excludendo impedimenta, conferendo neceſſaria ad implendam hanc æternam, gratuitam prædeſtinationem.

ATTENDITE igitur omnia intima mea, quãtum, & quale ſit beneficium iſtud, quod Deus Deorum ab æterno, & ante ſęcula tui meminerit, tuæ ſalutis ſemper actualiſſimè ſollicitiſſimus fuit. Nam & ex hoc, quod anima ſecundum eſſe ideale ab æterno in verbo fuit, tres perfectiones nobiliſſimas ſibi accepit: vt aiunt Doctores,

Scilic. { Realem conſubſtantialitatem,
Fontalem ſuauitatem,
Formalem accidentalitatem.

Primum patet, quia (ſecundum Auguſtinum) hoc proprium eſt Diuinæ ſimplicitati, vt quicquid eſt in ea, ſit Deus: Alias in Deo eſſet accidens, quod eſt impoſſibile, quia eſt actus purus. *Secundum* patet, nam per realem identitatem eſſentiæ, anima deguſtat in tali eſſe ſuauitatem diuinam, ex eodem fonte diuinitatis cum ipſo verbo: Tertium patet, cum enim creatura ſit in Deo creatrix eſſentia ſecundum Anſelmum, patet, quod anima exiſtens in verbo, quodammodo creauit cælum, & terram, & omnia quę in illo fecit: vt declarat Iordanus. O ſuperbiam! ô gloriam! quid vnquam hoc beneficio maius? Hæc dicta ſunt ſecundum communiorem opinionem Doctorum plurimorum, tenentium, quod idea ſit realiter diuina eſſentia, differens tamen ab ea ratione. Secundum quam poſitionem poterunt dicta illa verificari. Secus tamen de ideis ſentiunt poſteriores, & reputatiſſimi quidã, Vt Okam, ſcilicet, Petrus de Allyco, Ioannes Gerſon, & horum ſequaces, beatiſſimum Auguſtinum inſequentes, & tenentes, quod ideæ non ſint in Deo realiter, & ſubiectiuè; ſed tantum obiectiuè, ſicut omnes creaturæ ab æterno fuerunt in Deo, quia ab ęterno fuerũt cognitæ à Deo. Et ideo vt aiunt nunquam inuenitur, quod Auguſtinus alicubi ponat ideas; niſi in diuina intelligentia. Non in eſſentia, Per hoc innuens, quod non ſint in Deo; niſi ſicut cognita, & non ſicut ibidem realiter exiſtentia. Vnde dicit, Vbi eas arbitrandum eſt eſſe; niſi in mente creatoris, & diuina intelligentia contineri? &c. Quam poſitionem lucidiſſimè tractat Okam, ſuper primum circa 34. diſtinctionem. Et Petrus in ſuo ſcripto Sententiarum. Et approbat Gerſon in diuerſis locis, ſcilicet de vita animæ, & ſuper Cantica ad Carthuſien. Et hac via verba ſuperiora non ſunt vera, niſi exponantur. Nam verum quidẽ eſt, Creatura eſt in Deo creatrix eſſentia, per tropum, & Schema: Sed ſimpliciter, & propriè nullo modo &c. vt dicunt iſti. Non enim ſic ideæ ſunt creatrix eſſentia; ſed vera creatura, à Deo cognita: vt latius illi declarant. Et obiecta omnia diſſoluunt: Et ſi quæ verba Auguſtini in contrarium videntur, exponunt; imò audentius Petrus dicit; ſi ſecus Auguſtinus intelligat; quam exponunt, in hoc eum non ſequendum, ſed cum reuerentia declinandum: pro vt Auguſt. ipſe in prolo. tertij de Trinitate docuit di. Noli noſtris litteris, quaſi Canonicis inſeruire &c. Teneant lectores poſitionem quam velint, ſat ſit nobis ſcripſiſſe ſana, ſub

Videas. Quæſtio.

moderatione

Digitized by Google

moderatione opinionem; ne cum aliquo aberremus. Medio tutiſſimi ibimus. Non noſtrum eſt diſcernere inter doctos, legant vtrorumque rationes ſtudioſi. Nec ſubito, aut temerè præcipitent ſententiam ad omne verbum. Leuit.11. Sint animalia munda, ſint ruminantes ac vngulam fiſſo pede ac diſcreto diuidentes, & diſcant cum Sapiente, ſententiam differre in tempus iudicij, & perfectæ cognitionis. Quoniam perfecta cognitione opus eſt, ad iudiciales ſententias proferendas, quæ non niſi collatione & conſeruatione habentur &c. Sicque tandem amplectantur veriorem. Periculoſius nempè hic ſecundum Auguſt. erratur. Et ideo tantiſper eſt annotatum hic, & nihil affirmatum. Sed ſunto vtcunque, & eunto hæc ſuas vias, ad proſequenda beneficia noſtra nos diuertamus. Nihil etenim minus in hoc beneficio habemus; ſi non per eſſentiam Deus ſimus. Pſ.81. Grande, & grande nimis, quod per participationem dij dicamur, quod ad ſimilitudinem conditi ſumus. Faueo Deo meo, quod per eſſentiam ſit Deus, in hoc congratulor ei, teneat ipſe ſibi, non communicet in eo alienus. Gratias, quod ab æterno meminerit mei, quodque ſemper alta mente apud eum fui, & ero repoſtus. Gratias omnia dicant. Eya igitur cum Auguſtino, ſuper hoc beneficio gratias agamus dicentes, O ſapientia, quæ aperis os mutorum, da mihi vocem laudis, vt enarrem omnia beneficia tua, quæ mihi Domine à principio contuliſti. Ecce enim ſum, quia creaſti me, Pro.8. quod me creares, & in numero creaturarum tuarum numerares ab æterno, tu præordinaſti, antequam quicquam faceres à principio, antequam extenderes cælos; necdum erant abyſſi, adhuc terram non feceras, nec montes fundaueras, necdum fontes eruperãt; Antequam hæc omnia, quæ feciſti, per verbum faceres, me tuam creaturam fore, certiſſima veritatis tuæ prouidentia præuidiſti, & eſſe me tuam creaturam voluiſti. Et hoc vnde Domine benigniſſime Deus, altiſſime, & ſemper mitiſſime Pater miſericordiſſime, & creator potentiſſime, quæ mea merita? quæ mea gratia? vt placeret ante conſpectum tuæ maieſtatis prædeſtinare, & creare me. O diligam te totis medullis, & viſceribus meis, quia tu prior dilexiſti me, &c. Hęc Auguſt. in ſoliloquio capit. vj. Poterunt, & complura alia de prædeſtinationis altitudine, & vtilitate aſſignari, ſed &c.

MEMBRVM II.

Creat.

II. EGo *Dominus creans te, & formans te ex vtero.* Eſa.44. *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos* Pſ.94.

POST PRÆDESTINATIONIS beneficium, regratiandum de *creatione ipſa*, quâ nos tempore ſibi placito, de non eſſe deduxit; creauit, & in vtero formauit. Non enim ipſi fecimus nos, nec parentes fecerunt nos; ſed ipſe fecit nos, &c. Quod creationis beneficium hæc punctula ſub ſe complecti poteſt. ſcilicet

Es, viuis ſentis, ſapis, ac homo conditus es cur.

PRIMVM itaque circa hoc beneficium (ait Auguſtinus) Cogita, ô anima, quod aliquando non fueris, & vt eſſe inciperes, hoc Dei dono accepiſti; Donum ergo eius erat, vt fieres; cui nil tu dediſſe poteras, prius quàm fieres. Qui vtique ſi nil amplius dediſſet, pro eo ipſo ſemper à vobis laudandus, & diligendus eſſet. Hic attendendum, quàm nobile & quid ſit eſſe, quod omnia appetunt tam ſtudioſè, etiam malunt ipſi damnati eſſe, quam non eſſe ſimpliciter, vt aiunt Doctores multi, &c Proſequitur Auguſtin. conſiderans quale eſſe dicens. Nunc autem amplius dedit, quia non dedit ſolum eſſe; ſed & pulchrum eſſe, & formoſum eſſe. Sed nec hic terminari potuit, munificentia optimi largitoris. Adhuc aliquid plus tibi dedit, quia, *Viuere dedit* vt præcellamus his, quæ non ſunt per eſſentiam, & his, quę inordinata, & incompleta ſunt, aut incompoſita per formam; & quæ inanimata per vitam. O quale bonum eſt viuere, & vita intelligibili. Non eram igitur, & creaſti; nihil fueram, & de nihilo me aliquid eſſe feciſti. Quale autem aliquid? Non ſtipulam, vel ignem, non auem, vel piſcem, non ſerpentem, vel aliquid ex brutis animalibus, non lapidem, vel lignum, non ex eorum genere, quæ tantum habent eſſe, vti lapides; vel ex eorum genere, quæ tantum poſſent eſſe, & creſcere, vt arbores; Non ex eorum, quæ tantum eſſe, creſcere, & ſentire poſſunt, vt bruta: Sed ſuper hæc omnia, voluiſti me eſſe ex his, quæ habent eſſe; quia ſum, & ex his, quæ habent eſſe, & creſcere, quia ſum & creſco; & ex his, quæ habent eſſe, creſcere, & ſentire, quia ſum, creſco, & ſentio: Perpende quam grande ſit habere ſenſum, patet ex appoplecticis, & carentibus eo, quanta incommoda habent. Sed ſupra hæc omnia *paulominus me angelis creaſti.* Pſ.8. quia rationem cognoſcendi te, communem cum ipſis accepi; *Paulominus* dico, quia illi fœlicem tuã notitiam iam habent per ſpeciem, ego vero per ſpem: illi facie ad faciem, ego per ſpeculum in ænigmate; illi plenè, ego autem ex parte. O quantum eſt hominum eſſe! Digniſſima enim quodammodo eſt homo creaturarum. Nam li- 1.Cor.13. cet angelica creatura conditionis primitate, naturæ ſimplicitate, beatitudinis diuturnitate, præſtare videatur: Tamen omnia ſubiecta ſunt homini, & etiam angeli ipſi, Heb.1. *Adminiſtratorij ſunt ſpiritus, qui in miniſterium mittuntur, propter homines, qui hæreditatem capient ſalutis.* Et dignati hominis non poteſt angelus coequari, ſecundum quid. Non enim Chriſtũ habet fratrem, concorporalem, non duplicem illam ſtolam, non demum pretio tali redemptus. Cuius dignitatis beneficium, vt homo plenius comprehendat, diligenter attendat, iuxta Auguſtinum, *A quo, quare, vel ad quid creatus ſit homo. A Deo* conditur, *bonitas* eſt in cauſa, quæ ſe diffundere volebat, finis *vtilitas* creaturę. Factus enim eſt homo ad laudandum Deum, ad ſeruiendum ei, ad fruendum eo. In quibus proficit, & fructum capit homo ipſe, non Deus. Aut certè, vt creatorem agnoſceret, agnitum coleret, cultum diligeret, & in

dile-

Digitized by Google

dilecto quieſceret, & ſemper beata eſſet. Lauda igitur ô anima mea Dominum, qui te condidit talem, ad eum ſemper laudandum. Vide Auguſt. & magiſtrum Henri. de Haſſia in ſuo ſpeculo animæ plenius de beneficijs, & conſiderationibus iſtis poſtremis.

MEMBRVM III.

Hinc corpus.

III. CORPUS *aptaſti mihi*, Apoſtolus Heb. 10. Poſtquam vidimus de beneficijs conditionis in genere, videndum eſt quanta beneficia impenſa ſunt duabus partibus, ex quibus homo conſtat in ſpecie. *Et primum* de beneficijs ex *parte corporis*: Super quibus Dominus ipſe gratias agit, dicens allegatum verbum. Sed & Sapiens gratulatur, ſe *veniſſe ad corpus incoinquinatum*. *Pſ. 39. Sap. 8.* Miſericors enim, & munificus benefactor, non ſolum condidit naturam puram incorpoream; ſed & corpoream; ſcilicet animæ humanæ corpus aptando. Ex quo licet incommoda quædam contrahat; ſcilicet originis inquinationem, peccati pronitatem, bene operandi difficultatem; intellectus hebetudinem, paſſionum multitudinem, & alia, vt dicitur in compendio Theologiæ: Tamen multo ampliora inde bona reportat, quare Deus hoc animæ adiunxit: Nam hinc mirabilium artifex, qui tam diſparia coniunxit contemplatur: Vniuerſum completur; homo humiliatur: meritum propter difficultatem augetur: Semper homo iſto iuuatur: Nam corpus viuum, & ſanum valet ad pœnitentiæ contritionem: Infirmum ad meritorum cumulationem: Mortuum ad liberam euolationem; reſuſcitatum ad gloriæ conſumationem. Vide ergo quantum donum ſit accepiſſe corpus.

Sed conſpice quale tibi corpus dedit. Certe

Pulchrum, perfectum, ſanum, ſenſum, ſimul obiect.

De primo Bernar. ait. Secundum corpus (ô homo) Deus te fecit egregiam creaturam: Nā

Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri.
Iuſſit, & erectos ad cælos tollere vultus.

Hinc fatetur, & Auguſtinus, Accepi, ô Domine, pulchram corporis formam, habens in corpore ſenſuum diſtinctionem, oculos ad videndum, aures ad audiendum, nares ad odorandum, manus ad contrectandum, palatum, ad guſtandum, pedes ad ambulandum. Et verè pulchrum hominis corpus, quo pulchrius aliud nullum: quod patet ex his quinque.

Forma, proportio, plura, vel ordo, parque ſtupenda.

Primo ex ſtaturæ, & formæ qualitate: Nam quemadmodum naturalium huius inferioris, atque ſenſibilis mundi formarum præſtantiſſima eſt anima rationalis; ita & corporum animatorum, organicorum, mixtorum, nobilius eſt corpus humanum. Siquidem nobiliori formæ, nobilius corpus debetur: vt ſic inter actum, & potentiam, bona proportio ſeruetur. Eſt igitur (iuxta Albertum) corpus hominis magis heterogeneum, & maximi artificij. habens, & perfectiorem membrorum diſtinctionem, & organorum maiorem diuerſificationem, & ſubtiliorem eorum connexionem; digniſſimam, quia erectam tenens ſtaturam. Et percongruè quidem. Nam hoc imago Trinitatis requirit; Hoc calor in capite, & materia terrea in corpore exiſtens, exigit. Hoc finis hominis requirit, qui factus eſt, vt infimis deſpectis, mentem ſurſum tendens, ſydera aſpectet.

Patet ſecundo humani corporis dignitas, non ſolum ex formæ qualitate; verum etiam ex ſingulorum membrorum proportionali quantitate: Singula enim organa, quantitate proportionantur, conuenientibus diſtantijs in ſitu habitudinantur, & optimis ordinibus connectuntur, atque harmoniacis connexionibus, & proportionibus coniunguntur, vt Albertus declarat, & Henricus de Haſſia ſuper Geneſim.

Tertio patet corporis dignitas, ex organorum multitudine, & varietate: Hinc Albertus 12. de animalibus, ait, Oportet ſcire, quod motus, & operationes animalium, ſunt valde diuerſæ: ergo neceſſarium eſt, quod compoſitio corporum, ſit ex virtutibus, & organis valde diuerſis: Omnis enim diuerſitas corporū, in plantis, & in animalibus eſt propter diuerſitatem potentiarum operabilium, & finiū eorum. Et quanto aliquis artifex eſt ſubtilior, & ingenioſior, ſciens plurium artificiorum materias facere; tanto maiores, & plures requirit inſtrumentorum ſubtilitates, & varietates. Hinc eſt, quod corpus animæ rationalis, habet magis diuerſa, & perfectiora membra ſecundum naturam & figuram, quam aliquod animalium cæterorum, vt eſt videre in his, qui deſcribunt hominis partes, &c.

Quarto ordo membrorum, valde ad dignitatem facit, qui ex hoc patet, quod omnium membrorum, & partiū eius heterogenarū eſt ſubordinatio, & ordo membrorum ad vnum primum, & principale, quod eſt cor, ſicut Albertus latè declarat, quod cor ſit principium venarum, arteriarum, neruorum, & cæterorū membrorū, fons ſanguinis, & ſpirituum, dans cæterorum virtutem; vnde primo motori, & virtuti luminis Solis comparatum.

Quinto humani corporis dignitas patet ex rerum ſimilitudine, & conformitate, ad quarum inſtar eſt formatum. Nam *primo inſtar* cæli eſt formatum. Vnde Albertus dicit, quod ſolius hominis membra ſecundum cæli poſitionem ordinentur; & eius influentias capient. Vnde habet rotunditatem in capite, ad ſimilitudinem cœli ſpherici; Ceruix etiam hominis rotunda, velut cælum continet omnē motum, & hominis ſenſum, decem ferè in ſe cælos complectens. In capite ſunt duo oculi, velut, Sol, & Luna: Sunt duæ aures, vt Mars, & Mercurius; duæ nares, vt Iupiter, & Saturnus; vnum os, velut Venus. Et ſicut illa ſydera mundum illuminant, & gubernant: ita hæc membra, totum corpus ordinant, & decorant. Cælū ſtellatū eſt in vertice capitis, cuius ſtellæ ſunt capilli, qui ad decus hominis ſunt, &c. In figura capitis, totus cæleſtis ornatus continetur. Nam ſicut de cælo ad terram deſcendunt *Humani corporis ſtructura cur ſic proportionatur.*

cendunt

cendunt rores, impreſſiones, & calor naturalis, ſic à capite vires corporis deriuantur. Latius hæc declarat Leonardus de Vtino, in ſermone quadrageſimali. Aſſimilatur etiam hominis corpus *mundo*, quare, & *microcoſmus* appellatur, vnde Ambroſius ait, Cognoſcamus humani corporis fabricam, inſtar eſſe mũdi; Siquidem vt Cælum eminet Aeri, Terris, Mari. Ita caput reliquis artubus pręſtat. Item quia hic vnus præſidet motor, &c. *Ciuitati* etiam aſſimilatur corpus humanum; Hinc dicit Auguſtinus. Pſ. 89 Hæc *ciuitas de qua glorioſa dicta ſunt.* In qua eſt triplicis gradus populus, ſcilicet Sapientes ad conſulendũ, quæ ſunt intellectuales ſenſus; Milites ad pugnandũ, id eſt vires rationales; artifices ad miniſtrandum; pura potentiæ ſenſuales. Huius ciuitatis murus iuxta Henricum de Haſſia tenuis eſt; ſcilicet cutis; Sed murus artificialis à rectore ſpiritu inuentus eſt, Veſtes, & arma, Propugnacula, duæ manus; Columnæ, crura, & pedes. Nouẽ portas habet, quarum tres ſunt principales: vt patet. Vigiles in circuitu quinque ſunt ſenſus; Pulcherrimè idem Henricus de Haſſia de cæteris membris declarat, qualis hic theſaurarius, coquus, coquina, & omnia ciuitatis ædificia, &c. Eſt enim corpus *arbori* conforme, ſed arbori euerſę: Caput enim cum capillis quaſi radices, brachia cum cruribus, loco ſunt ramorum.

Item ciuitati.

Et vt paucis dicatur, Corpus hominis tantæ eſt dignitatis, vt cum omnibus creaturis communicationem, & participium habeat. Apparet enim terra, in oſſibus, & carne; Aqua in humoribus, & ſanguine; Aer, in pulmone; Ignis, in corde, cuius formam habet, &c. Hinc corpus humanum exemplar eſt corporum cæterorum: Quare, & Anaxagoras interrogatus quid eſſet, dixit, *Menſura omnium rerum.* Nã conſiſtentia, & effigies humani corporis, metrum, & menſura eſt omnium animatorum, & idęa exemplaris ſecundum quam, omnium animantium corpora ſunt organizata. Itaque quæ magis ei conformantur, in complexione, & figura, ſunt perfectiora, &c.

Poſtremo humani corporis dignitas, & pulchritudo patet, ex rerum in ipſo relucentium mirabilitate: Nam plura ſtupenda apparent in corpore humano, & plura *ab intra* quam ab extra. Nam hæc eſt differentia artificis Dei, & hominis, quod *omnis gloria eius ab intus.* O quam verę admiranda, quam pulchra, & amanda ſunt in corpore humano, etiam in his, quæ noſtris conſpectibus ſunt tecta. O quanta relucet pulchritudo in viſceribus, venis, neruis, arterijs, muſculis, oſſibus, ligaturis, panniculis, & cęteris occultis, quæ nullus ad plenum inuenire poteſt, ſecundum Auguſtinum. Quæ ſi nota eſſent, in interioribus ipſis viſceribus, quæ nullum decus oſtendunt; ita delectaret pulchritudo rationis, vt omni formæ, quæ oculis placet, ipſius mentis pręferretur iudicio; ſicut Baſilius, Hugo, & Dionyſius Carthuſienſis latè proſequuntur. *Sed & ab extra* in corpore multa ſtupenda occurrunt; puta tanta diuerſitas facierum, & inſcriptio quædam miranda. Pſalm. 4. *Signatum enim eſt ſuper nos lumen vultus Dei*, & quod ad ipſum pertineamus, in ipſa exteriori hominis imagine, & membrorum figuris legibiliter ſcribitur; Caput enim, & facies hominis ſic ſunt diſpoſita, vt clare in eis legi poſſit, *Homo Dei lauda Deum*: vt magiſter Henricus de Haſſia, & Leonardus Vticenſis declarant. Eya igitur ô homo Dei lauda Deum, propter corpus tam nobile, & pulchrum. Hæc latius diximus de corporis pulchritudine, vt oſtenderemus quanta circa ſingula dici poſſent; ſi prolixitas non vetaret; in cæteris iam volentes eſſe ſuccinctiores.

Pſ. 44.

IAM ITAQVE ſuper cæteris conditionibus corporis agentes; ſcilicet, quia dedit corpus *membris perfectum*, cum Auguſtino dicamus. *Hoc etiam inter beneficia confiteor Domine Deus, quod accepi corpus perfectum, & membrorum omnium integritatem, ne ſim inter monſtruoſa mihi oneri, & alijs deſpectui.* O quantum, quale beneficium iſtud. Hic tantę gratiæ agendæ, quantę ſunt deformitates poſſibiles quæ ſunt valde numeroſæ, vt Iſidorus 11. Ethymologiarum declarat. Alia enim magnitudine, alia paruitate totius excedunt; Alij magnitudine partium, vel multitudine, vt bicipites, trimani; Alij defectu partium; alij deſciſſione, aut transformatione generantur, vt illic exemplificatur. Gratias age, quod te non condiderit talem; ſed omnibus membris perfectum naſci fecit, ſuper quibus ſingulis etiam iure gratiæ agendæ, quæ membra, qui noſſe volet, ſpeculum naturale Vincentij, in ſecunda parte libro 29. legat. Quę iuxta quoſdam in tanto ſunt numero, quot dies concurrunt in anno, vt inde admoneamur, nullum præterire debere diem, quo non grati ſumus.

TERTIO regratiandum, quod in corpore dederit *complexionis ſanitatem*: Quæ inter ſumma naturæ dona computatur. Eſto in omnibus membris quis ſit perfectus; ſi ſanus non fuerit, omnia ſunt illi tormenta: Vere ergo magna illi Dominus fecit, cui complexionis ſanitatem dedit. Tantæ ergo hic gratiæ ſunt retribuendæ, quãtis ęgritudinibus corpus infirmari poſſet, quæ ſunt multæ valde. Nam ſcribit magiſter Iohannes Nider, quod Arnoldus de noua Villa, medicorum ſummus, computauerit poſſe eſſe in humano corpore, diſtincta genera morborum, duo millia centum, & viginti quatuor. Dic ergo tot vicibus ſi potes gratias Deo, & profitere cum Gerſone. Gratias tibi debeo, quòd ſalutem ipſam, & corporis ſanitatem mihi donaſti, & conſeruaſti me in ea! Si enim euentu aliquo, aut graui morbo ſanitate deſtituerer, ratione, aut intelligentia priuarer; & hęc in me tam pretioſa naturę dona, ſuffragio medicinæ, aut alio quolibet modo, quis in integrum repararet? Nonne hinc me multum fælicem putarem; nec non, & illi, qui hoc præſtitit, vehementer me cenſerem obligatum? Et tamen longè præclarior eſt mea conditio, dum in bona complexione formatus,

hæc tuo dono Domine integra conſeruo; quam ſi deperdita aliunde recupero. O igitur gratię tibi.

QVARTO gratiæ agendæ, quod in corpore dedit *ſenſuum perſpicacitatē*, ſcilicet viſum perſpicuum, auditum acutum; guſtum acrem, & præſertim ſermonem diſertum; quod non cōdiderit cæcum, ſurdum, inſipidum, mutum, balbutientem, aut balbum. Perpende quanta hæc ſunt, ex æſtimatione eorum, qui ſenſibus his, aut certe horum viuacitate carent, & noli ingratus eſſe. Et præſertim poſtremo gratiæ agendæ, quod ſingulis ſenſibus, obiecta conuenientia, tam multa, & pulchra dedit. Hinc dicamus cum Auguſtino: *Magnum fuit, & hoc, quod ad ſenſuum meorum oblectamenta, ſingulis dediſti conuenientia obiecta. Creaſti enim multa pulchrè lucentia, canore mulcentia, ſuaue olentia, dulce ſapientia, tactu placentia, vt omnis ſenſus hominis ſua oblectamenta habeat.* Viſum paſcit pulchritudo colorum; ſuauitas cantilenæ demulcet auditum; fragrantia odorum olfactum; dulcedo ſaporum guſtum. Et quis omnes delicias ſenſuum enumerare queat? quæ tam multiplices ſunt in ſingulis, vt ſi quis quemlibet per ſe conſideret, quemlibet per ſe ſingulariter ditatum putet: Tot oculorum oblectamenta in diuerſitate colorum; tot aurium in diuerſitate ſonorum; vt dulcia ſermonum commercia, concentus auium, humanæ vocis melos, dulces modi ſonorum, & genera armoniæ, & ſic de alijs. Valde ergo mihi diligendus es Deus meus, qui talia contuliſti.

MEMBRVM IIII.

Sexum.

IIII. Deut. 15. QVicquid maſculi ſexus eſt, ſanctificabitur Domino. Deut. 15. IAM dictis beneficijs ex parte corporis, vnum eſt adijciendū, quod à multis non magni æſtimatur, quod tamen grandiſſimum eſt, dum bene profundatur: Et eſt, Quod dedit *maſculini ſexus nobilitatem*; Qui ſexus in multis præſtantior eſt ſexu muliebri, quod & ipſum nomen indicat prima fronte; Vir enim nuncupatus eſt (vt Lactantius Ethim. ait.) Quod maior in eo vis ſit, quaſi virtutis nomen habens; Mulier autem à mollicie, quaſi mollis aer. Et vt plenius ſcias quantum ſit beneficium iſtud, ex his hæc colligere poteris;

Dignior, immunis, prælatus, compar, & aptus.

Nam ſexus virilis *dignior*, quia prior tempore; excelſior nomine, vt patet intuenti, à virtute nomen ſumens: vt iam dictum eſt: Deinde ærumnarum, & miſeriarum muliebrium *immunior*: Eſt enim ſexus fœmineus præ virili, innumeris miſerijs, & ad malum proniratibus repletior, à primo eius conceptu vſque ad ipſū animæ egreſſum: prout hi, qui de naturis deſcribunt, declarant, Porro de malicijs miſerijſque muliebris ſexus; in Eccleſiaſtico (Eccli 25.) plura dicuntur Super quibus verbis Dominus Ioannes Dominici Cardinalis, Alphabetum quoddam contexit, de malitijs, & miſerijs ſexus muliebris. Quod etiam Antoninus in tertia parte ſuæ Summæ tit. 1. cap. 25. ponit: Sed & poetæ quidam gentiles, & Henricus de Haſſia ſuper Geneſim, plura de his cōſcribūt. *Tertio* eſt ſex⁹ virilis *prælatus*, & ſuperior: (Ephe. 5.) Adeo quod dicatur. & ſit caput mulieris. *Quarto* eſt imagine Dei *inſignior*, ſimilitudine expreſſior: Ita quod Apoſtolus dicat, 1. Cor. 11. *Vir non debet velare caput cum ſit imago & gloria Dei: Mulier autem, eſt gloria ipſius viri.* O quanta & qualia ſunt iſta; ſi ritè fuerint trutinata. Magnum tamē eſt beneficium maſculini ſexus, etiam grandius, quam hic deducimus. De quo etiam gratias Plato ipſe gentilis agere ſolet: Ita enim ait, Gratias habeo naturæ primū, quod natus ſum, & non animal mutū; Deinde, quod mas, potius, quam fœmina: quod græcus, quam barbarus; Et Athenienſis non Thebanus. Sed omnia longe excedit id *poſtremum*, quia ſexus iſte *Diuino cultui aptior*, omnibuſque officijs commodior, & quodammodo gratior Deo; adeo quod hunc ſexū ſibi ſolum iuſſerit ſanctificari. (Exod. 13.) O quantum beneficium eſt ſexū habere maſculinum! Nam hoc, qui caruerit, actibus hierarchicis inutilis, & ineptus erit: Nulla enim mulier charactere poteſt inſigniri, ab actibus eccleſiaſticis excluſa; (1. Cor. 14.) adeo, quod nec loqui permittatur in Eccleſia. Poſſemus hinc plura dicere, ſed conſulto nolumus, ne fœmineum ſexum nimium ſupprimere videamur, vnde & orti ſumus. Vincant mulieres, vincant in bono malum, & omnis naturæ infirmitas, & pronitas, grande illis beneficium erunt.

MEMBRVM V.

Quoad Animam.

VEnite, & audite, & narrabo omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Pſal. 65. (Pſ. 65. V.) POSTQVAM viſum eſt de beneficijs ex parte corporis, videndum eſt quanta nobis fecit Dominus, ex parte animæ, & mentis: Quæ pars, quo carne dignior, eo beneficijs amplioribus eſt cumulatior; Quæ tametſi ſunt innumera, ex his tamen ſunt colligenda,

Conſilio, cauſis, prælata, adamata, decora.

Vt itaque, ô anima, ſcias quanta fecit tibi benefactor tuus Deus, hoc *primum* intellige, quod *conſilio* increatæ Trinitatis condita ſis. Auguſtinus, Tanta dignitas humanæ conditionis eſſe dignoſcitur, vt non ſolum in iubentis ſermone, ſicut alia opera ſex dierum; ſed cōſilio ſanctæ Trinitatis, & operatione diuinæ maieſtatis, anima ſit creata, vt ex primo conditionis honore intelligeret, quod ſuo creatori deberet. Magnum planè conſilium, in conſiſtorio Trinitatis æternaliter habitum, in quo omnis hominum cauſa in medio poſita eſt, vt illic vnaquæq; diuinarum perſonarū attributiuè loquendo, huius operis partem ſuſciperet: Pater conditionem; Filius redemptionem; Spiritus ſanctus peccati remiſſionem, & carnis reſuſcitationem. O gratias tibi pro conſilio, & honore tanto, nec Angelis impenſo.

Secundo animæ dignitas, & beneficia colliguntur, *ex cauſis*, ex quibus conſiſtit, ſcilicet, efficienti

Digitized by Google

efficienti, materiali, formali, & finali. *Primo* igitur, vt qualis, & quanta ſis contempleris, perpende *à quo*, *& quali principio* cauſali emanaueris: Effectus enim naturam ſapit, & qualitatem contrahit ſuæ cauſæ, & ei vt eſt poſſibile aſſimilatur; Cauſa autem animæ efficiens, eſt ipſe Deus benedictus, à quo fuit æternaliter præuiſa, & mirabiliter in tempore immeditatè, de nihilo ab eodē producta: Anima enim rationalis creādo infūditur, & infundendo creatur. O quale iſtud! Cauſa *materialis* animæ fuit nihil: In quo dignitas magna patet; non propter nobilitatem nihili, ſed propter exceſſum perfectionis animæ, quæ intantum cęteras naturas ſupergreditur, quod in nulla creatura eſt poſſibilitas naturalis, ad eductionem vnius animæ rationalis. Et ideò oportet, quòd producatur à ſolo Deo, per eius potentiam infinitam, &c. Cauſa *formalis* in hoc conſiſtit, quòd ad imaginem, & ſimilitudinem Dei ſit facta: Iuxta illud, Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, &c. Recognoſce ô anima, quam mira, & ineffabilis eſt dignitas, & generoſitas tua, non ſolum eſſe Dei veſtigium; ſed fieri ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. Varij autem variè exponunt imaginem, & ſimilitudinem iſtam; Quidam, quòd imago hæc attendatur quantum ad naturalia, Similitudo ad gratuita; Alij, quòd imago in cognitione, Similitudo in dilectione. Et multis alijs modis. Et dicit Antoninus, quòd anima eſt imago

Increatæ Deitatis,		Materialia,
Incarnatæ veritatis,	quātū ad	Virtualia,
Glorificatæ intellectualitatis,		Supernaturalia.

Plura ſuper his eſſent dicenda, ſed inquirantur doctorum ſcripta. Magis expergiſcere, & lauda, exulta, & gaude, quia inſignita es Dei imagine, decorata ſimilitudine, particeps rationis, & capax æternę beatitudinis. Quæ omnia, quia modica viderentur, dedit ei, & cum prædictis *naturam immortalem*, ſubſtantiam incorruptibilem, durationem interminabilem, vitam perpetuam, alioquin, nec vera eſſet imago. Porrò cum *finalem* cauſam perpenderis, mirum eſt ſi non tota liqueſcas. Ad ſe enim te condidit, ad coniugales amplexus te deſtinauit, vt te inhabitaret, & in æternum te ſua fruitione beatificaret. Benedic igitur anima mea Dominum.

Tertio colliguntur beneficia animæ, ex prælatione, & priuilegiatione, quibus dotatur. Tanta enim eſt dignitas animæ, quod omnem præcellat corpoream creaturam. Auguſt. Anima omnem corpoream creaturam, naturæ dignitate præcellit. Adeo, quod vna anima dignior, & pretioſior eſt, quam omnia regna mundi Bernardus. Totus iſte mundus, ad pretium vnius animæ æſtimari non poteſt: Quod nouit ſapientia Patris, qui tam pretioſo pretio, eam ſibi ſub peccato venditā comparauit, & redemit. Grandis igitur excellentia animæ, quę tantę eſt nobilitatis, quod nihil cōſimile ſibi. Et nobilis omnibus modis, à Patre creando gignēte, quia Deus; à loco ſuſcipiente, quia paradiſus; A dote data, quia iuſtitia virtus, &c. Item ex eo, quod tātæ ſimplicitatis, quod nihil poteſt illabi menti, niſi Trinitas beata, cuius ſedes, & thronus eſt eius ſuſceptiua: Vnde non ante requieuit, niſi cum hominem condidiſſet; In quo ſibi cōplacet valde, Et *deliciæ eius eſſe cum filijs hominum* de quibus dicit, *Hæc requies mea*. Pro. 8. Gaude ergo, & lauda, quod tanti es hoſpitis ſedes. Item patet præcellentia, ex eo, quod tantæ eſt *capacitatis*, quod nulla creatura (licet afficere poſſet) ſatiare hanc poteſt, & deſideria illius quietare: Cum omnibus occupari poteſt, impleri non poteſt. Non hanc implet, nec quietat terra, cum pecudibus, non cælum, cum ſyderibus, & ſanctis; ſed ſolus Deus. Item quia *omnium* quodammodo *rerum eſt ſimilitudo*; vt Leonardus latè declarat, & finalis quædam clauſula omnium conditorum, vnde vltimo formata.

Quarto colliguntur animæ beneficia, & dignitates, quia tam à Deo *adamata*: Cuius amor patet ex ſublimi eius honoratione; Honorauit enim eā in creatione, recreatione, in cuſtodiæ angelicæ adhibitione, in glorificatione, vt Iorda. & Bernard. declarant. Item patet amor Dei erga animam, ex eius doloroſa amiſſione, diligenti inquiſitione, cara redemptione: Quæ Holkot proſequutur ſuper lib. Sapientiæ. Redamet igitur anima, tam ſui amantem. Item patet iſte amor ex amicabili denominatione, qua in ſcripturis anima ſolet appellari: Nunc filia Principis, Iuda, Syon, aut Hieruſalem; nunc formoſa, dilecta, & ſoror. Nunc amica, ſponſa, aut pulcherrima mulierum, vt patet in ſcripturæ decurſu.

Poſtremo beneficia animę colliguntur ex *decoratione* eius, qua eſt decorata, quantum *ad eſſe* præ cæteris in eſſentiali dignitate, naturali quantitate, indiuiduali diſparitate, vt Henricus de Haſſia dicit. Item decorata potentijs principalibus, habens in ſe magnalium Dei reſeruaculum, & beneficiorum eius retinaculum memoriam; Naturalis legis teſtimonium, & agendorum infallibile directorium, intelligentiam; Libertatis imperium; & actuum virtutis incogitabile executorium voluntatem. Item dotata tantis viribus & potentijs, quas longum eſt numerare, quibus corpus ipſum regit. O verè corpus, quam nobilem hoſpitem habes, à quo omnia, quæ in te pulchra ſunt habes, quo egrediente nihil tenes. Magnum eſt vires animæ habere ſanas, Ingenium clarum, ad bonum cognoſcendum; Iudicium rectum ad diſcernendum, animum bonum ad Deum amandum. O Domine Deus meus, vita, & dulcedo animæ meæ, quid retribuam tibi, pro omnibus, quæ feciſti animæ meæ? Da mihi pro his amare te.

MEMBRVM VI.

Angelos.

ANgelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis? In manibus portabunt te, &c. Pſ. 90. BENEFICIIS beneficia

 accedunt

accedunt: Non Deo ſuffecit, quod tantis nos donis ex parte corporis, & animæ dotaſſet, niſi & de efficacibus cuſtodibus, & miniſtris prouidiſſet; Vnde Angelos fecit ſuos, illis de nobis mandans. O quis, quibus, quid, quomodo, & de quibus? Iob.c.7. *Domine quid eſt homo, quia magnificas eum?* dum tam magnificis principibus Hieruſalem mandas, & tam ſollicitè mandas de illo. Hęc itaque conſiderare hic potes:

Omnes, ſeruent, atq; regant, ducant, bona plura.

Heb.1. *In primis* conſidera, quod *omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Mittuntur enim ſuperiores ad medios, medij ad infimos, infimi ad nos. Licet natura, & gratia nobis digniores. Pſ.8. *Paulominus enim ab Angelis minuit nos Deus,* &c. O grandis charitas mittentis; ſtupenda dignatio familiæ tam dignè obſequentis. O quanta charitas Patris. Ecce *non eſt numerus militum eius,* & tamen omnes adminiſtratorij Spiritus dicuntur, & in miniſterium quodammodo omnes mittuntur. Et probè quidem; huiuſmodi enim miſſio competit bonitati diuinæ, charitati angelicæ, indigentiæ humanæ, vt doctores aiunt. Sed licèt omnibus mandauit, cuique tamen ab vtero Angelum ſingularem deputauit, qui in vtero ſecundum multos, & etiam ſecundum Thom. inde æterna beatitudine protegeret: In vita regeret; poſt mortem deduceret; & cuncta bona neceſſaria nobis prouideret. Nam in vtero paruulus poteſt interimi, & damnari; extra vterum poteſt à baptiſmate impediri; & adultus ad peccata diuerſa trahi; poteſt tentari, & ſeduci; vnde opus cuſtodia angelica habemus. Qui etiam innumera bona ſuis impendunt, vt doctores paſſim latè ſcribunt, præſertim in Pantheologia & aurea legenda, multi effectus angelicæ cuſtodię ponuntur, quos longum eſt hic recitare. Illic eos requiramus, & hinc cum Aug. dicentes gratias agamus. Maximum, inquit, æſtimo, & illud beneficium, quod angelum pacis, ab ortu natiuitatis meæ, ad me cuſtodiendum mihi dediſti. Magna enim eſt dignitas animatum, vt quæque habeat ab ortu natiuitatis ſuæ ad cuſtodiam ſui Angelum delegatum. Et in alio loco, O quam me dilexiſti,
Pſ.103. qui Angelos tuos Spiritus propter me feciſti,
Pſ.90. quibus mandaſti, vt cuſtodiant me in omnibus vijs meis, &c. Hinc ſunt cuſtodes ſuper mu-
Eſa.62. ros nouæ Hieruſalem, & montes in circuitu eius vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis
Pſ.7. ſuper gregem tuum, ne quando rapiat, vt leo animas noſtras, ille antiquus aduerſarius. Hi ſunt ciues beatæ Hieruſalem, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis: vt eos liberent ab inimicis, cuſtodiant in omnibus vijs, confortent quoque, & moneant, & orationes filiorum tuorum offerant in conſpectu gloriæ tuę; Adiuuant laborantes, protegunt quieſcentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes. Congaudent de te gaudentibus, compatiuntur propter te patientibus, Grandis eſt eis cura de nobis, magnus effectus dilectionis, &c. Verè magna ſunt beneficia hæc, quibus honoraſti nos, tales mihi dando cuſtodes. Laudent te de hoc omnes Angeli tui, confiteantur tibi de hoc omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi, honorificentia quos tu nimis honorificas, & ditas. Pſ.143.
Quid eſt homo cui hæc facis? Nonne vniuer- Pſ.38.
ſa vanitas omnis homo viuens? & tamen dignum ducis ſic honorificare eum. O gratiæ tibi ſemper.

MEMBRVM VII.

Cuncta.

D*Abo vobis omnia bona Ægypti.* Gene. 45. *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius.* Pſalm.8. CONSEQVENTER ad conditionis beneficiũ, quod dedit homini conditor Deus, adiecit, & plenum omniũ *rerum Dominiũ. Dedit* enim vt Eccleſ.c.7.ait, *poteſtatem eorum, quæ ſunt ſuper terram, & poſuit timorem illius ſuper omnem carnem:* Pſ.8. *vt dominaretur beſtiarũ, & volatiliũ,* Gen.1. imò *omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & poſuit eum, vt præſit piſcibus maris,* &c. Vnde

Cuncta timent hominẽ, cum præſidet ipſe creatis.

Et hoc ex Dei diſpoſitione; ex imaginis diuinæ decoratione, ex habitus, & effigiei ſingulari diſpoſitione, tanquam ſacratus, fidelis, cæteris excellentior factus; & licet animantia quædam maiora ſint, & fortiora; Homo tamen, quia animal eſt ingenioſius, omnibus pręualere poteſt. Prudentia enim & induſtria obtinent, quod vires multæ non valent, & iuſtum fuit, vt quibus nihil erat dandum in intellectu, amplius daretur in ſenſu; Et hoc in bonum noſtrum; Nam tanto maior vobis eſt neceſſitas exercendæ rationis, quanto maiorem defectum patimur ſenſualitatis. *Omnia* igitur *ſubiecta ſunt pedibus eius.* Hæc de dominio hominis.

SED quomodo omnia illi donata ſunt ex his perpendendum.

Omnia, quæ ſupra, iuxta, ſunt, infima quãta.

In primis itaque Deus *omnia* nobis dedit, non ſolum bona Ægypti; (vt auctoritas canit) ſed omnia ſine exceptione etiam bona increata. Quare, & iuxta Auguſtinum. Poſitus eſt homo in medio, vt & ſeruiret, & ſeruiretur ei; vt acciperet vtrunque, & refunderet; totum ad bonum hominis, & quod acceperit obſequiũ, & quod impendit, &c. Omnia enim (ait Apo- 1.Cor.3.
ſtolus) noſtra ſunt; Superiora, ſcilicet, æqualia, & inferiora. *Superiora,* ad perfruendum, vt Deus creator Trinitas: Non enim ſeipſum nobis Deus ſubtraxit, nec ſe à noſtris vtilitatibus ſubtraxit; ſed indeſinenter noſtræ ſaluti vacat ſuæ ineffabilis pietatis dignatio. O dignationẽ, ſeipsũ totum nobis donans, & reſeruans. *Æqualia* etiã ſunt noſtra ad conuiuendũ, vt angeli, quibus æquales erimus in regno, & homines, qui quodammodo noſtri ſunt, quia ad vſum nobis ſunt. Sicut, & res dominorum, dicuntur eſſe famulorũ. O quã iocundum commercium, habere ſocietatem angelorum, & hominũ conuictũ. Nã ſine ſocijs nulli⁹ poſſeſſio iocũda. Dedit & *inferiora* in vſũ, & famulatũ, tanquã in arrã, de quibus propriè dicit, *Dabo vobis omnia bona Ægypti.* Qui omnia dicit nihil

Digitized by Google

nihil excipit. Vis noſſe, quod omnia dedit? Reſpice (ait Auguſtinus) mundum iſtum vniuerſum, & ſi in eo aliquid ſit conſidera, quod tuæ non deſeruiat vtilitati: Omnis creatura adhunc finem curſum ſuum dirigit, vt obſequijs tuis famuletur, & vtilitati deſeruiat, tuiſque oblectamentis, pariter, & neceſſitatibus indeſinenter occurrat. Hoc cœlum, hoc aer, hoc maria, & terra, cum his, quæ in eis ſunt, explere non ceſſant, ſecundum temporum diſtributionem. Nonne totum cælum inclinatur in obſequia tua? Nonne Sol, velut ſtrenuiſſimus ſeruus, per omnia impiger (vt de cæteris occultis beneficijs ſileam) quotidie tam mane ſurgit ad lumen tibi, & tuis animalibus præſtandum, ſeruiens tibi tanquam ſeruus lucernam præferens ante te, oſtendens tibi diſcrimina viarum, & cætera multa? Sic Luna, & cæteri planetæ, & ſtellæ, innumera bona impendunt. Reſpice deinde in aere, & cogita de ventis, quomodo interdum aera ſerenant, interdum congregant, quaſi vaſa aquatica, eas quaſi humeris circumferentes, ad miniſtrandũ aquam, & irrigandum agros, & hortos tuos; Ad reſpirandum aer quoque ſeruit. Item venti tibi ſeruiunt, in vehendo naues: In vertendo molendinas, &c. Porrò aquarum commoditates quis numerabit? Nonne hæ tibi gignunt piſces, & aues? Nonne deuehunt naues, & tibi ſeruiunt in omnes vſus? Abluunt, irrigãt, potant, & ſic de alijs. Quod ſi tandem inſpexeris terram, quid aliud eam videbis quã quoddam creatoris promptuarium, & theſaurariũ innumerabilium diuitiarum? Ex ea enim velut ex promptuario, victus, & veſtitus, habitatio, & tectum miniſtratur. Ex ea enim ſunt linum, & canabum, lana, pelles, & plummæ ad veſtiendum; Ex ea lapides, & ligna, & ſabulum ad habitaculum fabricandum; Ex ea gẽmæ, & metalla, & herbæ, & liquores medicinales; in ea diuitię omnis generis latent. Sed iam quomodo animalia terræ tibi ſeruiant, vide, quædam apta euectionibus, alia equitationibus, alia agriculturis, &c. quæ ſiue viuant, aut moriantur, ſeruiunt vtilitatibus humanis, adminiſtrando pelles, cornua, & dentes, ex quibus mira fiunt inſtrumenta. Certè, ſi ritè perſpexeris, nil eſt à ſummo cardine cæli, vſque deorſum, quod non ſeruiat nobis. Ipſe etiam infernus, terrorem incutiens, & tortor diabolus, fabricans nobis etiam inuitus coronas. Patet ergo, quod totum vniuerſum nihil eſt, niſi innumerabilis quædam multitudo miniſtrorum, varia dona, & xenia, tanquam ex promptuario quodam diuinę largitatis & beneficientiæ tibi differentium, & offerentiũ. Quæ omnia ſi interrogata fuerint, vnde veniant, & quo vadunt, quo tendunt, aut quid intendunt: Mox reſpondebunt, quia ſumus innumerabilis multitudo miſerationum Dei, portantes ignes, & flammas ad cor humanum, frigore mortifero congelatum calefaciendum. Totus igitur mundus nil aliud eſt, niſi multorum ignium aceruus, & immenſi amoris fornax. Quis ergo non totus erit ignitus? Eya ergo ô anima, dilige Dominum Deum tuum, qui dedit tibi cælum cum ſyderibus; aerem cũ volatilibus; terram cum animalibus, graminibus, & ſeminalibus, aquam cum piſcibus, vt omnia tuę deſeruiant vtilitati. Dilige inquam eum, qui horum aliqua tibi dedit ad ſuſtentationem, vt commeſtibilia, & potabilia; quædam ad eruditionem, vt rerum naturam, ſcripturam, & figuram; quędam ad correctionem, vt Spiritus malos, peſtes, grandines, & morbos; quædam ad conſolationem, vt proximos; quædam ad delectationem, vt varietates colorum, vt ſic eum diligere velles. Non quod propter beneficia Deus finaliter ſit diligẽdus: Hoc enim eſſet peccatum, quia ſic vteremur Deo, ſed occaſionaliter, bene. Dilige ergo eũ, qui tanta tibi dedit, quibus omnibus, & te præfecit, & quaſi reginam ô anima, & imperatricem, in microcoſmo omnibus præſidere fecit.

Quod ſi hæc dicta te ad amorem, & gratitudinem non inflammant, accipe ſingula ſigillatim ante oculos cordis, & diligenter enumera, ſi potes, quam magna ſunt hæc, & multa, quam pulchra, & ſpecioſa, quã cõmoda, & fructuoſa: vt Bernar. declarat, quæ præſtitit tibi Deus tuus, moroſe illa tecũ tractans. Nã ſicut ligna, vel candelæ vno ſolo contractu ignis non ardent, vel accendũtur, ſic neque cor humanũ, vnico ſolo beneficiorum cogitatu inflammari poteſt, ſed per moroſam tractationẽ oportet, vt fiat. Gratias itaque age, quod dedit tanta, & talia.

Inſuper, tam durabilia, & vtilia. Iã enim plus, quam per ſex milia annorum, volutus eſt motus Solis, & non defecit: vt ait Auguſtinus, Certè ſi fuiſſet rota, artificijs terrenis, mileſies fracta fuiſſet: & ſic omnia periſſent. Pro indubitato quoque tenendũ, quod nihil eſt inutile cõditũ. Hoc enim derogaret honori cõditoris: Ferę, licet videantur nociuæ, valde tamen ſunt commodoſæ, admonentes tranſgreſſionis primæ, & incuſſiuæ timoris, & medicinalia habent. Nonne pulices valent ad humiliationẽ? & ſic omnia, licet ignoremus. Auguſtinus: Simile eſt, ſicut ſi vadis ad officinã artificis, vbi videns multa inſtrumẽta inquiris, vt quid tãta multitudo? Nouit artifex, qui nihil ibi retinet inutile, &c. Sic & artifex Deus, nouit ad quid omnia valent. Nec minus grati eſſe debemus, quia alij etiam in his participant; imò pro hoc ampliores debemus gratias, quia nos in omnibus, & omnia propter nos dilexit. Vnde ſic hæc omnia ſunt accipienda, quaſi propter nos ſolos condita, & cuique ſingulariter impenſa. O diligam te pro omnibus his Domine virtus mea, diligã te ineffabilis exultatio mea, qui omnia mihi ſubiecisti, vt totus te amarem. Pſ. 17.

MEMBRVM VIII.

Parentes.

D*Omus, & diuitiæ dantur à parentibus.* Prouerb. 9. BENEFICIO creationis, *gratia bonorum parentum* adiungitur, quibus mediantibus homo procreatur in lucem & educatur. Quantæ ſit beneficientiæ bonos

accepiſſe parentes, ſapiens in verbis præſcriptis monſtrare nititur, ex conſequentibus ipſis bonis: Nam *domus, & diuitiæ dantur à parentibus*; Non externa tantum dicit, ſed de internis ſumma ei cura; Domus inquam animæ, materia ſcilicet carnis; ad ipſum corpus, & diuitiæ bonorum morum, à parentibus bonis inſtrumentaliter, & occaſionaliter dantur. Vnde regratiandus eſt omnium ille primus parens, Pater luminum, qui ſingulis ſuos parentes diſponit: Et vt ad gratias inciteris, conſidera quales tibi, præ multis, parentes dedit, quam item plura ex ipſis tibi euenere bona,

Non magnos, non infames, miſeros; ſed honeſtos.

In primis igitur valde regratiandus, quod dederit *non magnos*, & nobiles; vt ſæculi potẽtes, quorum filij plerumque & odijs hominũ, & periculis exponuntur animarũ: vt patet. Deinde quod non dederit *infames aut notorios*, vt de fornicatione, aut adulterio; quorum filij, & ſacris ſunt indigni; quippe qui ab altari; niſi diſpenſati repelluntur. Item quòd non *miſeros aut infirmos*, vt leproſos, lunaticos, aut mendicos, quorum filij ſæpe morbis eiſdem contaminantur, & ſibiipſis in vitâ ſunt oneri, & alijs execrandi: Adeo quod magis videantur nati pœnæ, quam vitæ &c. Tales ergo non dediſti, gratiæ tibi. Sed dediſti mihi parentes mediocres, nec diuitijs nimios, nec pauperie defectuoſos; Vita honeſtos; conuerſatione gratos; cura pro filijs ſollicitos, pro educatione, inſtitutione, promotione filiorum laborioſos; Patrem paterna viſcera geſtantem, ſub diſciplina ſeruantem; Matrem, quæ matricia in natos filios geſſit, quæ me decem menſibus, anguſto in vtero libens portauit, diu aluit, & difficiliores infantiæ mores blanda pietate ſuſtinuit; quæ lauit pannorum ſordes, & immundo ſæpe fœdata in ſtercore; quæ aſſedit ægrotanti; blandiebatur tenero; quę pro me ſua faſtidia ſuſtulit, mea quoque paſſa. Munera tua ſunt hæc Domine Deus meus, qui me
Eph.3. talibus parentibus prouidiſti. Tu vnus es Pater noſter, à quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur, qui parentibus carnis noſtræ, naturalem hanc pietatem inſpiraſti, viſcera tam pia in filios infudiſti: Tibi igitur aſcribendum, quicquid ab his impenſum; Tibi gratias ago, quod à parentibus, te tamen auctore, ſum conceptus, confotus, coagulatus, coalitus, plaſmatus, figuratus, viuificatus, auctus. Gratias tibi, quod me mater mea prægnans portauit, parturiuit, laborauit, peperit, inuoluit, reclinauit, lactauit, balneauit, nutriuit, educauit, duxit, erudiuit, inſtituit, docuit, & in hanc ætatem perduxit, & me te amare incitauit. Gratias tibi, quod *domus, & diuitiæ à parentibus datæ*, quòd hæreditates ad me deriuatæ, quas licet fortè mihi, aut quibuſdam non dederis, grande ſuperbiæ fomentum, nobis in hoc tua pietas abſtulit. Hinc igitur gratiæ tibi.

POSSET hoc beneficium extendi, & extendendum eſt etiam ad *parentes ſpirituales, aut præſidentes*, de quibus innumera veniunt bona. Super his itaque omnibus beneficijs creationis, gratias tibi referant, ô creator, cuncta creata, & indulge tuæ creaturæ, omnium creatorum abuſum declinate.

De beneficio gratificationis.

CAPVT III.

GRatificauit nos in dilecto Filio ſuo. Eph.1. POST beneficium creationis, ſubſequitur beneficium *gratificationis*: Parum enim omnia illa in creatione collata, imò nihil profuiſſent; niſi hoc Dominus beneficium ſuper addidiſſet. In primo enim parentis lapſu, ô anima, & tu cecidiſti, & per contractum à parentibus originale peccatum miſera euaſiſti filia irę, & perditionis, bonis naturalibus, & ſpiritualibus, aut vulnerata, aut ſpoliata: poteſtati principis tenebrarum ſubiugata, à patria cæleſti repulſa, à Paradiſo alienata. Sed *non in finem oblitus eſt miſereri Deus*. Pſal.76. Nam videns vidit afflictionem tuam, benefactor ſponſus tuus, & addidit adhuc benefacere, & liberare Iſrael. Deſcendit itaque ſingularis illa maieſtas, liberare te, & tota ſollicitatur Trinitas pro te gratificãdo ſibi. Miſit Pater filium: Filius dedit ſeipſum, vterque miſit Spiritum: Spiritus diſpoſuit quicquid ad gratificationem neceſſarium.

MEMBRVM I.

Quomodo gratificauit nos Deus in ſeipſo.

HOc igitur beneficium, O anima, nunquã diſcedat à corde, crebrum ſit in ore: Nã licet multa, & innumerabilia ſunt Dei beneficia, pro quibus ſemper diligendus, & laudandus eſt benefactor Deus: hoc tamen vnũ eſt, quod plus omnibus accendit, vrget, & mouet ad rediligendum. Super omnia enim nobis amabilem reddit Deum opus noſtrę redemptionis, calix paſſionis pro nobis epotatus, quod beneficium hic arcem tenet, & eſt primum.

§ 1. *Natum Chriſtum dedit.*

S*Ic dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui &c.* Io.3. ASPICE nunc, anima mea, quantum te Pater cæleſtis dilexit, qui vnigenito ſuo non pepercit, ſed, gratificando te, illum dedit. Attende quantum Rom.8.
Filius ipſe, qui tam excellens apparuit cum conderet te, humiliari dignatus pro reparando te, & gratificando te. Illic tam ſublimis, hic tam humilis, non tamen hic, quam illic, minus admirabilis. Illic potenter tibi magna contulit: Hic miſericorditer pro te dira ſuſtinuit: Patri obediens, ſibi in nullo parcens, ſeipſum plenè pro te, & tibi impendens, omnia ſua opera operans, & donans tibi, ſcilicet,

Con-

Digitized by Google

Conceptum, vitam, mortem, ſurgit, tibi cuncta.

Conceptionem enim ſuam mundiſſimam dedit, vt tuam immundam mundaret; *vitam ſuam* ſanctam, vt tuam inſtrueret; *Mortem ſuam* acerbam, vt tuam occideret; *Surgens* vt te iuſtificaret; *Aſcendens*, vt pro te interpellaret; *omnia ſua & merita* tibi donans, omnia tibi factus.

Et non modo hæc tibi dedit, ſed dedit, & *vitam eius præcedentem*, vt ſunt præfiguratio, prophetatio, promiſſio, quæ egit in veteri teſtamento, ad fidē roborandā: Dedit, & vitā *concomitantia*, vt conceptionem, natiuitatem, vitam, paſſionem, & mortem ad te inſtruendum, & ſpem ſubleuandum. Dedit, & *vitam ſubſequentia*, vt reſurrectionem, aduocationē, In iudicio regreſſionem, ad charitatem inflāmandam. O quanta ſunt hæc, & qualia, quam magna, & vtilia! vere enim dulcedine plena, ſi tamen ritè profunda æſtimationis trutina fuerint librata, & diiudicata. Sed non hic tractanda.

Inſuper hic videndum qualiter, & quam multipliciter Filium ſuum Pater dederit nobis, & ipſe Filius ſeipſum, certè *ſe naſcens dedit ſocium; conueſcens in edulium, ſe moriens in pretium, ſe regnans dat in præmium.* Item dedit ſe in *ſolatium noſtræ peregrinationis, in conſilium noſtræ directionis, in remedium noſtræ curationis, in ſubſidium recōciliationis, in præſidium defēſionis in viaticū defectionis, in pretiū redemptionis*, vt Vincentius declarat. Qui modi cum alijs quibuſdam ponuntur in libro de inſtructione cordis, ſub his verſibus, videantur ibi.

Exemplum, ſocius, merces, medicus, pater, actor,

Vltor, doctor, amor, ſpes, laus, patientia, virtus.

Valde igitur multipliciter ſeipſum Chriſtus dedit nobis, quia multiplex fuit indigentia noſtra: Nam ſe *carnaliter* ad redimendum; *ſacramentaliter*, ad reficiendum, *ſpiritualiter* ad conſolandum: *Diuinaliter* ad æternaliter perfruendum. Dedit ſe propter nos in vitam, in mortem, in tribulationem, & glorificationē, imò Ambroſio teſte, omnia nobis eſt factus. Si enim eſuris, cibus eſt: ſi ſitis fons, ſi langues medicina &c. Quid ergo amplius faciet? Certè, ait Auguſtinus, dicere audeo, quia Deus, cum ſit omnipotens, plus dare non potuit: cū ſit ditiſſimus, plus dare nequiuit; cum ſit ſapientiſſimus, plus dare neſciuit. Verè iſtud omnibus beneficijs præſtat. Nam licet magnum ſit aliquem ſua gratis alicui conferre; multomagis eſt ſeipſum impendere; Et cum magnæ ſit charitatis, animam pro amicis dare: (Io. 15.) multo maioris charitatis eſt iudicium, pro inimicis ponere, quod Filius Dei fecit; qui cū (Rom. 5.) *adhuc inimici eſſemus*, vt nos releuaret illuc, vnde cecidimus, ipſe deſcendere dignatus eſt, vbi iacebamus. Et vt vel iuſtè redderet, quod perdideramus, ipſe piè pati dignatus eſt, quod tolerabamus. Deſcendit ad mortales, ſuſcepit mortalitatem, ſuſtinuit paſſionem; vicit mortem, reſtaurauit hominem. O anima, obſtupeſce, tanta mirabilia, tanta beneficia propter te exhibita. Verè granditer te diligit, qui tibi tam grandia fecit. Olim, cum non eſſes, dilexit te, vt conderet; cum fæda eſſes dilexit, vt pulchram faceret; & vt id oſtenderet, non niſi moriendo te liberare voluit. In creando *dixit, & fecit*; ſed hic dira, & dura ſuſtinuit. Grandi itaque dignatione primo homini ſpiraculum vitæ infudit; ſed multo maiore charitate, iam non ſua, ſed ſeipſum eidem impendit, ac tradidit. De hoc beneficio plura in ſuperioribus ſparſa habentur.

§ 2. *Pneuma ſpiritum ſanctum dedit.*

D*Edit nobis pignus ſpiritus.* 2. Corin. 1. *Dedit Spiritum ſanctum ſuum in nobis.* 1. Thim. 4. Non ſatis fuit, quod Filium dediſſet; niſi & Spiritum ſanctum pro nobis, ad nos, & in nos, bonus ille Pater, qui Spiritum bonum dare potuit, ad charitatem ſuam nobis monſtrandam, & ſalutem noſtram operandam, miſiſſet. O quantum beneficium iſtud, ſi ritè fuerit conſideratum, à quo, & quanto, quale, & quantum donum, & quibus collatum! Magna enim, & multa operatur Spiritus iſte, vbi venerit, nec vacuam eſſe ſuam habitationem ſinit: Sed omnia iſta donat,

Dona dat, & fructus, cauſat ſpiramina gratis.

O quam bonus, & ſuauis eſt Spiritus tuus Domine, adminiſtrans omnia neceſſaria ſaluti. Sap 12.

In primis infundens ſeptem illa dona, ad ſeptemplicem expeditionem, qua indiget anima noſtra. Et *primo* expedit animam contra vitiorum obliquitatem; *ſecundo* expedit vires naturales; *tertio* expedit ſeptem virtutum officia; *quarto* expedit in patiendo conformiter ad Chriſtum; *quinto* agendo, *ſexto* in contemplando; *ſeptimo* in agendo, & contemplando ſimul, vt pulchrè Bonauentu. in Breuiloquio ſuo hæc declarat. Gratias tibi, quod dediſti dona hominibus, & tam neceſſaria dona.

Ex hoc eodem Spiritu habemus, & duodecim fructus illos Spiritus, quos Apoſtolus enumerat nobis, ad internam mentis delectationem; (Gal. 6.) Habemus, & ex hoc Spiritu, effectus varios ad comfortationem; ipſe monet, docet, & mouet; Ipſe illuminat, viuificat, ſolatur mentes; Ipſe eſt nobis pignus ſalutis, robur vitæ, ſcientiæ lumen. Non eſt huius loci enumerare effectus Spiritusſancti, qui etiam ſunt innumerabiles nobis. Gratias tamen agamus, omnia enim bona ſua communicat nobis, & eſt totius cauſa ſalutis. Quem Spiritum Chriſti, qui non habuerit non eſt Chriſti. (Ro. 8.)

Ex hoc etiam ſpiritu habemus inſpirationes ſactas, & bonas immiſſiones, quas non ceſſat ſpirare Spiritus bonus, licet crebro repulſus à nobis. Gratias igitur huic Spiritui agamus, quotiens cogitationes iuſtitiæ, & veritatis immiſerit nobis: Ipſe enim eſt, qui iuſtitiam loquitur, cuius ſermo veritas eſt: Vę nobis ſuper inſania & ingratitudine noſtra, qui totiens auertimus autem, Domino maieſtatis ad nos inclamante! Verè grandis iniuria, ingratitudo deteſtanda, nolle audire Dei vocem. O quanta eſt bonitas Spiritus huius, qui quamuis

ſemper videt nos aures auertentes, obdurantes corda; nihilominus iugiter clamat in plateis. O gratiæ tibi.

Adminiſtrat etiam Spiritus iſte liberalis, gratias quaſdam gratis datas, etiam malis ipſis, adeo vt nullus ſit, *qui ſe abſcondat à calore eius*. Verè *multiplex, & ſuauis Spiritus* iſte, qui tam multipliciter, & ſuauiter filijs hominum inſpiratur: Siquidem conceditur adhuc eis ad vſum, ad miraculum, ad ſalutem, ad auxilium, ad ſolatium, ad feruorem, vt Bernardus declarat. Mittitur inſuper Spiritus iſte, in ſignaculum acceptationis; In priuilegium amoris; in anulum deſponſationis, efficiens animam Chriſtianam ſuam amicam, filiam, & ſponſã. Quæ omnia ſunt valde mira, & ſublimia; vnde in illorum commemorationem, iuxta Bonauenturam anima admodum debet eſſe grata.

Psal. 8. Sap. 7. & 12.

Hic quoque cum ſumma gratitudine ad mentem reuocare debemus, quotiens, & quomodo, & quibus modis idem Spiritus dederit ſeipſum: Et certè inueniemus cumulos, & acteruos beneficiorum. Nam, quod Prophetas inſpirauit, quod Apoſtolos repleuit; quod denique cætera Eccleſiaſtica membra viuificauit: hoc totum in bonum noſtrum ipſe ordinauit, & deſtinauit. Prophetarum enim ſcripta, noſtra ſunt eruditio, & conſolatio; Apoſtolorum prædicatio noſtra ſalus, & fidei diuulgatio; Cæterorum viuificatio, noſtra vnio, exemplum, & confortatio. Eya igitur, ſuper hoc Spiritu bono, benigno, & beniuolo; Spiritu hilari, liberali, & largo, Spiritu dulci, ſuaui, & prorſus amabili, gratias agamus, & cum Bernardo dicamus, O quam dulciter te profudiſti! quam abundanter multa, & magna bona hominibus dediſti! quam fortiter, & conſtanter in finem vſque nos amaſti! qui ſemper tam noſtri ſollicitus fuiſti, & teipſum tam plenè impendiſti. O duri, & indurati filij Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator; qui tam vilibus ſarcinulis, tam pretioſas merces quippe ſeſe, impendit. O gratiæ tibi Patri danti, Filio mittenti, Spiritui ſpiranti.

MEMBRVM II.

Quomodo gratificauit nos Deus in medijs ad ſalutem datis.

ALtiſſimus de terra creauit medicinam. Eccleſiaſt. 38. *Amicus fidelis medicamentum vitæ*: Eccli. 6. *Sed excæcauit eos malitia eorum, & neſcierunt Sacramenta Dei.* Sap. 6. Poſtquam vidimus beneficia, quæ Diuinæ perſonæ exhibuerunt nobis in perſona propria, nunc cõmemoranda ſunt quanta nobis de ſe profluxerunt bona, ad gratificationem, & ſalutem noſtram neceſſaria.

§ 1. *De Sacramentis quibus nos gratificauit Deus.*

ET IN PRIMIS, quod tam congrua efficacia, & leuia Dominus Chriſtus nobis exhibuerit, & inſtituerit, Sacramenta: Nam præter cætera, quæ egit pro ſalute noſtra, Ipſe, tanquam nouus legiſlator, noua promiſit præmia, noua dedit præcepta, noua inſtituit Sacramenta; præmia inquam beneficia, præcepta dirigentia, Sacramenta adiuuantia. Quorũ Sacramentorum inſtitutio, quantum ſit beneficium, facile patebit, ſi conſiderauerimus, quã ſint neceſſaria, & congruè inſtituta: Quam efficacia, & vtilia, etiam multa, & ſuauia. Verè neceſſaria, quia vaſa ſunt medicinalia. (Non tamen ijs potentia Dei eſt alligata, &c.) Et percongruè inſtituta tali modo, vt Doctores declarant, & ex tam congrua cauſa;

Sanctificet, doceat, ſanet, meritumque, humiliſſis.

PRIMO, propter noſtram ſanctificationem; *ſecundo* propter eruditionem; *tertio* propter curationem; *quarto* propter meriti augmentationem; *quinto* propter humiliationem. Quam enim efficacia ſint, & vtilia Eccleſiæ Sacramenta, latè ſuper quartum Sententiarum docti diſputaut. Nam

Baptiſmus. *Confirmatio.* *Euchariſtia.*
Mundat, confirmat, connectit,
Pœnitentia.
viuificatque
Extrema vnctio. *Ordo.*
Inque viam parat, & luſtrat;
per Coniugium.
lapſum caueamus.

Habent, & ſingula Sacramenta varios effectus, & plures vtilitates, ſuper quibus ſingulis merito gratiæ eſſent agendæ: Videantur vtilitates in ſcripturis doctorum.

Valdeque regratiandum, quod tam multa dederit Sacramenta, quia ſub numero vniuerſali, ſcilicet ſeptenario: Et per congruè ſũt ſeptem Sacramenta ad gratiam ſeptiformẽ, quæ per ſeptenarium ætatis, ſeptuplicem hominum ſtatum, reducit ad ſeptuplicem beatitudinem, & octauam reſurrectionis; curans à ſeptem vitijs, ſanans à ſeptem defectibus, promouens in ſeptem virtutibus, &c.

Porrò quam horum Sacramentorum vſus, & exercitatio, ſit ſuauis, leuis, honeſta, & moderata, omnibus in propatulo eſt: Non enim tam varijs, vt Iudæi, fatigamur baptiſmatibus; non, vt diri quidam hæretici, affligimur aſperis cruciatibus; Non vt eiecti & ſectarij ſordibus inquinamur. Plurimæ igitur gratiæ ſunt agendæ, ſuper talium inſtitutione Sacramentorum; ne de nobis dicatur, *Et neſcierunt Sacramenta Dei.* Itaque dicamus cum ſanctis, & Guilielmo Pariſienſi; O dulcis, & ſuauis! ô verè vnguentarius, faciens pigmenta ſuauitatis, & vnctiones conficiens ſanitatis; tibi immenſas gratias ago, quòd Sacramenta tam vtilia, multa, & ſuauia pro mea ſalute inſtituiſti, ex quibus tam innumera mihi bona contuliſti. Quis enim enumerare, vel etiam cogitare

gitare ſufficit, fructum, & vtilitatem horum Sacramentorum, pro quibus merito continuè, tibi à me fieri deberēt regratiationes? Tu autē vides miſerator, & miſericors Domine, quam raræ, & plerunque nullæ ſunt: Quæ interdum ſi aliquæ ſunt, adeo exiles, exiguæ, adeo aridæ, frigidæ, iocundæ, adeoque tenebroſæ ſunt, & ferè penitus indeuotę, vt nec gratiarum actiones debeant computari. Sint gratiæ tibi ſemper.

Et notandum, quod hic gratiæ aguntur de Sacramentorum in genere inſtitutione; Sed infra gratiæ referuntur de quorundam in ſpecie, ad nos applicatione. Vt quod Baptiſmū, Confirmationem, & cætera dederit. Vnde liquet eſſe differentiam grandem. Sunt item, & hic gratię dicendæ ſuper multorum ſacramentalium inſtitutione, vt ſunt, Aqua benedicta, & plura Eccleſiæ ſanctæ deuota exercitia, de quibus longum eſſet diſputare.

§. 2. *Domum, ſc. Eccleſiam Catholicam.*

D*Omum faciet tibi Dominus, & fidelis erit Nathan.* 2.Reg. 7. *Apud te laus mea in Eccleſia magna.* Pſ.7. DEINDE regratiandū, quod non modo Sacramenta inſtituit, Verumetiam tibi ab initio Eccleſiam, & domū condidit, in qua tanquam in arca Noe, ſaluari poſſes, & non diluuio hęreticorum deperire. Extra enim eam non eſt ſalus. Hinc ſit tua laus ſemper apud Deum in & ſuper Eccleſia magna. Et notandum, quod multiplicem Eccleſiam ſuis prouidit Deus, ſcilicet,

Materia, pugnans, variè, regnans, ſathanaque.

1.Tim.2 PRIMO *Eccleſiam materialem*, vnde, *volo in Eccleſia orationes fieri.* SECVNDO *militantem.* Pſalm.21. *Apud te laus mea in Eccleſia magna.* TERTIO *iuſtorum*, Quæ *non habent maculam neque rugam.* QVARTO *triumphantem*, *Sanctū eſt templum tuum mirabile in æquitate.* QVINTO *malorum*, Pſ.29. *Odiui eccleſiam malignantium.* Nam Eccleſiam *materialem* dedit in meriti augmentum; *Militantem*, in cōmunionis ſolatium, *Iuſtorum*, in exemplum; *Triumphantem*, in præmium; *Malorum*, in exercitium. Super quibus ſingulis licet gratiæ ſunt agendæ; hic tamen de duabus, aut tribus agendum, cum de alijs infra tangatur.

Epheſ.5. Pſ.64.

Gratiæ igitur magnæ referendæ, & laus noſtra apud Deum erit *pro Eccleſia militante*, & confitebimur ei in Eccleſia magna, id eſt pro congregatione, & inſtitutione fidelium, & vnitate eorundem: Ex qua plurima nobis eueniunt emolumenta; Hinc enim Sanctorum communicatio, vt participes ſimus omnium timentium Deum; Hinc conſolatio, & exemplatio, & alia pleraque bona. Hæc enim eſt *ciuitas* illa magna, de qua, vt Pariſienſis ait, *dicta ſunt glorioſa*; extra quam reſiduum hominum genus, eſt quaſi ſilua inculta; & rudis lapicidina; Hæc eſt domus Dei, cuius ipſe pater familias, prouidens victus, & veſtitus ſpirituales. Hæc eſt ager, hortus, & vinea Dei, cuius ipſe plantator, & cultor. Hæc eſt Eccleſia ma-

Pſ.118. Pſ.86.

gna, exercitus, & acies Dei viuentis, quam quantum dilexit, patet ex his, quæ pro ea fecit. Nonne ſeipſum totum impendit? Nonne tauros, & altilia occidit, vt ſanguine Sanctorum ſuorum eam plantaret? Grati itaque ſimus.

Pro Eccleſia denique *materiali* grati eſſe debemus, & pro Eccleſiaſticis ceremonijs, & exercitijs eius: Eſt enim Eccleſia materialis, & locus eruditionis, propitiationis, refugij, & diuini ſolatij: vt Humbertus declarat. Vnde proueniunt plura bona: puta meriti augmentum, deuotionis feruor, &c. Hinc quidam,

Sex lucror in Sion, peregrinor & inſtruor, oro,
Participo ſacris Domini, de morte recordor.
Adiuuor à Sanctis, in quorum laude laboro.

Merito igitur grati eſſe debemus, quod tales etiam nobis prouidit Deus, inſtituit, inter paganorum fremitus inter hereticorum morſus, defenſauit, & promouit per Martyrum tropheа, Doctorum ſcripta, Sanctorum exempla. Et in his omnibus noſtram ſalutem quæſiuit, omnia in nos ordinauit, & ſic nos antequam eſſemus dilexit, & de omnibus neceſſarijs prouidit. O gratię illi ſemper. Benedicant eum in eccleſijs omnes Sancti eius.

§ 3. *Tempus, & locus gratiæ, & Euangelij.*

E*Cce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Nox præceſſit dies appropinquabit, Tēpus beneplaciti Deus*, Pſ.68. *In optimo terra loco fac habere eos.* Exod.6. POSTQVAM poſita ſunt gratificationis beneficia longe ante plerorumque exortum præſtita; enumeranda ſunt iam huiuſmodi, ab ortu natiuitatis concomitantia. Vbi primum illud occurrit, quod *tempore & loco gratiæ*, & Chriſtianiſmi, te naſci fecit; quomodo, & vbi omnia illa, olim pro te facta, tibi applicita, in te ſortirentur effectum. Et licet in verſibus, tempus tantum ponatur, locus tamen ſubintelligendus, quo ſine alterum parum prodeſſet. Vnde circa hæc conſiderare debes. 2 Cor.6. Rom.13.

Tempore naturæ, ſcripta, tempore ſciſmatum,
Non naturæ, legis, ſeu ſciſmate,
loco gentium, nec hæreticorum.
gente, hereſique.

PRIMO inquam conſiderare cum gratitudine debes, quod non naſci te voluit tempore *naturæ*, quod tempus à Dei cognitione, vt in plurimum, fuit deuium; Non tempore *legis ſcriptæ*, aut Moſaycę, quod obſeruationibus grauiſſimum, oneroſum, & imperfectum. Non item tempore *ſciſmatum*, quod valde naſcentium ſaluti periculoſum, propter interdictum, & alia; Sed naſci te fecit *tempore gratiæ diuulgatæ*; In plenitudine, ſcilicet temporum, tempore acceptabili, & beneplacito, tempore miſerendi, in diebus ſalutis: Poſtquam ſcilicet nox errorum abſceſſerit, & dies fidei eſt exortus. Gal.6. 2.Cor.6. Pſ.101.

Deinde, plurimum, quod renaſci voluit, non loco gentium Deum ignorantium; non loco mauhumeticorum, ab Deo errantium, turpia, & fæda obſeruantium; Non inter Iudæos excæcatos, abiectos, & diſperſos; non e-

Digitized by Google

iam loco hæreticoum fidem veram ſcindentium, ac per hoc à ſalute, & regno Dei ſe ſecludentium: Quotum omnium leges ceremoniæ, & obſeruamina caſſa, vana, fœda ſunt, & exectanda, vt latè in Fottalitio fidei, de ſingulis ritibus oſtenditur. Inter hos te naſci noluit, quia cum eis te perdi noluit. Sed *in optimo terra loco*, vbi fides Chriſtiana diuulgata fuit, & probata; vbi religio vera diffuſa, & ſincera, te naſci voluit; vt ſic quaſi ab ortu ſalutem imbi- ☞ beres. Grati itaque ſuper his ſimus, & cum Auguſtino regratiante dicamus: Magnum æſtimo beneficium, quod eo tempore, & inter tales me naſci voluit Deus, per quos ad fidem ſuam, & Sacramenta peruenire valeam: Video enim innumerabilibus hominibus hoc negatum, quod mihi gratulor eſſe conceſſum, cum quibus tamen vna mihi fuit conditio. Illi derelicti ſunt per iuſtitiam, & ego electus per gratiam. O ſint gratiæ tibi ſemper, laudes tibi ſemper. Sed, ô laus æterna Domine Deus meus, à quo omnis laus ſine quo nulla eſt laus, qui es ipſe tua laus; vnde mihi laudes, vt laudem te, cum verè ſciam, quod non valeã laudare te, ſine te? Habeam te, & laudabo te. Quid enim ego ſum Domine per me, vt laudem te? Puluis, & cinis ego ſum, canis mortuus fœtens ego ſum. Nunquid laudabit te, qui in peccatis conceptus, genitus, & natus? Eccl. 25. Non eſt ſpecioſa laus in me. qui ſemper pecco in te. Laudes ergo ſuper his beneficijs, & alijs tu te pro me.

§. 4. *Baptiſma.*

D*ilexit nos, & lauit in ſanguine ſuo.* Apoc. 1. *Saluos facit baptiſma*, &c. 1. Pet. c. 3. DEINDE conſequenter regratiandus Deus, quod *gratiam contulerit baptiſmalem*: Nam licet plures priores gratias ſuſceperunt, puta, quod tẽpore gratiæ, & inter Chriſtianos nati fuerunt; Hanc tamen gratiam minimè perceperunt multi, aut non ritè exceperunt. Gratiandus igitur propter hæc,

Non reicit, non mors, recte lotus, bona dignus.

Inprimis gratus eſto, quod te non inſtar plurium, tanquam ſua gratia indignum abiecit; *Secundo*, quod te non abortiri, aut in vtero, aut ante baptiſmatis ſuſceptionem mori: ſicut plures permiſit; *Tertiò*, quod rectè, & ritè te baptizari ordinauit; ſcilicet à debito huius Sacramenti miniſtro, presbytero, cum debita forma, materia, & intentu: Non ab hæretico, muliere, aut laico, qui aut formam violare poterant, vel dimiſſione, additione, trãſpoſitione commutatione, & ſic effectum impedire; vnde pueris expoſitis, vt crebrius expertum eſt, grandia pericula; & incommoda ſolent euenire; puta quod aut in fide vacillent, vel fantaſticas viſiones habeant, aut dæmonum infeſtationes patiantur.

Valde igitur grati eſſe debemus, quod baptiſmi Sacramentum ſuſcepimus, cum quinque ſubſtantialibus eius, quæ ſunt expreſſio formæ, ablutio aquæ, congrua immerſio, recta intentio, fides propria, aut aliena. Et non modo cum ſubſtantialibus: verumetiam cum ſolemnitatibus quę ſunt octo, videlicet

Sal, Oleum, chriſma, cereus, chriſmale, ſaliua,

Flatus, patrini, Baptiſmi, quæ bona ſignant, &c.

Quarto gratiæ agendæ pro effectibus, & vtilitatibus, ex Baptiſmi Sacramento prouenientibus, quæ ſunt variæ, & valde multæ, ſcilicet iſtæ

Ad Sacramẽta cætera	*culpam,*	*pœnam.*
Præparat,	& mundat,	laxat,
rationalem,	*concupiſcibilem,*	*Eccleſiæ.*
luſtrat,	lauat,	vnit,
iraſcibilem,	*fomitem,*	*diaboli poteſtatem,*
Confortat,	minuendo,	ligat,
cæli ianuam,	*gratiam dando.*	
reſerandoq;	gratat.	

Horum declaratio in ſcriptis Doctorum ſuper quarto ſententiarum, & in compendio, & alibi habetur. Super quibus ſingulis bonis gratiæ referendæ: Et potiſſimum, quia per hanc baptiſmalem gratiam, culpam deleuit, innocentiam reſtituit, iuſtitiam contulit, gratiam in habitu infudit, & charecterem impreſſit, ac per hæc dignum æterna vita fecit. Verè grandia ſunt iſta, & gratitudine digna, ſi bene fuerint, & moroſè rettactata clarè cõſiderata, profundè diiudicata, & æqua rationis trutina æſtimata.

Hinc grati ſimus, & cum Auguſtino dicamus, Magnum hoc eſt à Deo meo, quod gratiam baptiſmalem dedit, quod me in ſanguine ſuo lauit, ſibi commori fecit, & conſepelijt, ac pariter in ſe conſurgere, & ſe induere fecit. Magnum certè hoc; præſertim, ſi cogitare cœperis, ô anima mea, quot & quales, in comparatione tui, abiecti ſunt, qui hanc gratiam, quæ tibi data eſt, conſequi non potuerunt. Certè audiſti ab initio vſque ad hanc diem, quam multæ generationes pertranſierunt, quæ ſine cognitione Dei, & pretio ſuæ redemptionis, & Sacramento ſaluationis, in interitum ſempiternum dilapſæ ſunt: Omnibus illis redemptor tuus te prætulit, quando tibi hanc gratiam largitus eſt, quam nullus eorum percipere meruit; tu ſola præ omnibus illis aſſumpta es, & quare hoc in te ſit factum, nullã præter ſolam Saluatoris tui charitatem, inuenire poteris cauſam. Elegit ergo te, & prælegit te ſponſus tuus, amator tuus, Deus tuus. Hinc dilige eum, &c.

§ 5. *Confirmat.*

C*Onfirmaſti me in conſpectu tuo.* Pſal. 40. *In te confirmatus ſum ex vtero.* Pſalm. 70. POST hæc regratiandum, quod inſuper *Confirmationis* tibi conceſſit Sacramentum, quo plenè factus es Chriſtianus: Plenitudine (inquit Thomas Anglicus) copiæ; qui tamen ante, Baptiſmo plenus Chriſtianus fuiſti, plenitudine ſufficientiæ. Magnæ itaque gratię pro huius perceptione Sacramenti ſunt reddendæ: *Tum quia* magnæ eſt dignitatis, cætera quædam Sacramenta, in dignitate miniſtri excedens, Quippe, quod à ſolo Pontifice confertur; *Tum quia* ingentis neceſſitatis, teſte

Digitized by Google

Melchiade Papa, qui ait, Quamuis (inquit) continuo tranſituris ſufficiant regenerationis beneficia; victuris tamē neceſſaria ſunt Confirmationis auxilia Hinc, & præcipitur in decretis quod omnes fideles per impoſitionem manus Epiſcoporum, poſt baptiſmum, ſuſcipere debent Spiritum ſanctum, vt pleni Chriſtiani inueniantur; legitimi, ſcilicet ad pugnandum, audaces ad Chriſti nomen, & fidem confitendū, &c. *Tum quia* grandis efficaciç, & virtutis, inter cætera hos cauſans effectus,

Confirmat, fortat, animatque decorat, adimplet.

Primo gratiam in Baptiſmo datam confirmat, Iuxta illud, Pſ.67 *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.* ſcilicet in Baptiſmo. Nam ius cæleſtis hæreditatis, ad quod aſſumptus eſt baptiſmali ſactificatione, confirmatur Sacramento confirmationis, quatenus firmius illud obtineat, immobiliuſque poſſideat: ſicut confirmatur poſſeſſio realis, &c. *Secundo* ad militiam ſpiritualem præparat, & confortat Hinc tanquam pugnaturi pugiles, inunguntur, & confortantur. Hæc eſt enim (iuxta Gulielmū) differentia inter ſolos baptizatos, & poſt confirmatos, quæ eſt inter animalia cornuta, & non cornuta: Confirmandi namque veniunt ad manum Pontificis, vt confirmentur, & conſignentur, tanquam inermes, & nondum cornuti; Atque de manibus eius recedunt confirmati, inſtar vnicornium iam cornuti, quemadmodum Moyſi facies videbatur cornuta, &c. Ante, membra ſunt tenera, ac puerilia bellis inepta; ſed confirmatione induuntur virtute ex alto, & fiunt fortia ad ſpiritalia bella.
Luc.24. *Tertio* ad confeſſionem conſtantem rectæ fidei animat: vt innuit forma eius; quemadmodum, & Diſcipuli Spirituſancto confirmati cæperunt loqui, &c. *Quarto* decorat mentem;
Act.2. & carnem, mentem charactere; Carnis frontem viuificæ crucis vexillo; Et ad ſublimem erigit dignitatem, conſtituens eos Dei pugiles, Regis cælorum ſigniferos, & armigeros, ſub cuius aſpectu fortia trophæa acturi ſunt. *Poſtremo* adimplet gratiæ opera, & perficit in Baptiſmo cæpta, quemadmodum membra pueri cibo, & vnctione confortantur, & ad perfectum deducuntur, vt patet. Magnum itaque eſt beneficium iſtud, quo ſine non pleni ſunt Chriſtiani. Vnde & à dæmonibus, & ſpiritualibus nequitijs, quandoque infeſtantur non confirmati, vt patet. Hic ſimiliter de cæteris Sacramentis conceſſis regratiandus, de quibus non agitur, aut actum non eſt. Gratię igitur tibi Domine, quòd ſpiritu principali
Pſ.50. me confirmaſti; tanta dona infudiſti; & in neceſſitate ſuccurriſti.

§ 6. *Nomen.*

IX. VOcaui te nomine meo. Eſa.45. *Fecitque tibi*
2.Reg.7. *nomen grande, iuxta nomen magnorum quæ ſunt in terra.* POSTREMO hinc gratiæ agendæ, quod per hęc omnia priora te ſibi gratificauit: In cuius etiam indicium, & firmamentum, te nomine ſuo digniſſimo ac gratiſſimo vocauit; Nam cui Chriſti myſteria per Baptiſmum, & Confirmationis Sacramentum applicita, ritè horum nominum dignitatibus appellatur.

Chriſtus, ſeu natus, heres, rex, atque ſacerdos.

PRIMO diceris Chriſtianus ex imitatione; SECVNDO filius Dei ex adoptione: *Dedit* Io.1.
eis poteſtatem Filios Dei fieri; TERTIO hæres cæli, Cohæres autem Chriſti, ex certa promiſſione; QVARTO Rex ex virtuali mentis gubernatione. QVINTO Sacerdos, ex ſpiritualium hoſtiarum immolatione: *Fecit enim nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes.* Itaque quòd ſu- Apoc.1.
mus *genus electum, regale ſacerdotium, gens ſan-* 1.Pet.2.
cta, populus acquiſitionis, vocati nomine nouo, Eſa.62.
quod os Domini appellauit.

Sunt prætera alia complura nomina, quibus anima gratificata in ſcripturis compellatur, vt Gerſon ait; Cuiuſmodi ſunt iſta.

Propter fœcunditatem.	*Naturæ communionem.*	*Exemplarem aſſimilationem.*
Sponſa,	ſoror,	ſpecioſa,
Propter operationem.	*Secretorum reuelationem.*	
decora,	vel eſt & amica.	
Propter gratiarum decorem.	*Potentiarum impreſſionem.*	*Propter amorem.*
Pulchraq;,	formoſa &	dilecta,
Propter Spiritusſancti inhabitationem.		
columba vocata.		

De his nominibus latius ſuper magnificat Gerſon tractat; per quorum multitudinem, & dignitatem patet, animam Deo valde eſſe gratam, & gratificatam. Gratiſſimo enim nomina plura dari ſolent.

Conueniunt rebus nomina ſæpe ſuis.

HINC itaque gratias agamus, & cum Auguſtino dicamus, Gratias tibi Deus, quia vocaſti me nomine tuo, quia ſignaſti me ſanguine tuo: Nomine inquam tuo vocaſti me; vt memoriale tuum ſemper eſſet apud me, & nunquam recederes à corde, qui nunquam pro me receſſiſti à cruce. Voluiſti me participē eſſe in nomine, participē in nominis veritate, quoniam vnxiſti me illo, quo & tu vnctus e-
ras, oleo lætitię, vt ab vncto ſim vnctus, & à Pſ.44.
te Chriſto dicerer *Chriſtianus*; imò & *in mani-* Eſa.49.
bus tuis deſcripſiſti me; vt ſemper ſit memoria mea apud te; ſi tamen memoria tua iugiter fuerit apud me. Laudem inſuper dicam nomini tuo, qui adhuc celſiori nomine honoraſti me, quia tantæ gloriæ me feciſti ſuſceptibilem, vt poſſem *filius Dei* fieri: Hoc non poſſunt vtique arbores, non poſſunt lapides, non cætera omnia, quia non dediſti eis poteſtatem filios Dei fieri: non illis per naturam, nec multis hominibus per gratiam; ſed mihi dediſti, quod homo ſum, filius tuus dicar, & per gratiam eſſe poſſum. Vnde hoc mihi veritas ſumma, veraque ſummitas? vnde hoc mihi vt poſſim filius tuus fieri? Non ſic feciſti omni nationi, non omni creaturę; licet tu *manens in æternum creaſti omnia ſimul.* Pſ.147. Non præceſſerunt eorum merita, acceſſit tua gratia, quia omnia creaſti bonitate tua. Pares omnes creaturæ fuerunt in meritis, quia omnium nulla fuerunt merita: Quare ergo non ego, ſicut omnes,

illæ, aut cur non omnes illæ ſicut, & ego; aut ego ſolus, ſicut, & illę? Quæ mea merita, quæ mea gratia, vt poteſtatem mihi dares, & filium, ſponſam, &c. vocares? Certè ſola gratia, ſola bonitas tua. Multi tranſierunt qui hoc non meruerunt; multi fortes, & ſapientes, multi nobiles, & diuites fuerunt; qui tamen vniuerſi hac dignitate deſtituti, relicti, & abiecti perierunt. Nunquid ego fortior? nunquid ſapientior? nunquid nobilior, aut ditior omnibus illis fui; qui hanc præ omnibus illis gratiã ſpecialem ſortiri merui? Non Domine Deus; tua hoc bonitas fecit; vnde ago tibi gratias, & oro, quo ſuper gratificationis beneficijs laudent te omnia in cælis, & in terris. Amen.

De beneficio pœnitentialis vocationis.

CAPVT IIII.

QVos prædeſtinauit, hos & vocauit. Rom. 8. *Videte vocationem veſtram fratres.* 1. Cor. c. 1. POST beneficium creationis, & gratificationis, ſubſequitur beneficium *pœnitentialis vocationis:* Quo ſcilicet poſtquam inſtar filij prodigi omnem ſubſtantiam ſuperiorũ beneficiorum peccando dilapidauimus; Iterũ nos ad pœnitentiam vocat: Quod beneficiũ, niſi ſuperioribus accederet, nil ea; niſi in penæ augmentum forte, prodeſſent. Hanc igitur vocationis gratiam, iuxta hortatum Apoſtoli, diligenter videamus, granditer æſtimemus, deuotè retractemus. Et ea quæ aut eam præeunt; aut concomitantur; cum gratitudine profiteamur. Et in primis gratias agere debemus, ſuper longanimi expectatione præcedente.

MEMBRVM I.

Pertulit. Longanimis expectatio vocationem antecedens.

NIhil odiſti eorum, quæ feciſti; diſſimulans peccata hominum propter pænitentiã. Sap. 11. *An diuitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis eius contemnis?* Ro. c. 2. *An ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* &c. PRIMVM itaque circa vocationis beneficium conſiderandum eſt, præuia illa longanimitas, & benignitas Dei, qua hominem ſuperiorum beneficiorum incurium, ab eo auerſum, fugiet in ſe peccantẽ, & mortis reum, tam longanimiter perfert, & tolerat &c. Circa quod conſidera iſta,

Longanimis, patiens, pius, haud damnat, manet ob hac.

In primis conſiderandum, & regratiandum, quod tam *longanimis*, & diuturnus fuit, transgredientem patiendo, tempore tam diuturno. *Secundo*, quod tam *patiens* tam patienter diſſimulando, & vindictam ſuſpendendo. Tertio quod tam *pius* etiam impio benefaciendo: Nã te prolongante impietatem, prolongauit ipſe pietatem; & dum pro bonis mala reddebas, ipſe beneficia accumulabat. *Quarto*, quòd *non damnauit* te, nunc mori ſinendo, vt multos te meliores, contra quos mox damnationis ſententiam fulminauit, & in ghennam præcipitauit. *Quinto* quod te ad pænitentiam venientem, & gloriam *expectauit*: Propterea enim (vt dicitur Eſa. c. 3) *expectat Deus, vt miſereatur noſtri.* Nam teſte Apoſtolorum vertice, 2. Pet. 3. *Non tardat Deus promiſſiones, ſicut quidam exiſtimant; ſed patienter agit propter nos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.*

PENSEMVS itaque ſuper nos (ait Gregorius) diuitias conditoris noſtri: Peccare nos vidit, & pertulit; qui nos ante culpas peccare prohibuit, etiam poſt culpam expectare ad veniam non deſiſtit. Grati itaque ſimus, & cum Auguſtino gratias agamus dicentes, Magnæ bonitatis eſt indicium, Domine Deus meus, & hoc quod ego infælix te irritaui, ego malum coram te feci, furorem tuum prouocaui, iram promerui, peccaui, & paſſus es, deliqui, & tam longanimiter ſuſtines. Magna plenè miſericordia tua, & patientia in expectatione. Non enim peccantem Angelum expectaſti, ſed præcipitaſti è cælo; hominem peccantem non diſtuliſti, ſed expuliſti de Paradiſo; meliores me peccantes mox occidiſti: Me autẽ longanimiter diſſimulans, multis annis in peccatis pertuliſti, vt ſic in me commendares patientiam tuam, impleres electionem tuam, confirmares charitatem tuam. Sed eximiæ fuit pietatis, quod mira tua patientia, non modo meam ſuſtinuit impietatem; ſed ſolitam exhibuit; imò, & maiorem pietatem; vnde & gratias tibi ago, liberator meus, quoniam liberaſti me. Quotiens me iam abſorbuerat ille draco cruentus, & tu ab ore eius abſtraxiſti me? quotiens peccaui, ipſe paratus fuit deglutire me, ſed tu defendiſti me. Cum contra te iniquè agebam, cum tua mandata frangebam, ſtabat ipſe paratus, vt me raperet in infernum: ſed tu prohibebas; Ego te offendebã, & tu defendebas; ego te non timebam, & tu me cuſtodiebas. A te recedebam, inimico meo me exhibebam: tu ipſum, ne me acciperet, deterrebas. Hæc mihi tu Deus meus beneficia conferebas, & ego non cognoſcebam. Sic me multotiens de faucibus diaboli liberaſti, de ore leonis eripuiſti, & ab inferno, licet me neſciente, multis vicibus eduxiſti, &c. ſemel, centies, milies.

GRATIAS etiam ago, quod tam non ſecundum iniquitates meas mihi retribuiſti, quod me, cum iure potuiſſes milleſies, non damnaſti, quod vindictã non ſumpſiſti; quod me non abſorbuit terra, non me fulminauit cælum, non me combuſſit ignis, non flumina ſubmerſerunt, non aliena pœna, prout dignus eram, mulctaſti; quod me cum morbis teneret, periculis laborarem, mori non ſiuiſti; ſed miſericorditer mihi aſtans, me liberaſti; ſciens, quod ſi mors tunc me occupaſſet, animã meam infernus ſuſcepiſſet, & perpetuo damnatus fuiſſem; ſed tu de vtraque morte eripuiſti me, & à vindicta creaturarum liberaſti me; quæ tamen merito inſurrexiſſe debuerant in

Digitized by Google

me. Cum enim peccando à te recederem, non ſolum iram tuam promerui, ſed & omnem creaturam aduerſus me excitaui: Ira vi merito pugnaret pro te aduerſum me totus orbis terrarum; vt in meditationibus ſuis latè tractat Auguſtinus; videatur ibi, concludens, quod cuncta creatura ad vlciſcendam iniuriam Creatoris ſeuiret, niſi imperium eius cohiberet ipſe, qui eam condidit: qui non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Da ergo mihi, ſemper gratias agam, & ne ego vinea, quã longanimiter expectas vt vuas faciam, labruſcas producam, & peream. Tanto enim acrius mala mea adueniendo punies; quanto diutius tolerasti, quod punire poteras.

Sap. 3.

Ezech. 18

Eſa 5.

MEMBRVM II.

Accinit. De ipſa vocatione.

II.

DE *tenebris vocauit nos in admirabile lumen ſuum.* 1. Pet. 2. *Vocauit ad ſe quos voluit.* Mar. 3. POST longanimitatem expectationis, regratiandus eſt pro beneficio *dignatiua vocationis*; qua, ſcilicet de tenebris errorum vocauit nos ad pœnitentiæ lumen, & conuerſionem morum, cum plures alios inuocatos dimiſit. Quod beneficium, vt plenius noſcas, diligenter attendere habes hæc,

Quis, quos, qualiter hic, ad quid vocat, & varianter.

PRIMO, Quis & quantus; SECVNDO, quales, & quam indignos: Certè ſummus imos; optimus, peruerſos. O dignationem! Auerſi ab illo ſumus, & tamen talis ac tantus non auertitur. Hinc per Eſaiam c. 30. dicitur, *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient vocem poſt terga monentis;* Certè *poſt tergum vocat*, quando deſpectus, nos vocare non ceſſat; Quaſi enim dorſum ei in faciem damus, cum eius verba deſpicimus, & præcepta calcamus; & tamen adhuc vocat. Penſate ergo fratres (ait Gregorius) quantæ ſit pietatis, quod auerſos reuocat, quos mox damnare poteſt. Tanta ergo gratia conditoris noſtri, duritiam noſtri reatus emolliat, & ad gratitudinem ducat. Ecce non ſufficit, quod cariſſimos ſuos ad nos vocandos miſiſſet; niſi ipſe etiam vocaturus nos veniſſet.

Sed qualiter vocauit? non tantum per litteras, & ſcripturas, & ſuorum voces, ſed ore proprio vocauit nos; nec ſolum verbis; ſed exemplis, rationibus & parabolis, miraculis, & promiſſis. Valde ergo *fortiter*, quia voce magna; ſed non minus *conſtanter*, & in finem non deſerens vocare ſuos, iugiter clamitans in plateis; ſed, & *cordialiter* conquerendo duritiam vocatorum: vt Hieremias c. 8. *Non eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens quid feci?* Sed vt dicit idem, pro verbis pœnitẽtiæ, verbis ſuperbiæ blaſphemaſti, &c.

Sed ad quid vocauit? certè ad veniam; ad vitam æternam; largiſſima dona promittens: vt patet. Et vocat (vt magis alliciat) *varijs* modis, ſcilicet iſtis,

Inſtinctu, monitis, bona dans, ſcriptis, mala fligens.

Primo, interius inſpirando; *ſecundo*, prædicationibus, & aliorum monitis exhortando; *tertio*, beneficijs alliciendo; *quarto*, ſcripturis monendo; *quinto*, aduerſa comminando, & infligendo; Et alijs multis modis, vt plerique tradunt, quorum plures innuuntur in illa auctoritate Prouerb. 10. *Conuertimini ad correptionem meam.* &c.

PRO hac igitur digniſſima vocatione, ſalutis noſtræ matrice gratias agamus, & cum Auguſtino dicamus: O lux animæ meę, Deus meus, vita mea, & lumen oculorum meorum, per quod video en illuminaſti me, quia cognoſco te, quia viuo per te. Et gratias tibi ago; licet viles, & exiles, & impares beneficijs tuis; ſed, quales habet mea fragilitas, offero, pro eo quod expectans expectaſti, & mihi intendiſti, & ad pœnitentiam vocaſti. Voce enim grandi intonaſti, & rupiſti ſurditatem meam, cor meũ concuſſiſti, excitans illud, vt aduerteret ſuorũ vulnera peccatorum, & vulnerum ſentiret dolorem, deducens ad portas inferi, & præparata iniquis ſupplicia monſtraſti. Magnum igitur Domine Deus erga me pietatem oſtendiſti, qui cum in cunctis beneficijs ſis amabilis, amabilior es in vocatione iſta, in viſceribus pietatis. Nullum enim ſpernis, neminem abijcis, neminẽ perhorreſcis; niſi qui te fortè amens exhorruerit. Dona igitur tua ſunt hęc, Domine, mihi à te miſericorditer indulta, quod tam longanimiter expectaſti, nec vnquam peccatis meis, quo minꝰ mei miſereris, vinci potuiſti; ſed oblitum tui de te admonuiſti: auerſum à te taliter, & totiens reuocaſti. O gratię tibi pro ſingulis vocationum modis.

§. 1. *Velle, id eſt, bonam voluntatem dedit.*

III.

DEus, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. Paulus ad Phil. 2. *Dedit voci ſuæ vocem virtutis* Pſa. 67. DEINDE regratiandũ, quod voci ſuæ *vocem ſuæ dederit*, & ſurditatem obduratæ voluntatis effregerit, & *bonam voluntatẽ* dederit, quæ quale, quantumq; beneficium ſit, qui dignè explicet eſt nemo. Nam bonę voluntatis beneficium ex his relucet. quia

Principium, ſatis eſt, ſummum, meritum, bona cuncta.

Nam bona voluntas eſt omnis boni *primordiale*, poſt Dei gratiã principiũ: ſicut Bernardus inde Conſcientia teſtatur, dicens: *Inter omnia* (inquit) *Dei dona, quæ ad ſalutẽ hominis ſpectare videntur. Primum & principale eſt donum, bona voluntas, per quam in nobis ſimilis imago Dei præparatur, & reparatur.* Primum eſt. quia bona voluntate hominibus vtilius nihil datur: Item *hæc ſola ſufficit* (teſte Auguſtino) ad ſalutem, cum plura non poterit homo, quæ ſine proderunt omnia alia parum. Eſt *ſummum* Dei donum, quia ſine ea nihil bonum. Bernardus, Quicquid homo facit, bonum eſſe non poteſt, niſi ex bona voluntate fuerit. *Sine bona voluntate non poteſt omnino*

ſaluari, cum bona voluntate omnino perire non potes &c. Item in ea *omnis meriti* ſumma conſiſtit. Auguſtinus. Totum meritum in voluntate eſt; *quantum vis, tantum mereris; Fac magnam voluntatem, & magnam habebis mercedẽ.* Eſt igitur (vt patet) fons omnis boni, vnde prodeunt omnia bona.

Pro tam magno igitur dono magnificè eſt regratiandum, quod illud conceſſerit, quod impedimenta eius amouerit: Nam plures, licet expectati, licet vocati; non tamen ſaluantur, quia à bonæ voluntatis impedimentis non expediuntur; Te autem ab his liberauit, velut alterum Iſrael de ergaſtulo Ægypti; de manu Pharaonis, & exercitu eius; aut Ionam de ore piſcis. Super hoc igitur dono confiteamur Deo cum Auguſtino, dicentes: Ego autem opus manuum tuarum, confiteor tibi in timore tuo, quia non in arcu meo ſperabo; ſed omnis ſpes mea tu es. A te voluntas bona eſt, quæ ſine te bona non eſt. Si vis, potes me ſaluare; Ego autem, ſi velim, non poſſem, tam magna multitudo miſericordiarum mecum eſt. Velle quippe mihi adiacet, perficere autem non inuenio: Velle autem, quod bonum eſt, non poſſem, niſi tu velis; nec quod volo poſſum, niſi tua potentia me confortet, &c. Tibi confiteor Domine Deus, non eſt hominis velle, quod poſſit; aut poſſe, quod velit; vel ſcire, quod velit, aut poſſit; ſed potius à te greſſus hominis diriguntur, illorum inquam qui non à ſe, ſed à te dirigi confitentur. A te omnis voluntas bona. Obſecramus itaque viſcera miſericordiæ tuæ vt velis ſaluare quod creaſti; quoniam ſi vis, potes me ſaluare, & in tua voluntate virtus eſt noſtrę ſalutis, & omnis bonæ voluntatis, &c.

Exo.20. Iona 2. Rom.7.

§ 2. *Recipit, læta ſuſceptio pœnitentis.*

IV. Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me.* Pſalm.29. *Occurrit obuiam puero, & ſuſcipiens oſculatus eſt eum.* Thob.11. Deinde gratiæ agendę, quod quotiens reuerti voluiſti, venientem gaudens excepit, & gratiam pœnitentialem dedit. Circa quàm receptionem hæc notanda,

Occurrens, reddit, gaudens, en quomodo, fructus.

In primis regratiandum, quod *occurrit per gratiam præuenientem* clementer excipiendo: vt dicit auctoritas præmiſſa. Hinc admonet Hieremias, c.3. *Vulgo dicitur. Si dimiſerit vir vxorem ſuam, &c.* Et poſt, *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me, & ego ſuſcipiam te.* Hinc & in Canticis toties ad Sunamitem clamat, *Reuertere, reuertere*, &c

Cant.6.

Deinde attende, quod non ſolum piè recipit; ſed omnium peccatorum obliuiſcens, omnia *bona amiſſa reſtituit*, Iuxta illud Ezechielis, cap.36. *Reſtituam vos ſicut à principio, boniſque dotabo maioribus quam habuiſtis ante*; Et Iohelis, cap. 2. *Reddam vobis annos quos comedit locuſta, brucus, & erugo, & rubigo.* Hinc & Leuit. cap.26. dicitur, quod in anno Iubileo *redibant omnes ad amiſſas poſſeſſiones.* Quod in multis exemplis patet pœnitentium in Bibliæ decurſu, & potiſſimum in filio prodigo reuertente. Cui pater omnia dimiſit per *occurſum*; Perdita reſtituit per *ſtolam*; Hæredem conſtituit per *annulum*; Mortificata opera viuificauit per *calciamentum*; & lautiori edulio refecit, & ſolemniori conuiuio refecit per vitulum ſaginatum, aut potius (vt vera litera habet) *frumentatum*. O quanta, & qualia beneficia iſta. Luc 15.

Tertio conſiderandum, *quanto gaudio* ſuſcipiat, & remittat hæc vniuerſa: Certè *gaudium Domini fortitudo, & ſalus, & pœnitentia noſtra.* Probat hoc in parabolis tribus apud Lucam, cap.15. ſcilicet, *de oue perdita, dragma amiſſa, filio prodigo*, ſuper quibus omnibus gaudet, & vicinas ad gaudendũ cõuocat.

Qvarto vide quomodo, & *qualiter* recipiat reuertentes. Certè piiſſimè, gaudioſiſſimè, liberaliſſimè: vt pater dilectum filium; vt medicus ægrotum; vt ſponſus amantiſſimam ſponſam; quemadmodum Dauid viros illos, qui conſtituti erant in anguſtia, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo excepit, factus eorum princeps, &c. Verè non vult Deus perire animas; ſed ſicut ſcriptum eſt, cogitat ſecum retractans quomodo ſaluet eas. 1. Reg. 22. 2. Reg. 14.

Postremo attende, ad *quantam gratiam* ſuſcipit, quia ad gratiam pœnitentialem, quæ eſt ſumma gratia, cuius ſunt innumeri vtiles, & dulciſſimi fructus. Hęc enim eſt quæ Angelos lætificat, impios iuſtificat; amiſſa bona recuperat; pœnam vitat; per quam homo abſoluitur, Eccleſiæ reſtituitur, reconciliatur Chriſto, donis ſpiritualibus ditatur, Paradiſus aperitur. O igitur fœlix pœnitentiæ commercium, Deo holocauſtum, Angelorum gaudium, ſalus hominum, non eſt qui explicet tantum fructum. Pro itaque tantis donis grati ſimus, & cum Auguſtino dicamus, Magna eſt erga me, Domine, pietas tua, qui me auerſum, erraticum tua gratia præueniſti: Venientem ad te benigne ſuſcepiſti, amiſſa reſtituiſti, gratiam pœnitentialem indulſiſti. O quanti perierunt, qui hanc gratiam non acceperunt. Diligam igitur te Domine virtus mea, diligam te ſalus mea, & viuam iam non mihi, ſed tibi tota vita mea, quæ perierat in miſeria mea, & reſuſcitata eſt, miſericordia tua. Gratiæ tibi. Pſ.17.

MEMBRVM III.

Eduxit, id eſt, ex ſæculari conſolatione.

Vos autem tulit Dominus, & eduxit de fornace ferrea.* Deut.4. *Eduxiſti populũ tuum Iſrael de terra Ægypti.* Hierem.32. Post regratiandum Domino, quod non modo vocauit nos communiter cum pluribus ad pœnitentiam; ſed & ſingulariter præ multis, cũ paucis ad perfectionis ſtatum, ad mundi, ſcilicet deſpectum, & contemptũ, Eripiens, & educẽs te, tanquam alterum; tanquam Abraham de Vr Caldæorum; tanquam Loth de Sodomis; V. Deut.4.

tan

tanquam Iſrael, de Ægypto, fornace ferrea, & manu Pharaonis. Quæ eductio quantum ſit beneficium, Dominus inſinuauit, cum tam crebro filijs Iſrael hoc replicuit, & quodammodo inculcauit crebrius dicens. *Mementote diei illius, qua eduxit vos Dominus de Ægypto*; ad gratias, ſcilicet agendum.

§. Fuga ſæculi, quantum ſit beneficium.

ET vt hoc beneficium cognoſcas, oportet, quod mala, & pericula mundi, à quibus te eduxit, ad mentem reuoces: Nam eduxit, ab

Hoſte, malis, miſerijs, eduxit, quomodo, per qua.

Nam *primo*, cum te de mundo eduxit, ab innumeris animarum hoſtibus te eripuit, quæ circuncingunt, & obſident nos vndique: Nã præſens ſæculum nequam, peſſimus eſt hoſtis, per quinque ſenſuum portas mentem oppugnans, ſagittas concupiſcentiarum vibrans, & mortem per feneſtras immittens. Nam (vt dicitur Sapien. c. 14.) *Creaturæ Dei factæ ſunt in odium, & muſcipulam, & tentationem pedibus inſipientium*; vndique laqueos habet reſperſos, & inuiſos illos animarum hoſtes, vndique ſe perſequentes, diabolicos loquor, quos valde timere habent, qui in mundo manent: Tum propter localem propinquitatem; propinquitatis inuiſibilitatem, voluntatis malignitatem; intentionis peruerſitatem, actionum crudelitatem, inſatiabilitatem, poteſtatem, ſubtilitatem, placandi impoſſibilitatem, &c. vt patet in Speculo Morali.

PORRO quis mala, è quibus de ſæculo eductus liberatur, enumerabit? *Totus enim mundus poſitus eſt in maligno*. 1. Io. 5. Hinc qui ab eo educitur, de malo inquietudinis, diſpendij ſpiritualis profectus, vanitatis, & mutabilitatis egreditur: Habet enim mundus vanitatem conſiſtentiæ; viſcoſitatem inhærentiæ; abundantiam fœditatis; inundantiam iniquitatis; Vnde qui ab eo educitur, gratias agere poteſt cum Hieremia erepto de lacu; cum Propheta
Ier 38. educto de luto, &c.
Pſ 39.

MISERIAS autem, & mundi pericula, non eſt qui enumerare potuit homo: Sunt enim in eo *miſeriæ connaturales*, qua naſcimur flebiles, debiles, miſerabiles; Sunt & *contemporales*, quas gignunt naturalis fragilitas, temporalis aduerſitas, corporalis infirmitas, hoſtilis malignitas, &c. Sunt & *miſeriæ criminales*, culpę innumerabiles.

Pericula autem patent *ex loco habitationis*, qui eſt mundus, mare, exilium, deſertum in quo pericula ſunt magna; Item *ex tempore peregrinationis*; Item *ex ſtatu conuerſationis*, & ſic de alijs, de quibus in prima parte Speculi Moralis agitur ad longum. De his autem omnibus Dominus in manu forti non rogatus à nobis; Imò oppugnatus à nobis, multis, & varijs modis, niſus eſt nos educere de malis, & malis tantis.

DICANT igitur qui educti ſunt à Domino,
Pſ 116. & confiteantur miſericordiæ eius, quia eri-
Pſ.123. puit animas, velut paſſeres, de laqueo venãtiũ, de certamine bellorum, de telis hoſtium, de diluuijs aquarum, & tribulationum, de loco in quo (iuxta Oſeæ teſtimonium) inundauerunt maledictum, mendacium, homicidium. Oſee 4. Gratię itaque ſint illi. Et iſtud beneficium potiſſimũ retractare debent, qui contempſerunt mundũ, & magnificas agere grates; quemadmodum in exhortatorio nouitiorum Dionyſius docet. Poſſet hic latior tractatio fieri, de malis, & miſerijs mundi; ſed videantur alij libri.

§. 2. Loca; Regularis reformationis.

INduxit eos in montem ſanctificationis. Pſ. 77. VI.
Induxit vos in terram fluentem lac, & mel, &c. Ier. 11. DEINDE gratiæ dicendę, quod non modo de mundo eduxit; ſed & in *Religionẽ*, & in talem Religionem induxit; vbi ſecurè ſalus ſperari poteſt. Quod quantum ſit beneficium (iuxta quendam) dignè ponderare valet nemo. Circa quod poterunt pro exaggeratione conſiderari iſta,

Protegit, ad talem, ſocios, bona tot, quoque dignum.

Indeſinenter denique *primo* penſandum (ait Dionyſius Carthuſienſis) ac ponderandum, quantę pietatis ac gratiæ, quanti amoris, & beneficientiæ ſit beneficium iſtud, quod te ad Pſ.63. Religionẽ deducens, à *conuentu malignantiũ* protexit; id eſt, à cõgregatione indiſciplinatorũ, à vita vagantium; nil niſi ſolum nomen de Religione habentium; vbi dubia ſalus, inter quos, quia quidam veniunt ſimiles illis effecti, à vita diſpereunt, quia granditer nimis Deũ offendunt, & in eius domo ſcelera multa cõ- Ier.18. mittunt. Pro hac igitur protectione gratiæ agendę ſemper.

Deinde ſecundo regratiandum, quod *ad talem* ordinem induxit, quod ſub tali regula militare conceſſit. Ad ordinẽ ſcilicet ab Eccleſia approbatũ, viris ſanctis tritũ, &c. Et ſub regula Canonicus ordo. tali, cuiuſmodi eſt Auguſtini, quæ cæteras omnes excedit; *Et ab auctoris conditione*, quia à ſanctiſſimo, ſapientiſſimo, eximię ſanctitatis viro; beato, ſc. Auguſtino epiſcopo eccleſię doctore inſtituta; *Secundo excedit regula hæc ab exemplaris perfectione*, quia ſecundũ exemplar vitæ Apoſtolicæ, quę cunctis eſt præferenda; *Tertio à temporis antiquitate*, quia omnes in Eccleſia latina approbatas regulas antereſſit; *Quarto à diſcretione*; *Quinto à mandatorũ ſpiritualitate*, & ſic de alijs. Valde igitur gratulandũ, quod ſub Gal 6 tali Patre, & regula conceſſit militare: Nã qui regulam illam ſeruauerit ſuper illum pax, & miſericordia Dei erunt.

TERTIO quod non ſolum in optimo terræ loco te conſtituit ad ordinem talem adducendo; ſed quod etiã iã bonos, pios, deuotos, ſanctos congregationis fratres, & ſocios inuenire dedit; quorum exemplis inſtitueris, conuerſatione ſolaris, orationibus adiuuaris. O Pſ.131. verè bonum, & iocundum habitare inter fratres tales, qui Deum amant, diſciplinam obſeruant, pacem colunt. Cuius ſine obſeruatione Monaſteria ſunt tartara, &

Digitized by Google

inhabitantes diaboli incarnati. Magnum donum illud: Horrendum enim hominum genus mali Religioſi; Adeo, quod Auguſtin' fateatur ſe non inueniſſe homines deteriores, &c.

QVARTO regratiandum pro omnibus bonis ex vita Monaſtica prouenientibus, quæ tam ſunt numeroſa, quod nec garrulus poeta, nec orator deſertus, ea plenè proſequi poſſet. Vt tamen vel pauca habeas, ſuper quibus gratias agas in genere; nota quod omne bonum in Religione reperitur, ſcilicet. Bonum vtile, delectabile, & honeſtum. Quod in ea ſit *bonum vtilitatis*, Bernardus oſtendit, enumerans nouem eius bona, dicens. Bonum eſt nos hic eſſe. (ſcilicet in Religione) *Nã in ea homo viuit purius, cadit rarius, ſurgit velocius.* Et hoc quoad initium, quoad progreſſũ autẽ, *incedit cautius, quieſcit ſecurius, irroratur frequentius.* Quo ad terminum *purgatur citius, moritur confidentius, remuneratur copioſius.* Quæ ſingula nouem puncta, ſigillatim proſequuntur in Summa Antonini in parte tertia, ſingula cum tribus membris: vt patet illic. Proſequitur etiam ea, & alia, quidam Io. Nider in de Reformatione Monaſteriorum. Sed & Hugo de foliero pulchrè deſcribit Religionis bona in de Clauſtro materiali. Gignit etiam Religio *bonum iocunditatis*, iuxta illud Eccl. 1. *Religioſitas iocunditatem, & gaudium dabit*: Quod latè oſtendit Antoninus ex alijs rębus valde iocundis, quibus Religio figuratur, aut aſſimilatur; ſcilicet per Paradiſum voluptatis, per terram promiſſionis, per montem transfigurationis, in quibus delectabilia multa: vt oſtendit ibi ſupra. Eſt in ea, & *bonum maieſtatis*, quia eſt, ſchola, & exercitium virtuoſitatis; Virtus autem eſt de numero bonorum honorabilium &c. Gratias itaque agamus, quod tantis bonis Religionis ingreſſum oppleti ſumus.

POSTREMO neceſſarium eſt Religioſo iuxta quendam, ex omni corde pręconium ſuum, & dignitatis prærogatiuam, ſuper omnem ſæculi theſaurum ponderare, & quam Religionis ingreſſu dignificatus ſit, cum gratiarum actionibus, & deuoto corde in Domino glorianter conſiderare, & quam dignificatus ſit, & ad quæ bona vocatus, ſemper memoriter tenere. Verè enim Dominus excelſum fecit illum, exuſcitans eum de ſtercoribus; ſedere faciens cum principibus, conſtituens eum in montem ſanctificationis. faciens eum Apoſtolici ordinis, negotiatorem Euangelicum, de numero prudentium &c. ſicut ſupra quædã ſunt priuilegia dignitatum enumerata) redditurus illi centuplũ in via, poſt cõſtitutus eũ ad ſui iudicis latera, daturus æterna gaudia. O gratiæ illi ſemper. Eccli. 5. 1. Reg. 2. Pſ. 77.

MEMBRVM IIII.

Tempora dat.

VII. Apoc. 2. DEdit illi tempus, vt pœnitentiam ageret. Apoc. c. 2. PRÆTEREA magnæ ſunt gratiæ referendę, quod non ſolum ad locum pœnitendi induxit; verum inſuper *pœnitentiæ tempus*, cæteraque omnia ad ſalutem neceſſaria, pluribus denegata conceſſit: Quod ſummum beneficium eſt; (iuxta Bernardum) in altera vita plenius cognoſcendum. Quod ex his probari poteſt,

Eſt breue, ſecludens, ſummum, ſimul, vtile, ſpirant.

Primo patet quantum beneficium ſit, *ex temporis qualitate*, quod eſt modicitate breue, tranſitu irretardabile, fuga irreparabile. Dominus autem, quia ante prolongaſti ſcelus, prolongauit tibi tempus; & quaſi illud tibi ſtare fecit, & dies malos per pœnitentiam redimere conceſſit. O non ſic fecit omni nationi! Pſ. 147.

SECVNDO patet quantum beneficium ſit tempus conceſſum, ex eo, quod omnis meriti eſt poſt mortem excluſiuum: Iurauit enim Angelus in Apoc. c. 10. (tamen fortè non ad hũc ſenſum dicitur, licet ita à multis allegetur) quod nõ erit vltra tẽpus; ſcilicet ad merendũ.

Patet igitur tertio, quod ſummum eſt hoc beneficium. (Et Bern. reſte) pretioſiſſimum qui ita dicit: Nihil pretioſius tempore; ſed heu nihil hodie vilius reputatur; Tranſeunt dies ſalutis, & nemo recogitat, nemo ſibi perire diem nunquam rediturum cauſatur; Sed ſicut nec capillus de capite; ſic nec momentum de tempore peribit, &c. Et ob eius pretioſitatem Sapiens filium diligenter admonuit, *Fili*, inquit, *conſerua tempus.* Eccl. 4.

Eſt quarto tempus beneficium vtile, & commodoſum; adeo quod vnum momentum multis, & magnis operibus à veris rerum æſtimatoribus, merito rectè que ſit anteferendũ. Merito ergo Apoſtolus ait: *Ecce nunc tempus acceptabile ecce nunc dies ſalutis.* Quid enim vtilius tempore, in quo vtile omne conquiri poteſt? hoc iam noſcunt animæ defunctorum, quæ (vt aiunt) magis flent tempus amiſſum quam ſuum pœnale tormentum; cuius amiſſione deuenerunt ad tanta mala, & cuius obſeruatione ſe dignoſcunt venire potuiſſe ad ſumma bona. 2. Cor. 6.

Patet poſtremo quanti ſit beneficij conceſſio temporis, cum ad illud aſpirent omnes; non tantum animæ in purgatorio; verum etiã beati ipſi quodãmodo, (vt dicitur in Horologio æternæ ſapientiæ) cõſtituti in regno, qui vidẽt, quod vno momento tẽporis poſſũt gloriã augere in immenſũ. Nemo ergo noſtrũ (hortatur Bernardus) paruũ ęſtimet tempus, quod in verbis conſumitur otioſis: Volat irreuocabile verbũ, volat irremeabile tẽpus, nec aduertit inſipiens quid amittit. Licet fabulari, dicunt, donec hora prętereat; O donec prætereat hora; quã tibi ad agendũ pænitentiã; ad obtinendã veniã; ad promerendã gloriã miſeratio conditoris indulſit! Donec tranſeat tẽpus, quo diuinã repropiciare debueras pietatẽ; præparare ad angelicã ſocietatẽ; ſuſpirare ad amiſſã hæreditatẽ; aſpirare ad promiſſã fælicitatẽ; excitare remiſſã voluntatẽ; lugere commiſſã iniquitatem! &c. Nõ itaque tẽpus deſidioſa otioſitate, aut occupatione infructuoſa amittam'; Sed iuxta ſapientis monita *illud conſeruemus*; Et vt Apoſtol' hortatur, *Dũ tempus habemus, bonũ operemur*, & de cõceſſo grati ſimus. Alioquin (teſte Propheta) aduocabit aduerſus nos tempus: Et quod in beneficiũ dedit, fiet dãnationis occaſio & aggrauamentũ. O gratias de tẽpore cõceſſo. Eccl. 3. Gal. 6. Tren. 1.

MEM-

MEMBRVM VI.

Peccatum deleuit.

VIII. **I***Nduſiſti genti.* Eſa 23. *Magna miſericordia Dei, & propitiatio illius conuertentibus ad ſe.* Eccl, 18. POSTREMO in hoc vocationis beneficio regratiandum, quod crebrius peccata per vocationem, & alia intermedia tibi plene indulſit: Quod grandius eſt beneficium, quàm ſi dediſſet tibi totum vniuerſum. Et hic diligenter conſidera, quotiens, & qualiter tibi indulſit: Et nota hæc,

Pænite, & profitens, exercens, omnia toto.

PRIMO regratiandum, quod peccata *plene indulſit.* quando ad pœnitentiam & generalem confeſſionem cum contritione vocauit: Nam tunc plenè dimiſit, Iuxta Illud Eſaiæ, c. 44. *Delebo omnes iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.*

SECVNDO in *ipſa profeſſione*; Docti enim probabiliter tenent, tunc plenè peccata dimitti quoad culpam, & pœnam; Quod & Sãctus Bernardus in Apologetico tenere videtur; Et de hoc dicitur in vita Sanctorum Patrum, quod eandem gratiam conſequantur Religionem ingredientes, quam & baptizati. Quod intelligitur, cum non fuerit obex, &c. O grande beneficium iſtud, vnde & dicitur alterum Baptiſma, & quod Religio omnem maculam abſtergat.

Cant. 5. TERTIO quod ſi poſt profeſſionem recidiuaſti, ſi poſt exutam tunicam reinduiſti eã; poſt lotos pedes rurſus inquinaſti; multiplicata miſeria, multiplicatur & miſericordia; Et tertio peccata donauit per exercitia ſacræ Religionis, inter quæ ſex præcipua poſuit; velut ſex Hydrias expiationem facientia (vt ait Bernardus)

Io. 2. in Sermone de nuptijs in Cana Galileæ Quæ ſunt *ſacra compunctio; pura confeſſio; eleemoſinarum largitio; iniuriarum remiſſio; afflictio corporis; & obedientia præceptorum*; Quæ deuotè obſeruata, mentem à peccatorum neuo puriſſimam reddunt. Crebrius igitur peccata, vt patet indulſit.

SED quarto attende, quanta & qualia indulſit? Certè ſuper arenam maris multipliciora, luto viliora, omni æſtimatione grauiora. Enumera ſi potes, quanta ſunt, quę commiſiſti corde, ore, & opere; quanta omiſiſti eorũ, quæ facere debuiſti, propoſuiſti, potuiſti; & videbis, quod ante poſſibile tibi foret ſtellas dinumerare cæli; quam peccata, & delicta dimiſſa tibi.

Et noli attendere tantum ea tibi dimiſſa, quę commiſiſti ſed reputa etiam illa dimiſſa tibi, quę non commiſiſti, Sed commiſiſſe potuiſſes: Eſt enim dimiſſio quædam peccati, ne contrahatur vel agatur; quemadmodũ diuinus Dionyſius loquitur de Angelorum purgatione. Et

Bradudinus. hoc modo iuxta doctorem Anglicanum quẽ aiunt profundum, Plures fiunt à Deo nobis gratiæ priuatiuè, ſeu negatiuè, propter quas ei tenemur adgratiarũ actiones; quam poſitiuè; Quoniam non eſt peccatum, non eſt periculũ, in quod tuere non poſſet homo; ſi non eſſet gratia Dei præſeruans, præueniens, & prohibens eum. Cuius ſententiæ eſt Beatus Pater Auguſtinus, qui ait. Quodcunque malũ Deo protegente non commiſiſti, ab eo dimiſſum deputandum eſt: Nam ſicut in multa cecidiſti; ſic in multo plura, ſi ipſe non præſeruaſſet, cecidiſſes; Non enim eſt peccatum quod fecit homo, quod non faceret alter homo, niſi præſeruaret eum Deus homo. Sic etiam perpende de peccati vilitate, grauitate, & gratias age.

POSTREMO videndum, qualiter hæc talia, & tanta indulſit; & firmiter tenendum, quod *ex toto.* Iuxta illud Ezech. 33. *Si conuerſus impius fecerit iuſtitiam, omnes impietates eius non recordabuntur.* Quare & Ambroſius dicit, quod peccata præterita non nocent; ſi non placent: Quod patet ex patre filium prodigum recipiente, omnia errata plenè indulgente; adeo vt Luc. 15. nec vel tenue ſignum prioris diſplicentiæ daret; quin magis paterna omnia, vt patet. Sed neque de inuenta oue quicquam curioſcule, Ibid. quod à grege aberrauerat, actum legimus. Cũ Auguſtino igitur, & Bernardo dicamus, Verè benignus, & miſericors eſt Deus integrè remittendo, quia ſic ex toto indulſit, & tam liberaliter omnem donauit iniuriam, vt iam non damnet vlciſcendo, nec confundat in properando, nec minus diligat imputando. Sunt enim aliqui ſic donantes iniuriam; vt non vlciſcantur; ſæpius tamen improperant; Sunt & alij, qui licet ſileant; manet tamen in alta mente repoſitum, & rancorem tenent in animo, quorum vtrique neutra eſt plena indulgentia. Longe ab his benigniſſima Deitatis natura liberaliter agit, ignoſcit plenè pænitenti, quia nec punit vindicando, nec confundit exprobrando, nec minus diligit rancorem retinendo, nec imputat beneficium retrahendo; Sed plerunque vbi abundauit peccatum, facit & gratiam ſuperabundare. Teſtimonio ſunt Petrus, Paulus, Matthæus, Magdalena, qui primarij Eccleſiæ conſtituti. O gratias ei omnia dicant ſuper omnibus beneficijs vocationis, præcedentibus, concomitantib⁹, ſubſequentibus illud. Rom. 5.

De beneficio Iuſtificationis.

CAP. V.

I*N Domino iuſtificabitur, & laudabitur omne ſemen Iſrael* Eccl. 45. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius.* Rom. 3. *Quos vocauit, hos & iuſtificauit.* Idem. POST beneficium vocationis, Rom 8. concomitatur beneficium iuſtificationis: Non enim ad ſalutem ſufficeret in vocatione peccata remitti; niſi per iuſtificationem gratiam iuſtificantem ſuper infunderet. Vnde hic *iuſtificationem* non accipimus communi more; prout, ſcilicet eſt tantum motus ab iniuſtitia ad iuſtitiã, ſed propriè magis, prout ſcilicet cõferret ea, aut concurrentia, vel media, vel ſubſequentia, quibus homo iuſtificatur. Cuius iuſtificationis in bonum eſt principium immutatio voluntatis ad meliora, de quo nunc agendum.

Digitized by Google

MEMBRVM I.

Immutat, voluntatem à mala, in bonam.

INſiliet in te ſpiritus, & mutaberis in virum alterum. Samuel 1.Reg.10. *Hæc mutatio dexteræ excelſi.* Pſ.76. *Non poſſum eſſe continens; niſi Deus dederit.* Sap. 8. REGRATIANDVM eſt, quod poſtquam te ad Religionẽ, aut ad ſalutis ſtatum vocauit: vt te iuſtificaret, & ſibi acceptum faceret, In primis *voluntatem immutauit*, & continentiæ gratiam indulſit. Quod eſt beneficium grande nimis, quòd ex his patet,

Omnipotens mutat, tenetas, graue, pugna, vel hoſtis.

Sunt autem hic duo beneficia inuicem complexa, *primum* voluntatis immutatio: Cuius beneficij magnitudo ex hoc potiſſimum patet, quia eſt ſolius omnipotentiſſimi Dei opus, quoniam ſola eius potentia poteſt in voluntatem humanam; Ita quod Auguſtinus dicat, quod maius ſit iuſtificare impium, quã creare cælum, & terram; Vnde fieri habet in fortitudine brachij Dei. Valde igitur regratiandum, quod etiam nobis obſiſtentibus, dexteram ſuã in nobis magnificauit. Et quod voluntatem noſtram prorſus immutauit, vt dulcia nobis fierent, quæ ante amatiſſima erant. Cuiuſmodi ſunt relinquere vitia, complecti virtutes. Vnde cum Auguſtino dicendum, O quale beneficium eſt illud, immutatio voluntatis meæ, in quam ſolum poteſt omnipotentia Dei, qua & factum eſt, vt iam eſſent mihi dulcia, quam olim erant amara! Nam vt nihil noxiæ in me remaneret voluntatis, meliorem mihi conſolationem inſpiraſti, &c. Bernardus. O quanta Dei miſericordia, quod viſitauit cor meum, & immutauit, vt amata fierent,
Pro. 2. quæ malè dulcia prius erant; Et qui lætabar
Eſa. 38. cum male feceram, & exultabam in rebus peſſimis, inciperem demum recogitare annos meos, & virtutes amplecti.

ALTERVM autem beneficium huic annexum eſt, quod dedit gratiam continendi à peccatis, & emendatius viuendi: Cuius beneficij æquè magnitudo patet, ex continendi difficultate, pugnæ aſſiduitate, hoſtium oppugnantium multitudine, calliditate, & ferocitate. Difficulter enim continetur; vnde & in paucis reperitur continentia: Iugiter ſpiritus à carne contra concupiſcente impugnatur, & hoſtibus multis inſidiatur. Pro tanto igitur beneficio confiteamur cum Auguſtino & Bernardo. Poſt hęc, inquiunt, dedit mihi continentiam, per quam contulit gratiam à prioribus continendi, & deinceps emendatius viuendi; virtutem ne recidiuum paterer, ne eſſet nouiſſimus error peior priore. Continentiã dico, non à ſola luxuria; ſed à cæteris quoque, ſicut neceſſe eſt, vitijs, & peccatis; qui etiam aliquando vix per triduum continebam: poſtea Dei gratia auxiliante, per longum tempus potui continere. Ex hoc ergo inuenio vnde
Luc. 1. merito ei clamare poſſum, Quia *fecit mihi magna, qui potens eſt.* Forte parum quis reputat cõtinentiam; ſed ego non ita. Scio enim quos habeat oppugnatores, & quantæ illam neceſſe ſit eſſe virtutis, vt poſſit reſiſtere talibus. Primus hoſtis continentiæ caro noſtra eſt, concupiſcens aduerſus ſpiritum, quam domeſticus hoſtis, quam periculoſa lucta, quam inteſtinum bellum &c. Veruntamen non eſt hic Gal. 5.
ſolus aduerſarius meus, adhuc eſt qui vndiq; me circumcinxit præſens ſæculum nequam &c. Tertius hoſtis eſt, antiquus humani generis, ſerpens callidior cunctis animantibus: Iſte Gen. 3.
eſt hoſtis, quem non poſſumus videre, quanto minus cauere &c. Hæc ideo dixi, vt innoteſceret continentiæ difficultas: vt ſciamus quæ à Deo data ſunt nobis, ac per hoc amplius diligamus eum, qui hanc nobis virtutem tribuit. Omnino enim in Domino faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet tribulan- Pſ. 107.
tes nos, &c.

MEMBRVM II.

Perſtes, finaliter perſeuerando.

IVſtificationem, quam cœpi, tenere non deſeram. Iob 27. *Ordinatione tua perſeuerat dies.* II.
Pſal.118. DEINDE gratiæ agendæ, quod poſt voluntatis immutationem, & continentiæ largitionem, gratiam addidit conſtantiæ, & *perſeuerantiæ finalis*, quibus ſine, priora nihil eſſent. Et nota quod conſtantia, & perſeuerantia, licet conueniant, aliqualiter differunt tamen. Conſtantia *eſt ſtabilitas animi firma, &* Conſtantia quid.
in propoſito perſeuerans, faciens firmiter perſiſtere contra difficultatem, quæ prouenit ab exterioribus impedimentis. Perſeuerantia autem, eſt *virtus* Perſeuerantia quid.
faciens hominem firmiter perſiſtere in bono, contra difficultatem, quæ prouenit ex ipſa diuturnitate actus, diu, & vſque in conſummationem. Et certè grande eſt beneficium munus harum virtutum, quod ex his pateſcere poterit,

Namque cadunt, obſtant, opus, & fructus, vitioſum.

Primo patet ex eo, quia tanti decidunt à perſeuerantia boni, vbi cæperunt, vnde patet eſſe virtutem, quæ paucorum eſt, & difficilia verſatur. Nam (Chryſoſtomo teſte) *incipere multorum eſt, finire paucorum*; ſemper *in principio eſt delectatio, in fine probatio.*

Secundo ex eo, quod tanta *obſtacula* habet, vnde eſt grande beneficium, quod Deus conſeruat hominem inter tanta, cum fragilis ſit ex ſe, & infirmus. Nam aduerſantur ei hoſtes ſupra memorati, qui continentiæ inſidiantur, & in aduerſis. Pręſertim tamen (iuxta Bernardũ) ei obſtant, *Remiſſus deſcenſus, contentioſus diſceſſus, vagus diſcurſus*; quæ cauſant plura mala. Multi enim aſſueuerunt (ait Chryſoſtomus) in principio feruentes eſſe; ſed in fine remiſſi, & diſſoluti.

Tertio quia tam ſunt neceſſaria, quod ſine his nulla ſunt, vel valent bona. In caſſum enim (Gregorio teſte) bonum agitur, ſi ante vitę terminum deſeratur, quia & fruſtra velociter currit qui, priuſquam ad metas veniat, deficit. Cœpiſſe, vel feciſſe non eſt virtutis, ſed perfe-

Digitized by Google

eſſe; quare iubetur cauda hoſtiæ immolari in Leuit.3. veteri lege. Chryſoſtomus. *Tolle perſeuerantiā nec obſequium mercedem habet, nec beneficium* Mat.10. *gratiam, nec laudem fortitudo*; Denique non qui cæperit; ſed *qui perſeuerauit ſaluus erit.*

Quarto patet beneficij huius magnitudo ex fructibus eius, qui ſunt valde numeroſi, quorum tamen quinque numeraſſe ſufficiat,

Impetrat, & ſeruat, iocundat, perficit, auget.

PRIMO impetrat à Deo quicquid petit, iuxta Luc.11. illud, ſi *perſeuerauerit pulſans dabitur ei*, &c. Miſeretur enim turbæ, quæ ſecum perſeuerat; in- Mar.8. ſuper habes apud Lucam, de amico panes petente, & iudice iniquo. SECVNDO, cuſtodit & conſeruat acquiſita, quemadmodum imperſeuerantia annihilat omnia. Aug. Perſeuerantia magnum Dei donum eſt, quo bona cætera conſeruantur; ſed è contra *qui mollis eſt, &* Pro.18. *diſſolutus frater eſt ſua opera diſſipantis.*

TERTIO difficilia & aſpera iocunda, & lenia reddit Bernardus, *Subito procedenti de vmbra ad Solem, de otio ad laborem, graue cernitur omne, quod incipitur; ſed poſtquam ab ijs diſſueſcere cæperit, vſus tollit difficultatem, inuenitque facile eſſe, quod impoſſibile ante imputauit.* QVARTO omnia perficit, nihil imperfectum relinquens. Seneca, Nihil eſt quod non impugnet pertinax mora, attenta opera, & diligens cura. Gutta cauat lapidem; nux in arborem creſcit; finem in principio connectit, ſequens Deut.32. Deum, cuius ſunt opera perfecta; ita quod Io.17. dicere poteſt, *Opus conſummaui.*

QVINTO auget virtutes, & præmia per continuam operā robur adducens, iuxta illud Senecę. Perſeuerandum eſt, & aſſiduo labore robur addendum: Quod præmia auget hæc, & ſola apprehendit, patet ex eo, quia (ſecundum Apoſtolum 1. Cor. 6.) *vnus accipit brauiū*; ſcilicet perſeuerans; Bernardus. Perſeuerantia eſt ſingularis filia ſummi Regis virtutum, finis, & conſummatio, quæ ſola regna meretur. Apoc. 2. *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

POSTREMO patet horum nobilitas, & magnitudo, quia eorum contraria, ſunt vitioſa, & ab omnibus etiam in ſcripturis execrata. Eccl.27. Nam inconſtans viæ vagus ſtultus dicitur, qui vt Luna mutatur. Imperſeuerans comparatur cani ad vomitum reuerſo: Cui etiam comminatur Chriſtus ablationem gloriæ: vt dicitur Apocal. c. 3. *Tene quod habes, ne alter accipiat coronam tuam*; qui enim non perſeuerauerit non aliter ſaluus erit. Gratias itaque pro tantis donis agamus, & vt qui cœpit hæc largiri, vt conſolidet perficiatque indies, cum 2.Pet.5. Auguſtino oremus, qui orabat quotidie pro perſeuerantia, vt patet.

MEMBRVM III.

Spem veniæ, gratiæ, & gloriæ.

III. Rom.5. SPe ſalui facti ſumus. Apoſtolus Rom. 8. *Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.* Idem. Poſtea gratiæ dicendæ. quod vt in perſeuerando nos conſolidaret, *ſpem glorificandi*, ſpem adipiſcendæ veniæ, gratiæ, & gloriæ infuderit: Quod quanti ſit beneficij nemo perfectè nouit; niſi qui mala ex deſperatione prouenientia, itemque bona ex ſpe firma procedentia plenè dinouerit. Vnde vt huius beneficij altitudinem noſcas, hæc attende, Quia eſt,

Anchora, ſolamen, bona dat, mala pellit, & ob hæc.

Primo enim ſpes firma à Deo immiſſa, eſt animæ in tribulationum tempeſtatibus velut anchora firma: vt dicit Paulus. Heb. 6. *Quam* ſcilicet ſpem, *ſicut anchoram habemus animæ, tutam ac firmam.*

Eſt idem ſecundo fortiſſimum ſolamen omni anxiato: Hinc dicit, *Vt fortiſſimum ſolamen* Ibidem. *habeamus confugimus ad tenendam nobis propoſitam ſpem.* Imò eſt, & *galea ſalutis*, & *gratiſſima* Pſ.17. *gemma* (ſi ſapienti creditur) *eſt expectatio præſtolantis* &c.

Tertio, plura bona ſpes in animo operatur: Nam aſſecurat iuxta illud, Pſ. 17. *In Deo ſperaui, non timebo.* Et merito, *Protector eſt enim omnium ſperantium in ſe.* Deinde fortificat. Eſa. 33. *In ſilentio, & in ſpe erit fortitudo veſtra. Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem*. Præterea patienter aduerſa portare facit: vt patet in Martyribus, Item liberat ab aduerſis; vt patet in Suſanna &c. Dan. 13. Eleuat in regnum; *Saluos fecit ſperantes in ſe*, &c. multa Pſ.16. bona præſtat: vt patet in ſummis virtutum, Bona quoque ſpes ipſa.

Quarto propellit omnia mala de malis ſpeciebus, & deſperatione venientia: Docet enim non ſperare in ſe, quia homo ſibi inſufficiens, non ſolum ad bene viuendi; ſed etiam ad inEſſe ſubſiſtendum. Docet non ſperare in hominibus, quia baculus arundineus inſufficiēs Eſa.36. eſt, ſpes in hominibus, & qui in eis ſperat eſt maledictus, ſecundum Hieremiam c. 17. Docet etiam non confidere in rebus terrenis: Nam *qui confidit in diuitiis, corruet.* Do- Prou.11. cet quoque non deſperare ob multa mala. Grande igitur eſt beneficium illud, tanta mala propellens, & bona cauſans.

Sed quinto docet firmiter ſperare in Domino Deo propter multa, quę præterimus: Potiſſimum tamen propter tria quæ ſpem roborant, Vnde regratiandum cum Auguſtino, & Bernard. hoc modo. Deinde dedit mihi Deus ſpem obtinendi; illa, ſcilicet dicta, veniam, gratiam, gloriam. Tria etenim ſunt, quæ ſic roborant, & ſic confirmant cor meum, vt nulla me penuria peccatorum meorum, nulla conſideratio vilitatis propriæ, nulla æſtimatio cœleſtis beatitudinis, de celſitudine ſpei deijcere poſſit. Hæc autem, tria ſunt, charitas adoptionis, veritas promiſſionis, poteſtas redditionis. Murmuret quantum voluerit inſipiens cogitatio mea dicendo, Quis enim es tu? quibuſve meritis tantam gloriam obtinere ſperas? Et ego fiducialiter reſpondeo: *Scio cui credidi, & certus ſum*, quia in 2.Tim.1. charitate Deus adoptauit me, quia verax eſt in promiſſione, quia potens in exhibitione, licet enim ei facere, quod voluerit. Pro his ergo merito mihi Deus meus diligendus eſt.

MEMBRVM IIII.

Creſcas, in profectu ſpirituali.

IV. CReſcere me fecit Deus. Geneſ. 41. *Tunc proficere poteris, ſi cuſtodieris mandata Dei* Paralipo. 22. POST HÆC regratiandum, quod non tantum ſpem dederit profectus; verum & rem contulerit, dans gratiam *proficiendi*, & quotidie in melius creſcendi. Quod quantum ſit beneficium, ex his patet,

Raro, aufert, promouet, tria dans, bona plurima præſtans.

Patet *in primis* grande eſſe beneficium gratiam proficiendi, quia rariſſima proh dolor à uis eſt in terris, inueniſſe proficientem; imo in terminis incipientium conſiſtentem: *Secundo*, quia multa tanto profectui obſiſtunt, quæ omnia Dei pietas ammouit: Quorum quædam ſunt impedimenta generalia, quædam ſpecialia, aut ſingularia, quorum aliquot in prima diſtinctione ſunt enumerata.

Tertio quod omnia ad profectum neceſſaria adminiſtrauit, conferendo omnia promotiua: *Ab intra* monendo ſæpius memoriam, docendo intelligentiam, monendo voluntatem; *Ab extra* dando tempus, locum, & inſtrumenta quæque: vt patebit; Inſtantiſſimè ſua gratia adiuuando.

Et quarto, tria illa adminiſtrat, in quibus gratia profectus conſiſtit, de quibus confitetur Auguſtinus dicens. Dedit, & mihi Deus gratiam promerendi, & proficiendi, quam gratiã in tribus arbitror conſtare; ſcilicet in odio præteritorum malorum; in contemptu præſentiũ bonorum, in deſiderio futurorum, &c.

Poſtremo ex gratia proficiendi dedit alia bona, quam plurima, quia ſpem roborauit, feruorem augmentauit, exemplum alijs dedit, & ſic eis occaſio profectus fuit, &c. Pro quibus omnibus ſemper regratiandum, & vt conſeruet eam, orandum.

MEMBRVM V.

Manna.

V. DEdit tibi cibum *Manna, quod ignorabas.* Deut. 8. *Pluit illis Manna ad manducandum.* Pſ. 77. POST HÆC, ne creſcendo à profectu in via deficias, ſed vt deperditum reſtaures, & robuſtius agas, cibos regios de menſa ſua tibi conſtituit, dũ panẽ vitæ viuũ, & viuificũ, cæleſtem & angelicum; corpus, ſcilicet & ſanguinẽ ſuum in cibum tibi, & potum adminiſtrauit: Pro cuius beneficij magnitudine æſtimanda, innumera eſſent conſideranda, quorum plura in ſacramentali præhabita, vnde nec iam repetenda; conſidera tamen quis, cui, quid, & quam multipliciter ſe in Sacramento exhibuit, quia in omnem deſiderabilem vſũ, quia eſt tibi,

Arra, cibus, medicina, omnes, pax, hoſtia Chriſtus.

PRIMO dedit ſe tibi in *arram*, *& pignus* (vt Gorr. ait) noſtræ hæreditatis: vt dicitur Eph. c. 1. SECVNDO *in cibũ noſtra* mẽdicitatis: vt Cant. c. 1. *Comedite amici, & inebriamini chariſſimi.* TERTIO *in medicinã* noſtræ infirmitatis. Eccl. c. 43. *Medicina omnium in feſtinatione nebula*, QVARTO in *comitem* noſtræ peregrinationis. Mat c 28. *Ecce ego vobiſcũ ſũ*, &c. QVINTO in pacificã *hoſtiã* noſtræ recõciliationis, quia per ipſũ reconciliata ſunt omnia; Etiam in hoſtiã expiationis; imò & in effectũ ſalubrem omnigenũ hoſtiarũ; vt ſupra eſt in ſacramentali vtcunque declaratum.

Eya igitur ſuper tanto beneficio, quo maius meliuſve nullum eſſe poteſt, taliter nobis, & tanto amore exhibito, grati ſimus. Et cũ Gerſ. in de Mendicatione ſpirituali dicamus, Poſt hæc, quis ore proferre poterit, aut corde cogitare, magnam illam tuam gratiam, qua ad perceptionẽ ſanctiſſimæ Euchariſtię me dignaris admittere? vbi omnia bona, vbi tua corporalis adeſt præſentia; vbi adſunt, & miniſtrantes Angeli, vbi deuotarum mentiũ inuenitur nutrimentũ; vbi tua paſſio amantiſſima cõmemoratur, vbi noſtræ redemptionis ſacrificium offertur &c. O gratiæ pietati tuæ. Væ ingratitudini, & indeuotioni meæ. Dum enim mihi cõmemoro illam meã indignitatem, indeuotionẽ erga venerandiſſimum altaris tui Sacramentũ, ſiue offerendo illud, ſiue ſuſcipiendo, aut contrectando, ſiue illius celebrationi indeuotè intereſſendo, ſiue ante ſacrariũ ipſius exiſtendo, ſiue tranſeundo ad miſſas; totus horreo, & merito erubeſco, qui nunquam tanto beneficio gratus fui, &c. Gratias tibi agant omnia creata, omneſq́ Sãcti tui, & tu tibi gratias age, tunc verè eſt regratiatum.

MEMBRRM VII.

Libros.

DEdit illi *ſcientiam Sanctorum.* Sapen. 10. VI. *Habentes ſolatio ſanctos libros.* Ionathas. 1. Machab. 12. ET VT iam cibo roboratus ſecurè curreres, quæ reſtabant neceſſaria impendit: *In primis* adminiſtrans ſcientiã Sanctorũ, & *libros ſacros* tanquam Speculũ, quo videlicet poſſes tuam iniuſtitiam, & fæditatem contemplari, & quæ tibi agenda forent noſſe. Circa quod beneficium pro his gratus eſto,

Scolicolã, ingenium, libros, ſenſum, bona tanta.

IN PRIMIS gratus eſto, quod ad ſcholas à puero te vocauit, & ad ſortem ſcholariũ te elegit, quod pluribus negatũ, SECVNDO quod proficiendi, & ſtudẽdi ingeniũ, & velle dedit: Quod quia pluribus non dedit; ideo ſepta ſtudia dereliquere plures; dedit ingenium docile, acutã intelligentiã, tenaciſſimã memoriã, voluntatẽ ſtudendi bonam. O gratias illi.

TERTIO quod tantos, & tales libros noſtræ caligini in exilio adminiſtrauit, de omnib⁹ ſcientijs neceſſarijs prouidit: Dinumera ſcientiarũ varietates, librorũ multitudines, & copioſitates; ſi potes, non ſolũ ſcripturæ, & Doctorũ; ſed & cæterarũ ſcientiarum, & philoſophorũ, quæ omnia ad noſtram doctrinã, & cõſolationem ſunt conſcripta. Potiſſimum tamen ſuper

Digitized by Google

ſacris libris gratus eſto, ex quibus tanta conſequeris, vt dicetur, bona: Hi enim ſunt profundiſſimæ ſophiæ fodinæ, ad quas Sapiens filium ſuum mittit, vt inde theſauros effodiat;
Prou. 5. Cant 4. Gen. 2. Hi *putei aquarum viuentium*, ſpicæ plenæ granis, venæ aureæ, lignum vitæ, atque quadripartitus fluuius Paradiſi, Hi pera Dauid, aurea vaſa templi, oliuæ fæcundæ, vineæ Engaddi, ficus ſterileſcere neſcientes, lucernæ ardentes, & vt dicam breuiter omne bonum, &c.

QVARTO gratias age, quòd ad hos libros intelligendos *ſenſum* dedit, & myſteria ſcripturarum aperuit, quarum tanta (iuxta Aureliũ Auguſtinum) eſt profunditas, vt ab humano intellectu quantumcunque vigilet, ſummo otio, & maximo ſtudio nequeat comprehendi,
Eſai 22. adeo, quòd horror eſt intendere in eas; ipſe tamen, qui clauis eſt, & clauem Dauid habet, tibi abſcondita ſæpe reuelauit, & ſic te ad amorem ſuum prouocare voluit, quid enim tunc agit, niſi nuncios ſui amoris ad nos mittit? Quotiens enim (Richardus ait) abditos intellectus donat, nil aliud dilectus, quàm nuncios ſuos cum amatorijs ad nos mitti litteris.

Porro de fructibus, & bonis librorum, Richardus de Buri Epiſcopus in ſuo Philobiblio ſic ait. Humanum excedit ingenium quantumcunque de fonte Pegaſeo potatum, bona explicare librorum. Si linguis hominum, & Angelorum quis loquatur, ſi in Mercurium transformetur, aut Tullium; ſi dulceſcat Titi Liuij eloquentia lactea, ſi Demoſthenis ſuauitate peroret; aut Moyſen balbutientem allegabit, vel cum Hieremia ſe puerum neſcientẽ cõfitebitur adhuc loqui, vel imitabitur reſonantem in montibus altis Echo. Superant
Exo. 4. Ier. 1. enim omnem linguam; imò omnem intelligentiam creatam; hi intellectum erudiunt, mentẽ ſtabiliunt, affectum inflammant; hi vitia exterminant, promouent virtutes, pandunt ad æthera iter. Per libros omnia cernuntur, quæ ſunt, fuerunt, & erunt &c. Qui bona horum ſcire volet, legat lib. iam dicti Richar. Gerſ. item de laude ſcriptorum, aut Leonardum Aretinum: Hi enim omnes mira ſcribunt in laudem, & præconia librorum.

Gratias itaque ſemper ſuper his agamus, & cum Gerſo. dicamus, quid de illa dicam ſplendida menſa, atque opulenta ſcripturæ ſacræ, in qua me ſuauiter reficis Domine Deus? vbi propitiam, & ſalubrem aduerſus omnem morbum inuenio medicinam, vbi tota eſt dulcedo, & pro mea conſolatione ſuauiſſimus ſapor &c. O gratiæ tibi. Latiſſima hic offertur materia. Poterit enim hic fieri conſideratio de ſtatus eruditorum atque litteratorum dignitate, de librorum multitudine, & varietate, eorumque præconijs, & vtilitate, &c.

MEMBRVM VII.

Ornatum.

VII. 2. Reg. 1. Heſt. 2. PRæbebat *ornamenta cultui veſtro Dauid.* 2. Reg. 1. *Quicquid poſtulaſſent ad ornatum pertinens accipiebant.* Heſt. 2. POST regratiandum, quòd non modo ſpeculum dedit, quo fœditates dignoſceres; ſed & abundè omnia tibi adminiſtrauit, quo te, vt ſponſi oculis placeres, adornares; etiam iam prioribus amiſſis, quia Deus tuus,

Dat lauacrum, ſmigma, veſtes, & aromata, cuncta.

Ante dedit *lauacrum* Baptiſmi; ſed poſt alterã inquinationem, aliud prouidit Baptiſma, ſcilicet lachrymarum; ſic & *ſmigma* reiterationis pœnitentiæ, *veſtes* bonorum operum, *aromata* multarum virtutum, & cętera quæque ornatui neceſſaria, quæ Dominus commemorat in Ezechiele dicens, *Laui te aqua & emundaui ſanguinem tuum à te, Vnxi te oleo, veſtiui te diſcoloribus, calceaui te hyacintho, cinxi te biſſo, indui te ſubtilibus, ornaui te ornamento, dedi armillas in manibus tuis, torquem circa collum tuum, dedi inaurem in auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo: Et ornata es auro, & argento.* Ezech. 16.
Vbi tredecim ornamenta tanguntur quæ proſecuta ſunt in lib. de Inſtructione cordis.

Super tantis ergo beneficijs gratias agamus cum Auguſt. & Hugone dicentes: Hoc etiam ad dilectionem pertinere ſcio, quod habeam vnde me ornare poſſim; qui vtique ex me nihil habeo, niſi ab illo recepero, Ab illo autem accepi, vt veſtimentis bonorum operum indui, & fructum eleemoſinarum cum ieiunijs, & cum orationibus, ſacris vigilijs, alijſque operibus pietatis, quaſi quodam vario ornatu, poſſim ornari, vel decorari. Et quicquid ad ſanitatem, quicquid ad refectionem, quicquid ad ſpeciem reparandam, quicquid ad decorẽ augendum valere dinoſcitur, copiosè tribuiſti. Vide ergo quam copioſa diſpenſatione vbique tibi occurritur. Non habuiſti, & datum eſt tibi; perdidiſti, & reſtauratum eſt tibi. Nũquam derelinqueris, vt ſcias quantum ille diligat à quo amaris. Non vult te perdere, & ideo te expectat, & concedit piè totiens negligenter amiſſa, iterum ſi volueris, reparare. Ante te dilexit cum fœda, & immunda eſſes, & queque ablutioni neceſſaria prouidit. Poſuit te in triclinio, vbi ornari poſſes, varia pigmenta, diuerſas ſpecies exornationi aptas dedit; vtputa ſeptem Sacramenta, bona opera, &c. Sed poſtquam te iterum fœdaſti alia tibi dedit. Forte poſt Baptiſma es polluta, habes lachrymas, quibus iterum te abluas. Forſan vnctio in te emarcuit, per piam, & bonam deuotionem te iterum vngere potes, &c. Vides igitur quam piè ſuccurrit tibi, quam clementer amiſſa reſtituuntur tibi. O quot iam perierunt, qui iſta tecum acceperant; ſed amiſſa iterum tecum accipere non meruerunt! Plus igitur omnibus illis es dilecta, quia tibi tam benignè amiſſum redditur, quod illis perditum tam diſtrictè negabatur.

Caue ergo ne donis Dei ingrata abutaris; Sed dum tempus conceditur, dum ornamenta dantur, formam tuam excole, faciem orna, habitum compone, maculas terge, munditiam repara, corrige mores, diſciplinã ſerua, & omnibus tandem in melius commutatis, digno ſponſo dignam ſponſam omni nixu te redde. Caue, inquam, ne ad excolen-

Digitized by Google

lendā temetipſā negligentior ſis; ne in nouiſſimis, cum in cōſpectu ſponſi repręſentata fueris, indigna (quod abſit) eius cōſortio inueniaris. Para ergo te ſicut decet ſponſam regis, & ſponſam regis cæleſtis, ſponſam ſponſi immortalis: Non enim ad minus, quam ad amplexus coniugales condita es, ô anima mea; Et niſi prius multa cura ſtudio vehementi, exculta, & decenter ornata fueris, in cæleſtis ſponſi thalamum introduci digna non eris. Nam ideo te poſuit velut alteram Heſter in triclinio, & neceſſaria ornatui miniſtrauit: vt te præparares thalamo. Si quæris qualis eſt ſponſus tuus, certè *candidus, & rubicundus electus ex millibus*, qui & te ſibi ex millibus elegit. Caue ergo ne eo derelicto meretrix dicaris, ne amorem proſtituas, ne mentem eleues, ne cum Vaſthi ab Aſſuero repudieris.

Cant. 5.

Heſt. 2.

MEMBRVM VIII.

Sanctos.

VIII. F*Aciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Gen. 2. *Verbum dulce multiplicat amicos.* Eccleſiaſt. 6. VERBVM dulce, benignus eſt Filius Patris, qui noſtræ neceſſitati in omnibus prouidit, ſemper ſuccurrit, qui, ne quicquam nobis deeſſet, poſt omnia priora, contulit nobis ad iuſtificationem noſtram Sanctorum ſuorū merita, & exempla: vt his ſuppleretur, quicquid in prioribus deeſſet. Conſidera ergo,

Quod tales, tantos, ſua ſic dedit, & bona tanta. *In primis* quod talia nobis adiutoria conceſſit, nobis in natura ſimilia: vt poſſint, fortia, vt velint, pijſſima. Nam & ideo verbum ſuum in natura nobis diſſimile; ſimile nobis per incarnationem fieri voluit, quod magnæ ſpei eſt promotiuum. Hinc Io in Canonica. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus Ieſum*, &c. Vbi Gregor. *Præbet apud Deum homini fiduciam Deus homo, quia aduocatus noſter factus eſt iudex noſter.* Hinc Auguſtinus & Bernardus, *Puto, iam me ſpernere non poteſt Chriſtus, os de oſſibus meis, & caro de carne mea.*

1. Io. 2.

Gen. 2.

QVOD ſi duriuſculum alicui videtur accedere ad Ieſum, eo quod etiam ſit Deus, non homo purus; ecce dedit mediatricem fidelem, pijſſimam, & potentem, cui pro reuerentia nil negatur, Mariam. Habes ergo ante Patrem Filium; ante Filium Matrem; ſecurum habes ergo acceſſum ante Deum. Quid ad hanc trepidas accedere miſer? Sed fortè alta nimis eſt tibi? ecce Angelos habes; Sed cauſaris diſſimilitudinem. Habes en cæteros Sanctos, tam pios, & ſollicitos tui, quod hoc nulla mens concipere poteſt.

ET ECCE ſecundo patronos huiuſmodi, non paucos dedit tibi; ſed numeroſiſſimos ſuper arenam maris. Ita quod Gregorius dicat, quòd totus mundus plenus eſt Sanctis. Et de multitudine Angelorum, Haymo dicit. Quod ſi quis creaturas ſpirituales videre poſſet, videret eas ebullire in aere, ſicut atomatus in ſplendore ſolis. De cæteris autem etiam ſolis martyribus, tempore etiam Conſtantini, quolibet die anni plus occurrebant (vno excepto) quam quinque millia martyrum. Quis ergo Confeſſores, cæteroſque, & poſt dinumerabit? Plenius de hoc infra.

TERTIO conſidera, quod horum omnium merita tibi contulit, & exempla, in tuæ iuſtificationis ſubſidia. QVARTO quod eos ſic tibi dedit, ſcilicet in patronos, fratres, aduocatos, ciues, & in omnem exoptabilem vſum. QVINTO quanta per eos, & per eorum memoriam tibi contulerit bona, de quibus actum eſt in Feſtilogio. Hinc igitur gratus eſto, cum Gerſone dicens, Ad me plenè iuſtificandum, tuos Sanctos pro me oratores fieri voluiſti, & mihi eos ad recurſum dediſti, quod vtique magnæ eſt dilectionis ſignum; & præſertim, quod Matrem tuam feciſti mihi aduocatam, &c. Verè inexcogitabilis eſt hæc gratia, quam mihi præſtas; dilectio quam intinuas, talis ac tantus Dominus, tam miſerabili peccatori.

De beneficio ſingularis dotationis.

CAP. VI.

N*On fecit taliter omni nationi.* Pſalm. 147. POST ſuperiora illa beneficia, quæ cum pluribus accepimus *communiter*, attendenda ſunt, quæ donata ſunt nobis etiam *ſingulariter*, ſuper quibus quiſque ſingulariter gratias agere tenetur, ne ingratus illius inſtar ſerui pigri, & ingrati priuetur; vnde & Auguſt. docet conſiderare, quæ ſuſcepimus communia cum omnibus, quæ ſpecialia cum aliquibus, quæ item ſingulariter ſoli. Circa quæ ſingularia, conſidera in primis, quòd etiam ipſa quæ ſuſcepiſti cum multis communia, tibi ex ſingularitate, & pręſtantia facta ſunt ſingularia, Vnde iam dicendum,

Mat. 25.

MEMBRRM I.

Singularia.

S*Ingulariter ſum ego. Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* I. Pſ. 4.

PRIMVM itaque inter ſingularia dona beneficium eſt, quòd illa triplicia bona, puta bona naturæ, fortunæ, & gratię, quæ & cæteris ſunt communia, ſingulariter tibi ſunt collata:

Naturæ, ſortis, gratum, facientia donat.

Vnde poterunt pro huius declaratione repeti illa dona ſupra memorata, cum applicatione ſingulari; quemadmodum Auguſtinus facit, & Hugo: vt quòd ſenſus cum cæteris dedit; ſed præ cæteris capaciores; Intellectum cum cæteris; ſed præ cęteris acutiorem, & ſic de alijs, ſed longum eſſet; pro quibus tamen ſingulariter grati eſſe tenemur.

HINC CVM prędictis Sanctis dicamus. O anima mea, quid faciemus Domino Deo noſtro,

noſtro, à quo tanta bona ſuſcepimus? Neque enim contentus fuit eadem, quæ & cæteris, nobis bona tribuere; ſed ſingulariter nobis omnia donauit. Nam quoad *bona naturæ* dedit præ cæteris ſenſum capacem, intellectum facilem, memoriam tenacem, linguam diſertam, ſermonem gratum, doctrinam ſuadibilem, efficaciam in opere, gratiam in conuerſatione, profectum in ſtudijs, effectum in cœptis, ſolamen in aduerſis, cautelam in proſperis, &c. Quoad *bona fortunæ* regratiatur, quòd acceperit pulchritudinem decentem, congruentem, diuitias competentes, &c. id genus præ cæteris coætaneis ſuis. Porro de *donis gratiæ* ſingularibus, hoc modo confitetur dicens; Tu dediſti mihi Domine, vt te agnoſcam, & præ cæteris multis de tuis ſecretis reuelata intelligam. Alios coætaneos in tenebris ignorantiæ reliquiſti, & mihi, præ illis, lumen ſapientiæ tuæ infudiſti. Tu dediſti mihi verius cognoſcere te, purius diligere te, ſincerius credere in te, &c.

Sed heu omnia hæc tam ſingulariter collata, dona naturæ, fortunæ, & gratiæ, conuerti in abuſum, & in vſum culpæ; Naturalia enim dona tua grauiter læſi, & vulneraui in iniuriã tuam, & contumeliam; dum quæcunque illorum, vel tibi non attribui, vel mihimet falſiſſimè atque vaniſſimè arrogaui; imò in arma impugnationis tuæ ea ſuſcepi, & intorſi. Pulchritudinem namque corporalem, ad amorem turpitudinis, in flammeum gladium, ad exurendas animas, ſuaſu diaboli, conuerti: Quem etiam gladium exquiſitis ornatibus elimaui, & exacui: vt in ipſo pugnans aduerſus te diabolus, maiorem tuarum ſtragem faceret animarum. Ingenium, quod dediſti, non ſolum in vanis, & inutilibus atque ſuperuacuis; imò etiam in noxijs, & pernicioſis illud exercui tota ſtudioſitate. Heu quantam partem ſtudiorum ſibi vindicauerunt ſcientiæ vanæ, curioſæ, & diſplicentes tibi, &c. Eloquentiam, quam dediſti, quam totam expendiſſe in tuis laudibus debueram, & magnificationibus; impugnandæ veritati, & iuſtitiæ, & adornandæ falſitati, & defendendæ iniquitati totam dedi. Canendi, vel cantandi gratia, quam deliquerim tu noſti per eam, &c. Sic & fortunæ donis, & gratiarum muneribus, abuſus ſum, & teſtiti ſemper. Sic poterit ſemper poſt cogitata beneficia, fieri retorſio in abuſum eorundem; ſed prolixum ſcribere foret.

MEMBRVM II.

Plura dedit.

II. DAt omnibus affluenter. Iac. 1. DEINDE regratiandum, quod non ſolum communia dona dedit tibi ſingulariter, ſed etiam contulit tibi ſingularia ſpecialiter, quibus tibi ſola conſcia es. Circa quæ hæc attendere debes,

Quanta dedit, ſoli, ſemper, quæ non numerari.

In primis, quod tam numeroſa tibi dedit ſpecialiter ſingularia bona: Tanta dedit, quanta non numerare potes. *Quæ ſecundo* ſoli tibi dedit, & pluribus te melioribus negauit; Et in *omni ſtatu*, & tempore omni, ſingulariter te dotauit. Itaque non ſolum quinque talenta dedit; ſed & duo, ſed & vnum, omnia ſuæ beneficentiæ, & largitatis in te exaggerans, & congerens dona, quare neceſſe eſt præ cæteris multis gratias agere, *ne quæ plus cæteris in hoc mundo accepiſſe cerneris, ab auctore mundi ſi ingrata perſtiteris, grauius inde iudiceris. Cum enim augentur dona* (teſte Gregorio) *rationes etiam creſcunt donorum.* Quare & iuxta eundem, *tanto eſſe humilior atque ad ſeruiendum promptior quiſque debet ex munere, quanto ſe obligatiorem eſſe conſpicit in reddenda ratione.* Alioquin ingratus talento, quod acceperat priuatur, & iuxta Dominicam ſententiam, in exteriores tenebras mittetur. Mat 7.

Super igitur ſpecialibus donis, ſpeciales gratias agere oportet. Nec quiſquam eſt qui dicere poſſit, quod talentum ſpeciale non acceperit, etiam ſi minimum ſit, quod accepit. Alius namque (vt Gregorius ait) accepit intelligentiam prædicationis, & miniſterium debet ex talento; Alius terrenam ſubſtantiam, & erogationem debet ex rebus; Alius nihil horum; ſed artem qua paſcitur accepit: Ipſa ars ei in talenti acceptione reputatur. Pauperi ſua paupertas, diuiti diuitiæ ſunt talentum, &c. Vt ergo de talenti ſui rationibus redeunte Domino quiſque ſecurus ſit, iuxta conſilium Gregor. cum tremore penſet quotidie quid accepit, & gratus ſit; & cum Auguſtino, & Hugone dicat, Adhuc anima mea illa, quibus tibi ſola conſcia es, Diuinæ bonitatis inſpice munera; quam iocunda facie tibi ſemper occurrit, quanta & quam magna, & multa ſingulariter tibi fecit. O Domine Deus, confiteor tibi, quocunque me verti, vbique gratia, & miſericordia tua præceſſit me. Sæpe cum mihi conſumptus videbar, liberaſti me, quando errabam, reduxiſti me; quando ignorabam, docuiſti me; quando cecidi, erexiſti me, quando ſteti, tenuiſti me; quando iui, duxiſti me, quando veni, ſuſcepiſti me. Quandoque pauper, quandoque diues, pauper vt humiliarer; diues vt conſolarer; Quandoq; debilis, quandoque fortis, debilis tenebar, ne malum perficerem; fortis roborabar, vt ad bonum opus conualeſcerem; Quandoque per ſapientiam illuminaſti, vt te cognoſcerem; quandoque in ſimplicitate ſenſus mei me reliquiſti, vt meipſum deſpicerem. Hæc omnia mihi feciſti, & ſingulariter feciſti, Domine Deus meus, & multa alia, pro quibus ſemper gratiæ ſint tibi.

MEMBRRM III.

Memor.

III. P*Ater gloriæ det vobis ſpiritum ſapientiæ. in agnitione eius illuminatos oculos cordis veſtri.* Paulus ad Epheſ.1. *Vobis datum eſt noſſe myſteria.* Saluator Mat 13. POST enumerata ſingularia dona generalius, deſcendendum eſt ad ſpecialia ſingularius: Et ſingularius gratiæ ſunt agendæ pro eo, quòd dederit gratiam meditandi, & in æternis exercendi, dans illuminatos oculos cordis, & ſpiritum ſapientiæ in agnitione eius quod pluribus eſt negatū. Luc.10. Nam derelictis pluribus in actiua cum Martha, te vocauit ad optimam partem ad contemplatiuam; ſcilicet, cum Maria; Quod beneficium, qui ritè noſſe volet, dignitates, præconia, vtilitates vitæ contemplatiuæ reſpectu actiuæ cogitare habet, de quibus in principio huius ſecundi actum eſt; breuiter tamē noter,

Nobilis, elata, perfecta, vel vtilis, alma:

Eſt enim vita huiuſmodi contemplatiua in ſe *nobilior*, ab alijs commendabilior, perfectior, vtilior, celſior, & Deo ſimilior: vt ſupra eſt deductum. Hinc hanc qui à Deo gratiam ſuſcepit, neſcit quid boni inuenit: Verè Margaritam illam Euangelicam, verè optimam Mariæ partem accepit, vnde ſemper eſſe gratus tenetur. Nihil enim (Auguſtino teſte) iocundius, vel vtilius gratia contemplationis, ad quā qui promouetur, quaſi arrā Patriæ tenet.

Super hac itaque meditationis, & contemplationis gratia, qui eam accepit, quotidie gratias agat, (Rara eſt enim auis) ne eam ob ingratitudinem amittat. & cum Auguſtinus dicat, *Gratias tibi lux mea, qui illuminaſti me, & cognoui te, quia reſplenduiſti in me. Væ tempori, quando non cognoſcebam te; væ cæcitati, quando non videbam te. Illuminaſti me lux gratiæ contemplationis, & vidi te, & amaui te: Nemo quippe te amat, niſi qui te videt; & nemo te videt, niſi qui te amat. Sero te amaui pulchritudo tam antiqua, ſero te amaui*, &c. Et cum Sapiente Sap 7. ſuper dono ſapientiæ grati ſimus dicentes, & commendantes, *Prapoſui ſapientiam regnis, & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius. Super ſalutem, & ſpeciē dilexi eā.* Et probè, *Pretioſior eſt enim ſapientia cunctis, & opibus, & omnia, quæ deſiderantur, huic non valent comparari; Venerunt enim omnia bona ſimul cum illa.*

MEMBRVM IIII.

Deuotio.

IV. G*Uſtatis, quoniā dulcis eſt Dominus.* 2.Pet. 2. *Guſtaute, & vidit quoniam bona eſt negociatio eius.* Salomon Prou.31. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua*, Dauid Pſ. 118. INSVPER ſingularius regratiandū, quod non ſolum illuſtrauit intellectum contemplationis gratia; verumetiam affectum deuotionis gratia, & guſtu affecit; cum plures luceant, qui non ardent, videant & guſtant. Pro gratia itaque & guſtu deuotionis magnificæ gratiæ dicendæ, per quam animam viſitat, & plurima confert bona. Attende igitur, quia,

Viſans, ſolatur, arrat, bona dando quietat.

Indignum ſtupendè *viſitat*; mærentes piè *ſolatur*; *Arram* dat ſui guſtus, innumera *bona* cōfert, & animam in ſe *quietat* De quibus omnibus pulchrè loquitur Auguſtinus dicens, *Et quid eſt illud dulce, quod in eius recordatione me tangere ſolet, & tā vehementer atque ſuauiter afficere: vt iam totus quodammodo à meipſo abalienari, & neſcio quo abſtrahi incipiam? Subito enim innouor, & totus immutor, & bene mihi eſſe incipit, vltra quam dicere ſufficiam. Exhilaratur cōſcientia, in obliuionem venit omnis præteritorum dolorum miſeria, exultat animus, clareſcit intellectus, cor illuminatur, deſideria iocundantur. Iamq; alibi neſcio vbi me eſſe video, & quaſi quibuſdam complexibus amoris intus teneor, & neſcio quid illud ſit, & tamen illud ſemper retinere, & nunquā perdere toto animi niſu laboro. Luctatur quodāmodo delectabiliter animus, ne abſcedas ab eo, quod ſemper amplecti deſiderat, & quaſi in illo omnium finem deſideriorum inueneris; ſummè, & ineffabiliter exultat, nihil amplius quærens, nihil vltra appetens, ſemper ſic eſſe volens. Nunquid ille eſt dilectus? Verè ille eſt Dominus meus, qui viſitauit me; ſed venit inuiſibilis, venit occultus, venit incōprehenſibilis, venit vt tangat me, venit vt videatur à me, venit vt admoneat me, non vt comprehendatur à me: venit non vt totum infundat ſe, ſed vt guſtandum præbeat ſe, non vt impleat deſideriū, ſed vt trahat affectum, primitias quaſdam porrigens ſuæ dilectionis, non plenitudinē exhibens perfectæ ſocietatis. Et hoc quod maxime pertinet ad arram deſponſationis eius, quod ille, qui in futuro ſe tibi videndum, & perpetuo poſſidendum dabit, nunc aliquando, & aliquo modo, vt quam dulcis ſit, agnoſcas, ſe tibi ad guſtandum præbet: vt ſimul etiam interim de abſentia eius conſoleris, quando eius viſitatione, ne deficias, inceſſanter reficeris. Hæc ſunt beneficia tua magna, Domine Deus, cuius omnia donaria, quoniam tu magnus es, ſunt magna, qui es ſatietas famelicorum, & conſolatio ſempiterna, ſolis illis retribuens, qui conſolationes huius mundi pro conſolatione tua contemnunt. Nemo enim poteſt in vtroque ſæculo conſolari, nec poteſt hic, & in futuro gaudere; ſed vnam neceſſe eſt vt perdat, qui alteram voluerit poſſidere. Hæc vbi cōſidero, Domine Deus, conſolator meus, renuo conſolari animam meam: vt digna habeatur conſolationibus tuis æternis; quia iuſtū eſt, vt amittat te, quicunque in aliquo alio conſolari magis eligit, quā in te. Et hoc obſecro ſumma veritas te, per te, vt nō permittas me in aliquo conſolari, quàm in te, ſed omnia peto, vt mihi amareſcant: vt tu ſolus dulcis animæ meæ appareas, qui es dulcedo ineffabilis, per quam cuncta amara dulcorantur, qui totiens dulcedine tua me viſitaſti, & viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum, & amara mihi dulcia fecit. Et nō mirū. Tua enim dulcedo Stephano lapides torrētis dulcorauit: Tua dulcedo Laurentio craticulam dulcē fecit, pro tua dulcedine ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu conſilij quoniā digni, &c. Ibat ad crucē Andreas ſecurus, & gaudens, quoniā ad tuā dulcedinē properabat. Hæc tua dulcedo ipſos principes Apoſtolorum ſic repleuit: vt pro ipſa crucis patibulum vnus eligeret. Alter quoque caput ferienti gladio ſupponere non timeret.*

Iob 10. Act. 5.

Pro

Pro hac emenda, pellem propriam Bartholomæus dedit, pro hac guſtanda veneni poculum intrepidus Ioannes potauit. Hanc vt guſtauit Petrus, omnium inferiorum oblitus clamat quaſi ebrius dicens, Domine bonum eſt nobis hic eſſe, Hic mo-
Mat.17. *remur, te contemplemur, quia nullo alio indigemus. Sufficit nobis Domine videre te, ſufficit,* inquam, *tanta dulcedine ſatiari. Vnam ſtillam dulcedinis iſte guſtauit, & omnem aliam dulcedinem*
Pſ.30. *faſtidiuit. Quid putas dixiſſet, ſi magnam illam multitudinem dulcedinis guſtaſſet, quam abſcon-*
S.Agatha. *diſti timentibus te. Hanc dulcedinem virgo guſtauit, de qua legimus, quod lætiſſima, & glorianter ibat ad carcerem, & quaſi ad epulas inuitata. Hanc vt reor, & ipſe guſtauit, qui dixit, Quam*
Dauid. *magna multitudo dulcedinis tua Domine,* &c. *Et qui monebat. Guſtate, & videte, quoniam ſuauis*
Pſ.33. *eſt Dominus,* &c. *Hæc eſt illa beatitudo, Domine Deus noſter, quam expectamus daturum te no-*
Pſ 43. *bis, pro qua tibi Domine continue militamus, pro qua mortificamur tota die: vt in tota vita viuamus. Pro cuius prægustatione gratias tibi exoluimus.*

MEMBRVM V.

Gratias dans.

V. A*Dijciet capiti tuo augmenta gratiarum.* Salomon, Pro.c.4. *Diuiſiones gratiarum ſunt,* &c. Paulus, 1.Cor.12. DEINDE regratiandum, quod poſt tantas gratias ſingulares, adiecit nobis adhuc ampliora augmenta gratiarum; dando, ſcilicet gratias gratis datas: Quod grande eſt beneficium. Conſidera ergo circa iſtud ſequentia,

Quomodo, quanta dedit, fructus hinc reſpice quantos.

IN PRIMIS conſiderandum quomodo, aut qualiter huiuſmodi dona largitur Deus. Et hunc modum deſcribit nobis Apoſtolus ſic ſcribens, *Vnicuique autem datur manifeſtatio*
Vbi ſupra. *ſpiritus ad vtilitatem.* Vbi innuitur, quod ea Deus præſtet *primo communiter,* ſine perſonarum exceptione, quia *vnicuique; ſecundo liberaliter* ſine venditione, quia *datur; tertio euidenter* ſine ſimulatione, quia *manifeſtatio* ſpiritus; *quarto vtiliter,* ſine inordinatione, quia *ad vtilitatem.*

Deinde quanta ſint huiuſmodi gratiæ gratis datæ dona, videndum: Et certè in-
1.Cor.12. numera reperiuntur; Ab Apoſtolo tamen ſub
Eph.4. duplici differentia aſſignantur; nam in prælegata ſententia enumerat, quæ conueniunt perſonis, alibi ea enumerat quæ Eccleſiaſticis ſtatibus, & ſunt quatuor, quia *dedit alios quidem fieri Apoſtolos,* id eſt, opus miniſteria (vt aiunt) exercentes. *Alios Prophetas,* id eſt, ſcripturæ explanatores; *Alios vero Euangeliſtas; Alios Paſtores;* loco autē citato, nouenariū ponit huiuſmodi gratiarū, ſcilicet. *Sermo ſapientiæ,* loquendo de cōtemplatione cæleſtiū; *Alij ſermo ſcientiæ,* loquendo de actione temporaliū; Deinde *fides, Gratia ſanitatū, Operatio virtutum, Prophetia, Diſcretio ſpirituum. Genera linguarū, Interpretatio ſermonū* &c. quorum ſufficientia pulchra à doctoribus aſſignatur, quia omnia hæc concurrunt ad hoc, vt homo alteri cooperetur; vt reducatur ad Deum, &c. Vnde pro ſingulis his gratijs gratiæ ſunt agendæ, quia licet non omnes has Deus contulerit ſingulis; dedit tamen vt ſint in omnibus: vt quod non habet quis in ſe, habeat, vel in alijs, ſecūdum quod Apoſtolus illic ait, *Deus operatur omnia in omnibus.* Omnia enim harum gratiarum chariſmata. acceperunt omnes fideles; etſi non ſinguli in ſe; tamen in alijs, propter vnitatem, & communionem myſtici corporis; *licet enim diuidat ſpiritus ſingulis prout vult; operatur tamen, & omnia in omnibus,* vt dictum eſt; Imò & ideo regratiandum, quod huiuſmodi non dederit tibi, quia forſan magni lapſus, & ſuperbiæ tibi occaſio forent.

POSTREMO conſiderandus eſt *fructus* ex his proueniens, & pro eo regratiandum: Nam horum quædam operantur ad ſalutem fidelium; reliqua ad proprij ſubiecti decorationis cumulum; ad perfectionis, & delectationis augmentum; in materiam laudis, & honoris incrementum, & omnium bonorum ſpiritualium complementum. Pro his gratias agentes dicamus, O Domine Deus meus, dulcedo vitæ meæ, & lumen oculorum meorū, benefactor meus, gratias pro omnibus his ago, & te pro his amare opto. Vis enim vt diligam te; ſed quomodo diligam te? & quantum Pſ.17.
diligam te? Quis ſum ego: vt diligam te? & tamen diligam te Domine virtus mea. O Domine da amem te.

MEMBRVM VI.

Aufert.

C*Vſtodiui te, ne peccares.* Geneſ.20. *Cuſtodiuit illum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum.* Sap.10. *Fortitudo mea, & laus mea* VI.
Deus. Pſal.117. ET nè ſuperiora ſingularium gratiarum dona amitteres, à peccatis te *preſeruauit,* & cuſtodiuit, & ne caderes in tentationibus roborauit. Vnde hic nota, quia,

Conſeruando, tulit, robur ſanando, leuando.

IN PRIMIS circa hoc beneficium conſidera, quòd à multis peccatis te cuſtodiuit, quæ non commiſiſti, SECVNDO vt ea non cōmitteres occaſionem ſubtraxit, ſepiens vias tuas ſpinas; TERTIO, te roborauit, dando forti- Oſea 2.
rudinē reſiſtēdi; Aut QVARTO affectione ſanauit, quod te huiuſmodi tentari nō permiſit; aut certè QVINTO lapſū mox ſubleuauit, ſuperpo- Pſ.36.
nens manū ſuā, quæ omnia mira ſunt, & grādia beneficia; vnde grati eſſe debemus, & dicere cū Auguſtin. Dona tua ſunt Deus, quod plura peccata non commiſi, ſicut enim in multa peccata cecidi; ſic etiā in multo plura, niſi me conſeruaſſes, cecidiſſē. Tribus autē modis me memini à peccatis conſeruatum, ſc. occaſionis ſubtractione, reſiſtēdi data virtute, affectionis ſanitate. Multa enim in peccata cecidiſſē; ſi data eſſet occaſio: ſed Dei miſeratione non me talis opportunitas apprehendit; Et tu feciſti vt deeſſet. In multa quoque paulominus cecidiſſē, grauiter impulſus violētia tentationis; ſed virtutē dediſti mihi Domine rex virtutū, vt ſub me
eſſet appetitus meus, & ei, quam ſentiebam, Gen.4.

concupiſcentiæ minimè conſentirem.Sed & à quibuſdam peccatis tam longe me fecit miſericordia tua Domine, vt penitus abominarer ea, & ne vlla quidem eorum me tentatio moleſtaret. Etſi tentari permiſit; non tamen
Pſ.33. opprimi ſiuit.Sed oculi Domini ſuper iuſtos. O gratiæ illi.

MEMBRRM VII.

Fortem facit:

VII. DIligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Rom. 8. *Bonum mihi Domine, quòd humiliaſti me.* Pſal 118. DEINDE regratiandum, quod tametſi quandoque in tentationibus dereliquit, ſi labi etiam grauiter dimiſit, ſi gratiam virtutum profectumq́ue ſubtraxit,tamē totum tibi in bonum conuertit,& cooperatus eſt tibi in bonum; adeo quod cū Pſ.118 gratanter dicere poteris, *Bonum mihi Domine,quod humiliaſti me.* Nam hinc hæc ſequuntur bona,

Hinc humilis,feruens,doctus,patiens,timoroſus.

Nam PRIMO ex huiuſmodi tuo lapſu oritur tibi cognitio propriæ fragilitatis,vnde & conſequenter humilitas procedit,qua vileſcis tibi in oculis tuis,dicens cum Pſ.72.*Ego autem*(in me,ſcilicet)*ad nihilum redactus ſum.*

SECVNDO redderis feruentior ad Deum orandum, à quo ſolo vides fortitudinem tibi dandam,& cuſtodiendam:eum ſemper in adiutoriū clamans, eiq; confitens cum Propheta Pſ.30. *Dominus fortitudo mea*,& te.m.

TERTIO hinc doceris,& experientiā tibi acquiris,qua eris idoneus ad alijs in lapſu ſuccurrendū. Hinc Apoſtolus.2.Cor.2. *Benedictus* (inquit) *Deus,& Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra; vt poſſimus,& ipſi conſolari eos,qui in omni preſſura ſunt. Qui enim non eſt tentatus quid ſcit?* qui non eſt paſſus,& expertus quomodo conſulet ?

QVARTO hinc prouenit,vt nunquam peccatoribus quibuſlibet criminibus prolapſis indigneris; ſed ex corde compatiaris; iuxta illud ſapientis,Eccl.31. *Ex teipſo cognoſces rem proximi tui recogitans, quomodo tibi tunc ſuccurri, & compati voluiſti.*

QVINTO inde etiā cuſtoditior redderis,ad ſēper ſuper tui cuſtodiam ſtandum, & Deum inuocandum: ne in ampliora mala cadas. Vides ergo quanta hinc tibi proueniunt.

PROFITERE igitur cum Auguſtino,& Bernardo, dicens, In malis quoque meis Deū ſingulatem habui dilectorem;qui etſi labi permiſit, fœlicius ſurgere fecit, omnia cooperans mihi in bonum. Nam & inimici ſunt iudices.
Deut. 32. Quod ſi hoſtes noſtri pro nobis faciunt, quomodo non omnia ſimul cum illis? Facit pro nobis hoſtis diabolus, qui ſuis tentationibus nobis fabricat coronas.Facit,& culpa,& lapſus noſter pro nobis,tanta in nobis gignens bona, vt nulla nos pertædeat ferre mala. Quiſquis enim perfectè cognoſcit culpam, aut parum ſentiet, aut ex toto aut non ſentiet corporis pœnam; nec reputabit laborem quo peccata nouerit deleri præterita,futura caueri. Sic enim Dauid ſanctus non conuitiantis ſerui,nō reputat iniurias filij perſequentis, recogitans iniquitates ſuas. O igitur fœlix culpa tanta adminiſtrans bona. O quam fœliciter cecidi, qui poſt lapſum fortior,& fœlicius reſurrexi. 2.Reg. 16.

Sed forte cauſaris anima, qui gratiam virtutum non habes; ſed melius nouit ille, quid tibi expediat, quam tu. Et ob hoc ſi vis de eo bene ſentire,totum,quod ab illo tibi fit, intellige bene fieri. Talis eſt enim Dei amor in nobis,nec quicquam humana infirmitas toleret, quòd ipſe,quantum in ſua bonitate eſt,ad bonum noſtrum non diſponat; cum magna opera facis, miſericorditer ſublimaris; cum gratia virtutum cares,& vitiorum impulſu concuteris,melius in humilitate ſolidaris. *Suauius enim redolet Deo humilitas infirma,quam virtus elata.* Nihil igitur diſpoſitioni Diuinæ præiudicare audeas, ſed ſemper cum timore,& reuerentia ora Deum : vt quemadmodum ipſe nouit, tibi ſubueniat;Si qua mala adhuc in te remanſerint, piè diluat, ſi qua inchoata ſunt bona, benignè perficiat, & ea te qua voluerit ad ſeruia perducat.

MEMBRVM VIII.

Ordo.

VIII. VOs elegit Dominus, vt ſtetis coram eo, & miniſtretis ei,& crem etis ei incenſum. Paralip.29. *Elegit ab omni viuente offerre ſacrificium Deo*, Eccleſiaſt 45. *Diſpenſatio mihi credita eſt.* 1.Cor.9. POST hæc ſuper omnia dona ſingularia, ſingulariter grati eſſe debemus,quod præ cæteris elegit, ad Ordines ſacros promouit, Dei ſacerdotem effecit,populo præfecit, & diſpenſatorem myſteriorum Dei,indulgentiæ, doctrinæ,Euchariſtiæ conſtituit. O verè 1.Cor.4. grandia beneficia, & multis gratibus digna: Nam eſt digniſſimum officium,quod inuenitur,Cuius dignitas ex his patet,

Sacratus,bonus,ecce potens,en nomina,dignus.

PRIMO patet ex eo,quia ad Dei cultum eſt ſepties ad minus,plus quam ſæcularis conſecratus, & vltra laicum ſeptem charectetes habet.Si igitur veneratur Eccleſia, vel cemiteriū ſemel conſecratū; quam dignus eſt Sacerdos!

SECVNDO, quia vtiliſſimus eſt Eccleſiæ, vnde verſus.

Vtilis eſt terris,defunctis,ſtantibus,aſtris.

Cogitet quiſque ſecum quanta bona agat Sacerdos, ſine quo nullus fieret perfectus Chriſtianus, aut Chriſti myſterijs initiatus.

TERTIO,qui eſt potentiſſimus,claues Eccleſiæ tenens, poteſtatē habens ligandi,& ſoluendi; Inſuper & corpus Chriſti conficiendi, quod nullus poteſt Angelorum.

QVARTO ex dignitate nominum, quibus denominatur, aut præſignatur, aut cōparatur. Vocātur enim *Sacerdotes* quaſi ſacra dātes,docentes,ad ſacra ducentes. Item *clerici*, quia de ſorte Dei dicuntur, vt Guillelmus Pariſienſ.in ſuo Sacramentali ſcribit,dapiferi, ac pincernæ ſummi regis, medicique animarū, iudices populorum , cooperatores Dei, reconciliatore Ethim.

Digitized by Google

reorum, Dij inter homines, Angeli, & mediatores. Hi excellentius *genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis*. Itē, 1. Pet 2.
præfigurat per Abel iuſtum; Noe ſacrificia offerentem, per Melchiſedech Sacerdotem ſummum; Moyſen, & Aaron, & ſanctum Apoſtolorum verticem Petrum. Aſſimilatur Archangelo Gabriel cæleſti paranympho Chriſtum, annuncianti Mariæ Virgini concipienti Chriſtum, & parienti; quia quem illa ſemel, hic indies Eccleſię quodammodo parit.

QVINTO patet, quia omnibus Eccleſiæ ſtatibus in dignitate eſt prælatus, adeò vt quidam dicat, Præcellit Reges, Papam, cunctos ſimul Angelos, quotidie creans ſe creantem, quod nullus, niſi Sacerdos poteſt. Merito igitur magnæ de hoc beneficio gratiæ agendæ. Pro cuius declaratione plura poſſent adduci; ſed ſatius duximus ſubticere, quam indigna, & inſufficientia dicere. Legatur Dialogus Sancti Io. Chryſoſtomi, & Baſilij. Epiſtola Bernardi ad Sacerdotem. Præceptorium Nyderi vbi plura de dignitate Sacerdotij habentur; & grati per ſingula ſimus. Et cum Ambroſi. dicamus, O quas tibi gratias dicam. En ille, ego deſpectus ante, iam præferor, iam anteponor electis! Ille ante deſpectus peccator habeo cœleſtium Sacramentorum veneranda conſortia. Iam menſę cœleſtis honore ſuſcipior. Chriſtum conſecro, & eo paſcor. Non epulis meis pluuia vadatur, non terræ partus laboratur, non arborum
1. Cor. 4. fructus; Chriſtus mihi cibus eſt, Chriſtus potus, qui & me conſtituit diſpenſatorem myſteriorum eius. O gratias illi ſemper.

De beneficio gubernationis.

CAP. VII.

EGo dominus docens te vtilia, & gubernans in via qua ambulaſti. Eſa. 40. POST ſuperiora beneficia, quæ ſuccedunt, aut inuicem coniunguntur; agendum eſt de beneficio *gu-*
Pſ 103. *bernationis*, quod ſemper continuatur; nam ſi vel ad momentum gubernationis manū ſubtraheret, in nihilum cuncta redirent. Vnde valde regratiandum eſt ſuper beneficio iſto: Circa quod primum gratiæ agendæ, quod in eſſe hactenus conſeruauit, & in tali nobili, & bene eſſe, de quo nunc dicendum.

MEMBRVM I.

Seruat.

I. *DAt omnibus vitam, & inſpirationem*. Actuū c. 16. *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus*, ibidem. PRIMVM itaque gubernationis beneficium, pro quo valde regratiandum eſt, continua eſt conſeruatio in eſſe; Ex nobis enim in nihilum tenderemus; Vbi conſideranda ſequentia.

Conſeruat, creſcat, ſanus, lætus, meritus non.

PRIMO, quòd ſemper in eſſe conſeruat: Nam ſine manutenentia eius, in nihilū redigeremur; ſicut ex nihilo conditi ſumus.

SECVNDO quòd incrementum, & augmentum debitum tibi conceſſit, adminiſtrans pariter omnia hæc requiſita.

TERTIO quod in tali eſſe te conſeruauit; ſcilicet ſano, læto, recto, & commodoſo, quæ pluribus denegata. Et tamen hæc omnia contulit non merito; ſed omnibus his indigno, qui etiam his donis datorem impugnabat ſemper.

PRO tanto igitur beneficio cum Auguſtino gratias agamus dicentes, Miſer ego Deus meus, quantum teneor diligere te, quantū debeo laudare te, qui ſemper conſeruaſti me? Nam ſicut per verbum tuum omnia creantur, & per verbum tuum omnia conſeruantur, ſine quo omnia annihilantur. Sicut enim omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum Io. 1.
eſt nihil; ſic per ipſum omnia conſeruantur, quæcunque ſunt, ſiue in cœlo, ſiue in terra, ſiue in mari, & omnibus abyſſis. Nec pars parti in lapide adhæret, nec in aliquo creaturarum, niſi quia per verbum conſeruentur, per quod omnia facta ſunt. Adhæream ergo tibi verbū ſemper: vt conſerues me ſemper; quia pereo in me, ſi fuero abſque te, & non ſeruatus à te, qui feciſti me. Et non minus eſt beneficium conſeruare me, quam fuit creare me. Da ergo mihi ſemper laudare te, qui vitam, morum, & omnia largiris, & in his conſeruas me. O omnia laudent te pro me.

MEMBRVM II.

Præſeruat.

DOminus cuſtodit te ab omni malo. Pſ. 120. II.
Cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui. Moyſes Deut. 32. DEINDE regratiandum, quod Deut. 32.
tam ſollicitè te gubernauit, quod ab innumeris periculis, & malis te *præſeruauit*, & cuſtodiuit, quæ poterant accidiſſe tibi: Et loquimur hic de temporalibus malis, quia de præſeruatione à peccatis ſupra actum eſt. Vt autem huius beneficij magnitudinem dignoſcas, oportet vt diligenter conſideres quis, quem, quanto tempore, & à quantis præſeruauit malis: Pſ. 120.
Certè Deus hominem; omni tempore; cuſtodiens introitum, & exitum; tanta diligentia, vt *pupillam oculi*, quam ſeptem tunicis veſtiuit, Pſ. 16.
& ab omnibus quæ poſſent accidere malis. Quia in *ſex tribulationibus, in ſeptima non tanget te malum*: Et præſertim ab iſtis, Iob 5.

Dæmonibus, morbis, ab hoſte, maliſq; periclis

Primo præſeruauit, quod non obſeſſus à dæmonibus quemadmodum multi; *Secundo*, quod non oppletus incurabilibus morbis, ſcilicet quod non leproſus, cæcus, &c. *Tertio*, quod non occiſus ab hoſtibus, aut latronibus, etiam inter pericula in ſyluis; *Quarto*, quod non læſus pluribus malis: vt quod non igne exuſtus, quod non aqua ſubmerſus, &c. *Quinto*, ab innumeris te præſeruauit periculis, quæ tametſi ſint innumera, enumerat tamen Paulus eorum octo genera, 2. Cor. 11.

Periculis fluminum, &c. Pro quorum ereptione, qui liberatori, & præſeruatori ingratus fuerit, inſenſibilius, & beſtijs ingratior, & durior erit, de quibus legitur, quod à paruis malis liberatæ ſemper gratæ fuerunt: vt de Leone Beati Geraſimi; de Leæna beati Macharij & alijs.

Grati itaque ſimus, & cum Sapiente, Domino confiteamur, dicentes: Eccl. 51. *Confitebor tibi Domine rex*, &c. Vbi gratias agit de ereptione multorum malorum. Et cum tribus
Dan. 3. pueris de camino ignis ereptis hymnum dicamus; Et cum Diuo Auguſtino regratiando cõfiteamur: Procedam adhuc intuens, munus eius fuiſſe, quòd educatus fui à parentibus, quòd me dum paruulus, & impotens mei eſſem, flamma non læſit, quòd me aqua non abſorbuit, quod non vexatus à dæmone, quòd à beſtijs non percuſſus, quod non præcipitio necatus; ſed à tantis periculis liberatus, & cuſtoditus, & ad congruam vſque ætatem, in fide eius, & bona voluntate, ſine his nutritus. Verè dona tua ſunt hæc, Domine Deus, miſericorditer mihi à te indulta, quòd me inter pericula media ſæpe conſtitutum clementer eripuiſti, nec vnquam peccatis meis, quo minus miſereris, vinci potuiſti. Vnde mihi ſemper amandus, & laudandus. Nam ſi amarem qui me à morbis, aut periculis grauibus curaret; quanto magis te amare debeo, qui ne hæc mihi contingerent præſeruaſti? O laudes tibi.

MEMBRVM III.

Nutrit, & veſtibus ornat.

III. **D**At *victum, & veſtitum.* Deut. 10. *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam.* Pſal. 144. *Tribue tantum victui neceſſaria.* Salom. Pro 3. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Paulus 1. Thi. 6. DEINDE gratiæ referendæ pro adminiſtratione victus, & veſtitus: Quę ſingulatim poni poſſent; ſed non grandis eſt differẽtia conſiderationum circa iſta, quare complectimur ea ſimul. Et hæc quanti ſint beneficij Iacob Patriarcha nouit, qui peregrinaturus in Meſopotamiam, Domino votum vouit dicens. Gen. 28. *Si Dominus mecum fuerit in via, qua ego ambulo, & cuſtodierit me, & dederit mihi panem ad edendum, & veſtimentum quo operiar*, &c. *Erit mihi Dominus in refugium*, &c. Et infra. *De vniuerſis, quæ dederis mihi decimas, & hoſtias pacificas offeram tibi.* Vt igitur & tu hoc beneficium noſcas, hæc circa illud conſideres,

Quanta dedit, varie, bona proueniunt, mala currant.

Primo conſidera, quam abunde ſemper tibi adminiſtrauit, & victum, & veſtitum in copia, non tribuens panem in menſura, non vnam tunicam, ſed copiam.

PRIMO igitur de victu, & nutrimento conſidera iſta.

Paſcit multiplici, nec eges, petes, haudque laboras.

Primo quam varijs cibis te reficit: Multi enim ſunt qui præter communia victualia, nunquã non dico comederunt, ſed nec viderunt alia; neſcientes de Salmonibus, & ſturionibus, & cibis cæteris pretioſis. *Secundo* non inſtar plurium ex defectu cibi eguiſti, eſuriſti, neceſſitatem ſuſtinuiſti, *Tertio* quod non mendicare opus habuiſti, quod dira neceſſitas eſt. *Quarto* quod non etiam tuis laboribus, & ſudoribus, hæc tibi comparare oportuerit; ſed in Io 4. aliorum laborem introiſti, & quæ non ſeminaſti meſſuiſti, & omnia in promptu gratis de manu Domini ſuſcepiſti.

SECVNDO de veſtitu videbis ſequentia,

Contegit, exornat, varijs honor, haud tibi frigus.

Primo contegit nuditatem, *ſecundo* adornat ignominiam, *tertio* tam varijs veſtibus, & coloribus veſtiuit nunc æſtiualibus, nunc hyemalibus: Ita quod plures veſtes in pertica; quam multi pauperes in toto; *quarto* hinc tibi honor, & non ſperneris, *quinto* excludis pœnam, & frigus hyemis.

SECVNDO principaliter conſidera varietatem huius beneficij ex præmiſſis. *Tertio* quanta tibi ex horum adminiſtratione proueniunt bona. Nam ex bono cibo es vegetatus, adauctus, confortatus, & melius complexionatus. Vtilitates autem veſtitus habes ſupra, quia adornat, honorificat, &c. ita quòd eras exemplum coram alijs reputatior, & honoratior, &c.

QVARTO vide quanta euaſiſti mala ex horum collata copia, quia non eguiſti, &c. quę ſupra ſunt commemorata. Vide ergo quantas ei gratias merito debes. Verè ſi hic in horum conſideratione durus, & ingratus perſtiteris, porcis merito compararis: Hi enim tametſi voraciter ſub ilice glandes vorant; non tamen ad eum, qui eas excutit, oculos leuant, nec agnoſcunt, nec gratias agunt, quare impinguati, & ingrati occiduntur. Sic etiam accipiter impinguatus auolat, & gallina in Auguſto rarius domum intrat: Ita etiam quos Dominus magis paſcit, magis ſunt ingrati; adeò quod conqueratur Dominus per Eſaiam cap. 1. *Filios enutriui, & exaltaui; ipſi autem ſpreuerunt me.* Et in Deut. c. 32. *Impinguatus, incraſſatus dilectus recalcitrauit.* Non ſic oro ſimus; ſed bonæ terræ plantis, & arboribus fructiferis ſimiles ſimus, quæ quo magis excoluntur, eo naturaliter fructificant magis. Hinc cum Iacob ſuperiora illa verba ſæpe profiteamur, & cum Auguſtino dicamus. Aperi mihi ô clauis Dauid, Eſa. 22.
qui aperis, & nemo claudit illi, cui tu aperis: Claudis, & nemo aperit cui claudis; Aperi mihi hoſtium luminis tui: vt ingrediar, & videam, & agnoſcam, & confitebor tibi in toto corde meo, quia miſericordia tua magna eſt ſuper me, qui paſcis me à iuuentute mea om- Pſ. 110.
nibus bonis tuis. Hunc inquam inutilem ver- Pſ. 85.
mem, fœtentem peccatis nutris optimis donis Gen. 48.
tuis, &c.

MEM-

MEMBRVM V.

Neceſſe.

V. D*Ominus regit me, & nihil mihi deerit.* Pſ. 21. *Domibus veſtris neceſſaria ſumite,* Geneſ. 42 Et non ſolum agendæ gratiæ, quod victum, & veſtitum dedit; verumetiam pro cæteris omnibus, quæ tibi *neceſſaria* fuerunt, quæ tam liberaliter indulſit, Non ſolum adminiſtrando neceſſaria; quinetiam alia complura, aut iocunda. Vbi nota, quod

Plura, neceſſe dedit, dat commoda, congrua, læta.

Primo conſidera, quod præter victum, & veſtitum, dedit, & alia quamplura tuo vſui neceſſaria: Vt domum, ad habitandum; lectum ad quieſcendum; cæteraque vtenſilia in omnem neceſſarium vſum. *Secundo*, quod non ſolum adminiſtrauit tibi neceſſaria; ſed, & ſuperaddidit primo *commoda*, ſecundo *congrua* aut apta, Tertio, *quod læta*. *Neceſſarium* autem (vt Hugo ait) vnicuique rei eſt, quo minus ipſa commode ſubſiſtere non poteſt; Vtpotè in victu hominis panis, & aqua; In veſtitu, lanea ſiue pellicia, aut quęlibet huiuſmodi indumenta. *Commodum* vero eſt, quod licet aliquando delectet amplius; ſine ipſo tamen vita duci poteſt: vtpotè in victu hominis, poculum vini, & eſus carnium; In veſtitu byſſus, & ſericum, & quodlibet aliud mollius indumentum. *Aptum* aut congruum eſt, quod licet vtentibus non proſit, tamen conuenit ad vtendum, quales ſunt tincturæ colorum, & huiuſmodi. *Gratum* eſt, quod ad vſum habile non eſt, & tamen ad ſpectandum, eſt delectabile: Qualia ſunt fortaſſis quædam herbarum genera, & beſtiarum, & volucrum quoque & piſcium, & ſimilia.

Attende ergo quam te diligit, qui tanta tibi ſemper impendere voluit. O quam larga eſt munificentia Creatoris! O quam munifica largitas gubernatoris! Si ſola neceſſaria tribueret, bonitas quidem eſſet; ſed diues non eſſet; Cum vero neceſſarijs etiam commoda adiungit, diuitias ſuæ bonitatis oſtendit; Cum autem commoda congruis ſuperaddita cumulantur, abundantia bonitatis eius demonſtratur. Sed dum *poſtremo* congruis etiam *grata* adijcit, quid aliud quam ſuperabundantes diuitias bonitatis ſuæ facit? Eya igitur ô anima pro ſingulis eſto grata, & cum Pſalte regio Iſrael, nobili illo Propheta, gratias agens ingenuè profitere, & pſalle. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Pſ. 22.

MEMBRVM VI.

Regit.

R*Egem ſeculorum exaltate in operibus veſtris.*
VI. Thobiæ 13. *Tu autem dominator Domine cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia diſponis nos.* Sapien. 12. *Omnia tua mea ſunt.* Saluator Lu. 15. DEINDE regratiari debemus, non ſolum, quod nos cum tanta ſollicitudine gubernat; verumetiam, quod cætera omnia propter nos regit, & gubernat, & in noſtrum vſum diſponit, & conſeruat. Quod grande eſt beneficium, quòd tanta, & talia noſtri cauſa gubernat, ſcilicet,

Condita ſeruat, tempora mutat, cuncta miniſtrat.

Hic ei *primum* regratiandum, quod ea, quę condiderat etiam nobis in peccatum lapſis, ad vſum noſtrum conſeruat, regit, & gubernat: Et inde prouidet fructus & alia producit.

Secundo, quod tempora, & temporum viciſſitudines tam delectabiliter immutat, & quòd omnia hæc in bonum noſtrum, & vſum adminiſtrat. O quantū eſt *totius vniuerſi* gubernationis bonum, quod tanta, tam magna, & multa, tam ordinatiſſimè diſponit. Quod itē ſic tempora immutat; Quis enim ſatis mirari poteſt, quā mira ratione, & ſtupenda bonitate, prouidentia Diuina curſus temporum diſtinguit? Ecce poſt noctem venit dies, vt torpentes in ocio laboribus exerceat; Poſt diem ſequitur nox, vt feſſos ad refocillandum quies excipiat, ✶ in hymno dicitur Ambroſiano. Non ſemper dies, non ſemper nox; non ſemper æquales dies, & noctes; ne vel immoderatus labor debilitatos frangat, vel quies continuata naturam inficiat; vel identitas perpetua animo tędium gignat. Item quemadmodum dierum viciſſitudo, & noctium, animantia renouat; ita quatuor tempora anni, ordine ſibi ſuccedentia, totius mundi ſpeciem immutant: Nam per teporem veris, quaſi quadam innouatione mundus naſcitur; Deinde per feruorem ęſtatis, quaſi in iuuentute roboratur; poſt autumno ſuperueniente ad maturitatem concendit; poſtremo ſuccedente hyeme in defectum vergit. In quo hoc nimium eſt mirabile, quod ita ordinem ſemper ſeruat. Verè Domine ordinatione tua perſeuerat tempus, & dies.

SED hoc poſtremo mirandum tuę bonitatis eſt indicium, quod creatura tua tuum ſer- Pſ. 118.
uet in mihi miniſtrando imperium; licet ipſe creatori meo meum denegarim obſequium. Contemno Creatorem, & tuis vtor creaturis; Deſpicio te Dominum, & de tua creatura exigo obſequium. Et cū mihi cunctaper te deſeruiāt, ſolus ego nō ſeruio tibi. Certè rectè video Domine, rectè in me, & mihi ſimiles, inuehitur tuus Chryſoſt. *Bis*, inquiens, *ô homo delinquis. & geminū ac duplex crimen incurris, dū nec pro conditione, vt ſeruus obſequeris; nec pro creaturarū famulatu, Domino famularis.* Tibi in die Cœlum lucis ſplendore veſtitur, & *Solis* fulgoribus decoratur; In nocte clariſſimę Lunę ſpeculo, & aſtrorum fulgore vario polus ipſe luſtratur; Tempora accepta alternis vicibus immutātur; Frondeſcunt ſyluæ, amænātur cāpi, prata vireſcūt, animantia cuncta diuerſis vſib⁹ procreata edunt fœtus, parent imperio, obſequia ſeruant, ſcatent fontes, amnes fluūt, conſtitutis terminis maria coercentur. Gaudet poſt hyemem verna temperies, æſtatis

flagrantia decoquit meſſes, autumnitas temulenta ſuas exhibet vbertates, hyeme maritantur imbribus terræ; ſuis inſtitutis cuncta deſeruiunt, ſolus homo Deo non ſeruit; parent cuncta rebelli, obtemperant procaci, deſeruiunt contemptori, parata inſurgere in vindictam; niſi pietas prohibeat moderatoris. Corrigat ergo te, ô ingrate, dilatio differentis, ne cenſura puniat iudicis. Facilè enim obſequio tuo facies Deum propitium; ſi conuerſus mutaueris vitium. Dic ergo cum pſalm. *Quid retribuam Domino pro omnibus*? Tanta enim ſunt Dei beneficia, quod nulla poterunt eſſe obſequia condigna. Non enim numerum habent, nec terminum; ſuperant cogitationes ſenſuū, & innumera multitudo donorum, vincit volubilitatem verborum: Nec ſi totum vitæ tēpus oris obſequia occupent, laudes teneant, gratiarum actiones inſiſtant; poteris penſare quod debes. Quare danda eſt opera, vt totis viribus deuotio mentis in diuina exeratur obſequia, & laudum glorias os noſtrum per omne tempus frequentare cogatur: non vt æquas reddamus, (quod impoſſibile factu eſt) gratias; ſed vt ei, qui nunquam deſiſtit benefacere, ſemper gratias agamus; vt ſicut nulla eſt hora vel punctus, quo gubernatoris beneficio non fruaris: ſic nullum prętereat momentum, quo gratus non exiſtas.

Pſ 115.

MEMBRVM VII.

Aduerſa.

VII. Gen. 50.

I*Pſe caſtigauit nos propter iniquitates noſtras, & ipſe ſaluabit nos propter miſericordiam ſuā.* Thob. 13. *Aſpicite ergo quæ fecit vobiſcum, & cum timore & tremore confitemini illi. Malum Deus vertit mihi in bonum.* Ioſephus. INSVPER grati eſſe debemus, quod non ſolum modis dictis per proſpera, ſcilicet te gubernauit: ſed etiam *aduerſa* quædam, & ſiniſtra mala pœnæ in rebus & corpore immiſit, vt ſic validius nos ſibi attraheret. Quod eſt vnum grande beneficium, quod ſapientia Patris ipſa præ cunctis elegit, & vtile nimis, plurima cauſans bona, & inter cætera, iſta.

Viuificat, purgat, luſtrat bona plurima, certus. Tribulatio enim temporalis, vel infirmitas corporalis. *Primo* interiorem hominem viuificat, iuxta illud Pſal. 137. *Si ambulauero in medio tribulationis viuificabis me*; ſuper quo Gregorius, *Mens interius viuificatur ex vulnere, quæ mortua iacebat ex crimine.*

SECVNDO animam ab omni cogitatione purificat: Thob. 2. *In tempore tribulationis peccata dimittis his, qui inuocant te.* Eſt enim aduerſitas velut aqua expiationis, aut ignis conflationis, fornax purgationis. Nam, & (teſte Auguſtino) quod lima ferro, fornax auro, flagellum grano, hoc facit tribulatio viro iuſto. Et melius eſt ardere flammis febrium, quam æſtu vitiorum. Semper itaque patiens dicat illud Mich. 7. *Iram Domini portabo, quia peccaui ei.*

TERTIO cæcitatem illuminat, quemadmodum proſperitas excæcat. Illuſtrat autem ad cognoſcendum ſuam nullitatem, peccati vilitatem, pœnę debitæ grauitatem, mundi & mūdialium vanitatem, vitæ breuitatem, mortis vicinitatem, diuinæ miſericordiæ bonitatem, & iuſtitiæ eius ſeueritatem. Propter quę gratias agit Hieremias dicens, *Caſtigaſti me Domine, & eruditus ſum, quaſi iuuenculus indomitus.* Hinc Salomon Prou. 29. *Virga atque correctio tribuit ſapientiam.* Ier. 31. Prou. 29.

QVARTO confert & alia innumera bona; quæ varij aſſignant varia, & nobis ſunt prorſus innumerabilia; ita ſunt & numero merita excedentia. Si enim aliquod aliud bonū melius Deus habuiſſet, hoc dilecto Filio ſuo vtique impendiſſet: Sed ipſum fecit virum dolorum, non habens, quod melius daret. Nam per aduerſa Deus delinquentes caſtigat: vt dicitur ſupra; negligentes ad bonum inſtigat. *Tribulatio enim patientiam operatur.* Thob. 13. Reos ſibi conciliat: Eſa. 6. *In indignatione mea percuſſi te, & in reconciliatione mea miſertus ſum tui.* Arrogantes humiliat: vt Paulum per ſtimulum. Hinc Iob 6. *Sagitta Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum.* In tribulatione fortificat, Paulus Heb. 11. *Conualuerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello.* Hominem examinat. Angelus Thob. 12. *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt probaret te tentatio.* In bonum excitat, *Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui.* Item ad gloriam perducit, *Beati enim qui perſecutionem patiuntur, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Matth. 5.

Eſa 53.

Iob 1. Iac. 1. Thob. 12.

POSTREMO de electione hominem certificat. *Multæ enim ſunt tribulationes iuſtorum.* Pſal. 33. *Omnes autem quotquot placuerunt Deo, per multas tribulationes tranſierunt fideles*, Iudith 8. Et Apoſtolus Heb. 12. *Quem diligit Dominus caſtigat.* Magna igitur ſunt bona aduerſitatis temporalis, quæ (iuxta Chryſoſtomū) ad ſumma lucra deducunt, adeo, quod neque ſi per vnamquamque diem moreremur pro illo, qui tāta præſtat bona, retribueremus, quod dignum eſt. Agite ergo ſuper tantis bonis cum Iob ſemper grati ſimus, *& omne gaudium exiſtimemus, cùm in varias tribulationes inciderimus,* & dicamus, *Sit nomen Domini benedictum:* & cum Thobia coram omnibus ſemper ei confiteamur.

MEMBRVM VIII.

Aſtat.

VIII.

A*Stitit à dextris pauperis.* Pſalm. *In fraude circumuenientium affuit illi.* Sapient. 10. *Si deſcendero ad infernum ades.* Pſalm. 138. POSTREMO in hoc beneficio gubernationis Deo regratiari vel maximè in eo debemus, quod tā ſollicitus noſtrę gubernationi ſēper intēdit; ita vt nec ad momentum nos dereliquit, ſed quaſi omnium oblitus, nobis ſemper intendit, & à pauperis dextris aſtitit ſemper. Vbi hæc conſidera,

Sollicitus ſemper, vel vbique videns, iuuat & nos.

Primo quod tibi, tam ſollicitè quaſi cæterorum oblitus intendit, Nam licet omnibus in-

tendat,

Digitized by Google

tendat, non tamen minus tibi. Ipſe enim eſt actus purus, ſemper ad omnia æqua ſe habẽs. *Secundo* quod nunquam te derelinquit; ſed omni tẽpore tibi aſtat, in proſperis & aduerſis, die ac nocte inuigilans tibi. *Tertio*, quod vbique etiam in malis, non te prorſus derelinquit. *Quarto*, quod perpetua conſideratione tua aſpicit, quaſi inde ei aliquid prouenire poſſet. *Quinto*, quod cooperator indiuiduus, & adiutor in omnibus ſemper aſſiſtit, ſine quo poteris nihil.

De quibus omnibus grati valde eſſe debemus, & cum Auguſtino dicere, O anima mea cogita, & in hoc perpende, quantum a Deo tuo diligeris, cuius beneficium nunquam tibi defuiſſe cognoſcis. Sic certè mihi videtur cũ eius miſerationes circa me attendo, quod ſi fas eſt dicere nihil aliud agit Deus; niſi vt meæ ſaluti prouideat, & ita totum ad cuſtodiam meam occupatum video, quaſi omnium oblitus ſit, & mihi ſoli vacare velit. Semper præſentem mihi ſe exhibet Deus, ſemper paratum offert, quocunque me verto me non deſerit, vbicunque fuero non recedit, quicquid egero pariter aſſiſtit; & tandem cunctis actionibus meis perpetuus inſpector. Et quantum ad bonitatem ſuam pertinet, quaſi indiuiduus parator inſiſtit. O quanta & qualia ſunt iſta, Domine Deus, quod tantus, talis, mihi ſemper ſic intendas, oculis illis, qui lucidiores ſunt ſuper Solem, quibus omnes vias hominis circumſpicis, & ſemper contemplaris bonos, & malos! Cùm enim cunctis præſideas, ſingula imples, totus ſemper vbique præſens, cunctorum *curam agis*, *quæ creaſti*, *quia nihil eorum odiſti, quę feciſti*. (Sap. 12. Iob 31.) Sic greſſus meos conſideras, & die noctuque ſuper cuſtodia mea vigilas, omnes ſemitas meas diligenter notas ſpeculator perpetuus; veluti ſi totius creaturæ cæli & terræ oblitus, tantum me conſideres, & nihil ſit tibi curæ de alijs. Neque enim creſcit lux incommutabilis viſionis tuæ, ſi tãtum vnum aſpiciat; neque minuitur, ſi innumera videat, & diuerſa, quia ſicut vnum totum ſimul perfectè conſideras; ſic ſingula quælibet & diuerſa, perfectè ſimul totaque, totus conſpicit viſus tuus. Sed ſic omnia, ſicut vnum; ſic vnum ſicut ſingula; totus ſimul ſine diuiſione, vel commutatione, vel diminutione conſideras. Itaque totus tu, toto tempore, ſine tempore, totum me ſimul ſemperque conſideras; ac ſi nihil aliud conſiderare habeas.

Sic ergo ego ſuper cuſtodiam meam ſtabo; ſicut ſi omnium oblitus ſis, & mihi ſoli intendere velis. Semper quippe te vbique præſentem exhibes, ſemper te paratum offers, ſi me paratum inueneris. Quocunque iero, tu Domine non me deſeris, niſi ego prior te deſeram; vbicunque fuero non recedis, quoniam vbique es, vt quocunque iero inueniam te, per quem poſſim eſſe; & non peream ſine te, cùm ſine te eſſe non poſſim. Fateor equidem, quod quicquid facio, ante te facio, & illud quicquid eſt, quod facio, melius tu vides quã ego qui facio. Quicquid enim ſemper operor, tu ſemper præſens pariter aſſiſtis: vtporè perpetuus inſpector cogitationum, intentionum, delectationum, & omnium operationum mearum. (Pſ. 37.) Domine ante te omne deſiderium meum, ante te omnis cogitatio mea. Tu vides vnde veniat ſpiritus, vbi ſit, & quo vadat, quia tu es ſpiritus omnium ſpirituũ ponderator. Et verum radix dulcis ſit an amara, de qua foris emittuntur pulchra folia, tu iudex internus melius noſti, & medullas etiam radicum ſubtilius perſcrutaris. Ad quod tendo cum operor, quicquid cogito, & in quocunque delector tu vides, ſignas attentè & notas, & ſcribis in libro tuo; vt ſecundum hæc poſtea reddas mihi, pro bono præmia, pro malo ſupplicia. In omnibus magis attendens finem intentionis, quàm actum operationis. Cum igitur hæc diligenter conſidero, Domine Deus terribilis & fortis, timore pariter & ingenti rubore confundor, quoniam *magna nobis indicta eſt neceſſitas rectè viuendi, qui omnia facimus ante oculos iudicis cuncta cernentis*; Sed & immenſas tibi gratias ago, qui ſic me diligis, (Pſ. 108.) quòd ſemper aſtas à dextris pauperis.

De beneficio glorificationis.

CAP. VIII.

BEnedic *anima mea Dominum*, &c. *Benedic anima mea Dominũ*, & *noli*, &c. *Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus, Qui replet in bonis deſiderium tuum.* Pſal. 102. *Quicquid volueris dabo.* Nu. c. 20. POST ſex beneficia præmiſſa, ſeptimum beneficium, ſcilicet, promiſſę *glorificationis*, non eſt minoribus gratibus dignum: Quod licet nondum ſit exhibitum; ſpe tamen certa illud fixum tenemus, & à veritate, quæ non fallit, eſt promiſſum. Cuius punctula hic non proſequimur, quoniam infra in Roſario de regno cælorum ſatis tanguntur: Et ex Gloſſula interlineari, quid ſibi velint, intelliguntur. Ne tamen quoſdam ſua deuotione hic priuemus, nudos verſus horum punctorum annotabimus, quorum proſecutionem, qui volet, infra in regione cæleſti requirat.

De ſupra enim repromittitur nobis conſpectus beatiſſimæ Trinitatis. — *Secundo, oblectatio in contemplatione humanitatis Chriſti.* — *Tertio, cõſpectus virginis Matris.*

En Trinum, Chriſtum, Matrem,

Quarto, congratulatio beatorum ſpirituum. — *Poſtremo, exultatio de contemplatione aliorum ſuperiorum Sanctorum.*

miſſos quoque Sanctos.

De iuxta autem gaudebimus de cæleſtis conſortij qualitate. — *Secundo, de theſaurorum nobis repoſitorũ inæſtimabilitate.* — *Tertio, de ornatu, & loci & conſortij atque rei amœnitate omnis.*

Conſors, theſaurus, ornatus,

Quarto, de conuictu, apparatu, & eſcarum lautitate. — *Poſtremo, de miniſterio hic ſeruientis hylaritate.*

& eſca, miniſter.

Ab intra autem repromittitur aurea præmij ſubſtantialis. — *Secundo, tres dotes animæ.* — *Tertio, perfectio virtũ animæ.*

Aurea, tres, vires,

Quarto, ſeptem partes beatitudinis ex parte animæ. *Quinto, ex contemplatione tantorũ præmiorum.* *Poſtremo, gaudebit ab intra de omnium deſideriorum adimpletione, quicquid volet, erit.*

ſeptem, tot præmia, quicquid.

Ab extra quoque, vndique repromiſſa ſunt gaudia: vtpote ex quatuor corporis dotibus. *Secundo, ex tribus aureolis non tamen cõferendis omnibus.* *Tertio, ex fructibus cuique pro ſuo ſtatu dandis.*

Dotes, aureolę, fructus,

Quarto, ex actuatione exterioris ſenſus, qui tunc mirabiliter eſt perficiendus. *Quinto, ex ſeptem partibus corporea beatitudinis.*

ſenſus, bona ſeptem.

De ſubtus, quoque erunt gaudia: primo ex contemplatione cæleſtis motus. *Secũdo de euaſis mũdi periculis, & miſerijs.* *Tertio, de hoſtibus omnibus triumphatis: vt puta carne, mundo, dæmonibus.*

Sub cœli, mundus, ſub & hoſtis,

Quarto de pœnis infernalibus euaſis, & pro diebus malis. *Quinto de vitatis peccatis, & ſecuritate non peccandi amplius.*

pœna, reatus.

Vbique quoque gaudebunt propter gaudiorum multiplicitatem. *Secundo, propter eorundem magnitudinem & immenſitatẽ, quia multa illorum ſunt ægramantia* *Tertio, propter gaudiorum permanentiã, & æternitatem.*

Plurima, grandia, ſunt remanẽtia,

Quarto, propter eorundem ſingularem nouitatem, & nouam ſingularitatem. *Poſtremo propter gaudiorum illorum præeminentiam, & ſublimitatem: cum in infinitum ſuperet corporalem delectationem ſpiritualis.*

ſingula, præſtant.

Præ omnibus quoque gaudijs gaudebunt, quia Diuina, & cæleſtis delectatio afficit intimius *Secundo, delectat intenſius & acutius.* *Tertio, oblectat generalius & vniuerſalius.*

Intimus, intenſus, generalis,

Quarto, afficit communius, quia non impeditur ab admixtione alterius conſolationis, omnia complectitur ſimul. *Poſtremo, oblectatur his anima permanentius, quia non transitorijs, ſed in æternum permanentibus.*

& inſimul, ęuis,

Poſtremo repromiſſa nobis eſt deſideriorũ omnium adimpletio, quæ potiſſimum ſeptẽ ſunt iſta, vtpote vt ex intellectuali ſcire. *Secundo, ex rationali vitam bene regere, & ſecundũ virtutem viuere.* *Tertio, habere famam & honorem & illis faciet Deus nomen æternũ.* *Quarto, cupiunt diuitias habere, ibi dicunt omnia bona pariter venire.*

Scire, regent, famam, diues,

Quinto cupimus malorum carentiam, cuius ibi accepimus ſecuritatem *Sexto, delectationes tenere, & omne bonum, & ibi abundãtia bonorũ perfruemur.* *Poſtremo, cupiunt perpetuũ & immortale eſſe, ibi ſempiternitatem gloriæ accipient, qua nunquam poterunt defraudari. Et ſic in omnibus implebitur deſiderium iuſtorum*

caret, & tenet, eſſe,

Horum plenior vtcunque deductio, eſt infra in regione cœleſti.

Nam & tale, & tantum eſt iſtud glorificationis beneficium, quod excedat omnem mentis conceptum, volubile verbum pænalẽ fructum: Non enim nec minima promiſſi regni gloria, poteſt etiam à velociſſimo ſcriba penna conſcribi; Non (quod factu facilius) à quouis quantumlibet etiam lati, & viuacis intellectus fuerit, mente concipi. Quomodo ergo poterit huius beneficij altitudo, à nobis balbis, elinguibus, ſterilibus conſcribi? Conſultius itaque puto agemus, ſi digitum ori ſuperpoſuerimus, & Hieronymi beatiſſimi conſilium, quod diuo Auguſtino de hac gloria ſciſcitari volenti dedit, complexi fuerimus: Qui ita glorificatus Auguſtino apparens aiebat, Auguſtine, Auguſtine quid quæris? putas ne breui immittere vaſculo mare totum? breui includere pugillo terrarum orbem? cœlum firmare, ne vſitatos exerceat motus? Quæ oculus nullius hominum videre potuit, tuus videbit? &c. vt infra de regno. Et in fine ſubnectit, Diſcurre (inquit) adhuc breue temporis ſpatium, impoſſibilia facere ne coneris, donec tuus impleatur vitæ curſus. Hic non quæras quæ non alibi, niſi quo tam fœliciter propero, inueniri poſſunt. Sed hic ſatage talia exercere opera: vt poſtmodum ibi, quę hic aliqualiter intelligere cupis, totaliter habeas in æternũ. Notate verba & agite ſecundum ea. Sic viuamus, vt ea digni ſimus, oremus vt accipiamus, grati ſimus pro promiſſis tantis bonis Niſi enim grati fuerimus de promiſſis, indigni erimus frui rebus.

Gratias itaque ſemper agamus, & cum Auguſtino dicamus. Valde diligendus eſt Deus in donis præmiſſis quæ dedit; ſed multo amplius in promiſſis, quia multo maiora promiſit. Promiſit enim nobis à labore quietem, à ſeruitute libertatem, à timore ſecuritatem, à mærore conſolationem, à morte reſurrectionem; Et in reſurrectione plenum gaudium, ſummum & indeficiens gaudium. Deinde promiſit nobis ſeipſum, quippe iurauit Patribus daturum ſe nobis, qui eſt omne, & totum bonum: *Luc. 1.* Quod qui acceperit abundantia omnium bonorum perfruetur, & quicquid voluerit illi fiet. Excitemus igitur, & diuertamus totum intellectum noſtrum, inquantũ Deus donauerit; & cogitemus, quale & quantum electorum ſit vnicum & ſingulare gaudium: Iſtud ſcilicet vnum & ſummum bonum, quod eſt omne bonum; Illud vnum & neceſſarium, &c. De hoc bono agitur infra. O igitur qui hoc bono fruetur quid erit illi? Certè quicquid voluerit erit, & quicquid noluerit non erit. Cur ergo per multa vagamur? amemus hoc vnum bonum, in quo ſunt omnia bona & ſufficit. Deſideremus ſimplex bonum, quod eſt omne bonum, & ſatis eſt.

Bona ergo promiſſa, vt ſunt, nullus dicere, cogitare, vel intelligere poteſt carne veſtitus; multo enim maiora ſunt & meliora, quam intelligimus aut cogitamus: Regnum namque Dei omni fama maius eſt, omni laude melius, omni ſcientia inenarrabili, omni gloria putatur, & eſt excellentius. Nolumus hic enumerare ob cauſas dictas, huius regni bona: ſed ad ea aſpirare cum Auguſtino & dicere. *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum. Sitiuit anima mea*, &c. *Pſ. 41.* O fons vitæ, vena aquarum viuentium, quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ! O quando veniam & apparebo ante faciam tuam! Putas ne videbo diem illam, diem iocunditatis & lætitiæ, diem quam fecit Dominus, vt exultemus & lætemur in ea! *Pſ. 117.* O dies præclara neſciens veſperum, non habens occaſum, in qua audiam vocem laudis tuæ, vocem exultationis, & confeſſionis, *intra in gaudium Domini tui*, in tra in gaudium ſempiternum, in domum Domini tui? Vbi ſunt magna *Pſ. 25.* *Mat. 25.*

& in-

& inſcrutabilia, & mirabilia quorum non eſt numerus; Vbi erit omne bonum, & non erit aliquod malum, &c. Enumerat tunc bona regni. Et iterum poſt exclamat ſic, O gaudium ſuper gaudium, vincens omne gaudium, extra quod non eſt gaudium, quando introibo in te; vt videam Dominum meum qui habitat in te! *Ibo & videbo viſionem hanc grandem.* Exod. 3. Quid eſt quod me detinet? *Heu me quia incolatus meus prolongatus eſt.* Heu me quã diu dicetur mihi, *expecta, reexpecta?* Eſa. c. 28. *Et nunc quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus?* Pſ. 38. *Saluatorem expectamus Dominum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus fragilitatis noſtræ*, &c. Expectamus Dominum quando reuertatur à nuptijs, vt inducat nos ad ſuas nuptias. Luc. 12. *Veni Domine, & noli tardare.* Veni Domine Ieſu viſitare nos in pace: Veni & educ vinctum hunc de carcere, vt lętetur corã te corde perfecto. Veni Saluator noſter. Veni deſideratus cunctis gentibus, oſtende faciem tuam & ſalui erimus. Veni lux mea, Redemptor meus, educ de carcere animam meam, ad confitendum nomini ſancto tuo. Quam diu miſer iactabor in fluctibus mortalitatis meæ, clamans ad te, & non exaudis? Audi Domine clamantem in hoc mari magno, & educ me ad portum fœlicitatis æternę: Fœlices qui de periculo maris huius educti, ad te Deum viuũ, portum tutiſſimum peruenire meruerunt! O verè fœlices, qui de pelago ad littus, de exilio ad patriam, de carcere ad palatium peruenerunt, optata iam quiete beati! ô vere beati, qui iam malis omnibus exuti, ſecuri iam de ſua immarceſſibili gloria, ad regnum decoris peruenire meruerunt! O regnum æternum, regnũ omniũ ſæculorum, vbi lumen indeficiens & pax &c. Pſ. 103. *O quam glorioſum eſt regnum in quo tecum Domine regnant omnes Sancti, amicti lumine ſicut veſtimento, habentes in capite ſuo coronam de lapide pretioſo.* O regnum beatitudinis æternæ, vbi tu Domine ſpes Sanctorum, & diadema gloriæ, facie ad faciem videris à Sanctis, ibi gaudium infinitum ſine triſtitia, &c. Fœlices igitur qui de naufraga vita præſenti, ad tanta gaudia peruenerunt.

Phil. 3.

Aggei. 2. Pſal. 79. Pſ. 141.

Pſ. 144.

Infelices heu nos & miſeri, qui per huius maris magni fluctus procelloſaſque voragines, nauem trahimus, ignorantes an ad portum ſalutis peruenire valeamus. Infœlices inquã, quorum eſt vita in exilio, via in periculo, finis in dubio; qui adhuc pelagi fluctibus verſamur ſuſpirantes ad portum. O Patria noſtra, Patria ſecura, à longe te videmus, ab hoc mari te ſalutamus, ab hac valle ad te ſuſpiramus, & nitimur cum lachrymis; ſi quo modo ad te perueniamus: vt promiſſa nobis bona accipiamus. Super quibus interim gratias agimus, & ſupplices oramus: Da nobis ita inter Scyllam & Charybdim tenere medium; vt ſaluis naue & mercibus, ſecuri perueniamus ad portũ, ad tuum ſcilicet regnum, nobis à te promiſſũ. Hæc ſuſpiratio Auguſtin. poſita eſt loco exempli, vt & ſic nos.

§ 1. *Exemplaris forma regratiandi, & concluſio beneficiorum.*

HÆc & alia multa beneficia feciſti mihi Domine Deus meus, vita animæ meæ, de quibus dulce eſſet mihi ſemper loqui, ſemper cogitare, ſemperque tibi gratias agere: vt poſſim te pro omnibus bonis tuis laudare, & amare toto corde meo; & tota anima mea, tota mẽte mea, & tota fortitudine mea, ſimul ex omnibus medullis intimis cordis mei, & omniũ compagũ mearũ; Beata dulcedo, Domine Deus meus, omniũ, quæ delectantur in te; *Sed* imperfectum meũ viderunt oculi tui. Quis enim & quid ſum ego, vt tantis beneficijs gratitudine par ſim? quid enim ego niſi cadauer putridũ, eſca vermiũ, vas fœtidũ, cibus igniũ, abyſſus tenebroſa, terra miſeriæ, filius iræ, vas aptũ in contumeliã, genitus per immunditiã, viuens in miſeria, moriturus in anguſtia, vas ſterquilinij, concha putredinis, plenus fœtore & horrore, homo natus de muliere &c. pauper, cæcus, nudus, plurimis neceſſitatibus ſubditus, peccatis repletus? Quomodo ergo ego tam vilis, miſer & imbecillis, quomodo reſpõdebo beneficijs talibus ac tantis, quæ tanta ſũt & talia, vt nulla ad ea, quantalibet etiam fuerint poſſint merita? Omne enim meritũ breue eſt comparatione donorum.

Pſ. 138.

Iob 14. Apoc. 3.

Quid ergo retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Ingratum enim eſſe non licet, omnimodis gratias agere oportet. Quomodo igitur gratus ero, qui in immenſũ debitor ſum, & prorſus egenus; niſi recognoſcendo, confitendo; in illum, à quo ſunt referendo, admirando, actuando, laudando, glorificando, dulciter guſtando, quoniam ſuauis eſt Dominus. Solus enim amor ex omnibus animæ motibus, ſenſibus, atque affectibus eſt, in quo poteſt creatura rationalis, etſi non ex æquo, vel ſaltem ex ſimili, reſpondere auctori, vel mutuã rependere vicem. Quare igitur triſtis es anima mea, & quare conturbas me? tãquam perpetuo futurum me Deo meo inofficioſum debitorem, ſterilem colonum, inexplicabiliter obligandum. Interim fac, Deũ ama, ſpera in Deũ, ſpecta, ſpeculare, conſidera, deſidera, expecta, patienter fer, conſolare, & gaude interim in ſpe. Veniet dies illa, quando aſſumeris & vngeris, inhabitabis in atrijs domus Dei, & digna habeberis fungi Sacerdotio in nomine ipſius, & offerre illi incenſũ dignum, dignificante te Spiritu Filij, in quo, & per quem perfectè grata eris. Interim tantum *ne obliuiſcaris gratiam fideiuſſoris tui*; ſed hoc vel vnum intentiori mente retracta. Etſi gratitudinis formam voles, Anſelmum intuere in meditatione ſua, ſuper redemptione generis humani. Et in oratione ad flectendum Patrẽ, *in nomine vnigeniti*, &c. Immo ſi quis ſtudioſior pium gratitudinis exemplar volet, Ille orationem. Quintiliani pro filio ab amico redempto, contra patrem legat, & ad pietatem conuertat. Inſigniter enim valde, ibi redemptionis beneficium effert.

Pſ. 115.

Pſ. 33.

Pſ. 41.

Eccl. 45. Pſ. 64.

Eccl. 39.

Explicit diſtinctio huius ſecundæ partis prima, ordine 4.

DISTINCTIO HVIVS SECVNDÆ PARTIS.

SECVNDA, DE VIRGINE MATRE.

Titulus vnicus, ordine decimus Octauus.

M*Emoria mea in generatione ſæculorum.* Eccli.24. Quoniam (teſte quodam) poſt Dei memoriam nihil vtilius, dignius, dulciuſque eſt, memoria Matris eius: Ideo poſtquam in præmiſſa diſtinctione habitum eſt de quibuſdam meditationibus circa Deum, in hac altera ponenda ſunt quædam de ipſius virginea Matre, & eam concernentibus: vtquemadmodum ipſa ſecunda eſt, tam thalami fœlicitate, quam regni ſublimitate, quam etiam Sacerdotij ſanctitate; Pſ44. quippe ſponſa Dei, ſecunda in cubiculo & thalamo; Regina cœli, ſecunda in regno & ſolio; Sacerdos magna, ſecunda in templo, & ſacrificio; poſtquam adducuntur, & inducuntur virgines omnes, in templum Regis: Ita etiam hic ſibi in noſtro Roſeto & collectario, ſecundam vindicet diſtinctionem huius noſtræ ſecundę partis. Verum conſiderantes quanta in eius laudes & præconia, & à quantis, quamque digna ſint conſcripta; plurimum veremur, ne nos actione puſilli, ingenio ſtupidi, nulla dicemus, poſt tanta, eius laudi digna, aut vtilia lectori; *Tum* propter meam inſufficientiam, *tum* propter nimiam materiæ tantę incomprehenſibilitatem, *tum* propter ſcientię tenuitatem, linguę ariditatem, vitæ indignitatem. *Tum* poſtremo propter nimiam perſonæ ipſius laudandæ exceſſiuam excellentiam, & laudabilitatem. Sub cuius laude defatiſcunt & deficiunt viri, & gigantes gemunt, prorſus ſe impares proclamantes laudibus huius. Notiſſima ſunt quæ dico. Cum Hieronymus fateatur ſe de ea loqui Iob 26. indignum: Auguſtinus, ingenio pauperem; Bernardus, ſubterritum, Anſelmus deficientem. Merito ergo verendum mihi, loqui de laudibus huius; Cum grandes materias ingenia parua non ferant.

Sed è regione non ęquum nobis viſum eſt, vt ſileamus, vbi omnes loquuntur; præſertim cum huius compilationis modus, ipſi primum fuerat dedicatus, & eius amore hoc opus extortum à nobis: Cuius qui laudes elucidat vitam ęternam habebit. Pauca igitur, & de ipſa meditabilia ponemus pro paruulis; licet non noua; nouo tamen & compendioſiori noſtro modo.

Præparatoriæ conſiderationes ad cultum Virginis.

CAP. I.

SEd antequam ipſa meditabilia ponamus, quædam pro introductione in laudem Virginis decet, vt præmittamus.

Scil. de
- Ei ſeruiendi inductiuis.
- Seruitorum eius qualitatibus.
- Modo ei ſeruiendi, & ipſis ſeruitijs.

Deinde ſubnectenda ſunt ſub Roſariorum modis, certa meditabilia: vt ſic in generatione ſæculorum, apud nos permaneat dulcis eius memoria. Ibidem.

MEMBRVM I.

De inductiuis ad ſeruiendum Mariæ.

Q*Vicunque glorificauerit me, glorificabo eum: Qui autem me contemnunt erunt ignobiles.* 1. Reg. 2. DVPLICI (ait Auguſt.) mundus acie ſuos ſibi attrahere ſolet: Aut ſcilicet blãdiendo, vt decipiat; aut terrendo, vt frangat. Simili quoque ac pari proceſſu, Virgo ſapientiſſima, in ſui laudem torpidos verbis his incitare videtur, ſed non fine eodem: Primum namque præmia pollicetur, vt alliciat; deinde aduerſa minatur, vt terreat, prima acie non cedentes. Valde nimium eſt durus, qui ad eius laudem his non expugnatur arietibus. Verum vt nemo ſit, qui ſe detineat ab eius laude, ampliora ſunt nobi, & particulariora adducenda incitamenta, ex quorũ rememoratione, quoriens in eius cultu intepuerimus, validius in eius præconia aſſurgamus. Et licet plures plura ponant incitamenta: nos tamen multitudinẽ, faſtidij matrem declinantes, omnia illorum multa, ad tria principaliora redigamus membra, his verſibus concluſa.

Cauſa multiplici, ſeruire Dei genitrici
Debes, dum viuis, poſt mortem viuere ſi vis.
Te trahat ipſe Deus, genitrix, tibi conuenit illud.

Id eſt propter Deum, propter Virginem ipſã, propter teipſum. Glorioſæ enim virginis laudi inſiſtere debemus.

propter
- Deum quia hoc
  - ei placet,
  - in ſcripturis iubet,
  - per Doctos ſuadetur.
- Seipſã quia
  - honorabiliſſima
  - beneficẽtiſſima
  - fideliſſima & grata
- Noſipſos quia nobis
  - vtiliſſimũ
  - digniſſimũ
  - valde neceſſariũ.

Nouem his additur decima cauſa, quia inuitamur ad idẽ dulciter à Maria.

Quæ membra vt memoriæ melius commendentur, verſibus rediguntur.

Cauſas ob denas, ſeruito Dei Genitrici,
Namque placet, ſuadendo iubet, veneranda, fidelis.
Plura dedit, dignumque neceſſe, bonum vocat ad hoc.

Pro quorum qualicunque proſecutione. *Inprimis* dicimus virgineæ Matris laudibus inſiſtendum, *Ex parte Dei*, quia hoc ei ſummè placet: Non enim minus ei placet ſeruitus, & laus, quæ Matri impenditur; quam quæ ei exhibetur; Nam & hæc vera eſt laus eius. Teſte nempe Hieronymo. Honor Matris eius eſt, qui natus eſt ex ea. Nec dubium cuique eſſe debet, quin totum ad gloriam pertineat Filij quicquid impenſum fuerit eius Genitrici, ergo, &c. *Rurſus.* ſi placitum eſt Deo, quod ſequamur veſtigia eius, pareamuſque ipſius mãdatis; hoc totum peragimus honorando Matrẽ eius, ergo, &c. Non ignoramus item quam libenter boni filij audiant collaudari ſuos parentes; quanto magis ſuper bonos, & optimus ille ęterni Patris, & Virgineæ Matris vnigenitus, & primogenitus Filius, oblectatur in ſuæ Matris tam venerandæ præconijs? Quam demum ei placeat ſeruitus Matris ex eo conijcitur, quia eius miniſtros, & ipſius laudi deditos, tantis præuenit benedictionibus, & gratijs: vt patet multis miraculis. Quiſquis igitur cum Chriſto dicere volet. Io 8. *Ego quæ placita ſunt ei facio ſemper*; quiſquis item cum iuſto, (vt dicitur Prou. c. 10.) *Conſiderare quæ placita illi*; ſtudeat Matrem eius venerari. In hoc ſiquidem complacitum eſt illi. Ait enim Fortunatus. Gratius eſt obſequium Deo quod Mariæ impenditur, quam quod Sanctorum cuilibet dirigitur.

ALTERVM inductiuum *ex parte Dei* eſt, Pſ. 150
quia hoc in *ſcripturis iubet*: Nam ſi Deum in Sanctis laudari iuſſit: quantomagis in hac *Sãctorum Sancta*? Vnde huiuſmodi monitis ſcriptura eſt plena, vt illic, *Honora Patrẽ & Matrem*, Mater verè eſt Maria: vt patet infra. Item Pſ. 98.
in Pſal. 98. *Adorate ſcabellum pedũ eius.* Quod congruè intelligitur Maria, in qua requieuit humanitas illa Diuina. Qui igitur ſcripturis aſſentiri velit, iuxta quod Dominus ipſe admonuit dicens, Eſto conſentiens aduerſario Mat. 4.
tuo; ne forte tradat te iudici; ſtudeat hanc venerari.

TERTIVM eſt, quia per Doctores orthodoxos id ſuadet; vt ſunt teſtimonio libri eorũ ferè omnes, in quibus ad laudes incitant virginis Matris. Non opus eſt hic eorum teſtimonia aggregare, multiplicata enim ſunt, & facta credibilia nimis. Ex quorum numero prę- Pſ. 92.
cipuus ille virginis laudator Bernardus, ait, *Totis medullis cordium, præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam veneremur, ſic eſt voluntas eius, qui nihil nos habere voluit, quod non per Mariam tranſiret*, &c. Moueant itaque nos verba, & incitamenta ſapientum, *quæ ſunt quaſi ſtimuli, & quaſi claui* (vt in Eccleſiaſt. cap. 12. dicitur) *in altum defixi*: vt veneremur Mariam.

HABEMVS & totidem inductiua, Eccl. 12.

ex

ex parte virginis ipſius, Quorum *primum* eſt, quia in ſe honorabiliſſima eſt, & omni laude digna: Non enim (vt dicitur de Iudith c. 11.) *eſt talis mulier ſuper terram:* Tam ſcilicet amabilis & veneranda, quippe in ſe continens omnes rationes amoris, & venerationis. Si enim honor (vt aiunt) alicui exhibetur in indicem virtutis, liquet profectò; quia hæc eſt virtuoſiſſima; Si propter generoſitatem, à nullo illuſtrium hæc vnquam fuit victa; Si propter dignitatem, ſuperexcedit vniuerſos; Regina, ſcilicet exiſtens, & Domina mundi. Quantumuis igitur rationem honoris adduxeris, Maria noſtra ſuperexcedet: Exaltate igitur eam quantum poteſtis; ſuper enim valebit, cuius à laude
Eccl. 43.
deficiunt viri, & gemunt gygantes ſub ea:
Iob 6. Quicquid enim humanis poteſt dici verbis, minus eſt à laudibus eius. *Secundo* eſt veneranda, quia benefica & beneficentiſſima, à qua accepimus innumera beneficia: Quę quãto ſunt ampliora, tanto honorabilior, & magis à nobis veneranda. Enumeret qui poterit quanta per eam ſint præſtita nobis, & tunc perſpicuum fiet, quod omnia noſtra, quantalibet etiam obſequia, beneficijs eius imparia ſunt, & inferiora. Certe ipſa eſt per quam Deus creator & iudex, noſter factus eſt frater, Saluator & aduocatus noſter; Per ipſam & prolem eius adorandam, liberati ſumus à pœnis inferni, à iugo peccati, à poteſtate, immo tyrannide & ſeruitute diaboli, ab originali infectione, à multiplici calamitate, & (vt paucis multa dicamus) per eam liberati ſumus, ab omnibus malis, & repleti omnibus bonis naturę, gratię, & glorię. Vnde crebrius iure illud Thobiæ eructare habemus, Thob. 12. *Quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit eſſe beneficijs eius?*

TERTIO, quia ſuis ſeruitoribus eſt fideliſſima remuneratrix & grata, quippe *diligens ſe diligentes,* vt dicitur Prouerb. cap. 8. & non *derelinquens in ſe ſperantes.* Fidelis enim & munifica Domina gratis ſibi non patitur ſeruire, nec nimium ſibi impenſum obſequium ſinit tranſire irremuneratum. Quis ergo non tali libenter deſeruiet?

Quod ſi amore recuruo ad propria commoda oculum diuertamus, inuenimus & ea hic abundè: Nam virgini Mariæ deſeruire, *in primis* eſt nobis honorificum, & dignum: *Si* enim (vt Agatha illa theologizabat) *Summa ingenuitas eſt ſeruitus Chriſti*; Et probè, quia ſeruire Deo (vt aiunt) eſt regnare: Pater, quod poſt Dei benedicti cultum, nullus eſt præclarior, quam quo colitur virgo iſta. Vnde præclare de eius miniſtris dici poterit illud: Beati viri tui, & beati ſerui tui, hi, qui ſtant coram te ſemper. Et ô verè terque quater-
3. Reg. 10 que beati, quos ſibi Virgo hęc fecerit deuotos. DEINDE, qui bono honeſto non allicitur, vel vtili moueatur; Nil enim vtilius quam deſeruire Mariæ. Vnde dicitur Sapient c. 30. *Sicut qui theſaurizat, ita & qui matrem honorificat ſuam*, id eſt, virginem hanc Mariam. Et verè ſicut, qui theſaurizat: Tanta enim prouenit ex virginis cultu vtilitas, tantus tamque copioſus fructus, vt nemo quantumlibet etiam garrulus, aut diſertus orator fuerit, verbis conſequi poſſet. Sunt qui enumerant plurima horum bona; ſed longum eſſet hic recenſere ea. In Mariali videantur. Illud Auguſtini. ſat ſit in medium adduxiſſe quo ait, Maria ſibi ſeruientem hominem in vita promouet, in morte iuuat, in gloria ſublimat. Et breuiter ſuos ſeruitores omnibus modis poſſibilibus,

Iuuat vel { Interceſſiuè, & impetratiuè; Commiſſiuè, & imperatiuè; Præſentialiter, & cooperatiuè. } vt { Venerabilis Gerſ. ſuper. Magnificat declarat.

Quo itaque fructuoſius, eo inſtantius eius laudibus inſiſtendum. POSTREMO ei ſeruiendum, quia hoc nobis valde *neceſſarium.* Sine enim huius Virginis ope, nullum nobis proueniet bonum; Nihil enim Deus nos habere voluit, quod per manus huius Virginis non tranſiret, vnde pulchrè ait Bernardus. *Intuemini dilectiſſimi, quanto deuotionis affectu à nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria: vt proinde ſi quid fidei, ſi quid ſpei, gratiæ, ſi quid ſalutis in nobis, ab ea nouerimus redundare,* &c. Nec minus hæc ſunt (vt alter ait) ab ea, quam diurnum lumen à Sole. Vnde & Bernard. ſubnectit, *Tolle corpus hoc ſolare, quod illuminat mundum, vbi dies? Tolle Mariam hanc maris ſtellam, quid niſi caligo inuoluens,* &c. Grandis itaque nobis eſt hanc venerandi indicta neceſſitas, dum non vel difficulter; niſi per eam poteſt ſubleuari noſtra infirmitas, ditari paupertas, calamitas noſtra propelli; vnde de poſtremis alloquens Virginem pulchrè Anſelmus ait, Sicut auerſus à te neceſſe eſt, vt pereat: Sic ad te conuerſus impoſſibile eſt, vt pereat; Vnde liquet, quod ſine ea nulla conſtet ſalus; idcirco Eſaias cap. 6. *Gens, ac regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit,* Quiſquis ergo perire nolit Mariæ ſeruire ſtudeat.

Annectitur in calce verſus decima cauſa ſeruiendi Mariæ; quia ſcilicet ipſa ore proprio ad hoc nos excitat, & hortatur clamans illud in Eccleſijs ſemper, Eccl. c. 24. *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me,* &c. Cuius voci operæ pretium eſt obedire; ne illud cogamur audire, Prou. c. 1. *Vocaui, & renuiſtis; extendi manum,* &c. Vere durus, & inſenſatus nimis, quem ſuperiora incitamenta non emolliunt, rationes non peruincunt; quemadmodum ſtultus, & frontoſus, quem vox Mariæ, vox dulcis, & ſuauis non incitat, quem promiſſa non alliciunt, minę non terrent. Grandis enim frontoſitatis eſt contemnere Reginam cœli vocantem, ſpernere Dominam mundi manum extendentem; magnæ etiam ſtultitiæ, & fatuitatis, non velle accedere ad omne bonum. Si enim pauper libenter accedit ad diuitem, infirmus ad medicum, & ſic de alijs; multo libentius, properabimus ad Mariam, in qua habemus repoſita omnia bona. Et quidem fiducialius, & deuotius accedendũ ad ipſam, quam ad omnem cœleſtium beatorum phalangem, (citra Chriſtum) propter

duas

Digitized by Google

duas potiſſimum conditiones; vt in Scrutinio ſcripturarum deducit Paulus Burgen. Videamus ait, quod homines, qui ſunt ſub aliquo ſummo Rege, cui plures principes ſubſunt familiares, cõmuniter promptiores ſunt ad obſequia illius Principis, quem credunt habere duas conditiones, *Prima* eſt, quod Dominus magis paratus ſit ad audiendum preces, & ſupplicationes illius: Quomodo Abſalon attraxit cor populi totius ad ſeruiendum ei, vt habes in lib. 2 Regum c.15. *Secunda* eſt, quod Dominus ille credatur magis eſſe dignus, ſeu aptus ad conſequendum prædictarum ſupplicationum, ſeu precum effectus, quam alij,
3 Reg. 2. vt patet de Adonia, qui volens conſequi petitionem ſuam à rege, petiuit à Regis matre, quod hoc impetraret ab eo, dicens, Precor, vt dicas Regi, neque enim tibi quicquam negare poteſt, &c. Conſtat autem beatam Virginem, prædictas duas conditiones habere in ſummo, *primam* ex ſumma humilitate heroica prorſus & diuina, qua nullum deſpicit, prompta ſemper audire pauperum preces; *Alteram* verò ex dignitate ſua, & fide perfectiſſima; Vnde pro reuerentia ſua, & fide perfecta exaudiri meretur, plus quam Sancti omnes, etiam in rebus difficilioribus; quippe cuius fides eſt, vt granum ſinapis, facie humilis, & in pectore feruens. Merito ergo ad hanc fiducialius, quam ad omnes Sanctos, properare debent omnes. Quæ teſte Bernardo inuocata nunquam abeſt; quippe, quæ nec vocata præſto
Heb. 5. adeſt, cui nec voluntas, nec facultas aliquando deeſt miſerendi, exaudienda vtique pro reuerentia eius ſemper, de qua piè vereque concludit venerabilis Gerſ. propoſitiones verę fidei, & bonæ ſpei, non parua ſeminaria deuotionis in illam. Quarum prima eſt: Quod nihil abſoluta voluntate petit à Deo, quod non obtineat: Alioquin non idem nolle velle ſponſi, & ſponſæ eſſet. *Rurſus,* Nemo qui petit Mariam pro ſe piè, & perſeueranter in nomine Ieſu Saluatoris ſui hoc eſt ad ſalutem, non dubium, quin illud Maria velit abſoluta voluntate compleri. *Rurſus* Maria voluntate pietatis, quæ dicitur optatio quædam adiutorij, pronior eſt ad miſerendum; quàm nos ad petendum, efficaciuſque nunc petit, & obtinet à Deo, quàm dum ſub paſſione degebat. Nam & ſi paſſionem perdidit, non tamen cõpaſſionem, prona, & parata ſemper adiuuare omnes, etiam maximos quoſque peccatores. Nimirum reminiſcens ſe multiplici iure quodammodo obligatam; quæ gratiam, quam perdiderunt, inuenit, propter hos maximè Dei conſtituta Mater, & ex Chriſti ſub Cruce cõmiſſione omnium miſerorum mater. *Si* itaque poterit mulier obliuiſci, aut non miſereri infantis vteri ſui: poterit, & Virgo Mater non miſereri ſuorum; Fiducialius igitur, & deuotius ad hanc accedendum, quam ad omnem exercitum *S*anctorum reliquorum.

MEMBRVM II.

Quales debeant eſſe ſerui Mariæ.

SEruiamus illi in ſanctitate, & iuſtitia, &c. v.
Luc.1. *Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat,* Pſalm. 100. POSITIS quibuſdam ad laudem Virginis inductiuis, videndum eſt de miniſtrantium ei qualitatibus: Non enim niſi à bene qualificatis, iuſtitia, & ſanctitate induitis, mente, & corpore immaculatis, dulciſſima, ac puriſſima hæc Virgo veneranda; Eccl.15. *Non enim eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Et, *Beſtia ſi montem tetigerit verendum ne lapidetur.* Heb. 12. Dan. 2.
Mons virgo eſt præcelſa, de quo ſine manibus lapis abciſus eſt Chriſtus; quam ſi beſtialis, ac carnalis homo qui (philoſophorum Principe teſte) decies millies eſt brutis peior viliorque conſiſtit, frontosè, ac indiſpoſitè acceſſerit, iure eſt culpandus, Nam ſi illuſtres huius ſæculi Principiſſę, ac dominæ, non niſi decoros, aptoſque ſibi miniſtros admittunt; quantomagis eiuſmodi expetit Regina cœli! Hinc quicunque piiſſimè huic Virgini Sanctiſſimæ Dei genitrici, diuiniſſimæ Imperatrici dignè ſeruire contenderit; in ſanctitate, & iuſtitia, vt ei deſeruiat, atque via immaculata ambulet, oportet. Hinc etiam ſanctiſſimi quique in huius laudibus meticuloſi fuere: Hinc ſe Auguſtinus imparem, & laudibus minorem fatetur; Hinc Hieronymus extimeſcit, ne forte ſicut improbus; ita & laudator inueniatur indignus. Hinc ſicut, nec eſt, quod Bernardum delectet magis: ita nec eſt, quod amplius vereatur, ſciens quicquid de indicibili fuerit dictum, eo ipſo, quo dici potuerit, minus gratum ſit, minus placeat, minus acceptetur. Præſertim de non digne qualificatis. Vnde quidam plures proprietates ſeruorum Mariæ, ſub verſibus, quos commemoramus ſolum, aſſignant hoc modo.

Seruus Mariæ virtutibus hiſce nitebit.

carne. & corde. — opere, & opinione. — intentu
Mundus, aromaticus, rectus,
affectu. — mundi contemptu.
deuotus, Hebræus.
ei ſuper aduerſis. — in ſecundis, & proſperis.
Compatiens, & congratulans,
quia mater veritatis. — quia ſepties legitur locuta.
verax, taciturnus.
contra deſidiam, — contra vehementiam, — contra ſuperbiam.
Feruens, diſcretus, humilis,
quia mater pietatis: — miſericordiæ Regina.
pius, atque benignus.
ad Deum. — ad proximum, — ſine plica ſimulationis.
Iuſtus, pacificus, ſimplex,
in contumelijs, — & moribus compoſitus.
patiens, & honeſtus.
ſcilicet ad facienda mala. — ad agenda bona.
Atque verecundus, hilaris,
virginis cultum. — ad ei placendum.
zelans, ſtudioſus.

Proſequitur latius hæc, auctor Marialis, nobis breuitati ſtudentibus hoc vnum occurrit dicendum: Quod qui dignus Mariæ ſeruitor

eſſe volet, eius veſtigia ſectari debet; Sic enim Chriſtus docuit, *qui mihi miniſtrat me ſequatur.* Io.12. Nam alioquin (vt auctoritas dicit) *Sanctos venerari, & non imitari, nihil aliud eſt, quam mendaciter adulari.* Vnde vera Chriſti, aut Mariæ veneratio, eſt eorum imitatio. Hinc Hieronymus monet in ſermone de Aſſumptione Virginis huius, dicens; Igitur dilectiſſimi amate quam colitis, & colite quam amatis, quia tunc eam verè colitis, & amatis; ſi imitari velitis ex toto corde quam laudatis, &c. *Hæc de* proprietatibus ſeruorum Mariæ; Quas licet quis in ſe non repperit, non ob id tamen ab eius laude, & ſeruitio ceſſare oportebit; ſi ſaltem pro his ad eam aſpirauerit. Sic enim hortatur Hieronymus dicens: *Et ſi huius laudi nemo inueniatur idoneus; votis tamen omnibus ceſſare non debet quilibet peccator à laudibus; Non enim deſpiciet mediatrix peccatorem quantumlibet ſordidum; ſi ſuper peccatis indoluerit, & emendandi habuerit deſiderium.*

MEMBRVM III.

De modo quo inſtandum ſit laudibus Mariæ.

VI. IN *omni animo tuo accede ad illam, & omni virtute tua conſerua vias illius; & continens factus ne derelinquas eam: Inuenies requiem in ea, & conuertetur tibi in oblectationem.* Eccli.6. NVNC IAM *tertio* agendum *de modo,* quo ad huius virginis obſequium eſt accedendum, quomodoque eius laudes exoluendæ. Itemque de obſequijs ei impendendis.

De modo itaque ſciendum, quod *aduerbijs, non nominibus, aut verbis,* vt aiunt, *meremur;* quamobrem etiam hortatur ſcriptura, *Quod iuſtum eſt iuſte exequere,* Deut.16. Et in verbis præmiſſis Sapiens, non quomodocunque accedendum; ſed in *toto* monet *animo* accedendum. Vnde modus ſeruiendi Mariæ in hoc (iuxta Dionyſium Carthuſianũ) conſiſtit, vt totis viribus eius ſeruitio intendamus, vt itẽ reuerenter, & formidoloſè; hilariter quoque ac amoroſè, ad tantæ virginis præconia accedamus. Et merito: Sic enim hinc (ex parte ſcilicet noſtri) intuemur noſtras defectuoſitates, impuritates, & vitia; Si è regione illinc (ſcilicet ex parte virginis) contemplemur eius excellentias, ſanctitatem, atque præconia; non ſine ingenti rubore, humilitate, reuerentia, atque pauore, ad ipſius cultum accedamus: verentes tam fœdi, coram puriſſima apparere.

Porro, ſi Beatæ huius viſceroſiſſimam pietatem, maternam dulcedinem, clementiſſimamque charitatem rite penſemus; cum omni affectu, & hilaritate, ac grandi fiducia, corda, & ora in eius laudes reſoluemus. Non tamen huiuſmodi conſideratio reuerentiam ſecludat: Nam licet ipſa miſericordiſſima, ſuas non dirè vlciſci iniurias ſolet; iuſtitia tamen Filij non ſinit has impunitas. Ex qua conſideratione, etiam ſanctiſſimi quique non ſine formidine eius ſe laudibus dabant.

Hinc Sanctus Hieron. ait: Talem ac tantam Virginem laudare, indignum me fateor; & vereor, ne, ſicut indignus, ita & reprobus laudator inueniar; hinc laudes eius depromere pertimeſco. In quam etiam ſententiam ſcribit Bernardus: *Nihil eſt,* inquiens, *quod tantum me terreat, nec aliquid quod, tantum me delectet, ſicut de beatiſſima Virgine habere ſermonem; Terret me inquam indignitas propria; delectat me laus Virginis, & eius excellentia.* &c. Iob 16.
Itaque ſi viri tanti, glorioſiſſimam hanc collaudare timuerunt; ſi gigantes ſub eius laudibus fatiſcentes gemuerunt; ſi demum tanta formidine in eius ſe laudes ſanctiſſimi hi reſoluerunt; hinc nobis coniectandum, quanto metu, & reuerentia, quanta item integritate nos eius laudibus applicari oportebit. Verè ex totis viribus oportet vt ei ſeruiamus, vt auctoritas monet; quoniam ipſa prior ex omnibus ſeruiuit nobis.

Quomodo autem ex omnibus membris ipſa deſeruiuit nobis, qualiter item rurſus ei ſeruire ex viribus omnibus debeamus, prolixius author Marialis deducit, & facilè occurrit conſideranti; vnde & hic intermittimus illud; ſolum hortantes, vt in omni animo ei ſeruiamus, & in omni virtute eius cultui intendamus; nihilominus nos ſemper profitentes inutiles ſeruos, & impares beneficijs, & laudibus eius; tametſi in linguas omnia membra verterentur; Excedit enim pietas, & dignitas eius; nec à mortali quoquam, imò nec reliqua creatura (teſte Petro comeſtore) attingi poteſt, ſic enim ait:

Vndarum gutta, roſa, gemma, lilia, flamma,
Si fieri poſſet, quod arena, puluis, & vnda,
Æthera, calicola, nix, grando, ſexus vterque,
Syluarum rami, frondes, auium quoque penna,
Ros, gramen, ſtella, piſces, angues, & ariſta,
Et lapides, montes, conualles, terra, dracones
Lingua cuncta forent, minimè depromere poſſent,
Quid ſis, vel quanta, virgo Regina Maria?
Quæ tua ſit pietas, nec littera, nec dabit ætas.

Hæc de modo ei ſeruiendi.

MEMBRVM IIII.

Qualibus obſequijs colenda Maria, & præſertim Roſariorum commendatio.

CORONA *tribuetur tibi in generatione, & generationem,* Prouerb.27. *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanyr,* &c. Cant.c.4. IAM qualibus obſequijs venerabimur Virginem hanc, videndum. Et certè vt paucis nos expediamus, ſciendum, poſt penſum horarum Canonicarũ quotidie debitum, gratius forte non offertur Mariç obſequium, quam vt frequenter eius Roſarium, vbi ſalutatur eulogio ſalutationis angelicæ, quod ei (vt patebit) eſt gratiſſimum. Vnde & ei iſtud obſequij genus à Spiritu ſancto nullis temporibus abolendum, in præmiſſis verbis videtur promiſſum, quod obſequij genus vulgariter Roſarium VII.

nuncu-

nuncupatur. De cuius Roſarij origine, denominatione, laude, myſterio, ac vtilitate, à varijs varia ſunt conſcripta; vnde nec à nobis repetenda: Hoc vnum pro applicatione auctoritatis præmiſſę aſſignaſſe ſufficiat; Quod iſtud Roſarium à quibuſdam dicitur Corona Mariæ magna; Magna, inquam, ad differentiam Coronæ paruulæ, quæ ex duodecim conſtituitur Aue Maria, prout ex Apocalip. cap. 12. ſumpſerunt quidam deuoti; vbi agitur de muliere duodecim ſtellarum corona coronata. Quo etiam quidam docti Sacramento, Roſarium legendo, duodecim Aue Maria, vice decem legere ſolent: vt ſic ex multiplicatis paruis coronulis, grandior vna procedat. Eya igitur hoc exercitiolo Mariam veneremur, hanc ei coronam tribuamus ſemper, nec etiamſi peccatores ſimus, hoc ei ſubtrahamus. Nam & hoc ei pro magno videtur repromiſſum, quod à peccatoribus hoc obſequij, & coronæ genus eſſet impendendum, vbi dicitur, *Coronaberis de capite Amana*, quod interpretatur diaboli militia; *Sanir* mundana ſapientia, *Hermon* perfidia, &c. De quibus omnibus Maria coronatur, cum ab iſtiuſmodi, hoc exercitio ſalutatur.

Verior ex poſitio eſt vt ſit Amana cōſtās; Sanir nix Hermon, dedicatus.

Nullus itaque ſe ſubtrahat, omnes conuolent ad exercitium iſtud; ad quod inter cætera, hæc nos inducere debent:

VIII. Nā per iſtud obſequij genus, &
- Mariæ gratioſum fit obſequium;
- Acquiritur fraternitatis participium;
- Conſequitur quiſque fructum copioſum.

PRIMVM patet, quoniam ipſa hoc ſe exercitio à pluribus coli voluit, & complures ſuper hoc reuelationes fecit, vt aiūt: Et nullū gratius ei (teſte magiſtro Henr. Haſſiæ) poteſt fieri obſequium, quam vt crebrius ſalutetur per angelicæ ſalutationis eulogium; Multo tamen gratius, ſi ſectemur eius conuerſationis exemplum, ſine quo parum placet orationis multiloquium. Hoc adijcitur propter quoſdam abſolutè, & nimium extensè, & inconſideratè loquentes; quod nil melius vnquam fieri poteſt, quam legere Roſarium.

DE altero autem, quomodo, ſcilicet, per hoc acquiratur *fraternitatis participium*, putamus iam ſatis diuulgatum, & à magiſtro Michaele de inſulis, in ſuo Quotlibet ſatis diffusè deductum; Vbi concludit in hunc modum: Quicunque inquiens, ad deſeruiendum Beatę Virgini in hac fraternitate ſe obtulerit, finaliter non peribit; imò (ſecundum Anſelmum) impoſſibile eſt eum perire, qui eam ritè colit: Ita enim dicit, Virgini loquens, *Sicut à te auerſus neceſſe eſt vt pereat; ſic ad te conuerſus impoſſibile eſt, vt pereat*, Offerret ſe hic materia illa, de participatione fraternitatum tractanda, de quibus multa tangit magiſter ille Michael, vbi ſupra; ſed noſtra eſt feſtinare ad deuota.

Porro de TERTIO, quam *copioſum*, ſcilicet, quis per hoc exercitium conſequatur fructum, non facile puto ſcriptu, quia incomprehenſibile ferè cogitatu. Tamen vt pigros trahamus, inſtar ligni vitæ, huius exercitij duodecim fructus commemoramus:

Grata potens, firmat, vertit, ſolatur, & aſtat.
Indulget, meritū, purgans, complet, fugit, ornat.

PRIMVS fructus Roſaria legentis, & in fraternitate exiſtentis eſt, quia eſt eius oratio Deo gratior, & ei ſalubrior: Gratius enim & ſalubrius quis orat ex charitate pro alijs, quam pro ſe. Hinc Chryſoſtomus. *Si pro te ſolo orauerit, ſolum tuum meritum poſſidebis*: Si vero pro omnibus, omnes quoque te orabunt. SECVNDO, quia eſt oratio hæc communis efficacior, Mat. 18.
iuxta illud, *Si duo ex vobis cōſenſerint*, &c. Omnis enim pugna vnanimiter aggreſſa, victoriā parit. TERTIO, Iuſtos magis in gratia confirmat, & ſi ceciderint citius reſurgere præſtat. Eccl. 4.
Melius enim duos eſſe quam vnum, Eccli. 4. *Nā frater qui adiuuatur à fratre, eſt quaſi fortis ciuitas.* Pro. 18.
QVARTO, peccatores in fraternitate facilius cōuerti facit, propter multitudinem orantiū. Chryſoſtomus, *Merito Chriſtus offerentium, & orantium fidem, & non vecordiā ægroti reſpicit.* Luc. 5.
Et licet peccatores Deus non exaudit: per ſe, per alios tamen (ait Thomas) exaudit imò & alijs modis, quos præterimus, verbū illud à cæco, licet nō vſquequaq; cæcè dictū, exponi poteſt. Io. 9.
Nā & Deus peccatores exaudit: patet de Manaſſe, & alijs. QVINTO præſtat conſolationem ſpiritualē: Grandis enim eſt cōſolatio, tot millia habere pro ſe orantiū, &c. SEXTO grāde dat adiutoriū, & aſtat in extrema neceſſitate: Multa enim ſubſidia in fraternitate deſcēdentibus exhibentur. SEPTIMO conſequitur indulgētias multas à varijs, vt computatur, vbi ſupra, ad hoc diſtributas, quas promereri conſultum eſt, & ſalubre; licet aliqui has impugnent, propter abuſus plurimos circa eas contingentes. OCTAVO multiplicatur, & augetur meritū, ex participatione tantorū bonorū, & Roſariorū. NONO leuius, & breuius poſt mortē habet purgatorium, propter multitudinē orantiū, & auxiliorū. DECIMO acquirit conſuetudinē ſalutādi Virginē, & ſemper orādi: Et ſic implet illud, *Oportet ſemper orare*; vnde & ſpes creſcit: vt nec ipſa deſinat pro nobis ſēper interpellare. Luc. 18.
VNDECIMO hoc exercitio peccata, & multa mala vitantur, virtutes augentur, & gratia impetratur; nam (Bernardo teſte) vbi deuote nomen Mariæ nominatur; ibi dæmon effugatur, culpa vitatur, &c. DVODECIMO Deus Trinitas, & Virgo Mater ſummè honorantur. Angeli gaudent, terra lætatur: vt cuidam aiunt reuelatum. Hos & huiuſmodi fructus latius proſequuntur, qui de laude Pſalterij Marię ſcripſerunt. Præſertim deuotus magiſter Alanus de Rupe, hoc modo de virtute Roſariorum in Opuſculis ſuis concludens: *Tot* (inquiens) *quotidie auxilia virtutum, tot conſolationes in morte perſentient, tot euadent tormenta, totidemque gaudia in cœlis ſingularia percipient; quot quotidie Aue Maria deuotè dixerint.* Quis ergo non votiuè leget Roſaria: vt tanta aſſequatur bona.

MEMBRVM V.

De modo Roſaria dicendi, & obiecta aſſumendi.

IX. VERVM bona hæc non aſſequitur, niſi qui digne exoluerit iſta; Nam ſicut (teſte Hieronymo) melior eſt ſeptem Pſalmorum decantatio cum mentis puritate, & deuotione; quam totius Pſalterij modulatio cum indeuotione: Sic & per omnem modum putamus de Pſalterio Virginis huiuſmodi; Vnde qui de legendis Roſarijs velet referre fructum, quo ſapienter pſallat ei eſt ſtudendum: Non enim prorſus eſt ſine crimine, Mariam alloqui ſine reuerentia, ſine deuotione; vnde dixit (vt aiunt) cuidam in reuelatione, Legas mihi cum deuotione Roſarium, & acceptius mihi erit, quam ſi inattentè dixeris mihi pſalterium.

QVI autem ſapienter pſallere Roſarium, aut Mariæ pſalterium cupit, tria agere debet,

Scilicet { Ante ſe præparare,
Dignè illud legere,
Et ſine bono concludere.

Nam (vt paucis ſingula tangamus) de præparando ſapiens dicit, cap. 18. *Ante orationem præpara animam tuam*, hæc autem præparatio fieri debet per tria iſta ſequentia,

Scil. per { Cordis recollectionem, & excitationem,
Mentis repurgationem,
Rectam, & debitam intentionem.

Nam Roſarium lecturus PRIMO omninm debet cor ſuum à diſtractionibus *recolligere*, vt poſſit dicere Mariæ, *Inuenit ſeruus tuus cor ſuum, vt oraret te oratione hac* &c. Recollectum quoque ne torpeat habet *excitare*, & ad deuotè ac alacriter huius Virginis laudes exoluendas excutere. Ad quod deſeruiunt verſus illi infra annotati, *O pia Chriſtifera*, &c. SECVNDO vt dignè coram virgine appareat, cor ab omni peccatorum ſpurcitia, generali quadam contritione *expurgare* habet: Alioquin peccatori dicet, Cur enarras laudes eius. POSTREMO ſic corde diſpoſito, *intentio* debita præmittenda: A qua totum ſortiaur opus denominationem. Eſt autem hæc ad omnes dilatanda, præſertim ad eos, qui ſunt huius fraternitatis. Et hæc de præparatione ipſa.

2. Reg. 7.

Pſ. 49.

IAM DE modo legendi dicimus, ſic orabitis,

Scili.	Reuerēter, Attente, Deuotè.	Ex	Senſitiua, Intellectiua, Affectiua,	ad	Nomina Ieſus, & Maria inclinādo; Verborū ſenſū, & obiecta attēdēdo. Singula pūcta affectus pios eligēdo.

In quibus omnis virtus orationis. Poſſent de ſingulis his dici multa: Varij enim circa ſingula, varia habent exercitia, quæ præterimus breuitatis cauſa. Nam quidam, *vt reuerenter* pſallant, in genibus illa legunt: Ad ſingula nomina Ieſus, & Maria inclinant, & ſimilia agunt; Et probè; Nam ſcribit Dionyſius Carthuſianus, quendam diuturnum habuiſſe purgatorium, eo quod non inclinauerat ad Mariæ nomen, prorſus dulciſſimum, & reuerendum. Sic, & ad *attente* dicendum, valet verbis intendere, & certam quandam intelligentiam exinde formare: Ad quòd deſeruiunt Roſaria de Aue Maria explinatione. Porro *ad deuotè* Roſarium dicendum, quia ibi norunt conſiſtere fructum, à varijs variè eſt elaboratum. Quidam ex verbis affectus eliciunt; Alij obiecta varia, & deuota aſſumunt; Alij verbis angelicæ ſalutationis, inflammatoria quædam præmittunt, vel adijciunt. Nūc præmittendo, *Aue benigne Ieſu*, vel *Aue dulcis Mater Anna*, vel in fine annectendo. *Et benedicta ſit honeſtiſſima Mater tua Anna, Et ſponſus virgineus Ioſeph, & Ioachin Pater, & omnis cognatio tua ſancta.* Sic quiſque ſua exercitia habet. Nec voto viuitur vno. Fœlix qui talibus verſari poteſt, nec puerilia iſta ducit: Non enim ſunt puerilia; ſed Diuina; Non ridenda, quibus mens erigitur in Deum, aut in Virginem diuam.

POSTREMO quia finis denominat cuncta, oportet, vt *de modo terminandi* aliquid dicamus: Et certo ſic finienda ſunt vt illud Eccli. c. 45. conueniat illi, *Sacrificia eius conſummata ſunt igni*; Igni, ſcilicet præcipuæ deuotionis. Debet enim deuotus finito Roſario,

Pro negligentijs veniam petere,
Pro immiſſa deuotione gratias agere,
Et, vt acceptum ſit, offerre.

Et aliqua deuota, & cordiali oratione concludere, hoc vel conſimili modo dicendo. Audi nos Maria; nam te Filius tuus nihil negans honorat &c. O Virgo glorioſiſſima, miſericordiſſima, & humillima: Accede ad tuum prædilectiſſimum Filium, oſtendens ei pectus, & virginea vbera, & ipſe oſtendat pro nobis Patri latus, & ſacratiſſima vulnera. Accedantque omnium electorum preces, & merita, & nulla poterit eſſe repulſa, vbi tanta ſunt charitatis indicia &c. Sic etiam in exordiendo Roſarium præmitti poterit oratio illa Bernardi Sancti: *Per te aſcenſum habeamus ad Filium, ô benedicta inuentrix gratia, genitrix vita, mater ſalutis: vt per te nos ſuſcipiat, qui per te datus eſt nobis. Excuſet apud ipſum integritas tua culpam noſtra corruptionis, & humilitas Deo grata noſtra veniā impetret vanitati. Copioſa charitas tua noſtrorum cooperiat multitudinem peccatorū, & fœcunditas glorioſa fœcunditatem nobis conferat meritorum. Domina noſtra, mediatrix noſtra, aduocata noſtra; tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræſenta. Fac ô benedicta per gratiam; quam inueniſti, per prærogatiuā, quam meruiſti; per miſericordiam, quā peperiſti: vt qui te mediāte fieri dignatus eſt particeps infirmitatis, & miſeria noſtra, te quoq; intercedente, participes nos faciat gloria, & beatitudinis ſua Ieſus* Oratio.

Chriſtus filius tuus, Amen. Vel verſus infra annotatos.

Et hac de modo Roſaria exoluendi. Quo modo qui vnum exolueret, gratius putamus Mariæ ageret; quam ſi verboſando, plura inattentè incõcinnèque repeteret. Non enim tam Mariæ placet verborum multitudo; quàm mẽtis deuotio: Nec tam vult multa dici; quàm deuotè ea exolui. Phariſaici enim vitij eſt, multiplicare, non dignè exoluere vota. Contra Domini eſt præceptũ dicentis: *Orantes nolite multum loqui.* Fructus etiam orationis eſt priuatiuum: Impedit enim multitudo attentionem, & affectionem (cum tamen in piis affectibus omnis conſtat orationis virtus:) Et impedito memoriæ officio, impoſſibile reliqua interioris hominis officia debitè abſolui; Nihil enim conferre, vel dijudicare intelligentia poteſt, quæ memoria non attendit, & commemorat; Et impedito intelligentiæ officio, nihil perfectum voluntas abſoluere poteſt: Omnem ergo fere orationis fructum impediunt, qui non tam attentè ea exoluere; quã multiplicare contendunt, tempus verborum multitudine terentes, in multiloquio exaudiri putantes. Cum tamen Paulus in Eccleſia Dei, malit *quinque verba in ſuo ſenſu loqui; quam decem milia in lingua.*

Hinc etiam illuminatus ille Antonius, (crebrius vt de illo Athanaſius refert,) ſolebat monere Fratres. *Non in multiloquio verborum in orationibus fidendum, ſed magis in feruore deſideriorum*, &c. In hoc enim eſt orationis virtus: Quem qui tollit eius fructu priuat.

Et ob hac, & alia grauibus vitis multiplicatio Roſariorum nimia eſt ſuſpecta, velut ab Angelo Sathanę perſuaſa. Nam ſcribit venerabilis Gerſon, in tractatu de tentationibus diuerſis: *Hortatur*, inquit, *nonnunquam* (haud dubium quin diabolus ſathanæ angelus, in lucis Angelum ſe transformans) *dicere multitudinem immenſam priuatarum orationum: Vel vt ſe quis nimium grauet, vel afficiatur tædio, caſſi, ſine deuotione perficiat, aut ſuperbiat, aut impediatur ab vtilioribus magis.* Summè itaque cauendum eſt Religioſis, ne ad huiuſmodi indiſcretè ſe ferant, cum alia legenda habent: *Ingratum eſt enim Spirituiſancto quidquid obtulerimus neglectis his quæ debemus.*

NEC obiecerit hic quis Eccleſiæ præceptum, quo pſalmodias, & hymnos iuſſit multiplicare: Alia enim ei fuit ratio cum ſapientibus, & inſipientibus normam exercitandi præſtituere habuit. Vt idem Gerſon declarat. Secus de priuatis orationibus: Quę tamen non ab re multiplicari videntur, cum vtilioribus intendere homo non poteſt; Hinc laudabilis profecto inſtitutio illa, qua gregarijs hoc, & ruralibus eſt conſultum, vt Roſaria repetant, & legant inter itinerandum, & operandum. Non enim meditationibus intenti vacare poſſunt; Sed Religioſis ſecum conſiſtere potentibus, volunt non æquè conſulendum. Præſtat enim (vt Gerſon ait,) interna exercitatio multiplicatione vocalium, & curſim dictarum orationum; non tamen videmus, quin Religioſus quiſque, cautus temporis obſeruator, etiam ſine meliorum impedimento, poſſet talia ſibi tempora præſtituere, vt quotidie pſalterium Virginis dicere poſſet: Inter ſurgendum, & veſtiendum; Inter eundum, & redeundum; Inter item opus manuum: Quibus temporibus non granditer poterit vacare internis. Hinc certa huiuſmodi tempora quiſque ſibi conſtituere habet (vt monuit venerabilis ille Pater Vuindeſus) quibus roſaria hæc ſine meliorum impedimento perſoluere poſſit. Omni enim negotio opportunitas eſt, & tempus &c. Et hæc de modo exoluendi roſaria.

QVIBVS hoc duximus annectendum, quod licet indeuotus quis exoluerit ea, non præſtans ſibi occaſionem, non vereri habet de fructu amiſſo: Quis enim dubitare habet, ſi Deus dedit iumentis in montibus fœnum, & pullos exaudit coruorum; quin frigidas etiam ſeruorum Matris eius exaudit orationes. & iuſtorum preces aſſiduas non deſpicit in finem? imo certè tenendum, ſi frigidis noſtris verbis adiunxerimus ignita Dei eloquia, inflammatoria illa vitæ, & paſſionis, aut cæterarum rerum obiecta, quod graui fruge, etiam ſupra quam ſperare poſſemus, ibunt orationes noſtræ. Valde ergo confidenter etiam ſimplicibus orandum; tametſi non valde profundent intentionem, aut non valde flagrent affectione: Videmus enim reges patres (vt quidam ait) paruuli filij paruo munuſculo, puta pomo, aut balbo verbo ſciuſculè prolato delectari; magis quã tributis prouinciarum, aut graui oratione conſulentis. Et ſi deuotis adiunxerimus noſtra infirma verba obiectis, tanto erfit efficacia ſupra humanum modum noſtra verba ad Deum; quanto verbum Dei pro nobis exinanitum. Semper ergo roſaria exoluenda in vnione aliquorum obiectorum Chriſti, aut Matris eius: vt reuelatio docuit Carthuſienſ. Et hinc ſequentia hic ſunt aggregata roſaria: vt inde inter legendum aſſumamus deuotionis obiecta; & inter meditandum, ne fluctuemus, meditabilia. Habentur autem in hac diſtinctione roſaria ſequentia, primo ſeptem feriis aſſignata. Pſa. 146.

Nã feria { 2. 3. 4. 5. 6. Sab. Do. } poterit legi Roſarium {
De Mariæ ortu, & ortum antecedentibus.
De expoſitione Angelicæ ſalutationis. duo { primum / ſecundũ
De membrorum benedictionibus.
De Mariæ immenſis doloribus.
De eiuſdem gaudiis.
De eius gloria in cęlis.

Eſt item in ſuperioribus præmiſſum roſarium vnum de conceptu vitæ, & Dominicæ paſſionis pro ſimplicioribus. Annectiturque vnum generale de Marię priuilegiis pro contemplari volentibus vt congruat omnibus omni die dicenda à volentibus exoluere Mariæ Pſalterium. Et in calce huius diſtinctionis annotauimus roſarium, expoſitiuum Dominicæ orationis, quemadmodum angelicæ ſalutationis. Et poterunt ex his roſariis colligi certa meditabilia, circa ſingula ferè Mariæ feſta: vt

Digitized by Google

notatur in concluſione ipſa. Et ex his patent huius diſtinctionis contenta. Quæ concluditur cum explanatione de Salue Regina.

Sequuntur quædam Metrica carmina, quibus vtendum pro deuotionis incitamentis, ante, vel inter legenda roſaria: Quorum prima ſunt pro captanda beneuolentia.

O Pia Chriſtifera, mea mater, virgo Maria,
Cœli Regina radians Deitatis agalma,
Aſtrum prænitidum, tutum peccantis aſylum:
Digneris Dominam me te laudare clientem.
Promat amor laudẽ (taceãt phãtaſmata) grandẽ;
Et tua me totum repleat diuinior oda.

Quando poſt interuallum continuatur Roſarium præmittendum eſt:

AD te ſuſpirans rurſum præcordia tollo,
Subiectis oculis, genibus tellure reflexis,
Vlnis protenſis: rogo toto robore mentis.
His laudum titulis fiam tuus aſecla verus.

Oblatio Roſariorum valedictoria.

SVſcipe Theotocos, quę libo munia laudum
Cordi materno, quo me ſerues ab auerno:
Ignoſcas culpas, quas fecit inertia multas.
En corpus cum mente tuæ committo tutelæ.
Iam cor perluſtres, Ieſum mihi poſt obitum des:
Quamuis pauper ego deprompſi Virginis Odas,
Noſti cur dederim, ſcis quid abinde petam;
Laudes collatas, præſtandas milleſies do.
Quas tibi centuplicent cuncta creata Deo.
Alma valeto Parens, mihi crebra chariſmata mittens.
Virgo vale, tibi dico vale, quanquã cupiã te, &c.

Sequitur Roſarium de pręcedentibus Marię ortum, atq; de ipſo eius ortu, & vitæ progreſſu vſq; ad angelicæ ſalutationis Eulogium

CAPVT II.

Prou. 8. *DOminus poſſedit me ab initio viarum ſuarũ, &c.* Prouerb. IAM OBIECTA roſariorum poſituri, & materiam de B. Virgine meditãdi, adminiſtraturi, à capite nobis eſt inchoãdum, & pręmittendum roſariũ, de præcedentibus Mariæ ortum, deque ipſo ortu, & progreſſu vitæ eius, vſq; ad angelicæ ſalutationis eulogium, de quo tractat ſubſequens roſariũ: Vt ſic ſeriatim omnẽ materiam paucis tangamus, & exemplo Domini, ab initio viarũ ſuarum eam poſſideamus, nihil de materia eam contingente omittentes; cuius quippe omnia digniſſima ſunt, & vtilia meditatu. Pręſertim cum nõ apocryphis traditionibus; ſed ſolidis, veris, & authenticis radicibus, clauibus & locis laudum verarum hæc omnia ſumantur. Quam tametſi canonicæ ſcripturæ quaſi nudã, & ſine multa commendatione introducũt, & fermè præconiis inornatam in medium exponunt; nemo ſapiens mirari debet; *Vel* quia conſiderarunt, quod nihil dignum humana cogitatio concipere, vel locutio de ea poterat parturire; *Vel* vt compeſcerent æmulatrices inanis gloriolæ mulierculas inanes, & talium temerarios laudatores; *Et vt* parcerent verecundiæ, & humilitati heroicæ humillimæ Matris Chriſti, quæ nullatenus ſub ſua vita, ſuas potuiſſet protuliſſe laudes apertas, quę eatenus apud ſecretarium ſuum Euangelicum Lucam inualuit, vt ipſam in actibus nouiſſimam omnium, poſt diſcipulos, & mulieres poneret, & nominaret: Act. 1. *Aut* certè, quod ad ſummam laudis eius omnimodè ſufficere indicarũr, quod eam Dei Filius elegerit in Matrem. Cuius iam abundantiſſima laus præceſſerit in omnium ſcripturarum libris: vtpote præſignata à Patriarchis, & prædicata à prophetis, & ſub nomine ſapientiæ pleniſſimè prædicata in ſapientialibus ſcripturis. Vbi Albertus magnus non paruum locum ſibi præſumit laudis virginis huius, dicens, ex auctoritate eccleſiaſtica, Omnia ferme quæ de increata Sapientia prædicantur, in laudes virginis huius retorquenda. Altera autem ſolida clauis ſuæ laudis eſt, quod ſit, & verè dicatur Mater Chriſti Dei, & hominis. O quam inexhauribilis hic abyſſus virgineæ laudis; vnde innumeræ ſuboriuntur præconiorum radices. Ex hoc enim conſequitur. Quod decuit: vt illa puritate niteret, qua ſub Deo (vt Anſelmus ait) maior intelligi nequit; vnde conſequenter arguitur: Plena expurgatio, & eradicatio fomitis, & omnis originalis infectionis, perfectioque iuſtitiæ originalis, pro ſtatu miſeriæ huius; Plena aſſimilatio totius carnis Virginis, & ſuæ ſanctiſſimæ prolis; Plena participatio plenitudinis gratiæ Chriſti mentis; Plena item diffuſio gratiæ, velut per collum myſtici corporis; Plenaque poſtremo eminentia materni ſtatus, & principalis dignitatis, omni alteri creaturæ incommunicabilis. Ex quibus omnibus conſequitur propoſitio Diui Dionyſij nota multis: Quod quas habet ordo hierarchicus inferiorum proprietates, & virtutes; ſublimiori, & perfectiori modo ſunt in ſuperioribus. Papè, quàm fœcundiſſima, copioſiſſima, & ampliſſima habet iam deuotus amator Virginis ſibi ſeminaria, non fictæ, ſed probatiſſimę, & ſolidæ laudis! Quas deducendas relinquimus ſtudioſis, pro deuotis, & ſimplicibus poſituri promiſſa roſaria ſimplicis laudis. In omnibus tamen, ad commoderationem nos referẽtes venerabilis Gerſonis, in veritatib⁹ de ſuſceptione humanitatis Chriſti.

Traditur autem in hoc roſario,

Quomodo Maria {
- Ante ſecula à Deo electa fuit, & perelecta, & votiuè à multis deſiderata;
- Multipliciter, & variè fuit præfigurata;
- Luculenter à pluribus prophetata.
- Rebus ſublimib. & diuerſis cõparata.
- Sanctiſſimè, & mundiſſimè concepta
- Lętiſſimè & vtiliſſimè in mũdũ nata;
- Congruiſſimè in templo oblata;
- Sanctè illic, & vbique conuerſata.
- Ioſeph virgineo mirificè deſponſata;
- Ad Filij Dei conceptum optimè diſpoſita.

Poſt quæ ſubſequetur ſalutatio angelica, de qua in roſario altero. Sunt autem huius roſarij meditabilia omnia,

Moroſè.	quo ad	Memoriam.	Meditāda
Attentè.		Intelligentiā.	
Deuotè.		Affectiuam,	

Quædam (vt puta priora illa) ſcilicet de prę-electione, præſignatione, prophetatione, & comparatione cum affectu laudis, & venerationis: Non enim paruam hæc adminiſtrant materiam laudis.

Quędam autem, cuiuſmodi ſunt Conceptio ſancta, Natiuitas lęta, &c. cum affectu cōgratulationis: Quia in his benedictionibus præ cunctis benedictis eſt à Deo præuenta.

Reſidua aūt non iam enumerata; puta eius in Sancto templo oblatio, ſanctiſſima eius conuerſatio, & ad Dei filij conceptum ſtudioſa, & concedens præparatio, cum affectu ſtudioſæ æmulationis, & imitationis.

Vt, ſcilicet in his nitamur ſectari eius exemplum, Vt & nos vel ſpiritualiter concipere mereamur Dei Filium, Ieſum, ſcilicet, ſalutem afferētem, interpretatum: Quod vt poſſimus, Mariæ non ſolum habemus intendere exemplum: ſed & implorare auxilij ſuffragium, quo ſine nullum poſſumus bonum. Nil enim nos Deus habere voluit, quod non per eius manus tranſiret. Eya igitur, deuotè hoc memoremus roſarium, ſtudioſè illud inter vbera memoriæ circumferamus, velut myrrhæ faſciculum (Cant. 1.) & quaſi armillam ponamus ſuper imitationis brachium: vt ſic poſſideamus eam cum Domino ab initio viarum, & ſit apud nos eius memoria in generatione ſeculorum, Amen. (Eccl. 24.)

Quomodo virgo Mater à Deo, & ab omni creatura electa fuit, & deſiderata.

Te Deus, angelici, Patres, vates, cupit omne.

Quam multipliciter præfigurata fuit, & præſignata.

In factis, ſignis, viſis, muliere, per omne.

Quam lucide prophetata fuit, & prædicta.

Te magni, parui, vates, ſexus canit, aſtra.

Quam variis rebus fuerit comparata.

Par cælis, terris, viuis, ſenſis ſimul omni.

Quomodo fuit concepta.

Iuſtis, effœtis, prædictaq́, tempore, digne.

Quomodo fuerit nata.

Nata alte, vtiliter, late, mire, veneranda.

De vitæ eius progreſſu.

Offertur, ſcandit, cōplens decet hoc docet & nos.

Quid in templo egerit.

Sic vixit, vouet, & diſcit, meditans, petit, & ſic.

Quare fuerit deſponſata Ioſeph.

Hinc ſponſata Ioſeph, ob ſe natū ſimul ob nos.

Per quæ fuerit diſpoſita ad conceptionem Filij Dei.

En placitū, meritū, qualis, geſtum, Ambaſiatum

MEMBRVM I.

Quomodo beata Virgo Maria à Deo ſit prælecta, & à multis votiuè exoptata.

TE *Deus, &c.* PRO poſitorum verſuū roſarij huius explanatione ſciēdum, quod in roſarij huius initio; in primo ſcilicet verſu oſtenditur, quomodo eam *Deus poſſederit ab initio*, quomodo beatiſſima virgo iſta, à Deo electa, & prælecta fuerit ab omni creatura exoptata. Nam primo elegerat, & prælegerat eam Deus *poſſidens ab initio illam*, & ad magna prędeſtinans eam, vt Angelus Brigidę dixit, imo (vt altiori fundamento res noſtras ſtabiliamus) ſicut in lectionibus aureis laudum Virginis eiuſdem, quas in officijs Brigittę frequentāt, Spiritusſanctus (vt pie creditur) ex eius perſona prædixit, dicens, Ab initio & ante (Eccl. 24.) ſæcula creata ſum, prędeſtinatione ſcilicet diuina. Et apertius in auctoritate thematis præmiſſi, *Dominus poſſedit me ab initio viarum.* Et item; *Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret.* (Prou. 8.) Quæ omnia attribuit Eccleſia Beatæ Virgini, &c. Ad qualia autem, & quanta hanc Deus prędeſtinauerit, tangitur infra in Roſario præconioſo, *Triclinium*, &c. Quam autem granditer hanc Deus dilexit, ex bono ipſi dato colligi poteſt: Nam ſi diligere eſt, alicui bonum velle: Id profecto Deus plus diligit, cui maius tribuit bonum: Qui igitur noſſe volet, quantum Deus Trinitas ab ęterno Mariam dilexerit, attendat quantum eſt bonum, quod ei contulerit, & quanta propter eam ab initio fecerit. De qua dilectione, & æternali præuiſione, qui aliqua deuote legere volet, ſermonem angelicum, quem ſācta Brigida deſcripſit, legat, Bernardinum quoque perſpiciat, qui conſtanter, & conformiter rationi, aſſerit, magis hanc à Deo dilectam, quā omnem reliquam creaturam, &c. O vere præcipua, & prima, & non parua laus Virginis Matris, ſi rite tractentur ſingula, quæ concurrunt ad ipſam prædeſtinationem, de qua aliqua annotata circa beneficium prædeſtinationis in beneficiario.

SECVNDò, fuit ab initio creaturæ à ſummis illis *angelicis acutis* obtutibus, in Dei lumine (vt volunt) mirifice præuiſa, velut eorū ruinam reſtauratura, vel potius per quam eorum ruina reſtauranda: Vnde & indicibili voto deſiderata, acclamantibus omnibus, & dicentibus ei, *Veni in hortum*, &c. (Cant. 5.) Itemque, *Sonet vox tua in auribus*, &c. (Cant. 2.)

TERTIò, à patribus quoque veteris teſtamenti, ſecretorum Dei vſquequaque non ignaris, hæc fuit præcognita, & votiue nimiū deſiderata: velut baculus ſenectutis eorum, & miſeriarū releuatrix, vnde & clamabant, *Egredietur virga de radice, &c.* (Iſa. 11.) Quod licet quaſi futurū dicitur, optatiue tamen exponitur à pleriſque, quoniā optatiuo modo Hebræi carent.

QVARTò, fuit non modo fidelibus; verum & deſiderata fuit cunctis gentibus, deſideratū cunctis gentibus productura, & vtriuſque populi ſalutē fida mediatrix paritura. (Aggæi 2.) Hinc Iob, cęteriq; pro hac gentilium vates, ſuſpirauere, vt patet infra.

POSTREMò, non à rationalibus tantū; ſed & ab irrationalibus quodāmodo (ſi dici fas eſt) rationabiliter, fuit deſiderata. Omni creatura (Rom. 8.) ingemiſcente, & parturiente, & eius aduentū expectāte, per quā eſſet reformāda, & partim (vt Dionyſ. Carthuſienſis ait) releuanda. De horum omnium votiuo deſiderio, latius tangitur in Sermone Sanctæ Brigidæ prætacto.

Sed ſat ſit materiam dediſſe intellectualibus, ad effectus nos conuertamus.

Ezec. 18. *Gen. 48* O IGITVR quis illa ignita deſideria lapidum ignitorum collium æternorum, ſpirituũ beatorum, quis gemebunda illa votiua, & amoroſa ſuſpiria Patrum antiquorum, & omnium rerum, ſine inflammatione; imò liquefactione poterit cogitare ſuorum vitalium? Væ nobis ſuper torpore, & gelu noſtro! Væ ſuper gentium peccato, qui ſine fœdere, ſine affectione (*Rom. 1.*) ab Apoſtolo deſcribuntur; licet hic deſideraſſe ferantur. Deſiderauerũt enim quidam, & ſi non omnes. Pudeat teporis, & torporis temporum horum. (*Dan. 9.*) Abeat hyems, frigus torporis abſcedat, ſimus viri deſideriorũ. (*1. Thes. 2.*) Aſpiremus, & leuemus corda cum manibus, vel ad Reginam noſtri ſollicitam, & pro nobis in cælis à dextris vultui Dei aſtantem, ad quam, & pro qua, tantopere ſuſpirauere etiam priores, nondum exiſtentem. Deſideremus deſiderantem nos; O deſideratiſſima, deſiderabiliſſima, & deſiderantiſſima, Domina mea, fac liqueſcere in tui amorem gelida pectora mea, & da mihi te aſpirare per ſæcula. Amen.

MEMBRVM II.

De multiplici ab exordio mundi præfiguratione huius glorioſæ Virginis.

IN *factis, ſignis, &c.* IN HOC altero verſu agitur, quàm multipliciter ab exordio creaturæ conditæ foris fuit præfigurata; ne etiam rudibus eſſet ignota. Tanta nempe eſt dignitas Virginis huius, vt quam decentiſſimum fuit eam variè præfigurari: vt magis veniens votiuè exciperetur. Eſt autem (vt ad compendium latè ſparſa redigamus) iuxta Albertum præſignata, PRIMO, in rebus factis, & creatis, vt pote in ſex dierum operibus primordialib. adeo vt fere nil ſit inter ſex dierũ opera conditum, quod non ſingulariter huius fuit præfiguratiuũ. Ipſa nempe eſt cælum, & terra; Ipſa lux facta in principio; & firmamentum in aquarum medio; imo ipſa ſignatur per omnia illa primordialia opera, quæ commemorantur per hæc metra.

Tu cælum, terra, lux firmamen, mare, ſydus,
Piſcis, aues, homo tu, quàm dulcis tu paradiſus.

Gen. 1. Verè enim *cælum*, & *terra* virgo iſta, quia ſimul cæleſtem, quia terreſtrem vitam ducens; Cælum quoque & terra, quia ſimul, & altiſſima dignitate, & infima humilitate fuit; demũ cælum & terra, quia inſtar cæli puriſſima virginitate, & terræ ſimilitudine fœcundiſſima maturitate fuit ſimul, & Virgo, & Mater. Sic de ſingulis figuris plurima dici poſſent; ſed prolixitas vitanda. Abundè enim in Mariali ſuo venerabilis Bernardinus de Buſtis, & plenè deducit. Figuratur, & in *luce*, & nubecula illa, de qua tãdem Sol, ſibi lumen ſecundũ aliquos aſſumpſit: quia de Virgine homo Chriſtus factus; vbi materia copioſa, & plena Sacramentis: vt Buſtis deducit. Hæc eſt, & opus ſecundæ diei; *Firmamentum*, ſcilicet in medio aquarum, propter ſtabilitatem fidei, & virtutum omnium ornatum, mediatrix hominum, & Dei. *Mare*, propter inundantiam gratiarum; *Mulier veſtita Sole, & habens Lunam ſub pedibus eius, virago, mater omnium viuentiũ.* *Apoc. 2.* *Gen. 2.* Et quid ſignant *aues*, & *piſces*, niſi virginem, piſcis inſtar natantem in medio aquarum tribulationis; & inſtar auis, volantem ſuper pennas ventorum, in cælo contemplationis. Signat & hanc homo *ſexto die* conditus perfectus, quo ad perfectionem virginis huius. Et quid aliud eſt *Paradiſus* voluptatis, niſi vterus virginis huius? In quo Deus Pater poſuit hominem Chriſtum in die conceptionis; gignens nobis verum vitæ lignum, & irrigans totam ſuperficiem Eccleſiæ ſanctæ? Patet ergo, quod in omnibus operibus ſex dierum expreſſiſſimè præſignata poteſt hæc virgo dici: Vt inſigniter, & Bernardus, & Anſelmus id deducunt.

ESTETIAM *ſecundo*, præſignata in typicis ſignis, & actis: vt in *arca Noë, & Iride, in tabernaculo Moyſi*, & arca teſtamenti; in tẽplo, & propitiatorio; in domo ſaltus; & Salomonis throno; adeo vt nihil actum ſit in vetere illa teſtamenti officina, ſine huius Virginis myſterio. Et complectuntur horum principaliora ſub hoc verſiculo.

Arca Noe, Salomõ Arcus, Tẽplũ, Thronus es tu.

Cõgruè autem præfigurabatur in iſtis, ob plura quæ tranſimus. Pulchrè tamen in *arca Noe*, propter cõmunem per eam factam ſaluationem; in *arca teſtimonij*, quam Salomon fieri fecit, propter omnimodam perfectionem; in *arcu fœderis*, propter peccatorum reconciliationem; in *templo Salomonis*, propter Dei inhabitationem; in *throno eiuſdem*, propter operis mirificentiam; & Filij Dei, veri Salomonis, in eius vtero requietionem. Dulcis eſſet horum latior explanatio; ſed vitanda eſt prolixitas, & multitudo.

TERTIO præfigurata eſt in viſis, & imaginatis; Vnde inuenitur in his, & huiuſmodi multis præſignata.

Scala, Rubus, Vellus, Fons, Mõs, Arbor Danielis.

Ipſa enim eſt *ſcala Iacob*, cui Dominus innixus, ipſa *Rubus Moyſi*, perpetua virginitate incombuſtus; Ipſa *Gedeonis Vellus*, rore infuſum; Ipſa *Fons paruus*, qui creuit in flumen magnũ; Ipſa *Mons de quo lapis Chriſtus præciſus eſt ſine manibus*; Ipſa præuiſa eſt in *Arbore* Danielis grandi, ſub qua cuncta animalia quieſcebant, in cuius vmbra viuebant: Ipſa enim vita, & ſpes noſtra, in omnibus viſis præfigurata.

QVARTO, præoſtenſa eſt in fœminis, & coniugatis: Nam huius typus fuit omnis mulier virtuoſa, ob interpretationem actus, & alia myſteria: A nullo enim illuſtrium vſquam hæc victa: Vnde in his figurata.

Ecce Virago, Saraq; Rebecca, Rachel, Lia, cũctis. *Gen. 2. 3. 21. 27. 29.*

Verè enim *virago* fuit, & *Eua ſecunda*, ſicut Chriſtus Adam ſecundus, ſerpentis caput cõtritura, & viro Chriſto in adiutorium ſimile ſibi data. Verè deſignata in *Sara*, propter dominij principatum, de qua *riſus humanæ lætitiæ* exortus; In *Rebecca*, propter benedictionem filio impetratam; *Rachel* propter ſpecioſitatem; *Lia*, propter fœcunditatem; In omni poſtremo muliere *bona & forti* deſignata, pro-

pter

ptet laudabilem ſexus probitatem. Has commemorauimus pauculas ex pluribus figuras: vt vel occaſionem adminiſtremus inquirendi cæteras. Inueniuntur enim paſſim multæ traditæ à doctis, & explanatæ latius, præſertim in Marialibus.

POSTREMO non ſolum fuit præfigurata hæc virgo noſtra in tanta rerum varietate; verumetiam in omni temporis qualitate, vt dicitur in verſus fine; *Per omne*: Nullum enim tempus, vel ætas vlla præterijt, quæ eius ignara fuit; quippe quæ, & tempore naturę, & legis ſcriptæ; imò & ſub tempore gratię quodãmodo in Martha, & ſorore eius Maria præfigurata fuit. Et percongruè in omni ſignatur tempore, quæ adminiculatur omni tempori: Nam ipſa eſt, quæ & *temporis naturæ* errorem ſuo iubare profugauit; *legalis temporis* importabile onus ſuo Filio Chriſto mitigauit, & *gratiæ tempus* ſuo partu pleno gratiæ, & veritatis in plenitudine perfecit. O igitur ſignata in rebus cunctis, & tempore omni, fac ne ſimus immemores tui.

MEMBRVM III.

Quod multipliciter hæc Virgo fuerit Prophetata.

V. TE *magni parui*, &c. HIC OSTENDITVR quomodo Beatiſſima hæc luculenter, & multipliciter fuit Prophetata à pluribus: Huic enim omnes Prophetæ teſtimonium perhibuere, & vates; Vno enim ſpiritu afflati omnes, vno fere ore loquuntur de ea omnes. Vbi enim alias (ait Damaſcenus) ponenda ſunt Prophetarum oracula, quam in te ô Maria? Nec enim (vt ait Bernardus) quod paucis eſt mortalium conceſſum, fas eſt credere tantæ Virgini fuiſſe denegatum. Si Iſmahel, Iſaac, Sanſon, Ioſias, Iacob, & Eſau, atque Baptiſta Ioannes, fuere prænunciati: Multo amplius id credendum de Virgine, quę in virtutibus, & præeminentijs ſuperat hos omnes. Et, ſi Deus Angelos præmiſit pro minoribus negotijs; multo magis prænunciat pręconia Virginis Matris per Angelos, & Prophetas. Nam ſi Deus (vt legis apud Amos c. 3.) *Non facit verbum, niſi prius ad ſeruos ſuos Prophetas reuelauerit ſecretum*; indubiè prophetata eſt à cunctis. Ab eximio enim illo prophetarum Adam, vſque ad noui teſtamenti illum Prophetam in Apocal. ſua, Ioannem loquor Euangeliſtam, vix eſt inuenire, qui omiſit prophetare Mariam.

Nam in primis ſummi illi Patres Patrum, non conticuere Mariam: Vix enim PRIMVS ILLE PARENS conſortem ſuam agnouerat, & mox in longinquum de Maria prophetabat dicens, *Hoc nunc os ex oſſibus meis*, &c. Gen. c. 2. deſignãs Chriſtum ex Virgine incarnandum, &
Gen. 24. Eccleſiæ copulandum. Hanc ABRAHAM non neſciuit, dum ſeruum ſub femore iurare compellens, pro Rebecca miſit, &c. Poſſemus ſigillatim ſummorum horum Patrum teſtimonia adducere, & quatuor prophetarum maiorum; ſed veremur longi eſſe.

FVIT ſecundo non ſolum prophetata à magnis; ſed vna ſimul cum magnis hanc prædixere Prophetæ duodecim minores: vt patet diſcurrẽti per ſingulos. Deuotum eſſet aliqua ex ſingulis Prophetica oracula explanare, ſed nolumus prolixi eſſe. Deuotus quidam Beatæ Virgini huic ſe dedidit ſtudio, & miro acumine ſingulorũ teſtimonia Virgini applicuit, docens, quod non ſolum ſinguli locuti ſunt de Maria; ſed quod etiam ſinguli ferè proſequuti ſunt omnia ipſius vitæ geſta, & acta: Sicut Bartholomæus Piſanus, & Bernardinus Buſtis proſecuti ſunt, perſingula; in eorum Mariali deducendo, quomodo à capite vſque in calcem nihil obtigit in Maria, quod non plene explicitum, & prædictum à Prophetis; Genus, nomen, conceptus, ortus, præſentatio, vita, deſponſatio, & cuncta. Ita vt verè concinerit ille Eccleſiæ dulcis pſaltes, *Quod chorus* (inquiens) *vatum venerandus olim cecinit, in Dei conſtat genitrice factum eſſe Maria.*

TERTIO non ſolum à Iudaicis verum, & à Gentium vatibus, virgo iſta fuit prædicta omniũ Saluatorẽ paritura: *Nam & alienigena*, Pſ. 86.
Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic, & vaticinati ſunt de ea omnes. Teſtimonio ſunt Iob, Balaam, & gentium quidam vates. Plures enim prophetias de virgine ſinguli habent. Nam fidus ille IOB, qui labijs ſuis nihil ſtultum contra Deum locutus eſt, dicit, *Habet* Iob 28.
argentum venarum ſuarum principia, & auro locus eſt in quo conflatur, quod non abſurde de Iob 28.
Chriſto, & Virgine exponunt, & infra: *Terra*, inquit, *de qua oriebatur panis*. Et cætera in hũc modum. BALAAM quoque licet *cæca mente, oculo tamen aperto*, apertiſſimas in Virginem hanc intexuit prophetias, prædicens *ſtellam orituram*, & *hominem exurrecturum*, quem cõ- Num. 24.
parant rinoceroti, eo quod à virgine capiendus. Hinc & in ſepulchro cuiuſdam gentilis ſcriptum repetiebatur, *Chriſtus naſcetur de Virgine Maria*, &c. Volunt etiam nonnulli Virgilium Mantuanum, Ouidium Sulmonenſem, & cæteros gentium quoſdam vates in Virginem hanc locutos; Sed nolumus ob id tamen inire certamẽ. Magni ſunt qui negant, magni item qui aſſeuerant. Poſſemus in medium adducere quartam Eclogam Virgilij, & cæterorum Poetarum verſus; Sed remittimus ad Leonardum Vticenſem ad alios item huius Virginis deuotos, qui latè hos deducunt. Sat ſit commemoraſſe nobis, & ſtudioſis occaſionem dediſſe.

QVARTO, quod mirandum magis, ab huius præconijs, nullus eſt ſexus exceptus, nec quidem fœmineus, quamuis vix loqui permiſſus: Tim. 2.
vt patet in decem illis, quas commemorant paſſim, gentium Sybillis, quæ tam planè claréque vaticinatæ ſunt de Chriſto, & eius virginea Matre; vt magis hiſtoriam, quam prophetiam texere videantur. Videatur Beatiſſimus Auguſtinus, de Ciuitate Dei. Videatur item venerabilis ille Hugo Sancti Laurentij Prior, in ſuo de Ouibus, & Paſtoribus, cæterique Doctores, qui latè iſta deducunt, & horum dicta in medium promant. Vaticinia feruntur

harum

Digitized by Google

harum Sybillarum. Exurget mulier de ſtirpe Hebræorum nomine Maria, habens ſponſum nomine Ioſeph, & procreabitur ex ea ſine commixtione viri, de Spirituſſancto Filius Dei nomine Ieſus. Et ipſa erit virgo ante partum, & virgo poſt partum. Item Erythræa Sybilla ait: In vltima Ætate humiliabitur Deus, humanabitur proles Diuina, iacebit in fœno agnus, & puellari officio educabitur Deus, & homo. Poſſent huiuſmodi ob nimiam claritatem haberi dubia; niſi Auguſtinus, Hieronymus, Lactantius allegarent iſta. Non ego auſim dubitare cum ipſi auſint hæc teſtimonia, & perſuaſiones fidei allegare. Nihil nos inde dicimus de vndecima Sybilla, quæ Auguſto Virginem hanc demonſtrauit, cuius nullus meminit antiquorum; ſcrutetur tamen ſtudioſus, vnde dicatur ille locus, *ad aram cœli*, & quidem Satyricus Valla carpit.

Postremo, & ab aſtris ipſis præſignata, & ab Aſtrologis aſtrorum lumen genitura, eſt prænuſa: vt latè deducit Leonardus Viicen. in ſuo Quadrageſimali, & alijs locis: Adducens verba Albumazar, & Hermetis trimegiſti, & cæterorum. De Hermete tamen Trimegiſto, videtur dicere Beatiſſimus Auguſt. octauo de Ciuitate, magis maligno ſpiritu eum afflatum, quam ſpiritu bono vaticinatum. Cui autem dubio fuerit, hanc poſſe aſtris præſignari, legat Tractatum venerabilis magiſtri Petri de Aliaco, de veritate Aſtrologiæ, & videbit non hoc abſurde dici; licet contra ſentiant alij. Vnde & inclamatur in eam, in libro, qui inſcribitur Ouidius de Vetula, (licet iuxta quoſdam credatur eſſe Principis Vaſtaſij) inclamatur inquam hoc modo. *O Virgo fœlix, ò Virgo ſignificata! Per ſtellas vbi ſpica nitet, quis det mihi tantum Viuere, quod poſſum laudum fore præco tuarum. Munda quidem, magnque animi, magnique decoris, Pluris honeſtatis.*

Sed hæc conſulto tranſimus; Quibuſdam pro aſſerto opinantibus, quod myſterium noſtrę reconciliationis, nil habeat in cœlo. Quod tamen venerandus Gerſon explanans ait, cui principaliter tanquam fidei intendendum. Et hęc de prophetatione Virginis huius.

MEMBRVM IIII.

Quam multis, & ſublimibus rebus ſit comparata.

VI. Par *cœlis*, &c. Hoc iam quarto oſtenditur quantis, & quam ſublimibus rebus noſtra Virgo ſit comparata; *In manibus enim Prophetarum eſt aſſimilata*, & in ſcripturis rebus diuerſis comparata, de quibus lata poterit ſumi meditandi materia; ſed à nobis paucis tangenda. In primis itaque inuenitur comparata *cœlo*, & rebus cœleſtibus. Nam etſi cœlum eam vocemus, altior eſt; gremio ſuo complectens, quem cœli cœlorum capere non poſſunt. Rebus quoque Cœleſtibus adeo ipſa Cœleſtis tota comparata, vt nihil ſit in eo cui non ritè aſſimiletur: vt latè declaratur in ſeptimo libro Marialis, qui totus agit de iſto, oſtendens quibus ex cauſis, & proprietatibus, cœlo, & cœleſtibus comparetur. Oſtendens, quòd ipſa ſit,

Cœlum, Firmamen, Sol, Lunaque, Sydus, Orizon.
Lucifer, Aurora, Diluclum, Mane, Dies Lux.

Comparatvr quoque *Secundo* terræ: quippe de qua factus eſt homo Chriſtus, in qua naſcitur aurum, & veritas eſt exorta, &c. & rebus terreſtribus vt latè deducitur vbi ſupra in Mariali libro Octauo. Non quod aliquid habeat de terreitate; ſed quia conuenit in virtutum proprietate, Videatur ibi. Pſ. 84.

Tertio vt manifeſtius, & plenius pateat, quòd nihil ſit in rerum natura, quod huic Virgini non in aſſimilatione deſeruiat, Aſſimilata eſt rebus vniuerſis, non ſolum prædictis *eſſe* tantum habentibus; verum etiam *viuentibus* rebus quomodolibet etiam vita vt plantis, floribus, & arboribus. Et huiuſmodi comparationibus plenæ ſunt ſcripturæ, & deducuntur in vltimo libro Marialis.

Qvarto etiã comparatur rebus, & eſſe, & viuere inſuper, & ſentire habentibus, vt amantibus irrationalibus: Columbæ, turturi, & auibus, Rinoceroti, oui & alijs nobilibus animantibus, vt declarat auctor Marialis.

Postremo etiam aſſimilatur rationalibus; hominibus ſcilicet & Angelis: Et quid mirum ſi Angelis comparetur, cum longe eos ſuperans, Angelorum Domina ſit, & etiam eorum Domino ſocietur? Hæc breuiter de aſſimilationibus tetigimus, vt materiam adminiſtremus meditari volentibus, de quibus ſex ſunt libri pleni Marialis, perſtricti ſuis verſiculis. Vnde nihil hic proſequendum nobis; niſi vt virginem tam digniſſimis comparatam, dignis veremur officijs. Et hæc de Virginis ortum antecedentibus.

MEMBRVM V.

De conceptione huius Virginis.

VII. *Iuſtis effectis*, &c. Post iam huius Virginis ortum antecedentia. Videndum eſt de ipſa *conceptione Virginea*, & ſub vno verſiculo, contexemus plura circa eius conceptum meditabilia, puta à quibus, qualiter, & quando, & quomodo concepta breuiter tangendo ſingula.

Et primo dicitur quod concepta ſit de parentibus *iuſtis & Sanctis*, Ioachim ſcilicet & Anna, qui (vt deſcribit Hieronymus) erant incedentes in omnibus mandatis Domini, & legis iuſtificationibus, quorum ſubſtantia partita erat tribus partibus, &c. vt latè deſcribit. Hinc congratulando

Vir-

Digitized by Google

Virgini quidam dicit,

Es tu de ſanctis, ô Virgo, parentibus orta,
Regali de ſtirpe David, de ſanguine claro.

SECVNDO non ſolum Sancta Sanctarum concepta eſt de parentibus Sanctis, Sanctorũ omnium Sanctum genitura; ſed & *de ſterilibus* mirificè eſt concepta; ſtupor, & monſtrum, mirificè ſuum conditorem paritura: vt ſic inſinuaretur, gratiæ eam magis, quam naturæ filiã fore; de quorum parentum ſterilitate, qui plenius ſcire volet, hiſtoriam legat.

TERTIO, non modo à Sanctis, & mirabiliter eſt concepta; ſed & *per Angelicã annunciationem*, & diuinam repromiſſionem eſt conceptio eius prædicta, vt Damaſcenus ait tertio libro, & teſtatur hiſtoria eius. Quemadmodũ

1.Reg.1. enim (ait Damaſcenus) venter Annæ ſterilis exiſtens per votum, & repromiſſionem peperit Samuelem; ita & noſtra Anna per preces, & repromiſſiones à Deo affert Dei genitricem. Et probè eſt annunciata, vt à nullo illuſtrium ſit victa. Congruè pronunciatur Mater, & aurora, vbi præcinitur ſeruus, & lucifer Iohan. Baptiſta.

QVARTO conceptio hæc fuit *temperanea*, id eſt, congruiſſimo in tempore facta: Nam vbi nox finiti habuit, aurora exoriri debebat, & appropinquante plenitudine temporis, carnalem plenitudinem profuſuram concipi congruebat, &c.

POSTREMO fuit huius conceptio dignè facta, quia optimè qualificata: Nam (vt paſſim colligitur) talis erat conceptus virginis huius memorabilis, & memorandus,

Excellens, mirus, bonus, & lætus, quàm purus.

Primo inquam *excellens* fuit conceptio Virginis huius, præ conceptibus vniuerſis: Non enim ſic conceptio Adam, & Euæ in initio; non ſic cæterorum in progreſſu, & medio; non ſic, & demum priuilegiatorum puta Hieremiæ, Iohannis Baptiſtæ, & ſimilium in termino.

Rom.9. Nam ſuperat vniuerſos, ſolus præſtat conceptus Filij eius, cui merito palmam damus, quippe, qui ſuper omnia eſt benedictus De⁹.

Deinde, mirabilis fuit conceptio Virginis huius, non ſolum ex parentibus ſterilibus, ſed etiam ex ſubſequentibus effectibus, & modo conceptionis: Naturæ enim iura mutantur, & quæ ante facta non fuerant patrantur, & quæ hactenus ſteriles, prole dotantur, &c. *Tertio* autem quam *vtilis* fuerit conceptio, huius non facilè eſt qui edicat: Hæc enim, & immundos noſtros conceptus emundat; naturæ opprobrium aufert, & reſtituit in priorem; imò maiorem dignitatem. *Quarto lætus* conceptus iſte fuit; quippe qui cœlis, lymbo, & terris non paruam lætitiam inuexit. Hinc Maria Brigidæ dixit: Hora, inquiens, in qua ego concepta fui, merito vocari poteſt aurea hora, & pretioſa; Nam tunc incepit principium ſalutis omnium, & tenebræ quaſi feſtinabant ad lucem. Deus namque quoddam ſingulare, & à ſæculo abſconditum facere voluit, quemadmodum olim in virga arida floreſcen-

Num.17. te fecit; vnde ortum eſt gaudium ſummum, &c. *Poſtremo* digniſſimè, atque *puriſſime* concepta fuit ſine ſcilicet macula originalis peccati, quanquam magna de hoc inter Doctores ſit controuerſia, atque ſententia anceps: Alijs propter ſacræ ſcripturæ, quæ hoc ſonare videtur, auctoritatem, hanc in originali conceptam aſſerentibus; alijs è contra illam à generalibus ſcripturæ regulis, quæ hoc ſonare videntur, exceptam tenentibus; ſicut manifeſtè excipitur ab eo, quod vniuerſaliter dicitur de omnibus mulieribus, Gen. c. 3. *in dolore paries filios*, item, *multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos.* Item ab eo, quod dicitur, *puluis es, & in puluerem reuerteris*, & huiuſmodi mul- Ibidem. tis, quæ tamen tranſimus, quoniam non eſt noſtrum de Doctorum iudicare opinionibus. quamquam illa nobis magis placeat pro pietate, & virginis reuerentia, quæ in originali eam conceptam negat: Horremus enim mulierem, quæ ſerpentis contrituta erat caput, aliquando, ab eo contritam; atque diaboli filiam fuiſſe Matrem Domini fateri; Inſuper, & Dominam Angelorum, ſeruam fuiſſe peccati; atque amantiſſimam Dei Patris filiam, filiam quandoque fuiſſe iræ. Rationes Eph. 2. quoque Doctorum; qui de hac materia ſcripſerunt, breuitatis gratia tranſimus, ad illorum libros lectores remittentes. Copioſa ſiquidem, & fortia ſupra hoc ſudata ſunt à multis & magnis, præſertim contra vincendum illum, & iam deuictum Vicentium inimicum pietatis: Interim digniſſimam atque puriſſimam virginis conceptionem, laudantes atque confitentes, ſicut latius in Roſario de feſto Conceptionis virgineæ eſt proſequutum.

MEMBRVM VI.

De læta, & mirifica eius Natiuitate.

NAta alte, &c. HIC IAM poſt con- VIII. ceptionem Virginis in vtero, agitur de læta eius, & mirifica *natiuitate* in mundo, & qualitas natiuitatis eius deſcribitur. PRIMO vt alta, *& nobilis:* Nobiliſſima enim fuit, altis orta natalibus, generoſis exorta parentibus, nobilior moribus, præſtans claris vniuerſis.

Nam quid nobilitas, quid clarum nomen auorum,
Si ſeruus vitijs factus es ipſe tuis?
Nobilis eſt ille, ſi quis virtute refulget:

Sicut creditur de Virgine in conceptu, & Natiuitate. Putat enim Bernardinus hanc inſtar Baptiſtæ ratione præuentam, &c.

SECVNDO *commoda*, & vtilis hæc Natiuitas mundo fuit, noſtræ ſalutis dans initium; dum officinam peperit, in qua ſalus noſtra operanda; Generationis quoque humanæ abſtulit opprobrium, dum ſine peccato Virginem duxit in mundum; Spem quoque ſubleuauit, & tenebras profugauit, & velut noua lux orta, ſuorum meritorum, & exemplorum radijs illuſtrauit (vt Eccleſia gratulabunda canit) mundum vniuerſum.

TERTIO læta fuit, & *gaudioſa*, vt patet ex gaudentium in ea varietate: Vnde Eccleſia

dicit

Digitized by Google

dicit, quod nunciet gaudia mundo; Et verè varij in ea gaudent, magis quam in præcurſoris Natiuitate: Gratulatur nempè Deus, nobiliſſimam videns productam puram creaturã, lætatur quippe in operibus ſuis; Gaudent *an-* Pſ 103. *geli* videntes ortam eorum reparatricem; *Patres* in lymbo ſperantes libertatem; *Mundus* denique profuſis gaudijs exultat omnis, tam lætam ſuſcipiens prolem, Initium, (vt Brigidæ ipſa dixit) verorum omnium gaudiorum.

QVARTO mirabilis, & *ſtupenda:* Non enim minus ſtupendè nata, quam concepta; Imò ſtupor, & mirabilia contigerunt in natiuitate iſta. Nunc enim mirabiliter de mirabilibus, quia ſterilibus parentibus mirabiliſſima producta eſt Maria, planè vas mirabile opus excelſi, monſtrum, & miraculum in natura, Eccl.43. in qua tot, & talia congeſta ſunt mirabilia, vt ea nulla capiat intelligentia.

Et propter hæc omnia *poſtremo* conuenientia, merito eſt eius natiuitas à cunctis *venerandi*, & ob id percongruè ab Eccleſia celebrabilis inſtituta, feſcenninis, (vt monet Damianus) cantibus decoranda, & in ea paruulę huius puellæ crepundia deuotè adeunda, eius auxilia imploranda; quippe, quæ ſancta antequam nata. Satis ad id in ſuo ſermone monet Petrus Damianus; Et in nobili genethliaco eius nobilis Poeta; vnde non ſunt hic plura dicenda à nobis; niſi vt cum paruula nos renaſcamur, & eius nos ſemper patrocinijs commendemus; vt latius in Roſario Natiuitatis explicatum.

MEMBRVM VII.

De præſentatione Mariæ in Templo, & de congrua præſentationis ratione.

IX. OFfertur ſcandit, &c. HIC AGITVR de Mariæ in templo *præſentatione*, & congrua præſentatione. Ita quod primum narratur hiſtoria, & deinde ſubnectitur oblationis congruitas, & cauſa. PRIMO itaque *offertur*. Completo enim ablactationis tempore, poſt triennium (vt aiunt quia tam diu lactare pueros, moris erat Iudæorum) Tunc ſancti parentes, filiam ſanctiorem iuxta quod venerantur in ſanctiſſimum orbis templum, cum ſacris oblationibus Deo obtulere, Virgine ſacra ſeſe etiam offerente. Vnde patet quam hæc oblatio fuit Sancta.

FVIT SECVNDO etiam *mirifica* non ſine miraculo facta: Nam (vt teſtatur Ephiphanus Sanctus.) Virguncula ipſa ſacra, mirabiliorum operum patratrix futura, quindecim templi gradus ſe ſola, ac ſi perfectæ fuiſſet ætatis ſcandit, & aſcendit; Ita vt quod negatum eſt naturæ hoc virtutum agit iure, & poteſt ex gratia. Et rectè; Erat enim ſupergreſſura omnes omnium beatorum ſtatus, Nouem ſcilicet ordines Angelorum, & ſex ordines Sanctorum, Patriarcharum, videlicet, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum, dicente Salomone: Prou. c. 31. *Multa filiæ congregauerunt diuitias, tu ſola ſupergreſſa es vniuerſas.* Ita quod mirificus is virgunculæ aſcenſus, non ſolum erat miraculum; ſed etiam grandis eius perfectionis oraculũ & Sacramentum. Nec hoc incredibile putandum cuiquam de Dei matre, cũ legamus plures alios Sanctos præuentos donibus gratiæ ſingularis, etiam tempore pueritiæ, & inter ortus ipſorum primordia: vt patet de Sanctis, Seruatio, Nicolao, & huiuſmodi. &c. Quod ſi hoc pie creditur de gregarijs Chriſti Sanctis, quod non credendum de eius Matre, quæ à nullo vincitur (omniũ confeſſione illuſtrium) ſed ſuperat vniuerſos?

NVNC conſequenter oſtenditur, quam hæc præſentatio facta eſt *congruenter:* Nã ſic Sancti Parentes ſanctum, quod fecerunt, votum impleuerunt; angelico præcepto, qui hæc prænunciauerat, & mandauerat, paruerunt; Ac figuras eius prænuncias compleuerunt; Iuſſũ enim ſub huius præſentationis typo erat, Patali.35. *Ponite arcã in ſanctuarium templi, quod ædificauit Salomon:* Quæ alia hæc arca, niſi virgo Maria? Sic etiam Dauidis prophetia impletur; quia *in templo medio miſericordia*, & miſericordiæ Regina ſuſcipitur, Pſ.47.

QVARTO dicitur, quod hoc erat decentiſſimum, vt prælecta concipere Dominum templi, in ipſo templo conſecraretur: Decebatq; eam (ait Hieronymus) nullis vſibus eſſe mancipandam, niſi diuinis, & diuino cultui deſeruire, quæ Deum erat paritura. Et *domum Dei* (teſte pſalmiſta 92.) *decet ſanctitudo.* Decuit- Pſ 92. que, vt tantus theſaurus, loco congruo reponeretur, & vt ait quidam,

Neue illi teneros leuibus contingeret annos.
Commaculare notis, arce repoſta fuit.

Patet ergo decentia grandis.

POSTREMO, & ideo congruè facta eſt eius in templo præſentatio, vt relinqueretur poſteris ædificatio, & exemplum ſimilia faciendi; vt ſcilicet diſcerent Sanctorum parentũ exemplo parentes, ſuas à tenebris ſoboles, etiam amatiſſimas, Deo offerre; diſcerent pueri, & puellæ ſacræ ſobolis exemplo, maioribus in hoc parere, & ab adoleſcentia iugum Domini ferre, templi frequentare limina, & viuere vi- Tren.3. ta Deo digna, &c. Quoniam itaque præſentatio tam Sancta fuit, & mirifica, tam congrua, exemplaris, & commodoſa; Ideo à multis poſteris his diebus, dies eius celebratur, & agitur de ea feſtiuitas ſolennis, & glorioſa, ex inſtitutione, ſ. Pauli II. Pontificis Maximi, ad inſtantiam Principum Thuringorum; & quorundam Diœceſanorum, quæ iam longè celebris fuerat apud Græcos, vt patet ex eorum Kalendarijs, vel regiſtris, vt vidi. Et optimo quidem iure. Nam ſi tantam (vt dicitur in Bulla) ſolemnitatem egit Dauid pro redu- 2.Reg.6. ctione de domo Obededon, in ciuitatem ſuam Arcæ materialis; qualem quantamque conuenit, agi feſtiuitatem, in præſentatione Arcæ huius rationalis, &c. Crebro igitur huius præſentatio ad mentem reuocanda, ſtudioſè imitanda, deuote feſtiuitas eius agenda, & ſolenniter Sancta Trinitas, & Virgo hæc laudanda, propter plurima in ea facta miabilia, & myſteria completa. O igitur

tu pręſentata in templo materiali, da ita retractemus pręſentationem tuam in templo cordis noſtri ſpirituali, quo tandem tibi præſentemur in templo ſupernali. Amen.

MEMBRVM VIII.

De progreſſu vitæ, & conuerſatione eius in Templo.

SIc vixit, &c. IN HOC verſiculo tangitur de vitę *eius progreſſu*, & eius in ſancto templo conuerſatione ſacra. Quæ tametſi omnium etiam eloquentiſſimorum excedat eloquia; paucula tamen pro fouenda piorum deuotione ad virginem hanc, balbutientium more ſunt tangenda. ET IN PRIMIS hoc in genere dicimus, quod optimo viuendi genere vixit, & ordinatiſſimè ſe habuit, vita vtraque perfectiſſima fuit; tam actiua ſcilicet quam contemplatiua. Optimo inquam viuendi genere vixit: Adeo vt vnius eius conuerſationis perfectę exemplum omnium ſanctiſſimorum, etiam quorumque, vitas faceret apparere peccatum. Nulla enim (Hieronymo teſte) extat virtus, cuius in ea non fuerint veſtigia; imo potius exemplaria ipſa. Bona autem vita, (vt vult deuotus huius Virginis laudator Bernardus) eſt bona agere, & mala pati, quæ vtraque quam in Virgine hac effulſerint, eſt quin videat nemo.

At ſi iuxta eundem bene, & optimè viuere, eſt humiliter, ordinatè, diſciplinanter, & perſeueranter vitam agere, quis non huius perfectionem mox intueatur? Humillima enim erga Deum fuit; adeo vt etiam Dominus humilitatem reſpexerit eius; poſt Chriſtum nullus humilior illa: Quam autem ad omnes proximos; ſcilicet maiores, & minores, ſe habuerit ordinatè, qui noſſe velit; Ambroſium ſecundo de virginitate legat; *Eius* enim (vt ait) *hoc ſummum erat ſtudium, Nullum lædere, bene velle omnibus, aſſurgere maioribus natu, æqualibus nō inuidere*, &c. Quam autem ad ſe diſciplinate vixerit, latius proſequitur ibidem. Dicit enim, *Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum. Non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior; vt ipſa corporis ſpecies, ſimulachrum fuerit mentis, figura probitatis.* Huius qui plenius cupit noſſe ordinatiſſimam & virtutibus plenam conuerſationem, legat Ambroſium vbi ſupra, & inueniet, tanquam in imagine egregiè (etiam Auguſtino in quarto de doctrina Chriſtiana teſte, ab egregio, & graui oratorio viro) deſcriptam. Planè digna verba, tenaci memoria retinenda, crebrius ruminanda, & imitanda opere. Luc. 1.

Quod ſi integrius quis, quàm etiam quoad tempora ordinatiſſimè vixerit virgo iſta, nihil caſu aut fortuito agens, ſcire deſideret, ille Hieronymum in Epiſtola ad Cromatium & Heliodorum presbyteros legat, ait enim: *Hanc regulam ſibi ſtatuit, vt à mane vſque ad tertiam orationi inſiſteret. A tertia vſque ad nonam, operi manuum vacaret, notanter textrino, ad templi ſcilicet ornatum. A nona vero vltra ab oratione non recedebat, quouſque angelus apparens ei eſcam daret: Dominum ſine intermiſſione benedicens. Cuius ſermo ita erat gratia plenus, vt in lingua eius cognoſceretur Deus. A cuius laude; ne forte aliquando ceſſaret, ſi quis eam ſalutabat, pro reſalutatione, Deo gratias reſpondebat. Vnde ipſa primum exijt, vt dum ſalutantur homines, Sancti, Deo gratias, aureum verbum dicant.* Quod & pater Auguſtinus in conſuetudinem cum ſuo clero, inſultantibus hæreticis habebat.

QVOMODO autem omni perfectione, ſiue contemplatiuę, ſiue etiam actiuę vitæ pollebat, Hieronymus ſuper *Miſſus eſt* tangit, & latius in ſecundo ſuo libro de laudibus eius Dionyſius explicat Carthuſienſis, & alij, qui ſcripſere de laudibus eius. Non poſſumus adducere cuncta. Satis quàm in contemplatiua perfecta fuerit, edocet Euangelium, *Miſſus eſt*, quo Angelus ad eam ingreditur. Satis item actiuæ eius perfectionem explicat Euangelium *Exurgens abijt*, & cætera, quo ad Eliſabeth ipſa egreditur. O igitur vita tam ſacra, ordinata, & vſquequaque perfecta, trahe nos in odorem vnguentorum tuorum, vt vel tenuiter imitemur conuerſationis tuæ exempla. Luc. 1. Cant. 1.

AT NON ſuffecit virgini, quod ſic vixiſſet ſanctè cōmuniter cum cæteris, niſi & perfectior ipſa, aliquid adiecisſet præ cæteris: Hinc vt magis magiſque ſuam ſtabiliret ſanctitatem, ante omnes, quod inſolitum ætati illi, vouit Deo ſuam virginitatem; vt nemo eam vinceret illuſtrium, & nihil quod perfectionis erat, ab ea eſſet relictum. Teſtatur hoc in libro de ſancta virginitate Auguſtinus; Scribit hoc in tertia parte ſummæ Sanctus Doctor Aquinas; concurrunt ferè in hoc omnes. Quomodo autem, & quando vouerit, qui plenius ſcire volet, ille Doctorem, aut certè Raynerium legat in ſua Pantheologia; vbi declarat quomodo virginitatem habuerit, pro temporum diuerſitate, in deſiderio, facto, & complemento: Ante enim annunciationem Angelicam, in deſiderio habuit, vt ait ille, & vouerat ſub conditione; ſcilicet ſi Deo placeret: At vbi de hoc ab Angelo iuſtructa fuit, de facto vouit; Poſt autem ſumpto Ioſeph vtriuſque conſenſu in complemento fuit. O igitur, quæ omnium prima votum emiſiſti virginitatis, conſerua in nobis inuiolabilem gemmam caſtitatis.

ET QVIA paucis non poteſt complecti, totum huius virginis ſacrarum exercitium, tanguntur in ſequentibus tria præcipua exercitia, in quibus eſt contemplationis vitæ complementum. Nam, & Bernardo teſte, tria hæc ſunt quaſi contemplationis ſcala, & progreſſio, ſcilicet lectio, meditati, & oratio, de quibus ſingulis iuuat annotare pauca. Dicitur ergo volenti ſcire, quid Maria in templo egerit: vt taceamus, quæ hiſtoriola de actiua vita enarrat quomodo ſcilicet opus manuale effecit, cum omni virtutū incremento; adeo quod omnibus admirationi fuit profecerit, & pręſertim contemplatiuæ vitę ſe

dediderit, tres eius gradus ſtudioſius exercens. Omni enim tempore (Hieronymo teſte) aut lectioni, aut meditationi, vel orationi operam dabat. Hinc dicitur in verſu *diſcit*, id eſt ſcripturis ſacris ſtudioſius inſiſtit. Erat enim, vt Hieronymus ait, *In vigilijs prior*; & vt Ambroſius annectit, *loquendi parcior, legendi ſtudioſior: Scripturas præſertim de aduentu Chriſti, frequenter legens, & amplexans; adeo vt cum quieſceret corpus, vigilabat animus, qui frequenter, & in ſomnis lecta repetijt, aut ſomnio interrupta continuauit.*

NAM & putatur, quod ſomnus, qui in nobis inabyſſat, & ſepelit rationis vſum, in ipſa continuauit meritorium actum, quæ ex ſententia dicit, *Ego dormio, & cor meum vigilat*; (*Cant. 5.*) licet contra ſentiat Gerſon, quod mens aliquando ceſſabat ab actibus ſuis. Vnde nimirum erat, & *in carminibus Dauidicis elegantior, & in omni ſapientia legis Dei eruditior, amica ſemper ſecreti ſciens illic non eſſe ſolam, cui tot adtrans libri.* Hic iam ſe copioſa materia offerret diſputationis, de ſciētia Virginis huius; de qua remittimus ad Albertum Magnum in ſuo de Laudibus, qui eam cunctiſcientem concludit; vt de ſingulis ſcibilibus deducit. Hoc ſolum commonentes, vt memores ſtudioſitatis virgineæ, eam ſectemur in hac virtute.

ASCENDEBAT deinde tanquam virgula fumi, (*Cant. 3.*) in gradum contemplationis altiorem non ſolum ſtudioſè lectitās ſcripturas; ſed ſtudioſius eas meditans, conſeruans, & conferens eas in corde. Et inde euenit (iuxta Ambroſiū) (*Luc. 2.*) vt ſollicitius deliteſceret domi in penetralibus ne quis obſtreperet, ne quis abrumperet intentionem, aut contemplationem, fixæ eius apud Deum mentis; vnde neque *comites fœminas deſiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat.* Qualibus autem cogitationibus, aut meditationibus, hæc virgo prudentiſſima intenta erat, qui ſcire volet, Gerſon ſuper magnificat, & in Canticordo ſuo legat: Vbi deducit quomodo omnem ſecum Euangeliorum veritatē in corde conferebat, & veteri paginæ compa- (*Mat. 13.*) (*Cant. 7.*) rabat, proferens velut doctiſſima ſcriba, de cordis ſui theſauro, noua & vetera, illud Canticorum in veritate dicens, & ex ſententia, *Omnia poma noua, & vetera dilecte mi ſeruaui tibi.* Qui autem quam in cōtemplationis pefectione excesſerit noſſe deſiderat, ille Dionyſium Carthuſien. in 2. libro ſuo de Laudibus huius Virginis videat. De qua & Vbertin⁹ piè opinādo tenet, quod adeo eius mens, præſertim poſt conceptum Filij Dei, in hac ſtabilita fuit, quod ſine aliqua interruptione, in contemplationis actu & guſtu perſtabat. Et in hoc ſupra modum omnis alterius creaturæ; citra tamē beatificam viſionem, ſine impedimento, & defectu. Quamquam id non omnibus æquè confeſſum: Non enim magni æſtimat Gerſon argumenta, quæ ſumuntur ex potentia, & decentia; vbi non ſubſunt grauiora probamenta. Sed ſcholaſticis diſputationibus hæc relinquenda. (*Luc. 2.*) Hoc ſaltem nos ex hoc articulo diſcamus; vt eius exemplo verba Domini mente ſeruemus, & ea corde conferamus: vt ſic inter munda animalia deputemur.

POSTREMÒ, præcipuum eius, quod in templo agebat, opus erat quod inſtantius Deū orabat: quippe, quæ domum Dei domum orationis ſciebat, & quod Deus pro donis ſuis orari volebat. Hinc etiam mediis noctibus ad orationem (vt aiunt) ſurgebat, & vt beatæ Eliſabeth ſanctimoniali dicebat, quod magno labore, continua oratione, ardenti deſiderio, profunda deuotione, multis lachrymis, & multa afflictione, ſe coaptauerat Deo, tria præcipuè ſemper orando.

Vt ſcilicet { Eius voluntatem noſceret, Cognitam perficeret, Gratiam genus humanum inueniret.

Omni ſe gratia reputans indignam; adeo vt ſe, vel vltimam illius, quę ſaluatorem mundi paritura foret, excuperet poſſe fieri ancillam. Et verè oratio humiliantis ſe penetrauit nubes, & dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus eius dedit odorem, & inuenit gratiam. *Septem* autem in ſumma iugiter (vt dictę Eliſabeth reuelauit) petebat, ſtans ante altare templi, ſub medio noctis, quæ comprehenduntur verſiculis iſtis, (*Eccl. 35.*) (*Cant. 1.*)

Poſcit, amet Dominum, fratrem, fugiat, placeat, plens.

Quo videat, pareat, mittat, ſic valde laborans.

Primo, omnium, ex toto corde petebat gratiam, qua poſſet implere Diuinæ dilectionis præceptum; ipſum ſcilicet diligere ex toto corde ſuper omnia, &c. *Secundo*, petebat gratiam, qua poſſet diligere proximum ſecundum voluntatem Dei, & eius beneplacitum, & vt faceret eam amare omnia, quæ ipſe diligit & amat; *Tertio*, poſtulabat, vt eam faceret odire, & fugere omnia, quæ ipſe odit præſertim omne peccatum. (*Mat. 5.*) Sic enim ipſa interpretabatur dictum illud, *Habebis odium inimicum tuum.* *Quarto*, petebat humilitatem, patientiam, benignitatem, & manſuetudinem; & breuiter virtutum omnium plenitudinem, quo gratioſa efficeretur, & complacere poſſet ante conſpectum Diuinum. *Quinto*, inſtantius orabat, vt faceret eam videre tempus, quo naſceretur Beatiſſima illa Virgo, quæ Dei Filium parere debebat, & vt vel nouiſſima in illius obſequio fieri poſſet. *Sexto*, poſcebat gratiam obediendi mandatis, & ordinationibus Pontificis templi, & omnium ſuperiorum, æſtimans in obedientia conſiſtere legis perfectum. *Septimo*, petebat cum Moyſe, vt mitteret quem miſſurus eſſet, (*Exo. 4.*) miſertus totius generis humani, obſecrans, vt & templum, & vniuerſum populum, ad ſeruitium ſuum conſeruaret, & ſeipſam ſibi gratificaret, quæ ſemet omnibus indigniorem reputabat. Subnectens, ſe nihil virtutum præter gratiam ſanctificationis, ſine multo ſudore, & afflictione habuiſſe: pro maxima affirmans, quod *nulla gratia deſcendit in animam, niſi per deuotam orationem, & grauem corporis afflictionem.* Et ſic homine faciente, quod eſt in ſe, Deus præuenit, & ſupplet quod non poteſt ex ſe. Hæc iam latius tetigimus de exercitatione Virginea; ſed iam conſultius ſilendum putamus, ne ſi plura

dixe-

Digitized by Google

dixerimus, putemur velle effari, quę effacu impoſſibilia. Talis enim & tanta fuit Maria, vt eius vnius vita omnium ſit virtutum diſciplina; & cunctorum viuentium ſupergrediens, quātumuis etiam garrula ora. Sat igitur ſit dixiſſe de eius vita, imploremus eius auxilia, vt ſequamur conuerſationis eius viuida exempla.

MEMBRVM IX.

De mirifica, & congrua huius Virginis deſponſatione.

HInc ſponſata, &c. Viso de ſacra ſacratæ Virginis conuerſatione, videndum eſt de mirifica & congrua eius *deſponſatione*, qua ſancto Ioſeph deſponſata fuit, haud dubium, quin Spiritus ſancti ordinatione. Deſponſata inquam *mirabiliter*, grandi miraculo, per virgarum manifeſtationem: vt dicitur in hiſtoria; Deſponſata etiam fuit *veraciter*, vero ſcilicet Matrimonio interueniente cum ſancto Ioſeph quod perficitur per verum in inuicem conſenſum; etiam ſine carnis copula: vt in libro de Bono nuptiarum probat pater Auguſtinus; Et illuſtris magiſter Hugo de ſancto Victore in opuſculo, quod deſuper ſcripſit. In quorum matrimonio eſt inuenire omne nuptiarum bonum. Prolem; ſcilicet Ieſum; Fidem, quia nullum fuit admiſſum adulterium; Sacramentum, quia diuortium nullum; ſed fuit fœcūditate, & virginitate conſummatum, vt latius in ſcriptis Doctorum. Qua autem ætate hæc deſponſatio ſit facta, licet Dominus Alber. videatur velle circa vigeſimum quintum annum eius, tamen argumentationem reuerenter confutans, Dionyſius, ait probabilius, quod circa decimum quartum. Sic enim nuptui tradere iuniores moris erat Iudæorum, &c.

Secvndo, proponitur *cui* ſit deſponſata, attendendum, quia nō paſſim cuilibet gregario, ſed *viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo David* legitur copulata. Cuius textus verba, & ſi ſint paucula, myſterijs tamen ſunt referta. Notat enim hic *vir*, non tam ſexus diſcretionem, quàm virtutū virorem; ita quod viruerit virilitate quatuor virtutum cardinalium, exiſtēs. ſ. *vir* per conſtantiam fidelitatis, quoad iuſtitiam, per virtutem caſtitatis, quoad temperantiam; per excellentiam diſcretionis, quoad prudentiam; per ſtrenuitatem operationis, quoad fortitudinem. Sic etiam additur, *Cui nome erat*, propter notitiæ explicandam famoſitatem; vt ſcilicet ſic iuſtus apud Deum, & homines monſtretur, cuius nomen tāquam in libro vitæ ſcriptum, in Euangelio tam ſignanter exprimitur, vt notus Deo, & hominibus inſinuetur, qui teſtis Beatiſſimæ virgini adhibetur; vt nomen eius dignè in memoriam hominum vertatur, qui in patrem Dei aſſumitur. Et percongruè etiam ſponſus *Ioſeph* dicitur, tum propter myſteriorū, in nomine clauſorum profunditatem, præfigurationis congruitatem, & nominis interpretationem, de quo latius poſſemus dicere, ſed forſan ſpecialius de Ioſeph infra dicemus, vbi Roſarium ponitur de honoribus eius. Sic etiam dicitur *de domo David*, non tantum propter ſucceſſionem generis; ſed magis ob imitationem virtutis, de cuius infra agetur nobilitate generis. *Faber* etiam officio congruè erat, qui Eccleſiæ ædificationem, & veri fabri nutritionem, ſuo officio perfecturus erat. Sic ergo & tali fuit deſponſata.

Luc. 1.

Et hoc ex multiplici congruenti cauſa. Quarum *quadam* ſumuntur ex parte ipſius Virgnis, & ſunt quinque complexa in quinque huius verſiculi dictionibus.

Fama cadat, pœna, ſoletur, roboret omnes.

Id eſt, *prima* cauſa ex parte Virginis fuit, ſecundum Ambroſium ne grauida apparens infamaretur, & ideo ait, permiſit Dominus, vt potius de ſuo ortu, quam de Matris pudore dubitaretur. *Secunda* ſecūdum Hieronymum, ad vitationem pœnæ; ne ſcilicet tāquam adultera à Iudæis calumniaretur, & ſic quaſi iuſtè lapidaretur. *Tertia* ſecundum Hieronymum, & Origenem ad ſuſtentationem ſolatij, vt ſcilicet viri miniſterio; & ſolatio, & maximè in Ægyptum fugiens, & inde rediens, & in cunctis frueretur. *Quarta* ſecundum gloſſam ad corroborationem fidei, ſcilicet vt Marię verbis maior fides adhiberetur: Innupta enim prægnans mentiri videtur, nec ei, ſi ſe diceret virginem, crederetur. *Quinta* ad participationem ſtatus cuiuſlibet; vt videlicet Mater Domini haberet aliquid cuiſlibet ſtatus; ſcilicet virginitatis, matrimonij, viduitatis. Et hæ cauſæ ex parte Virginis.

Qvarto dicitur in verſu, *Natum*, id eſt, quod aſſignantur, & totidem rationabiles deſponſationis cauſæ, ex parte prolis, quæ hoc verſiculo patent,

Subtrahat, affirmet, tollenſque, neceſſe typum det,

Prima, propter ſubtractionem ſuſpicionis: Ne ſcilicet à legis iniuria incœpiſſe videretur; cum partus innuptę lege damnetur. *Secunda*, propter declarationem originis, & affirmationem veritatis: Vt per vterum eius genealogia deſcriberetur, & viro teſti crederetur. *Tertia*, propter ablationem occaſionis, ne ſcilicet Herodes, & Iudæi, Chriſtum, quaſi de adulterio natum, iuſtè perſequi viderentur, & ab infidelibus tanquam illegitimis abijceretur. *Quarta*, propter ſuſtentationem pueri, vt ſcilicet à Ioſeph nutriretur, & educaretur, *Poſtremo*, propter occultationem Natiuitatis Chriſti; vt ſcilicet myſterium & partus Filij Dei, diabolo celaretur; & ſpirituale Matrimonium ſignificaretur. Et hæ ex parte prolis.

Dicitvr postremo in verſu. *Simul ob nos*. Nam. & æquè totidem eſt reperire cauſas ex parte noſtri, & noſtræ vtilitatis, vt in verſu patet,

Fert temerum, firmet, ne deijciat, docet, aſtet.

Prima (iuxta Ambroſium) ad remotionem excuſationis peccati, ne virginibus impudicis velamen excuſationis præberetur, ex quo Mater Domini infamata videretur; & temerarium iudicium omne tolleretur. *Secunda*, ad confirmationem matrimonij contra futuros hęreticos, & vt vterque ſtatus, virginum, & coniugatarum, approbaretur. *Tertia* ad ſub-

leuationem opprobrij, vt ſcilicet ab omni gradu fœminarum, opprobrium tolleretur, ne aliqua deijceretur; ſed per Mariam omnes ſtatus decorarentur. *Quarta*, ad commendationem exempli, vt ſcilicet oſtenderet, & doceret facta deſponſatione, ante conuentionem, poſſe tranſire ad meliora ſponſo irrequiſito: vt in religionem, vbi deſponſatur Deo; vt etiam myſterium Eccleſię doceretur, quę Virgo manet immaculata. *Poſtremo*, vt in Chriſto & Virgine virtus aſſocietur, vt ſic Filij humilitas, & charitas oſtendatur, qui potius voluerit fabri filius reputari; quam matrem infamari; Vt item Matris dignitas humilitati aſſocietur, vt quanto eſt in omnibus maior; tanto etiam ſit humilior, ſimul & Mater Dei, & vxor fabri: ſicut proſequitur ſanctus Bernardus: Et hæc de cauſis deſpōſationis. Oremus Virgines huius deſponſationis, quo nobis impetrent, vt Deo noſtro ſeruemus fidem coniunctionis, &c.

MEMBRVM X.

De præparamentis, & diſpoſitionibus in Virgine hac, circa conceptum Filij Dei.

XV EN*placitum, &c.* Hic iam tanguntur quædam in Virgine ad Filij cōceptum præparamenta, & diſpoſitiua, & circa conceptum, vel præcedentia, aut concurrentia ad eum. ET PRIMVM omnium præparamentum, & efficaciſſimum fuit, quia Deo in ipſa erat complacitum, & eius conſilio ſic diffinitum: vt per eam liberaretur genus humanum. Hic iam meditanti offertur deuota materia, ſcilicet, vt meditetur de illo abyſſali conſilio, in conſiſtorio & conclaui Trinitatis, ſuper ſalute generis humani habito, quod pulchrè pertractat dulcis ille Bernardus in Sermone ſuo de Annunciatione Dominica; quomodo ſcilicet ibi appellauere miſericordia, & iuſtitia, &c. Et licet in Diuinis non ſunt tales diſputationes, & conſultationes realiter; rationabiliter tamen ita congruit nobis, ait Vbertinus, ſic meditari, &c. Hic item conſideratio eſt dilatanda, vt videamus, quam complacuit toti Sanctæ Trinitati in beneplacentiſſima Virgine iſta: Et ad hoc valent commendationes illæ ſingularum perſonarum de Virgine iſta, quas adducit, & deducit pulchrè Vbertinus in parte prima ca. 7. &c.

SECVNDVM præparamentum fuit Virginis cooperatio, & congruum ſi dici debeat meritum; licet & hoc gratiæ aſcribendum: Cooperabatur enim in omnibus ſtudioſiſſimè gratiæ Dei; quod nihilominus etiam erat gratioſum; Ita quod propriè etiam ſecundum communes doctos & ſcripturam, Chriſti incarnatio opus fuit totū gratioſum, non cadens ſub cuiuſquam merito; niſi diſpoſitiuè & de congruo, & hoc hic dicimus Virginis meritū. Quo circa inquiri ſolet, qua virtute potiſſimè diſponebatur ad opus tam gratioſum? Et reſpondet Dion. Carthuſien. quod feruidiſſimus ille interior actus ſinceriſſimæ charitatis, quo indeſinenter deſiderauit creatorem ab omnibus cognoſci & laudari, vniuerſoſque homines per aduentum Filij Dei redimi ac ſaluari, potiſſimè, immediatè, & conſummatiuè diſpoſuit, & aptauit ad Dei maternitatem Virginem iſtam; licet multæ aliæ virtutes, ac dona cooperabantur, & diſponebant ſuis modis ac mediatè. Nam *fides*, vt baſis, atque merendi exordium, diſponebat vim intellectiuam, & ſic dicitur, *beata quæ credidiſti*, quo &c. Deinde *Luc. 1.* *humilitas*, tanquam gratiarum conciliatrix cuſtos & procuratrix, aptauit vim iraſcibilē, & ſic *Ibidem.* ipſa dicit *reſpexit humilitatem: Caſtitas* autem concurrebat, tanquam carnem aptificās, & diſponens vim concupiſcibilem & generatiuam, & ſic dicitur *incorruptio facit proximum eſſe Deo. Sapientia* autem, atque *oratio* eleuabat intelligentiam; ſed *Dei & proximi dilectio* diſponebat affectiuam, & propriè impetrabat actualiter, quod cæteri habitus diſpoſitiuè, & habitualiter. O igitur grande Mariæ meritum, ō verè congruum præparamentum ad ſuſcipiēdum Dei filium! concede quo & his virtutibus nos diſponamus ſuſcepturi Sacramentum. *Sap. 6.*

TERTIÒ, diſponebatur ſua congruentiſſima qualitate, quæ qualitas ſtudioſè in Euangelio deſcribitur: Quia & Virgo dicitur, & *Virgo* deſponſata, *cuius nomen Maria*. Grandia in ſingulis latent dicenda; ſed non poſſumus tractare ſingula. Videantur Doctores & Pantheologia, & inuenietur quam congruè Chriſtus concipi voluit de *muliere fœmina*, non de alio ſexu, aut creatura; quam congruentius de Virgine ante, & poſt ſemper virgo permanſura, non de muliere corrupta. Congruentiſſimè autem non de ſimplici virgine deſponſata, & Maria vocata. Quæ omnia, quia in iſta Virgine fuerunt; ideo erat ad Dei conceptum optimè qualificata.

QVARTO, ad Dei conceptum coaptabatur per geſtum, quem habebat Angelo adueniente: Aiunt enim (vt piè, & communiter creditur) quod Virgo hæc beatiſſima, tunc erat in Secretario ſui cubiculi, aliquid legēs de aduētu Filij Dei, lectumque illud corde conferens & meditans, & pro aduentu Regis Meſſiæ, proque generis humani ſalute, ſuſpirioſè & intentiſſimè exorans; deſideransque vt vel poſtrema mereretur eſſe ancilla eius, quæ Filium Dei erat conceptura. Iſtud eſt ſatis veriſimile, & creditur hoc ei datum ex inſpiratione diuina: quo ſic diſponeretur ad audienda, & ſuſcipienda angelicæ legationis myſteria.

POSTQVAM vidimus Virginis diſpoſitiua, videnda eſt ipſa ambaſiatio, & eam circunſtantia, & ſunt circa legationem conſideranda iſta:

Miſſus, quis, cur, vbi, quando, vel quomodo, verba.

Primò, conſiderandus eſt annunciationis legatus, *quis* ſcilicet miſſus fuit, quia Angelus; & non quilibet Angelus, ſed Archangelus *Gabriel* dictus, *fortitudo Dei* interpretatus, qui quare Gabriel dicatur, quo item de ordine fuerit late tractant Doctores. Videantur, Alber. Tho. & Vbertinus.

Secundò, videndum *Cur* hæc miſſio facta fuit, & dicit Albertus, quod valde congruebat,

Tum propter
- Dei honorationẽ, cuius patuit potentia, ſapientia, bonitas:
- Angelicæ dignitatis oſtenſionem, quia officium ſuum exercuit ſecretarij.
- Virginis commendationem, cuius virtus manifeſtatur, meritum augetur;
- Noſtram vtilitatem, ſcilicet fidei aſtuationem, deuotionis accenſionem, & informationem operum, vt late ſuper Miſſus eſt proſequitur Albertus.

Tertio notandus eſt *locus*, *vbi* vel quo ſcilicet mittitur, quem ſtudioſiſſimè deſcribit Euangeliſta, deſignans prouinciam, ciuitatem, & domum.

Quarto, *tempus*, quando miſſus, quo anno, & quo anni tempore, quo menſe, die, au hora, de quibus ſingulis agit Albertus vbi ſupra.

Porro de modo legationis, quomodo ſcilicet Angelus apparuit, idem multa inquirit, quia ſpecie viſibilis, ſexu maſculinus; ætate iuuenis; veſtitu clarus, &c.

Poſtremo quibus *verbis*, quam rationabiliter ſit vſus Angelus, & qualibus Maria reſpondit, qui ſcire volet, Albertum videat, Pantheologiam, & cæteros Doctores legat. Deuotum enim eſt ruminare illa; ſed nolumus nos prolixiores exiſtere, ad ſalutationem ipſam explanandam ſequenti Roſario acceleramus accedere, præſtante Virgine ab initio à Deo poſſeſ- *Apoc. 8.*
ſa, & ad honorem hunc electa. In Roſario de annunciatione, hæc plenius Deo auſpice explanatur.

Roſarium de explanatione angelicæ ſalutationis.

CAPVT III.

Luc. 1. COgitabat *qualis eſſet iſta ſalutatio.* POSTQVAM præmiſſum eſt Roſarium de annunciatione Virginis antecedentibus; ſubdenda ſunt duo Roſaria, pro explanatione ipſius ſalutationis; Quo enim oratio hęc dignior eſt, & Mariæ acceptior: eo conuenit, vt in ea legenda homo ſit attentior, & deuotior; & cogitet cum Virgine hac prudentiſſima, *qualis ſit ſalutatio iſta*, quam ſcilicet in ſe noua & mirabilis, quam digna, & commendabilis, quam Virgini grata, & placabilis, quam legentibus item commoda, & vtilis. Iuxta illud:

Eſt noua, digna, placens, gratis eſt, & commoda multum.

EST DICIMVS NOVA, & mirabilis, cui ante non erat audita ſimilis; ſed conflata ex omnibus ſalutandi modis. In prioribus enim ſalutationibus fiebat aut vitæ, ſalutis, gaudij, aut benedictionis, aut gratiæ imprecatio. In hac autem eſt ſimul omniũ connexio. Per hoc enim quod dicitur *Aue*, datur ei ſalutatio To- *Thob. 5.*
bica. *Gaudium tibi ſemper*; Per *gratia plena*, da- *Rom. 1.*
tur ſalutatio Apoſtolica, qui epiſtolis præ- *1. Pet. 1.*
mittunt *Gratia vobis*, &c. Per *Dominus tecum*, ſalutatio Gedeonis, cui dictum, *Dominus tecum* *Iudic. 6.*
virorũ fortiſſime; vel Booz, *Dominus vobiſcum.* *Ruth. 2.*
Per *benedicta*, ſalutatio Ruth, aut Iudith, qui- *Iudith 13*
bus dictum, *benedicta tu filia*, &c. Verè ergo ſalutatio noua, & mirabilis, conſtans ex ſalutationibus omnibus. Vnde & digne qualis eſſet cogitabat Virgo prudens.

EST SECVNDO digna, & cõmendabilis, cuius dignitas poterit deduci ex multis: Nam poſt orationem Dominicam, nihil dignius hac ſalutatione, quæ in ſummæ Trinitatis conſiſtorio dictata, ab Archangelo delata, ab Eccleſia acceptata, tantis myſterijs, & ſententiarum pondere grauida, vt nec dictionum numerus, qui eſt in denario; nec ſententiarum quaternitas; myſterijs careant; immo tanta ſunt in ea congeſta myſteria, vt ad ea indaganda, impar, & inualida ſit humana intelligẽtia. Quam autẽ ſit Virgini grata & acceptabilis pulchrè declarat magiſter Henr. de Haſſia his verbis: *Sicut*, inquit, *nulla oratio Dei auribus eſt gratior, & exaudibilior, ea quam ipſi porrigendam dilectus Filius dictauit: Ita nullum eſt Virgini placabilius acceptabiliuſque laudis pręconium, quam illud ſalutationis verbum, quo ſalutata ab Angelo, & dato conſenſu ſuſcepit Dei Filium. Quod quotiens ei replicatur, quaſi totiens hoc ei gaudium innouatur*, &c. Et quid ni eſſet grata, quæ tam ſuauis eſt & deuota. A tam gratiſſimis compacta, miſſa, & delata? Eſt enim hæc ſalutatio reuerentialis, & adoratoria; eſt ſtatus ſalutaris optatoria; eſt de ineffabili nouitate admiratoria; magnitudini dignitatis congratulatoria, & virgineę perfectionis expreſſiua.

NAM perfectio Virginis, aut eſt *quantum ad ſubſtantiam*, vt à malo liberam, & ſic eſt *Aue*; vel vt *bono plenam*, & ſic eſt *gratia plena*, Aut *quantum ad cauſam*, & ſic *Dominus tecum.* Aut *quantum ad efficientiam immediatam*; & ſic *benedicta tu*, Vel *mediatam*, & ſic eſt, *Benedictus fructus ventris.* &c. Merito itaque grata.

POSTREMÒ, quam ſit legentibus vtilis, & commoda, non facilè eſt explicatu volubili lingua: Enumerat quindecim vtilitates, ſecundum quindecim verba, in ſuo Compendio Alanus de rupe Doctor deuotus. Et complectitur aliquot noſter Thomas Kempis ſub his verbis, *Auſcultet*, ait, *huius ſalutationis pius amator: Cœlum gaudet, ſtupet omnis terra cum dico Aue Maria: ſathan fugit, infernus cõtremiſcit, mundus vileſcit, caro marceſcit, abſcedit triſtitia, venit noua lætitia, torpor euaneſcit, cor liqueſcit, creſcit deuotio, oritur compunctio; cum dicitur Aue Maria.*

MERITÒ ergo ab omnibus libenter, & deuotè, cum attentione cordis dicenda: Quod vt fieri poſſit ſubſequuntur verſus explanatorij ſalutationis huius: Sed ſolum pro paruulis: Qui enim dignas explanationes ſibi volet, grauiorum tractatorum commentaria legat: Nos pro infantibus mel qualecunque recollegimus: Solidus apud illos cibus inuenitur. Poſtquam vidi ſpeculũ Beatæ Virginis à beato Bonauentura ſuper hac ſalutatione editum, cum Euangelico cæco homines quaſi arbores *Mar. 8.*

vidi, nullius momenti ducens hoc noſtrum congeſtum, & reportatum. Sed exemplum ſtudioſis dedimus recolligendi, hinc inde ſi meliora velint. Furfures hic, & mucidus quidam panis: Adipes illic, & ſimilaginei cibi pro magnis frequentandi.

Congruè, Virgo Mater per Aue ſalutatur:
A culpa, pœna, ſathana, matrum, mulierum,
Corporis, ac mentis, gemini, mundi, redimēſvę.

Qualitas nominis Mariæ.
Conueniens, dignum, grauidumq; bonum venerandum.

De nominis Mariæ virtuoſitate.
Hoc recreat, docet, accēdit, terret, iuuat omnes

Nominis Mariæ varia interpretatio.
Stella maris, Domina, luſtrata illustras, amara

Nominis Marię litteralis ethymologizatio.
Mater, amās, Regina potens, inimica, vel abra.

Quibus gratiis Maria plena fuit.
Omnia ſingula, deficiētia, & increas, haud plus.

Qualis Virginis plenitudo fuit.
Plena velut canna, vas, fons, domus, vrbs, loca, cunctis.

Quibus modis Dominus cum Maria fuit.
Tota, modis cunctis, ſemper, vel vbique, & ad omne.

Quomodo Maria benedicta fuit in mulieribus.
Euadis, retines, ſpecialis, cunctaq; laudunt.

PRo huius roſarij explanatione ſciendum, quod ſuper ſingulis clauſulis *Aue Maria* aſſignantur quędam certa meditabilia, clauſularum ipſarum expoſitiua: In quibus abundans offertur contemplandi materia, & grandia dantur deuotionis incentiua, ſi fuerit, qui ritè ea dijudicet; & ex eis pateſcet qualis ſit ſalutatio iſta: Quę primaria ſui diuiſione, diſtingui poterit in tres partes, iuxta triplices auctores; Pars enim prolata ab Angelo; pars ab Eliſabeth; pars aliquanta ab Eccleſia fidelium, non ſine Spiritu ſancto. Secundario partitur in quinque partes iuxta quinque ſententias, & Beatæ Virginis huius commendationes.

Cōmēdatur ſiquidem, vt	Puriſſima,	propter	Culpæ carētiā:
	Pleniſſima,		Gratiæ affluētiam:
	Tutiſſima,		Diuinam præſentiam:
	Digniſſima		Perſonæ reuerentiam,
	Vtiliſſima,		Prolis excellentiam.

Sunt, & aliæ complures diuiſiones, quarum aliquantas prætetigimus, & inueniuntur in Doctorum ſcriptis.

Hoc autem præmittendum, quod congruè incipitur hæc ſalutatio per *Aue*, quod dicit remotionem pœnæ; potius quam per *ſalue*, quod inſinuat præſentiam boni, & permanentiam ſalutis (Quamquam in originali ſcilicet Græco non tam habetur Aue, quam χαῖρε, quod dicunt itidem valere, quod *gaude*, vel generale eſt verbum ſalutandi:) Quia cum iſta ſalutatio ſit totius ſalutis inchoatio, rectè incipit ab *Aue*: Initium enim beatitudinis remotio eſt miſeriæ, & conuerſio huius nominis *Eua*. Et poteſt à nobis dici congratulatiuè, optatiuè, aut deprecatiuè. Et ſonat hoc verbum; vt aiunt, *Aue*, quaſi ſine væ; quia fuit immunis à multiplici væ: vt dicitur in verſibus duobus primis.

MEMBRVM I.

Scilicet, De immunitate Mariæ ab omni væ.

A *Culpa, &c.* IN HIS duobus verſibus primis, notatur *immunitas Mariæ ab omni væ*. Decebat ſiquidem, vt ſumma puritate niteret, & nullum væ haberet, quæ Dei Filium Redemptorem omnium paritura fuit: Vnde, & propter omnimodam culpæ carentiam, & omnis væ immunitatem; Propter omnimodam item vitæ innocentiam, & puritatem; in principio ſalutationis ei dicitur *Aue*, & abſque væ, Multiplex autem eſt *væ*, à quo immuniſſima fuit, cui dicitur Aue. ET PRIMÒ dicitur, quod fuit ſine omni *væ culpæ*, ſcilicet *originalis*, quo ſine fuit concepta, & nata, vt probabilior habet opinio; *Actualis*, tā *venialis*, quam *mortalis*; à quibus fuit præſeruata in vita. Nec enim originale contraxit, aut admiſit actuale: vnde patet quod libertima fuit àtriplici illo væ, de quo in Apoc. dicitur, *væ væ væ habitantibus in terra*. Vnde & merito per Aue ſalutata, quippe, quæ à væ, in opere luxurię in corpore; & ſuperbię in corde, prorſus fuit immunis & aliena. & breuiter ab omni diuiſione mali culpæ cordis, oris, operis, infirmitatis, ignorantię, malitiæ, &c. O liberet nos ab omni culpa. *Apoc. 8.*

SECVNDÒ, fuit ſine *væ pœna*, ſcilicet gehennæ, purgatorij, & pœnitentiæ. Nam duobus primis prorſus erat immunis quippe, quæ nec gehennam ſubijt, nec purgatorij, ne dilationem quidem ſciuit. Tertium autem væ, ſcilicet pœnitentiale, licet pertulit, non tamen (vt aiunt) ob culpam eius, quæ nulla fuit; ſed pro noſtris peccatis, velut magna pœnitentiaria illud tulit, & alias ob cauſas; vt Gerſon ſuper Magnificat ſcribit.

Vt { Filij paſſiones ſuppleret:
Per multas tribulationes in magnam gloriam introiret, *Act. 14.*
Exemplum nobis, & conſolationem in paſſionibus daret. }

TERTIO, fuit ſine *væ ſathanæ* à regno, ſcilicet, & dominatione beſtiæ: Cuius imperio nunquam fuit ſubiecta, quia ſemper ſine culpa, nunquam iræ filia. Cuius tentationibus ad conſenſum numquam impulſa, licet quò ad ſenſum, vt & Filius eius, pertulerit tentamenta; vt Gerſō vbi ſupra. Nec hoc debet horrere pius animus, qui ipſam credit coronatam in cælis, vnde, & qui legitime pugnauerit, confiteatur oportet: vt ſic inſtar filij, ex his, quæ paſſa eſt, compaſſionem diſceret tentata per omnia pro ſimilitudine abſque peccato: vt miſericors pia, & aduocata eſſet. *Poſtremo* ab eius *væ*, fuit libera, à quo nec in morte territa; nihil enim Princeps mundi habebat in ea; ſed euolauit ſecura. *2. Tim. 2.* *Heb. 4.*

QVAR-

Mat. 24. QVARTO, fuit abſque *væ matrum* ſingulari, de quo dicebat Saluator; *Væ prægnantibus & nutrientibus*; aut (vt Auguſtinus habet) mamãmantibus, hoc eſt lactantibus, vt Græcus habet. Triplex enim væ præcipuum habent, ſcilicet damnificentiæ, indigentiæ, & afficientiæ, quorum quodlibet adhuc trifariam partitur, damnum enim triplex incurrit fœmina, cum efficitur mater, quia in conceptu perdit virginitatem irrecuperabilem; poſt conceptum venuſtatem, & ſanitatem; in partu hominum ſocietatem, non enim poſſunt viri accedere ad eam. Sed à quolibet horum libera fuit Maria, quæ in conceptu non amiſit virginitatem; ſed acquiſiuit maiorem puritatem: Poſt conceptum non perdidit pulchritudinem, aut ſanitatem; ſed auxit pulchritudinem, vt vix à Ioſeph videri potuit: vt in glo. Matthæi primo; & ſanitatem, quia in montana ſine fatigatione conſcendit; nec etiam in partu perdidit hominum ſocietatem, ſed mediatrix Dei, & hominum conſtituitur, & ab angelis ſimul, & paſtoribus viſitatur. A vę ergo damnificentiæ matrum libera fuit. Luc. 2.

Secundo, matres incurrunt *vę indigentiæ*, quia ad concipiendum egent compare, poſt conceptum quiete: In partu obſtetricatione Hæc autem ab his emunis fuit, quæ à Spiritu ſancto concepit; In montana abijt; in partu obſtetrice non eguit; ſed *germinans germinauit*, & virgo peperit lætabunda, quam circumſtabant obſtetricum vice, concinentes angeli gloriam Deo, &c. Eſa. 35.

Tertio, incurrunt matres *væ afficientiæ*, quia afficiuntur in conceptu libidine; in portando in ventre grauedine, in partu maximo dolore. Maria autem concepit ſine libidine, grauida fuit ſine grauamine, peperit ſine dolore. *Antequam* enim (ait Eſa.) *parturiret, peperit*, vnde ab omni matrum væ libera fuit. Eſa. 66.

QVINTO, fuit ſine væ mulierum ſpeciali, quod eſt multiplex valde. Nam eſt *væ ſterilitatis* in virginibus; ſubiectionis, & corruptionis in coniugatis; deſolationis in viduis. Sed noſtra Beatiſſima in quolibet ſtatu fuit ab huiuſmodi væ libera. Erat nempe virgo cum fœcũditate prolis; coniugata ſine væ corruptionis, & ſubiectionis; vidua cum virginitate, ſine væ deſolationis, quia aut Filio aſſociata, aut Ioanni commendata; & ſic patet, quod ab omni iſto væ fuit liberrima, congruè per Aue ſalutanda. Io. 19.

SEXTO fuit ſine vę corporis: Ex parte enim corporis omnis homo *triplex vę* per peccatum incurrit, ſcilicet ipſius corporis diſtemperationem; naturalium appetituum inordinationem; ipſius ante mortem corporis ad animam repugnationem. Poſt mortem vero corporis incinerationem. De quibus vę dicitur Gen. 4. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes panem tuum. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec in terram reuertaris* &c. Vbi *in maledictione operum* notatur inordinatio appetituum; *in ſpinis & tribulis*, concupiſcẽtia carnis contra ſpiritum; *in labore & ſudore*, diſtemperatio corporis; *per reuerſionem in puluerem*, incineratio eius eius, &c. ab his autem omnibus *væ* corporis, Beata noſtra erat emunis, quæ & corpus habuit eucraticum cum ſpiritu per omnia gratia pacificatum; & nunquam in cineres reſolutum; ſed (vt dicetur) in cœlos aſſumptum: ergo &c. Gen. 4.

SEPTIMO fuit *ſine væ mentis*: Nam ibi incidit homo *væ varium*, & pręcipuè in genere triplex: ERROREM ſcilicet in rationali, ita quod *erres in eligendo, diſcernendo, exequendo*; DOLOREM *in concupiſcibili*, & hoc de *præſenti, præterito, & futuro*, vel impendenti, ita; quod ineſt mœror, dolor, timor. PVDOREM in iraſcibili; ita quod pudet *de eſſendo*, quia turpis eſt; *de agendo*; quia turpia fecit; *de patiendo*, quia turpia ſuſtinuit. Et hinc primus parens nudus erubuit, &c. Maria autem ab his *mentis væ* longe fuit, quæ nunquam *errauit*, quippe quę virgo prudentiſſima, nil ſine conſilio Spiritus ſancti agẽs fuit; *Dolorem* quoque rationi prędominantem nunquam habuit, quippe, quæ in omnibus, & ſecundum omnes potentias ordinatiſſima fuit, nihil poſtremo vnquam *turpitudinis* habuit, fecit, aut ſuſtinuit, quare, & ab omni *væ pudoris*, & per conſequens ab omni væ mentis longe abfuit. *Tota* prorſus *pulchra* in qua macula nulla fuit. Congruè ergo per Aue eſt ſalutata, quæ ſic ab omni væ libera. Gen. 4.

OCTAVO ſine *væ vtriuſque coniunctè fuit*. Nam ex coniuncto conſequimur *culpæ pronitatem, pœnalitatem, & ignorantiæ cæcitatem*: Ita quod neſcimus in via quid *credendum, operandum, an item odio vel amore digni ſimus ad ſaluandum*. De duobus primis præter pœnalitatem ex cauſa, ſed non ex culpa (vt patuit) Maria libera fuit: *De tertio* quoque *væ*, ſcilicet ignorantiæ, nil habuit, quippe, quæ nil neceſſariorum ad ſalutem ignorabat; ſed eam vnctio docuerat de omnibus. Eccl. 9.

NONO fuit ſine væ miſeriæ mundialis, cui præcipuè triplex væ datur in Apocal. vbi dicitur, *væ væ væ ciuitas illa magna Babylon*. In quo ſignatur nihil aliud (iuxta eundem Io.) niſi *concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*; A quibus quàm longe Maria diſtiterit, non opus eſt vt dicatur. Eſt quoque mũdus poſitus totus in maligno, cuius omnia vanitas, in quo regnat iniquitas, & dominatur cæcitas; non tamen aliquo contaminata eſt huius noſtræ Virginis integritas. Sicut prolixum eſſet deductu. Decuit etiam (iuxta Bernardum) Reginam Virginum; ſingularis priuilegio ſanctitatis, abſque omni peccato ducere vitam: vt dum peccati mortiſque pareret peremptorem, munus vitæ, & iuſtitiæ omnibus obtineret. 1. Io. 2. Apoc. 18. 1 Io. 2. 1 Io. 5. Eccl. 1.

POSTREMO, congrue ſalutatur per Aue, quæ nos ſuo partu liberauit ab omni *væ*, quæ immutauit nomen Euæ, vnde curialiter ei dicitur metricè:

Porta ſalutis Aue, per quam patet exitus à væ.
Venit ab Eua væ; væ quia tollis, Aue, &c.

Deuoto igitur corde eructemus, verbum illud *Aue*, & ei congratulando, & nobis plaudendo dicamus ei *Aue*, id eſt ab omni væ, quia indefinita æquipollet vniuerſali. *Aue*, inquam, quia abſtuliſti maledictionem Euę; quia eliſiſti æternę damnationis væ; quia reddidiſti nos vitæ

Euæ. Obſecramus, libera nos ab omni *va*; Patet ergo ex dictis explanatio illius verbi *Aue*. De quo verbo multa, & alia poſſunt dici; ſed nolumus lectorem grauatum multitudine iri. O ergo verbum mirabile, & admirabile. *Aue* deuotè dicendum corde; Propter illud te obſecramus ô Virgo immunis ab omni væ libera nos à væ.

MEMBRVM II.

Conſiderabilia de ipſo nomine Maria.

Conuenient, &c. IN SVBSEQVENTIBVS quatuor verſibus ponuntur quædam cõſiderabilia de dignitate huius nominis *Maria*: De cuius nominis gloria, (teſte Bernardo) Nec dignum aliquod ſterilis concipere cogitatio, nec inerudita poteſt parturire locutio; vnde quantacunque dicantur, eius laude ſunt inferiora. Sunt tamen dicenda pauca: Nam ideo appoſitum eſt ab Eccleſia, vt in eo oblectaretur, & circa illud afficeretur mens deuota; quod fieri non poteſt, niſi nouerit nominis illius qualitatem, & myſteria. Nam licet propria nomina plerumque ponantur, & mutentur pro libito propriç voluntatis; vnde & diſputatio de proprio nomine dicitur *in ff. de leg.* relinquenda pertinacibus, eo quod de proprio nomine, quia facti eſt, nõ poteſt reddi ratio, vt ait Bart. *in l. ſi. ff.* Tamen alibi dicitur, quod expreſſio proprij nominis, multum operatur iuris. Et magnum eſt priuilegium vocari nomine bono: vt gloriatur Accurſius Florentinus, eo quod ex qualitate nominis proprij, arguitur qualitas perſonæ, vt notat gloſſa in rubrica *ff. veteris, in verbo Iuſtinianus, & in proœmio ſexti.* Nomina enim iuxta beatum Thomam in tertia parte Summæ. q. 37 a. 2. debent correſpondere rerũ proprietatibus, & eſſe conſona illis. Maximè in nominibus à Deo impoſitis, quale creditur nomen huius virginis; de quo dici poterit, vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit. Super quo aliqua conſideranda. *Eſa. 62.*

IN PRIMO itaque verſu, notatur nominis huius qualitas. Et in primis dicitur, quod hoc nomen *Maria*, eſt ei *conuenientiſſimum*; id eſt congruè valde impoſitum, & hoc propter multiplex myſterium, ſcilicet. Et ad deſignandam ipſius puritatem, & perfectionem; Diuinç prolis generationem; & officij meditationem. Nam Maria interpretatur (vt dicitur infra) *maris ſtella*, quç interpretatio congruenter exprimit iſta tria; Nam ſicut ſtella non eſt peregrinæ qualitatis ſuſceptiua: ſic Maria omni virtute, ſine vitij impreſſione, fuit perfecta, lucida, & pura; *Secundo* quoque, ſicut ſtella ſine ſui corruptione profert radium: ſic Virgo Maria ſine violatione Filium; *Tertio*, ſicut ſtella illuminat mare procelloſum: ſic Maria dirigit mundum iſtum, &c. Congruè ergo dicitur *Maria*, propter puritatis ſubiectum, caſtum partum, & illuſtrationis, & meditationis officium. *Dignitas nominis Maria.*

SECVNDO eſt hoc nomen Maria poſt nomen Filij eius *digniſſimum*; quippe ſuper omne nomen exaltatum, adeo vt & in eius nomine omne genu ſit flectendum, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Iuxta illud Eſai. *In memetipſo iurans, quia tibi curuabitur omne genu.* Deficit mens omnis creata, in comprehendẽda huius nominis dignitate: Vnde, & deficit in ſcribendo manus, & in exprimendo lingua. Vnum tamen dicemus, vnde poterit conijci dignitas iſta: Et eſt quod iſtud eſt nomen tam ſublime, & dignum, quod nulli alteri ab Virgine ſit communicatum, ita quod ei eſt ſingulare, & proprium; licet enim quædam dicantur Mariç, non tamen conueniunt forte in iſto nomine. Nam (vt ſcribit doctiſſ. ille Laurentius de Valla, in Correctorio ſuo noui teſtamenti) ſibi videtur nomen Matris Domini atque aliarum, quæ Maria nuncupantur, eſſe diuerſum. Cæterarum enim in a, ſemper exijt in Græca veritate, vt Maria Magdalenæ, Maria Iacobi, &c. At Matris Domini in am, terminatur; termino finali differens, & etiam accentu, quia acuto in fine, cæterarum in penultima: Dicitur enim Mariam etiam in nominatiuo. Vnde Lucas *nomen Virginis Mariam.* Item, *dixit autem Mariam, Ecce ancilla*, &c. Vnde facile (ait) colligitur, non nihil fuiſſe differens nomen Matris Domini, atque aliarum in originali, licet in latino noſtro (vt plura alia) confundantur. Et probè quidem: nam ſi præcurſor vocatur nomine nouo, quali nullus in ſua cognatione; cur non Domini Mater prorſus digna nomine nouo, & ſingulari? Cui Dominus dicit, *Ego Dominus voco nomen tuum.* *Mariam in caſu recto, eſt terminatio Hebraica At in textu Græco B. Virgo ſemper in recto Vocatur, Mariam, & reliqua Maria. Luc. 1. Ibidem. Eſa 45.*

TERTIO, eſt nomen iſtud *myſterijs grauidum*, magnarum, ſcilicet rerum ſacramentum: Votiuè, & longè in deſiderio animæ exoptatum, granditer à Prophetis, vt puta Sanctum, & terribile, vt bonum, & dulce commendatum; In Maria ſorore Moyſi præfiguratum, & in ipſis etiam litteris non à myſterio vacuum. Eſt enim nomen eius memoriale in deſiderio animæ habitum. In ſapientialibus libris granditer commendatum, ſuper diuitias, & vnguẽta pretioſa prælatum, oleo effuſo aſſimilatum, vt patet ſerutanti Scripturarum decurſum. Quomodo autem nec in litteris ipſis myſterio caret, qui ſcire volet Io. Dominicum, & Dominum Antonium, qui eum allegat, videat. Aiunt enim quod in litteris Hæbraicis, quibus nomen ipſum in Euangelio Matthæi, & alijs paſſibus cõſcribitur, ſecretum myſterium deſignatur, quia per *Mem clauſum* in principio, conſcribitur, quod nuſquam reperitur, quoniam *mem clauſum*, nuſquam in principio, ſed in fine ſemper ponitur dictionis, iuxta Hebrçorum grammaticam. Duplex ſiquidem ipſi (*m*) habent: quia de vna tantum verificatur apud eos, quantum illã figurabat, quæ nec primam ſimilem viſa eſt, ne habere ſequentem. Subtiliſſimè igitur Spiritus ſanctus dixit: Virginem Mariam incognitam futuram viro, Prole tamen fœcundandam de cœlo: Et ſic apertam Deo, clauſam viro, quod nulli alteri foret aſcribendum, cum nullum aliud nomen inueniatur cum *mem clauſo* initiatum. Ponitur autem, & idem *mem clauſum*, contra naturam ſuam in medio (teſte Nicolao de Lira, & aliis) *Eſa 26. Prou. 22. Cant. 1.* לםרבה

9. ca. Eſa. vbi dicitur, *Et multiplicabitur eius imperium*, vbi in Hebræo habetur, *le marbe* per *mem clauſum* in medio, propter idem myſterium virginitatis connotandum; Imo, & propter connotationem temporis incarnationis, & annorum, quod ſignatur illa littera, illic (vt aiunt expoſitores) ſignificandũ. Sũt etenim litteræ eorum, quemadmodum, & Græcorum, numerales. Et longa differentia eſt numeri ſignati per *Mem apertum*, & mem clauſum; *Mem* etenim apertum, ſignat in numero quadraginta: *Mem* vero clauſum notat ſexcenta, vt hæc plenius apud † Apellas. Iſtud poſtremum vulgare apud multos, primum autem non legi, niſi apud auctores præallegatos. Poſt tamen vidi hoc nomen per *mem* apertũ ſcriptum in principio, & per *mem* clauſum in fine: Quid igitur veritatis ſubſit ego neſcio. Sat ſit grauium virorum dicta allegaſſe nobis, & materiam inquirendæ veritatis reliquiſſe ſtudioſis. Clarum & certum eſt, nomen iſtud prægnare mirandis, & abditis myſterijs: Ita, vt ei dici poteſt, admirabile eſt nomen tuum & ſtupendum nimis.

† Iudæos, vt poeta, dicat Iudæus Apella.

QVARTÒ, eſt iſtud nomen bonum, vtile, & commodoſum. Melius enim quam diuitiæ *Prou. 22.* multę nomen bonum: Melius item quam vnguenta pretioſa: Eſt enim nomen illud bonum angelis in cœlo, dſs eis lætitiam, & gaudium: Animabus in purgatorio, eis conferens refrigerium: Omnibus in mundo, implens in bonis eorum deſiderium. Eſt enim nomen iſtud turris fortiſſima, & ad quod currens iuſtus exaltabitur, & ſuſcipiet, quod petierit ex eo. Poſſent ſingula hæc declarari per exempla, ſed ſuperſedemus.

POSTREMÒ, eſt nomen iſtud venerandiſſimum, & omni præconio extollendum, omnes in ſe cauſas complectens venerationis, & honoris: Eſt enim nomen potentiſſimę Reginæ, ditiſſimæ theſaurarię, virtuoſiſſimę Dominæ, etiam à Deo ipſo nimis honoratum, ſicut Brigittæ fuit reuelatum. Dixit enim ei Maria: *Audi*, inquit, *filia quantum Filius meus nomẽ meum honorauit. Nomen meum eſt Maria, hoc nomen dum angeli audiunt, gaudent, & Deo regratiantur, & illud venerantur. Qui in purgatorio ſunt, etiam gaudent audito nomine meo: quemadmodum audiens verbum ſolatij æger iacens in lecto: Omnes quoque dæmones verentur hoc nomen Maria, & fugiunt eo audito: quemadmodum auis audito ſono, &c.*

Valde ergo hoc nomen venerandũ à nobis, quod veneratur à tantis. De quo gloriatur dicens: *Ab ortu ſolis vſque ad occaſum, magnum* *Malac. 1.* *eſt nomen meum in gentibus*. Nam & defunctus quidam apparens, dixit, ſe ob aliquas culpas in purgatorio dirè punitum, de quibus ſibi viuens non fecerat conſcientiæ remorſum; quarum vna extitit, quod auditis his venerandiſſimis nominibus, Ieſus aut Maria, non inclinauit reuerenter cum capite aut ſaltem corde. Qui ergo nolit cum illo puniri, ſtudeat illud venerari. O propter nomen tale miſerere noſtri.

§. 2 *De efficacia & vtilitate nominis Maria.*

HOc recreat, &c. IN HOC verſiculo conſequenter oſtenditur huius nominis efficacia, & vtilitas: Eſt enim iſtud nomen multorum bonorum affectiuum. PRIMÒ, enim *recreat mœſtos*, quem effectum expertus exclamat Anſelmus: *O magna, ô pia, ô multum amabilis, & ſuauis Maria, quàm dulcis eſt nominis tui memoria. Tu nec nominari potes, quin reueles, nec cogitari, niſi recrees affectus diligentium te. Tu nũquam ſine inſita tibi dulcedinis aſperſione, pia memoria ingrederis portas*, &c. Dulciſſimum enim, iocundiſſimum, & ſuauiſſimum eſt iſtud nomen, dignè oleo comparatum: Non illis nominibus de quibus dicit Ouidius:

Nomina ſunt ipſo pene timenda ſono.

Nec terribile ſicut nomen Hectoris, vnde idem dicit:

Nomine in Hectoreo pallida ſemper eram.

Vnde ſi terret nomen Deitatis, dulceſcat Mariæ nomen amoris, & pietatis.

SECVNDÒ, *docet inſcios*: Nullum enim virtutis eſt genus, quod in hoc nomine non refulget. Et, ſi (iuxta Ambroſium) *primus diſcendi ardor, nobilitas eſt magiſtri*; Cum nihil nobilius ſit Dei Matre, ſit nobis tanquam in imagine deſcripta vita Marię, doctrix disciplinę Dei, quam commemorat nomen eius dulce. Nihil enim virtutis eſt, nihil ſpecioſitatis, nihil candoris, & gloriæ, quod non dependeat ex Marię nomine; ſi diligenti conſpiciatur conſideratione.

TERTIO, *accendit & inflammat torpidos*: Nullum enim nomen eſt, poſt IESVM, in cœlo, & in terra, quod ita deuotionem accendat, compunctionem excitet, conſolationem ingerat, ſicut hoc nomen Maria; quare, & merito oleo comparatum. Nullus quoque tam deuotionis expers eſt, & frigidus (vt Maria Brigittæ reuelauit;) qui hoc nomine non incaleſcat.

QVARTÒ, *terret & fugat tentantes diabolos*: Non enim ſic timẽt hoſtes viſibiles, quamlibet caſtrorum multitudinem copioſam, & aciem alarum bene inſtructam: ſicut aereæ poteſtates Mariæ vocabulum, & exemplum. Fluunt enim & pereunt: ſicut cera à facie ignis, *Pſa. 67.* vbicunque inuenerint celebrem recordationem, aut inuocationem huius potentis nominis. Eſt enim *Maria* vt *caſtrorum acies* hoſtibus terribilis.

QVINTÒ, *iuuat omnes in quacunque tribulatione poſitos*: Adeo vt quicunque inuocauerit *Cant. 6.* nomen illud, de quacunque tribulatione ſaluus erit: vt dinumeratum in multis. Sunt & alij innumeri effectus huius nominis, quos Auctor Marialis ſumit ſecundum viginti olei proprietates; vt latè proſequitur de ſingulis, de quibus tacemus monentes, vt nos magis aptemus ad effectus eius experiendum, quam legendum. Patet ergo nomẽ iſtud eſſe virtuoſum, & efficaciſſimum nulli commodo alienum. O igitur quiſquis in hoc ſæculo fluctuas, tribulationibus agitaris; ne auertas oculos à fulgore huius ſideris; ſi nolis obrui procellis.

Digitized by Google

Mariam cogita; Mariam inuoca, & vt ſentias nominis effectum, ſtude imitari conuerſationis exemplum.

§. 3. *Interpretationes nominis Mariæ.*

S*Tella maris, &c.* Hoc iam verſu Mariæ nomen effunditur, & nominis interpretatio ponitur, vt virtus latens, apertius videatur.

Et primo, Maria *maris ſtella* interpretatur: Percongruè autem *ſtella* dicitur, propter mentis puritatem, virtutum luminoſitatem, quia illuminat mundum; propter ſitus ſublimitatem, quia habitat in altiſſimis; effectus vtilitatem, quia vapores peccatorum attrahit, & tollit, hilariter lucem communicat, &c *Stella autem maris*, quia in ſummo poli ſita, & ſic Maria altiſſima, & humillima, quantitate parua; ſed virtute magna, qualitate vtilis, & clara, effectu ferrum attrahens, & nautas dirigens: Poſſunt de his proprietatibus dici alia multa; ſed ab alijs abundè ſunt ſcripta. O igitur Maria maris ſtella. Puriſſima, puriſſimè viuendo; Radioſiſſima radium æternum pariendo; Vtiliſſima ad littus patriæ erraticos nautas dirigendo: tu nos tuo radio ſemper, & ductu illuſtra, &c.

Secvndo, Syro ſermone, vt aiunt, Maria interpretatur *domina*, ſcilicet cæleſtium angelorum in cælo; terreſtrium hominum in mundo; infernorum dæmonum in inferno. Ita quod omnia ita ſubiecta ſunt dominatoribus pedibus eius; adeo dominans in vniuerſo, vt nemini abſque eius oris imperio liceat mouere pedem, poſſidere obolum, mutire verbum in toto mundo. O igitur præcelſa domina, Impera angelis, vt nos cuſtodiant; Iube hominibus, ne ſaluti obſiſtant; Cohibe dæmones,
Pſa 122. ne nobis noceant. Tu enim es Domina, in cuius manibus ſunt oculi ancillæ tuę munifica, & potens.

Luc.1. Tertio, interpretatur Maria *illuminata*, quia illuſtrata à patre luminum, cuius tot habuit in ſe radioſa luminaria, quot virtutum exempla. A Filio iuſtitię Sole, quo circum amicta, & vera lucifera, quia veræ lucis portatoria facta; à Spiritu ſancto, cuius donis irradiata, Iuxta illud Apoc. 18. *Vidi Angelum alium deſcendentem de cælo, habentem poteſtatem magnam, & terra illuminata eſt à gloria eius*, hæc terra illuminata, eſt beata Virgo, gratia, & gloria luminoſa.

Eccl. 24. Qvarto, *illuminatrix* eſt interpretata: Nam (vt canit Eccleſia) *eius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias*: Non ſolum militantem in terris: ſed & Eccleſiam, vt creditur, triumphātem in cœlis. Ita quod dicat, Ego ipſa feci, vt in cælis oriretur lumen indeficiens, & item a-
Ibidem lio loco, Illuminabo omnes ſperantes in domino, & hoc; vel Filium iuſtitię ſolem gignendo, vel fulgentiſſima iuſtitiæ, & virtutum exempla relinquendo, merito ergo illuminatrix interpretata.

Illuminans per
- Exempla vitæ,
- Beneficia miſericordię,
- Præmia gloriæ.

Lucerna enim eſt Eccleſiæ, columba nubis, & lumen ſolare terras irradians, & cælos.

Postremò, interpretatur Maria, quaſi *amarum mare*, & hoc propter aquarum, id eſt, gratiarum plenitudinem; propter dolorū, quos in Filij paſſione ſuſtinuit, amaritudinem; propter guttarū; id eſt, miſericordiarum inexhauribilitatem; & nauigij, id eſt imitationis aptitudinem. In mari enim via Chriſti, & noſtri; vel dicitur *mare amarum*, propter effectum, quia mundum, qui ei fuerat amarus, ſuis quoque amatoribus reddit amarum Aut certè; (vt ait Bonauentura.)

Maria eſt
- Mare gratia affluendo;
- Amara, Filio compatiendo;
- Amarum mare, diabolum ſubiugando.

Et hæc de interpretatione nominis Marię.

Quæ eſt
- Stella maris, hominibus conuerſis.
- Illuminata virtutum donis.
- Illuminatrix Angelis non auerſis.
- Amarum mare, dæmonibus peruerſis.
- Dominans creaturis vniuerſis.

Oremus vt ſit hęc omnia nobis.

§. 4. *Etymologia litteralis nominis Mariæ.*

M*Ater amans, &c.* In hoc iam verſiculo, vt nil intermiſiſſe de hoc nomine videamur, tangitur nominis litteralis etymologizatio, cuius inſtar innumeræ aliæ formari poſſunt, & reddi homo latus in meditando.

Primò, M, autem, vt tangitur in verſu etymologizaliter eſt mater Dei; & hominis; rei, & iudicis; immo, & verè poteſt dici mater vniuerſorum, & hoc *ratione vniuerſalis geniture*, quia vnum genuit, in quo omnes regenerauit; *ratione curę*, quia noſtri ſollicitiſſima fuit, in vno donans quidquid neceſſarium nobis; Tertio *ratione dignitatis*, quia primogenita ante o- *Eccle. 24.*
mnem creaturam, *Prioritatis*, quia in initio via- *Prou. 8.*
rum à Domino poſſeſſa, erga omnes geſtans viſcera, & exhibens ſtudia materna. O monſtra te eſſe matrem. Memor eſto filiorum, quos ſub cruce parturiſti, à Filio recommendatos. Habet iuxta leges mater curare de natis: Cum etiam ex natura amor maternus in filios debet eſſe tenerior, licet patris ſit ſolidior; *Tum quia* mulier magis pia, *tum quia* eſt magis certa, & à Filio magis dilecta; hæc eſt ergo mater cunctorum viuentium, figura.

Secvndo, A. *Id eſt amans.* Et præcipua amoroſa amatrix; quippe ineffabili charitate exſtuans in Deum, Chriſtum, hominem, & proximum; maiori charitate flagrans in ſubſtantia, quam angeli, licet ratione viæ, actu minori. Adeo quod omnis illorum amor huius collatione eſt velut tepor ſubſolanus, reſpectu meridiani efferuentis ſolis. In ſummo enim habuit erga Deum Filium dilectionem naturalem, acquiſitam, gratuitam.

Tertio, R. *Id eſt Regina.* Ipſa enim Regina, propter in Regina Saba præfigurationē, regiæ ſtirpis ortum, & generationem, ſpirita-

lis

lis gratiæ vnctionem, æterni Regis deſponſationem, regni vniuerſalis dotationem, potentialem iuriſdictionem, regalem coronationem dominans à mari vſque ad mare. Non proſequimur ſingula, requirantur inter aliorum ſcripta, ſatis ſunt vulgaria.

QVARTO, I. *Id eſt inimica ſerpentis*, Cui dictum in initio, *inimicitias ponam inter te, & mulierem.* De qua inimicitia Sapiens ait, *Non eſt ira ſuper iram mulieris, & non eſt caput nequius ſerpente*; Nullius .n. ita zelus contra ſerpentem, aut draconem pro agno Dei, & pro nobis excanduit, quemadmodum huius mulieris. Nullius item poſt *regem fortem in prælio*, glorioſum & victorioſum prelium, ſicut huius mulieris fortis, reginæ inimicantis, fuit cum dracone inſequente duellum. Perfecto enim odio odiuit inimicum.

Eccl. 25. — Pſa. 23.

QVINTO, A. *Id eſt Abra*, Ancilla ſummæ, & indiuiduæ Trinitatis, ac verbi incarnati, hominis quoque exulis, & peregrini, quibus omnibus ex nimia charitate ſeruiuit, ſciens, quod ingenua ſit ſeruitus, vbi vel ſeruitur ipſi Deo, vel propter Deum proximo, &c.

ET HÆC de etymologizatione nominis, quæ poteſt ſumi aliis varijs modis: vt eſt videre in libris; videlicet: Miſeratrix miſerorum; Aduocata reorum, Reconciliatrix peccatorũ, Iaculum inimicorum, Auxiliatrix laboratorũ. Quæ proſequitur Antonius. Et in Mariali ſuo Bernardinus de Buſto, varias huius tanti nominis etymologizationes litterales ponit.

PRIMO ſecundum proprietates quinque lapidum precioſorum, quorum nomina incipiunt à litteris, vnde contexitur Mariæ nomen.

Per { m, a, r, i, a } intelligitur {
- Margarita puritatis, & confortationis.
- Adamas reconciliationis amoris.
- Rubinus lætitię, & illuminationis.
- Iaſpis tutelę, & ſecuritatis.
- Allectorius bonæ fortunæ, gloriæ, & honoris.

Item per quinque illuſtres fœminas teſtamenti veteris. {
- m Michol.
- a Abigail.
- r Rachel.
- i Iudith.
- a Abiſag.

Item etymologizatur ſecundum quinque beneficia, quia {
- Mediatrix.
- Auxiliatrix.
- Reſtauratrix.
- Illuminatrix.
- Aduocatrix.

Item ſecundum quinque perfectiones eius, quæ ſunt, {
- Miſericordia pietatis.
- Altitudo contemplationis.
- Religioſitas deuotionis.
- Innocentia puritatis.
- Affluentia virtutis.

In hunc morem innumeræ ſumi poſſent etymologizationes litterales, quæ non prorſus inutiles. Nihil enim in hoc nomine vacuum laudum. Cum & tres eius ſyllabæ, myſteriis turgent.

Nam { Ma, ri, a } notat {
- Maternum affectum erga fideles.
- Rigorem ad dæmones.
- Acceptationẽ ad angelos.

IN OMNIBVS tamen his, quæ de gratiis gratioſiſſimę huius Virginis diximus, & priuilegiis dicturi ſumus, nos vt ſupra proteſtati fuimus, referimus ad veritates venerabilis Gerſonis, præſertim ad eam, quam pro capite ponit, in Opuſculo de ſuſceptione humanitatis Chriſti, vbi ait: *Chriſtus contulit Matri ſuæ ab initio, & conſequenter illas, & tantas gratias, quas, & quãtas cognouit eſſe conuenientes, ſecundũ ordinem ſuæ ſapientiæ. Et in hac veritatis ſoliditate, debet eſſe contentus quilibet Chriſtianus quantumcunque ipſi deuotus* Attamen quia particularizata præconia magis ad deuotionem mouẽt pios animos, cautè agendum de illis. Erratur ſiquidẽ hic à quibuſdam, qui arguunt à poſſe, & decere, quæ argumenta debilia ſunt, & inſufficientia. Potuit ſiquidem Chriſtus multas gratias dediſſe dulciſſimæ Matri ſuæ, quas tamen actualiter, & de facto non contulit: vtpotè impaſſibilitatem, conſũmatam fælicitatem, &c. Quas tamen ſi contuliſſet, bene decuiſſet. Sed valde aduertendum, quod huiuſmodi argumentatio Chriſtus potuiſſet, & poteſt multa facere, quæ etiam eum decuiſſent, ergo fecit, aut faciet; Conſequentia talis, quę fit à multis, ſæpe fallit per fallaciam petitionis principij, quia ſcilicet præſupponit ignotius quàm eſt principale. Ratio, quia nihil decet Deum facere; niſi ſecundum quod vult fieri, vt hæc venerandus ille doctor deducit. Sit ergo iſtud *limitatio, pro dictis, aut dicendis.* Sub dubio ſiquidem vertitur à nonnullis, ſi vſu rationis in vtero præuenta fuit. Si non ſomniauerit, aut ſi in ſomnio Deum contemplata fuerit. Nam quod ex ſcripturis ſanctis auctoritatem non habet, nec ex probabili ratione, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Quotieus ergo nomen iſtud dixerimus, iſta ruminemus, Mariæ congaudeamus, & reuerentialiter illud nominemus, orãtes, vt eius effectus in nobis perſentiamus. Et ex affectu dicamus: Sit nomen eius benedictum in ſæcula. Et illud,

Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt.

MEMBRVM III.

De plenitudine gratiarum Mariæ.

OMnia, &c. IN HOC verſu agitur de gratijs, quibus Maria repleta fuit, in qua haud dubium omnis gratia vitæ, & veritatis fuit, adeo vt ei angelus *Gratia plena* pro nomine proprio attribuit. Quamquam in Græca veritate, gratioſa habeatur, magis quam gratia plena. Et in primis dicitur, quod omnia gratiarum genera in ſummo poſt Chriſtum habuit; Gratiam ſcilicet gratum facientem, & gratiam gratis datam. Gratiam quoque corporalem, ſpiritualem, ſingularem, quæ eſt virginitas in carne, abundantiam virtutum mente, præſentiam Filij Dei in ventre.

Eccle. 24. κεχαριτωμένη.

Gratia gratum faciens in ea plenitudine fuit, quia & virtualis, ſacramentalis, & numeralis id eſt ſeptem donorum, in ea effluxit. Ita quod omni vitio caruit, & virtute claruit, vt ex paſſibus illis Bonauenturæ deducit; vbi nominatur nomen Maria in ſcripturis.

Gratis datæ gratiæ fuerunt in ea omnes, & ſingulæ, vt latè exequitur Alber. in ſuo de Laudibus Mariæ.

SECVNDÒ, non ſolum generalia, ſed & ſingularia gratiarum priuilegia, quæ in ſingulis reperiuntur, in ſummo continebat, vt in Roſariis infra ponendis patebit. Nam habuit ſingulares gratias naturalium bonorum; ſpiritualium charíſmatum; & cœleſtium donorum: vt proſequitur Dominus Antonius in 4. parte ſuæ ſummæ.

Habuit iuxta Bonauenturam gratiam { Veriſſimam, Immenſiſſimam, Multipliciſſimam, Vtiliſſimam.

Gratiam item { Donorum, Labiorum. Præmiorum.

TERTIO, illa gratiæ bona habuit, à quibus omnis creatura alia defecit, & vacua fuit: Nam *Nec ſimilem primam viſa eſt, nec habere ſequentem.* Nam in eo, quod eſt Dei mater, non communicat ſibi aliena; priuilegium hoc ipſi proprium manet, vt etiam de cæteris priuilegiis ſingularibus patet; vt infra in Roſario preçionioſo.

QVARTO, omni gratia merito plena dicitur, & fuit, quæ gratiam increatam tanto tẽpore in ſe continuit, & de ſe genuit. Corporaliter quippe in ea nouem menſibus requieuit, quem, & poſt tam crebro dulciter tractauit. O gratia ſuper gratiam, de qua hauſit totus mundus gratiam.

Eccl, 26. POSTREMÒ, gratia plena dicitur, quia tanta eius gratia fuit, quod pura creatura maioris gratiæ capax non fuit. Maiorem enim gratiam Dei Mater habere non potuit; niſi gratiam vnionis, hoc eſt vt ipſa Deus eſſet, cui proxime accedit; vt Bonauentura in 3. diſt. 44. declarat. Et hęc propriè eſt illa gratia, qua dicitur eſſe referta, quæ ita eſt ei propria, vt loco proprij nominis ab angelo ſit poſita, & nihil illi pro capacitate adijci poteſt. O igitur tantis referta gratijs communica nobiſcum de tuis bonis.

§. *Qualis fuit plenitudo gratiarum eius.*

XIV PLena velut, &c. HIC IAM tangitur qualis fuit plenitudo huius virginis, & qualiter huiuſmodi gratiis plena dicitur. ET PRIMÒ, huius plenitudo fuit ad inſtar *canalis*, cuius plenitudo eſt receptiua, & datiua, & non retentiua. Nam omnes gratiæ per eius manum tranſeunt, & nihil reſeruat incommunicatum; vnde legimus: *Ego quaſi aquaductus exiui de paradiſo Dei,* &c. *Ideo* enim (ait Bernardus) *diu defecerunt fluenta gratiarum, quia non venerat is aquaductus.* De quo pulchrè in Ser. de Natiuit. proſequutus. Eccle. 24

SECVNDÒ, plena fuit plenitudine *vaſis*, cuius plenitudo eſt receptiua, & retentiua, ſed non datiua. Et ſic plena fuit omnibus gratiis creatis ſecundũ ſpeciẽ, quas in ſummo habuit, & non amiſit; & quemadmodum vas plenum negat vacuitatem, & magis capere non poteſt; ſic & Marię plenitudo vacuitatẽ priuat, & maiorem, (vt dictum eſt) gratiã capere nõ potuit, ea, ad quam deſtinata fuit. Hinc ſcriptum eſt *vas admirabile, opus excelſi.* Planè vas mirabile, quia maius continuit ſeipſo. Eccl. 44.

TERTIA plenitudo fuit ad ſimilitudinẽ fontis, cuius plenitudo eſt receptiua, retentiua, & datiua; Nã vt plenus fons, plenus manet, & effluit: Sic & Maria in ſe plena manet, licet in nos effluat, de cuius plenitudine accipimus omnes; hinc dicitur *Fons paruus, qui creuit in flumium, & in aquas plurimas redundauit.* Hest. 10. Rectè *fons* Maria propter gratiarũ abundantiam; *Paruus* propter humilitatis excellentiam; *Creuit in flumium,* quando peperit Chriſtum; *In aquas plurimas redũdauit,* cũ nobis eius bona cõmunicauit

QVARTO, plena fuit gratiis: quemadmodũ *domus, vrbs, vel ciuitas* dicitur plena hominibus aut animalibus: Ipſa eſt enim *ciuitas illa Dei, de qua dicta ſunt glorioſa,* Pſa. 86. quippe tacta *omnium lætantiuũ habitatio, vrbs fortitudinis noſtrę, in qua Saluator poſitus eſt murus, & antemurale,* Eſa. 36. in qua qui requieſcit omne neceſſarium victui, & delitiis reperiet. Et de hac plenitudine ipſa dicit, *Et in plenitudine ſanctorum detentio mea.* Eccl. 24.

QVINTÒ, fuit plena, quemadmodum *locus* dicitur plenus fructibus, aut *pratum* floribus: Vnde plena eſt *ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus;* Gen. 27. *aromatizans, vt balſamum,* Eccl. 24. *& cynamomum, dilecto ſeruans poma, & vetera, & noua.* Cant. 7.

POSTREMO, vt paucis multa dicamus, omni plenitudine & omni plenitudinis modo plena fuit. Poſſemus iam hic adducere varias illas plenitudinis acceptiones, ſcilicet quod eſt *plenitudo ſufficientię, excellentia, ſuperfluentia,* & huiuſmodi multa; ſed de his paſſim ſcribunt Doctores hoc ſolum adijcimus, quod totaliter, permanenter, & ſupereffluenter plena fuit: quemadmodum Henricus de Haſſia ſuper Aue Maria dicit inquiens: *Aue gratia plena.* O *verè plena totaliter, permanenter, & ſupereffluenter. Totaliter inquam: Nil enim in te fuit, quod non gratia plenum eſſet: Corpus plenum gratia pulchritudinis naturalis; venter gratia Diuinitatis, cor gratia charitatis; os gratia affabilitatis; in manibus plena fuiſti gratia miſericordia, & largitatis, in greſſu fuit maturitas grauiſſima, in vultu puritas pudiciſſima, in intellectu prudentia, in cogitatu munditia, modeſtia in auditu, temperantia in affectu, in aſpectu verecundia, & in omni ſenſu, & corporis geſtu, virtutum relucentia. Vere ergo totaliter plena, & nihil gratia defuit, aliter plena dici non poſſes. Plena etiam permanenter: Quia gratiam quam inueniſti nunquam poſt amiſiſti; Partem optimam quam ſemel elegiſti, nunquam deſeruiſti. Plena etiam ſupereffluenter, de cuius plenitudine accipiunt vniuerſi, Triſtes conſolationem, peccatores veniam, iuſti perfectionem, angeli lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, & Dei Filius humana carnis ſubſtantia.* O ergo mater gratiæ, gratia plena, fac nos pleni-

Digitized by Google

tudinis tuæ participes,& in nos redundet gratiæ tuę vena.

MEMBRVM IV.

Quomodo Dominus fuit cum Maria.

XV. TOta modis, &c. HIC IAM oſtenditur quomodo Deus fuerit cum Maria,& ſuper illo verbo, *Dominus tecum* ponuntur quædam meditabilia eius explanatiua, & tangitur in iſtis dulciſſima Mariæ conſolatio: quemadmodum in *Gratia plena*, digna commendatio; & in *Aue Maria*, grata ſalutatio. Quid enim magis conſolatorium,aut conſolationis plenũ poteſt audire Maria, niſi quod *Dominus ſit cum ea:* Dominus inquam eſſentialiter, quia tota Trinitas totaliter, quæ myſterium illud magnum in Maria operata eſt vniformiter. *Dominus ſcilicet Pater tecum*,qui Filium ſuum fecit, & tuum, oſtendens in te ſummam ſuam potentiam. *Dominus Filius tecum*, qui ſic egreſſus eſt genitale ſecretum (ait Haſſia)is tibi ſeruans integrum virginale ſignaculum, ſuam in te oſtendens ſapientiam. *Dominus Spiritus ſanctus tecum;* qui cum vtriſque tuum ſanctificat vterum, operans grande illud in te ſacramentum, ſummam in te oſtendens gratiam. Tecum ergo Trinitas tota,quia Patris ſponſa, Mater Filij, Spiritus ſancti theſauraria. Longã, & deuotam hic deductionem facit ſanctus Bonauentura. De *Dominus*, notans Domini illius qualitatem.

Quia Dominus { Terræ omnium Generaliter. Hominum Specialiter. Tuus Singulariter.

Dominus { Potentiſſimus, ſapientiſſimus, Opulentiſſimus, indeficientiſſimus. Pijſſimus, iuſtiſſimus: Certiſſimus, nominatiſſimus. Cuius hæc eſt filia, mater,ſponſa, ancilla.

Hæc ſingula applicans qualitati Beatæ Marię.

SECVNDO fuit *tecum*,non ſolum generaliter,vt cum omnibus, ſed *ſpecialiter*, & omnibus modis quibus aliquid cum alio eſſe poteſt. Et hoc *primo in eſſe ſubſtantiali*, quia in vna quodammodo humanitate,qua fuit verus homo,de homine vero. *In quali* quia erat ſimilitudo, & conformitas in voluntate:Conformiter enim Chriſto Maria volebat ſimulque cũ eo placitum Patris impleri ſemper cupiebat, &c. *Item in quanto*;ſcilicet, æqualis potentia in genere: Nam eiuſdem regni ipſa eſt regina,cuius ipſe eſt Rex.Item fuit cum ea omnibus modis, quia in omni materie vnionis, id eſt, *vnione naturali*, qualis eſt arboris ad fructum,matris ad filium: Ipſa enim fuit arbor, fructus Chriſtus;ipſa Mater,ipſe Filius eius.Item *vnione ſpirituali*, qualis Dei ad animam. *Qui enim adhæret Deo vnus Spiritus eſt cum Deo. Vnione Sacramentali*, 1.Cor. 6. qualis ſponſi ad ſponſam:Cant.c.7. *Dilectus enim eius illi, & ad eam conuerſio eius.* Fuit etiam ſecum Dominus, & ipſa cum eo patiendo,*ei compatiendo*,vt ancilla fideliſſima Domino, vt mater amantiſſima dilecto filio;vt membrum capiti ſuo. Similiter, & *in agendo*, omnia agens cum ea: Eſt,& Dominus tecum per eſſentiam, præſentiam, potentiam, inhabitantem gratiam, corporalẽ pœnitentiam. Tecum inquam in mente, tecum in ventre, tecum in vtero;tecum in auxilio. Ergo omni modo tecum, quo contingit aliquid eſſe cum alio.

Sicut { Sol cum aurora, Flos cum virga, Rex cum regina } ad ipſũ { Præueniente. Producente, Ingrediente.

Quæ deuotè deducit deuotus Bonauentura.

TERTIO *tecum Dominus* non ſolum totaliter, & omnibus eſſendi modis, ſed & *ſemper* omnibus ſcilicet tẽporibus. Quia in tẽpore *propriæ humiliationis*,vt in purificatione. In tẽpore *alienæ perſecutionis*,ſicut quãdo fugit in Ægyptũ, & quando iuxta crucem ſtabat in Filij paſſione; *Mat. 2. Io. 19.* In tempore *gaudioſæ conſolationis*, vt in reſurrectione,& aſſumptione.

QVARTO *tecum vbique* in omni ſcilicet loco,ſcilicet in *loco naturali*, vt in eius vtero; *Loco pœnali*,vt in fuga Ægypti,& exilio;In *loco dignitoſo*, & ſupernaturali, vt in regni cœleſtis ſolio: Pſ.44. *Aſtat enim regina à dextris in veſtitu deaurato* ,&c.Item tecum in omni *loco famoſo*,quia ſimul in domo,vt frater cum ſorore. Tecum in *menſa*, vt filius cum matre. Tecum etiam quo *ad ſitum*,quia nouem menſibus cõtentus in vtero cum iacente iacebat,cum ſurgente ſurgebat, &c. Ergo tecum omni modo. Item in memoria ratione, & voluntate.

POSTREMO tecũ ad omnem actum, in quo homines communicare ſolent inuicem. Tria enim ſunt genera hominum, quæ neceſſario communicant ad aliquid agendum: Contrahentes, generantes,adiuuantes. Et ipſa beata Virgo communicat cum Domino Deo in cõtractu matrimonij hominis, & Dei;in generatione eius Filij; *Gen. 2.* in adiutorio etiam generis humani. Ipſa enim facta erat adiutorium ſimile ſibi, mulier illa vna, quæ fecit confuſionem in Nabuchodonoſor, & ideo notanter dictũ eſt à Domino, Eſ. 53. *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.* Verè verum eſt Domine,quod non eſt vir tecum,quæ omnia vulnera, quę tu ſuſcepiſti in corpore; ſuſcepit in corde,tibi (per affectũ) cooperãs in redẽptionis opere: ſicut prior Eua Adę priori (per effectum) in peccati perpetratione.

Ponit^r, & Dominus Antoni. in 4. parte ſummæ alia opera, & alios actus, in quibus communicauit ei Dominus. Nam fuit cum ea, (vt dicit) Ad carnem de ea aſſumendam; ad prolem eius exaltandam; ad ipſam magnificandam, quos breuitatis cauſa tranſimus, quamuis deuoti ſint meditatu. Nouum eſt, quod ſecum communicauit, dum carnem ex ea aſſumpſit, quia teſte Auguſtino nouem menſibus, & ſex diebus in eius

vtero dignanter ſtetit, Ita quod in vtero benedicto, ducentis ſeptuaginta ſex diebus perſtitit. Vnde iure à ſingulis, ſingulariter regratiandus venit.

Secundo cum ea Dominus fuit, ad Filium
Trev.1. de ea natum exaltandum: Deus enim exaltauit illum, & magnum fecit illum, quemadmodum à Gabriele repromiſſum, *Erit*, inquit
Luc.1. *magnus*. Vere magnus, magnificus, & magnificatus nimis, quia tam magnus quàm altiſſimus ipſe, magnus omnibus magnitudinis modis, hoc verſiculo complexis.

Nobilis, & dignus, nouus, vtilis, nomine, poſſe.

Nobilis, ſiquidem in portis vir eius, Rex re-
Apoc.19. gum, & dominantium Dominus: De quo no-
Pro.13. uum ſuper terram fecit Dominus; Nobis *Sal-*
Ier.31. uator datus, & natus; A *ſolis ortu vſque ad oc-*
Eſa.5. *caſum magnum nomen eius*. Cui omnis pote-
Mal.1. ſtas data in cœlis, & terris. Qui inſuper ma-
Mat.18. gnus omni modo magnitudinis, deducendo ſecundum decem cathegorias, & prædicamenta Ariſtotelis.

Pſ.95.	Magnus ſecũdũ	Subſtãtiam.	Quia	Magnus Dominus, & laudabilis nimis.
Deut.32.		Quãtitaté,		Omnipotens nomen eius.
Ibidem. Pſ.146.		Qualitaté,		Magnificus in ſãctitate: Magna virtus eius.
Luc.1.		Relationẽ,		Filius altiſſimus de quo, Hic erit magnus.
Dan.7.		Quando vel tẽpus,		Antiquus dierũ, & æternus, nec initium, nec finem habens.
2.Par.3.		Vbi vel locũ,		Immenſus quem cœli cœlorum non capiunt.
Eſa.66.		Situm,		Cęlum illi ſedes, & terra ſcabellum pedum eius.
Pro.31.		Habitum,		Fortitudo, & decor indumentum eius.
Eſa.45.		Actionem,		Creans cœlum, & terrã, & omnia gubernans.
Eſa.53.		Paſſionem,		Nouiſſimus virorum, languores noſtros tulit.

Pſ.48. Planè ſimul in vnum, pauper, & diues, par-
Eſa.11. uus, & magnus. Leo, & agnus, tanquam verus
3. Reg.10. Salomon Rex pacificus, ſuper omnes vehementer magnificatus.

Dominus poſtremo cum Maria ad ipſam quoque magnificandam. Fecit etenim illi magna. Vnde, & magnificauit anima ipſius eum, vtique iam ab illo magnificata. Nam ſecundum
Luc.1. omnes modos, quibus vnquam legitur Deus feciſſe aliquos magnos, vel aliqua magna, beata hæc, & magnifica Maria à Deo eſt magnificata: vt multum latè deducit Ioannes Dominici, quẽ Antoninus allegat in Sũma ſua in quarta parte. Sufficiant igitur de *Dominus tecũ* iſta. Si ergo, ô Domina, Dominus tecum, oratio ſit, & mecum; & qui tecum fuit per ſpecialem aſſiſtentiam, obſecro mecũ ſit per ſpecialẽ gratiam, vt ſim tandem cum eo, & tecum per finalem gloriam, Amen.

MEMBRVM V.

Quomodo Maria benedicta in mulieribus dicatur.

EVadis retinens, &c, HIC IAM oſtendi- XVI.
tur quomodo Maria *benedicta in mulieribus* aſſeratur. Et in his verbis ſingulis, huius virginis perfectio, & ſpecialis electio deſignatur. Nam omnibus modis fuit benedicta. Et hoc *primo*, quia ab omni maledicto euacuata, ergo dicitur *Euadis*. Euaſit nempe *maledictum natura*, quod eſt opprobrium ſterilitatis; *Maledictum culpa*, quod eſt fœditas libidinis. *Maledictum pœna*, quod eſt inflictio pœnalitatis, quorum quodque adhuc triplicatur: Ita quod fiunt nouem maledictiones, quas omnes Maria euaſit, per contrarias nouem benedictiones. Nã in opprobrio ſterilitatis, triplex fuit maledictio. Nam virgo ſterilis erat omnibus contempta, ſolatio deſtituta, ſucceſſione prolis priuata. Contra quæ naturæ maledicta, tres benedictiones habuit Maria; Ipſa enim fuit angelis, & hominibus reuerendiſſima; Filio Dei deuota, omnium fidelium ſucceſſione glorificata, quippe Mater omnium ſub cruce conſtituta, cum illi diceba tur, Mulier ecce filius tuus.

Similiter maledictum culpæ erat triplica-
tum: Nam in eo erat libido imprægnantis; fœ- Io.19.
ditas coucipientis; peccatum naſcentis. Beata autem virgo Maria, contrarijs bonis erat benedicta: Quia in eius conceptione impregnãs fuit ſine libidine, quia Spiritus ſanctus; concipiens ſine fœditate, quia virgo manſit; naſcens ſine peccato, quia naſcebatur Deus.

Pariformiter, & pœnæ maledictum triplici erat maledicto exaggeratum; ſcilicet damni in virginitatẽ perdendo; laboris in portando; doloris in pariendo. Sed contra Mariæ virginitas, in concipiendo conſeruata fuit; ſine labore portauit; ſine dolore peperit, ergo ab omni maledictione libera fuit. Iure ergo dicitur benedicta, quia ab omni maledicto naturæ, culpæ, & pœnæ fuit libera. Sicut etiam de ſingulis ſeptem peccatis mortalibus Bonauentr. deducit contra quæ erat benedicta: Contra enim ſuperbiam ipſa fuit vallis humilita-
tis; contra inuidiam fuit in ipſa benedictio il- Exo.3.
lius, qui apparuit in rubo, igne ſuccenſa charitatis.

SECVNDO dicitur benedicta, quia fœcun-
ditate ſuper exaltata, vt ibi capitur, *Benedixit* Gen.1.
eis dicens, Creſcite, & multiplicamini. Geneſ. cap.1. Et hæc quoque benedictio poteſt eſſe triplex: Vna ex parte agentis; altera ex parte generati; tertia ex parte gignentis. Et quælibet harum triplex: *Agens* enim in iſta conceptione fuit Deus Trinitas, Filius, Pater,

Spiritus

Spiritus ſanctus. Et ergo ſuperexaltata nimis. *Ex parte generati*, eſt exaltata generatio ſuper omnem generationem, vbi concipitur vir perfectus in naturalibus; Sed magis exaltata, vbi conceptus eſt vir Sanctus gratia, & virtutibus plenus; Sed ſuperexaltata, vbi concipitur vir perfectiſſimus, homo ſanctiſſimus, & ſummus Deus. Item *ex parte gignentis* exaltata fuit, quia virgo concepit; plus, exaltata, quia virgo peperit; exaltatiſſima, quia virgo, & mater lactauit. Quia vero omnia bona hæc obtinuit, verè benedicta fuit. Benedicta inquam (vt Bonauen. deducit.)

Propter
- Plenitudinem gratiæ in te venerandæ.
- Multitudinem miſericordiæ per te præſtandæ.
- Celſitudinem perſonæ ex te incarnandæ.
- Magnitudinem gloriæ ſuper te cumulandæ.

TERTIO dicitur benedicta, quia ſingulari gratia dotata. Dicitur enim benedictio ſingularis gratiæ collatio, vt ibi, *Benedixit Dominus Abraham*. Et hæc in virgine triplex fuit: Nã *primo* fuit ſecundum dignitatem, caput omniũ fœminarum, & principium; Et hoc ratione triplici, *Tum* quia habuit quicquid boni in fœminis fuit: *Tum* quia habuit quicquid boni in fœminis fuit: *Tum* quia quodlibet illorum in ſummo habuit; *tum etiam quia* illud habuit, quod nunquam aliqua fœmina plus habuit, vel habere potuit. (Gen. 12.)

Secunda ſpecialis gratia eſt, quod mater omnium fuit. Fuit enim Mater vnius hominis per generationem; Omnium hominum mater per regenerationem; & Virginum mater per imitationem, vel potius exempli præhibitionem. De cuius maternitate iam aliqua tacta, & adhuc aliqua ſunt tangenda.

Tertia gratia ſpecialis eſt, quod *Domina vniuerſorum* eſt, & fuit; Et hoc triplici ratione: Efficitur enim quis Dominus rei alicuius *per operationem*; quia ſcilicet rem operatus eſt, & conduxit in eſſe; Secundo per *emptionem*, tertio per *electionem*: vt Prælati. Et quæque conuenit Virgini Matri; Fuit enim Domina omnium *creaturarum*, vt puta Mater Creatoris; Omnium *redemptorum*, vt adiutrix redemptoris; *vniuerſorum Domina*, quia Regina creaturarum, & regeneratorum. Ergo vere benedicta fuit.

QVARTO benedicta fuit, quia omnis benedictio in ſcripturis *poſita*, in ſummo ei cõuenit; vt puta, benedictio omnium creaturarum, omnium Patriarcharum, omnium, & fœminarum: prout pulchre, & late Dominus Albertus in de laudibus eius deducit. Vere ergo benedicta hæc filia à Domino cui conuenit omnis omnium benedictio, per quam & ſublata eſt maledictio omnis.

Poſtremo dicitur benedicta, quia ab omnibus congratulanter collaudata: Collaudatur enim ab angelis, hominibus, & reliquis creaturis; Genuit quippe angelorum reſtauratorẽ hominum redemptorem, creaturarum innouatorem; vnde merito beatam eam dicunt (Iudith 13.) omnes generationes cœli, & terræ, Iuxta illud. *Benedixerunt eam omnes vna voce dicentes, Tu gloria Hieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi tui.* (Iudith. 15)

Dicitur autem, *benedicta in mulieribus* non ſimpliciter, ſed etiam in benedictis inſignites benedicta magis, ſecundum illud, *In multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur.* (Eccl. 24.) Nam omnium mulierum habuit bonum; Bonum ſcilicet Virginum; Coniugatarum; & Viduarum. O igitur benedicta tu filia à Domino Deo excelſo, præ omnibus mulieribus ſuper terram, & nos cœleſtibus donis benedici impetra, quæ es ſic in, & præ mulieribus benedicta. Et hæc de explanatione angelicæ ſalutationis, ſequitur de additione Eliſabet, & Eccleſiæ.

Roſarium de explanatione reſiduę partis Angelicæ ſalutationis, ab Elizabeth, ſcilicet, & ab Eccleſia addita.

CAP. IV.

CAuſa, typus, cunctis, ſemper, benedictio cuncta,
Nam caruit, retinet, præcellit, ſiutus ineſſe.

Cultus huius benedicti fructus.
Eſt ſatus, exortus, collectus, latus, & excuſſus.
Multus, purgatus, oblatus, caſus, & eſus.

Qualitas huius fructus.
Dulcis, aromaticus, & amœnus, mirus, & annus.

Effectus huius fructus.
Sanat, confortat, recreat, ſatiat, valet omne,

¶ Nunc de ventre. Et primo comparationes eius.
Venter hic; arca, thronus, cœlum, paradiſus, & hortus.

Qualitas ventris.
Sanctus, mirandus, elatus; & vtilis omni.

¶ Qualitas nominis Ieſu.
Optatum, magnum, grauidumque bonum ſimulatum.

Cur Chriſtus dicatur.
Rexque Propheta, pugilque Sacerdos, vngit, & omnes.

IN hoc Roſario traduntur quædam meditabilia, & explanatoria circa reſidua ſalutationis verba, quæ à beata Eliſabeth, & Eccleſia ſunt appoſita, quæ non minori deuotione, ſuperioribus legenda; prægnant enim myſterijs, & ſunt ſenſu grauida. Et primo ponuntur aliqua circa Benedictus annotanda.

MEMBRVM I.

Qualis fuit, & eſt benedictio fructus Virginis.

1. CAuſa, &c. HIS VERSIBVS deſcribitur qualis fuit, & eſt benedictio, qua fructus virgineus dicitur benedictus. ET PRIMO quidem benedictus eſt benedictione *cauſali*, *& actiua*; quippe qui omnium eſt benedictionum cauſa: In quo iuxta Diuinum promiſſum, ſunt *benedicendæ omnes gentes*, & ſunt benedictæ; Et hoc in *eſſe natura*, quo ad eſſe; *In eſſe gratia*, quo ad bene eſſe; In *eſſe gloria*, quo ad optimum eſſe dedit, quod pſaltes deſiderauit, Pſal.66. *Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos Deus.* Item benedixit nos Deus benedictione corporali, ſpirituali; & cœleſti, & breuiter (vt Apoſtolus ait, Epheſ. 1) *Benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus*: vnde merito cauſaliter dicitur benedictus.

SECVNDO dicitur *benedictus*, quia ei conuenit omnium benedictionum figura, veritas, & propriorum typus; præ cunctis enim, & in cunctis ipſe benedictus fuit; Et quantum figuram, aut vmbram veritas; tantum huius benedictio excedit cæteras illas typicas, vt patet decurrenti per ſingulas. O quam hoc deuorum, ſed prolixum.

TERTIO dicitur *benedictus*, quia benedictione *paſſiua*, à cunctis fuit benedictus. A cunctis inquam benedictus: A cœleſti Patre, à Virgine Matre; Ab angelis in cœlis; ab hominibus in terris, corde, ore, & opere eſt benedictus. Nam de benedictione cordis, Pſal.102. dicit, *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt*, &c. de oris benedictione idem ait, *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* Pſ.33. De opere quoque dicit, *Benedicam Dominum in vita mea.* Eſt ergo paſſiua benedictione benedictus.

QVARTO omni tempore eſt benedictus, & benedicendus; *Internum, ſcilicet & vltra*; Inter proſpera, & aduerſa, ſicut ait Pſal.68. *Benedicam Dominum in omni tempore*, &c.

QVINTO dicitur benedictus, quia ei conuenit benedictio omnis, quocunque modo accepta fuerit, ſiue quantum *ad ſignificationem*; ſcilicet ſecundum omnia benedictionis ſignificata; ſiue quantum *ad ſuppoſitionem*. ſecundum omnia appellata; ſiue quantum ad *ſubſtantiam* ſecundum, ſcilicet eſſentiam propriam: vt patebit ex ſubſequentibus membris. Rectè ergo dicitur benedictus.

SEXTO ergo dicitur benedictus, quia omni malo caruit, & omni maledicto euacuatus fuit, quo genus humanum maledictum fuit: Triplex autem maledictum homo inciderat, ſcilicet punctionem fomitis; laborem inuiniendæ veritatis; & neceſſitatem incinerationis. Sed huius triplicis maledicti euacuatio, fuit in iſto fructu benedicto: Nam puncturam fomitis non habuit, omnia ſciuit, corruptionem non vidit, ergo benedictus fuit.

SEPTIMO benedictus fuit, quia omne bonum retinuit, & omnis benedictionis poſſeſſionem habuit: Habuit enim bonitatem humanæ naturæ in ſummo, quia optimus homo fuit; Bonitatem diuinæ naturæ in ſummo, quia verus Deus fuit; Bonitatem quæ eſt ex coniunctione vtriuſque, quia ſimul Deus, & homo fuit. Et ſic omne bonum diuinum, & humanum poſſeit, & retinuit, vere ergo benedictus fuit.

OCTAVO benedictus fuit, quia omniũ benedictiones ſuperauit, quippe qui in omnibꝰ primatũ tenuit. Benedictionẽ enim naturæ ſuper omnes in ſummo habuit, qui & corpus benedictum, & animam, & Deitatem benedictam habuit: *Corpus* benedictum in materia, forma, & harmonia: *Animam* benedictam, ab omni malo liberam, & omni bono repletam; erga Deum ſumma imagine, & ſimilitudine; erga corpus habentem ſe ſine contrarietate. Benedictam etiam tripliciter *Deitatem* habuit in operibus, in ſe, & in donis. Habuit & benedictiones gratiæ, & gloriæ de quibus latè agit. Alber. in de laude Virginis.

NONO benedictus fuit, prout benedictio dicitur congratulantium collaudatio, quia ab omnibus *fautus*; ſi ita debeat dici, niſi propter metrum. Fauent enim ei Angeli; quos reſtaurauit; Totum vniuerſum, quod innouauit. Huic omnes qui præcedunt, & ſequuntur ac *Eſ.6.* clamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, & qui venit in nomine Domini, is ſit benedictus: In æternum, & vltra benedictus. *Mat.21.*

POSTREMO dicitur benedictus quantũ ad partes integrales benedictionis; quia ſcilicet in origine, & eſſentia benedictus fuit: *In origine* quidem, habens originem benedictam Trinitatem, quo ad creationem; benedictam Matrem virginem per natiuitatem, benedictum Patrem, quo ad Deitatis generationem. *In flore* vnde proceſſit: Quantum ad eſſentiã benedictus fuit. In odore implens *cognoſcitiuam*, quia *verum*, vnde legis, *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni cui benedixit Dominus*, &c. *Gen.27.* In ſapore reficiens *affectiuam*, inquantum *bonum*, vnde hortamur in Pſ.33. *Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* Eſt dulcis eſt ſponſę fructus iſte, &c. *Cant.2.* *In ſpecie* decor beatificans comprehenſiuam, inquantum ſummum, & arduum; quippe qui *ſpecioſus forma præ filijs hominum.* Poſtremo eſt etiam benedictus *in valore*, valens in omnem vſum; puta in medi- *Pſ.44.* camentum contra omne malum; In cibum habentem omne delectamentum; In pretium comparans omne bonum, iuxta illud, *Empti* *1.Cor.6.* *eſtis pretio.* Verè benedictus ſecundum omnẽ modum: vt latius declarat venerabilis Dominus Alber. in lib. memorato; vnde hæc ferè omnia ſumpſimus, etiam quaſi ad verbum. Videatur igitur, & ſtudeatur liber iſte, cum alijs Marialibus virgini noſtrę deuotis Et exoremus quo ſic benedictus, benedicta hac virgine interueniente, etiam benedicat nobis: In *Pſ.71.* ipſo enim ſunt benedicendæ omnes terræ tribus, Amen.

MEM-

MEMBRVM II.

Conſiderationes circa fructum Virginis.

II. ESt ſatus, &c. IN CONSEQVENTIBVS quatuor verſibus, ponuntur quædam conſideranda, circa *fructum* huins virginis. Et in primis duobus deſcribitur huius fructus cultus, & vſus.

§ 1. *Cultus ſeu præparatio, & comeſtio huius fructus.*

NAm is eſt fructus virginei ventris, qui in eius *conceptione*, ſatus eſt, & ſeminatus in Mariæ vtero, velut in horto deliciarum, & horto concluſo. Vbi ſurculus Deitatis inſitus eſt trunco noſtræ humilitatis, à vero agricola Trinitate, cuius hoc fuit dignantiſſimum opus. Non quidem conceptus *virili ſemine*; ſed *myſtico ſpiramine*, &c.

SECVNDO is fructus prodijt, & in lucem eſt exortus; in eius, ſcilicet *natiuitate*, quãdo mundnm viſibiliter eſt ingreſſus: Tunc enim germinauit radix Ieſſe, & terra genuit
Eſa. 35. & 45. Saluatorem, dando fructum diu deſideratum:
Pſ. 48. Iuxta illud Cant. c. 8. *Quis mihi det te, fratrem meum, ſuggentem vbera matris meæ, vt inueniã te foris, & deoſculer te*, &c.

TERTIO ab horticolis fructus is fuit collectus, quando à Matre *pannis inuolutus*, & à paſtoribus, & regibus, inquiſitus, inuentus, & adoratus, & velut verus panis in Bethlehem domo panis, in fidelium cordibus collectus.

QVARTO fructus is in domum Domini cum gaudio eſt allatus, quando in templo in ſuorum iubilo eſt æterno Patri magno patrifamilias, velut decimę, aut primitię præſenſatus. Verè nunquam pretioſior fructus in domum Domini fuit adductus.

QVINTO fuit is fructus excuſſus, & *ventilatus*; quando fuit acerrimè à militibus correptus, & flagellatus: vt excuteretur palea noſtri peccati, & ſcœleris. O gratias fructui illi

SEXTO eſt fructus iſte commolitus, in reſidua *paſſione*; vbi adeo propter noſtra peccata fuit attritus, vt à planta pedis vſque ad verti-
Eſa. 1. cem non fuerit in eo ſanitas, propter peccata
Eſa. 53. populi ſui percuſſus.

SEPTIMO eſt in ſua *reſurrectione purgatus*, quando à Patre eſt exaltatus: Tunc enim Ie-
Zach. 3. ſus, qui ante in ſordidis veſtibus ſtabat, dum ei aduerſabatur Sathan, decorem, induit forti-
Pſ. 92. tudine ſe præcinxit.

OCTAVO in cœli curia legali menſæ in *aſcenſione* fuit oblatus, quando Filius ſe Patri pro nobis in cœleſti illo Sanctuario obtulit, & Angelis humanitatem contemplandam inuexit.

NONO poſt Spiritusſancti miſſionem, eſt fructus iſte inciſus, diuiſus, & maſticatus, quãdo fuit per orbem prædicatus, & diuulgatus; Spiritus enim Apoſtolis dentes intelligentiæ, & ſapientiæ dedit, libri ſignacula reſerauit: vt fructus huius myſteria dinoſcerent, arctius amarent, & vndique diuulgarent, & quaſi per bolos, id eſt, fidei articulos, apponerent.

Poſtremo cibus, & fructus iſti peroptime prioribus præparatus, vtrique Eccleſiæ comedendus eſt appoſitus: Nam *in via*, in Eccleſia militante, comeditur per fidem, in velamine, ſub Euchariſtia; In *patria* autem, in Eccleſia triumphante, per claram viſionem, ſub ſpecie, & forma propria, panis hominum, & quodammodo Angelorum. Ora igitur Virgo huius fructus genitrix, quo dignè participemus ſemper fructui tui virginei ventris: vt ſic eum edemur per fidem in via: vt tandem eum epulemur clarè in Patria. Amen.

§. 2. *De qualitate huius fructus.*

DVlcis aromaticus. IN HOC verſu deſcribitur *qualitas* huius fructus, qui totus III.
eſt deſiderabilis, & amabilis præ cunctis. *Et primo* dicitur, quod ipſe ſit affectui *dulciſſimus*, Cant. 2.
iuxta illud, *Et fructus eius gutturi meo dulcis*. Et quid mirum ſi dulcis, qui tam altus? Ait enim Bernardus: *Fructus quanto altior, tam dulcior, quia ergo ipſe ſolus altiſſimus, ſolus eſt dulciſſimus*. Vere dulcis iſte fructus, dulcis in verbo, & exemplo; dulcior in facto, & promiſſo; ita vt exclamet propheta in Pſ. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua*. Si tam dulcia eloquia, quæ ſunt de hoc fructu; quam putas dulcior eſt fructus is in eſſentia? O fœlix cui guſtandus datus fuerit, quam eſt ſapore dulcis.

SECVNDO eſt ſicut dulcis ſapore, ſic etiam *aromaticus odore*: Iuxta illud, Cant. 4. *Odor vnguentorum tuorũ ſuper omnia aromata*. Cuius odoriferi fructus fragrantiam ſentiebat, qui dicebat, *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni fragrantia*, ſpargens famam, & opinionem; a- Gen. 27.
deo vt eius *odore currant adoleſcentulæ*, & odor Cant. 1.
eius concupiſcentias excitat ſanctas; ita quod de fructu ſuo dicere poteſt beata Virgo. Eccle. 24. *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris*.

TERTIO eſt *amœnus ſpecie, & colore*, io- Cant. 5.
cundans ſe intuentes. Cant. 5. *Candidus nempe* Pſ. 44.
eſt, & rubicundus, totus pulcher, & præ filijs hominũ ſpecioſus. Candens vt liliũ; & vt roſa rubens, caſtos, & amantes ſui eſores efficiens, & conuerſatione delectans. De quo fructu recte illud Leuit. c. 23. intelligi poteſt, dicentis, *de primo fructus arboris pulcherrimæ*. Adeo enim
eſt pulcherrimus, vt deſideretur ab An[illegible]. 1. Pet. 1.

QVARTO mirus eſt, & *mirabi[illegible]pere*, & effectu. Pſ. 4. *Mirificauit enim Dominus ſan-* Ier. 31.
ctum ſuum; Et hoc *in ortu*, quando fœmina cir- Ezech. 44.
cundedit virum, & porta clauſa eſt egreſſus. Io. 7.
In progreſſu, quoniam nunquam ſic eſt homo locutus, miraculis, & prodigijs clarificatus. *In egreſſu*, quando tam mirabiliter, tanta pro
talibus paſſus, mirificè reſurrexit, & aſcendit. Eſa. 9.
Vnde merito nomen fructus huius, vocatum eſt *admirabilis*, qui etiam effectu eſt virtuoſus: vt Bonauentura notat.

Ad { Perditorum ſaluationem.
Saluandorum multiplicationem.
Multiplicatorum conſeruationem. }

Nam *non eſt in aliquo alio ſalus*. Et ab hoc fructu multiplicantur fideles, quibus etiam eſt lignum vitæ.

POSTREMO fructus iſte *æternus eſt*, &
Ezech.47 incorruptibilis duratione, iuxta illud Ezech.
Pſ.1. *Non deficiet fructus eius*; Neſcit enim marceſcere fructus iſte. *Non enim dabit Sanctum ſuũ videre corruptionem*; *& ex mortuis reſurgens, iã*
Rom.6. *non moritur*; ſed permanet in æternum. Quia igitur talis eſt iſte fructus, merito deſiderabiliter præ cunctis fructibus eſt amplexandus.

§ 3. *De vtilitate, & efficacia huius benedicti fructus.*

IV. SAnat &c. HIC TANGITVR efficacia, vtilitas & fructus huius benedicti, & præſtantiſſimi fructus. Sicut enim excedit in conditionibus cæteris, cæteros fructus; ita & in vtilitatibus. ET PRIMO quidem eſt fructus iſte ſanatiuus, & medicinalis, ſanans omnium languores: Caro enim medici, facta eſt medicina ægroti; Nam *altiſſimus*, Deus; ſcilicet Pa-
Eccl.38. ter, *creauit de terra*, id eſt Virgine Matre, *medicinam* fructum, ſcilicet hunc benedictum; qui quando in mundo non fuit, omne genus hominum elanguit; qui poſtquam apparuit, eius ſucco, ſpecie, & odore; hoc eſt *ſucco* aquæ, & ſanguinis; *ſpecie* exemplaris conuerſationis, *odore* doctrinæ, & bonæ opinionis, ægrotis ſubuentum fuit. Nam huius fructus medicina, non inuenitur inefficax vlli morbo: *Exit enim*
Luc.6. *virtus ab eo, & ſanat omnes*; vtpote qui verè lig-
Apoc.22. num eſt vitę, cuius folia ſunt ad ſanitatem.
Ier.17. Sana ergo me Domine hoc fructu, & ſanabor.

SECVNDO eſt fructus iſte debilium, & languidorum confortatiuus, confortans omnes in ſe ſperantes: Ipſe enim eſt virtus, brachium, & fortitudo Patris, Dominus potens,
Pſ.23. & fortis in prælio, fortificans ſe edentes. In quo fructu qui fiſus eſt, nunquam defraudatus eſt.

TERTIO eſt is fructus mæſtorum, & deſolatorum recreatiuus, conſolans omnes lugentes, dans oleum gaudij pro pallio mœroris: Hinc ait quidam, Mat.5. *An non totiens recrearis, quotiens huius fructus dulciſſimi, & recreatiui recordaris.*

QVARTO eſt eſurientium ſatiatiuus, reficicien[illegible]nes iuſtitiam eſurientes, & ſitientes, Luc.[illegible]*ſurientes replens bonis, faſtidioſos diuites dimittens inanes*. Et omnis quidem reliqua creatura, afficere cor humanum poteſt; ſed is fructus ſatiare ſolus: Iuxta illud, Pſ.103. *De fructu operum tuorum ſatiabitur terra*, & *Satia-*
Pſ.16. *bor cum apparuerit gloria tua.*

POSTREMO, , vt breuibus multa complectamur, & paucis grãdia dicamus: Valet is fructus, & efficax eſt, in omnem deſiderij vſum; Si ægrotus es, valet in medicamentum; ſi eſuris cibus eſt habens omne ſaporis delectamentum; ſi ſitis fons eſt præbens recreamentum; ſi aliquid voles pretioſum eſt comparans omne bonum. Et breuiter (vt dicit Daniel c.4.) *Fructus eius nimius, & eſca vniuerſorum in eo.*

CVIVS glorioſi fructus, Sanctus Bonauentura enumerat ſalutares effectus, quorum ſex ſunt contra malum, & ſex ad bonum, & continentur verſibus iſtis.

Primus fructus eſt expiatio culpa mortalis. Eſa.27. Iſte omnis fructus, vt auferatur peccatum eius, ipſe ſaluum fecit populum ſuum à peccatis.

2. pacificatio inimicitia capitalis. Creauit fructũ labiorum pacem. Ipſe enim pax noſtra.

3. ſanatio plaga originalis. Apoc. c. 22. Ligni vitę folia ad ſanitatem gentium ſanitas in pennis eius. Mat.1. Eph.2. Malac.4.

Expiat, & pacat, ſanat;

Quartus, releuatio inedia mentalis. Ioel 2. Nolite timere animalia, lignum attulit fructum ſuum.

Quintus euitatio ira iudicialis. Pſalm.1. Si vtique eſt fructus iuſto.

leuat, iraque

Sextus, elongatio pœna gehennalis. 4.Reg.cap. 18. Transferam vos in terram fructiferam, vt viuetis, & non moriemini.

pœna.

Septimus, contemptus, & renunciatio ſubſtantia temporis. Cant. 8 Vir affert pro fructu eius mille argenteos *Prou.* 12. Melior eſt fructus meus auro.

Octauus, locupletatio animæ rationalis Prouerb. *Cap.* 18. De fructu oris ſui vnuſquiſque replebitur bonis.

Spernit, Ditat,

Nonus, amor profectus ſpiritualis. Pſa.1. Erit tanquam lignum plantatum ſecus decurſus aquarum, fructum ſuum dans in tempore.

Decimus, augmentatio Eccleſia vniuerſalis. Prouerb.c.1. De fructu manuum ſuarum plantauit vineam.

amat, augens,

Vndecimus, inſtauratio ruina temporalis. Ezech. 27. In monte ſublimi Iſrael, plantabo illud, & faciet fructum.

Duodecimus, perpetuatio gloria æternalis. Pro.c.11. Fructus iuſti lignum vitę.

inſtaurat, & aſtra.

Iſti ſunt duodecim effectus, per duodecim fructus ligni vitæ in Apoc.c.22. notati; vbi Angelus Ioanni lignum vitæ oſtendit, afferens duodecim fructus, per ſingulos menſes, quos omnes habemus de fructifero fructu virginei ventris. Oremus igitur benedictam in mulieribus, vt per benedictum fructum ſui virginei ventris, horum duodecim 2 fructuum reficiamur edulijs; Vt ſic fructuoſi efficiamur his fructibus, hic in terris, quo tandem beatifico fructu ſuo, perfrui mereamur perpetuo in cœlis. Amen.

MEMBRVM III.

Conſiderabilia de ventre huius Virginis.

VEnter hic, &c. SEQVVNTVR quædam conſiderabilia de ventre benedictæ VI. virginis meditanda.

§. 1. *Venter virgineus comparatus figuris propheticis.*

ET primũ ponitur quomodo venter is comparatus eſt in figuris, & prohetis. Et PRIMO comparatur venter iſte arcæ Noe, vel teſtamenti. Nã in arca Noe facta eſt hominũ ſalus & in hoc ventre iacuit Saluator hominũ; Arca illa octo (non tamen beatificè omnes propter Cham) ſaluauit: Iſta autem omnes

quot-

quot in Saluatorem eius filium ſunt credentes, corpore, & anima ſaluat. Quam etiam varijs rationibus arcæ teſtamenti aſſimiletur, qui noſſe volet, ille Marialia legat, & tantas illic inueniet, quantas ſatis. Congruit enim
Exod. 25. arca noſtra rationabilis cum illa, *ratione materiæ*, quia facta eſt de lignis imputribilibus,
3. Reg. 8. & iſta concepta ſine peccatis; *ratione formæ*, & pulchritudinis, ratione etiam continentiæ; quia continet verum manna, virgam rectitudinis, & legem obſeruantiæ Diuinæ voluntatis.

SECVNDO venter iſte aſſimilatur *throno*, quem fecit ſibi rex Salomon, de ebore, & veſtiuit auro, &c. Et hoc propter ædificium, propter ornatum, & vſum: vt dicitur in Mariali:
3 Reg. 10. Et in virginis vtero, verus pacificus Chriſtus requieuit: velut Salomon in throno, cui non eſt ſimile opus in vniuerſo.

TERTIO *cælo* comparatur: Et hoc propter cœlorum proprietatem, ſignorum varietatem, & celatorum ſublimitatem: vt latè proſequitur vbi ſupra. Nam & ſic tacuit Dominus celatus in virginis vtero, quemadmodum in ſplendido cœlorum cœlo.

Gen. 1. QVARTO aſſimilatur *Paradiſo* voluptatis, in quo poſitus eſt homo Chriſtus: Vere enim Paradiſus eſt vterus Virginis, & propter nobilitatem, & vtilitatem, fructus inde procedentis. Ex eo enim verum venit vitę lignum, vitam reparans omnium.

Cant. 3. POSTREMO *horto* comparatur, & dicitur *hortus concluſus*, in quo dilectus deſcendit; qui hortus eſt mirabilis proprietatis, grandis vtilitatis, & omnium virtutum arboribus conſitus, ſicut latiſſimè proſequitur autor Marialis. Sunt autem, & alię multæ res, quibus inuenitur is venter aſſimilatus, & comparatus. Eſt enim ſicut *aceruus tritici vallatus lilijs*, ſicut
Cant. 7. *crater tornatilis nunquam indigens poculis*, domus Dei, arca ſalutis, & fœderis tabernaculum Dei, pellis Salomonis; Sed abundè in libro dicto, diſſeritur de iſtis.

§. 2. *De qualitate ventris benedicti huius Virginis.*

VII. SANCTUS, &c. HIC IAM ventris huius qualitas tangitur. ET PRIMO venter iſte Sanctus deſcribitur. Non enim eſt vt alij ventres, in quibus libido repit; ſed Sanctus, hoc eſt purus, mundus, Deo dignus, & omni virtute firmatus; quippe Sancti Sanctorum venerandiſſimus thalamus, verè caſtitate *eburneus*, & omnium virtutum *diſtinctus ſaphyris*.

SECVNDO mirus eſt, & admirabilis, tum quia mundo diffuſior, cœlo capacior fuit. Quē enim mundus, & cœlum non poterant capere, venter iſte tenellæ Virginis poterat detinere. O verè ſtupor, & miraculum; dum venter puellæ circundedit virum, & continet immenſum.

TERTIO venter iſte in ſcripturis multipliciter, & ſublimiter eſt laudatus, rebus digniſſimis, vt dictum eſt comparatus, & *beatus* dictus, & acclamatus; Filio veritate affirmante, quando mulier illa vocem de turba extollens, Luc. 11. *Beatus vir* (inquit) *qui te portauit*, & ille *quinimò*, &c.

QVARTO fuit is venter nobis vtiliſſimus, quia multorum bonorum; immò & ſummi boni productiuus. Ipſe enim ſummum bonum genuit, quo habito nil vltra deſiderari poteſt. Sed & ſic multiplex particulare bonum effluxit: vtputa famelicis panis refectionis; ſitientibus hinc oritur calix inebriationis; hinc immundis fons ablutionis, effundit enim aquam mundam, & expiationis; hinc ægris Ezech. 36
medicamentum curationis; *Medicinam enim creauit de terra altiſſimus*; Perditis pretium redemptionis; Et laborantibus præmium remunerationis. Eccl. 38.

EST ERGO poſtremo is venter talis ac tantus, virginis, & matris, omni honore, & cultu digniſſimus: Vnde nobis ortus eſt tantorum bonorum cumulus, & ergo merito ſemper obſeruandus, benedicendus, & colendus, & (vt à Patribus grauiter conſtitutum eſt) ad illius commemorationem, etiam, capite inclinandum. Vt ſic tandem nos benedicat eius benedicti, & benedicentiſſimi ventris benedictus fructus. Amen.

MEMBRVM IV.

De benedicto nomine Ieſus.

OPTATUM, &c. IAM ſequuntur aliqua meditabilia ſuper huius ſalutationis particula tertia, quę Filium nominat, & ipſum VIII.
Chriſtum, ſeu Meſſiam prædicat, & ſita eſt à Pontifice ſummo; vt piè creditur. Et primo ponuntur aliqua circa nomen IESVS conſideranda, quale, ſcilicet ſit, & quantum illud nomen, & deinde de Chriſtus agitur. Salus vtilis, vnctio dulcis.

Omne tulit punctum qui miſcuit vtile dulci.

§. 1. *Nominis Ieſu præconia.*

DE Ieſus ergo dicitur, quam eſt nomen deſiderabile, à Prophetis præoptatum, quibus nomen iſtud erat *in deſiderio animæ*, à cunctis deſideratum. Hinc Dauid exclamauit, Pſ. 34. *Dic* (inquiens) *animæ meæ ſalus tua ego ſum*. Et Eſa. c. 26. *Deſiderauit hoc in nocte*. Eſt & in multis, puta Ioſua, Ieſu Syrach, & Ioſeph ſaluatore Ægypti, & ſimilibus præfiguratum; oraculis prophetarum, oleo effuſo, vnguentis optimis, & ſimilibus aſſimilatum. Dulce nomen, & delitioſum, quo ſine etiam poſteris nil eſt ſapidum. Eſt enim Ieſu dulcis memoria, dans vera cordis gaudia, &c. Mel in ore, melos in aure, quo canitur nil ſuauius, auditur nil iocundius.

SECVNDO eſt nomen ſublime, & valdè exaltatum, quia à Deo, qui dedit illi illud Philip. 2.
nomen ſuper omne nomen, magnificatū Ab Angelo annunciatū; A Virgine ſēper prædicatū; A Sanctis omnibus veneratum; diabolicis

Digitized by Google

poteſtatibus tremendum, quæ eijciuntur in hoc nomine; à cunctis inuocandum, & celebrandum, quia non eſt aliud nomen, in quo
Act. 12. ſalui fieri poſſunt datum.

TERTIO eſt nomen iſtud, nomen myſterijs grauidum, in nomine Domini tetragrammaton: (vt Paulus Burgen. in additione ſupra Exodum docet) ſignificatum. Nomen aliorũ nominum incluſiuum, multorum myſteriorum contentiuum: vt pater, quando effunditur, & eſt ſyllabicaliter, aut etiam litteraliter etymologizatum, nomen mirabile, & mirificum, omnium orationis partium. Nec etiã in litteris quibus conſcribitur, à myſterijs otioſum. Vt in opere ſuo de verbo mirifico, doctiſſimmè exequutus eſt doctiſſimus Ioannes Capniõ. Longũ eſſet declarare ſingula, qui hęc noſſe volet, legat Vberti, & aliorum ſcripta.

EST QVARTO nomen vtile, & virtuoſum, nomẽ bonum, & commodoſum. Nam eſt (vt Vbertin. latius proſequitur) nomen iſtud pœnitentibus in refugium; Eſt pugnantibus in ſolatium; deficientibus in ſubſidium; proficientibus in auxilium; prædicantibus in teſtimonium; confitentibus in honorem, & cultum; Memorantibus in ſuſpirium; poſtulantibus in ſuffragium, experientibus in delectamentum, perueuenientibus in præmium. Viderit qui volet de his fructibus Vbertinum: Vbi pulchrè inueniet de ſingulis proſequutum.

POSTREMO eſt dulce iſtud nomen, rebus dulciſſimis, & altiſſimis aſſimilatum; Dicitur *oleum*, propter dulcedinem, & excellentiam;
☞ *Cibus*, quia confortat, impinguat, & reparat;
1. Cor. 1. *Fons* quia quatuor riuos de ſe diffundit, factus nobis à Deo Patre ſapientia in prædicatione; iuſtitia in conuerſatione; ſanctificatio in peccatorum ablutione, redemptio in paſſione) irrigans totam ſuperficiem Eccleſiæ terræ; Lux in mentis illuminatione. Sicut pulchrè his comparationibus Bernardus, alludit ſuper Cantica, & proſequutio in aurea legenda habetur. Et in Roſarijs ſuper hoc nomine congeſtis. O igitur dulcis Ieſu, eſto mihi Ieſus. Amen. Notetur à deuotis oratio Bernardini de hoc dulci nomine Ieſus. Et Sancti Bernardi iubilus.:

§ 2. *De hoc nomine Chriſtus.*

IX. R*Exque* &c. POSTQVAM viſum eſt de nomine IESVS, videndum eſt de CHRISTVS, quod eſt nomen dignitatis, *vnctus* interpretatus, & in hoc multiplex myſterium
Pſ. 44. deſignatur. PRIMO quod verus Rex Iſrael fuit à Patre, & Spiritu præ participibus vnctus;
Io. 12. & à Magdalena pridie quam Rex in Hieruſalem aſino ſedens; quaſi inthronizatus eſt vnctus; Rex in reſurrectione noſtra, regna gubernans, & præmia meritis condigna donans, *cui* dicere debemus, Pſalm. 43. *Tu es ipſe Rex meus.*

SECVNDO Chriſtus fuit; quia *vnctus* vt Propheta, in doctrinæ eruditione, futuram gloriam prædicans, & futura multa prædicens. Ita vt verè dictum. *Vere Propheta magnus ſurrexit in nobis*. Luc. 7.

TERTIO vnctus fuit: vt *pugil*, in diaboli debellatione, noſtros hoſtes expugnans in paſſione, & palam in ſeipſo triumphans in ſua aſcenſione; tunc enim *traduxit*, vel (vt Auguſt. legit) *exemplificauit. Principatus, & Poteſtates confidenter triumphans, eos*, &c. Ipſi quoque Coloſ. 2.
dicitur. Pſ. 23. *Dominus fortis in prælio.*

QVARTO vnctus fuit, vt *Pontifex*, & Sacerdos, & hoc in Patris reconciliationem moriendo, hoſtiam offerens ſe pro nobis. Ipſe enim eſt Sacerdos magnus in æternum ſecun- Pſ. 109.
dum ordinem Melchiſedech.

POSTREMO rite dicitur Chiſtus actiuè, vngens nos omnes, Omnes enim ab eo oleo gratiæ, & Spiritusſancti vngimur, & *de plenitudine eius accipimus omnes*, à quo, & dicimur Io. 1.
Chriſtiani, quod nomen dignitatis eſt, & iuſtitiæ. De quo nomine Chriſtus, poſſent & dici alia multo plura; nam & in litteris ipſis conſcribitur, latent grandia: vt Vbertinus deducit myſteria; ſed ſufficiant iſta. Hoc intenſius à Chriſto oremus; ne eius tanto nomine indignè viuamus; ſed re, & operę Chriſtiani ſimus. Amen.

POSTREMO eſt ſalutationis clauſula, à fidelium deuotiotione: vt creditur appoſita. Idem quod *Fiat*, vel *Verè*, interpretata. Quandoque etenim amen, dictio Hebraica,

Tenetur { Nominaliter, *hæc dicit amen teſtis fidelis*. Apo. 3. / Aduerbialiter, vt *Amen dico vobis*. Lucę 7. / Verbaliter: vt in fine orationum optatiuè, *Fiat*. }

Et magno affectu ſonandum, vt iuxta ſcripturam, finis holocauſti igni conſumatur; quaſi dicatur verè, vera ſunt hæc omnia. Vnde optamus, vt fiat nobis ex gratia, quod non at- Leuit. 6.
tingunt merita, &c. Hæc breuiter de ipſa ſalutatione Angelica.

Roſarium de benedictione membrorum Virginis Matris.

CAP. V.

B*Enedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus te*. Gen. 12. POST POSITA meditabilia ſuper ſalutatione ange- I.
lica; ſubſequitur iam vnum Roſarium, docens, quomodo benedicenda ſint benedictæ huius in mulieribus membra; complectens ſimul quædam miracula, quæ Maria impertiri ſolet ſuis ſeruitoribus, & benedicentibus eius membra. Et propriè conuenit iſtud Roſarium paruulis, non capientibus altiora; eſt enim captu facilè, & iocundum exercitatu. Dulce eſt verſari circa Mariæ virginea membra, dulce quoque non minus audire, & eructare eius mirabilia, quæ paruulorum propriè ſunt cibaria. Sunt ergo beatę Virginis mẽbra

benedicenda. Tam enim eminenter, tam ſingulariter, & ſupernaturaliter dignificata, & vt ita loquamur Deificata ſunt omnia fœcundiſſimę huius virginis membra, quod merito à cunctis frequentius ſunt benedicta, quorum dignitatem atque ſanctitudinem, nulla valet explicare lingua. Nam ſi (vt Dominus ait,)
Mat. 13. *Beati ſunt illi oculi qui vident, quæ viderunt Apoſtoli*, &c. quam putabimus membra illius beatiora, quæ non ſolum videre, & audire; ſed ventre concipere, portare, nutrire, parere, manibus ac membris contrectare, tantis annis familiarem habere, cum eo comedere, bibere, ac humili meruit habitare caſa. O verè beata membra, quibus datum eſt, quod omni ſæculo negatum. O iure ſemper benedicenda, quæ tanta fecerunt nobis bona? Seruierunt pro nobis Domino, plurima paſſa ſunt pro peccato noſtro.

Nam & quam hoc Domino complaceat, oſtendit quando tam gratanter à muliere ſalutationis illud ac benedictionis accepit eulo-
Luc. 11. gium, ſcilicet, *Beatus venter*, &c. at confirmauit dicens. QVINIMO, &c. Cuius & nos mulieris exemplo, debemus inſtare benedictionis huiuſmodi exercitio. Nam eſt hoc virgini valde acceptum; exercitanti vtile, dulce ac iocundum, quod etiam plerorumque magnorum fuit exercitium. Vnde quidam ſcribunt, hoc exercuiſſe Sanctum Bernardum & Dominicum: vt probant ex ſalutationibus quibuſdam compoſitis (vt aiunt) ab eiſdem, ad benedictionem virgineorum membrorum. Porro quam ſit exercitanti vtile, & commodoſum, facilè patet ex verbis thematis, quod ſupra eſt præmiſſum. Qui enim Mariæ membra benedixerit, copioſam, & ipſe reciprocam benedictionem à Domino accipiet. Nam ſi Abrahæ dictum erat, Gen. 12. *Benedicam benedicentibus tibi*, &c. Quanto amplius qui Mariæ benedicunt, à Domino benedicentur? Certè tanto putandum eſt amplius; quanto Marię indiuiduum, illis eſt excellentius; vnde teſte Pſal. Pſ. 36. *Benedicentes ei hariditabunt terram.*

DE DVLCEDINE autem exercitij huius, dicit autor Marialis, Quod audiuit à Sãctis, & expertis, quod vix poſſit inueniri alius ſeruitij modus, virgini tam acceptus, & exercitantibus tam dulcis, vnde tanta deuotio redũdaret in eis. Quiſquis ergo cupis à Domino, & Virgine benedici in cœlis neceſſe eſ à benedicendo Mariæ mẽbra in terris. Et poterit legi coram imagine Virginis, non tamen: vt ſuadent, cum corporalibus imaginationibus; plena enim imaginatio omnis eſt periculis. Vnde eſt, vt intellectualiter homo meditetur, quid operata ſit cum membris, & benedicat membrorum actus: vt dicendo Aue Maria. Benedicta ſint ſacra vbera, quæ lactaſti Chriſtum. &c.

Anima Mariæ, & membra benedicenda.

M*Ens, vires, habitus, ſpecies, affectus, & actus.*
O caput, os, aures, oculi, dentes, gena, naſus.
Collum, cor, humeri, brach, venter, manus, digiti, oſſa,
Vbera, lacte, pedes, pellis, genua, intima, crura,
Corpus, membra, actus, ſanguis, caro, nomine cuncta.

Quomodo peccatoribus ſuccurrit Maria.

Mundo, collapſis, reprobis, ſpem non rogitanti.

Quomodo bonis confert gratiam.

Viuificat, ſanat, reparat, mutent quoque perſtent.

Quomodo deuotis confert gaudia.

Auditus, viſus, guſtus, cunctis quoq; mentis:

Quomodo in neceſſitate ſuccurrit.

Igne, mari, terris, varijs, Sathan, eripit omnes.

Quomodo in mortem, & poſt mortem ſuccurrit.

Solatur, fugitat, medians, redimitq; reducit.

PRo explanatione Roſarij poſiti, ſciendum quod in duas partes diuiditur. PRIMA pars ponit, & enumerat aliquot virginis vires, & membra iure benedicenda. ALTERA ponit miracula. Sed breuiter expediendum eſt, de prima. In primo itaque verſu ponuntur huius virginis potentiæ, anima, & quæ intra eam ſunt omnia, quæ ſunt benedicenda: velut Virginis membra quædam interna. Et tanto vtiq; affectuoſius, quanto præſtant corporalibus & interna externis.

MEMBRVM I.

De benedictione mentis Mariæ.

M*Ens vires*, &c. IN PRIMI verſus principio ponitur *Mens ipſa* benedicen- *II.*
da, tanquam principalior, & eminentior animæ portio, cui cæteræ ſubſunt vires: Vnde & ab *eminendo* eſt teſte Iſidoro dicta, quę ita *Ethim.*
(vt ait) ſupremum eſt animæ membrum; quẽadmodum oculus, corporis præcipuum. Et accipitur hic generaliter; pro ſubſtantia ipſius mentis, vel animæ. Quæ meritò à nobis benedicenda, iure laudanda, dignè item contemplanda à nobis. Hæc eſt enim mens illa, & anima præcelſa, poſt animam Chriſti, protſus digniſſima, ad tam ſublimia prędeſtinata, tam ſublimiter creata; ſed longe ſublimius conceptu, & partu Filij Dei dignificata. Cuius mentis ingenuitates, qui plene explicet inueniri poteſt null⁹. Siquidẽ etſi multę animæ aliæ, ſibi *Prou. 31.*
aggregauere diuitias, pro eo, quod multæ ſint à Deo electæ, Chriſti ſanguine redẽptę, fide deſpõſatæ, ſpiritu dotatæ, deputatæ cum Angelis,

hæredes

Digitized by Google

hæredes Diuinæ bonitatis; veruntamen vnica hæc columba, electa præ ſingulis, ſupergreſſa eſt longè, & inæſtimabiliter vniuerſas. *Unde* hoc vel conſimili modo benedicenda à nobis. O benedictiſſima inter mulieres, & fœminarum benedicendiſſima, te benedicere cupiens, animam tuam in primis benedico, & omnia quæ ſunt intra eam. Benedico inquam animam, poſt Filij tui animam à Deo ſummè benedictam, verè expreſſiſſima Trinitatis imagine inſignitam, ſimilitudine decoratam; Verè totam Dei formem, & prorſus ſanctiſſimam, noſtri ſollicitam, & acerrimi doloris gladio in Filij paſſione transfixam. Oroque vt huius inſtar reformem animam meam, &c. Pauca ſunt hic verba, ſunt tamen materia deuotionis plena; ſi fuerit qui rite diiudicet ſingula, tanguntur enim multa conſiderabilia.

SECVNDO ponuntur vires, & animę potentiæ à nobis benedicendæ: Vbi notandum, quod tres ſunt animę vires principales, & præcipuæ, ſcilicet vegetatiua, ſenſitiua, & intellectualis, quarum quæque ſuas ſubdiuiſiones habet, & vires ſingulariter, & ſunt benedicendæ ſingulę, quippe quæ noſtræ benedictioni inſeruiere omnes, & ſingulę. Siquidem *vegetatiua* tres ſunt ſuppotentiæ iſtæ: *Generatiua, nutritiua, & augmentatiua*, ex quibus ſingulis profluxerunt nobis bona ſalutis. *Generatiua* enim eius virtus pro conſeruando humano genere; imò potius pro reparando eo in ſtatu ſalutis, generauit nobis illum, qui verè eſt *genus ſuperni luminis*, & noſtræ auctor ſalutis, cuius generationem non eſt qui (teſte Eſaia c.53.) enarrare poſſit; Qui niſi genitus fuiſſet, noſtrum genus exul à ſalute manſiſſet. Benedicta ergo ſit hæc vis generatiua, per quam auctorem regenerationis ſuſcepimus, & tam innumera bona. *Nutritiua* vero valet ad conſeruationem indiuidui, ſicut generatiua pro conſeruatione ſpeciei; quæ hoc nobis ſingulare beneficentiæ clenodium contulit, vt ipſum ſacratæ Virginis ſacratum corpuſculum nutrierit, coaluerit, & fouerit: vt noſtræ ſaluti ſeruiret, nutritorem omnium ipſa enutriret. Cui ſubſeruiunt aliæ plures vires, quas tranſimus breuitatis cauſa. *Augmentatiua* nobis in hoc profuit, quod virginem partui aptauit, & ipſum corpuſculum Saluatoris adauxit: Iure ergo benedicenda nobis. Et hæc de vegetatiuæ potentiæ viribus. Quod ſi beneficia, quæ nobis protulerunt vires *ſenſitiua & rationales* enumerare contenderimus, nil ſecus erit, ac ſi mare guttis vacuare tentemus. Quis enim dicet perfectiones, & bona ſenſitiuarum virium *apprehenſiuarum*, ſcilicet interiorum, & exteriorum? Quis item altitudines potentiarum *rationalium*, quanta ſcilicet ſapientia intellectus repletus; quã in bonis memoria ſtabilis; & affectꝰ charitate: & gratia plenus, vel tenuiter explicabit? Vere nõ eſt qui ad hæc poſſit. Quod ergo intelligentia non penetrat, affectus compenſet, crebrius dicendo. O benedictæ ſint, & animæ tuæ potentiæ, & vires omnes, tam vegetatiuæ, ſenſitiuæ, quam rationales, quibus, & Dominum benedixiſti, Chriſto puerulo deſeruiſti, & noſtrę ſaluti conſuluiſti. O reforma vires meas.

TERTIO benedicendi ſunt *habitus* virtuoſi, & ſcientifici, tam ſpeculatiui, quam practici, quos poſt Chriſtum ſummè habuit perfectos, & dicendum: Benedico, & luminoſiſſimos ſimul, & virtuoſiſſimos eius animæ tuæ habitus ſpeculatiuos, æque vt practicos, quibus effulſiſti, & in omne bonũ prompta ſemper fuiſti.

QVARTO benedicendæ ſunt ſpecies ſacratę animę eius, ſenſibiles, & intelligibiles, quas mundiſſimas, & luminoſiſſimas virgo iſta habuit: Dicatur ergo, Benedictæ ſint, & ſacræ animæ tuę ſacratæ ſpecies, tam ſenſibiles, quã intellectuales, quæ ſẽper mundiſſimæ, & purę, ſemper caſtæ, & rectæ in te fuere.

QVINTO benedicenda eſt vis eius affectiua, concupiſcibilis, ſcilicet, & iraſcibilis, cum rectiſſimis affectibus eius vniuerſis; odij, ſcilicet & ardentiſſimi amoris; & dicendum, Benedico, & vim tuam affectiuam, tam concupiſcibilem; quam iraſcibilem, deuotiſſimis, & ignitiſſimis affectibus decoratam, in omne feruentem bonum, perfecteque execrantem malum omne.

POSTREMO benedicendi ſunt etiam ſacrati actus animæ eius; cognoſcitiui, ſcilicet, & affectionales, & dicendum de iſtis: Benedicti ſint, & actus tui, ô virgo ſanctiſſima, Deo acceptabiles, tam cognoſcitiui, quam affectionales, quibus, & clariſſimè Deum, & quæ eius ſunt cognouiſti, & ſinceriſſimè atque ardentiſſime dilexiſti. O da mihi vt tibi conformer, in actibus iſtis. Amen.

Hæc breuiter de anima Virginis, & his quæ intra eam ſunt perſtrinximus; nam nihil dignum de his prolixius ſcribere potuimus; præſertim cum horum intelligentia, ſatis accipi poterit, ex his quę ſupra circa vires Chriſti diximus.

MEMBRVM. II.

De benedictione membrorum Mariæ.

O *Caput*, &c. IN VERSIBVS ſubſequentibus agitur de membris virginis corporalibus benedicendis, de quibus nos paucis expediemus; hoc in ſumma dicentes, quod qui ſtudioſè ſe volet exercere, poterit abundantẽ, & dulcem materiam, ex paucis his quæ annotamus, ſibi aggregare, & congerere, & ſingula membra triphariam conſiderare, hoc eſt triplicem circa ſingula membra conſideratione habere. Poſſunt enim conſiderari,

Quo ad	Naturalẽ eorũ decorem,	hinc	Laudando, & cõgratulãdo.
	Exemplarẽ informationẽ;		Sectando, & orando.
	Beneficiorũ emanationẽ,		Gratias referendo.

PRIMO quoad naturalem decorem, quod tamen non ſixe nimis agendũ; Aiunt enim hoc non vſquequaque tutum Non tamen prorſus reijciendum: Nam qui piè, & diſcrete ſe exercitauerit Mariam defendentem ſentiet. Ipſa

enim

enim quaſi *myrrha dat ſuauitatem odoris*, Eccl. 24. ſerpentes tentationum fugans, non tentamenta inflammans. Adeo, quod etiã in vita ſua (vt ſcribit Sanctus Bonauentura) corporis pulchritudine nullum fœdè ſuccendit; ſed ad caſtitatem magis eam inſpicientes induxit. Sic itaque decorem membrorum commemorari licet ad ſolatium, & congratulandum.

SED conſultius ad intellectualia progrediendũ, & conſideranda eſt exemplaris membrorum *diſciplina*, ad ſequelæ exemplum, & imitandum; vt ſcilicet cogitemus, quam caput eius humile, & inclinatum, quam oculi caſti, & continentes; quam puræ manus, ad eleemoſynas largæ; & omnia membra omni diſciplina inſtructa. Nil enim eſt in Sunamite hac noſtra videre; niſi caſtrorum acies; virtutum, ſcilicet, & diſciplinę. *Cant. 7.*

POSTREMO poterimus hic conſiderare, quoad beneficiorum emanationem; vt ſcilicet cogitemus circa ſingula membra, quanta ex ſingulis exceperimus beneficia; quomodo, ſcilicet Deo ex illis ſeruiuit pro nobis, quomodo exemplum exhibuit, & ſuccurrit proximis, & huiuſmodi multa alia, quæ prorſus ſunt inexplicabilia.

SED HIS in genere præmiſſis, nos accingamus ad benedicenda ſingula:

1. Ad caput.

Itaque dicamus, Benedictum ſit ô benedictiſſima, benedictũ tuum caput, reuerendum, Carmelo, & auro optimo in ſcriptura aſſimilatum, aurea cæſarie, comiſque: velut elatis palmarum, exornatum; reuerentiſſimo geſtu diſciplinatum, crebro ſub Filio humiliatum, & profundius Deo inclinatum, Ac nunc imperiali diademate rutilans, coronaque ſtellarum duodecim exaltatũ. O erige caput mentis noſtræ omnimodis conquaſſatum. Amen. *Cant. 7.* *Cant. 5.* *Apoc. 12.*

2. Ad os.

DEINDE ad os dicendum: Benedictum ſit os tuum mellifluum, melle, & lacte, omnique odore, & decore refertum, gratia diffuſum, ori diuino crebrius dulciter applicitum. Os in quo non inuentus dolus, vel mendacium; ſed meditans ſapientiam, loquens iuſtitiam, nullius vnquã offenſiuum. O da mihi os inoffenſum, &c. *Pſ. 44.* *1. Pet. 2.* *Pſ. 36.*

Circa collũ quia *Cant. 1. & 7.*
- Candidiſſimũ, monilibus, turri eburneæ comparatum.
- Crebri⁹ in paruuli obſequijs inflexum, & ab eo amplexatum.
- Inclinationis, & humiliationis exemplum.

Circa humeros, quia *Gen. 49.*
- Modeſtiſſimi, velut Iſachar, oneri ſuppoſiti.
- In illis requieuit principatus Filij, quando baiulauit, in Ægyptum portauit.
- Fortitudinis exemplariui.

Cor
- Pijſſimum amore liquefactum.
- Dominicis neceſſitatibus inuigilans, &c.
- Charitate vulneratum, charitatis exemplum.

3. Ad aures.

Benedico, & aures tuas ſanctiſſimas ad obediendum Deo ſemper erectas, à Deo tibi perfectas; quibus audiebas balburientem paruulum, te vocantem Matrem, poſt verba vitæ, & doctrinam eius ſalutãtem; & tandem, quod te inuitauit ad coronam: Da & mihi obedientiæ aures, quo ſemper eas inclinem in verba oris eius. *Deut. 32.*

4. Ad Oculos.

Benedicti ſint, & oculi tui clariſſimi, ad inſtar columbarum, ſimplices, & caſtiſſimi, numquam in vanitatem videndam conuerſi, verè beati, quibus Filium hominis, & eius myſteria vidiſti, cor eius vulneraſti; qui nunc tuis oculis apparet glorificatus, da vt ſimpliciũ ſim, & caſtorum oculorum, nunquam eos diuertens in vanitatem. *Cant. 1.* *Pſ. 118.* *Cant. 4.*

5. Ad dentes.

Dentes etiam tui eburnei, niue candidiores, gregi tonſarum, &c. comparati, panis, & vini ruminatiui: ſint ſemper benedicti, quibus lactanti paruuloali menta contriuiſti. O quã libenter veſcebatur cibo dentibus tuis ſuæ teneritudini aptato. Da ingluuiem cauere. *Cant. 4. & 7.*

6. Ad genas.

Auete ô genæ roſiferæ, pulchræ ſicut turturis, verecundia plenæ, quas dulciſſimi Ieſuli totiens applicuiſti maxillis, verè ſicut fragmen mali punici; ita & genæ tuæ quibus candidum, & rubicundum, & præ filijs hominum Filium Dei ſpecioſum, totiens deoſculata es. Da oro verecundiam, inuenum virtutem. *Cant. 1.* *Cant. 4.* *Cant. 5.* *Pſ. 44.*

7. Ad naſum.

Benedictus ſit, & naſus virgineus, qui eſt velut Libani turris, & odoriferæ eius nares, quibus ſentire meruiſti ſuauitatem redolentis floris, cuius odore trahitur, & reficitur vniuerſus mundus. O ſentiam ſuauitatis huius vtcunque odorem. *Cant. 7.*

Hæc ecce ſunt membra in ſecundo verſu complexa, circa quę ſingula ferè annotauimus; ſi eſt qui conſiderare volet tria illa præmiſſa conſiderabilia; ſcilicet commendationem, actionem, & exemplationem, quali modo etiam reliqua erunt aſſignanda. Puta,

Venter
- Virgineus, thronus, eburneus, ſaphyris, &c.
- Filij thalamus, quo requieuit nouem menſibus.
- Verè delitiarum hortus, & Paradiſus.

Oſſa
- Veri templi baſes, & fundamenta.
- Crebrius Filij obſequijs inflexa.
- Conſtantiæ exemplaria.

Pedes
- Auricalco ſimiles, recti, ad bonum agiles.
- In Dei obſequium fatigati.
- Ab omni via mala nos prohibentes.

Genua
- Generoſiſſima,
- Super quæ requieuit Patris ſapientia.
- Reuerentiæ exemplum exhibentia.

Crura

Crura
- Columnæ marmoreæ aſſimilata.
- Filij Dei grata ſedilia.
- Prompta ad Dei ſeruitia.

Brachia
- Gratiſſima,
- Ieſum portantia, & amplexantia.
- Laboris exemplaria.

Manus
- Tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.
- Quibus Filium contrectauit.
- Quarum digitis fuſum apprehendit.

Vbera
- Vino meliora vnguentis fragrantia.
- Filium Dei paſtorem omnium paſcentia.
- Lacte de cœlo plena.

Pellis
- Vt Salomonis, nigra; ſed formoſa.
- Sole iuſtitiæ offuſcata.
- Vt cœlum extenta in bonum.

Intima
- A ſpiritu obumbrata, & ſanctificata.
- Eius, quem orbis non capit, contentiua.
- Puriſſima puritatis incitamenta.

Corpus
- Sacrum bonæ terræ comparatum.
- De quo medicina creata. Eccl. 38.
- Spiritui ſubiectum.

Mēbra
- Decentiſſima.
- In Chriſti ſeruitium occupata.
- Diſciplinatiſſima.

Nomē quoq;
- Benedictum à Deo honoratum.
- A Filio dulciter compellatum.
- Noſtrū ſolatiū ſēper benedicendū.

Sanguis
- Nobiliſſimus.
- Vnde formatum Chriſti corpus.
- Non ebulliens; ſed manſuetus.

Hęc pro ſimplicioribus tetigimus breuiter, vt hinc occaſionem ſumant exercitandi ſe circa Virginis membra, magis intellectualiter, quam imaginabiliter: Nam hoc magis vtile eſt, & iocundum, & à periculis tutum, & à Gerſ. & alijs conſultum. Et de ſingulis poſſunt fieri benedictiones, & orationes: vt patet in ſuperioribus.

MEMBRVM III.

Quædam Beatæ Virginis miracula, & beneficia ſuis conceſſa.

Is. EXaltabo te, confitebor nomini tuo, quoniam feciſti mirabilia. Super hoc laudabit te populus fortis, ciuitas gentium robuſtarum timebit te. Quia facta es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua, ſpes à turbine, vmbraculū ab æſtu.*

IN HAC huius Roſarij altera parte, ponuntur quædam huius virginis beneficia, & miracula, à deuotis deuotè cum laude, & gratitudine retractanda, quæ quoſdam interdum plus mouent, quam verba pulchrè perorata; dulciuſque facta à pleriſque commemorantur, quam dicta; maximaque laudis, & gratitudinis ſunt materia, & incitamenta: vt patet per verba præmiſſa, vbi promittit exaltare, confiteri, & laudare ſuper mirabilia, & ſuper beneficia pluribus impenſa. Vnde & ad illum finem, & Mariæ miracula à nobis ſunt commemoranda. Verum quoniam ea tam ſunt numeroſa, vt prorſus nobis infinita; adeo vt (iuxta quēdam) ante Oceanum bibere, ante poſſemus paruo nucello Nilum magnum includere; quam hæc vel tenuiter conſtringere ſtylo, Ideo in genere quædam notauimus, vt ad illa, reliqua facilè reducere poſſemus. Et ea diſtinximus ſecundū quinq; principalia beneficia. Nā complecti debent omnia miracula

In verſiculis	1.	quibus	Peccatorib⁹.	impēdit	Veniā.
	2.		Bonis.		Gratiā.
	3.		Sibi deuotis.		Recreationē.
	4.		Tribulatis.		Subleuamē.
	5.		In morte cōſtitutis.		Aſſiſtētiam.

Vnde patet, quod latiſſima ſub his verſiculis complectitur materia, pro mentium torpore in Virginis Matris laudem excitando vtcunque congeſta, quæ vt intelligantur, ſunt breuiter explananda.

§. 1. *Exempla ſiue miracula quibus deducitur, quod Maria peccantibus impetrat veniam.*

MVndo, &c. IN HOC verſiculo tanguntur miracula, quibus peccatoribus occurrit Maria, impetrando veniam. *Et primo* quidem impetrat veniam vniuerſaliter toti mundo, pro demeritis damnato: vt patet ex viſione beati Dominici, vbi Deum vidit iratū, tres lanceas contra mundum vibrantem; ſed Mariam ſeſe proſternentem, & veniam impetrantem; vt latius dicitur in Promptuario Diſcipuli, inter miracula Beatæ Virginis, exemplo octauo. *Similiter* patet in alio exemplo, quando Chriſtus buccinnari iuſſit, & mundus perijſſet; niſi Maria ſuccurriſſet, & veniam impetraſſet, ibidem exemplo 9. & 11. r.

SECVNDO veniam impetrat bonis in peccata collapſis: Vt patet de Abbatiſſa fornicaria, quam Maria ab infamia liberauit, & veniam impetrauit. Vt patet in Prōptuario exemplo. 24. *Similiter*, & cuſtodi, & cuſtrici monaſterij cuiuſdam Moniali, nomine Beatrici: vt ibidem exemplo 22. & de Cuſtode in libro Exemplorum diſtinct. 9. exemplo 20.

TERTIO impetrat veniam apertè malis, vt ancillę adulterę, quæ peccauit cum milite, vt dicitur in Promptua. exemp. 47. *Item* vxori adulteræ, de qua ſe noluit vindicare, quia centies ei legebat Aue Maria, vt dicitur ibidem exemp. 48. *Item* vſurarijs, latronibus, & alijs pœnitere nolentibus, vt ſcribit in Compendio ſuo inter Exempla Alanus.

QVARTO veniā impetrat, non ſolū cōmuniter apertè malis; ſed etiā prorſus deſperatis, & homagium diabolo facientibus. Vt patet

de

de Theophilo, vt habetur in Promptuario exemplo 42. *Item* de nobili, quodam Tyranno: vt ibidem exemplo 99. *Item* de alio qui nihil boni fecit ibidem exemplo 97.

QVINTO, veniam nouit impetrare bonis, de peccatis ſuis ſolliciris, & pro eis rogantibus: Veniam inquit non communem; ſed generalem omnium peccatorum remiſſionem: vt patet de Monacho, cui apparuit, & quod omnem ei peccatorum veniam impetraſſet dixit: vt habetur in Promptuario exemplo 46. Et hæc ſunt aliqua miracula, quibus imperrat veniam Maria.

§. 2. *Quomodo Maria bonis, & ſeruitoribus ſuis impendit gratiam.*

VI VIuificat, &c. HIC tanguntur miracula quibus Maria ſuis ſeruitoribus gratiam pręſtat. Et illam variam, & multiplicem. PRIMO enim cōfert mortuis gratiam viuificationis, vt Scholari cantanti *Alma redemptoris mater*, Vel (vt alij dicunt) *Gaude Maria virgo, cunctas hæreſes*, à Iudæis occiſo, & à Maria Virgine reſuſcitato, & viuificato: vt dicitur in Promptuario exemplo 66. *Item* mulieri cuius puerum miles occiderat, ibidem exemplo 23. *Item* latroni decapitato: vt ibidem exemplo 54.

SECVNDO, confert gratiam ſanitatis infirmis: Vt ſcabiem Presbyteri curando: vt dicitur in libro Exemplorum diſtinctione 6. exemplo 62. Tibiam Monialis: vt in promptuario exemp. 37. Et ſenſum mulieris ibidem 4.

TERTIO, dat gratiam reparationis, quibuſdam reſtituens viſum, vt cæco per reſponſorium *Gaude Maria*, vt patet in Prompt. 31. Item mutis loquelam, vt Sacerdoti linguā, ab hęreticis truncato, ibidem exemplo 30. Itē manum Ioanni Damaſceno, & Leoni, ibidem exemplo. 33.

QVARTO, dat gratiam pœnitentiæ, & conuerſionis, puræ confeſſionis, vt multis exemplis in ſuo Compendio proſequitur Alanus. Item gratiam mutationis, & reformationis, vt de Monialibus ſeſe reformari nolentibus, & poſt decantatum Marię pſalterium cupientibus, vt deſcribit vbi ſupra idem Alanus.

POSTREMO, dat gratiam profectus, & perſeuerantiæ, vt Carthuſienſibus diſcedere volentibus, ſed per miſſam *Salue ſancta*, &c. perſiſtentibus: vt dicitur in Prompt. 44 Similiter, & Monachis in monte Synai morantibus: vt dicit auctor magni Marialis. Et hæc de gratiæ per Mariam miraculis,

§. 3. *Quomodo deuotis impendit recreationem.*

VII AVditus. HIC tanguntur miracula quomodo Maria ſolet ſuis deuotis conferre gaudia, & recreamenta etiam in hac vita. ET PRIMÒ, quoſdam recreauit auditu, quibuſdam apparens, dedit ſolatium dulcis alloquij, & melos audire Sanctorum: vt de ſancto quodam Epiſcopo legitur in lib. Exempl. diſ. 9. exemplo c. 21. pulcherrimè. *Item* Moniali ſpernenti terrena alloquia, miſit litteras de cęlo, & alia iocundá audire dedit, vt dicit Ala. vbi ſupra.

SECVNDO, alios recreat viſu, per ſui claram oſtenſionem: vt conuentui Prædicatorū, cui tertio apparuit, vt dicitur in Promptuario exemplorum, exemplo 78. *Item* clerico, qui perdidit vnum oculum, poſt reſtitutum. ibid. 79. *Item* illi qui per viſum ſtatim euolauit ad cœlum. ibid. 80.

TERTIÒ, recreat alios guſtu, per dulcedinis ſcilicet inuſitatæ ſaporem: vt patet de muliere, cuius ſaliua vt mel dulcis erat; quando dixit Aue Maria; quod etiam cuidam incluſo contigit: vt dicitur in Promptuario in libro exemplorum diſtinct. 3. exemplo 28. exemplo 71. Item nonnullis electuaria dedit.

QVARTO, recreat quoſdam, & in ſenſibus cæteris, vt per odorem; vt in quadam ſanctimoniali, cui apparuit cum odore fragantiſſimo, vt in promptua. exemplorum exemp. 37.

POSTREMO, quos ſenſu non reficit, mente validius & efficacius recreat: vt patet de multis; videlicet de Monachis tempore meſſis laborantibus, qui externam viſitationem neſciebant; ſed internam ſentiebant: vt dicitur in Promptuario exemplo 6.

§. 4. *Quomodo Maria tribulatis præſtet ſubleuamen*

IGne mari. &c. HIC tanguntur miracula, quibus oſtenditur, quomodo Maria, ſuis in tempeſtate, & periculis ſubuenit, impendendo ſubleuamina. ET PRIMO, ſuccurrit in igne, vt patet de puero non combuſto in domo exurente, quia mater commēdauerat eum cuſtodiæ Sanctę Mariæ, vt dicitur in Promptuario exemplo 16. VIII

SECVNDO, ſuccurrit in marinis periculis, vt patet de Epiſcopo cum aliis in naui exiſtenti, à Maria liberato, vt dicitur ibidem exemplo 39. *Item* de Abbate cum Monachis in marinis tempeſtatibus, *Felix namque es ſacra virgo Maria*, cantantibus & non ſubmerſis. Ibidem exemplo 40.

TERTIO, occurrit periclitantibus in terris & ſyluis: vt patet de Abbate Roſarium legente, quem latro lancea verberare voluit; ſed Maria eum defendit, in libro Exemplorum diſtinct. 9. exemplo. c. 15. & in Promptuario exemplo 70. *Item* de puella à lupo rapta in ſyluis: vt dicit Alan. *Item* quando fuerunt tonitrua & fulgura, liberauit legentes *Salue Regina*; vt in Promptuario exemplo 90.

QVARTO, occurrit in aliis neceſſitatibus variis. *In carcere*, vt patet de milite liberato, vt dicitur in Promptuario exemplo 41. *Item* mulieribus *in partu*; vt Nyder & aliis. Ibidem exemplo 19. & 91. *Item falſo accuſatis*: vt patet de imperatrice. Ibidem exemplo primo. *Iniuſtè quoque damnatis*, & ſuſpenſis, & non valentibus mori: vt in libro Exemplorum diſtinctione 5. exemp. 63. & in Promptuario exem. 53. 55.

QVINTO, eripit ab infeſtationibus dæmonum: vt patet Bononiæ prædicatores, per *Salue Regina*, & proceſſiones in Promptuario exemplo 87. *Item* ab eorum tentationibus, de

milite cui apparuit, promptuario exemplo 27. *Item* ab eorum inſidiis, ne militem ſtrangularet, vt in promptuario exemplo 69. *Item* de ebrioſo Monacho miſericorditer erepto. Ibidem exemplo 4.

§. 5. *Quomodo ſubuenit poſt mortem.*

IX SOlatur, &c. HIC tandem ſubnectuntur exempla, quibus patet quomodo ſuis in & poſt mortem ſubuenit, & aſtat dulciſſima Virgo Maria. ET PRIMÒ, quibuſdam timidis apparuit ante mortem, ad conſolandum; vt Canonico Regulari, quem dixit nunquam dãnandum, vt in promptuario exemplo 92. *Item* ei, qui ipſam ſalutauit per *Gaude Maria virgo*, dixit vt gauderet; vt in aurea legenda habetur. *Item* muto & ſurdo, dixit vt confiteretur, & non timeret: vt in promptuario 28. exemplo.

SECVNDO, apparet anguſtiatis ad diabolum effugandum; vt patet de Alexandra virgine Aragoniæ, vt dicit Alanus vbi ſupra. *Item* de liberato per, *Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ tu nos ab hoſte protege*, dicendo: vt dicitur in promptuario exemplo 60.

TERTIO, apparet ad reconciliandum: vt patet de milite occiſo, qui animam commendauit Mariæ: vt dicitur in promptuario exemplo 43. *Item* de anima Religioſi quam cum beato Petro reconciliauit: vt ibidem exemplo 58.

QVARTO, ſuccurrit, & aſtat ad redimendum ſuos: Quandoque de portis inferi, & inferno, vt de viro criminali non confeſſo; vt dicitur in promptuario exemplo 61. *Item* de Purgatorio, vt de Moniali 67. exemplo.

POSTREMÒ, aſtat ſuis ad gloriam deducendis: vt patet de filia paſtoris, quam cum ſacris virginibus, ſpecioſo apparatu, lætiſque tripudiantium modis, ad ampla cæli faſtigia prouexit, videntibus duobus peregrè conſtitutis Prædicatoribus, vt dicitur in libro exemplorum diſtinctione 9. exemplo ca. 18. *Item* ad remunerandum, vt patet de prædicatore, ibidem diſtinctione ſeptima, exemplo 56. Hæc de exemplis dixiſſe ſufficiat.

Roſarium quartum de doloribus beatiſſimæ Virginis Matris.

CAPVT VI.

I *POſuit me deſolatam, tota die mœrore confectam*, Tren. 1. *Non voceris me Noemi, id eſt pulchram; ſed Mara, id eſt amaram, quia valde amaritudinibus repleuit me omnipotens.* Ruth. 1.

POST ROSARIA præmiſſa, ſubnectuntur iam duo ſibi correſpondentia magis affectuoſa; puta de Mariæ doloribus, & gaudijs, ſiue lætitia: Quorum reminiſcendum eſt, tanquam duorum vberum Mariæ, à deuotis deuotè ſugenda; vt ſcilicet iuxta Apoſtolum, flere cum flente ſtudeant, & gaudere cum gaudente, &c. Et primum præmittitur de doloribus eius, ſiue triſtitia, quia per hoc diſponimur Rom. 12. ad congratulandum, & ad participanda eius gaudia: Non enim particeps poteſt eſſe conſolationis, qui non ante ſocius fuerit paſſionis; 1. Cor. 1. Sed qui compatitur & congaudebit. Quiſquis ergo Mariæ collætari voluerit, ante com- Rom. 8. pati ei nitatur: Eſt enim eius compaſſio ei gratiſſima, nobis multum vtilis & commodoſa. Et tanto vtique ei gratius & nobis vtilius; quanto ei compatitur rarius: Sunt enim multi, qui gaudere cum ea cupiunt; pauci qui compati volunt. Ergo eſt quod crebrius monet ad ſibi compatiendum: vt patet ex diſcurſu ſcripturarum.

NAM & quod ſingulariter ſit ei gratum, multiplici eſt exemplo demonſtratum; præſertim in illo Religioſo, qui ſingulariter ſe circa illud verbum, *Mulier ecce filius tuus*, &c. & Io. 19. cæteros Mariæ dolores exercebat: qui tantum exinde Mariæ complacuit, vt ſingulariſſimis eum gratiis dotaret. Quam autem & hoc exercitanti ſit vtile, & commodoſum, pulchrè declarat noſter Tho. Kempis dicens, *Qui nunc ſæpe & deuotè paſſionem Domini, & lachrymas ac dolores triſtiſſimæ Matris eius, pio mentis affectu recogitat & perpendit, ſperare debet de miſericordia Dei & amborum; Filij ſcilicet, & Matris beneuolentia, quod ſibi aderunt in omnibus neceſſitatibus, & in mortis hora vltima: vt tunc conſolentur eum, qui crebrius cogitauerit de eorum doloribus & triſtitia. O quàm læta tunc erit anima, quæ Mariæ compaſſa eſt in vita, quia tunc ab ea conſolabitur, & erit ei fida aduocata*, &c.

Accipite ergo eam ô vos conſolationum auidi, & peccatorum trepidi: Accipe, inquam, & ducas eam iam dolentem ad ei compatiẽdum in mentem tuam; vt ipſa poſt te ſuſcipiat, ad conſolandum in gloriam ſuam. Alioquin verendum, vt qui compaſſus non fuerit; nec dabitur ei congaudere. Crebro ergo, & præſertim feriis ſextis, legatur illud Roſarium: vt homo incitetur ad compatiendum.

Doloris Virginis Matris qualitas.

IMmenſus, multus, longus, mixtus, moderatus.
Quorum inſtar doluit, & doloris modalitas.
Parturiens. ſponſa, moritur, priuata, relicta.
Obiectorum doloroſorum varietas.
Natum, ſeque, ſuos, doluit reproboſque futuros.
Quintuplex martyrium, quod læſit cor virgineum.
Pœna, dolor, verbum, quàm laſſa fuit, quia prompta.
Naturales cauſæ doloris.
Mater, amans, ſola, præſens, conformia ipſa.
Mente tenerrima, penſat hæc, inſons, gaudia verſa.
Cauſæ gratuitæ doloris.
Pretia, cauſa, pia, donum, impulſus, quia complet.
Figuræ & prophetiæ doloris
Agar, Rebecca, Dauid, Noemique propheta.
Duodecim dolores partiales & principales.
De puero, amiſſo, vel eget, flens, ſpernitur, & fert.

Cum

Digitized by Google

Cum captus, ductus, gerit, & moritur, tumulatur.

MEMBRVM I.

De qualitate mœroris Mariæ.

II IMmenſus, &c. IN PRIMO huius Roſarij verſiculo, deſcribitur doloris Mariæ qualitas, & dicitur PRIMO, quod fuerit immenſus quoad quantitatem.

SECVNDÒ, dicitur quod dolor eius multus fuit & varius quoad pluralitatem: Et rectè multus, quia varia & multa habuit obiecta doloris; Et quia crebrius ſe obtulit materia doloris, & plures inuenit dolendi rationes vt latius infra patebit, & proſequitur quidam Carthuſienſis.

TERTIO, dicimus quod dolor eius fuit longus & diuturnus; quippe tam lõgus, quàm longè vixit, quæ nunquam ſine dolore, in hac valle lachrymarũ, & doloris fuit; quippe quæ & poſt Filij glorificationem, ipſum tanquam myrrhæ faſciculum inter vbera ſua reponebat, & non ſine dolore geſta eius retractabat; (Cant.1.) præſertim quia quotidie (vt ſcribunt) loca illa, vbi Filius eius paſſus fuerat viſitabat; quod tamen non tam localiter, quàm mentaliter quidam actum credunt ab ea, quia amica ſolitudinis erat.

QVARTO, dicitur quod eius dolor mixtus fuit & promiſcuus; quippe quæ cum ſummo dolore gaudium ſummum habebat: Quod licet quibuſdam videatur mirum, eſt tamen verum: Nam & Dominus vtrumque in ſummo habuit; vnde ſi Matri vnum tantum conceſſiſſet, non æquum conſortium, nec adiutorium ſimile ſibi fuiſſet. Habuit ergo cũ ſummo dolore ſummũ & gaudiũ, dolore exiſtente in natura, & ratione ſimul, vt natura; gaudio autẽ in ratione vt ratione. Quod autem hoc ita fuit, Albertus magnus multipliciter probat, cuius potiſſima ratio eſt, quia dolor non eſt meritorius ſine dilectione; Et omnis dolor eſt ex amore; nec poteſt dilectio, aut amor eſſe ſine delectatione, vnde quia ſummè amauit & doluit, & doluit, & nihilominus ſummè de bono dilecti, & paſſionis fructu gauiſa fuit. Quam autem magnum, & multiplex gaudium, in, & ſub ipſa paſſione habuit, pulchrè Griths in Sermone quadrageſimo quarto declarat dicens, quod gaudium habebat ex parte Dei; Secundo ex comparatione eius ad mentem Filij; Tertio ex parte generis humani; Quarto ad mortem Sanctorum; Quinto ad commune bonum; Sexto ad deſideria Patrum; Septimo comparando eam ad ſeipſam. Ex ſingulis his ait, quod grandem habuit gaudij materiam; vnde patet propoſitum. Et qui plenius hanc mixturam gaudij cum dolore, in Maria videre volet, ille vitam eius percurrat, & ſemper gaudium dolori annexum reperiet: vt pulchrè declarat in de laude eius Dionyſius Carthuſi.

QVINTO, dicitur quod dolor eius, tametſi tantus fuit; moderatiſſimus tamen fuit; adeo quod nihil indecens, nihil immoderatum, in motu aut geſtu oſtendit; diſciplinatiſſima in moribus, etiam inter aduerſa ipſa fuit. Vnde dicit Bernardus quod cum tanta diſcretione & moderamine, & tam religiosè Filium luxit, quod & cæteros, maxime ex modeſtia ipſa, ad ei cõpatiendum induxit. Ex his itaque, vtcunque qualitas doloris virginei pateſcit. O itaque tu Virgo doloroſiſſima, per te deleatur omnis noxij doloris materia.

MEMBRVM II.

De modalitate doloris Mariæ.

PArturiens, &c. HIC iam modalitas virginei doloris deſcribitur, dũ ad quorũ inſtar doluit, oſtenditur. ET PRIMO, dicitur quod III eius dolor, *vt parturientis* fuit, qui ſummus eſſe deſcribitur, iuxta vaticinium Eſaianum, *Antequam parturiret peperit, & antequam veniret partus eius, peperit maſculum.* (Eſa 66.) Ex qua auctoritate ſecundum Albertũ ſequitur, quod aliquando peperit, ſine parturitione, & dolore; Et poſt in textu ſubditur; *Nunquid parturiet terra vna die, aut omnem gentem ſimul, quia parturiuit, & peperit Syon?* Ergo aliquando peperit totam gentem ſimul, cum dolore, & parturitione, in Filij, ſcilicet paſſione. Vbi iuxta Auguſtinum, cum vſura accepit dolores, quorum in Chriſti natiuitate erat immunis.

SECVNDO, doluit vt *ſponſa caſtiſſima*, animæ ſuæ ſponſum ſibi auferri videns, & morti ignominioſæ exponi, & ſe viduam, & deſolatam à viro cordis relinqui; Chriſtus.n. & vir ſponſus animæ eius fuit, qui omnia ei fuit, cuius ſponſa in ſcripturis, vt in Cantic. dicitur; & (Cant.3.) mentaliter ei copulata fuit. Quis ergo dolorem illum educet?

TERTIÒ, doluit *vt Chriſto iam cruci confixa*; quippe quę Paulo Apoſtolo perfectior, qui (Gal.2.) ſe dicebat Chriſto confixum cruci. *Item* vt Symeonis, puta compaſſionis gladio transfoſſa, quæ ſpõſa amantior, quæ charitate fuit vulnerata. *Imo* doluit vt *moriens, & mortua*, quia Filio intimè cõiuncta, qui fuit eius vita: ergo illo (Luc.2. Cant.5.) moriente quodammodo moriebatur, & ipſa, quia in eo fuit eius vita. Magis enim eſt vbi amat, quam vbi animat, anima: Sicut deducit Origen. de Magdalena. Granditer ergo paſſa.

QVARTÒ, doluit vt omni delectabili oculorũ ſuorum, & omnibus bonis priuata, iuxta quod deſcripſerat Ezec. Propheta c.24. *Ecce ego tollo à te deſiderabile oculorum tuorum*, id eſt Chriſtum, in quo omnia habes; ſicut dixerat de Thobia Mater eius. Quam putas ergo (Tob.5.) doluit, quando illo ſe Filio priuari videbat, quem circiter 33. annos, legitimè in pace, & quiete poſſederat, cum quo, & dulciſſimè conuerſata fuerat.

POSTREMÒ, vt ad ſummam dicatur, Maria ſuper Filio taliter, & tali modo indoluit, qualiter vnquam ſuper re aliqua aliqui doluerunt: Inſtar, ſcilicet omnium dolentium, & dolendorum; Vt vidua iniuriam paſſa; vt diues poſſeſſione amiſſa &c. Nam eius dolor omnium dolores exuperat, etiam ſi congerantur in vnum. O igitur taliter, & tam granditer paſſa, da nobis compaſſiua corda.

Digitized by Google

MEMBRVM III.

De varietate doloroſorum obiectorum Mariæ.

IV NAtum ſe, *&c.* HIC tangitur doloroſorum obiectorum Mariæ pluralitas, & varietas: Vnde dolere habuit. ET PRIMÒ, potiſſimum omnium doloroſorum obiectum fuit, Filius eius, ſuper quo tanto amplius, & acerbius doluit, dum aliquid aduerſi ſuſtinuit; quanto vehementius, intimius, & tenerius illum dilexit. Et tanto crebrius; quanto patiebatur frequentius. Et tanto intenſius; quanto eius paſſionem, & paſſionis amaritudinem intellexit lucidius. Qui ergo noſſe volet, quantum Maria de hoc obiecto doluit, ille primum quantum Ieſus paſſus calculet, etſi paſſionum calculum deprehendere non poterit, ſciat quod nec Mariæ dolorem attingat.

ALTERVM, doloris obiectum ipſa fuit: Nam quo ordinatiori charitate ſeipſam dilexit, eo ampliori dolore, de ſuis aduerſis dolebat; Et quæ ſe olim meminerat Matrem gaudioſam, vidit poſt ſuam cytharam in luctum verſam, & prorſus deſtitutam, &c. *Iob. 30.*

TERTIVM obiectum præcipuum, fuit de ſibi coniunctis, & cognatis, & notis, inſuper & Chriſti Apoſtolis, & Diſcipulis: De quibus ſummè dolebat, dum eorum deſolationem mœſtiſſimam, amicitiam irritam, & fidei incõſtantiam ac fugam à Chriſto cernebat. Verè hos quantum diligebat, tantum dolebat. Magis autem quam Apoſtolus Paulus Iſraelitas amabat, cui tamen *dolor continuus pro eis fuit,* &c. Valde ergo de obiecto hoc dolebat. *Rom. 9.*

QVARTVM obiectum, non ſolum de ſuis amicis & cognatis dolebat; verum etiam de perfidis Iudæis, quodammodo Deicidis; eorum ſcilicet perfidiam, ingratitudinem, & duritiã, & cæcitatem flebat. Et fortè tanto acrius; quãto illis erat neceſſarium magis. Nam & ipſos diligebat, & ſaluos fieri cupiebat; adeo quod magis quam Paulus, qui *anathema* pro eis eſſe volebat, pro eorum ſalute ſuſpirabat, & exceſſu lugebat. *Ibidem.*

POSTREMO, non ſolum ſuper dictis obiectis indoluit; verumetiam ſuper omne genus humanum, quod vel fuerat, tunc erat, vel futurum erat, lamentum ſumebat, quorum plures vidit paſſioni fore ingratos, rurſus Chriſtum crucifixuros & damnandos. Et hinc profecto maximè dolebat, quia laborem Filij, & ſuæ meditationis officium, in his fruſtrandum vidit. Quiſquis nunc multitudinem dolorum cordis Mariæ ſcire deſiderat, ille ſingula hæc obiecta dijudicet, & ex ſingulis, quanta & quæ multiplex ſe doloris materia obtulerit, ſi poterit perſpiciat. Et quia multitudo illa numerum omnem excedit, ſciat & Mariæ dolorem exceſſiuum nimis. *Hebr. 6.*

MEMBRVM IV.

De quintuplici martyrio Mariæ.

POena, dolor, *&c.* HIC vt magis multitudo, & grauitas dolorum Mariæ pateſcat, quintuplex martyrium annectitur, quod paſſa fuit. Vt Ioannes Nyder, quem hic inſequimur, declarat. ET PRIMÒ, paſſa eſt martyrium, *pœnalis paſſionis*, quod ei inflixit gladius ille Simeonis; quælibet enim quantũuis etiam parua Chriſti paſſio, fuit viſcerum, & materni cordis eius dura transfixio; adeo vt, magis patiebatur quàm martyr, in proprio corpore, &c. V *Luc. 2.*

ALTERVM martyrium fuit doloroſæ cõpaſſionis: Anima enim Matris per amorẽ, & paſſionem in Chriſti corpus transformata erat, & verius ibi erat vbi amabat, quàm vbi animabat: vnde illic omnes Chriſti paſſiones, per compaſſionem tolerabat. Et præſertim in Filij tranſlancearione, dolorem hunc ſentiebat, nam Chriſti anima à corpore diſceſſerat. Hinc ait Bernardus: *Verè tuam, ò beata Mater, animam, gladius pertranſiuit, quando crudelis lancea Filio iam mortuo latus aperuit: Ipſius nimirum anima iam ibi non erat; ſed tua plane auelli nequibat: vt plus quàm martyrem te non immerito prædicemus. In qua nimirum ſenſum corporeæ paſſionis, exceſſit affectus compaſſionis.*

TERTIÒ, paſſa eſt martyrium Diuini & penetratiui verbi; ſermonis, ſcilicet, filialis, quando ei dixit, *Mulier ecce filius tuus*, &c. Quo verbo, fuit magis paſſa, quàm gladio, aut lancea trãsfoſſa; Pertingebat enim hoc verbũ, vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus, compagum ac medullarum. Hinc Bernardus, *An non plus, quàm gladius fuit ſermo ille, Mulier ecce filius tuus? Re vera fuit pertranſiens animam, & vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus pertingens.* *Io. 19.* *Eph. 4.*

QVARTO, pertulit martyrium diuturnæ laſſitudinis & fatigationis, quæ ſecundum Auguſtinum adeo fatigata erat, vt iam deficiens vix ad Chriſti funus peruenire valebat. Nec id mirum, ſi attendamus naturæ eius teneritudinem, paſſionum multitudinem, & diſcurſum ad videndum Filium, & diuturnam ſub cruce ſtationem, vbi nullum habebat appodiatoriũ. O attendat hæc, qui poterit, quantus fuit Virginis dolor, & quàm grandis huius paſſio, quando virago illa, mulier fortis, defecit plus ferre non ſuſtinens, vt dicit Auguſtinus.

POSTREMO, ſenſit martyrium promptæ voluntatis. Stabat enim iuxta crucem voluntariè (ait Ambroſius,) & præſto pro humani generis ſalute, & ipſa pati, ſi ita placuiſſet Diuinæ voluntati: Offerens & litans velut magna Sacerdos dilectum, & vnicum cordis ſui Filiũ, perfectius quam Abraham Iſaac pro ſalute hominum. Cui alludit Anſelmi verbum: O *Domina*, inquit, *quos fontes lachrymarum dicam erupiſſe, de pudiciſſimis oculis tuis, cum attenderes vnicum tuum, coram te flagellari, cruciari, diſſecari, & mori. Et tamen ita Diuinæ voluntati conformis fuiſti, vt humanæ ſalutis auidiſſima eſſes: vt dicere audeam, quod ſi nullus fuiſſet repertus, qui Filium crucifigeret, ad hoc vt ſequeretur ſalus* *Gen. 22.*

hominum

hominum, & adimpleretur Dei voluntas, ſecundum rationem, ſi oportuiſſet, ipſa eum in cruce poſuiſſes. Neque enim credendum eſt, minoris te fuiſſe perfectionis, quam Abraham, & obedientiæ ad Deum, qui tamen proprium filium obtulit Deo, manibus proprijs occidendum, & exurendum. Et quia tu promptior, ergo illo martyrij genere, cruciatus tuus maior. O per hæc omnia quæ perſenſiſti martyria permollias noſtra dura corda.

MEMBRVM V.

De naturalibus cauſalitatibus maternorum dolorum.

VI MAter, &c. Hic iam in duobus verſibus ſequentibus ponitur maternorum dolorum cauſalitas naturalis; id eſt cauſę, quibus naturaliter ad dolorem mouebatur. Quarum PRIMA eſt, & potiſſima, quia Mater fuit Chriſti patientis: Naturale autē eſt Matri dolere de afflictione filij. Sed quia maternitas hęc omnes alias exceſſit; ideoincomparabiliter cęteris matribus plus doluit, quippe quæ talis Filij, talis Mater fuit: Mater electa, Filij electiſſimi; Mater optima optimi; Nihil in Filio diſplicentiæ habens, in eo omnia habens, ſine eo nihil habere ſe reputans.

SECVNDA cauſa naturalis, erat amor grādis: Amor enim naturaliter dolorem cauſat; Tantum quippe de re aliqua dolemus; quantū illam amamus, ita quod pari curſu currunt, amor, & dolor; Et, menſura amoris, metrum eſt doloris. Et quia Maria, Filij amantiſſima fuit, quæ omnem amorē ad Filium in ſummo habuit; ideo ſummè doluit. Omnem dicimus amorem habuit; triplex enim aſſignari amor ſolet. Naturalis, acquiſitus, & gratuitus; *Naturalis* amor in ea in ſummo fuit, quia quāto natura nobilior, tāto nobiliores habet affectiones, & operationes: Sed ipſa ſummè habuit naturā nobilem, ergo & ſummum amorem naturalē, habens etiam tā amandiſſimū naturaliter obiectum; ſ. Filium talem. *Acquiſitus* amor in ſummo in ea fuit, quia omnes cauſas accidentales, quæ inducere poſſunt Matrem ad diligendum Filium, in hoc Filio in ſummo habuit; Erat .n. Filius pulcherrimus, virtuoſiſſimus, optimus, &c. Nunquā etiā filius matrem tātum dilexit, vel tantū honorauit, vel tantū matri dedit, aut pro ea ſuſtinuit; quantum Filius iſte, &c. ergo hic amor ſummus fuit. *Gratuitum* ſimiliter amorem ſummè habuit, quia nunquam aliqua mater, vel alia pura creatura, tantā charitatem infuſam habuit; quippe quam plenam charitate vidimus. Et ergo gratuito amore ſummo Filium hunc, quem & Deum ſciebat, dilexit. Cū itaque Virgo hæc beatiſſima, reſpectu Filij habuerit omnifariam dilectionem in ſummo, habuit & de eius paſſione omnē dolorem in ſummo. O igitur cōpatiamur ei ſi amamus. Etſi experiri velimus vim doloris in Matre, cogitemus (ait Tho. Kempis) vehementiam amoris in Virgine, &c.

TERTIÒ dolorem eius adauxit, quod vnici Filij, ſola, & tota Mater fuit, non habens patrem ſocium, cum quo diuideret multitudinem dolorum: Aliæ.n. matres, cùm patribus dolorem de filiis diuidunt, & ſic quodammodo minus ipſæ ſentiunt; dolor nempe ſubdiuiſus in multos, minor fit in ſingulis. Virgo autem hæc noſtra, quia Mater ſine patre fuit, cum nullo dolorem diuidere potuit, ergo.

QVARTO, præſentia doloroſi, naturaliter mouet ad dolorē, & Maria ferè omnibus tormentis Filij præſentialiter interfuit; ergo inæſtimabiliter doluit. Si enim cæteræ matres ad mortē ferè vſque dolent, dū aliquid dolēdum de filijs audiunt; quā putabimus hanc doluiſſe, quæ fuit in præſentia vbi patiebatur, clamantē audiebat agonizantē aſpectabat. *Stabat.n. iuxta crucem*, &c. Aſtitit autem vt magis mereretur; vt ſaluti noſtræ cooperaretur; vt eius conſtantia probaretur; & nobis exemplum ſub cruce ſtandi relinqueretur, cum ipſa ergo ſub cruce ſtemus, & cum dolente doleamus.

QVINTÒ, ipſa complexionis ad Filium naturalis conformitas, dulciſq; prioris conuerſationis familiaritas, plurimū dolorem eius aggrauabant: Nam hæc quemadmodum amoris; ita & fomenta naturaliter ſunt doloris; Naturaliter.n. affectus erga ſimiles mouetur, vnde & ſimilia ſibi appetuntur vniuerſa. Quia ergo Maria complexione (vt creditur) Chriſto erat ſimillima; ideo maximè ei naturaliter cōpaſſa.

SEXTO, ideo præ cæteris dolebat, quia mēte.i parte fere impaſſibili, ipſa ſuum martyriū ſuſtinebat. Alij.n. principaliter carne patiebātur, & mente refocillabantur; vt patet in Martyribus. Tanto itaque martyrium huius noſtrę nobilius, & egregium magis; quanto in parte nobiliori magis.

SEPTIMO, teneritudo naturæ, & nobilitas complexionis, aggrauabat dolorem ſuæ compaſſionis: per hæc.n. ad maiorem compaſſionē diſpoſita fuit; Hinc ait Diuus ille Auguſtinus, quod dolor eſt teſtimonium bonæ & flexibilis naturæ. Quo igitur hæc naturæ erat melioris, & complexionis tenerioris, eo compaſſionis maioris.

OCTAVO, magna & præcipua virginei doloris augmentatio fuit, profunda eius circa patientem Filium conſideratio, & contemplatio. Virgo .n. erat prudentiſſima, optimæ partis (quę nunquam nec inter medias tribulationes ab ea ablata fuit) electrix ſagaciſſima, quæ iuxta crucem ſtabat fide erecta, voluntate Deo conformata, ratione eleuata; & aquilino intuitu, omnia aggrauamenta Dominicæ paſſionis, eius oculus perſpiciebat, & quidditatem, quātitatem, qualitatem, cęteraq; aggrauantia conſiderabat, & in cordis trutina, præ cæteris diiudicabat & ponderabat; nil mirum ergo, ſi præ cæteris amarius & intenſius condolebat.

NONO, dolorem virgineū valde augebat, quia inſons erat, & ſe ſine culpa pati videbat: 1.Pet.1.
Nunquam enim peccauerat, neque quicquam dignum culpa admiſerat; Innocētia autem patientis valde grauat; licet aliqualiter alleuet, Plurimū igitur dolebat, libenter tamē omnia, quia rationabiliter (vt dictū eſt) etiā ſine propria culpa illa tolerabat, & pro eis ſatisfaciebat.

POSTREMO, inde magis indoluit, quia ſuā cytharam in luctū conuerſam vidit: quo.n. ante plura gaudia de Filio habuit, eo magis de tā

paſſo doluit. *Infæliciſſimum enim infortunij genus eſt*, (ſi Boetio creditur) *fuiſſe fœlicem*. Fiet hic collatio gaudiorum, & dolorum, & ſic patebit quomodo, & quantum, virginea cythara ſit verſa in luctum. Hæc de naturalibus cauſis.

MEMBRVM VI.

Rationes gratuitæ impellentes Virginem ad condolendum Filio.

VII PRæſcia, &c. HIC IAM enumerantur aliquot cauſæ, & rationes gratuitę, Virginem impellentes ad Filio cōdolendum validè, quarum PRIMA ex eo ſumitur, quia prophetiſſa, & futurorum præſcia erat; Quod autem prophetię donum etiam non gregarium, ſed ſummum habuit, oſtendit ſatis Dominus Albertus in de Laudibus eius, &c. Quia ergo verè prophetes fuit, ſpiritu præuidit, quā grandia eius Filius cum ipſa eſſet paſſurus, quam in multis illorum vtrorumque labor fruſtratur; iuxta illud Eſa. 49. *In vanum laboraui*, &c. Et hinc maximè doluit, vt & Filius.

SECVNDO, inde plurimum doluit, quia & ſeipſam cauſam paſſionis Chriſti videbat: Nam & pro ea Chriſtus paſſus eſt; Et licet nō pro eius trangreſſione, quippe quæ tranſgreſſa non fuerat: tamen pro eius à peccato præſeruatione; Ita quod & Chriſtum, licet ſine peccato concepta (vt multi tenent, & piè creditur) fuerat, Saluatorem habebat. Liquet enim iuxta quendam doctum, eo magis Chriſtum eſſe Saluatorem, quo fuerit is, qui ſaluatur tutior à perditione. Quanto igitur à perditione quis longinquior, tanto ſaluatior, & quāto ſaluatior, tāto ſalus verior. Magis igitur vniuſcuiuſque ſaluatior eſt Ieſus, quanto magis à peccato ſaluat. Virgini igitur Matri maximè Saluator; ſi eam non ſolum ab actuali, & originali ſaluauit; ſed & præſeruauit.

TERTIO, inde valde dolebat, quia pietatis dono, quod ad luctum diſponit; Imo & omnibus donis Spirituſſancti, quę mentem facilè mobilem, ſecundum eius inſtinctum reddunt, repleta fuit: Vnde ſingulariter ad miſericordiam, magis quàm ad aliud ſacrificium apta erat; Vnde & Regina miſericordiæ, & pia, ab Eccleſia compellatur.

QVARTO, & maximè dolorem eius augebat, quia multos, & efficaciſſimos impulſores, ad Filio condolendum habebat. Quinque enim (iuxta Vbertinum) eam impellebāt: *Primo* Deus Trinitas, qui & ei pro priuilegio, communicationem paſſionis Chriſti dabat; *Secundo* Ieſus eius Filius, qui quo dilexit eam intimius, eo ad dolendum impulit amplius, ſciens, quod nil eo dignius, melius, & acceptius, quam vt ei compateretur validius. Vnde hoc dono Matrem honorabat, & eius deſiderium in bono hoc implebat. *Tertio*, tota influētia trium Hierarchiarum angelicarum, eam ad Chriſto compatiendum impellebant; Nam ſcientes, quod eorum ruina reparari non poterat, niſi de his, qui tanto beneficio grati, deuotione & compaſſione forent: Ideo mentem virgineam eorum influxu, in Chriſti doloribus immergebant, vt non ſolum pro ſe; ſed pro aliis omnibus Deo grata eſſet &c. *Quarto* habitus gratiæ ſingularis, ſemper virgineam mētem ad excellentiſſima quæque informabat: Vnde ad Chriſto compatiendum, ſummè impellebat; Præſertim tamen ad iſtud gratia electrix eam impulit, quæ ad maternitatem Diuinam eam elegit, vt dignum tali matri, ſuper tali Filio, luctus obſequium exhiberet. *Quinto* totum bonum vniuerſalis Eccleſiæ eam mouit, quod per eam diffundendum erat, &c. Imo, & totum vniuerſum, in Filij eius morte tremulum, impulit ad magis lugendum. Et hęc de impulſibus, de quibus latius agit Vbertinus.

POSTREMA doloris ratio fuit, officij eius exhibitio: Nouerat enim ſe mediatricem, & reconciliatricem omnium, ergo pro omnibus contemnentibus erat ei dolendum. Vnde & creditur (iuxta Vbertinum) Spirituſſanctus tantum doloris ei communicaſſe, quantum mediatrici tali poterat ſufficere. Ita quod pro ſe, & toto mundo, dignum exhibebat lamentum. Æſtimet iam qui poterit, ex cauſis his omibus, quantus fuit dolor virgineus.

MEMBRVM VII.

Figuræ, & Prophetiæ doloris Mariæ.

AGar, &c. HIC IAM ſubduntur aliquæ veteris paginæ figurę, & prophetiæ, ex VIII
quibus vtcunque magnitudo virginei doloris potuit pateſcere. ET PRIMÒ, de Agar, quæ ſuper Filio ſitienti doluit, quòd eum ſub arbore, ne morientem videret, proiecit; Sed longè amplius Maria doluit. Nam illa, vt dicitur Geneſ. 21. Vidit filium ſuum ſitim patientem in ſolitudine, vbi non erat aqua: Maria autem audiuit Filium *ſitio* clamantem in propria terra, vbi omnium erat abundantia. Illius filius ſitim paſſus eſt in exilio, vbi non habebat amicos: huius in patria, inter amicos. Illa poſuit filium ſub arbore in vmbra, contra ardorem ſolis: Iſta vidit Filium eleuatum in arbore crucis, in feruore ſolis: Illa receſſit, ne videret filium morientem: Iſta conſtanter ſtabat iuxta crucem, videns Filium expirantem. Illa ſedit in terra, & fleuit: Maria ſtetit, & planxit, quia locum ſedendi non habuit, &c. Si itaque tantum illa de tali filio, tam pauca paſſo doluit; quanto amplius iſta indoluit?

HVIVS etiam dolentis typum Rebecca geſſit, quando ad Dominum dixit, Gen. 25. *Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe concipere fuit?* Quod propriè magis Mariæ congruit, quæ in conceptione dolorem non ſenſit, & iam duplo doluit, quaſi diceret: Quare in natiuitatē, dolorem non pertuli, ſi iam tantum perferre debui? Dum enim illius gaudij recordor, dirius in me crucior.

TERTIÒ, Si Dauid mortem filij perſecutoris adeo fleuit, quod clamare non ceſſauit, quod pro eo mori voluit, dicens, 2. Reg. 18. *Abſalon fili mi, fili mi Abſalon*, &c. Quantum

dolorem

dolorem Maria habuit, dum Filium innocentiſſimum mori conſpexit?

QVARTO, in huius figuram Noemi dixit, *Nolite me vocare Noemi*, ſed *Marà*, &c. quod pulchrè Marię quadrat. Duos enim, & ipſa filios amiſit, carnalem ſcilicet Ieſum in corpore, & ſpiritualem, ſcilicet genus humanum in fidelitate. Vnde nil mirum ſi amaritudinibus præ Noemi repleta fuit. Ruth. 1.

POSTREMO, vt dicitur in verſu, de cuius etiam doloris magnitudine, multa veteres illi prædixere Prophetæ: vt patet diſcurrendo per ſingulos. Hinc ait Eſa. c. 54. *Vt mulierem derelictam, & mœrentem, vocauit me Dominus*. Ezech. 30. & 14. *Quaſi parturiens dolebit*. Et alibi, *Omnia luminaria cæli faciam mœrere ſuper te*. Hierem. *Poſuit me quaſi deſolatam*, &c. Item, *Dolores tenuerunt eam, vt parturientem*. Plena eſt huiuſmodi ſcriptura, quæ poſſunt exponi de dolore Virginis Matris. Tren. 1.

MEMBRVM VIII.

De quibuſdam ſingularibus doloribus Mariæ.

IX DE puero, &c. IN DVOBVS his poſtremis verſibus, enumerãtur aliqui dolores Virginis ſingulares, ſuper quibus ſingulis poſſent multa dici, ſed committitur hoc exercitantiũ deuotioni. PRIMVS igitur præcipuus virginis dolor, quem de Chriſto habuit, in eius pueritia fuit: Et is multiplex fuit, puta quando illum peperit; & præ frigore vagientem, & membra conſtringentem vidit; & duro in præſepio reclinauit; Quando item tenellum illum circuncidit; Item quando prophetiam Simeonis audiuit; & in Ægyptum fugit. Singula retractentur.

SECVNDO, præcipuè dolebat, quando perditum illum triduo dolens, & flens quærebat.

TERTIO maximè doluit, quando totiens in vitę decurſu, amatiſſimum illum cordis ſui, ſæpe eſurientem, & egentem vidit. Quomodo enim hoc poterant ferre materna viſcera, de illo qui creauerat omnia, & nutrit cuncta.

QVARTO, valde doluit dum Ieſum vel ingementem, aut crebrius flentem conſpexit:
Fleuit (quidam ſcribit) *multotiens Sanctorum gloria Chriſtus.*
Inclyta colluxit virgo Maria Ieſu.
O quid ei putas cordis? quid affectuum fuit, dum flentem illum perſpexit?

QVINTO, granditer doluit, dum Ieſum loborantem, docentem, ſitientem Iudæorum ſalutem conſpexit; & nihilominus illum ſperni, obſeruari, & blaſphemari audiuit. Verè ſingula Iudæorum in Chriſtum blaſphema verba, fuerunt virgineo cordi, materno pectori, dira martyria, & transfodientia ſpicula.

SEXTO, quæ lingua vel dicere, vel intellectus poterit comprehendere, quantum indoluit, dum eum crebro ſuam paſſionem prædicentem audiuit? O quam materno cordi graue audire fuit? Si Petrus & Apoſtoli ferre non poterant, quid de tali Matre ſuſpicandum?

SEPTIMO, cum Filium audiuit à Iuda venundatum & proditum, & à Iudæis captum, quem putabimus eam habuiſſe dolorem? Si Hely audiens arcam captam, præ dolore reſupinus cecidit, & nurus eius moriendo peperit; quid putas Mater iſta fecit? 1. Reg. 4.

OCTAVO, dum vidit illum ab omnibus diſcipulis derelictum, de iudice ad iudicem ductum, opprobrijs repletum, & iniuſtiſſimè cõdemnari: quale habuit doloris lamentum?

PORRO NONO, dolorem, quem habuit, dum Filium damnatum, cruce onuſtum, ad mortem duci conſpexit, ſpaſma quod patiebatur, vt capella in illius memoriam manens: vt Vbertinus teſtatur.

DECIMO, dum Filium in cruce vidit, & alloquentem audiuit, doloris gladio transfodiebatur.

POSTREMO, qualem dolorem ſenſerit, dum Filium agonizantem, morientemque cõſpexit; dum depoſitum in gremio tenuit, & tumulare vidit, nulla volubilis lingua explicare poterit. Hæc breuiter diximus, quoniam magis affectu, quam penna hi attinguntur dolores.

Roſarium quintum. De gaudiis dulciſſimæ Virginis.

CAPVT VII.

COngratulamini mihi. Luc. 15. POST ROSARIVM dolorum, ſequitur *Roſarium gaudiorum*: nam congruit, vt qui eſt compaſſus, vt & congratuletur; & ęquum eſt, vt qui fleuit cum flente, etiam gaudeat cum gaudente; Et qui Mariam ſalutauit in cõmemoratione triſtitiarum, & dolorum: commemoret etiam gaudiorum, vt hortatur per verbum præmiſſum. Singulariter enim eſt Mariæ gratum, vt ſalutetur in commemoratione gaudiorum: vt patet ex multis exemplis, in libris exemplorum. Legitur enim de pluribus, qui hoc modo (ſcilicet in gaudiis Mariæ) ſe excitabant, & in eorum memoria eam ſalutabat, quod à Maria ſunt reſalutati, & vt gauderent, & ſecum ad æternaliter gaudendum venirent, in illius congratulationis vicem & recõpenſam ſunt inuitati. Et ideo hoc quidam ſancti ſcientes, ſingulariter erant ſe in horum memoria exercentes: vt dicitur de ſancto Bernardo, & apertè inuenitur de S. Thom. Canthuarien. qui cęteros rithmos de gaudiis compoſuit, quibus Mariã ſalutauit, &c. Vnde & ei adiutorio fuit. Quod ſi virgini huic tam hoc gratum erat, quando partialiter quibuſdam orationculis, & aliquibus tantum gaudiis commemoratis ſalutabatur: quam ſperandum hoc ei Roſarium acceptum, vbi & gaudiorum ſuorum qualitas, & quantitas, cauſalitas, & modalitas ad mentem ei reuocantur, & præcipua nihilominus eius gaudia textualiter commemorantur? Rom. 12.

QVOD ſi quem non permoueat exercitij huius acceptibilitas, alliciat vel vtilitas, ſuaui-

Digitized by Google

tas,& neceſſitas. Valde enim vtile eſt Mariæ in commemoratione gaudiorum congratulari, quia ſic per piam congratulationem, poterit homo ſingulariter eius gaudiis, & meritis participare, & tandem ad ſecum ęternaliter gaudendum ab ea inuitari. Quantæ autem ſit ſuauitatis & dulcedinis, nemo nouit, niſi expertus: pręſertim cum gaudiorum retractatio, naturaliter oblectat etiam in rebus vanis, multo magis eius, cuius ſpiritus ſuper mel eſt dulcis.
Eccl. 24. Neceſſarium quoque eſt ei qui volet habere Mariæ gratiam, & permanere in eius amicitia, vt obaudiat eius voci, qua iubet ſibi congratulari, per verba pręallegata, quæ Eccleſia canit ex eius perſona; vt ſcilicet ſic ſeruet amicitiæ iura, quibus amicorum eſt velle & nolle vnum, & ſicut fleuit cum flente, ita & gaudeat cum gaudente.

ROSARIVM V.

De gaudijs Mariæ. Et primo gaudiorum qualitas.

Gaudia plurima, maxima, plenaque, ſingula, pura.
Varia gaudij obiecta.
In Domino, de ſe, Nato reliquiſque, creatis.
Teſtimonia vnde elicitur, quam magna erant gaudia.
In terris, cœlis, vates, typus, oraq; Patrum.
Signa gaudij magnitudinem oſtendentia.
Cantica, verba, pia, geſtus, ſimul intima, mẽbra.
Cauſæ gaudij generales.
Laus, ſimilis, rara, perſpectio, dogmata Chriſti.
Plena fuit, grata, genitrix fuit, vnctaque præſens.
Cauſæ gaudiorum ſpeciales.
Virtus, ſpes, vel amor, opus, intellectio, cauſę.
Aduerſum, ſcriptum, donum, benefactio, mirãs.
Præcipua Marię gaudia.
Concipiens, peperit, reges, templo, gerit vlnis
Clarus, ſurrexit, ſcandit, miſit, tulit hinc te.

MEMBRVM I.

De gaudiorum Mariæ qualitate.

I *Gaudia plurima.* Pro præmiſſi Roſarij quantulacunque intelligentia, ſciendum quod in hoc eius primo verſu, patet *qualitas, & quantitas* gaudiorum Mariæ; qualia ſcilicet eius fuere gaudia. Et inprimis dicitur, quod erant *numero plurima*, quippe quę diuerſa, & multa (vt ex ſequentibus patebit) habuit gaudiorum obiecta: vt de Filio; de ſe; & omni creatura. Vel etiam plurima gaudia habuit, quia omnes ſpecies, aut ſaltem omnia verorum gaudiorum genera, in ſe tenuit; puta ſpiritualia, & corporalia; temporalia, & æterna; vera, & ſolida, vt in quarta parte Summæ ſuæ declarat Antoninus.

Secundò, erant eius gaudia in *modo maxima*, adeo quod prę gaudiorum magnitudine,
Luc. 1. eius ſpiritus exultauit in Domino. Nec mirum *tum quia* habuit maximorum gaudiorum obiectum; *tum quia* purum, & diſpoſitiſſimum ſubiectum; Lumẽ etiam clarum, & lucidum: Quæ tria vbi concurrunt, maximum cauſant gaudium, vt Ioann. Dominici exequitur ſuper Magnificat. Maxima item habuit gaudia, quia maximorum gaudiorum cauſas omnes, & omnia habuit motiua, vt patet infra.

Tertio, Marię gaudia, erant in *obiecto plena* & perfecta; quia in eo gaudebat, qui plenitudo eſt gaudij vniuerſi, & conſummatio; in *Deo*, ſcil. *ſuo ſalutari.* Aut *ideo* gaudium plenum, & perfectum habuit, quia ſecundum omnes vires, & potentias animæ fuit, vt declarat Antoninus, in potentiis, ſcilicet primis, mediis, & vltimis: Hoc eſt, in ſenſualitate per delectationis redundantiam; in imaginatione per notitiam; in rationali per ſubſtantiam. *Vel certè* ideo plenum fuit eius gaudium, quia percepit plenum, & omnis gaudij effectum, vt idem dicit.

Qvarto, ſingularia quædam, & *ſpecialia* gaudia habuit, in quibus nec primam ſimilem, nec ſubſequentem ſecundam habebit: In quibus non communicat ei alienus, vt ſunt illa quod Mater fuit, & Virgo; quod Mater Dei; & huiuſmodi multa, de quibus indubiè ſingulariter, prę & ſine cæteris gauiſa fuit.

Postremò, Virginis huius gaudia fuerunt *pura*: Puta, inquam, non quidem à triſtitia, & pœna; ſed à culpa quę propriè gaudia reddit impura. Alioquin nunquam hic pura habuit gaudia, cuius gaudijs ſemper admixta fuere aduerſa: vt latè deducit Dionyſius Carthuſienſis. *Vel* ideo *pura* habuit, & ſolida gaudia, quia nón tam de creatura, quam de Creatore concepta, quæ ſola (ſi Bernardo creditur) ſolida ſunt & pura. Æſtimet iam qui poterit, quale, quantumque huius Virginis gaudium fuerit, quod his circunſtantiis qualificatum fuit. O igitur tu gaudioſiſſima Domina, nobiſcum de gaudiis tuis communica.

MEMBRVM II.

De varijs gaudioſis obiectis Virginis.

In *Domino, &c.* Hic ponuntur varia Virginis *gaudioſa obiecta*, ex quibus elicitur, quã fuerint eius gaudia multa. Et inprimis, & pręcipuè *de Deo & in Domino ſuo* gaudebat, vt ipſa in ſuo Cantico profitetur, ita quod ex ſententia dicere poterat illud Eſa. *6. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo.* II

Secvndvm gaudioſum obiectum *ipſa* fuit; nã & de ſeipſa gaudebat, nam ſicut ordinatam habuit charitatem; ita & gaudioſitatẽ. Vnde valde de ſe, non tamen in ſe, ſed in ordine ad Deum gaudebat, qui magna illi faciebat. Nam de donis Dei lætari non inſipientis eſt, vt ait Apoſtolus. Gaudebat itaque propter omnia, & ſingula ſibi collata, quæ quoniam prorſus innumera; ideo & gaudia exceſſiua. Item gaudebat de conſcientia bona, dicens cum Apoſtolo, *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ*, &c. Cuius, quia præ cęteris erat melior; ideo & gaudioſior. Cant. 2. 2. Cor. 12. 2. Cor. 1.

Tertio,

TERTIO, & de Filio ſinglariter gaudebat quia eum tenerrimè diligebat: Vnde & omnibus bonis ei congaudebat. Nam ſi *Filius ſapiès*
Prou.10. etiam gregariùs, *gloria eſt parentis*; quam putabimus hanc gloriatam in Filio ſapientia ipſa? O quis poterit explicare, quanta habuerit gaudia, *tum* in paruuli contrectatione, & deoſculatione; *tum* ſuper familiari dulciſſimi iuuenis cohabitatione; *tum* ſuper dulcibus colloquijs, conuiuijs, & cunctis familiaritatis indicijs? Verè deficit hic lingua omnis. De quibus tamen ſcripſit Dionyſius Carthuſienſis, vnde
Abac.3. dicere poterat: *Exultabo in Deo Ieſu meo.*

QVARTO, gauiſa fuit de cæteris ſuis *cognatis, & amicis*, de Chriſti Apoſtolis, & Diſcipulis, & omnibus Chriſtianis, quibus in bonis aggaudebat, quia verè eos in Chriſto amabat. Nam operationes bonæ aliorum, bonis ingerunt gaudium. Iuxta quod in Canonica ſua dicit vertex ille Theologorum, *Gauiſus ſum val-*
2.Io.1. *de quia inueni de filijs tuis ambulantes in veritate.* Et quo hos Maria dilexit intimius, eo gaudebat perfectius.

POSTREMO, gaudebat, & in omniũ creaturarum contemplatione, in quibus egrediens
Pſa.91. inueniebat grandium gaudiorum paſcua, ita vt dicere potuerit cum Propheta, *Delectaſti me Domine in factura tua*, &c. Omnis enim creatura, ad Creatorem erat via, & quædam amoris arra, ita quod quidquid aſpiciebat, in Deum reducebat. Cum igitur tot tantaque habuerit gaudioſa obiecta quis ne dicam numerare; ſed vel comprehendere poterit, quot quantaque erant eius gaudia.

MEMBRVM III.

Quædam teſtimonia, quòd gaudia Virginis maxima fuere.

III IN *terris, cælis*, &c. CONSEQVENTER ponuntur quædam *teſtimonia* atteſtantia, quod huius Virginis gaudia fuere maxima. Et PRIMVM teſtatur hoc gaudij generalitas, locorum vniuerſalitas: Gaudebat enim multipliciter, & magnificè adhuc poſita in terris, in conualle plorationis, ex obiectis poſitis, & cauſis adhuc ponendis. Diſcurrat hic per ſingula ſtudioſus.

SED SECVNDO, longè, & improportionabiliter amplius, iam gratulatur conſtituta in cælis, vbi introiuit in Domini ſui gaudiũ, & impletum eſt in bonis eius deſiderium, & gaudium plenum & perfectum. Hoc gaudium nec oculus vidit, nec in cor hominis aſcendit. Nam ſi gregaria Sanctorum gaudia nemo capit: quis gaudia Matris apprehendet.
Matt.25. Pſ.101. 1.Cor.2.

HVIVS gaudia, quàm fuerint multa, & magna, atteſtantur dicta prophetica, quæ de gaudiis ſcribunt plurima, huic Virgini applica-
Eſa. 5. bilia: vt huiuſmodi, *Gaudium & exultatio in ea.*
Eſa.9. Item: *Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe*, quod Albertus magnus exponit de hac Virgine.

QVARTO, inueniuntur typica geſta, gaudij magnitudinem præfigurantia: Nam Mariæ
Gen.21. typus Sara fuit, quando dixit, *Riſum mihi fecit Dominus, & omnes qui audierint corridebunt mihi.* Quaſi diceret, ex perſona Virginis (vt ait Albertus) Gaudium principaliter pertinet ad me: Alijs autem ex conſequenti, & per me, &c. Item: Iudith. quando audiuit, *Tu gloria* Iudith 15.
Hieruſalem, tu lætitia Iſrael, &c. Item: Heſter quando dixit, *Noſti quod nunquam lætata ſit an-* Heſt.14.
cilla tua, niſi in te Deus. Quod propriè dicitur ex perſona Virginis, nec generaliter conuenit cæteris. Applicentur ſingula.

TESTANTVR poſtremo, & gaudij eius magnitudinem Patres orthodoxi, qui plura ſcribunt de eo, vt Bernardus, & Anſelmus, Albertus & Dionyſius, qui determinant, quod eius gaudium fuit ſummum.

MEMBRVM IV.

Signa gaudij magnitudinem Mariæ oſtendentia.

CAntica verba, &c. HIC ponuntur quædam *ſigna*, magnitudinem & veritatem IV
virginei gaudij comprobantia, & ſunt iſta: IN PRIMIS eius *Cantica*, quæ ſunt gaudioſæ mentis indicia: Multum enim gaudebat, quando prę exultatione ſpiritus, Canticum Magni- Luc.1.
ficat cantabat. Et dicitur Cantica pluraliter, Piè enim credẽdum eſt, (vt ait Gerſon,) quod pluries etiam vocaliter cantauerit Virgo hæc benedicta. Nunc fœminina carmina, pro pueri Ieſu vagientis recreatione; Nunc Sancta quædam Sanctorum cantica in peregrinatione, pro itineris alleuiatione: *Cantabiles* enim ei e- Pſal.118.
rant *iuſtificationes Dei, in loco peregrinationis.*

SECVNDO, ſi, teſte Philoſopho, verba ſunt eorum, quæ in anima ſunt, notæ, & ſigna; liquet, quòd grãditer hæc intus gaudebat, quæ nunquam triſte, aut amarum quippiam ſonabat; ſed omnia pia, & gaudioſa erant ab intus in conſcientia bona, vnde nil aſperum dixit foris. Scrutare ſcripturas qui ſcire voles.

TERTIO, ſi (vt ſapiens ait) *Riſus dentium, & ingreſſus hominis denunciant de illo*, patet quã erat intus gaudioſa, quæ foris tam erat compoſita. Et neceſſe eſt flumen gaudij intus, quod redundabat foras. Exultauit enim & per geſtus extra redundauit.

QVARTO, ex intimis bene ordinatis, oritur iocunditas foris, iuxta illud ſapientis: *Secu-* Prou.15.
ra mens quaſi iuge conuiuium. Sicut autem nulla conſcientia ſecurior, Mariæ conſcientia, ita & iocundior fuit nulla.

POSTREMO, ſi ab *occurſu faciei homo no-* Eccl. 19.
ſcitur ſenſatus; perpendat quãtum fuerit Mariæ gaudium intus, quod redundabat ad membra foris. Cor quippe, & caro eius exultauerunt Pſa. 83.
in Deum viuum, &c. Patet ergo quòd grandia eius erant gaudia.

MEMBRVM V.

Rationes generales gaudij huius Virginis.

LAus ſimilis, &c. IN DVOBVS verſibus V
ſequentibus, ponuntur generales quędam rationes, gaudij virginalis. Omnes enim cauſas habuit;

Digitized by Google

habuit quæ ad ſpirituale gaudium inducere poſſunt.

INTER quas eſt *vna, laus, & laudatio*: Generaliter enim gratulamur, quando de veris Domini bonis laudamur. Hanc autem *filiæ* Cant. 6. *Syon viderunt, & beatiſſimam prædicauerunt, & beatam eam omnes generationes dixerunt*. laudata à multis, & magnis, in ſcripturis à Deo; in ſalutatione ab Angelo, ab hominibus, & Eliſabeth in viſitatione; à tribus Magis in adoratione. Et generaliter à multis, & magnis in terris, qui etiam corporaliter eam videre geſtiebant (vt ſcribit Dionyſius Carthuſienſis, præſertim Ignatius. Valde ergo gaudebat, gratulabatur, quæ ſe ab omni generatione beatam dici audiebat, & benedicendã in ſuo Cantico.

SECVNDO, *ſimilitudo* de per ſe cauſa eſt gaudij, & delectationis, ſicut amoris, & dilectionis: Simile enim ſimili applaudit; Quia ergo Filio in natura, conuictu, & moribus erat ſimillima, maxima præ cunctis de eo concepit gaudia.

TERTIO, *intuitio rarorum & nouorum*, cauſa eſt gaudiorum: Tanto itaque hæc ampliora ſtudia habuit; quanto rariora in ſe, & de Filio ſuo conſpexit; quando tot, & tanta mirabilia fecit, & tam magna ei fecit, quod ſe quaſi miraculum in natura vidit. Et quia hæc mirabilia valde ſunt numeroſa, liquet, & gaudia fuiſſe multa.

Pſa. 44. QVARTO, *facialis viſio Christi*, præ filijs hominum ſpecioſi, eius gaudij ſingularis fuit ratio: Quis enim non gauderet, ſi eius, qui angelorum gaudium eſt faciem videret? O beati tui oculi, quibus vidiſti faciem Chriſti, ô dul- Mat. 13. ciſſima Virgo: Gaudebat Abraham pater tuus de ænigmate, & vmbra: quantum tu de præſentia? Et omnes patres videre cupiebant, quē tu præſentem, & cohabitantem habebas.

QVINTO, non parua ſpiritalis eſt gaudij materia, *ſana, & vera doctrina*: Quantum igitur Io. 6. iſta gaudebat, quæ veritatem ipſam, verba vitę æternæ, ſuper mel dulcia habentem, audiebat? Verè lætabatur ſuper Chriſti dogmata, & elo- Pſa. 118. quia, ſicut qui inuenit ſpolia multa; quippe Luc. 1. quæ erat prudentiſſima, verba eius *conſeruans & cōferens in corde*, ſurgē-ſq; mel velut de petra.

SEXTO, *plenitudo gratiarum*, valde diſponit ad ſpirituale gaudium: Virtus enim, & gratia, habent ſibi annexa ſpiritus gaudia. Conſtat ergo ex quo hęc gratia erat pleniſſima, quod potiſſima, & vera habuit gaudia. Vbi enim plenior gratiæ infuſio, ibi copioſior conſolatio.

SEPTIMO, præcipuè *virtus gratitudinis*, quæ refertur in Deum; (vt vult Antoninus) annexum habet ſibi gaudium: Quia igitur iſta erat gratiſſima; ideo eius gaudia erãt maxima. Omni enim tempore Dominum benedicebat, & gratias pro omnibus agebat, vnde in omnibus, & de omnibus ſemper gaudebat.

OCTAVO, *coniunctio affinitatis*, cauſa eſt mutuæ congratulationis, & gaudioſitatis: Et quo quis alteri coniunctior, eo naturaliter congratulantior, & ad congratulandū diſpoſitior. Cùm ergo hæc foret ei coniunctiſſima; vt puta maternitatis affectu coniuncta, liquet, quod eius de Chriſto gaudia erant maxima.

NONO, vulgo dicitur, cùm fuerit inunctus currus, ſine murmure vadit. Quia ergo hæc *o-* Pſal. 44. *leo lætitiæ*, & ſpiritualis exultationis, præconſortibus vncta erat; maximo ſpiritali gaudio gaudebat. Non ergo triſtitia mala afficiebatur; ſed gaudio, & ſpiritu ſancto replebatur, Dominoq; iugiter pſallebat, ita vt dicere poſſet: *Exultabunt labia mea cùm cātauero tibi*, &c. Pſa. 70.

DECIMO, gaudioſi obiecti pręſentia, ſumma, & intenſa cauſat gaudia. Hæc autem ſummum bonum ſemper præſentialiter habuit, quippe cum qua Dominus omni tempore fuit, & Chriſti ſalutem vidit: Et viſio ſaluationis, cauſa eſt iubilationis. Quia igitur cauſas has omnes in ſummo habuit, ſummum eius gaudium fuit.

MEMBRVM VI.

Rationes quædam ſpeciales gaudiorum.

VIrtus, &c. HIC annectuntur cauſis dictis VI generalibus, *ſpeciales* quædam gaudiorū rationes, in perfectioribus locum, non in omnibus habentes. Et PRIMA eſt *virtus*, quæ iuxta Philoſophum, bonorum eſt honorabilium, & delectabilium, lætificans poſſeſſorem ſuum. Quo igitur Maria erat virtuoſior, eo gaudioſior. Ethnicus ait: *Vis non eſſe triſtis, ſed ſemper gaudere? bene viue*. Quia igitur huius vita purior, ideo & conſcientia lætior, velut *con-* Prou. 15. *niuium iuge*, &c.

SECVNDO, *ſpes bona*, magna eſt gaudij cauſa: Qui enim bonum, quod diligit, & deſiderat habere ſperat; inde gaudet, quia inchoatiuè habet. Hęc igitur ſummè gaudebat, quæ non modo ſpem; ſed certitudinem firmam, de obtinendo amato bono habebat.

TERTIO, *amor*, & dilectio grandis, immediata, & per ſe, eſt gaudiorum ratio: Iuxta illud *Si diligeretis me, gauderetis vtique*, &c. Quan- Io. 14. tum enim quis diligit, tantum gaudet; & qualiter diligit, taliter gaudet. Quo ergo huius amor intenſior, eo & lætitia maior.

QVARTO, omnis *operatio connaturalis* nō impedita (iuxta Philoſophum ſeptimo Ethicorum) delectabilis eſt, & gaudiorum cauſatiua. Cū ergo Maria in omnibus operibus naturaliſſima fuerit, claret, quod de ſingulis bonis operibus, ſingulariter gaudebat; & quia hęc erant multa, neceſſe eſt, vt ſint & gaudia plura.

QVINTO, Gaudioſorum, & *bonorum obiectorum lucidior cognitio*, amplioris eſt lętitiæ, & gaudij ratio: Qui enim bonum non cognoſcit, de bono non gaudet; & quanto notitia maior, tanto lætitia amplior. Quia verò hæc prę cunctis ſummum bonum, & omnia gaudiorum obiecta cognouit clarius, liquet, quod etiam gauiſa fuit intimius.

SEXTO, aduerſitates, tribulationes, & moleſtiæ, perfectis ſunt gaudiorū materiæ; vt patet in Apoſtolis, qui *gaudebant, quia digni habe-* Act. 5. *bātur pati pro Chriſto*, quippe, qui tribulationes Iac. 1. omne gaudiū exiſtimabant, eas, vt dilectionis ſigna Chriſto conformantia, & multum vtilia, & magnorum gaudiorum cauſatiua conſiderabant, &c. Quàm ergo putabimus hæc gaudebat, quæ ſemper aduerſa ferebat, & cunctis e-

Digitized by Google

rat perfectior,& perfectius tribulationum vtilitates;& dignitates perpendebat?

Septimo, ſanctarum *Scripturarum cognitio*, grauis eſt ſpiritualis gaudij ratio; In lectione enim ſcripturarum, inuenitur contra omne genus triſtitię ſolatioſum remedium, iuxta A- Rom. 15. poſtolum, qui ait, *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt conſolationem habeamus.* Plurimum igitur iſta gaudebat, quæ Scripturas ſciebat, crebrius legebat, profundius intelligebat, ſemper ruminabat,& in corde conſeruabat,& conferebat.

Octavo, *Spiritus ſancti dona, & fructus Spiritus*; & præſertim *gaudium*, Gal. 5. magna ſunt gaudiorum cauſa: Quibus, quia hæc referta erat, ſummè gaudebat. Nam & gaudium fructus ſpiritus ſummè in eo erat, quod in puritate conſcientiæ, & eleuatione animi ad Deum, de rebus gaudio dignis conſiſtit, ergo &c.

Nono, *poſſe impendere alijs beneficium*, iuxta Philoſophum 2. Politicorum, beneficis,& amicis eſt delectabiliſſimum: Valde ergo hæc in omnibus operibus ſuis gaudebat, quæ nobis ſẽper ſe proficere, & ſuccurrere noſcebat.

Postremo, *admiratio* (teſte Philoſopho primo Rhetoricæ) præcipua eſt delectationis ratio,& hoc ex parte deſiderij, ſpei,& rei, vt dicitur in Pantheologia; ſed hæc præ cæteris in admiratione fuit quippe, quæ contemplatrix prudentiſſima, in mirabilium contemplatione ſuſpenſa fuit. Quàm ergo putas gaudebat, quando aliquid de mirabilibus Dei, & Filij audiebat? Scribit nobis Lucas c. 2. quod *erant Pater & Mater Ieſu, mirantes ſuper his, quæ de Filio audiebant*, quorum admiratio non fuit ſine gaudio. Patet ergo ex dictis his omnibus, quod omnis ratio gaudij,& generalis ſcilicet, & ſpecialis, in Virgine noſtra fuit. De quibus rationibus gaudij, qui aliquid plenius legere volet, quomodo ad gaudium cõcurrant, Dionyſium videat Carthuſienſem in tractatu de Gaudio ſpirituali. O quæ ex his, es gauiſa, da nobis cauſas, vt habeamus ſpiritualia gaudia. Amen.

MEMBRVM VII.

De præcipuis gaudijs Mariæ.

VII Concipiens, *&c.* In postremis his duobus verſibus ponũtur præcipua illa gaudia, quę in totius vitæ ſuæ curriculo habuit Virgo Maria, quorum commemoratio, eſt illi plurimũ accepta. Et primvm erat in Filij *Dei conceptione*, vbi maximè gaudebat, quia tunc ſummũ donum accipiebat, quia nouum ei Dominus faciebat, ſalutationẽ gaudioſam audiebat,& cauſam omnium ſubſequentium gaudiorum percipiebat. Vnde & tunc in exul- Luc. 1. tatione Spiritus, gaudioſum illud Canticum Magnificat decãtabat. Et quis oro poterit, vel teneriter, gaudij huius exprimere magnitudinem, vbi ſic ſe vidit electam, dotatam, imprægnatam. Verè nullus hoc explicare poterit, pręter Spiritum, qui effecit,& ipſam, quę perſenſit,& tam feliciter ſenſit. Nam (vt Brigittæ reuelauit) cum ineffabili exultatione animæ omniumque membrorum, Dei Filium cõcepit.

Alterum præcipuum gaudium fuit, in Filij eius *dulci Natiuitate*: Nam ſi tantũ gratulabatur in conceptione, multo amplius in Filij natiuitate. Bonum enim bono additum, facit ipſum magis bonum. Et ſi omni populo eſt annunciatum exinde gaudium, quanto magis gauiſa creditur, quæ peperit illud gaudium? Verè excedit omne ingenium. Tunc enim *germinans germinauit, ſubſilans & lætabunda, totius* Eſa. 35. *gaudia mundi*, &c.

Tertium, in *Magorum aduentu, & Filij adoratione*: Summo enim gaudebat de proximorum ſalute,& Dei honore, quæ tunc vtraque videbat. Videbat. n. Filium ſuum, vt Deum adorari; ſe vt eius Matrem venerari; & populum, qui Deum neſciebat, venire ad Saluatorem. Inæſtimabiliter igitur gaudebat; quia nunc, quę ſemper cupierat, impleri cernebat.

Quarto, valde gaudebat, quando benedictum vẽtris ſui fructum, *in tẽplo offerens*, grãdiret à Simeone,& Anna Propheti ſſa commẽ- Luc. 2. dari audiebat; quæ & eam pariter benedicebãt dicentes (vt ait Lodulphus) *Benedicta tu filia à Domino, quia per te diu deſideratum, & multis ſuſpirijs concupitum ſalutare ſuſcepimus*, &c. Certè tunc tantum gaudebat, quantum Filij ſui laudem, & nominis ſui famam deſiderabat,&c.

Inenarrabili quoque gaudio afficiebatur, dum Filius quem perditum dolens quærebat, *in templo inueniebatur*, & ei ſubiicie- Ibidem batur. Quantum dolebat de perdito; tantum gratulabatur de reinuento, &c. *Gaude virgo, quæ gaudebas, dum in templo inueniebas, natum tuum perditum.*

Quintum, principaliter gaudebat, quando *Filium lactabat, portabat, & enutriebat*, imo, & quando cùm iam adulto cohabitabat in vna domo. De quo gaudio quidam ſic ſcribit. Quid gloriæ? quid lætitię? quid gaudij & exultationis tibi fuit tunc, ô pudiciſſima turtur, ô deuotiſſima, ac ſpecioſiſſima fœminarum, dũ illis tuis virgineis, ac maternis, & columbinis ocellis, cernebas puerulum illum ſpecioſum Pſ. 44. forma præ filiis hominum, & rubicundum, & Cant. 5. candidum præ milibus angelorum; imò creatorem vniuerſorum, ſic caſtis tuis vberibus appendentem, reptantem? &c. Opinor ô Domina tot eum ſtillicidia materni virginaliſque lactis, ex ſacris vberum tuorum fontibus euulſiſſe, quot ſancti amoris ardoribus, beatiſſimã tuam inflammauit, vulnerauitque animam; niſi quod abſit, qui dat omnibus affluenter, tibi Iac. 1. duntaxat extiterit parcus. De qua dulci conuerſatione Chriſti cum Maria, deque florido lectulo vtrorumque, & hilari menſa eorum, deuotè & pulchrè Dionyſius Carthuſienſis ſcribit in de laudibus eius.

Sextum præcipuum Mariæ gaudium fuit, quando videbat Filium miraculis, & prodigijs mundo clareſcere, veritatem Diuinitatis eius pateſcere, ac fructum ſalutis oriri, quibus velut luciſluus Sol, inter nebulas illuxit. Nonne vtique exultare poterat in Filio vteri ſui, quem vidit nunc cæcos oculos lumine claro veſtire, nunc priuatas aures vocibus reſarcire, putres mortuos ſuſcitare, mare calcare, &

quęque

quæque debilia curare, & dæmones effugare? Sed ſuper hæc omnia faucibus eius dulcia fuere Chriſti dogmata, & ſalutaria oris eloquia, quæ erant in ore eius, vt mel ſuauia, & in corde continua. Nam ſi tantopere conſeruabat verba paſtorum, & Magorum de Chriſto, vt ea in corde conferret: quanto amplius verba verbi ipſius conſeruabat, ruminabat, & amabat? &c. *Luc. 2.*

SEPTIMVM, erat in Filij *reſurrectione*, quam & prima vidit: ſicut multipliciter probabile extat; vidit, & gauiſa fuit. Nã quo acerbius ante de morte indoluerat, eo de reſurrectione gratulabatur magis. Sed ſileſcant de hoc gaudio linguæ hominum, loquamur congratulando Virgini linguis angelorum dicendo, *Regina cæli lætare*, &c. *Pſal. 118.*

OCTAVVM, in Filij ſui aſcenſione: Vbi pia mens attendere habet quanta charitate ſimul, & pietate, maternę pietatis eius viſcera liqueſcebant, dum Filiũ ſuum lumen oculorum ſuorum dilectum votorum, coram ſeſe aſcendere cernebat, & ita exaltatum ſciebat. Quis explicaret illud gaudium, quod tunc perſenſit cor maternum. *Tob. 10.* *Prou. 31.*

NONVM in ſpiritus ſancti miſſione fuit, cui interfuiſſe creditur; vt ait ſanctus Odilio, Credimus, inquiens, haud dubium Mariã gaudiis interfuiſſe aſcenſionis Dominicæ, & in die pentecoſtes Sanctum Spiritum accepiſſe, qui quo copioſius in ea erat diffuſus, eo amplius in ea gaudium fuit, quod eſt fructus Spiritus. *Gal. 5.*

POSTREMVM, & omnium gaudiorum ſummum fuit, quando aſſumpta eſt cum corpore, & anima in cælum; ad Filij conſeſſum. Tũc enim eius gaudium prius fuit perfectum. Tunc enim gauiſa eſt præ omnibus diebus vitæ ſuæ. Tunc, & ei facta eſt maior doni collatio, maior effectus exaltatio, & amplior cũ dilecto vnio, quia tunc fuit coniunctio actualis, in conceptu autem cauſalis. Vnde vt exequitur Albertus, hoc gaudium eſt maius. *Iudith 13.*

Roſarium de excellenti gloria Virginis in cęlo.

CAPVT VIII.

I QVaſi cedrus exaltata ſum in Lybano, &c. Eccl. 24. *Ego in altiſſimis habito, & thronus meus in columna nubis. Tu gloria Hieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi tui*, &c. Iudith 15. IN HOC ſeptimo huius diſtinctionis Roſario, congruè agendum occurrit, de ſtatu huius Virginis quem habet in cælo: vt ſic etiam numerus ipſe correſpondeat ſtatui quem agit, poſt decurſas ſex huius ætates mundi, in patria fœlicitatis æternæ, velut fœlici quietis ſeptenario, & æterno Sabatiſmo. Libenter autem circa gloriã huius Virginis glorioſę meditatione, & exercitatione eſt verſandum, quoniam ſingulariter hoc virgini (vt S. Tho. Canthuarie. reuelauit) eſt gratum. Eſt quoque exercitantibus vtile, & iocundum: Nam ſic affectus validius, & efficacius in tam glorioſam Virginem excitatur, & quodammodo Mariæ (iuxta quod Apoſtolus voluit) in cęlis conuerſatur, & commoratur. Et quid poteſt eſſe iocundius, quàm conuerſationem cum Maria, & omnibus Sanctis habere in cœlis? Sed & quiſque conſequitur omnes vtilitates illas, & omnie bona, quæ eueniunt ex meditata cæli gloria, de quibus agitur infra, & inſinuantur per hæc vulgaria metra. Qui ergo Virgini glorioſæ volet complacere, bona hęc conſequi, & in cœlis conuerſari, ſtudeat roſarium iſtud de gloria glorioſæ virginis frequentare. *Philip. 3.*

Sequitur Roſarium de gloria Virginis glorioſa.

De gloria Virginis Mariæ quoad locum.

DExtriſedens, Seraphin, Cherubinq́ꝫ, Thronos, dominatus.

Princi. poteſtates, virtutes, arch. prais omnes.

Magnitudo gloriæ ab ornatu Virginis.

Aureolis, ſertis, varijs, cum carne refulges.

Quare glorificata creditur carne.

Parte Dei, natique cũi, ſcriptis, rationes.

Perfectio præmiorum.

En dotes, fructus, actus, en præmia, ſenſus.

Gloria eius ex officio.

Iã dea, iã primas, cantrix, reparans, miſeratrix.

Gloria eius ex cultus cæli ſingularitate.

Te trinus, Ieſus, angelici, patriarcha, propheta.

Hinc miſſi, teſtes, confeſſor, virgo vel omnes.

Quare etiam in terris honoratur.

Hinc nos, cuncta colunt, quia Mater, amans, dominatrix.

Conformis, meritumq́ꝫ capax, facit vnio larga.

MEMBRVM I.

Primo oſtenditur gloria Virginis quoad locum.

IN HVIVS Roſarij duobus primis verſibus; gloria Virginis à ſublimitate (vt ſic dicam) loci, & ſitus deſcribitur; quia ad Filij cõſeſſum, ſuper omnes Angelorum choros (vt Eccleſia canit) exaltata creditur. Et ideo IN PRIMIS dicitur, quod *Poſitus eſt thronus matri regis, iuxta thronum regis: & aſtat regina à dextris Dei*, facta dextriſedia maieſtatis, quartam per ſe (vt Albertus vult) conſtituens hierarchiam, ad cuius altitudinem alter nemo pertingit. Hinc Eccleſia canit, II *3. Reg. 2.* *Pſal. 44.*

O glorioſa Domina, excelſa ſuper ſidera.

Et Ambroſianus hymnus,

Sublimis reſidens ſupra cæligenas ętheris omnes.

Et non ſolum loco; ſed gloria, & merito, & pręmio excedit vniuerſos; adeo vt quicquid eſt gloriæ, amoris fruitionis, in omni inferiori glorificata natura, tã angelica, quàm humana, multo præcellẽtius, eſt in Virgine Matre Dei. Omnia enim (teſte Dionyſio) inferiorũ ordinum dona, in ſuperioribus ſunt, in tanta præcellentia, quod vix eſt comparatio, &c. Et hoc poſſet ex ſequentibus deduci; niſi prolixitas vetaret.

HINC dicitur ſecundo, quod excedit *Seraphin*, non ſolũ vt diximus loco, ſed & merito, & pręmio, quorum proprietates, & dona, & officia

Digitized by Google

officia in ſummo tenet. Nam Mariæ charitas, Seraphicorum ſpirituum erat mobilitate inceſſabilior, agnitione acutior, & affectu ſuperferuidior. In cæteris etiam omnibus præſtans.

SIMILITER & *Cherubin*, hoc eſt cherubicos ſpiritus antecedit, in ſecretorum omniũ ſecretiſſima cognitione, & proprietatibus cunctis: Nam & perfectius hæc Deum circundedit, plenius omnia in Deum reducibilia reduxit; Magis ſuos actus Deiformes, hoc eſt ſecũdum Deum effecit; & omnis ſanctitatis exẽplar dedit.

THRONOS etiam excedit in corporali Dei ſuſceptione; in celſitudine ampliori; atque regis delatione perfectiori, quippe quæ verus fuit thronus pacifici Salomonis; in familiaritatis etiam apertione, cui præ omnibus, incerta, & occulta Dei erant manifeſta. Et ſic patet, quod ſummæ Hierarchiæ choros excellit.

Pſ. 50. DAMNATIONES etiam antecedit, in nullius creaturæ ſuperpoſitione: Quę etiam ab hoſtibus inuincibilior, triumphans Principatus, & Poteſtates, colla conculcans antiqui ſerpentis. Item in liberalitate ſeuerior, dominatione lenior, conformior, nunquam miſeriæ ſubiecta, vel dominans vanè.

SEXTO excedit *Principatus* in omnium ſubiectione, & etiam quia primi principij imitantior, in mali immunitate, & boni communicabilitate Ad Deum etiam reducibilior, quæ de vltimo fecit primum, de homine Deum. Virtutibus ornatior habens ſubijcere deformiſſimas virtutes, ergo &c.

SEPTIMO *Poteſtates* ſuperexcedit in dæmonum coertione, tum quia ordinis, & dignitatis cuſtodientior; ſemper ante, & poſt virginitatem cuſtodiens, & dæmoni reſiſtens; Aliorum ordinantior, quæ primiceria virginum fuit; Magis actiua, & reducentior in Deum, &c.

OCTAVO *Virtutes* ſuperat in virtutum perfectione, & miraculorum efficacia. Nam & contrarijs vitijs reſiſtit, arduis intentius intendit, & fortius tolerat mala; Ad Dei ſemper obſequium promptior, nunquam malè tarda; Largior etiam ad inferiores, quæ ſe nulli vnquam negauit.

NONO, *Archangelorum* etiam proprietates in ſummo habuit, quæ præ cunctis donis ſupernis communicauit. Magis ſuper alios; immo ſuper omnes, ex gratia, iuſtitia, & natura fuit. Omnes quoque inferiores, tanquam mediatrix, magis in Deum reduxit.

ANGELOS etiam poſtremo excedit, quæ & nobis vicinior, & notior, & pro nobis cuſtodiendis ſollicitior: Non ſolum vt Angeli cuſtodiens ſingulos, ſed vt omnium Domina, vniuerſaliter cuſtodit ſingulos, & ſingulariter vniuerſos.

SIMILITER & omnes alios excedit Sanctos, in omni merito & præmio ſanctitatis, quippe tanto præ cæteris exaltata ſublimius; quanto differentius nomẽ ſortita, quæ à nullo illuſtriũ vſpiã (ſecundũ Damaſc.) victa. Paucis tranſcurrimus iſta, quæ lõgius proſequi poſſẽt, Deducunt de ſingulorum chororũ proprietatibus Domin' Albertus, & Antoni. &c. O tu ſic exaltata, trahe me poſt te, vt vel à longe videam, quam ſis glorioſa.

MEMBRVM II.

Oſtenditur gloria Virginis, quo ad ornatum.

AVreolis. Hic oſtenditur Virginis gloria, ab eius *ornatu*, & gloriæ fulgore. Nam PRIMVM tribus, vt aiunt *aureolis* decoratur, ſcilicet martyrum, quia eius in paſſione Filij dolor, martyrium omne corporale exceſſit, vt patet ſupra ex cauſa, & ſubiecto, vnde merito Martyrũ aureolã meruit. Item *Doctorum*, quia propheteſſa fuit, & doctrix diſciplinę dei: Euãgeliſtã Lucam (vt piè creditur) & alios docẽs, quæ conſeruauerat in corde. &c. *Virginum* etiam, vt claret, quarum primipila ipſa fuit. Glorioſa ergo refulget, quæ tribus his aureolis ornata eſt; vt latius dicit Albertus. III.

ORNATA eſt etiam triplicibus, triplicis ſtatus *ſertis*, de quib' in hymno Eccleſia canit,

Serta ter denis alios coronant. &c.

Et merito decoratur omnium ſtatuum ſertis, quæ fulget omnium meritis. Vel potius hoc intelligi poteſt de ſingulari corona glorię Dei, & diademate ſpeciei, quo ſingulariter præſtat cũctis. Cuius ſplendorem quidam mirabundus inclamat, dicens,

O quã ſplendifero rutilas diademate Virgo, &c.

Siquidẽ mirabilis eſt, vt quidam ait, huius diadematis cõpago. Cuius circunferentia ex auro fuluo, duodecim ſtellis priuilegiorũ effulgens, lapide pretioſo, intermicante, & virtutũ floribus decuſata. Vendicãt enim ſibi primatum in eo candida lilia, purpuraſcentes violę, rubẽtes roſę, vernat & aquilegia, ſpirat illic crocus, candens helyotropium effulget: vt latius à quodã eſt deductũ. O igitur egredimini vos filiæ Hieruſalẽ, venite, & videte Mariẽ Domini, in hoc diademate regalis gloriæ ſuæ, quo coronauit eã filius ſuus, in die lętitiæ cordis ſui, &c. Plaudite, & iocundamini ſuper eam, quia magnificata eſt nimis.

TERTIO ornatus eius *ex veſte* elici poteſt, & amictu, quippe, quæ *Sole* charitatis circumamicta, *Lunam* ſub pedibus tenet; Aſtans in *veſtitu deaurato, varietatibus* circũamicta, omniũ Sanctorum virtutibus micans, adeo vt quidam dicit. Apoc. 12. Pſ. 4.

Aurea, veſtis erat ipſius prædita gemmis.

Omnis enim lapis pretioſus ornamentum eius, Sardius, Topazius, Iaſpis, Chryſolitus, Onyx, Berillus, Saphyrus, Carbunculus, Smaragdus, his omnibus, velut veſtimento ornatur, quia meritis horum lapidum proprietatibus ſignatis, glorioſa præfulget, vt pulchrè diuus Pater noſter Auguſtinus in Sermone quodam deducit. Vnde ex ſententia dicere poteſt, Eſa. 61. *Induit me Dominus veſtimento gloria.* &c. O extendat ſuper nos pallium ſuum. Eſa. 61.

QVARTO inde eius decor decorius effulget, quia non in anima ſolum, ſed & corpore, plenè eſt glorificata, & ſic *duplici ſtola* beata, prout Eccleſia tenet, & in ſequenti verſiculo eſt probandum.

POSTREMO Virginis huius ornatus colligitur, ex inæſtimabili ſplendore, quo ex omnibus dictis refulget: Luce enim ſplendida, Ciuitas hæc Dei refulget, ſpecioſior facta Sole, & omni ſtellarum diſpoſitione inuenitur, & adeo (vt quidem ait) refulget, quod ſi omnes ariſtæ, & arenæ maris, omnia gramina terræ, omnes atomi Solis, omnes quoque ſtellæ cœli, in ſolares globos verterentur; nequaquam tamen Virginis Mariæ claritati, ex æquo correſpondere poſſent. Si enim Sol iſte viſibilis, ante protoplaſtorum caſum, ſepties clarius fulſit quam nunc (vt dicunt multi Doctores, & Nider in ſuo Præceptorio) in reſurrectione vero generali mortuorum, erit lux Solis ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum, ſepties ſcilicet clarior, quam fuit ante caſum primorum parentũ: minimi autem ſancti corpus, nunc fulgebit ſicut Sol in regno Patris ſui, ſecundum Domini promiſſionem; ſicut inquam Sol, tunc fulgebit quadrages ſcilicet nouies ſplendidius, quã nunc rutilat Sol; quãtę claritatis eſt iam ipſius Virginis ſanctiſſimũ corpus, quod inæſtimabiliter minimi Sancti non ſolum; ſed maximi futuram tunc claritatem corporis antecellit.

Pſ. 86.

Eſa. 30.

Sap. 3.

DE ANIMA vero ipſius virginis tenendum, quod lumini illi increato profundiſſimè ſit immerſa, quantum ſine perſonali vnione, communicari quiuit, & decuit creaturæ, &c. Si enim iocundum eſt viſui lumen, & deſiderabile oculis, quod in his tenebris fulget; quãto magis lumen illud glorię deſiderabile eſt, & iocundum? O ſi fuerint reliquiæ meæ ad contuendam lucem Virginis huius, tunc me verè beatum.

Eccl. 11.

MEMBRVM III.

Hic deducitur gloria Virginis, ex glorificationis integritate.

IV. PArte Dei, &c. QVIA in ſuperiore verſiculo diximus, hanc virginem noſtram, *etiam carne eſſe beatam*; ideo ne ex incertis procedamus, neceſſe eſt probamentis aſtruere propoſitionem illam, quod agitur in verſu iſto. Et oſtenditur, quòd hoc eſt probabile nimis: Et PRIMO quidẽ probatur hoc ex *parte Dei*, cui᷉ potentia hoc potuit, & ſapientia tã nobile ſuum opus reſolui noluit; & bonitas eam aſſumere, vt creditur non abnuit; ſed iuſtitia ei, prout digna erat retribuere voluit; adeo vt ſicut cæterorum Sanctorum corpora honorat in terris, ita huius corpus ſublimaret in cœlis, &c.

SECVNDO probabile eſt ex *parte Filij*, quem in præcepto, quod ipſe mandauit, exurgere decuit, parentem honorando; & affectum Filialem oſtendere voluit in matrem aſſumendo; & bonitatem declarare; vt ita parceret Matri, ſicut ab incineratione pepercerat ſibi; hoc enim boni Filij erat.

Pſ. 7.

TERTIO probatur. Ex parte Virginis ipſius.

Nã hoc exigit:
- Congruitas reuerentiæ maternalis,
- Dignitas excellentiæ corporalis;
- Puritas innocentiæ virginalis;
- Immenſitas meriti, & charitatis ſupernalis ne cinis fieret, & vermis.

QVARTO idipſum probatur, teſtimonio Scripturarum Canonicarum, & Sanctorum, vt latè poſſet deduci; ſed videantur libri. Nam in huius typum *Arca de lignis Sethim imputribilibus* componitur, & Dauid in Pſal. 131. ait. *Surge Domine in requiem tuam*. &c. Hoc etiam conſona voce clamitant Doctores omnes, & in ſententiam conueniunt Auguſtini dicentis, Quantum ego intueor, quantum intelligo, quantum credo, Mariæ anima, Chriſti fruitur claritate, poſſidens in Chriſto corpus ſuum quod genuit: quare & per quod genuit. Exo. 25.

POSTREMO itidem probabile eſt multis rationibus: vt fecit Auguſtin. & Alber. Quales ſunt carnis Chriſti, & Marię vnitas; item promiſſionis Chriſti veritas; aliorum qui cum eo ſurrexerunt inferioritas; item nullarum reliquiarum Virginis in terris venerabilitas. Quibus omnibus probatur, quod in anima, & corpore ſit aſſumpta.

MEMBRVM IIII.

Hic oſtenditur gloria, ex præmiorum ſublimi vniuerſalitate.

IN *dotes*, &c. HIC IAM Virginis gloria oſtenditur, ex ſublimitate *præmiorum*, quibus eſt dotata, in quibus vt æquum erat, ſemper tenuit ſummum. Et licet hæc præmia cæteris etiam Sanctis ſint communia, tamen tanto ſingularius his participat Maria, quanto prę cæteris, differentius eſt nomen ſortita. PRIMO igitur habet *dotes omnes*, tam tres animæ, quæ ſunt *viſio, tentio, fruitio*, quam quatuor corporis vulgares, vel (vt vult Anſelmus) ſeptem beatitudinis corporalis partes. Et tanto ſingulas habet pręcellentius, quanto vt diximus nomen differentius: Nam & quo maior quis fuerit in præmio eſſentiali, eo perfectior eſt, & in accidentali. Quis iam quibus dotibus corpus illud virgineum adornatur, vel tenuiter comprehendet? Nam quo in terris habuit corpus Deo obſequentius & coniunctius, eo iam in cœlis dotatur, ſublimius & exuberantius. O quomodo refulgent candida illa vbera, pectuſque illud virgineum, quo totiens requieuit Deus, & quibus lactauit Dei Filium? Sic & manus huius theotoceæ, quibus ſeruiuit Dei Filio; & labia eius roſea, labijs Filij Dei crebrius impreſſa; & breuiter omnia, & ſingula membra foris & intra, mirificè, & ſupra omnẽ hominis conceptum ſunt dotata. Percurrantur per dotes, ſingillarim. V.

SECVNDO gaudet & fructibus omnibus, qui triplices diſtingui ſolent: Habet enim centeſimum virginitatis, ſexageſimum viduitatis, tri-

Digitized by Google

celimum coniugalis caſtitatis. Et quemlibet horum in ſummo habuit: quippe quæ in omni triplici hoc ſtatu perfectiſſima & excellentiſſima fuit, in immenſum ſuperans omnes fructus dotatos.

TERTIO actus etiam beatitudinis, quorum *ſeptem* enumerat *S.* Tho. in de æterna beatitudine; ſcilicet *cognitionem, dilectionem, fruitionem, vnionem, laudem, gratiarum actionem, & congratulationem* perfectiſſimè habet;
Leuit. 5. quæ omnibus charitate præſtat, quæ eſt ſanctuarij illius æquum pondus, quam quæ ſublimius tenet, etiam in omnibus beatitudinis actibus excedit.

QVARTO reliqua etiam gloriæ præmia, excellentius præ omnibus tenet, quanto in gratia, & Dei maternitate omnes excedit: Omnia inquam præmia, ſunt etiam qualiacunque, ſiue per euacuationem, completionem, vel oppoſitionem fiant, omnia hæc præmia habet, quia nullo merito caret. Et tanto his cæteris eſt prælata, quanto in terris repletior fuit cunctis meritis & gratia.

POSTREMO etſi omnia habet præmia, iucundiſſimum tamen eſt memoratu, & contemplatu dignum, quomodo *carnis eius ſenſus* iam actuentur, & reliqua membra in amatiſſimi Filij continua præſentia. Grandi lætitia ſyderei illi oculi conſpiciunt Filium regem in
Eſa 33. decore & gloria, quem tanta amaritudine, ante reſpexerant in crucis ara. Iam conſpiciunt illum gloria, & honore ſublimatum, quem tantum viderant opprobrium hominum contemptum & reprobatum, & ſic de alijs ſenſibus & membris. Nā vbi cæteri in Chriſti humanitate gloriantur, tanquam in inſtrumento eorum ſaluationis; hæc in ea gratulatur, tanquam in fructu ſui benedicti ventris. O qualis hæc gloria, quæ ſuperbia, quæ pompa, gloriari de Deo, velut Mater eius vera? Priuilegium eſſe Mariæ, non dabitur alienæ.

MEMBRVM V.

Deducitur gloria virginea, ex officijs, & ſtatus dignitate.

VI. IAm dea, &c. HIC virginis gloria deducitur ex officio. & dignitatis eius quem in cœlis habet ſtatu Nam reſpectu Dei, ipſa eſt, iam altera *Dea* facta. Nec miretur homo, quod Mariam diximus deam: Verè enim & rectè dicitur *dea dearum, innumerabilium* (vt quidam ait) *deorum* conſtituta. Nam ſi Moyſen Dominus *deum conſtituit Pharaonis*, quid non Mariam deam Eccleſiæ vniuerſalis? Etſi omnis beatus eſt per gratiam, quod Deus eſt (vt aiunt) per naturam, quid mirandum, ſi dicamus Mariam deam? Velut enim ferrum candens, tota immerſa eſt Deitati; vnde & merito participat eius nomini. Vnde rectè dicitur in ſolenni illa oratione, *ô fœliciſſima rerum, magna dearum*, &c.

SECVNDO reſpectu totius, conſtituta eſt imperioſa *primas & princeps* vniuerſi, ſupra totam Domini domum; adeo præſidens vniuerſis, vt abſque oris eius imperio, nemini liceat mouere pedem, poſſidere obolū, mutire verbū in toto vniuerſo, Quod etſi iam lateat adhuc; tamen in propatulo clareſcet, cum eam velint nolint, beatam ſuam primatem, prædicabunt omnes generationes. At ſi quis dicat Virgini, mundiſſimo corde, & ardentiſſimo amore flagranti, non hæc minima vacare, vt curet & diſpenſet; nihil eſt quod affert? Hic interim in noſtra hac cordis anguſtia. in hac huius præſentis vitæ infirmitate, multitudo, varietas difficultatem habet, & occupationem, & diſtractionem, & maiorum impedimenta non minima, curandarum item rerum vilitas indignitatem quandam alluit curantibus. In illa vero, cœleſti non dico; ſed diuina ſublimitate, & ſublimi, immo incomprehenſibili nouitate dea facta, & innumerabilium deorum princeps conſtituta, nihilo penitus impeditur, aut occupatur. Quemadmodum in Angelis eſt videre, qui in omni viarum varietate noſtri ſolliciti &c. & tamen vniuerſa illa cura, nihilo penitus eſt impedimento, quo minus expedito volatu, ſemper in Deum rapiantur, multomagis hæc omnium dea.

TERTIO reſpectu *chori virginalis*, cui ſingularius præſidet Virgo beata *præcentrix* eſt, velut altera ſoror Moyſi, & Aaron præſtituta. Quæ quam dulci modulo canat, non eſt noſtræ capacitatis noſſe, aut eloquentiæ euoluere. Nulla enim poſt Chriſti vocem, vox, eius voce ſuauior, nulla penetrabilior & acutior, nulla liquidior exauditur: Cui omnes auſcultant, & fœlici deſiderio clamant. Cant. 8. *Fac me audire vocem tuam.*

QVARTO reſpectu angelorum, facta eſt potens *reparatrix ruinarum*; quippe quæ reparatorem genuit, & eius auxilio, & interuentu, lapides viuos ad reſtaurationem murorū Hieruſalem reduxit.

POSTREMO reſpectu humani generis, officium habet piæ *miſeratricis*, & fidelis *mediatricis*: Quod officium miſeris ſapit dulcius, amplectitur carius, recordatur ſæpius, crebrius inuocatur. Sileat miſericordiam tuam Virgo beata, cui non affueris miſeratrix inuocata.

MEMBRVM VI.

Oſtenditur eius gloria, ex cultus vniuerſali ſingularitate.

TE *Trinus*, &c. CONSEQVENTIBVS duobus verſibus, probatur virginalis gloriæ ſublimitas, *ex cultus* qui in cœlis ei exhibetur ſingularitate, & vniuerſalitate. Colitur enim à cælicolis cunctis: Immo PRIMO à ſupercolendiſſima ſumma *Trinitate*: *A Patre* quidem, vt electiſſima filia; *à Filio*, vt Mater pijſſima; à Spiritu ſancto, vt ſingularis ſponſa, & vt fida ancilla Trinitatis. O qualis hæc dignitatis ſublimitas, quæ pompa, quæ gloria iſta, vt honoretur à Deo Deorū, à quo cuncta paueſcunt? Scribit de hoc cultu pulchrè Vbertinus in articulo aſſumptionis Virginis. VI.

SECVNDO, ſingulariter hanc colit Dominus Ieſus, ſecundum ſuam humanitatem, vt Filius bonus bonam & venerandiſſimā Ma-

 trem.

trem. Confitetur enim eam coram Patre, & tota curia cœli, reponens eam in ſolio à dextra, & maternitatis reſpectu veneratur, & quodammodo ſubditur illi, & præcinctus tranſiens
Luc. 12. miniſtrans ei, miniſterio prorſus indicibili; immo & inexcogitabili nobis. O huic cultui pia mens acutius intendat, grande enim eſt fomentum deuotionis, & incitamentum venerationis Mariæ.

TERTIO, angelici ſpiritus omnes, hanc miro cultu colunt, qui ſe debitos famulos, eius Filij & Matris recognoſcunt. Quibus in cultu congratulans Bernardus ait. *Honorate Sancti Angeli, noſtri regis Matrem, qui noſtræ adoratis Virginis prolem. Ipſum vtique noſtrum pariter & veſtrum Regem, noſtri generis reparatorem veſtræ ciuitatis inſtauratorem.* Horum cultũ Eccleſia miratur in ſequentia dicẽs.
Pſ. 101. *Quæ gloria ab Angelis in cœlis colitur*, &c.

QVARTO Abraham, Iſaac, & reliquus ille Patriarcharum chorus, miro affectu honorant filiam iſtam, in qua vident impleta deſideria ſua in bonis. In quibus & ipſa tanquã in progenitoribus lætatur, & myſticis præſignatoribus ſuis.

QVINTO etiam Cuneus ille, & laudabilis *Prophetarum* numerus, præcipua laude concelebrant Virginem hanc, ſupra ſe iam eleuatam in cœlis, quam olim tam votiuè deſiderabant, tam magnificè prædicabant, aduenturam in terris. Colunt inquam Prophetæ Propheriſſam, velut omnium ſuarum prophetiarum veracem impletricem, & clauſulam fœlicem. In quibus & ipſa rurſus, velut in eis prænunciatoribus gloriatur.

SEXTO. Te etiam glorioſus glorioſo obſequio colit *Apoſtolorum* chorus, quam cernunt Apoſtolici Senatus inſtitutis, matrem Euangeliſtarũ, laudem & magiſtrã eorũ, & diſciplinæ doctricẽ. In quibus & ipſa, vt in præconib⁹ & iudicib⁹ lætatur, præſertim in cognatis.

SEPTIMO, Te *Martyrum* candidatus laudat exercitus, cernens te gemmulam ſuam, & victorioſiſſimam hoſtium triumphatricem, quos tu exemplo pariter, & quoſdam verbo incitaſti ad certandum; quibus & tu rurſus, tanquam fideliſſimis teſtibus, & ſtrenuiſſimis militibus gratularis.

OCTAVO. Te venerandiſſimus ille venerandorum, *Confeſſorum*, & heroicorum virorum, veneratur conuentus, præſertim contemplando, quod tu Confeſſorum Chriſti radix es conſtantiſſima, Monachorum, & Cœnobitarum protectrix pijſſima, Doctorum lumen, virtuoſorum omnium ſcala.

NONO, quoniam tu es Virginum Virgo, & primiceria continentiæ vniuerſalis; ideò

Quocunque pergis Virgines
Sequuntur atque laudibus
Poſt te canentes curſitant;
Hymnoſque dulces perſonant.

Nimirum venerantes te Reginam filiæ adoleſcentulæ, & ancillæ, in quibus, & tu tanquã in comparibus gloriaris.

POSTREMO, vt ſummatim dicamus quotquot in æthere Sancti, omnes tuis ſunt laudibus dediti, & nullus ceſſat à laude, vbi nullus qui non participet ex beneficiorum tuorum munere, vbi omnes perſpiciunt ſe per te ſaluatos, & gloria ſublimitos: vt pulchrè hoc deducit in quarto libro De laudibus huius Virginis Dionyſ. Carthuſien. & S. Bernardinus, vbi etiam oſtendit, quomodo ipſa ſingulis Sanctorum ordinibus gloriatur, & quã granditer adamatur, tanto quidem ſublimius, quanto ei ſeruierunt in terris deuotius. Adeo vt ei congruit, quod ait Apoſt. Quæ eſt *ſpes noſtra, aut gaudium, aut corona gloriæ, nonne vos ante Dominum.*

MEMBRVM VII.

Tangitur de cultu Virginis in terris, & de rationibus colendi eam.

HInc nos, &c. HIC IAM poſtremo ſubnectitur, quod etiam colitur à terrigenis, VIII.
& rationabilitas, & cauſalitas vniuerſalis venerationis annectitur. Et PRIMO dicitur, quod colitur ab *hominibus, à Doctoribus ſcilicet Sanctis* in eorum ſcriptis, à deuotarijs pijs exercitijs, & vniuerſaliter ab omnibus hominibus & hominum generibus, de cuius etiã laude multa dicunt gentes. Eam nempe beatam Luca 1.
dicere habent omnes generationes. Qui hic volet meditationem dilatare, ille poterit Doctorum laudes ad mentem reuocare, & ea etiã quæ in Alchorano Mahumeti dicuntur de Virgine memorari, &c.

SECVNDO etiam colitur à naturis inſenſibilibus, vt patet diſcurrendo de elementis, & elementatis ſingulis, quę omnia ſubiecta ſunt ſub eius pedibus, quibus imperioſè præſidet vniuerſis, vt patet ex miraculis; Et merito à cunctis veneratur in terris, quæ ita ſublimata eſt in cœlis. Tot enim creaturæ ſeruiunt beatæ Virgini, quot Tinitati. Et quia totum illud Roſarium egit de Mariæ gloria, hic iam annectuntur rationes & cauſæ, quas ponit S. Bernardus, quare ita ſublimiter eſt glorificata. Et harum POTISSIMA, eſt ratione *maternitatis*, cuius iure ſuperat omnes. Æquũ eſt enim, vt Mater regis omnium, ſuperet omnes ordines miniſtrorum.

ALTERA ratio eſt, Excellens *ardor charitatis*, ſecundũ quem diſtinguitur omnis gradus gloriæ, & dignitatis: In qua quia hæc fuit ſuperior, merito gloria, & honore eſt pręclarior.

TERTIO iure prælata eſt ſuper omnes, & dominum habet creaturarum, quæ conſtituta eſt *Domina earum*. Nec mirum ſi creaturarum eſt Domina, quæ creatoris eſt Mater magnifica, & cui ſubditus erat homo Deus. Et ergo iure ſuper omne creatum ſuperexaltata.

QVARTO hoc oſtenditur ratione *conformitatis*: Nam quo Mater Filio in natura, & gratia hic in terris erat conformior, eo in gloria ei conſimilior, præ omnibus Sanctis Dei. Vnde ſicut Chriſtus omnes tranſcendit; ita Maria Angelos etiam excedit.

QVINTO hoc fecit *meriti* copioſitas: Nam iuſtũ eſt, quæ meritis fuit copioſior, ſit & gloria abundãtior; Sed Maria omni motu meruit. Et ſicut humillima fuit in terra, ita eſt exaltiſſima in gloria.

Sexto oſtendit item *animæ latitudinem*; Oportet enim quod in bonis impleatur deſiderium eius, quod compleri non poterat, niſi Filio coniunctiſſima eſſet. Vnde tenet omnia inferiorum Sanctorum dona in tanta excellentia, quod nulla eſt comparatio, niſi ſicut ad centrum circumferentia.

Pſ. 482.

Septimo exigit idem *perfectio vnionis*; Quanto enim beati magis vniuntur cũ Deo, tanto glorioſiores fiunt in eo. Omnes autem creaturæ ſimul iunctæ, tantum non vniuntur Deo, quantum hæc beatiſſima Virgo, vnde merito excedit omnes in cœlo.

Postremo idem arguitur ex *Dei largitate*; Quemadmodum enim ei gratiam per partes non dedit, ſed plene infudit; ita & gloriam abundantiſſimè participauit, inquantum ſine perſonali vnione, creaturæ conditio pati potuit. Maioris igitur gloriæ eſt hæc virgo glorioſiſſima; quam tota Sanctorum cohors ſimul ſumpta. Maioris dicimus quoad ſpecificã perfectionem; licet non quo ad gradualem additionem, vt dicit Vbertinus. O igitur glorioſa Domina, da cernamus te tandem in tua gloria. Amen.

Roſarium generale de Præconijs dulciſſimæ Virginis Mariæ.

CAP. IX.

1. M*Vltæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.* Prouerb. 31. Post Rosaria illa ſeptem ſuperiora *particularia*, ſinguis ferijs diſtributa; ſubnectitur *Roſarium hoc generale*, præconiorum Mariæ continentiuum: vt cui tædio fuerit Mariæ laudes attendere in ſpecie, vel ſaltem ſub hoc Roſario eius præconia commemoret in genere. Plurimum enim eſt gratum Mariæ, vt ſalutetur in ſuorum priuilegiorum, & excellentiarum cõmemoratione: prout hoc fertur docuiſſe S. Dominicus Prædicatorum Pater ſpiritualis Auguſtini filius, & pluſquam triginta annis Canonicus Regularis: vt ſcribit Doctor ille Alanus. Inſuper ex commemoratione priuilegiorum, & eius excellentiarum, homo ad Mariæ ſublimitatem agnoſcendam illuminatur, ad reuerentius ei ſeruiendum incitatur, & ad Deum in ea laudandum, & ei congratulandũ adiuuatur, qui actus omnes haud dubiũ quin ſint gratiſſimi ei. Vnde liquet, quod vtile ſit exerceri in eis. Congruit tamen hoc magis contemplatiuis; paruulis autem, magis lacte incarnationis, & paſſionis eſt opus, non tamen diſconuenit prorſus; ſed conuenit vniuerſis. In hoc itaque Roſario, continentur præconia, & priuilegia Beatę Mariæ,

Vitam { Antecedentia. / Concomitantia. / Subſequentia. } Vt { *Triclinium, &c.* / *Item ſigna, &c.* / *Inclyta cum ſequẽtibus.* / *Dextriſedens, &c.* }

Immiſcenturque his priuilegijs Mariæ beneficia, quę miro modo ſunt mentis inflammatiua. Vnde patet Roſarium hoc, plenũ eſſe deuotionis materia. Eſt autem Roſarium hoc pręconiorum, cum grandi cordis erga præſtãtiſſimam Virginem congratulatione dicendũ: Quod vt acceptetur cum Pellantino illo magiſtro Paulo, pro captanda beniuolentia Virginis præmittendum:

Regia virgo tuas hoc rauco carmine laudes
Aggrediens, trepidis te coram concino labris:
Quamquam ſim indignus te ſanctam orare Mariam,
Qui ſcelere exiſto turpis; pietas tamen illa,
Qua totum exaudis populum, qua pectora ſemper
Solaris mœſta; fecit me audere timentem.
Virgineas igitur aures miteſq; precanti
Erige, ſitque tibi carmen, quod confero gratum.

De vitam Mariæ antecedentibus.

T*Riclinium, compar, mater, ſponſa, ac mediatrix.*
Ex optata, typant, vates, gentes, mulieres.

De vitam eius concomitantibus.

Inclyta, firmata, meruit, puriſſima, maior.
Conctiſciens, paſſi, ſimil ita, vocata, referta,

Priuilegia eius ſpecialia.

Laudo ortum, partum, vitam, cum morte, leuatam.
Virtutes, dona, fructus, ſacrament, beat omnes.

Beneficia ab ea emanantia.

Perficis, exornas, redimis, reparas, bona plura.

Singularia eius beneficia.

Das pretium, vel aquam, panem, medica, arma redonas.

De vitam eius ſubſequentibus in gloria.

Dextriſedens, fulges, actus, coleris, honor es tu.
Da veniam, gratans, fer gaudia, ſubueni & aſta.

GRande, & prægrande eſt præſens Roſarium, multarum materiarum contentiuum, & pro ſui explanatione multam exigens dicendorum copiam; ſed breuitatis amore paucis eſt tranſigendum.

Et primo dicendum eſt de priuilegijs antecedentibus vitam, quorum primum eſt prædeſtinatio gratioſa de qua in primo verſu.

MEMBRVM I.

De æterna prædeſtinatione Virginis.

T*Riclinium*, &c. Hic inquam de *prædeſtinatione* Virginis agitur. Et hoc primo, quomodo prædeſtinata fuit ad Totam Trinitatem, deinde ad perſonarum proprietatem. Poſtremo erga noſtram calamitatem. Nam in primis *Dominus poſſedit eam ab initio*, & II. *Prou. 8.*

 tota

tota Trinitas eam ſibi prædeſtinauit ab æterno, in triclinium ſuæ habitationis, & requietionis. Eſt enim *triclinium*, cœnaculum, à tribus lectulis diſcumbentium, aut requieſcentium apud veteres appellatum. Quod cõgruit Mariæ, quam elegit Deus Trinitas, in requiem trium perſonarum. Nunquam enim ſic Deus requieuit in pura creatura, quemadmodum in Mariæ mente gratiſſima. Vere triclinium nobile, & præcipuum,

A	Patre mirabiliter fabricatum,	quia	Non eſt tale opus vnquam factum.
	Filio ſpecialiter inhabitatum,		Nouem menſibus eius vtero geſtatum eſt.
	Spiritu ſancto ſingulariter adornatum,		Omni ſanctitate, & gratia repletum

Imò à tota Trinitate peculiarius poſſeſſũ, *Patre* inhabitante memoriam, *Filio* intelligentiam, *Spiritu* ſancto voluntatem; ita quod dulcius requieuit in hoc mentis virgineæ triclinio, quam in ipſo empyreo aut vranico cœlo. Hoc vnum annotandum, quod gratiſſimũ eſt virgini Matri hoc nomine ſalutari: vt demõſtrauit in venerabili illo Canonico ſancti Victoris magiſtro Adam: Qui dum eam hoc nomine ſalutaſſet, ab ea reſalutari, & regratiari meruit: prout ſcribitur in libro Apum. *Sic* enim tunc Adam ille de ea dictauit. Salue mater pietatis, & totius Trinitatis nobile triclinium. Et hęc de primo.

SECVNDO oſtenditur quomodo ſigillatim à ſingulis perſonis electa fuit. Nam *Pater* Deus eam prædeſtinauit ſibi in *comparentalẽ*; vt ſcilicet ipſa eundẽ Filiũ produceret in tempore abſque Patre, quem ille ante luciferum genuerat, & ab æterno ſine matre. Vnde de ea dici poteſt illud Gen. 24. *Hæc eſt mulier, quam præparauit Dominus filio Domini mei.* O verè præclara dignitas Virginis Mariæ, comparentalem eſſe ſummi Patris. Hinc deuotus ille Virgini Auſelmus; *Mira res: In qua ſublimi contemplor Mariam locatam, nihil æquale Mariæ, nihil niſi Deus maius Maria.* Deus Filium ſuũ, quem ſolum de corde æqualem ſibi genitũ, tanquã ſeipſũ diligebat, ipſũ dedit Mariæ, & ex Maria ſibi Filiũ fecit; non alium, ſed eundẽ ipſũ: vt naturaliter eſſet vnus idemq; Fili⁹, Deo & Mariæ communis. Genitura ergo ſimilis Patri, natura coæqualis nato. Et nota pro copia meditandi, quod ſub hoc nomine *cõparentalis*, debent etiam cætera nomina, quibus Maria ad Patrem refertur comprehendi: vt quod Filia Regina, &c.

Pſ. 109.

TERTIO elegit eam ſibi Filius Dei in Matrem: vt verè dicatur, & ſit theotocos, id eſt Dei Mater, adeo vt dicit S. Cyrillus, & Epheſina Synodus, *Si quis non confiteretur Dei genitricẽ ſanctã Virginẽ anathema ſit*, &c. Et hoc eſt priuilegiũ Virginis, in quo non communicat ipſi alienus, nec homo, nec Angelus. Nec enim hic primum ſimilẽ viſa eſt habuiſſe, nec ſequentẽ; quippe, quæ ſola cũ Deo Patre poteſt dicere filio Dei, *Filius meus es tu*, ego genui te &c. Quantę autẽ dignitatis ſit ſtatus iſte maternitatis, qui noſſe volet, ille Bernardinũ in Sermone, itẽ Henric. Conſueld. Dionyſ. Carthuſ. & cæteros legat. Grandia enim ſuper eo ſcribunt, quæ tranſimus, quia prorſus huius ſtatus dignitas, eſt inexpreſſibilis nobis. Hic quoque videndum quomodo dicitur Soror Chriſti, &c.

QVARTO ſibi *Spiritus ſanctus*, hanc adoptauit in *ſponſam ſingularem*, quam crebrius in canticis ſub hoc nomine compellauit: Et verè ſponſa Spiritus ſancti ſingularis, à quo ab origine mundi electa, ex millibus prælecta, dote bona dotata, ſingulari amore ei copulata, à quo *obumbrata*, & quodammodo, ſi dici liceat, impregnata: Nã vt in Symbolo dicitur, *Concepit de Spiritu ſancto.* Vnde verè eius ſpõſa, & ſocia effecta: vt magiſter Henri. Conſuel. ait. Hic, & cętera nomina adducantur, quibus ad Spiritum ſanctum refertur: vt ſunt vas Paracliti, officina Spiritus ſancti, &c. huiuſmodi. Cant. 3.

EST QVOQVE poſtremo à tota Trinitate prælecta in *mediatricem Dei* & hominis, rei, & iudicis, quæ manum ponere poſſet in ambobus. Plane præpotens, & fidelis mediatrix Maria omnibus mediatricis aperiens ſinum, nihil auſterum, aut terribile prætendẽs, vnde nihil verendum ab ea, vt pulchrè in Sermone Bernardus deducit. Sub quo etiam nomine cætera, quibus reſpicit humanum genus nomina, complectuntur. Et licet priora ſint digniora, nobis tamen poſtremum hoc dulcius ſapit, vnde & frequentius inuocandum à nobis. Cum Eccleſia itaque dicamus, O mediatrix noſtra, quæ poſt Deum miſeris ſpes ſola, tuo Filio nos reconcilia, & recommenda. Amen. Debent autem hæ prædeſtinationes Mariæ meditari cum laude, & congratulatione; imò, & gratiarũ actione. Nam multa ex eis ab initio generi humano emanauere bonã; ita quod iuxta Bernardinum, & Ioan. Brugman, omnes liberationes, & indulgẽtiæ factæ in veteri teſtamento, venerunt, & contigerunt, amore, & prædeſtinatione, huius Virginis glorioſæ: Vt latius ipſi declarant. O igitur tã magnificè prædeſtinata, imple in nobis prædeſtinationis tuæ officia; te mediatricem ſentiamus, & te media, ad amiſſam gloriam pertingamus.

MEMBRVM II.

De Virginis huius votiua præoptatione, & varia prædicatione.

III.

EXoptata typis. ALTERVM, vnde Mariæ laus ſumitur ex vitam eius antecedentibus eſt, *Votiua præoptatio*, multiplex prophetatio, & varia pręfiguratio. Et habetur huius verſiculi longior deductio in primo Roſario, vnde tantum fiet hic quædam dictorũ commemoratio. PRIMO ergo hæc Virgo optatiſſima, votiuè à multis, & varijs exoptata; à Deo, ſcilicet, & Angelis, ab hominibus, & inſenſibilibus, à Iudæis, & gentibus; ita vt omnium deſiderium quodammodo penderet, ad Virginis huius aduentum: vt illic eſt deductum. Da igitur mihi ô deſideratiſſima tui deſide-

rium:

rium: vt ſemper aſpitem ad tui contuitum.

SECVNDO fuit multipliciter, & tempore longo præfigurata, & rebus multis præfigurata; Et hoc *omni tempore*; ſcilicet legis naturæ, & ſcriptæ; & *ætate*, quarum præfluxerant quinque. *In omnibus rebus*; ſcilicet, in creatis, factis, viſis; *mira varietate:* vt patet ibi ſupra. O rememorem iſta.

TERTIO fuit à Prophetis Iudæorum, tã maioribus, quam minoribus luculenter prædicta, & prophetata: vt patet perſcrutanti eorum teſtimonia. Nullus enim eſt in omnium fidelium vatum in illo fideliſſimo choro, qui ſiluit de Virgine hac glorióſa. Hanc magni, hanc parui, hanc omnes cecinere.

QVARTO non modo à noſtris eſt Virgo hæc prophetata; verum etiam à gentium gentilibus, vatibus cantata, & vaticinata; vt patet de Iob, Balaam, &c. Per aſtrologos etiam eorum, in aſtris præſignata, & ſibyllinis oraculis clariſſimè prædicta: vt deductum eſt vbi ſupra.

POSTREMO eſt toto ſcripturarum decurſu, rebus varijs, & digniſſimis comparata; quippe quæ in manibus Prophetarum aſſimilata, omnium ſaluatorem & reformatorem genitura, omnibus ſignata. O igitur à cunctis laudata, da mihi te laudare per cuncta.

MEMBRVM III.

De vitam Mariæ concomitantibus.

IV. INclyta, &c. IN SVBSEQVENTIBVS iam verſibus ponuntur Mariæ priuilegia, vitam eius concomitantia. Et PRIMVM enumerantur priuilegia ſingularia, quibus ſingulariter fuit dotata.

§ 1. *De priuilegijs Mariæ ſingularibus.*

QVORVM PRIMVM eſt generis *nobilitas, & corporis pulchritudo:* Nobiliſſima enim erat poſt Chriſtum creaturarum, & pulcherrima mulierum. De cuius nobilitate, & pulchritudine, pulchrè agunt Albertus, Dionyſius Carthuſ. cęterique Doctores, in id conuenientes, quod omnis ratio nobilitatis conueniat Mariæ in ſummo; Ita quod nobiliſſima erat, *ex cauſa, & origine*, puta de Sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, atque Regum, & Pontificum alto ſanguine orta; *Ex ſubſtantia, & poſſeſſione*, quippe quæ in donis naturæ, chariſmatibus gratiæ, primatum tenet poſt natum præ cunctis; *Ex eſſentia* quoque, & actione, quæ tam præclara effecit, quod nulla, quantumuis etiam garrùla lingua, poterit enarrare, vel ſuperficietenus eius magnalia: Ipſa enim Deum concepit, & genuit; ipſa ſalutem mundo peperit; per ipſamque omnia quæ in cœlis, & in terris ſunt, reſtaurata ſunt. Quod ſi nobilis eſt ille, quem nobilitat ſua virtus; conſtat hanc nobiliſſimam, quia morali probitate præſtantiſſimam. Erat & *conditione liberrima*, nunquam peccati ſeruituti ſubiecta. Prorſus ergo ex omni nobilitatis ratione, erat nobilis, & ingenua.

De pulchritudine quoque itidem dicunt, quod ſicut eius filius ſpecioſus erat forma præ filijs hominum; ita & hæc pulcherrima poſt Chriſtum creaturarum; vt Alber. deducit ex tribus, ex quibus ſumitur ratio pulchritudinis; Pſ. 44.
Scilicet ex debita corporis quantitate, *in ſtatura*; ex eleganti membrorum diſpoſitione proportionabilitate, & venuſtate in colore, & *figura*; & potiſſimum ex corporis eius decore, & *finalitate*: Miraculosè enim concepta fuit, & ad Filium Dei gignendum ordinata. Verè ergo erat pulcherrima; magis tamen (vt vult Auguſt.) mente, quam corpore. De qua pulchritudine qui pulchri aliquid legere volet, Gerſonem ſuper Magnificat videat, &c. O igitur tota pulchra, & formoſa, in qua nulla macula, mentis pulchritudinem mihi impetra.

ALTERVM priuilegium eſt *peccati immunitas*, & peccandi impoſſibilitas: Nunquam enim peccauit, nec etiam (vt Albertus ait) peccare potuit, in gratiarum plenitudine firmata; quia nunquam fuit, nec eſſe debuit in ipſa, vlla peccati macula. Latè de his duobus in ſuo de Laudibus Virginis ſuper Miſſus eſt, agit Alber. concludendo quod iam dictũ fuit. Quod autem dicitur etiam peccare non potuiſſe, ſanè intelligendum eſt: Nam hoc non arbitrium tollit; nec etiam vt in patria Sancti, confirmata fuit; ſed dicit remotionem omnis diſpoſitionis, vel inclinationis ad malum, & plenitudinem ſtabilientem ad bonum &c. O tu ſic firmata, & firmatiſſima, ab omni malo nos libera, in bono confirma.

TERTIVM eſt *meriti continuitas*; quolibet enim motu liberi arbitrij ad agendum vel patiendum merebatur: vt declarat latè Dominus Albertus & reſpondet contrarijs obiectionibus vbi ſupra. Et rectè. Omnis enim Mariæ motio, ſemper intenta fuit in, vel pro Domino; & eius operatio & natura informata erant gratia, ergo, &c. O tam plena meritis, communica mecum de tuis bonis.

QVARTVM eſt *altiſſima puritas*, vnde & Virgo virginum dicta: Dicit enim Anſelmus, quod *ea puritate nitebat, qua ſub Deo maior intelligi nequit*. Quam auctoritatem Albertus Magnus aſſumit, exponit, & defendit; ſimiliter, & Dionyſi. Carthuſ. dicentes, quod tanta eius puritas fuit, quod nulli creaturę puræ, in *eſſe creato* ſubſiſtenti, conceſſa eſt maior, vel æqualis; imo nec decuit dari amplius; & omnes tantum puritate exceſſit, quantum Matrem Dei Reginam cœli decuit. Verè ergo puriſſima fuit; vnde & virgo virginũ compellata. Et probè. Erat enim virgo carne, & mente, profeſſione, & ſanctitudine; qualiter Apoſtolus deſcribit; 1. Cor. 7.
virgo ante conceptum; in conceptu, & partu, poſt partum: & per votum: vt videre eſt in ſcripturis Doctorum, & in Pantheologia.

QVINTVM priuilegium eſt, *ſingulariſſima maioritas*; Maior enim fuit cunctorum, & pro parte, ſi dici liceat, Deo potentior, & Filio maior: vt aiunt Bernardinus & Io. Brugmã. Nã quod omniũ maior facilè omnib⁹ cõfeſſũ; omnia enim ei Deus ſubiecit; imò, & inter omnia ſeipſũ. Ille enim qui Fili⁹ eſt Dei & virginis benedictę, volẽs vt ita dicã (dicit Bern.) Diuino

principatui, quodammodo principatum æquiparare maternum, ipſe quod Deus erat. Matri famulabatur in terra. Dicit enim Lucas, c. 2. quod *erat ſubditus illis*: Eius imperio omnia famulantur, & Deus. Quomodo etiam quodammodo *potentior Deo* dici poſſit, idem Bernardinus declarat dicens, quod Beata Virgo potuit facere de Deo, quod de ſe non potuit ipſe Deus. Quædam enim contraria, & contradictoria, inter Deum, & Virginem erant, quæ dum acceſſit Deus ad Virginem, concordata ſunt, vt ait; Puta primo impoſſibile erat Deum generare, niſi Deum de ſe; & tamen Virgo Deum fecit hominem. Deus non potuit generare, niſi infinitum, immortalem, æternũ, inuiſibilem, ſub forma Dei; ſed virgo fecit eũ finitum, mortalem, temporalem, viſibilem, ſenſibilem, ſub forma ſerui, &c. Quomodo etiam Filio maior, Henricus de Conſfeldia pulchrè dicit. Cum ex lege Mater ſit ſuper Filium dignitate prælationis, vt filius eam honoret, & illi obediat; liquet, quod hæc glorioſa Mater, quodammodo prælata eſt Filio, de quo dicitur, *erat ſubiectus illis*. Et hæc de maioritate Virginis,

SEXTVM priuilegium eſt *omniſcientia*, vel ſcientiæ plenitudo. Omnia enim Maria ſciuit, & nullius propriè ignorantiam habuit, prout Dominus Albertus, per omnes ſcibilium ſpecies, latiſſimè deducit. Bernardinus quoque eam de ſcientia extollens, dicit quod duodecim luminoſas cogitationes, tanquam duodecim radioſas ſtellas habuit: vt patet in Sermone eius. Nec mirum ſi omnia ſciuit: Virgo enim prudentiſſima fuit, quæ eum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi, tanto tempore geſtauerat. In qua ſapientia ſe tranſtulerat, & domum ſibi ædificauerat, & de bonis ſuis in omni plenitudine communicauerat, &c.

Coloſ. 2.

Prou. 9.

SEPTIMVM eſt *paſſionis Chriſti communicatio*, per quam Filio in noſtra redemptione quodammodo eſt cooperata, & quaſi adiutorium ſimile vero Adæ data: Quod ſummum eſt priuilegium, nec alijs in tanta plenitudine communicatum. Torcular enim calcauit ſolus, & non fuit vir ſecum de gentibus. Pulchrè *vir* dixit, ne mulierem hanc, adiutorium ſibi excluderet: Sic enim decuit fieri redemptionem, ſicut perditionem; per virum, ſcilicet & mulierem. De hoc autem plenius diximus in Roſario de doloribus.

Eſa. 63.

OCTAVVM eſt *ſublimis aſſimilatio*, vel comparatio: Nam hæc præ cæteris poſt Filium ſublimioribus & pluribus rebus aſſimilata fuit. De quibus aſſimilationibus in primo Roſario tetigimus, & ad magnum Mariale remiſimus; vbi habentur ſex integri libri, de comparationibus, & ſimilitudinibus Mariæ adaptatis. Cur autem hanc aſſimilationem pro priuilegio poſuimus, ſciat qui inquiſierit, quod in hoc Dominum Albertum imitati ſumus, qui quaſdam partiales aſſimilationes, pro ſummis particularibus poſuit; ſcilicet quod dicitur, & aſſimiletur ſtellæ maris, itemque portæ cœli: Super quibus ipſe pulchra, & deuota ſcribit; qui huius ſciendi auidior fuerit, ipſum inquirat.

NOVVM eſt *altiſſima denominatio*, quia altiſſimis nominibus eſt nuncupata; quippe Regina miſericordiæ, Virgo virginum; Mater Dei dicta. Quæ Albertus enumerat inter ſingularia priuilegia; nam his omnibus; inſinuatur infinita quædam excellentia, ita quod maius nomen non conueniat puræ creaturę. quã quo Mater Dei, & Regina miſericordiæ dicitur Maria. Debent quoque ſub hoc priuilegio complecti cætera Mariæ nomina, de quibus agitur in Mariali, libro ſexto per totum.

DECIMVM Mariæ ſingulare priuilegium, eſt *omnis boni plenitudo*. Plena enim omni bono fuit, ita quod nullum ei bonum defuit, ita quod plus accipere (iuxta Albertum) non potuit, & omnia replendo effluxit; referta omni virtute, & gratia, omni benedictione, & gloria: prout tactum eſt ſupra, & monſtrabitur per ſequentia. O igitur omni gratia refertiſſima, de tua plenitudine in nos diſtilla.

§ 2. *Hic ponuntur Mariæ priuilegia ſpecialia.*

IV.

L*Audo ortum*, &c. IN HOC iam verſiculo tanguntur Mariæ *priuilegia ſpecialia*, quæ licet ſit in alijs inuenire, non tamen in tanta præcellentia: Et horum quidem quædã pertinent ad vitę ortum, & ingreſſum, cuiuſmodi ſunt, iuxta Albertum, quinque iſta,

Scilic. {
Præfiguratio,
Prophetizatio,
Annunciatio,
Miraculoſa conceptio,
Et in vtero ſanctificatio,
Vel potius præſeruatio,
}

Quæ omnia in ſũmo habuit Maria, prout patet per ſuperiora. Præ cũctis enim poſt Chriſtũ, magis præfigurata fuit & prophetata: Fuit ei⁹ *conceptio* prænũciata, & miraculoſè perfecta: prout apertè tradit Damaſcenus, & cõceptionis hiſtoria. Vnde patet, quod habuit priuilegia ſpecialia, ortum, & ingreſſum vitæ reſpicientia.

SECVNDO habuit etiam priuilegia, circa *partum ſingularem*. Nam cæteræ mulieres pariunt hominem, iſta Deum; aliæ cum dolore, iſta cum gaudio, & iubilo, aliæ fœdantur, & corrumpuntur, hæc mundatur, & integratur. Vel, iuxta Bernardum, hæc ſunt partus priuilegia, quia

Scilic. {
Virginitatis primiceria ab Angelo ſalutata.
Sine corruptione fœcunda; à Spiritu ſancto imprægnata.
Sine grauamine grauida, Filio Dei onuſta.
Sine dolore puerpera, Virgo, & Mater Dei.
}

Hæc proſequuntur in Mariali parte tertia, & ſunt ſatis clara.

TERTIO habuit etiam ſpecialia priuilegia, *vitam & conuerſationem* circunſtantia: Quæ ſpecialis gratiæ innuitur, quotiens aliqui Sanctorum, ſpecialiter à Deo diligitur; vel amicus Dei appellatur, aut à gratia aliqua cõmendatur.

mendatur. Sed in his omnibus noſtra præconioſa Virgo palmam geſtat, quæ præ cunctis amata, non Dei amica, ſed Mater Dei appellata, ſanctiſſimè conuerſata, omni omnium Sanctorum plenitudine gratiarum referta.

Qvarto habuit etiam gratias ſpeciales, circa *mortem*, & vitæ egreſſum, quæ pateſcunt per hunc verſiculum,

Præſcijt, accita, caruit, volat, intumulata.

Nam & illa (vt multi Sancti) præſciuit; Secundo à Filio vocata fuit. Tertio dolore, & viſu diaboli caruit; Quarto mox euolauit; Quinto mirabiliter, & digniſſimè ſepulta fuit. Omnia igitur omnium Sanctorum, circa mortem priuilegia tenuit.

Postremo etiam gratias ſpeciales *poſt mortem* habuit, quia non ſolum ſtatim euolauit, ſed & anima, & corpore aſſumpta fuit, ſuper omnem creaturam puram exaltata, facta maieſtatis dextriſedia. Et hæc de gratijs ſpecialibus, in quibus omnes Maria excedit, quæ nunquam ab vllo illuſtrium, iuxta Damaſcenum, victa fuit, &c.

§. 3. *Hic tanguntur Mariæ priuilegia communia.*

V. Virtutes, &c. Hic iam tanguntur priuilegia Mariæ communia; quantum; ſcilicet ad gratias communes; in quibus licet participent plures, ei tamen fuerunt ſingulares. Et in primis habuit omnes virtutes, tam theologicales, quã Cardinales in ſummo, & præ cunctis, præcipuo modo. Nam *de fide* Elizabeth eam commendauit, quando dixit, *Beata quæ credidiſti*, &c. Luc. 2. Erat enim eius fides aliorum fide firmior, & clarior, inamiſſibilior, & operoſior, & excellentior cunctorũ. Sic & *ſpes* eius firmior, certior, & iocundior: Nam ipſa præ cunctis, Dei pietatem nouit clarius, & merita habuit abundãtius. De *charitate* autẽ eius, ſatius nobis ſilendũ; ſuperat enim omnem intellectum: Pulchrè de eius charitate in Deum, Chriſtum, & proximum, deque charitatis qualitate, agitur in libris Doctorum, & de ſingulis ſpeciebus virtutum Theologicalium, quas non ſolum habuit per modum viæ, ſed perfectiori, & excellentiori modo, inexperto omni creaturæ aliæ. *Cardinales* quoq; *virtutes* habuit per modum patriæ; ſed ſecundum ſtatum viæ: Per *modum inquam patriæ*, quantum ad actuum perfectionem, ſed *ſecundum ſtatum viæ*, quantum ad merendi conditionem; vnde habuit eas medio modo, inter viatores, & comprehenſores: vt declarat Albert.

Secvndo etiam donis Spiritusſancti, poſt Filium ſingulariter repleta fuit, qui in omni plenitudine donorum ſuper eam requieuit: Vnde etiam actus illorum donorum, qui in cognitione, & affectione conſiſtunt; puta *ſapientiæ intellectus, conſilij, & ſcientiæ*, habuit excellentius omni viatore, inter ſtatum viæ, & patriæ. Reliqua autem alia, ſecundum modũ patriæ, & ſtatum viæ, vt declarat Dominus Alber. & Dionyſius de ſingulis.

Tertio etiam *Spiritus ſancti fructus*, (quos xij. enumerat Apoſtolus) omni viatore habuit perfectius, vt deducit Alb. de ſingulis. Sunt autem ij fructus Charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia caſtitas. Fructus etiam, qui ſecundum ſtatus continentiæ diſtinguuntur ore Domini, ſcilicet centeſimus, ſexageſimus, triceſimus ſummè in Maria inueniuntur, quæ & *virgo* puriſſima, *nupta* fideliſſima; *vidua ſanctiſſima* fuit; omniũ igitur fructus obtinere debebit. Gal. 5. Mat. 13.

Qvarto. Gratias etiam ſacramentales perfectiſſimè tenuit, quæ omnia Sacramẽta, ſuo tempore omnibus hominibus generaliter obſeruanda inſtituta obſeruauit; ita vt nihil ei de illorum efficacijs, & perfectione deperiret; ita quod omnes (iuxta Alber.) in vita præter ordines ſuſcepit; quos tamen per æquipollentiam tenuit, quia dignitatem, poteſtatem, & admirationem in Eccleſia habet, & ſumma Sacerdos poſt Chriſtum fuit.

Octo etiam beatitudinibus, Beatiſſima noſtra plena fuit, quas excellentius omni viatore habuit; vnde & eorum præmia, præ cunctis participauit. Quis enim ſic vnquam poſt Chriſtum *ſpiritu pauper, animo mitis*, &c. vt Maria? Habentur in Alberto, & Dionyſio ſingula hæc proſecuta. Mat. 5.

Postremo (vt ſub cumulo multa dicamus, & omnia quæ non diximus breuitatis cauſa cõplectamur) quod omnibꝰ gratijs, & donis gratis datis, & gratuitis, & omnibus omnium priuilegijs communibus, Beata hæc plena fuit, Deducit hoc Dominus Albert. de *gratijs gratis datis*, quas ad Corinthios enumerat Apoſtolus; Deinde etiam ad Epheſios. Et etiã *de tribus aureolis, & cæteris præmijs*; Sed & de *perfectione duplicis eius vitæ; actiua* ſcilicet, & *contemplatiua*, & cæteris gratijs, latiſſimè in duobus libris tangit Dionyſius Carthuſienſ. Hoc vnum monemus nos, vt hanc gratia omniplenam crebrius adeamus, pulſemus, & moueamus: vt de eius plenitudine participemus. 1. Cor. 12. Eph. 4.

§. 4. *Hic enumerantur beneficia B. Virginis.*

VI. Perficis, &c. Hic post poſita Virginis in vita priuilegia, ponitur horum *refluxus*, id eſt beneficia, quæ præſtitit adhuc in terris poſita. Quorum primvm eſt, & *circa totum vniuerſum*, & omnem creaturam, quam ipſa vltima ſui perfectione compleuit, & mirificè dignificauit, dum creaturis creatorem coniunxit, & eum illis miniſtrandum exhibuit in perſona. Nam (vt ait Bernardus) Deus licet in mundi creatione nihil produxerat imperfectum, ſed omnia perfecta; ſicut eorum exigebat natura; tamen vltima poſtremæ perfectionis conſummatio, vſque ad partum Virginis dilata eſt, & ſoli Virgini reſeruata. Omnia nã que entia, vnum ens nobiliſſimum appetebant, omnia viuentia nobiliſſimum viuens, & ſic de alijs. Ita quod omnes creaturæ appetebant vnum quoddam optimum creatum, quod ex Maria eſt productum, quæ vnico ſuo

Digitized by Google

partu, tantam perfectionem attulit vniuerſo, quod vlterioris perfectionis non eſt capax, nec in ipſa conſummatione. *Sane hoc eſt intelligendum* de creatura, ſcilicet creatori coniuncta, &c. Quomodo autem creaturæ per hanc ſunt dignificatæ, pulchrè proſequitur Dionyſ. Carthuſ. in de laude huius Virginis.

ALTERVM præcipuum virginis beneficium eſt, circa *Sanctorum congregationem*, & Eccleſiam, quam Filij ſui *Sacramentis* exornauit. Omnia enim adornat Maria; adeo quod dicat Bernardus; *Tolle Mariam hanc maris ſtellam, quid niſi caligo inuoluens, ac denſiſſima tenebra relinquentur?* De cuius beneficio ornatus dicit Dominus Ioan. Brugman, in ſuis cõtemplationibus, Conſidero gratiam ornatus tui, ô decoratiſſima Virgo: Nam tota militans Eccleſia, ex te ornatur, & decoratur; De carne enim tua benedicta, & in parte corporis tui exciſa, conſiſtit, perficitur, & terminatur totũ decus, & pondus Sacramentorum Eccleſiæ Dei; puta in Euchariſtiæ Sacramento.

TERTIVM beneficium eſt *erga genus humanum*, cuius quia Redemptorem Saluatoremque genuit, iure eius redemptrix, ſaluatrixque dici poteſt: Nam ſicut facta eſt perditio ſuggerente; ſic & redemptio, & ſalus fœmina cooperante; vnde inde dicitur *redemptrix*, &c. Quicquid enim cauſa eſt cauſæ, etiam cauſa eſt cauſati: Quia ergo cauſa quodammodo ipſa per generationem fuit redemptoris, ab eo facta cauſa dici promeruit.

QVARTVM beneficium eſt *erga angelicam creaturam*, quarum ruinã reparauit, & ciuitatem inſtaurauit; dum per Filium ſuum, & eius auxilium, lapides viuos ad illius ciuitatis inſtaurationẽ miſit, vt reædificarentur muri
Pſ. 50. Hieruſalem ex eis, Vnde dicitur Domina Angelorum, & Regina cœli.

POSTREMO erga ſuos *cultores & deuotos*, ſe beneficentiſſimam exhibuit, pro quibus adhuc in vita conſtituta, eorum vice ſtudioſiſſimè Dei Filio deſeruiuit; Deum dignè coluit; pro eis retribuit; multaque alia beneficia impendit: vt declarat auctor Marialis. Simus ergo grati, retribuamusque ei, etſi non dignè, ſaltem vtcunque, pro poſſibilitate: Alioquin eius beneficijs, non erimus beati, ſi non extiterimus grati.

§. 3. *Hic beneficia ſpecialia.*

VIII. VAs pretium, &c. ADIVNGVNTVR prædictis generalibus beneficijs, quædã alia ſingularia & exceſſiua, de eius plenitudine (vt Albertus Magnus ait) nobis emanantia. Nam PRIMO ex ea emanauit nobis *pretium redemptionis*: Ipſa enim eſt *ſacculus pecuniæ*, De quo dicitur in Prou. c. 7. In quo *omnes theſauri*
Coloſ. 2. *ſapientiæ, & ſcientiæ ſunt reconditi*, quem ſecum tulit beatus vir Chriſtus, in ipſius virginis aſſumptione, reuerſurus in die plenæ lunæ, id eſt Eccleſiæ conſummatione. De quo etiam dicitur paulo infra, quòd *procul, & de vltimis finibus pretium eius*, Prou. vlt. quod pretium in die annunciationis fuit commaſſatum; in die paſſionis perſolutum, & à Iudæis repulſũ, &c.

SECVNDO effluxit ab ea *aqua ablutionis*; ipſa enim eſt *fons patens domus Iacob*: vt dicitur Zach. c. 3. *Fons* etiam *hortorum*, & *puteus aquarum viuentium*, Cant. 4. in vitam æternam ſalientium. Ipſa etiam eſt ciſterna illa Bethle- Io. 4.
hemitica, de qua optauit bibere Dauid, hoc eſt Iudæorum ſynagoga Nam huius Chriſtus erat aqua, quam cum Iudaicus populus ha- 1. Paral. 11.
buit, non bibit; ſed in cruce libauit, quæ libatio noſtra fuit ablutio. Lauit enim nos à pec- Apoc. 1.
catis noſtris in ſanguine ſuo, &c.

TERTIO venit ex ea *panis refectionis*: Ipſe enim *nauis eſt inſtitoris, de longe portans* Prou. 31.
panem ſuum: Et rectè *de longe* dicit, quia panis Io. 6.
viuus qui *de cœlo*, & ſummo cœlo deſcendit. Ad comedendum nos virgo hæc inuitat dicens, *Comedite panem meum*, &c. Pro. 9.

QVARTO profluit ab ea *medicina curationis*: *Altiſſimus* enim *de terra*, id eſt beata Virgine *creauit medicinam*, id eſt, carnẽ Chri- Eccl. 38.
ſti, curatiuam omnis morbi. Caro enim medici facta eſt (vt ait Auguſt.) medicina ægroti; & Eccleſiaſticus, c. 33. *Medicina omnium in feſtinatione nebula*, Sacramenti Chriſti.

QVINTO accipimus ex ea *arma expugnationis*: Ipſa ſiquidem eſt *domus ſaltus libani*, cõtinens omnis generis armamenta, & *turris*, ex 3. Reg. 7.
qua dependent *mille clypei*; De qua Chriſtus Cant. 4.
certaturus, apprehendit ſibi ſcutum, gladium, Pſ. 34.
& arma: Carnem enim aſſumpſit, quam diabolo, contra quem bellum inijt, obiecit, de qua etiam vicit, &c.

POSTREMO etiam ab ea ſuſcipiemus *præmium remunerationis*, quia *filij merces fructus ventris*, qui de ſe Abrahæ dicit, Gen. 14 *Ego ero merces tua magna nimis*. Quod præmium, vt Pſ. 126.
poſt accipere mereamur, gratias de ſuſceptis agamus: Non enim dignus eſt dandis, qui donatis extat ingratus.

MEMBRVM IIII.

Hic enumerantur priuilegia quibus excedit in gloria.

IX. DExtriſedens, &c. IAM SEQVVNTVR Mariæ priuilegia vitam eius ſubſequentia; ſcilicet *quæ iam tenet in cœli gloria*, de quibus, quia plenè habitum eſt ſupra, ſcilicet in Roſario de gloria; ideo tantum hic ſunt commemoranda. Et PRIMVM illic eius priuilegium eſt, quòd *omnes excedit, quo ad locum* facta maieſtatis *dextriſedia*. Nam ſicut humillima fuit in terris; ita ſuper omnes exaltata eſt 3. Reg. 2.
in cœlis, & poſitus eſt thronus Matris regis iuxta thronum regis: vt patet ſupra.

SECVNDO omnes in regno excellit, quo ad *præfulgidum ornatum*, animę, ſcilicet præmia eſſentialia, atque accidentalia in ſummo tenens, ſtolis duabus atque aureolis tribus glorifica, luce coruſcans, coronamque ſtellarum Apoc. 12.
duodecim in capite geſtans &c. Vt ſupra eſt proſecutum.

TERTIO cæteros regnicolas antecedit, quantum *ad actus, & officium*: Actus enim beatitudinis erga Deum, in ſummo habet; Actus quoque hierarchicos in omnes cœli phalan-

Digitized by Google

gas, poſt Chriſtum, plenius exercet, imperioſa præſidens toti vniuerſo.

QVARTO excellit omnes, quo ad *cultum quo* colitur, & veneratur, in cœli curia, & in terra; Ab omnibus enim cœligenis, & terrigenis, & ab ipſo Deo Deorum ſumma Trinitate, ſublimius veneratur, & colitur.

POSTREMO etiam cæteros beatos in gloria antecedit, quia quodammodo, Ipſa eſt beatificum Sanctorum præmium & præcipuũ gloriç obiectum. Ita vt de *ea, & in ea, poſt Chriſtum lætentur omnes*, ſeſeque putent, non parũ eius conſpectu beatos. Habentur ſingula, & complura alia ſub his contenta, in ſuperiori Roſario.

§ 1. *Hic enumerantur aliquot ſubſidia quibus ſuis ſubuenit Maria.*

X. DA *veniam*, &c. Hic iam quemadmodum, & ſupra, poſt gloriæ eius magnalia ſequuntur, quæ inde conſequimur *quotidiana beneficia*; imò & petuntur ea, quibus ſuccurrit ſuis, &c. Et hoc ſecundum quinque illa principalia auxilia, de quibus ſupra ſunt annumerata exempla, & miracula, & quibus reſpicit cunctorum ſtatus. Nam (Bernardo teſte) Maria facta eſt omnia omnibus, ſapientibus, & inſipientibus ſe debitricem fecit, omnibus miſericordiæ ſinũ aperit: vt de eius plenitudine accipiant vniuerſi. Nam PRIMO *peccantibus dat & impetrat veniam*, & reducit ad miſericordiam: De hac enim ait Bernardus peccator reportat veniam: vt patet de Theophilo, & innumeris alijs. Meminit enim ſe propter peccatores Dei Matrem conſtitutam; vnde & eius miſericordiæ recognoſcit debitricem.
Rom. 1.
Io. 1.

SECVNDO eam *inuocantibus acquirit gratiam*, & replet deſiderium eorum in bonis: vt patet de multis: Hinc ait Bernardus. Sicut vas liquore plenum, ſi quoquomodo moueatur, de facili effundit liquorem: Sic miſericordiſſima Virgo gratia plena, precibus mota, gratiam mox infundit. Ideo dico vobis chariſſimi, ſi piè fuerit à vobis pulſata, non deerit veſtræ neceſſitati, quoniam miſericors eſt, & gratia plena; Vnde & diſpenſatrix theſaurorum, & gratiarum eſt conſtituta, à tempore quo Chriſti Mater eſt facta.
Pſ. 102.

TERTIO ſuis *cultoribus, & deuotis, dat etiam in præſenti ſpiritualia gaudia*, futurorum prænuncia; vt de Sancto Edmundo Epiſcopo Canthuarienſi, & muliere cuius ſaliua dulcis, vt mel fuit facta Anſel. *O magna, ô pia, ô multũ amabilis Maria: Tu nec nominari quidem potes, quin accendas, nec cogitari, quin recrees affectus diligentium te. Tu nunquam ſine dulcedine Diuinitus tibi inſita, pia memoria ingrederis portas*, &c.

QVARTO *omnibus tribulatis ſubuenit*, & protegit tentatos; Angelos in auxilium mittendo; hoſtes arcendo. Vtriſque enim præſidet imperioſa, ipſa turris refugij, quæ nunquã defuit inuocata; ita quod confidenter dicit Bernardus, *Sileat miſericordiam tuam Virgo beata, ſi quis eſt qui eam inuocatam in ſuis neceſſitatibus ſibi meminerit defuiſſe.*

POSTREMO *iudici ingiter aſtat in cœlis*, pro mundo intercedendo, & in hora mortis, fidiſſime aſtando ſuis, & reconciliando. Vnde dicit Bernardus, *Foues nec deſeris miſerum, quouſque tremendo iudici eum noueris reconciliatũ. Age ergo ô miſericordiſſima, quod agis, aſta tuo amantiſſimo Filio exorans pro toto mundo, quoniã prorſus eſt poſitus in maligno. Oſtende Filio pectus, & vbera; & Filius Patri latus, & vulnera. & ſic nulla poterit fieri repulſa, vbi tanta ſunt charitatis indicia*, &c. 1. Io. 5.

Roſorium pro explanatione Orationis Dominicæ.

CAP. X.

SIc *ergo orabitis Dominus in monte.* QVONIAM in huius diſtinctionis initio, duo Roſaria poſita ſunt, pro attentè legenda ſalutatione angelica. Et quia inter legendum Roſaria, legitur etiam intermixtim oratio Dominica: Ideo pro huius diſtinctionis concluſione, vel vnum Roſarium annectendum, pro Dominicæ orationis explanatione, & intelligentia, præſertim cum non minori attentione, legenda ſit oratio hæc Dominica; quam ſalutatio angelica; imo potius tanto ampliori, quanto hæc illa conſtat eſſe digniorem. Et ideo hæc oratio, ſoluenda eſt attentius, & deuotius, quanto conſtat, nullum orationis genus hac fore excellentius. Mat. 6. 1.

NAM præ cæteris omnibus orationibus, præſertim hæc oratio redditur commendabilis, à quinque excellentijs hoc verſu comprehenſis,

Auctor, perfecta, breuis, & bona, ſpiritualis.

PRIMO enim cæteras antecedit orationes, *ab auctoris dignitate*, quia à Deo ipſo compoſita, & docta.

SECVNDO à *perfectionis fœcunditate*: Nihil enim ei deeſt, quod non in ſeptem petitionibus contineatur; nam (teſte Auguſtino.) *Si* rectè, & congruenter oremus, nihil aliud, quam quod in hac poſitum eſt, dicere poſſumus; Nam in ea non ſolum ponuntur omnia, quę rectè deſiderare poſſumus; verumetiam eodem ordine petuntur, quo deſideranda ſunt. Quia *primum* finis; *Deinde* ordinata in finem, vt patet: Vnde non ſolum perfectè poſtulare inſtituit; ſed etiam affectum ad ordinatè deſiderandum informat,

TERTIO à breuitatis compendioſitate. Nam in ſui exordio, & in omni parte breuis eſt; Et hoc rationibus, & congruentijs multis *Primo*, vt fiduciam det cito impetrandi, & annuendi, qui tam breuiter vult rogari. *Secundo*, vt vtilia doceat, res, ſcilicet non verba multa: Nam omnis res petenda comprehenditur; licet diuerſa ſint verba; *Tertio* vt prudentia ingenioſorum, in paucitate verborum, de profunditate myſteriorum, & multiplicitate ſententiarum, exerceatur. *Quarto* vt faciliter addiſcatur, facilius memoriter teneatur

tur, *frequentius* ditatur, & ſine faſtidio ſæpius reperatur. *Poſtremo:* vt nullus ab eius ignorantia excuſetur; quia quod iam faciliter ſcitur, non niſi culpabiliter ignoratur; Vtque oſtendatur, quod in mentis deuotione, & non in verborum multiplicatione, virtus orationis conſiſtat: Iuxta illud, *Orantes nolite multum loqui*, &c. Mat. 6.

QVARTO præcellit hæc oratio cæteras, in vtilitate: vt puta *in exaudibilitate*: Eſt enim veriſimile, quod Chriſtus eā non formaſſet, niſi exaudire voluiſſet; *In peccatorum deletione*, Ait enim Auguſt. de quotidianis, & leuibus peccatis, & erratibus, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium ſatisfacit; *In bonorum impetratione*, & ad bonum diſpoſitione: Hinc ante, & poſt horas dici ſolet, &c. Quid longius immorandum: Non eſt in ea, vel vnum verbum, quod non ſingulare adducat commodum, exceditque eius vtilitas omne ingenium.

EXCEDIT etiam poſtremo à *ſpiritualitate*. Nam (teſte Gloſſa) Nulla oratio eſt magis ſpiritualis, quam iſta, quæ ex ore Filij Dei, qui veritas, & ſpiritus eſt proceſſit, Grandibus myſterijs, & ſacramentis referta; adeo vt nec verborum numerus, nec ordo quidem, vel adiunctio coniunctionis. à myſterijs vacet: vt à quibuſdam eſt deductum. Ob quæ omnia, & ſimilia. cum magna eſt deuotione dicenda.

SED vt deuotè dicatur oportet, vt præintelligatur, vt autem intelligatur ſequens Roſarium, in quo meditabilia quædam eius explanatiua habentur, inſpiratur & attendatur.

IN ORATIONE DOMINICA Primo captatur beniuolentia, Dei bonitatem laudando.

VT *patrem reuerens, amo, fidens, gratia, pungens.*

Secundo commendando charitatem.

Noſter amor, pax, ubuentat, haud eſſer, honores.

Tertio maieſtatem laudando.

Erigat, vt firmet, ſimilet, doceat, fluat inde.

Prima oratio quæ agit pro fine otando: Sanctificetur nomen tuum.

Glorificans, purga, conformans, noſcito firmans

Secundo petitur noſtra beatitudo. Adueniat.

Militat, æthereum, fidei ſcriptum, vel opem fert.

Tertio petimus donum gratiæ.

Et placitis, ſigni, conformis, ad impleat, inſtar.

Quarto quæ ad beatitudinem ſpectant.

Corporis, ac mentis, noſtrum, da quotidianum.

Quinto petitur malum auferri.

Commiſſi, omiſſi, doni, dimitte, velut nos.

Sexto petitur auferri malum proximo

Conſenſum, peream, peto non quod, plura, ſed vnam.

Septimo petitur ammoueri malum præſens.

Offenſæ, macula, pœna, ſtygis, à ſathane me.

Explanatio huius Roſarij, & primum de captatione beneuolentiæ per, Pater.

PRO verſuum poſitorū explanatione, notandū, quod tres ſunt huius orationis partes principales: Captatio, ſcilicet beneuolētiæ; Septuplex petitio; Et finalis concluſio Et quia meditabilia hæc, ex vulgatis Doctorum expoſitionibus ſunt collecta; ideo velut nota, paucis tantum ſunt tangenda. II.

IN Dominicæ itaque orationis *exordio*, fit beneuolentiæ captatio: Quæ captatur *primo laudando eius bonitatem*, cum dicitur PATER, &c. Et hic cor confortatur; Dicimus autem *Pater*, & non *Dominus*, aut Deus. PRIMO, vt dicitur in verſu, propter *exhibitionem debitæ reuerentiæ*, Malach. 1 *Si ego Pater, vbi eſt honor meus?* Eſt enim filialis reuerentia Deo potiſſimum debita. Dicat ergo hic mens deuota, O ſumme Deus Pater, & verè Pater, omni paternitatis modo; A *quo omnis paternitatis* affectus in filios deriuatur, Pater inquam creatione, redemptione, affectu, educatione, cura, & hæreditatis promiſſione, da mihi filialem reuerentiam in te Patrem talem, ac tantum &c. Tangitur in hac oratiuncula, abunda deuotionis materia; ſed paſſim expoſita &c.

SECVNDO propter *prouocationem amoris*, & amicitię; Pater enim magis appetit amari, quam timeri. Iuxta Hierem. ca. 3. *Saltem amodo voca me Pater*, &c. habens, ſcilicet in me affectum filialem. O immenſa clementia Dei, viliſſimo luto, deteſtabili faniei, homini peccatori, Patrem ſe Deus facit, & Pater vult compellari. O vtinam tu bone, & amantiſſime Pater, vtinam amoris gratiam infundas, vt dignè te diligam Patrem.

TERTIO propter *præſtationem confidentiæ*: Quid enim negabit filijs, qui dedit, quod Pater eſt? Cuius Patris amor, ſuperat omnem etiam maternum amorem, ſecundū illud propheticum, Eſa. 49. *Nunquid poteſt mulier obliuiſci infantem ſuum*, &c. *& ſi illa oblita fuerit; ego tamen non obliuiſcar tui.* O igitur verè oratio dulcis, cuius principium Paterno nomine dulceſcens, ſequentium petitionum obtinendarum fiduciam præſtat. O igitur Pater, da filialem fiduciam, vt in te iactem omnem meam curam.

QVARTO propter *penſationem gratiæ*; vt, ſcilicet cogitemus populo Chriſtiano maiorē gratiam exhibitam, quam Iſraelitico: Pſ. 147. *Non enim fecit taliter omni nationi. Illis* quippe, vt ſeruis inſinuatus eſt Dominus, & Deus; ſed populo gratiæ ſpiritum infudit adoptionis, in *quo clamet Abba Pater.* O da ne in me deperdita eat gratia tanta, da vt dignè viuam illi, &c. Rom. 8.

QVINTO propter mentis compunctionem, de præteritis; & cautionem de futuris, & rerum contemptum terrenarum; vt, ſcilicet, pudeat indigna geſſiſſe generi, degenerem vixiſſe tanto Patri. Et vt deinceps cauere proponat à peccati ſordibus; ne tanto Patre

redda-

reddatur indignus, vt ſic timor paternæ offenſæ, cauſa ſit cautelæ; Spernatque omne terrenum, qui patrem habet Deum: vt filius regis equorum fimum, aut latrinæ officium.

VNDE patet, quod ex hac dictione *Pater*, multiplicem poteſt deuotus ſibi elicere affectum: Iuxta deuoti illius conſilium dicentis, Si (inquit) auribus haurias, ſi lingua reuoluas, ſi mente pertractes breue hoc verbum, *Pater noſter*, non breuem hinc formes affectum; ſed protinus aſſurgat animus ad beneuolentiam, reuerentiam, & confidentiam. Induat generoſum animum regię nobilitatis, pudeat deinceps indignam ferre ſeruitutem, tędeat exiliũ, diſpliceat miſeria, pudeat fœdæ turpitudinis, in mentem redeat promiſſa hæreditas, repoſita adoptio, beata & fœlix expectatio. Huiuſcemodi affectiones fœcundus amor quotidie parit. Nec eſt momentum ſterile amanti, quia momentum amanti, eſt omnis res, & omnis occurſus. O igitur fœlix nimium ille, qui poſſet ſpiritu filij donatus dicere ſic, *Pater noſter*. Vocaliter dicere, non eſt dicere; ſed cordis noſtri medullis, ex omnibus interioribus, noſſe, & ſentire pietatem filiorum, in cordibus noſtris toto pectore Patrem ſpirantes, & anhelantes. Hoc eſt viuaciter, efficaciterque dicere *Abba Pater*, veraciter, viuaciter, efficaciter clamare Abba Pater; Et hoc niſi in ſpiritu Filij non clamatur: quemadmodum Apoſtolus in-
1. Cor. 12. quit, *Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus niſi in Spiritu ſancto*, &c. Dicere inquam veraciter, efficaciter, &c. Et hęc de Pater.

Noſter.

NOſter amor, &c. SECVNDO, captatur beneuolentia laudando Dei *dignatiuam charitatem*, cum dicitur *noſter*. Non.n. dicendũ eſt *meus*, quod Chriſto proprium; ſed *Noſter* multiplici congruitate. PRIMÒ, *propter amoris inductionem*, quia dicendo *noſter* inuitamur ad fraternitatis amorem: vt ſic quilibet pro a-
Iac. 15. lio, quantum pro ſe oret; pręcipitur enim, *Orate pro inuicem*. Nam oratio vtique tanto acceptior, quanto communior. O igitur Pater noſter, qui te nobis dare non ceſſas, per tuæ bonitatis diffuſionem, fac vt tui ſimus, habentes inuicem fraternam dilectionem.

SECVNDO, *propter pacis conſeruationem*:
Gen. 13. Non enim debet eſſe iurgium, vel contentio inter fratres. Iuxta illud Abrahæ, *Non quaſo ſit iurgium, vel contentio inter me, & te, fratres enim*
Io. 14. *ſumus*. O igitur noſter Pater, & pax noſtra, qui pacem reliquiſti in terris, da pacem nobis: vt veri fratres ſimus, pacifici filij tui.

TERTIÒ, *propter ſubuentionis mutuam impenſionem*; fratres enim mutuum ſibi auxilium debent. Prouerb. 18. *Frater, qui iuuatur à fratre,*
Rom. 8. *quaſi firma ciuitas*. O ergo primogenite inter
1. Io. 3. multos frates, Frater; & ô Pater noſter, da vt opere fratres diligamus & animas pro eis ponamus.

QVARTO, *propter elationis compreſſionem*, inuitans nos ad humilitatem, docens omnium noſtrûm æqualitatem: vt nemo de nobilitatis genere extollatur: Iuxta Boetij illud, *Omne genus hominum in terris ſimili ſurgit ab ortu*, &c. *Quid genus, & proauos ſtrepitis*, &c. Et Malac. 2. *Nunquid non Pater vnus omnium noſtrûm? nunquid non vnus Deus creauit nos: Quare ergo vnuſquiſq; deſpicit fratrem ſuum* &c. O igitur Pater Deus humiliate pro fratribus, da humilitatem cum fratribus.

QVINTO, *propter mutui honoris exhibitionem*, quæ inter fratres erit. Vt ad Rom. 12. *Honore inuicem praeuenientes*. Et vere merito deberemus nos inuicem honorare, quos tantum ſublimauit Deus, vocans ſe *noſtrum Patrem* ac conſtituens nos filios, ac per hoc & hæredes. O gloria & honor, in quo non eſt inſipiẽs, qui voluerit gloriari. Hæ ſunt cauſę commu- 1. Cor. 12.
niores quas ſuper, *noſter*, aſſignant Doct. Super quo nihilominus verbo, lata ſe offert materia deuotionis, qui illud ad ſpecies explicare volet. Quid enim eſt Pater noſter; niſi Pater meus & Verbi; Pater meus, & Virginis Matris; Pater meus, & Seraphin, & Cherubin, & breuiter omnium Sanctorum ac rerum? O qui ſe huic conſiderationi daret, is quantum deuotionis verbum illud, noſter, continet, experiretur.

Qui es in cælis.

ERigat, &c. TERTIO, Dei beneuolentia captatur, dum eius *maieſtas* laudatur, dum ſcilicet IN CÆLIS additur. Nam licet & in terra ſit, & vbique, dictum tamẽ eſt *In cęlis*, his ex cauſis. PRIMÒ, dicitur *in cęlis*, & non in terra, *propter mentis ad caleſtia erectionem*: Vt ſcil. erubeſcamus verſari in terris, vbi audimus nos Patrem habere in cælis. *Propter item mẽtis deuotionem, & compunctionis excitationem*: vt doleamus ſegregari à Patre, pudeat iacere in exilio, Patre ſedente in ſolio, iuxta Pſa. 41. *Fuerunt mihi lachrymæ panes, dum dicitur vbi eſt Deus tuus?* vt ſic mente dicamus, heu mihi bone cæleſtis Pater, *quia incolatus meus prolongatus eſt nimis. O quando veniam, & apparebo ante* Pſa. 119.
faciem Patris exul filius.

SECVNDO, dicitur *In cælis*, nõ vbique, *propter mentis fixam ſtabilitionem*, hinc venerabilis Hugo: Si dixiſſet, *Qui es vbique*, verum dixiſſet; ſed ne inepta & inania quęrendo, mente euagemur, dicit, *In cælis*: vt mente illic radicata, quæ cæleſtia ſunt quæramus. O igitur Pater, Philip. 3.
qui es in cælis, congregetur cor meum, ne euagetur in terris; ſed ſemper ſit meditatio & conuerſatio mea apud te in cælis.

TERTIO, *propter mentis noſtra ad cœlum cõformationem*, & aſſimilationem; vt ſcilicet ſicut cęli diſtincti ſunt varijs proprietatibus; ita etiam petentium, & orantium mentes, adornentur diuerſis virtutibus: vt ſic Deus dignetur inhabitare eos, quaſi in cælis. O igitur Pater *qui in cælis*; i. habitas in Sanctis per gratiam: Vtinam miſera mea anima terrenis immerſa, tibi fiat cælum clarum, variis virtutibus ornatum, à peregrinis impreſſionibus alienũ: vt ſic te fœlicẽ habeam inhabitatorem Deum. Lata hic poſſet fieri adductio, de proprietatibus cęlorum, de quibus paſſim inuenitur in ſermonibus Sanctorum, & præſertim in libro de triplici via habetur iſtud deductum.

QVARTO, *propter noſtram eruditionem.* Vt ſcilicet diſcamus ſpecialiter illic Deum eſſe, vbi præeminet in effectu, & proprietatibus. Et ſic eſt in cælis per potentiæ immenſitatem, ſapientiæ claritatem, qua omnia noſcit. Nec (iuxta quoſdam impios) *Circa cardines cæli ambulat*, inferiora hæc non curans, & ignorans: Præſidet enim intuens, & moderans cuncta; adeo vt ſine eius volito, non cadat folium ex arbore, nec vel paſſer in obliuione eſt coram *Luc. 12.* eo &c. Itemque vt doceat *inhærentiæ varietatem*, qua aliter in iuſtis, aliter in peccatoribus, aliter in cœlis, aliter in inferis, & in terris. Hic notetur varietas, quomodo Deus eſt in rebus.

QVINTO, propter *virtuoſitatis inſtructionem*: ſicut cęlum inferioribus multa influit, ita etiam omne bonum ab eo, qui in cælis eſt venit; *Omne enim datum optimum, & omne donum* *Iac. 1.* *perfectum ab eo deſcendit.* vt enim ait Poeta,

Omnia deſcendunt à ſummo culmine rerum.

Quo niſi conſulto nihil eſt, quod ſydera poſſunt.

Dicitur ergo *in cęlis*, vt ſic mentem illo fiducialiter dirigamus, ſperantes quod qui ibi habet abundantiam bonorum, communicans etiam ea *pullis coruorum*, non nos deſeret, vbi eſt pe- *Pſa. 146.* nuria illorum, præſertim dum exoratur votis iuſtorum. Semper ergo oraturi, nos ita aptemus; quaſi cęlum ingreſſuri, coramque tremẽda illa Maieſtate oraturi, &c. vt monet ſanctus Bernardus. Et hæc de orationis huius captatione.

Sanctificetur nomen tuum

GLorificans, &c. HIC poſt exordium, & captationem, ſequitur *tractatus*, & ipſæ intentæ petitiones. Quarum petitionum, varij variè aſſignant ordinem, & rationes. Quia ſcilicet ordinantur omnes, vel in Deum; quoad eſſentiæ vnitatem: Vel ſingulæ ad perſonarum Trinitatem. &c. Vel primæ tres, pro tribus dotibus patriæ; vel pro trium virium animæ, per tres virtutes theologicales reformatione; Reliquæ pro neceſſitatibus huius vitæ. Vel ſeptem contra ſeptem mortalia; propter ſeptem dona Sancti ſpiritus. Longum eſſet tractare ſingula, breuiter nos volumus expedire; exequendo verſuum meditabilia, ſecundum communia Sanctorum ſcripta.

IN PRIMA igitur oratione, oramus, *quæ ſunt finis*, petentes *ſanctificari nomen Dei.* Sanctificatur autem multipliciter. PRIMO, vt dicitur in verſu, *per glorificationem*, vt ſcilicet ita nos facias viuere, vt per nos, te magnificent, & glorificent cæteri. Et verè dignè prima eſt hęc petitio, qua petitur nil, niſi Patris glorificatio: O igitur bone pater, Sanctificetur nomen tuũ; In ſe quidem ſemper ſanctum, peto, vt appareat omnibus honorabile, & glorificandum.

SECVNDO, *per purgationem*: Hinc Martyr Cyprianus. *Opus eſt, vt qui quotidie delinquimus, delicta noſtra aſſidua ſanctificatione purgemus.* O igitur, Sanctificetur nomen tuum, vt ſit in nobis ſine terra, & purum; vt cor noſtrum ab omni peccati ſorde liberum, in omnibus clarè te contẽpletur, & videat nomen ſanctũ tuum.

TERTIO, *per conformationem*; vt. ſcil. eius ſanctitati quantum poſſibile eſt in via conformemur, & nunquam indigna tanto nomini agendo, eo indigni ſimus. O vtinam ſanctum nomen tuum, quod eſt Pater, & eius digna cõuerſatio, in me ſanctificetur, vt ea cogitationum puritate, affectionum ſanitate polleam, quæ decet filios tanti Patris. Iuſſiſti enim, *Perfecti eſtote, ſicut Pater veſter in cęlis.* *Mat. 5.*

QVARTO, *per cognitionem*; vt. ſc. Sanctum ab hominibus habeatur, & ita innoteſcat, vt ſanctum cognoſcatur, & vt nihil illo ſanctius æſtimetur, & iudicetur. O Sanctificetur nomẽ tuum; i. talem dę te Deo notitiam accipiam, qualis Deo ſit digna. (Nihil enim ſanctum, niſi quod Deo dignum) Granditerque æſtimem illud, vt ſic notitiam, & ęſtimationem, affectio digna in te Patrem ſequatur. Nomen enim notitia eſt.

QVINTO, *per confirmationem.* Sanctificetur nomen tuum; id eſt confirmetur nomen illud, quo filij Dei vocamur per gloriæ fruitionem: vt non excidamus. Et ſtabile ſit in nobis: *In intellectu* per veram & claram cognitionem; *in affectu* per ſanctam & piam dilectionem; *in memoria* per firmam & iugem inhæſionem. Vel Sanctificetur per beneuolentiam *in corde*; per reuerentiam *in ore*; per perſeuerantiam *in opere.* Nomen tuum, ſ. nomẽ *Patris*: vt ſim eius filius; Nomen *Ieſu*: vt ſim ſaluatus. Nomen *Spiritus ſancti*: vt ſim, & fiam ſanctus, nomen enim iſtud, Trinitatis. Hæc breuiter de petitione prima. In quibus, qui attenderit, habet copioſam deuotionis materiam, paucis ex Doctorum ſententiis tactam.

Adueniat regnum tuum.

MIlitat, &c. IN HAC SECVNDA petitione poſt oratam in ſuperiori Dei gloriam, petimus *beatitudinem noſtram*: vt ſcilicet, Adueniat Dei regnum; id eſt *ad nos veniat.* Eſt autem multiplex regnum, ſecundum quod multipliciter poteſt exponi petitio iſta. Nam PRIMO, peti poteſt, vt adueniat regnum *militantis* ſc. *Eccleſiæ* vniuerſalis, per Chriſtianæ fidei declarationem, & dilatationem; Et deſtruatur regnum Antichriſti, & diaboli, de quo regno dicit ipſe Dominus, *Colligent de regno eius* ſcilicet Eccleſiæ militantis, *omnia ſcandala*, &c. O bone pater adueniat regnum, & fi- *Mat. 13.* des Eccleſiæ in vniuerſo mundo, ceſſet diabolus paganiſmus, & hæreſis habitare in eo, &c.

SECVNDO, petitur *Regnum triumphantis Eccleſiæ*; cæleſtis ſcilicet glorię, per æternam pręmiationem, vt excludatur regnum pręſentis, & futuræ miſeriæ: De quo ipſe Dominus, *Fulgebunt iuſti ſicut Sol in regno Patris*, *Mat. 13.* &c. Verè præluſtre illud Regnum, verè dignè petendum. Eſt enim amoris Regnum: Nec enim alio, vel titulo quàm amore inſcribitur miles; Neque aliis ibi armis, quàm amoris militatur. Vbi omnibus amor in regem, vinculum eſt legionum; vbi quiſque tanto commilitonem præ ſe ducit honoratiorem, quanto ſenſerit regis amantiorem. Amor enim in regem, balteus, ac torques eſt, eo cuique inſignior, quo feruentior fideliorque fuerit, &c

O quando veniet hoc regnum, vbi tantum eſt gaudium, quod illud non concipit cor humanum? O veniat clara Dei, & beatifica fruitio; Veniat carnis reſurrectio; veniat omnis regni illius beata beatitudo, præſertim animabus dilatis à regno &c.

Tertiò, petitur *Regnum virtutum*, & di-
Luc. 17. uinæ gratiæ: De quo apud Lucam, *Regnum Dei*
Rom. 14. *intra vos eſt*. Non enim eſt eſca, aut potus; ſed iuſtitia, & pax; Grande enim Regnum hoc rectè iudicanti; licet non externo apparatu ſplédeat, animali, & vano æſtimatori: iſtud enim eſt illud præclarum regnum, quo Chriſtus regnauit iacens in præſepiolo, etiam laceratus flagris in prætorio. Licet etiam ſenſu ampliori hoc regnum, Sanctis omnibus eſt commune. Adueniat ergo illud, per gratiæ inhabitationem,
Rom. 6. & virtutum operationem, & deſtruatur regnum peccati, & malitiæ per ceſſationem: vt ſc. peccatum non regnet in nobis. O adueniat regnum virtutum, & gratiæ, pereat regnum peccati, & nequitiæ. Totum me vendicet ſibi hoc regnum.

Mat. 21. Qvarto, petitur *regnum ſcripturæ ſacræ*. De quo Saluator, *Auferetur à vobis regnum Dei*. Adueniat, ſc. per veram cognitionem, vt
Apoc. 3. deſtruatur regnum erroris & ignorantiæ. O rex, & bone Pater, qui clauem habes ſcientiæ, & aperis cui voles, aperi mihi hoc ſcripturæ ſacræ regnum: vt ſpernam omne mundanum colloquium.

Postremo, petitur *regnum diuini auxilij* & aſſiſtentiæ: Vnde ait Hugo: Veniat regnum *potentiæ* ad debiles, & infirmos roborandos, regnum *ſapientiæ* ad inſenſatos & fatuos illuminando: regnum *lætitiæ* ad nos flebiles, & afflictos conſolandos. Et hæc de aduentu multiplicis regni, pro quo iugiter aſpirandum.

Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra.

ET *placiti, &c.* Hic iam conſequenter petimus *donum gratiæ*, vt perficiamus interim Dei voluntatem: Quæ quia multiplex eſt, & multipliciter fieri habet; ideo hæc oramus: Primò, vt fiat voluntas eius, non tantũ
Rom. 12. *bona, ſed & beneplacita*: vt omnino fiat in nobis, quod beneplacitum fuerit coram eo. Quaſi dicatur, Hoc volo, hoc deſidero, hoc totis animi viſceribus cõcupiſco: vt ſemper in me tua beneplacens voluntas fiat, totus tuus ſim, totus in tuum plaudam honorem, ad quod factus ſum, & natus.

Secvndo, fiat voluntas etiam *quocunque ſigno innoteſcens*, ſiue præceptione, prohibitione, permiſſione, operatione, cõſultatione, quæ ſunt *quinque ſigna* Diuinæ voluntatis. Et comprehenduntur hoc verſu,

Præcipit, ac prohibet, permittit, conſulit implet.

De quorum declaratione, latè agitur in ſcriptis primi ſententiarum. Omnem autem ſigni voluntatem fieri cupimus; vt. ſc. quiſque oret, Præcepta faciam, prohibita caueam, permiſſa perferam, operata probem, conſiliis obtemperem. Et hoc ſit mihi gaudium, perficere, quod ſcio tibi beneplacitum.

Tertio, vt ſecundum *omnia conformis ſim tuæ voluntati*, etiam ſecundum voluntatem appetitus naturalis; Voluntatem ſenſualitatis etiam conditionatæ poſitionis, quæ aliud poteſt velle ſub conditione. ſ. ſi Deo placeret. Semper autem ſecundum voluntatem rationis Deo conformetur, quod neceſſarium eſt, & de eſſe ſalutis: vt aiunt Doctores.

Qvarto, vt *Voluntas omnis tua adimpleatur*, ſiue velimus, aut nolimus, in nobis aut à nobis. Fiat inquam in *peccatorum conuerſione*, per opus pœnitentiæ; *In conuerſorum ſanctificatione*, per munus gratiæ, *In ſanctificatorum ſaluatione*, per bonum perſeuerantiæ; *In ſaluatorum clarificatione*, per donum gloriæ. Oro vt velim, quia neceſſe eſt fieri, ſi decreueris, vel volueris.

Postremo, oramus fiat *ſicut in cælo, & in terra*: Non dixit, in me vel nobis, fac vt vniuerſaliter concludet, & orationem formet. Dicitur autem, *Sicut in cælo, & in terra*, Id eſt, *vel* ſicut in Chriſto, ita in Eccleſia. *Vel* vt in angelis, ita in hominibus: *Aut* vt in iuſtis, ita in peccatoribus: *Vel* ſicut in ſpiritu, ita & in carne. O igitur qui non niſi iuſtè vis, & quicquid vis potenter efficis, fac vt in me ſic fiat voluntas tua &c. Putant autem aliqui, quod adiectio huius orationis; ſc. ſicut in cælo, & in terra, applicari poſſet etiam cæteris ſingulis petitionibus.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

CORporis, &c. Postqvam orata ſunt quæ ad beatitudinem directè pertinent, & principaliter, iam petuntur, quæ ad eam ſpectant inſtrumétaliter: Et primum petitur *panis largitio*. Et quidem multiplicis panis: Nam Primo, petimus *panem corporalem*, neceſſarium ad corporis ſuſtentationem, per quem intelligitur omnis ſufficientia victus. O hunc panem da iuſtè habere, deuotè ſumere, bene conuenire: Nam & poſt prandium hoc oramus.

Secvndo, petimus *panes mentales*,

Scilicet
- *Panem pœnitentiæ*, ad reuelationem languoris.
- *Panem iuſtitiæ*, ad profectum operis.
- *Panem doctrinæ*, & intelligentiæ, contra famem erroris.
- *Panem Euchariſtiæ*, ad impinguationem amoris.
- *Panem gloriæ*, ad delectationẽ ſaporis.

Poſſet de ſingulis his panibus prolixior fieri materia deuotionis: Sed requiratur in aliis. O vtinam, vel micas dederit horum.

Tertio, in hac petitione innuitur *communis poſſeſſio*, cùm dicimus *Noſtrum*, Non. n. dicitur meũ, tuum, vel Angelorum, ſed noſtrũ. Et hoc *propter humilitatem*, qua omnes indigemus: Propter *communicabilitatẽ*, vt hunc nulli, tanquam proprium negatemus: Propter *vtilitatem*, quia propter nos factus: Propter *dignitatem*, quia ſoli homini datum conficere Chriſti corpus, non angelicis poteſtatibus.

Qvarto, da nobis dicitur, *vbi rationabilis petitio* commendatur. Dicitur. n. *nobis*, propter orationẽ mutuã, & ſubuentionem fraternam. Da aũt annectitur, vt gratuito accipi monſtretur;

tur; Nō enim noſtris meritis, nec vllo dat præmio ſperato ex nobis. Da ergo ô pie Pater (qui omnibus patribus carnis paterna viſcera inſpiras) panem neceſſarium concedendo; Da quaſi de manu tua ſumendo; & aliis vt panem diſtribuant. & frangant inſpirando, ne deficiamus in via.

POSTREMÒ, *Quotidianum* additur, quo ſuper multiplex ratio aſſignatur. Nam petimus quotidianum; *ne anxiemur ſollicitudine*, ſuperflua quærendo. *Ne à Chriſto ſeparemur* ex crimine, Euchariſtiæ perceptione abſtinendo. *Ne inuoluamur caligine*, à panis dijudicatione [*1. Cor. 11.*] ceſſando. Da igitur quotidie in tempore naturæ, & gratiæ, & gloriæ, quoniam ſemper illo opus habemus. Hęc ſuper petitione quarta. In quibus dictis innuuntur alia multa.

Et dimitte nobis debita noſtra ſicut, &c.

COmmiſſi, &c. POST petitiones boni dandi, ſequuntur orationes *mali auferendi*. Et primo petimus *amotionē mali præteriti* dicēdo. *Et dimitte*, &c. PRIMÒ, orando dimiſſionem omnium malorum *commiſſorum*; quæ. ſ. commiſimus, aut corde ore, vel opere; Aliorū conſenſu, aut permiſſione. Non enim ſolum, qui talia faciunt; ſed & qui conſentiunt, rei fiunt. [*Rom. 1.*] O igitur Sacerdos ſummè, & agne Dei, qui pro nobis reſpondiſti, qui pro debitis noſtris diluendis, te in ſacrificium obtuliſti, Dimitte omne commiſſum.

SECVNDÒ, dimitte omnia debita, etiam *omiſſione* contracta. Omiſimus. n. multa; ſcilicet, quę facere debuimus, potuimus, & propoſuimus: Vnde rei ſumus. O veniat ergo, veniat [*Leuit. 25.*] pie pater annus Iubilęus, recordare mortis ſūmi Pontificis, & remiſſionem fac peccatorum, & reduc exules in patriam, quia aggrauatum eſt nimis onus noſtrorum debitorum.

TERTIO, etiam dimitte omnia *debita doni*; ſcilicet quibus obligamur ſuper multis donis, aut beneficijs conceſſis, puta bonis naturalib. temporalibus, ſpiritualibus, quibus abuſi ingratitudine ſumus. Vel etiam *malis dimiſſis* puta peccatis & pœnis demeritis. Aut etiam pro *bonis promiſſis*, pro quibus omnibus debitores ſumus, & gratias debemus.

QVARTO, notanter dicimus. *Dimitte nobis*; ſc. debitoribus, qui ſine debitis non ſumus.

POSTREMO, conditionem annectimus; ſcilicet *Sicut & nos dimittimus*, &c. i. Sicut nos *vniuerſaliter, frequenter, ardenter, velociter, & perſeueranter, de cordibus, purè & propter te dimittimus*: Sic & tu dimitte; Imo plenius multo nobis. Verè fœlix offenſa fratrum, quam allegamus ante Deum, in defalcationem noſtrorum debitorum. O quā bonus & pius Deus, plenus viſcerum charitatis, vt dimittat omnia ſua, ſi dimiſerimus pauca fratribus; non tamen tam nobis quàm Deo debentibus.

Et ne nos inducas in tentationem.

COnſenſum, &c. HIC iam petimus amoueri malum, de proximo committendum, petentes *amotionem mali futuri. Et ne nos inducas in tentationem*, &c. Vbi PRIMO, petimus ne *conſentiamus tentationi*, ſiue aſtutia decepti, ſiue [*Iac. 1.*] cedamus afflicti; quaſi diceremus, O Pater miſerorum, qui intentator es malorum, etſi permittas nos quandoqne ad exercitium duci in tentationis ſenſum; non tamen oro permittas induci per conſenſum & aſſenſum. Nil nocet ſenſus; ſi non adſit conſenſus.

SECVNDO, hic oramus, *ne tentati deficiamus*; ſed virtutem det agoniſtis, tantum perſeuerandi, ne vincamur; dando gratiam triumphandi. Poſtremo ne deſeramur, & ſic pereamus. O igitur ne mens ſit decepta, affecta, aut tentatione deiecta, oramus ne à te ſit derelicta. Intus enim ducitur, quando intus à tentatione vincitur. Et hoc quando à Deo deſeritur.

TERTIO, non petimus quod non permittas tentari, quia *periculoſiſſima eſt tentatio, nulla tentatione pulſari*, quia inde oriuntur multa mala, vt cordis elatio, ſui inconſideratio, tentatorum incompaſſio, deſpectio aliorum, &c.

QVARTO, hic conſiderandum; licet tentationem ſingulariter dicatur, varia tamē ſunt hominum tentamenta, quę hoc nomine complectuntur, contra quæ hic oratur. nam

Mundus, caro, dæmonia, diuerſa mouent prę-
lia, &c.

Mundus tentat per proſpera & aduerſa; *caro* per carnalia deſideria, & laſciua. *diabolus* per varia deceptionum genera; Ita quod prorſus ſunt innumera: Pro quibus omnibus oramus, ne tentemur vltra id quod ferre poſſumus.

POSTREMO, notandum; licet tanta ſint & tam diuerſa tentationum genera, in ſingulari tamen petimus, quaſi liberari ab vna: Nam qui non inducitur in tentationem concupiſcentiæ, quę omnium eſt tentationum origo, per conſequens in nullam inducitur cæterorum. Dicit ergo, *Et ne nos inducas in tentationem*; dicit ſingulariter, quaſi dicere vellet: Libera à concupiſcentia, ne timeamus reliqua. Et hęc de petitione ſexta.

Sed libera nos à malo. Amen.

OFfenſa, &c. Hæc poſtremo oramus amoueri *præſens malum*, ad mala prædicta inclinatiuū. Nihil. n. prodeſt lauari à mortuo, & rurſus tangere eum. Petitur tamen generaliter amoueri omne malum. ET PRIMO, petimus liberari *à malo peccati aut culpæ*, quod eſt dehonoratiuum Diuinæ reuerentiæ; priuatiuum viſionis Diuinæ; aut impeditiuum gloriæ. O igitur bone Pater libera filium ab omni malo culpæ, ne vnquam te offendam, & mala pœnæ incurram.

SECVNDO, petimus liberari etiam *à macula peccati*, & eius reliquiis, aut peccatorū ſymptomatibus, & ab omnibus bonorum retractiuis impedimentis, & duci ad illum ſtatum, qui perficitur aggregatione omnium bonorum, & priuatione omnium malorum.

TERTIÒ, petimus liberari è *malo pœnę, ſupplicij*, vel tribulationis.

QVARTO, liberari petimus non ſolum à malo præſentis tribulationis; ſed multo amplius à *malo infernalis combuſtionis*: Cuius mala, licet ſint multa, ſunt tamen quædam principaliora.

Scilicet { Obſtinatio voluntatis, Priuatio claritatis, Cruciatio mentis, & corporis. }

Cruciatus ſunt adeo innumeri, vt dixerit Maro Æneid. 6.

Non mihi ſi centum linguæ ſint, oraq; centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprendere formas.
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſem.

Quos grauat duratio æternitatis. A quibus omnibus cupimus liberari, petitione huius orationis. Et non ſolum à pœnis inferni, ſed etiam purgatorij.

POSTREMO, liberari petimus etiam à malo diaboli, vt ſcilicet auferatur, ſi illo compediti ſimus. Et hinc dicitur non à *malis*; ſed à *malo*, id eſt à diabolo pernicioſo, à quo omnium malorum initium eſt, & origo: Ab hoc libera nos Domine.

ANNECTITVR finalis illa, & generalis concluſio. Amen ſcilicet, quod dictorum eſt confirmatio, vel petitorum exoptatio, &c. Quod ſi hic velimus aſſignare, quod huic orationi vt aiunt, eſt ſubtractum, nec reperitur in codice Latino; ſed habetur in Græco: ſcilicet, *Quoniam tuum eſt regnum, tua gloria, & virtus in ſæcula, Amen.* Videbimur forſan his, qui nihil legent errare: Sed legant Laurentium de Valla in ſuo correctorio; Imo legant Doctores Græcos: & Chryſoſt. in opere imperfecto. Et illic reperient ab eo poſitum, & pulchrè expoſitum, & orationibus præcedentibus annexum. Hæc ſufficiant pro qualicunque expoſitionis monimento. Eſt enim operæ pretium, quippiam habere, ad huius orationis, quam totiens frequentamus, intellectum.

Breuiter ſic explicat Ludolphus Carthuſienſis.

P*Ater noſter*, excelſus in creatione; ſuauis in amore; diues in hæreditate.

Qui es in cælis, ſpeculum æternitatis, corona iocunditatis; Theſaurus fœlicitatis.

Sanctificetur nomen tuum, Sit nobis mel in ore, cythara in aure; deuotio in corde.

Adueniat regnum tuum, iocundum, ſine permixtione; tranquillum, ſine perturbatione; ſecurum, ſine amiſſione.

Fiat voluntas tua, vt omnia quæ odis oderimus; quæ diligis diligamus; quæ tibi placent impleamus.

Panem noſtrum, &c. ſcilicet doctrinalem; pœnitentialem, & virtualem.

Et dimitte quęcũque contra te commiſimus, aut contra proximos; aut noſipſos.

Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, qui nos offenderunt verbis, in perſonis aut rebus.

Et ne nos inducas in tentationem, carnis, mundi, dæmonis.

Sed libera nos à malo pręſenti, præterito, & futuro. Amen.

HÆC de oratione Dominica tetigimus pauca, de qua poſſemus adijcere multo plura quomodo videlicet. A quodam oratio hæc inter cætera effertur, à plenitudine, & fœcunditate: adeo vt tametſi grande quippiam crepitant Græci, & inflatis buccis Chiaſmum illum Demoſthenis, quo in Philippum Macedonem vtitur extollant; Huius tamen orationis collatione, ſterilis eſt & infœcundus: vt latè deducit.

Itemque de diſtinctione harum petitionum; vt ſcilicet ad Patrem, Filium, Spiritum Sanctum dicatur.

Sanctificetur	quæ petit	Templum & ſacerdotium.
Adueniat		Regnum & ſolium,
Fiat volantas		Thalamum & coniugium.

Rurſuſque contra tria obſtacula ad Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum dirigatur.

Panem noſtrum	quia	Filiorum ſollicitus Filium mittens.
Et dimitte		Sacerdos magnus Agn⁹ peccata tollẽs
Et ne nos		Spiritus in deſertum tentandũ inducẽs.

Sed libera nos à malo: Ad totam ſimul Trinitatem, propter triplex appropriatum.

DISTINCTIO HVIVS SECVNDÆ PARTIS

TERTIA,

CONTINENS DE SANCTIS IN GEnere, & de ſingulis eorum ordinibus meditabilia.

Titulus primus, ordine decimus nonus.

DE ANGELIS.

PROLOGVS.

L*euaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi*, Pſal. 120. QVONIAM proximi poſt Deum, & eius Matrem ſunt *Sancti* illi montes, in monte Domini conſtituti: Ideo de his tertia huius ſecundæ partis noſtrę diſtinctio contexenda, & exemplarium conſiderationum oculi in eos ſurrigendi, vt auxilium ſentiamus. Nō neceſſe iam habemus repetere inductiua, cur crebrius ad Sanctos conuertere, oculoſq́ue in ipſos montes vibrare deberemus quoque nos in Sanctorum feſtis exercitare poſſemus: Abundè enim & plus forſan quàm ſatis, de his egimus in feſtilogio ſupra. Sed alterum quiddam hic nobis exercitij genus eſt aſſignandū; quod ſcilicet non in Sanctorum feſtis modo,ſed in omni tempore, & loco,congruat exercitationi:Tanto altero facilius,quanto compendioſius illo, & non infructuoſum tamen. Et eſt(vt tangitur in verbis Pſal.) Leuaui *oculos in montes.* Sunt autem triplices oculi in eos leuandi.

Scilicet { Affectus, / Intellectus, / Corporei ſenſus } per { Affectuoſam ſuſpirationem. / Attentam conſiderationem. / Corporalem exercitationem. }

PRIMO inquam, & præcipué oculi affectuum, in Sanctos ſunt ſurri-
Iob.16. gendi,tempore & loco omni:vt.ſ.iuxta Iob ſententiam,quanquā non ſtabiliter,& aſſiduè Sanctorum meminiſſe poſſimus; ſaltē *ſtillet oculus* noſter poſt eos,per ignitorum & ſeraphicorū ſuſpiriorum, & gemebundam iaculatoriarum orationum frequentationem.Grandis namq; eſt huiuſmodi iaculatoriarum orationum (teſte Aurelio Aug.) virtus, quę & intimius emittuntur,facilius exaudiuntur, crebrius exercitantur: prout in ſuperio-

ribus

Digitized by Google

ribus tactum. Nouit hoc Pelecanorum illorum Ægyptiacorum chorus, Patres in ſimilitudine loquor, quorum familiariſſimum ſtudium erat, per huiuſcemodi mentes ſubleuare in montes, aut in ipſum montium Deum. Quorum & nos ſtudijs incitati, ſectemur exempla eorum: vt ſcili-
1.Tim.2. cet in omni loco etiam in medijs laborum tumultibus, puras leuemus ad Deum manus, ardentes vibremus oculos in montes: vt auxilium nobis deueniat de cœlis. Et ne quiſquam excuſationes ſuæ ignauiæ aut inſcitiæ, prætendat, ne dicat ſe deſiderare neſcire, quod nulli tantum difficile, quippe quo factu facilius nihil: Ideo quidam huic ſtudio deditus, certa quædam & inflammatoria in Sanctos, ex ignita illa ſcripturarum ignitarum fornace, iacula collegit, quibus potiſſimum in Sanctorum feſtis; imò vt diximus loco, & tempore omni, affectuum oculos in ipſos ſubleuemus: Quæ tanto (Guilielmo Parriſien. teſte,) ſunt ad impetrandum efficaciora, quanto ex fornace ardentiori ſunt conflata; ſcilicet ex ſcriptura diuina, cu-
Pſa. 118. Pſa. 11. ius (vt loquitur Dauid) eloquia prorſus ſunt ignita valde; id eſt igne ſeptuplum examinata. Ponimus autem ſolum horum punctorum paucula: Nam qui plura volet, facilè horum inſtar poterit ſibi aggregare copioſiora: Et ſunt iſta,

Langueo, rorate, propter Dauid miſerere, &c.

Aſpice, dimitte, trahe me, memorando, rogate.

Cant. 2. Eſa. 45. *Langueo*, hoc eſt, exclamandum eſt, *Annunciate dilecto meo, quia amore langueo*, ſcilicet ſociari Sanctis in cælo, &c. *Rorate*, ſcilicet, *cæli deſuper* gratiæ
Pſa. 131. rorem impetrando &c. *Propter Dauid ſeruum tuum*. i. Sanctum hunc quem veneror & colo, *ne auertas faciem*, &c. *Miſerere*. i *miſeremini mei, miſer. mei,*
Iob. 19. Pſa. 118. *ſaltem vos a. mei.* in quos leuantur oculi &c. *Aſpice in me & miſerere mei, ſecundum iudi. diligentium nomen tuum; Sanctorum* ſcil. Dimitte .i. *loquimini pro*
Matt. 15. *nobis vos*, dicendo Domino, *Domine dimitte illam, quia clamat poſt nos.*
Cant. 1. Gen. 40. Pſa. 141. *Trahe me poſt te*, &c. Memorando, id eſt, *memento mei, dum bene tibi fuerit* &c. *Rogate quę ad pacem ſunt Ieruſalem*, &c. Qui his modis oculos in Sanctos leuaret, bene auxilium ſentiret. O igitur deſideremus deſiderantes nos; Omnes enim ſancti votiuè deſiderant nos, ſcientes ſe non conſummandos ſine nobis: Et debent fieri huiuſmodi ſuſpiria exclamando, optando, ingemiſcendo per, *o vtinam*, quando, heu, & ſimilibus affectiuis.

VERVM quoniam diu non poteſt durare ſancta affectio; imo vix haberi, quam non nutrit, aut certè parit, deuota cognitio, (naturaliter enim cognitio præit affectionem, &c.) Ideo oportet, vt etiam oculos intellectus, in hos montes ſæpius leuemus; videlicet per attentam eorum conſiderationem, vt inde nobis formemus ſacram affectionem. Hinc interdum, etſi non ſemper ingredi habemus ciuitatem illam ſupernam, circuire in ta-
Pſa. 26. bernaculo eius, attendereq́; quæ ſe offerunt circa ſingulos Sanctorum ordines conſideranda; Puta, eorũ denominationes & merita, eorum glorias, priuilegia & beneficia, & huiuſmodi plura, ex quibus tunc conſequenter formanda ſunt affectuum ſuſpiria.

At ne & hic quiſpiam ad excuſandas excuſationes confugiat, dicendo ſe cęcum & meditationis ignarum: Item qui poſſet meditari de Sanctis, cum tam procul & mente, & corpore abſit illis? Occurrimus, & huiuſmodi, colligentes, in ſequentibus ex Sanctorum hincinde dictis, meditabilia quædam de ſingulis Sanctorum ordinibus, quorum inſtar poterunt col-

ligi multo plura ab aliis. Et poterunt exerceri, & reuolui per ſingulos dies poſt veſperas, ante mendicationis ad Sanctos exercitium. Sunt enim ſecundum ſeptem Ferias, ſeptem & ordines à nobis diſtincti Sanctorum. Hoc dicere audemus, qui ſe exercuerit in minimis collectis iſtis, illuminabitur à montibus ipſis, in quibus Sol refulget, ad ſcienda multo ampliora & ſubtiliora, & ad hoc vſque deducetur: vt dicere cum Apoſtolo poſſit, *Noſtra conuerſatio eſt in cælis.* &c. Pſa. 75. Phil. 3.

Poſuiſſemus autem meditabilia hęc ſub forma Roſariorum; ſed verebamur ne ad numerum certum coarctati cogeremur, eſſe obſcuriores. Qui per modum Roſariorum ea legere volet, facilè hinc colligere poteſt. His ergo & huiuſmodi meditabilibus, oculos intellectus in montes leuemus, Pſa. 120. & auxilium à Sanctis, quos tunc videmus, ſentiemus; videmus, dico: Memoria enim noſtra, oculus noſter hic eſt, ait Bernardus. Poſtremo quoniam ſæpe inepti ſumus, & indiſpoſiti ad vtrumque; ſcilicet vel affectum, aut intellectum ſubleuandum; non tamen ab hoc exercitio ideo deſiſtendum. Et hinc de ſingulis Sanctorum ordinibus dulces poſſemus ſubijcere poſt meditabilia odas, à quodam, cui hoc exercitium familiare, ex noſtris confectas; ſed breuitati ſtudendum.

Meditabilia de Angelicis ſpiritibus in genere & ſpecie.

CAP. I.

Mat. 6. **R***Eſpice volatilia cæli.* Saluator. CONSIDERABILIA de Sanctorum ordinibus poſituri, primo de Angelis Domini eſt agendum; Ipſi enim ſunt *principes, qui præuenerunt,* Pſa. 67. ſcilicet cæteros Sanctos, & forſan ſicut tempore, ita & ſecundum aliquem modum dignitate. Ad quorum diligentem conſiderationē, admonet nos Dominus, in verbis præmiſſis; vbi per *volatilia cæli*, ſecundum expoſitores, & diuum Ambroſium ſub allegoria, deſignantur Angeli ſancti. Circa quos licet innumera ſe offerant conſideranda; non tamen niſi pauca & deuotiora, à nobis ſunt perſtringenda: Inter quæ ſi occurrant quædam ſublimiora, neminem mouere debet; Nam debemus etiam (ait in expoſitione ſua ſuper angelicam Hierarchiam diuini Dionyſij Scotus) ſublimia Angelorum meditari, licet ſimus puluis & terra; vt in eis oblectemur, fiatque vita hæc nobis faſtidioſa, & ad ſortem tantæ beatitudinis aſpiremus. Alioquin nihil proderit, ſi hæc tepido corde memorantes, angelicam fœlicitatem videamus, & ad eam quantocius perueniren ō feſtinemus. Ad ergo hoc etiam memoranda ſunt Angelorum ſublimia: vt aſpiremus ad eorum conſortia. Hæc Doctor ſubtilis in Commentario vbi ſupra.

Sed ne ſtultorum more, ante narrationem præfluamus, & in narratione ſimus ſuccinctiores: ad rem veniendum, & quæ circa Angelos conſideranda ſunt, in genere aſſignanda. Et complectuntur hoc vnico verſiculo meditabilia tractanda, ſcilicet,

Sunt quales, quid, agunt, præſtant, ſeruant, quia diſtant.

Debemus enim conſiderare circa Angelos.

Eſſentiæ veritatem,	ſcilic.	quia ſunt:
Conditionis circunſtantionalitatem,		qua conditi ſunt;
Actuum varietatem,		quid agunt;
Priuilegiorum dignitatem,		quàm digni ſunt;
Miſſionis & cuſtodiæ modalitatem,		qualiter cuſtodiunt;
Ordinum, & hierarchiarum diſtinctionem,		quomodo differunt.

De quibus ſingulis membratim proſequendum. Et primum de eo, quia ſunt. Sed ne ex ignotis procedamus, *primo quid ſit Angelus* diffinitiuè præmittamus, & vtrum à nobis noſci poſſint, videamus: Et certè Thomas, Ægidius de Roma, & alij quidam, putant horum cognitionem non poſſe naturaliter haberi: Sed Dominus Albertus, cum potiſſimis peripatecis multis, contrarium cēſet, cui & modernorum aſſentiunt plures. Sed eſto hoc vtcunque. Vnum hoc pro certo habemus, quod ad eorum notitiam, ſic ſe habet noſter intellectus, ſicut oculus noctuę ad lumen ſolis; ita quod nec prorſus ignoret; ſed nec perſpiciat eos plenè adeo vt lucidiſſimus ille Bernardus præter nomina ferè, dicit cognoſcere de illis nihil. Diffinitur autem Angelus ſic à Damaſceno. Angelus (inquit) eſt ſubſtantia intellectualis, ſemper mobilis, libero arbitrio, incorporea, Deo miniſtrans, immortalitatem ſuſcipiens, non ſecundum naturam, ſed ſecundum gratiam. Angelus quid.

MEMBRVM I.

Conſiderabilia de Spiritibus angelicis in ſpecie, & primo quod ſunt.

LAudate eum in virtutibus eius, &c. Pſa. 150. id eſt (iuxta quoſdam expoſitores) in angelicis ſpiritibus virtute præeminētibus; quare & crebrius (Dionyſio teſte) virtutum nomine compellantur. Vt itaque in his Deum laudemus, oportet vt primo quia ſunt conſideremus. Angelos autem eſſe ex his probabile eſt.

Scripta, fides, Sancti, gentes, monſtrant rationes.

PRIMO, probabile eſt angelos eſſe *ex ſcriptura*, quæ crebrius commemorat huiuſmodi ſpiritus ſacros: vt patet ex eius diſcurſu.

SECVNDO, ex fide catholica quæ hoc tenet,

TERTIO, ex Sanctorum doctrina, quæ hoc ſtabilit & affirmat.

QVARTO, ex anctoritate gentili & pagana, quæ fere omnes, maximè autem Platonici, & Peripatetici, huiuſmodi ponebant, quos intelligentias, aut eudemones, vel calodemones nuncupabant.

POSTREMO, hoc monſtrabile eſt ratione varia. Et præſertim ex iſtis:

Parte, ſtatuſque gradus, actus, mundi, rationis.

PRIMA ratio ſumitur ex perfectione vniuerſi; propter ſcilicet ſtatus generalitatem: Nam prius eſt, quod eſt naturale & per ſe; quàm illud quod non eſt naturale, ſed per accidens: Atqui non eſt naturale animę, quod ſit à corpore ſeparata, ſed ei connenit per accidens eſſe ſeparatam: ergo oportet dare ſpiritum cui per ſe conueniat eſſe, & per ſe ſubſiſtere ſine corpore: & talis eſt ſpiritus angelicus &c.

Secundo, probatur quod ad perfectionem vniuerſi neceſſe eſt Angelos eſſe propter gradus integritatem. Nam ad perfectionem mundi, requiritur, vt omnis gradus creaturarum reperiatur: Inuenitur autem ſpiritus vnitus corpori, vt in homine; & corpus inuenitur ſeparatum à ſpiritu, vt in lapide; ergo oportet, quod ſit etiam ſpiritus ſeparatus à corpore, vt eſt Angelus. Cuius ea eſt ratio, quia ſi inuenitur quod minus perfectum, ergo & quod magis perfectum &c.

Tertio, probatur propter actus puritatem quia perfectum, prius eſt imperfecto: Ergo ſi reperitur aliquis ſpiritus imperfectus, qui ſc. eſt forma, vel actus materiæ, eo quod ſine materia per ſe non habet eſſe completum; oportet etiam quod ſpiritus aliquis inueniatur, qui ſit actus completus per ſe ſubſiſtens, abſque aliqua materia corporali, qualis eſt angelicus.

Quarto, propter gubernationis mundi neceſſitatem; neceſſe enim habent tot orbes, habere congruos & proportionatos motores, quales ſunt angeli ipſi: vt latè ſuper 2. ſententiarum docti deducunt.

SECVNDA ratio ſumitur propter rationis, vel potius intellectus claritatem: Sicut enim perfectum eſt ante imperfectum; ita claritas eſt ante obſcuritatē, & lux ante tenebras; Sed modus intelligendi animę imperfectus eſt & obſcurus, cum ſit cum phātaſmate, vt communiter; ergo oportet prius dicere, & eſſe intellectum, qui intelligat clarè & ſine phantaſmate, qualis eſt angelicus intellectus. Nam (vt dicit Damaſ.) Angelus eſt ſpeculū clariſſimū, recipiens in ſe, ſi fas eſt dicere, totam eſſentiam Dei, &c. Hæc de eſſentiæ naturæ angelicæ veritate; quia ſc. angeli ſunt, quod & alus compluribus poterit viis perſuaderi, qualibus Gerſon in de illuſionibus dæmonum, demones eſſe perſuadet; ſed nobis ſufficit, vel paucas cum Raynerio aſſignaſſe, non tam rationes quàm ſuaſiones; quippe quibus de intellectiuis paruum ſtudium, de affectiuis autem cura conſiſtit omnis.

MEMBRVM II.

Quales ſint ſancti Angeli.

QVi facis angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem. Pſ. 103. POST eſſentiæ veritatem de conditionis angelicæ agendum eſt qualitate, & circunſtantionalitate: Vbi valde multa ſe ingerunt conſideranda; ſcilicet hæc circunſtantia.

A quo, quando, & vbi, cur quales, quomodo ſacti

PRIMO, conſiderandum *à quo* ſint conditi; quia ab omnium conditore Deo, quo ſine factum eſt nihil; iuxta illud, *In principio creauit Deus cælum & terram*, id eſt, ſpiritualem angelicam naturam; & corporalem materialē, &c. producens duo extrema, ſ. nobiliſſimam & viliſſimam; ſupremam & infimam; angelicam ſcilicet naturam, & materiam informem, ad maiorem ſuæ potentiæ expreſſionem, & elucidationem. Grandis hic dignitas notatur angelicæ naturę, immediatè & primo omnium formari à Deo. Io. 1. Gen. 1.

SECVNDO, tempus, *quando ſunt conditi*, quia *in principio*, ſc. temporis, ante quod nihil creatum. Licet Gregor. Nazianzenus, & alij quidam ex Græcis, dicant eos conditos ante omnem creaturam, & omne tempus, quod itidem & Aug. 12. confeſſionum, quibuſdam ſenſiſſe videtur, vbi materiam primam penitus informem, & naturam angelicam plenam formis, dicit non eſſe temporales; ſed duo illa fuiſſe carentia tempore. Verum doctores Latini, Moderni, quatuor ponunt coæua, ſ. Angelos, Cęlum empyreum, Tempus, & Materiam primam; vnde angeli non ante, ſed cum tempore creatos dicunt. Sed abeant iſta, nolumus curioſis immorari.

TERTIO, conſiderare habemus *locum vbi conditi*, quia (vt aiunt) in empyreo cœlo. Et hoc valde congruenter: vt latius infra dicetur. Sed hic videndum ſi ſic, quomodo ante omnem creaturam ſecundum Græcos? niſi forſan dignitate ſolum, &c.

QVARTO, cauſam *cur ſint conditi*: quia propter Deum; Omnia enim Deus fecit propter ſeipſum; licet & ex conſequenti, propter perfectionem vniuerſi. Sunt enim principaliter, ſicut & homines, conditi ad Deum cognoſcendum, amandum, & laudandum: vt pulchrè de omni rationali creatura deducit B. Auguſt. Prou. 16.

QVINTO,

Digitized by Google

QVINTO, videndum *quales ſint creati*: Sed quid de Angelorum qualitate dicemus, quorum vix vel pauca nomina tenemus, & forſan id totum eſt quod habemus? Inueſtigemus tamen (monet Bernardus) inueſtigemus & ſcrutemur profunda fluuiorum, & quid Sancti dicant audiamus. Dicit enim de his Iſidorus: *Angeli ſunt ſubſtantia ſpirituales, natura mortales conditi; ſed contemplatione immortales facti; Animo impaſſibiles, mente rationales, fœlicitate ſecuri, futurorum praſcij, iuſſu mundum regunt, miſſi corpora aerea aſſumunt, in caleſtibus commorantur.* De quibus & beatus Bernardus in ſuo quarto de conſideratione annectit dicens: *Hos nouimus ſpiritus eſſe potentes, glorioſos, beatos, diſtinctos in perſona, diſpoſitos in dignitate, ab initio ſtantes in ordine ſuo; Perfectos in genere ſuo, immortalitate perpetuos, mente puros, affectu benignos, religione pios, vnanimitate indiuiduos, pace ſecuros, Dei laudibus & obſequijs deditos*: vt inquit legendo comperimus, & fide tenemus, quibus & competunt iſta ſcilicet eſſentiæ ſubtilitas, intelligentiæ perſpicacitas, liberi arbitrij facultas, agilitas, & velocitas. Qui omnes promptè Deo obediunt, maiores ſine elatione præſunt; minores ſine vitio ſubſunt; Qui cum ad exteriora exeunt; ab interiore contemplatione non recedunt. Omnem virtutem inferiorum ſuperiores participant; qui præcellunt in natura, præcellunt in gratia & gloria: Vbi in eodē ordine, alij aliis creduntur digniores. Duplicem habentes viſionem, matutinam, ſcilicet & veſpertinam. Illuminationes quas ſuperiores ſuſcipiunt, alus tribuunt, &c. Hæc de angelorum qualitate. In quibus verbis ex diuerſis Doctorum ſcriptis compactis tametſi breuibus, ferè comprehenditur omnis illarum multarum quæſtionum, quas de angelis docti tractant, cumulus; vt puta dum quærunt quales ſint conditi, quoad naturam & gratiam; quales quoad intellectum & cognitionem; quales quoad voluntatem & dilectionem; quales item ad corpus aſſumendum, ad locum, tempus, motum, & ſitum & huiuſmodi multa. De quibus qui particularius inſtrui volet, ſcripta Doctorum ſuper 2. Sententiarum, & cæteros doctorum tractatus hic legat; non nobis eſt huiuſmodi immorandum, ad affectuoſa properandum.

Iob 38. Angeli quid.

HOC tamē ſpecialius dicimus, in quo plura includuntur, quod tales ſunt quoad conditionem; ſcilicet,

Simplex, diſcretus, rationalis, quoque liber.

Primo .n. eis cōuenit eſſentiæ ſimplicitas; ſecūdo diſcretio perſonalis; tertio per rationem inſitā memoria, intelligentia, & voluntas; quarto libertas arbitrij, ad eligenda bona & reſpuēda mala. Quæ quattuor attributa principalia iuxta Bonauent. concomitantur quatuor alia,

Scilicet { Virtuoſitas in operando; Officioſitas in miniſtrando; Perſpicacitas in cognoſcendo; Et immutabilitas poſt electionem, ſiue in bono, ſiue in malo. }

Et hæc do angelica natura, quoad *conditionem*.

QVOMODO autem ad *confirmationem* eorum, tenendum iuxta eundem, quod ad Deum conuerſi, ſtatim ſunt confirmati per gratiam & gloriam in volūtate; perfectè illuminati in ratione ſecundum cognitionem matutinam, & veſpertinam, perfectè fortificati in virtute, ſiue motiua, ſiue operatiua, perfectè ordinati in operatione, ſiue cōtemplatiua, ſiue adminiſtratiua, ſecundū triplicē hierarchiā, vt pulchrè in breuiloquio deducit Seraphicus iſte Doctor. Et hæc de angelorum differentiis & qualitate. Iam videndum de poſtrema circunſtantia, ſc. de modo creationis eorum, quomodo ſcilicet ſint creati: Et quidam textus habet, Quia *dixit Deus fiat lux* .i. angelica natura ſecundum explanatores, & *facta eſt lux*.

De varietate Angelicorum officiorum vel actuum.

CAPVT II.

B*Enedicite omnes Angeli Domino, potēſtes virtute, facientes verbum illius*, Pſal. 102. IAM videndum de angelicorum actuum, ſeu officiorum varietate, vt ſcilicet, vbi nouerimus ex parte quales ſunt, ſciamus etiam quid tales agant. Et certè inuenimus quod erga varios, varia officia habent, ac per hoc & varia agunt. Habent enim actus ad iſtos, ſcilicet

Ad Dominū, ſociumq́, hominem, factū ſathanāq́.

MEMBRVM I.

De actibus angelorum quoad Deum.

QVoad Deum autem, hæc eis officia competunt, prætereundo cætera, ponendo deuotiora:

Aſtant, conſultant, laudant, mirandoq́, parent.

PRIMVM officium eſt *Diuina præſentia aſſiſtendi*, & eius contemplationi intendendi. Nihil autem aliud eſt *Deo aſſiſtere* quam immediatè eius pręſentiam videre, & agnoſcere ſecreta, & quia hoc omnes angeli agunt, omnes aſſiſtunt, quia clarè & immediatè vident: iuxta ipſius Domini verbū, *Angeli eorū ſemper vident faciem Patris.* Prout autem aſſiſtere idem eſt quod intimè contemplari, & Deo in illuminatione cæterorum cooperari. Matt. 18.

SECVNDO, Deum de inferiorum gubernatione *conſulunt*, dum in omnibus eius voluntatē aſpiciunt, quam præter nihil exequūtur. Conſulunt (dicimus) Deum, dum in eius faciē intendūt, quem vidiſſe eſt omnia didiciſſe: Legunt igitur in Dei facie & conſulunt, tanquā in libro firmiter viderint cōplacitū ſuæ volūtati.

TERTIO, Deum *laudant*. Iuxta illud Eſdr. *In excelſo throno vidi ſedere Virum quem adorat multitudo angelorum pſallentium in vnum.* Nam hoc proprium eſt officium angelorū, quod ab initio egerunt, agunt, & ſunt acturi. Hinc Iob Dominus dixit, *Vbi eras cū me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* i. Angeli &c Et in Apoc. *Stabant omnes angeli in circuitu* &c. Vt dicit Eſa. *Requiem non habebant, ſed clamabāt, Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Hinc ſe laudantibus reddunt tam familiares. O quo ſpiritus Iob. 38. Apoc. 7. Eſa. 6.

impe-

impetu putas clamare ſpiritus illos beatos, veros laudatores, quia veri rerum æſtimatores. O ſi audire daretur, non ita obtorpeſceremus in laudibus Dei.

QVARTO, inceſſanter quod vident & laudant, non tantũ mirantur; ſed admirantur. Nã (vt diuus Greg. 2. Moralium dicit) Cum beati Angeli Dei eſſentiam, & excellentiam vident, & hanc propter ſui infinitatem comprehendere non poſſunt, laudantes & admirãtes in eum ſuſpenſi manent. Et eſt horum conſideratio, non tam ignotæ rei ſtupor, quàm grandis æſtimatio cognitæ, ſed non comprehenſæ rei.

POSTREMO, mira velocitate Diuinæ voluntati parent, voluntatem quam inſinuat, nutu citius adimplendo: iuxta illud Pſal. 102. *Qui faciũt verbum eius* Scilicet, quis dicet, quomodo faciunt verbum eius, quantave pareant velocitate? O qui ſemel vel tenuiter vidiſſet, quanto ſtudio obedientiam hi Angeli Deo pręſtant, nunquam inobediens eſſet. Hæc de Angelicis actibus erga Deum.

MEMBRVM II.

De actibus Angelorum quos habent ad inuicem.

SECVNDO, agendum eſt de actibus quos ad inuicem inter ſe habent. Quorum aliqui hoc verſiculo continentur.

Purgans, illuſtrat, perficit, eſt ſanus, ordoque purgat.

PRIMO, n. ſuperiores (teſte Dionyſio) *purgant inferiores.* Nam ſicut corpora ſuperiora, in inferiora agunt; Ita & angeli ſuperiores, operantur ad purgationem inferiorum. Purgant dico non quidem à culpa, nec ab immunditia, quæ in angelis locum non habent; ſed purgant, *vel à neſcientia*, Inquantum ſuperiores docent inferiores de his, quæ neſciunt, vt diſcipulos magiſtri: *Vel purgant à diſſimilitudine*, & potentiæ intellectiuæ confuſione: Vnde Angelorũ purgatio (iuxta Albertum) nil eſt niſi roboratio, vel confirmatio potentiæ intellectiuæ, virtute luminis ad perſiſtendum in vno. Offerrent hic ſe plura inquirenda; ſed quia magis ſunt curioſa, quam deuota, ergo iſta ſufficiant.

ALTER actus eorum eſt *illuminatio.* Nam Angelus ſuperior in notitiam alicuius rei, quẽ inferior neſciebat, eum deducit, & hoc eſt illuminare. Nec eſt hęc illuminatio, quantũ ad Diuinam viſionem, quippe quam omnes immediatè vident; ſed intelligitur quantum ad cognitionem quorundam effectuũ contingentiũ, de quibus ſuperior plus quam inferior noſcit; vtpote de diſpoſitione vniuerſi, & Eccleſiæ myſterijs & huiuſmodi.

TERTIVS eorum actus eſt *perficere*, hoc eſt perfectam notitiam eius, quod potentialiter ſciebat, & actualiter ignorabat, ſicut in finem vltimum, & completum deducere. Et hi tres actus dicuntur hierarchici, & ſimilitudinariè ſic ſumuntur. Nam ſicut in illuminatione corporali ſunt tria.

Scilicet { Obſcuritatis remotio, vel excluſio
Luminis & claritatis infuſio,
Cognitionis conſecutio.

Et dicimus viſum corporalem purgari, inquãtum remouentur tenebræ; illuminari inquantum infunditur lumine; perfici ſecũdum quod producitur ad cognitionẽ colorati: Ita eſt in actibus iſtis: nam dum ſuperior Angelus ab inferiore ignorantię tenebras pellit; dicitur purgare; dum aliquid ei per quod inſtruatur, tradit, dicitur illuminare; tertio dum in actualem veritatis cognitionem deducit, dicitur eum perficere. Hoc tamen tenendum eſt, quod ſolus Deus hos actus facit effectiuè, ſed angelus diſpoſitiuè, vt Doctores declarant. Et nota, quod tanta charitate hos actus, interioribus ſuperiores communicant, quod nihil incommunicatum relinquant. O vtinam & in nobis hos actus agere velint.

QVARTVS actus angelorum eſt inuicem loqui. Nam & ipſi ſuas habent linguas, Apoſtolo dicente, *Si linguis hominum loquar, & angelorum charitatem*, &c. Et dicit Zacharias, Quod vnus Angelus dixit ad alterum. Vnde patet quod locutio eſt in eis. Et iure, Nã quod poteſt virtus inferior, multo fortius, & nobilius ſuperior poteſt. Vnde multiplex eſt locutio eorum: Loquũtur. n. ſibi inuicẽ inter ſe; loquuntur Deo, & Deus eis, & loquuntur hominibus. Nihil aũt aliud eſt vnum angelum loqui alteri, quam cõceptum ſuũ manifeſtare illi. Vnde cui Angelus vult ſuũ conceptũ manifeſtare, illi dicitur loqui; cui non vult, non dicitur loqui. Angeli autem Deo loquuntur, vel eius voluntatem conſultando, aut eius excellentiam laudando & admirando: Et ſic clamant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, &c. Et hæc locutio laudis eſt continua; non autem illa quæ conſultando fit, niſi quando per eos noua aliqua ſunt agenda. Loquitur autem eis Deus vt magiſter, vel Doctor diſcipulis, occulta ſua eis manifeſtando. Loquuntur angeli hominibus inſtinctu, voce, ſenſu, vel imagine, mẽte, & quandoque in forma vocaliter loquendo; Quandoque ſine forma humana, in viſionibus variis apparendo. Et hoc vel in viſione sẽſitiua; vt Moyſi in rubo; vel in viſione imaginaria, vt Hieremiæ, &c. Aut intellectiua, & ſic de alijs. Tertio loquuntur ſine reuelationibus, ad bonum inſtigando, & illuminando. Omnis enim bona inſpiratio, vel Dei ipſius, aut certè Angeli boni eſt ad animam locutio. O aurem cordis eis aperiamus, ſolliciti aduertamus, quia verborũ illorũ contemptus, nõ abibit impunitus. Poſſent de hac loquutione Angelorũ inter ſe plura dici, quam ſcilicet diuerſimodè ſuperiores inferioribus, ſed per illuminationem, inferiores item ſuperioribus, per aduertentiam, & quandam interrogationem loquuntur. Sed ſufficiat ſaltem tetigiſſe.

1. Cor. 13.
Zach. 2.
Esa. 6.
Exo. 3.
Ier. 14.
Iob. 38.

QVINTVS actus eſt ordinabiliter, & bene conuiuere. Sed ô quis vitam angelicam loquetur? Quis ordinem vitæ illius dignoſcet, & ponet in terris? balbutire tamen parum habemus. Viuunt itaque inuicem, ordinabiliter, ſocialiter, & humiliter. Nam ſic viuere, teſte Bernardo, eſt bene viuere. Nulli dubium quin

illi

Digitized by Google

illi tanto viuant melius; quanto fœlicius, & beatius. *Ordinabiliter* itaque viuunt, vnuſquiſque in ſuo ordine, & ſeruitio perſeuerat perpetuè; nec vel ad momentum ab illo ſibi iniuncto recedens. Nam Dionyſius ait: Non eſt fas vt quis operari præſumat, quod ad ſuum ordinẽ vel officium non ſpectet. *Secundo ſocialiter*, hoc eſt amicabiliter, & pacificè, vnde Iob 25. *Qui facit concordiam in ſublimibus*. Inter hos enim numquam diſſenſio, aut inuidia vlla. O pacem exuperantem omnem ſenſum. O amicitiam nunquam interturbatam. O lætiſſimam conuerſationem. O verè beata & pacifica ſocietas, in qua ſumma tranquillitas: In quibus nil niſi pietas, quos ſumma replet charitas. O verè conuerſatio læta, vbi ſemper dulcis reſonat melodia. *Tertio, viuunt inuicem humiliter*. Nam qui præſunt non ſuperbiunt, & qui ſubſunt non zelantur. Inferiores obediunt ſuperioribus ſine rancore, quia & ſuperiores præcipiũt inferioribus, non faſtu; ſed amore. Quorum vitæ ſi aſcribi cupimus, oportet vt & nos Angelicè viuamus, & formam eorum habeamus; vt ſcilicet & nos iuxta quod Bernardus admonet, ordinabiliter, ſocialiter, humiliter nos geramus.

POSTREMO, reperitur & alius actus in angelis, qui eſt *pugna*: Nõ ſolum autem ad diabolum de quo non hic iam locus, ſed inuicẽ inter
Dan.10. ſe. Ná inuenitur angelus bonus, reſiſtere angelo bono. Ná Danieli Michael princeps Iudæorum, loquens de Angelo Principe Perſarum, dicit ſic: *Princeps regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus*. Qui tamen ambo (vt Gregorius in moralibus ait) boni angeli fuere, licet pugnam, & diſcordiam habuerunt ad inuicem. Quorum pugna nihil aliud fuit, quã diuerſa meritorum populi relatio, ſuper quibus vterque Angelus Diuinam conſulit voluntatem. Nam angelus Iudæorum, allegabat Iudæorum pœnitentiam, & populi, qui eos detinebant iniuſtitiam, & ideo eorum liberationem petebat. Econtra vero angelus Perſarũ, dicebat Diuinum cultum, & nomen per Iudæos publicari, & ideo conueniens eſſe, vt ibi adhuc maneret, & ſic quodammodo liberationem Iudæorum impediebat. Talis ergo contraria allegatio meritorum, erat pugna angelorum. Et quia non ſtatim Deus voluntatem ſuam de ijs reuelauit; ideo dicitur, quod vnus alteri tanto tẽpore reſtitit; quãquam fuerint, qui hos angelos dicerent non ambos bonos; ſed alterum bonum, alterum malum, vt in collationibus Patrum. Hæc de angelica pugna & operatione mutua.

MEMBRVM III.

De actibus Angelorum erga homines.

TERTIO, erga homines quoſdam actus habent, Qui licet ſint multi: hic tamen principaliores ſolum notantur, & ſunt iſti.

Præſunt, conſeruant, poſſunt, fluxuq; manebunt.

PRIMVS actus, generalis *præſidentia*, quia Principes eorum conſtituti. Et hoc ex diſpoſitione, & natura angelica diſpoſitiuè; Ex gratia autem, & confirmatione Diuina completiuè. Nam ſi omnes ſunt confirmati in bono, & adeo ſunt fortes, quod non ſunt lapſi neque labiles: Vnde merito hominibus præſident, qui debiles, & vel lapſi aut labiles. Nam & Domino
teſte, *Qui minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo*, ſcilicet quo inter mulierum natos, ſurrexerat maior nemo. Mat.11.

SECVNDVS actus, erga homines, eſt ſpecialis cuſtodiæ diligentia, de quo dicendum infra.

TERTIVS, eſt virtualis influentia. Et hoc ſpecialiter ad tria: ſcilicet,

Ad { Immutandum ſenſum, tam exteriorem, quam interiorem. / Illuminandum intellectũ veritatibus erudiendo. / Inclinandum appetitum ad bona inſtigando. }

Primo, poſſunt vtrumque ſenſum immutare: Et hoc dupliciter; vel aliquod ſenſibile de nouo formando; aut à natura formatum ſenſui
opponendo; vel ſpiritus, & humores intus cõ- Gen.19.
mouendo; Et ſic percuſſerunt Sodomitas cæcitate, vel acriſia. Similiter & Syros ſub Heliſæo. 4.Reg.6.

Secundo, poſſunt intellectum hominis illuminare, ducendo eos in intelligibilẽ veritatem, ſimilibus ſenſibilium; aut ſpeculi inſtar ſe animę opponendo: Nam (vt Dionyſ. in de Diuinis nominibus ait:) Angeli & animę ſunt ſpiritualia ſpecula; Vnde ſicut in ſpeculo materiali obiecto alio materiali ſpeculo ſpecies repræſentatæ in vno, ſe gignunt, & repreſentant in alio: Ita poteſt Angelus, qui eſt ſpeculum ſpirituale, ſe obijcere animæ, & ſic ſpecies quas de Deo recipit, animæ infundit, & intellectum illuminat ad cognoſcendum diuina. Illuminat autem de quattuor, ſcilicet, de cogitandis, cognoſcendis, credendis, & agendis. De *co-
gitandis*, nõ quod bonæ cogitationes ſint prin- 1.Cor.3.
cipaliter ab Angelo, ſed à Deo, vt Paulus dicit; diſpoſitiuè tamen ab Angelo, qui mentes habilitat ad eas. Et hoc, vel interius bona phantaſmata infundendo, aut certè exterius impedimenta remouendo. Illuminant *de cognoſcendis*, quia adiuuant, vt ex creaturis perfectius creator cognoſcatur. De *credẽdis*, quia per eos Diuina principaliter reuelantur. Et ſic ex conſequenti *de agendis*. Et hæc circa intellectum.

HABENT etiam influentiam ſuper appe-
titum, & voluntatem, quàm poſſunt immuta- Prou.21.
re, nõ interius, quod ſolius Dei, illud iuxta, *Cor regis in manu Dei*, & c. Sed ab exteriori, ſc. alliciendo, & inclinando; Et hoc vel exterius pręſentando obiectum; aut certè interius concitando, vt aiunt, appetitum ſenſitiuum ad aliquam paſſionem, ex quibus voluntas inclinatur; non tamen cogitur, nec neceſſitatur.

QVARTVS actus eſt cum hominibus æternalis commanentia: Eo quod in cælo non duæ erunt ſocietates diſtinctæ; ſed vna ſola, vt aiunt; nam muri ex Angelis, & hominibus conſtabunt, & ad Angelorum ordines aſſumentur homines, vt infra patebit. O igitur quàm præclara regio, & quàm decora legio, ex angelis & hominibus. O vtinam hos in me actus operari dignentur Angeli ſancti.

MEM-

Digitized by Google

MEMBRVM IIII.

De actibus Angelorum ſuper creaturas.

VII. QVARTO, actus quoſdam habent ſuper *omnes creaturas*, & erga totum vniuerſum. Quorum aliquos tangamus.

Hocce regunt, ſeruant, præſunt, miracula, vitam.

Nam ipſi ſunt orbis totius præpoſiti, rectores, & dicuntur orbium, & planetarum quodammodo motores, quo ad primum. Iuxta illud
Eccl. 1. Eccleſ. c. 1. *Luſtrans vniuerſa in circuitu pergit Spiritus*, id eſt Angelus Solem regens.

SECVNDO non ſolum hominum; ſed etiam creaturarum ſunt cuſtodes propter homines; ita quod plures ex doctis tenent, quòd quælibet ſpecies creaturarum, & quodlibet cœlum, ſpecialiter habeant Angelum ad ſui gubernationem; alium Equi, alium Leones, & ſic de alijs. Alioquin, aiunt quomodo ſic irrationales ſe hominibus ſubijcerent? Quod ſi verum eſt grandis vtique amor, & humilitas eſt Angelorum.

TERTIO ſuper omnes creaturas habent præſidentiam virtualem: Ita quod tota materia elementaris eſt eis ſubiecta ad nutum, quo ad motum localem.

QVARTO hi ſunt, qui mirabilia operantur, non virtute propria immutando rerum naturas; ſed inſtrumentaliter (vt dicunt docti) aliqua operando, & diſpoſitiuè ad eos; vnde hi fecerunt pluere ignem & ſulphur de cœlo ſu-
Gen. 19. per Sodomam.

Pſ. 102. POSTREMO, & vitam influunt irrationalibus rebus. Nam motum cœli, ſequitur in inferioribus generatio rerum. Grandis igitur virtus eorum, qui potentes virtute agunt quicquid volunt.

MEMBRVM V.

De operationibus Angelorum in dæmones.

VIII. POSTREMO habent & Angeli ſancti actus & operationes aliquas in Angelos malos; Cuiuſmodi ſunt iſti.

Præſunt, oppugnant, vincunt, crebro variatis.

PRIMO, quia illis inæſtimabiliter præponũtur, licet eiuſdem ſint conditi naturæ; adeo quod nil in eos, ſcilicet bonos poſſunt; ſed hi, boni ſcilicet, quod volunt poſſunt in eos, ſi velint videntur ab eis; ſi nolint non videntur, teſte Chry-
Iſa. 6. ſoſt. Alis ſuis velant caput Dei, ne videat illud: vt teſtatur Bernar. *Continuum bellũ* gerunt cũ iſtis, à principio vſque in finem, non ineuntes cum eis fœdus iuxta Domini præceptum. Nã,
Apoc. 12. vt dicitur crebro bellum geſſere; puta in *principio* conditionis, quando factum eſt prælium magnum in cœlo. &c. *In medio*, quoniam quotidie ipſi pugnant pro nobis in. *In fine*, quoque bellum geret princeps belligeratorum; Michael ſcilicet princeps magnus (vt dicitur penes Danielem) *Conſurget pro electis*, tanquam
Dan. 12. adiutor, & protector contra Antichriſtum fortior ſtabit, &c. In tam multiplici tamen prælio, victorialiter ſẽper triumphant. Eſto igitur ſint multi aduerſarij noſtri, & adeo multi quòd Haymo, cum Philoſophis & quibuſdam Doctoribus, opinetur quod aer iſte; ita plenus eſt dæmonibus, & malignis ſpiritibus; ſicut radij Solis atomis, & minutiſſimis puluiſculis, qui etiam velut muſcæ circumuolantes, & aerem replentes, viſi ſunt à Sanctis Patribus; licet adeo ſint multi, licet etiam ita ſunt potentes, Iob. 41.
quod Domino ad Iob teſte, non ſit poteſtas 4. Reg. 6.
ſuper terram quæ comparetur eis: nil tamen veteri habemus, firma ſententia ſtat Prophetæ, quia *plures ſunt nobiſcum*, qui etiam virtute ſunt multo potentiores. Hæc de actibus diuerſis Angelorum.

De dignitate Angelorum præcipua.

CAP. III.

PRæuenerunt principes coniuncti pſallentibus. Pſ. 67.
Pſal. 67. POST DICTA videnda ſunt Angelorum dignitates & priuilegia: Et poſſunt I.
horum dignitates coniectari ex multis. *Primo* ex varia denominatione: Dignis enim & dilectis, dabantur plurima nomina à Romanis. Sic ergo vocantur,

Spiritus, Angelus, & Virtus, Subſtantia, Mens, Dij.

Tribus primis nominibus vocantur à Theologis. Cæteris tribus à Philoſophis. *Spiritus* dicũtur ratione naturæ, quia ſimplices & ſpirituales. *Angeli* autẽ ratione offici, quia miſſi, Heb. 1.
quia omnes ſunt ſpiritus adminiſtratorij, vt infra dicitur. Hinc Auguſt. ſuper Pſal ait. Qui ſunt ſpiritus à natura, facit Angelos mittendo gratia. *Virtutes* quoque licet nomen ſit chori ſpecialis; omnes tamen ſæpe dicuntur, quia omnibus eis virtus cœleſtis ſine obſtaculo perficitur. A philoſophis autem, & gentilibus nominantur *ſubſtantiæ intellectuales* aut *intelligentiæ* à peripateticis, propter naturæ ſpiritualitatem. Aut etiam *Dij*, vt à Platone in phędone. O, inquit, dij deorum quorum pater opifex natura quidem mortales; ſed conſeruatione immortales, &c. Et quid mirũ ſi dij Angeli propter excellentem dignitatem dicantur; cum etiam homines hoc nomine appellentur. Ma- Pſ. 81.
gni igitur & valde digni ſunt, qui tam dignis nominibus appellari poſſunt.

MEMBRVM I.

De Angelorum ſublimitate, ex rerum comparatione.

SECVNDO poteſt conijci horum ſublimitas ex ſublimi comparatione. Nam ſubli- II.
miſſimis, & digniſſimis rebus, à Sanctis in ſcriptura aſſimilantur.

Lux, ignis, cœlũ, ventus, delphinque, volucres.

LVCI comparantur conditæ in principio. v- Gen. 1.
bi Deus dixit. *Fiat lux.* Et hoc propter eius innumeras proprietates, potiſſimum propter

naturæ immaterialitatem. IGNI iuxta illud:
Pſ. 103. *Et miniſtros tuos ignem vrentem*, Et hoc inter cætera propter ardoris charitatem. CÆLO, propter Dei inhabitationem. VENTIS, propter naturæ ſubtilitatem. DELPHINIS propter cantus delectabilitatem; nam quemadmodum illi poſt muſicam & cantum concurrunt: (vt notat Aulus Gellius, & de mirabilibus mundi
Pſ. 67. Solinus,) ita Angeli ſancti Orationibus & Hymnis oblectati, pſallentes præueniunt. Vo-
Luc. 13. LVCRIBVS & Auibus cœli: vt Dominus in Euangelio, qui reſident ſuper arborem bonam, propter potentiæ velocitatem & mobilitatem. Abundantiſſima eſt in iis comparationibus cõmorandi materia; nam poſſunt adduci ſinguli ſingularum harum rerum proprietates, quas qui noſſe volet, legat librum de ſimilitudinibus, aut naturis rerum.

PRÆTER autem iam poſitas res, inuenimus & alias multas, quibus comparantur, quas tangere ſolum, non autem proſequi iuuat.

Iob 38. Gen. 32. 2. Paral. 18.

Cæli conce[…] quis dormire faciet? — *Caſtra Dei ſunt hæc* — *& exercitus Dei in montibus.*

Concentus, caſtra, currus,

Iob 38. Iob 26.

Laudarent me aſtra matutina — *columnæ cæli contremiſcunt ad nutum eius.*

ac aſtra, columnę,

Pſ. 67. Ezec. 28. Thob. 13. Cant. 3. Luc. 3.

Principes præuenerunt, coniuncti — *lapides igniti lapides pretioſi 9.* — *apparentes, vt in euangelio.*

Primores, lapides, iuuenes,

filiæ Syon venite — *& vicina, quas conuocat paſtor ille ad congratulandum.*

natæ mulieres.

Et licèt tantis comparentur; tamen vt plurimum in ſpecie iuuenum ſunt apparentes, quare & ita depinguntur: Depinguntur dico *iuuenes*, propter virtutis potentiam. *Imberbes*, propter ætatis indeficientiam. *Pennati*, quia à terrenis liberi, & in alta eleuati, & propter promptiſſimam obedientiam. *Nudi pedes*, propter affectionem liberam ad Deum. Hæc de comparationibus & aſſimilationibus Angelorum.

MEMBRVM III.

Ex officiatione.

III. TERTIO horum dignitas, colligi poteſt ex nobiliſſima, & varia officiatione. Nam habent officia erga Deum iſta.

qui ab initio ſecum in cubiculo. — *cantores non ceſſantes die ac nocte.* — *beati ſerui qui ſtant coram te.*

Hi pueri, cantant, ſerui,

& Dei exercitus — *à ſecretis myſteriorum conſcij.*

militeſque, ſecreti,

QVO AD mundum & diabolum, hæc officia habent.

firmamenti quodammodo. — *mundi, miniſteriales.* — *cui parent omnia vnica.*

Hic motor, rector, iuſſor,

triumphator diaboli, — *in abyſſum.*

preſſorque, ligator.

Quorum proſecutio ſatis ex ſuperioribus actibus elici poteſt.

QVO AD nos, inter cætera hæc officia habent.

Cuſtodes, ſerui, ciues, medij quoque, fratres

Solator reddunt doctor portandoque ductor.

PRIMO ſunt noſtri *cuſtodes*, vt dicitur in Pſalm. 91. *In omnibus vijs nos cuſtodientes.* SECVNDO, ſunt *ſerui* noſtri, & miniſtratores, quia *omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, vt dicetur.* Sunt POSTREMO, (vt paucis multa Heb. 1. dicamus) *ciues*, commotatione, *mediatores*, ſollicita reconciliatione & diſcurſione; Fratres, in hæreditatis cœleſtis ſuſceptione, ab eodem Patre. *Conſolatores* confortatione; *Orationum noſtrarum repræſentatores*, in earum coram Deo oblatione, vt patet Thob. cap. 12. *Doctores* in mentis illuminatione; *Animarum in cælo portitores*, vt patet de Lazaro; Et per viam deſerti Mar. 16. huius, in patriam repromiſſionis *inductores*, Iuxta illud Exodi. c. 24. *Ecce ego mitto Angelum* Exod. 24. *meum, qui te cuſtodiet in via, & inducat in terrã, quam promiſi patribus tuis.*

Paraphragus Quartus.

SEd tandem ne nimia memoratione ſimus prolixiores, ſub ſumma dicamus, quòd eorum dignitas relucet ex mirifica eorum, quæ IV. in multis conſiſtit, priuilegiatione; ſcilicet in iſtis,

Eſſe, loco, primo, numero, ſignacula, puri,
Perfecti, fortes, pulchri, firmi atque beati.

PRIMVM eorum priuilegium, quo omnes excedunt, eſt in *eſſentiæ nobilitate*: Nam conditi ſunt ſpirituales, & incorporei; Vnde habẽt agilitatẽ, velocitatẽ, ſimplicitatem; Ita quod in ictu oculi poſſũt pręſentes eſſe in altari cum Sacramento, & vltra mare valde cito. Et in quolibet etiam minimo diffinitiuè loco, nec quicquam, quod non peruium eis; quia non grauantur corpore. Sunt etiam creati arbitrio libero, vt facere poſſint, quicquid velint. De eorum eſſentia plura habentur ſupra: De qua in ſumma tenendum, quòd minimus Angelorum, ſecundum ſuam eſſentiam, nobilior, & perfectior eſt quacunque anima humana, purè ſecundum naturam; purè humana, propter Chriſtum, &c.

ALTERVM priuilegium eſt ex *loci ſublimitate.* Quia ipſi in cœlo, nos in mundo; Ipſi in monte gloriæ, nos in valle miſeriæ. Sunt enim ipſi conditi in cœlo, Iuxta quod Strabus ait, ſuper illo verbo, *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Gen. 1. *Cælum* (inquit) *non viſibile hoc firmamentum ſcriptura appellauit; ſed empyreum, id eſt igneum, vel intellectuale, non ab ardore; ſed à ſplendore dictum, quod ſtatim factum, Angelis eſt repletum.*

TERTIVM *ex temporis prioritate*, quia (iuxta Magiſtrum) Angeli non ſunt creati Sententiarum. in tempore, nec poſt tempus; ſed cum tempore: vt etiam ſuper Geneſ. videtur dicere Auguſtinus. Sic ergo creati ſunt ante ho-

Digitized by Google

minem: Et in laudem huius priuilegij multa dicuntur in libris Sapientialibus, quæ exponuntur de natura angelica; Quia *prior omnium facta, cum eo componens omnia*, & cætera huiuſmodi multa.

Prou. 8. Sap. 7.

V. QVARTVM eſt ex *numeroſitate*, nam (Raynerio teſte) Angelorum numerus maximus, ignotus, excedens eſſe probatur. PRIMO maximus, Dionyſio teſte, qui ait in libro cœleſtis hierarchiæ, quòd Angeli in quadam maxima multitudine ſunt, omnem materialem numerum excedentes: Et hoc ſcriptura confirmat Danielis c. 7. vbi dicitur, *Millia millium miniſtrabant ei, & decies milles centena milia aſſiſtebant.* Qui tamen numerus licet maximus videatur, nullo modo complectitur multitudinem Angelorum; ſed in eo innuitur, quod ſit in maxima quantitate, dum mille multiplicatur per omnes limites, & maximos numeros. Hinc Iob c. 25. *Nunquid eſt numerus militum eius*; ſcilicet, COGNITVS nobis? Et certè non. Nam vt Grego. ait. *Supernorum ciuium numerus infinitus, & diffinitus exprimitur: vt qui Deo numerabilis eſt, nobis innumerabilis demonſtretur.* TERTIO eorum numerus eſt EXCESSIVVS etiam ſuperans (vt ait Bernardinus) atomos in aere volitantes: Quia ſcilicet bonorum Angelorum numerus in cœlo ſtantium, vel remanentium, maior fuit quam cadentium. Cuius ratio eſt, quia in Angelis *bonum eſt, vt in pluribus*, eo quod ſunt intellectualis naturæ: *Malum* vero in Angelis eſt, *vt in paucioribus*; In hominibus autem eſt oppoſitum; ſcilicet, quod in eis eſt malum, vt in pluribus, bonum vero vt in paucioribus: *Tum propter* corruptionem naturæ, *tum propter* ſenſualitatis appetitum &c. ex quo homines ſequuntur magis ſenſum quam intellectum. Ex his itaque S. Thom, 1. ſcripto. diſt. 40. artic. 2. concludit, quod multo plures fuerunt angeli remanentes, quam cadentes: Et fortè etiam multo plures, quam dæmones & omnes damnati ſimul, Confirmans hoc auctoritate ſcripturæ dicentis, in 2. Paral. 32. *Nolite timere, plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis.* Dionyſius tamen Carthuſien. aliter in hoc opinatur, dicens, quod plures erunt homines reprobi, quam ſimul Angeli ſancti, hominesque electi, ac dæmones vniuerſi. Omninò inquit apparet, quod pluſquam in duplo excedet numerus hominum impiorum, multitudinem electorum; aliter comparatione eorum electi non erunt pauci, multi vocati. Cum ergo par ſit hominum electorum, ac angelorum (vt Gregor. ait) pluralitas, ad minus tot exiſterent reprobi, quot ſunt electi homines, ac angeli ſancti. Cumque multo plures putandi ſunt, quemadmodum comparatio illa inſinuat, & dæmones ipſis angelis valde pauciores conſiſtant, conſequens ſit, plures homines reprobos futuros, quam ſint angeli boni, ac demones, electique homines. Hæc ille in Dialogion ſuo lib. 5. articulo 19. Qui volet credere credat. Horrendum magis quam diſcutiendū illud: Et procedit ex illa auctoritate domini; Mat. 20. *Multi ſunt vocati; pauci vero electi.* Thomas autem, vt patet ex altera, qui licet diſcrepent in numero hominum, conueniunt tamen in exceſſu Angelorum; ſcilicet quod ſtantium numerus excedat lapſorum, non æſtimo poſſe comprehendi, licet neſcio quantæ prophetiæ homo aſſeruit (vt ait Guillermus Pariſien.) Quod legio vna medio loco proportionaliter, inter ordinem illum, & ſubſtātiam huiuſmodi vnam: Hoc eſt dicere ordinem vnū, tot legiones continere, quot huiuſmodi ſubſtantias cōtinet legio vna; Numerus autem legionis eſt, ſex millia, ſexcentiſexaginta ſex. Qui cum eſſet ductus, ſiue multiplicatus per ſeipſum, id eſt totiens ſumptus, quot continet vnitates: ſi verum eſſet, redderet numerum eorum. Sed puto hic omnium calculantium, digitos prohibitos eſſe. Nimia enim multitudo Angelorum; adeo vt ante ſtellas cœli, guttas maris, atomos ſolis, puto numerari poſſe, quam numerum Angelorum. Si tanti Sancti; vt dictum eſt, ſunt in choro infimo Angelorum, quantos putabimus in ſummo? Nam ſecundum diuiniſſimū, ac theologiſſimum Dionyſium, Quo fuerit in cœleſtibus hierarchijs ordo ſuperior, eo plures in ipſo angeli continentur. Hæc de numeroſitate eorum diximus: vt vel quandoque ad tantam, talemq; ſocietatē aſpiremus; nil certi determinantes, ſed in verbis magni Dionyſij concludentes, & dicentes, Multi ſunt Dei exercitus ſupernarum mentium, infimam, & cōſtrictam excedentes noſtrarum materialium commenſurationem. Hęc ille. Qui plura de horū numeroſitate ſcire volet, Guillermū in de vniuerſo ſpirituali, & alios Doctos, & Bertrā-nium videat.

VI. QVINTVM Angelorum priuilegium, conſiſtit in *Diuinæ eſſentiæ maiori conformitate*: Nam ſimpliciter, & abſolutè loquendo, imago Dei magis eſt in angelo, quam in homine. Et hinc eſt quod non ſolum ad imaginem Dei dicuntur, ſed à Dionyſio imago, & in ſcriptura ſignaculum ſimilitudinis vocantur: vt in Ezechiele cap. 28. *Tu ſignaculum ſimilitudinis Dei* &c. vbi Gregorius, *Angelus non ad ſimilitudinem Dei tantum dicitur factus, ſed ſignaculum ſimilitudinis: vt quo in eo eſt natura ſubtilior, eo in illo imago Dei ſubtilius inſinuetur expreſſa.* Quod, & ratione patet, Nam imago conſequitur naturam intellectualem; ergo vbi natura intellectualis perfectior, ibi ſimilitudo maior; ſed natura intellectualis in angelo eſt dignior, & perfectior quàm in homine, in quo ratio intellectualis luminis naturalis multipliciter eſt obumbrata, ergo &c. Quam autem perfecta ſit imago, patet ex capacitate Dei, quæ ſe illi totam infundit; vnde *ſpecula ſplendidiſſima* vocantur, pleniſſimè illuminata; adeo vt qui videret angelum, videret Deum in ipſo clariſſimè relucentem. Sicut enim ſi duo ſpecula contra ſe inuicem tenerentur, imago vnius reluceret in aliud; ſic ſimiliter Diuinum ſpectaculum relucet in angelica natura; vt patet ſupra ex eius diffinitione. Sic ergo patet quòd perfectior in angelo eſt imago Dei ſimpliciter; ſecundum quid tamen, magis in homine, quam in Angelo reperitur, ob multa alia dicenda. Simile.

Digitized by Google

QVARTO, *propter noſtram eruditionem.* Vt ſcilicet diſcamus ſpecialiter illic Deum eſſe, vbi præeminet in effectu, & proprietatibus. Et ſic eſt in cælis per potentiæ immenſitatem, ſapientiæ claritatem, qua omnia noſcit. Nec (iuxta quoſdam impios) *Circa cardines cæli ambulat*, inferiora hæc non curans, & ignorans: Præſidet enim intuens, & moderans cuncta; adeo vt ſine eius volito, non cadat folium ex arbore, nec vel paſſer in obliuione eſt coram
Luc. 12. eo &c. Itemque vt doceat *inhærentia varietatem*, qua aliter in iuſtis, aliter in peccatoribus, aliter in cœlis, aliter in inferis, & in terris. Hic notetur varietas, quomodo Deus eſt in rebus.

QVINTO, propter *virtuoſitatis inſtructionem*: ſicut cęlum inferioribus multa influit, ita etiam omne bonum ab eo, qui in cælis eſt ve-
Iac. 1. nit; *Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum ab eo deſcendit.* vt enim ait Poeta,

Omnia deſcendunt à ſummo culmine rerum.

Quo niſi conſulto nihil eſt, quod ſydera poſſunt.

Dicitur ergo *in cęlis*, vt ſic mentem illo fiducialiter dirigamus, ſperantes quod qui ibi habet abundantiam bonorum, communicans etiam
Pſa. 146. ea *pullis coruorum*, non nos deſeret, vbi eſt penuria illorum, præſertim dum exoratur votis iuſtorum. Semper ergo oraturi, nos ita aptemus; quaſi cęlum ingreſſuri, coramque tremēda illa Maieſtate oraturi, &c. vt monet ſanctus Bernardus. Et hæc de orationis huius captatione.

Sanctificetur nomen tuum

GLorificans, *&c.* HIC poſt exordium, & captationem, ſequitur *tractatus*, & ipſæ intentæ petitiones. Quarum petitionum, varij variè aſſignant ordinem, & rationes. Quia ſcilicet ordinantur omnes, vel in Deum; quoad eſſentiæ vnitatem: Vel ſingulæ ad perſonarum Trinitatem. &c. Vel primæ tres, pro tribus dotibus patriæ; vel pro trium virium animæ, per tres virtutes theologicales reformatione; Reliquæ pro neceſſitatibus huius vitæ. Vel ſeptem contra ſeptem mortalia; propter ſeptem dona Sancti ſpiritus. Longum eſſet tractare ſingula, breuiter nos volumus expedire; exequendo verſuum meditabilia, ſecundum communia Sanctorum ſcripta.

IN PRIMA igitur oratione, oramus, *quæ ſunt finis*, petentes *ſanctificari nomen Dei.* Sanctificatur autem multipliciter. PRIMO, vt dicitur in verſu, *per glorificationem*, vt ſcilicet ita nos facias viuere, vt per nos, te magnificent, & glorificent cæteri. Et verè dignè prima eſt hęc petitio, qua petitur nil, niſi Patris glorificatio: O igitur bone pater, Sanctificetur nomen tuū; In ſe quidem ſemper ſanctum, peto, vt appareat omnibus honorabile, & glorificandum.

SECVNDO, *per purgationem*: Hinc Martyr Cyprianus. *Opus eſt, vt qui quotidie delinquimus, delicta noſtra aſſidua ſanctificatione purgemus.* O igitur, Sanctificetur nomen tuum, vt ſit in nobis ſine terra, & purum; vt cor noſtrum ab omni peccati ſorde liberum, in omnibus clarè te contēpletur, & videat nomen ſanctū tuum.

TERTIO, *per conformationem*; vt. ſcil. eius ſanctitati quantum poſſibile eſt in via conformemur, & nunquam indigna tanto nomini agendo, eo indigni ſimus. O vtinam ſanctum nomen tuum, quod eſt Pater, & eius digna cōuerſatio, in me ſanctificetur, vt ea cogitationum puritate, affectionum ſanitate polleam, quæ decet filios tanti Patris. Iuſſiſti enim, *Perfecti eſtote, ſicut Pater veſter in cęlis.* Mat. 5.

QVARTO, *per cognitionem*; vt. ſc. Sanctum ab hominibus habeatur, & ita innoteſcat, vt ſanctum cognoſcatur, & vt nihil illo ſanctius æſtimetur, & iudicetur. O Sanctificetur nomē tuum; i. talem de te Deo notitiam accipiam, qualis Deo ſit digna. (Nihil enim ſanctum, niſi quod Deo dignum) Granditerque æſtimem illud, vt ſic notitiam, & ęſtimationem, affectio digna in te Patrem ſequatur. Nomen enim notitia eſt.

QVINTO, *per confirmationem.* Sanctificetur nomen tuum; id eſt confirmetur nomen illud, quo filij Dei vocamur per gloriæ fruitionem: vt non excidamus. Et ſtabile ſit in nobis: *In intellectu* per veram & claram cognitionem; *in affectu* per ſanctam & piam dilectionem; *in memoria* per firmam & iugem inhæſionem. Vel Sanctificetur per beneuolentiam *in corde*; per reuerentiam *in ore*, per perſeuerantiam *in opere.* Nomen tuum, ſ. nomē *Patris*: vt ſim eius filius; Nomen *Ieſu*: vt ſim ſaluatus. Nomen *Spiritus ſancti*: vt ſim, & fiam ſanctus, nomen enim iſtud, Trinitatis. Hæc breuiter de petitione prima. In quibus, qui attenderit, habet copioſam deuotionis materiam, paucis ex Doctorum ſententiis tactam.

Adueniat regnum tuum.

MIlitat, *&c.* IN HAC SECVNDA petitione poſt oratam in ſuperiori Dei gloriam, petimus *beatitudinem noſtram*: vt ſcilicet, Adueniat Dei regnum; id eſt *ad nos veniat.* Eſt autem multiplex regnum, ſecundum quod multipliciter poteſt exponi petitio iſta. Nam PRIMO, peti poteſt, vt adueniat regnum *militantis* ſc. *Eccleſia* vniuerſalis, per Chriſtianæ fidei declarationem, & dilatationem; Et deſtruatur regnum Antichriſti, & diaboli, de quo regno dicit ipſe Dominus, *Colligent de regno eius* ſcilicet Eccleſiæ militantis, *omnia ſcandala*, &c. O bone pater adueniat regnum, & fides Eccleſiæ in vniuerſo mundo, ceſſet diabolus paganiſmus, & hæreſis habitare in eo, &c. Mat. 13.

SECVNDO, petitur *Regnum triumphantis Eccleſia*; cæleſtis ſcilicet glorię, per æternam pręmiationem, vt excludatur regnum pręſentis, & futuræ miſeriæ: De quo ipſe Dominus, *Fulgebunt iuſti ſicut Sol in regno Patris*, Mat. 13. &c. Verè prælustre illud Regnum, verè dignè petendum. Eſt enim amoris Regnum: Nec enim alio, vel titulo quàm amore inſcribitur miles; Neque aliis ibi armis, quàm amoris militatur. Vbi omnibus amor in regem, vinculum eſt legionum; vbi quiſque tanto commilitonem præ ſe ducit honoratiorem, quanto ſenſerit regis amantiorem. Amor enim in regem, balteus, ac torques eſt, eo cuique inſignior, quo feruentior fideliorque fuerit, &c

O quan-

O quando veniet hoc regnum, vbi tantum eſt gaudium, quod illud non concipit cor humanum? O veniat clara Dei, & beatifica fruitio; Veniat carnis reſurrectio; veniat omnis regni illius beata beatitudo, præſertim animabus dilatis à regno &c.

TERTIO, petitur *Regnum virtutum*, & diuinæ gratię: De quo apud Lucam, *Regnum Dei* (Luc. 17.) *intra vos eſt*. (Rom. 14.) Non enim eſt eſca, aut potus; ſed iuſtitia, & pax; Grande enim Regnum hoc rectè iudicanti; licet non externo apparatu ſplédeat, animali, & vano æſtimatori: iſtud enim eſt illud præclarum regnum, quo Chriſtus regnauit iacens in præſepiolo, etiam laceratus flagris in prætorio. Licet etiam ſenſu ampliori hoc regnum, Sanctis omnibus eſt commune. Adueniat ergo illud, per gratiæ inhabitationem, (Rom. 6.) & virtutum operationem, & deſtruatur regnum peccati, & malitiæ per ceſſationem: vt ſc. peccatum non regnet in nobis. O adueniat regnum virtutum, & gratiæ, pereat regnum peccati, & nequitiæ. Totum me vendicet ſibi hoc regnum.

(Mat. 21.) QVARTO, petitur *regnum ſcripturæ ſacræ*. De quo Saluator, *Auferetur à vobis regnum Dei*. Adueniat, ſc. per veram cognitionem, vt (Apoc. 3.) deſtruatur regnum erroris & ignorantiæ. O rex, & bone Pater, qui clauem habes ſcientiæ, & aperis cui voles, aperi mihi hoc ſcripturæ ſacræ regnum: vt ſpernam omne mundanum colloquium.

POSTREMO, petitur *regnum diuini auxilij* & aſſiſtentię: Vnde ait Hugo: Veniat regnum *potentię* ad debiles, & infirmos roborandos, regnum *ſapientia* ad inſenſatos & fatuos illuminando: regnum *lætitiæ* ad nos flebiles, & afflictos conſolandos. Et hæc de aduentu multiplicis regni, pro quo iugiter aſpirandum.

Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra.

ET *placiti, &c.* HIC iam conſequenter petimus *donum gratiæ*, vt perficiamus interim Dei voluntatem: Quæ quia multiplex eſt, & multipliciter fieri habet; ideo hæc oramus: PRIMO, vt fiat voluntas eius, non tantū (Rom. 12.) *bona, ſed & beneplacita*: vt omnino fiat in nobis, quod beneplacitum fuerit coram eo. Quaſi dicatur, Hoc volo, hoc deſidero, hoc totis animi viſceribus cōcupiſco: vt ſemper in me tua beneplacens voluntas fiat, totus tuus ſim, totus in tuum plaudam honorem, ad quod factus ſum, & natus.

SECVNDO, fiat voluntas etiam *quocunque ſigno innoteſcens*, ſiue præceptione, prohibitione, permiſſione, operatione, cōſultatione, quæ ſunt *quinque ſigna* Diuinæ voluntatis. Et comprehenduntur hoc verſu,

Præcipit, ac prohibet, permittit, conſulit implet.

De quorum declaratione, latè agitur in ſcriptis primi ſententiarum. Omnem autem ſigni voluntatem fieri cupimus; vt. ſc. quiſque oret, Præcepta faciam, prohibita caueam, permiſſa perferam, operata probem, conſiliis obtemperem. Et hoc ſit mihi gaudium, perficere, quod ſcio tibi beneplacitum.

TERTIO, vt ſecundum *omnia conformis ſim tuæ voluntati*, etiam ſecundum voluntatem appetitus naturalis; Voluntatem ſenſualitatis etiam conditionatæ poſitionis, quæ aliud poteſt velle ſub conditione. ſ. ſi Deo placeret. Semper autem ſecundum voluntatem rationis Deo conformetur, quod neceſſarium eſt, & de eſſe ſalutis: vt aiunt Doctores.

QVARTO, vt *Voluntas omnis tua adimpleatur*, ſiue velimus, aut nolimus, in nobis aut à nobis. Fiat inquam in *peccatorum conuerſione*, per opus pœnitentiæ; *In conuerſorum ſanctificatione*, per munus gratiæ, *In ſanctificatorum ſaluatione*, per bonum perſeuerantiæ; *In ſaluatorum clarificatione*, per donum gloriæ. Oro vt velim, quia neceſſe eſt fieri, ſi decreueris, vel volueris.

POSTREMO, oramus fiat *ſicut in cælo & in terra*: Non dixit, in me vel nobis, fac vt vniuerſaliter concludet, & orationem formet. Dicitur autem, *Sicut in cęlo, & in terra*, Id eſt, *vel* ſicut in Chriſto, ita in Eccleſia. *Vel* vt in angelis, ita in hominibus: *Aut* vt in iuſtis, ita in peccatoribus: *Vel* ſicut in ſpiritu, ita & in carne. O igitur qui non niſi iuſtè vis, & quicquid vis potenter efficis, fac vt in me ſic fiat voluntas tua &c. Putant autem aliqui, quod adiectio huius orationis; ſc. ſicut in cælo, & in terra, applicari poſſet etiam cæteris ſingulis petitionibus.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

CORPORIS, &c. POSTQVAM orata ſunt quæ ad beatitudinem directè pertinent, & principaliter, iam petuntur, quæ ad eam ſpectant inſtrumétaliter: Et primum petitur *panis largitio*. Et quidem multiplicis panis: Nam PRIMO, petimus *panem corporalem*, neceſſarium ad corporis ſuſtentationem, per quem intelligitur omnis ſufficientia victus. O hunc panem da iuſtè habere, deuotè ſumere, bene conuenire: Nam & poſt prandium hoc oramus.

SECVNDO, petimus *panes mentales*,

Scilicet
- *Panem pœnitentiæ*, ad reuelationem languoris.
- *Panem iuſtitiæ*, ad profectum operis.
- *Panem doctrinæ*, & intelligentiæ, contra famem erroris.
- *Panem Euchariſtiæ*, ad impinguationem amoris.
- *Panem gloriæ*, ad delectationē ſaporis.

Poſſet de ſingulis his panibus prolixior fieri materia deuotionis: Sed requiratur in aliis. O vtinam, vel micas dederit horum.

TERTIO, in hac petitione innuitur *communis poſſeſſio*, cùm dicimus *Noſtrum*. Non. n. dicitur meū, tuum, vel Angelorum, ſed noſtrū. Et hoc *propter humilitatem*, qua omnes indigemus: Propter *communicabilitatē*, vt hunc nulli, tanquam proprium negaremus: Propter *vtilitatem*, quia propter nos factus: Propter *dignitatem*, quia ſoli homini datum conficere Chriſti corpus, non angelicis poteſtatibus.

QVARTO, da nobis dicitur, *vbi rationabilis petitio* commendatur. Dicitur. n. *nobis*, propter orationē mutuā, & ſubuentionem fraternam. Da aūt annectitur, vt gratuito accipi monſtretur;

tur; Nō enim noſtris meritis, nec vllo dat præmio ſperato ex nobis. Da ergo ô pie Pater (qui omnibus patribus carnis paterna viſcera inſpiras) panem neceſſarium concedendo; Da quaſi de manu tua ſumendo; & alijs vt panem diſtribuant, & frangant inſpirando, ne deficiamus in via.

POSTREMO, *Quotidianum* additur, quo ſuper multiplex ratio aſſignatur. Nam petimus quotidianum; *ne anxiemur ſollicitudine*, ſuperflua quærendo. *Ne à Christo ſeparemur* ex crimine, Euchariſtiæ perceptione abſtinendo. *Ne inuoluamur caligine*, à panis dijudicatione

1. Cor. 11. ceſſando. Da igitur quotidie in tempore haturæ, & gratiæ, & gloriæ, quoniam ſemper illo opus habemus. Hęc ſuper petitione quarta. In quibus dictis innuuntur alia multa.

Et dimitte nobis debita noſtra ſicut, &c.

COmmiſſi, &c. POST petitiones boni dandi, ſequuntur orationes *mali auferendi*. Et primo petimus *amotionē mali præteriti* dicēdo. *Et dimitte*, &c. PRIMÒ, orando dimiſſionem omnium malorum *commiſſorum*; quæ. ſ. commiſimus, aut corde ore, vel opere; Aliorū conſenſu, aut permiſſionē. Non enim ſolum, qui talia faciunt; ſed & qui conſentiunt, rei fiunt.

Rom. 1. O igitur Sacerdos ſummè, & agne Dei, qui pro nobis reſpondiſti, qui pro debitis noſtris diluendis, te in ſacrificium obtuliſti, Dimitte omne commiſſum.

SECVNDÒ, dimitte omnia debita, etiam *omiſſione* contracta. Omiſimus. n. multa; ſcilicet, quę facere debuimus, potuimus, & propoſuimus: Vnde rei ſumus. O veniat ergo, veniat

Leuit. 25. pie pater annus Iubilęus, recordare mortis ſūmi Pontificis, & remiſſionem fac peccatorum, & reduc exules in patriam, quia aggrauatum eſt nimis onus noſtrorum debitorum.

TERTIO, etiam dimitte omnia *debita doni*; ſcilicet quibus obligamur ſuper multis donis, aut beneficijs conceſſis, puta bonis naturalib. temporalibus, ſpiritualibus, quibus abuſi ingratitudine ſumus. Vel etiam *malis dimiſſis* puta peccatis & pœnis demeritis. Aut etiam pro *bonis promiſſis*, pro quibus omnibus debitores ſumus, & gratias debemus.

QVARTO, notanter dicimus. *Dimitte nobis*; ſc. debitoribus, qui ſine debitis non ſumus.

POSTREMO, conditionem annectimus; ſcilicet *Sicut & nos dimittimus*, &c. i. Sicut nos *vniuerſaliter, frequenter, ardenter, velociter, & perſeueranter, de cordibus, purè & propter te dimittimus*: Sic & tu dimitte; Imo plenius multo nobis. Verè fœlix offenſa fratrum, quam allegamus ante Deum, in defalcationem noſtrorum debitorum. O quā bonus & pius Deus, plenus viſcerum charitatis, vt dimittat omnia ſua, ſi dimiſerimus pauca fratribus; non tamen tam nobis quàm Deo debentibus.

Et ne nos inducas in tentationem.

COnſenſum, &c. HIC iam petimus amoueri malum, de proximo committendum, petentes *amotionem mali futuri. Et ne nos inducas in tentationem*, &c. Vbi PRIMO, petimus ne *conſentiamus tentationi*, ſiue aſtutia decepti, ſiue cedamus afflicti; quaſi diceremus, O Pater miſerorum, qui intentator es malorum, etſi

Iac. 1. permittas nos quandoque ad exercitium duci in tentationis ſenſum; non tamen oro permittas induci per conſenſum & aſſenſum. Nil nocet ſenſus; ſi non adſit conſenſus.

SECVNDO, hic oramus, *ne tentati deficiamus*; ſed virtutem det agoniſtis, tantum perſeuerandi, ne vincamur; dando gratiam triumphandi. Poſtremo ne deſeramur, & ſic pereamus. O igitur ne mens ſit decepta, affecta, aut tentatione deiecta, oramus ne à te ſit derelicta. Intus enim ducitur, quando intus à tentatione vincitur. Et hoc quando à Deo deſeritur.

TERTIO, non petimus quod non permittas tentari, quia *periculoſiſſima eſt tentatio, nulla tentatione pulſari*, quia inde oriuntur multa mala, vt cordis elatio, ſui inconſideratio, tentatorum incompaſſio, deſpectio aliorum, &c.

QVARTO, hic conſiderandum; licet tentationem ſingulariter dicatur, varia tamē ſunt hominum tentamenta, quę hoc nomine complectuntur, contra quæ hic oratur, nam

Mundus, caro, dæmonia, diuerſa mouent prælia, &c.

Mundus tentat per proſpera & aduerſa; *caro* per carnalia deſideria, & laſciua. *diabolus* per varia deceptionum genera; Ita quod prorſus ſunt innumera: Pro quibus omnibus oramus, ne tentemur vltra id quod ferre poſſumus.

POSTREMO, notandum; licet tanta ſint & tam diuerſa tentationum genera, in ſingulari tamen petimus, quaſi liberari ab vna: Nam qui non inducitur in tentationem concupiſcentiæ, quę omnium eſt tentationum origo, per conſequens in nullam inducitur cæterorum. Dicit ergo, *Et ne nos inducas in tentationem*; dicit ſingulariter, quaſi dicere vellet: Libera à concupiſcentia, ne timeamus reliqua. Et hęc de petitione ſexta.

Sed libera nos à malo. Amen.

OFfenſa, &c. Hæc poſtremo oramus amoueri *præſens malum*, ad mala prædicta inclinatiuū. Nihil. n. prodeſt lauari à mortuo, & rurſus tangere eum. Petitur tamen generaliter amoueri omne malum. ET PRIMO, petimus liberari *à malo peccati aut culpæ*, quod eſt dehonoratiuum Diuinæ reuerentiæ; priuatiuum viſionis Diuinæ; aut impeditiuum gloriæ. O igitur bone Pater libera filium ab omni malo culpæ; ne vnquam te offendam, & mala pœnæ incurram.

SECVNDO, petimus liberari etiam *à macula peccati*, & eius reliquiis, aut peccatorū ſymptomatibus, & ab omnibus bonorum retractiuis impedimentis, & duci ad illum ſtatum, qui perficitur aggregatione omnium bonorum, & priuatione omnium malorum.

TERTIÒ, petimus liberari è *malo pœnę, ſupplicij*, vel tribulationis.

QVARTO, liberari petimus non ſolum à malo præſentis tribulationis; ſed multo amplius à *malo infernalis combuſtionis*: Cuius mala, licet ſint multa, ſunt tamen quædam principaliora.

Scili-

Scilicet { Obſtinatio voluntatis,
Priuatio claritatis,
Cruciatio mentis,& corporis. }

Cruciatus ſunt adeo innumeri, vt dixerit Maro Æneid 6.

Non mihi ſi centum linguæ ſint, oraq; centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprendere formas.
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſem.

Quos grauat duratio æternitatis. A quibus omnibus cupimus liberari, petitione huius orationis. Et non ſolum à pœnis inferni, ſed etiam purgatorij.

POSTREMO, liberari petimus etiam à malo diaboli, vt ſcilicet auferatur, ſi illo compediti ſimus. Et hinc dicitur non à *malis*; ſed à *malo*, id eſt à diabolo pernicioſo, à quo omnium malorum initium eſt, & origo: Ab hoc libera nos Domine.

ANNECTITVR finalis illa, & generalis concluſio. Amen ſcilicet, quod dictorum eſt confirmatio, vel petitorum exoptatio, &c. Quod ſi hic velimus aſſignare, quod huic orationi vt aiunt, eſt ſubtractum, nec reperitur in codice Latino; ſed habetur in Græco: ſcilicet, *Quoniam tuum eſt regnum, tua gloria, & virtus in ſæcula, Amen.* Videbimur forſan his, qui nihil legent errare: Sed legant Laurentium de Valla in ſuo correctorio; Imo legant Doctores Græcos: & Chryſoſt. in opere imperfecto. Et illic reperient ab eo poſitum, & pulchrè expoſitum, & orationibus præcedentibus annexum. Hæc ſufficiant pro qualicunque expoſitionis monimento. Eſt enim operæ pretium, quippiam habere, ad huius orationis, quam toties frequentamus, intellectum.

Breuiter ſic explicat Ludolphus Carthuſienſis.

P*Ater noſter*, excelſus in creatione; ſuauis in amore; diues in hæreditate.

Qui es in cælis, ſpeculum æternitatis, corona iocunditatis; Theſaurus fœlicitatis.

Sanctificetur nomen tuum, Sit nobis mel in ore, cythara in aure; deuotio in corde.

Adueniat regnum tuum, iocundum, ſine permixtione; tranquillum, ſine perturbatione; ſecurum, ſine amiſſione.

Fiat voluntas tua, vt omnia quæ odis oderimus; quæ diligis diligamus; quæ tibi placent impleamus.

Panem noſtrum, &c. ſcilicet doctrinalem; pœnitentialem, & virtualem.

Et dimitte quçcũque contra te commiſimus, aut contra proximos; aut noſipſos.

Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, qui nos offenderunt verbis, in perſonis aut rebus.

Et ne nos inducas in tentationem, carnis, mundi, dæmonis.

Sed libera nos à malo prçſenti, præterito, & futuro. Amen.

HÆC de oratione Dominica tetigimus pauca, de qua poſſemus adijcere multo plura quomodo videlicet. A quodam oratio hæc inter cætera effertur, à plenitudine, & fœcunditate: adeo vt tametſi grande quippiam crepitant Græci, & inflatis buccis Chiaſmum illum Demoſthenis, quo in Philippum Macedonem vtitur extollant; Huius tamen orationis collatione, ſterilis eſt & infœcundus: vt latè deducit.

Itemque de diſtinctione harum petitionum; vt ſcilicet ad Patrem, Filium, Spiritum Sanctum dicatur.

Sanctificetur	quæ petit	Templum & ſacerdotium.
Adueniat		Regnum & ſolium,
Fiat voluntas		Thalamum & coniugium.

Rurſuſque contra tria obſtacula ad Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum dirigatur.

Panem noſtrum	quia	Filiorum ſollicitus Filium mittens.
Et dimitte		Sacerdos magnus A gnº peccata tollẽs
Et ne nos		Spiritus in deſertum tentandũ inducẽs.

Sed libera nos à malo: Ad totam ſimul Trinitatem, propter triplex appropriatum.

Digitized by Google

DISTINCTIO HVIVS SECVNDÆ PARTIS

TERTIA,

CONTINENS DE SANCTIS IN GEnere, & de ſingulis eorum ordinibus meditabilia.

Titulus primus, ordine decimus nonus.

DE ANGELIS.

PROLOGVS.

L*Euaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi*, Pſal. 120. QVONIAM proximi poſt Deum, & eius Matrem ſunt *Sancti* illi montes, in monte Domini conſtituti: Ideo de his tertia huius ſecundæ partis noſtrę diſtinctio contexenda, & exemplarium conſiderationum oculi in eos ſurrigendi, vt auxilium ſentiamus. Nõ neceſſe iam habemus repetere inductiua, cur crebrius ad Sanctos conuertere, oculoſq́ue in ipſos montes vibrare deberemus quoque nos in Sanctorum feſtis exercitare poſſemus: Abundè enim & plus forſan quàm ſatis, de his egimus in feſtilogio ſupra. Sed alterum quiddam hic nobis exercitij genus eſt aſſignandũ; quod ſcilicet non in Sanctorum feſtis modo,ſed in omni tempore, & loco,congruat exercitationi:Tanto altero facilius,quanto compendioſius illo, & non infructuoſum tamen. Et eſt(vt tangitur in verbis Pſal.) Leuaui *oculos in montes.* Sunt autem triplices oculi in eos leuandi.

Scilicet	Affectus,	per	Affectuoſam ſuſpirationem.
	Intellectus,		Attentam conſiderationem.
	Corporei ſenſus		Corporalem exercitationem.

PRIMO inquam, & præcipuè oculi affectuum, in Sanctos ſunt ſurrigendi,tempore & loco omni:vt.ſ.iuxta Iob ſententiam,quanquã non ſtabiliter,& aſſiduè Sanctorum meminiſſe poſſimus; ſaltẽ *ſtillet oculus* noſter poſt eos,per ignitorum & ſeraphicorũ ſuſpiriorum, & gemebundam iaculatoriarum orationum frequentationem. Grandis namq; eſt huiuſmodi iaculatoriarum orationum (teſte Aurelio Aug.) virtus, quę & intimius emittuntur,facilius exaudiuntur, crebrius exercitantur: prout in ſuperio- Iob.16.

ribus

ribus tactum. Nouit hoc Pelecanorum illorum Ægyptiacorum chorus, Patres in ſimilitudine loquor, quorum familiariſſimum ſtudium erat, per huiuſcemodi mentes ſubleuare in montes, aut in ipſum montium Deum. Quorum & nos ſtudijs incitati, ſectemur exempla eorum: vt ſcilicet in omni loco etiam in medijs laborum tumultibus, puras leuemus ad Deum manus, ardentes vibremus oculos in montes: vt auxilium nobis deueniat de cœlis. Et ne quiſquam excuſationes ſuæ ignauiæ aut inſcitiæ, prætendat, ne dicat ſe deſiderare neſcire, quod nulli tantum difficile; quippe quo factu facilius nihil: Ideo quidam huic ſtudio deditus, certa quædam & inflammatoria in Sanctos, ex ignita illa ſcripturarum ignitarum fornace, iacula collegit, quibus potiſſimum in Sanctorum feſtis; imò vt diximus loco, & tempore omni, affectuum oculos in ipſos ſubleuemus: Quæ tanto (Guilielmo Parriſien. teſte,) ſunt ad impetrandum efficaciora, quanto ex fornace ardentiori ſunt conflata; ſcilicet ex ſcriptura diuina, cuius (vt loquitur Dauid) eloquia prorſus ſunt ignita valde; id eſt igne ſeptuplum examinata. Ponimus autem ſolum horum punctorum paucula: Nam qui plura volet, facilè horum inſtar poterit ſibi aggregare copioſiora. Et ſunt iſta,

1. Tim. 2.

Pſa. 118. Pſa. 11.

Langueo, rorate, propter Dauid miſerere, &c.

Aſpice, dimitte, trahe me, memorando, rogate.

Cant. 2. Eſa. 45. *Langueo*, hoc eſt, exclamandum eſt, *Annunciate dilecto meo, quia amore langueo*, ſcilicet ſociari Sanctis in cælo, &c. *Rorate*, ſcilicet, *cœli deſuper* gratiæ rorem impetrando &c. *Propter Dauid ſeruum tuum*. i. Sanctum hunc quem Pſa. 131. veneror & colo, *ne auertas faciem*, &c. *Miſerere*. i *miſeremini mei, miſer. mei,* Iob. 19. *ſaltem vos a. mei.* in quos leuantur oculi &c. *Aſpice in me & miſerere mei, ſe-* Pſa. 118. *cundum iudi. diligentium nomen tuum; Sanctorum* ſcil. Dimitte .i. *loquimini pro* Matt. 15. *nobis vos*, dicendo Domino, *Domine dimitte illam, quia clamat poſt nos.* Cant. 1. *Trahe me poſt te*, &c. Memorando, id eſt, *memento mei, dum bene tibi fuerit* Gen. 40. &c. *Rogate quę ad pacem ſunt Ieruſalem*, &c. Qui his modis oculos in San- Pſa. 141. ctos leuaret, bene auxilium ſentiret. O igitur deſideremus deſiderantes nos; Omnes enim ſancti votiuè deſiderant nos, ſcientes ſe non conſummandos ſine nobis: Et debent fieri huiuſmodi ſuſpiria exclamando, optando, ingemiſcendo per, *o vtinam*, quando, heu, & ſimilibus affectiuis.

VERVM quoniam diu non poteſt durare ſancta affectio; imo vix haberi, quam non nutrit, aut certè parit, deuota cognitio, (naturaliter enim cognitio præit affectionem, &c.) Ideo oportet, vt etiam oculos intellectus, in hos montes ſæpius leuemus; videlicet per attentam eorum conſiderationem, vt inde nobis formemus ſacram affectionem. Hinc interdum, etſi non ſemper ingredi habemus ciuitatem illam ſupernam, circuire in tabernaculo eius, attendereq́; quæ ſe offerunt circa ſingulos Sanctorum ordines conſideranda; Puta, eorũ denominationes & merita, eorum glorias, priuilegia & beneficia, & huiuſmodi plura, ex quibus tunc conſequenter formanda ſunt affectuum ſuſpiria.

Pſa. 26.

At ne & hic quiſpiam ad excuſandas excuſationes confugiat, dicendo ſe cęcum & meditationis ignarum: Item qui poſſet meditari de Sanctis, cum tam procul & mente, & corpore abſit illis? Occurrimus, & huiuſmodi, colligentes, in ſequentibus ex Sanctorum hincinde dictis, meditabilia quædam de ſingulis Sanctorum ordinibus, quorum inſtar poterunt col-

ligi multo plura ab aliis. Et poterunt exerceri, & reuolui per ſingulos dies poſt veſperas, ante mendicationis ad Sanctos exercitium. Sunt enim ſecundum ſeptem Ferias, ſeptem & ordines à nobis diſtincti Sanctorum. Hoc dicere audemus, qui ſe exercuerit in minimis collectis iſtis, illuminabitur à montibus ipſis, in quibus Sol refulget, ad ſcienda multo ampliora & ſubtiliora, & ad hoc vſque deducetur: vt dicere cum Apoſtolo poſſit, *Noſtra conuerſatio eſt in cælis.* &c.

Pſa. 75. *Phil. 3.*

Poſuiſſemus autem meditabilia hęc ſub forma Roſariorum; ſed verebamur ne ad numerum certum coarctati cogeremur, eſſe obſcuriores. Qui per modum Roſariorum ea legere volet, facilè hinc colligere poteſt. His ergo & huiuſmodi meditabilibus, oculos intellectus in montes leuemus, & auxilium à Sanctis, quos tunc videmus, ſentiemus; videmus, dico: Memoria enim noſtra, oculus noſter hic eſt, ait Bernardus. Poſtremo quoniam ſæpe inepti ſumus, & indiſpoſiti ad vtrumque; ſcilicet vel affectum, aut intellectum ſubleuandum; non tamen ab hoc exercitio ideo deſiſtendum. Et hinc de ſingulis Sanctorum ordinibus dulces poſſemus ſubijcere poſt meditabilia odas, à quodam, cui hoc exercitium familiare, ex noſtris confectas; ſed breuitati ſtudendum.

Pſa. 120.

Meditabilia de Angelicis ſpiritibus in genere & ſpecie.

CAP. I.

Mat. 6. RESpice volatilia cæli. *Saluator.* CONSIDERABILIA de Sanctorum ordinibus poſituri, primo de Angelis Domini eſt agendum; Ipſi enim ſunt *principes, qui præuenerunt,* ſcilicet cæteros Sanctos, & forſan ſicut tempore, ita & ſecundum aliquem modum dignitate. Ad quorum diligentem conſideratione, admonet nos Dominus, in verbis præmiſſis; vbi per *volatilia cæli,* ſecundum expoſitores, & diuum Ambroſium ſub allegoria, deſignantur Angeli ſancti. Circa quos licet innumera ſe offerant conſideranda; non tamen niſi pauca & deuotiora, à nobis ſunt perſtringenda: Inter quæ ſi occurrant quædam ſublimiora, neminem mouere debet; Nam debemus etiam (ait in expoſitione ſua ſuper angelicam Hierarchiam diuini Dionyſij Scotus) ſublimia Angelorum meditari, licet ſimus puluis & terra; vt in eis oblectemur, fiatque vita hæc nobis faſtidioſa, & ad ſortem tantæ beatitudinis aſpiremus. Alioquin nihil proderit, ſi hæc tepido corde memorantes, angelicam fœlicitatem videamus, & ad eam quantocius perueniren̄o feſtinemus. Ad ergo hoc etiam memoranda ſunt Angelorum ſublimia: vt aſpiremus ad eorum conſortia. Hæc Doctor ſubtilis in Commentario vbi ſupra.

Pſa. 67.

Sed ne ſtultorum more, ante narrationem præſſinuamus, & in narratione ſimus ſuccinctiores: ad rem veniendum, & quæ circa Angelos conſideranda ſunt, in genere aſſignanda. Et complectuntur hoc vnico verſiculo meditabilia tractanda, ſcilicet,

Sunt quales, quid, agunt, præſtant, ſeruant, quia diſtant.

Debemus enim conſiderare circa Angelos.

Eſſentiæ veritatem, — quia ſunt:
Conditionis circunſtantionalitatem, — qua conditi ſunt;
Actuum varietatem, — quid agunt;
Priuilegiorum dignitatem, — ſcilic. — quàm digni ſunt;
Miſſionis & cuſtodiæ modalitatem, — qualiter cuſtodiunt;
Ordinum, & hierarchiarum diſtinctionem, — quomodo differunt.

De quibus ſingulis membratim proſequendum. Et primum de eo, quia ſunt. Sed ne ex ignotis procedamus, *primo quid ſit Angelus* diffinitiuè præmittamus, & vtrum à nobis noſci poſſint, videamus: Et certè Thomas, Ægidius de Roma, & alij quidam, putant horum cognitionem non poſſe naturaliter haberi: Sed Dominus Albertus, cum potiſſimis peripatecis multis, contrarium cēſet, cui & modernorum aſſentiunt plures. Sed eſto hoc vtcunque. Vnum hoc pro certo habemus, quod ad eorum notitiam, ſic ſe habet noſter intellectus, ſicut oculus noctuę ad lumen ſolis; ita quod nec prorſus ignoret; ſed nec perſpiciat eos plenè adeo vt lucidiſſimus ille Bernardus præter nomina ferè, dicit cognoſcere de illis nihil. Diffinitur autem Angelus ſic à Damaſceno. Angelus (inquit) eſt ſubſtantia intellectualis, ſemper mobilis, libero arbitrio, incorporea, Deo miniſtrans, immortalitatem ſuſcipiens, non ſecundum naturam, ſed ſecundum gratiam. *Angelus quid.*

MEM-

MEMBRVM I.

Conſiderabilia de Spiritibus angelicis in ſpecie, & primo quod ſunt.

L*Audate eum in virtutibus eius*, &c. Pſa.150. id eſt (iuxta quoſdam expoſitores) in angelicis ſpiritibus virtute præminētibus; quare & crebrius (Dionyſio teſte) virtutum nomine compellantur. Vt itaque in his Deum laudemus, oportet vt primo quia ſunt conſideremus. Angelos autem eſſe ex his probabile eſt.

Scripta, fides, Sanct. gentes, monſtrant rationes.

PRIMO, probabile eſt angelos eſſe *ex ſcriptura*, quæ crebrius commemorat huiuſmodi ſpiritus ſacros: vt patet ex eius diſcurſu.

SECVNDO, ex fide catholica quæ hoc tenet,

TERTIO, ex Sanctorum doctrina, quæ hoc ſtabilit & affirmat.

QVARTO, ex auctoritate gentili & pagana, quæ fere omnes, maximè autem Platonici, & Peripatetici, huiuſmodi ponebant, quos intelligentias, aut eudemones, vel calodemones nuncupabant.

POSTREMO, hoc monſtrabile eſt ratione varia. Et præſertim ex iſtis:

Parte, ſtatuſque gradus, actus, mundi, rationis.

PRIMA ratio ſumitur ex perfectione vniuerſi; propter ſcilicet ſtatus generalitatem: Nam prius eſt, quod eſt naturale & per ſe; quàm illud quod non eſt naturale, ſed per accidens: Atqui non eſt naturale animę, quod ſit à corpore ſeparata, ſed ei conuenit per accidens eſſe ſeparatam: ergo oportet dare ſpiritum cui per ſe conueniat eſſe, & per ſe ſubſiſtere ſine corpore: & talis eſt ſpiritus angelicus &c.

Secundo, probatur quod ad perfectionem vniuerſi neceſſe eſt Angelos eſſe propter gradus integritatem. Nam ad perfectionem mundi, requiritur, vt omnis gradus creaturarum reperiatur: Inuenitur autem ſpiritus vnitus corpori, vt in homine; & corpus inuenitur ſeparatum à ſpiritu, vt in lapide; ergo oportet, quod ſit etiam ſpiritus ſeparatus à corpore, vt eſt Angelus. Cuius ea eſt ratio, quia ſi inuenitur quod minus perfectum, ergo & quod magis perfectum &c.

Tertio, probatur propter actus puritatem quia perfectum, prius eſt imperfecto: Ergo ſi reperitur aliquis ſpiritus imperfectus, qui ſc. eſt forma, vel actus materiæ, eo quod ſine materia per ſe non habet eſſe completum; oportet etiam quod ſpiritus aliquis inueniatur, qui ſit actus completus per ſe ſubſiſtens, abſque aliqua materia corporali, qualis eſt angelicus.

Quarto, propter gubernationis mundi neceſſitatem; neceſſe enim habent tot orbes, habere congruos & proportionatos motores, quales ſunt angeli ipſi: vt latè ſuper 2. ſententiarum docti deducunt.

SECVNDA ratio ſumitur propter rationis, vel potius intellectus claritatem: Sicut enim perfectum eſt ante imperfectum; ita claritas eſt ante obſcuritatē, & lux ante tenebras; Sed modus intelligendi animę imperfectus eſt & obſcurus, cum ſit cum phātaſmate, vt communiter; ergo oportet prius dicere, & eſſe intellectum, qui intelligat clarè & ſine phantaſmate, qualis eſt angelicus intellectus. Nam (vt dicit Damaſ.) Angelus eſt ſpeculū clariſſimū, recipiens in ſe, ſi fas eſt dicere, totam eſſentiam Dei, &c. Hæc de eſſentiæ naturæ angelicæ veritate; quia ſc. angeli ſunt, quod & aliis compluribus poterit viis perſuaderi, qualibus Gerſon in de illuſionibus dæmonum, demones eſſe perſuadet; ſed nobis ſufficit, vel paucas cum Raynerio aſſignaſſe, non tam rationes quàm ſuaſiones; quippe quibus de intellectiuis paruum ſtudium, de affectiuis autem cura conſiſtit omnis.

MEMBRVM II.

Quales ſint ſancti Angeli.

Q*Vi facis angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem*. Pſ.103. POST eſſentiæ veritatem de conditionis angelicæ agendum eſt qualitate, & circunſtantionalitate: Vbi valde multa ſe ingerunt conſideranda; ſcilicet hæc circunſtantia.

A quo, quando, & vbi, cur qu..les, quomodo facti

PRIMO, conſiderandum *à quo* ſint conditi; quia ab omnium conditore Deo, quo ſine factum eſt nihil; iuxta illud, *In principio creauit Deus cælum & terram*, id eſt, ſpiritualem angelicam naturam; & corporalem materialē, &c. producens duo extrema, ſ. nobiliſſimam & viliſſimam; ſupremam & infimam; angelicam ſcilicet naturam, & materiam informem, ad maiorem ſuæ potentiæ expreſſionem, & elucidationem. Grandis hic dignitas notatur angelicæ naturę, immediatè & primo omnium formari à Deo. Io.1. Gen.1.

SECVNDO, tempus, *quando ſunt conditi*, quia *in principio*, ſc. temporis, ante quod nihil creatum. Licet Gregor. Nazianzenus, & alij quidam ex Græcis, dicant eos conditos ante omnem creaturam, & omne tempus, quod itidem & Aug. 12. confeſſionum, quibuſdam ſenſiſſe videtur, vbi materiam primam penitus informem, & naturam angelicam plenam formis, dicit non eſſe temporales; ſed duo illa fuiſſe carentia tempore. Verum doctores Latini, Moderni, quatuor ponunt coæua, ſ. Angelos, Cęlum empyreum, Tempus, & Materiam primam; vnde angeli non ante, ſed cum tempore creatos dicunt. Sed abeant iſta, nolumus curioſis immorari.

TERTIO, conſiderare habemus *locum vbi conditi*, quia (vt aiunt) in empyreo cœlo. Et hoc valde congruenter: vt latius infra dicetur. Sed hic videndum ſi ſic, quomodo ante omnem creaturam ſecundum Græcos? niſi forſan dignitate ſolum, &c.

QVARTO, cauſam *cur ſint conditi*: quia propter Deum; Omnia enim Deus fecit propter ſeipſum; licet & ex conſequenti, propter perfectionem vniuerſi. Sunt enim principaliter, ſicut & homines, conditi ad Deum cognoſcendum, amandum, & laudandum: vt pulchrè de omni rationali creatura deducit B. Auguſt. Prou.16.

QVINTO,

QVINTO, videndum *quales ſint creati*: Sed quid de Angelorum qualitate dicemus, quorum vix vel pauca nomina tenemus, & forſan id totum eſt quod habemus? Inueſtigemus tamen (monet Bernardus) Iob 28. inueſtigemus & ſcrutemur profunda fluuiorum, & quid Sancti dicant audiamus. Dicit enim de his Iſidorus: *Angeli ſunt ſubſtantia ſpirituales, natura mortales conditi; ſed contemplatione immortales facti;* Angeli quid, *Animo impaſſibiles, mente rationales, fœlicitate ſecuri, futurorum præſcij, iuſſu mundum regunt, miſſi corpora aerea aſſumunt, in cæleſtibus commorantur.* De quibus & beatus Bernardus in ſuo quarto de conſideratione annectit dicens: *Hos nouimus ſpiritus eſſe potentes, glorioſos, beatos, diſtinctos in perſona, diſpoſitos in dignitate, ab initio ſtantes in ordine ſuo; Perfectos in genere ſuo, immortalitate perpetuos, mente puros, affectu benignos, religione pios, vnanimitate indiuiduos, pace ſecuros, Dei laudibus & obſequijs deditos*: vt inquit legendo comperimus, & fide tenemus, quibus & competunt iſta ſcilicet eſſentiæ ſubtilitas, intelligentiæ perſpicacitas, lib[illegible] arbitrij facultas. agilitas, & velocitas. Qui omnes promptè Deo obediunt, maiores ſine elatione præſunt; minores ſine vitio ſubſunt; Qui cum ad exteriora exeunt; ab interiore contemplatione non recedunt. Omnem virtutem inferiorum ſuperiores participant; qui præcellunt in natura, præcellunt in gratia & gloria: Vbi in eodẽ ordine, alij aliis creduntur digniores. Duplicem habentes viſionem, matutinam, ſcilicet & veſpertinam. Illuminationes quas ſuperiores ſuſcipiunt, alus tribuunt, &c. Hæc de angelorum qualitate. In quibus verbis ex diuerſis Doctorum ſcriptis compactis tametſi breuibus, ferè comprehenditur omnis illarum multarum quæſtionum, quas de angelis docti tractant, cumulus; vt puta dum quærunt quales ſint conditi, quoad naturam & gratiam; quales quoad intellectum & cognitionem; quales quoad voluntatem & dilectionem; quales item ad corpus aſſumendum, ad locum, tempus, motum, & ſitum & huiuſmodi multa. De quibus qui particularius inſtrui volet, ſcripta Doctorum ſuper 2. Sententiarum, & cæteros doctorum tractatus hic legat; non nobis eſt huiuſmodi immorandum, ad affectuoſa properandum.

HOC tamẽ ſpecialius dicimus, in quo plura includuntur, quod tales ſunt quoad conditionem; ſcilicet,

Simplex, diſcretus, rationalis, quoque liber.

Primo n. eis cõuenit eſſentiæ ſimplicitas; ſecũdo diſcretio perſonalis; tertio per rationem inſitã memoria; intelligentia, & voluntas; quarto libertas arbitrij, ad eligenda bona & reſpuẽda mala. Quæ quattuor attributa principalia iuxta Bonauent. concomitantur quatuor alia,

Scilicet:
- Virtuoſitas in operando:
- Officioſitas in miniſtrando;
- Perſpicacitas in cognoſcendo;
- Et immutabilitas poſt electionem, ſiue in bono, ſiue in malo.

Et hæc do angelica natura, quoad *conditionem*.

QVOMODO autem ad *confirmationem* eorum, tenendum iuxta eundem, quod ad Deum conuerſi, ſtatim ſunt confirmati per gratiam & gloriam in volũtate; perfectè illuminati in ratione ſecundum cognitionem matutinam, & veſpertinam, perfectè fortificati in virtute, ſiue motiua, ſiue operatiua, perfectè ordinati in operatione, ſiue cõtemplatiua, ſiue adminiſtratiua, ſecundũ triplicẽ hierarchiã, vt pulchrè in breuiloquio deducit Seraphicus iſte Doctor. Et hæc de angelorum differentiis & qualitate. Iam videndum de poſtrema circunſtantia, ſc. de modo creationis eorum, quomodo ſcilicet ſint creati: Et quidam textus habet, Quia *dixit Deus fiat lux*. i. angelica natura ſecundum explanatores, & *facta eſt lux*.

De varietate Angelicorum officiorum vel actuum.

CAPVT II.

B*Enedicite omnes Angeli Domino, potẽtes virtute, facientes verbum illius*, Pſal. 102. IAM videndum de angelicorum actuum, ſeu officiorum varietate, vt ſcilicet, vbi nouerimus ex parte quales ſunt, ſciamus etiam quid tales agant. Et certè inuenimus quod erga varios, varia officia habent, ac per hoc & varia agunt. Habent enim actus ad iſtos, ſcilicet

Ad Dominũ, ſociumq́, hominem, factũ ſathanãq́.

MEMBRVM I.

De actibus angelorum quoad Deum.

QVoad Deum autem, hæc eis officia competunt, prætereundo cætera, ponendo deuotiora:

Aſtant, conſultant, laudant, mirandoq́, parent.

PRIMVM officium eſt *Diuinæ præſentiæ aſſiſtendi*, & eius contemplationi intendendi. Nihil autem aliud eſt *Deo aſſiſtere* quam immediatè eius pręſentiam videre, & agnoſcere ſecreta, & quia hoc omnes angeli agunt, omnes aſſiſtunt, quia clarè & immediatè vident: iuxta ipſius Domini verbũ, *Angeli eorũ ſemper vident faciem Patris.* Mat. 18. Prout autem aſſiſtere idem eſt quod intimè contemplari, & Deo in illuminatione cæterorum cooperari.

SECVNDO, Deum de inferiorum gubernatione *conſulunt*, dum in omnibus eius voluntatẽ aſpiciunt, quam præter nihil exequũtur. Conſulunt (dicimus) Deum, dum in eius faciẽ intendũt, quem vidiſſe eſt omnia didiciſſe: Legunt igitur in Dei facie & conſulunt, tanquã in libro firmiter viderint cõplacitũ ſuæ volũtati.

TERTIO, Deum *laudant*. Iuxta illud Eſdr. *In excelſo throno vidi ſedere Virum quem adorat multitudo angelorum pſallentium in vnum.* Nam hoc proprium eſt officium angelorũ, quod ab initio egerunt, agunt, & ſunt acturi. Hinc Iob Dominus dixit, *Vbi eras cũ me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* Iob. 38. i. Angeli &c Et in Apoc. *Stabant omnes angeli in circuitu* Apoc. 7. &c. Vt dicit Eſa. *Requiem non habebant, ſed clamabãt, Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Eſa. 6. Hinc ſe laudantibus reddunt tam familiares. O quo ſpiritus

impe-

impetu putas clamare ſpiritus illos beatos, veros laudatores, quia veri rerum æſtimatores. O ſi audire daretur, non ita obtorpeſceremus in laudibus Dei.

QVARTO, inceſſanter quod vident & laudant, non tantũ mirantur; ſed admirantur. Nã (vt diuus Greg. 2. Moralium dicit) Cum beati Angeli Dei eſſentiam, & excellentiam vident, & hanc propter ſui infinitatem comprehendere non poſſunt, laudantes & admirãtes in eum ſuſpenſi manent. Et eſt horum conſideratio, non tam ignotæ rei ſtupor, quàm grandis æſtimatio cognitæ, ſed non comprehenſæ rei.

POSTREMO, mira velocitate Diuinæ voluntati parent, voluntatem quam inſinuat, nutu citius adimplendo: iuxta illud Pſal. 102. *Qui faciunt verbum eius* Scilicet, quis dicet, quomodo faciunt verbum eius, quantave pareant velocitate? O qui ſemel vel tenuiter vidiſſet, quanto ſtudio obedientiam hi Angeli Deo prçſtant, nunquam inobediens eſſet. Hæc de Angelicis actibus erga Deum.

MEMBRVM II.

De actibus Angelorum quos habent ad inuicem.

SECVNDO, agendum eſt de actibus quos ad inuicem inter ſe habent. Quorum aliqui hoc verſiculo continentur.

Purgans, illuſtrat, perficit, eſt ſons, ordoque pugnat.

PRIMO, n. ſuperiores (teſte Dionyſio) *purgant inferiores.* Nam ſicut corpora ſuperiora, in inferiora agunt; Ita & angeli ſuperiores, operantur ad purgationem inferiorum. Purgant dico non quidem à culpa, nec ab immunditia, quæ in angelis locum non habent; ſed purgant, *vel à neſcientia*, Inquantum ſuperiores docent inferiores de his, quæ neſciunt, vt diſcipulos magiſtri: *Vel purgant à diſsimilitudine*, & potentiæ intellectiuæ confuſione: Vnde Angelorũ purgatio (iuxta Albertum) nil eſt niſi roboratio, vel confirmatio potentiæ intellectiuæ, virtute luminis ad perſiſtendum in vno. Offerrent hic ſe plura inquirenda; ſed quia magis ſunt curioſa, quam deuota, ergo iſta ſufficiant.

ALTER actus eorum eſt *illuminatio.* Nam Angelus ſuperior in notitiam alicuius rei, quẽ inferior neſciebat, eum deducit, & hoc eſt illuminare. Nec eſt hęc illuminatio, quantũ ad Diuinam viſionem, quippe quam omnes immediatè vident; ſed intelligitur quantum ad cognitionem quorundam effectuũ contingentiũ, de quibus ſuperior plus quam inferior noſcit; vtpote de diſpoſitione vniuerſi, & Eccleſiæ myſteriis & huiuſmodi.

TERTIVS eorum actus eſt *perficere*, hoc eſt perfectam notitiam eius, quod potentialiter ſciebat, & actualiter ignorabat, ſicut in finem vltimum, & completum deducere. Et hi tres actus dicuntur hierarchici, & ſimilitudinariè ſic ſumuntur. Nam ſicut in illuminatione corporali ſunt tria.

Scilicet { Obſcuritatis remotio, vel excluſio
Luminis & claritatis infuſio,
Cognitionis conſecutio. }

Et dicimus viſum corporalem purgari, inquãtum remouentur tenebræ; illuminari inquantum infunditur lumine; perfici ſecũdum quod producitur ad cognitionẽ colorati: Ita eſt in actibus iſtis: nam dum ſuperior Angelus ab inferiore ignorantię tenebras pellit; dicitur purgare; dum aliquid ei per quod inſtruatur, tradit, dicitur illuminare; tertio dum in actualem veritatis cognitionem deducit, dicitur eum perficere. Hoc tamen tenendum eſt, quod ſolus Deus hos actus facit effectiuè, ſed angelus diſpoſitiuè, vt Doctores declarant. Et nota, quod tanta charitate hos actus, interioribus ſuperiores communicant, quod nihil incommunicatum relinquatit. O vtinam & in nobis hos actus agere velint.

QVARTVS actus angelorum eſt inuicem loqui. Nam & ipſi ſuas habent linguas, Apoſtolo dicente, *Si linguis hominum loquar, & angelorum charitatem*, &c. Et dicit Zacharias, Quod vnus Angelus dixit ad alterum. Vnde patet quod locutio eſt in eis. Et iure, Nã quod poteſt virtus inferior, multo fortius, & nobilius ſuperior poteſt. Vnde multiplex eſt locutio eorum: Loquũtur. n. ſibi inuicẽ inter ſe; loquuntur Deo, & Deus eis, & loquuntur hominibus. Nihil aũt aliud eſt vnum angelum loqui alteri, quam cõceptum ſuũ manifeſtare illi. Vnde cui Angelus vult ſuũ conceptũ manifeſtare, illi dicitur loqui; cui non vult, non dicitur loqui. Angeli autem Deo loquuntur, vel eius voluntatem conſultando, aut eius excellentiam laudando & admirando: Et ſic clamant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, &c. Et hæc locutio laudis eſt continua; non autem illa quæ conſultando fit, niſi quando per eos noua aliqua ſunt agenda. Loquitur autem eis Deus vt magiſter, vel Doctor diſcipulis, occulta ſua eis manifeſtando. Loquuntur angeli hominibus inſtinctu, voce, ſenſu, vel imagine, mẽte, & quandoque in forma vocaliter loquendo; Quandoque ſine forma humana, in viſionibus variis apparendo. Et hoc vel in viſione sẽſitiua; vt Moyſi in rubo; vel in viſione imaginaria, vt Hieremiæ, &c. Aut intellectiua, & ſic de alijs. Tertio loquuntur ſine reuelationibus, ad bonum inſtigando, & illuminando. Omnis enim bona inſpiratio, vel Dei ipſius, aut certè Angeli boni eſt ad animam locutio. O autem cordis eis aperiamus, ſolliciti aduertamus, quia verborũ illorũ contemptus, nõ abibit impunitus. Poſſent de hac loquutione Angelorũ inter ſe plura dici, quam ſcilicet diuerſimodè ſuperiores inferioribus, ſed per illuminationem, inferiores item ſuperioribus, per aduertentiam, & quandam interrogationem loquuntur. Sed ſufficiat ſaltem tetigiſſe.

QVINTVS actus eſt ordinabiliter, & bene conuiuere. Sed ô quis vitam angelicam loquetur? Quis ordinem vitæ illius dignoſcet, & ponet in terris? balbutire tamen parum habemus. Viuunt itaque inuicem, ordinabiliter, ſocialiter, & humiliter. Nam ſic viuere, teſte Bernardo, eſt bene viuere. Nulli dubium quin

illi

1. Cor. 13.
Zach. 2.
Esa. 6.
Exo. 3.
Ier. 14.
Iob. 38.

illi tanto viuant melius; quanto fœlicius, & beatius. *Ordinabiliter* itaque viuunt, vnuſquiſque in ſuo ordine, & ſeruitio perſeuerat perpetuè; nec vel ad momentum ab illo ſibi iniuncto recedens. Nam Dionyſius ait: Non eſt fas vnquis operari præſumat, quod ad ſuum ordinē vel officium non ſpectet. *Secundo ſocialiter*, hoc eſt amicabiliter, & pacificè, vnde Iob 25. *Qui facit concordiam in ſublimibus.* Inter hos enim numquam diſſenſio, aut inuidia vlla. O pacem exuperantem omnem ſenſum. O amicitiam nunquam interturbatam. O lætiſſimam conuerſationem. O verè beata & pacifica ſocietas, in qua ſumma tranquillitas: In quibus nil niſi pietas, quos ſumma replet charitas. O verè conuerſatio læta, vbi ſemper dulcis reſonat melodia. *Tertio, viuunt inuicem humiliter.* Nam qui præſunt non ſuperbiunt, & qui ſubſunt non zelantur. Inferiores obediunt ſuperioribus ſine rancore, quia & ſuperiores præcipiūt inferioribus, non faſtu; ſed amore. Quorum vitæ ſi aſcribi cupimus, oportet vt & nos Angelicè viuamus, & formam eorum habeamus; vt ſcilicet & nos iuxta quod Bernardus admonet, ordinabiliter, ſocialiter, humiliter nos geramus.

POSTREMO, reperitur & alius actus in angelis, qui eſt *pugna*: Nō ſolum autem ad diabolum de quo non hic iam locus, ſed inuicē inter
Dan. 10. ſe. Nā inuenitur angelus bonus, reſiſtere angelo bono. Nā Danieli Michael princeps Iudæorum, loquens de Angelo Principe Perſarum, dicit ſic: *Princeps regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus.* Qui tamen ambo (vt Gregorius in moralibus ait) boni angeli fuere, licet pugnam, & diſcordiam habuerunt ad inuicem. Quorum pugna nihil aliud fuit, quā diuerſa meritorum populi relatio, ſuper quibus vterque Angelus Diuinam conſulit voluntatem. Nam angelus Iudæorum, allegabat Iudæorum pœnitentiam, & populi, qui eos detinebant iniuſtitiam, & ideo eorum liberationem petebat. Econtra vero angelus Perſarū, dicebat Diuinum cultum, & nomen per Iudæos publicari, & ideo conueniens eſſe, vt ibi adhuc maneret, & ſic quodammodo liberationem Iudæorum impediebat. Talis ergo contraria allegatio meritorum, erat pugna angelorum. Et quia non ſtatim Deus voluntatem ſuam de ijs reuelauit; ideo dicitur, quod vnus alteri tanto tēpore reſtitit; quāquam fuerint, qui hos angelos dicerent non ambos bonos; ſed alterum bonum, alterum malum, vt in collationibus Patrum. Hæc de angelica pugna & operatione mutua.

MEMBRVM III.

De actibus Angelorum erga homines.

TERTIO, erga homines quoſdam actus habent, Qui licet ſint multi: hic tamen principaliores ſolum notantur, & ſunt iſti.

Præſunt, conſeruant, poſſunt, fluxuq; manebunt.

PRIMVS actus, generalis *præſidentia*, quia Principes eorum conſtituti. Et hoc ex diſpoſitione, & natura angelica diſpoſitiuè; Ex gratia autem, & confirmatione Diuina completiuè. Nam ſi omnes ſunt confirmati in bono, & adeo ſunt fortes, quod non ſunt lapſi neque labiles: Vnde merito hominibus præſident, qui debiles, & vel lapſi aut labiles. Nam & Domino teſte, *Qui minor eſt in regno cælorum, maior eſt* Mat. 11.
illo, ſcilicet quo inter mulierum natos, ſurrexerat maior nemo.

SECVNDVS actus, erga homines, eſt ſpecialis cuſtodiæ diligentia, de quo dicendum infra.

TERTIVS, eſt virtualis influentia. Et hoc ſpecialiter ad tria: ſcilicet,

Ad
- Immutandum ſenſum, tam exteriorem, quam interiorem.
- Illuminandum intellectū veritatibus erudiendo.
- Inclinandum appetitum ad bona inſtigando.

Primo, poſſunt vtrumque ſenſum immutare: Et hoc dupliciter; vel aliquod ſenſibile de nouo formando; aut à natura formatum ſenſui opponendo; vel ſpiritus, & humores intus cō- Gen. 19.
mouendo; Et ſic percuſſerunt Sodomitas cæcitate, vel acriſia. Similiter & Syros ſub Heliſæo. 4. Reg. 6.

Secundo, poſſunt intellectum hominis illuminare, ducendo eos in intelligibilē veritatem, ſimilibus ſenſibilium; aut ſpeculi inſtar ſe animę opponendo: Nam (vt Dionyſ. in de Diuinis nominibus ait:) Angeli & animę ſunt ſpiritualia ſpecula; Vnde ſicut in ſpeculo materiali obiecto alio materiali ſpeculo ſpecies repræſentatæ in vno, ſe gignunt, & repreſentant in alio: Ita poteſt Angelus, qui eſt ſpeculum ſpirituale, ſe obijcere animæ, & ſic ſpecies quas de Deo recipit, animæ infundit, & intellectum illuminat ad cognoſcendum diuina. Illuminat autem de quattuor, ſcilicet, de cogitandis, cognoſcendis, credendis, & agendis. De *cogitandis*, nō quod bonæ cogitationes ſint prin- 1. Cor. 3.
cipaliter ab Angelo, ſed à Deo, vt Paulus dicit; diſpoſitiuè tamen ab Angelo, qui mentes habilitat ad eas. Et hoc, vel interius bona phantaſmata infundendo, aut certè exterius impedimenta remouendo. Illuminant *de cognoſcendis*, quia adiuuant, vt ex creaturis perfectius creator cognoſcatur. De *credēdis*, quia per eos Diuina principaliter reuelantur. Et ſic ex conſequenti *de agendis*. Et hæc circa intellectum.

HABENT etiam influentiam ſuper appetitum, & voluntatem, quàm poſſunt immuta- Prou. 21.
re, nō interius, quod ſolius Dei, illud iuxta, *Cor regis in manu Dei*, &c. Sed ab exteriori, ſc. alliciendo, & inclinando; Et hoc vel exterius præſentando obiectum; aut certè interius concitando, vt aiunt, appetitum ſenſitiuum ad aliquam paſſionem, ex quibus voluntas inclinatur; non tamen cogitur, nec neceſſitatur.

QVARTVS actus eſt cum hominibus æternalis commanentia: Eo quod in cælo non duæ erunt ſocietates diſtinctæ; ſed vna ſola, vt aiunt; nam muri ex Angelis, & hominibus conſtabunt, & ad Angelorum ordines aſſumentur homines, vt infra patebit. O igitur quàm præclara regio, & quàm decora legio, ex angelis & hominibus. O vtinam hos in me actus operari dignentur Angeli ſancti.

MEM-

Digitized by Google

MEMBRVM IIII.

De actibus Angelorum ſuper creaturas.

VII. QVARTO, actus quoſdam habent ſuper *omnes creaturas*, & erga totum vniuerſum. Quorum aliquos tangamus.

Hocce regunt, ſeruant, præſunt, miracula, vitam.

Nam ipſi ſunt orbis totius præpoſiti, rectores, & dicuntur orbium, & planetarum quodammodo motores, quo ad primum. Iuxta illud
Eccl. 1. Eccleſ c. 1. *Luſtrans vniuerſa in circuitu pergit Spiritus*, id eſt Angelus Solem regens.

SECVNDO non ſolum hominum; ſed etiam creaturarum ſunt cuſtodes propter homines; ita quod plures ex doctis tenent, quòd quælibet ſpecies creaturarum, & quodlibet cœlum, ſpecialiter habeant Angelum ad ſui gubernationem; alium Equi, alium Leones, & ſic de alijs. Alioquin, aiunt quomodo ſic irrationales ſe hominibus ſubijcerent? Quod ſi verum eſt grandis vtique amor, & humilitas eſt Angelorum.

TERTIO ſuper omnes creaturas habent præſidentiam virtualem: Ita quod tota materia elementaris eſt eis ſubiecta ad nutum, quo ad motum localem.

QVARTO hi ſunt, qui mirabilia operantur, non virtute propria immutando rerum naturas; ſed inſtrumentaliter (vt dicunt docti) aliqua operando, & diſpoſitiuè ad eos; vnde hi fecerunt pluere ignem & ſulphur de cœlo ſuper
Gen. 19. Sodomam.

POSTREMO, & vitam influunt irratio-
Pſ. 102. nalibus rebus. Nam motum cœli ſequitur in inferioribus generatio rerum. Grandis igitur virtus eorum, qui potentes virtute agunt quicquid volunt.

MEMBRVM V.

De operationibus Angelorum in dæmones.

VIII. POSTREMO habent & Angeli ſancti actus & operationes aliquas in Angelos malos; Cuiuſmodi ſunt iſti.

Præſunt, oppugnant, vincunt, crebro variatis.

PRIMO, quia illis inæſtimabiliter præponũtur, licet eiuſdem ſint conditi naturæ; adeo quod nil in eos, ſcilicet bonos poſſunt; ſed hi, boni ſcilicet, quod volunt poſſunt in eos, ſi velint videntur ab eis; ſi nolint non vidẽtur, teſte Chryſoſt. Alis ſuis velant caput Dei, ne videat illud:
Iſa. 6. vt teſtatur Bernar. *Continuum bellũ* gerunt cũ iſtis, à principio vſque in finem, non ineuntes cum eis fœdus iuxta Domini præceptum. Nã,
Apoc. 12. vt dicitur crebro bellum geſſere; puta in *principio* conditionis, quando factum eſt prælium magnum in cœlo. &c. *In medio*, quoniam quotidie ipſi pugnant pro nobis in. *In fine*, quoque bellum geret princeps belligeratorum; Michael ſcilicet princeps magnus (vt dicitur penes
Dan. 12. Danielem) *Conſurget pro electis*, tanquam adiutor, & protector contra Antichriſtum fortior ſtabit, &c. In tam multiplici tamen prælio, victoraliter ſẽper triumphant. Eſto igitur ſint multi aduerſarij noſtri, & adeo multi quòd Haymo, cum Philoſophis & quibuſdam Doctoribus, opinetur quod aer iſte; ita plenus eſt dæmonibus, & malignis ſpiritibus; ſicut radij Solis atomis, & minutiſſimis puluiſculis, qui etiam velut muſcæ circumuolantes, & aerem replentes, viſi ſunt à Sanctis Patribus; licet adeo ſunt multi, licet etiam ita ſunt potentes, Iob. 41.
quod Domino ad Iob teſte, non ſit poteſtas 4. Reg. 6.
ſuper terram quæ comparetur eis: nil tamen veteri habemus, firma ſententia ſtat Prophetæ, quia *plures ſunt nobiſcum*, qui etiam virtute ſunt multo potentiores. Hæc de actibus diuerſis Angelorum.

De dignitate Angelorum præcipua.

CAP. III.

PRæuenerunt principes coniuncti pſallentibus. Pſ. 67.
Pſal. 67. POST DICTA videnda ſunt Angelorum dignitates & priuilegia: Et poſſunt horum dignitates coniectari ex multis. *Primo* I.
ex varia denominatione: Dignis enim & dilectis, dabantur plurima nomina à Romanis. Sic ergo vocantur,

Spiritus, Angelus, & Virtus, Subſtantia, Mens, Dij.

Tribus primis nominibus vocantur à Theologis. Cæteris tribus à Philoſophis. *Spiritus* dicũtur ratione naturæ, quia ſimplices & ſpirituales. *Angeli* autẽ ratione offici, quia miſſi, Heb. 1.
quia omnes ſunt ſpiritus adminiſtratorij, vt infra dicitur. Hinc Auguſt. ſuper Pſal ait. Qui ſunt ſpiritus à natura, facit Angelos mittendo gratia. *Virtutes* quoque licet nomen ſit chori ſpecialis; omnes tamen ſæpe dicuntur, quia omnibus eis virtus cœleſtis ſine obſtaculo perficitur. A philoſophis autem, & gentilibus nominantur *ſubſtantiæ intellectuales* aut *intelligentiæ* à peripateticis, propter naturæ ſpiritualitatem. Aut etiam *Dij*, vt à Platone in phędone. O, inquit, dij deorum quorum pater opifex natura quidem mortales; ſed conſeruatione immortales, &c Et quid mirũ ſi dij Angeli propter excellentem dignitatem dicantur; cum Pſ. 81.
etiam homines hoc nomine appellentur. Magni igitur & valde digni ſunt, qui tam dignis nominibus appellari poſſunt.

MEMBRVM I.

De Angelorum ſublimitate, ex rerum comparatione.

SECVNDO poteſt conijci horum ſublimitas ex ſublimi comparatione. Nam ſubli- II.
miſſimis, & digniſſimis rebus, à Sanctis in ſcriptura aſſimilantur.

Lux, ignis, cœlũ, ventus, delphinque, volucres.

LVCI comparantur conditæ in principio, v- Gen. 1.
bi Deus dixit. *Fiat lux.* Et hoc propter eius innumeras proprietates, potiſſimum propter

minem: Et in laudem huius priuilegij multa dicuntur in libris Sapientialibus, quæ exponuntur de natura angelica; Quia *prior omnium facta, cum eo componens omnia*, & cætera huiuſmodi multa.

Prou 8. Sap. 7.

V. QVARTVM eſt ex *numeroſitate*, nam (Raynerio teſte) Angelorum numerus maximus, ignotus, excedens eſſe probatur. PRIMO maximus, Dionyſio teſte, qui ait in libro cœleſtis hierarchiæ, quòd Angeli in quadam maxima multitudine ſunt, omnem materialem numerum excedentes: Et hoc ſcriptura confirmat Danielis c. 7. vbi dicitur, *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena milia aſſiſtebant*. Qui tamen numerus licet maximus videatur, nullo modo complectitur multitudinem Angelorum; ſed in eo innuitur, quod ſit in maxima quantitate, dum mille multiplicatur per omnes limites, & maximos numeros. Hinc Iob c. 25. *Nunquid eſt numerus militum eius*; ſcilicet, COGNITVS nobis? Et certè non. Nam vt Grego. ait. *Supernorum ciuium numerus infinitus, & diffinitus exprimitur: vt qui Deo numerabilis eſt, nobis innumerabilis demonſtretur*. TERTIO eorum numerus eſt EXCESSIVVS etiam ſuperans (vt ait Bernardinus) atomos in aere volitantes: Quia ſcilicet bonorum Angelorum numerus in cœlo ſtantium, vel remanentium, maior fuit quam cadentium. Cuius ratio eſt, quia in Angelis *bonum eſt, vt in pluribus*, eo quod ſunt intellectualis naturæ: *Malum* vero in Angelis eſt, *vt in paucioribus*; In hominibus autem eſt oppoſitum; ſcilicet, quod in eis eſt malum, vt in plutibus, bonum vero vt in paucioribus: *Tum propter* corruptionem naturæ, *tum propter* ſenſualitatis apperitum &c. ex quo homines ſequuntur magis ſenſum quam intellectum. Ex his itaque S. Thom, 1. ſcripto. diſt. 40. artic. 2. concludit, quod multo plures fuerunt angeli remanentes, quam cadentes: Et forrè etiam multo plures, quam dæmones & omnes damnati ſimul, Confirmans hoc auctoritate ſcripturæ dicentis, in 2. Paral. 32. *Nolite timere, plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis*. Dionyſius tamen Carthuſien. aliter in hoc opinatur, dicens, quod plures erunt homines reprobi, quam ſimul Angeli ſancti, homineſque electi, ac dæmones vniuerſi. Omninò inquit apparet, quod pluſquam in duplo excedet numerus hominum impiorum, multitudinem electorum; aliter comparatione eorum electi non erunt pauci, multi vocati. Cum ergo par ſit hominum electorum, ac angelorum (vt Gregor. ait) pluralitas, ad minus tot exiſterent reprobi, quot ſunt electi homines, ac angeli ſancti. Cumque multo plures putandi ſunt, quemadmodum comparatio illa inſinuat, & dæmones ipſis angelis valde pauciores conſiſtanr, conſequens ſit, plures homines reprobos futuros, quam ſint angeli boni, ac demones, electique homines. Hæc ille in Dialogion ſuo lib. 5. articulo 19. Qui voler credere credat. Horrendum magis quam diſcutiendũ illud. Et procedit ex illa auctoritate domini; *Multi ſunt vocati; pauci vero electi*. Thomas autem, vt patet ex altera, qui licet diſcrepent in numero hominum, conueniunt tamen in exceſſu Angelorum; ſcilicet quod ſtantium numerus excedat lapſorum, non æſtimo poſſe comprehendi, licet neſcio quantæ prophetiæ homo aſſeruit (vt air Guillermus Pariſien.) Quod legio vna medio loco proportionaliter, inter ordinem illum, & ſubſtãtiam huiuſmodi vnam: Hoc eſt dicere ordinem vnũ, tot legiones continere, quot huiuſmodi ſubſtantias cõtinet legio vna; Numerus autem legionis eſt, ſex millia, ſexcentiſexaginta ſex. Qui cum eſſet ductus, ſiue multiplicatus per ſeipſum, id eſt totiens ſumptus, quot continet vnitates: ſi verum eſſet, redderet numerum eorum. Sed puto hic omnium calculantium, digitos prohibitos eſſe. Nimia enim multitudo Angelorum; adeo vt ante ſtellas cœli, guttas maris, atomos ſolis, puto numerari poſſe, quam numerum Angelorum. Si tanti Sancti, vt dictum eſt, ſunt in choro infimo Angelorum, quantos putabimus in ſummo? Nam ſecundum diuiniſſimũ, ac theologiſſimum Dionyſium, Quo fuerit in cœleſtibus hierarchijs ordo ſuperior, eo plures in ipſo angeli continentur. Hæc de numeroſitate eorum dixerimus: vt vel quandoque ad tantam, talemq́; ſocietatẽ aſpiremus; nil certi determinantes, ſed in verbis magni Dionyſij concludentes, & dicentes, Multi ſunt Dei exercitus ſupernarum mentium, infimam, & cõſtrictam excedentes noſtrarum materialium commenſurationem. Hęc ille. Qui plura de hotũ numeroſitate ſcire volet, Guillermũ in de vniuerſo ſpirituali, & alios Doctos, & Bertrãnium videat.

Mat. 20.

QVINTVM Angelorum priuilegium, conſiſtit in *Diuinæ eſſentiæ maiori conformitate*: Nam ſimpliciter, & abſolutè loquendo, imago Dei magis eſt in angelo, quam in homine. Et hinc eſt quòd non ſolum ad imaginem Dei dicuntur, ſed à Dionyſio imago, & in ſcriptura ſignaculum ſimilitudinis vocantur: vt in Ezechiele cap. 28. *Tu ſignaculum ſimilitudinis Dei* &c. vbi Gregorius, *Angelus non ad ſimilitudinem Dei tantum dicitur factus, ſed ſignaculum ſimilitudinis: vt quo in eo eſt natura ſubtilior, eo in illo imago Dei ſubtilius inſinuetur expreſſa*. Quod, & ratione patet, Nam imago conſequitur naturam intellectualem; ergo vbi natura intellectualis perfectior, ibi ſimilitudo maior; ſed natura intellectualis in angelo eſt dignior, & perfectior quàm in homine, in quo ratio intellectualis luminis naturalis multipliciter eſt obumbrata, ergo &c. Quam autem perfecta ſit imago, patet ex capacitate Dei, quæ ſe illi totam infundit; vnde *ſpecula ſplendidiſſima* vocantur, pleniſſimè illuminata; adeo vt qui videret angelum, videret Deum in ipſo clariſſimè relucentem. Sicut enim ſi duo ſpecula contra ſe inuicem tenerentur, imago vnius relucerer in aliud; ſic ſimiliter Diuinum ſpectaculum relucet in angelica natura; vt patet ſupra ex eius diffinitione. Sic ergo patet quòd perfectior in angelo eſt imago Dei ſimpliciter; ſecundum quid tamen, magis in homine, quam in Angelo reperitur, ob multa alia dicenda. VI.

Simile.

ſupremi Angeli, atq; etiã gloriã; cum ſecundũ Bernardum, Angeli, qui præcellunt in naturalibus, etiam præcellunt in gratia & gloria? Certè nullus. Aſcendatur intellectu exinde altius, hoc modo, Ad & per alios ordines, gradatim ſemper addendo perfectionem maiorem in natu, gratia, & gloria, cum ventum fuerit ad ſupremum Seraphin, nonne deficiet mens præ ſtupore? & in extaſi ponetur, in conſideratione huiuſmodi tãtæ ſpecioſitatis? O igitur, qui oculis in pulchra laſciuire ſoletis: Hinc vobis deſiderabilia oculorum, & inde ſaltem Angelum vnum conſtituite; & niſi cæci prorſus fueritis, incomparabiliter iſtum illis præferetis.

DECIMVM eſt in *confirmationis in bono ſtabilitatem.* Nós autem labiles ſumus vſquequaque. Suſceperunt autem illi confirmationem ex tribus. *Ex natura diſpoſitiuè*, quæ ſimul in eis vertibilis ſolum. *Ex gratia meritoriè*, quia cõnectitur ſtabili æterno, per conuerſionis feruorem. *Ex gloria completiuè*, quia cum Deũ habeant pro gloria, quæ eſt forma omnis deſiderij eorum completiua, non iam extrauagantur.

IX. POSTREMO excedunt nos in *beatitudinis fœlicitate*, quam & perceperunt citius, ſcilicet ab ipſo conuerſionis eorum initio; & meruerunt *facilius*, quia non aggrauati corporibꝰ; & per fruiti *diutius*, quia ante homines omnes. Vnde ab initio viderunt Deum apertè, & amauerunt perfectè, & tenuerunt aſſiduè. Mox ſiquidem (ait Bernardinus) poſt triumphalem in merito Ieſu victoriam, adepti ſunt condignam gloriam: vt deducit ex verbis Apoc. vbi dicit, *Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem agni*, dicens, quod ſtatim in confirmatione aſſecuti ſunt tria præmia.

Se.	Trãquillitatẽ,	in	Patre,	per Chriſtum	Reconciliatorem.
	Veritatem,		Filio,		Doctorẽ.
	Suauitatem.		Spiritu ſãct.		Amatorẽ.

Vt latius deducens, quòd, & Angelorum ſit Chriſtus reconciliator; licet non redemptor. O igitur nimium beatos Angelicos ſpiritus iſtos, quibus tantis priuilegijs datum eſt eminere. O verè dignè venerandos, quos conſtat ita prælatos.

NOTA tamen quamuis in omnibus dictis, primatũ teneant Angeli ſancti: In nonnullis tamen cum eorum dignitate, conuenit noſtra paupertas; & in aliquibus ſi dici liceret, excedit eos humilitas noſtra; in iſtis autem conuenimus; quia ſcilicet,

Eſt Pater, hæredes, cibus, vnus, nunc meditamur.

Conuenimus PRIMO in *creatione*, conditorem vnum cum eis, & Patrem habentes Malac. c. 2. *Nunquid non Pater vnus omnium noſtrum? Nunquid non vnus Deus creauit nos?* SECVNDO in *hæreditatis poſſeſſione*. Erimus enim eorum conciues, & (vt Dominus ait) *velut* Angeli Dei.

Mat. 22. TERTIO *in cibatione*, quia panis vnus vtrorumque; ſed nobis velatus, illis reuelatus. *Panem enim Angelorum manducauit homo* Quẽ

Pſ. 77. licet habeant clarius, nos tamen mirabilius; licet habeant gaudioſius, nos tamen nobis meritoriè magis, POSTREMO ſimiles ſumus illis, in Deitatis contemplatione. Sicut enim nunc vident Deum, ſic & eum viſuri ſumus, nunc ſcilicet facie ad faciem, Cum igitur cum tantis conuenimus, fiducialiter tanquam 1. Cor. 15. ad fratres, ad eos accedere poſſumus, ſimilitudinem hanc allegantes.

Excedimus etiam, vt tamen pace eorum loquar eos in iſtis, ſcilicet.

Eſt frater, moriẽdo, remittit, ſtola duplex nos.

PRIMO in ampliori Chriſti proximatione, quia Chriſtus *frater noſter eſt*; vnde & *nuſquam Angelos apprehendit: ſed ſemen Abrahæ apprehendit*. Heb. 2. Vnde & nos dicit crebro fratres, nuſquam Angelos ſic appellans. SE- Mar. 3. CVNDO in *redemptione*; Non enim pro Angelis Chriſtus mortuus eſt; ſed nos ſuo ſanguine redemit; nunquam (vt Origenes ſomniauit) moriturus pro apoſtatis Angelis. TERTIO in *peccatorum remiſſione*; Quotiens reuertimur, totiens recipimur: Angelorum eſt irremiſſibile peccatum. QVARTO in *præmij perceptione*: Nam licet illi ſint præmiati citius, nos præmiabimur plenius; puta duplici ſtola, intus, & foris paſcua habentes. Hæc diximus Io. 10. ne in Angelicæ dignitatis, & noſtræ humilitatis conſideratione, nimium deijceremur; ſed etiam, vt noſtram dignitatem veneremur, quem Angeli tantopere venerantur, poſt Chriſti incarnationem: vt nolint ſe amodo ab hominibus adorari. Hæc de dignitate Ange- Apoc. 22. & 19. lica, quę (vt placet Auguſtino) altior eſt humana.

De Angelorum miſſione.

CAP. IV.

OMnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, & in 1. myſterium miſſi, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Paulus Heb. ca. 1. POST præmiſſa; inquirendum de miſſionis, & cuſtodiæ Angelicæ modalitate. Et primo de miſſione ipſa, vbi hæc ſunt videnda.

Mittantur cuncti, videant, cur non Deus ipſe.

PRIMO videndum ſi Angeli mittantur, & quæ ſit illorum miſſio. Pro quo nota, quod illorum miſſio fere nil aliud eſt, niſi illorum ad noſtram cuſtodiam, & pro nobis deputatio, de qua cuſtodia dicemus. SECVNDO virũ omnes mittantur, de quo ſciendũ quod mitti Angelos, ſecundũ Dionyſium, dupliciter accipi poteſt: *Vno modo* ad omnia ſecreta Diuina reuelanda; *Alio modo* ad exteriora exequenda: *Primo* omnes mittuntur, quia ſupremi reuelãt ſecreta medijs, & medij infimis, & ſic omnes quodammodo pro nobis mittuntur, & Angeli dicuntur. *Secundo* modo locum mutando, & ad quædam exequenda, ſoli mittuntur Angeli inferiores, vt communiter; licet pro arduis cauſis, & alij inueniantur mitti; ita quod Dionyſius Carthuſienſis concludit, quinque ordines inferiores mitti, tres ſupremos aſſiſtere ſolum: Dominationes vero

Digitized by Google

medio modo ſe habere, & communicare vtriſque. Porro vtrum ſic ad exteriora *miſſi, non impediantur à contemplatione Dei*, Dominus ipſe diſſoluit, vbi ait: Mar. 18. *Amen dico vobis Angeli eorum ſemper vident faciem Patris.* Non ex miſſione retardantur, nec impediuntur; quia ſic ad exteriora procedunt, quod ab intimis nunquam recedunt; Sunt enim in latitudine mentis. Et intra Deum currunt, quocunque mittuntur. Recedere tamen dicitur à Deo, dum ab inuiſibilitate viſibilis apparet; & reuerti ad Deum, quando depoſita viſibilitate, in priſtinam reuertitur inuiſibilitatem. *Cur autem Deus per ſe* non cuſtodit hominem? Certè hoc facit per ſe; mediantibus tamen Angelis, quia hoc lex eius requirit, & in hoc vtilitas, tam cuſtodientibus, quàm cuſtoditis prouenit.

MEMBRVM I.

De Angelicorum ſpirituum erga homines dignatiua cuſtodia.

II. *Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs ſuis.* Pſalm. 90. DE CVSTODIA Angelica, ſequentia ſunt meditanda.

Si ferunt, cur, qui, quot, quando, quomodo cernas.

PRIMO de hac cuſtodia firmiter tenendum, ſingulis hominibus ſingulos eſſe Angelos deputatos ad cuſtodiam eorum, patet ex iſtis.

Hoc Scriptura tenet, Sancti, gentes, rationes.

PRIMO patet hoc ſcripturæ auctoritate; nam ſuper illo verbo Eſaiæ, c. 62. *Super muros tuos conſtitui cuſtodes:* Gloſſa ait, quod cuſtodes hominum ſunt Angeli. Et in Pſalm. 90. *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te,* &c. Super hoc reuolue crebrius, quod ait Bernar. verè notandiſſimum dictum. *O quantam* (inquit) *debet tibi hoc verbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam; Reuerẽtiã pro præſentia, deuotionem pro beneuolentia, fiduciam pro cuſtodia. Caute ergo ambula. In quouis diuerſorio, in quouis angulo, reuerentiam habe coram Angelo tuo, nec facias illo præſente, quod me præſente non auderes.* Patet idem ex verbo Domini. *Angeli eorum.* &c. Itemque in actibus Apoſtolorum, vbi fideles de Petro aiunt, Act. 12. *Angelus eius eſt,* &c.

SECVNDO hoc iam tota fidelium Eccleſia tenet. TERTIO idem Sancti iam vndique in ſcriptis proclamant. QVARTO hoc idem & gentium Philoſophi poſuerunt. Tradiderunt enim (vt Gerſon ait) gentiles habere ab hora conceptionis quemlibet, vnum ſuum genium, qui cum moriente deficiebat, quem Deum putabant fortunæ, quidam prudentiores tamen dicebant, inclinationem quandam à cœleſtibus impreſſam. Vt latius in opere ſuo die Natalis Cenſorinus Philoſophus pertractat, oſtendens ibidem quid genius ſit, quã aſſiduus nobis, & quam cuique potiſſimum ſuo in Natali venerandus, dicens. Genius eſt Deus, cuius in tutela, vt quiſque natus eſt viuit, ſiue etiam quod vt generemur curat, ſiue quod vna gignitur nobiſcum. Vnde eundem genium eſſe, & larem, multi veteres memoriæ prodiderunt, quem maximam; imò omnem in nos poteſtatem habere, C. Flaccus in libro de Indigitamentis ait. Eraclides autẽ ſocraticus, duplicem omnibus genium appoſitum dicit, quorum optimo, potiſſimum per omnẽ ætatem, quotannis ſub die natali ſacrificandũ, quem meliorem lapillo numerare decet. Nec hoſtiam cedere in illo. Adeo enim aſſiduus eſt nobis appoſitus obſeruator genius iſte, vt ne puncto quidem temporis longius abſcedat: Sed ab vtero matris acceptos, ad extremum vitæ diem comitetur. Hæc memoratus Cenſorin. Super qua materia plures Platonici etiam conſcribunt de calo, & caco dæmonibus, ex Platonis ſententia commemorantes.

PROBATVR poſtremo idem multiplici ratione; ſcilicet iſtis. III.

Parte Deique, ſui, noſtri, medij, ſimilati.

PRIMO *ex parte Dei*, pronior enim erit Deus ad miſerandum, quam ad puniendum, ſed Deus dedit hominibus dæmones ad eorum exercitium; *non enim eſt nobis colluctatio.* &c. Eph. 6. ergo multo fortius dabit etiam Angelos ad cuſtodiam hominum; nam & hoc competit ſuæ bonitati, quæ in hoc manifeſtatur, quantum diligat ſalutem noſtram, dum tam nobiliſſimos, & ſibi caros ſpiritus pro nobis mittit, & ipſis mandat de nobis.

SECVNDO probatur ex *parte Angelorum*, qui ſunt natura pijſſimi, & nolunt homines ſibi ratione, vel intellectu conformes deſerere, ſine adiutorio opportuno: Vnde manifeſtatur eorum erga nos charitas, qua tam proni ſunt ad nos mitti, præſertim cum eorum ruina reſtauranda ſit ex nobis, & eis vtilitas ex hoc grandis cedat. Vnde pro eorum reſtauratione, tam ſollicitè in redemptionis myſterio adminiſtrarunt,

Scil. Primo, Incarnationem annunciando;
Secundo, Natiuitatem propalando;
Tertio, in Paſſione confortando;
Quarto, Reſurrectionem notificando;
Et in Aſcenſione, aſtando.

Cedit & eis vtilitas ex miniſterio noſtro, quia accidentale præmium (licet plurimi reſiſtant eis, vſque in finem) accumulatur, vt ait Bonauentura. Et Dominus ipſe videtur teſtari, quia *gaudium eſt Angelis in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Luc. 15.

TERTIO ex parte noſtri, ſcilicet noſtræ dignitatis, & neceſſitatis, *primo dignitatis*; quia ratione ſumus eis vicini, & per myſterium incarnationis, ſupra eos dignificati; vt canitur in aſcenſione: Vnde nec poſt illud factum, ſe adorari permiſerunt. Hinc Apoc. c. 19. *Vide ne feceris, quia conſeruus tuus ego ſum,* &c. Non igitur dedignantur ſeruire homini, cuius naturã vident ſupra ſe leuatam in cœlis. *Secundo ratione noſtræ neceſſitatis*: Sumus enim nimis infirmi, hoſtibus multis, & aſtutiſſimis, & nequiſſimis obſeſſi, qui ſæpe rationem ſeducũt, voluntatem inficiunt, virtutem operatiuam oppri-

opprimunt: Hinc Angelis opus habemus, qui intellectum illuminent, voluntatem rectificent, infirmitatem iuuent. Quotiens igitur tentaris ab hoſte, inuoca tuum cuſtodem; vt ſit adiutor in tribulatione.

QVARTO *ratione meditationis* & ordinis; lex enim ordinē rerum requirit, vt inferiora per ſuperiora diſponantur, & vt mobile omne ad immobile reducatur.

POSTREMO probatur *ratione aſſimilationis*: Paruulo enim puero, quouſque ad ętatem perueniat; prouidetur de manuductore; Ad ſcholas ituro de pedagogo, eunti ad bellum, de militiæ experto magiſtro: Quod ſi ſuis pueris procurent hoc Patres carnium; quid non ſuis de his prouidebit Pater ſpirituum? Dulcis & deuota eſſet horum applicatio; ſed committimus meditaturo. Ad reliqua properandum.

MEMBRVM II.

Cur, quinam & quos, ac quando cuſtodiant Angeli.

IV. SECVNDO *cur ſint Angeli ad cuſtodiam deputati*, licet ſatis claret ex dictis; tamen propter hæc eis deputantur,

Proficiant, ſtent, vt ſurgant, non ſæpe, vel aſtent.

PRIMO, vt promoueantur, & proficiāt in bonum gratiæ. SECVNDO, vt non cadant in malum culpæ. TERTIO ſi ceciderint, vt reſurgant ab illo. QVARTO, vt non totiens cadant, vel non in tanta mala. POSTREMO, vt in omni neceſſitate nobis aſtent.

V. PORRO de tertio, ſcilicet, qui ſunt Angeli nos cuſtodientes, non opus eſt, vt aliquid dicamus, quia ſatis, vbi qui mittantur diximus, putamus declaratum. Hoc tamen dicimus, quod propriè Angeli infimi ordinis ad cuſtodiam deputantur, vt Grego. ait. Nam qui cuſtodire debent, tres proprietates habent.

PRIMO, quod immediate homines illuminent, & per hoc videntur excludi Angeli ſupremæ hierarchiæ;

SECVNDO, quod actus limitatos habeant circa officia humana, & ſic excluduntur Angeli mediæ hierarchiæ.

TERTIO, quod procurent ea quæ ad determinatas perſonas pertinent, & ſic excluduntur Angeli primi ordinis, & ſecundi vltimæ hierarchiæ.

Si quandoque Archangelus hominem cuſtodit, hoc non eſt, vt perſonam ſingularem; ſed communi propoſitum bono.

Quos cuſtodiant.

VI. DE QVARTO; ſcilicet, *quos cuſtodiant*, eſt ſciendum in genere, quod illos, qui poſſunt promoueri in bonum, & impediri à malo. Vnde patet, quòd nec animæ ſeparatæ, nec Angelis bonis, vel malis Angeli fuerunt deputati. Quæritur autem de his,

Chriſtus, Adam, Virgo, puerique, mali, ſimul Anti.

PRIMO, ſi *Chriſto Angelus deputatus fuerit ad cuſtodiam*? Communiter tenetur quòd non: *Tū quia* omnibus Angelis erat ſuperior, & immediatè à verbo regulabatur; *Tum quia* verus comprehenſor, cuius bonum non poterat impediri; *Tum quia* nullum defectum habuit, vel culpæ, vel pœnæ; alij aliter aiunt.

DE ADAM, & primis parentibus tenetur, quod Angelos ſibi habebant deputatos; quia licet recti fuerant creati, poterant tamen (vt heu contigit) à bono auerti, & impediri. Et licet non habuerunt carnem rebellem; habuerunt tamen diabolum inſidiatorem.

DE VIRGINE glorioſa ait Chryſoſtomus, infinitam militiam Angelorum, ad glorioſæ Virginis obſequium deputatam nullatenus ambigimus vt cuſtodirent lectum veri Salomonis gratiſſimum, & cauerent ne pręparatū æterni regis hoſpitium hoſtis incenderet. Vnde plures dicunt eam cuſtodem habuiſſe. Sed Franciſcus Maronis ſublimius ſenſit dicens, Credo eam immediatè à Trinitate cuſtoditā, & multitudinem illam Angelorum, in obſequium ei datam. Nullus quoque malignus ſpiritus ad eam accedere permiſſus. Hoc ego nō intelligo, quaſi nunquam fuerit tentata, cum etiam venerabilis Ioannes Gerſon de illa dicat plura ſuper Magnificat; nō ſcilicet eam coronatam ſine certamine in tentationibus legitimo.

PVERI in vtero Angelos habent, ne à dæmonibus interimantur; ſed vt quidam aiūt, Angelum matris; quod tamen non eſt credi tum cunctis.

QVOD etiam mali omnes; imò, & pagani, ac increduli vniuerſi Angelos habeant, patet; propter noſtram malitiam, non deſinit bonitas Dei operari, quod proprium ſibi, eamque decet, & entium ordo requirit; Ideo ſingulis de Angelorum cuſtodia prouidit: Quæ licet non æquè proficiat; in multis tamen eis partim prodeſt, & accidētaliter obeſt: *Prodeſt* quippe vel corpus conſeruans, aut certè à peccatis multis retrahens Non enim in toto fruſtratur Angelorum ſollertia, & intentio Dei; *Obeſt* ex accidenti, quia propter contemptum illorum, grauius inde damnamur. Cur autem Angeli illos non conuertunt, cur non magis proficiant, pulchrè Guillermus determinat, demonſtrans quod reddunt ſe indignos illis.

POSTREMO, & filius ille damnationis Antichriſtus (vt aiunt) Angelum cuſtodem habebit. Quia lex communis propter vnum mutari non debet, & in hoc pœna eius iuſtior apparebit, & à multis malis ab angelo retrahetur; Ita quod non ocioſa erit cuſtodia eius. O igitur grandis pietas Dei. Qui ſicut ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos, & malos; ita, & vtriſque de angelis prouidit. Mat. 5.

ET LICET omnibus aſtant; tamen libentius *quinque generibus hominum* ſe aſſociant; Scilicet *orantibus & laudantibus*, quos præueniunt. Pſ. 67. *Secundo tribulatis*, cum quibus, vt cum Azaria &c. deſcendunt in caminum tri Dan. 3. bulationis. *Tertio certantibus* contra dæmonem quibus ſuccurrunt, dicente Heliſeo, 4. Reg. 6. *Nolite timere, plures nobiſcum ſunt quam cū illis.*

Quarto eis in pace, *& officijs conformibus*, vt Bernard. & Beda aiunt. Poſtremo *in Domino*
Luc.16. *morientibus*, vt patet de mendico, & Chriſto.

VII. DE QVINTO ſcilicet *tempore cuſtodiæ* videndum. Quando incipiant, Quandiu, & vbi cuſtodiant, & an vnquam deſerant. DE PRIMO, licet plures contrarium ſentiant, piè tenendum, Quod cuſtodiant ab infuſione animæ in vtero; nam ante, opus non eſt; ne (iuxta Bonauen.) videatur cuſtodia propter corpus eſſe tantum, & non propter animam magis. Dictum autem Hierony. ſcilicet, *Magna eſt dignitas animarum, vt vnaquaque ab ortu natiuitatis ſuæ Angelum habeat cuſtodem*, Alexã. de Hales exponit dicens, quod duplex ſit hominis natiuitas; ſcilicet in vtero, & ex vtero. In vtero eſt quando anima infunditur; Altera quando in lucem producitur; *A prima* inchoatur natiuitate Angelica cuſtodia, nec vltra differri debet, quia ea opus habet, & impediri poteſt; nec bene ſonare videtur, quod tunc ab Angelo matris, magis quam quando foris productus eſt cuſtodiatur; cum æquè digna ſit anima in vtero & extra. Et licet Thomas in ſcriptis ſic ſentiat & dicat; in tractatu tamen ſuo ab æterna beatitudine, cum alijs ſentit. O igitur ſimus grati.

Pſ.110. PORRO DE SECVNDO vbi, & quandiu cuſtodiant, Tenendum quod in introitu, & exitu, & in omnibus vijs.

In ventre, ex ventre, vita, vel morte tenet, poſt.

Vide hæc omnia in Nyder, & Antonino ſatis exemplariter proſequuta.

DE TERTIO autem; ſcilicet *an vnquam homines ab Angelis deſerantur*, aiunt quod nec obſtinatiſſimos quoſque deſerant ante mortem: Et hoc Bonauentura probat. Quia pronior eſt bonus Angelus ad adiuuandum, quàm malus ad perdendum; Sed malus Angelus nõ derelinquit hominem vſque ad morem, etiam quantumuis ſanctum; ergo nec bonus Angelus, hominem quantumcunque ſceleratum dimittet vſque ad finem. Sed quia obſtinatos non tamen diligenter fortè cuſtodiunt; ideo quodammodo derelinquere dicuntur. Aut certè derelinquunt, non promonentes in bonum, ſed retrahentes à malo. Et ſic intelliguntur auctoritates. *Curauimus Babylonem & non eſt curata: derelinquamus eam*, Ier. c. 52. Itemque de Hieruſalem, *migremus ex his ſedibus*, vt Ioſephus ait. Veruntamen Gulielmus Parriſien. ſecus ſentire videtur, & Robertus de Litio ſoluit. Qui a igitur ſemper cuſtodimur ſemper grati ſimus.

MEMBRVM III.

De Angelica cuſtodia qualitate.

VIII. POSTREMO videndum *quomodo nos cuſtodiant*: Et certè vt plurima paucis complectamur inuenimus; quòd cuſtodiunt nos his modis, ſcilicet,

Dignanter, lęte, vel fortiter, vtiliterque.

PRIMO (inquam) cuſtodiunt nos *valde dignanter*: Et verè dignanter. Quam dignantiſſimam dignationem ex his videamus,

Tanti, tantilloſque, locoque, ſtatu, ſimul, & ſic.

PRIMO ſi conſideremus cuſtodientium *dignitatem*, SECVNDO cuſtoditorum vilitatem, & quod ſcilicet principales tales ac tanti, ſeruiunt homini tam vili, pauperculo, nequam, & indigno. TERTIO quod in tam *humili loco*, in ſordenti ſtabulo: velut vulneratus ille de quo Lucas ca. 10. QVARTO, quod tam officioſiſſimè ſeruiunt in morte, vita, & natiuitate, quaſi emptitij ſerui noſtri, die noctuque. POSTREMO, quod in *ſtatu peccati* non derelinquant nos, cum tamen viliores eis tunc ſumus, quam putridiſſima cadauera terræ: vt patet ex reuelatione in Vitiſpatrum. O vere dignationem & certè ſtupendam.

SECVNDO cuſtodiunt nos *late & libenter*, atque adeo libenter, vt quaſi omnes clament illud Eſa. c. 6. *Ecce ego mitte me*. Et hoc patet ex operis exhibitione, & Domini teſtimonio, quia *gaudium eſt eis ſuper vno peccatore, pænitentiam agere*. Luc. 15. Et *gratiſſime ſine meriti alicuius reſpectu*: Quo tamen fortè non priuantur; ſed tanto operantur magis meritoriè, quanto magis non intendunt. Nam (ait Guilielmus) quod obſequium quanto magis gratis impenditur; tanto magis eſt meritorium; magiſque retributionis obligatorium: Quanto autem plus intenditur in mercedem, vel præmium, tanto minus gratis impenditur, & minus eſt meritorium; nam meritum eſt obſequium gratis impenſum, retributionis obligatorium; Cui magis conuenit hæc ratio, magis conuenit & nomen meriti. Et iam libenter nobis ſeruiunt potiſſimum propter tria (vt ait Bernardus in Sermone) ſcilicet propter Deũ, propter ſeipſos, & propter nos: vt patet ſupra. Sed & lætè, quia non affliguntur, nec dolent, ex cuſtoditi damnatione: Quod ſic comprobant Docti; *Primo propter repugnantiam*, nemo poteſt ſimul eſſe fœlix & miſer; ſed Angeli ſunt fœlices, ergo non poſſunt eſſe miſeri; ſed dolor & miſeria ad triſtitiam ſpectant. *Secundo propter gloriam*, Angeli ſunt beati, ergo ita ſunt ſummo bono repleti, quod nullius doloris, aut triſtitię ſunt capaces, *Poſtremo & maxime propter Diuinæ voluntatis conformationem* perfectam; vnde nec peſſimos à damnatione eripiunt, nec de damnatione eorum dolent, quia Dei voluntatem eſſe vident.

TERTIO cuſtodiunt nos *fortiter*, & valde ſollicitè, non die, non noctu à cuſtodia ceſſantes; ſemper, velut argumentoſæ apes, pro noſtra ſalute, inter nos, & Deum, velut inter aluearia, & flores diſcurrentes; imò & nobis dormientibus, & à bonis præ torpore, aut negligentia ceſſantibus, ipſi (vt ait Gulielmus) pro nobis vigilant, orantes & gratias agentes, nec ſomno, nec laſſitudine affecti. O meditetur hæc mens pia inter ſilentia.

QVARTO ſic, id eſt inſtar quorundam *dulciſſimè* deſeruiunt nobis; ſcilicet

Vt cuſtos, nutrix, medicus, velut, & pedagogus.

PRIMO velut *cuſtodes*, qui adhibentur ciuitatibus contra hoſtes & incendia: Excubant namque vt fidiſſimi vigiles, pericula & animarum,

Digitized by Google

rum, & corporum auertentes; Et hoc vel excitantes, vel ſollicitos reddentes, quando imminet periculi quippam, etiam media nocte nonnunquam; etiam (ait Guillermus) procurant aquam præparari contra incendia, quæ ſciunt imminere; licet ab hominibus propter aliam cauſam hauriatur. Magis autem incendia cupiditatum, vt patet de puero, quem Angelus occidit, & ſic liberauit parentes ab incendio auaritiæ. QVOD etiam *ad modum* nutricum, ab aqua & igne, tam corporalibus, quam ſpiritualibus nos cuſtodiant, patet in multis exemplis, vbi angeli paruulos de periculis liberauerunt: Et etiam Guillermus ait, quod tempore ſuo magni muri ceciderunt ſuper corpora paruulorum, & tamen de ſubaceruis lapidum extracti fuerunt illæſi, quod indubie per miniſterium fiebat angelorum. MEDICINALE quoque officium exercent in homines, non ſolum ſpiritualis, ſed etiam corporalis ſanationis: vt patet de Raphaele, & alijs. Spiritualiter ſanant vitia coercendo &c. Iraſque febriũ comprimendo: Freneticos furores cohibendo, &c. Inſtar etiam PEDAGOGI, interdum ducunt homines, regentes, & dirigentes greſſus, ne offendant, vel lubricum patiantur, quandoque etiam manibus aliquos portant, aut aliter rapiunt, & in varijs periculis etiam corporalibus tuentur, vt in aqua, igne; vt patet in exemplis. Sic & per Corui ſtudium Prophetæ alimenta procurarunt. Poterunt circa ſingula membra, exempla multa, ex libris exemplorum adduci, ſed accelerandum.

Tob.12.

3.Reg.17.

Poſtremo vtiliter cuſtodiunt, cum mira efficacia & vtilitate. Et quoniam hæ vtilitates à varijs variè aſſignantur, Volumus primo tradere quomodo erga diuerſa genera hominũ diuerſos actus habeant; ſcilicet circa iſtos.

Peccat, flent, cuſtos, patientes, ad morientes.

§ 1. *Effectus cuſtodiæ angelicæ circa peccatores.*

IX. PRIMVM erga peccatores exercent actus iſtos: vt patet in exemplis.

In crepat, impedit, eripit, Iſrael, & Balaam, Loth.

PRIMO inquam bonus Angelus, peccatores de commiſſis *arguit & increpat*: Et hoc tribus modis, *primo* de ingratitudine collati beneficij; *ſecundo* de præuaricatione mandati Diuini; *tertio* de perditione promiſſionis præmij æterni, vt patet Iudic.2. vbi Angelus Domini deſcendit ad locum flentium, & increpauit filios Iſrael, de tribus dictis, vt patet, quia dicit: *Eduxi vos de Ægypto, & introduxi vos in terram,* &c. & *pracepi, vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terra,* &c.

Nu.24. SECVNDO principaliter peccatores *ne peccent, impedit* tripliciter, vt patet in Balaam, *Primo* per extremi examinis imaginationem, quia occurrit ei in via cum gladio euaginato, quem cernens aſina; id eſt ſenſualitas, à via declinat; *Secundo* per immiſſionem præſentis tribulationis, quia occurrit ei in loco anguſto, & attriuit pedem eius; attritio pedum dolor eſt affectionis. *Tertio* per horrorem mortis, quia occurrit ei in loco arctiſſimo, vbi non poterat declinare, & ibi aſina cadit, quia in ægritudine mortali, per Angelos immiſſa, ipſa ſenſualitas obumbrata manet. Et hoc totum Angelus facit: vt ſuperinſidens ratio, peccatores à peccato conuertat.

TERTIO bonus Angelus à *peccato præſenti eripit*, nam retrahit, à peccato; ſcilicet cogitationem, & affectionem, & actionem: quod pulchre in Loth deſignatur, vbi eum coegerunt exire cum vxore, & duabus filiabus; Per Loth ſignificatur ratio; per vxorem caro, per duas filias cogitatio, & affectio peccati. Quas dum diſſimulamus à peccato retrahere, inferunt quaſi vim, & apprehendunt per manus, dantes gratiæ adiutorium, &c. Gen.19.

§. 2. *Effectus circa pœnitentes.*

SECVNDO operantur quoſdam effectus *circa flentes, id eſt pœnitentes.* Et hoc primo, vt de peccato reſurgant. Et hoc tripliciter faciunt. X.

Conterit, & purgat, gaudet fel, Eſaias. Luc.

PRIMVS actus erga pœnitentes, eſt *ſanare oculos cordis ad contritionem*: vt patet Thob.c.12. vbi poſtquam oculi Thobiæ ſenioris liniti fuerunt de felle piſcis, cœpit albugo de oculis egredi, qua abſtracta viſum recepit. *Thobias*, liberum arbitrium; eius cæcitas, ſignat ignorantiam peccati, & præparati ſupplicij, & amiſſi præmij. *fel piſcis*, eſt amaritudo compunctionis de peccatis commiſſis, *linitio oculorum* ex felle, eſt reuolutio doloris, & amaritudinis ex cogitatione peccati; per quam *albugo*, id eſt inconſideratio de oculis egreditur, & ſic *viſus*, id eſt gratia cœleſtis infunditur; vt ſcilicet poſſit iam claris oculis cernere, & gloriam, quam per peccatum amiſerat; & pœnam quã incurrerat.

SECVNDVS actus eſt *purgare labia ad oris confeſſionẽ*, quod ſignatur in Eſaia, vbi per Angelũ labia Eſaiæ purgantur; per calculum Diuini amoris, &c. Eſ.6.

TERTIVS actus eſt *congaudere ad ſatisfactionem:* Cuius figura habetur apud Lucam de muliere, & drachma amiſſa, vbi dicitur quòd Maius *gaudium eſt in cælo*, &c. Et amicæ, id eſt, Angelicæ virtutes vocantur ad congratulandum. Luc. 5.

HABENT nihilhominus, & alios tres actus erga pœnitentes, ob id ſcilicet ne in priora mala recidiuent, & ſunt iſti,

Frenant, debilitant, ſignant puteo Iacob, & than.

Primo ne *recidiuemus*, poteſtatem dæmonum refrenant: vt patet ex Apocal.cap. 10. de Angelo, qui dæmonem ligauit, & in abyſſum miſit, cuius ligatio nil eſt niſi poteſtatis eius refrenatio.

Secundo concupiſcentiã refrigerant, aut debilitant: vt patet in Geneſi, vbi dicitur quòd Angelus tetigit neruum Iacob, & ſtatim emarcuit. Gen 32.

Tertio memoriam paſſionis mentibus imprimunt, quod ſignauit Ezechiel, per ſignum Ezech.9

than

thau, frontibus virorum gementium impreſſum.

§ 3. *Effectus Angelorum circa iuſtos.*

XI. TERTIO habent effectus *circa iuſtos*, vel bene operantes, aut proficienres: Et hoc PRIMO ad effectum in procedendo, & ad hoc concurrunt iſti actus.

Aufert, excutiens, ducit, genitos Zacha. Tobi.

PRIMO impedimentum ad bonum auferr, quod ſignatur in Exodo, c.12. vbi Angelus percuſſit primogenita Ægypri; SECVNDO pigritiam excutiunr, quod ſignatur apud Zachariam, c.4. vbi dicitur, *Angelus Domini excitauit me, quaſi hominem qui excitatur à ſomno*; TERTIO in viam pœnitentiæ ducunt, & reducunt, Et ſignatur in libro Thob. c.5 in Angelo, qui eum duxit, & reduxir.

QVARTO habenr actus quoſdam in profectu, his modis,

Luſtrat, ſuccendit, paſcit, Petrus, ignis, Helias.

PRIMO illuminanr inrellectum ſopitum per inconſiderationem; In cuius typo dicitur in actibus Apoſtolorum, c. 12. quod *aſtitit Petro, & lumen refulſit in habitaculo* carceris. SECVNDO inflammanr affectum infrigidatum per torporem: Hinc dicitur in Pſal. 103. *Qui facis Angelos tuos ſpi. & miniſtr.* &c. TERTIO paſcunt ſenſum infirmatum: Er in huius figura dicitur 3. Reg. 19. quòd Angelus Heliæ panem, & potum oſtendit, Et ſic roboratus in montem Dei Oreb aſcendit.

§ 4. *Circa tribulatos.*

XII QVARTO habent effectus ſuos erga *tribulationem patientes*, & ſunt iſti, PRIMO orationem offerendo,

Hanc dant, allegant, ducunt Thobi. Iob. Danielque.

Primo illam præſentando, ſicut dicitur Thob. c.12. *Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Sed Guillielmus Parrhiſien. valde improbat huiuſmodi dictum, quaſi ſimpliciter, & circumſpectè nimis poſitum, quaſi aliter orationes noſtræ non aſcenderent ad Deum, quæ per ſe ſunt porentes; ſed porius vult, quod ipſi dicãtur orare pro nobis. Videatur ipſe in de vniuerſo. *Secundo* pro nobis allegando: iuxta illud Iob c.33. *Si fuerit pro eo Angelus loquens*, &c. Et Zach.1. Angelus ait, *Domine exercituum vſquequo non miſereberis Hieruſalem, & vrbium Iuda quibus iratus es? Iſte namque eſt ſeptuageſimus annus.* Et ô verè fœlices, qui hos habuerint interpellatores. Oranr autem pijs deſiderijs, & petitionibus ſpiritualibus: vt pulchrè Guillielmus declarar. *Tertio* Dei ſententiam nobis renunciando: vt in Daniele vbi dicitur, quòd Gabriel ad eum volans dixir. Dan. ca. 9. *Ab exordio precum*, &c. Er ſequitur. *Ego autem veni, vt indicarem tibi, quia vir deſideriorum es.* Dan.9.

SECVNDO alios actus erga tribulatos habent, ſcilicet iſtos,

Robur, conſolans, ſeruans Ieſus, en Zacha. Tobi.

Primus eſt contra difficile confortare, animare, roborare: Et hoc ſignatur in Luca; vbi Angelus apparens de cœlo Ieſum conforrauit. Luc.22. *Secundus* conſolari ſuſtinentes receſſabile, quod exprimitur Zach. ca. 1. vbi dici tú, quòd Angelus loquebatur in eo verbo, bona verba conſolatoria. *Tertius* eſt conſeruare perſeuerantes ne in via tribulationum deficiant: Et ſic Thobiam duxit, & reduxit. Tob.5.

§ 5. *Circa morientes.*

XIII. POSTREMO circa morienreś etiam actus ſuos habenr, Et PRIMVM circa perfectè bonos, circa quos hæc agunt iuxta Leonardum.

Præſeruando parat, portando locat, quoque laudat.

Sic Iudith, atque Iacob, Malach. Exodus, ac Lazarus, Thob.

Primo ab inſidijs diaboli præſeruando, *ſecundo* viam præparando, *tertio* in cœlum ducendo, &c. Quomodo autẽ porranr animas nota,

Fert, reuerens, cautus, gaudens, humilis, quoque cantus.

PRIMO *reuerenter*, quia non in humeris; ſed manibus iuxta illud. Pſ.90. *In manibus por. te.* SECVNDO *valde caute*, & diligenter, quia ab omnibus offendiculis defendunr, *Ne forte offen. ad la.* TERTIO *valde gaudenter*, quia cum Canticis, & iubilarionibus. Eſa.55. *In lætitia egrediemini, & in pace deducemini.* QVARTO *valde humiliter*, quia nec pauperes, nec mendicos contemnũr, vt patet apud Luc. ca.16. *Defunctus eſt autem Lazarus, & deductus eſt ab Angelis in ſinum Abrahæ.* POSTREMO *cantãter*, quia dicit Eſa. *montes, & colles cantabunt coram vobis laudem*: id eſt Angeli maiores, & minores &c. Ibidem. Quarto in cælis collocando, *Factum eſt autẽ, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Ibidem. Poſtremò Deum tunc *collaudando*, ſicut Raphael poſtquã Thobiam reduxit, omnes ad laudem commonuit dicens, Benedicite, &c.

QVOMODO autem ſe habent *circa purgandos*, & malos. nota.

Orans procurat, flet Iob, Abacuc, Eſaia.

PRIMO ſi purgabile aliquid haber, eam ad purgandum deducit, confortat, pro ea Deum orat. *Secundo* etiam ſuffragia pro eis fieri à viuis procurat: ſicut prouidit Danieli de prandio per Abacuc. Dan.14.

SI AVTEM egreditur anima cum mortali, à dæmonibus rapitur, & in Angelis videtur impleri illud Eſa. c.53. *Angeli pacis amarè flebant*, non tamen vt dictum eſt, quod doleanr, &c.

ECCE hi ſunr effectus cuſtodiæ angelicæ, ſuper quibus debemus ſemper gratias agere: vt eos percipiamus exorare; quos tamen alij aliter multo aſſignanr; ſed tamen in ſuperioribus omnes ferè habentur; nam Ioannes Gerſon ſuper Magnificat, hos effectus ſub his verſibus ponit ex textu actuum duodecim.

Digitized by Google

Paratus in adiutorium. Ad cognitionem noſtri,
Angelus aſtat, fulget,
Ad confortationem aduerſarij. exercitando.
pulſat, ſurgere clamat.
Ligatum. de carcere, id eſt libere operetur bonum.
Soluit, & educit, liberatique
relinquit.

VIII. Sic & Robertus Holcot, ſuper libro Sapientiæ alios in verſibus ſiguat. Sic & alios Dominus Bonauent. ponit ſuper 2. ſententiarum diſt.12. ſecundum duodecim potentias aſſignabiles in homine; vt Ioann. Nyder allegat. Sed & Albertus, & alij Theologi.4. ponunt, quos Hugo Cardinalis, in ſuo Sententiarum, ſub verſibus complexus eſt. Sed quia longiſſimus in his de Angelorum ſtudijs finem faciamus. Hæc in calce ponentes: vt ita nos vbique geramus, nè puriſſimos illos Angelorum obtutus offendamus.

De Angelorum diſtinctione, & ordine.

CAP. V.

I. *VNquid noſti ordinem cæli, & rationem eius pones in terra.* Iob 38. IAM POSTREMO reſtat videre de angelicorum *ſpirituum ordine, & diſtinctione*; Vbi enim multitudo, ibi confuſio, niſi fuerit ordo. Rom.13. *Quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt.* Vnde diſtinguitur tanta multitudo,

Per { Hierarchias, Ordines, Perſonarum denominationes.

De quibus tribus ſuccinctius, quia prolixi fuimus, nunc reſtat agendum.

MEMBRVM I.

De diſtinctione generationum.

PRIMO ergo angeli per Hierarchias diſtinguuntur, vbi neceſſe habemus edicere, quid ſit *hierarchia*: verum quia multiplex eſt, primum diſtinguenda eſt; Eſt ſiquidem hierarchia triplex,

Scil. { Supercœleſtis, Cœleſtis, Subcœleſtis, } & eſt { Diuina: Angelica, *Eccleſiaſtica.*

DIVINA eſt pulchritudo, vt ſimpla, optima, conſumatiua, in qua *primo* innuitur vnitas in Trinitate, quia pulchritudo ex pluralitate, & æqualitate conſtat. *Secundo* oſtenditur, quod pluralitas non præiudicat vnitati, quia vt ſimpla; nec etiam vnitas pluralitati, quia, vt optima. Et quod vnitas ſpectat ad perfectionem pluralitatis, & è conuerſo, tangitur, quia

II. dicitur, vt conſummatiua. SVBCÆLESTIS, vel Eccleſiaſtica ſic diffinitur: Eſt rerum ſacrarum, & rationabilium ordinata poteſtas, debitum in ſubditis obtinens principatum. Quæ etiam angelicæ conuenire poteſt. De quibus duabus, cum ad propoſitum non ſit, ſufficiat ea tetigiſſe.

§.1. *De diſtinctione in hierarchicis.*

PORRO angelica hierarchia (vt Dionyſiũ ſequamur) eſt ordo Diuinus, ſcientia, & actio, Deiforme quantum poſſibile eſt ſimilãs, & ad inditas diuinitus ei illuminationes, proportionabiliter in Dei ſimilitudinem aſcendens. Quam ſic Bonauentura explanat, Hæc (inquit) diffinitio, notificat angelicam hierarchiam, *primo*, vt egredientem à Deo, per modum imaginis cum dicitur, *Eſt ordo Diuinus, ſcientia, & actio*; vt ſcilicet ordo, id eſt ordinata poteſtas, reſpondeat Patri; ſcientia Filio, actio Spiritui ſancto; ſecundum memoriam, intelligentiam, & voluntatem. *Secundo* deſcribitur, vt egrediens, per modum ſimilitudinis, cũ III.
dicitur *Deiforme, quantum poſſibile eſt ſimilans*, quantum ad habitum; *& ad inditas ei diuinitus illuminationes, proportionabiliter in Dei ſimilitudinem aſcendens*, quantum ad actum. Vel certè angelica hierarchia, eſt ſacer rationalium perſonarum principatus per gradus, actus, gratias, atque officia ordinatè diſtinctus. Dicitur enim hierarchia, à ἱερὸς quod eſt ſacer, & ἀρχὴ principatus. Et diuiditur hæc hierarchia in tres; ſcilicet,

In { Supremã, Mediam, Infimam, } vel in { Epiphaniam. Hyperphaniam. Hyphophaniam.

Et dictæ diuiſiones hierarchiarum, hoc metro habentur (Diuina tamen excepta, quę propriè non dicitur hierarchia)

Cæleſtis, ſupra, ſumma eſt, medians, ſimul infra.

Quare autem Angelica hierarchia in tres ſubdiuidatur ratio diuiſionis multipliciter ſumitur; ſed tranſimus breuitatis gratia. Singularum autem deſcriptiones videamus. *Epiphania* eſt incaleſcentis affectionis incendio, ab altioris intellectus faſtigio, iudicijſq; libera refulsatio diſtributa. Cuius Dionyſius plures ponit proprietates, quæ tranſeundæ nobis. *Hyperphania* eſt, Diuina illuminatio, ſui particeps, interſcalari reuerentia inſigniens, vſum edocens dominandi, arcenſque contrarium. *Hypophania*, eſt Diuinum participium, legibus naturæ occurrens, arcana referans, pro capacitate diſcreta. Et dicitur hic *naturæ legibus occurrens*, propter virtutes, quas Grego. & Bernar. in infima ponunt; ſed non Dionyſ. Diuinus.

§.2. *De diſtinctione angelicorum ordinum.*

ORdo Angelicus (vt ſumitur.) Eſt multitudo cœleſtum Spirituum, in aliquo ſpeciali dono gratię conuenientiũ; Et quilibet or- IV.
do Angelicus, ab illa perfectione; ſeũ gratia denominatur, quam ſpeciali appropriatione ſortitur. De quibus ordinibus multa inquiri poſſent; videlicet vtrum ab initio, an à natura, vel gratia, diſtinctiones ordinum cœperunt; vtrum remanſuri poſt iudicium ſint; nam ordines etiam manebunt poſt iudicium, quo ad diſtinctioné graduũ naturæ, & gratiæ, nõ tamẽ quoad omniũ officiorũ executioné; verũ hæc tranſeuntes, ad affectuoſa magis procedamus.

QVA

Altus verborum horum intellectus, & quis poterit ad illum? In quibus omnibus hoc ſignatur, quod horum Spirituum amor eſt exceſſiuus, ignis proprietatibus comparatus: Et hoc *Primo in motus cõtinuitate*, quia mobilis, & *mobilis inceſſanter*, deſignans, quod ſpiritus iſti indeclinabiliter mente ferantur, ſeu moueantur in Deum; Item quia horum amor non torpet; ſed eſt *calidus*. & non qualicunque modo calidus; ſed mira vigoroſitate, quia etiam eſt horum amor *acutus*, quia penetratiuus in agendo, quærens ſubintrare amatum, & vnire ſe ſibi ſecundum quod poteſt, ſi poſſet effici ſub vno. Et non ſolum horum amor eſt acutus; ſed etiam *ſuperferuidus*, circuiens omnes differentias, & partes amati, amando, & delectando, ſicut ignis ſubintrat combuſtibile, & profundat ſe in omnibus partibus eius. Et hæc omnia facit: *Attentè*, quoad motũ intellectus, qui ex amore ita Deo intendit, quaſi ſui oblitus, conſiderans intentiſſimè omnes cauſas amoris; *Item intimè*, quãtum ad motum affectus, cuius eſt profundari in amatum; Et poſtremo *inflexibiliter*, quia Seraphicorum Spirituum mentes, nunquam deflectuntur ab amore, tum quia eorum conſummatio eſt in illo, & contrariũ non habent.
Rom. 8. Et ſic quaſi clamant dicentes, *Quis nos ſeparabit ab amore Dei?* Ecce talis eſt Seraphicus amor, talis amantium horum ſpirituum ardor. Cui omnis mundi amor; tametſi in vnum congeſtus, collatus, nil eſt, niſi velut ſtuppa tenuis, aut tepor ſubſolanus. Poſſunt multa de ſingulis dici; ſed ſatius meditando, & guſtu intelliguntur.

Porro erga inferiores, etiam totidem, ſcilicet octo proprietates habent. Quia eorum charitas eſt inferiorum *reductiua, & actiua*, ſcicet auxilium præbens per diſpoſitionem, vt reducantur in Dei amorem: Reducuntur *homines* à diſperſione, & frigore mentis; *Angeli* autem non à diſperſione, vel alienatione affectus, quas non patiuntur, ſed à minoratione luminis & deſiderij, vt actualius ferantur in Deum. *Secundo*, eſt *recaleſaciens*, aut recaleſactiua inferiorum, quia ſcilicet mouet ad coniũgendum amato. *Tertio* eſt *reſuſcitatiua*, reſuſcitans in ſimilem caliditatem caliditati ſuæ. *Quarto exemplatiua*, quia ardore amoris ſui ſupereminentiſſimo, docet inferiores, quanta charitate ad Deum debeant incedere. *Quinto* eſt *purgans*: aut vt Dionyſius ait, per ignem cœlicum, holocauſti purgatiua: *Ignis cælicus* illuminat, adurit, ſed non conſumit. *Holocauſtum*, quod totum eſt incenſum, ſignat Angelos beatos, ab approximatione Dei totaliter inflammatos; quos tamen, & Seraphin adhuc purgant, non à peccati macula, vel immundicia; ſed à confuſione diſſimilitudinis, ex toto incendendo per amorem. *Sexto*, *incircumuelata* eſt charitas horum, ſemper habens illuminatiuam proprietatem. *Septimo* eſt omnis tenebroſæ obſcuritatis manifeſtatrix, & perſecutrix. *Poſtremo*, eſt participatiua Deifici amoris Ieſu, & illius in alios diffuſiua. Mirabilis ergo charitas horum, incomprehenſibilis anguſtiæ humanæ, non imperceptibilis tamen. O vtinam vel ſtillam ſentire fuerit datum.

Narrat Guillermus Parrhiſienſis, de quodam, cui Angelus ſuus tam mirificum infudit charitatis ardorem, vt ſeſe non poſſet continere, nec dicere quid ſenſiſſet: Hoc ſæpius tamen repetens; Quod nil vltra à Deo velit, ſi tale, vel rurſus ſentire datum fuiſſet. O ſi & mihi ô vos Seraphin, qui placido igne Diuini amoris incenſi eſtis, vel paruulam aliquam ſcintillam veſtri ignis immittere velitis, quo frigidum cor meum incaleſceret in amorem. O vtinam amor meus, mobilis, & vitalis in Deum; vtinam inceſſabilis, vel habitu ſolo.

Ecce habes; ſed ſtrictim proprietates primi ordinis primæ Hierarchiæ, quæ quomodo in Angelis ſint, impoſſibile eſt nobis effatu; ſed vel paucis quomodo in nobis eas habebimus, ſi eis coniungi velimus, tangamus. Nam ſi illorum choris aſſociari volumus, in proprietatibus eorum, vt conueniamus oportet. Oportet igitur vt cum Seraphicis ſpiritibus amemus, & non quomodolibet amemus; ſed vt proprietates Seraphim in noſtro amore habeamus. Habeamus dico in amore. *Primo mobile*, vt noſter amor non torpeſcat, torpeat, aut deficiat; ſed ſemper dilectum inquirat, ſemper motu amoris in, & propter dilectum moueatur: quemadmodnm & ſponſa, nec in lectulo per noctes ab hoc motu Cant. 3. ceſſabat. *Secundo*, habebit amor noſter *inceſſabile*; vt ſcilicet ſit perpes: vt non ſolum habeat motum; ſed vt etiam illum habeat perpetuum. *Tertio*, *calidum* habeat amor noſter: vt ſit ardore inflammatus; vt ſcilicet non ſolum frequenter; ſed & ardenter in amorem dilecti ſuſpiret, & vt à terris ſubleuemur, & feramur in amplexus amati. *Quarto acutum* habeat amor noſter, aquilino intuitu penetrans, & intrans vſque ad plenam amati cognitionem, profunda mentis aut intelligentiæ acie, qualis cognitio atque mentis acies, perfectum amorem prębeat neceſſe eſt. *Quinto* Deut. 4. *feruidum*; & ſuperferuidum habeat: *Feruidus* vt ſic à Deo igne conſumente incaleſcat, & ebullire incipiat, vix ſe potens continere; ſed liqueſcat cum ſponſa dicens, *Anima* Cant. 5. *mea liquefacta eſt*. Liqueſcat in dilecti amabili aceſſu, & langueat de abſentia, & receſſu. *Superferuidum* autem eſt illud, quod extra ſe fertur, quod nulla ratione valet in ſe conſiſtere, quod ſeipſum non capit, nec modum habere poteſt: vt ille qui dixit,

Neſcio quid ſit amor, nec amoris ſentio nodum.
Sed ſcio ſi quis amat, neſcit habere modum.

Sexto attentum habebit amor noſter; vt ſcil. eat in dilectum, ſemper in illum tendens, & ſemper ad illum referens: pro amore eius ſemper nutriendo, fouendo, augmentando, attendat inductiua congruentia ſui amoris. Sic mater noſtra Agnes, ex rerum decore creatarum, ſe in ſui ſponſi amorem inflammabat. *Septimo intimum* habebit amor noſter; vt ſcilicet ad res exteriores non effluat, niſi cum reuelatione.in, aut propter dilectũ, vt ad omnia ſit cęcus amor, ſolum cernens dilectum; velut Magda-

Ioan. 20. lena, quæ cum dilectum ad monumentum quæreret, Angelos quaſi non cernebat. *Octauo inflexibile*, vt ad alia negocia extra ipſum non diuertat, quocunque etiam proſpero, aut aduerſo accidente: vt fortis ſit, ſicut mors dilectio ipſa &c.

Item qui Seraphicis ſpiritibus coniungi vo-
Cant. 8. let, oportet, vt & in cęteris proprietatib. quas ad inferiores habent, communicet; vt ſc. amor eius ſit *primo* inferiorum *reductiuus*, & hoc per propriæ mentis recollectionem, & aliorum ad Dei amorem à diſperſionibus reductionem. *Secundo ſit recalefactiuus*, per ignita eloquia, & narrationem deuotam. *Tertio reſuſcitatiuus* torpentium & ignauorum, per amoroſam exhortationem. *Quarto exemplatiuus*, per vitæ, ſ. exemplationem, vt tota noſtra conuerſatio ardentem ſpiret amorem, & alios inflammet. *Quinto ſit purgatiuus*, per alieni, ſcilicet & priuati, ſeu corrupti amoris extirpationem, qui omnium malorum eſt origo. *Sexto ſit incircumuelatiuus*, per bonorum ſuorum, & amoroſorum operum coram aliis relucentiam: vt ſic tamen ſint opera in publico, quod intentio lateat in occulto, ſecundum Gregorium. *Septimo ſit manifeſtatiuus tenebrarum*, per errorum oſtenſionem, & peccatorum correptionem peramoroſam. *Poſtremo ſit Chriſti participatiuus*, vt. ſ. Chriſtiformiter proximos diligamus propter hoc, propter quod, ſ. Chriſtus omnes nos
Ioan. 15. amauit, & eo modo, &c. Grandis hic ſe offert materia, ſicut, & in ſingulis proprietatibus; ſed ſatis eſt tetigiſſe, ſtudioſis horum omnium pleniorem relinquimus proſecutionem.

§. 2. *Proprietates Cherubin.*

VIII CHerubin, nomen eſt ordinis ſecundi, ſic ab eminenti *ſcientiarum* acumine nuncupati; vnde dicuntur Cherubin, quaſi plenitudo ſciētiæ, quia plenius inferioribus eam perceperūt, & familiarius donum ſapientię, aut intellectus receperunt. Conſiſtit autem hæc ſcientiæ eorum plenitudo in quattuor, iſtis ſcilicet,

In { Clara, & perfecta Dei viſione: / Plena diuini luminis ſusceptione: / Pulchritudinis ordinis omniū rerum contemplatione: / Cognitionis, quam de Deo habent, in alios diffuſione. } vt Dion. ait.

Sunt autem huius ordinis ſex proprietates, in hoc verſiculo contentæ.

Id eſt clare cognoſcere.	*Videre Deiformiter.*	*Diuinam pulchritudinem in fonte contemplari.*
Noſſe	Deiuida	contemplans
Influxus luminum diuinorum recipere.	*Aliis lumen infundere.*	*Sapientifica luce repleri?*
acceptio	dans	plet.

Ponit autem & Diuinus Dionyſius alias quattuor proprietates, & ſunt iſtæ;

Id eſt in circuitu eius.	*reductiuum.*	*actiuum.*
Circuitu,	ducit,	vel agitq;
exemplatiuum.		
exemplar, & iſta.		

Sed ſufficiat, vel tetigiſſe, ſupra nos eſt, & longum eſſet nimis, has explanare ſingulatim. Qui has plenius noſcere volet, à Cherubicis ſpiritibus, lumē intellectus petat, quorum tam illuminoſa eſt ſcientia, quod eam attingere nequit noſtræ mentis anguſtia, potens noſtræ tenebroſitatis irradiare intellectum, quibus, & proprium eſt effluere in alios lumen ſuſceptū. Quibus qui coniungi exoptat in cœlis eorum proprietatibus vt ſe conformet oportet in terris; vt ſcilicet ſic viuat, & ſic ſtudeat Cherubicorum inſtar ſpirituum Deum cognoſcere.

§. 3. *Proprietates thronorum.*

THRONORVM nomen, tertio ordini ſpirituum beatorum impoſitum eſſe videtur à conuenientia & ſimilitudine ad *ſedes materiales*. In quibus quatuor hæc inueniuntur, ſcilicet. IX

Altitudo } Firmitas. }	in	{ Situ. { Statu.	{ Vtilitas. { Capacitas.	} in	{ effectu { Ambitu.

Sunt alta, firma, ſunt fructiferaque capaces.

Sic & ſpiritus ordinis huius, ſunt *alti ſitu*, Quia ſicut materiales ſedes à terra eleuantur, ſic & hi vſque ad altiſſimam contemplationem Dei exaltantur. Secundo ſunt *firmi ſtatu*: Quia ſicut in materialibus ſedibus, ſedens firmiter ſedet; Sic (ſed è contrario) ſedes ipſæ, id eſt ſpiritus huius ordinis, in ſedente Deo firmantur, & requieſcunt. Tertio ſunt & *vtiles prouentu*, quia ſedentem in ipſis Deum, ad alios vtiliter ferunt. Et ſicut quarto materiales illę ſedes, apertæ ſunt, & capaces ad ſuſcipiendum ſedentęm: Ita & ſpiritus iſti, per promptitudinem gratiæ *diſpoſiti ad ſuſcipiendum Deum*, & famulandum & obediēdum ei. Hinc ergo, & congruè Thronorum ſortiuntur nomen. Nam & propriè Thronus eſt regia ſedes. Quorum Thronorum has ponunt eſſe proprietates.

Id eſt, altitudo	*Intellectus, & affectus conformatio.*	*Regis circundatio.*
Altum	compactum	circa
Regis delatio.	*Eius ſuſceptio, vel familiaris apertio.*	
Deifer.	vel apertum.	

Et quia hęc non habemus, nec per nos poſſumus, ab his thronis mendicare habemus, vt in nos deferant gratiam regis.

§. 4. *Proprietates Dominationum.*

IAM ad explicandas proprietates ordinum ſecundæ hierarchiæ nos diuertamus. Et primū proprietates *Dominationum* ponamus: X Quæ quidem dominationes, ea ſpirituum agmina vocantur, quæ mira *potentia* præminent, pro eo quod eis cętera ad obediendum ſubiecta ſunt; vt horum collatione adminiſtratorij ſpiritus vocentur illi, & ad hos tanquam *Hebr.* 1. ad Dominos, referri habent regimina principum

Digitized by Google

cipum, tutamina poteſtatum, operationes virtutum, reuelationes Archangelorum, curæ, & prouidentiæ Angelorum. Nam & hæc eorum nomen ſonat. Nam *dominatio* (Diuino Dionyſio teſte) eſt non peiorum, ſiue inferiorum exceſſus tantum; ſed & omnis pulchrorum, & bonorum perfecta, & omnimoda poſſeſſio, vera, & non cadere valens fortitudo. In qua tanguntur tres dominij perfecti conditiones; ſcilicet Superpoſitio inferiorum; Perfecta & omnimoda poſſeſſio bonorum; robur inditum pro tutamine ſubiectorum. Quæ omnia ſunt in ſpiritibus iſtis. Quibus, & iſtę attribuuntur proprietates.

Liberat inuictus, ſenus, ſupra, nec eget quis,

Immuniſq; petēs, cōſors, haud faſtus, & eſt pars.

Ita autem ordinantur hæ decem proprietates, ſecundū quod ſunt decem terrenarum dominationum impedimenta excludentes, vt patet ex coordinatione. Nam proprietate quę eſt,

A ſeruitute libertas,	Excluditur	Superioris ſeruitium.
Ab hoſte inuincibilitas,		Impetus hoſtiū.
Liberalis ſeueritas,		Peccati Dominium.
Minutiui ſeruitij ſuperioritas,		Grauitas ſeruitiorum.
Nullius ſubiectionis egeſtas,		Prouiſio ſubditorum.
Diſſimilitudinis immunitas,		Sollicitudo extrinſecorum.
Dominandi ordinata voluntas,		Ambitio bonorū
Sui, & ſuorum ad Deum conformitas		Contrarietas dominiorum.
Nulla in dominando vanitas,		Excęcatio vanitatum.
Dominationis Diuinæ conformitas,		Elongatio Diuinarum actionū.

Et ſumuntur iſtæ proprietates ſecundum ea quę faciunt dominium perfectum, in natura & habitu, & operatione, prout pulchrè in ſecundo ſuo ſcripto proſequitur Dominus Albertus. Quarum explanationi non inſtamus; ſed his conformari nos ſtudeamus.

§. 5 *Proprietates virtutum.*

XI VIRTVTES dicuntur, per quos ſigna, & miracula frequentius fiunt, cauſas miraculorum contemplantes in verbo. Et ſignat horum nomen, exceſſum quendam fortitudinis, & hoc quoad duo: *Primo* enim ſignificat virilem quandam, & inconcuſſam fortitudinem, ad operationes Diuinas exequendas; *Secundo*, quod ſine timore aliquo aggrediuntur eas; vnde patet, quod virtutum ordo ad duo eſt ordinatus; *Primo*, ad ſuſcipiendum Diuina celeriter; *Secundo*, ad aggrediendum difficilia, ſine omni timore viriliter. Quarum hæ feruntur proprietates.

Fortes, non tardi, largi, ſectando, feruntur.

§. 6. *Proprietates Poteſtatum.*

XII POTESTATES dicuntur ſpiritus illi, quorum ditioni præ cæteris, contrariæ virtutes, & aduerſæ ſunt ſubiectę: Per quos & mali ſpiritus arcentur, quemadmodum per terrenas poteſtates malefactores; Qui etiam refrænant tenebrarum harum principes, ne tentent quantum velint, aut ſaltem ne præualeant. *Eph. 6.* Sunt autem hæ poteſtates, virtute potentes, reipublicæ præſidentes, ordinatæ ſecundum leges à Deo promulgatas, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Quarum iſtæ ſunt proprietates. *Pſal 102.* *1. Pet. 2.*

Ordinat, obſeruat, non tyranni, ſimulantes.

§. 7. *Proprietates Principatuum.*

TERTIÆ hierarchiæ primi ſpiritus ſunt *principatus*, ſecundum Diuinum Dionyſium: Qui ſic dicuntur, eo quod bonis ſpiritibus pręſint, qui dum ſubiectis alijs, quæ ſunt agenda diſponunt, eis ad Diuina explenda miniſteria principantur. Quorum etiam moderamine, & ſapientia, omnis in terris principatus conſtituitur, regitur, limitatur, transfertur: prout ad Eugenium ſcribens beatus Bernardus proſequitur. Qui tanta etiam principatus dignitate ducuntur, vt vbique terrarum habeant poteſtatem, quaſi de ſummo rerum cardine, moderari regna, & principatus; facientes pro meritis nouiſſimos primos, & primos nouiſſimos. Ille enim cuius ipſi officium exequūtur, *altiſſimus eſt*, vt ſcribit Daniel, *& poteſtatem habet in regno hominum, & cuicunque voluerit poteſt dare illud, & humillimum hominem conſtituere ſuper illud.* Quorum etiam miniſterio, vt vult Dominus Albertus, apparuerunt digiti illi ſcribentes in pariete; Quorum principatuum hæ ſunt proprietates, *Dan 4.* *Dan. 5.*

Ducunt principium Deiforme docent ſimul ornant.

Quibus proprietatibus, vt conformemur, à principe principatuum, per eos deuotè & inſtanter orare habemus.

§. 8. *Proprietates Archangelorum.*

ARCHANGELI, ſummi nuncij vocantur: Et dicuntur nuncij ſummi, quia ſumma, puta quæ ſupra naturam ſunt, vt fidei myſteria, & huiuſmodi arcana nunciare ſolent; Aut quæ commune bonum concernunt. Et licet illi de prima Hierarchia, magis conſcij ſunt illuminationum, pertinentium ad beatitudinem; non tamen (vt vult Albertus) illuminationum pertinentium ad annūciandum; Quia (ſicut dicit Gregorius,) Superiora agmina vſum exteriorum, quemadmodum iſta non habent. Quorum hæ aſſignantur proprietates.

Participent, præſunt, ducunt, dant, ſummaque plura

Hoc eſt ſunt
- Superiorum proprietatib. cōmunicatiui,
- Inferioribus Angelis prælati:
- Inferiorum ad ſuperiores reductiui;
- Summorum, & arduorum nūciatiui.

Sed & aliorum plurimorum effectiui; Qualia tāgit in Soliloquio ſuo Bernardus. Quibus

qui in cælis coniungi volet: vt illis in his proprietatibus conueniat oportet; vt ſcilicet ſit, & ipſe particeps omnium timentium Deum; &
Pſa.118. firmus ſit in communione Sanctorum; vt & viribus ſenſualitatis dignè ſit prælatus, & ſacrũ gerat ſuper deuincendis defectibus principatum. Studeat quoque ad magna myſteria capienda, per gratiam ſe ſubleuare. Eaque fratribus pro loco, & tempore, pro eorum inſtructione denunciare; Salutis item communis negotia ſtrenuè adminiſtret; pro mortalium ſanitate, Eccleſię ſanctæ pace, regnorumque, ac imperiorum proſperitate, iugiter ſummum Deum exoret. & ſic cum ſummis nunciis; hoc eſt Archangelis, poterit collocari.

§. 9. Proprietates Angelorum.

ANgelorum autem in communi proprietates, iam partim ſupra tactæ ſunt, & ſunt multæ nimis: Et nota, quod *nomen Angelus*, magis eſt nomen officij, quàm naturæ. Qui enim ſpiritus ſunt natura, Angeli dicuntur ex officio: iuxta Pſa. 103. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus*; Et hi ſunt minora nunciantes, homines ſeruantes, docentes, & ducentes. Quorum inter alias hæ ſunt propriæ proprietates:

Propinqui, noti, cuſtodes, ſunt bona dantes.

Hi enim in cæleſti diſpoſitione ſunt vltimi; hominibus magis propinqui; *Noti* hominum (vt ſupra dictum eſt) cuſtodes, & innumera bona his, quos ſeruant, impendentes. Quorum & generales ſunt proprietates.

Nunciat, & purgat, illuſtrat, perficit aſtat,
Aſtuat, & ducit, ardens, lucens, quoque gaudens.

His ſi coniungi optamus, eorum formam in nobis teneamus, Dei voluntatem omnibus nunciemus; hierarchicos actus erga proximos agamus, eos ad vitiorum deteſtationem, virtutum amorem, & Dei charitatem incitando; omnibus benignum obſequium, fidele miniſterium exhibendo; & ſuper omnium ſalute congaudendo. Hæc & huiuſmodi ſi peregerimus, ſicut Angeli in cœlis erimus. Quod præſtet nobis Angelorum Dominus magni conſilij
Eſa.9. Angelus Ieſus Chriſtus. Amen. Hæc de Angelicis ſpiritibus, ex Doctorum ſcriptis collegimus, ſubtiliora quæque tranſilientes; quippe qui deuotis, & non vſquequaque doctis, meditandi materiam, vtcunque adminiſtrare curamus.

MEMBRVM III.

De exercitio quotidiano, ad proprium Angelum.

XVI DENIQVE non perfunctoriè tranſigendum, quanto ſtudio, vnicuique colendus, obſeruandus, amandus Angelus proprius; qui Diuino mãdato ordinatus, propter capeſſendam hæreditatem ſalutis, indefeſſus peregrinantis hominis aſſiſtit patronus, comes, pediſſequus, monitor, pædagogus, doctor, zelotes. Cuius profectò immortalibus beneficijs tanto quiſque beatior, quanto vicario famulatu, digna obſeruantia, perfecta obedientia, totum ſeſe prorſus, tam fido patrono, quam ſpectabili nuncio Dei dedicârit.

Tum autem prorſus dedicabit, ſi quintuplici officio, eatenus ſuo ordinato principi, Angelo Dei famuletur, quatenus quotidiano feruore, IN PRIMIS ſemper ſtudeat Angeli ſui dignitatem, ineffabilem in ipſum hominem amorem; perpetuam ſedulitatem; Grandem miniſtrantis dignationem; miniſterij frugem, & neceſſitatem conſiderare.

DEINDE beneuolentiam Angeli & gratiam frequenter captare, illum laudando, magnificando, ſalutando, gratias agendo, miſerias ſui incolatus illi flebili tragædia ſingultuosè conquerendo: Cui ſtudio ſi omni die operam dederis, reuera gratiam, beneuolẽtiam, & philantropiam ſuam immiſſionibus & inſpirationibus ſacris experieris.

DEHINC TERTIO auxilium illius grãdi fiducia implorabis, iam inſinuando, iam ſupplicando, iam obſecrando, & eatenus allegando, quatenus miniſterium ſuum honoret, cui mandatum eſt à Domino, vt *cuſtodiat te in omnibus vijs tuis, ne offendas ad lapidem angularem pedem tuum*, dicéſque: Pſal.90.

Angele qui meus es cuſtos, virtute ſuperna,
Me tibi commiſſum ſerua, defende, guberna.

CÆTERVM *quarto* Angelum in omni negocio, tam ſpirituali, quàm corporali, ſemper illum tui operis initiantem, & proſequentem, ducem & comitem, & aſpiratorem, ſuſpicies, inuocabis, venerаberis, & potiſſimum in omni ſpirituali mendicatione (de qua ſuperius diffuſius tractatum) vt ipſe coram cæleſtis curiæ frequentia, cauſam tuam peroret. De quo nimirum ducatu, Ioannes Gerſon in de Mendicatione ſpirituali, loquens ad Angelum ſuũ ait: *Te igitur precor dux fidelis, apprehende manũ huius excæcatæ tuæ, deduc eam per vicum magnum Paradiſi ad eleemoſinam percipiendam*, &c.

POSTREMO, offeres manibus Angeli tui, omnia opera tua, omnes affectiones, & deſideria tua quatenus ipſe coram altari aureo referat vota tua, ad percipiendum gratiam in præſenti, & gloriam in futuro.

O igitur quicunque voles, Angelo tuo ſedulum præſtare officium, & illius tibi amorem conciliare, dato operam paſſim *illius* conſiderare & æſtimare dignitatem ad reuerendũ; *illius* beneuolentiam captare, ad reconciliandũ, & amandum; *illius* implorare ſubſidium, ad impetrandum; *illius* ducatum ſuſcipere, ad te deducendum; *illius* manibus omnia opera tua exhibere, & præſentare ad Deo offerendum. Qui profectò quinque actus, hoc verſu continentur.

Perpendas, captes, orando, ducem pius offer.

Digitized by Google

TITVLVS SECVNDVS, ORDINE VIGESIMVS

De Patriarchis & Prophetis.

LAudemus viros glorioſos parentes noſtros. Eccl. 44. POST memoriam Angelorum, ſequitur in Eccleſiaſtica Litania, *memoria Patriarcharum & Prophetarum*, in quos etiam ſunt oculi noſtri ſubleuandi, & iure deuotè eorum memoria agenda. Nam haud dubiè (vt ſapiens ait) Eccl. 44. in benedictione erit, & in ore omnium commemorantium, velut mel indulcabitur, à generatione in generationem meriti inquirenda. Quidni venerandi ab hominibus, quos Deus ipſe ita clarificauit, ſcriptura ita magnificauit, & in cælis glorificauit? Et licet occidentalis Eccleſia eorum feſta non celebret; non tamen ſine grauibus cauſis hoc dimittit; ſed propter iſtas,

Ad limbum fragiles, olim, ſic gratia, crebro.

Primo, quia ad limbum deſcenderũt, non ſtatim euolauerunt ad cælum; *Secundo*, quia ſumus nimis fragiles, ad celebranda feſta etiam Sanctorum veteris teſtamenti, qui ſuccumbimus in Sanctis noui teſta.. *Tertio*, quia olim de illis ſolis eſt celebratũ, non de noſtris. *Quarto*, quia ſic differentia inſinuatur, inter tempus legis, & gratiæ. *Poſtremo*, quia crebrius horum memorias facit: vt patet in omni Miſſa, in Canone, In lectionibus veteris teſtamenti, & aliis locis.

Eccleſia tamen Græca ſolenniter agit horũ natalitia, & Doctores antiqui, vt Ambr. Auguſtinus, Chryſoſtomus, celebriter ſcribunt de iſtis: Et iure, Sunt enim Patres noſtri, merito Eccl. 20. iuxta Domini præceptum honorandi ob plures cauſas, quas breuitatis cauſa intermittimus. Vnde patet, quod ritè etia oculi noſtri in hos ſunt ſubleuandi.

De Patriarchis.

CAP. I.

AT vt & hic materiam aſſignemus, hæc inter cætera, poterunt circa Patriarchas primum conſiderari.

Scilicet:
- Ratio nominis.
- Sublimitas comparationis.
- Dignitas priuilegiationis.
- Beatitudo præmiationis.
- Varietas exemplationis.

En nomen ſimiles, digni, celſique docentes.

MEMBRVM I.

De nominis ratione.

CIRCA rationem nominis, quare ſcilicet *Patriarchæ* dicuntur, quaſi Patrum principes, vel Patres principales, multiplex ratio poteſt aſſignari. Conuenit enim eis ferè omnis ratio paternitatis: Vnde merito Patres ſcilicet,

Cura, Patres, amor, atque fides, exempla priores.

An non cura, & ſollicitudine Patres, qui tam de poſteritate ſolliciti, quod proprij cõ- Gen. 12. modi incurij? vt enim Abraham in grandem gentem creſceret, terram propriam, & cognationẽ dereliquit, & ſic omnis ille Patrum chorus quoniam omnis eorum cura fuit de, & in ſpe futura.

Secundo, etiam Patres amore, & affectu paternali: An non paternaliter nos Abraham ama- Gen. 22. bat? qui tametſi valde diligebat Iſaac, tamen libens illum impendebat, ne futura ſpirituali fidei prole careret.

Tertio, fide: Non enim (teſte Auguſtino) tam carne, quàm fide Patres noſtri dicuntur: Vnde & filij Abrahæ ſunt, qui fidem eius ſectantur; Et veritas dixit, *Nolite gloriari, quia patrem Abraham habetis; dico enim vobis, quod potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Ioa. 8. Mat. 3. Gal. 3. Item Apoſtolus, *Si autem vos Chriſti, ergo filij Abrahæ eſtis.*

Quarto, virtutum exemplaritate: Vnde ſecũdum Bedam, non propagatione carnali; ſed imitatione ſpirituali, horum Patrum filij ſumus; & ipſi exemplo Patres noſtri.

Poſtremo, & ideo ritè Patres dicuntur, quia tempore priores, & ſeniores ętate: Quo igitur maior eis ratio congruit paternitatis, eo amplior eis honor impendẽdus. Cur autem principes Patrum, aut ſummi Patres nuncupentur, facilè eſt videre; quia & propter filiorum ſequentium multitudinem, & paternalis dignitatis magnitudinem; & ob huiuſmodi alia complura. O igitur Patriarchæ verè ſummi patrum, habete erga me affectum paternum, & facite me imitatione filium.

MEMBRVM II.

Sublimitas Patriarcharum ex comparationibus.

PORRO de *comparationibus*, quibus in ſcripturis, & à Sanctis denominantur, & aſſimilãtur, neſcio ſi dicere aliquid, aut tacere velim: Multa enim de his dici poſſunt, vnde ſolum materia adminiſtranda, non proſequenda.

Hi montes ſtellę, baſeſque, viri ſeniores.

Sunt & alia complura, quæ breuitatis cauſa trãſimus. Sunt igitur hi *montes, & colles* de quibus dicitur Canticorum 2. *Ecce venit ſaliens in montibus tranſiliens colles*; quemadmodum Matthæus Euangeliſta declarat cap. 1.) Nota hic proprietates montium, & collium, & aliorum. De his comparationibus qui ſe in medi-

Digitized by Google

tando dilatare volet, librum de ſimilitudinibus rerum, itemque de naturis rerum legere debet, & tunc applicare per auctoritates Scripturarum.

MEMBRVM III.

Dignitas Patriarcharum ex priuilegijs.

NVNC tertio de *dignitate priuilegiationis*, quæ occurrunt paucis ſignanda ſunt, & licet plura poni poſſent. Hæc tamen tractanda duntaxat ſuſcepimus,

Stirps, primi Deus eſt veſtri, typus atque locuti.
Iuſti, laudati, tuti, requieſq; reducti.

PRIMVM eſt *ſtirpis dignitas*: Hi enim ſtirps ſancta, radix electa, in quorum ſemine omnes gentes benedicēdæ; dictum quippe eſt vni eorum, *In ſemine tuo benedicentur omnes tribus terræ*, &c.

ALTERVM eſt *electionis prioritas*: Hi enim ſunt primitiæ omnis terræ, de omni populo, tribu, & lingua electi, & primitus electi, cæteris ferè contemptis: O verè nimium hi fęlices, quos ex multis paucos Deus ſibi elegit.

TERTIVM eſt *poſſeſſionis ſublimitas*, quia (Apoſtolo ad Heb. c. 11. teſte:) *Non confunditur Deus vocari Deus eorum*; ſ. Abraham, Iſaac, & Iacob dicēs in Exo. c. 3. *Ego ſum Deus Abraham*, &c. Verè non ſic fecit omni nationi. Nā quibuſdam per Oſee dixit, *non ero veſter Deus*. Pſa. 147. Oſee. 5.

QVARTO, propter *apertam figurationem generationis* Eccleſiæ ſpiritualis: & propter ſingularem familiaritatis auſum, & conuerſationem. O priuilegium grande nimis.

QVARTVM eſt præfigurationis myſteriorum Dei claritas: Nam non ſolum actibus; ſed & verbis; imo & nominum interpretationibus, vel Chriſtum ipſum, aut eius myſteria præſignabant. Qui noſſe volet *quomodo nominum interpretationibus* grauida myſteria inſinuabant, commentarios Doctorum in genealogiam Chriſti, in initio Euangelij Matthæi legat; *Qui quomodo actibus*, ſermones Ambroſij; Itemq; Diui Auguſt. ac cęterorum de Patriarchis perſpiciat. *Quomodo etiā verbis* fere Chriſti, & Eccleſiæ myſteria omnia præfigurauerunt, qui ſcire deſiderat, benedictiones eorum ex textu Geneſeos reuoluat, & non ex textu tantum; ſed & cæterorum benedictiones Patriarcharum retractet, quas magiſter Robertus Groſſateſta, Epiſcopus Linconienſis, tranſtulit ex Græco in Latinum. Grandis hic ſe copia, & deuotionis materia offert; ſed nobis accelerandum. Ad particularia ſtudioſi deſcendant: Scripſit Ambroſius de Benedictionibus Patriarcharum; ſcripſerunt & alij, Albertus quoque in ſuo de Laudibus B. Virginis, breuiter; ſed luculenter eaſdem dimembrat.

QVINTVM eſt locutionis cum Deo, & reuelationum myſteriorum crebra familiaritas: Nam (Apoſtolo ad Hebr. c. 1. teſte) *Multifariè, multiſq; modis locutus eſt Deus Patribus iſtis. Multifariè* inquam, ad locutionis numerum, quia crebro; *multiſque modis*, quoad loquendi modum, quia variè, & multis locutionum varietatibus: Aliquando, ſcilicet per ſomnia, aut imagines ſomniorum; aliquando per apparitiones Angelorum; quandoque per formationes ſonorum; quandoque per inſpirationes reuelationum, & aliis modis. O grandis dignitas Patrum, qui tam familiarem in Deum habebant auſum, & tam multiplicia genera reuelationum. An non fœlices qui nūc facie ad faciem Dominum vident, aut ore ad os ſecum in hoc tempore miſcent ſermones, quibus de ſecretis ſuis nihil occultat Deus? 1. Cor 13.
Notetur hic de modis apparitionum, & reuelationum, & Doctores videantur.

SEXTVM eſt iuſtitiæ virtuoſitas: Nam (vt ſcribitur in Eccleſiaſtico) *Iuſti atque perfecti inuenti ſunt in generationibus ſuis*: vt patet proſequendo de ſingulis; vnde dum eos iuſtos dicicimus, iuſtitię nomine, generaliter complectimur omnes virtutes. Nam (ſi Ambroſiò creditur) perfectum nobis innocentiæ tramitem, plenamque rectè viuendi normam Patres ij exhibuere: Tanto iure mirandi amplius, quod hoc fecerunt ante Euangelium; quod poſt Euangelium omnes didicimus, & non poſſumus, aut certè non volumus ſeruare. Quorum etiam eo iuſtitia virtuoſior, quo & inter malos, velut inter ſpinas lilia, aut certè inter medias tenebras ſtellæ elucefcunt; quando ſc. pauci boni, atque illuminati à Deo in vniuerſo inueniebantur mundo. Eccl. 44.

SEPTIMVM eſt, commendationum multiplicitas: Multipliciter etiam à multis, & magnis hi laudantur. Hos *Deus ipſe* laudauit, dum cum eis fœdus pepigit, & eos iuſtos dixit, vis videre horum laudes? Lege Eccleſiaſticum à 44. c. vſque in finem: Audi crebro in Euangelio: Vide Apoſtolos in Epiſtolis, & Canonicis ſuis, non patitur tempus adducere teſtimonia ſingulorum. Verè certè laudati, qui & à Deo, & tam Deificis ſunt probati. Securè igitur nos eos laudemus. Mat. 23. 1. Pet. 1. Iac. 5.

OCTAVVM eſt in *aduerſis ſecuritas*: Inter medias etiam aduerſitatum procellas, à Domino ij præ cæteris tutati ſunt, Tutatè dico, & à rerum periculis, vt patet de Noe in diluuio, & à diaboli inſidiis, vt dicitur de Abraham in Vr Caldæorum, Ab hominum infeſtationibus, vt patet de Abraham, & eius vxore, ab Abimelech rege Gerare, Iacob ab Eſau, & Laban perſecutionibus, quos Dominus ipſe defendit, hoſtes exterrendo. Vis noſſe quomodo hos defēdit? Scrutare ſcripturas; & inuenies quod velut pupillam oculi ſui. At qui illos tangebat, velut qui pupillam oculi ſui tetigiſſet, deterritus fuit. O amor, & dignatio in viros tales. Gen 6. Gen. 11. Gen. 12. Gen. 31. Gen. 33. Deut. 32. Zach. 2.

NONVM eſt quietis, vel requiei in limbo ſuauitas: Nam quod pluribus vocatur ſtatus Patrum in lymbo, fuiſſe magis afflictionis, quā conſolationis, pœnæ, quā quietis: ideo prouenit, quia cæcis oculis inconſideratè omnia legunt, non autem qui apertos oculos habent, qui veri rerum ęſtimatores, profundi dijudicatores ſunt, tam exiliter ſentiunt de ſtatu horū Patrum. In carcere tamen erant, in exilio tenebantur, lumen cæli per eſſentiā non videbant, Patriam ante regem ingredi prohibebātur, ad quā auidis faucibus ſemper aſpirabant, & fortè dilatio horum, omnis fuit pœna eorum. Sed de conſolatione eorum ſcribit venerabilis Io.

Digitized by Google

Gerſon deuotè ſuper Marcum. Vera .n. illic vixerunt vita, quali nec quiſquã poteſt in mũdo. In ſuaui igitur ſinu patris fouebantur, a-
Gen 49. more vulnerati ſuauiter, & amore languentes, anhelo ſpiritu expectantes Salutare affuturũ.

POSTREMVM priuilegium eſt, dignabunda eorum à Chriſto reductibilitas: Nam licèt in ſuaui (vt dictum eſt) fuerant ſtatu; cõparatione tamen gloriæ, in ſtatu miſeriæ, & exilij fuere; Nec in finem eos Chriſtus deſeruit; Venit enim mira dignatione poſt mortem ſuã Chriſtus, per ſemetipſum, non per ſubiectam creaturam, viſitare & eripere eos. In quo nimirum oſtẽdit nobis ſuum erga patres affectum; merita patrum; & viſcera miſericordiarum ſuarum: O beati vos Patres Sancti, ad quos per ſemetipſum viſitandos, amplexandos, oſculandos, & beatificandos, in inferiores partes
Eph 4. terræ Dominus omnium deſcendit.

Dicit Hubertinus, quod in hoc Chriſti ad Patres deſcenſu in limbum, facta ſunt hæc iure conſideranda. Nam tunc

Obſcura	ſunt	Illuſtrata	per	Claritatis refulgẽtiam.
Afflicta		Conſolata		Pietatis beneuolentiam.
Longinqua		Viſitata		Diuinitatis præſentiam.
Carcerata		Liberata		Libertatis indulgentiam.
Hoſtilia		Religata		Deitatis potentiã.
Cantica		Decantata		Societatis caterũã.

Quæ omnia latius declarat ille. Quæ qualiáue tunc illa gaudia fuerint, corde latius, quã ſcripto æſtimo poſſe capi. Attendãt ex ijs pia corda horum patrum dignitates, & non dedignẽtur memoriis viſitare in cælis, quos Dominus ipſe per ſemetipſum non dedignabatur primo conſolari, & poſt viſitare in limbo.

MEMBRVM IV.

De Patriarcharum præmiatione.

QVARTO *de beatitudinis præmiatione* horum beatiſſimorum Patrum videndum: Quæ tametſi ex multis, maximè tamen his coniectari poterit,

Deſcripti laudant, pulchri cũ corpore gaudent.

PRIMO gloria eorũ apparet nobis certa, quia in Scripturis crebro commemorata, & deſcripta, præſertim Apoc. 4. Iam ibidem ſecundo, Ioannes vidit ſedilia viginti quatuor, & ſupra thronos viginti quatuor ſedẽtes, &c. quos expoſitores, & docti plerique, accipiunt Patres iſtos Et non ſolum certificamur de gloria Pa-
Apoc. 7. trum; ſed & de gloria, & numeroſa multitudine filiorum, vt patet ibid. nam Ioannes audiuit numerum ſignatorum, ex omni tribu filiorum Iſrael. Verè ſi gaudere licet, in hoc gratulandum, quia *deſcripti ſunt cum prole in cælis*, niſi fortè quis maluerit intelligi hoc, de Iſrael ſpiritali, quàm carnali: Nec hoc derogabit dignitati horum Patrum, quippe non ſolum patres Iſrael carnalis, ſed ſpiritualis fuere.

SECVNDO, apparet nobis eorum gloria, *ex actione digniſſima*, quia laudant Deum. qua actione dignior altera nulla: De hoc Apoc. 4. *Et cum darent* (inquit Ioannes) *illa quattuor animalia, gloriam, & honorem, & benedictionem ſedenti, &c. procidebant viginti quattuor ſeniores ante ſedentem in throno, & adorabant viuentem in ſæcula ſæculorum, mittebant coronas ſuas ante thronum dicentes, Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam*, &c. Verè laus prouida, attenta, humilis, deuota & magnifica. Hos laudatores aſpiciat quiſquis in laude Dei torpet, & ſi eorum deuotionem dignè diiudicauerit, haud dubium, quin à torpore in nouum excitabitur feruorem.

TERTIO, eſt eorum *gloria* decora, quia pulchri ſunt, primæ pulchritudini iuncti, quorum decorem Ioannes deſcribens ait Apoc. 2. *Vidi* (haud dubium quin ſeniores) *circumamictos veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronas aureas*, &c. Sunt nempe gloria & honore coronati, forſan, & aureolis gaudent. Nam & Abrahæ coniugium Auguſtinus non eſt veritus præferre multorum hac ætate cælibatui; præmia autem merita ſequuntur; nos autem illud non dicimus.

QVARTO, eorum gloria: (vt quibuſdam videtur) *integra eſt*, quia cum corpore plures ex Doctoribus, quoſdam eorum æſtimant beatificatos. Legimus enim Chriſto moriente, mul- Mat. 2
ta corpora Sanctorum ſurrexiſſe, & veniſſe in ſanctam ciuitatem Hieruſalem, & apparuiſſe multis, teſtimoniũ reſurrectionis Chriſti reddentes, quod de Sanctis iſtis Patribus accipiũt vniuerſi. Nam ipſi fuere ſancti illi priores; Sed tenent aliqui, quod officio ex teſtimonio peracto, in puluerem rurſus rediere. Sed & alij nõ minus docti aſſerunt ipſos beata frui reſurrectione cum Chriſto, alioquin non veros fuiſſe reſurrectionis teſtes. Nam & hoc futurum, myſtica inſpiratione Sancti hi Patres nouerũt, & ideo ſumma eis cura fuit in terra promiſſionis ſepeliri, vt cum Chriſto reſurgẽte reſurgere poſſent; vt Lira. & Doctores aiunt. Hinc Ia- Gen. 4
cob, in ſpelunca duplici petiit cum Abraham ſepeliri; Hinc Ioſeph, voluit ſua oſſa transfer-
ri; Et Remigius ait, *Indubitanter tenendum, quod* Gen. 5
hi qui cum reſurgente ſurrexerunt, cum aſcendente pariter aſcenderunt. Vnde apparet, quod ſedent vtraque ſtola glorioſi. Et Gerſon de Ioſeph patre, vel nutricio Domini, piè æſtimat tenendum; non tamen audens affirmare, quod & in corpore beatus. Vnde & nos nihil, niſi recitando Sanctorum dicta audemus. Sunt enim multa quæ his obiici poſſunt, vt facit Auguſtinus.

POSTREMO eſt, & eorum *gloria gaudioſa*: Nam Apoc. 5. Ioannes vidit viginti quattuor ſeniores, habentes *cytharas, & fialas aureas, plenas odoramentorum, qui etiam cantabant Canticum nouum*. Quorum gaudia Eccleſia in reſponſorio ſic retractat: *Decantabat populus in Iſrael alleluya, & vniuerſa multitudo Iacob legitimè canebat: Et Dauid cum cantoribus cytharam percutiebat in domo Domini*. O cantica, gaudia verè gaudioſa, quæ nec mens capere, nec lingua dicere poteſt. Hæc de beatitudine patrum.

Digitized by Google

MEMBRVM V.

De exemplatione Patriarcharum

POSTREMO, de *exemplatione eorum* videndum: vt ſciamus quibus meritis, ad gaudia hæc peruenerunt, cum & nos ſectemur veſtigia eorum. Hinc hortatur Eſa. c. 51. *Attendite ad Abraham patrem veſtrum.* Sed abyſſus eſt intendere ad eorum exempla, & pelagus inuadabile nobis: Nam ferè nulla eſt virtus, cuius non in eis relucead exemplum. Nam omnium ille primus parens, mundum ante lapſum illuſtrauit innocentia, & poſt caſum pœnitentiæ exemplum reliquit: vt tenet Eccleſia, & antiquiſſimi Doctores, & Patres orthodoxi tradiderunt, & Montanis hæreticis hoc quaſi blaſphemum, vel hæreticum impoſuerunt, quod Protoplaſtos non ſaluatos dixerunt, vt dicitur in hiſtoria Eccleſiaſtica. Inſuper, & ſapientales libri hoc teſtantur & c. *Abel perfluit, & occiſus eſt in innocentia ſua, Noe fidei ſplendore emicuit;* perfectæ obedientiæ exemplum magnus ille Pater Abraham dereliquit. Longum eſt enarrare ſingulos, hoc pro omnibus vnum, quod viri hi fuere virtutum, & longè clarius mundum illuſtrauere ſuis virtutum exemplis, quã heſperus, aut quilibet, quantumlibet luciſluus planeta. Qui deductionem exemplorum cupit, beatiſſimi Ambroſij ſermones, & libros de Patriarchis legat, & Auguſt. contra Fauſtum. Sed & Antoninus perſtringit pauca de pluribus; nos vero maluimus ſubticere, quàm ad impoſſibilia effatu conari. Sed nunc valete exultantes in Ieſu nobili Filio veſtro, vos illuſtres Patriarchę, in quo impleta eſt omnis expectatio veſtra, hoc mihi impetrate, quo in ſemine hoc veſtro, merear, & ego benedici, & tandem adiungi vobis.

Mat. 23. Gen 6. Eccl. 44.

De Prophetis Patriarcharum ſucceſſoribus.

CAPVT II.

Exemplum accipite fratres laboris, & patientiæ Prophetas qui locuti ſunt in nomine Domini. Iacob. 5. PATRIARCHARVM ſucceſſores fuerunt *Prophetæ* Sancti, & ipſi viri magni, & clyti, viri deſideriorum: In quos etiam mentis oculos leuare debemus, vt veniat auxilium nobis. Sunt enim amatiſſimi Deo, & fratrum amantiſſimi: Nã & ſunt *fratrum amatores* inter eos, qui *multum orant pro populo.* Qui quoniam patrum ſunt conſortes, ideo & eadem, quæ de eis diximus, facilè his poterunt applicari: Plures enim Patriarcharum, etiam ſpiritu prophetico pollebant. Dicemus tamen aliqua, ſub breuitate conſideranda: Et poterimus conſiderare circa hos Prophetas,

2. Mac. 15

Scilicet
- Denominationes.
- Aſſimilationes.
- Dignitates.
- De prophetia conſiderationes.
- Exemplationes.

Nomina, conſimiles, digni, meditans, imitare.

MEMBRVM I.

De Prophetarum denominatione.

CIRCA *denominationem* videnda ſunt, & nominum varietates, & eorumdem rationes: Inueniemus autem Prophetas his nominibus denominari,

Ecce Propheta, videns, præco, vateſque poeta.

Poſterioribus duobus nominibus, à Gentilibus nuncupabantur; POETÆ, ſc. vel Theologi, quoniam de Deo carmina faciebant; VATES, quia in vi mentis excellebant; PRÆCONES, quia Chriſtum præcinebant futurum; VIDENTES, autem à veteribus (vt dicitur 1 Regum 9.) quia ſcilicet videbant ea, quæ ceteri non videbant; & proſpiciebant ea, quæ in myſterio abſcondita erant. Hinc dici ſolet, *Eamus ad videntem.* Et Eſai. ait, *Vidi Dominum ſedentem.* Et cæli aperti ſunt Ezechieli, & *vidit viſiones Dei;* PROPHETÆ autem dicebantur, quaſi præfatores, non vt pleriq́ue autumant, à procul, & for faris; ſed à verbo Græco prophemi, quod eſt prædico, vel exprimo, Græco vocabulo *Propheta*, prædictores, vel expreſſores nuncupantur, vel prolatores; quia de futuris vera quaſi de præſentibus prædixerunt.

Ethim. Eſa. 6. Ezech. 1. Ethim.

Non quod Prophetiæ actus ſit ſemper de futuris; ſed multis modis accipitur actus prophetandi, ſcilicet iſtis,

Futura in tempora longa prophetat — *Id eſt præterita, vt Moyſes*

Prędicit, tranſacta videt,

Id eſt prophetias recitando: prophetabant in cytharis — *Vt Saul nudus inter Prophetas.*

recitandoq́ue laudat

Scripturas. — *Remota videndo.* — *Præfigurando, vt Ieſus nomine & facto.*

Exponit, profans typus eſt,

Pro alio verba preponendo, ſic Aaron Propheta Moyſi erat.

interpretis actus

Patet ex verſibus multiplex acceptio prophetię; quam qui clarius videre volet, legat Nicolaum Gorram, in Epiſtolam ad Corinth. Qui etiam ponit conditiones verorum Prophetarum; ſcilicet iſtas:

Sit miſſus, verus, Sanctus, conſtans, & egenus.

MEMBRVM II.

De Prophetarum aſſimilationibus.

NVNC quibus rebus aſſimilentur in ſcripturis, & à Sanctis videamus: Et quia huiuſmodi comparationes multiplicatæ ſunt ſuper numerum, pauciſſimis nos expediemus, & ponemus iſtas,

Galli, oculi, turres, calami nubeſq́; vocantur.

PRIMO,

PRIMO comparantur *gallo*: vt Iob 38. *Quis dedit gallo intelligentiam?* & hoc *propter galli vigilantiam, quam habet ad cantandum*: Nam & mediis noctibus cantat, & aduenientem nunciat diem, ſeſe primum excutiens ſuis alis. Secundo *propter galli diligentiam, quam habet ad nutriendum*: Nam intantum communicat liberaliter pullis, & gallinis, vt maneat ipſe macilentus. Sic & iſti pro animabus zelabant, quaſi incurij ſuorum. Tertio *propter galli audaciam, quam habet ad pugnandum*: Eſt enim inter tria Prouerb. 30. enumeratus, quæ bene gradiuntur, *gallus ſuccinctus lumbos ſuos*; Sic prophetæ noſtri, in peccatores inſurgebant. Sunt & aliæ multæ proprietates, quas qui ſcire volet legat libros de ſimilitudinibus, & naturis rerum.

SECVNDO, comparantur *turribus*, vt Pſal. 121 ait, *Fiat abundantia in turribus tuis* Itemque Chryſoſtomus in opere imperfecto, ait quod *turres Eccleſiæ ſunt Prophetę ſacri*, de quibus cōtra hæreticos ſpicula mittuntur.

TERTIO, comparantur *oculis*: vt patet, vbi Dominus ait, *Qui tangit vos, quaſi qui tangat pupillam oculi mei*; Nam hi clariſſimè myſteria
Zach.2.
vident, ita quod in Canticis dicatur de iſtis, O-
Cant.5.
culi eius, ſicut columba ſuper ſuper riuulos aquarum.

CALAMIS comparantur propter officio-
Pſal.44.
ſitatem: iuxta illud, *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.*

POSTREMO, aſſimilantur *nubibus aeris*, vnde Pſal.17. *Tenebroſa aqua in nubibus aeris*, id eſt, obſcura Scriptura in Prophetis; Sunt & aliæ multæ res quibus comparantur, vt *lucernis*,
Mat.22.
tauris, altilibus: Sed ſatis eſt materiam adminiſtraſſe meditandi.

MEMBRVM III.

De Prophetarum dignitatibus.

IAM TERTIO de *dignitatibus* beatorum Prophetarum videndum: Et quia in multis conueniunt cum Patriarchis, ideo pauculas hic ponimus dignitatum conſiderationes. Et poteſt præcipuè eorum dignitas elucere ex iſtis,

Ex actu Sancti, medij, fnti, typus, alti.

PRIMO enim eorum dignitas conijci poteſt *ex actus & officij ſublimitate*: nam (vt Apoſtolus 1. Corinth. 14. deducit ex multis) gratia prophetiæ cæteris anteferenda eſt donis, poſt charitatem; nam ait, *Sectamini charitatem, æmulamini ſpiritualia, magis autem vt prophetetis; nam maior eſt qui prophetat*, &c. videantur expoſitores.

SECVNDO, patet eorum dignitas *ex vitæ ſanctitate*: Sanctiſſimæ. n. vitæ erant, adeo quod Dominus iuſtos dicat, & ſanctos appellet, di-
2. Pet.1.
cens, *Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Qui etiam *Spiritu ſancto inſpirati, non voluntate humana.* (teſte Petro) *locuti ſunt.* Scrutare ſcripturas & geſta, & ſcias
Pſal.104.
quæ dico vera eſſe.

TERTIO, patet dignitas eorum, *ex mediationis officioſitate*. Nam Prophetæ ſacri erant, quidam medij inter homines & Deum; potentes manum ponere in vtriſque. O grandis dignitas hominum; quibus donatum eſt, poſſe mediare inter homines & Deum.

QVARTO, patet eorum dignitas *ex amicitia cum Deo familiaritate*, & locutionis aſſiduitate: Nam cum aliquibus horum Dominus *facie ad faciem loquebatur, ſicut homo ſolet loqui* Exod 33.
cum amico ſuo; Vnde hoc homini, vt miſceat ſermonem cum Deo? Verè *amici iſti tui Deus*, Ioa.15.
quibus ſecreta tua reuelaſti, & nota feciſti eis, quæque neceſſaria ſaluti; adeo vt vnus ex iſtis, Amos 4. ſ. dicat: *Nō faciet Dominus Deus verbū, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas.* O verè *nimis honorati ſunt amici tui iſti* Pſal.138.
Deus, quibus tam familiarem te exhibuiſti.

QVINTO, patet *ex typi, quem præ ſe ferebant, ſublimitate*: Nam in factis, actibus, & verbis; imo in nominibus ſuis, Domini figuram gerebant. Nam *in manibus* eorum fuit (vt ipſe ait) Oſe.12.
aſſimilatus.

Percurre ſcripturas vide & apta figuras.

POSTREMO, ex gloriæ ſublimitate; nam quæ de gloria dicta ſunt Patriarcharum, congruunt, & ipſis: vt patet adaptanti; Et meritò ſublimes ſunt in gloria, qui tam Sancti in vita, de ſalute ſemper ſcrutantes, & exquirentes. Poſſent in hunc modum plura alia huiuſmodi 1.Pet 1.
adduci, ex quibus laus horum probanda eſſet: vt ſtirpis dignitas; gratiæ ſingularitas; ſecretarij, & ſcribæ officioſitas; vtilitasque per eos collata; ſed faſtidij mater prolixitas, plura vetat dicere.

MEMBRVM IV.

Conſiderabilia de Prophetia.

QVARTO, pro materiæ adminiſtratione, hic conſiderandum eſſet de prophetia in genere, de qua abundantiſſima ſe materia offert, circa quam hęc conſiderari poſſunt.

Scilicet	Prophetiæ deſcriptio,	Videlicet	Quid ſit;
	Cauſarum origo.		Quorum ſit;
	Materiæ cōditio vel diſpoſitio,		Vnde ſit:
	Differentię variatio,		Quotuplex ſit;
	Graduum aſſignatio,		Quot gradus ſint;
	Fructuū multitudo,		Quæ vtilitas ſit;
	Prophetarum prælatio,		Quæ præcellit

Quid, quo, ſit quorum, ſpecies, gradus, & bona præſtet.

Nil nobis de his dicendum, remittendum eſt ad doctos. Pulchrè in Pantheologia de his ſcribitur, Doctoreſque in ſuis ſcriptis: Et Sanctus Thomas in Secunda ſecundæ vbi hoc duximus aſſignandum, quod Sanctus Thomas de vltimo diſputans, concludit, Moyſen eximium fuiſſe Prophetarum, Sed Liranus in Prologo Pſalterij, Dauid eximium extitiſſe dicit. Eſtque ibidem diſceptatio inter Paulum

Digitized by Google

Burgenſem,& Matthiam Dorinc, vt patet in additionibus.

MEMBRVM V.

De exemplis Prophetarum.

SED IAM tandem *de exemplis* Prophetarum videndum: Et licet in his omnes ferè virtutum ſpecies refulgeant; patientiæ tamen ſingularis exemplar reliquerunt. Quapropter Sanctus Iacobus cap. 5. monens de patientia,eos poſuit in exemplũ: *Accipite*, inquiens, *fratres exemplum laboris, & patientiæ Prophetas.* Et verè ſingularis patientia eorum, qui omnibus ridiculo,& ludibrio erant; adeo vt fatuos eos, imo & malignos dicerent, & diris cruciatibus afficerent: ipſi vero nihilominus
Pſa.46. orabant quoniam excelſus Dominus, & quo-
Pſa.48. niam exaltatum eſt nomen eius ſolius; quam
Apoc.2. ſcientiam, quem guſtum, nemo ſcit, niſi qui accipit, quod nomen qui ſcit, non facilè nomen Dei ſui in vanum ſumit.

OBSECRO, & vos ô Prophetæ viri veraces, in Ieſu magno Propheta gaudentes; per quem, & in quo mirificè,& glorioſè completa videris omnia, quæ de ipſo annunciâſtis in Spiritu ſancto;& fideles inuẽti eſtis per ipſũ in cunctis ſermonibus veſtris: inueniamini & in huiuſmodi imprecationibus veſtris veraces, veri, atque ſuper me, & ſuper omnes mihi dilectos, eiuſcemodi imprecatio veſtra, talibuſque fœlicibus odiis inſequar omnes mihi aduerſantes De beneficiis horum beatiſſimorum Prophetarum tacemus, cuiuſmodi ſunt exempla orationes, & ſcripta: Melius enim hæc meditabuntur in ſilentio,quam fragilis ea noſtra explicare poterit oratio,

TITVLVS HVIVS TERTIÆ DISTINCTIONIS TERTIVS.

ORDINE XXI

I ISti ſunt viri Sancti, quos elegit Dominus. POST Patriarchas,& prophetas, reſtat *de Apoſtolis* dicendum:qui tametſi illis poſteriores tempore fuere, omnium tamen iudicio dignitate ſuperiores.Nam ex primoribus Eccleſię conſtat eos eſſe inſigniores:Et ideo Apoſtolus Paulus, narrando dona in ædificationem Eccleſiæ collata, *Apoſtolos* præponit Prophetis dicens,Eph.4. *Primo Apoſtolos,deinde Prophetas*,&c Dicuntur autem *A-*
Io.13. *poſtoli*,quaſi *miſſi* teſte Chriſto, qui ait,*Non eſt Apoſtolus maior eo qui miſit eum.* Vnde patet nominis ratio.

Sunt miſſi, calor vt radij, vel odorque ſagitta.

Hoc eſt ſecundum Chryſoſtomum:Ideo miſſi,vel Apoſtoli dicuntur, quia à Chriſto miſſi ſunt,ſicut ignis calorem, vel ſcintillas diſpergit;ſicut Sol radios emittit; ſicut roſa odorem ſpirat;ſicut item(teſte Pſam.) *Sagitta de manu* Pſa.119.
potentis. Vnde ſicut Sol in radiis apparet,ſicut ignis in ſcintillulis, vel calore ſentitur, ſicut roſa in odoribus percipitur,& ex ſagitta virtus mittentis conicitur:ſic Apoſtolorum virtutibus,Chriſti potentia agnoſcitur. Et licet omnes qui ad prædicandum mittuntur, generaliter Apoſtoli dici poſſunt: Tamen propriè hi
Apoſtoli dicuntur, qui à Chriſto ipſo imme- Luc.6.
diatè electi,& miſſi ſunt ad prædicandum,qui Act.9.
bus, & ipſe hoc nomen impoſuit, duodecim ſolum ex multis diſcipulis electis. Et quia in perſona Sanctum Paulum de cœlo vocauit: Ideo & ipſe eis annumeratur.

Conſiderabilia de Apoſtolis.

CAPVT VNICVM.

OFFERVNT autem ſe plurima circa Apoſtolos conſideranda: ſed principaliora ſunt nobis breuiter proſequenda, ſcilicet iſta,

De Apoſtolorum { Vocatione, Electione, Miſſione, Dotatione, Congregatione.

En vocat,elegit,miſit,dotans,gregat ad ſe.

MEMBRVM I.

De Apoſtolorum vocatione.

CIrca Apoſtolorum vocationem, ſe ingerunt hęc meditanda. Primo ſcilicet circunſtantiæ vocationis, quæ hoc verſiculo complectuntur. II

Sæpe vocat tales,cur,quomodo, quando,vel vnde.

Primo videamus quotiens vocauit. Et communiter ponunt triplicem vocationem. Secũ-
do videnda vocatorum qualitas; quales ſcili- Mat.4.
cet vocauit. Et inuenimus,quod vocauit pauperes, qui paretia ſua reficientes, quibus ſecundum Chryſoſtomum, tantus erat paupertatis exceſſus, vt laniata repararent, noua habere nequeuntes, quamquam aliud illic lateat myſterium.Non enim de Petro,& Andrea; ſed de Iacobo,& Ioanne,dictum eſt reficientes retia ſua. Ioannes enim non ſolum Euangelium prædicaturus erat; ſed & ſcripturus. Secundo ſimpliciſſimos,tam in litteratura, quàm aſtutia mundiali. Tertio deſpectiſſimos, nihil de mundi nobilitate,& pompa habentes.De quibus tribus conditionibus Apoſtolus agit. Quarto humiles,& obedientia promptos.Cur autem tales vocauit,aſſignantur iſtæ rationes.

Grata ſit, & mera miranda typus docet obſtet.

Primo quia paupertas, ſimplicitas, mundi deſpectus,humilitas, & obedientia ſunt gratiſſima Deo,& Chriſto conformia,& fundamenta perfectionis. Secundo vt oſtenderet, quod vocatio

vocatio mera erat, & gratuita, quia nihil erat in Apoſtolis, per quod viderentur diſpoſiti, ad Apoſtolicam dignitatem. Et ideo ſcientia, & prudentia in eis non minus miraculoſæ fuere, quàm gratuitæ. Tertio tales elegit, per quos mundi conuerſio, magis miraculoſa appareret. Vnde Auguſtinus in de Ciuitate Dei, dicit, quod hæc eſt ſumma omnium miraculorum, quod hominibus pauperibus, ſimplicibus, paucis, rem tam incredibilem mundus credidit. Quarto dicitur vt oſtenderet ſe Dominus Ieſus conſuetudinem obſeruare, & figuras & typos implere.

Poſtremo vt nos doceat humilitatem, & vt oſtendat ſe obſtare Antichriſto.

MEMBRVM II.

De Apoſtolorum electione.

III. DE ELECTIONE Apoſtolorum, ſimiliter circunſtantiæ quædam ſunt conſiderandæ.

Quomodo quando, & vbi quales, vel cur duodenos.

Luc. 6. PRIMO *quomodo* ad electionem proceſſit, quia ante *pernoctans in oratione* fuit, iuxta Ambroſium, formam præſcribens, quid te facere cõuenit, cum aliquod pietatis officium adoriri voles; vnde adhuc ante electionem prælatorum præmittitur oratio ſubditorum. QVANDO, Certè *vbi factus eſt dies*, vbi poſt diſcipulatum creuerunt, vt digni fierent Apoſtolatu. VBI, Certè *in monte*, quia in ſuperiori gradu, ampliori perfectione inſtituendi. QVALES autem elegit, patet ex ſuperioribus, & Apoſtolus ait, quod *ſtulta mundi* elegit Deus: Elegit 1. Cor. 1. inquam humiles in ſæculo, ſed fide præcelſos, ignobiles ſæculo, ſed nobiles Chriſto; deſpectos terræ, ſed acceptiſſimos cœlo; pauperes mundo, ſed diuites Deo, de ſingulis multa dici poſſent, prolixitas declinanda.

CVR autem in *duodenario* numero hos elegerit videndum: Et in genere nota cauſas iſtas,

Deſignet, trahat, aſt æquet, numero duodeno.

PRIMO propter *myſticam reſignationem*: Nam numerus duodenarius, eſt multorum myſteriorum incluſiuus; Eſt enim numerus ſuperabundans, deſignans ſuperabundantem virtutem, & perfectionem Apoſtolorum; *Vel, quia* conſtat ex duplici ſenario, qui primus numerus eſt perfectionis, duplicem ſignificans perfectionem vitæ, & conſcientiæ; operis, & ſermonis. *Item quia* numerus iſte ex ternario, & quaternario conſtat, ſignificat, quod fides Trinitatis, in quattuor mundi partibus prædicanda erat. SECVNDO, vt vniuerſum mundum conuerterent, & quadratum orbem terræ fide Sanctæ Trinitatis inſignirent, & poſt ſe traherent cunctas per orbem nationes. TERTIO, propter correſpondentiam multiplicis figuræ; vt ſicut duodecim Tribus erant in ſynagoga; ſic duodecim Apoſtoli eſſent in Eccleſia.

QVOCIRCA notandum quod multiplex eſt duodenarius horum duodecim Apoſtolorum ſignificatiuus.

Id eſt, duodecim Patriarchæ populum ſpiritualiter generando. — *In Helim, Eccleſiam doctrinis irrigando* — *In veſte Aaron telam exemplis adornando.*

Hi patres fontes, lapides,

Propoſitionis animas verbo vitæ reficiendo. — *Exploratores, terræ promiſſionis gloriam contemplando.*

panes quoque luſtrant.

Principes tribuum, præcepta ſalutaria promulgando — *Fluxum mundi contemnendo.*

Prin. lapides ior.

Chriſti ſacrificium in ſe portando. — *Pro Chriſto martyrium ſuſtinendo.* — *In throno tyrannos vincendo.*

altaris, vituli, que leones,

Duodecim, de futuro tempore prædicendo. — *Baptiſmi gratiam prædicando.* — *Regnum cœli clauium poteſtate aperiendo.*

Vates, atque boues, portæ,

Fundamenta, Eccleſiam meritis, & precibus ſuſtentando. — *In corona, miraculis illuſtrando.*

fundamina, ſtellæ.

Spe præmij omnia perferendo. — *Regnum hæreditando.* — *Cum Chriſto in iudicio ſedendo.*

Margaritæq; tribus ſedes,

Salomonis dando Eccleſiæ, prædicando. — *Spirituali gratia omnes reficiendo*

ſumptus quoque fructus.

Sunt itaque *perfecti contemptores*, & vanitatum mundi, ſignati in duodecim margaritis, Apoc. nihil ſecum tollentes: Sunt *hæredes & reges* Gen. 3. regni cæleſtis in duodecim filiis Iacob ſignati. Sunt *exoratores* profundi humani maleficij, ac per hoc ſupportatores pij defectuum proximi, figurati in bobus ænei maris, & 2. Par. in duodecim iugis boum quibus arabat He- 3. Reg. liſæus. Sunt *Imperatores Eccleſiaſtici*, ſignati 3. Reg. in leunculis ſuſtentantibus ſolium Salomo- Exod. nis. Sunt *ſtabiles in amore Chriſti*, in lapidi- Apoc. bus ornamenti Aaron ſignati. Sunt *lapides* Ioſ. 4. *fundamentales* cœleſtis ædificij in duodecim fundamentis. Sunt *exploratores ſagaces* diuini conſilij; *Duces victoriales* prelij. *Magiſtri & Doctores* cœtus Eccleſiaſtici, quia ſtellæ. *Iudices ſæculi*, & aſſeſſores Chriſti. *Introductores, & claui geri* æterni palatij, quia & portæ ciuitatis ſanctæ Hieruſalem. *Diſtributores, & largitores*, & diſpenſatores cæleſtis conuiuij figurati per duodecim prouidentes cibaria menſæ Salomonis. Poſſent in hunc 3. Reg. modum omnes duodenarij reflecti in præconia Apoſtolorum ex ſcripturis.

INVENIVNTVR, & in rebus aliis adhuc duodenarij, non ſine grandi myſterio, applicabiles Apoſtolis Sanctis: cuiuſmodi ſunt iſti:

Sunt menſes, horæ, cophini, ſunt ſignaque cæli.

Sunt inquam *duodecim menſes*, quos Chriſtus annus æternus ſibi elegit. Sũt *duodecim horæ diei*, quas Chriſtus dies de die, & lux mundi de ſe gignit. Sũt quoque *cophini illi duodecim*, Pſ. 18. veri panis de cœlo miſſi fragmenta reſeruantes. Sunt tandem *duodecim ſigna zodiaci*, & cæ- Luc 9. li, imo Domini cœli; qualitatem, ſcilicet eius denunciantia.

ECCE quam latiſſima hic materia medita-

Digitized by Google

di: Nam qui hæc ſecū moroſius tractare volet,
proprietates rerum hatum inquirere habet,
inuentaſque Apoſtolis applicare,& ex applici-
tis attendere dignitatem , & elicere ſententias
de eis. Cur autem hos,& non alios elegit. Mar-
Luc. 6. cus Euangeliſta ait,quod vocauit ad ſe; ſcilicet
eligendo quos voluit. Cur autem voluerit,non
inquirat qui errare nolit.

MEMBRVM III.

Conſiderabilia circa Apoſtolorum miſſionem.

IV POSSENT, & ad ſuperiorum inſtar,multa
circa miſſionem Apoſtolorum inquiri:ſed
breuitati ſtudentes,pauca annotabimus medi-
tabilia ſolum. Poterint enim hæc conſiderari.

*Tempus,cauſa, modus,monitus,ſeu vita,profe-
ctus.*

PRIMO,*tempus miſſionis*.Et eſt duplex,ſcilicet
Generale,& Speciale. *Speciale fuit* poſt eorum
electionem, quo miſſi fuerunt per ſolam Iu-
dæam, ob congruas rationes , quas Doctores
paſſim tradunt. *Generale fuit*, quando poſt a-
ſcenſionem per totum orbem ſe diuiſerunt:vt
eis commiſſum erat à Chriſto,priuſquā aſcen-
deret in cælum, in Galilæa in monte , poſt re-
Mat. 28. ſurrectionem ſuam, & iam aſcenſuro. Quoto
Act. 1. autem anno illa diuiſio facta fuit , non vſque-
quaque eſt certum , licet poſt duodecimum
fuiſſe facta communiter dicatur: vt ex hiſtoriis
patet; quamquam diligenter actus Apoſtolo-
rum,& hiſtorias comparantibus,magna oritur
de hoc quæſtio,& ambiguitas.

Io. 15. CAVSAM,cur eos miſit ipſe expreſſit;vbi
Mat. 28. ait, *vt fructum afferrent*,prædicarent; baptiza-
Ioa. 20. rent,& mundum conuerterent.
Mat. 10. MODVS, quo miſſi ſunt,etiam ab ipſo ex-
Mat. 5. primitur, quia *ſic* eos miſit, *quemadmodum ipſe
miſſus eſt à Patre*. Miſit inquam eos, *ſicut oues
in medio luporum,ſicut lucem, & ſal terræ*.Deuo-
ta,& lata in ſingulis verbis datur materia, ſi
quis fuerit mel de petra ſugens, cortice con-
fracto medullam explodens.

QVARTO, hic conſiderandi ſunt *monitus*,
vel monitiones,quibus à Chriſto ſunt præmu-
Mat. 10. niti priuſque ab eo miſſi ſunt. Nam conuoca-
Mat. 28. tis duodecim Apoſtolis:*Primo* poteſtatem cu-
rationum dedit; perſecutiones prædixit; *tum*
confortauit, *tum* aſſiſtentiam Spiritus promi-
ſit, *tum* formam exterioris conuerſationis eis
Luc. 10. præſcripſit dicens: *Nolite portare ſacculum, ne-
que peram*,&c.

QVINTO, de *conuerſatione* Apoſtolorum
conſideratio eſt habenda , & multa ſe circa
eam offerunt inquirenda , quæ in ſuo de pote-
ſtate Papæ tractat Auguſtinus de Ancona, po-
nens plures quæſtiones. *Primum* de Apoſtolo-
rum conuerſatione; *Deinde* de eorum perfe-
ctione,& prælatione : *Itemque* de paupertate,
caſtitate,& obedientia eorum , & ſucceſſio-
ne, de quibus nihil hic dicendum,prolixum e-
nim eſſet nimis.

POSTREMO, videndum eſt de *miſſorum
profectu*,& profectione,vbi etiam lata materia
occurrit,ſcilicet quo proficiſcebantur: Vtrum
per totum orbem,per eos fuerit prædicatum?
Circa quam quæſtionem Auguſtinus,& Chry-
ſoſtomus non omnimodè æqualiter ſentiunt:
Putat enim Chryſoſtomus,quod prædicatio Eu-
angelij in vniuerſo orbe completa eſt ante ſub-
uerſionem Hieroſolymæ ciuitatis , anno ſcili-
cet 42. poſt Domini paſſionem; probans hoc
auctoritate,& exemplo; Auctoritate, Pſal. 18.
quia , *In omnem terram exiuit ſonus eorum*; Ex-
emplo quidem , quia ſi Paulus de Hieruſalem
in Hiſpaniā, Græciam , Romam, Euangelium
diuulgauerat , quomodo non reliqui cæteras
partes impleuere? *Auguſtinus* autem beatiſſi-
mus apertè contrarium dicit, *quia nec in Afri-
ca* prædicatum adhuc fuit, & in aliis quibuſdā
locis; *Tum maximè*,quia (vt dicitur in Euan-
gelio Matthæi.) Cum hoc fuerit factum, tunc
veniet conſummatio ſæculi , &c. Hinc pro con- Mat. 24.
cordia aiunt , quod per Apoſtolos impletum
ſit per famam, & auditum; non autem quoad
fructum. Hic de modo prædicationis eorum
videndum eſſet; ſed foret prolixum nimis. Ve-
rum vtrum vſi ſint prudentia,& libris; præſer-
tim cum Paulus voluit ſibi membranas defer-
ri,aliis diſcutiendum relinquimus.

MEMBRVM IV.

De Apoſtolorum dotatione.

NVNC de *dotatione* Apoſtolorum, qua à V.
Chriſto ſunt ſublimati videndum,& ſub
ea ſunt totius vitæ priuilegia , & dignitates
comprehendenda: Et ſunt iſta,

*Nomina,conſimiles,conſors, ſtatus, atque po-
tentes.*

Dotati,pleni,firmi,bona dant venerati.

Agite de ſingulis paucula aſſignemus.

§. 1. *Apoſtolorum varia nomina; & comparationes.*

ET PRIMÒ, dicimus quod Apoſtolorum
dignitas pateſcere poteſt, ex multiplici, &
digniſſima *denominatione*; Variis enim, & dig-
nis nominibus appellantur; ſcilicet (poſito ſin-
gulari pro plurali)

*Vir, princeps, paſtor, doctor, dux, dij vel ami-
ci.*

PRIMO, inquam *Viri* dicuntur , propter vitæ
ſtrenuitatem , Hinc Eccleſia de eis cantat: *Iſti
ſunt Viri ſancti , quos elegit Dominus*. Et Eccle-
ſiaſtici 44. *Hi ſunt Viri miſericordiæ*. Et iure
Viri: Qui enim (ait Bernardus) contra bifor-
mis fortunæ inſultus , vniformi conſtantia mē-
tis militat præmunitus, vt nec in aduerſis de-
ijciatur, nec in proſperis eleuetur; hic perfe-
ctus eſt vir. Verè *Viri*, virilem conſtantiam
virilem fortitudinem habentes: vt patet in eo-
rum conuerſatione,& prędicatione, & paſſio-
ne. *Miſericordiæ* autem *Viri* dicuntur: *Aut
quia* miſericordiam à Deo ſunt conſecuti; *aut
quia* miſericordia pleni; *aut certè*, quia miſeri-
corditer nobis à Deo donati: vt B. Bernardi-
nus declarat in ſermone.

Principes autem dicuntur vtpatet ibi
Pſ. 46. *Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham*: Et hoc propter ſublimem eorum gloriam in conſcientia; *Secundo*, propter diuitiarum opulentiam in virtutum abundantia; *Tertio*, ob fortem potẽtiam in rerum contemptu, & aduerſitatum tolerantia; *Quarto*, ob claram ſapientiam, qua ex Deo dotati ſunt.

Pastores vero ſunt quos Dominus in Eſaia ca. 13. & Ezechiele ca. 34. prophetis promittit, & hoc propter ſollicitam populi gubernationem; Doctores quoque dicuntur propter doctrinæ veritatem. Dvces propter vitæ exemplaritatem. Dii propter miraculorum ſublimitatem. Vnde Pſalm. 46. *Dij fortes terra vehementer eleuati ſunt*. Nec hoc mirum: Siquidem Moyſi dictum eſt, Exod. 7. *Ponam te in Deum Pharaonis*; & omnibus iuſtis,
Pſa. 81. *Ego dixi, dij eſtis*.

Postremo, *amici Dei* dicuntur antonomaſticè, *tum* propter nimiam familiaritatem, *tum* propter nimiam charitatem. Hinc ait illis: *Non dicam vos ſeruos, ſed amicos*. Et rurſus, *Vos amici eſtis*, Item: *Idonei miniſtri noui teſtamenti*:
2. Cor. 3. *Agricolę* in agricultura Domini; & *ſapientes*
1. Cor. 3. *architecti* in eius ædificatione; *Fundamenta* quo-
Apoc. 21. que muri cæleſtis Hieruſalem; *Diſpenſatores*
1. Cor. 4. *myſteriorum Dei*. Et huiuſmodi aliis multis nominibus vocati, quorum proſecutio eſſet prolixa.

Secvndo, colligitur eorum dignitas, ex *ſublimi comparatione*: Nam vt cętera trãſeamus, his Apoſtoli rebus comparantur,

Hi cœli, palmes, agni, ſunt lumina, oliua.

Pſ. 18. Primo *cœlis* comparantur: *Cœli enim enarrant gloriam Dei*; Quorum Ioannes Dominici 16. enumerat proprietates, quas tranſimus. Et Eccleſia cantat, *Hi ſunt cœli in quibus Chriſte habitas, in quorum verbis tonas, fulguras ſignis, roras gratia*, &c.

Secvndo, comparantur *Palmitibus vitis*, teſte Saluatore qui ſe vitem appellat, & Apo-
Ioa. 15. ſtolos Palmites. *Ego ſum vitis vera, & vos palmites*.

Tertio, comparantur *Agnis*; Ipſe enim agnus ſine macula, tollens peccata mundi, Apoſtolos ſuos, *Agnos inter lupos miſit*; Eſt enim
Luc. 10. agnus innocens, patiens, humilis, vtilis, matrẽ balatu dignoſcẽs: Qui & cæditur ſine recalcitratione; capitur ſine reclamatione; multorum pollet fructuum accumulatione, quippe cuius nihil eſt inutile. Applicentur ſingula. Comparantur qvarto, *lumini & luci*, quibus dictũ
Mat. 16. eſt, *Vos eſtis lux mundi*, ob doctrinam; Comparantur oleo & olivæ propter miſericordiam, & alias proprietates, quas qui videre volet, legat Bartholomæum de proprietatibus rerum.

§. 2. *Familiaritas Apoſtolorum cum Chriſto, & ſtatus dignitas.*

3. Reg. 10. Tertio, colligitur eorum dignitas, *ex cõ-*
Sap. 8. *ſortij Chriſti iocunditate*; O verè beati viri, & ſerui qui aſtant coram te, ô pacifice Salomõ, ſemper, quibus datum eſt tecum conuerſari: Non enim amaritudinem conuerſatio illa habebat. O beati oculi qui viderunt quæ vos vi-
diſtis Apoſtoli ſancti, & aures quæ ea audierũt. Luc. 10.
Non hoc patriarchis, non Prophetis, non regibus, non multis iuſtis, non demum omni nationi hoc datum. Magna etenim gratia, & priuilegium ſingulare, dulcedo mirabilis, & ineffabile donum domeſticum eſſe Ieſu Chriſti; conuerſari cum Deo Deorum incarnato, videre faciem eius plenam omnium gratiarum, opera eius intueri, audire verba vitæ, imo, & cõ-
trectare manibus verbum illud Patris. O verè 1. Cor. 11.
ſingularis, in qua ſi gloriamini non eſtis inſi- Matt. 13.
piẽtes: Nam & ad hoc Dominus inuitabat, dicens: *Beati oculi*, &c.

Qvarto, ex *ſtatus dignitate*: Status enim Apoſtolicus, digniſſimus eſt Eccleſiæ ſtatus, cuius collegio nemo ſe imperfectus ſtatu cõparare debet, vt ait Aug. niſi ſaltem quem Dominus excepit. Excedit enim horum ſtatus omnes in vinculo perfectionis. i. charitate. Et hoc primo, *in primitate*: Ipſi .n. *primitias gra-*
tiæ primitus receperunt, vt dicit Gẽtium doctor. Rom. 8.
Secvndo, in vniuerſalitate, quia plus gratię abundauit in eis, quam in aliis, iuxta illud, *Se-*
cundum diuitias gratiæ ſuæ, quæ ſuper abundauit in Eph. 1.
nobis. Tertio, in conſeruationis dignitate: Fuerunt enim à Chriſto ſingulariter præſerua-
ti: *Cum eſſem cum eis ego ſeruabam eos*: Imo, & in Ioa. 17.
aliis multis, gradus Apoſtolicus excedit reliquos gradus, eo quod ſemper principia, ſicut ſunt modica in quantitate, ſic maxima in virtute. Et horum vita eſt omnium ſtatuum Eccleſiaſticorum primordialis norma.

§. 3. *Apoſtolorum miraculorum poteſtas & officia multiplicia.*

Qvinto, ex *ſupereminenti* ſuper cæteros Lucæ 9.
poteſtate: Dedit enim Dominus eis poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & vt languores curarent: Imo ſuper omnia hoc verſu contenta.

Naturam, factum, Sathanam, mens, mors ſuper anglos.

Hoc eſt (ſecundum Auguſtinum) habuerunt Apoſtoli iſti poteſtatem *ſuper naturam*, vt eam curarent: *Super elementa*, & facta, vt ea mutarẽt, *Super dæmones*, vt eos eiicerent: *Super animas*, vt eas à peccatis ſoluerent: *Super mortem*, vt ipsã contemnerent: *Super, & præ Angelis*, vt corpus Dominicum conſecrarent, vt patet hiſtorias percurrenti. Verè magna, & præeminens poteſtas, ſed in omnibus agnoſcenda eſt operatio
Diuinitatis: Deus enim eſt *qui facit mirabilia* Pſa. 71.
magna ſolus. Vnde & eis promiſerat, quod ſigna
quæ fecerat, ipſi facerent: Imo & maiora face- Ioa. 14.
rent, ſed (vt Auguſtinus ait) per eum.

Sexto, ex *dotationis liberalitate*, nam pręter poteſtatem miraculorum, contulit eis adhuc alias *miras poteſtates*, ſcilicet,

Poſſe, lauent, viuant, doceant, ſoluant, ſacra præſint.

Prima poteſtas fuit *baptizandi*: Nam dici-
tur quod *Ieſus non baptizabat, ſed diſcipuli eius*, Ioa. 4.
vtique eius iuſſu: Quibus hoc etiã poſt reſurre- Matt. 28.
ctionẽ mandauit: Qui etiã ante baptizati erant, Ioan. 13.
vt patet ex illo: *Qui lotus eſt non indiget, niſi*

vt pedes lauet. O grandis poteſtas, quæ etiam per eos eſt incitata.

SECVNDO dedit eis poteſtatem & gratiam rectè conuerſandi, vtique poteſtas illa à Chriſto, ſine quo nihil potuiſſent, qui eos non ſolum præceptis communibus, ſed conſilijs inſtituit ſingularibus; vnde tam ſanctè conuerſabantur, quod in eis, velut in ſpeculo, vita Chriſti relucebat, & cognoſcebatur in eis: vt Sol in ſuo ſplendore, roſa in odore, ignis in calore, vt Chryſoſt. dicit. In quorum conuerſatione ſingulariter relucebat exemplar charitatis Dei, &
Io. 15. proximi, de qua crebro eis mandauit Chriſtus. O attende, & vide.

TERTIO dedit eis *poteſtatem prædicandi,*
Luc. 8. & de Euangelio viuendi; vnde dicitur: *Euntes prædicate dicentes, quia appropinquabit regnum*
Matth. 10. *cœlorum.* Et alibi, *Dignus eſt operarius mercede*
1. Cor. 9. *ſua.* Itéq; Dominus ordinauit i;s qui Euangeliũ nunciant, de Euangelio viuere; Verè gratia ſingularis, gratia prædicationis, gratia linguarum, & ſermonum.

QVARTO dedit eis *poteſtatem ligandi, &*
Mat. 18. *ſoluendi,* vt patet ibi: *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cœlis.* Et ne putes ſoli Petro collatam poteſtatem, audi quid ibi ad omnes
Ioan. 20. dixerit, *Accipite inquit Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* &c. Quamuis nec Petro videtur collata ante, ſed tantum promiſſa, dixit enim, *dabo* (non do) *tibi claues regni cœlorum.* O dignitas ſingularis, non data omni nationi. Nota hic de clauibus.

QVINTO dedit eis *poteſtatem Sacerdotalem,* Sacramenta conficiendi, & adminiſtran-
Luc. 22. di, vbi dicit: *Hoc facite in meam commemorationem*, id eſt, poteſtatem hoc faciendi accipite, notetur hic dignitas Sacerdotalis.

POSTREMO eos *Epiſcopos ordinauit,* & poteſtatem iuriſdictionis dedit: Et ideo Apoſtoli facti Epiſcopi, habebant poteſtatem excommunicandi fideles manifeſtè peccantes, quod facientes tradebant eos Sathanæ, fortè vexandos corporaliter, vt (ſecundum quoſdam) fe-
1. Cor. 5. cit Paulus Apoſtolus, erga illum Corinthium, qui nouerca abutebatur. Patet ergo, quod magnificè ſunt præ cæteris dotati.

§. 4. *Gratiarum plenitudo, & fructificatio Apoſtolorum.*

Mat. 18. SEPTIMO attenditur dignitas eorum, *ex gratiarum plenitudine, Repleti enim fuere omnes Spiritu Sancto*, & non more communi, aut ſemel pleni, ſed tertio ſuſceperunt Spi-
Act. 2. ritum ſanctum, *tum* in vita, *tum* poſt reſurrectionem. *Tertio* vero in die Pentecoſtes, quando tantopere repleti, vt inſolito munere, & cunctis inaudito ſæculis dotati, *loquerentur varijs linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.*

OCTAVO attenditur eorum dignitas, *ex certitudinis in bono firmitate*: Certi enim ipſi erant quodammodo de ſe, de perfectione ſua, quantum *ad ſtatum viæ*, & quoad ſtatum pa-
triæ de perfectione *patriæ*. Vnde Petrus Apo- 2. Pet. 1.
ſtolus certum ſe eſſe dicit, quod *velox eſſet depoſitio tabernaculi ſui*: Itemque Paulus Apoſto-
lus, *certus erat, quod neque mors, neque vita, ne-* Rom. 8.
que inſtantia, neque futura &c. poterant eum ſeparare à charitate, qua eſt in Chriſto Ieſu. Vnde *de reliquo*, inquit, *repoſita eſt mihi corona, quam*
reddet mihi iuſtus iudex. Sic fortè etiam cæteri 2. Thi. 4.
Apoſtoli, certificati fuere de ſua ſalute. Neque tamen eatenus confirmati erant, vt non poſſent peccare venialiter, cum Ioannes Apo-
ſtolus dicat in Canonica ſua, *Si dixerimus, quia* 1. Ioa. 1.
peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Sed quòd ſic confirmati erant (ſecundum Doctores communiter) quòd poſt Spiritus ſancti in die Pentecoſtes ſuſceptionem, mortaliter de cætero peccare non poſſent.

NONO attenditur eorum dignitas, *ex fructuoſa vtilitate*: Nam ſicut priores, ita & vtiliores Eccleſiæ fuere, hæc beneficia impendentes.

Debellant, vellunt, luſtrant, condunt, bona plura.

Primo quidem debellant vniuerſum mun-
dum, habentes arma non carnalia; ſed ſpiri- 1. Cor. 10.
tualia à Deo ad deſtructionem inimicorum; Et gladium, quod eſt verbum Dei ſumentes;
loricati in charitate, quæ omnes virtutes tan- Eph. 6.
quam nodo connexas ad inuicem continet. Calceati pedibus, & cruribus, armis prudentiæ, induti pro thorace iuſtitiam. Sed nec eis defuere ſagittæ potentis acutæ doctrinarum, orationum, & prodigiorum, quę fecerunt in populis. His armis cœleſtis aulæ milites, & triumphales duces, mundum aggreſſi, orbem terrarum debellarunt: Ita vt in omnem ter-
ram exiuerit ſonus, & in fines (etiam vbi Ro- Pſa. 18.
manorum edicta non peruenerant) verba eorum intonuerint. Vnde non immerito con-
ſtituit eos Dominus principes ſuper omnem Pſa. 44.
terram. Quilibet autem habuit principatum ſibi à Deo decretum, magnæ prouinciæ, vel regni; Nam Petrus Romam, Pontium, Cappadociam &c. Paulus Græciam, &c. Andreas Achaiam, Iacobus Hiſpaniam, Thomas Indiam, & alij alias.

SECVNDO *vellunt radices peccatorum*; vtpotè idolatriam, ſuperbiam, & multa huiuſmodi. Inſurrexerunt enim in vitia, vt ea exterminarent, quod & fecerunt, dum orbem penè vniuerſum idolis deditum, ad vnius Dei cultum induxerunt.

TERTIO illuminauerunt eos, qui in te- Luca 1.
nebris, & vmbra mortis ſedebant, atque eatenus inſtituerunt, quatenus poſtmodum etiam erubeſcerent, ſe tantis tenebris obuolutos fuiſſe; ſicut dicit Apoſtolus: *Quem fructum tunc*
habuiſtis, in quibus nunc erubeſcitis? Vnde Au- Rom. 6.
guſtinus ait, Ex abiectiſſimis, imperitiſſimis, pauciſſimis, nobilitantur, illuminantur, multiplicantur, dulciſſima eloquia, præclariſſima ingenia, copioſiſſima agmina, acutorum, facundorum, Doctorum, & ſubiunguntur Chriſto.

QVAR-

Digitized by Google

QVARTO, condiderunt ſymbolum: Nam ad illuminandum orbem de neceſſariis ad credendum, ediderunt ſymbolum fidei, in quo quilibet poſuit partem ſuam: Dicit enim Thomas tertio ſententiarum diſt. 24. a. 2. quod articulorum (Princeps Apoſtolorum Petrus) tres in vnum complexus, ſcilicet de vnitate eſſentiæ diuinę, ſecundum de perſona Patris omnipotentis; Tertium de creatione rerum; vnde dicit: *Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.* Reliquos autem articulos cęteri Apoſtoli poſuerunt; vtpote poſt Petrum Ioannes, deinde Andreas, & ſic de alijs. Vnde nonnulli ponunt 12. articulos ſecundum numerum 12. Apoſtolorum; Alij vero ponunt 14. ſecundum alium reſpectum; ſeptem ſcilicet ad diuinitatem, ſeptem ad humanitatem.

QVINTO, contulerunt hominibus plurima bona; nam præter curationes quas operati ſunt vbique terrarum, in multis millibus hominum; & prodigia alia quæ fecerunt: hoc nobis ſolatij genus reliquerunt, vt ad nos erudiẽdos, illuminandos, accendendos, inflammandos, ſacram ſcripturam explanarint, fidem manifeſtarint, vitia declararint, virtutes commendarint, dimiſſis chirographis propriis apud nos. O quanta bona nobis quotidie inde veniunt. O vtinam in ſalutem meam in illis delicier.

§. 5. *Singularis veneratio debita Apoſtolis.*

XIV. DECIMO attenditur eorum dignitas, ex *venerationis ſingularitate*: Nã à Deo Deorum hi ſunt venerati, & ſingulariter honorati,
Pſa. 138. qui *nunc* eos magnificè prædicabat, eos *ſal terræ*, & *lumen mundi* nominando; nunc *beatos oculos eorum* dicendo; nunc gloriam eorum prędicendo, quia *nomina eorum ſcripta in libro vitæ*; Imo & *eis miniſtrando*, & in *finem eos diligens, pedes eorum lauando*, & coram pedibus eorum procumbendo, vtique venerans in corde, quẽadmodum in ſigno exteriori; non tam ſecundum præſentem iuſtitiam, quæ multum fragilis erat, quam tunc habebant; ſed ſecundum prædeſtinationis impletionem, quam ipſe noſcebat. O ſuperbiæ, ô honores, à Rege Regum venerari, & taliter venerari: A ſæculo non eſt auditum. Denique non ſolum *per ſe*, ſed & à toto orbe, ſtatuit eos venerandos, *conſtituens eos principes ſuper omnem terram*, Paſtores & Doctores Eccleſiæ militantis. Duces quidem potentes, & ſapientes, vt ait Bernardus, *Duces*, vt peccatores blandè, & miſericorditer ſuſciperent; *Potentes*, vt fortiter protegerent; *Sapientes*, vt rectè in ciuitatem deducerent. Verè ergo, *nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis principatus eorum eſt confortatus.*

Mat. 7. Luc. 10. Ibidem Luc. 22. Ioan. 13. Pſal. 44. Epheſ. 4. Pſa. 138.

MEMBRVM V.

De Apoſtolorum glorificatione.

IAM poſtremo de congregatione Apoſtolorum cũ Deo Abraham; aut (vt plenius dicã) de eorum *glorificatione* eſt videndum: Nam tũc *principes populorum congregati præcipuè cum Deo Abraham fuere*; vnde iam de gloria eorum videndum, quomodo in præmiis præſtent. Et poterimus pro deuotione iſta conſiderare, XV Pſa. 46.

Centupla iam reſidens, & edunt, iudex manet Abrahis.

PRIMO, quod cæteris quibuſcunque in gloria centuplum illud promiſſum à Chriſto perfectius recipiunt; dum adimpletionem ſortiuntur omnium votorum. Mat. 19.

SECVNDO, quod illic (vt promiſſum eis erat) ſedẽt, & ſedebũt ſuper 12. ſecura quiete requieſcentes, & gloriæ ſublimitate prælati: vnde etiam tunc adimpletũ eſt, quod Dauid prædixerat, *Illic* inquiens *ſederunt ſedes in iudicio, ſedes ſuper domum Dauid.* O magnam gloriam ſedere in iudicio illo! O magnam ſecuritatem! iudicare orbem terrarum in ęquitate, & populos in veritate. Ibidem Pſa. 121. Pſa. 96. Luc. 22.

TERTIO, illic edunt & bibunt plena ſatietate de menſa in regno Patris: ſicut conſtitutum eſt illis.

QVARTO, quod iudiciaria poteſtate gauiſuri iudicabunt 12. tribus Iſrael: Non quidem *auctoritatiuè*, aut ſententiam ipſi proferentes; ſed vt *aſſeſſores dignitatis*, iudicium, & ſententiam Chriſti comprobantes. Multiplex enim iudicium inuenitur, quod tranſiimus.

QVINTO, quod in tanta gloria etiam ſecuritatem habent, nunquam ſeparandi à Chriſto.

POSTREMO, & illic multo ampliori feſtiuitate eis deſeruitur à Chriſto, quàm olim, dũ pedes lauit procumbens ante illos: *Tranſiens enim miniſtrabat illis.* Et adeo miniſtrat, (ait Sãctus Thomas) quaſi emptitius ſeruus eorum ſit. O beatitudinem! ô gloriam mirandam, in qua licet, & alij ſint communicaturi; tanto tamen eſt ſpecialior Apoſtolis, quanto hic exigunt merita illorum. Vnde & principes ſunt in triumphante, quemadmodum olim in militante. Non tamen dico, quod nullus hominum, ſit altior iſtis in regno: Supereſt enim Maria; immo & Ioannem Baptiſtam plerique doctiſſimi his præeſſe dicunt. Verum de illo inter quoſdam eſt controuerſia: Thomas enim & eius ſequaces, Apoſtolos omnibus præferre videntur, poſt Chriſtum, & Mariam, arguentes ex illo Apoſtoli, *Nos autem primitias ſpiritus habentes.* Alij verò Auguſtinum ſequentes oppoſitum tenent: ait enim Aug. *Magnus Ioannes, cuius magnitudini etiam Saluator teſtimonium perhibuit dicens, Inter natos mulierũ* &c. *Præcellit cunctos, eminet vniuerſis, antecedit Prophetas, ſupergreditur Patriarchas: Et quiſquis de muliere natus eſt, inferior eſt Ioanne*: ſed & Petrus Damiani, in ſermone quodam aſſentit. Rom. 8. XVI Mat. 11.

Et ſicut hi de meritis; ita de gloriæ excellentia alij ſic teſtante Ioanne Gerſ. & approbante ſuper Marcum argumentantur: Ruina Angelorum ex hominibus reparatur; Et cõſentaneum eſt rationi, vt ſedem ſuperioris loci vacantis per deiectionem, & apoſtaſiam Luciferi, illi contulerit Altiſſimus, quo inter natos mulierum nemo ſurrexit maior. Si igitur Lucifero dum ſtabat, ſupremam in ordine ſedem. Gregorius attribuit, ſupremam nunc obtinet is, quem in ipſius locum ſucceſſiſſe innuit aſſertio veritatis, hæc Gerſon.

Hæc interim dum de gloria veſtra ſermo occurrit, Apoſtoli Sancti, duximus applicanda: Sed nunc valete ô inclyti proceres cœli, in Ieſu Domino, & magiſtro veſtro familiari lætitia Luc. 22. gaudentes, cum quo olim in tentationibus perſtitiſtis: nunc adorantes, olim coram vobis procumbentem, & extergentem puluerem pedum veſtrorum, memores ſupplicum veſtrorum.

Sequitur Capitulum de Martyribus.

TITVLVS XXII.

ORDINE HVIVS DISTINCTIONIS tertiæ, quartus.

I

HI *ſunt viri qui venerunt de tribulatione magna.* Apocalypſis 7. POST ORDINES Sanctorum prędictos, ſequitur *Martyrum candidatus exercitus*, in quos etiam oculi affectuum, & conſiderationum ſunt deuotè attollendi. Sunt enim hi Martyres *Sancti numero plures*: Nam tempore Hieronymi quotidie plus, quàm quinque milium Martyrum feſta occurrebant, vno excepto die, ſcilicet Kalendarum Ianuarij. Attende quot poſt eius tempora ſunt martyrizati. Pſa. 144. Sunt & affectu miſericordes, quippe qui ſe impenderunt pro ſalute fratrum; Sunt etiam apud Deum virtute potentes, facile quidquid voluerint impetrantes: Faciet enim Dominus voluntatem timentium eum. Martyres autem dicuntur Græcè, quod Latinè teſtes ſonat: Efficaciter enim, & excellenter ſunt teſtati iſta, ſcilicet,

Hi fidei, Chriſti, regni, contra, vel amoris.

Heb. 11. PRIMO enim, per mortem violentam fuere teſtes fidei veræ, & Chriſtianæ, quemadmodum, poſt enumerationem multorum tormentorum, Apoſtolus ait, *Et hi omnes teſtimonio fidei* Mar. 8. *probati.*

SECVNDO, etiam fuere teſtes Chriſti, quia ſeipſe ſit Filius Dei, confitentes eum coram Rom. 8. hominibus; certi, quia & rurſus coram Angelis ſuis confitebitur eos.

TERTIO, teſtes fuere regni Dei, efficaci teſtimonio teſtantes, quod non ſint condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam Luca 9. regni.

QVARTO, etiam teſtes fuere aduerſariorum, & contrariorum: Iuxta quod Dominus ait, hoc facite in teſtimonium illis, ſcilicet malitiæ illorum. 1. Ioa. 3.

POSTREMO, teſtes fuere virtutes eorum, per opera oſtendentes, quod non verbo & lingua tantum dilexere; ſed & opere, & veritate. Martyrium enim actus eſt quattuor virtutum (vt Doctores ſcribunt) ſcilicet *charitatis* imperantis, & meritorium facientis; Secũdò *fortitudinis* timorem excludentis, & actum elicientis; Tertio *fidei*. ſcilicet ſe in Deo, vt in vltimo fine confirmantis. Quarto *patientię*, vt ſuſtinentis. Rectè ergo dicuntur Martyres, qui tantarum rerum efficaces teſtes.

Conſiderabilia de laude Martyrum.

CAPVT VNICVM.

IN *quos* qui conſiderationis oculos leuare volet, ſequentia conſiderare poterit,

Scilicet {
- Præfigurationes,
- Comparationes,
- Priuilegiationes,
- Benefactiones,
- Glorificationes,
- De martyrio varias conſiderationes.

Cerne typum, ſimiles, digni, bona, gloria, plura.

De quibus ſingulis, paucis paucula ſunt proſequenda. Et primum de præfiguratione eorum.

MEMBRVM I.

De Martyrum præfiguratione. II

TAMETSI numeroſæ in ſcripturarum ſilua beatiſſimorum Martyrum & typi figuræ præceſſerunt: nos tamen paucula, pro materia, & occaſione danda aſſignabimus; Cuiuſmodi ſunt iſtæ,

Verna, Gad, Gedeon, fortes, Celethi, Machabæi.

PRIMO quidem per *vernas*, ſiue expeditos vernaculos, quos elegit ſibi Abraham, & qui- Num. 1. bus ſpolia tulit de manu quinque Regum: vt patet Geneſ. 14. SECVNDO, hi ſunt in myſte- Iud. 7. rio *filij Gad numeroſi*, & ad bella doctiſſimi. Sunt TERTIO, trecentis viris *Gedeonis* præſignati, qui tum numeri myſterio, tum mirifico opere, triumpharunt in omnes ſuos inimicos. 1. Reg. 23. QVARTO, hi ſunt *fortes illi Dauid*, de quibus mira nar- Cant. 3. rantur, & ſexaginta fortes ex fortiſſimis Iſrael, Heb. 11. qui ambiunt lectulum veri & pacifici Salomonis. Teſte enim Apoſtolo *fortes facti ſunt in bello*, fortes, inquam, non tam fortitudine lacer- 4. Reg. 15. torum, quàm animorum. QVINTO, ſunt hi in myſterio *Celethi & Phelethi*, viri conſtantiſſimi, & fideliſſimi regis. Itemque POSTREMO fortes *illi Machabæi*, quorum vndique fortitudo refulget. Poterunt in hunc modum, ex totius Bibliæ decurſu viri fortiſſimi adduci, & per applicationem Martyribus adaptari; ita quod abundantiſſima materia hic eſſet, & ſimiliter dulciſſimæ aggregari poſſent de eis prophetię; ſed prolixitatem vitamus.

MEM-

Digitized by Google

MEMBRVM II.

Quibus rebus Martyres comparentur.

III. SECVNDO adducendæ ſunt etiam aliquæ comparationes, quibus Martyres aſſimilanturur, ſcilicet,

Serpentes, mori, vel oues, holocauſta leones.

PRIMO inquam aſſimilantur ſerpentibus, qui pro capite tuendo totum exponũt corpus: ſic hi pro fide capitis; id eſt Chriſti ſeſe impen-
1.Mach.4 derunt. SECVNDO moris, qui elephantibus oſtenſi fuere, vt excitarentur ad bellum, qui & guſtu exempli dulces, & recreatiui; & aſpectu excitatiui, fuſci ac ſanguinolenti; vt Eccleſia canit,

Rubri nam fluido Sanguine laureis,
Ditantur bene fulgidis.

TERTIO vero ouibus benè comparãtur, quippe qui ex ſententia dicere poſſunt illud
Pſal. 43. Pſ. *Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis,* quod ad litteram ſecun-
Rom. 8. dum ſententiam Apoſtoli de Martyribus intelligitur. Verè oues propter innocentiæ ſim-
2.Reg.24. plicitatem: vt dicebat Sanctus Dauid: *Iſti, qui oues ſunt, quid fecerunt?* Secundo propter pa-
Eſa. 53. tientiæ tranquillitatem, *Sicut oues enim coram tondente,* ſic obmutuerũt. Hinc hymnus,

Ceduntur gladijs more bidentium:

Rom. 8. Tertio propter immolationis per martyrium idoneitatem, æſtimati, ſcilicet, ſicut oues occiſionis. Quarto propter lactis; id eſt doctrinæ propinationem. Quinto propter velleris; id eſt conuerſationis fomentum & calorem. Sexto propter luporum, id eſt tyrannorum odium & perſecutionem. Septimo propter virtutum fœcunditatem. Poſtremo propter paſtoris æterni obedientiam & agnitionem. Oues enim illæ Ieſum paſtorem ſequuntur.

Ioa. 10. QVARTO comparantur hoſtijs & holocauſtis, propter voluntariam & charitatiuam traditionem: (ſicut dicitur in Sapientialibus)
Sap. 4. & placitam Dei acceptationem. POSTREMO aſſimilantur leonibus, propter conſtantiam &
Prov. 30. fortitudinem. *Ad nullius* enim *leo pauet occurſum.* Adducantur hic Doctorum proprietates, & lata materia erit.

MEMBRVM III.

De Martyrum dignitatibus.

IV. TERTIO priuilegia, & dignitates Sanctorum Martyrum aſſignanda ſunt, quæ inter cætera colligi poſſunt ex iſtis;

Officiumq́; ſtatus, plus dant, vincunt, imitãtes,
Mors pretioſa, volant, ſeruant ſolatia, cultus.

PRIMO namque colligitur Martyrum dignitas, ex dignitate officij: Sunt enim hi milites, & tyrones Chriſti, bellatores inclyti, quémadmodum de ipſis Eccleſia cantat;

Hi ſunt viri teſtamenti,
Qui ruinam detrimenti
Reparant Angelici;
Viri fortes veri Dauid,
Quibus hoſtes expugnauit
Carnem, mundum, dæmonem.

SECVNDO ex ſtatus; ſcilicet martyrij perfectione & dignitate; Martyrium enim aliquo modo eſt actus maximè perfectionis, quia à digniſſimis virtutibus; puta fide, & charitate imperatur, quia tunc primum perfectio reputatur. Non enim incepiſſe, ſed perfeciſſe perfectionis eſt opus, & in finem perſeuerare; quia perfectius victoria obtinetur, quia à Chriſto ſummum prædicatur. Vnde dicebat, *Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat* Io. 15.
quis pro amicis. Hoc Martyres, ait Auguſtinus, ardenti dilectione perfecerunt. Denique martyrium ex his præfertur reliquis.

Finis, dux, doctor, domus eſt, ingreſſio cœli.

Id eſt, ſecundum beatum Cyprianum, Martyrium eſt delictorum, imò omnis miſerię finis, Periculi terminus, dux ſalutis; patientiæ magiſter & doctor; domus vitæ; & ingreſſio cœli. Digniſſimi igitur ſunt martyres, ex tam digno ſtatu.

TERTIO ex impenſorum pluralitate: Nam (teſte Auguſt.) *Nulli tantũ impendunt quantum qui ſeipſos impendunt*: quemadmodum Martyres fecere, Vnde & martyrium, ſecundum Doctores, ſuperat omnis religionis votum. Finis enim ſemper perfectior eſt illis, quæ ſunt ad finem, ſed martyriũ eſt finis omnium votorum. Deniq; ſacrificium illud, quod martyres Chriſto offerunt, ſuperat omne genus oblationum. Offertur enim aliquid exterius per eleemoſinarum diſtributionem, de corpore proprio per vitiorum mortificationem, de corde & voluntate, per Religionis & obedientiæ profeſſionem: Sed omnes has hoſtias ſuperat oblatio totius vitæ per martyrium, complectens omne reliquum genus oblationum.

QVARTO ex victoriæ arduitate: Magnarum enim virium eſt, & fortium lacertorum, contemptu vincere pro Chriſto mortem. Vis noſſe quam arduum ſit illud? attende quod legis de Chriſto imminente paſſione, *Et cœpit,* inquit Euangeliſta, *Ieſus pauere & tædere.* An non igitur mirum quod virgulæ non pauent, vbi ſic tremit columna? aut quod virgulta ſubſiſtant, vbi cedrus alta libani turbinis pauore concutitur? Verè res miranda, verè victoria laudanda, ab omni Eccleſia Sanctorum. Et ſi voles quantum vicerunt luculentius, perpende ſi potes quanta ſunt, & quàm magna, & multa, quæ ſancti Martyres vicerunt. *Sancti* (inquit
Paulus) *per fidem vicerunt regna,* Regna ait, non Heb. 11.
regnum, quia multa & fortia nimis, Regna inquit, carnis, mundi, diaboli & cœli, quorum ſingula ſuas prouincias habent: vt Iordanus in ſermone de Martyribus declarat. Nec mireris, quod dicimus eos vincere regna cœli: Nam
regnum Dei vim patitur, & non niſi violenti Mat. 11.
rapiunt illud. Vnde hæc attendens Eccleſia cantat.

Hi ſunt quos retinens mundus inhorruit, &c.

Sed vide victoriæ modum, quia mirificus & nobilis nimis: *Mirificus,* quia vincunt occiſi, qui male viuentes fuiſſent victi, vt patet in ſermone Maximi de Martyribus. *Nobilis* quoque victoriæ modus, quia patiendo vicerunt, Et Ethnico teſte, *Nobile vincẽdi genus eſt patientia, vincit Qui patitur, ſi vis vincere, diſce pati.*

Digitized by Google

QVINTO, colligitur Martyrum dignitas ex Chriſti imitatione & conformitate: *Lucæ 9.* Hi enim miniſtri ſunt, ſequuti cum cruce eum, cõformes pręcęteris Chriſto; quippe qui cum illo candidi & rubicundi: *Cant. 5.* *Candidi*, per mentis puritatem; *rubicundi*; per paſſionis acerbitatem. Nullo enim genere virtutum (quidam ait) magis Chriſto quis conformatur, quàm in ſuſtinendo aduerſa: Vnde eſt quaſi nobile iocale Chriſti, & quaſi veſtis ſignatiua ſuorum electorum, equus aut ſolium cui Dominus ipſe inſidet, & cui etiam imponit quos vult honorari. *Marc. 8.* Et ſicut ſectati ſunt Chriſtum in vita per iuſtitiæ obſeruantiam: Ita etiam imitati ſunt eum in morte per patientiæ ſuſtinentiam. Verè magna gloria ſerui conformati ſuo domino, & Domino tali.

SEXTO, ex mortis pretioſitate: Nam Pſam. *Pſa. 115.* *Sap. 3.* teſte, *Pretioſa eſt in conſpectu Domini, mors Sanctorum eius*; tametſi inſipientium oculis viſi ſunt mori: *Pretioſa*, inquit, id eſt, pretio plena, comparantes pretio illo & omnium peccatorum remiſſionem, & æternæ gloriæ perceptionem; Iſta enim duo, pretio ſanguinis ſibi emerunt. *Apoca. 22.* Hoc tamen adiuncto, quod *ſtolas ſuas in ſanguine agni lauerunt*. Hinc Auguſtinus de Ciuitate Dei: *Quid eſt pretioſius quam mors Sanctorum, propter quam delicta dimittuntur, & merita cumulantur?* Et ſuper Ioannem: *Pretioſus eſt* inquit, *ſanguis Chriſti, ſine peccato, faciens & ſuorũ ſanguinem pretioſum, pro quibus dedit ſuum ſanguinem pretioſum: Nam ſi ſuorum ſanguinem non faceret pretioſum, non diceretur, pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.* Hinc etiam Bernardus ait: Verè pretioſa mors Sãctorum; Tria enim ſunt quæ eã faciũt pretioſam, Quies ſcilicet à labore; gaudium de nouitate; ſecuritas de ęterna beatitudine.

SEPTIMO, ex euolationis ſecuritate: Aiũt enim Doctores, quattuor hominum generibus mox pateſcere cœlum poſt tranſitum, ſtatimque dicunt eos euolare, ſecundum quod quater legimus diuerſis cœlos apertos; ſcilicet purè innocentibus, & baptizatis; perfectè pœnitentibus; ſublimia contemplantibus iam amore perfectis; & Martyribus Sanctis: vt ipſi declarant; ſed de Martyribus hic nobis ſermo tenendus. De quibus quidam ait, Quod hoc priuilegio martyrium decoretur, vt qui propter Deũ morti ſe offerunt, in Deo ſtatim inueniant vitam; & qui contemnunt viuere, propter Deum mori cupientes, in Deo inueniant ſibi vitam præparatam. *Philip. 2.* Falce enim Martyrij abſcinditur, ſi quid purgabile habet. Et ideo ait Auguſtin. *Ad menſam Chriſti non ſic eos commemoramus, quemadmodum alios, vt pro eis oremus; ſed magis vt eorum veſtigijs inhæreamus.* O grandis vis Martyrij, mox aperire potens valuas cæli. O terque quaterque vos beati, qui hoc munere eſtis decorati. Potens ergo potentia martyrij, *Cant. 3.* emũdans omnem imperfectionem animi, introducens in thalamum ſponſi, *Apoc. 21.* in quem nil intrabit contaminatum.

OCTAVO, ex mandatorum Chriſti perfecta obſeruabilitate: Inter cæteros enim hi perfectius legis cardinem, hoc eſt mandatum de dilectione Dei, in qua omnis lex, & Prophetæ pendent) ſeruarunt, qui ſeſe ex charitate impẽderunt. Qui etiam ſoli illud mandatum Chriſti, aut conſilium impleuerunt, quod dixit, *Mat. 22.* *Mat. 16.* *Si quis vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me*; vbi tria complectuntur, quæ ad rationẽ martyrij requiruntur, & ab eis implentur ſcilicet propriæ vitæ abdicatio; mortis non naturalis, ſed violentæ & opprobrioſę illatio; Iuſtæ cauſę terminatio, ſcilicet propter Chriſti ſequelam, quæ in omnibus martyribus eſt reperire.

NONO, ex ſolatiorum multiplicitate, quẽadmodum enim hi præ cæteris aduerſa pro Chriſto ſuſtinebant: Ita, & præ illis ſolatiis gaudebant, vt ex ſententia illud Pſa. 93. dicere poſſint, *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo.* &c. Et cum Apoſtolo 2. Cor. 1. *ſicut abundant paſſiones*, &c. Dicitur enim in decretis, Credendum eſt quod Martyres tormẽta, non propria virtute; ſed Diuina patientes, tulerunt: Tantum enim erat gaudium partis inferioris, & ſuperioris à Deo immiſſum, ad prægustandum præmium gloriæ eis præparatum, ad voluntati Diuinæ parendum, & ad Chriſtum Dominum in paſſione imitandum; deſiderium tantum, quod redundabat in partem ſenſitiuam, & refrigerium pręſtabat: vt minus pœnas ſentirẽt, Et inde eueniebat, quod in tormentis gaudebant, tyrannis inſultabant, ad alia tormenta inferenda inuitabãt, verba & geſtus lætitiæ prætendebant, vt patet in paſſionibus multorum, vt Laurentij & Vincentij. Ita quod canit Eccleſia:

Gaudet Martyr in agone,
Spe ſalutis, & corona,
Qua datur fidelibus
Pro Chriſto certantibus.

Annotet quiſque dulcia illa verba Martyrum. Sunt enim ſuper mel & fauum, dulciora ad meditandum. Laurentius dixit, *Diſce miſer, quod carbones tui refrigerium mihi præſtant.* Et rurſus, *aſſatum eſt vnum latus, iam verſa & manduca.* Vincentius tortores incitabat, tortus dicebat: *has epulas ſemper optaui.* Verè ignita eloquia Martyrum, indicia magnarum conſolationum.

POSTREMO, patet eorum dignitas ex cõmendationis multitudine, & cultus ſingularitate: *Pſa. 149.* Nam laus horum in Eccleſia Sanctorum, & eorum memoria non accipiet obliuionem; viuent enim nomina eorum in æternum. *Eccl. 39.* Sunt enim commendati ab Angelis in Apoc. c. 7. *Ioa. 15. & 19.* vbi Ioanni Martyrum exercitus oſtenditur; à ſapientibus: vt in libris Sapientalibus patet, *Luc. 6. & 12.* & pleriſque epiſtolis, officio eccleſiaſtico; & quẽ primo dixiſſem, Chriſtus eos commendauit, dum in turbas oculos attollens, beatificauit in myſterio Martyrum exercitus; vnde de Martyribus Euangelia illa leguntur; ſed confitetur eos Chriſtus coràm Patre ſuo, denique à Trinitate coronatur pro meritis; Ab Eccleſia quæ celebrat eorum natalitia, & reliquias ſecurè veneratur. O verè laudandi à nobis, qui ſunt laudati à tantis.

MEMBRVM IV.

Martyrum in nos beneficia.

VII. IAM de Martyrum *beneficijs* videndum, pro quibus merito eſt eis regratiandum: Et ſunt inter cætera, iſta,

Excutiunt, firmando, docent, meritis, prece ſubſtant.

PRIMO, enim *torporem excutiunt*, & exemplo incitant, dum ipſi nobis ſimiles, paſſibiles, quorum aliqui multo nobis erant delicatiores, adoleſcentiores, ſecundum ſæculum potentiores; & tamen tam viriliter ſuſtinuerunt, torti torquentibus fortiores ſteterunt, ac laniantes vngulas laniata eorum membra vicerunt Et ideo Chryſoſtomus ait, *Tu Chriſtiane delicatus es miles, ſi putas te poſſe ſine pugna vincere, ſine certamine triumphare: Exere vires fortiter, dimica atrociter, in prælio iſto concerta, conſidera pactum, conditionem attende, militiam noſce, pactum quod ſpopondiſti, conditionē quam acceſſiſti, militiam cui nomen dediſti. Hoc enim pacto cuncti pugnarunt, hac conditione vniuerſi vicerunt, hac militia triumpharunt.* Hæc Chryſoſto.

Rumpe moras igitur, impone ſilentia carni.

SECVNDO, *fidem Chriſtianiſmi firmauerunt teſtimonio*, ſanguinis eorum: Conſtantia enim Martyrum, plurimum ad Chriſti fidem traxit mundum: quemadmodum per typum Gregorius oſtendit de militibus Gedeonis 3. Moralium, qui numero trecenti, Trinitatis fidem, Iud. 7. crucis, id eſt, ſigni *Tau* myſterium prçſignantes Madianitas vicerunt; *Tau* enim littera trecentos apud Græcos, quemadmodum apud Latinos x. decem ſignat. Applicetur hic figuræ myſterium.

TERTIO, populum docuerunt, non tam prçceptis, quàm viuis & efficacibus exemplis, & ideo magni in regno Dei habendi: Hinc Auſtinus, *Quod mundus iſte contemnatur cum ſuis amoribus, erroribus, & terroribus, ſanctorum martyria nos docuerunt; Data enim ſunt nobis in exemplum vita noſtra, vt aggrediamur ardua, ſufferamus aduerſa, non refugiamus, cum expedit, etiam ipſa mortis tormenta.*

POSTREMO, ſunt nobis *patroni fideliſſimi*, infirmitatē noſtram iuuantes, & meritis, & orationibus ſuis: Nam de meritis, Aug. dicit *O immenſa Dei pietas, quæ Martyrum merita vult eſſe noſtra ſuffragia; illos examinat, vt nos erudiat, & ſibi acquirat: Illorum cruciatus, noſtros vult eſſe profectus.* Quod etiam orationibus iuuent, Hieronymus hic probat contra Vigilantium: *Si* (inquit) *Martyres adhuc in corpore poſiti poſſunt orare pro nobis, quando adhuc pro ſe ſolliciti eſſe deberent; quanto magis poſt coronas, victorias, & triumphos?* Agite igitur, quod agitis, ſemper ô Martyres orate pro nobis, gratiæque vobis de beneficiis vniuerſis.

MEMBRVM I.

De Martyrum gloria.

VIII. NVNC de Martyrum *gloria & glorificatione*, eſt inquirendum: Sunt enim indubiè ſublimes in præmiis, qui meritis tam diuites extitere; vt patet ex his,

Erepti, ſectant, faſſi, gaudent, ſpeciali.

PRIMO, eorum gloria perpenditur, ex malorum ereptione: Nam martyrij falce ab omni ſoluūtur incommodo, ita vt ſecuri dicere poſſunt, *Anima noſtra, ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.* Erepti etiam à corporis carcere, à miſeriarum vitę vinculis, quæ ſunt ſex incomoda vitę, fames, ſitis, frigus, & æſtus, dolor, & labor, & mors omnium finis. A periculorum loco, exilio ſ. mundi, & omni pœnarū timore: *Abſterget enim Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum, & iam non erit amplius, neque luctus, neque clamor, ſed nec vllus dolor.* O verè beati ab omni malo liberi. Psa. 12.

Apoc. 21

SECVNDO, eorum gloria patet ex Chriſti imitatione: *Sequuntur enim agnum quocunque ierit*, nunc in gloria, ſicut ante in pœna; & ſingulari præ cæteris ſequela. Apoc. 1

TERTIO, ex confeſſoris eorum, coram militia cæli & Patre dignitate: Nam Chriſtus non iam eos erubeſcit, qui ipſum non erubuerunt; ſed (vt promiſit) ſublimi oratione, ſublimis ipſe orator, confitetur eos coram Deo Patre & Angelis ſuis. O gloriam, ô honorem! Luc. 9.

QVARTO, ex gaudij ſingularitate: Nam ſi (Boetio in tertio de Conſolatione Philoſophiæ teſte) dulcior fit apum mage labor, ſi malus ora prius ſapor edat: Et ſi gratius aſtra nitet, vbi nothus deſinit imbriferos dare ſonos: Liquet profectò ampliori eos gaudio gaudere, qui ante aduerſa & triſtia paſſi, Iam non reminiſcentes preſſuræ, fœliciter iam nati in mundum. Et hinc eſt, quod præ cæteris Ioannes in ſuo Apocalypſi, altè clamantes, lætèque canētes audiebat, vt illic eſt videre. Ioan. 1 Apoca & 14.

POSTREMÒ, eorum gloria elicitur ex remunerationis ſpecialitate: Nam ſingularibus præmiis remunerantur, quemadmodum colligitur ex Apocalypſi, & Doctorum ſcriptis. Habent enim locum Deo vicinum, quia ſunt *ante thronum Dei*; Exercent actum dignum, quia *ſeruiunt ei die ac nocte* in templo eius. Habent ſingulare ſolatium, *quia qui ſedet in throno, habitat ſuper illos; Et abſterget omnem lachrymam ab oculis eorum, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum*: habent grande conſortium, quia vidi (inquit Ioannes) *turbam magnam quam dinumerare nemo poterat.* Habent habitum candidum, quia *amicti ſtolis albis*; Ornamentum præcipuum, quia *palmæ in manibus eorum*, vt patet Apoc. 7. Habent & præterea præmia alia, quia *gloria*, quoad ſe interius, *honore*, quoad nos exterius, *coronauit eos Deus* quoad ſe ſuperius: gaudentes nihilominus aureola ſpeciali, vt Doctores tradunt propter actum priuiligiatum: *Coronam de lapide pretioſo* eleuato capite geſtantes. Hæc vtcunque de prçmiis, in quibus congratulandum eſt eis. Vbi ſu. Psal. 2

MEMBRVM VI.

Cauſa, & genera varia Martyrum.

IX. POSTREMO, pro meditationis dilatatione, & intellectus eruditione, poſſent hic annotari

notari de martyrio conſiderationes variæ, de quo multa ſe offerunt tractanda, ſcilicet,

Ex quo, quot cauſa ſit opus præſtat, ſpecieſque.

PRIMO, conſiderari poterit *initium ex quo ſuſcipitur*: Et ſupra tactum eſt, quod martyriũ ſuſtinere, ſit actus quattuor virtutum; ſcilicet Fidei, Charitatis, Fortitudinis, & patientiæ.

DE SECVNDO, autem, *quot ad perfectionem martyrij requirantur*, vt quis numero Martyrum aſcribatur: Et aiunt quod tria; ſcilicet cauſa rationalis; pœna exitialis; conſtantia infatigabilis. Nam de *primo* Auguſt. ait, quod pœna non facit martyrem; ſed cauſa rationabilis, quę multiplex eſt, vt dicetur, nã licet plures grauia, & immania ſuſtinuere, *aut* pro delicti vltione, vt malefici, fures, &c. *aut* pro vanę glorię acquiſitione, ſicut & ethnici quidam; nam de Curtio milite Romano Valerius narrat, quod ſeſe in hiatum terræ pro fama adipiſcenda iactauit; & plerique oculos ſibi eruere; *Aut* etiam ex perfidiæ obſtinatione, ſicut perfidi hæretici quidam; hi tamen martyres non ſunt; quia cauſa martyrij, quę in vera dilectione conſiſtit, caruerunt. *Secundo*, requiritur pœna mortis exitialis, vt ſcilicet mors non qualibet, ſed violẽta inferatur: Hinc Chryſoſtomus dicit, Ne æſtimes, quod vſque ad verbera tantum & contumelias, oporteat hominem abnegare ſeipſum; oſtendit Dominus vſque ad quãtum abnegare ſit neceſſarium, quia vſque ad *Luca 9.*
mortem; non ad mortem naturalem, ſed violentam, & non qualitercunque violentam, ſed exprobrabiliſſimam, puta mortem Chriſti, qui *Mat. 10.*
dicit, & tollat crucem ſuam. *Tertio* requiritur cõſtantia finalis, nã ſolus qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Hæc de requiſitis.

TERTIÒ, de cauſis, quibus inducitur ad martyrium, varij variè illas aſſignant, Alij plures, alij pauciores: Ex quibus iſtas inuenimus:

Vt Machabæi — *pro ſalute populi, vt Chriſtus,* — *vt Stephanus*
Lege Dei populoque fide,
pro defenſione Eccleſiæ, vt Thomas Cantuarienſis. — *vt Innocentes.*
templo, quoque Chriſto.
vt Abel — *pro obiurgatione ſceleris, vt Baptiſta.* — *pro aſſertione veritatis, vt Prophetæ.*
Iuſtitia, ſcelere, vero,
pro iuramento confirmatione. — *pro qualibet virtute Chriſtus.*
voto, omnia Chriſtus.

Pro vltimo membro nota, quod (ſicut Hieronymus ait) Chriſtus ſapientia eſt, iuſtitia eſt, veritas eſt & ſanctitas, fortitudo, & omnis virtus. Ideo non ſolum Martyr eſt, qui ſuſtinet mortem violẽtam, pro teſtificatione fidei Chriſtianæ, aut cauſis enumeratis, ſed etiam cum quis pro aliis operibus virtutum, magis mortem ſuſtinet, quàm aſſentiat agere contra illa, & corona martyrij decoratur.

IAM quarto, *vtrum ſuſtinere martyrium, ſit ad ſalutem neceſſarium, & an cadat ſub præcepto?* Reſpondent Doctores, quod non cadit ſub præcepto abſolutè *quoad factum*, quaſi ſine eo ſaluari non poſſimus, ſed conditionatè *quoad animum*, id eſt ſecundum præparationem animi, ſcilicet vt prius ſe permitteret occidi, quam Chriſtum, aut fidem negaret: non tamen ſecurum eſt, vt homo de hoc particulariter ſe examinet ait Gerſon.

DE QVINTO, quomodo ſcilicet martyrij actus cæteris ſupereminet, tactum eſt ſupra: quia ſcilicet maiorem charitatem portendit, eo quod rem magis dilectam propter Deum contemnit, & vota omnia tranſcendit.

POSTREMO, de martyrij ſpeciebus aliquid dicendum: Inuenitur enim martyrium multiplex, vt patet in verſu,

Corporis, & mentis, vtriuſque ſimul variatum.

Hoc eſt inuenitur martyrium *occiſionis tantum corporalis*, quale fuit Sanctorũ Innocentũ, licet aliqui hos putent ratione præuẽtos, de quibus Armacanus mirabiliter, ſed neſciunt docti, vtrum tam veraciter, quàm ſeueriter ſenſit. *Alterum eſt martyrium affectionis tantum internalis*, quali Cyprianus ait, *In ſeruis Dei, apud quos cogitatur, & martyrium mente concipitur, animus ad bonum deditus Deo iudice coronatur. Aliud eſt enim martyrium defuiſſe animo, aliud animum defuiſſe martyrio.* Exponunt illud aliqui, quod licet mereantur magnam *auream*, nõ tamen *aureolam*. Alij tamen contra ſentiunt, propter illud Auguſtini, quod Deus reputabit factum, quod non potes, &c. *Tertium eſt effectus, & operis ſimul*, & hoc eſt martyrium propriè dictum: vt patet ex conditionibus requiſitis.

Inuenitur adhuc varium martyrium ſpiritualiter dictum: Nam & noſtra tempora Martyres tales habent.

Qui parcus, largus, caſtus, patiens, amor eſt flens.

Hoc eſt, vt paucis agamus, ſecundum Bernardum Martyres eſſe poſſumus, ſine ſanguinis effuſione, dum ſit parcitas in vbertate, qualem habuit Dauid: aut largitas in paupertate, quam *1. Reg. 6.*
exhibuit Tobias, & vidua in Euangelio: Tertio *Tob. 1.* *Luc. 21.*
caſtitas in iuuentute, qua vſus eſt Ioſeph in Ægypto. *Gen. 39.*
Cæteras ſpecies ponit Gregorius, dicens, Sine ferro Martyres eſſe poſſumus, ſi, ſcipatientiã in aduerſis, in animo veraciter teneamus, & hoc quoad quartũ gradũ verſus: Quinto, ſi inimicos diligamus: Ferre enim contumelias, & diligere odientem, martyrium eſt in occulta cogitatione. Poſtremo Martyres eſſe poſſumus, ſi affectum compaſſionis erga afflictos geſtamus. *Qui enim* (ait Gregorius) *dolorem exhibet in aliena neceſſitate, crucem portat in mente; tot perpetiens doloris vulnera, quot conſpicit proximorum incommoda.*

Agite ergo ſi ferrum ferre non poſſumus, vel his modis Martyribus nos conformemus, & fragilitatẽ noſtram dignoſcamus, & à Martyribus patientiæ virtutem exoremus. Valete nunciam ô vos Martyres victorioſi, gaudentes in Ieſu principe militiæ veſtræ, quia ipſum iam poſſidetis in veſtri certaminis præmium, pro quo animas veſtras tradidiſtis in mortis interitum, impetrantes nobis patientiæ virtutem.

Digitized by Google

TITVLVS XXIII.

DE CONFESSORIBVS.

Prologus.

I C*Onfitebuntur cæli mirabilia tua Domine.* Pſal. 88. I A M in Confeſſores Sanctos quomodo oculi ſint eleuandi, quæue circa eos conſideranda ſunt, paucis tangamus. Et reuera ſumma deuotione ad hos confugere debemus: Sunt enim erga nos valde miſericordes, & apud Dominum plurimum potentes, nec cæteris Sanctis fortè dictis inferiores. Nam canitur de quibuſdam ex illis,

Plus currit in certamine
Confeſſor iſte ſuſtinens,
Quam martyr ictum ſufferens,
Mucrone ſubdens ſanguinem.

Sed eſto martyrium corporis non ſuſceperūt; cordis tamen pertulerunt, & diuturnitate ſuppleuerunt, & ſanguinem, qui ſub gladio ſtatim funditur, pondere exercitiorum conſumpſerunt. Et quia perfectè amauerunt; ideo perfectionis ſtatum tenuerunt, & præmia perfecta exceperunt: *Charitas enim eſt ſanctuarij pondus.* Et (vt quidam notat) triplicem charitatem habuerunt, per quam in ſtatum perfectionis aſcenderunt, ſcilicet: *Extenſiuam*, per quam dilexerunt beneficos, domeſticos, inimicos; *Intenſiuam*, qua temporalia contempſerunt, corpus proprium vigiliis, & abſtinentiis affecerunt, in deſiderio habentes mortem pro Chriſto, & proximis ferre. *Recognitiuam* autem habuerunt, qua recognouerūt beneficia creationis & redemptionis, item magnitudinem dilectionis Chriſti, & deſiderauerunt inſtantiſſimè premium retributionis, cupientes diſſolui & eſſe cum Chriſto. Et ergo per charitatem impletum eſt deſiderium eorum in bono. *Philip. 1*

☞ S E D noſtro more, primùm rationem nominis huius inquiramus: Cur ſcilicet Confeſſores dicantur. Vbi notandum, quod perſecutionis tempore omnes Chriſtiani Confeſſores
II dicebantur, quia Chriſtum erant conſtanter confitentes; Sed poſt antonomaſticè qui patiebantur vſque ad mortem, martyres dicti ſunt: Et Confeſſorum nomen eſt ſpecificatum ad eos, qui non ſunt aliqua prærogatiua Apoſtolatus, Euangeliſtæ, aut Martyris, aut Virginis inſigniti, pro eo quod Chriſtum confitentur, & variè confitentur, ſcilicet in his modis,

Cordibus, & verbis, factis, peccata, fidemque.

P R I M O, ergo Confeſſores dicti ſunt, eo quod Deum cōfeſſi ſunt *corde credendo*, ſcilicet eum colendo, honorando, vt principium & omniū finem; ita vt dicere poſſent, *Confitebor tibi Domine in toto corde.* S E C V N D O, quia eum confeſſi ſunt *ore*, ſcilicet regratiando, laudando dicentes, *Confitebor Domino nimis in ore meo.* Non enim ſufficit confeſſio cordis, ſine confeſſione oris, ſecundum illud, *Corde creditur ad iuſtitiam ore autem confeſſio fit ad ſalutem:* Quod Confeſſores ſancti noſcentes, etiam confeſſionem oris addiderunt. T E R T I O, confeſſi ſunt *opere & factis*, ne eſſent de numero eorum, quibus Apoſtolus ait, *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Opere autem confiteri, eſt virtuosè conuerſari, ſicut pulchrè Hieronymus oſtendit dicens: *Chriſtus ſapientia eſt, iuſtitia, veritas ſanctitas fortitudo: Negatur per inſipientiam ſapientia, per iniquitatem iuſtitia, per mendacium veritas, per turpitudinem ſanctitas, per animi imbecillitatem fortitudo. Et quotieſcunque vincimur vitijs atque peccatis, totiens Deum negamus. Et quotieſcunque aliquid boni, vel quid bene agimus, totiens Deum confitemur:* Et de hac confeſſione Chriſtus ait, *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus.* Sic ergo Confeſſores dicuntur, quia variè ſunt confeſſi.

Pſa. 108. *Rom. 10* *Tit. 1.* *Marc. 8.*

S E C V N D O etiam, quia varia & diuerſa cōfeſſi, vt pote ſua mala, & peccata, vt iuſtificarentur; fidem Chriſti & Deum ipſum, & mirabilia eius ſicut ex Scripturis deduci poteſt: Sic ergo ad omnes ſic confitentes deductum eſt confeſſorum nomen. Maximè tamen (ait Cæſarius) ad Sacerdotes Domini eſt ſpecificatum, quibus poteſtas data eſt ligandi & ſoluendi, & qui ſunt peccatorum confeſſiones recipientes. Multiplex enim eſt (vt poſt patebit) differentia horum Confeſſorum. Ad quos qui contemplationis oculum attollere volet, ſequentia circa eos ſpeculari poterit,

Scilicet { Comparationem,
Denominationem,
Priuilegiationem,
Premiationem,
Multiplicem inueſtigationem.

Quæ paucis ſunt tangenda, & comprehenduntur hoc verſu,

Par, nomen, digni poſt premia, vel variatum.

MEMBRVM I.

Comparationes variæ Confeſſorum. III.

P R I M V M itaque de *comparationibus*, quibus comparantur, communiora tranſeuntes, vt pote quod *ſal terræ, lux mundi, ciuitas poſita ſupra montem, aut candelabra, lucernæque* Confeſſores ſeu doctores ſancti dicantur: Ponemus quædam abdita magis, quæ ſunt iſta, *Mat. 5.*

Sunt hyades, montes, renes, animalia, & angli.

P R I M O comparantur Stellis illis, quę dicuntur *hyades*, de quibus dicit Iob c. 9. *Qui facit arcturum, & oriones, & hyadas, & interiora auſtri.* Et hoc propter earum ortum & effectum: Nā in vere oriuntur, & pluuiam cauſant, quia iſti dicere habent, *Concreſcat, vt pluuia, doctrina mea.* Secundo propter earum ſitum, quia ſitum habent in fronte tauri, vt ait Marianus; Et in 16. gradus eius, vt dicit Mizael; & in corpore hominis dominatur collo & gutturi; vbi vox prædicationis formatur &c. Tertio propter effectum & fructum: Nam quādo oriuntur hyades, creſcunt & dies, & Sol incipit eſſe ferventior, fruges etiam vberius creſcunt, quia à pluuiis irrigantur. Sic etiam ex Confeſſorum & Doctorum prædicatione, creſcunt dies, id eſt clari- *Deut. 32.*

claritas cognitionis, & feruor dilectionis, & fructus operationis. Quarto propter aſpectū, quia hyadum conſtellatio eſt gratiſſima & clara aſpectui noſtro, quia ex multis conſtat ordinata; ſic Confeſſorum vita, ordinata, & exemplis clara. O vos Confeſſores, veræque hyades, cauſetis in me pluuiam virtutum.

Secvndo, *montibus* comparantur, tædet me prolixitatis, & proprietates adducere. Sunt enim verè montes à terra per contemptum terrenorum eleuati, per patientiam ſolidi, & per conſtantiam compacti, verſus cœlum per deſiderium erecti, aquarum gratiæ attractiui, aquarum doctrinæ emiſſiui, quia minerarum, id eſt, habituum virtualium intus contentiui, diuerſorum fructuum, & herbarum; bonarum ſcilicet operationum productiui, ſolatium radiorum, id eſt reuelationum Diuinarum primitus ſuſceptiui. vtinam in nos refulgeant.

Tertiò, *renibus* aſſimilantur, tum quia calore verbi feruidi, tum quia frigiditatis dorſi id eſt malitiarum hominum ſæcularium temperatiui, tum quia humorum gratię attractiui, & ſanguinis, id eſt carnalium purificatiui; Seminalis humoris, id eſt verbi, & conuerſionis peccatorum generatiui. In Chriſto enim per verbum Dei nos gignunt.

Qvarto, animalibus illis comparantur, *Ezec. 1.* quæ Ezechiel deſcribit. Et hoc ratione loci, & tropi, & numeri, &c.

MEMBRVM II.

De Sanctorum Confeſſorum denominationibus.

IV. Nvnc de nominibus, quibus inuenimus eos pro officijs in ſcripturis denominari agendum, & inter cætera multa, hæc ponemus:

Vinitor, & paſtor, miles, cultor, canis, & bos.

Primo, inquam nominantur Confeſſores, *vinitores*, propter officium; ſcilicet palmites ſuperfluos, aut malos reſecandi: Vnde Oſeæ c. 2. *Dabo eis vinitorem*, &c. Euellunt enim & plantant.

Secvndo, *Paſtores*, propter officium, ſubditos verbo, exemplo, ſubſidioque paſcendi; *1. Pet. 5.* dictum enim eſt illis: *Paſcite qui in vobis eſt gregem Chriſti.*

Tertiò, *Milites*, propter officium Eccleſiam contra aduerſarios defendendi, per arma iuſtitiæ quę ſunt arma militię eorum: Hinc *2. Cor. 6. & 10.* Apoſtolus: *Labora vt bonus miles.*

2. Tim. 2 Qvarto. *Cultores*: Sunt enim ſeminantes *Marc 13.* ſemen verbum Dei, quia *euntes ibant & flebant* *Pſa. 125.* *mittentes ſemina ſua, venientes autem venient cum ex por. ma. ſuos.* Sunt plantantes, & rigantes, arantes, & triturantes terram cordium huma- *1. Cor. 3. & 9.* norum: vt ex ſcripturis & Epiſtolis Pauli præ ſertim deducibile.

Qvinto, *Canes*, & hoc quidem propter multas proprietates, præſertim ob iſtas; ſcilicet ob Domini ſui inſeparabilem dilectionem, & *Tob. 6* ſequelam, vnde proficiſcente Tobia ſequutus *Matt 8.* eſt eum canis. Et hi *ſequuntur Chriſtum quocunque ierit*, ambulantem in terris, eius exempla imitando; ſedentem in cælo ad eum aſpirando: Secundo propter linguę medicinalis virtutem. Pſalm 67. *Lingua canum tuorum.* Et de Lazaro; *Luc 16.* Tertio propter gregis Eccleſiæ defenſionem. *Matt. 11.*

Sexto denominantur *boues*, tum quia iugum Domini portant, tum quia terram peccatorum vomere linguæ ſcindunt, quia ſegetes fidelium ſuo labore multiplicant: quia grana virtutum à vitiorum paleis ſeparant.

Præterea & alijs pluribus inuenimus eos nominibus denominari; vtpote *architectos, equos, gallos*, Itē *luminaria* ſatis appropriatè dicuntur; eo ſcilicet quod in ſubſtantia habeant incorruptibilitatem, propter fidei conſtantiā; In quantitate apparentiæ paruitatem, propter humilitatem: In qualitate luminoſitatem, propter conuerſationem ſanctam, & exemplaritatem, In figura rotunditatem propter ſimplicitatem; In ſitu ſublimitatem, propter contemplationis altitudinem; In motu vniformitatē, propter obedientiæ promptitudinem; In effectu vtilitatem propter inſtructionem, & alia bona, vt patet infra. Hæc de nominibus eorum, quæ quiſque ſecum meditando longius deducere poteſt.

MEMBRVM III.

De Priuilegijs.

Tertio, de eorum *priuilegijs*, & dignitatibus agendum: Et inter cætera ex iſtis ſanctorum confeſſorum dignitas elici poterit, V

Hi ſerui, œconomi, vel odor, conſulque vicem dant.

Hos natus, habitus, actus, bona ſcire poteſtas.

Primo eorum dignitas elicitur ex eorum officiorum ſublimitate, hi enim ſunt *ſerui illi boni & fideles*, lumbis ſuccincti, lucernas ardentes *Luc 12.* in manibus habentes, in omni vigilia vigilantes & Dominum vigilanter expectantes, & mox ei cum placuerit aperientes; Vnde & ab eo beati dicti: O beati ſerui tui hi Domine; ſiquidem raro inueniuntur tales, vt in Euangelio inſinuaſti dicens: *Quis putas fidelis?* &c. *Mat. 24.*

Secvndo ſunt fideles illi *œconomi*, & diſpenſatores magni patrisfamilias, quibus dedit bona omnia, quibus *menſuram tritici* commi- *Mat. 25.* ſit diſpenſandam familiæ tempore ſuo, quibus quinque, aut duo talenta commiſit, & veniens cum vſura, & lucro recepit. Verè grandis dignitas, talis Domini, in talibus & tantis bonis, eſſe diſpenſatores; diſpenſatores in talibus dico; non enim tam temporalibus, quam ſpiritualibus ſunt prælati, facti diſpenſatores non rerum temporalium; ſed Eccleſiaſticorum Sacramētorum, vt dicit magnus Doctor Paulus: *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, &* *1. Cor. 4.* *diſpenſatores myſteriorum Dei.* Item gratiarum, iuxta illud: *Sicut boni diſpenſatores multiformis* *1. Pet. 4.* *gratiæ Dei.* Item officiorum: Vnde Apoſtolus *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſ-* *Tit. 1.* *penſatorem.* Item beneficiorum dicente Domi- *Luc. 12.* no; *Quis eſt fidelis diſpenſator & prudens?* O vtinam in me ſitis largiſſimi.

Tertio, ſunt bonus Chriſti odor: quomodo ex ſententia cum Paulo dicere poſſunt,

Chriſti

Digitized by Google

Chriſti bonus odor ſumus Deo; Eo ſc. quod in hos Chriſti bonus odor apparet, in prædicatione, & moribus eorum, per eos ſpirans veritatem:
Cant. 2. *Odor oris tui ſicut malorum punicorum*. Spirat enim in his humilitas: ſicut aroma dum conte-
Cant. 1. ritur, *Dum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea* (quæ eſt humilis herba,) *dedit odorem ſuauitatis*. Et poſſet ita fieri proſecutio de odoribus ſingularum virtutum; ſed tranſimus, quiſque meditando colligat. O vtinam hoc me odore tuo inſpiraueris Chriſte, & efficaciter inſpiraueris,
Ibidem adeo vt incipiam *currere in odorem vnguentorum tuorum*; hoc eſt ſequi exempla Sanctorum Confeſſorum.

Sunt item, & Confeſſores ſancti, *conſules*, &
1. Cor. 10. Doctores Chriſti; Sunt item *vicarij* eius ſuper terram, quibus plenam poteſtatem (in ædificationem ſaltē) dimiſit. O conſulite de nobis in bonum. Et hæc de officiorum ſublimitate.

SECVNDO, colligitur principaliter eorum
VI dignitas, ex ſtatus eorum dignitate, nam eſt vnus ex digniſſimis Eccleſię ſtatibus: vt ſupra eſt declaratum. Eſt & ſtatus perfectionis, complectens ferè in ſe cæterorum ſtatuum dignitates perficiens imperfectum veteris legis: ſicut Antoninus declarat, ex ſingulis Patriarchis in tertia parte Summæ ſuæ.

TERTIO, oſtenditur eorum dignitas, ex *habitus tam externi quàm interni* congruitate: Nam communiter Confeſſores, eccleſiaſticis habitibus & ornamentis, quæ plena ſunt myſteriis, ornati fuere: prout ſcribitur de Aaron
Eccl. 45. in Eccleſiaſtico, circa finem, qui inde collaudatur. Sed de internis animi habitibus, qui ſunt veræ virtutes magis attolluntur. Et licet omnibus virtutum perfectionibus fuerint ornati; ſpecialius tamen continentia, & abſtinentia, aut humilitate præfulſere: prout in ſuo de poteſtate Papali dicit Auguſtinus de Anchona, determinans quod maximè continentia, deducti ſunt ad perfectum, nec non & humilitate.

QVARTO, colligitur eorum dignitas, ex actuum ipſorum nobilitate, & acceptabilitate. Eorum enim actus principalis fuit bene viuere in ſe & ſuis exemplis, & exhortationibus, & ſcriptis, niti alios trahere ad Deum; quo actu dignius, gratiuſque eſt nihil. Nil inquam actibus huiuſmodi dignius eſt, tum propter motiuum excellentiſſimum quod eſt charitas; tum propter exemplũ ſublimiſſimũ, quod eſt Chriſti conformitas; tum propter obiectum nobiliſſimum, quia pro animabus conuertendis, tũ propter medium puriſſimum, quia per verba Dei. Qui etiam actus Deo gratiſſimus, adeo quod fere hoc gratius (vt Beda dicit) nihil, quàm trahere animas ad Deum. Et quidni gratus; quippe cum regnum eius inſtaurat, templum reædificat, ſponſam adducit, filium abductum de tyranno reducit?

QVINTO, commendabiles ſunt Confeſſores Chriſti ex *vtilitate*; nã Eccleſiæ Dei plus cæteris ordinibus, poſt Apoſtolos, profuere:
VII Quis enim martyres ad agones induxit? quis virgines ad continentiam induxit? niſi ſermo Confeſſorum? Quis cæcos illuminauit, mundum inſtituit, niſi ſermo Confeſſorum? Eſto, Apoſtoli miraculis fidem confirmarunt: & hi miracula ſpiritualia fecerunt; Eſto martyres duriora paſſi ſunt: hi tamen diuturniora tormenta tolerauerunt. De vtilitatibus Confeſſorum pulchrè Maximus in ſermone agit, de quibus hic nonnullæ explicandæ.

Luſtrant, conuertuntque, docent, gignunt bona plura.

Hoc eſt verbis & exemplis, excæcatum mundum illuſtrarunt: ad fidem conuerterunt orthodoxam; ad meliora inſtituere; nouas proles, nouorum ordinum inſtitutione Deo genuerunt. Videat qui volet, & tritè cognoſcet, quantum hi, qui tanta Eccleſiæ inſtrumenta adminiſtrauerunt, eidem profuerunt.

SEXTO, colligitur eorum dignitas *ex ſcientia*, qua illuminati fuerunt claritate. Hi enim Sap. 10
ſunt viri illi, quibus dedit ſcientiam Sanctorũ, quos cibauit pane vitæ & intellectus, & potauit aqua ſapientię ſalutaris, quos exaltauit in verbo gloriæ; quibus (vt Eccleſia canit.) Dedit claritatem magnam: vt poſſent cæcos illuminare, & dæmones effugare. Hi enim ſunt quorum oculus (ſecundum Iob) omnia vidit, Iob 28.
& qui ſcrutati ſunt profũda fluuiorum, & abſcondita in lucem deduxere. Hi item viri illi Sancti quemadmodum eruditi, qui impleti ſũt quaſi flumen ſapientia, quorum verbum vt facula ardebat, in quorum ore lex veritatis fuit ſemper, quippe qui angeli fuere, de quorum ore lex requirenda. Poſtremo eorum dignitas Malac
patet ex poteſtate. Ipſi enim ſunt qui claues Eccleſię tenent; imo quorum linguę, claues cęli factæ ſunt.

MEMBRVM IV.

Præmia Confeſſorum.

IAM *de præmiatione* horum virorum tam dignorum, pauca ſunt ſubnectenda: Et patet ex VIII
his, vt cunque eorum præmiatio,

Ornans, inducit, laudans, ſuper omnia, plura.

PRIMO, ex ſingulari exornatione: Nam canitur de vno quolibet eorum, *Amauit eum Dominus, & ornauit eum ſtolla gloria induit eum, & ad portas paradiſi coronauit eum*. Coronauit (vt aiunt) non qualibet gregaria corona; ſed præter auream, etiam in capite eorum diadema ſpeciei poſuit, inſuper & aureolam. Nam & ipſa Doctoribus aſſignatur, & ipſi ſunt qui docere mundum; & ideo fulgent quaſi ſtellæ, in perpetuas æternitates. Dan. 12

SECVNDO, ex gaudij inductione; nam hi ſunt iuſti illi, quos Dominus ipſe deduxit per Sap. 10
viam rectam, & gloriam regni oſtendit, & non oſtendit modo, ſed & ſingulis illis tanquam fidelibus ſeruis dixit, *Intra in gaudium Domini tui*. Intra inquit in gaudium, quia in te intrare Mat. 25
non poteſt præ magnitudine. O fœlices nimium, qui in hoc introduci meruerunt.

TERTIO, ex collaudatione. Hi enim ſunt qui merito fidelitatis, à Domino commendari meruerunt, quibus ſigillatim ait: *Euge ſerue bone & fidelis*. O magna laus, quia maximus laudator.

QVARTO, ex ſuperpoſitione: Nam ſuper omnia bona conſtituit eos Deus, eo quod in pauca

pauca fideles ſeſe exhibuere.

POSTREMO, ex remuneratione: Nã quotidie eis præmia accreſcunt; Nam aiunt, quod quemadmodum Arius nondum habet omnia ſua tormenta; ſic nec Auguſtinus ſua præmia: Quotquot enim eorum exemplis, aut ſcriptis ædificantur, vel deſtruuntur, in bonum aut in malum, tot inde alter tormenta, & alter præmia ferte habet; quod de omnibus confeſſoribus, qui vel exempla, vel ſcripta reliquere, tenendum. Hæc tametſi pauca videantur; ſi tamen ritè diiudicata fuerint, mirabiliter hominem in gloriam ſublimabunt.

MEMBRVM V.

Varia confeſſorum genera.

POSTREMO nunc pro materiæ dilatatione varia conſideratio, aut inquiſitio, quæ de Confeſſoribus haberi poterit eſt aſſignanda. Et certè *primo* omnium offert ſe diſtinctio Confeſſorum: ſunt enim genere multi, ſcilicet,

Pontifices, Docti, teſtes, Monachi, quoque vulgus.

Id eſt, Confeſſorum alij ſunt Pontifices & Paſtores, quaſi Dominici gregis arietes; Alij ſcripturarum ſacrarum Doctores, quaſi galli intelligentes; Alij cum munere ſpeciali priuilegio gaudentes, martyres dicti: Alij vero heremi, vel cœnobiorum cultores, quaſi onagri in deſerto habitantes; Alij vero ſæculi habitatores, qui piis operibus, ſuis temporibus Deum confeſſi ſunt. Hæc Antoninus, in tertia parte Summę ſuæ ſatis proſequitur. Cæterum de ſingulis horum generibus, ſingulares ſe offerunt quæſtiones: vt pote de ſingulorum exemplis, præcellentiis, & ſtatibus, ſicut de eis Auguſtinus de Anchona, in ſuo de poteſtate Papali. Sed nunc abſcedendum eſt à vobis ô venerandi Confeſſores, vos autem gaudete in Domino Ieſu, quem confeſſi eſtis coram hominibus, noſtrorum apud ipſum memores, quo vel tandem aſſociemur vobis.

TITVLVS XXIV.

DE VIRGINIBVS.

Prologus.

1 ADducentur Regi virgines poſt eam. Pſ. 44. IAM poſtea, poſtquam dicta ſunt aliqua de ſingulis ordinibus Sanctorum, de *Virginibus* aliqua ſunt adducenda, quæ non ſunt pars Eccleſiæ, nec minimum apud Deum obtinent locũ, & naturalem habent inſitum erga ſe inuocantes miſerationis affectum: Vnde libenter in eas oculi intellectus, & affectus ſunt vibrandi, vt veniat auxilium nobis. Et in conſiderando de Pſal. 110. his, prius *nominis* ratio eſt præmittenda: Virgines enim variè dicuntur, ſcilicet,

Hęque virent, virtus, vir, agenſque, viragoque, fortit.

PRIMO itaque (vt ſancto Thomæ placet) Virgo dicitur à *virore*, quia non eſt experta adustionem id eſt, actum venereæ delectationis: ſicut arbor dicitur viridis, quę non eſt deſiccata à calore in foliis.

SECVNDO, virgo dicitur (vt Fulgentius ait) à *virtute*, vnde claret, ait, inter cæteras Eccleſiæ donationes, illius præcipuum munus ſpiritualis eſſe chariſmatis; vbi ipſa integritatis perfectio, meretur vocabulo cenſeri virtutis.

TERTIO, (vt Antoninus vult) dicitur Virgo quaſi *virum ageni*, id eſt virum repellens, vt ſe non permittat agnoſci carnaliter ab eo; nam ſic naturaliter amittitur. Vnde Virginum proprium, conſortium eſt fugere virorum.

QVARTO, (vt Fulgentius ad probam de Virginitate ſcribit) dicitur virgo quaſi *virago*: Virago autẽ à viro, eo quod viriliter agit fortia, vincit carnem domat diabolum, mundum ſuperat: Verè viriliter egerunt, quæ virginitatem inter tantas acies pugnantium conſeruauerunt; Et iure dicitur virgo quaſi virago, quia propriè acta eſt virginitas à viro Chriſto, & eſt virtus ab eo infuſa. Nemo enim continens Sapiens ait, niſi dederit Deus. Sap. 8.

POSTREMO, Virgo dicitur, quaſi (vt Gerſon ait) *inuiolata, carẽs vi*, nullam vim in carne paſſa, aut potius inuiolata, quia vitio libidinis non infecta. Quomodolibet autem deriuationem ſuſcipis Virginum, omnes ſunt reptibiles in Virginibus noſtris ſanctis: De quibus in genere, vt plura intermittamus, poſſumus conſiderare,

Earum { Præfigurationem. Aſſimilationem. Dignificationem. Remunerationem. Variam acquiſitionem. }

Cerne typum ſimiles; dignum, pia præmia quęras.

MEMBRVM I.

Virginum figurationes.

PRIMO itaque de præfigurationibus Virginum, aut virginitatis dicturi, hoc dicimus quod iſtis ſunt virgines, præfignatę, aut virginitas earum, ſcilicet,

Area typat, pelles, conciſio, virgoque fertum.

PRIMO figurata eſt in arca Noe, in qua omnia animalia erant pacata, & à diluuio ſaluabantur: Sic in mente Virginum ſacratum omnes motus brutales conquieſcunt, & à periculo aquarum, & tribulationum, & ſollicitudinum ſollicitè, quo Chriſto placeant, liberantur. Vel certè ſignantur per arcam Salomonis, quæ de lignis Sethim incorruptibilibus conſtabat, conſeruans manna, legem, & virgam Aaron: Sunt namque iſtę incorruptæ obſeruatrices legis Diuinæ, virginitatis florentis; & Chriſtum inter vbera ponentes, tãquam manna verum; Legitur enim de vna earum quod Gen. 6. 1. Cor. 7. 3. Reg. 6. Cant. 1.

ſemper

Digitized by Google

Cecilia. ſemper Euãgelium Chriſti in pectore geſtabat.

SECVNDO (vt ait Cæſarius) præfigurantur per pelles hyacintinas, quę in tabernaculi

Exod. 20. recto ſuperiores fuere. Hyacinthus enim aerei, & cœleſtis coloris eſt, merito deſignans eas, quæ cæleſtem in terris vitam agunt, & inter homines poſitæ Angelicam puritatem ſectantur,

Matth. 22. quæ neque nubunt neque nubuntur. Quæ etiã iure ſupremum locum tenent, vt color cæleſtis ſit proximus cœlo, & loco præemineant, quæ virtute homines tranſcendunt.

TERTIO per circuncifionem, hæ enim ſunt, quæ verè circunciderunt noxias delectationes, non carnis tantum; ſed, & mentis, ſcientes

Ezech. 44. illud Ezechielis quod incircuncifi carne, & incircuncifi corde, non intrabunt in ſanctificationem. Attende hic quam plenè ſe circunciderunt.

QVARTO harum Virginum typus fuere, omnia quæ vſquam in toto decurſu veteris paginæ de Virginibus dicuntur, quæ longum eſ-

Pſ. 44. ſet adducere. Hæ igitur ſunt Virgines adducendæ in templum, proximè offerendæ Chri-

Heſt. ſto; Virgines Iſrael, quas ſibi in triclinio parabat rex; Iuuenculæ quę choros ducebant, ex

3. Reg. 1. quibus Dauid vnam, quæ in ſinu dormiret, ſibi

Gen. 24. aſſumpſit. Puellæq; omnes illæ ſpecioſæ, poſtea

& 29. Patriarchis nuptui datæ; nam, & hæ Chriſto

2. Cor. 11. ſunt caſtè deſponſatæ.

POSTREMO deſignatæ ſunt, per ſertum,

Exo. 25. & coronulam, de qua Exodus habet, quod ſuper menſam corona, & ſuper coronam coronula fieret. Non enim communi præmio, aut gregaria corona vult has coronare Deus; ſed præmio ſingulari, quod aureolam dicunt, & aliis, vt infra patebit.

MEMBRVM II.

De Virginum comparationibus.

III. SECVNDO de aſſimilationibus Virginum, aut virginitatis earum dicturi, ancipites agimur, an quid dicere, an prorſus ſilere incerti: Abyſſus ſiquidem eſt, in iſta intendere. Sub genere tamen, vtcunque plures aſſimilationes complectemur. Aſſimilantur igitur iſtis,

Floribus, ac herbis, volucri, lapidi, reliquiſq;.

PRIMO inquam *floribus* aſſimilantur, certè diuerſis fragrantiſſimis, ſpecioſiſſimis, & mundiſſimis, ſuper quos requieſcit Spiritus ſeptifor-

Cant. 2. mis Et *primo* LILIO hinc dicitur: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica &c.* Et hoc ratione decoris, & candidi coloris; vnde, & Virgines habent puritatem carnis; *Secundo ratione odoris*; Nam integer intactus ſuauiter redolet, confractus autem, & confricatus, plurimum fætet: Sic virginitas iuuiolata, Deo, & hominibus redolet; ſed luxuriæ vitio confricata, aut ſignaculo fracto, infamia fætet. *Tertio ratione fulgoris*: Nam in lilio, quædam aurea grana fulgent, quæ ſeptem aſtulis ſuſtentantur, & ſeptẽ foliis lilium decoratur, & ſeptem granis refulget: Septem folia ſeptem virtutes; ſeptem grana ſeptem dona; ſeptem aſtulæ, ſeptem virginitatis conſeruatiua, quę in ſacris Virginibus fuere, de quibus prolixè poſſet diſputari; ſed ſufficit tetigiſſe. Verè ergo Virgines Eccleſiæ ſunt velut lilia, qui ſunt in tranſitu aquę, & ſpinis obſitæ, quibus quo punguntur, magis eo redolẽt ſuauius. Comparantur etiam ROSÆ, dicente Eccleſia-

ſtico: *Quaſi flos roſarum in diebus vernis.* Et hoc Eccl. 24. *ratione decoris* quo oculos paſcit; nam virginitas cunctos oblectat. *Secundo ratione odoris*, quo olfactum afficit; nam domum Eccleſiæ odore famæ reſpergit. *Tertio ratione ſuauitatis*, tactum lenit. *Quarto ratione virtutis* cunctos languores curat, nam virginitas à multis tribulationibus, quas coniugati patiuntur, liberat: vt patet. Aſſimilantur etiam VIOLIS. Et hoc quia ſunt frigidæ à concupiſcentia carnis; Aquoſæ per lachrymas deuotionis; Odoriferæ per exempla honeſtatis; paruæ virtute humilitatis; virtuoſæ quia odor violæ cerebri calorẽ mitigat, ſpiritum animalem confortat, & ſomnum prouocat. Sic virginitas odore exempli, carnis ardorem refrigerat, ſpiritum mentis confortat, & recreat, & ad quietem contemplationis diſponit. Patet ergo quod floribus rectè comparantur.

SECVNDO aſſimilantur herbis, & arboribus, & aliis ſeminibus, potiſſimè autem CEDRO: Tum quia eſt arbor gratiſſimi *viroris*, aſpectu pulchra, ſemper tenens virida folia; ſic, & Virgines ſacræ; tum quia iocundiſſimi eſt *odoris*, ſerpentes fugans, & hominem recreans: quia virginitas diabolos fugat, angelos delectat; tum quia efficaciſſimi *vigoris*, quia à tinea aut verme non corroditur, & à putredine alia conſeruat: Sic Virgines incorruptæ manent, & alios ab immunditia præſeruant. Sic item CYPRESSO, & ordeo, & aliis herbis; puta nardo, & ſimilibus comparantur. Qui vero hæc in extenſo volet, videat librum de ſimilitudinibus rerum. Patet ergo, quod Virgines ſacræ ſunt hortus voluptatis concluſus, *Paradiſus deliciarum*, in quibus omne genus oblectamentorum. Sunt item *terra cui benedixit Deus*, & ager benedictionis; vnde libenter ad eorum mentes, velut ad areolas aromatum Chriſtus ſponſus deſcen- Cant. 6. dit.

TERTIO aſſimilantur volucribus, vtpote apibus, turturi. Et rectè APIBVS ſimilantur, nam virginitatem carnis ſeruant, cum fœcunditate ſpirituali. Nam ſicut apes nullo concubitu miſcentur, nulla libidine reſoluuntur, nec partus dolore quatiuntur, & tamen maximum conſtituunt examen filiorum; duplici cæteras fœcunditate antecedentes. Sic, ſic Virgines noſtræ, corporum integritatem cuſtodiunt, immunes à libidinis fœtoribus, exemptæ à parientium doloribus, nihilominus Deo multum fructificantes, in ſpiritualibus operum fœtibus; carne, ſcilicet & mente, exemplo, alios trahentes. Vnde dicit Eſa. *Multi filij deſertæ magis, quam* Eſa. 54. *eius, quæ habet virum.* At nos tempus deſereret, ſi ad apes, quas comparationes habent explicare vellemus. Sic & de turture dicendum eſſet.

QVARTO, aſſimilantur pretioſis lapidibus & mineris, puta Margaritæ Euangelicæ: Nam Mat. 13. illa de rore cœli generatur, virtutes magnas operatur, ſanans morbum caducum: Et Virgines de cœlo exemplum habentes, valent contra luxuriæ caſum. Item Topazio, qui eſt pretio-

ſus,& ſpecioſus lapis,rarus & vigoroſus,ebullitionem ollæ ſedans: Et Virginitas vera,ſpecioſa,& pulchra,& rara,ebullitiones tentationum ſedat. Aſſimilatur quoque *theſauro abſcondito in agro*; nam collectus eſt de rebus vtilibus, raris,& pretioſis; qualis Virginitas eſt: vt latè diſputat Vincentius Beluacen. Ibidem

Postremo, etiam aliis rebus variis aſſimilantur,& *primo* cœleſtibus:vt circulo Galaxiç; Et hoc propter decorem, & pulchritudinem,nam pulchrior eſt cçteris ſtellis: ſic Virginitas cæteris Eccleſiæ ſtatibus:*vel etiam* propter ſitus medietatem, quia Angelis conuenit, per incorruptionis integritatem, hominibus per carnis fragilitatem. *Tertio* propter candorem, nam vocatur via lactea, ſiue circulus lacteus; & Virginitas eſt candor lucis æternæ. Comparatur *poſtremo* vtenſilibus: vt cibo & lecto: Cibo quo Deus paſcitur & delectatur, lecto quo Deus requieſcit,iuxta illud. *Lectulus noſter floridus.* Hæc de comparationibus tacta ſatis ſint. Cant. 1.

MEMBRVM III.

De Virginum dignitate.

IV Nvnc tertio de Virginum dignitate, & laude videndum:Quç licet ex multis colligi poſſet, potiſſimum tamen eluceſcit ex iſtis ſequentibus:ſcilicet.

Officium atque ſtatus,præſtant,ſimiles,peramatæ.

Euadunt, bona ſunt,chara,pulchra,quoque cultæ.

Primo patet earum dignitas ex officij ſublimitate:Nam hæ ſunt ſponſæ, & amicæ Chriſti, qui eſt Virginum amator, deſponſans ſibi eas in fide,de quibus Cant. 4. *vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa* In huius rei typum præceptum fuit in Leuitico,quod ſummus ſacerdos Virginem duceret vxorem. Et hanc dignitatem ſacræ Virgines ſcientes,ſe inde coram tyrannis iactabant, vt patet de Sancta Matre noſtra Agnete,quæ ait,*ipſi ſum deſponſata, cui Angeli ſeruiunt.* Et reuera præclara ſublimitas, eſſe ſponſas Dei,ſicut pulchrè Ambroſius deducit in de Virginitate,inter cçtera dicens, *Pulchritudinem quis poteſt maiorem æſtimare, decore eius quç amatur à rege, probatur à iudice, deducitur à Deo, ſemper ſponſa, ſemper nupta.* Et licet omnis anima Chriſtiana ſit Dei ſponſa,multo tamen prçclariori modo Virgines illibatæ. Notetur hic de qualitate ſponſarum. Leuit. 21.

Secvndo, patet earum dignitas ex ſtatus dignitate: Nam virginalis ſtatus, maximæ eſt præcellentiæ, eminentior pars Eccleſiæ, illuſtrior cæteris. Hinc Cyprianus: *Virginitas eſt flos Eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpiritualis,læta indoles laudis, & honoris,opus integrum atque incorruptum, Dei imago, illuſtrior portio gregis Chriſti.* Nam & Bernardo teſte: *Sola Virginitas eſt, quæ in mortalitatis loco, & tempore, illius ſtatum immortalitatis repræſentat*; Dignior ergo ſtatu, etiam merito præſtat, ait enim Hieronymus, quod maius videtur eſſe meritum, & præmium Virginum, quàm Angelorum, *quia in eis maior eſt pugna, & ideo maioris meriti videtur eſſe victoria*, ergo & maior ſequetur corona. Denique, & inter conſilia prçſtantiſſimum eſt concilium Virginitatis.

Tertio,ex prælatione, nam cæteris antefertur(non quod ſimpliciter maxima ſit virtutum omnium Virginum virginitas; nam Theologicæ,& actus Religionis antecedunt, quod magis inhærent Deo:) ſed in genere ſuo, id eſt, caſtitatis, omnibus ſpeciebus antefertur. Et ideo Dominus comparans ſpecies caſtitatis, comparat caſtitatem coniugalem terræ bonæ, vidualem meliori, virginalem verò optimæ;præſertim, quia centeſimum profert fructum,vbi alia ſexageſimum,alia triceſimum reddit; vnde liquet, quod prçſtat cæteris. Et iure, quia bonum Diuinum præſtat humano; & bonum animæ,bono corporis; & bonum contemplatiuæ vitæ, bono vitæ actiuæ. Inſuper & ob alia multa,virginitas caſtitati viduali, aut coniugali antefertur; ſcilicet ratione electionis à Chriſto, & exemplationis, & internæ actionis,comparationis,perſuaſionis, & retributionis. Vide deductionem in Pantheologia, aut in ſermonibus Theſauri. Vnde pulchrè Hieronymus dicit: *Laudo nuptias, ſed quia mihi Virgines generant; lego de ſpinis roſam, de terra aurum, de conchis Margaritas.* Non opus eſt hic multa dicere. Plurima enim ſcripta ſunt ab Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio, Fulgentio, & nonnullis aliis, vbi iſtorum ſtatuum collatio fit. Et licet ſimpliciter virginitas præſtet; poteſt tamen coniugatus melior eſſe,quàm virgo: Aut propter animum paratiorem; aut propter virtutem excellentiorem, vt Auguſtinus declarat. O vos Virgines ſacræ quæ elegiſtis optimam partem, & æmulatæ eſtis charismata potiora,datç nobis ſequi exempla veſtra. Matt. 13. 1. Cor. 12.

Qvarto,probatur earum dignitas,ex ſimilitudine viciniori, & digniori: Nam Chriſto Virgini, candido & rubicundo, & dignioribus Sanctis ſunt ſimiliores,vt Virgini Matri, Ioanni, & multis aliis, Angelis quoque ab Ambroſio comparantur; vnde ait, Virginitas conditionem humanæ naturæ ſupergreditur, per quam homines Angelis ſociantur. Nec mirum ſi Angelis comparantur, quæ Chriſto Angelorum Domino copulantur; nam *in carne præter carnem viuere, Angelica eſt natura,non humana.* Cant. 5.

Qvinto,dignitas earum oſtenditur ex acceptabilitate, & amore præſtantiore: Sunt enim gratiſſimæ Deo, quippe quæ amicum habent regem; Sunt & præcipuè à Deo peramatæ, electæ ab eo, & prælectæ;quod ex multis patet, quia de Virgine virgo naſci elegit,& prç cæteris Apoſtolum Virginem magis dilexit: Cuſtodem Virginis Matris, virginem Ioſeph eſſe voluit, & à virgine baptizari voluit; vnde, & maximis donis eas proſequitur, & dignis ornamentis decorat, prout de eo diſſeruit beatiſſima Agnes. Vnde, & vltor eorum eſt, qui eis violentiam inferre volunt,& in anguſtiis liberator, & liberaliſſimus remunerator: prout latè Vincentius in ſpeculo morali

deducit,

Digitized by Google

deducit, enumerans 12. bona, ex quibus patet amor Dei ad Virgines.

Sexto, elicitur earum dignitas, ex malorum multorum immunitate, quæ virgines euadunt, (quibus maritatæ premuntur) vt pote virorum ſubiectionem, oppreſſionem, laborem, dolorem, miſerias, & ærumnas, ante partum, & in partu, & puerorum enutritione. Notentur hic calamitates coniugatorum, ſupra, circa Roſaria ſuper Aue Maria aſſignata. Et hæ
1. Cor. 7. ſunt *tribulationes carnis*, quas iuxta Apoſtolum, habent. Nam, & *ſollicitè ſunt quæ ſunt mundi: Virgo autem cogitat quæ Domini ſunt*, libera à ſollicitudine mundi. Et ideo Gilbertus pulchrè dicit; *Virginitas eſt curarum ſilentium, pax carnis, redemptio vitiorum, principatus virtutum.*

Septimo excedunt in vtilitate ſtatus, quas ſi enumerare tentemus, in vanum laborat conatus noſter, nemo nouit niſi qui guſtauit. Eſt
Matth. 13 enim virginitas theſaurus abſconditus in agro,
Apoc. 2. & manna abſconditum, quod datur vincentibus carnem, reddens animam Deo gratiſſimã, domeſticam, dignam, fœcundam, ſecuram, ſanam, honeſtam, & beatam vt latè Vincen. eſt proſecutus.

Octavo, ex gratioſitate, & pretioſitate; nam *talis eſt* (ait Bernardus) *caſtitas, quòd etiam Diuinos oblectare poſſet aſpectus.* Porro de ſpe-
Eccl. 26. cioſitate Sapiens dixit, quòd *non ſit digna ponderatio animæ continentis*; quæ tanto vtique pretioſior, quanto rarior inuenitur; Omne enim rarum carum; tanto quoque pretioſior, quanto ſeruatu difficilior: Inter omnia enim certamina, cætera, difficilius nullum quam certamen caſtitatis.

Nono excedunt in pulchritudine, nam corpore & ſpiritu caſtæ, corde mundæ, fontem omnis pulchritudinis peculiarius contemplan-
Sap. 4. tur: adeo quod Sapiens exclamauit, *O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate*. Vbi Bern. Quid caſtitate pulchrius? quid decorius
Iob. 14. virginitate? quæ mundum de immundo conceptum ſemine facit, de hoſte domeſticum, de homine angelum? Et licet differunt inter ſe homo pudicus, & angelus; ſed fœlicitate non virtute. Et quamquam illius caſtitas ſit fœlicior, huius tamen fortior probatur. Amanda eſt ergo (ait Iſidorus) pulchritudo caſtitatis, quæ fructus eſt ſuauitatis, & pulchritudo inuiolata, ſecuritas mentis, & ſanitas corporis.

Poſtremo patet earum dignitas ex venerabilitate. Nam Deo, angelis, & hominibus venerabiles redduntur; imo, & omni creaturæ apparent venerandæ. Quomodo Deus eas honorat, longè Vincen. deducit, quia eas ſibi in miniſtras familiares elegit, dux ipſe Virginum eſt factus, & in vita, & morte, poſt mortem, communiter eas honorat miraculis, & prodigiis: vt probat ex geſtis Sanctorum. De Angelis quoque, & cæteris, idem declarat, quòd eas viſitabant, & honorabant. Dignè igitur venerandæ ſunt à nobis quę tantis dignitoſis priuilegiis inſignitæ, ab omnibus, etiam à Deo venerantur.

MEMBRVM IV.

De Virginum remuneratione.

Iam de Virginum remuneratione videndum, Et certè maxima merces eſt eis præparata, vt pateſcere poterit ex iſtis, V.

Pugnam, cerne locum, ſocium, veſtem quoque cultum.

Primo enim poterit conijci magnitudo præmij, & remunerationis earum, ex *magnitudine pugnæ*, & certaminis; Sicut enim non coronatur, niſi qui legitimè certauit: Ita dignius 2. Tim. 2.
indubiè illę remunerabuntur, quæ victorioſius triumphauere. Et qui gloriam noſſe volet, pugnam quam magna, & multa, ex multis hoſtibus fuerit diiudicet oportet. Maximam autem pugnam Virgines in continendo habent, propter experientię deſiderium; propter exiſtimationem maioris delectationis, quam ſit ſecundum veritatem; & etiam (vt Thom. ait) propter inconſiderationem incommodorum annexorum. Maximam etiam pugnam, quia à maximis, & multis hoſtibus: Nam mundus, caro, dæmonia, diuerſa contra eas prælia mouent. Neceſſe eſt igitur, vt, & maxima ſint, & multiplicia earum præmia. Et non ſolum communia præmia perceperunt; ſed etiam ſingularia, quia ſupererogationis opera fecerunt.

Et secundo gaudent *de loci nobilitate*, & *ſponſi vicinitate:* Nam dicit Eſaias, *Non dicat eu-* Eſa. 56.
nuchus, ego lignũ aridum, quia hoc dicit Dominus eunuchis, qui cuſtodierunt ſabbatum meũ, & quæ volui elegerunt, & tenuerunt fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum & nomen melius, à filijs, & filiabus, & nomen ſempiternum dabo eis, quod nunquam peribit. Sponſi etiam habent vicinitatem, quia innocentes adhęrent Pſa. 24.
ei, & paſcitur inter lilia, quem etiam (vt dice- Cant. 2.
tur) ſequuntur quocunque ierit, ſequela ſpeciali, quia non ſolum integritate mentis; ſed & carnis. Et licet dicimus eas viciniores ſponſo, quoad hanc integritatem; non tamen quoad fruitionis beatitudinem; antecedunt enim & alij Sancti, vt ait Auguſt. Secundo ex *nobiliori ſocietate*, quia beatæ Virginis, & cum qua velut
cum altera Maria ſorore Moyſi egredientur, Exod. 15.
cantica de obtenta victoria cantantes. Hinc
dicit Hierem. Lætabitur virgo in choro luden- Iere. 31.
tium.

Tertio ex *veſtitu ſingulari*, quia *induit eas Dominus veſtimento ſalutis, & lætitiæ*, ſtola byſ-
ſina, & veſte nuptiali, ſtola candida & varietate: Eſa. 61.
vt patet ex Prophetis & Apocalypſi.

Poſtremo ex omnium *membrorum ſingulari cultu & ornabilitate.* Nam (vt Vincent. ait.) Remunerabuntur *in capite*, non ſolum corona aurea, ſed etiam ſingulari Virginibus, vt aiunt debita aureola. *Secundo in ore*, In cantici nouitate & ſingularitate, vbi Apocalyp.
dicit, *Cantabant canticum nouum*. glo. id eſt Apoc. 14.
de integritate animæ & corporis gaudebant. Et *nemo poterat dicere canticum illud; niſi centum quadraginta quattuor millia*, Ratio ſubnectitur, *Virgines enim ſunt.* Speciali quoque ornatu *in pedibus* gaudent, quia ſequuntur

Digitized by Google

agnum quocunque ierit modo dicto. Hinc Ecclesia canit.

Quocunque pergis Virgines
Sequuntur atque laudibus
Poſt te canentes curſitant
Hymnosq; dulces perſonant.

In oculis quoque (vt Vincentio videtur) nam cæteris fuere, vt apparet mente, & carne mundiores: Vident enim Limpidius, quæ cernunt oculi mundi. In *totius quoque corporis, & membrorum puritate*, & refulgentia clariori; quippe qui ea ſeruauerunt munda, & incorrupta propter Deum. O verè igitur nimium nimiumque beatæ, ô vos ſponſæ, & Reginę Chriſti. Hæc de remuneratione vtcunque.

MEMBRVM V.

An virginitas amiſſa poſſit recuperari.

VI. POSTREMO pro mentis dilatatione, poterunt hic multa circa prædicta de Virginibus ſacris, & de ipſarum virginitate inquiri; puta in quibus earum virginitas conſiſtat, quomodo amittatur, quomodo antecellat cæteras ſpecies caſtitatis: Et cætera in hunc modum plura, qualia Doctores in ſummis. Et Aug. de Anchona, in ſuo de poteſtate Papę tractat. Sed inter cæteras quæſtiones, vna hic ventilari ſolet, *Vtrum amiſſa virginitas recuperari poſſit, & coronari in regno?* Dicunt quidam, quod non, moti auctoritate Hieronymi dicentis, *Audenter loquor, Cum omnia poſſit Deus, Virginem non poteſt ſuſcitare poſt ruinam: Valet quidem liberare de pœna; ſed non valet coronare corruptam.* Dicunt præterea quidam alij; præſertim Hugo de Sancto Victore, in ſuo de Sacramentis contrarium: vnde ait ibidem, *Habent quidam qui ex ſcripturis libentius materiam erroris, quam ædificationis aſſumunt, ex vno verbo ambiguo Hierony. procedentes* &c. Sed viderit ipſe, quod dicere voluerit, ego à puritate fidei Chriſtianæ non recedo. Audio Apoſtolum dicentem. Si aliud Angelus euangelizauerit, ſit vobis anathema; piè tamen interpretatur ad catholicam veritatem dictum Hierony. ob reuerentiam eius, propter alios verò ita arguit. *Si de corruptione carnis hoc intelligitur, ſtultum eſt ſic ſentire, quaſi homo carnem vitiare poſſit, Deus non poſſit ſanare. Si de corruptione cordis, Et hoc ſimiliter eſt ſtultum dicere, quaſi peccare poſſit homo, Deus iuſtificare non poſſit, & tantum iuſtificare, quantum ille peccare* &c. Similiter, & Petrus Dami. in Epiſtola, contradicit illi auctoritati Hieronym. dicens, ſibi illam ſententiam, nunquam potuiſſe placere; verum nos piè interpretata ſententia Hieronym. ad Virginum chorum conuertimur, in quarum honorem, magnopere hæc pia interpretatio cedere probatur, quæ de numeroſitate conregnantium gratulantur.

Gal.1.

Sed valete nunc omnes, ô vos paradificolæ Virgines Angelorum conſortes, in Ieſu Virgine, Virginitatis veſtræ ſanctificatore gratulantes: Quia ecce quem amaſtis, quem optaſtis, quem ardentibus deſideriis expetiſtis, pro cuius amore terrenos ſponſos, regnum mundi, & omnem ornatum ſæculi contempſiſtis, ſummi regis filium nunc videtis, nunc tenetis, nunc in eius caſtis amplexibus quieſcitis, & diuelli à vobis, nulla inſidiatoris veſtri fraudulentia poteſt. O reminiſcamini noſtri, loquentes bona pro nobis, quo & nos coniugamur illi, & vobis. Amen.

TITVLVS SEPTIMVS ORDINE XXV.

DE SANCTIS IN GENERE.

CONgregate illi omnes Sanctos eius. *Gloria hæc eſt omnibus Sanctis eius.* Pſ.49. & 149. VBI de ſex ordinibus Sanctorum diximus, aliqua licet tenuia, & macra, de Sanctis in genere ſunt ſubnectenda: vt ſic ſingulis diebus habeamus, vbi conuiuia mentis celebremus. Et quia ſparſim plura de Sanctis tetigimus; ideo paucis nos hic expediemus.

Expedire generalem memoriam de omnibus Sanctis habere.

CAPVT I.

HOc notatu dignum præmittentes, quod non abs re, nec inutile prorſus eſt, præter ſpeciales memorias, Sanctorum generalem memoriam habere: Alioquin Eccleſia ſancta, quod nefas eſt dici, omnium Sanctorum feſtiuitatem fruſtra inſtituiſſet; Ob has enim cauſas conuenit Sanctorum memoriam generalem habere, I.

Supplens, auditis, purgatis, & incitat, aſtent.

PRIMO propter omiſſorum ſuppletionem: Nam infirmi ſumus, & fragiles; mora temporis breuis, & Sancti multiplicati nimis ſuper arenam maris; vnde oportet, ſi eos colere volemus, vt generalem memoriam de eis agamus: Non enim poſſumus pro multitudine ad eos. Vis hic, & de multitudine aliquid aſſignemus Sanctorum? Subleuat enim mentē huiuſmodi conſideratio præ admirationis affectu; vnde vtile eſt talibus quandoque immorari. Agite ergo, hoc agamus, non noſtro ingeniolo, (quod inualidum eſt ad huiuſmodi cōtemplationes) innitentes: ſed Bertrannium, & alios inſequentes, qui de hac materia ſic aiunt; Non ſolum Angeli ſunt incomprehenſibili numero; ſed etiam Sancti conciues Angelorum, tam ſunt numero multi, quod nullus mortalium eos ſufficeret numerare. Hinc venerabilis ille de Sancto Victore Richardus ſuper illud verbum Apoc.7. *Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat,* ait, *niſi ille qui, & arenas maris, & pluuiæ guttas, & dies ſæculi enumerat ſolus. Ex omni enim genere piſcium Diuina pietas, id eſt, omni hominum genere elegit ad vitam,* &c. Pulchrè Ioan. ait, ſe multitudinem vidiſſe, quā nemo dinumerare poterat. *Nemo*, ait, nam nullus non, tametſi eam numeret nemo, non-

nullus tamen eſt qui dinumerare eam poteſt. Nemo enim, eſt, nullus homo, pro tempore viæ huius, illud poteſt; viatoribus enim incertus; Deo autem certus, & finitus eſt numerus. Diximus de hominibus pro tempore viæ; in patria enim glorificatis, & iam in latitudine mentis poſitis, facilis erit numerus; tametſi immenſus nobis. In Deo enim videbunt omnes veritates.

Sed iam de ſingulis ordinibus, de multitudine aliqua dicamus. De Patribus, & Sanctis veteris teſtamenti, non opus eſt, vt de eorum multitudine aliqua ponamus, cum Ioan. dicat, hanc præ multitudine dinumerari non poſſe. Nam licet magnus numerus puta centum 44. millia ponatur; numerum tamen eorum nullatenus attingit; ſed determinatum pro indeterminato ponit; ſi tamē verba eius de duodecim tribubus Iſrael ſecundum carnem, & non magis ſecundum ſpiritum accipienda ſunt.

Sed iam ad Apoſtolos Sanctos pergamus; hi tametſi numero ſint paruo, creuerunt tamen in ſegetem magnam; nam miſſi fuere velut grana paucula, de quibus meſſis orta eſt infinita.
Soph. 1. Iſtud cernere erit in die Domini magno, cum Hieruſalem ſcrutabitur in lucernis, cum Dominus veniet in luce magna cum ſenioribus, & ſenatoribus cœli. Tunc Petrus veniet trahēs ſuo
Barnabas Inſubriã. verticulo Romam, Andreas Achaiam, Ioannes Aſiam, & ſinguli quos ipſi conuertere, & Paulus ferè totum mundum. Eſto ſint in primordio Apoſtoli tui Domine numero pauci; Sed *ni-*
Pſal. 138. *mis confortatus eſt principatus eorum, dinumerabo eos, ſuper arenam multiplicabuntur.*

Sed ad Martyrum candidatum exercitum veniamus, & veteris teſtamenti relinquentes, quid de Martyribus noui teſtamenti Hieronymus in Epiſtola ad Heliodorum, & Chromatium dicit audiamus: Dicit enim, quod ante
☞ tempora ſua, tot fuerūt Martyres martyrizati, quot per ſingulos dies diuerſarum prouinciarum in diuerſarū vrbium, pluſquam octingentorum, & nongentorum milium martyrum, nomina nominata: vt nullus dies ſit, cui vltra quinque milium martyrum numerus non ſit aſcriptus, excepto die Calendarum Ianuarij, in quo epulis magis vacabant infideles, & ſacrificiis, quam occiſionibus martyrum. Si tanti tempore Hieron. martyres fuere, quis, oro, quanti poſt eum paſſi ſunt, vel ab hæreticis, aut paganis dignè æſtimabit? Et ſi tot per nomina nominati, & cogniti, quot per nomina ignoti? Certè incomparabiliter plures, cum quandoque etiam integræ ciuitates martyrizatæ legantur. Patet ergo, quòd innumerus ſit martyrum numerus. Nam de illis qui Romę martyrizati ſunt, à temporibus beati Petri, vſque ad tempora Celeſtini, Brigidæ fuit reuelatum hoc modo: Si menſurares, ait ei virgo Maria, terram centum pedum in longitudine, & totidem in latitudine, & ſeminares eam plenam puris granis tritici; ita quod non eſſet diſtantia inter granum, & granum, niſi quantus articulus digiti vnius, quodlibet vero granum daret fructum centuplum, Adhuc eſſent plures Martyres, Confeſſores, Romæ à tempore illo quo Petrus Romam venit cum humilitate, vſquequo Cæleſtinus receſſit à ſede ſuperbiæ, & reuerſus eſt ad ſuam ſolitariam vitam. Hęc Brigida in reuelationibus, quæ non vſquequaque contemnendæ, quoniam à Patribus in concilio creduntur approbatę, & vbi obſcurius aliqua dicta videntur, expoſita ad veritatem, prę ſertim à Ioan. de Turrecremata, & Adam Cardinali. Si tanti Romę, quanti in ciuitatibus. Treueren. Agripin. vbi innumerabiles à Rictiouaro fuere occiſi, adeò, quod per quinque miliaria, Mozella ſuum immutauerit colorem, nonne in Holzatia tertio omnes fuere martyrizati? & ſic per totum ferè factitatum eſt orbem. Eſt ergo innumerabilis numerus Sanctorum martyrum.

Hos tamen numeroſitate excedit ordo Sanctorum Confeſſorum Martyrum, ſcilicet ſpiritualium, qui quotidie ſanguinem ſuum obtulerunt, per obſeruantiam mandatorum. Nam tempore perſecutionis etiam maximè, plures iuſti ſemper remanſerunt, quam occidebantur. Quis clerum Eccleſiæ, quis Monachorum agmina, Anachoritarum greges, totiuſque ſæculi innumerabilem numerum ſupputabit? Nam boni ſæculares cuiuſlibet ſtatus fuerint, etiam in numero dicuntur Confeſſorum. Ad Monaſteria reducatur memoria, in quorum vno, quandoque decem milia (vt Hieronymus ſcribit) militauere.

Sed de virginibus quę forſan paucę numero putantur, videamus: Et certè non paucus numerus earum. Canit enim Eccleſia, quod innumerabilis Virginum chorus, ſpreta liberorum propagine, ſponſo, qui in cœlis eſt, applicari maluit. Quantus fuerit eiuſcemodi numerus, canes illi (obtrectatores loquor hæreticos) nouerunt, qui mundum periturum aiebant ob multitudinem Virginum.

Multa ergo fuere, & adhuc adeo multæ venturæ, quod quidam Doctores tenent, vt Bertrannius, & alij, quod Virgines in tanto numero erunt, quod implebunt ruinas Angelorum, ita vt putent de virginibus duntaxat, ruinas Angelorum eſſe reſtaurandas. Nam dicit Anſelmus in primo libro, *Cur Deus homo, cap.* 17. plures homines ad gloriam aſſumendos, quam peruerſi Angeli ceciderunt: Aliter enim natura humana, tantum fuiſſet per occaſionem ad gloriam ordinata, & non eſſet de per ſe; ſed per accidens de partibus vniuerſi, vnde tot homines aſſumentur, qui angelicam ruinam reſtaurent, quot de Angelis ceciderunt? & nihilominus tot cum eis erunt homines, quot fuiſſent Angeli ſi ſtetiſſent. Ex quo etiam concluditur, quod in fine maior erit numerus hominum, quam Angelorum: vt ſupra tactum eſt. Tandē ergo ſi per impoſſibile nullus Angelus cecidiſſet, fuiſſent tamen omnes prædeſtinati ad eandem gloriā, vel æqualem: vt nunc. Poſſibile eſt ideo, ſolos incorruptos, angelicis ordinibus eſſe permiſcendos, ſunt enim eis ſummè conformes. Et nihilominus, alios homines ex corruptione ſuſcitatos, extra illum parietem, non minori gloria ſubſtantialis pręmij coronari, hæc ille. Et quia in maxima multitudine debent eſſe, idcirco, ait Bertrannius, Deus plures paruulos, & pueros rapit in virginitatibus poſt Baptiſmum. Ita quod Gregorius in II.

Digitized by Google

Dialogo dicit, quod maxima pars ſaluandorum, erit de pueris, & paruulis. Hæc opinio, ſi vera eſt oportet neceſſario ad minus tot Virgines ſaluari, quot ſunt dæmones, quorum numerus vt dicetur eſt nimis exceſſiuus. Sed beatiſſimus Pater noſter Auguſtinus dicit, illic nō duas ſocietates; ſed vnam futuram. Et etiam ex ſuperioribus docti tenent omnes homines aſſumendos ad ordinem Angelorum. Viderint ipſi quomodo vtrumque conuenienter dicatur. Quod autem dicunt Virgines Angelis magis conformes, fatemur in via de virginitate verum Sed in patria Dominus Ieſus de omnibus ſaluandis dicit, *Erunt ſicut Angeli Dei.* Parum ergo hoc facit pro eis, nil tamen hic temere diffiniendum, vbi peruenerimus, tunc videbimus: Res ipſa demonſtrat, quod multus eſt virginum numerus & chorus ingens. *Mat. 19.*

Maximus ergo (vt ex deductione dictorum colligitur) eſt numerus omnium Sanctorum; adeo vt quidam putant Sanctorum numerum excedere numerum reproborum. Quos contra tamē, vt ſupra oſtendimus, Dionyſius Carthuſienſis tenet fundans ſe in dicto Euangelij, *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Sed eſto vtcunque, ſatis nos oſtendimus propoſitum noſtrum, ſcilicet maximam eſſe multitudinem Sanctorum. Denique tantus eſt Sanctorum numerus, quod hic obſtruitur, & cōſtringitur omnis vana iactantia Arithmeticorum, de omnibus ſupputandis, per omnes multiplicationum ſpecies, licet attentent per millenarios non ſolum, ſed & per myriadas, id eſt decem milia, ſed & per milliaria, id eſt centum milia, ſed & per miliones, id eſt, mille milia, ſed & per decies millena milia, ſed & per centies millena milia, ſed & per milies millena milia. Imo & per exceſſiuum numerum illum Pſalmiſtæ, vbi nos habemus, *Currus Dei decem milibus multiplex, milia lætantium*, quem numerum Hebræi dicunt, Riuum riuos. Per hos tales, & tantos, aut ſi quos alios ampliores concipere poterunt, multiplicationi intendant, & attamen non poterunt dicere numerum Sanctorum, qui ſunt in infimo choro: Maximus ergo numerus omnium ſimul. Et ergo merito ſimul inuocandi, & venerandi; nam ſingillatim impoſſibile eſt nobis. *Mat. 20.* *Pſa. 67.* *Varia lectio.*

Secundo, principaliter conuenit omnium memoriam Sanctorum ſimul agi, propter faciliorem orationum noſtrarum exauditionem: Nam ſimul inuocati, ſimul pro inuocātibus orabūt. Impoſſibile eſt autem multorum, imo omnium Sanctorum, preces, & tales preces non exaudiri: Intercedunt .n. pro nobis, & merito, & affectu, in omnibus Dei voluntati conformes; vnde & orantes audiuntur. Quotiens igitur, ô homo, quotiens ad vnum aliquem conuerſus Sanctorum, non te ſenſeris exaudiri, conuoca multitudinem omnium Sanctorum, & non fraudaberis voto tuo.

Tertio, congruit hoc, propter negligentiarum expiationem & purgationem: Nam dum ſingillatim quorundam memoriam egimus Sanctorum, nimis fortè negligenter, aut tepidè; congruit, vt vel omnium inſimul, commemorationem deuotius peragamus, & purgemus negligentias admiſſas. Ergo deuoti Dominica die, huiuſmodi omnium Sanctorum memoriam agere ſolent, vt ſi negligentius tota hebdomada, ad ſingulos ordines Sanctorum ſe diuerterunt, aut diuertere ſe omiſerunt, ſuppleant generali hac commemoratione.

Quarto, propter mentis ampliorem incitationem: Nam non poteſt non incitare numeroſitas tanta, quantumuis etiam torpidum pectus. Vnde licet primo ictu, & ſolius alicuius Sancti memoria, petra cordis tacta, mox aquā non fuderit compunctionis; ſi tamen addideris percutere ſecūdo, per omnium Sanctorum memoriam, non poterit non dare aquas, niſi durius & inſenſibilius petra fuerit. *Exod. 17.*

Poſtremo, propter vtilitatem ampliorem; nam qui omnes colit, generalem omnium aſſiſtentiam habebit: Vniuerſale autem præſtat (vt aiunt) particulari. Quæ autem ſunt vtilitates Sanctorum memoriam conſequentes, quæ item rationes venerandi Sanctos, quomodoque ſunt venerandi, puto ſupra hæc omnia tacta. Patet ergo, quod vtiliter omnium ſimul conuenit memoriam agere Sanctorum. Non etiam inutiliter particulariter ſingulorum, vel propter ſingulariorem exempli eruditionem, aut ampliorem, & intenſiorem erga aliquem affectionē, aut etiam propter ſingulare patrocinium aſſequendum, quod ille præ cæteris nouit præſtare. Sicut enim ſunt diuiſiones gratiarum in via ad vtilitatem; ita & in patria, vt tradunt Doctores. *1. Cor. 12.*

Meditabilia particularia de omnibus Sanctis.

CAP. II.

SED iam meditabilia aliqua de omnibus Sanctis aſſignemus, per quę oculos intellectus, circa eos exercere valeamus. Et poſſumus conſiderare,

Scilicet {
- Rationem nominis,
- Sublimitatem præfigurationis,
- Vocabula dignitatis,
- Priuilegium celſitudinis,
- Beneficia, & ſecuritatem glorificationis,
- Varietates inquiſitionis.

Nomen par dicti, digni bona gloria, quærens.

MEMBRVM I.

De ſingulis pauca dicamus.

PRIMO itaque *ratio nominis* inueſtiganda: Cur ſcilicet Sancti dicantur; Nam & hoc nomen ſi ritè fuerit diſcuſſum, deducit in magnam notitiam Sanctorum, nam 1

Conueniunt rebus nomina ſæpe ſuis.

Notandum ergo quod *Sanctus* variis modis dicitur, & interpretatur.

Vos tincti, puri, firmi, ſacri, bona digni.

Primo igitur Sancti dicuntur, quaſi *ſanguine tincti*

ſancti: Hæc eſt enim primaria (ſecundum Albertum) vocabuli ratio, quod ſanctus dicitur quaſi ſanguine aut eius tactu firmus. Et ſecundum eum dicuntur Sanctæ leges, & ſancta Regna, & Imperia, ſicque omnia in ſanguine mũ- Heb. 9. dantur. Iure igitur hi beati Sancti dicuntur, quia in ſanguine Ieſu à peccatis loti, in bonis confirmati, & mundati; lauerunt enim in ſanguine eius ſtolas ſuas.

Secundo Sanctum, dicitur quaſi *mundum*, & Apoc. 22. *purum*, vt dicit Sanctus Dionyſius: Vnde & Grecè *agios*, dicitur ab α quod eſt ſine, & γῆ terra, quaſi prorſus ab omni terreitate purum, & mundum. Sic Sancti Dei omnes mundo Matt. 5. corde fuere; alioquin nunquam beati, nec vidiſſent Deum.

Tertio Sanctum, idem quod firmum, à *ſanciendo* dictum, firmi enim omnes Sancti fuere, & in malorum reſiſtentia, bonorum efficientia, & tollerantia malorum: vt latè deduci poſſet.

Quarto Sãctum, dicitur quia *ſacris* deditum & dedicatum; Cum igitur electi Dei omnes, ſemper ſacris erant dediti, iure dicuntur Sancti.

Quinto dicuntur, quia illis bonis intenti, à quibus in ſcripturis aliqui dicuntur Sancti: vt bono propoſito, aut rectæ intentioni, ardenti Rom. 8. item charitati. Nam *de primo* Apoſtolus ait, quod ſecundum propoſitum vocati ſunt quidam Sancti; non ſecundum meritum (vt ait Bernardus) ſed ſecundum propoſitum; non ſecundum affectionem, ſed intentionem, de quo longe diſputat in ſermone. *De altero* autem id eſt quod ab ardẽti charitate, quidam dicti ſunt Sancti, patet penes Eſa. c. 10. vbi ait, *Erit Sanctus eius in flamma*. Ac ſi diceret, Quiſquis ſanctus eſt coram Deo, hoc fit in flamma charitatis. Et quia omnes hæ rationes, pulchrè conueniunt omnibus ſanctis, patet quàm congruè dicuntur ſancti. Poterunt iam rationes iſtæ deduci ad moralitatem; ſed quia breues eſſe volumus, hoc præterimus, qui autem hoc noſſe volet, videat Soccum in ſermone primo de omnibus ſanctis.

MEMBRVM II.

de Sanctorum præfigurationibus.

II SECVNDO de ſublimitate *præfigurationis*, aut comparationis agendum. De quibus multa poterunt dici; ſed ſufficiat ſub Compendio enumerare,

Conſcripti, lapides, ſerui, ſeptem quoque turba.

Conſcripti inquam numero illo quem Ioannes audierat ſignatum in Apoca. 7. ex qualibet tribu: Quod de omnibus ſanctis exponitur; vnde & loco Epiſtolæ in feſtiuitate omnium ſanctorum cantatur: ITEM præſignati ſunt in *lapidibus* illis templi, ſectis & politis, priuſquam coaptarentur in ędificiis: De quibus canit Eccleſia,

Tunſionibus, preſſuris expoliti lapides,
Suis coaptantur locis per manum artificis.

Pſa. 50. De quibus etiam Pſamiſta orat dicens: *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Syon, vt ædificentur muri tui Hieruſalem*. Item: *Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius*. TERTIO, ſunt in Pſa. 101. *ſeruis Salomonis* præſignati; De quibus Regina Saba protulit verbum magnæ grauitatis, di- 3. Reg. 10. cens, *Beati ſerui tui qui aſſiſtunt coram te ſemper*. QVARTO, ſunt *ſeptem chori illi*, de quibus dicitur, quod cum ſeptem ordinibus, Dauid arcam in ciuitatem deduxit: De quibus etiam 2. Reg. 6. paſſim, per ſcripturæ ſiluam, plura myſteria dicta ſunt. POSTREMO, deſignati ſunt in *turba illa magna*, quam Dominus Ieſus videns, in mõ- Matt. 5. tem aſcendens, beatificauit: Vnde & congruè Euangelium illud legitur de omnibus ſanctis: Nam pulchrè ſingulę particulæ, applicabiles ſunt ſingulis ordinibus Sanctorum. Hæc de figuris, quarum inſtar plurimæ aliæ ſumi poſſunt.

MEMBRVM III.

Vocabula dignitatis, attributa Sanctis.

IAM tertio de Sanctorum ſublimi denominatione agendum: Et poſſemus hic plura di- III cere; ſed quoniam in ſuperioribus; puta circa mendicatorium: Item circa beneficiarium, aliqua præſtrinximus: Idcirco tantum ſunt hic commemoranda, Et hæc ſunt Sanctorum nomina dignitate plena.

Hæredes, natique, duces, aſtant, & amici.

Hæc ſupra circa mendicatorium, vtcunque deducta inuenies: Et alia plura in beneficiario, in vltimo membro ſecundi beneficij habentur, ibi, *Nomine grandi*. Et verè ſublimia nomina iſta, & qui ea habent, congruenti ratione bene in Domino ſuperbire, beneque in ſalutari nomine Patris gloriari poſſunt.

MEMBRVM IV.

Celſitudo Sanctorum & dignitas.

SED nunc *quarto de dignitate* ſanctorum paucis agamus: Nam & de ea quædam pręmiſi- IV mus ſupra, circa mendicatorium; ſcilicet dignitates ex parte animæ, item ex parte corporũ ſanctorum. Nam ſanctorum corpora fuere, vt illic tetigimus, promptuaria, & pura oracula Dei, templaque Spiritusſancti, & alabaſtra ſpiritualis vnguenti: vt Chryſoſtomus declarat: & habetur in Aurea legenda, in de feſtiuitate omnium ſanctorum. Sed his omiſſis, videamus quid ſuper illo verbo Apoſtoli, *Quos iuſtificauit,* Rom. 8. *illos magnificauit*. Nicolaus Gor. dicit de magnificatione: Nam ponit hæc,

Elegit, dans, mirificans, venerans, cumulando.
Diuulgans, audit, complens bona, glorificando.

PRIMO, magnificauit hos ſanctos Deus, *Eligendo*, & per gratiam adaptando: Magnum enim eſſet alicui extraneo pauperi, fieri filium regis. SECVNDO, magnificauit ſanctos, *donis* virtutum eos amplificando, quemadmodum dicitur de homine proficiente, quod & de Iob cap. 1. dicitur: *Erat vir ille magnus inter omnes orientales*. TERTIÒ, *miraculis illuſtrando*: ſicut dicitur de potente, quod ſit homo magnus, vt Exod. 11. *Fuit Moſes vir magnus in terra Ægypti*.

pti. QVARTO, *honoribus*, ſublimando: Sicut dicitur clerico facto Epiſcopo, eſt magnus: Eccleſia. 50. *Symon Oniç filius Sacerdos magnus.* QVINTO, *bonis gratiæ*, aut etiam fortunæ cumulando: Et ſic dicitur de diuite, quod ſit homo magnus Gen. 37. *Ibat Iſaac proficiens, donec magnus effectus.* SEXTO, nomina eorum latè diuulgando, & ſic *famę magna* aliqui dicuntur 2. Reg. 7. *Feci tibi nomen grande iuxta*, &c. SEPTIMO, *eos audiendo: Voluntatem enim timentium ſe faciet.* OCTAVO, in *bonis deſiderium* eorum *complendo*, ſe eis oſtendendo: Pſal. 102. *Replet in bonis deſiderium tuum.* NONO, tanta eis bona, multa, & magna concedendo; nam *proprio filio ſuo non pepercit* pro eis. POSTREMO in cælo *glorificando*, & exaltando: Nam quia fecerunt, ſicut docuerunt, magni in regno cælorum erunt: Et de his ſimul dicitur Sapientiæ vltimo: *In omnibus magnificaſti populum tuum, & honoraſti*; & hæc de magnificatione Sanctorum.

Pſa. 70.

Rom. 8.
Mat. 5.

MEMBRVM V.

V

IAM paucis de beneficiis Sanctorum, quæ ipſi conferunt nobis agamus. Nam & de his ſupra puto aliqua dicta. Sunt igitur in generé iſta.

Exorentque docent, ſpectant, aſtando, coërcent. Orant primo meritis, & affectibus. Secundo docuerunt exemplis, & ſcriptis. Tertio expectant noſtrum aduentum, votiuis deſideriis. Quarto aſtant in omni tribulatione, fidiſſimis patrociniјs. Quinto coercent impetum aduerſariorum à nobis. Quæ omnia ſunt grandia, & digna gratitudinis vice.

De Sanctorum gloria.
Glorificatio Sanctorum in cælo.

VI

SED DE GLORIA ſanctorum, quoniam omnem ſuperat æſtimationem, nil dicendum in ſpecie: quoniam ex his, quæ infra de gloria regni dicenda ſunt, multa hic facilè applicari poterunt. Hoc ſolum dicimus, quod plenè illic erunt glorificati, & (vt de virginibus tetigimus,) plenè ab omni cicatrice reformati. Vnde quidam perpulchrè nobile illud, verè notatu dignum, ſcribit dicens; *Quemadmodum, qui purum, verum, ſincerum aurum habet, tametſi recolat, & ſciat ex plumbo, aut luto, aut etiam ex ſtercore factum, nullas illi auro prioris vilitatis, aut abiectionis iniurias facit, ſed vna cum natiuo auro recondit: Et ſi forte (ſicut in ferro, & ære videmus, ita in auro alterum altero melius) hoc transformatum natiuo temperantius, & per hoc indiſſolubiliore complexione fuerit, non modo cum auro natiuo, ſed præ illo amabit: Ita & in filiis gratię ſuæ Deus Pater, quibus à terra & ex ſtercore ſuſcitatis & eleuatis humilioribus, ampliorem gratiam dederit, hos in regno ſublimabit clariores. Quid igitur Petro, Paulo, Magdalenæ detrimenti afferet, ſi aliquando fuerunt peccatores? quoniam plenè mundatis, nullius priorum ſordium nęuus remanet. Stultitia humana trepidatio hæc eſt, non clariſſimè cuncta diiudicantis Dei*, &c. Plenè ergo, & perfectè illic reſident omnes beati, gloriantes, quod de exilio ad patriam, de marino periculo ad portum deuenerunt; quod velut piſces boni in vaſa collecti, brauium perceperunt ſuorum laborum. Quorum gaudia nec lingua valet dicere, nec mente concipi poſſunt. *Lætamini in Domino & exultate iuſti*, gloriantes quoniam plena lætitia ſuperpoſita eſt capitibus veſtris.

Simile

Pſa. 31.
Eſa. 35.

MEMBRVM VI.

Interrogationes & dubia.

VII

POSTREMO, in mente pro meditatione dilatanda, poterunt hic aſſignari inquiſitiones, & dubia varia, quę de ſanctis inquiri ſolent; ſcilicet de eorum beatitudinis conſummatione; de eorum ad nos cognitione; de eorum pro nobis oratione, & cætera in hunc modum; qualia in ſummis, & ſcriptis eſt videre Doctorum, & qualia Ioannes Gerſon, in ſermone de omnibus ſanctis tractat. Sed nos magis piis affectionibus, quàm quæſtionibus variis inhęrendum duximus: vnde tranſimus iſta: Ad vos nunc conuerſio omnes ſancti Dei, in Salomonis veri viſione, lætabundam feſtiuitatem agentes, laudantes, & exultantes in medio Sanctum Iſrael habentes: oramus vt miſerti noſtri, impetretis nos educi de carcere mundi huius, & aſcribi militiæ veſtræ, præſtante Domino Deo noſtro, qui viuat, & regnat glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula ſæculorum. Amen.

DISTINCTIO HVIVS SECVNDÆ PARTIS QVARTA,

CONTINENS REGIONES NOVEM.

PROLOGVS.

V*Tinam ſaperent, & intelligerent ac nouiſſima prouiderent.* Deuter. 32. POSTQVAM præmiſſa ſunt meditabilia, quædam de Deo, eius matre ac Sanctis: Iam ponenda ſunt in quarta diſtinctione, quædam meditabilia, de alijs materiis compunctiuis, de quibus nulla ſunt poſita conſiderabilia; circa quorum tamen conſiderationem, verſari ſolent omnium deuotorum exercitia, & quibus inconſideratè tranſitis, parum proderint ſuperiora. Vnde & vt horũ conſideratio nobis ineſſet, prolata ſunt verba illa à Domino præmiſſa, ſcilicet, *Vtinam ſaperent,* id eſt, (ſecundum Bernardum) vtinam *ſaperent* præterita, *intelligerent* præſentia, *prouiderent* futura. In his enim tribus differentiis, complectuntur illa, quæ poſituri ſumus meditabilia, videlicet: Et quoniam de huiuſmodi meditabilibus Bernardus & alij, vt dulcius ad ea alliciant, ſub typo regionum loquuntur; ideo & nos eos inſequimur; præſertim, quia ſupra, in de exercitijs, regionum mentionem fecimus, in quibus poſt prandium deambulandum, pro cibi digeſtione, id eſt, pro pronorum affectuum in malum conſtrictione: Tunc enim proniores ad vana ſumus, ait Hugo. Et ideo compunctibilia meditamenta hæc aſſumenda, de quibus breuiter agendum.

CAPVT VNICVM.

§. 1. *Inductiua ad regiones ingrediendum.*

I *Ioan.4.* *Luc.19.* VIdete regiones, quia albæ ſunt ad meſſem. Dominus ad diſcipulos: *Negociamini dum venio*, &c. AD HARVM regionum ingreſſum inducere volentes, aſſumpſimus verbum Domini Ieſu dicentis, *Videte regiones:* Vbi per tria bona allicere videtur, ad horum viſum, qui idē eſt, quod mentalis ingreſſus. Nam per hoc, *Eccl. 11.* quod ait, *quia albæ ſunt*, congruè ſatis bonum delectabile, Albedo enim, & lumen deſiderabile oculis; Bonum autem honeſtum inſinuat, *Prou. 3.* quia *viæ eius pulchræ*, &c. Bonum autem vtile tangit cum ſubnectit *ad meſſem*. Verè verum verbum tuum, Domine Ieſu; verè hæ regiones aptæ ad omnem meſſem, vnde vera oriuntur ſemina virtutum. *Videte ergo regiones*, &c. Quæ ſunt ſeptem in genere: vt cuique diei ſua regio coaptetur: Et quandoque conteximus binas, vt dum altera harum non ſatis poterit compūctionem excitare, vel alia efficacius id agat. Et ſumuntur ſecundum circumſtantias loci, aut ſitus.

Nam Rego	1. Propria ſeu perſonalis.	Quo ad	Intra,
	2. Creaturarum, & mundialis.		Extra,
	3. Scripturarum, & Eccleſiaſticalis.		Iuxta,
	4. Eſt Mortalis.		Retro,
	5. Iudicialis.		Ante,
	6. Purgatoria, & infernalis.		Infra,
	7. Cæleſtis, & ſupernalis.		Supra.

Videte ergo *regiones. Et negociamini*, &c.

Libenter ait Bernardus, *amplector negociationem tuam Domine Ieſu, in quibus præcipis eſſe ani-* *Prou. 31.* *mam meam: vt ſit velut nauis inſtitoris, de longè portans panem ſuum; quemadmodum tu ô ſumme negociator, de vltimis cælorum finibus aſportaſti* *Luc. 19.* *pretium noſtrum. Negociabor donec venias, hæc enim negociatio eſt negotium meum, & tua mercimonia cum ſumma interim ſuauitate ruminabit anima mea: vt venienti lætus occurram; & vtinam* *Mat. 25.* *audiam, Euge ſerue bone:* *Pſa. 88.* *Tui ſunt cœli, & tua eſt terra, in regionibus tuis negociabor ſecurus, te ſolum habens in itinere ducem, in periculis protectorem, conſortem in tribulatione; in his enim ambulant ad negociandum inſtitores tui, in his quærunt electi tui, inueniunt dilecti*; hæc Bernardus. Poſſet de regionibus his in genere latior ſermo fieri; puta de multis inductiuis practicis, & mercibus harum, aut lucris; ſed quia breues eſſe volumus, ideo prolixius de his loqui vitamus. Ne tamen obſcuri ſimus, quia forſan noua videbimur aliquibus afferre, oportet vt paucis iſta tangamus. Ad harum ingreſ-
II ſum igitur inductiua plurima dici poſſent: Sed quia ſingulis regionibus ſua dabimus; ideo ſufficiant illa iam ante tacta: *Tum* quia iocundum, honeſtum, & vtile eſt his regionibus inuerſari, *Iocundum*, videntur enim in his noua, & mirabilia; *Honeſtum*, quia huiuſmodi meditamina ſunt rationi conſona, & decentia; *Vtile*, quia ex his grandia lucra emergunt; Nam (ſi Bernardo creditur) prudens negociator comparat ſibi ex prima regione horrorem peccati; Ex altera contemptum mundi; Ex tertia feruorem ſpiritus, & formam viuendi; Ex quarta humilitatem; Ex quinta cautelam; Ex ſexta timorem; Ex poſtrema ſarcinam ſuam conſtruit, deſiderium regni, & amorem Dei. In ſingulis tamen nundinis ſingula hæc eſt reperire, accedat tantum qui quippiam volet, voti compos redibit. Vbi iam qui inhiat lucris? vbi

Impiger extremos pergens mercator ad indos.
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes?

Vbi amor inſatiatus habendi,

Non parcens proprijs, metuens nec mille pericla.

Huc inquam, huc iſtiuſmodi accurrant; ad has regiones properent, ingrediantur iſtas nundinas: vt impleatur bonis veris, non fallacibus diuitiis deſiderium eorum. Hic enim venales diuitiæ veræ. Veniant & huc nouarum auidi rerum. Hic enim mirabilia mundi; hic noua omnia ventilantur; ſed non tamen tractanda omnia à nobis: Abeant ergo ab his nundinis noſtris, procul abſint negociatores terræ Theman recedant filij Agar, prudentiam huius ſæculi exquirentes; elongentur Gigantes à ſęculo nominati; non enim vera, ſed vana hi omnes inquirunt, quę non ſunt tradenda à nobis, licet inſinuanda pro copia danda quandoque.

§. 2 *De practica ingreſſus.*

QVOMODO autem ad has acceditur regiones, exemplo nobis ſunt ad nundinas pergitantes: *Ante* enim, vtilitate aut neceſſitate ſeſe alliciunt; *deinde* neceſſaria, ſocietatemque inquirunt, *tertio*, cum feruore procedunt, nundinas conſpiciunt, ſibi neceſſaria dijudicāt, mercantur, & ſarcinis compactis remeant. Ex horum forma poterit elici Gradualis practica: Vt *ante ingreſſum* fiat exercitatoria diſpoſitio; *deinde*, progreſſus, & inſpectus per commemorationem, & conſiderationem attentam; *tertio* diiudicatio per probationē, & electionē *quarto* mercatio per orationem, & propoſiti innouationem; *Poſt* remeando, per diligentem ſui obſeruationem, & profectum &c. Sed nolumus tractare iſta; Patet ſupra communis meditationis ſcala, bonus in ea traditur modus. Vidiſti nunc regiones, animaduertiſti nundinas, inductiua, & lucra vidiſti: Negociare ergo (ait Bernardus ſedulus harum regionum viſitator) donec veniat Dominus tuus, vt dicere poſſis, *Domine quinque talenta*, &c. & audire *Mat. 25.* poſſis, *Intra in gaudium*, &c. Et vt melius poſſimus de ſingulis meditabilia apponemus. Et primum de regione prima.

III

TITVLVS HVIVS DISTINCTIONIS I.

QVI EST ORDINE XXVI.

De regione prima & perſonali.

IV SIgnoras te ô pulchra inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos, &c. Canticorum I. PRIMA REGIO: (vt diximus) regio eſt propria, & perſonalis. Ad cuius ingreſſum dira hac, & (vt Bernardus dicit) nimium expaueſcenda comminatione, ſponſam ſponſus inducere conatur. Et iure hæc eſt regio prima; Scribit enim ad Eugenium Bern. *A te tua conſideratio inchoet, ne fruſtra extendaris ad alia te neglecto; Multi.n.*(vt idē in meditationib. ait) *multa ſciunt & ſeipſos neſciūt: Alios inſpiciunt, & ſeipſos deſerunt; Deum quærentes per exteriora, deſerentes ſua interiora, quibus interior eſt Deus*; Sed *fruſtra*(ait Hugo) *cordis oculum erigit ad videndum Deum, qui nondum idoneus eſt ad videndum ſeipſum: Prius enim eſt, vt noſcat inuiſibilia ſpiritus ſui, quam poſſit eſſe idoneus ad cognoſcenda inuiſibilia Dei.* Et qui non poteſt cognoſcere ſe, non apponat apprehendere ea quę ſunt ſupra ſe: Pręcipuum enim, & principale ſpeculum ad videndum Deum, eſt animus noſcens ſeipſum.

PATET ergo quàm merito ordine præcedat regio iſta propria, & perſonalis; Ad cuius ingreſſum hæc inuitant inter cætera:

Eſt opus, vtile, ſuaſum, ſufficit, ordo requirit.

PRIMO, inducit ad regionis huius ingreſſum, hoc eſt ad ſui ipſius cognitionem, *Neceſſitas*; Tā.n. ſui hæc notitia eſt neceſſaria, quod ſine ea nemo ſaluari poteſt; pulchrè hoc ſuper Cantica proſequutus eſt deuotiſſimus Bernardus dicens: Quod nemo abſque ſui cognitione ſaluari poteſt, minus quam Dei. Et ſermone 37. *Scio* inquit, *neminem abſque cognitione ſui ſaluari, de qua nimirum mater ſalutis humilitas oritur, & timor*
Pſal. 111 *Domini, qui & ipſe, ſicut initium ſapientiæ, ita & ſalutis eſt.* Vnde & venerabilis magiſter Ioannes Nyder ponit hanc cognitionem, inter ſeptem illa, quæ ſunt neceſſaria ſcitu adultis videlicet, in præceptorio ſuo, præcepto nono. Grandis hic ſe, & inenarrabilis materia offert, de neceſſariis ad ſciendum, & de ignorantia mala, de qua videantur Gerſō, & præfatus Nyder, in Direct. conſcientiæ ſcrupuloſæ, & alij.

SECVNDO, inducit *vtilitas*, quæ multiplex eſt nimis, de quarum vna Iob cap. 5. dixit, *Viſitans ſpeciem tuam non peccabis*, Facit ergo declinare peccatum; Facit etiam ferre æquanimiter alienum malum, Gregorius, *Conſiderata infirmitas propria, mala nobis excuſat aliena.* Eleuat ad contemplandum Deum, & cognitionem cæterorum: Ita quod Hugo dicat, *diſce ex tuo ſpiritu cognoſcere, quid debeas ex alijs ſpiritibus æſtimare, hæc porta, hæc ſcala, hic introitus, iſte aſcenſus; hac intratur ad intima, hac eleuatur ad ſumma: Ex hac ſiquidem proficis ad cognitionem omnium cæleſtium, terreſtrium & infernorum*; Imo & deducit in omne bonum.

TERTIO, induicit ſuaſibilitas, Hoc enim ſcriptura ſacra, Sanctorum doctrina, & Phyſica rudimenta, pari concentu ſuadent. Longum eſſet hic adducere ſcripturarum teſtimonia; longius Sanctorum dicta; longe quoque nimium Philoſophorum conſulta: Quibus hoc vulgare prouerbium, quod cognoſcere ſeipſum, ſciendi eſſet principium; & ſumma Philoſophia (vt Macrobius & alij dicunt) conſiſtere in cognitione ſui; Nimirum edocti (vt aiunt) ab Apolline Delphico, in cuius hoc tripode ſcriptum, conſulentibuſque quomodo beati fieri poſſent, reſponſum, *Noſce teipſum.* Quod non dicitur Græcè, vt indoctum nos vulgus, barbarè fere dicimus gnotoſolitos; Barbarum enim illud & corruptum; ſed dictū fuit, & vocatur Gnothiſeauton; Quod non, vt putant ab Apolline illo primo prolatum; ſed ex ſcripturis ſacris ab eo fuiſſe furatum, Helynandus monachus latè declarat.

QVARTO, inducit huius ſcientię *ſufficientia*: Nam ſic dicitur,

Si Chriſtum bene ſcis, ſatis eſt ſi cætera neſcis.

Sic etiam

Si te te bene ſcis, ſatis eſt, ſi cætera neſcis.

Alia autem non proſunt ſine iſtis. Hinc Hugo pulchrè ait, *Melior & ſcientior es, ſi te ipſum cognoſcas, quam ſi te neglecto, curſus ſyderum, virtutes herbarum, complexiones hominum, naturas animalium cæleſtium, terreſtrium ſcientiam haberes, ſumma enim Philoſophia eſt cognitio ſui.*

POSTREMÒ, hoc *ordo ſciendi* requirit, vt inchoet à ſeipſo, vt Bernardus dicit: nam turpe nimis, & negligentia magna nimis, neſciſſe quo omnia alia ſciuntur. Hæc enim naturæ humanæ conditio (Boetio teſte) vt cum ſe cognoſcat, cæteris rebus præſtet; eadem tamen infra beſtias redigitur, ſi deſierit noſſe Ob hoc ergo & alia plura, redi ad cor tuum, ô homo, redde te tibi, ingredere regionem propriam, & perſonalem: vt tandem merearis eleuari ad cęleſtem, & ſupernalem.

Eſt autem latiſſima regio iſta, habens nundinas omnibus rebus plenas, de quibus quiſ- V.
que ſibi poterit cōparare quod velit: Ita quod & hic habet curioſus, quo intellectum exerceat; deuotus quoque, quo ſuccendat, & exercitet affectum. Et licet curioſitatem deteſtemur; non tamen nō poſſumus vel in trāſitu videre nundinas eius; pręſertim cum bono & pio affectu huiuſmodi videre, non ſit curioſitas, ſed ſtudioſitas: Nouit enim omnia dirigere in finem ſuū. Offeruntur igitur ſtudioſis hic, omnia de anima, & ad eam attinentia conſideranda, quę in genere ſunt iſta.

De anima quidditate, nomine, re & diffinitione.	*de qualitate*	*quantitate*	
Quid,	qualis,	quanta,	
quando condita.	*vbi creata,*	*à quo*	*quare carni vnita.*
tempus,	locus,	auctor,	& vnit.
De anima potentijs.	*actibus.*	*finem conditionis.*	
Poſſe,	actus,	finis,	
de anima ſeparata quomodo viuit.	*de animarum apparitione*	*alia inquirenda.*	
diſiuncta,	redit,	quoque plura.	

Grandis in his verbis complectitur abyſſus, multa materia his eſt incluſa: nam ſingula ſubmembrari multipliciter poſſent. Nam circa *quidditatem*, videnda eſt non ſolum quidditas rei, ſed & nominum, & diffinitionum: Sic circa *qualitatem*, videnda ſunt incorruptibilitas entitatis; perſpicacitas intellectualitatis; immutabilitas voluntatis. De potentiis deſcendendum eſt ſingulatim ad ſingulas. Sunt de hac materia multi ac magni libri, ſunt innumera ſcripta, & quæſtiones Doctorum: Ita quod de ſingulis latiſſima eſt materia. Sed diximus in tranſitu nos velle hanc tantum videre.

SED IAM pro deuotis negociemur, quibus hæc regio vndique occurrit: Siue enim ad *plagam orientalem* hanc ingrediantur, conſiderantes conditionis eius nobilitatem; Siue ad *aquilonarem*, videndo eorum miſeriam & vtilitatem; Siue ad *occidentalem*, intuendo peccati lapſum, aut culparum deformitatem; *Siue etiam ad auſtrum*, contemplando quomodo reparati ſunt per Dei benificientiam & pietatem: vndique eis ſua negocia occurrunt, vndique affectum negociando mercari poſſunt. Nam ex conſideratione *nobilitatis* propriæ, cõparant ſibi vitiorum deteſtationem, ſibiipſis affecti dicentes, Erubeſce volutari in cœno, qui tam ingenuus es, & de cœlo; Dum autem *vilitatem propriam* attendunt affectum humilitatis, & proprij contemptus ſibi conquirunt dicentes, Vnde ſuperbis terra & cinis? Vbi vero *culpas proprias* perpendunt, iudicij timorem aſſumũt, ſcientes quoniam nullum peccatum manebit inultum; Quando autem *pietatem reformantis* attendunt, non mirum ſi amoris affectum ſibi conquirunt; adeo vt dicant: *Domine quid eſt ho-*
Iob 17. Pſa. 17. *mo quia magnificas eum*, &c. Et cum viro deſideriorum Dauid, *Diligam te Domine*, &c. Securè igitur ingrediantur regionem hanc deuoti, fouent enim vndique pios affectus. Et conſiderent,

Dignus, quàm vilis, deformatus, reparans.

Quã	Generosè ſint formati.	per	Naturam	quo ad	Orientem,
	Nimis vilificati.		Miſeriam		Aquilonem.
	Vitiosè deformati,		Culpã		Occidẽtem.
	Gratiosè reformati,		Gratiam		Auſtrũ

De ſingulis paucula tangenda.

MEMBRVM I.

De plaga orientali, quàm nobiles ſimus conditi per naturam.

VII DE DIGNITATE humanæ conditionis, tum ex parte corporis, tum ex parte animæ, nil hic iam opus eſt dicere, cum multa, vbi de beneficiis actum eſt, diximus.

Et ex	Dictis Doctorum,	plenius habetur.
	Speculatione creaturarum,	
	Ratiocinatione veritatum,	

Ita quod verè conſtat, nobiliſſimum creaturarum eſſe genus humanum, quoad aliqua etiam angelicam ſupergrediens naturam: vt diximus ſupra de Angelis. Dicit enim Auguſtinus ſermone 71. ſuper Ioannem: *Nihil potentius, aut ſublimius mente rationali: Quicquid ſuper eam eſt, Creator eſt.* Sane tamen intelligendum hoc, vt aiunt. O igitur homo ingenuè quantus ſis, & qualis iugiter meditare.

Conſidera mirabilem humani tui corporis compoſitionem, mirabiliorem corporis, & ſpiritus connexionem, & mirabiliſſimam animæ rationalis conditionem.

Vide quomodo anima tua Dei imagine inſignita, ſimilitudine decorata, rebus cunctis prælata, in omnibus præfecta, in opere mirifica, habens volubilitatem cogitationis, agilitatem imaginationis, ingenij acumen, diſcretionis examen, capacitatem memoriç, viuacitatem intelligentiæ, &c. quæ diximus ſupra.

Attende quomodo à Deo ſis honoratus, poſitus in loco voluptatis, fulcitus floribus, Gen. 2.
ſtipatus malis, gloria & honore coronatus, Cant. 2.
conſtitutus ſuper omnia opera manuum plaſ- Pſa. 8.
matoris, terræ dominus, cæli ciuis, domeſticus Philip. 2.
Domini Sabaoth, frater beatorum ſpirituum, & cohæres cæleſtium virtutum, redemptus ſanguine, dotatus ſpiritu, fide deſponſatus, &c.

Ex his itaque & aliis, colligant filij Adam 1. Pet. 1.
genus ambitioſum, ſuam prçclaram dignita- Oſe. 2.
tem, & bono ſpiritu piæ ſuperbiæ, caueant ne degeneres maculam in gloria ponant, amplectendo vanitatem. Pudeat volutari in cœno, qui tam nobiles conditi ſunt à Deo. Hæc de plaga orientali, qua de multa dicta ſunt, inter beneficia ſupra.

MEMBRVM II.

De aquilonari plaga, quàm viles per miſeriam.

ATNE ex conſideratione tam eximiæ dignitatis animus inſoleſcat, neceſſe eſt, vt & *imperfectionem*, ac vilitatem ſuam ad mentem reuocet, vt vnum altero temperetur. Eat igitur ſollicitus negociator, alteram in hac regione diçtam, ad partem ſeſe conferens aquilonarem, conſiderans ſui defectum, & vilitatem. Et vt eam plenius videat,

Primo	de miſeriis	Animæ	perſcrutetur.
Secundo		Corporis	
Tertio		Vtriuſq;	

Vilis tum mente es, tum corpore, vilis vtroque.

De quibus pauca dicamus. Et primum de mente.

§ 1. *De miſeria & vilitate hominis ex parte mentis.*

MENTIS miſeria & vilitas ex parte animę ex his colligi poteſt,

Materia, fragilis, vitio fomes, ſpoliata.

PRIMO, ex animę *origine & materialitate*. nam *primum animæ fundamentum eſt nihileitas*, & vanitas ex parte noſtra. Verè miſeri ſumus, qui de nihilo ſumus. Nam ſecundum Ioannem Nyder, in anima duo conſiderantur; ſcilicet ea quę ſunt bona & perfectionis & illa à ſolo Deo quaſi patre emanauerunt; Item mala & ea quæ imperfectionis, & illa quodammodo à nihileitate, quaſi matre proueniunt. Verè miſeri ſumus, qui de nihilo ſumus, ac per hoc in nihilum ex noſtra natura tendimus.

SECVNDO, patet animæ miſeria, ex eius *actionum fragilitate*: Nam ſi bene inſpicitur, vndique nil eſſe reperitur; & fragilis ad omne poſſe, ſeu ad omnem actum; Et præſertim, (vt Nyder ait) nihil eſt quoad quinque,

Fis nihilo, nihil es, cogitans, vis, agis, nihil explas.

Quorum quinque nullum eſt, & non in quantum boni ibi aliquid eſt; ſed in quantum defectuoſi. Nam de *fieri* dicit Apoſtolus, *Vanitati creatura ſubiecta eſt. Ipſe fecit nos, & non ipſi nos.*
Rom. 8. Pſa. 94. Hinc etiam creare diffinitur per aliquid de nihilo facere. De ſecundo ſcilicet *de eſſe* dicit Gregorius, *Omnis creatura in quolibet inſtanti ad nihilum decideret, ſicut ex nihilo prodijt, niſi manu Dei ſubſiſteret.* De tertio, ſcilicet *cogitare* dicitur 2. Corint. 4. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis.* Verè fragilitas magna. De quarto, ſcilicet *de velle*, dicitur *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere.* De quinto lucidius, Dominus ait, *Sine me nihil poteſtis facere.* Quod bene noſcens Iſaias dixit, *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine.* Et probè: Deus enim (vt Vincent. teſtatur) eſt operum noſtrorum principium. Et principaliter operando, ſpecialiter inſpirando, efficaciter adiuuando, imperialiter aſtringendo, & exemplariter excitando. Vt pulchrè declaratur diſt. 4. part. 1. Speculi Moralis. Nam hoc, & Philoſophi nouerunt, quibus hæc propoſitio vulgaris fuit. Quod cauſa prima plus influeret, quam ſecunda, &c.
Philip. 2. Ioa. 15. Eſa. 25.

Nouerit ergo ſe anima nil poſſe, niſi mori, peccare, deſtruere, & corrumpere opera Dei, vt dicit Ioannes Dominici: Nam etſi quædam bona ex gratia agit, tantæ indeuotioni ea permiſcet, quod omnes iuſtitiæ noſtræ (taceo corruptelas) ſunt Deo *quaſi pannus menſtruatæ* quo fœtidius execrabiliuſque nihil.
Eſa. 64

TERTIVM vnde animæ miſeria deprehenditur eſt, quod totaliter *peccato originali* eſt infecta & inuoluta, & filia iræ facta antequam nata. O miſeriam magnam nimis, flendam quam exponendam magis.

QVARTVM eſt, quia *fomite* peccati aggrauata, qui fomes eſt quædam relicta infectio, omnes vires animæ, & corporis membra inclinans ad vitia, & à virtutibus retrahens, ex eo contrahens mala multa; ſcilicet Malitiam in voluntate, Ignorantiam in intellectu, Intemperantiam in concupiſcibili, Infirmitatem in iraſcibili, & talia plura.

POSTREMO, patet ex eo, quod originali iuſtitia eſt priuata, & velut homo ille ab Hieruſalem in Hiericho deſcendens, incidens in latrones, ſpoliata eſt gratuitis. & vulnerata in donis naturalibus. O ſi non eſſet mens vulnerata, quanta, quamque eius latitudo eſſet immenſa! Miſeri ergo quodammodo ſumus ex animæ parte. Luc. 10.

§. 2. *De miſeria & vilitate hominum & ex parte corporis.*

IX

SECVNDO, principaliter colligitur hominis miſeria, *ex parte corporis*, & hoc ſi conſideretur iſta quæ ſubnectuntur,

Fructus, conceptus, cibus infirmus, mala factus.

Poterunt his & alia plura connecti; ſed cum de totius compoſiti miſeriis dicemus illa patebunt, Age ergo de miſeriis ex parte corporis videamus, quæ patent PRIMO, ex materia primę formationis, nam non eſt formatus homo de aliquo nobili oleo, aut ſimplici terræ elemento, quamuis terra obſcurior, & vilior ſit aliis elementis; Sed *formauit Dominus Deus hominem de limo terræ.* Planetas & ſtellas fecit, vt aiunt, ex igne; Flatus, ventos ex aere; Piſces & volucres ex aqua, homines & iumenta fecit de terra; vnde vilior eſt cæteris iumentis, cum quibus vnus eſt ei introitus, & æqua conditio, redactè aſſimilatus. Verè lutum & cinis, luto & fauillæ comparatus. Quid ergo lutum ſuperbis? de quo puluis extolleris? vnde cinis gloriaris? Gen. 2. Eccl. 3.

SECVNDO, ex materia proprię conceptionis, quæ longe vilior eſt primâ: Concipitur enim homo de ſemine fœdo, fœtido, & infecto: *Quis ergo poteſt facere mundum de immundo ſemine conceptum?* Verè ſemen immundum, fœtidum, & infectum, ex cuius quodãmodo contactu, anima, quæ creatur munda, & pulchra; leproſa fit, & vitiis immunda: vt Innocentius declarat. Erubeſco cogitare, vereor ſcribere, horreo dicere, quæ memini me legiſſe de hoc ſemine; Turpia enim ſunt ruminatu, turpiora ſcriptu, turpiſſima dictu, Fy generi humano, niſi virtute exornarit ſuam vilitatem. Iob 14.

TERTIO, ex cibo quo nutritur in vtero: Et verè fœdiſſimo, quia menſtruoſo, de quo Philoſophi dicunt, quod ex eius contactu, fruges non germinant, areſcunt arbuſta, moriuntur herbæ, amittunt arbores fructus, canes in rabiem efferuntur, contaminantur proles; Sed & hæc præ verecundia diximus ſilenda.

QVARTO, ex corporis infirmitate; Nam naſcitur flebile, debile, imbecille, brutis minus habens, quæ natura vel currunt aut reptant; ſed homo totus eſt imbecillus.

——— *Naſcuntur eiulantes,*

Exclamant e, vel a quotquot naſcuntur ab Eua.

Vnus qui riſit Zoroaſtres magiſter mali fuit. Concipitur ergo cum immunditia, & fœtore; Paritur cum triſtitia & dolore; Nutritur cum anguſtia, & labore Cuſtoditur cum inſtantia, & timore; Nudus egreditur & regreditur; miſeriis innumeris onuſtus, quas quia dicere

Digitized by Google

non poſſumus, ſatius tacemus.

QVINTO, ex malorum quæ corpus animę infert pluralitate; Nam (vt dicit auctor Compendij) hæc facit.

Peccatum, pronum, grauis, impugnat, mala, tardat.

Id eſt, contrahitur peccatum ſecundum communes Doctores ex corpore; Secundo proni-
Gen. 8. tas peccati; *proni enim ſunt ſenſus hominum ad malum*: tertio difficultatem boni, *agrum pigri*
Prou. 24. *hominis repleuerant vrticæ*: quarto impugnationem, *Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum*,
Gal. 5. &c. quinto alia complura mala, quia intelle-
Sap. 9. ctum hebetat, *Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam*: Curas gignit, contra illud, *dico*
Luca 12. *vobis ne ſolliciti ſitis*: Paſſiones varias generat,
Iob 13. *homo natus de muliere*, &c. *repletur multis miſerijs*: Poſtremo à gloria retardat, propter quod
Phil. 1. Apoſtolus cupiens diſſolui ſuſpirioſè elama-
Rom. 7. bat, *Infelix ego homo.*

VLTIMO vilitas humani corporis elaret ex fructu egrediente; Nam ſi diligenter inſpicias quid per os, quid per nares, cæteroſque meatus corporis egreditur, vilius ſterquiliniũ nunquam vidiſti: Herbæ quippe & arbores, ex ſe producunt frondes, & fructus, & flores; & tu de te lendes, pediculos, & lumbricos: Illæ de ſe effundunt vinum, oleum, & balſamum, & tu (vt de licentia turpius loquar) ſtercus, vrinam, & polipum, vel ſputum: Illę de ſe ſpirant ſuauitatem odoris, & tu de te abominationem reddis fœtoris. Qualis eſt arbor, talis & fru-
Mat. 7. ctus eius. Verè ergo ſecundum corpus vilis eſt homo, quam vilitatem Deus humano generi permiſit, vt longè ampliorem vilitatem, ſcilicet ſuperbiæ, ab eo fugaret; quæ multo intolerabilius coram oculis eius fœtet: propter quod
Mich. 6. quodam in loco dixit, *humiliatio tua in medio tui.* Vnde horrendum monſtrum, poſſe cum tanta vilitate inflari in altum.

§. 3. De miſerijs totius hominis.

X IAM de miſerijs *compoſiti*, id eſt, totius hominis dicẽdum, quæ ſatis exprimuntur in verbis Iob cap. 13. dicentis: *Homo natus*, &c. Quemadmodum ea explicat Bern. Sed vt ordinatius loquamur, ſecundum Innocent. ex tribus colligitur in ſumma, ſcilicet,

Ex { Miſerabili humanæ conditionis ingreſſu, Culpabili humanæ conuerſationis progreſſu, Damnabili humanæ diſſolutionis egreſſu.

Ingreſſus ſeu progreſſus, ſimul exitus hoc dant.

Habet de his Innocen. pulchrum tractatũ, vbi per tres partes, tria membra hæc deducit. Aſſignabimus tamen, & hic de ſingulis pauca.

Miſeria hominis in ingreſſu mundi,

NOTVLA I.

MIſeria ingreſſus hominis, ex his pateſcere poteſt.

Vnde ortus, vel vbi, qualis, miſer, hoſtis, & ad quod.

PRIMO, inquam ex *origine* vnde naſcitur; nam (vt de principijs animæ, & carnis taceamus) *Homo* (ait Iob) *natus de muliere.* O nobile principium; imo miſerum, deteſtabile nimis. Miſerum enim animal fœmina, de cuius miſeriis non eſt noſtrum loqui.

SECVNDO, ex *loco* vbi naſcitur, quia peregrinus à Domino, longinquus à regno, in inſula exilij, in valle miſeriæ, in deſerto ſerpentum, & ſcorpionum, in loco pœnitentiæ, & laboris, in regione mortis & doloris, &c. ſicut lilium inter ſpinas. In corpore verò tanquam in loco proprio: Quod quidem ante peccatum fuiſſet animę ſolatioſum tabernaculum: Nunc autem doloroſum ergaſtulum; Ante paradiſus delitiarum: nunc vero locus omnium miſeriarum; Et quod fuiſſet obediens inſtrumentum: factum eſt grauans impedimẽtum; Et quod fuiſſet domus honeſtatis: factum eſt carcer originalis fœditatis. *Educ de carcere animam meam*, &c. Pſ. 141.

TERTIO, ex *qualitate*, qua naſcitur, quia ſine ſcientia, verbo & virtute, Flebilis, & debilis, & imbecillis, peccato onuſtus, & infectus. Quiſque proſequatur.

QVARTO, ex miſeria cui ſubijcitur: *Repletur enim multis miſerijs* Iob ait. Verè multis, & multiplicibus Bernardus ait, miſeriis corporis; miſeriis cordis; miſeriis dum vigilat; miſeriis dum dormit; miſeriis quaqua verſum ſe vertat; diximus circa Aue Maria, de generalibus miſeriis quædam.

QVINTO, ex hoſtibus, quibus mox circundatur; *Militia enim vita hominis eſt ſuper terram*: Nam multiplices hoſtes mox ab ortu in- Iob. 7.
ſidiantur, vt capiant, perſequuntur vt perimant, ſcilicet dęmon cum vitiis; Homo cum beſtiis; mundus cum elementis; caro cum ſenſibus. Quæ Lotharius eſt proſecutus, in de miſeriis hominum: Ipſe enim idem, qui poſt Papa Innocentius dictus.

POSTREMO, colligitur hæc miſeria ex fine, ad quem naſcitur: Vis noſſe illum? audi Prophetam, *Auis naſcitur ad volandum, etiam homo ad laborem, dolorem, timorem, & tremorem.* Iob 5.
Cuncti dies laboribus, & ærumnis ſunt pleni, nec per noctem requieſcit mens eius. Non eſt quicquam Eccl. 1.
ſine labore ſub ſole. Eſto varia ſint hominum ſtudia, exercitia diuerſa: vnus eſt tamen omnium finis, & effectus, *labor ſcilicet, & afflictio ſpiritus. Occupatio enim magna eſt creata omnibus hominibus, & iugum graue ſuper omnes filios Adæ, à die* Eccl. 40.
exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium.

Miſeria progreſſus.

NOTVLA II.

SED de miſeriis *progreſſus* pauca videamus: XI
Tam enim ſunt numeroſæ iſtæ, vt ante tempus deficeret, quàm proſequi eas poſſemus. Et colliguntur ex iſtis,

Actio, paſſio, ab intra, extra, mala, vita, breuiſq;.

PRIMO, ex actionum, & ſtudiorum varia laborioſitate, quorum multa enumerat Innocentius libro 1. de omnibus tamen concludens, quod in eis laboret afflictio mentis; Imo ſapientiſſimus virorum, vbi ſe conuertiſſet ad vniuer-

ſos labores, varia ſtudia, & exercitia diuerſa; *in omnibus*, inquit, *vidi vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole.*

SECVNDO, ex paſſionibus, quas patitur: Et primum de *internis*, quę in affectionibus conſiſtunt, Spes & gaudium homini abſunt, & amor (de terrenis loquor, non de cæleſtibus) aut certè ſubito mutantur; Spes lata in ardua redit inanis. Extrema gaudij occupat luctus, & in amaritudinem vertitur amor. Repletur autem dolore, dum meminit præteritorum; pudore dum memoratur præſentium timore dum præuidet futura. Et non ſolum pro cauſis ſuis; ſcilicet ex compaſſione cæterorum. Abyſſus eſſet dicere de paſſionibus his internis, quibus etiam, inter ſomnia afficitur homo. Nec, vel, dico diem: (vix momentum dicendum fuit) poterit dari, quo his non torqueatur homo.

Prou. 14.

SED IAM tertio de paſſionibus *externis* videamus: Et quis poterit ad iſtas? Hæ conſiſtunt in *diuerſis hominum ętatibus*: alia iuuentus, alia patitur ſenectus; *in diuerſis ſtatibus*; alia quippe patitur diues, alia pauper: alia ſeruus, alia liber; alia continens alia coniugatus: Denique bonus & malus, ſuas habent paſſiones: vt latè declarat dictus innocentius. *In languoribus, & infirmitatibus*: Nondum enim à ſæculis tot ęgritudinum genera, tot ſpecies paſſionum, phyſicalis induſtria potuit indagare, quot humana fragilitas habet tolerare: *In moleſtijs, & anxietatibus*, in ſubitis infortunijs, & tormentorum pœnalitatibus. Poſſent ſingulæ prolixius proſequi, grandis enim hic materia latet: ſed pertædet immorari.

QVARTO, non ſolum humanæ vitæ progreſſus eſt miſarabilis; ſed, & culpabilis nimis: Et hoc ſi conſideremus, quid facit homo: Deſiderat enim ex *concupiſcentia oculorum* opes, quæ gignunt cupiditates & auaritias, ex quibus agit praua, quæ non licent, quibus offendit Deū, proximū, & ſeipſum. Ex *concupiſcentia carnis* deſiderat voluptates, quæ gignūt gulam & luxuriam, & ſic agit turpia, quæ non decent; quibus polluit famam, perſonam, conſcientiam Ex *ſuperbia vita* deſiderat honores, quæ nutriunt ſuperbiam & iactantiam: Ex quibus agit vana, quæ non expediunt; quibus negligit ſeria, vtilia, neceſſaria; Vnde patet, quod ferè totus vitæ eius progreſſus, eſt peccatum & culpa, & non eſt qui gloriari poſſit de cordis mundicia, & dicere quod peccatum non habeat: In *multis* enim *offendimus omnes*. Habet de vitiis humanæ vitæ Innocentius 2. partem libri.

1. Ioan. 2.

Iac. 3.

POSTREMO, patet miſeria vitæ, ex breuitate eius; *Breui enim viuit tempore*: In primordiis conditionis humanæ, nongentis annis quidam vixiſſe leguntur; nunc autem Pſalmiſta, ſeptuaginta annos, dicit dies noſtros: immo adijcit alter, quod *velocius tranſeant, quàm à texente tela ſucciditur*. Cauſas qui noſſe volet, Lira. ſuper Gen. legat, ibi plures aſſignat. Hæc de miſeriis progreſſus vitæ humanæ.

Iob 13.
Pſa. 89.
Iob 7.

De miſerijs hominum in egreſſu.

NOTVLA III.

XII VIS forſan, & de egreſſu aliqua dicamus: ſed infra de nouiſſimis dicemus. Vnde ſufficiat vel paucis commemoraſſe quædam, ex quibus colligitur materia deceſſus, ſcilicet,

Afficitur, moritur, rapitur, patitur, redit haud hinc.

PRIMO, quia ante mortem pœnis, & doloribus afficietur, & vt de longis infirmitatibus præuiis ſileamus, quattuor præſertim malos patitur dolores ante mortem; ſcilicet mortis anguſtiam, omnium malorum ſuorum claram notitiam, iudicij imminentiam, malorum ſpirituum præſentiam, quæ omnia intolerabilia mala, ita vt exclamet Pſal. *Circundederunt me dolores mortis, terrores iniquitatis conturbauerunt me.* Pſa. 17.

SECVNDO, *exibit ſpiritus, & reuertetur in terram ſuam*, & moritur homo futurus eſca vermis, qui ſemper rodet, & comedet immortalis. Hæreditabit enim beſtias ſerpentes, & vermes, & ſordes horribiles; *Putredini*, n. *dicet Pater meus es tu, mater mea, & ſoror mea vermibus*. O turpem patrem, vilem matrem, ô deteſtabilem ſororem; Futurus inſuper ſi malè meruit cibus ignis, qui ſemper ardet, & vrit inextinguibilis. Pſ. 145. Eccl. 10. Iob 17.

TERTIO, licet grauia ſint præcedentia; imminent tamen grauiora, ſcilicet Diuini decreti irreuocabilis & iuſta ſententia.

QVARTO, intolerabilis inferni, aut certè purgatorij pœna.

POSTREMO, obliuio ſempiterna: Non enim de inferis redibit, vt memoria eius ſit. De hac materia in tertia parte libri allegati.

EX quibus omnibus aggregatis liquet, quod iure exclamauit Propheta Sanctus antequam natus, *Quare de vulua egreſſus, vt viderem laborem & dolorem, & conſumerentur in confuſione dies mei*? Et merito nos cum Sanctis flebilem tragædiam canere habemus, quibus totum miſeria eſt, quod ſumus, & dicere cum eiſdem: *Va mater mea, quid me genuiſti filium amaritudinis & doloris*? Quare non in vulua mortuus ſum? &c. in hunc modum. Ier. 20.

ET SIC in nundinis huius plagæ comparatur luctus, & dolor, & deſpectus ſui: Quis enim poterit de ſe ſentire aliquid altum, poſt commemoratum tantarum miſeriarum cumulum? Quid habet vltra homo, vnde ei faſtus, vnde ſuperbia oriatur, cuius eſt criminoſa natiuitas, natiuitatē demolitur pęnalitas, cuius pænalitatē concludit mortis neceſſitas? Cuius eſſe eſt momentum, vita naufragium, mundus exilium? & licet vita ſpondet mortis diſtantiā, mors tamen ſemper inſtat, & minatur præſentiam. Verè nimium ille, quiſquis fuerit, eſt malè durus, qui poſt hæc tanta & talia conſiderata, non fuerit humiliatus. Verè dixit Propheta, quia *humiliatio noſtra in medio noſtri*: Nam ſi rectè homo inſpicitur, nullum vilius cadauer reperitur: Sed ad alteram plagam nunc diuertamus. Mich. 6.

Digitized by Google

MEMBRVM III.

De plaga occidentali, quomodo ſumus deformati per culpam.

XIII IAM ad *plagam occidentalem* diuertendum, vt illic cernamus, quàm ſimus deformati per lapſum Parentum, & culpam propriam. Et latiſſima eſt plaga iſta, in qua innumera ſe offerunt conſideranda. Et PRIMVM poſſumus hic meditari de lapſu primorum Parentum, vnde peccatum noſtrum habet initium; ſed ſunt de illo plurima ſcripta Doctorum: Vnde de peccato originali, tranſeuntes, ad actuale nos conuertamus. Et quia de illo etiam multo plura ſunt ſcripta Doctorum: Ideo reflectamus ad nos contemplationis noſtræ oculum, & videamus quod ſecundum animam, & eius malitiam, nihil aliud ſumus, niſi Pantheō omnium dæmoniorum, Babylon & habitatio omnium vitiorum, ſumma ſordium, & receptaculum peccatorum; Ita vt rectè dixerit Bernardus cogitans de anima mea iuxta rei veritatem, intueor quod nihil verius de ea ſentire poſſum, niſi quod prorſus redacta ſit ad nihilum, onerata peccatis, confuſa tenebris, irretita illecebris, parens concupiſcentiis, obnoxia paſſionibus, impleta illuſionibus, prona in omne malum; latiſſima ex dictis ſe materia offert; puta in genere omnis illa materia de peccatis, tam originali quàm actuali, de qua plenè agunt docti in ſuis ſcriptis. Inſuper, & examinatio crebra ſuiipſius.

VT TAMEN & hic verſum aliquem ponamus, hæc hic poterunt præcipuè memorari, & exercitari ſcilicet,

Inquiras, videas, doleas, ſatagas, caueaſque.

PRIMO ad hanc plagam deambulans, debes diligenter conſcientiam tuam examinare, & inquirere, *De præteritis*, quid feciſti; *De præſenti*, quid es; *de futuro*, quid eris incurſurus &c. Et quia, vt communiter peccatum tenebræ concomitantur: Ideo oportet, vt homo diligenter ad peccatorum ſuorum notitiam deuenire nitatur his viis,

Scilicet	Seipſum diligēter diſcutiendo, Suos defectus ab aliis audiendo, Vitiis ſuis viriliter obſiſtendo,	Nā hic quaſi	Videt / Audit / Sentit	quid eſt.

Multiplex autem poteſt examinatio fieri, ſc. de ſtatu priore in genere; de quotidiano exceſſu in ſpecie, de toto hominis ſtatu in ſingulari: Quę trāſeo, quia aliqua me in ſuperioribus dixiſſe puto. Quod etiam optima via ſit ad noſcendum ſeipſum libenter ab aliis audire ſuum defectum. Auguſtinus oſtendit, qui Hieronymum pro hoc rogauit, &c. Sed optima eſt reſiſtentia paſſionum, quia Chryſoſtomus dicit, Incipe reſiſtere vitiis, & tunc ſenties quam plenus ſis paſſionibus.

VERVM quia peccato, vt plerumque eſt ſtupidus, cordis duri, & meretriciæ frontis, vt in commemoratione peccatorum non timeat aut compungatur; Ideo neceſſe eſt, vt examinationi conſideratio accedat; qua videat, & conſideret homo, quàm peccatum deteſtabile Deo, & illi fugiēdum; & poſſemus hinc dicere multa; ſed ſufficiat remiſiſſe ad vnicam illam concluſionem Gerſonis de vita animæ cum 12. vel 14. correla. ſcilicet *Quod omne peccatum, pro quanto eſt offenſa Dei, & contra legem eius æternam, eſt de ſua conditione, & indignitate mortiferū, ſecundum rigorem iuſtitiæ, & à vita gloriæ ſeparatiuū.* Quam propoſitionem (licet cautè intelligendam) qui rite ruminaret, merito peccatum declinaret.

Vide Bellar. in to. 4. lib. 1 de ſtatu peccati c. 4. & ſeqq.

Attendat igitur qui peccat, quid facit quādo peccat; quem, quare offendat; quid conſequitur, & amittit, quæ omnia Doctores ſparſim ponunt, & plura habentur in ſpeculo morali. *Attendat* aggrauantia peccati, ſciens quod tanto grauior eſt culpa, quanto dignior natura; tanto maior offenſa, quanto maior eſt illius qui offenditur excellentia; tantoque execrandior iniuria, quanto maiora collata fuerint beneficia. *Hinc itaque illuminatus tertio* ſumat ſibi planctum dolens ſuum peccatum clamās cum Bonau. in lib. de quattuor exercitiis, Heu Domine Deus meus, Ex dignitate ſubſtantiæ perpendo vilitatem malitiæ, &c. ſicut ad longum agit ibi. *Deinde quarto* ad ſatisfactionem ſe accingens, iudicium & iuſtitiam faciens, quemadmodum docens docetur in libr. de triplici via, vt tetigimus ſupra. Poſt autem hæc omnia, egreſſurus ex nūdinis iſtis, componat ſarcinulas: Et ſicut doluit de præteritis, ita etiam iuxta Auguſtinum caueat de futuris; Et abeat cum horrore deinceps peccandi. Copioſa hic deuotionis materia ſe ingerit; puta de modo ſatiſfaciendi, proponendi, & peccata precauendi. Sed acceleramus ad quartam partem.

MEMBRVM IV.

De plaga auſtrali quomodo reformati per gratiam.

QVARTA dicta huius regionis, ad auſtrum tendit, vbi habet homo conſiderare, quam XIV
ſit gratioſè reformatus per gratiam, & Dei beneficentiam: E[...]c etiam latiſſima, & deuota ſe materia offert; puta de beneficiis generalibus, ſpecialibus, & ſingularibus, de quibus iam ſatis multa diximus: de quibus aliquid deuotum legere volens, Bonauenturam de quatuor exercitiis videat, in cap. 1. tertio membro &c. Vnde in horum rememoratione, homo ad gratitudinem ſe conuertere debet, & aſſumere effectum nobilitatis, agnoſcens ſuam dignitatem, redemptionis precioſitatem. Et ſic ſarcinulam hic ſibi ſumat, ſanctam ſuperbiam, animum nobilem, indignabundum peccati: iuxta quod Leo ait.

Digitized by Google

MEMBRVM V.

De exercitatione contemplatiuorum in hac regione.

XV POSTREMO, ſi profundius hanc regionem ingreſſi fuerimus, non modo in eius nundinis inueniemus *ſpeculabilia*, quibus ſtudioſus exerceat ingenium; *affectualia*, quibus deuotus inflammet affectum; verum etiam *contemplabilia*, quibus perfectus ſe eleuet in Deũ; Nam ſi (teſte beato Auguſtino,) *Omni miraculo, quod fit per hominem, maius miraculum ſit ipſe homo:* liquet profecto cum creaturam ſupereminentem eſſe, in quo perfectio creatoris excellit, refulget, & limpidè eluceſcit; adeo quod quidam (neſcit tamen, ſi verè, Dionyſius Carthuſienſis) affirment, in nulla creatura, neque etiam angelico ſpiritu, Creatorem tam clarè repręſentari, reſplendere, ſeu poſſe agnoſci, ſicut in anima rationali, & homine toto. Argumentatur contra hanc poſitionem Dionyſius & credit abſolutè non eſſe veram: Sed

Gen. 1. eſto vtcunque Scimus hominem conditum ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, ergo valde introductiuum ad cognitionem prototypi. Et licet etiam in externis actibus, & corpore prætendat Deum, multo amplius tamen in mente interiore, in qua propriè conſiſtit imago Dei.

ET PRIMO, poteſt hæc contemplatio fieri per animam, Dei imagine, naturalibus potentiis inſignitam: *ſecundo* gratuitis informatam. Ingredere itaque, ô contemplatiue, *primo* in regionem propriam, & vide tuam animam habere triplicem potentiam, ſcilicet Memoriam, intelligẽtiam, electiuam. Quarum ſi perpenderis operationes, & habitudines verbi, videbis Deum in ſpeculo mentis. Quas ſi voles tibi tradi, non à me expectes, ſed vide Bonaturam in 3. ca. ſui Itinerarij, vbi pulchrè deducit quomodo anima eſt Deo propinqua, & quomodo memoria ducit in æternitatem, intelligentia in veritatem, electiua in bonitatem, ſecundum operationes. Et quomodo ſecundum earum habitudinem, & originem, ducunt in ſanctam Trinitatem, quia ex memoria intelligentia oritur, & ex vtroque amor ſpiratur, &c. vnde valde mirum dicit, quod non amplius agnoſcimus Deum.

MVLTO autem limpidius contemplatur in anima, donis gratuitis adornata, & reformata fide ſcilicet ſpe, & charitate, adornata ſenſibus ſpiritualibus, & exceſſibus mentalibus ſubleuata, hierarchicis operationibus, ſcripturarum reuelationibus; ſecundum triplicem ſenſum illuminata: Quemadmodum idem Seraphicus Doctor, ibidem in 4. cap. eſt proſecutus Dionyſius etiam Carthuſianus de eiuſmodi contemplatione, in ſuo de contemplatione, vnum capitulum ponit; quæ tantum commemoramus: vt materiam deuotis adminiſtremus. Nil autem ſcribimus, quia heu nimium nos procul ſumus, & non niſi, ſicut de coloribus cæcus, ſic nos poſſemus diſputare de iſtis.

DECVRRIMVS iam (gratias Deo) regionem hanc propriam, & perſonalem, de qua egreſſuri, vtinam ſic negociati eſſemus, vt de regione diſſimilitudinis, in contemplationem Diuinæ celſitudinis leuari mereremur: Sed accipe iam ſarcinulas piarum affectionum ſupra memoratarum, hac in regione comparatarum, & negociare in eis, nã & aliis regionibus immorari habemus.

TITVLVS SECVNDVS.

DISTINCTIONIS IV.

ORDINE XXVII.

De altera regione; ſcilicet creaturarum ingredienda feria tertia.

LEuate in excelſum oculos veſtros, & videte quis creauit hæc Deus ſempiternus Dominus qui creauit terminos terræ, &c. Esa. 40. ALTERA regio inquam diximus ingrediendum & negociandum, Regio eſt creaturarum & mundialis: Et binas coniũximus pro materia copioſiore, & affectu efficaciore; vnde ſuccinctius de vnaquaq; agẽdum.

De regione creaturarum.

CAPVT I.

ET PRIMVM de regione creaturarum, ad cuius ingreſſum multa ſunt inductiua, ſcilicet,

Et ſuaſum, finis, proprium, Sãcti, vtile multum.

PRIMO, quia hoc eſt conſultum, & ſuaſum in ſcripturis, & à ſanctis in eorum doctrinis: Hinc totiens mirabilia creaturarum enumerat & cõmemorat ſcriptura ſacra, videlicet in Iob, Pſalmiſta, & aliis; ſæpe exhortans ad intuendum eas. Sancti quoque crebro; Imo Dominus ipſe, qui totiens adhibuit parabolas rerum creatarum arborum, cęli, ſeminum, & cæterorum, & Aug. ſæpe. Itemque in regula Hieronymus, in hortulo inquiens, ſemina iactent; Erigentur areolæ: Inſerantur fructiferæ arbores infructuoſis; vt ars vim naturæ repellat; Ex his autẽ exurgat mẽs, propter viſibilium horum inſpectionem, ad meditandum de inuiſibilibus. Oriatur admiratio Diuinæ potentiæ ex ſemine, &c. Ex admiratione creſcat deuotio, ex deuotione eleuatio mentis; ita vt ipſe iam hortulus fiat oratorium, & creaturę inſenſibiles, creatoris magnitudinem prędicent. O nota.

SECVNDO, quia creaturarum ad Deum, & Dei ad creaturas contemplatio, eſt finalis conditionis earum ratio; Nam (teſte Salomone) Eccl. 5. *cuncta fecit Deus vt timeatur;* Et *omnia propter ſe-* Prou. 16. *ipſum operatus eſt Dominus;* vtpote quatenus ex conſideratione creaturarum, creatorem agnoſceremus, & amaremus.

TERTIO, quia proprium eſt hominis rationi, vt per viſibilia diſcurrendo in inuiſibilia Dei aſcẽdat: ſicut Greg. Mora. l. 27. docet. Itaq; omnis homo, eo ipſo quod rationalis conditus

 eſt,

eſt, ipſa ratione illum, qui ſe condidit, Deum eſſe colligere debet. Exerceat ergo homo rationem ſuam, ne in vanum acceperit eam.

QVARTO, ad hoc inducit Sanctorum exemplaritas qui ſe ſtudioſiſſimè in creaturis exercuerunt, & in Deum erexerunt: Hinc enim priores ad Dei cognitionem, & amorem accellerunt; hinc Iſaac exiit ad meditandum in agrum; Abraham iubetur ſuſpicere cælum, ex creaturarum libro, magis quàm ſcripturarum, heremicolæ ſancti legerunt, vt Antonius dicit, & beatiſſimus Auguſtinus de ſe dicit 10. Confeſſionum: *Interrogaui de Deo meo, terram & quæ in ea ſunt: Interrogaui cælum & luminaria & hęc quæ creſcunt fores carnis meæ, dixi omnibus, dicite mihi de Deo meo aliquid, quod vos non eſtis. Exclamauerunt voce magna. Verè Deus non ſumus nos, ſed ipſe fecit nos. Interrogatio mea, intentio mea, reſponſio eorum, ſpecies eorum*: Sic etiam Sancta mater noſtra Agnes, ex conſideratione creaturum in amorem conditoris ſui, & ſponſi, ſeſe inflammabat: vt patet in paſſione eius. Hinc Gerſon itidem ſororibus ſuis ſcripſit, vt quicquid aſpicerent in Deum mox referrent, hos itaque imitemur.

Gen 24. *Gen. 15.* *Pſa. 94.*

POSTREMO, ad hanc regionem ingrediẽdam, ad creaturarum qualitatem contemplandam, allicere nos debet, conſequens vtilitas magna: Hinc enim prouenit Dei conditoris, gubernatoris, & conſeruatoris, clara cognitio. Hinc Dei amor, laus, & peccati vitatio; Hinc innumera alia bona. Nam huius contemplatio; ſi ritè fuerit celebrata, eſt & intellectum clarificans & affectum accendens, deuotionem fouens, ſalubriter, & internè delectans: vt poſſemus ſingillatim declarare. Quis ergo non libenter ingreditur regionem iſtam; vbi tam vtilia comparari poſſunt, meditatione & oratione ſola? Agite igitur, iam quæ hic ſe mercimonia offerunt conſideranda inquiramus.

Latiſſima eſt regio iſta, copioſiſſimis mercibus huius nundinæ refertæ: Ita quod & hic pro voto, ſinguli quæ volent, ſingula inuenire poterunt. Inueniet enim in ea,

Et { Studioſus, / Deuotus, / Contemplatiuus, } Quo { Intellectum exerceat / Affectũ accendat / In Deũ ſe ſurrigat.

MEMBRVM I.

Quæ hic habet conſiderare ſtudioſus

II PRIMO ergo habet hic ſtudioſus, quibus intellectum exerceat; quippe conſiderabilia intellectualia multa nimis; nam vt vel digito, & in tranſitu hæc demonſtremus (non enim volumus iſta principaliter mercari) Poteſt hic fieri conſideratio multiplex,

Scilicet { Primo, / Secundo, / Tertio, } de { Operibus Dei in genere. / Sex operibus Dei in ſpecie. / Operibus & creaturis ſimul in ſingulari & per ſe.

Quorum ſingula, complectuntur innumera meditabilia. *De operibus Dei in genere*, deque ſingulis operibus ſex dierum in ſpecie, copioſiſsimè Doctores ſuper Secundo ſcripſerunt, & circa ea multa vtiliter inquiſierunt, quæ hic non ſunt enumeranda à nobis. In Exameron quoque ſuis Baſilius & Ambroſius, & cæteri quique: Et præſertim, & pre cæteris elegantius Aug. ſuper Geneſ. ad litteram, & cæteri in ſuis Summis; Guillelmus quoque Pariſienſis, Doctor affectuoſus plenè, & abundè in ſuo Vniuerſo corporali ſcripſerunt. Qui ſtudioſior fuerit eos inuiſat. Nos ad affectuoſiora comparanda acceleramus. Prius tamen, quomodo ſtudioſus ſe circa ſingulas creaturas etiam exercere poterit demonſtrantes.

ET QVIDEM tripliciter in genere, pro intellectus illuſtratione; imo & pro morum informatione poterit ſequeſtrare, ſcilicet,

Primo, / Secundo, / Tertio, } Conſiderando res { In ſe, & quoad earũ proprietates & naturas, / In ordine ad mores / Quoad in ſcriptura ſignificantias.

PRIMA conſideratio ſola, & per ſe delectat quidẽ, ſed vanificat; vnde Philoſophi eam habendo ſolam, vani facti ſunt, qui ſe ſcrutandis rerum naturis, propter ſcire ſolum dederunt; vnde innumeros labores, inedias pertulerunt, multis annis in montibus iacuerunt, in deſertis & pratis oberrauerũt: ſicut de quodam neſcio quo, pro apiculæ natura inueſtiganda, & tamẽ ſpe defraudatus fuit. Hic ſe ingẽtia iã offerunt volumina Philoſophorum, Plinij, Solini, Ariſtotelis, reliquorumque ſimilium, de naturis rerum ſcribentium. Et in quo hęc aggregata, Speculum naturale Vincentij. Studeat ergo ſtudioſus.

ALTERA conſideratio, qua ſingulæ creaturæ referuntur ad mores, vtilis eſt & ædificatiua, & à ſanctis viris exercitata; Vnde aiunt creatam naturam rerum, eſſe exemplar extrinſecum, quo dirigi habet humana induſtria, non tantum in operibus artium, in quibus vt dicit Ariſtoteles ars imitatur naturam inquantum III
poteſt; ſed etiam in moribus, & actibus virtutũ; vt ita de ea illud dici poſſet, *Omnia facito ſecundũ* *Exod 25.*
exemplar, quod tibi monſtratũ eſt, ſc. in naturis rerum, vt dicit Magiſter Heluicus. Nam ex ipſis naturę operibus, optimæ ſumuntur ſimilitudines & exempla vtilia, noſtris competentia moribus. Et hoc modo ſe exercitauit Doctor ille precipuus, Gregorius Nazianzenus, qui hanc ſibi conſuetudinem fecerat, vt quicquid eius occurreret oculis de rebus exterioribus, interioribus animæ moribus adaptaret; Sic enim refert ipſe de ſe, in ſuo Apologetico dicens, *Mos mihi eſt ad meipſum ſingula quæque reuocare; præcipuè ſi quies mihi ſit, & ſilentium, ſi vacet; animi moribus adapto, quod oculis video: Vnde & oculorum viſio, fit mihi mentis eruditio*, hoc ille.
Hinc in Iobo ſcriptum eſt, *Interroga iumenta,* *Iob 12.*
& docebũt te, volatilia cæli, & indicabunt tibi, loquere terræ, & reſpõdebit tibi, & narrabunt piſces maris. Non .n. ſufficit optimo illi omniũ Domino, quod creaturas dediſſet in obſequiũ ſubiectionis, in edulium refectionis, ſed etiã dedit

eas in eruditionis exemplum, à quibus Iob dicit interrogandum. Tunc autem huiuſmodi interrogamus, aut quærimus, cum eorum naturas, & motus ſubtiliter indagamus, Interrogata autem nos docent, loquuntur, & reſpõdent, cum ex eorum conſideratione percipimus, qualiter noſtros actus componere debemus. Hinc dicit Ambroſius creaturas *in ſignum* factas: vt in eis noſtrorum morum vitia videremus, & ea caueremus. O qui ſe, vel iumentis docentibus, conformare in moribus volet, verè compoſitiſſimus, & moraliſſimus euaderet. Quis enim digniſſimas quarundam poterit, vel tenuiter naturas ſat admirari! Et pro hac exercitatione, valent Exameron, & moralizationes Doctorum, Item liber de ſimilitudinibus rerum. Habet igitur, & hic ſtudioſus materiam ſtudendi, dilatandi, & paululum recreandi.

POSTREMO poteſt ſtudioſus conſiderare creaturas, quo ad earum in Scripturis ſignificantias; Quomodo videlicet in Scripturis tranſumuntur, & ad quales proprietates ſignificandas, in ea ponunt: Quod nemo ritè facit, nec ſcripturas plenè intelligit, qui naturarum
IV. rerum ignarus fuerit, Nam omnis ſenſus myſticus (vt ait ſuper Bibliam Magiſter Henricus de Haſſia) ſumitur à rebus, quemadmodum per voces ſenſus litteralis; Et ideo dicit Auguſtinus quod ignorantia rerum, facit obſcuras figuratiuas locutiones. Nam pro aliquibus ſimilitudinibus in Scripturis ponuntur, quæ ſimilitudo ſumitur ex naturæ proprietate, quæ valde variè conſideratur; præſertim tripliciter; vt ait Haſſia; ſcilicet in via naturæ, artificij, & morum; vt ſuper Bibliæ initio declarat; Quiſ-
Iob 28. quis ergo Scripturas intelligere volet, rimari profunda fluuiorum, inueſtigare ſecreta Dei eloquia, Ille vtiliter ſe in creaturarum conſideratione exercere poteſt; at dum foris creaturam viderit, quid in ſcripturis ſignet mẽte retractet. Sic Gerſon, vt de ſe ſcribit, exercitare ſolebat. Et ad hanc exercitationem, valent libri, & expoſitiones quorundam Doctorum, exprimentes ſignificantias rerum, & præſertim Rabanus, qui applicat Scripturarum ſignificationibus, quicquid narrat Iſidor. de ipſis creatis. Habes ergo ſtudioſe nundinas tuas, ad meas mihi properandum.

MEMBRVM III.

Quomodo hic ſe deuotus debet quæſtuare.

INVENIT ſecundo in nundinis huius regionis deuotus, quo ſuum affectum ſuccendat, ſi diligenter, & affectuosè creaturas attendit; Ita quod verum ſit illud Philoſophi dictum, quod homini verè ſapienti (hoc eſt deuoto, & ſapidam ſcientiam habenti) totus mundus eſt diuitiarum; adeo vt ex quolibet creaturarum quantumuis etiam minimo, facilè ſe dignè æſtimet, magnum conflabit amoris, & deſideriorum rogum. Nam huic omnis creatura, quantumlibet parua,

Eſt { Monimentum. / Documentum. / Momentum vel incitamentum. } Scil. { Memoriæ. / Intelligentiæ. / Affectiuæ.

Conſiderat enim huiuſmodi deuotus, vt membra non proſequamur; ſed pro ſimplicioribus loquamur, omnem creaturam ſub his modis ſcilicet.

Vmbra, riuus, ſpeculum, vel odor, ſeu veſtigiumq́;
Vique, liber litteræ, donum, fax, voxque ſonorans.

PRIMO inquam poſſunt conſiderare totum vniuerſum creaturarum, velut *vmbrã quandam*; V.
vt ſcilicet non ſit niſi vmbraticum quiddam, cõparatum ſuo Autori; Vnde mox intelligunt, qui aliquid intelligere poſſunt, vt hæc ſit eminentia Creatoris ad vniuerſum, quod eſt cor- Comparatio.
pus ad ſuam vmbram, de qua conſtat (vt Guilhel. ait) quia eſt deſignatio corporis vaniſſima, & nulla ex parte comparabilis corpori, virtute aut bonitate; Et ſic ſe habet vniuerſum ad Creatorem.

SECVNDO conſiderantur creata omnia, velut *riui, & riuuli ad fontem*; ſed nimium claudicat hæc ſimilitudo ad Creatorem; Fontis enim eſt pars, quod emanat ex eo; tamẽ poteſt perpendi ex hoc magnitudo Creatoris, quemadmodum dixit Propheta poſt enumerata multa Dei magnalia, *Ecce*, inquit, *hæc ex parte* Iob 26.
dicta ſunt viarum eius: Et cum vix paruam ſtillam ſermonum eius audierimus quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?

TERTIO velut *forma inſpectoris in ſpeculo* erit ab inſpectore; Sed, & hic diſtantia magna nimis, Nam quandoq; imago reſultans in ſpeculo pænè eiuſdem pulchritudinis apparet, vt inſpector vel facies eius: Vniuerſum autem, & omnis creatura, incomparabilis diſtantiæ eſt, à pulchritudine Creatoris; propter ſimilitudinẽ tamen Auencebron dixit quod creaturæ erexerunt ſe ad Creatorem, & fecerunt ei vmbram, & reſplendentiam.

QVARTO, vt odor ab odoramento; Nam omnis bonitas, ſuauitas, vtilitaſq; vniuerſi, non eſt, niſi ordo Diuinæ bonitatis, & ſuauitatis. Et hic valde erigitur intellectus, ad contemplandam immenſitatem Diuinæ ſuauitatis. Et ex hac eadem comparatione (ait Guiliel. Pariſienſ.) manifeſta eſt prauitas cordium, quæ in hunc odorem nõ currunt, ſed vmbratico creaturæ odore inhærent, contempto, vel non curato fontali, & abiſſali ſuauitate, quod conqueritur Bernardus.

QVINTO conſiderari poteſt vniuerſum, velut creatoris *quoddam veſtigium*; ſed heu nimis ab eo elongatum, vnde colligitur grandis diſtantia creaturæ à creatore, & magnificentia ipſius creatoris, Scimus quoque ex iſto, quod totum vniuerſum, & ſingula vniuerſi, ſunt ſigna quædam, & viæ ducentes ad ipſum creatorem, quemadmodum veſtigium ferarum, venatores ducit ad latibula earum. Et generaliter omnium animantium veſtigia, inueſtigatores ſuos dirigunt, & adiuuant ad inuentionem ſui. Valde ergo voluit Deus à nobis inueniri, valde voluit ſuos inueſtigatores iuuari, qui tot, &

Digitized by Google

tanta ſui veſtigia, & ſigna nobis reliquit, quibus poteſt inueniri.

SEXTO poterint conſiderari ſingula creata, velut *libri conſcripti* digito Dei, cuius ſingulæ creaturę, ſunt quaſi diuerſæ figuræ, non quidem humano placito inuentæ; ſed Diuino arbitrio (vt Haſſia ait) inſtitutæ, ad manifeſtan-
Rom. 8. dum, & quodammodo ſignandum inuiſibilia Dei. Vnde duplicem librum ponunt; creaturæ ſcilicet, & Scripturæ; de quibus multi multa pulchra dicunt. Vnde ponit propoſitionem pulchram, venerabilis quidam Doctor dicens. Totum iſtum mundum quemadmodum à verbo conditum, ita etiam, & eum fore verbalem &c. Poſſent hinc multa dici; ſed properare oportet.

SEPTIMO ſingulæ creaturæ conſiderari poſſunt, velut viuæ quædam (vt Anſelmus ait) *litteræ*, & non quælibet litteræ; ſed amatoriæ, & magni amoris indicatiuæ. Ita vt ſi verè eſſemus amatores, eius qui pro nobis, & propter nos talia, & taliter fecit, inueniremus cuncta creata indulti eius in nos amoris, non ſolum monimenta; ſed & adiuuamenta infirmitati, ſupplementa neceſſitati, oblectamenta volun-
Rom. 8. tati: vt verè dictum ſit, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

OCTAVO poſſunt conſiderari, vt dona vel xenia Dei, imò (vt Hugo, & ante eum Auguſtinus dicit,) vt arræ deſponſationis: Sed valde cauendum animæ, ne ſponſa, ſed adultera fiat; ſi munera dantis, pluſquam affectum amantis diligat; vt latè declarant.

NONO poſſunt conſiderari vt fax, vel fornax inflammandi amoris; vt ait Guilielmus Pariſienſis. Quid enim aliud eſt totus mundus, niſi ignitiſſimus quidam charitatis rogus, cuius tot ſunt carbones amoris inflammatorij, quot ſunt partes, & creaturę vniuerſi? Verè ergo diabolico frigore eſt gelidus, quiſquis inter medios tanti rogi globos, ſteterit ab amore frigidus.

DECIMO omne vniuerſum eſt velut vox viua vehemens, hominem inſenſatum, tantis linguis, quantæ creaturæ ſunt alloquens. Et hæc verba ſibi dicens: Scilicet,

Accipe, redde, fuge, nil ſum, creſcas, adamato.

VI Et primo inquam vt Hugo ait, triplici ſemper voce loquuntur, dicentes *accipe beneficium, redde ſeruitium, caue vel fuge ſupplicium.* Et ſic aiunt: Vide ô homo quomodo amauit te, qui fecit nos propter te; ſeruio tibi, quia factus ſum propter te: vt ſeruias illi qui fecit me & te; Me propter te; & te propter ſe. Si ergo accipis beneficium, redde debitum; accipis bonitatem, redde charitatem. Hanc enim tribuit, & hoc exigit. Redde debitum mandata eius cuſtodiendo; alioquin teſtes contra te erimus, vindictam clamando. Deduci poſſet hoc de ſingulis creaturis, & deuotum eſſet; ſed prolixum, practicet quiſque ſecum.

LOQVITVR etiam, & alias voces, vt Antoninus quodam loco eſt proſecutus dicens, *nil ſumus*, ſcilicet ex nobis, vbi homo prouocatur ad humilitatem; *creſcamus*, vel faciamus, quia nunquam facere deſiſtunt, aut creatoris ordinem prætereunt, inuitantes ad profectum, & mandatorum obſeruationem. Poſtremo *amemus*, inuitantes ad Dei charitatem. Et ita audiuit eas Auguſtinus, loquentes, cum decimo Confeſſionum libro dixit. *Cœlum & terra, & omnia quæ in eis ſunt, vndiq; mihi dicunt, vt amem te Domine, nec ceſſant dicere omnibus; ita vt inexcuſabiles ſint. Dupliciter autem hæc inclamant; dum ſcilicet, & te oſtendunt optimum, & ideo amore noſtro digniſſimum, & beneficentiſſimum,* & ergo ſi velim nolim, clamant te iure amandum. De his vocibus quiſque æſtimet ſecum, quia longum eſt proſequi eas in eis autem exerceri eſt valde deuotum.

Poſtremo debet omnis creatura deuotè con- VII
ſiderari, vt *eſt materia laudis*, & gratitudinis, prouocant enim ad eam, vt dicit Auguſtinus quinto Confeſſ. *Ecce non ceſſat Domine, nec tacet laudes tuas vniuerſa creatura tua, nec ſpiritus hominis, nec animantia, nec corporalia, per ora conſiderantium ea: vt exurgat in te à laſſitudine anima noſtra, innitens his quæ feciſti, & tranſiens ad te, qui hæc mirabiliter feciſti.* Prouocant autem ad laudem, vel propter beneficium Dei, vel propter opus tam eximium quale eſt laus creatoris. Et ſic dicuntur creaturæ laudare Deum: Non quidem per ſe, ſed per nos, (ait Iſidorus) Deum laudant, dum nos conſiderantes, impellimur laudare Deum.

Hinc ſuper illud Pſalm. *Laudate Dominum* Pſal. 148.
de terra, quidam ſcribit: *Non tam animi amore ebrij, & erumpentis verbum eſt, quam conſiderata mentis; licet enim dracones & cæteræ res quædam ſunt rationis omnino expertes, vt laudis immunes ſint, nec laudare poſſint: Mens noſtra tamen, conſiderans omnia in Dei gloriam facta, laudat; Laudat enim opus artificem, vbi intelligentem habuerit ſpectatorem. Et ſi quando ſine laude magni cuiuſpiam artificis opus videatur, id fit à non intelligente.* Quis enim *videns quanta potentia, ſapientia, beniuolentia, ac beneficentia, res creatæ, ſint conditæ, & coniunctæ, ab admiratione laudis, benedictione, glorificatione, & adoratione reticere poſſet? Vnde Cherubim, & Seraphim, perpetuo canunt vnum illud ſemper clamant, Pleni ſunt cœli, & terra maieſtatis gloriæ tuæ. In omni creato quan-* Eſa. 6.
tumlibet paruo, quantumlibet infirmo, quantumlibet vili in oculis noſtris, plenam Dei laudem, plenam Dei gloriam inueniunt. Nobis cæcutientibus oculis ita conſiderantibus, ac per hoc, & exiliter Deum laudantibus, in deſiderio eſſe poteſt, vt petamus Dei laudem, ex omnibus operibus Dei; ſed vt benedicant omnia opera Domini Dominum, in cordibus noſtris longe deeſt, vnde deſiderantis, & orantis, deuotèque poſtulantis verbum eſt. Benedi-
cite omnia opera &c. *Sed beatorum, & in omnibus* Dan. 3.
fœliciter Philoſophantium eſt, Pleni ſunt cœli, & terra.

Quid enim fœlicius excogitari poteſt, quam vt qui totis præcordiis, Deum amat, plenam in toto vniuerſo Dei gloriam, & Deo dignam contemplatur, qui quod totis votis concupiſcit, plenis manipulis metit, & congregat in horrea ſua. Habet enim omnis amans Deum, in omni opere Dei, plenam gloriæ, & honoris materiã; tametſi non abditas rerum naturas, virtutes occultas cognoſcat, quoniam occultatio illa magno Dei munere facta eſt, quo non mune-

Digitized by Google

rum magnitudo ſtulrum extollat. Fideliter ergo fidelis amator, quem gloriæ laude, ſanctæ venerationis affectus, ex creaturarum conſideratione corripuit, dicere habet. Benedicite omnia opera Domini, &c.

Nam ſicut humilis ille, & ob id ſapiens ille Franciſcus negociari ſolebat, qui grandi, & alto conſiderationis oculo, abdita naturæ penetrauit, in omnibus operantem Deum cernens, & fraterno affectu amplectens, diligebat non ſublimiores tãtum; ſed amplius viliores, vt vermiculos, quos de via ne conculcarentur amouit; Apes, quibus in hyeme, ne algore deficerent mel, ſiue optimum vinum exhibebat, quarum efficaciam operum, & ingenij excellentiam, ad Dei gloriam lato præconio extollebat: vt diem integrum, in earum & cęterarũ creaturarum laudibus conſummaret. O quantum in Deum eleuabatur; vbi florum pulchritudinem, Solis & Lunæ claritatem contemplabatur; teſtantur eius Cantica, quanta habuit ex contemplatione huiuſmodi recreamenta. Sic & Patres heremicolæ, ex horridiſſimis bufonibus in laudem ſurrexerunt.

Eſt autem altior quidam, & non indeuotior modus conſiderandi, quem noui habuiſſe quendam ſapientiſſimum: Qui in omnibus operantem Deum inſpiciebat, in igne, ſcilicet calefacientem, in Sole lucentem, feruentem, fouentem, germinantem; Vt ſcilicet conſideremus quod non tam nobis creaturæ ſubſeruiant, quam Creator nobis omnia ſuo iuſſu præſtet. Quam contemplationem Dominus etiam docuit Mechtuldim, vt ſemper omnes operationes creaturarum, referret immediatè ad Deum verè deuota; Ecce ſunt hi modi, quibus deuoti, in creaturarum regione negociari poſſunt, velut apes medio vere florido in campo, vndique inuenientes quo ſe ferant in Deũ, quidquid decoris cernunt ei attribuendo, vt in Soliloquio Bernard. & Anſelm. in de quattuor exercitiis.

MEMBRVM III.

Conſideranda à Speculatiuo.

VIII. TERTIO, habet hic ſpeculatiuus, quo poteſt aſcendere in Deum, cui totus mundus eſt velut ſpeculum, per quod contemplatur artificem ſummum, & vehiculum per quod aſcendit in eum. *A magnitudine namque ſpeciei, & creaturæ, cognoſcibiliter poteſt horum Creator videri,*

Sap. 13.

Ex eorũ { Creatione, Gubernatione, Conſeruatione } Per quę patent *inuiſibilia Dei, ſ.* { Potentia, Sapiẽtia, Bonitas. }

Inuiſibila quippe eius, à creatura manifeſtata, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur. In illis autem tribus, & omnia conſiſtunt, ab illis omnia procedunt, per ea omnia reguntur: Potentia creat, Sapientia gubernat, Benignitas conſeruat; Ita tamen, quod ſicut in Deo vnum ſunt; ita in operatione ſeparari non poſ-

Rom. 1.

ſunt. Quæ tria inter cætera, oſtendit ſeptiformis conditio creaturarum, vt vult Bonauentura, & ſunt iſtæ,

Ortus, mag. mult. pulch. plenumque operatio, & ordo.

PRIMO, ex rerum origine, quæ ſecundum *creationem, diſtinctionem, & ornatum*, quantum ad opera ſex dierum, Diuinam prędicat *potentiam*, de nihilo cuncta producẽtem; *Sapientiam* lucidè cuncta diſtinguentem; *Bonitatem* cuncta largiter adornantem; Ideo enim mundum produxit: vt ſe noſcibilem exhiberet, ſicut artifex ex artificio tali. Hic nota de tribus operibus.

SECVNDO, ex creaturarum magnitudine, quæ conſiſtit in *mole longitudinis, latitudinis, & profunditatis*, In *excellentia virtutis*, longè, latè, profundè ſe extendentis; *In efficacia operationis*, Intimè, continuè, & diffuſè. In quibus omnibus hæc tria patent. Potiſſimum tamen ad oculum *potentia* hic relucet; Patet enim quod immenſæ ſit magnitudinis, qui tam magna fecit; Nam vt magnitudinem cęli tranſeamus, (quod vt Antoninus & Bernardinus allegant, tantæ magnitudinis dicitur eſſe à ſapientibus, quod ſi de nouo crearentur tot terrę, & tantæ quanta eſt ea quæ nunc eſt, quot ſunt grana arenæ maris, omnes ſimul non adęquarentur magnitudini cœli, qui tamen plures, bene 13. de quorum magnitudine mirabilia dicuntur) ſed tranſitis illis, quis magnitudinem terræ dignè æſtimabit? Amplius autem aquæ, cuius ſphera decies ad minus maior, & conſequenter de cęteris elementis.

Quis etiam contentorum in his animalium magnitudinẽ ſatis mirabitur? quales dracones quantique inueniantur, nemo niſi qui geſta Patrum non legit, ignorat; ſed vt de animalibus taceamus, quis volucrum magnitudinem, & quantitatem comprehendet? Si forſan, quod Marcus Paulus vir fide digniſſimus, de aue, quæ dicitur Cuſch narrat, ego voluero narrare; quod ſcilicet elephantem ſubleuet in aera. Quod ſi inſuper de Troecoque adiecero, quis non expaueſcat? quomodo facili volatu, Balenas Cæte, & naues onuſtas, in aere ex vnguibus veſcitur, more quo apud nos miluus murem dilaniat. Taceo cętera.

Nec mirum ſi animantia reperiantur tam magna, cum homines quantitate nimia ſint reperti. Qui Auguſtinum de Ciuitate Dei legit, qui item hiſtorias vidit, quæ dico nouit. Nonne Tytionis ſepulchrum nouem iugerum oſtenditur? Horreo dicere quod de Pallante, aliiſque gigantibus audiui, & legi; dicit Auguſtinus vidiſſe vnum dentem, vnde facilè centum noſtrorum erui potuiſſent. Scribit Decanus Maguntinus, in Ioppe eſſe coſtam gigantis, longitudinis quadraginta pedum. Magna ergo animalia terra habet.

Narrat autem Henricus Haſſiæ ſuper Biblię initio, quod animalia aquæ, in tribus excedunt animantia terræ & aeris, ſcilicet quantitate, numeroſitate, monſtruoſitate, & cauſas aſſignant. Hæc pauca commemoraui de magnis operibus Dei: vt maior ipſe pateſcat; vnde hæc contemplans Ambroſius dixit. Accedat quæcunque creatura, & faciat tale cœlum, &

talem

talem terram imo adijcio; vel beſtias tales, dicam quia Deus eſt. Sed quia nulla creatura hoc facere poteſt, conſtat hunc ſolum eſſe potentiſſimum Deum.

TERTIO, ex multitudine rerum, quæ conſtat in diuerſitate generali, ſpeciali & indiuiduali; ſubſtantia, forma, vel figura, & efficacia. In ſimilibus diuerſis mixtis. O potentia qualis non ſolum grandia; ſed & condere tam multa. Numeret ſtellas cœli, arenam maris, pulue-
Gen. 32. rem terræ, pluuiæ guttas, pennas volucrum, piſcium ſquamas, pilos animalium, gramina cāporum, folia, vel fructus arborum; imo vel indiuidua vnius ſpeciei ſcilicet hominis, qui poteſt. Sunt enim innumerabiles nobis ſpecies rerum, non indiuidua ſolum: hic in via diſcurre per Angelos, homines, beſtias, &c. Et certè videbis quod innumerabilia ſunt nobis, vnde
Eccl. 1. & dixit Propheta, *Arenam maris, & guttas pluuiæ, & dies ſæculi quis dinumerauit?* Quaſi diceret, niſi tu Deus. Attende quam magnus, & potens ſit ille, qui tam multa, ſimul & magna fecit. Metire moles montium, tractus fluminum, ſpatia camporum, altitudinem cœli, profunditatem abyſſi, Miraris quia deficis; ſed melius dicit Hugo, deficiendo Miraris.

X QVARTO, ex pulchritudine, quę eſt ſecundum varietatem luminum, figurarum, & colorum. Omnia enim creauit in luce quæ fecit: vt ſint laude digna, mitis, & variis figuris res decorans. *Aliquando quidem magnitudine*, vt gigantē inter homines, cætum inter piſces. *Aliquando autem paruitate*, vnde ait Auguſtinus de Ciuitate Dei, quod animalia, quę minimum habent molis, habent plus admirationis; Plus enim formicularum, & apicularum opera ſtupemus, quàm immenſa corpora beluarum: vt latè illic eſt proſequutus, inquiens quonam terebello vſus ſit Deus in promuſcide formāda culicis. Et venerabilis Hugo, neſcit quid magis debet mirari; ſcilicet dentes apri, vel tineæ, alas griphis, vel ciniphis: caput equi, vel locuſtæ; crura elephantis, vel culicis: roſtrum ſuis, vel ſurionis: aquilam vel formicam: leonem, vel pulicem, tigridem, vel teſtudinem: His enim omnibus tam exiguis corporibus, ſic omnifariam liniamenta ſuæ naturæ congrua plenè diſtribuit Deus; vt nihil videas deeſſe in membris eorum, omnium quæ natura formauit in magnis: Dedit eis oculos, quos vix comprehendere valet oculus; Et cum comprehendi poteſt viſu; inuenitur tamen corpuſculi ſtatura, pari beluarum numeroſa partium varietate (vt Baſilius deducit) conſtituta. Progreſſu enim habere pedes, volatu alas, itineris directione, vel oculos, vel nares, vel manus, quibus aut palpando, aut olfaciendo, aut videndo, inſtitutam profectionem peregrinetur. Quibus graditur tibiis, quam pellem, quam carnem, quæ oſſa, quas medullas, quos articulos, & articulorum quas compages, compagum quę ligamenta, & cordas habere poſſunt? quę tamen omnia greſſui ſeruientem, & ſuppeditantem tibiam habere neceſſe eſt. Nolumus dicere plura de contemplanda pulchritudine rerum, abyſſus enim eſt tendere in eas, & ſi cœperimus proſequi de eis, oblectatio non terminum daret; qui aliquid de hac pulchritudine videre volet, Hugonem de tribus dictis legat, vbi pulcherrimè, & ingenuoſiſſimè nimis de ea conſcripſit. O vt creaturarum pulcherrimarum decorem & cælorum gratam ſpeciem, aeris, & aquæ ornamentum prætereamus, quis, vel viliſſimi elementi, terræ, ſcilicet decorem comprehendet, quæ foris licet turpis, tamen eius viſcera tantis & tam gratis ſunt exornata, gemmis, minetis, & metallis, ſuperficies decorata, floribus & virgultis, fontibus, riuis, ſtagnis, campis, rure, & animalibus, & hominibus. Si tam pulchra terra, quàm nobilis eſt cœli Patria? Verè tota pulchra, & decora, abſque etiam eo quod intrinſecus latet. Nolumus hic plura dicere, ne curioſitati, magis quàm affectioni inſeruire videamur. Ex his æſtimet qui poterit, quàm longè pulchrior, ſit, qui tam pulchra fecit. Cauſa enim eſt pulchrior, & perfectior effectu. Hinc Boetius ait, Cant. 4.

Pulchrum pulcherrimus ipſe,
Mundum mente gerens ſimilique ab imagine formans.

QVINTO, ex plenitudine rerum. Eſt enim materia plena formis, ſecundum rationes ſeminales: forma eſt plena virtute, ſecundum actiuam potentiam: Virtus eſt plena effectibus, ſecundum efficientiam. Vnde patet plenitudo Dei. Non enim eſt, vel granum arenæ ita exile, non gramen ita contemptibile, cuius indagator etiam ſolertiſſimus omnes formas latentes valeat inueſtigare. Et hinc ſuper Magnificat Gerſon dicit. In grano frumenti ſunt infinitæ partes proportionales, ſecundum deductionem Ariſtotelis, demonſtrantis continuum nō eſſe compoſitum ex indiuiſibilibus. Vnde oportet inquit ex hoc concludere, quàm infiniti numeri ſint illic, & figuræ. Ideo etiam Ariſtoteles dicit, quod frequenter apparent nouæ ſpecies, quæ nūquam prius apparuerunt. Non ſolum ſemen in ſemine latet, ſed & figura, color & quantitas. Diſcurre per ſingula elementa contuens plenitudinem eorum, & videbis Ariſtotelem bene dixiſſe, In creaturis vacuum non poſſe repetiri. XI

SEXTO, ex operationibus: Quarum quædam naturalis, artificialis, moralis, plenè colligitur artis illius immenſitas, omnia formantis. Operatio enim naturalis tam varia eſt, & diuerſa, vt humana induſtria ad eius finem pertingere non valeat: Dicitur enim in libro ſex principiorum, Deus & natura latenter operantur. O hic deficit omnis ſcrutator. Semper nouas operationes eſt inuenire: vt patet in artificiis nouis. Nam illa quæ ſcimus, minima reſpectu illorum quæ ignoramus, quis occultas operationes terrę, aut contentorum in ea; lapidum ſcilicet & mineralium colligere poterit? Grata hic materia adduci poſſet, de mirificis effectibus naturæ, quomodo Echinus piſciculus vix palmum longitudine habens validiſſimam, & onuſtiſſimam triremem, in mediis fluctibus teneat immobilem, & huiuſmodi plura, de virtutibus lapidum & herbarum; ſed tranſimus ea cauſa breuitatis. Videantur Auguſtinus de Ciuitate Dei, Guilielmus in de Vniuerſo corporali; cæterique naturales; & verè mi- XII

rè mirabilia inuenientur. Vnde & hic pulchra contemplatio, de miro artificio Dei aſſignari poſſet, quemadmodum legi, de penna volucrum deductum; ſed acceleramus. Quantam vim terræ, antiqua gentilitas notauerat, quæ eam deificandam putauerat, tranſimus.

XIII POSTREMO, ex ordine ſcilicet & ſecundum rationem durationis, ſituationis, & influentiæ; Per prius, poſterius, ſuperius, poteſt dignitas primi principij contemplari, & prouidentia ſumma. De hoc ordine pulcherrima Hugo ſcribit, & qui eum intentè inſpiceret cum Pſalmiſta clamare haberet, *Magnus Dominus, & magna virtus eius ſapientia tam ſapienter cuncta operantis, non eſt numerus.* Pſa. 146. Hæc de conditionibus creaturarum, ſtrictim tetigimus, de quibus qui perfectius inſtrui volet, Hugonem, Bonauenturam adeat in libris allegatis, & per hæc in primum principium mentem eleuet; Nam vt Bonauentura ait, Qui tantis rerum ſplendoribus non illuſtratur, cæcus eſt; qui tantis clamoribus non euigilat, ſurdus eſt; Omnia nempe proclamant, *ipſe fecit nos*; Pſ. 94. qui ex his omnibus effectibus Deum non laudat, mutus eſt; qui ex tantis indicijs primum principium non aduertit, ſtultus eſt. Aperi ergo oculos ſpirituales, aures admoue, labia tua ſolue, cor tuum appone: vt in omnibus creaturis Deum videas, audias, laudes, diligas, colas, magnifices, & honores: Ne fortè contra te totus terrarum orbis conſurgat; ſed cum Propheta dices, *Delectaſti me Domine in factura tua.* Pſa. 91. Et ſemper ex his mente ſurgamus in Deum: quicquid pulchri, ſuauis, boni viderimus, cum Bern. dicẽtes, Abs te habet, quicquid habet omnis creatura decoris, & pretij: Cœlos ornaſti: ſed non eſt eis ſpecies aut decor in tui collatione: Melli dulcedinem ſuam præſtitiſti: ſed dulcior melle tu es, ſaporoſior vino, oleo ſuauior, ſuper omnia aromata odor tuus ſuauis & gratus. Dixi ergo quomodo ex creaturis perfectiones creatoris relucent.

§. *vnicus. Quomodo ſpeculamur Trinitatem ſanctam ex creaturis.*

XIV. AT ſpeculatiuus non ſtat hoc ſolo contẽtus; ſed ingreditur in eas, contemplans eſſentię Vnitatem & Trinitatem perſonarum, ex rebus his creatis: Et hoc in generali, videns vniuerſum eſſe in triplex genus creaturarum diſtinctum, quorum quodque, Vnitatis & Trinitatis eſt repræſentatiuum: vt latè deduci poſſet. Item in elementis ſingulis, idem demonſtrat Antoninus in ſecunda parte Summæ, titulo decimo, ſeptimo cap. In elementatis quoque, & hoc multipliciter valde: Nam quia omnis creatura ab omnipotente virtute, per ſapientiſſimam rationem in fines Deo authore, & artifice dignos eſt facta; Ideo eſt in eis mẽſuratio, numerus, & pondus: Species, modus, & ordo: Subſtantia, potentia, & actio: Virtus, efficacia, prouentus: Gradus, decus, commoditas: Pax, alacritas, requies: Ius, munus, donum, Inſtitutio, acceptatio, adoptatio: Eſſentia, ſpecies, & vſus: Armonia, ſpecies, & commenſuratio: Vnum, verum, bonum. Ex quibus omnibus conſurgere poteſt, ſicut ex veſtigio, contemplator, ad ſpeculandum, non ſolum Dei perfectionem; verum etiam vnitatem eſſentiæ, Trinitatem perſonarum: ſicut longum deducere eſſet, & ſuper vires noſtras. Eſt enim huiuſmodi conſideratio, eſca ſolida perfectorum: Ad quam qui attingere volet, oportet ſecundum Bonauenturam vt vitata culpa deformante naturam, & naturales potentias exerceat, ad gratiam reformantem, & ſic per orationem deuotam, ad iuſtitiam purificantem, & ſic per conuerſationem ſanctam, ad ſcientiam illuminantem, & hoc per meditationem perſpicuam, ad ſapientiam proficientem, & hoc per contemplationem perfectã per quam videri poteſt Deus Deorum in Syon. Pſa. 83. Committimus hanc tractationem magis doctis, ſat eſt tetigiſse.

Et quemadmodum diximus, quod Deus contemplabilis eſt ex rerum creatione, ſic proſequi poſſet, ex earundem gubernatione: *Attingit enim à fine vſque ad finem, ſuauiter omnia diſponens*: Sap. 8. Cuius diſpoſitionem nemo ſatis mirari poteſt, cum tamen nil fiat ſenſibiliter, quod non de intelligibili aula ſummi Imperatoris progrediatur. Similiter & in conſeruatione rerum; Totum enim in nihilum rediret, niſi ipſe conſeruaret: quemadmodum corpus in aere poſitum mox cadit, &c. Sed longè nimium huic regioni immorati ſumus. Veremur ne tam curioſitatem, quàm affectum exiſtimemur comparaſſe. Ad cæteros igitur nobis properandum.

De regione Mundiali, creaturarum regioni pro ampliori affectu, & materia coniuncta.

CAP. II.

I *ITe in mundum vniuerſum.* Marc. 16. PRÆDICTÆ regioni creaturarum, connectimus regionem *mundialem*, eo quod illi coniuncta, & affinis: Ad cuius ingreſſum hortatur ſcriptura in verbis præmiſſis; Eſt enim regio hæc ingredienda acuta conſideratione; ſed aufugiendum eſt ex ea opere, & immoratione. Iuxta quod Hieremias cap. 50. eſt hortatus, dicens de ea, ſub typo Babylonis, *Fugite*, inquit, *de medio Babylonis, vt ſaluet vnuſquiſque animam ſuam.* Conſiderandus eſt enim mundus (vt quidam ait) vt agnoſcatur; Agnoſcendus autem, vt contemnatur. Non quod dicimus, ea, quę Deus fecerit bona, eſſentialiter in ſe eſſe ſpernenda; ſed inquantum in via Dei nobis obſiſtunt, iterque præpediunt æternitatis: quod facit vita mundialis, & inordinata affectio ad ea, quę ſunt mundi; & ſic capimus hic mundum. Vnde ne ex ambage procedamus, multiplex acceptio mundi eſt hic præmittẽda.

Digitized by Google

Ioa. 1. *Sic.eunter in mundum vniuerſum.*	*Regioni elementali mundo contiguum.*	*Pro creatura corporali. Extra mundum nil eſt.*
Terra,	elementa,	creat.
Ibidem *Vniuerſum, mundus per ipſum factus.*	*Pro omni homine pro bonis, & malis.*	*A mutabili.*
totum,	que homo,	vita,
In mundo erat, id eſt, Patre: vt dicit Dionyſius Carthuſienſis.		
Deuſque.		

Longum eſſet proſequi omnes acceptiones iſtas nec ad propoſitum eſt de omnibus loqui; ſed de tribus, vel quattuor tantum: Nam ſecundum, quod trifaria poteſt eſſe qualitas ingredientium regionem iſtam; ita tripliciter, vel quadrupliciter accipimus nos mundum, Nam

Studioſus,	Debet ingredi mundum	prout ſumitur pro	Terra & elementatis.
Deuotus,			Mundiali vita.
Contemplatiuus,			Gubernatione varia.

Ite ergo in mundum vniuerſum.

Eat	Studioſus,	In regionem mũdialem ad illum	Peruidendum,
	Deuotus,		Contemnendum,
	Contemplatiuus,		Contemplandum.

Vnde patet, quod lata eſt regio iſta, in cuius nundinis reperit quiſque neceſſaria, & deſeruientia. Sed ſingulis hic ſuas merces oſtendamus.

MEMBRVM I.

Conſiderabilia ſtudioſi.

II PRIMO, ergo ſtudioſus ingrediens regionem iſtam, inuenit plurima ſibi conſideranda: Nam poteſt conſiderare in genere iſta,

Scilicet { Mundi naturam, & partium diuerſitatem. / Inhabitatorum mundi varietatem.

En mundum, partes habitantes, quàm variatos.

PRIMO, occurrit ſibi conſiderandum de mundi natura: Non ſolum terræ inferioris; ſed etiam regionis ſuperioris. Vbi ſe offert materia de influentia ſuperiorum in mundum inferiorem, de quibus multa habentur ſcripta.

DEINDE conſiderare habet mundi diuiſionem, & partialitatem, ſcilicet de eius partibus, climatibus, regionibus, regnis, ciuitatibus, inſulis, promontoriis, & montibus: Ad quod deſeruiũt libri illi de Deſcriptionibus terrę; Itẽ Honorius Petrus de Ailliaco de imagine mundi; Itemque à multis deſcriptæ mappæ mundi, & huiuſmodi. Nec dixerit quis curioſitatis hęc eſſe, & nullius commoditatis, cum (ſi magiſtro Petro de Ailliaco credi poteſt,) non parum vtilis eſt harum cognitio ad Diuinarum elucidationem Scripturarum, in quibus ſæpe mentio de his habetur; & non parum ſubleuat, ad contemplationem creatoris, & ſupernorum. Et miſerum nimis Honorio videtur, res propter nos factas quotidie ſpectare, & cum iumentis inſipientibus, quid ſint penitus ignorare. Non ergo abhorreant deuoti ſi quandoque ad huiuſmodi ſe diuerterint ſtudioſi, cùm hoc egerint Sanctiſſimi viri. Et ij dum ſe ad huiuſmodi conſideranda diuerterint, non ſolum nudas regiones, & prouincias terræ, ſpectare debent ad ſciendum; ſed etiam quę in eis ſingulis mirabilia & vtilia habentur, attendere debent, Dei potentiam, & bonitatẽ admirandam. Inſuper & tertio ad ſacra, hæc traducere debent: vt conſiderent quomodo ſumuntur in ſacra Scriptura, & ad quid ſignificandum, quamadmodum Rabanus Iſidorum inſecutus, quæ ille litteraliter tradidit, is ſcripturæ applicuit. Habent ergo hic grandem copiam ſtudioſi.

TERTIÒ, principaliter attendere habent in hac regione ſtudioſi, *Inhabitatorum mundi varietatem*. Et hoc,

Quo ad { Gentium nomina, & linguas, / Diuerſas ſectas, / Mores, & doctrinas,

Verè copioſa eſt hic immorandi materia, quę eſt ab Iſidoro breuiter, & ſtrictim, & ab aliis Coſmographicis tacta: Nam de gentibus videre eſſet originem, diffuſionem, multitudinem, quomodo à tribus filiis Noë 72. gentes deſcenderunt per 72. linguas diſtinctę: vt docet Sanctus Auguſtinus 16. de Ciuitate Dei capite tertio. De linguis præſertim celebrioribus multa etiam inquirenda eſſent. Sic & de ſectis Iudæorum, Gentium & Chriſtianorum quorum ſingulæ ſuas hæreſes, & Doctores, habent. Nam Iudæi, Rabbi, & Prophetas; Gentes, Philoſophos, Sybillas, & Poetas; de quorum geſtis videndum. Patet ergo, quod lata eſt hæc regio ſtudioſo, & delectabile eſt verſari in ea; ſed deuotis non valde conſulta.

MEMBRVM II.

Meditabilia deuoti.

SED iam ad quid *deuotus* hanc regionem ingredi, quidve in ea ipſe conſiderare habet videamus: Et certè debet deuotus regionem ingredi mundialem, vt ſi adhuc in eo eſt, fugiat, aut alios fugere ſuadeat; Si fugerit gratias agat, & reuerti non cupiat; ſed libenter in ſua ſolitudine maneat; Vnde patet, quod eius conſideratio potiſſimum ad hoc tendit, vt videat propter quid mundus ſit contemnendus. Eſt autem mundus propter multa contemnendus. III

§. 1. *Cauſæ generales cur mundus ſit ſpernendus.*

1. Io. 2. NOlite *diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.* QVAMQVAM varia à varijs inductiua contemnendi mundum tradantur, nos tamen ad tria hæc reducenda duxi-
IV mus: Nam poſſunt ſumi quædam inductiua contemnendi mundi, Ex parte Dei, Noſtri, Mundi.

Parte Dei, Noſtri, Mundi, Mundus fugiendus. De quibus ſingulis pauca proſequenda, & ſuccinctius quidem cæteris, habentur enim plurima ſuper his opuſcula confecta. PRIMO ex *parte Dei,* mundus eſt contemnendus: Et hoc propter multa, ſcilicet iſta,

Zelus, amor, bona, promiſſum, ſuaſit, quia facit.

ET PRIMVM inducere debet nos *zelus Diuini honoris*, quo ita ardeamus honorare Deum, vt eius intuitu, & æſtimatione caduca quælibet aſpernemur, nos totos in eius honorem offerentes. *Hoc enim* (vt Hilarius ait) *potiſſimum Deo debemus, vt eum omnis virtus, ſenſus, & ſubſtantia noſtra loquantur.*

SECVNDO trahet nos *amor, & bonitas Dei glorioſi*, vt tantum eum amemus, vt quicquid ab eius amore, ſeu ſui amoris feruore impedit, auertit, retardat, contemnamus, quod maximè facit mundus, & ea quæ ſunt mundi. *Nam tanto* (ſecundum Gregorium) *à ſuperno amore disiungimur, quanto inferius delectamur, terrenis occupamur, implicamur ſecularibus.* Pro quanta enim parte eſt cor noſtrum ad aliquam rem, pro tanta eſt minus ad Deum. O igitur ſpernamus, quæ ſeiungunt à tanta bonitate.

TERTIO trahent nos *beneficia* quæ contulit, & fecit pro nobis, quæ talia ſunt & tanta, quod merito nos accenderent, ad aggrediendum ea, per quæ Deus potiſſimè honoratur, & ad ſpernendum omnia, quæ diſplicent tanto benefactori.

QVARTO inducit *magnitudo promiſſorum*
Matth. 19 *à Deo.* Nam maxima quæque contemptoribus mundi repromiſit. *Centuplum*, ſcilicet hic, & poſt, *vitam æternam*, itemq́ue *iudiciariam poteſtatẽ.* O qui quanta hęc ſunt rectè diiudicaret, merito contemneretur omnes delitias mundi.

QVINTO quia Deus, hoc non ſolum in Scripturis, & per Sanctos monuit; ſed & in propria perſona de cælis deſcendens conſuluit, & ſuaſit
Prou. 12. illud. Si ergo (iuxta Sapientem) ſapientum conſiliis acquieſcendum; quanto magis conſiliis ipſius ſapientiæ? Docuit autem ſapientia, vt patet per ſacri eius Euangelij decurſum, con-
Eſa. 9. temnere omnia hæc inferiora: Verè qui conſiliario Angelo iſtius magni conſilij non obtemperat, fatuus nimis eſt habendus. Hic etiam omnia ſparſa per Scripturam conſilia de relinquendo mundo. Itemq́ue dicta Sanctorum adducantur.

POSTREMO quia efficax monitio eſt operis impletio, quo amplius nos ſapientia ad eius conſiliis parendum; ſcilicet contemnendum incitaret, opere, & exemplo prius nos præceſſit: vt patet intuenti, & natiuitatis ingreſſum, vitæ progreſſum, mortis egreſſum, In quibus nil habuit gloriæ mundialis. Si itaq; aberrare à Io. 11.
vera vita nolumus, ſi non in tenebris ambulare, & offendere pedes, ſequamur ſapientiam Io. 14.
Patris, lucem mundi, viam & veritatem.

§. 2. *Inductiua contemnendi mundum ex parte noſtri.*

NVNC quę inductiua ſint *ex parte noſtri* V
videamus: Et inter cætera poterunt aſſignari iſta,

Tutum, ſine timor, opus, vtile, gloria grandis.

PRIMO propter noſtri ſtatus *ſecuritatem:* Nam (ait Iacob. Carthuſ. in de ſecuriori via) Nullus tutior eſt hominum ſtatus, quam mundi contemptorum: Mille enim pericula manent eos qui ſunt in mundo; In medio laqueorum verſantur; hoſtibus vndique ſepiuntur. Vnde nil tutius eis, quam mundo derelicto, quærere Ier. 50.
locum tutum, fugere Babylonem, & intrare refugij ciuitatem munitam.

SECVNDO propter *nouiſſimorum timoroſita-* Geneſ. 19.
tem: Nam qui ſua nouiſſima intentè meditatur, niſi lapidei, aut ferrei; immo niſi inſenſibilis totaliter cordis fuerit, non poterit non contemnere mundum; *Facile* enim (ait Hieronymus) *contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat eſſe moriturum; Facilius cui iudicij tuba in auribus intonat ſemper, Facillimè autem qui parata ſupplicia iniquorum, coram cordis oculis ſemper verſat.* Sunt hinc exempla multa.

TERTIO propter *neceſſitatem*, & conſequendæ in ſæculo ſalutis difficultatem; Niſi enim mundi contemptus aliquo modo de neceſſitate eſſet, Ioannes non dixiſſet, *Si quis diligit mun-* 1. Io. 2.
dum non eſt charitas Patris in eo. Non quidem vt prorſus omnia abnegare neceſſarium ſit ad ſalutem; hoc enim conſilij eſt: Sed neceſſarium eſt, vt ſic contemnatur, ne ſupra, aut contra Deum ametur, ne cœleſtibus præponatur. Porro quàm difficile ſit in ſæculo cõſequi ſalutem, Dominus de diuitibus pulchrè inſinuauit: Nam periclitatur caſtitas in delitiis, humilitas in di- Mar. 10.
uitiis, pietas in negociis, veritas in multiloquio,
charitas in hoc nequam ſæculo. O igitur ani- VI
ma debilis & infirma, quæ tam facilis es ad decipiendum, tam prona ad cadendum, tam difficilis ad ſurgendum: An ignoras, quod ſicut difficile eſt, arborem iuxta viam poſitam, fructus pulchros ad maturitatem vſque producere & ſeruare: ſic difficile eſt hominem iuxta ſęculum viuentem, iuſtitiam immaculatam conſeruare? Quàm difficile ſit in ſæculo aſſequi ſalutem, venerabilis Hugo probat ex his quibus aſſimilatur mundus, in quibus raro quiſquam ſaluatur. Scilicet,

Mundus diluuium, mare, campus, ſilua, perardens.

Diiudicet hæc ſingula profundè, & videbit, quod raro ex his ſaluatur, niſi fugitiuus.

QVARTO propter inde naſcentẽ profectum, & vtilitatem; Plurima enim mundum fugiens aſſequitur bona, & euadit mala. Fit enim acceptus Deo iuxta, quòd Pſalm. ait, *Audi filia,* Pſ. 44.
& vide, & obliuiſcere &c. *Et concupiſcet rex decorem tuum.* Iuuatur ad profectum, ad contemplationẽ æternorum: Nam (vt dicit Caſſianus)

nunquam affectus noſter ad deſiderium æternorum accenditur perfectè, nec intellectus ad contemplationem cœleſtium perfectè acuitur; niſi mundus, & cura carnis fortiter refrenetur.

POSTREMO non ſolum oritur mihi profectus in præſenti, ſed & gloria augetur in cælis: O qualis ſtultitia pro delectatione momentanea, non curare gaudia cæleſtia! Et vt de illis taceamus, honorificum eſt animæ viuere ſecũdum naturam: Erubeſcat anima conſolari in cœno, quæ eſt de cælo; pudeat delectari in imis, quæ non poteſt ſatiari niſi ſummis. Verè ſi anima ſuam dignitatem ritè attenderet, merito mũdo immorari horreret. Hæc de parte noſtri.

§. 3. *Cauſæ ſiue inductiua contemnendi mundum, ex parte ipſius mundi.*

VII TERTIO poſſunt ſumi inductiua contemnendi mundi, ex parte ipſius mundi: Et hic ſufficiat ſeptemplicem cõſiderationem adduxiſſe: velut ſeptemplicem murorũm Hiericho circuitum, vt ruat in cordibus noſtris, ſcilicet,

Eſt cæcus, breuis eſt, vanus, malus, atq; nociuus,
Anxius, & fœdus, mundus, plenusq; periclis.

Mundi cæcitas & fugacitas.

NOTVLA I.

PRIMVM retractiuum ex parte mundi, Eſt
Exo. 10. *eius cæcitas, & tenebroſitas*, Vnde per Ægy-
Prou. 4. ptum eſt ſignificatus: & dicitur de his Prouer.
Pſ. 81. *Via impiorum tenebroſa*, & in Pſalm. *Neſcierunt*
Prou. 21. *neque intellexerunt, in tenebris ambulant*; Nam
Pſ. 16. *lucerna impiorum tenebræ*, & *ſtatuerunt oculos*
Mat. 6. *declinare in terram*, Et eorum lumen tenebræ
1. Cor. 3. ſunt, quia ſapientia mundi ſtultitia eſt apud
Deum: Quantæ ergo putas ſunt ipſç tenebræ?
Verè palpabiles, & magnæ nimis. Itaque nihil
de cœleſtibus noſcunt, vt ſæpe in Euangelio
Dominus dicit: Pater Sancte *mundus te non co-*
Io. 17. *gnouit:* Et quid dico de ignorantia Dei? cum
etiam tantæ ſint eorum tenebræ, quòd nec ſe-
ipſos videant, & quid agunt, quibus ſe paſcant,
vbi maneant, vel quò tendant ignorent, vt
Vmbertus deducit.

SECVNDO retrahet nos *temporalium modicitas*, & breuitas: Modica enim ſunt temporalia omnia, reſpectu Dei, animæ, & cœli. Nam reſpectu Dei, ſunt quaſi gutta roris iuxta Sap. 11. *Quaſi gutta roris antelucani, ſic eſt ante te orbis terrarum:* imò prorſus nihil, quia dicit Hiere-
Ier. 4. mias. *Aſpexi terram, & ecce vacua erat, & nihili*; Reſpectu animæ, modica ſunt, quia eam
replere non poſſunt: & Reſpectu cœli non
VIII ſunt, niſi punctus, & centrum Seneca. *Punctum eſt id, in quo nauigatis, bellatis, regnatis.* Verè ſunt modica, quæ malis, æquè ac bonis communia, & ſolum verorum bonorum vmbra, non vera bona: vt declarant docti per ſingula. Porro *de breuitate* quid dicemus? cum tranſeant
Sap. 5. omnia velut vmbra, & nauis aquam, nuncius præcurrens, auis tranſuolans, aut ſagitta pertranſiens? *Spes etiam impij quaſi lanugo, & tanquam ſpuma gracilis, fumus à vento diffuſus, & velut memoria hoſpitis diei vnius.* Quinetiã quid
ſunt mundana omnia, niſi ſomnia vana? imo
& nihil, ſi æternitati fuerint collata. Quid eſt
vita noſtra, *niſi vapor ad modicum parens*, ſom- Iac. 4.
nium auolans, & viſio nocturna? Vbi ſunt prin- Iob 20.
cipes gentium? vbi ſapiens? vbi ſcriba? Vbi 1. Cor. 1.
inquiſitor huius ſæculi Salomon ſapiẽtiſſimus?
vbi Alexander potentiſſimus? Samſon fortiſſimus? vbi Cęſares? vbi reges? vbi principes inclyti? deſcende hic.

Mundi vanitas.

NOTVLA II.

TERTIO retrahet nos *mundi vanitas*, de
qua Eccleſiaſticus, *Vanitas vanitatum, &* Eccl. 10.
omnia vanitas. Ecce non vanus, ſed vanitas di- IX
citur mundus, emphaticè loquendo, quia vaniſſimus, vanos efficiendo ſuos amatores, di-
cente Hieremia. *Ambulauerunt poſt vanitatem.* Ier. 2.
& vani facti ſunt. Verè vanus eſt mundus, & omnia eius, TVM QVIA non replent diligentem, ſicut nec vacuitas, & hoc quia vacua ſunt, quia extra ſunt, quia cor hominis capaciſſimũ implere non poſſunt: Et ideo dicitur Eccleſiaſt.
Auarus non implebitur pecunia: ITEM vana, quia Eccl. 5.
non ditant poſſidentem, ſicut nec ſomnia: Vn-
de Eſaias, *Sicut ſomniat eſuriens, & comedit* &c. Eſa. 29.
Pſalm. *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil* &c. Pſ. 75.
ITEM *vana*, quia non reficiunt eſurientem, ſicut nec aura Bernard. *Non plus ſatiabitur cor auro, quam corpus aura.* ITEM vana ſunt mundana omnia, tum quia innitenté non fulciunt,
ſicut nec fumus, vel baculus arundineus: *Prã-* Eſa. 36.
terit enim figura mundi huius. TVM etiam vana 1. Cor. 7.
eius omnia, quia confidentem non ſtabiliunt, non dant ſecuritatem, ſed decipiunt in eis confidentem: Hinc Pſalmus 145. *Nolite confidere in principibus.* Fallax enim eſt mundus, & veritas non eſt in eo. Oſee 4. *Non eſt veritas in terra:* ſed omnia fallacia plena; quemadmodum de ſingulis bonis mundi. proſecutus eſt Humber-
tus, in eruditione Religioſorum. Et propter Ethim.
hanc nimiam vertibilitatem, rectè mundus dicitur (iuxta Iſidorum) à motu, & rotæ molendinariæ comparatur, & dicitur rota fortunæ. O igitur linquamus vana vanis, mendacia fu-
giamus: Verè mendacia mundi omnia, hypo- Matt. 23.
critę, & ſterquilinio niue tecto, & dealbatis ſepulchris iure comparata. Et licet iam vanitatem eorum nunc non agnoſcamus, vbi mors venerit, plenius eam ſciemus.

Mundi malitia.

NOTVLA III.

QVARTO abſtrahere nos debet *malignitas,*
& malitia mundi: Nam dicit Ioann. in 1. Io. 5.
Canonica, *Totus mundus in maligno poſitus eſt*,
& eius bona velut alterius Hiericho ſunt ana- X
thema. Quã malitia inundet apud Oſee patet, Ioſ. 6.
Non eſt, inquit, *veritas, non eſt miſericordia, non* Oſee 4.
eſt ſcientia Dei in terra, mendacium & homicidium inundauerunt &c. Vnde & diabolus dici-
tur princeps mundi. & *poſitus eſt in maligno*, Io. 12.
id eſt

id eſt in poteſtate maligni.

QVINTO fugiendus eſt mundus propter nociuitatem: Nam bona temporalia, maiorum, & verorum bonorum ſunt impedimenta. O portet enim à creatura auerti, qui vult perfectè ad Deum conuerti, & terrenis euacuari, qui vult cæleſtibus impleri. Auguſtinus. *Diſce non diligere mundum: vt diſcas diligere Deum; Auerte vt conuertaris, funde vt implearis. Sicut enim non coniungitur cœlum terra: Ita nec cæleſtia cordibus terrenis.* Mat. 6. Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, nec mammonæ, & Deo. Verè ſpinę ſunt Luc. 8. terrena omnia, ſuffocantes Dei verbum: patet in diuite iuuene triſte abeunti, & in inuitatis Mat. 19. ad nuptias. Amittitur in mundo virtus, tem- Mat 22. pus, & profectus: vt declarat Dionyſius. En quantis ſpiritualibus gaudiis priuamur. O igitur illa ſpernamus.

SEXTO retrahet nos mundi anxietas, & cruciatus pœnalitas. Mundus enim vallis lachrymarum eſt, ad quam vndique fluunt cauſæ dolorum: Iuxta Pſalm. 39. *Circumdederunt me mala quorum non eſt numerus* Et præſertim hæ ſunt principales mundi miſeriæ, ad quas cæteræ reducuntur,

XI *Naturæ, vitæ, dolor, & culpa, quoq; mortis.*

Id eſt ſunt in mundo *miſeria connaturales*, quas naſcendo contrahimus, quia flebiles, debiles, miſerabiles, ſine ſcientia, ſine verbo, ſine virtute, ſine indumento &c. O verè graues, & ineuitabiles. & ideò miſerandæ. SECVNDO ſunt in eo *miſeria contemporales*, vt naturalis fragilitas, qua pœnalitates aggrauantur: Corporalis infirmitas, qua grauiter anxiamur: Hoſtilis malignitas, qua nequiter impugnamur: quæ verè ſingulæ innumerabiles ſunt, & infinitæ, de quibus pulchrè agit Vincentius in Speculo morali. TERTIO ſunt in eo miſeriæ *compaſſionis fraternalis*, quibus proximi miſeriis condolere habemus: Quis enim adeò ferreus, vt non doleat, dum ei nunciatur amicorum aduerſitas, aut interitus? Quot igitur amicos habemus tantis doloribus expoſiti ſumus. QVARTO ſunt in eo *miſeria criminales*, & culpa originalis, actualis, mortalis, venialis, Verè horrendæ, & præcauendæ nimis: Nam miſeros facit homines peccatum; imò & Deo, & Sanctis eius odibiles, infirmes, pauperes, omni bono vacuos, ad omne bonum debiles, cæcos, mutos, fatuos, omni cadauere putridiores, regni extorres, & æternis ſuppliciis dignos. POSTREMO conſequuntur *miſeria mortis, & gehennalis*, in quibus miſeriis qui venerint, teſte Pſalm. 139. *vix ſubſiſtent.* Verè ergo eſt anxius mundus, tantis miſeriis plenus. Imò, & cruciatus tot habet, quot bona modi deſiderat, aut vitia in ſe habet. Hinc vel ſero fatentur experti, Sap. 5. *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, ambulauimus vias difficiles.* Et ergo Gregorius dicit quod *laborioſius nihil, quam inhiare terrenis, nihil quietius, quam nil appetere mundi. Terrena enim omnia acquiruntur cum labore, poſſidentur cum timore, & ſine dolore non amittuntur*, patet ergo quod grauis eſt in eis cruciatus.

SEPTIMO contemnendus eſt mundus propter eius fœditatem. Quæ patet ex eius comparationibus, quia fœdis rebus aſſimilatur; ſcilicet iſtis,

Eſt lacus atq; lutum, ſulfur, ſentina, vel eſt pix.

Ideſt *lacus miſeriæ, & lutum fæcis*, in quo proijcitur Hieremias; Eſt *ſulfur fœtens*, ſentina omnium ſordium, & pix inquinans tangentem, faciens hominem peccatis, & diabolo ſeruientem, ita quod omnia eius ſunt polluta, polluentia qui verſantur in eis. Et ergo ab immundo per contrarium dictus eſt mundus: vnde aiunt, Pſ. 39. Ier. 38. Eccl. 13. Antiphraſis.

Mundus non mundat, ſed mundus polluit; ergo
Qui manet in mundo, quomodo mundus erit?

Pericula manentium in mundo.

NOTVLA IV.

POSTREMO contemnendus eſt mundus, propter eius *periculoſitatem:* Hic enim ferè pericula inferni. Nam qui nauigant mare, enarrant pericula eius, quod multa, & multiplicia nimis, quæ præſertim proueniunt ex ſeptem, ſcilicet, Eccl. 43.

Ipſe locus, tempuſq;, ſtatus, homo, nox, mala dæmon.

PRIMO ergo pericula patent ex loco habitationis, qui eſt *modus*, qui valde eſt periculoſus: Et hoc ad modum maris; vbi multi pereunt, quia pericula innumera illic occurrunt; ita quòd qui vult vnum euadere, aliud incurrit: Iuxta illud, XII.

Incidit in Scyllam cupiens vitare Carybdim.

Item quia ibi venti vehementes, & tempeſtates accidunt, vt patet in Daniele. *Item* in eo ſunt Dan. 8. ſyrenarum cantus, & monſtruoſorum occurſus. *Item* quia nauis fragilis, in qua nauigant, & penuria neceſſariorum adeſt. *Item* ſunt hic pericula mundi, ſicut deſerti, in quo ſerpens Deut. 8. flatu adurens, ſcorpio, & dipſas. *Item* quia fornax vitiorum, carcer malorum, domus ruinoſa, laqueis plena, & via periculoſiſſima: ſicut de ſingulis proſequitur ad longum Vincentius Beluacen. & Antoni. eum inſequutus, in tertia parte.

SECVNDO quia *tempus eſt periculoſum*; tempus, ſcilicet peregrinationis, quia his nouiſſimis diebus (vt Apoſtolus prophetauit) ſunt 2. Tim. 3. tempora periculoſa: Et hoc propter defectum charitatis; propter inundantiam iniquitatis, ingratitudinis, & carnalis voluptatis. O verè *fœlix nimium prior ætas.* Sunt iam dies mali, diſtrictè tamen nimium exigendi.

TERTIO pericula indicat *ſtatus humana conuerſationis:* Vndique enim pericula imminent ei; Nam *ſuperius* eſt iudex iratus; *inferius* patens infernus; *Interius* vermis corrodens; *exterius* ſtatus nunquam in eodem permanens. Valde ergo ſtatus periculoſus.

QVARTO fragilitas *humanæ conditionis.* Nam Iob 4. moratur in domo lutea, terrenum habens fundamentum, contra quam pugnant quattuor pugiles, ideſt quattuor complexionis qualitates, donec eijciant eum. Vnde Philoſophus quidam, inquiſitus, quid eſſet homo, egregiè reſpondit, quia mancipium mortis; hoſpes loci. tranſiens viator; ſimilis aceruo niuis; roſæ ma

Digitized by Google

tutinæ; pomo nouo; habens ſe, vt lucerna ad ventum, quæ cito extinguitur, vt ſcintilla in mari, quæ ab aquis cito abſorbetur; vt fumus qui cito diffunditur; exiſtens in bello multiplici, & diuerſo, cum ſeptem ſociis morans, qui eum aſſiduè moleſtant, qui ſunt fames, & ſitis, calor, & frigus, laſſitudo, infirmitas, & mors.

QVINTO oſtendit pericula *affectionis humanæ fatuitas*, quæ patet ex ſeptem: quia non timent, vt Balaam; non ſentiunt, vt Ionas dormiens; pericula amant, vt ſe ingerentes, vnde, & perierunt: Dicit enim Eccleſiaſticus, *Qui amat pericula peribit in illis*: Quarto ſe periculis illaqueant, adeo vt effugere nequeant: Quinto quia magis ſe temporalibus onerant: Sexto quia Deum non inuocant, ſed potius iram eius prouocant: Vnde patet fatuitas grandis: Sexto pericula facit mala ſocietas, quæ mala plurima facit. *Cum peruerſo peruerteris*, & præſertim quindecim mala inducit.

Nu. 22. Iona 1. Eccl. 3. Pſ. 17.

POSTREMO periculoſum mundum oſtendit dæmonum impietas, qui valde timendi ſunt: Et hoc propter loci propinquitatem, inuiſibilitatem, malignitatem, & ob alia multa quæ proſequitur idem vbi ſupra: Magna ergo ſunt mundi pericula: ſicut probant tranſeuntium raritas, & pereuntium multitudo. Verè qui prædicta hæc ritè attenderet, merito mundum, cum omnibus, quę habet, contemnere deberet. Et nota, quod ſicut hæc inductiua ſunt de mundi contemptu in genere: Ita de ſingulis eius partibus, ſcilicet diuitiis, gloria, & deliciis &c. poni poſſunt retractiua in ſpecie, quemadmodum Boetius Sanctus in ſuo de Conſolatione Philoſophiæ.

XIII ET BENE hanc regionem ingreſſus, breuiter tetigit dicens, *Ecce huius mundi amatores, nundinas huius ſæculi perambulant. Alij diuitias, alij honorem, alij gloriam quærentes: Sed quid de diuitijs* (ait) *dicam, quæ cum labore acquiruntur, cum timore poſſidentur, amittuntur cum dolore? Quid de honore referam?* In loco ſublimi poſitus es. Nunquid non eris iudicandus ab omnibus? lacerandus ab omnibus? Nunquid in honore ſine dolore, in prælatione ſine tribulatione, in ſublimitate ſine vanitate eſſe quis poterit? Quid de gloria? Nunquid aliud eſt, niſi quædam inflatio aurium, quę & ipſa non caret iudicio; & quod antecedit, tot inuidiæ occaſiones præbet, & totiens Angelo apoſtatæ ſimiles ſumus, quotiens præeſſe volumus. Et qui prælationem diligit, nil aliud facit, niſi vitam ſuam confundit. Monſtruoſa res, gradus ſummus, & animus imus; ſedes prima, & vita ima; lingua magniloqua, & manus otioſa; ſermo multus, & fructus nullus; vultus grauis, & actus leuis; ingens auctoritas, & nutans ſtabilitas, ait Bernardus.

SED forſan ſapientiam mundi quæris? ô quanto te periculo committis: Multos enim hæc maledicta ſapientia ſupplantauit, & conceptum in eis dimidium ſpiritum extinxit, quē vehementius Dominus accendere voluit. Sapientia mundi, terrena, animalis, diabolica eſſe dicitur: Et qui creſcit in ſcientia, & non in bona vita, elongatur à Deo. Diſce ergo in terris ea, quorum ſcientia manet in cœlis.

Luc. 12. Iac. 3.

SED pelliciunt te gaudia mundi, Sed qui gaudia in mundo quærit, delitias ſub ſentibus inquirit; plus aloes, quàm mellis habet omne gaudium mundi, deſpicabile præſertim, vt Bonauent. ait propter quinque, ſcilicet.

Vile, vel impurum, breue, triſte, malum tibi cauſans.

PRIMO habet vilitatem in obiecto, Nil enim aliud ſæculi lætitia, niſi *impunita nequitia*; SECVNDO habet impuritatem in ſubiecto, quia anima peccatoris eſt ſubiectum gaudij mundialis: *Ridere, & gaudere in ſæculo, non eſt* (vt Hieronymus dicit) *hominis ſenſati, ſed frenetici*. TERTIO habet breuitatem in ſeipſo, quia *gaudium hypocritæ eſt ad inſtar puncti* QVARTO triſtitiam in termino: *Extrema enim gaudij luctus occupat, & riſus dolore miſcebitur*, Et in *puncto ad inferos deſcendunt*. QVINTO habet miſeriam magnam in effectu proprio, quia eſt ſpiritualis gaudij impeditiua: vt dictum eſt ſupra. Vides ergo, quod omnia mundana iure ſunt aſpernanda. Eya igitur, XIV

Iob 10. Prou. 14. Iob 21.

Amplius in rebus noli ſperare caducis
Sed cupiat tua mens æterna gaudia lucis.

Et ſic vade ex hac regione tanquam prudens negotiator, ſuffarcinatus fuga, & contemptu mundi.

Incitamenta ad regionis ingreſſum.

NOTVLA V.

POſſemus, & iam tertio aſſignate *quomodo fugiendum*, & quare Religionis clauſtrum ingrediendum; ſed tædet adhuc progredi, & confundere materiam tam pulchram, pręſertim cum multi multa pulchra ſcripſerunt de illa, Et res ipſa demonſtrat, quod in monaſteriis: Et purius viuitur; Rarius cadıtur, Velocius ſurgitur; Cautius inceditur; Securius quieſcitur; Frequentius roratur; Citius mundatur; Confidentius moritur; Copioſius remuneratur; vt à multis declaratur: Præſertim in quadrageſimali Bernardinus. Eya igitur fuge, & confuge ô mundane miſerrime, ad vrbem refugij, ad vitam religioſam: Vbi poſſis de præteritis agere pœnitentiam, & in præſenti obtinere gratiam, & ſecurè præſtolari gloriam futuram, Nec te terreat vitæ auſteritas: Non enim ſunt condignæ paſſiones temporis huius, ad præteritam culpam, quæ remittitur; ad pręſentem gratiam quæ immittitur: ad futuram gloriam, quę promittitur. Et tu gratulare iam de ſæculo educte, qui tanta euaſiſti mala, aſſecutus autem tanta bona: Et præcaue, ne quando reſpicias cum vxore Loth retro, aut redire corpore, vel corde in Ægyptum cogites; ſed gaude cum Iob *in Nidulo* mori, vt multiplices, ſicut palma dies tuos.

Rom. 8. Geneſ. 19. Nu. 4. Iob 29.

MEMBRVM III.

Quomodo, & quæ in hac regione contemplatiuus ſpeculari debeat.

NVNC poſtremo oſtendendum reſtat, vt & ſpeculatiuo aſſignemus nundinas ſuas

in hac

in hac regione: Et certè multam contemplationis materiam eſt hic inuenire, difficilem, & inexplicabilem valde. Puta de mirabili mundi gubernatione: De mirabiliori rerum mundanarum diſpoſitione: De mirabiliſſima inhabitatorum mundi vocatione, aut derelictione: De mirificis, aut occultis iudiciis Dei, quomodo aliòs vocat, alios in mundi tenebris derelinquit, quam mirabiliter, & variis viis, ſuos ad ſe trahit. In quibus ſcrutandis qui nolit errare, non debet nimium ſe profundare; & præſertim indoctiores: quare & nos nihil hic dicimus, Oculatioribus hic locum dantes. Mihi ſufficiat Domine IESV, vt ſic hic negociari poſſim, vt mundum deſpiciam, & validius in tui amorem eam. O igitur da tu mundi rector, quo mundus mihi amareſcat, & tu in corde dulceſcas, interuenientibus omnibus contemptoribus mundi.

DIST. IV. TITVLVS III. ORDINE XXVIII.

De tertiæ diei regione, quæ eſt Scripturarum regio.

S*Crutamini ſcripturas*. Ioan. 5. TERTIÆ diei Regio principalis, eſt *Regio Scripturarum:* Ad cuius ingreſſum incitamur in verbis præmiſſis, vbi iubemur ſcrutari Scripturas, & in aliis multis locis, vbi tãquam theſaurum iubemur effodere eam; & promittit Dominus ſtudioſis bona, comminans ignauis grandia mala: vt patet in illo
Ier, 6. Hieremiæ, *Erudire Hieruſalem*. Sed quia puto me ſupra commemoraſſe aliqua inductiua ſtudij: ideo hic tranſeundum; ſolum hortantes, vt reſpiciant ſæcula noſtra, in ætates, & Sanctos ſæculi prioris, & videbimus nos nimium, nimiumque eorum collatione in ſtudio ignauos, cum illi diebus ac noctibus libris hærebant, de Scripturis conferebant ſemper. Teſtantur hoc opera illorum, iubent hoc eorum inſtituta, volentes ſtudio inſiſti nimis. Quod heu quia noſtra tempora non obſeruant, videmus quanta mala nos inſequantur: Proſequitur plurima horum venerabilis Humbertus in Prologo de Eruditione religioſorum: Sed ad noſtram regionem nos diuertamus, Eſt ergo latiſſima regio iſta, In qua etiam quiſque inuenit neceſſaria ſtatui ſuo. Habet, & hic ſtudioſus, quibus intellectum erudiat; habet deuotus, quibus accendat affectum; habet ſpeculatiuus, quibus contempletur Deum: vt paucis eſt demonſtrandum.

MEMBRVM I.

Pro ſtudioſo.

I IN PRIMIS ergo habet hic ſtudioſus, quibus exerceat, & inſtruat intellectum: Cui hic conuenit, conſiderare de ſcientiis, primo in genere, demum de ſingulis in ſpecie. Et vt omittamus de Scriptura Diuinitus adinuenta, quoniam illa affectuoſa eſt, non curioſa dicenda: habet conſiderare de ſcientiis humanitus inuentis. In genere Philoſophia definitionem, deſcriptionem, nominationem, commendationem, originem, & diuiſionem: De quibus latius agunt multi in ſcriptis.

§. 1. *Commendatio ſtudiorum liberalium.*

NOTA tamen circa commendationem, quod inter cæteros actus hominum ex quibus (vt Rainerius dicit) extollitur ſtudium, *Perfectum, ſublime bonum, lætum, peramatum.* Ideſt ex cæteris actibus perfectiuis, quia inquãtum ſtuder Sapiens, in tantum habet beatitudinis partem, *Beatus enim vir qui in ſapientia* Eccl, 14.
morabitur. SECVNDO eſt ſublimius, quia per ſapientiam præcipuè Deo aſſimilatur, qui omnia in ſapientia fecit. TERTIO vtilius, quia per Pſ. 103.
ſapientiam ad omne bonum, & ad regnum per hoc peruenitur Sap. *Concupiſcentia ſapientiæ deducet ad regnum perpetuum*. QVARTO nihil io- Sap. 6.
cundius, quia *non habet amaritudinem conuerſatio illius* &c. POSTREMO amabilius nihil: Nihil enim laborioſius ab hominibus quæſitum, vt patet è Philoſophorum actibus, & geſtis. Quorum ſtudia qui ad mentem reuocarit, quamlibet ſuam diligentiam, illorum inferiorem videbit. Alij calcabant honores, alij proiecerunt diuitias, alij pœnas ſpreuerunt, alij contubernia hominum reliquerunt, vltimos ſeceſſus, & heremi ſecreta petentes, quo liberius Philoſophiæ vacarent: legat actus Philoſophorum qui noſſe volet ſtudia eorum, & Epiſtolam Hiero. ad Paulinum attendat. Sap. 8.

§. 2. *Artium origo.*

II PORRO de origine Philoſ. hoc piè tenendum, quod dono Spiritus ſancti hominibus ſint artes omnes, artium nomine dignæ, reuelatæ: vt latè proſequitur Leonardus de Vtino, Sermone Pentecoſtes: Quare omnium ad id tendit finis, vt vel naturæ repararetur integritas, vel defectuum, quibus præſens ſubiacet vita, neceſſitas temperaretur; vt deducit Hugo de ſancto Victore, in Didaſcalicon. Ponenda eſſet hic artium, ac ſcientiarum humanarum diuiſio pro ſtudioſo: ſed quoniam id à multis factitatum eſt, & affectuoſo, magis quã ſtudioſo ſcribimus, tranſire decreuimus; hoc tantum dicentes, quod earum ſtudijs, veteres ſumma diligentia inuigilabant, & potiſſimum ſeptem liberalibus, quas qui neſciſſet, Doctoris nomine indignus erat; plures memoriter has tenebant, vnde in omnibus intellectum habebant, & ideo, eo tempore tot ſapientes fuere, & non ſolum Philoſophi gentiles, ſed & viri Chriſtianiſſimi, viri religioſi, & Sancti his ſe ſcientiis dedere, ſcientes has neceſſarias, & per omnia vtiles eſſe, pro intellectu Diuinarum ſcripturarum: Et ideo Clemens dixit, non abſurdum fore, poſt firmam fidem veritatis, liberalibus vti &c. Imò demonſtrauit dominus Ioan. Dominici Cardinalis (vt allegat Antoninus in quarta parte) quod non ſolum liceat;

ſed etiam debeat fidelis, ſæcularibus ſcientiis ſtudere, propter Dei imitationem, naturalem inclinationem, veritatis continentiam, & Scripturarum ſacrarum intellectionem, ad quarum intellectum plurimum conferunt: vt de ſingulis demonſtrat; quemadmodum, & tangit in de doctrina Chriſtiana Aug. Qui liber omni ſtudioſo iure eſt legendus. Non ergo ſunt ſcientiæ liberales contemnendæ: Non eas contempſerunt viri Sancti, non Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, non Bernardus: Nec etiam celeberrimus ille Hugo de ſancto Victore, qui de ſeipſo fatetur, *Ego*, inquiens, *affirmare audeo, nihil me vnquam, quod ad eruditionem pertinet contempſiſſe: ſed multa ſæpius didiciſſe, quæ alijs ioco, & deliramento ſimilia viderentur:* vt longe enumerat de rerum vocabulis, ſophiſmatibus, & arithmeticis figuris, & huiuſmodi ſimilibus. Quæ quidem, vt concludit, puerilia fuerunt; ſed non inutilia. Neque ea nunc ſcire ait ſtomachum meum onerat: Nam quantus euaſit, celebre illud nomen quo alter Auguſtinus dicebatur, teſtimonio eſt. Poſſent hic multa dici contra poeſim, quæ heu! noſtris temporibus,
III multis religioſis pluſquam neceſſe vel vtile eſt placet, eoq; à ſacrarum litterarum ſtudio valde retrahit: ſed prolixitas nobis vitanda, & multi docti huiuſmodi ſatis vitant ſtudium, De modo autem, & artium acquiſitione, de ordine ſtudendi, & cæteris requiſitis, qui noſſe volet, Didaſcalicon videat Hugonis, & plenè de ſingulis inueniet deductum. Vbi ponit ſeptem neceſſaria profectui: vt ſunt illa in vulgati.

Mens humilis, ſtudium quærendi, vita quieta,
Scrutinium tacitum, paupertas, terra aliena.

Vt latè proſequitur. Ad quem librum etiam ſtudioſus noſter confugere habet, qui de ſingulis artibus ſummatim aliquid noſſe volet. Similiter, & ad librum diſcipuli eius; Richardi ſcilicet excerptionum. Similiter ad Etymologiarum Iſidori, qui de ſingulis artibus agit; paruulis conſulens, & ſuam diligẽtiam exemplum poſteris relinquens. Nil amplius his iam immorandum, ad ſacra confugiendum nobis; ad
Pſ. 118. eloquia ignita, longè præſtantiora omnibus
Sap 7. ſcientiis humanis. Vincit enim malitiam ſapientia: vt Sapiens ait.

MEMBRVM II.

Pro deuotis.

IV IAM itaque de nundinis videamus deuotorum, quibus in regione ſcripturarum, proponuntur eloquia Scripturæ ſacræ diuinitus inſpiratæ, vt Theologia, & Iura ſacra. Hic nemo dixerit deuotorum, aut religioſorum, non eſſe hæc fori ſui, refutans ſacrarum ſtudium litterarum, tanquam non neceſſarium ſibi: Imò competit omni religioſo ſtudium Scripturæ ſacræ,

Vt ſic per hoc:
- Dirigatur in contemplatione,
- Facilior ſit in aliorum illuminatione,
- Proficiat in virtutibus carnis mortificatione.

Nam PROFICIT *ad contemplationem* dum intellectum illuminat, & materiam contemplandi præſtat, & remouet pericula ne in contemplando erret: Nonnulli enim (vt Gregorius ait) dum plus exquirunt contemplando, quàm capiant, vſque ad peruerſa dogmata erumpunt: ſicut de multis patet, qui ita volebant inſiſtere deuotioni, & non ſe dare lectioni, quod errores reliquerunt; & docta deuotio præferenda deuotioni indoctæ, cęteris paribus. Valde ergo ſtudium eſt neceſſarium. SECVNDO *vt ſit facilior in aliorum illuminatione*, præſertim ſi quos monere habet: Nam mater cunctorum errorum eſt, ignorantia ſacrarum litterarum, quę acquiruntur ſtudendo, & meditando. Nam quod Apoſtolis ſuggerebat Spiritus ſanctus, hoc aliis quotidiana in lege Domini exercitatio tribuere ſolet. TERTIO *vt per hoc proficiat* &c. Inter cęteras enim vtilitates ad vitandum carnis laſciuiam valet, ſecundum Hieronymum dicentem, *Ama ſtudia literarum, & vitia carnis non amabis:* Valet ad contemnendum mundana, vnde Socrates Thebanus auri pondus ob vanam ſcientiam abiecit; & innumeri Sancti propter Euangelium Chriſti,
vt Antonius, omnia reliquerunt: Valet ad obediendum Deo; alioquin lectio peruerſa: Ita quod Auguſt. dicit, Quę peruerſitas eſt illa, lectioni nolle obtemperare, dum vult ei vacare &c.? Eſt quoque plurimum neceſſaria ſcientia iſta: Nam vt Hieronymus dicit, Ignorantia Scripturarum eſt ignorantia Chriſti: Hac enim ignorata, nemo ſapiens aut litteratus dici poteſt: Neſcit enim litteras, qui ſacras ignorat. Eſt item neceſſaria ad perfectionem; perfectio enim hominis conſiſtit in imitatione Dei, quæ eſt per dilectionem, dilectio autem cognitionem præſupponit, Nam dilectionis obiectum eſt bonum cognitum: Inuiſa enim diligere poſſumus, incognita nequaquam, Auguſtinus ait, Cognitio autem vera, & ordinata, per ſacram lectionem habetur, ergo neceſſarium. Matt. 19.

ET NOTA, quod non ſolum neceſſitas, ſed etiam commendabilitas ſacræ Scripturæ, nos ad ſui lectionem accendere debet, quæ ex multis poteſt pateſcere, præſertim ex iſtis; ſcilicet ſingularibus præeminentiis, altis comparationibus, grandibus vtilitatibus, Sanctorum præconiis, & dignitate. Sunt igitur *præeminentia ſacræ* Scripturæ quibus cæteras antecedit, V

Ex originis, & auctoris altitudine, quia ex ore altiſſimi prodijt. — *Ex contentorum vtilitate quia hic omnis ſcriptura veritabiliter eſt.* — *Ex ſubiecti nobilitate quod eſt Deus.* Eccl. 24.

Principio, tenet, obiecto,

Qui eſt vita æterna, vt ſcilicet cognoſcant. — *Certiori cui non ſubeſt falſum.*

ſeu fine, modoq;.

Quia practica, & ſpeculatiua de materia, & fine digniori. — *Quia maior ſcripturæ auctoritas quam omnium hominum perſpicacitas.*

Nobilis, & certa,

Intelligentia duplex, ſenſus præpollens. — *Quia propter effectus plurimos.* — *Quod natura, cui cæteræ artes ſubminiſtrant.*

copioſa, perutilis, alta.

Hæc qui attentè proſpiceret, ad eius ſtudium merito alliceretur.

Sic

Sic etiam nobiliſſimis rebus, videlicet per decurſum Scripturę comparatur: Puta,

Herbis, gemmis, armis, eſcis compar, & vndis.
Hortis, lucernis, elementis, rebus variatis.

Porro vtilitates non poterunt à quoquam mortalium pleuè dici: Nam (vt Hieronymus dicit) omnibus omnia eſt Scriptura: *Habet in ea infans quod lactet; puer quod laudet; adoleſcens quod corrigat; iuuenis quod agat; ſenior quod precetur*, &c. Dicit ad Voluſianum Auguſtinus: *Tanta eſt profunditas ſanctarum litterarum, vt in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia, vſque ad decrepitam ætatem, maximo ocio, ſummo ſtudio, meliori ingenio, diſcere conarer.* Et 12. confeſ. *Mira profunditas eloquiorum tuorum, Ecce ante nos quandoq; ſuperficies blandiens paruulis; ſed mira profunditas Deus meus. Horror eſt intendere in eam.*

De dignitate autem huius ſcripturæ, & reuerentia, qui dignum aliquid legere deſiderat, ille librum naturæ legat, non poſſumus hic omnia aſſignare, propoſitum patet, quod merito ob hæc & alia, Scriptura hæc, etiam à ſanctiſſimis, & deuotiſſimis ſtuderi debet. Hoc attenderunt Sancti illi priores, qui tam in ſtudendo, eas fuerunt diligentes, etiam Patres ſancti hęremitæ. qui memoriter eas tenuerunt. Horum amore Chryſ. biennio ſpeluncæ ſe incluſit, quo tempore fermè ſine ſomno degens: vt ſcribitur in nouiter tranſlata legenda, didicit ſcripturas, eas memoriæ commendans Sic mira de Patrum illorum ſtudioſitate leguntur; adeo vt quidam illorum, neſcio quantas myriades expoſitionum ſuper Scripturas legiſſe commemoratur. Sic, & de beatiſſimo illo Hilarione, Hieronymus ſcribit, quod Scripturas memoria retinens, eas poſt orationem, & Pſalmos, quaſi Deo præſente recitabat, quod de pluribus legitur Patrum, & à nonnullis temporibus, noſtris Religioſis obſeruari nouimus. Et quid opus eſt diſcurrere per ſingulos? pro regula apud eos habebatur, nullo remedio melius vagos cogitatus poſſe reſtringi, vana alloquia vitari, animamque incitari ad omne bonum; niſi iugi meditatione legis Diuinæ, ſicut
Pſal. 1. ſcribitur in primo Pſal. Qui legit vitas, inſtituta, collationeſq; Patrum, videbit vera eſſe quæ dicimus. Non ergo oro his meliores: Imò deteriores, ſint deuotarij noſtri æui, vt nolint animum dare Scripturis. Poſſemus hic aſſignare plurima in genere, de ſacræ Scripturæ neceſſitate, qualitate, ortu, progreſſu, ſtatu, & modo procedendi, vario intellectu, & ſenſu, & de generalibus regulis Scripturarum; ſed vetemur ſi illa commemorauerimus, ne magis iudicemur illuſtrare intellectum, quam fouere
Pſ. 118. affectum; quamquam apud rectè videntes, ignita ſint omnia eloquia Scripturæ: Volumus tamen, vt breuiores ſimus, intermittere iſta, remittendo ad Didaſcalicon Hugonis, qui egregiſſimè de his agit. Itemque ad Henricum de Haſſia ſuper initio Bibliæ, qui multa tradit ſin-
VI gularia, & ſcitu digniſſima. Hoc monentes vnum, vt *quantumuis profeciſſe ſe aliquis viderit, ſciat plura reſtare:* Tanta eſt enim plenitudo Scripturę huius, quòd nec minima littera, taceo de verbis ſingulis, & ordine verborum (vt dicit Hieronymus de optimo genere interpretandi ſi bene memini:) Imò ſi Domino IESV Matth creditur, nec apex vnus, ſuis prægnantiſſimis myſteriis vacet; ſaltem in originali lingua Hebręa, ſcilicet & Græca. Patet hoc in Hebraico, vbi peruigili, & perpetua conſuetudine, idem verbum diuerſis locis poſitum, tametſi in eadem ſignificatione ſumptum, non tamen eiſdem punctuationibus, & litteris ſcribitur, nec eodem ſono ſæpè profertur. Quæ itidem tam crebro, ſicut memini mihi oſtenſum in libris Hebræorum, inter continua verba. Vtpote inter ſuppoſitum & appoſitum: Itemque inter adiectiuum & ſubſtantiuum: Inter verbum & aduerbium: Inter præpoſitionem & ſuum caſuale, longum ſpacium vacuum, duorum, aut trium verborum capax interponitur. Et hæc intercapedo, vt teſtantur eius linguæ periti, nuſquam gentium, aut locorum commutatur. Quare hoc aiunt illi? niſi quia abditum aliquid latet, velut theſaurus in tempore belli reconditus, nouiſſimis temporibus contra Antichriſtum per Enoc, & Heliam detegendus. Interim autem verba ſunt, quæ non licet homini loqui. Iure ergo profiteri poteſt, omnis huic ſcripturæ ſtudioſus cum Auguſtin. *Cum conſummauerit* 2. Cor. 1 *tunc incipiet.*

MEMBRVM III.

Quomodo ſe quis affectuoſius poteſt exercere in Scripturis.

CAVSABVNTVR forſan aliqui minus inge- VII nioſi, memoriæ fragilitatem, intelligentiæ tenuitatem, ideoque non poſſe ſcripturas memoriter tenere, nec affectum mercari ex eis: Meliuſq; ſe habere cum aſpirauerint in Deum. Condeſcendendum eſt iſtis, & ſtudium eorum collaudandum, melius neſciſſe Scripturas, quam ſpiritum extinxiſſe, & affectum. Abſit, vt tam optimorum ſtudiorum occaſionem tollere velimus, vt tanta Sanctiſſimi amoris officia, & officioſa ſacrificia, ſubdere ſcripturis, quibus conſtituuntur Deo amici, cum cætera non ita exigantur. Ea etenim nobis interim in via conditio, vt cum non poſſimus ſimul omnia præſtare, quæ ad neceſſitatem; licet dum maiora præſtamus, à minoribus interim excuſemur. Qui igitur Scripturis ipſis intendere non valet, licet earum apprehendat finem: Finis autem ſcientię huius eſt, vt per ipſam ipſe ſtudens feratur in amorem ipſius cogniti obiecti; ſcilicet Dei. Vnde amplius finis præcepti charitas, Cui quadrat Auguſt. dicens. Sed fortè, non vacat tibi tranſcurrere per omnes libros, tene in corde charitatem, & conſecutus eris omne, quod habetur in Diuino codice. Vnde & omnis ſtudioſus illos debet ex ea elicere ſenſus, quibus illuminatur intellectus, fide & inflammatur affectus, duplici charitate, & quibus ſtabiliatur animus in ſpe vitæ æternæ.

Charitas enim ſcripturarum, cardo in quem qui non omnia refert, contumeliam ſcripturæ facit,

VIII facit, & eius authoris prout dicit Guiliel. Pariſienſ. propter quinque,

Dat vanam, ſterilem, turpem, ſtultam, iniurioſam.

PRIMO, facit eam vanam inanemque, ab eo quod potiſſimum continere debet, ſcilicet amorem & gloriam Authoris. SECVNDO ſterilem facit à fructu, qui eſt remuneratio vitæ æternæ. TERTIO deformem finem eius detruncans, cum præcipua pulchritudo in fine conſiſtat: quemadmodum ſi Pauo cauda priuetur. QVARTO ſtultam eam facit, quo ad ſeipſum, dum magis ſtultus quam ſapiens efficitur ex ea. QVINTO iniurioſam & contumelioſam Creatori, dum illam gloriæ ſuæ inaniſſimę applicant ſcientiæ exemplum gloriam venantes. Et quia ita abuti contingit Scripturis, imo multi Sancti parum curauere de eis, in finem ſolum charitatis omnia ſtudia conferentes, quo non abuti contingit. Certè ſi charitatem, & ſpiritum charitatis habuerint, de omnibus edocebuntur. Verè ergo de omnibus Spiritus docet quē implet charitate: Ad illam ergo per Scripturas contendamus, & ſufficiet nobis. Pro affectu ex *Io. 14.* Scripturis eliciendo, plurimum valent exercitia quædam piorum: Qui vident ſingulas litteras, quaſi amoris ſcedulas, ſibi à ſponſo Deo demiſſas: Aut quaſi verba commiſcent cum *Cant. 2.* ſponſo poſt parietem ſtante; aut interprete medio, aut certè munere litterarum. O qui his modis ad ſacros libros accedit, qui ſic affectus acceſſerit, quaſi cum Domino, vt Ambroſius ait locuturus, non expers manebit affectus. In lætitia, & in iubilo audiet ſuſurrium, & vocem Dei in corde, & ergo cum magno affectu & reuerentia, ad ſacra ſtudia accedendum eſt: vt fecit Auguſtinus, videlicet 11. confeſ. Sic ergo ſuas merces comparant hic affectuoſi.

MEMBRVM III.

Pro ſpeculatiuo.

NVNC poſtremo oſtendendum eſſet, quomodo ſe hic habet ſpeculatiuus, quo contempletur Deum: Sed nolumus eſſe lectori noſtra prolixitate graues. Qui hoc ſcire deſiderat ille tractatum Bonauenturæ de Artium reductione ad Diuina legat. Et videbit quomodo in ſingulis artibus, non ſolum litteris Diuinis, relucent manifeſtiſſima veſtigia Diuinitatis, Vnitatis, ſimul & Trinitatis: quemadmodum pulcherrimè de ſingulis ſcientiis, imò & ſcientiarum ſpeciebus ille deducit. Et ſic eſt huius regionis finis & modus.

De regione Eccleſiaſtica, priori annexa eadem feria, ſcilicet quarta habenda, & primo de incitamentis ad eius ingreſſum.

CAPVT II. I

VEnite aſcendamus ad domum Dei. Iſa. 2. *Venite egrediamur in agrum, videamus ſi* florum præcedenti regioni, annexa eſt pro ampliori affectu, regio hæc eccleſiaſticalis, quantum Bernardus, reſtringens ad affectuoſiora vocat regionem, vel paradiſum clauſtralem, eius videbimus rationem: Sed nos pro materia latiori diximus eccleſiaſticam iſtam, ad cuius ingreſſum plura poſſunt inductiua adduci, ſcilicet,

Exemplum, ſcriptum, ſuaſum, latum, bona multa. *Cant. 6.*

PRIMO exemplum ſponſæ in hortum & agrum euntis: Imò & ſponſi ipſius, qui deſcendit ſæpè lilia colligere ex eo. SECVNDO quia ſæpè ad hoc monet Scriptura; vt patet. TERTIO, quia ſuadet hoc Sanctorum doctrina, præſertim Bernardus, & ſanctus Vincentius in inſtructorio ſuo. QVARTO, quia hoc iocundum, quare eam paradiſum dixit Bernardus, Gaudioſum enim glorioſam cernere ciuitatem Dei. POSTREMO quia valde commodoſum, quia latet in hac regione (ait Bernardus) fœcunda fertilitas pretioſarum mercium, vt illuminatio intellectus, inflammatio affectus, incitatio virtutis, & excitatio ad omne bonum; libenter ergo ingrediamur eam.

MEMBRVM I.

De conſiderabilibus à ſtudioſo.

LAta eſt regio iſta, & multas in ſe dietas II continens conſiderationum: In qua etiam inuenire poterit ſtudioſior aut curioſus, quomodo intellectum exercitet; deuotus quomodo affectum inflammet; perfectus item quomodo ſubleuetur ad contemplandum Deum. Nam ſtudioſus poteſt conſiderare iſta: Ipſius, ſcilicet Eccleſiæ, & eccleſiaſticarum rerum ſublimitatem, & decentiam: Item eccleſiaſtici decurſus hiſtoriam, & qualitatem, & huiuſmodi multa, quæ conſiderationibus ſunt plena.

NAM primo de Eccleſia ſecundum ſe, poteſt conſiderare eius diuiſionem; diuerſam nominationem; & ædificationis rationem; & modificationem; ædificij myſteria, & diſpoſitionem; eccleſiæ, & altarium conſecrationem; & eius modum, & rationem; Eccleſiaſticæ libertatis immunitatem, violationem, & venerationem, de quibus qui aliqua ſcire volet, Doctorum ſcripta, Diuini officij rationalia, & huiuſmodi inquirat, Sic etiam plura ſe offerunt conſideranda de Eccleſiæ ornatu, Puta de Eccleſiæ picturis, & ornamentis, de congruitate miniſteriorum, & eccleſiaſticis ordinibus, de veſtium eccleſiaſticarum condecentia, ortu, & myſteriis, de Sacramentis, ſacramentalibus, & aliis ritibus eccleſiaſticis, de Diuinorum officiorum congruentia, & Eccleſiæ documentis. Ecce hæc, & huiuſmodi multa ſe offerunt hic ſtudioſo conſideranda, de quibus paſſim poteſt repetire inter Doctorum ſcripta. Nec debet aliquis hæc parua dicere, & vilipendere, quia turpe nimis eſt, præſertim eccleſiaſtico viro, hæc ignorare: Imò tenetur ad hæc

ſcienda

Digitized by Google

ſcienda ſtudium dare, Alioquin (ait Durandus) debet de eorum ignorantia, in nouiſſimo ratio-
Malac. 2. nem dare: *Labia enim ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam* &c. Alioquin ſimiles ſunt iumentis, onera ad aliorum vſum portantibus, & nuces in ore tenentibus, ſed ad dulcedinem cœli non attingentibus, eo quod intelligentiæ, & conſiderationis dentibus eam non frangunt. Imò dicit Auguſtinus Sacerdotis eſſe, nôſſe rationē eorum quæ in Eccleſia fiunt. Cæco enim tem-
2. Reg. 5. pli ingreſſus eſt vetitus, nec ad Sacerdotium in
Leuit. 21. lege veteri poterat admitti: Et quis cæcus niſi ignorans Sacerdos aut eccleſiaſticus?

SECVNDO principaliter habet ſtudioſus attendere, & ſecum meditari eccleſiaſtici decurſus hiſtoriam, & qualitatem: Quomodo, ſcilicet ab Abel iuſto inceperit; quomodo perſtiterit; quantis tribulationibus agitata fuerit: quomodo item inter medias tribulationes ſuccreuerit magis &c. Et pro his ſciendis, conuenit eccleſiaſticas hiſtorias, & chronicas vidiſſe. Quarum ſtudium, licet aliquibus videatur inane, & nullius deuotionis promotiuum; ſecus tamen ſentiunt deuoti experti.

MEMBRVM II.

De meditabilibus à deuotis pro affectu aſſumendis.

III SED IAM quę *deuotus* hic conſiderare habet videamus: Et certè huic etiam lata hæc meditandi, & vtiliter exercitandi materia datur. Nam poteſt hic oculo deuotè meditationis,

Videre { Eccleſiaſticorum ſtatuum diuerſitatē, Priorum Sanctorum exēplaritatem, Sui ordinis, & propoſiti, originem, & qualitatem.

Ex quibus omnibus, & ſingulis, poteſt elicere affectus caliditatem.

Cerne ſtatus, Patres, Sanctos cernas ſpeciales.

§. 1. *Eccleſiaſticorum ſtatuum diuerſitas.*

PRIMO igitur poteſt exire in agrum eccleſiaſticum, & videre diuiſiones gratiarum &c. ab vno ſpiritu; & multiplicem eius ſtatum:
Pſ. 44. Et videbit quod regina ſit Eccleſia, varietate circundata: In variis locis, per varia tempora, & ætates, ſecundum varios ſtatus diffuſa: Et quidem ſtatus hi multipliciter diuidi poſſunt, In ſæcularem, & ſpiritualem: velut gladij duo.
Luc. 21. Aut ſecundum quòd Chriſtus varios oſtendit ſtatus,

Luc. 16.	Coniugatorum,	quē Chriſtus	Rectificauit.	*Quicunque dimiſerit vxorē.*
Matth. 5.	Clericorum,		Cōpleuit.	*Niſi abundauerit iuſtitia.*
Mat. 19.	Religioſorum,		Specificauit.	*Si perfectus vis eſſe.*
Io. 21.	Prælatorum.		Firm[illegible]uit.	*Paſce oues meas.*

Aut generaliter diuidi poteſt, ſecundum tres illos viros, Iob, Daniel, & Noe. Et ſic aliqui ſunt. Ij autem ſtatus varij, ſunt velut vnius cor-
Epheſ. 5. poris membra, diuerſa officia habentia: Non tamen excellentiora membra contemnunt inferiora: ſed diligunt, & fouent ea, quia ſunt eis neceſſaria, & quodq; ſuo officio contentum, alteri condolet, aut congratulatur. Quæ varietas, vt dicunt, in Eccleſia decuit propter iſta: vt ſcilicet noui teſtamenti ſtatus, veteri correſpondeat, vbi diuerſi populi ſub cultu erant vnius Dei. *Item* vt ethnicos pręcedant, quia ibi ſtatus diuiſi erant: *Item* vt integrum corpus conſur- 1. Theſ.
gat, & pulchritudo domus, in varietate, & ordine appareat. Et Eccleſia ad operationes expedita ſit.

Reſpondens præcat, perfecta, decor, facilis ſit.

ECCE in ſingulis ſtatibus: Et in ſub eis contentis, affectuoſus multipliciter, & vtiliter nego- IV
ciari poteſt. PRIMO qualitatem ſtatuum horum aſpiciendo, & in proſperis, vbi ſanos illos conſpexerit, cōgratulando, & Deum inde laudando: Nam, & ſic pręcipuè particeps fiet omnium. SECVNDO vbi eos deformatos viderit, ingemiſcendo, & pro reformatione horum Deum intimius orando: Nam & ita plus proficere poterit in ſolitudine, quam publice prædicando, vt Gerſon declarat. Ergo quidam pro exercitio deuotiſſimo iſtud habent, quemadmodum tradidit quidam deuotus Carthuſianus & tetigimus inter exercitia feſti, vel Dominici diei.

TERTIO poteſt hos ſtatus attendere pro aliorum informatione, aut pro mentis ſuę conſolatione, & ſecurioris ſtatus concluſione, gratias agendo, quod ad talem ſit vocatus, & alios ad talem ducere nitendo. Et ſic videtur Iacobus Carthuſianus in de ſecuriori via: ſpeculam, vt ait ſuperaſcendens, varios ſtatus modoſq; in eis viuendi aſpexiſſe, & ſecuriorem concluſiſſe: vt patet in eius libello. Et de hac ſpecie meditationis dicit Petrus de Alliaco, quod valde expedit conſiderare ſolos ſtatus, operaq; omnia tam malorum quam bonorum: vt inde eliciat quid imitari quidve vitare expediat: Vt de bonis gratias agat, ex malis ſe corrigat, & pro eis oret. Meditetur ſingulorum bona, ad imitationis cumulationem, ad Dei laudem, & gratiarum actionem: Mala vero ad ſuam eruditionem, eorum emendationem, & compaſſionem. Hęc ille in ſpeculo conſiderationis.

§. 2. *De ſanctorum Patrum exemplaritate.*

SECVNDO hic *deuotus* conſiderare habet V
Sanctorum exemplaritatem: puta Apoſtolorum, & Sanctorum primitiuorum, vt hoc ſanctus Vincentius docet, de quibus latiſſima materia contexi poteſt. Ad quod valet legere illorum geſta, & vitas, pro vt hoc ſuadet Guilielmus Pariſienſis: Religioſi etiam, pręſertim ad religioſos priorum temporum, ad eremos ſanctorum Patrum diuertere debent, & illic mente vagari, & illorum conuerſationem, doctrinam, & exempla, mentis oculo conſiderare; quemadmodum docet beatiſſimus Bernardus dicens, ingrediendum Paradiſum, clauſtralem regionem, viſu pulchram, diſciplinę vallo munitam, in qua fœcunditas pretioſarum mercium latet. Glorioſa res, homines vnius moris Pſ. 67.
habitare in domo, bonum, & iocundum habi- Pſ. 132.
tare fratres in vnum. Hic, ait, videre eſt illum peccata deflentem: Alium in Dei laudibus exultantem: Alium in actiua laborantem: Alium

contem-

Digitized by Google

contemplatiuæ vacantem? Ita quod de his nil verius dici poſſet, quam *caſtra Dei ſunt hæc.* Et,
Gen. 32. *quam terribilis eſt locus iſte. Non eſt hic aliud* &c. Hic igitur (Bernardus ait) Hic perambula virtutes cohabitantium in domo Domini virtutum, & fac inde ſarcinam tuam, formam viuendi, &c. Hæc ille. Sic de beatiſſimo Antonio narrat beatus Athanaſius, Quod omnium, ad quos pergebat, proprias ſingulorum gratias hauriebat; huius continentiam, illius iocunditatem ſectabatur; iſtius lenitatem, illius vigilantiam, alterius legendi æmulabatur induſtriam; iſtum ieiunantem, illum humi quieſcentem imitabatur; alterius patientiam, alterius manſuetudinem prædicabat. Ac ſi vniuerſarum virtutum partibus irrigatus, ad ſedem propriam reuertebatur: Ibi ſecum vniuerſa pertractans, omnium in ſe bona nitebatur exprimere. Hic vitæ canon, ſingulis cænobitis eſt vtilis, vt proficiant mutuo, qui conuerſantur mutuo. Sectentur apem melleam, non araneam tabidam, quæ liquorem lethiferum ſugit inde ex quo illa ſapidum. O ſectemur precor, ô fratres hunc virum, & Monachici gregis Monarcham, eius exemplo decurramus vel mente, in Ægyptiacas ſolitudines, inq; cætera heremi deſerta, intueamur piis oculis cordis agmina illa Sanctorum, quæ diligenter inſpecta, non poſſunt non excitare feruorem. Intueamur ſolitudinem Pauli, certamina Antonij, ſimplicitatem alterius Pauli, patientiam Eulalij, lapidem triennio in ore geſtatum Agatonis viri deuotiſſimi: cæteraque caſtra Dei, excubiaſque vigilum eius, & certè erunt nobis velut beatiſſimo Auguſtino eorum exempla *deſolatorij carbones*, omne exurentes vitium, incaleſcentes item in mirum deuotionis feruorem; inq; omne (Hieronymo teſte) bonum. O qui ſe hic exercitare volet, ille deuotiſſimam, pariter, & ampliſſimam ſibi materiam propoſitam habet; ſed, & mundiſſimam nimis: Ita quod in omni triſtitia poſitus homo, ſi hanc regionem ingreſſus fuerit, optimum animæ ſolamen, velut ex Paradiſo deliciarum Dei reputabit.

Pſ. 119.

At, vt paucis nos expediamus, nihilominus materiam aliis ſubminiſtrantes, dicimus quòd trifaria circa hos Patres conſideratio haberi poterit:

VI

Nam { Primo poterunt conſiderari horum vitæ geſta,
Secundo horum vitæ modus & inſtituta,
Tertio horum doctrina, verba ſcilicet, & dicta. }

Quæ tria ſunt verè conſideratu digniſſima. Et ad hoc valent; Imò hic comprehenduntur libri illi, meritò ab omnibus religioſis complectendi, & familiariter habendi, Vita Patrum, Inſtituta, & Collationes eorundem. In his vera religioſorum forma traditur, & à maximis magni priſtinis temporibus æſtimabantur. O quanti putas faciebat Auguſtinus relatam ſibi Antonij vitam; quam familiariter ſanctus Dominicus, ſibi imbiberit collationes Patrum, & inſtituta; Imò de ſancto doctore Thoma dicitur, quod his pro mentis recollectione, & deuotionis excitatione vti ſolebat. Multa poſſemus hic dicere de Patribus illis ſanctis, poſſemus quaſi fabricare Paradiſum delitiarum, ſub tribus dietis, ex tribus illis libris, ſcilicet Cuiuſque nominatiſſimi Patris ponendo vitam, & geſta, deinde modum habitationis, & inſtituta; demum memoralia eius dicta: ſed hoc relinquimus ſtudioſis, tantum monentes, vt crebro horum memoriam agamus; non enim ſine benedictione erit: Hinc enim (vt de cæteris Eccl. 45. ſileamus bonis) excitabitur in nobis virtutum radix humilitas: Horum enim vitæ inſpectæ omnium noſtrum vitas, peccatum oſtendent; ita, vt iure dixerit Iob, *Reſpicient homines, & dicet peccaui, & verè deliqui, & vt eram dignus non recepi:* hinc eruditio mentis; hinc incitatio feruoris; & innumera alia bona, prout tetigimus de conſideratione Sanctorum ſupra. Iob 33.

Hic deuotus ſuam vitam illorum vitæ conferre habet; Inquirere item diligenter vnde diſtantia tanta: Tantum quippe inter ſe priorum Patrum ſemitæ, & noſtri temporis inertiæ diſtant, quanto lux à tenebris, à nigro album, ab inferioribus ſuperiora, cœleſtia à terrenis. O quantam legimus Patrum fuiſſe gloriam illorum, quod vix eam æſtimare valemus. Verè tunc erant aurea ſæcula, cum homines illi erant aurei, qui vix minori quam Apoſtoli ſignorum gloria clarebant, quibus vita præſens non longè aberat à futura: Hic quaſi corpore ſolo, illic mente demorantes; quibus terrenorum memoria odioſa omnis, nec illis alia, quam de Diuinis, & cæleſtibus meditatio erat, colloquium niſi ſpirituale nullum. Horreo de corporum exercitiis aliquid memorari, vix enim creduntur audita.

§. 3. *De conſideratione ordinis, & Sanctorum eius.*

AD TERTIAM nobis conſiderationem veniendum, quæ eſt de conſideratione originis ordinis, & feruore Sanctorum propoſiti ſui: Nam licet non ſit diſtinctio inter Sanctos, quanquam omnium memoria ſit in benedictione; vehementius tamen afficit ordinis, & VII
propoſiti ſimilitudo. Quare etiam Sanctus Vin- Eccl. 45.
centius prius quam monuit attendere feruorem Apoſtolicorum virorum, adiunxit, etiam debere præcipuè memoriam fieri præteritorum, & priorum Sanctorum ordinis inſtitutorum, vt ſic excitetur, & eis conformetur; Iuxta, quod Dominus monuit attendere Iudæos in Io. 8.
Patrem eorum Abraham, Inq; petram vnde Eſa. 51.
erant exciſi: Et Paulus fideles in fidei ſuæ au- Heb. 13.
thores. Sic ergo ſecundum hanc conſiderationem, quiſque Religioſus in ſuę Religionis authorem primum, & primos Sanctos ordinis, intendere debet. [illegible] enim magis loquentur quid deſit in propoſito ſuſcepto. Nam alioquin Patres vanè appellantur, ſi non attenduntur, ſi non imitantur. Sic ergo Benedictini in ſuum Benedictum proſpicere habent: Sic in Franciſcum ſuum Minores; & Prædicatores Dominicum, vel etiam Auguſt. &c. Hieronymo enim teſte, *Habet vnumquodque propoſitum principes ſuos,*

ſpectan-

ſpectandos, ſcilicet & ſectandos, vt proſequitur dicens: *Romani duces imitentur Camillos, Fabricios, Regulos, & Scipiones, Philoſophi proponant ſibi Pytagoram, Socratem, Platonem, Ariſtotelem; Poeta imitentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium. Hiſtorici Saluſtium, Heradium, Liuium, Oratores Lyſiam, Grachum, Demoſthenem, Tullium. Et, vt ad noſtram inquit veniamus Epiſcopi, & Presbyteri, habeant ad exemplum Apoſtolos, & Apoſtolicos viros, quorum honorem poſſidentes, habere nitantur, & meritum. Nos autem de Monachis loquentes, habeamus propoſiti noſtri principes Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, Macharios.* Hæc ille, Vtique illud monens, ſciens quam ſingulariter afficiant exempla congruentia intento.

HINC eſt, quod tantis ſtudiis Patres illi priores, de ortu, & origine ordinum fecerunt conſcribi, deq; illuſtribus ordinum viris libros; vt, ſcilicet viua exempla, & propoſito congrua haberent ſubſequentes: vt ſi quando dilapſi, in authores reſpicientes, rurſus conformarentur eis, Eſt liber de Carthuſianorum ortu, & progreſſu; ſunt de illuſtribus viris ferè ſingulorum ordinum, & initiis libri multi; habent, & Heremitani triuium ſuum. Sed heù noſter inter hæc ordo, libro de origine, & ortu caret, nuſquam certi quippiam de hoc inuenitur à noſtris deductum; niſi forſan poſterioribus his diebus. Et quoniam aliud iam opus ſeorſum à nobis ſuper his eſt elaboratum, Nihil hic iam mihi agendum, niſi in genere concluſio hæc vnica annotanda, ſcilicet: Quod Canonicæ profeſſionis diſciplina, ſicut cæteras Chriſtianæ religionis obſeruantias antiquitate, ſimul cum dignitate antecellit; ita, & fœcunditate Sanctorum, & illuſtrium virorum, numeroſa vbertate antecedit: Quæ concluſio licet quibuſdam videatur dubia; vera tamen creditur, & probabiliter ſolida, vt latius ibi, quo ad triplicem eius partem eſt deducta. Nam de antiquitate, non ex
VIII incertis authoribus reperimus, Quod ordo Canonicorum regularium, ſub ſanctis Apoſtolis eſt inſtitutus: A beato Marco apud Alexandriam dilatatus: A beato Iacobo Hieroſolymitano, Et Clemente Pontifice Romano, & cæteris Apoſtolicis viris obſeruatus; Ab Vrbano Papa, & inſigni Martyre, decreto reformatus: A ſequacibus, vt puta Silueſtro, Cypriano, & aliis in reformatione zeloſè ſeruatus: Diui Hieronymi epiſtolis informatus: A Patre Auguſtino reſtauratus; Regula decoratus, & ordinatus: Ab eo, & ſub eo, poſtque eum ſeruatus; valde promotus, Iuſſu Gregorij magni, in occidentis partibus ampliatus: Per magnos, & ſanctos dilatatus, conſeruatus, collaudatus, reformatus, & in pręſens vſque, ſub diſciplina ſatis vigente deductus. Cuius ordinis, & habitus, non autem (vt nonnulli falſo aſſeuerant) heremitici, fuit beatiſſimus Pater Auguſtinus. Cuius propoſitionis ſingulæ partes ad liquidum ibi ſunt deductæ, ex ſummorum Pontificum dictis, & authenticis, & ſolidis conciliorum, aut fide dignorum ſcriptis. De ſecunda autem parte concluſionis, id eſt de dignitate Canonici ordinis, palam dicit conſtitutio concilij Aquenſis: Quod euidenti authoritate liquet Canonicam inſtitutionem, cæteris dignitate præſtare inſtitutionibus. Et antiqua regularium inſtituta habent, Sicut antiquitate; ita, & dignitate, Canonicus ordo cæteros antecedit: Nam Monachorum, licet ſit vita prædicabilis, & ſanctiſſima conuerſatio, Non tamen adæquandæ ſunt primis canonicæ vitę inſtitutoribus, Apoſtolis videlicet, & Apoſtolicis viris: Qui, & tanto Sanctorum omnium merita, quamlibet præcelſa fuerint, ſuperant, quanto Sanctorum Sanctos omnes ſanctificanti vicinius appropinquant. De tertia quoque propoſitionis parte, facile cõſtat. Quod & Sanctorum numeroſitate, ordo Canonicus cæteros antecedat, ſi origo ordinis, & dilatatio attendatur: adeo, quod tantus fuerit numerus Sanctorum Canonici ordinis, vt vix ſit numerabilis nobis. Vnde tametſi glorientur Benedictini, & non ad inſipientiam ſibi, De quinque milibus quingentis quinquaginta quinque canonizatis ſui ordinis Sanctis, deq; tam innumeris, numeratis tamen à Ioanne XXXII. prelatis, & viris illuſtribus: Non tamen attingere creduntur ad ſummam Sanctorum Canonici ordinis. Quorum numerus vix putatur numerabilis, quippe multiplicatus ſuper numerum nimis. Ex multis, etiam pars huius propoſitionis, ſtabiliter, & probabiliter ſatis firmatur. Hęc qui ſcire volet librum illum, cui nomen inſcribitur. *Venatorium, ſeu inueſtigatorium Sanctorum Canonici ordinis*, attendat: Vbi, & de habitu ordinis, & aliis eſt proſequutum. In hoc tamen concluditur, non magnum eſſe, magnos habuiſſe Patres; ſed egiſſe magna: Neque gloriandum in multitudine Sanctorum ſed bonorum operum, & meritorum: Illumque eſſe ordinis dignioris, qui vitę fuerit ſanctioris, Et hæc ſufficiat commonuiſſe, ſuper Sanctorum ordinis conſideratione, quæ plurimum vtilis eſt, cuique accommoda, ſi ſequatur noſtra ſequela.

Pſ. 21. Inſignis Ordo.

§. 4. *Conſideratio ſecularium.*

HABENT etiam in hac regione videri facta prauorum, vt nos confundamur, & IX excitemur. *Erubeſce Sydon ait, mare*, id eſt, ſæculares ſpiritali: *Tum quia* illi magis laborant Eſa. 23. placere ſęculo, quam nos Deo, Vt iniquè agerent (dicit Hieronymus) laborauerunt: Et ipſi de ſe aiunt, *Laſſati ſumus in via iniquitatis, ambulauimus vias difficiles:* Et ſic legitur in Vitiſpa- Sap. 5. trum, quod Pelagiam meretricem reſpiciens Epiſcopus ſanctus Nonnus, cum multis lachrymis ad Coepiſcopos dixit, Iſta meretrix confundit, & condemnat nos; Non enim in omni tempore vitę, habui tantam diligentiam ad placendum Deo, quantam iſta habuit, pro placendo mundo.

SECVNDO vita mundanorum confundit vitam ſpiritualium, inquantum ſunt ſollicitiores ad inquirendum diuerſos modos augendi diuitias, quam nos acquirendi virtutes; magis pręcauent temporalia damna, quam nos ſpiritualia, & animæ pericula. Et ideo Dominus dixit, *Prudentiores ſunt filij huius ſæculi* &c. Luc. 16.

TERTIO quia magis dolent de dãnis mũdi, quam

Digitized by Google

quã multi ſpirituales de damnis animæ, quos contra dicit Auguſt. Sciat ſe culpabiliter reum, qui deflet damna amici, & peccata commiſſa
Tren. 2. non deflet. *Deduc ergo quaſi torrentem lachrymas, & non quieſcat pupilla oculi tui.* Item poteſt in eos inſpicere vt ſupra tetigimus, ad eorum malum vitandum, & ad pro eis orandum. Lata eſt ergo hæc regio pro deuoto, cui vndique recurrit materia deuotionis.

MEMBRVM III.

Quomodo, hic ſe quæſtuabit contemplatiuus.

X SED IAM quomodo contemplatiuus, quæ ſibi poterit quęſtuare ad ſpeculandum, videamus. Et certè latiſſima ei materia affertur; Nam poteſt contemplari Eccleſiæ miniſtros, ſtatus, actus, item hierarchicos ex quibus omnibus facilè poterit ſubleuari, ad contemplandam Vnitatem, & Trinitatem Deitatis. Habet in hac regione cõtemplari, quomodo ſicut
Pſ. 132. vnguentum in capite deſcendit in barbam Aaron, deinde in oram veſtimenti; De diffuſione gratiarum, ordine Sacramentorum, bonorum gratiæ gratis datæ. Et earum rerum, quibus innititur fides Eccleſiæ ſanctæ. Similiter etiam de bonis gratiæ gratis datæ, & in aliis bonis, per totum eccleſiaſticum corpus diffuſis. De quibus ſingulis, ſingula capitula ponit in de contemplatione Dionyſius Carthuſianus, de quibus nil prolixius agimus. Ex hac itaque regione ſarcinati regrediamur, & primi meditationem ſanctam reportent; deuotiores formam viuendi, & propoſita noua conſtituant; tertij ad ſuperna ſpectacula rapiantur, vt ſic de regione Eccleſię militantis, tandem ad gloriam perueniamus triumphantis.

DIST. IV. TITVLVS IV.
DE REGIONE MORTALI.

Prologus generalis in quattuor nouiſſima.

Eccl. 7. M*Emorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* QVIA in ſubſequentibus regionibus de nouiſſimis eſt agendum, circa quæ omnium exercitia deuotorum verſari ſolent; Ideo de ipſis in genere eſt aliquid præmittendum: Deinde de ſingulis ſecundum regiones eſt proſequendum: In primis autem, quę, & quot ſint nouiſſima vidẽdum; Et inueniuntur pręſertim quattuor à Sanctis computata, & à Bernardo, & ſequacibus eius, Et ſunt Mors, Iudicium Gehenna, & Gloria. Quid horribilius morte? quid terribilius iudicio? quid intolerabilius gehenna? quid iocundius gloria cæleſti? Quæ quidam ſub verſibus his complexus eſt.

Bis duo ſunt, quæ corde tenus ſub pectore miſi.
Mors mea, iudicium, barathri nox, lux paradiſi.

Habes ergo, quæ, & quot ſunt nouiſſima, Iam inquirendum quare crebro ſunt meditanda: Et vt breuiter nos expediamus, de inductiuis in genere, quoniam ponemus incitamenta de ſingulis in ſpecie: Nota tamen quòd propter hæc crebrius ſunt memoranda.

Ipſa nouiſſima propter plurima ſunt memorãda.
Optatum, ſuaſum, factumq́ꝫ opus, vtile multum.

PRIMO hæc nouiſſima frequenter ſunt ruminanda, quoniam hoc ſingulariter à Deo optatum, vt patet Deut. *Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent.* O nota verba, Deut. 32.
cogita ſuſpirantis illius per *vtinam*, pro tua ſalute miſericordię viſcera, & imple eius deſiderium ſępè reuoluendo nouiſſima.

SECVNDO, quia hoc ſuadetur in Scriptura, & à Sanctis: Scriptura enim ſancta, (vt Vincentius ait) ſuadet locum nouiſſimũ tenere, Tempus nouiſſimum præcauere, vt patet in multis locis ſcripturæ: Nunc generaliter de illis in ge- Luc 14.
nere, nunc ſingulariter de ſingulis in ſpecie mo- Oſee 3.
nendo. Hinc eſt illud Eccl. 28. *Memento nouiſſimorum.* Et Prouer. 19. *Audi conſilium, & ſuſcipe diſciplinam, & eſto ſapiens in nouiſſimis.* Ad idem etiam hortantur Sancti in ſuis doctrinis: vt patet de Bernardo, & aliis.

TERTIO trahet nos Sanctorum exemplum, & factum, qui ſe tam diligẽter in his exercuere: vt eſt de multis videre, de Hieronymo, Gregorio, Bernardo, in meditationibus, & de omni illo fælici choro Patrum Ægyptiorum. Hieronymo, ſemper tuba iudicialis intonuit; Gregorius in omnibus ferè homeliis horum meminit.

QVARTO, quia horum memoria homini, præſertim proficere volenti, eſt neceſſaria: Maximè autem vitioſo & carnali: Non enim alio quopiam lixiuio, tam facilè concupiſcentiarum ſordes delentur, ſicut memoria horum: vt declaratur in *Beatus vir*, & *Homo quidam.* Nam & timor neceſſarius, qui prouenit ex iſtis, quo ſine iuſtificari (ait Sapiens) poterit nemo. Eccl. 1.

POSTREMO, quia vtile eſt exerceri in iſtis; vt patebit de ſingulis. Nam vt dicit quidam, horum memoria à peccatis reuocat, virtutibus copulat, & in omni bono opere retinet & confirmat: Ita quod in prouiſione nouiſſimorum, conſiſtit & totius vitæ præteritæ erratorum correctio, & periculorum futurorum euaſio, & omnium neceſſariorum ad ſalutem ſufficiens procuratio. Cum igitur tanta ſint ad horum memoriam inductiua, libenter & frequenter cogitemus iſta, egrediamur à torpore & deſidia, Ingrediamur in regiones ſequentes, per deuota meditabilia, quorum aliquot de ſingulis iam ſunt annotanda.

De regione Mortis, ſiue mortali.

MEmor eſto, quoniam mors non tardabit. Eccl. 14.
Eccl. 14. PRIMVM nouiſſimorum, cuius memoria plurimum religioſo eſt congrua, ſiue regio quarta, eſt Mors ipſa, vel regio mortalis, quæ crebrius eſt à deuotis frequentanda, propter inductiua generalia pręmiſſa. Aut etiam quia mortis meditatio aſſidua, ſumma eſt Philoſophia, plurimum vtilis, & neceſſaria. Nam de primo Sapiens ille Plato teſtatur, quod

ſumma ſapientia eſt meditatio mortis aſſidua.

QVOD etiam mortis memoria multum vtilis ſit, & commodoſa, Sapiens innuit Eccli. 7. cum dixit, *Melius eſt ire ad domum luctus*; ſcilicet ſuper mortuo, *quàm ad domum conuiuij*, in illa enim, &c. Et verè melius, quoniam multiplex, ex huiuſmodi meditatione conſequitur fructus,

Mors memorata bona, tibi conferet hæc recitanda.
Hinc timor, excutiens, reuocat, dolet, ardua tentat.
Contemnens, reprobat, caro languet, vitaque largus.
Aſt humilis, gaudens, fugitans mala gaudia, ſperans.

PRIMO ergo mortis meditatio *timorem incutit*: Non eſt enim ait Vincentius tam prophanus, tam inſanus, inſenſibilis aut tam miſerabilis, qui non vehementer horreret, ſi diligenter, & intentè perſpiceret, & in corde ſuo profundius ruminaret, quod morietur, & neſcit vbi, quando, vel quomodo, quot, quando, tot dolores prement, tot circundabunt anguſtiæ; & nullus, qui poterit ſubuenire. Iurè timendus eſt tranſitus periculoſus; vbi non poſſet homo euadere, quin aliquod membrum amitteret, quantumuis ſollicitè præcaueret.

SECVNDO, torporem, *& ſegnitiem excutit*: Eſt enim velut ſtimulus aſinum pungens, & calcar laſciuum, & dyſcolum vrgens equum. Et ideo Eccleſiaſticus dicit, *Quodcunque poteſt manus tua inſtanter operare.* Vnde & hanc memoriam mortis iuſſit haberi Bernardus pro acidiæ expulſione; Et verè qui vltimum momẽtum ſe ſemper habere putaret, puto quod feruentius Deo ſeruiret. Hinc quidam ſe excutere volens, ſibi ſemper dixit, Ecce hęc vltima eſt hora, cras enim moriemur: O tentemus, & feruorem ſentiemus. (Eccl. 9.)

TERTIO, *à peccato reuocat*: Et idcirco Sapiens dixit, *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis*, id eſt, vix vnquam: Et iure peccatum horreſcit, qui de morte cogitat; quoniam illam propter peccatum inductam nouit. Hinc Abbas quidam, memor eſto ſemper exitus tui, & non erit delictum in anima tua. (Eccl 7.)

QVARTO, dolet, id eſt, ad *pœnitentiam agendam prouocat*, ſicut patet apud Ionam de Niniuitis, qui pœnitentiam egerunt ad comminationem mortis. Et de Ioanne Baptiſta prædicante; & de Ezechia, qui audito verbo, *Morieris*, fleuit. Patet hoc in multis exemplis, quæ narrantur à diuerſis. Et ideo Effrem hortatur: Obſecro vos amici, vigilate, & in hac vltima hora pœnitentiam agite, quam ſi neglexerimus, nil habemus quo nos excuſemus. Impoſſibile enim eſt, quod non pœniteret; qui ſemper mortem adeſſe conſpiceret. (Iona 3. Luc. 3. Eſa. 38.)

QVINTO, ardua tentat, id eſt, *valet ad ardua opera aggredienda*. Dicit enim Gregorius: *Valde ſollicitat ſe in bono opere, qui ſemper cogitat de extremo fine.* Et ideo Patres heremicolæ, vt Clymacus narrat, fecerunt tam ardua, quia ſemper erat mors eorum animis antepoſita.

SEXTO, *mundi contemptum generat*: Ait enim Hieronymus: Si quis memoratur vitæ vltima, vtique facilè reſpuit cuncta, quæ ſunt in terra. Ponit de hoc Vincẽtius exempla multa. Nihil enim æquè tibi (ait Seneca) proficiet ad temperantiam omnium rerum, ſicut frequens cogitatio mortis.

SEPTIMO, reprobat opera vanitatis; ita vt dicat illud Eccli. *Riſum reputaui errorem*; Nil enim in eis ſtabile videt. Iuxta illud, Quod fuit, eſt, & erit. (Eccl. 2.)

OCTAVO, *carnis feruor deprimitur*, & tentatio vincitur. Gregorius, *Nihil adeo valet ad edomanda carnis deſideria, quàm cogitare qualis mors ſit futura.* Et ſic quidam heremita ſaniem ſubtexit à quadam muliere mortua, & ſic vicit carnis incentiua. *Cum igitur* (ait Gregorius) *culpa animum tentat, neceſſe eſt, vt breuitatem ſuæ delectationis aſpiciat, ne ad viuacem mortem iniquitas rapiat.*

NONO, *dirigitur vita præſens*; Nam ſicut in ſingulis artificiis finis præſtituitur, & ad eum opus dirigitur; ſic agit, qui de morte meditatur; Vnde eſt ad modum nauigantis, qui regendo nauem in fine ſe ponit; & ad modum iumẽti, quod cauda ſe defendit; Et auis, quę volando cauda ſe regit.

DECIMO, *ad largitatem prouocat*, vnde Alexander cum moreretur, regnum diuiſit; & multi ſua reliquerunt, Ait enim Ambroſius, Non ſunt hominis bona, quæ ſecum portare non poteſt, ſola autem *miſericordia eſt comes defunctorum.*

VNDECIMO, homo humiliatur; Vnde antiqui humiliare ſe volentes, cinerem ſuperponebant capitibus, in memoriam mortalitatis, ſibi dicentes: *Quis ſuperbis terra & cinis?* Nam qui ritè cogitaret, qualis in morte futurus eſſet, nunquam ſuperbiret, vt latè in nouiſſimis ſuis Dionyſius Carthuſianus declarat.

DVODECIMO, animus iuſtorum ex huius meditatione gratulatur, ſciens mortem nil eſſe, niſi ianuam vitæ, initium refrigerij, ſcalam aſcenſionis in cœlum: vt Bernardus ait. Nam, (vt Plato in Phedone dixit) Vir in Philoſophia ducens vitam, confidit, ſi mori debeat maximis ire fretum bonis.

DECIMOTERTIO, multa mala euaduntur, & ſupplicium euitatur æternum, cuius iſta mors non eſt niſi vmbra, vt dicitur in legenda ſancti Andreę. Qui autem huius ſollicitè memoratur, ad illam ſe diſponere nititur, & conatur.

POSTREMO, valet ad æternæ vitæ deſiderium accendendnm, cuius ipſa eſt introitus, iuxta illud Iob cap. 3. *Quaſi effodientes theſaurum, vehementer gaudent cum inuenerint ſepulchrum*; Adeo vt dicant illud Eccli. c. 41. *O mors quam bonum eſt iudicium tuum*; Vt plenius infra dicetur. Patet ergo ex dictis, quam vtilis ſit meditatio mortis. Vnde ideo epiſcopus Theophilus moriens dixit, Beatus es abba Arſeni, qui ſemper ante oculos hanc horam habuiſti.

SED has vtilitates, qui ex mortis memoria aſſequi volet, oportet, vt non perfunctoriè, aut rarius hanc agat; ſed vt iugiter memoretur, & ſæpe; Vt attẽtè, omnes circũſtantias ſcrutetur; vt ſupra in meditatione eſt doctum. Et, vt trãſ-

eat in effectum, exercitio aliquo corporali, vt legitur de multis quemadmodum, & docuit Bernardus: Ire ſc. ad mortuorum tumulos, & requieſcere meditatione ſuper illos; ſemperq; dicet ſibi, Si modo moriturus eſſes frater, faceres ne iſtud? Nemo enim (vt quidam dixit Patrum) præſentem diem piè tranſire, & exequi poteſt, niſi ęſtimet eam eſſe vltimam, & extremam diem totius vitæ ſuæ. Qui autem plura de effectibus efficacis meditationis mortis noſſe volet, nouiſſima Dionyſij; Et præſertim Ioa. Clymachum legat in ſexto gradu climacis; Vbi miros effectus efficacis memoriæ mortis recenſet.

Simile. POSTREMO, quam neceſſaria ſit præſertim Religioſo iſta memoria mortis, idem Clymachus indicat, vbi ſupra dicēs, Quemadmodū panis eſt neceſſarius magis omnibus elementis. ita intenta meditatio mortis & Dei, præ omnibus operationibus; Ita vt hac ſine, vix poterit ſaluari quiſquam, Sapiente dicente, *Sine timore iuſtificatur nullus*, qui cauſatur ex iſta, &c. Eccl. 1. Vis igitur ſummo Philoſophiæ genere philoſophari? præmemoratos guſtare fructus, ſtabilemque operari ſalutem? age huius memoria non recedat à corde. Et licet omnibus ſit neceſſaria, & vtilis memoria iſta; potiſſimum tamen congruit nouellis plantationibus Dei, nouitiis in religione, qui initiari habent à timore, Prou. 1. vt dicit Bernardus: Quomodo enim quomodo torpeſcere poterit, qui ſemper vltimum ſibi momentum conceſſum eſſe dignoſcit? Poſſent hic plura exempla aſſignari; ſed volumus legentes in exemplorum libris exercitari. Vnde remittimus ad illos. Nos regionem hanc peragraturi.

De Conſideratione mortis.

CAP. I.

II

LATISSIMA eſt etiam regio iſta mortalis latam contemplandi materiam prębens ingredientibus in eam, ſecundum quod multiplex mors reperitur. Hinc quidam,

Sunt mortes quinæ, nam vita ſunt totidemque
Naturæ, culpæ, pœnæ, mors, grataque raptus.

Quinque hæ diſtinctiones mortis, ſunt velut quinque magnæ dietæ huius regionis; Nam in ſingulis multa ſe offert materia meditationis; Sed quia de morte naturali principalius eſt tractandum, de cæteris nil, niſi parum eſt dicendum. Et ſumuntur hæ mortes ſecundum quintuplicem vitam, ſecundum quod quinque in nobis ſunt, quæ viuere poſſunt, & mori: Nam corpus moritur deſertum ab anima morte naturæ; Anima moritur *temporaliter*, priuata gratia morte culpæ; Etiam moritur *ſpiritualiter*, in perpetuum ſeparata à Deo eius vita, morte gehennæ; moritur ſenſualitas, mundi concupiſcētiis priuata, infuſa gratia; moritur ſpiritus, id eſt ſuperior vis animæ, morte raptus, ab imaginibus ſenſuum ſeparatus. Sed paucis de ſingulis mortibus, & in tranſitu tangamus. Quiſquis mortem naturæ, de qua poſt agetur, ſecurè excipere volet: ille mortem culpæ declinare debet; mortem gehennæ formidare; & mortem gratiæ, & raptus optare, &c. Mors culpæ eſt duplex; ſcilicet, & *originalis*, vbi eſt priuatio gratiæ, qua omnes moriuntur, qui de muliere (Chriſto, & virgine matre exceptis) concipiuntur: Alia eſt mors *culpa actualis* qua homo ſeipſum actuali malitia occidit, & gratia ſe priuat. Sap. 16. Dicit enim Sap. *Per malitiam occidit homo animam ſuam.* De cuius mortis ſignis, progreſſu, effectu, multa dicit Antoninus, & in Sermone pulchrè declarat Auguſtinus.

III

Porro de MORTE POENÆ, vel gehennali, hic nil dicimus, quoniam poſt de ea infra agemus; niſi quod valde debemus eam formidare: Nam hæc eſt illa *mors peccatorum peſſima*, de Eſa 33. qua in alio loco: *Sicut oues in inferno poſiti* Pſa 48. *ſunt, mors depaſcet eos.* O miſeri ſic morientes: Apoc. 2. Sed beati illi nimium, qui partem habent in reſurrectione prima, quoniam non lædentur à morte ſecunda.

IV

TERTIA eſt mors, qua per gratiam morimur, quam debemus optare, & eſt, qua mundi Coloſ. 4. delectabilibus diſcretè ſe quis priuat, & mori- Coloſ. 3. tur mundo, iuxta illud Pauli, *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Ad quam etiam hortatur dicens, *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram*, qua moriuntur qui paſſiones animæ necant, & qui in Monaſteriis bene viuunt: Vnde & mortui ciuiliter dicuntur, & ſæculares viui, quanquam ſęcularis eſt verè mortuus, & bonus clauſtralis verè viuens. Nam malo ſæculari dicitur Apoc. 3. *Nomen habes quo viuas, & mortuus es*: De San- 2. Cor. 6. ctis autem Apoſt. *Quaſi morientes, & ecce viui-* Rom. 6. *mus.* Mortui enim ſunt peccato, viuentes tamē in Chriſto Deo, de quorum morte Bernardus ait, *Bona mors, quæ vitam non aufert, ſed mutat in melius, per quam corpus non cadit, ſed anima ſubleuatur.* Eccl. 7. Neceſſe eſt enim, vt in via moriamur vitiis: vt melior ſit dies mortis, die natiuitatis. Moriamur ergo interim peccato, ſi viuere deſideramus in Chriſto.

POSTREMO autem mors, quæ dicitur raptus, eſt mors ſpiritus, id eſt portionis ſuperioris, qua anima funditus priuatur imaginibus delectabilibus carnis, & ſoli Deo viuit: de qua Gal. 2. Apoſtolus *Viuo ego, iam non ego.* Qua morte Act. 9. Paulus, & Moyſes in raptu circundati fuere, & Exo. 34. multi contemplatiui, quaſi mortui in contemplatione obriguere. De qua morte venerabiliter ſilemus, quoniam nil de ea, niſi velut cæcus inexpertus de coloribus, dicere poſſumus. Hoc Apoc. 14. vnum dicimus, quod nimium beati mortui iſti qui in Domino ſic moriuntur, quibus dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis: Ad quam qui attingere curat, oportet, vt ante moriatur morte gratiæ. Hæc de varia morte tetigimus. Poſſet autem hic adduci liber Gerſonis de vita ſpiritualis animæ quadruplici, & morte totidem ſumpta, ſed ad mortem naturæ accelerandum nobis.

Circa mortem autem naturæ de qua ſpecialius agendum, lata ſe materia offert, plurimaque circa eam conſideranda: ſed pluribus omiſſis, ponemus noſtro more,

Digitized by Google

Primo, Secundo, Tertio, } quędam { Meditabilia, & intellectiua pro ſtudioſis. Compunctiua de morte pro affectuoſis. Diſpoſitiua ad mortem pro omnibus.

Sed de primis nil, niſi in tranſitu nobis videndum; quippe qui compunctionem affectus magis requirimus, quàm illuminationem intellectus.

MEMBRVM I.

Quæ hic ſtudioſus conſiderabit.

VI POTERIT itaque *ſtudioſus*, inter cætera de morte inquirere iſta,

Quid mors, principium cunctis, varijque prolongant.

Ethim. Hoc eſt, vt paucis tãgamus, poterit inquirere, Mortis quidditatem; quid ſcilicet nomine, re, & diffinitione: Nomine, ſcilicet vnde deriuatur, & vnde dicitur, Quia à morſu, vel à mordendo, propter varias cauſas,

Sic ortum, propter factum, mentiſque remorſum.

Hoc eſt, quia per morſum ligni vetiti fuit introducta; quia mordet hominem, ſeparando vnam partem ab alia; Aut quia eius meditatione, remordetur conſcientia. Hinc quidam: *Iure vocata fuit mors, quia morſus amarus.*

DEINDE quid ſit re, & diffinitione, quia Augu. teſte 13. de Ciuitate Dei, Mors eſt nihil aliud niſi priuatio vitæ animæ totalis, vel partialis. Hic etiam quomodo depingitur, vel quibus figuratur.

SECVNDO, conſiderare habet mortis originem primordialem: Vbi, quando, & quare eſt introducta; Vtrum homo mortalis conditus, & cętera ſimilia, de quibus agunt docti in ſuis ſcriptis; diſtinguendo triplicem hominis ſtatum.

TERTIO, Studioſus inquirere poterit, de 1.Theſ.1. mortis generalitate. Vtrum ſcilicet omnes homines ſint morituri: Attento quod Apoſtolus dicat, quoſdam reſiduos *viuos in aera obuiam Chriſto rapi*. Eſt hic controuerſia ſatis perplexa quomodo, de qua tamen Auguſtinus interrogatus ſcribit ad Dulcitium: Quod quotiens de his verbis ſcilicet Apoſtoli, tactis volui cogitare, nihil aliud mihi viſum eſt; niſi quod verba ipſa videntur clamare, id eſt quod futuri ſint in fine ſæculi, & aduentu Domini, qui non expolientur corpore; ſed ſuperinduantur immortalitate. Vt verè conueniat huic poſitioni regula fidei, Dominum iudicaturum viuos & 1.Cor.15 mortuos. Ad quod multum facit Græca veritas Pauli. Vbi nos habemus, *Ecce myſterium vobis dico: Omnes quidem reſurgemus: ſed non omnes immutabimur.* Quod hic affirmatur (teſte Laurentio in ſuo correctorio) in Græco negaVaria lectio. tur, & è contra: Dicitur enim in nonnullis codicibus Græcis, *omnes quidem non dormiemus, ſed omnes immutabimur*, vt etiam Hieron. teſtatur in epiſtola ad Minerium, & Alexandrum. Et ſicut ex conſequenti ad Theſſ. oſtendit. Et hoc S. Thom. etiam, ſecundum cauſas primas non ſecundas admittit. Verum Beatus Augu. in de Ciuitate Dei, propter contrarios ſcripturæ paſſus dicit, in ipſo raptu, poſſe eos forſan ſimul mori & reſurgere. Chryſoſtomus tamen in opere imperfecto ſuper illud Matth. 20. *Voca operarios*, &c. tenet manifeſtè, eos non morituros.

QVARTO de morientium varietate, quã variè quidam, & ſubito, & quare ſic moriantur. Aſſignat Vincen. in Speculo plures cauſas vitioſas ſubitaneę mortis quas prætterimus. De varietate quoque morientiũ 9. cauſas, & 9. genera hominum Nider in diſpoſitorio ſuo aſſignat: Non opus remur hæc aſſignare, ſtudioſus enim ipſe omnia ſtudet inquirere.

POSTREMO, poterit hic fieri perplexa illa apud quoſdam conſideratio de termino vitæ, vtrum poſſit abbreuiari, vel prolongari. Dicũt de hoc multi multa: noſtrum nõ eſt diiudicare Doctorũ ſcripta. Sed ſumpto hoc vtcũque neceſſe eſt vt quiſque ſe pręſeruet, alioquin ſponte mortem accelerans (ait Nyder) grauiter peccat, aliis nocet, ſe donis Dei priuat, quem & grauiter offendit. Hoc pro ſtudioſis.

MEMBRVM II.

De compunctiuis circa mortem, pro deuotis.

SED iam pro adminiſtranda compunctionis materia nos accingamus, & ponamus quædam meditabilia, quæ ſi ritè & intentè fuerint meditata, profundè diiudicata, erunt compunctionis introductiua, ſcilicet, VII

Cauſas, ſigna, vide, qualiſque anguſtia, poſtquam.

Hoc eſt, qui volet de morte compungi, debet cauſas perpendere mortis, vndique & indeſinenter illam ſibi miniſtantes, quæ ſunt numero multę, & enumerat [illegible] Nyder, ſcilicet,

Infra, ſupra, ſubtus, & extra, en vndique cauſas.

Hoc eſt, quod fere omnia, in hominis mortem coniuraſſe videntur. *Nam ab intra*, duo ſunt principia vitæ inuicem contraria: Calor ſcilicet naturalis & humidum radicale, mortem intentantia; Itemque corporis mala diſpoſitio; Et variæ animæ paſſiones, inordinatæ ſurgentes, morbos mortales inducentes. *De ſurſum* quoque & ſupra cęlorum influentia, multas lethales influens cauſas, infirmitates & corporum dolores. Sic *ab infra* inſurgunt quattuor corporis elementa, ſemper inuicem pugnantia, donec mortem inducant. Porro *ab extra* fere nil viſui apparet, quod non mortem infert: Nam & aer inficit, aqua demergit, terra deglutit, beſtia deuorat, cibus intoxicat, proximus oppugnat. Hic etiam occurrunt horrida inſtrumenta bellica; Pœnoſa dolorum, & morborũ genera, à perſecutione hominis ante mortẽ non deſinentia. Inter quæ tamen omnia ſunt quatuor illæ grandiſſimæ mortis voragines, de quibus agit ſcriptura, ſcilicet, Infectio peſtifera, Strages bellica, Famis generalitas, & Beſtiarũ crudelitas. Poſtremo vt nil deſit creatum, quod homini non intentet mortem: Sępe Angeli boni: vt aiunt quidam, hominem necant, quaſi à *dextris*; Crebrius autem dæmones, velut à *ſiniſtris*. Nuſquam ergo tutus homo, vndique vi-

Digitized by Google

det ſibi mortis cauſas, de quibus Proſper dixit,

Ferro, peſte, fame, vinculis, algore, calore.
Mille modis miſeros mors capit vna homines.

Vt verè dixerit Auguſtinus, quod *mox vbi viuere incipimus, mors inchoamus*: iuxta illud Sapientis c. 5. *Nos nati continuo deſinimus eſſe.* Impoſſibile .n. eſt, vt homo perſtet, qui tantos inſectatores habet. O qui hæc ritè conſideraret, non incompunctus de morte maneret. Quocunque enim ſe diuerteret, aut quicquid inſpiceret, ſemper ſibi mortem pręſentem cerneret. Quis oro, niſi cæcatus prorſus, hæc aſpiciens, non compungetur de morte. Quis enim inter medias acies belli, inter hoſtium medios cuneos inermis, non timebit vitę ſuæ? Et nos in medio laqueorum poſiti expaueſcamus, & Dominum ſemper pro bona morte exoremus.

§. 1. *De mortis ſignis.*

VIII PORro quem prędicta non compungunt, vel mortis ſigna hunc perurgeant ad compunctionem, quæ ſub triplici ſunt differentia, ſcilicet.

Mortis ſigna remota, propinqua, & proxima cernas.

Signa *remota*, ſunt omnia mortem minitantia, infirmitas, debilitas, &c. iam ante numerata: *Propinqua* (iuxta Nyder) ſunt, introitus belli, tranſitus ad loca periculoſa, crebrior infirmatio: Vel tres nuntij illi mortis, de quibus Hugo de ſancto Victore. ſcilicet varius caſus, infirmitatis defectus, miſera ſenectus: De quibus ad longum in quarta parte proſequitur Antoninus, declarans miſerias ſenectutis, quę veri ſunt nuntij mortis: ponens ex libro Sapientiæ, miſerias quaſdam mortem antecedentes, quaſdam concomitantes, aliquas ſubſequentes: Præcedit enim defectus potentiæ apprehenſiuæ, motiuæ, & omnium membrorum exteriorum, videatur ibi: & Innocentius in de miſeria humanæ conditionis, vbi pulchrè de his agit. Porro *proxima* ſigna mortis ſunt, illa pronoſtica vicinæ mortis ante iacta, ſcilicet Guſtus deordinatio, digeſtiuę defectio, & huiuſmodi.

PLVRIMVM iuuat (ſecundum Dionyſiũ Charthuſianum) pro compunctione excitanda horum crebra memoria, vt ſcilicet mentis oculis intueamur, quemadmodum imminente terribili hora ſeparationis &c. totus homo palleſcat, pedes frigeſcant, infirmæ manus nigreſcant, vultus diſcoloretur, oculi tenebreſcant, ac profundentur, & euertantur, pili labuntur, frons obduratur, membra cuncta rigeſcunt, mentum ruit, labia infrigidantur, os contrahitur, capriſat pulſus, alitus abſcedit, vndique ſunt puncturæ mortis, aculeum ſuum vſque ad cor, quod eſt vltimum moriens, ſicut primum viuens, imprimentes. Tunc demum ſuperuenit, & erumpit ſudor mortis, naturam victam demonſtrans. Ponit Bernardus quodam loco multo plura, quæ tranſimus, poſt forte ponenda, tãtum cum Dionyſio hortantes, vt crebrius hæc ad mentem reducamus, & ea nobis in breui euentura perpendamus, vt ſic ſalubriter compungamur: Et ita ſenſus noſtros ſub diſciplina coerceamus, vt ſecuri abſcedamus, nec illa tunc perpetiamur. O qui hæc intentè proſpiceret, puto quod non tantum ſenſuum vanitate euagaretur, quippe ſciẽs ſe de proximo cohibendum. Hæc de antecedentibus mortem,

MEMBRVM III.

De Mortem concomitantibus.

IAM nunc de mortem concomitantibus videamus, ſcilicet de mortis ipſius qualitate, n guſtia, & dolore. Et primum de qualitate.

§. 1. *Variæ conditiones mortis.*

VBI nota quod præter amaritudinem, & dulcedinem, de quibus infra, mors his conditionibus eſt qualificata.

Communis, certa, latitans, eua, non reparari.

Mors omnibus communis.

NOTVLA I.

PRIMA mortis conditio eſt, quod ſit communis, iuſtè inflicta omnibus, hinc legis, *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur in terram*, IX 2. Reg. 14
Et Eccle. 2. *Moritur doctus, pariter & indoctus.* Nam iuxta Bernardum: Mors nullius inopiæ miſeretur, nec diuitias reueretur, nec generi, nec moribus, non ipſi denique parcit ætati: ſed omnibus eſt generalis. Verè communis & generalis: & ergo ſcipho tabernarij omnibus patenti, & æquiſſimo iudici comparata. Non enim eſt apud eam acceptio perſonarum: Nam

Dominum ſeruo mors, ſceptra ligonibus æquat.

Vnde ei dicitur Eccl. 41. *O mors bonum eſt iudicium tuum:*

Eſt commune mori, mors nulli parcit honori
Nobilis & fortis, veniunt ad limina mortis.

FIET hic mentalis deſcenſus, ad omnes ſapientes, nobiles, magnates: quemadmodum Bernardus & in nouiſſimis: dic mihi vbi ſunt amatores mũdi? & quales plures recenſet Dionyſius Carthuſianus. Et verè patebit, quod ſit generalis: Iuſtè autem omnibus inflicta, quia per peccatum primi hominis, in quo omnes peccauimus, merita, vt pulchrè Doctores proſequuntur. Rom. 5.
Cum igitur nullus poſſit eam euadere, æquum eſt, vt ad eam nos ſtudeamus diſponere. Vnde ex conſideratione huius generalitatis, multi fuere compuncti, monaſteria inuitis parentibus petentes, imperiti reſpondentes, quod libenter redire vellent, ſi vnam conditionem de terra eorum auferre vellent: ſcilicet mortis generalitatem, ne tam morerentur iuuenes, quàm ſenes.

Altera Mortis conditio, quod ſcilicet certa.

NOTVLA II.

X ALTERA mortis conditio, quod eſt *certa & ineuitabilis*: Nil enim certius morte; Omnia noſtra, & bona, & mala ſunt incerta;
Heb.9. ſola mors certa. Paulus: *Statutum eſt hominibus ſemel mori*, hinc Bernardus: Miſer homo, quare te omni hora non diſponis ad mortem? *Cogita iam te mortuum, quem ſcis de neceſſitate moriturum*; Nulla enim erit hinc exceptio perſonarũ. Ergo iure vocata fuit Mors, quia *morſu* amarus omnibus eſt, à quo nemo cauere poteſt. Vnde *ineuitabilis* cunctis, in cuius iudicium (ſecundum Auguſtinum) prętetitum perfectum, *verbum morior*, à nomine ſibi mutauit: Vt quẽadmodum id, quod ſignificat, non poteſt vitari agendo; Ita congruè verbum non poſſit declinari loquendo; Nam

Omnia mors delet, omnia morte cadunt.

Pſa 88. Et ideo dictum, *Quis eſt homo qui viuit, & non videbit mortem?*

Tertia quod ſcilicet incerta.

NOTVLA III.

XI TERTIO eſt Mors *incerta & incognoſcibilis*, ſcilicet quoad tempus: Nam ſicut nil certius morte; Ita (iuxta Originem) nil eſt incertius hora mortis; Omne enim noſtrum viuere, nihil eſt, niſi ad mortem tendere, quæ in omnibus vbique nos expectat: vnde ſi fuerimus ſapientes, eam nos vbique expectare de-
Eccleſ.9. bemus. De qua incertitudine, dicitur, *Neſcit homo finem ſuum, ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & aues comprehenduntur laqueo, ſic capiuntur homines in tempore malo*, Sunt autem plura incerta circa mortem, ſcilicet,

Sunt incerta, locus, modus, & ſtatus in nece tempus.

Mar.13. TEMPVS, inquam iuxta illud, *Vigilate, quia neſcitis quando tempus ſit, ſero, an media nocte, galli cantu, aut mane.* Neſcimus enim vtrum in
Mat.25. ſenecta; aut iuuentute; in virili ætate; vel pueritia; Imo neſcimus diem neque horam. Vnde quidam pulchrè ait,

Quis ſcit adhuc an nos multos complebimus annos.

Neſcis cras ante mors ſit captura, vel ante.

Eſt, & STATVS mortis incertus; vtrum ſcilicet in ſtatu gratiæ, vel peccati, in bono, vel malo moritur: Iuxta illud, *Sunt iuſti atque ſapientes*
Eccl.9. *& opera eorum in manu Dei, & tamen neſcit homo vtrum amore, vel odio ſit dignus*, niſi per reuelationem. Conſilium ergo Bonauenturæ vt homo quamdiu viuit, in ſtatu gratiæ perſiſtere curet: Vix enim poſſibile eſt (ait Auguſtinus) vt malè moriatur, qui ſemper bene vixit. Tertio, MODVS ipſe eſt incertus, vtrum ſcilicet morte naturali, vel violenta; naturaliter aut caſualiter; aut quo genere mortis,

Mille modis miſeros homines mors vna fatigat.

Patet caſuum varietas mortis, his qui hiſtorias legère. Nã mirabiliſſimi caſus leguntur, etiam de maximis, & Sanctis quibuſque. Non refert multis mortis genus, vbi vita bona præceſſit. Ait enim Auguſtinus: *Mala mors dicenda non eſt, cuius vita bona præceſſit.* Poſtremo eſt, & LOCVS ipſe incertus: Neſcimus vtrum moriemur in aqua, terra, aere, vel igne: ait enim Seneca, Mors inſidiatur in omni loco, & tu in omni loco ſecurus expecta, Faciens ſicut miles ille ab altero diffidatus, ſemper armatus incedens, vbique expectans, & metuens eum, ſemper ruminans illud Prophetæ: *Ecce iam venit finis, finis venit*, &c. Ezec.7.

NAM hæc vna eſt cauſarum, quare Dominus incertam nobis voluit eſſe mortem: Et ſunt iſtæ cauſæ, XII

Vt timeas, feruens, viuas, mala ſic fugiendo.

PRIMO, iuxta Gregorium, ideo tempus mortis, incertum nobis voluit eſſe Dominus, vt hora omnis ſuſpecta habeatur, *& ſemper & vbique timeatur.* Hinc dixit, *Vigilate, neſcitis enim* Mat.25.
diem neque horam. Si enim intrares domum, & ſcires quod ab aliquo ingrediente occidereris: procul dubio omnes timeres; Sic & tunc age: Nam domus eſt mundus, occidens eſt hora aliqua adueniens: metuamus itaque ſemper.

SECVNDO, vt *opereris ferventius*, alioquin torpeſceret, aut à multis, quæ aliis ſunt vtilia, deſiſteret. Sic angelus per ſacerdotem dixit Epiſcopo, de quo in Dialogorum ſcribit Gregorius, Age quod agis, operare quod operaris.

TERTIO, vt *viuat purius*, & cuſtoditius, quia (vt ait Cypryanus) Qualem te inuenit Dominus cum vocat, talem te iudicat: Stultum autem eſt viuere in illo ſtatu, in quo quis non vellet mori.

POSTREMO, vt *declinet multa mala*, quę ex certitudine temporis deuenirent: nam ſi ſcirent ſe diu victuros, agerent multa mala, poſt pœnitenda; Si autem ſcirent ſe citò morituros, inhumanius viuerent, melancolicè ſeſe deſtruendo, & alios attędiando: Quę ne fierent, ſtatuit Dominus, vt omnia incerta eſſent. Igitur,

Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum,
Semper habens memori mente, neceſſe mori.

Quarta conditio, quod ſcilicet facilis.

NOTVLA IV.

QVARTO mors eſt *facilis & velociſſima*, XIII
facile enim aggreditur hominem, & multis modis, vt patet decurrenti: Ergo dicitur, *Quæ eſt vita veſtra? Vapor ad modicum parens, &* Iac. 4.
deinceps exterminabitur. Verè non eſt hominis vita, niſi ſicut lucerna ad ventum, quæ cito extinguitur: Sicut tela araneæ, quæ facilè rumpitur. Hinc quidam,

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo.
Et ſubito caſu, quæ valuere, ruunt

Fragilior quippe eſt hominis vita omni vaſe vitreo, quod licet lapide poteſt frangi, non tamen ſubmerſum extingui: Item vaſe ligneo quod, & ſi poteſt vri, non tamen ſubmergi: Luteo latere, qui igne ſolidatur: Cum tamen homo in omnibus extinguitur. Enumera hic ſi potes, quanti ſunt modi mortis: Verè infiniti. Qui igitur tam facile poteſt homo mori, ſem-

Digitized by Google

per opus habet ſollicitari: ideoque dicitur Apoc. 3. *Si non vigilaueris, veniam ad te, tanquam fur, & neſcies qua hora veniam ad te.*

Porro de velocitate mortis, dicitur Iob 7. *Dies mei velocius tranſierunt, quam à texente tela ſucciditur*, & item, *dies mei velociores fuerunt curſore*, & verè, nam vitæ præſentis tempus nihil aliud eſt, niſi ad mortem curſus; in quo nemo tardius ire ſinitur, ſed indeſinenter currere vrgetur: hinc Auguſtinus, *Vita mea nauiganti ſimilis eſt: Siue enim dormiam, ſiue vigilem, ſemper vado feſtinus ad mortem.* Seneca: *Quotidie morimur, & aliqua pars vitæ dirimitur, & tunc quoque cum creſcimus, vita noſtra decreſcit.*

Tempora longa tibi noli promittere vitæ.
Quocunque ingrederis, ſequitur mors corporis vmbram.

Attende quanti, quam ſubito obierunt, qui ſe diu vixiſſe ſperauerunt: vt patet de Pharaone, Holoferne, Herode, & innumeris aliis, & de diuite, cui dicitur; *Stulte hac nocte repetent animam tuam à te.* Cum igitur velox ſit depoſitio tabernaculi tui, & mors veniet tibi velocius, & inuadet acrius, & crudelius impugnabit: ſi ſapiens fueris, ſuper cuſtodiam tuam ſtabis, ſemper paratus, ſæpe illud repetens tecum,

Luc. 12. 2. Pet. 1.

Vado mori, credens per longum viuere tempus.
Forte dies hæc eſt vltima, vado mori.
Telâ texentis citius mea vita ſecatur,
Nam nullo tranſire die, vel nocte moratur.

Quinta mortis conditio quod ſit irreuocabilis.

NOTVLA V.

XIV POSTREMA, mortis conditio eſt, quod eſt *irreuocabilis*: *Non* enim (vt dicitur libro Sapient. c. 3.) *eſt agnitus qui ſit reuerſus ab inferis*: & Iob 14. *Lignum habet ſpem ſi præciſum fuerit, rurſus vireſcit, & rami eius pullulant, ſi ſenuerit in terra radix eius: Homo vero cum mortuus fuerit nudatus, atque conſumptus, vbi quæſo eſt? Quomodo ſi recedant aquæ de mari, & fluuius vacuefactus areſcat: Sic homo cum dormierit non reſurget. Quaſi enim aqua dilabimur in terram, quæ non reuertentur*, niſi in iudicio extremo.

2. Reg. 14 Eccl. 1.

IRREPARABILIS quoque, quia teſte Salomone, *vbicunque ceciderit lignum, ibi erit, ſiue ad auſtrum ſiue ad aquilonem*, id eſt, in quocunque affectu obierit homo, ibi æternaliter erit. Nam (iuxta Damaſcenum) Quod in Angelis caſus, hoc in hominibus eſt mors: Itaque quia poſt mortem amplius pœnitere aut reſurgere non valemus, ſed irrecuperabiliter in omnia incidimus: interim dum conceditur, noſtram ſalutem operari debemus, iuxta conſilium Salomonis, *Quodcunque poteſt manus tua, inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos quo tu properas.* Verè, hæc qui meminit, & non curat ſtolidus eſt; ſicut qui videt, & contemnit nequam eſt. Quid enim ſtolidius, quam tantam negligere, & irrecuperabiliter negligere ſalutem. Hæc de qualitate.

Eccl. 9.

§. 2. *De anguſtia mortis & acerbitate.*

NVNC, ſi quem non terruerit qualitas mortis præſcripta: moueat ſaltem ipſius mortis iam inſtantis anguſtia dira; Nam licet bonis mors ipſa eſt, ſecundum aliquem modum (vt infra dicetur) iocunda, & deſiderabilis; In ſe tamen conſiderata, & naturaliter, omnibus eſt horrenda & formidabilis. Nam ſicut homo naturaliter appetit & viuere & gaudere: Sic naturale eſt ei amariſſimam mortem; ſcilicet vitæ animalis amiſſionem, ac pœnas præcedentes metuere; vnde & omnium terribilium Mors dicta eſt terribiliſſimum. Plura enim ſunt, quæ eius anguſtiæ cauſam oſtendunt, & præſertim iſta, XV

Vitæ amor, atque cupido, metus, dolor, aſpectuſque.

Prima mortis anguſtia.

NOTVLA I.

PRIMVM anguſtiam mortis cauſans, eſt *amor vnionis*: Quoniam amor vitæ cunctos naturâ deuinxit, quod omnis homo deſtitutionem ſui corporis plangit, & vnitam mirabili proportione corporis & animæ harmoniam, diſſolui ingemiſcit; per mortem enim diſſoluitur matrimonium, quod tantæ fuerat nexu concordiæ copulatum, vnde dixit Agag, *Siccine ſeparas amara mors?* Vnde quantumcunque quis dono gratiæ cupit diſſolui, & eſſe cum Chriſto; naturæ tamen affectu, horret ſeparationem à corpore: Teſtimonio ſunt Petrus, & Paulus Apoſtolorum principes; & horum principum ſummus princeps Chriſtus, qui hunc affectum oſtendit, quando paſſioni proximus dicebat, *Triſtis eſt anima mea*, &c. Nam cum coniunctionis hic affectus, tam inſeparabiliter nobis adhæreat: manifeſtum eſt, quod naturaliter omnis homo mortem pauere habet. Quomodo autem ſimul ſtet in iuſtis, & mortem appetere, & horrere, pulchrè 31. Moralium Gregorius oſtendit dicens: *Sicut vir fortis, dum vicino certamine armis accingitur, palpitat, feſtinat, tremit, & ſæuit; quaſi pallere per pauorem videtur: ſed per iram vehementer vrgetur. Ita vir Sanctus dum morti appropinquare ſe conſpicit, ex natura infirmitate concutitur, & ex ſpei conſtantia ſolidatur, de vicina morte trepidat, & tamen quia poſt mortem verius ac fœlicius viuet, exultat*; hæc ille de quo & latius infra.

1. Reg. 15. Philip. 1. Matt. 26.

Secunda mortis anguſtia.

NOTVLA II.

SECVNDVM, mortem acerbiorem faciens, potiſſimum in malis hominibus, eſt *inordinata cupido terrenæ affectionis*: Et quo quis per amorem terrenis inhæret, eo doloroſius ſeparari perfert. Nam eis mors occurrit, vt priuans triplici bono: ſcilicet naturæ, rerum, & honorum; imo amicorum & omnium. XVI

PRIMO, inquam *priuat bonis naturæ*, vt pulchritu-

Digitized by Google

chritudine, fortitudine, ac omnibus oblectamentis quinque ſenſuum, quæ ſolent habere: Nam,

Omnia mors delet, omnia morte cadunt.

Hoc cogitemus, cum poſt ſenſus noſtros euagamur, & reprimamus eos.

SECVNDO, *ſpoliat rebus*, quas plerunque tantis curis, & peccatis acquiſiuit, nam res, quas acquiſiuit cum labore, & poſſedit cum amore, amittit cum dolore. O quanta hæc relinquere eſt diuitibus anguſtia, & tamen nil
1.Tim.6. poſſunt ferre ſecum! Nam ſicut nil tulimus in hunc mundum; ita nil auferemus; ſed cum Iob c.1. dicere cogemur, *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*, id eſt, in terram.

TERTIO, *ſpoliat honoribus*, & ſæculi dignitatibus, quas qui cupierunt, amarius ab eis ſeparantur: Omnis enim potentatus breuis vita, quorum gloria ſtercus fit & vermis; Ita quod ipſi conqueri poſſunt illud Iob ca.16. *Ego ille quondam opulentus, repente contritus ſum.* Et itẽ c.19. *ſpoliauit me gloria mea, & abſtulit coronam de capite meo, deſtruxit me vndique & pereo*, &c. Nam verè comperitur, quod licet.

Omnia Cæſar habet, quod gloria Cæſaris eſſe
Deſinit, & tumulus vix erit octo pedum.

Et ſicut diximus de diuitiis & honoribus, ita & de cæteris fortunæ bonis cogitandum. Fiat hic deſcenſus ad omnes fortunæ bonis florentes, vt reperitur in pleriſque libris. Videat hic ad particularia deſcendens, vbi Hector, vbi Iulius, vbi Alexander potentiſſimus, vbi Iudas Machabęus, & Samſon fortis viribus, vbi Crœſus ditiſſimus, Abſalon pulcherrimus, Salomõ ſapientiſſimus & omnis omnium magnorum chorus? Et certè erit videre omniũ bona morte concluſa. Quæ vtique tanto amiſere acerbius, quo ea dilexere amplius.

MORS etiam *auſert conſanguineos*, & amicos, quos tanto durius eſt delerere, quo quis inordinatius dilexerit illos: Hinc quidam,

Charorum triſtis diſceſſus triſtior iſtis.
Corporis & animæ triſtiſſimus à Deitate.

POSTREMO, Vt nullum derelinquat homini mors ſolamen, priuat omnibus rebus mundi: Nam in ipſa & per ipſam, omnia quæ in mundo ſunt relinquuntur, vnde & homine moriẽte, mori illi dicitur totus mundus. O quã varij ibi ſuccedunt cogitatus, quantus dolor ibi mentis! Eſt enim cogitatio quadruplex, vt quadruplex ventus, ſcilicet,

Doloris	respectu	Carnis,
Amoris		Charorum,
Timoris		Iudicij,
Spei		Sanitatis.

Penſent hæc mundi amatores, & concupiſcentiarum ſuarum executores, & relinquant iam voluntarij, quod morte cogentur relinquere vel inuiti: Et ſi nolint perpeti mortem diram, abſcindant nunc mundialem concupiſcentiã,
Eccl.45. vt tũc clamare habeant, *O mors quam amara eſt memoria tua, homini habenti pacem in ſubſtantia ſua!* Omnia enim cum arbore cadunt.

Tertia mortis anguſtia.

NOTVLA III.

TERTIVM, plurimum hominem in morte anguſtians eſt, *Pauor multiplicis rei timoroſæ imminentis:* Tunc enim multa concurrunt; XVII
qui etiam hominem virtuoſiſſimum, pauidum reddere poſſunt. Habet.n. quiſque timere, non ſolum malus; ſed & electus, quibus tanto erit timor acrior, quanto retributio vicinior. Et hoc,

Quia
- Defectus, & peccata quæ commiſimus,
- Multa latere poſſunt in conſcientia quæ non ſciamus,
- Quædam peccatà grauiora ſunt quam putamus,
- Eorum remiſſionem per gratiã ignoramus,
- Impura opera noſtra ſciamus, vt pannum menſtruatæ.
- Nihil temporis ſupereſſe noſcimus, non enim vltra tempus.
- Multa horrenda, vt patet infra, videbimus,
- An vera contritio ſit neſcimus.

In multis offendimus omnes; Nihil mihi conſcius ſum, veruntamen in hoc non ſum iuſtificatus. Iac.3. 1.Cor.4. Eſa.64.

Cuncta latent, grauia, deleta, impura, ſuper nil.

Et ob hęc Gregorius dixit, Quod tunc maximè etiam iuſti pertimeſcere habent, *quando ad ſoluendum humanæ conditionis debitum, veniente diſtricto iudice, ſe propinquare cernunt: Coram quo nec hoc ſine aliquo reatu eſt, quod laudabiliter geſſimus ſi remota pietate iudicemur.* Vnde ait, *Væ laudabili vitæ hominum, ſi remota pietate iudicetur, quando, vnde ante oculos iudicis placere ſuſpicatur, inde obruitur.* Et ob huiuſmodi, etiam quique ſanctiſſimi, vt patet in legendis, timuerunt.

QVOD ſi iuſti ſic extimeſcunt: quid cordis putas peccatores habebunt? O hic iam egrediatur contemplatoris anima: vt contempletur quid tunc aget peccatrix anima, cum incipit carnis vinculis abſolui; attendat quam tunc amaro terrore concutitur, quantis mordacis conſcientiæ ſtimulis laceratur! Tunc enim (vt Damianus ait) tunc recolit vetita, quæ commiſit videt mãdata quę negligenter implere contempſit; tũc dolet indulta pœnitentiæ tempora, ſeſe inaniter percepiſſe; plorat immobilem diſtrictæ vltionis articulũ incuitabilẽ imminere; manere fatagit, ire compellitur; recuperare vult perdita, non auditur. Tunc poſt terga reſpiciens, totius tranſactæ vitæ curſum, velut vnum breuiſſimum reputat itineris paſſum, ante ſe oculos dirigens, videt infinitæ perennitatis reſtare ſæculum. Tunc itaque plorat, neglectam ſalutem; deflet amiſſam fœlicitatem; erubeſcit, quod propter illam ſubſtantiã

quæ vermibus erat obnoxia, illam neglexit, quæ choris angelicis erat inferenda. O ſi tunc reſiduum pœnitentiæ tempus mereri poſſet; quam duræ conuerſationis iter arriperet; quantis ſe deuotionum vinculis enodaret. Patet hoc ex multis exemplis, in exemplorum libris.

Cvr igitur, cur oro iam negligimus, quod tunc tam votiuè exoptaremus: Tunc mallemus habere momentum temporis, quam multas voluptates ſæculi tranſeuntis. Hoc igitur nunc attendamus, ſcientes quod

Nunc locus eſt flendi, locus eſt peccata luendi.
Poſtea gaudebunt, qui nunc ſua crimina flebunt.

Et valde verendum, ne qui nunc hic negligit, hoc tunc accipere non poterit. Nimis.n.difficile eſt ab aſſuetis recedere; non tamen Deo impoſſibile. Nam Dei miſericordiæ (ait Leo) nec menſuras ponere poſſumus, nec tempora diffinire; apud quem nullas conuerſio patitur moras, vt dicit Auguſtinus: cautius tamen, & tutius peccator agit, qui nunc pœnitet; Nam *plerumque* (iuxta Auguſtinum) *peccator hac animaduerſione percutitur, vt moriens obliuiſcatur ſui, qui dum viueret oblitus eſt Dei.* Iam igitur timeamus, ne tunc timeamus. Nota bene.

Quarta mortis anguſtia.

NOTVLA IV.

XVIII QVARTVM anguſtians eſt *dolor acerbiſſimæ paſſionis:* Tunc enim ſolent tam varia concurrere morborum genera, & ſic occupare membra ſingula, vt plures quãdoque ſint morbi (vt Vincentius dicit) quam membra; Vnde & dolores irruunt tam intenſi, vt vires eneruent, ſomnum auferant, quietem impediant, animum inquietent, ſenſus omnes exturbent appetitum deſtituant, obtundant memoriam, obnubilent intellectum, *Tanta* enim (ait Gregorius) *eſt ibi vis doloris, quod vix alibi poſſet referri impetus cogitationis*: Quod velim attenderent, qui in fine pœnitere ſperant; Quod licet non ſit impoſſibile, tamen valde difficile. Quomodo enim tunc, qui ſemper mala egerunt, ſe conuertent; vbi præ dolore fere iuſti deficiunt. hinc Pſalmo 6. *Non eſt in morte, qui memor ſit tui.* Tunc enim tam acriter impugnat, tam inexorabiliter continuat, donec hominem expugnet, & proſternat; In qua proſternatione, quantum dolorem ingerat, non facile explicari poteſt. Ita quod verè dictum ſit, omnium terribilium rerum, terribiliſſima res mors. Vbi ſciendum, quod non in omnibus æqua eſt huius doloris, aut ſaltem non apparet æqualis anguſtia: vt patet de in ſenio morientibus, aut dormiendo; vel aliis modis facillimis decedentibus; decapitatis, aut ad diuina raptis: ſicut Auguſtinus de Ciuitate Dei 13.cap.6. declarat. Ita quod plerumque plures, dolorem maiorem ſuſtinent non morientes, quam decedentes; Et grauius vitæ pœnalitates ferre, quam vitam terminare; Et grauius paſſi ſunt multi confeſſores, quam aliqui martyres. Eſt tamen in omnibus dolor, vel *ante*, vel *in*, vel *poſt* ſaltem exceſſiuus. Hęc de dolore paſſionis dicta ſufficiant.

Quinta mortis anguſtia.

NOTVLA V.

POSTREMVM, & vltimum, & certè maximum, anguſtiam mortis oſtendens, eſt *aſpectus horrificæ viſionis:* Tunc enim plura videnda morituro concurrunt, quę valde mentem eius anguſtiant. Nam, (vt à ſenſibilibus inchoemus), dum iacet inter medias acies belli, euerſos oculos, plerumque ad circumſtantes amicos, & conſanguineos regyrat, quos quandoque magis videt ſollicitari de eius lana, quam anima; vnde oritur, & magna anguſtia mentis. Hæc de aſpectu externo. XIX

DEINDE vbi foris obtenebratur viſus, mens acuitur intus (Iuxta Petrum Damiani) ante mentis oculos adſunt ei omnia geſta, ſimul. & verba, nec etiam deſunt ipſa minuta cogitata, quæ videre, eſt ſumma anguſtia, in conſcientia mala.

ADEST præterea iuxta eundem hinc horrenda dæmonium turba: Illinc virtus angelica. Nã dæmonem aſſiſtere morientibus communis eſt ſententia Doctorum, vt ait Bernardus. Oſtium noſtrum maligni ſpiritus obſident, & aduentũ noſtrum illæ horrendæ effigies præſtolantur; & ideo formido exire, & in ipſo contremiſco portus ingreſſu, dum non confido aſſiſtere prope qui excipiat exeuntem, & ſolus poteſt eruere. dæmones enim cum ſint callidiſſimi, ſcientes, hominis mortem, terminum eſſe merendi ac demerendi; noſcentes quia modicum tempus habent; & ſi hominem ea hora prodiderint, non eum vltra recuperare valebunt: acrius inſæuiunt, proteruius infeſtant.

De Angelorum aſſiſtentia nulli eſt dubium qui credit eos ad hominum deputatos cuſtodiam, qui vel tunc bene meritos defendent, vel malè meritos, in manu tentatoris derelinquẽt. Et vę nobis miſeris, ſi derelicti fuerimus ab eis: Nam mox vbi eis derelicti fuerimus, traditi ſumus in manus gladij, partes vulpium erimus.

AIVNT poſtremo, & allegant ad hoc Innocent. quod tam bonus quàm malus, antequam anima eius egrediatur de corpore, videbunt ſibi apparentem Dominum Ieſum: Quæ viſio, ſicut iuſtis erit delectabilis; ita intolerabilis malis, quod etiam plerique magni ſecum ſentiunt; Iacobus tamen Carthuſianus videtur diſſentire huic poſitioni. Sed nolumus dicere plura: *Beatus ſeruus, quem cum venerit Dominus inuenerit vigilantem.* Sed ad noſtra regrediamur. Pſa. 61. Mat.24.

Ex his breuiter tactis, meditetur mens pia, quanta ſit anguſtia mortis, quam non ſolum perpetiuntur mali; ſed etiam viri Sancti, & iuſti; Et quidem quandoque plus iuſti cruciatur, quam mali, & hoc (ſecundũ Greg.) vt per illum pauorem purgentur, ne pro minutiſſimis aliis culpis, ad purgatorium trahantur, vt probatur exemplis. Reuocẽtur hic ad mentẽ exempla de Vitis Patrũ, de Hilarione, Agathone, & ſic de aliis, quæ non ponimus, quia lectorem noſtrũ illius libri ſtudioſum eſſe volumus. Nam Abbas Agathon, poſt tres dies agonis, interrogatus

tus ſi timeret, reſpondit: *Et verè, quia homo ſum, & neſcio ſi opera placuerunt.* Item de Euſebio quod ſcribit Cyrillus &c. Si ergo mortis tempore ſic timuerunt Sancti, quid nos agemus miſeri? Quid facient tabulæ, ſi ſic tremunt columnæ? Aut quomodo arbuſta immobilia ſtabunt, ſi huius pauoris turbine cedri quatiuntur? O igitur nunc cum Sanctis timeamus, ne tunc timeamus. Et hic nota, quod tametſi omnibus mors hæc ſit metuenda; multo tamen amplius eſt malis, quam bonis expaueſcenda: Beata enim, & bona eſt mors iuſtorum; ſed mala, & miſera malorum; Imo *mors peccatorum peſſima.* Et verè *mala,* in mundi amiſſione; *peior,* in carnis ſeparatione; ſed *peſſima* in duplici vermis, & ignis contritione, & quod omnium peſſimum eſt, in Diuinæ contemplationis priuatione.

Iob 26.

Pſa. 33.

MEMBRVM IV.

De mortem ſubſequentibus

XX IAM nunc de *conſequentibus,* vel ſubſequentibus poſt mortem videamus: non enim minus ſunt ad duras mentes compungendas efficacia, ſi intentè fuerint iudicata. Et ſunt,

Carnem, res, animam, poſcũt, iudex, perit, & ſic.

VNVM poſt mortem ſubſequens eſt, *Carnis,* vel corporis *vilitas & abiectio:* Nam anima vbi abſceſſit, corpus tanquam putridum cadauer, omnibus horrori eſt: Et cuius erat in vita gratiſſimus amplexus, fit eius (vt Auguſtinus ait) in morte horribilis aſpectus. Ab omnibus mox abijcitur, in terrę corde reconditur: Poſt quam abiectionem, reſoluitur in putrefactionem; Nam ſicut de putredine concipitur, ſic in eam reſoluitur; Deinde corrumpitur, à vermibus corroditur. Iuxta illud Iob 25. dicentis, *Homo putredo, & filius hominis vermis.* & Eccleſiaſt. 5. *Homo, cum morietur hæreditabit ſerpentes, beſtias, & vermes.* Nam (vt aiunt) de cerebro, poſt mortem, bufo naſcitur; de renibus ſerpens; de ventre lumbrici; de carne vermes; de lingua aſcalabus; de pelle tinea; de quibus corroditur, & ſic tandem reſiduum in cinerem reſoluitur, vnde Iob 34. *Deficiet omnis caro ſimul, & homo in cinerem reuertetur.* Reuertetur enim puluis in terram ſuam.

Pſa. 145.

O igitur (ait Bernardus) quid carni ſic blandiris anima neglecta? quo vilius ſterquilinium nullum. Quid enim fœtidius humano cadauere? quid horribilius mortuo homine? Verè qui iſtud ritè attenderet, non tam inordinato amore carnem amaret. Hinc cum heremita quidã; de pulchritudine mulieris tentabatur, vbi eam audiuit defunctam, cucurrit ad tumulum: vt videret qualis eſſet eius amor, & vbi abſterſit ſaniem, horruit eius viſionem. Cum igitur carnis voluptati ſatisfacere quæris, hæc ad mentem reducas, perpendens, quia caro, quam nũc accuratis dapibus paſcis, poſt ſcatebit vermibus; & fiet eſca rodentium, quæ nunc delectabiliter ſaginatur iocunditate ciborum; tanto vtique grauiorem exhalatura putrefacta fœtorem, quanto viuens ſuauiorem habuit mollitiem: vt patet in multis exemplis, vt narrat Damianus.

SECVNDVM poſt mortem contingens; imo plerumque dum adhuc homo eſt viuens, *Eſt amicorum pro rebus litigatio;* Nam moriturus nihil ſecum auffert, ſicut naſcens attulit nihil. Et ſæpe his ſua relinquit, quibus inimiciſſimus erat dum viueret; à quibus nullum poſt mortem auxilium recipiet. O quàm ſtultè agit qui neglecta anima, pro rebus theſaurizat.

TERTIVM ſubſequens, eſt angelorum pro anima certatio; Imo ipſorum dæmonum inter ſe altercatio. Hinc dicit Petrus Damianus. Iam vero poſt egreſſionem animæ à corpore, quis æſtimare poterit, quot armatæ iniquorum ſpirituum acies in inſidijs lateant; frementes cunei feralibus telis inſtructi tunc obſideant; &, ne tranſire liberè poſſit anima, velut militari more conſtipatæ legiones oppugnant. Patet ex iam dictis, quod bona hominis morientis, diuiduntur tribus: Nam *caro* datur vermibus, res hæredibus, *anima* malorum dæmonibus, vt vulgo dicitur in verſibus,

Dum moritur diues, tres concurrunt ibi lites,
Dęmon vult animam, carnem vermes, bona fratres.

QVARTVM ſubſequens eſt, *coram iudice præſentatio,* & particularis iudicij exceptio, & examinatio, ſententiatio, & damnatio. Nam (vt dicit Dionyſius) quamuis mors ſit valde in ſe pœnalis, & metuenda; nullatenus tamen ſic eſſet expaueſcenda, niſi mox eam concomitarentur duo nouiſſima alia, longè horribiliora, ſcilicet particulare iudicium, & formidoloſa ſententia pœnarum, vel purgatoriarum, aut infernalium. Et ideo dicebat Abbas Helias, *Tres* inquit, *res timeo, vnam quando anima egreſſura eſt de corpore: aliam, quando ſum occurſurus Deo: tertiam, quando aduerſum me erit ſententia proferenda.*

POSTREMO, ſubſequitur hominis poſt paucas exequias, cum ſonitu *perpetua obliuio,* & perit quaſi non fuiſſet: nam Pſa. 9. Eccl. 44.

Quod fuit, eſt, & erit, perit articulo breuis horę:
Ergo quid prodeſt, eſſe, fuiſſe, fore?

Et quia hic dicitur *poſt exequias,* poſſet hic ſtudioſus habere conſiderationes circa eas, conſiderando quomodo, & quare fiunt, quomodo fieri debent: Itemque de ſuffragiis, quibus eos proſequi habent: Quæ omnia tranſimus, ad diſpoſitorium Nyder, & Doctorum ſcripta remittentes. Hoc in calce hortantes, vt ſuperiora crebrius meditemur, & indubiè cõpungemur, & in omne promouebimur bonũ.

MEMBRVM V.

De quibuſdam exercitatorijs circa Mortem practicis.

VERVM quoniam ſunt duriora quædam corda, quæ ex meditabilibus ſolis nõ poſſunt compungi (quæ tamen in duritia perſtiterunt, in nouiſſimo erunt malè habentia. *Cor enim durum male habebit in nouiſſimis:*) Ideo, vt & iſti aliquatenus emolliantur, ſunt aſſignanda quędã exercitia de morte, vbi quę ritè fuerint exercitata, non poſſunt non mouere quantumuis etiam duriſſima corda. Et ſunt iſti, aquæ ſequuntur notatu digniſſima. Scilicet,

Exem-

Digitized by Google

Exempla efficaciſſima de morte tractare,	Sic enim	Audit	Mortē
Imaginem morientis mentis oculis præponere,		Videt	
In ſe affectum & diſpoſitionem morientis trāſponere,		Sentit	

Poſſet de ſingulis fieri ſermo prolixus; ſed connectimus exercitationibus, vnde pauca dicemus de ſingulis.

Primvm itaque, qui auditis ſuperioribus durus perſtiterit; quia exempla plus mouent quàm verba, exempla, quę de multis leguntur, quo multos compunxerunt, retractare debet; de quibus libros exemplorum legat, vbi inuenerit quomodo mortis memoria, multos & varios compunxit.

Secvndo, quia viſus efficacius rem apprehendit, amplius mouet, quàm auditus: ideo homo debet ſibi per imaginem proponere morientis, eam imaginariis oculis intuendo, audiendo, & ſecum dialogizando: quemadmodum Diuina ſapientia docuit diſcipulum in æternæ ſapientiæ horologio, quod plurimum confert, ſi creditur Dionyſio Catthuſiano qui etiam talem imaginem deſcribit, & loquentem couqueſtiuè introducit. Vnde qui hanc practicam noſſe volet, illos libros legat.

At quoniam nil ita hominem promouet, ac quando affectum rei alicuius in ſe transformat & aſſumit: Ideo maximè compunctionē inducit, quando homo in ſe diſpoſitionem & affectum morientis aſſumit. Sic ſcilicet ſe habendo, ſic de ſe cogitando, quaſi iam moriturus eſſet, ſicut in, *Beatus vir*, docetur. Et ita ſe illi exercitauere, de quibus Climachus ſcribit, quod etiam realiter obriguerunt, & exinde mirabiliter profecerunt, audiui de aliquibus, qui hoc ſe modo exercitabant, & miram compunctionem ſentiebant: immo ſic quidam ſe reponunt veſperi in lecto, velut iam mortui in ſepulchro.

Sed heu temporibus noſtris huiuſmodi exercitatio deſeritur; imo memoriæ vix admittitur. Nolumus cogitare horrenda, volumus nos exercitare in charitate Diuina; Et quidem valde laudamus; ſed certum eſt, quod vix ſine timore poteſt ſe homo conſeruare in ea. Conqueritur deſuper hoc in horologio ſapientia, præſertim de religioſis refugientibus huiuſmodi exercitia. Verendum ne *qui timet pruinam, irruat ſuper eum nix.*

Quod homo diſponere ſe debet ad mortem, & quare.

CAPVT II.

1 D*Iſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues.* Eſaiæ 38. Iam de tertio principali, ſcilicet de moriendi arte & diſpoſitione videndum; Sed quia multi multa ſuper eo ſcripſerunt, plurima diſpoſitoria moriendi plures fecerunt: paucis nos expediamus; debemus autē propter multa, ſtudioſè ad mortem nos diſponere, ſcilicet,

Eſt ſuaſumque, ars, eſtque bonum, factumque neceſſe.

Primo, quia hoc *ſuadetur* in Scripturis ſacris, vt patet, præſertim à Domino Ieſu, in Euangelio crebrius monente, *Eſtote parati.* Similiter à ſanctis doctoribus: vt apertiſſimum eſt. Luc. 12.

Secvndo, quia hoc noſſe eſt *ars artium*, & præſtans artibus & libris Philoſophorum; quæ ars heu! à paucis exquiritur, & fere ab omnibus ignoratur.

Tertiò, quia eſt *vtile* & commodoſum, ſcire artem iſtam, magis conferens, quàm lapides pretioſi, & aurum electum, nam vbi iam illa nil prodeſſe poterunt, hæc, ſi cognita fuerit, potens potenter aſtabit, & de timore imminētiæ conſolando liberabit. Nam hanc artem qui in vita didicit, bene ei erit in extremis. Eccleſ. 1. Magis proderit ſolius huius ſcientia, quam totius Philoſophiæ vana cognitio, vt dicitur in horologio Sap. Qui ſic illam excipit, ille ab omni dicta anguſtia liber erit.

Qvarto, monere nos debet exemplum, & factum doctiſſimorum & Sanctorum, qui huic ſcientiæ ſtudendo vigilantiſſimè inſudauerunt: vt legitur in Vitis Patrum de multis, Arſenio, Agathone, &c. quemadmodum videmus in verè venerabili Magiſtro Ioanne Gerſon, qui longè ante ſe diſpoſuit, & teſtamentum peregrini condidit.

Postremo, quia hoc eſt neceſſarium ei qui mori bene vellet: Nam (iuxta Bernardum) *venientem mortem nullus bene & hilaris excepit; niſi qui ſe ad ipſam; dum viueret, bonis operibus præparauit.* Et certè quia tranſitus iſte eſt periculoſiſſimus, ad eum ſecurè tranſeundum, magna animi præparatione eſt opus.

Ob hæc itaque & ſimilia, ſtudioſè huic arti inuigilare debemus, & ad mortem nos diſponere ſatagamus: Nam inſipiens (ait Seneca) primo moriendo mortem incipit; ſed ſapiens & virtuoſus, moriendo mortem vincit. Et quamquam omnes in communi huic arti ſtudere debent, quippe cum omnes communiter mori habent; pręcipuè tamen Religioſi, magis huic intendere habent, cum ad id eorum vita tendit. De hac itaque ſcientia, tria in ſumma videnda, ſcilicet,

Quomodo	Ad mortem nos diſponere debemus,	Vt poſſimus per mortem ad vitam attingere.
	Eam venientem debemus excipere,	
	In ea præſente debemus nos habere,	

MEMBRVM I.

Quomodo & per quæ, ad mortem nos diſponere debemus.

DE primo itaque notandum: Quod ſunt quædam diſpoſitiua mortis remota, ſcilicet,

Sis memor, & viuens, condens, orans, moriens-que.

§. 1. *Præparatio remota, ad mortem fœlicem.*

PRIMVM diſpoſitiuum eſt: *Sis memor*, id eſt quod frequens mortis meditatio, eſt quædam optima præparatio, bonorum multorum (vt ſupra tactum eſt) introductiua. Crebro igitur, qui bene mori volet, debet mortem, eius circunſtantia, & anguſtias, ad mentem reducere, & quo melius eius anguſtias euadere, & tutius eam ſuſcipere poſſit, perpendere, & trutinare. Nam euadere eam eſt impoſſibile.

ALTERVM diſpoſitiuum eſt, *Vitæ emendatio*, & in bona vita perſeuerantia: Vnde omnis, qui bene, & ſecurè mori deſiderat, ita ſemper purè, & cuſtoditè viuere debet, vt omni hora, cum Deus voluerit, ſecurè tranſire velit; *habens vitam in patientia, & mortem in deſiderio.* Hinc Gerſon ait, *Vixeris hic, & nunc, velut hic, & nunc moriturus: Vix enim fieri poteſt, vt qui bene vixerit, male moriatur.*

Eſa.38. Gen.30. TERTIVM diſpoſitiuum eſt *teſtamenti diſpoſitio:* iuxta præallegatum, *diſpone domui tuæ*, &c. Et iuxta illud Iacob: *Iuſtum eſt, vt aliquando diſponam domui meæ.* Et ſi *ſecularis* fuerit teſtamentum externum condat, cuius conditiones in Doctoribus requirat. *Spiritualis* aut, ſpiritualia diſponat, quemadmodum Auguſtinus condidit. Et Gerſon docet in teſtamento ſuo, Condendo (vt de beatiſſimo Auguſtino Patre noſtro legitur) domũ in patria, in qua requieſcat decedens è vita. Qui huius teſtamenti practicam ſcire deſiderat, ille Gerſonicum teſtamentum, & eius coram iuſtitię tribunali appellationem legat.

QVARTVM, eſt frequens, & ſedula pro bona morte oratio, vt ſibi faciat amicos in patria, dum omnes eum relinquent in terra; vt ſcilicet nunc orationem fundat ad iudicem ipſum Chriſtum; ad matrem miſericordiæ Mariam; ad Angelum proprium; Michaelem præſertim; & cæteros Sanctos præcipuos, prout Gerſon & Nyder tradunt orationes.

POSTREMVM, & ſingulare diſpoſitiuum eſt, *quotidie mundo mori*: Hinc Bonauentura, *Dum viuis in carne, morere mundo, vt poſt viuas Deo.* Qui ita hic mortuus fuerit, ſecurus morietur; tunc enim (ſecundum Gregorium) *non timebit facere, quod ſe nouerit bene didiciſſe.* Hæc de præparamentis remotis.

§. 2. *De præparamentis vicinioribus.*

III SVNT præterea alia præparamenta *magis vicina*, quibus ſe homo diſponere præſertim habet, iam in languore, & in morte vicina: Scilicet,

Sit patiens, ſpernens, ſocians, ſacra quoque conſtans.

PRIMVM eſt languoris, & *infirmitatis mortalis patiens ſuſceptio*; ſecundum quod nepoti ſuo ſcripſit Auguſtinus: Si Deum diligis, quod facit Deus diligis: Flagellum Dei ſuſtines, tuſſi laboras, pulmone deficis, &c. multimodo morborum genere aſficeris; Sed ad hæc ſi oculum habes, Dei dona ſunt; Flagellum Dei ne contemnas, ſed flagellatus dic Deo gratias. Non enim murmurando ſanaberis, imo omnino debilitaberis, qui contra Deum patrem medicum te opponis, &c. Nam patiens morbi tolleratio, grandis eſt animi purgatio, & pro peccatis ſatisfactio. Notet itaque hic ſibi quiſque quæ valent pro patientia.

ALTERVM eſt *rerum mundialium & inutilium excluſio*: vt poſſit ſibi vacare, & Deo; quemadmodum legitur de beato Auguſtino, quod nullum ad ſe intrare, per aliquot dies ſinebat: Et ſicut ipſe ſuaſit nepoti ſuo, vt cæteris ſpretis daret ſe Deo, conuerteret ſe ad parietem, reſpiciendo Chriſti imaginem, prout pulchrè ibi ſcribit.

TERTIVM, eſt de bono ſocio tunc aſſiſtẽte prouiſio: vt ſcilicet talem ſibi ante morbum eligat, qui tunc fideliter ſibi aſſiſtat, cum opus fuerit, & vbi res pro ſalute agitur. Scribunt autem multi, ſcilicet Gerſon, Nyder, & modernus quidam Anſelmus, quod huius aſſiſtentis officium erit, commonere infirmum, per quaſdam certas exhortationes, interrogationes, obſeruationes: De quibus multi prolixè ſatis ſcripſerunt, præſertim Gerſon in opere ſuo tripartito; Et ſocius eius Ioan. Nyder, in ſuo mortis diſpoſitorio, & alij plerique in Tractatulis diuerſis, de arte moriendi confectis. *Exhortationes* fient ad habendam patientiam, & Deiformem voluntatem; Ad intendendum ſaluti ſuę; ad gratiarum actionem; Similiter plures ſunt *interrogationes*, ſcilicet iſtæ,

Sunt quęrenda tibi, credis doleas, fatearis,
Proponis, niſi Chriſtum, ſi gratus, amas, des.

Sicut etiam ſunt quædam *obſeruationes*, quas ſocius habere debet; vt ſcilicet attendat, ne ſine ſacramentis moriatur; quod benedicta aqua crebrius aſpergatur; Crucifixi imago repręſentetur; Sacra lectio legatur; Ne ab amicis nimiũ infeſtetur; Ne ſpes nimia vitæ detur; Sufficiat tetigiſſe, hoc admonentes, vt de tali ſocio ſibi quiſque prouideat, qui hæc ſibi fideliter aſſiſtens agat.

QVARTVM, diſpoſitiuum eſt *Sacramentorum eccleſiaſticorum* deuota ſuſceptio, & primam ſollicitari habet de Pœnitentia, deinde Euchariſtia, tandem de Vnctione extrema. De quibus ſingulis pulchrè adhortatur Auguſtinus in Epiſtola vbi ſupra.

POSTREMO, tunc moriturus, ſollicitè habet attẽdere, vt *conſtans permaneat in fide catholica*: Et non ſe deijci permittat, per diaboli tentamenta. Hinc pulchrè docet Auguſtinus vbi ſupra, quod virtutes theologicas debet actuare: Quomodo videlicet articulos fidei profiteri; quomodo ſpẽ ſubleuare, & dilectionis charitatem actuare: de quibus legatur ipſe; aut Nyder in ſuo diſpoſitorio.

Summè etiam conſtans eſſe debet, ne deijciatur per diaboli tentamenta; nam tunc maximè diabolus impugnat, & præſertim per iſta,

Impatiens, non ſpero, fidem, placeant, releuat ſpem.

IIII PRIMA, qua impugnat tentatio eſt impatiẽtia, ad

ad quam homo eſt diſpoſitus propter dolorem infirmitatis: quæ ſi admiſſa fuerit, ſignum eſt imperfectæ charitatis; nam (vt Hieronymus ait) qui cum dolore ęgritudinem ſuſcipit, ſignum eſt quod Deum ſufficienter non diligit. Studeat ergo ſe hic homo præmunire, & quæ patientiam inducunt cogitare, & dicere cum Auguſtino, O pie Ieſu, *hic ſeca, hic vre, vt in æternum parcas.*

SECVNDA eſt *deſperatio*, qualis Euſebium diſcipulum Hieronymi tentauit; Sed contra hanc, homo Dei miſericordiam & pietatem opponet, tentatori dicens, Quod infinities eſt Dei pietas maior, quam omnis noſtra iniquitas; ſciens quod illa hora non poteſt grauius Deum offendere, quam de eius miſericordia deſperare. Et vt viriliter poſſit reſiſtere, in vita debet ſibi remedia contra tentationem prouidere.

TERTIA eſt *de fide*, de qua maximè impugnant, ſciens quantum eſt fundamentum ſalutis: Quod contra homo ſymbolum ſæpe repetere debet, & diabolum contemnere, & non cum eo diſceptare, vel facere ſibi legi ſcripturas, maximè Euangelia. Quidam domus noſtræ Prior, petijt capiti ſuo, in hora ſui exitus ſupponi Euangelia: vt in fide illorum, in pace obdormiret; vt patet in exemplis.

QVARTA eſt de *ſuipſius complacentia*, quo maximè deuotos impugnat, quæ valde eſt timenda, & mens in fundo humilitatis profundanda.

POSTREMO, tentat de *ſpe reconualeſcentiæ*: vt ſic hominem retrahat, ne ſe diſponat; quod contra homo maximè morti ſe per dicta diſponere debet; vt ſecurè eam excipiat. Hæc de diſpoſitiuis.

§. 3. *Ad quorum inſtar moriturus ſe diſponere debet.*

V NOTA quoque tertio circa hanc præparationem, (quantum in ea vis omnis cōſiſtit) quod ſecundum quorundam ſimilitudinem, ad mortem excipiendam nos præparare debemus; ſcilicet ſecundum horum formam,

Præſto velut mercans, dux reddens, ſponſaque, ſeruus.

Hoc eſt PRIMO ad mortem parati debemus eſſe, ſicut *prouidi mercatores*, qui pręparãt merces, ad nundinas profecturi; Et velut prudentes œconomi, qui prouident ſibi neceſſaria, & ſuæ familiæ. Vnde & in meſſe mane ſurgunt, inſtanter colligunt, nec ante noctem ceſſant: Sic etiam quiſque fidelis, ſibi manipulos, & merces meritorum colligere debet; nam

Quod ſibi quiſque ſerit præſentis tempore vitæ:
Hoc ſibi meſſis erit, cum dicitur, Ite, venite.

Prouerb. 10. *Qui congregat in meſſe, ſapiens eſt: Qui autem ſtertit in æſtate, filius eſt confuſionis:*
[Ma]tt. 6. hinc Dominus monet, *Theſaurizate vobis*, &c.

SECVNDO, parati eſſe debemus ad mortem, ſicut *duces & ſtrenui bellatores* ad pugnam; Nam licet omnis noſtra vita, ſit iugis quædam militia; in morte tamen acutior inſtat pugna; vbi etiam res agitur pro anima, poſtquam non reſtat alia; Simus ergo illorum more parati, caſtra muniendo, arma parando, & adiutores cōquirendo: Sic enim poterimus triumphare: Et ob hanc pugnam puta dictum, *Memento belli.* Iob 40.

TERTIO, velut *reddituarij*, Domino rationem poſituri, de receptis bonis Domini ſui, de ſeruitiis omiſſis, & tranſgreſſionibus admiſſis, cæterarumque rerum abuſu. Tales hi præ ſollicitudine indeſinentius cogitant, ſcribunt, computant, ne in die rationis confundantur; Sic & nos ſollicitius agamus; tunc enim & nos audire habemus illud Lucæ 16. *Redde rationem:* Tunc homo ille nobilis rediens, ponet rationem nobiſcum; Quam vt tunc benefacere poſſimus, euangelici villici cautelam ſectari debemus, amicos nobis faciendo, iuxta quod Dominus hortatur.

QVARTO, parati eſſe debemus, *ſicut ſponſæ ad nuptias profecturę*, quæ ſe parant, & exornant, vt placeant ſponſo: Hinc Apocal. 19. *Venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe: Venit ſponſus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias;* O parati ſimus ne excludamur. Matt. 25.

POSTREMO, ſicut Dominus ait, parati eſſe debemus, *ſicut ſerui Dominum ſuum expectantes:* Iuxta illud Lucæ 12. *Sint lumbi.* Vbi monet declinare mala, agere bona: Et ſic ſollicitè Dominum expectare, paratis præmia pollicens, imparatis pericula indicens. Horum itaque inſtar nos diſponamus, vt ſic ſecurè mortem excipiamus, & Domini monitionem impleamus, dicentis, *Eſtote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet.* Ibidem

MEMBRVM II.

De affectu, & deſiderio Mortem excipiendi.

NVNC de altero principali videndum, *quomodo, ſcilicet, & quali affectu, mortem venientem, vel venturam excipiemus*: & expectabimus: Nam ait Auguſtinus & Nyder hic grandē vim conſtare, vt ſcilicet ſe habeat homo bene in excipiendo, vel mortem non extimendo. Et inueniemus hic tripliciter morituros diuerſos, nam quidam, VI

Valde malè timent mortem,	Vt	Apertè mali.
Rationabiliter timent mortem,		Boni.
Nil vel modicum pauent eam.		Perfecti vel pueri.

PRIMI qui malè mortem timent, & malè ſuperuiuere deſiderant, ſunt vel increduli, affectione ſęculi irretiti, apertè mali: Quibus omnibus mors occurrit anguſtioſa, & horribilis; Et qui ſic mortem timet, grauiter peccare poteſt, quia ſignum eſt, quod præfert bona ſæculi, bonis regni.

SECVNDO, ſunt aliqui qui rationabiliter mortem timent, & licitis modis refugiunt, & Deum pro productiori vita orant, ob cauſas infra iam notandas,

Vt ſatagas, meritum, amplifices, proſis, cupe vitam.

PRIMO diutius viuere exoptant, vt plenius ſatisfaciant: Non enim præſumunt, quod di-

gnè

Digitized by Google

gnè conſummauerint, quæ in corpore agere
debuerunt; nec quod ſufficienter pro peccatis
pœnitentiam egerint; Vident autem mortem
auferre tempus, locum, & inſtrumenta pœni-
tendi; Et quod hic poterit breuiter, & leuiter
ſatisfacere, quæ longo poſt purgatorio habet
luere. SECVNDO, vt diutius viuendo meri-
tum amplificent, reſarciantque plenius negle-
cta, & gloriam ſuſcipiant ampliorem: Sed heu
crebrius, qui maior eſt ætate, maior eſt & ini-
quitate! TERTIO, vt per dona naturæ, & gra-
tiæ conceſſa, aliis adhuc prodeſſe poſſint: vt
dicunt de Ezechia; & Paulo neceſſarium erat
manere, &c.

§. 1. *Nota documenta.*

VIII EX quibus Nyder hæc elicit documenta.
PRIMVM quod nec ratione ſenectutis,
nec pœnalitatis, nec finiendæ vtilitatis, abſolu-
tè, & de communi curſu, eligenda eſt mors; Pa-
tet iſtud documentum, quia permanere in vita
bene viuendo, *docet ſcriptura*, quæ longitudi-
Pſal. 90. nem dierum iuſtis promittit, & commendat.
Eccl. 23. Exempla, nam Sanctis orantibus eſt negatum,
vt patet de Helia, Iona, & cæteris: *Docet & na-
tura*, quæ fructum immaturum horret, & eſſe
ſemper appetit; Quare nullus mortem nimium
deſiderare abſolutè debet; nec propter aliquã
tribulationem ſibi inferre manus, (quod eſt
horrendiſſimum facinus vt patet ex dictis.)
Sed debet præſeruare: vnde Auguſtinus
in vltimo vitę medicos admiſit; dictum eſt au-
tem *abſolutè*, quia conditionaliter licet; Et *de
communi curſu*, quia reuelatis licet: vt de Ioan-
ne Euangeliſta & de aliis ſanctis. Reliqua docu-
menta ſunt breuiter iſta.

ALTERVM quod conandum eſt ſtudio, &
arte, vitam prolongare, vitando quæ irrationa-
biliter poſſunt vitam abbreuiare, maximè his
qui aliis poſſunt prodeſſe.

TERTIVM, quod ſit magnum beneficium,
excepiſſe tempus pœnitentię longum, quare
valde ſuper eo regratiandum: nam in iuuentu-
te eſt ignorantia magna, paſſiones effrenes, ex-
perientia nulla; & per conſequens, qui iuuenes
moriuntur, multis bonis, quæ ſenes poſſunt,
priuantur.

QVARTVM, quod infirmi nonnulli pec-
cant, quod medicos admittere nolunt, contra
Scripturam dicentem: *Altiſsimus de terra*, &c.
& Eccle. 38. *Ante languorem adhibe medicinam.*
Et ſi beata Agatha renuit, hoc fuit (ait Tho.)
quia à Domino certificata fuit.

QVINTVM, quod ſeruus Dei non ex om-
ni occaſione, pro Chriſto ſe morti exponere
debet; ſed opportunè pro loco, tẽpore, & pro-
fectu: Alioquin ſibi vitam abbreuiaret; & Do-
minus fugere docuit. Hæc Nyder.

Mat. 10. TERTIA differẽtia eſt, quia aliqui nihil, vel
modicum timent mortem, ſaltem ſecundum
rationem, quod dicitur propter appetitũ ſenſi-
tiuum: Et de horum numero ſunt pueri, fatui,
& viri Sãcti perfecti, vt martyres, bonum teſti-
monium conſcientię habentes. Sed & quidam
pauperes, nulli rei per amorem inhærentes; ſed
& quidam cupidi honoris, & audaces, vt ſcribit
Climachus dicens, Non hoc eſſe vſquequaque
bonum, quia præſumptuoſum; ſuadens vt ſe
homo diſcutiat plenariè, nec præſumat, nec ſe-
curus ſit inconſultè. Notetur hic exemplum de
in morte ridente propter arrogantiam; vnde
grauiſſimis pœnis fuit addictus.

Optimum ergo eſt, cum metu pariter, &
gaudio cum pauore & deſiderio mortem exci- IX
pere, vt Paulus, & alij: Ita tamen, quod deſide-
rium debeat præualere, quo libenter, & deſide-
ranter, cũ oportet, mori velit; Ad quod valet
multiplex inductiuum, ſcil.

Vult Deus, eſt & opus, mala deſert, fert bona finis.

PRIMVM eſt ad *Dei voluntatem conformitas*,
quia ſcilicet id Deum velle vident, cui ſe con-
formare habent: Apertè, cum apertè; conditio-
naliter, cum de ea ſint incerti; hinc Auguſtinus:
Qui Deum diligit, quod facit Deus diligit, vn-
de & illius voluntati ſe ſubdit. Et qui ſic con-
formis Dei voluntati, ſuſcipit mortem, ille &
pœnales anguſtias leuius ſuſtinet, pacem con-
ſcientiæ habet, hic purgatur, & poſtea grandi-
ter rèmuneratur.

ALTERVM eſt *moriendi neceſsitas*, velimus
enim nolimus mori habemus: Cum ſit itaque
tanta nobis moriendi neceſſitas, de neceſſitate
virtutem faciamus; vt dum naturæ tributum
perſoluimus, apud Deum meritum acquira-
mus. Certum eſt ergo, quod moriemur, cur er-
go murmuramus? Prorſus enim (iuxta Sene-
cam) Eadem ſtultitia videtur, dolere, quia non
vixeris antequam ipſe vixiſti; qualis eſt, quia
non viues poſtquam viuere deſines.

TERTIVM eſt, propter quod mors, non X
ſolũ libenter; ſed & excipienda eſt gaudenter,
quia omnia mala aufert, & animam iuſti libe-
rat ex eis: Aufert enim in genere tria, propter
quę iuſti migrare optant ex hac vita,

Scilicet { Timorem tranſgreſſionis, Dolorem afflictionis, Feruorem æmulationis.

PRIMO, *timorem tranſgreſsionis*, qui continuè
ſollicitat animam viri iuſti, vti Paulus habet:
Scio quod in me non habitat bonum, &c. vnde ex-
clamat: *Infœlix ego homo*, & ideo dicitur, *Me-* Rom. 7.
lior eſt dies mortis, die natiuitatis; id eſt, certior, Eccl. 7.
ait Hiero. Infinita ſunt pericula inter quæ am-
bulamus, quid nos inter dæmonum laqueos,
hominum gladios, carnis motus illicitos, re-
manere delectat? Cur enim (ait Bernar. vitam
iſtam tanto affectu deſideramus, in qua quan-
to longius viuimus, amplius moleſtamur, &
peccamus? Cupiamus ergo diſſolui, cum Apo-
ſtolo, dicamus, *Infœlix ego homo*, &c. Philip. 2.

ALTERVM, quod aufertur, eſt *dolor affli-
ctionis*: Innumeræ enim ſunt infirmitates, ſolli-
citudines, anxietatis tædia, quæ adeo fatigant,
vt etiam perfecti, magis mori velint, quã viue-
re; vnde Tob. 3. *Expedit mihi magis mors, quam
viuere*. Et Apoſtolus: *Supra modum grauati ſu-* 2 Cor. 1.
mus, ſupra virtutem, ita vt tæderet etiam viuere. Si
ſic grauantur arietes, quid oro facient oues?

TERTIVM propter quod iuſti mortem
optant, & quod per mortem aufertur, eſt *fer-
uor æmulationis*: Conſiderantes namque viri
Sancti, omnia, quæ ſub ſole geruntur, peius a-
gi; peccata multiplicari; veritatem occultari,
&c. tabeſcunt in ſe & mori petunt: vt patet de

Digitized by Google

1. Mac. 2. Matathia qui dixit, *Va mihi, vt quid natus ſum videre contritionem populi mei?* Sic & de Hiere-
Ier. 9. mia, & Helia, hinc Eccl. 4 *vidi calumnias*, &c.
3. Reg. 19. *& laudaui magis mortuos, quam viuentes.*

QVARTVM propter quod mors deſideranda, quia plurima confert bona: hinc Paulus:
Philip. 1. *Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Sanè perfectis eſt mori lucrum, quia de labore tranſeunt ad requiem; de vilitate ad gloriam; de paupertate ad regnum. de morte ad vitam. Bernardus: Veniet mors, ſed ſomnus erit electis Dei, ianua vitæ, initium refrigerij, ſcala aſcenſionis in cœlum.

Vnde ſuper illo verbo Eccl. 41. *O mors bonum eſt iudicium tuum*, &c. quidam ſic dicit. Sanctis profectò bonum eſt iudicium mortis, quia illis non aliud eſt, niſi exitus à carcere, finis exilij, laborum conſummatio, ad portum applicatio, peregrinationis terminus, grauiſſimi oneris depoſitio, de domo ruinoſa liberatio, reditus ad patriam, ingreſſus ad vitam.

POSTREMO, ideo mors libenter excipienda, quia eſt *finis omnium, perducens ad finem deſtinatum.* Quod ſi ſingula (Boetio teſte) reditu ſuo gaudent, repetunt proprioſque recurſus; quam nos libenter ad talem debemus properare finẽ; ad præparatum ſcilicet regnum. Nam non poteſt quis (ait Gregor.) niſi morte interpoſita, tranſire ad regnum; vnde debemus eam ſuſcipere, velut nuntium vocantem ad gloriæ brauium. Ob hęc itaque, & conſimilia, debemus libenter, imo & gaudenter excipere mortis iudicia: Et hoc velut ſponſa coniungenda ſponſo, velut intensè quippiam deſiderans fruiturus deſiderato. Hic bonus Religioſus, ſic debet viuere, quod ſemper deſideret, ſi Dei voluntas eſſet, mori.

MEMBRVM III.

De modo moriendi.

XI IAM POSTREMO videndum de *modo moriendi*, quomodo ſcilicet mori debemus. Et breuiter dicimus, quod ille moriendi modus eſt melior, qui Chriſto conformior eſt. Cuius omnis actio; Imo & mortis paſſio noſtra eſt inſtructio. Vnde qui bene mori voluerit, illas cõditiones, quas Chriſtus moriendo habuit, tenere debet, & ſunt hæ,

Orans, clamauit, flet, commendans animam dat.

PRIMVM eſt, quia moriturus in cruce *orauit pro ſe*, pro alijs, & inimicis; Nam dicitur oraſſe
Pſal. 21. Pſalmos illos, *Deus meus reſpice*, & octo ſequẽtes, vſque ad illum verſiculum, *In manus tuas*, &c. Sic & beatus Auguſtinus in extremis, ſeptem Pſalmos pœnitentiales crebrius ruminando orauit; & in extremis orare ſuadet dicens, *Omnibus expletis oratio tibi neceſſaria eſt.* Vnde & pulcherrimam orationem formauit deſuper vt patet. Quorum exemplo, & nos orare debemus, aut ſaltem coram nobis orationes à Gerſon, & alijs editas, legi faciamus.

SECVNDO, vt Euangeliſta ait, *Ieſus voce magna clamauit*, vnde nos clamare fortiter, nõ voce, ſed corde debemus: Nam plus attendit Deus cordis deſiderium, quàm clamorẽ intenſum; Vnde & hic putamus, (vt quidam ait) clamare, vt non aliud ſit, niſi peccatorum remiſſionem fortiter deſiderare, & vitam intensè aſpirare futuram.

TERTIO, fleuit in cruce, Apoſtolo teſte: *Cum clamore valido, & lachrymis*, cuius & nos Heb. 5.
exemplum inſectantes, plorare non tam oculis carnis, quàm lachrymis cordis debemus, verè pœnitendo de omnibus peccatis: Neſcimus enim ſi vnquam verè pœnituerimus.

QVARTO, animam Patri commendauit dicens. *In manus tuas*, &c. Sic & quiuis animam ſuam Deo commendare debet verbis eiſdem; Nam magnæ ſunt efficaciæ, iuxta Gerſonem: Vnde & ipſe, vt ſcribit, de ſe decreuit ea ſæpius dicere in vita, vt in morte haberet ea in promptu; Quod & fratri ſuo Cęleſtino ſuaſit, & vltima verba ſancti Stephani his adiungenda cenſuit, ſcil. Domine Ieſu, accipe ſpiritum meum. Act. 9.
Quæ etiã in principio ferè omnis operis, vterque eorum legere conſueuit: vt tunc rata ipſa haberent, vt ſuper Magnificat dicit.

POSTREMO, Euangelio teſte Dominus Ieſus *expirauit*, ſpiritum emiſit, & *animam Pa-* Mat 15.
tri tradidit; Sic & Chriſtianus omnis, animam ſuam Deo tradere debet, voluntariè ſcilicet moriendo, in honorem Dei, eius voluntatem ſuæ conformando. Qui ſic ſe in moriendo haberet, ille de morte ad vitam tranſiret.

DISTINCTIONIS IV.

TITVLVS V.

ORDINE XXX.

De regione Iudiciali.

MEmor eſto iudicij. Eccleſiaſt. 38. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſ-* 2. Cor. 5.
que prout geſſit. vt dicit Apoſtolus.

REGIO QVINTA, & alterum nouiſſimorum eſt, *Regio iudicialis*, & iudicium finale: Ad cuius ingreſſum poſſunt eadem incitare illa omnia, quæ ſupra de morte ſunt adducta. Nam & huius iudicij memoria, non minus, quã mortis eſt fructuoſa: Nam & omnium illorum effectuum illic memoratorum cauſatiua, ſi intẽtè fuerit celebrata. Nam hoc iudicium multo terribilius eſt morte temporali; imo & pœnis inferni, ſaltem ad tempus, prout Sanctus Iob c. 14. dixit, *Quis mihi tribuat vt in inferno protegas me, & abſcondas me donec pertranſeat furor tuus?* Nam nec mors corporis multũ (vt aiunt) eſſet expaueſcenda; niſi propter iudicium, & ſupplicia horribiliſſima ſubſequentia. Vnde colligi poteſt, quod eius memoria non ſit minus efficax, & virtuoſa: Quippe quæ etiam timorem inducit; hominem in bono ſollicitat; & non ſolum à maximis, verumetiam à minimis quibuſque peccatis cohibet, & omnia contemnere facit,

Sollicitat, timet, atque cauet, ſpernit, bona plura.

Nihil enim æquè (vt multorum Patrum ſententia eſt,) ſollicitat in bono opere, quẽadmo-

dum ſi quis ſemper ſollicitus fuerit, & memor ſe cuncta agere coram illo tremendo iudice, & de omnibus illi oportere reſpondere.

PORRO quantum timorem generat, Abbas Macharius nouit qui dixit, Tanta eſt terribilitas diuini iudicij, quod ſi quis dignè perpéderit, oſſa eius vix carni adhærebunt; Iuxta illud
Pſa. 101. *A voce gemitus mei, adhæſit os meum carni meæ.* Et ideo Hieronymus ait, *Quotiens diem illum conſidero, toto corpore contremiſco.*

TERTIVM quomodo etiam à minimis peccatis cohibet, ex Vitis Patrum patet: Vbi cum quidam ſenum iuuenem diſſolutè ridentem conſpexiſſet, dixit, *Coram cælo & terra rationem reddemus totius vitæ noſtræ, & tu rides?* quaſi diceret: Si iudicij illius diſtrictionem noſceres, etiam à leuiſſimis peccatis te cohiberes.

QVOMODO etiam omnia mundi docet ſpernere, pulchrè Hieronymus docet in regula dicens: Qui iudicium illud meditatur, fatuiſſimus ſi appetit quicquam de ſæculo, & pompis eius. Nam huius, ſi non prætermittatur lectio, nil vanè appetetur in ſæculo. Et ideo ait Gregorius: *Quod præſentis temporis ita agenda eſt lætitia, vt nunquam amaritudo ſequentis iudicij recedat à memoria.* Nam ſic optimè refrænabitur omnis vana concupiſcentia.

POSTREMO, & alia complura bona adducit, quia ad omnē virtutē, omneq; bonū incitat vt latè declarari poſſet. Et ideo Patres in heremo, bene profecerunt, quia hanc iudicij memoriam nunquam prætermiſerunt: ideo tam dira, & dura egerunt, quia à *verbo aſpero* in iu-
Pſa. 90. dicio audiendo timuerunt, & præcauerunt. Hinc crebrius ad hanc memoriam ſubiectos admonuerunt. Videantur Gerſonis compunctiuæ admonitiones, &c. Hinc Abbas Paſtor, ex huius memoria iudicij, omnes ad fletum concitauit. Hieronymus: *Siue comedo, ſiue bibo, ſiue aliquid aliud facio, ſemper mihi videtur tuba illa terribilis, ſonare in auribus meis: Surgite mortui venite ad iudicium.* Tantorum itaque exemplo Patrum nos attracti, Scripturarum monitis incitati, vtilitate pellecti, regionem hanc iudicialem ingrediamur, & quæ in ea fiunt ſedulius recordemur.

§. I. *Quomodo lata ſit regio Iudicialis.*

II LATISSIMA autem eſt hęc regio iudicialis, multiplex iudicium, potiſſimum triplex complectens, de quibus ſingulis plura poſſent meditari; ſed non niſi de vno; ſcilicet generali, nobis agendum. Eſt autem triplex iudicium,

Scil. { Præſentiale, / Particulare, / Generale, } Vbi iudicat vt { Pater filium: / Dominus ſeruum: / Irat⁹ inimicū.

Huius triplicis iudicij crebrius meminit Gerſon dicens, vtile eſſe cuiuſque retractationem: vt patet in libro de Monte contemplationis. Et habet quodque magnam meditationum fœcunditatem, ſed non à nobis eruendam. Qui de iudicio præſentiali hoc eſt diuinæ diſpoſitionis, aliqua videre volet, ille Antoninū in quarta parte ſummæ videat, vbi enumerat ſeptem Dei iudicia iure memoranda; ſcil. circa primi hominis correctionem; humani generis redemptionem; aduerſitatis, & proſperitatis habitationem; hominum electionem & reprobationem; ſtatuum eorum diuerſitatem; malorum tolerationem; bonorum multam variationem. Quæ ſingula qui conſiderauerit, iure dicere poterit, *A iudicijs enim tuis timui.* De Pſa. 118.
particulari iudicio, facile ſcitur ex generali, de quo nunc agendum nobis.

De iudicio autem generali, multa ſe & numeroſa offert materia conſideranda, de qua tamen numeroſitate non niſi deuotiora ſunt nobis proſequenda, reliqua breuiter tangenda: Vnde in genere hęc tria ſunt agenda; Nam ponemus aliqua,

Primo meditabilia intellectiua, / Secundo deuotionalia compunctiua, / Tertio exercitij practicamenta, } pro { Studioſo / Affectuoſo. / Exercitato.

Vt ſic quiſque in huius regionis nundinis, inueniat quæ ſunt de ſuo foro.

MEMBRVM I.

Conſiderabilia de extremo iudicio pro Studioſo.

PRIMVM itaque in hac regione Iudiciali, III habet ſtudioſus abundantiſſimam materiā exercēdi ingenij, & intellectualiter meditandi, non ſolum de ipſo iudicio; ſed & multis antecedentibus, vel concomitantibus illud: ſcilicet in ſumma, de iſtis,

De {
Aduentu, qualitate, regno, & deceptione Antichriſti;
Enoch, & Heliæ miſſione, prædicatione, & duratione;
Mundi conflagratione, purgatione, & innouatione;
Generali corporum reſurrectione, & ordine;
Iudicij generalis perfectione, & ſubſequentibus.
}

De ſingulis iſtis copioſè diſſeri poſſet; ſed prolixitatem vitantes, remittimus ad compendium Theologię; Speculum morale; ad ſcripta Doctorum ſuper quartum: in quibus copioſiſſimè proſecutum eſt de ſingulis; ſuadentes vt de his, potiſſimum de ſæculi conſummatione, & corporum reſurrectione, crebrius ſtudioſus meditetur, nam mirifica, & vltra Matt. 19. & 24.
quam creditur in eis latent: vt mira de reſurrectione Guilielmus Pariſienſis in de vniuerſo corporali ſcribit; imo & Auguſtinus in de Ciuitate Dei, dicit, omnem ſuperexcedere ſenſum illius futuri ſęculi ſtatum. Vnde & nomine regenerationis & conſummationis, in ſcriptura à Domino denominatur, & grādi deſiderio à ſanctis non ſolū, ſed & beatis animabus deſideratur & expectatur. Verè grande quiddam erit, & longè grandius, quàm credere in hac anguſtia poſſimus. Non enim poteſt non eſſe magnum, quod tantopere à Sanctis, & Beatis in Apoc. c. 6. dicitur eſſe deſideratum.

Digitized by Google

Nullus itaque labor iam corpori ſit grauis, quo poſſit attingere ad gloriam tantæ reſurrectionis.

SED cæteris meditabilibus omiſſis, ad iudicium veniamus. Circa quod ſtudioſus hæc inquirere poſſet,

Iudicium quod erit, cur, quando, & vbi, rapientur.

IV PRIMO poſſet conſiderare, quod iudicium generale ſit futurum: quod Auguſtinus 22. de Ciuitate Dei probat per totum; Et probari poteſt:

Ex authenticis Scripturis. Scripta, *ex catholicis aſſertionibus.* fides, *Apoſtolorum, & Doctorum ſcriptis* Sancti,
Multis rationibus. Ratio, *Gentium vatibus.* Gentes quoque, *Manifeſtis exemplis.* factis.

Habentur hęc in Doctorum ſcriptis latè deducta.

SECVNDO, conſiderare poterit generalis iudicij conuenientiam, & cauſam: cur ſcilicet poſt particulare, fiet iudicium generale; Et hęc ſunt, vt dicitur in pantheologia,

V *Propter gloria ſua, & Sanctorum oſtenſionem.* Glorificet, *Propter certitudinem.* certi, *Plenam retributionem* pleni,
Vt ſeparatio ſiat à malis. ſimul vtile, *Quia non vltra tunc mutari poſſunt.* mutet.

VI TERTIO, inquiri poteſt *de tempore quando fiet*: Et tenent Doctores, quod à nullo intellectu creato purè poteſt hoc determinari. Quod Raynerius vbi ſupra probat ex quinque, ſcilicet ratione poteſtatis, multitudinis, ſimilitudinis, ſollicitudinis, &c. Nolumus hic quidpiam dicere, qui de hoc aliquid videre volet, legat doctos: Et præſertim Ser. Domini Petri de Aliaco; plenè.n.& latè agit; in hoc multos, præſertim Arnoldum de Villanoua cōfutans, qui certè determinare hoc ex Scripturis præſumpſit. Nihilominus tenens contra Sanctum Thomam, quod ſcientia huius temporis eſt Eccleſiæ reuelabilis, non ſolum de poteſtate abſoluta, ſed & ordinaria, quod Deus talem ſcientiam, ſic ſibi ſoli non reſeruauit, quod ordinauerit eam alteri nunquam reuelare. Item
VII pulchrè de hoc Auguſtinus in epiſtola apud Eſichium.

QVARTO, videre poterit de loco, & tenent quod in valle Ioſaphat, iuxta illud Ioel c.3. *Congregabo omnes gentes, & educam eas in valle Ioſaphat, & diſceptabo cum eis.*

1. Theſ. 4. POSTREMO, poterit conſiderare, de adductu omnium in iudicio, & de raptu viuentium, iuxta Apoſtolum: *obuiam Chriſto in aera.* quomodo ibi fiet mox integra, non moroſa conuerſio; & multiplex in momento operatio. Hæc paucis, pro ſtudioſis materia aſſignanda tetigimus, reliquum eſt, vt ad compunctiua nos vertamus.

MEMBRVM II.

Meditabilia compunctiua pro deuoto

IAM nunc deuotis compunctibilia adminiſtremus, quæ hic ſunt in multa copia, ſi intētè perſpecta fuerint, & ritè dijudicata. Et in genere poterunt recitari iſta,

Scilicet { Præcedentia ſigna,
Concurrentia horribilia,
Sententia, & eam ſequentia.

§. 1. *De ſignis iudicium præcedentibus.*

PRIMVM itaque debemus tractare iudicij tremenda ſigna; quæ tam ſunt horrenda, vt etiam ſi nulla alia eſſent ſubſecutura horribiliora, merito ab eis timeremus; quæ crebrius & à Prophetis, & à Domino ſunt commemorata: vt eorum memoria, compungeretur mens dura. Solent autem hæc diſtingui ſub triplici differentia, ſcilicet vt quædam ſint ſigna remota, alia propinqua, alia proxima. Nos autē volumus ea ſimul in generali complecti. Vnde nota, quod hęc ſigna erunt in omnibus tribus.

Enumeratio ſignorum in particulari.

NOTVLA I.

PRIMO in *dæmonibus*, tunc enim (vt dicitur in Apocal. c. 20.) *Sathanas ſoluetur*, id eſt poteſtas eius relaxabitur, quæ Dei voluntate, & Dominicę paſſionis virtute fuit refrænata: Permittentur enim Dæmones fortius ſolito tentare homines, vehementius impugnare, vehementius perſequi, & amplius inſæuire, ad maiorem probationem bonorum, & ſubuerſionem iniquorum. Vnde ſolutus totam rabiem ſeu crudelitatem ac aſtutiam exercebit, ſciens quia modicum tempus habet, vnde multas horribiles commotiones in homines excitabit, ac totum mundum mirabiliter, ac horribiliter contra eos mouebit: *Væ, væ tunc habitantibus ſuper terram ad quos deſcendet diabolus in ira magna.* O anguſtiæ quantæ, quantæ tribulationes, perpeti tales hoſtes. VIII Apoc. 12.

SECVNDO, ſigna erunt, & commotiones *in hominibus*, vt dicit Ioel ca. 2. *Conturbentur omnes habitatores terrę, quoniā veniet dies Domini*, &c. De quibus ſpecialius Dominus dixit, Lucæ 21. *Erunt prælia, & ſeditiones*, vt exterius interiuſque turbentur. *Surget gens contra gentem*, &c. Tunc enim erunt in eis, tempora illa periculoſa: Itaque erit in ipſis charitatis infrigidatio, & inundatio iniquitatis. Et ideo vndique conſurget in eos horrenda commotio, vt latè proſequitur Vincentius in ſpeculo. Tunc eis magna inerit tribulatio, de cuius ſolius auditu tinnierunt Prophetæ aures, & diſſolutæ fuerunt eius compages. Luc. 21. 2. Tim. 3. Pſal. 118.

TERTIO, erunt ſigna, & cōmotiones in elementis omnibus, nā in *terra* erit ſterilitas, & fames magna, terræmotus magni, & quam plura alia horrenda. In *aquis* etiā ſimiliter erunt inun-

dationes [illegible], ſonitus inauditi, procelloſæ tẽpeſtates, portentuoſæ vndarum eleuationes, & depreſſiones; ita quod videntes turbabuntur timore horribili, tremẽtes pre anguſtia ſpiritus.
Sap. 5. *In aere* quoque multiplices (vt aiunt) cõmotiones erunt, vt infectiones maximæ, vnde orientur morbi, & peſtes; Tonitrua, coruſcationes, fulgura, & tempeſtates, & grandines, Æſtus intolerabilis, ventorum concuſſus, & turbines. Quæ omnia tam erunt vehementia, & crebra, [illegible] creditu difficilia: Ita, quod *areſcent homines præ timore*, & expectationis anguſtia. *In igne* etiam horrenda ſigna fient: Nam teſte Ioele c. 2. *Ante faciem iudicis ignis vorans, & poſt eum flamma exurens.* Omnia enim igne conflagrabunt, qui erit terram innouans, bonos purgans, malos crucians. Hinc quidam,

Ignis vbique ferox, ruptis regnabit habenis.

Sic ergo ſigna erunt in omnibus elementis.

QVARTO erunt ſigna *in corporibus cœleſtibus*, & cœli. Et hoc in Sole, Luna, & Stellis, & varijs, & horrendis impreſſionibus. De quibus
Luc. 21. Dominus, *Erunt ſigna in Sole, & Luna*, &c. Et
Ioel. 2. in Propheta. *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem.* Quæ autem horrenda, & multiplicia, in ſingulis his cœli corporibus erunt ſigna, ille videat Sanctorum expoſitiones, & ſermones de aduentu ſuper Euangelia, & inueniet latiſſimè hęc deducta. Tunc etiam, iuxta Petri
2. Pet. 3. vocem, *Cœli magno impetu tranſibunt.* Quis ergo non diem illum timebit?

TANDEM etiam erunt commotiones in *ſpiritibus Beatis*; nam Dominus dixit, quod *mouebuntur cœlorum virtutes*, quæ ſunt angelicæ poteſtates, cœlum inhabitantes, aut cœlorum motores. Quorum commotio poteſt intelligi *de motu quodam reuerentiæ*: Ex conſideratione enim maieſtatis iudicis venientis, reſilient in propriam paruitatem, & videntes eum iratum contra impios, quaſi tremere videbuntur. Aut dicuntur moueri *ex præparatione pugnę*, aut executione vindictę literaliter; Ipſi e-
Mat. 13. nim *colligent omnia ſcandala*; Ipſi *ſeparabunt malos de medio iuſtorum*. Ipſi *congregabunt electos*, &c. vt patet in Euang. Quis non timebit à facie iudicis? Quæ erit mens hominis, æterni iudicis præſentiam non formidantis, vbi audierit tan-
Mal. 3. tam horribilitatem in ſignis? *Quis ſtabit ad videndum eum?* quem terribiliorem oſtendit, multitudo tam terribilium.

Cur ſigna antecedent iudicium.

NOTVLA II.

IX SED iam aſſignemus cauſas, quare tam horrenda ſigna antecurrent iudicium: Et inter cæteras accipimus has,

Præſignat, vertat, timeat, paret, luet, & flet,

PRIMO, vt ita innoteſcat multipliciter aduentus in iudicium: ſicut olim carnis aduentus: Ne ſi ſubito veniret, homines imparatos inueniret. Voluit igitur hunc per Prophetas proclamari, horrendis ſignis præcurri: vt boni ad meliora prouocarentur, & reprobi inexcuſabiles viderentur. ITEM, vt hoc ſic præſignaret iudicium, multo terribilius, quod præſignatur ſignis tam terrendis, Gregorius, *vltima tribulatio multis tribulationibus præuenitur, & per crebra mala, quæ præueniunt, iudicantur mala, quæ ſequuntur.*

SECVNDO, vt ſic in peccatis iacentes citius conuertantur, & mundi amatores ab eo auertantur: Iuxta illud Pſal. 59. *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus.* Sic ergo metuentibus dat ſignificationem ſigna pręmittendo, vt fugiant à facie arcus, (id eſt iudicio, ſcilicet condemnentur) ſe conuertendo. Hinc Gregorius: *Saluator noſter nos paratos inuenire deſiderans, ſeneſcentem mundum malis præcurrentibus grauat: vt nos ad ſe conuertat, & ab eius amore compeſcat. Nam per ſigna apertè inſinuat, quod mundus diu non ſtabit, vnde nec ei per amorem debemus inhærere, ſi nolumus cum eo perire.*

TERTIO, (iuxta Sanctum Thomam) tanta ſigna præmittit, vt homines ad reuerentiam, & timorem venturi iudicis inclinet; quod pertinet ad dignitatem iudiciariæ poteſtatis, & vt per timorem ad pręparationem inducat. Et propterea ait Gregorius: *Appropinquante mundi termino, quantæ perſecutiones præueniunt, Dominus innotuit, vt Deum in tranquillitate timere nolumus, vicinum eius iudicium, vel perſecutionibus attriti timeamus.*

QVARTO, tanta ſigna in rebus oſtendit, vt quam ei omnis creatura ſubiecta ſit & pareat, manifeſtet; quæ cum turbato turbatur, & ad prælium procedit, hinc Chryſoſtomus: Sicut rege terreno proceſſuro ad prælium, totum territorium eius regni mouetur, exercitus excitatur, &c. Sic Chriſto regi cęlorum ad iudicium deſcenſuro, totus mundus conturbabitur, cœleſtis progredietur exercitus, vt fidelitatem oſtendat.

QVINTO, quia exigẽte iuſtitia, per quę quis peccat, per hęc, & habet puniri: Et quia impij omnibus creaturis ſunt abuſi, quippe qui omnia, quæ ad vſum ſusceperunt vitæ, ad abuſum verterunt culpæ: ideo, & per omnia torquentur, & omnia quæ ad vſum inflexerunt prauitatis, eis vertuntur in materiam vltionis: Vnde quia pacis tranquillitatem, conuerterunt in vanam ſecuritatem: Ideo erunt bella, quia peregrinationem vitæ pro habitatione dilexerunt patrię, ideo terræmotus, quia ſalutem corporum redegerunt in abuſum vitiorum, ideo peſtilentiæ, &c. Sap. 11.

POSTREMO, tanta præmittit ſigna, quemadmodum ſi ſuper mortem patrisfamilias lugeret familia: Hinc Chryſoſtomus, Patrefamilias moriente, tota domus turbatur, familia plangit, & nigris ſe induunt veſtimentis: Sic humano genere, propter quem facta ſunt omnia, circa finem conſtituto, cœli luminaria, & omnis creatura, candore depoſito, lugere videbitur, &c. Lugeat igitur ſeipſum, ſuper quem lugent cœli luminaria, & quem plangit totum vniuerſum. Hęc de ſignis, & cauſis, cur antecedunt. Quæ qui ritè pertractaret, bene ad compunctionem emolliretur.

§. 2. De Iudicij proceſſu, & horribilibus concurrentibus.

X DE ALTERO nunc videndum eſt principali, quod eſt *iudicij proceſſus*, & concurrentia horribilia plurimum iudicium aggrauantia. Et primum dicemus ſtrictim de proceſſu iudiciali. Poſt de aggrauantiis eius. Et progreſſus notatur hoc verſu.

Conciuat, adueniet quærens, pandendo loquetur. De ſententia enim poſt dicetur. Iam formam intueamur.

Forma iudicij generalis.

NOTVLA I.

PRIMVM igitur omnium fiet *peremptoria citatio; Dabit enim voci ſuæ vocem virtutis*, vt omnes veniant in iudicio. Cuius citationis videndus eſt *modus*, *cauſa*, & *neceſſitas comparendi*.

Modus, quo fiet citatio iſta, dicitur, quod horribili, & perſtrepenti tuba, quæ multis nominibus eſt compellata, ſcilicet Iuſſus Dei, & 1. Theſ. 4 Vox Archangeli; Quid autem ſit, & quare ſic Sopho. dicitur, in ſcriptis Doctorum plenè & diffusè inuenitur. Vnde dicit Sophonias, *Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis*; vox magna, & virtuoſa ſemper expauenda. De qua Chryſoſtomus, verè magna eſt vox illa, cui omnia obediunt elementa, quæ petras ſcindit, inferos aperit, monumenta frangit, vincula mortis diſſoluit, tumulos aperit, & vniuerſos mortuos reſurgere facit, & ad iudicium venire compellit. Verè pauenda, & cum Hieronymo ſemper audienda: *Siue comedam, ſiue bibam, ſiue aliud aliquid agam, ſemper mihi videtur in auribus inſonare vox iſta: Surgite mortui*, &c.

Cauſa autem citationis maxima erit, qua etiam maior nulla: vnde reſpondendum de cunctis, quæ geſſimus, commiſimus, accepimus, quippe ad recipiendum pro meritis, gloriam vel pœnam. Vnde tunc omnes tenebit ſollicitudo nimia, pro eo quod cauſa maxima. Tunc quoque ad vocem tubæ pauebit terra, tunc lugubre mundus immugiet, tribus ad tribum ferient pectora, vt ait Hieronymus, Timor enim, & tremor, tunc corruet ſuper omnes malos.

Sed ſuper omnia, hanc citationem exaggerat, *comparendi neceſſitas*. Non enim ſubterfugij alicuius erit poſſibilitas; Sed (vt Apoſtolus 2. Cor. 5. dixit) *Omnes* generaliter, ſine exceptione; *Nos* perſonaliter ſine excuſatione; *Oportet*, ſine cunctatione, *Manifeſtari* ſine abſconſione vel tergiuerſatione, *Ante tribunal Chriſti*, ſine retardatione; *Vt recipiat vnuſquiſque propria corporis*, ſine perſonæ delatione, *Siue bonum, ſiue malum*, pro iuſta retributione. Vnde oportet *perſonaliter* accedere quemque; Non licebit procuratorem mittere, nullus pro te audebit reſpondere, nulli licebit tunc conſulere, nullus audebit pro te intercedere; nec poterit te quiſquam iuuare. O vere terrenda citatio, à qua nulla appellatio, vel declinatio, in qua nec admittitur pœnitentiæ tempus, defenſionis locus, nec reſiſtendi virtus, nec fugiendi facultas, nec latendi poſſibilitas, nec ſecuritas comparendi, ſed vndique erit terror, & horror, adeo quod montibus dicent, *cadite ſuper nos*, &c. Quam citationem, qui ſecurè volet excipere, hic debet ... iudicium iuſtitiam parare.

SECVNDO, citatione facta & comparitione mox completa, ſequitur iudicis ... *inſtatio*; *Veniet enim ... Dominus ... maieſtate, & cum furore magno: ... quis poterit ad videndum eum, aut cogitare poterit ... eius?* Satius enim & leuius (vt Chryſoſtomus dicit) eſſet mille fulmina ſuſtinere, quam vultum huius manſuetudinis plenum; nos tamen aduerſantem videre illius que totius tranquillitatis oculos, nequaquam ſuſtinebimus nos aſpicere. Mallemus enim in inferno recondi, quàm illius venientis iudicis oculis, vel ſemel aſpici. Hinc & Iob 14. dicit, *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abſcondas me?* Et Apoc. 6. *Dicent montibus, & petris: cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni.* Nota hic de iudicis qualitate, & quantitate ... a.

TERTIO, poſt hæc fiet *meritorum inquiſitio, & diſcuſſio*. De qua latè dicit Dominus apud XII Matth. c. 25. *Cum venerit Filius hominis*; Nam ſeparatis ouibus ab hædis, de ſingulis tunc inquiret, qui nouit omnia, & exiget rationem. Ante ſingulorum oculos, ... reuocabit ... peccata. Iuxta Pſalm. 49. *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.* Vbi diligenter ... pro exaggeratione notandum: CVI hæc ratio agenda, quia iuſtiſſimo, & ſapientiſſimo; QVAM SVBITO, quia ſine cõſultatione, ſine intermedio; CVM QVANTO PERICVLO, quia ſub conditione æterno, vel ſupplicia, vel gaudia aſſequetur æterna. Item DE QVIBVS, & QVANTIS ſit reddenda ratio de quibus latius infra. De hac inquiſitione Iob c. 31. ſollicitus aiebat: *Quid faciam, cum venerit ad iudicium, & cum quæſierit, quid reſpondebo illi? Verum non poterimus reſpondere vnum pro mille.*

QVARTO, fiet poſt hæc ... publicatio, quia Iudex, non ſolum vnicuique acriora ſua ſecreta ad mentem reuocabit, verumetiam coram omnibus aliis, angelis & hominibus, bonis, & malis, amicis, & inimicis ca publicabit. Iuxta illud Ezech. ... *Ecce ego congregabo omnes quos dilexeras, & vniuerſos quos oderas, & nudabo ignominiam tuam coram eis.* O perpendat hæc natura verecundus, & malus; quãto tunc replebitur pudore confuſionis, timore damnationis, dolore turbationis, ſtupore admirationis, *Pudore ignominiæ confuſionis*, quia reuelabitur eius ignominia: vt dictũ eſt coram toto XIII mundo, Verè inſupportabile tormentum, verè erit hæc reuelatio ſecretorum, & confuſio propatula impiorum; Sic enim confundentur multipliciter, & ...

Fur,	proditor,	mœchus,
homicida,	leprarius,	...

Poſt ... hæc ... conuenit ...

titque horum explanationem [illegible] tantibus. vt ſingula dijudicet, & applicet ad ſe ipſos. Nam valde vtile eſt cogitare ſæpe de hoc rubore cõfuſionis: vt docuit Abbas Euagrius, cætera tranſimus.

XIV Q V I N T O, fiet *promulgatorum atte[ſtatio]*: vt patet infra. Et ſic ad cumulum miſeriæ, & deſolationis, accedet à iudice horrenda increpatio, & dira in impios obiurgatio. Et hoc eſt quod dicitur Eſa. 24. *Tacui, ſemper ſilui, patiens fui, quaſi parturiens loquar.* Vnde apertius dicitur per Ioel c. 3. *Congregabo omnes gentes in valle Ioſaphat, & diſceptabo cum eis.* Quo enim benignior fui in peccata veſtra diſſimulando; longanimior ad pœnitentiam expectando; promptior ad indulgendum, & paratior ad beneficiendum: eo tunc ſeuerior ero ad increpandum, grauior ad audiendum, implacabilior ad puniendum. Nam poſt præmiſſas laudes bonorum, vt dicit Matth. c. 25. Increpationes proferet impiorum, dicens, *Eſuriui*, &c. Vbi nota, quod non ſolum improperabit mala, quæ fecerint, dixerint, cogitauerint; verumetiam *bona quæ omiſerint*, aut neglexerint; Et maxime *beneficia*, quæ tam ingrate ſuſceperunt, & expenderunt: vt pulchre Chryſoſtomus & Auguſtinus deducunt, & ſic tandem fiet ſententia, de qua infra, ſic de progreſſu iudicij.

Primum aggrauans: Iudicis maieſtas.

NOTVLA II.

XV NVNC de concurrentibus Iudicij *aggrauantijs* eſt dicendum: Quæ tametſi ſint innumera, quippe cum vndique apparebunt, & concurrent horrenda, quia iudex iratus ſupra; patens chaos inferni infra; intus vrgens conſcientia; extra mundus vrens, & cætera plura talia; tamen potiſſimum ſunt hęc aggrauantia, ſcilicet,

Iudex, & ſocij, reus, & teſtes, rationes.

P R I M V M aggrauatiuum, *Eſt iudicis ipſius qualitas*, hic autem Iudex eſt Dominus Ieſus Chriſtus, cui Pater omne iudicium dedit, qui tunc veniet manifeſtus, cum maieſtate magna, & gloria; qui omnes etiam iudices iudicaturus; qui ante venit occultus, cum infirmitate, & ignominia, à iudice iudicandus, & puniendus iniuſtè. De cuius forma, & formæ apparentia, & cæteris huiuſmodi, multa eſſent inquirenda; ſed remittimus ad Doctores ſuper quartum, nobis iſta iam de iudicis huius qualitate ſunt aſſignanda: Scilicet,

Eſt ſapiens, iuſtuſque, potens, iratus, & inflex.

P R I M V M, quod iudicem hunc terribilem reddit, eſt quia eius *ſcientia eſt indeceptibilis*, & infallibilis, quippe qui nec fallere, nec falli poteſt: Sed omnia (vt habetur apud Paulum) *Nuda & aperta ſunt oculis eius, cui nulla inuiſibilis creatura, quem nulla cogitatio latet*, &c. Multa de eius ſcientia habentur ſparſim in ſcriptura; Vnde valde metuendus eſt iſte iudex, cui perſpectibile eſt omne ſolidum; & apertum omne ſecretum; cui obſcura clarent; muta reſpondent,

Heb. 4

mens ſine voce loquitur, & ſilentium confitetur. Valde ergo pauendum talis aſtare Tribunali, cuius inquiſitio vſque ad ſecreta mentis pertingit, qui tam acutiſſime ſingulorum vitam conſiderat, vt nec minutiſſimæ eum cogitationes, nec tenuiſſima verba, quæ apud nos ipſo viſu viluerunt, in eius iudicio indiſcuſſa remaneant: vt patet infra.

A L T E R A iudicis qualitas eſt, quia eius æquitas implacabilis, qui nil niſi iuſtum agere poteſt: *Iudicabit enim orbē terrarū in iuſtitia, & populos in æquitate.* Et Deus eſt iuſtus iudex, omnia iuſtè diſponēs, qui nullius veretur potentiam, nec alicuius accipit perſonam, qui nec tunc gratia præuenitur, nec miſericordia flectitur, nec donis corrumpitur, nec pœnitentia mitigatur; ſed, (ſecundum Bernardum) Iuſte quidem iudicabit, nec perſonam acceptabit, pretio non corrumpetur, ſed nec precibus flectetur; vnde tunc non proderunt diuitum munera, pla, non verba [illegible], ſed bona opera. Pſal. [illegible]

T E R T I A conditio, quia huius iudicis *potentia eſt inſuperabilis.* Nam et dicit Iob ca. 9. *Si fortitudo quæritur robuſtiſſimus eſt.* Hinc ſe in Euangelio comparauit regi cum viginti millibus venienti, &c. Cuius poteſtas eſt æterna, coram quo potentiſſimi quondam reges, nudo latere palpitabunt. Vnde eius iræ nemo reſiſtere poteſt, nec ſe opponere audet, coram quo omnia contremiſcunt; Qui etiam ſicut potentiſſimus ita in omni perfectione digniſſimus; vnde ſummè metuendus, & reuerendus. Luc. 14. Dan. 7. Io. 9.

Q V A R T A conditio eſt quia iratus eſt, & *ira eius tunc eſt implacabilis.* Nam qui nunc eſt manſuetus vt agnus, apparebit quaſi leo rugiens, crudelis, & commotus; vnde per Oſee c. 13. dicit, *Ero eis quaſi leæna, & quaſi pardus in via* &c. Nam dicit Auguſtinus quod mallent reprobi iniqui omne ſupplicium ſuſtinere, quam irati iudicis faciem videre. Verè ergo diſtrictus redibit, qui mitis abiit: Et tanto diſtrictionis eius zelus in quemque erit acrior quo magis ab illo offenſus eſt, & quo erat illi beneficentior. Et tunc ſentient diram iuſtitiam, qui mitem contempſerunt miſericordiam, hunc itaque diſtrictionis iudicem modo timeamus, vt tunc ſecuri ſtemus.

P O S T R E M A conditio, quia eius *zelus inflexibilis*, cum nec pretio corrūpi, nec prece flecti poteſt. Quoniam vt dicitur Prouerbiorum 6. *Zelus & furor viri non parcet, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione plurima dona.* Vnde nec quiſquam Sanctorum rogabit pro iniquis; imo potius de vindicta lætabitur omnis iuſtus, quippe qui tam coniūcti ſunt Dei iuſtitię, vt nil aliud ab eo poſſint velle, imo quia tanta eſt certitudinis eius inflexibilitas, quod nulla peccantium oratio, imo nec Matris eſt exaudibilis. Ecce coram tali ac tanto iudice, omnes habemus comparere, vnde merito ſemper deberemus expaueſcere. Pro. 6.

Coram quibus iudicium fiet.

NOTVLA III.

XVI ALTERVM aggrauatiuum eorum *coram quibus iudicium* celebrandum eſt: Imo à quibus; multitudo, & honorabilitas: Non enim ſolus Dominus, aut in conclaui, vel ſecretario iudicabit; Sed *Dominus ad iudiciũ veniet cum ſenioribus populi, & principibus eius.* (Eſa. 3.) nã (vt dicit ipſemet.) *Et omnes Angeli eius venient cum eo*, coram quibus omnibus; imo & ab eis, quiſque damnandus reus. Hic iam rurſus notet inquiſitor ſtudioſus, de dignitate iudiciariæ ſeſſionis: Qui ſcilicet iudicabuntur, vel iudicabunt; Et quomodo Sancti iudicare dicantur, Pleni ſunt de his Doctorum libri, vnde nos ad affectiua diuertimus, dicentes, quod valde erit terribile miſeris, iudicari coram tot, & talibus Sanctis ex conditionibus iſtis,

Nam multi, digni fortes terrent inimici.

PRIMO, propter eorum *multitudinem*: Nam Angelorum milia milium; imo & decies centena milia ei aderunt; & veniet cum Sanctis ſuis milibus, itaque innumerabilis eſt Sanctorum (cum quibus veniet ad iudicium Dominus) cœtus. Si ergo terribilis eſt caſtrorum acies ordinata, (Cant. 6.) & copioſus armatorum hominum exercitus: quam metuendus erit innumerabilis iſte, contra nos properans Sanctorum numerus?

SECVNDO, propter eorũ *dignitatẽ*. Veniet enim cũ *ſenioribus populi*, cum *ſenatoribus terræ*, Iudicibus orbis: Quomodo ergo coram talibus ac tantis, ſe ferre poterit peccator, & malignus.

TERTIO, propter poteſtatis *magnitudinem*, Nam (vt dicit Ioel c. 2.) *Multa ſunt caſtra eius & fortia, & facientia verbum eius*, adeo quod vnus illorum facilè poſſet concutere totum orbem, & occidere innumera milia hominum: vt de vno legitur Angelo, qui in caſtris (4. Reg. 19) Aſſyriorum occidit vna nocte 180. milia hominum.

QVARTO, propter eorum *terribilitatem*, Nam venient omnes terribiles: quippe contra Dei inimicos zelantes, (Pſa. 149.) *Et gladij ancipites in manibus eorum.* Quorum quàm viſio ſit iniquis horribilis, patet de cuſtodibus ſepulchri Dominici, (Mat. 28.) qui *timore angeli exterriti facti ſunt velut mortui.* Quod ſi hoc potuit vnius angeli viſio, quid faciet tantorum milium milium?

POSTREMO, propter inimicitiæ *grauitatem*, quia tunc Sancti malis implacabiliter erunt duri, & incompatienter irati: *Tum quia*, eorum Dominum offenderunt, pro quo zelabunt; *tum quia* & ipſos multipliciter contempſerunt, eorum mores & vitam deridendo, feſta & vota violando. Tunc fiet, quod ſcriptum eſt, (Sap. 5.) *Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia, aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt*, &c. aſſeſſoria dignitate, & approbatione ſententiæ, & comparatione vitæ, eos diiudicantes cum iudice Chriſto.

DEINDE non ſolum Sanctis & Angelis verumetiam diiudicabuntur coram toto mundo, dæmonibus, hominibus, malis & bonis: vt ſupra tactum eſt de proceſſu Iudicij, ſecundum quod quidam patrum dixit, *Coram Cælo & terra rationem reddituri ſumus totius vitæ noſtræ.* Vnde in mentibus ſuperborum orietur pœna, & confuſio intolerabilis.

De iudicandorum qualitate.

NOTVLA IV.

TERTIVM aggrauamen eſt, *qualitas iudicandorum*. Quæ vt breuiter tangamus, poterit colligi ex iſtis, XVII

Eſt fragilis, reus, incertus, pauci, pauci, omnis.

PRIMO inquam ex iudicandorum *fragilitate*, Homo enim eſt res fragilis, vanitati ſimilis factus, (Pſa. 143.) totus impotens, miſer & miſerabilis, vnde merito expaueſcere habet coram tanto iudice comparere, tantæ maieſtatis Domino: ſicut ocularitèr nos videmus de ſæculi pauperibus, qui vix ingredi audent coram magnatibus niſi induti, & exculti aliis veſtimentis, præſertim cum iudicis huius oculus, abominetur peccatorum ſordes, & diligat munditiam virtutis. Et hanc ſuam fragilitatem, & iudicis maieſtatem oſtendit Iob c. 9. cum dixit: *Quantus ego ſum vt reſpondeam ei.* Et item c. 13. *Dignum ducis ſuper huiuſcemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium?*

SECVNDVM eſt ex iudicandorum *iniquitate*: (Iac. 3.) *In multis enim offendimus omnes*, & *omnes (Eſa. 53.) ſicut oues errauerunt, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit.* Quod etiam timere habemus, ne dum iudicabimur, inueniamur iniuſti, & damnatione digni, cum certi ſimus nos totiens peccaſſe; Et cum omne peccatum deteſtetur ipſe & non dimittat impunitum.

TERTIVM ex omni *incertitudine*. *Neſcit (Eccl. 9.) enim homo, an amore, vel odio ſit dignus*, etiam ſi ſibi nullorum eſt conſcius, non tamen in hoc (1. Cor. 4.) eſt iuſtificatus. Et ſi omnia fecerit quæ ſunt ei præcepta, neſcit ſi Deo placeant ſua opera, præſertim cum magna & multa iniquitas lateat in corde humano, homini quaſi occulta; quare Dauid orat, (Pſal. 18.) *Ab occultis meis munda me.* Et alibi. (Pſa. 142.) *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.*

QVARTO, ex *ſaluandorum paucitate*. Maxime enim nos terrere debet, cum iudex ipſe teſtatur: (Mat. 20.) *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Cum itaque æterna damnatio, tam vehementer ſit timenda, vt quamuis certiſſimè nobis conſtaret (ait Carth[illegible]) quod de vniuerſis hominibus, qui vnquam fuerunt, ſunt, aut erunt, non niſi vnus eſſet damnandus: & ignotum eſſet omnibus quis ille exiſteret; merito quiſque ſemper metueret, ne ipſe ille damnandus eſſet; Quemadmodum ſi multi eſſent ituri per pontem ſcientes, quod eſſet vnus ruiturus de illo, omnes præcauerent ſibi ſollicite de periculo, quanto magis timere debemus, cum paucos ſciamus ſaluandos? Si ſic timetur mors temporalis & breuis, cur heu inſenſati nos, non ex-

paueſcimus iudicium Dei, æternam mortem infligentis?

POSTREMO, ex timoris vniuerſitate. Nam vix aliquis in iudicio illo debet comparere qui non debet vel reuerentiæ ſaltem motu timere.
Mat. 24. Nam *virtutes cælorum mouebuntur:* Columnæ cæli contremiſcent, & pauebunt ad nutum eius. Quid ergo faciet virgula deſerti, ſi ſic con-
Iob 26. cutiuntur cedri paradiſi? Ergo iudicium illud tantopere timuerunt omnes ab origine mundi Sancti, ſcientes quod ibi *tribulabitur fortis,* id eſt quantumuis Sanctus.

De teſtium, & accuſantium veritate.

NOTVLA V.

XVIII QVARTVM aggrauatiuum, eſt *accuſatorum contra peccatorem multitudo:* Nam quia iudicium illud erit ordinatiſſimum, & ſecundum ordinem iuris (vt ait Ambroſius) iudex non debet ſine accuſatore damnare; ideo nota quod erunt tot accuſantes,

Condita, Scriptura, mens, facta, bonus, reprobuſque.

Arma, ſathan, Sancti, ſed & angelus, ac Deus ipſe.

PRIMVM itaque accuſabunt impios, & contra eos teſtificabuntur, *omnes creaturæ ſenſibiles,* quarum vſu vel obſequio ſunt abuſi: Hinc Gregorius dicit, *Si quaris quis te accuſet, dico quod totus mundus, omnes & ſingula creatura: Nam offenſo Creatore, totus mundus odit offendentem:* Et ideo dicit Iob c. 20. *Reuelabunt cæli iniquitatem impij, & terra conſurget aduerſus eum.* Iuxta quod Deuter. 32. dicitur, *Inuocabo contra vos cælum & terram:* Hinc pulchrè Chryſoſtomus dicit: In illo die nihil eſt, quod reſpondeamus, vbi Cœlum & terra; Sol & Luna; dies & noctes; & totus mundus ſtabunt aduerſus nos, in teſtimonium peccatorum noſtrorum. Accuſabunt quia ſua commotione, oſtendent ſe impiis indignari; quia ipſis abuſi ſunt; quia Creatori erant rebelles; & eorum vſu indigni.

XIX SECVNDO accuſabit, & teſtificabitur cõtra nos *Scriptura ſacra,* quæ ideo nobis fuit à Deo tradita, & ſcripta, vt Dei voluntatem cognoſceremus; ſecundum eam cognitam viueremus; & quid cauendum, quid agendum, quid ſperandum, aut timendum noſceremus. Hanc quia contempſimus, & in abuſu vanæ gloriæ traximus, contra nos in teſtimonium ſuſtinebimus; imo & accuſabimur ab ipſa, hinc legis:
Ioan. 5. *Eſt qui accuſat vos, Moſes,* id eſt lex, & Prophetæ, & c. Nam vt Bernardus dicit, Proponet Dominus mandatorum propoſitiones, aſſumet trangreſſiones, concludetque damnationes; Iſtud timeant ſtudioſi, & librorum curioſi, quia niſi ſecundum eos egerint, erunt ſinguli graues accuſatores.

TERTIVM accuſans eſt *interior conſcientia,* quæ tunc arguet non in occulto, vt nunc, ſed coram omnibus in publico, hinc Daniel. 7. *Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt.* Et vt dicitur Apocal. 20. *Iudicati ſunt mortui, ex his quæ ſcripta ſunt in libris,* id eſt conſcientiis. De his libris
XX agit in ſecundo de Ciuitate Dei Auguſtinus & in 20. concludens, quod omnia mira celeritate, mentis intuitu enumerabuntur: Ita quod cuiuſque conſcientia docet, omnia quæ vnquam egit mala, vel bona, & bona quæ omiſit; imo & aliorum omnium facta.

QVARTO, teſtimonium perhibebunt aduerſus nos opera propria. Eccleſiaſt. 11. *In fine hominis, denudatio operum eius.* Nam (vt dicitur Apoca. 14.) *Opera illorum ſequuntur illos,* vbi dicit Bernardus: *Opera bonorum ſequuntur eos; ſed opera malorum, eos perſequuntur.* Et ideo dicit Hieremias c. 2. *Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te.* Comprehendetur tunc peccator in peccato, ſicut fur in furto; vt ericius cum onere; vt Vincentius in Speculo. Prouerbiorum XX
5. *Iniquitates ſuæ capient impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringetur.* Hinc impiæ cogitationes, & opera ſpecialiter, ſtabunt ante oculos noſtros nos accuſantia; Nam opera noſtra ſimul loquentia (iuxta Auguſtinum) dicent peccatori: *Tu nos egiſti, opera tua ſumus, non te deſerimus, tecum erimus, tecum ad iudicium pergemus.* Et ideo Pſalmiſta timuit, quia ſciebat quod *iniquitas calcanei ſui* eum accuſabat. Pſa. 48

QVINTO, homines tam boni quam mali, peccatores accuſabunt. *Boni* inquam, quos, vel contempſerunt turpiter, vel oppreſſerunt temporaliter; vel occiderũt corporaliter; & læſerunt, vel à bono impedierũt ſpiritualiter; vel ad malũ traxerunt, vel ſcandalizauerũt. Præſertim ſubditi accuſabunt Prelatos impios, & negligentes; *Nã iudicium duriſſimum erit, in his qui præſunt.* Sed & reprobi, qui ſe emandauerunt, ethnici, & pagani, qui non cognouerunt Chriſtum, accuſabũt malum Chriſtianũ. Nam, *viri Niniuitæ ſurgent in iudicio,* &c. Et ſęculi amatores, accuſabunt religioſos torpentes, quia magis illi laborauerũt placere ſæculo, quã ij Deo, vt dixit Epiſcopus Nonnus viſa meretrice. XXI Sap. 6. Luc. 11

SEXTO, impij accuſabuntur ex repræſentatione *armorum Chriſti,* ac venerandarũ cicatricum eius: Ex quibus patebit impiorum ingratitudo, negligentia, & abuſus; & quia defectus ſaluationis ex parte eorum, non Chriſti. Hinc Hieronymus dixit: Crux Chriſti contra te pugnabit; Chriſtus contra te vulnera ſua allegabit, cicatrices contra te loquentur, & claui de te conquerentur. Vnde, vt aiunt, oſtendet omnibus paſſionis ſuæ inſignia, crucem, clauos, lanceam, ſpongiam, coronam, cicatrices, &c. Iuxta illud Matth. 24. *Tunc apparebit ſignum Filij hominis in cęlo:* Quod aliqui intelligunt de crucis ſigno. Hoc iam ſtudioſis committimus, quale iſtud ſignum erit, vtrum etiam crux realis apparebit, quod non textus cogit, licet deuotionem fouere poſſit. Hinc Auguſtinus: *Fortaſſe in corpore ſuo Dominus cicatrices ſeruauit, vt in iudicio Dominus peccatoribus exprobraret, & conuincens eos diceret, Ecce hominem, quem crucifixiſtis: Ecce Deum & hominem in quem credere noluiſtis: Videte vulnera quæ infixiſtis: Agnoſcite latus, quod pupugiſtis: quod propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis: ideoque quia non eſtis redempti pretio ſanguinis mei, diſcedite à me maledicti.* Qui ab his armis tunc nolit accuſari, ille debet ea, quotidie ſeptem Pater noſter, coram XXII

Digitized by Google

tam eorum imaginem legendo, venerari.

Septimo, accuſans erit *diabolus, & ſpiritus*
Apoc. 12. *eius maligni*, vnde dicuntur *fratrum accuſatores*, nocte & die, ante conſpectum Dei nos accuſantes. Hinc Auguſtinus: Aſtabunt omnes ante
XXIV Tribunal Chriſti, & *præſto erit diabolus, & recitabit verba profeſſionis noſtræ, & obyciet nobis in faciem quidquid peccauimus, in quo loco, & quid tunc facere debuiſſemus*. De hoc in multis exemplis.

Octavo *Sancti* nos accuſabunt, quorum nomina ſæpe periurauimus. feſta violauimus,
Sap. 5. vota fregimus, & inhonorauimus. Hinc *in magna conſtantia ſtabunt* aduerſus eos. Vnde & A-
XXV poc. 6. clamant: *Uſquequo Domine Sanctus, & verus non vindicas, & iudicas ſanguinem noſtrum, de his qui habitant in terra?* Vnde & ſæpe legitur in miraculis, quod accuſauerunt malos, vt patet de Vdone, & de quodam Epiſcopo Aluerno.

Nono, accuſabunt, & teſtimonium contra malos perhibebunt, *Angeli, ſub quorum cuſtodia peccauerunt*, quorum inſpirationes monitiones & conſilia, & omne miniſterium charitatiuum contempſerunt. Nam & ab eis Deus exigit rationem, non tamen imputabit, quia *non*
XXVI *eſt culpa medici, ſi non ſeruant dictam negligentes ægroti*. Hinc dicit Origines, Vnuſquiſque Angelorum in extremo iudicio aderit, perducens quibus præfuit, quos adiuuit, quos inſtruxit, pro quibus ſemper faciem Patris vidit: Et dicent, quod eis noluerunt obedire. Iuxta illud Hieremiæ 51. *Curauimus Babylonem, & non eſt curata*. Et præſertim vnicuique aderit proprius Angelus teſtis; Sic igitur iam quiſque conuerſetur in præſentia Angeli, vt non paueat tunc ab eo accuſari.

Postremo ad cumulum omnium, teſtabitur contra impios *ipſe iudex Deus Deorum*: Vnde dicitur Hieremiæ 29. *Ego ſum iudex, & teſtis* Et in Pſalmo 45. *Arguam te, & ſtatuam con-*
XXVII *tra faciem tuam*. Et Malac. 3. *Ero teſtis velox omnibus maleficis*. Et eſt huius teſtimonium ſuper omnia metuendum. Nam & teſtando improperabit omnia beneficia (iuxta Chryſoſtomū) dicens: *Ecce ego propter vos homo factus ſum, propter vos illuſus, alligatus, caſus, crucifixus. Ubi eſt tantarum iniuriarum fructus? Ecce pretium ſanguinis mei, quem dedi in redemptionem veſtri, vbi eſt ſeruitus, quam pro hoc pretio impendiſtis? Ego*
Mat. 20. *ſemper gloriam meam vos habui, & cum Deus eſſem, in forma ſerui apparui, & viliorem vos me rebus omnibus veſtris feciſtis. Nam omnem rem viliſſimam plus quàm iuſtitiam, & fidem dilexiſtis*, &c. Hæc Chryſoſtomus. De quo, & pulchrè agit in de vita contemplatiua Proſper. Quid ergo, quid tot & tantis teſtibus aggregatis miſeri agent, quo ſe diuertent? Verè apparere ante hęc teſtimonia erit intollerabile, & latere impoſſibile. Inter tot, & tantos teſtes, ſi tunc ſecuri apparere velimus, ante iudicium iuſtitiam operemur.

De multiplici, & varia reddenda ratione.

NOTVLA VI.

Postremvm aggrauatiuum eſt, *ſtrictiſſima villicationis* ratio de multis, & multimo- XXVIII
cibus ſingulariter reddenda: Iuxta illud Lucæ 16. *redde rationem villicationis tuæ*, quod nimiū verendum: *Tum quia* tali, tam ſtricto iudici eſt ratio reddenda. *tum quia* tam ſubito exigenda, *tum* maximè, quia de tam multis, & multiplicibus exigenda; quia adducet Deus in iudicio omnia; Ita quod de his omnibus ſtrictiſſima eſt ratio reddenda,

Mente, bonis, carne, natura, tempore, redde
Fortuna, factis, omiſſis, dote vel arte.

Primo itaque ratio exigitur de *ipſa mente*, id eſt de ſpiritu rationali, & anima à Deo nobis data, quomodo eam ſeruauimus; eſt enim pretioſus theſaurus, & ideo ſollicitè ſeruandus, ſecundum illud Deuter. 4. *Cuſtodi temetipſum, & animam tuam ſollicitè*. Quippe quia anima eſt pretioſa illa margarita, pro qua ſapiens ille *Mat. 13.*
mercator Chriſtus, dedit omnia; imo & ſeipſum impendit. Vnde, væ nobis (ait Bernardus) ſi talentum hoc pretioſo ſanguine agni appreciatum negligenter ſeruauerimus. Si rex ali- *Simile.*
quis terrenus amatiſſimam ſibi filiam, alicuius cuſtodiæ committeret, & ille eam negligeret; quomodo rationem exigeret? Sed multo ampliorem de anima Deus: Nam totus mundus non poteſt comparari, ad pretium animæ vnius.

Alterum de quo ratio exigetur, ſunt bona ſpiritualia animæ, quæ efficiunt animam perfectam, & bonam; Vt bona animæ natura-
lia, ſcilicet vires animæ, intellectus, & memo- XXIX
ria, Item bona acquiſita: vt ars, virtus moralis, ſcientia; Et bona gratiæ gratum facientis, & gratis datæ, vt virtutes Theologicæ, donum linguarum, & cætera id genus. Quę ſingula bona tam ſunt pretioſa, quod protius inæſtimabi- *1. Cor. 6.*
lia, de quibus omnibus, & ſingulis ratio exigetur, quo modo his vſi ſumus, ne in vacuū exceperimus ea, & ſi conuerterimus in honorem, & obſequia diuina. Hinc Iob 19. *Scito eſſe iudiciū*, ſcilicet de omnibus, & ſingulis exigendum.

Tertio, ratio exigetur de *corpore noſtro*, XXX
quomodo illud cuſtodiuimus: Eſt enim velut caſtrum, quod à Deo tenemus in feudum. Vnde *qui corpus ſuum bene cuſtodit*, ait Bernardus, *bonum caſtrum cuſtodit*, vnde exigetur ratio de eius cuſtodia, ſi inimicis Domini id eſt, vitijs & voluptatibus illud expoſuerimus, virtutibus ſecluſis; Item quia corpus eſt velut animæ iumentum, debemus rationem reddere, ſi ei non dederimus omne neceſſarium.

Scilicet	Panem,	Ad	Naturæ ſuſtentationem,
	Virgam		Laſciuiæ repreſſionem,
	Onus,		Bonam exercitationem.

Hæc enim tria corpori debentur: Iuxta illud Eccle. 33. *Cibus, virga, & onus aſino; Panis, diſciplina,*

plina & opus ſeruo. Totum igitur corpus cum membris, in Dei ſeruitio expendamus, omnes ſenſus ſub diſciplina refrænemus: vt ſic bonã rationem reddere poſſimus.

QVARTVM eſt de bonis naturæ corporalibus, quæ tametſi ſunt multa; quinque tamen ſunt principaliora: velut quinque talenta à Deo commiſſa. Mat. 25.

XXXI

Intellige { Fortitudinem, Pulchritudinem, Iuuenilitatem, Sanitatem, Leuitatem, } qua lucrabimur corporis glorificationem.

Vt habeat ſcilic. { Fortitudinem, Pulchritudinem, Iuuenilitatem, Sanitatẽ, Agilitatẽ, } Sine { Debilitate. Deformitate. Senectute. Infirmitate. Difficultate. }

Ibidem Vt ſic dicere poſſit, *Domine quinque talenta tradidiſti*, &c. Et lætus audire, *Euge ſerue bone, & fidelis, intra in gaudium*, &c.

QVINTO, rationem de *tempore* reddemus, quod nobis conceſſit Deus, quo pretioſius nihil. Vnde *ſicut non peribit capillus de capite, ſic nec momentum de tempore*, de quo non exigetur ratio, quomodo à nobis fuerit expenſum, quod tam gratioſè conceſſum. Vnde hoc metuens Anſelmus dicebat: *O lignum aridum, & inutile æternis ignibus dignum, quid reſpondebis in illa die, cum exigetur à te vſque ad ictum oculi, omne tempus viuendi impenſum, qualiter à te fuerit expenſum?* Iuxta illud Tren. 1. *vocauit aduerſum me tempus.* Luc. 21. XXXII

SEXTVM vnde ratio exigetur, eſt de *bonis fortunæ*, id eſt bonis temporalibus, & fortuitis. Eccl. 12. *In bonis ſit cor tuum, & ſcito, quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium*, ſcilicet de diuitiis, delitiis, honoribus, quomodo his ſunt vſi, quomodo inde aliis ſubuenerunt. Et ergo dicit Abacuc 2. *Lapis de pariete clamabit, & lignum, quod eſt inter iuncturas ædificiorum*, &c. Pauperibus ergo de his ſubueniamus, in vſus bonos conuertamus, &c. XXXIII

XXXIV SEPTIMVM eſt de factis proprijs rationem reddituri ſumus, tam de bonis quam malis. *Cuncta enim adducet in iudicium Deus*: Etiam de *quolibet paſſu*, quem graditur homo; quippe cuius omnes ſemitas conſiderat. Et quid dicimus pro magno greſſu, cum ratio exigenda ſit, de omni opere, verbo cogitatione? Nam de omni verbo otioſo, reddituri ſumus rationem. Et de operatione, & cogitatione, Iſa. ca. 66. dicit: Ego autem opera eorum, & cogitationes, venio vt iudicem. In cogitationibus enim impij interrogatio erit, & ipſe cogitationes noſtras, (ait Sap. 1.) ſcrutabitur. Omnia ergo opera, cogitationes & verba, tunc erunt examinanda, nam (iuxta Greg.) Deus vias noſtras cõſiderat, & greſſus dinumerat: vt nec minimæ cogitationes, aut verba minutiſſima, quæ apud nos viluerunt, in eius iudicio indiſcuſſa remanebunt; imo non ſolum iudicabit de malis; ſed etiam de bonis. Iuxta Pſ. 74. Ego iuſtitias iudicabo, qua, ſcilicet intentione, attentione, affectione, & ſtatu ſint facta; ita quod verè Abbas Iſidorus dixerit, quod ad diſtricti iudicis examen, nec iuſtitia iuſti ſecura eſt. Eccl. 12. Iob 31. Mat. 12.

OCTAVO, ratio reddenda erit *de bonis omiſſis*, quæ facere debuiſſemus, propoſuiſſemus potuiſſemus: Iſtud recogitemus, & virilius, & fortius bona agemus. XXXV

NONO, ratio redditur ſuper beneficiis ſcilicet Generalibus, Specialibus, & ſingularibus, de quibus nil, quod dignè retribuamus habemus. Hinc Iob 3. *Si voluerit iudicio contendere, non eſt qui reſpondeat vnum pro mille.*

POSTREMO, rationem reddemus de diuerſis artificiis, & hominum officiis: vt clerici de officio prædicationis, clericatus, presbyteratus, quomodo ſacramenta adminiſtrauerunt, docuerunt; Item de proximis, *Vnicuique enim mandauit Deus de proximo*, præſertim Pater reddet de filio, Prælatus de ſubiecto, &c. vt declaratur in nouiſſimis, & Spec. morali. Hęc itaque recordemur in hoc tẽpore: vt tunc ſecuri ſimus de reddenda ratione. Nam citius veniet, quando non dabitur ſpatium computãdi. *Iuxta enim eſt dies Domini, & veniet vt fur improuiſò*: Semper itaque nos diſponamus, vt rationem reddere poſſimus, & gratiam coram eo inueniamus & miſericordiam imploremus: vt miſericorditer nos diiudicet, non diſtrictè rationem exigat. Eccl. 17. Sopho. 1.

MEMBRVM III.

De terribili, & horribili ſententia iudicis, & eam ſubſequentibus.

IAM de tertio principali, ſcilicet de ſententia, & eam ſubſequẽtibus, videndum eſt breuiter de his tribus, XXXVI

Scil. { Sententiæ qualitate, & prolatione. Malorum à bonis ſeparatione. Iudicij executione, & concluſione. }

§. 1. *Sententiæ fulminatio.*

PRIMO inquam de ſententiæ qualitate, & prolatione. Et quia duplex profertur; ſcil. pro bonis, & contra malos; de bonis nil proſequendum, niſi quod *bonorum ſententia præmittitur*, vt Dei largitas, quæ pronior ad dandum præmia eſt, quam ad infligendum ſupplicia manifeſtetur; Et vt impiorum tormentum exaggeretur, dum eorum lętitiam vident, & ipſi terrendum examen expectant.

EST autem ſententia hæc malorum, ſuper omnia reliqua metuenda propter iſta,

Recta, ſed incerta, ſtans, finis, non toleranda.

PRIMO redditur ſententia hæc terribilis, eo quod potiſſima, & *recta* dignoſcitur, ab æquiſſimo iudice data: *Iudicabit enim orbem terrarum in iuſtitia, & populos in æquitate.* Ita quod nil erit contra ſententiam obiectibile, vt in præſenti. Septem namque modis iudicium iſtud peruerti poteſt, quorum nullum illinc valet: Non enim ſubuertetur, Pſal. 95.

Digitized by Google

Aut	Timore,	Quippe quia	Fortiſſimus eſt nullum pauens.
	Auaritia,		Ditiſſimus eſt nullius indigẽs.
	Odio,		Amat omnia quę fecit nec odit.
	Amicabilitate,		Æquiſſimus eſt perſonam nullius capiens.
	Ignorantia,		Sapientiſſimus falli non poteſt.
	Miſericordia,		Iuſtiſſimus, vt minora pro meritis tribuens iuſtis.
	Seueritate,		Semper miſericordiam in iudicium exaltãs.

Proſequitur hæc Anton. in quarta parte Summæ. Ex quibus facile comprehenditur, quod Dei iudicium, de iniquitate non poteſt accuſari, vude ſemper vt æquiſſimum debet timeri.

Alterum ſententiam aggrauans, eſt eius *incertitudo*; Nam multi dicent ei adhuc tunc,
Matt. 7. *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus?* &c. quibus dicetur: *Non noui vos; Neſcit e-*
Eccl. 9. *nim homo an amore, an odio dignus ſit, omnia iam in futurum ſeruantur incerta.* Propterea Abbas Agathon dixit: *Intima virtute qua potui, mandata Dei cuſtodiui; ſed homo ſum, & neſcio vtrum opera mea accepta fuerint coram Deo. Quia aliter ſunt iudicia Dei, aliter hominum, & ideo timeo, nec confido, niſi venero ante Deum.*

Tertium aggrauans eſt, quia ſententia
XXXIX illa eſt *irreuocabilis*, & permanſiua, nec vllus modus eam euadendi, aut infirmandi, ſicut ſententiæ hominum,

Non enim eſt	Poteſtas reſiſtendi,
	Locus latendi,
	Facultas appellandi,
	Poſſibilitas inflectendi.

Qvartvm aggrauatiuum eſt, quia eſt ſententia *finalis*, poſt quam non eſt expectanda altera; Iudicium enim (vt dicitur Prou. 16.) *determinat cauſas*; nimirum quæ imponit finem, & flagitiis, & rectitudinem præbet in dubiis, manens tota (vt dictum eſt) irreuocabilis, & immutabilis.

Psal. 111. Qvintvm eſt, quia eſt duriſſima & intole-
Psa. 90. rabilis, omnibus iure metuenda, & horribilis. Eſt enim auditio mala, verbum aſperum & vox Domini amara, vnde quidam,

XL *Iudicis in lite, breuis eſt vox, ite, venite;*
Dicetur reprobis ite, venite probis;
Aſpera vox ite, vox eſt benedicta venite.

Nam hæc ſententia eſt	Separatiua,	Cum dicitur	Diſcedite.
	Exprobratiua,		Maledicti.
	Pœnarum inflictiua,		In ignem.
	Omnis voti excluſiua,		Æternum.

Primo inquam eſt *ſeparatiua* à Dei facie, & Sanctorum collegio, à fonte vitæ, & ab omni bono; *Tolletur enim impius ne videat gloriam Dei.* Dicet enim *Diſcedite*, tunc verè *peccator videbit & iraſcetur*; Et hæc ſeparatio eſt pœna Psal. 111.
damni, maior omni alia pœna. Vnde & Gregorius Nazianzenus affirmat, quod proiectio à Deo grauior erit omni ſupplicio.

Secvndo, eſt *exprobratiua*. Nam ponitur exprobratio ignominioſa, .i. *maledicti*. Quod valde auditu aſperum. Quanti quippe honoris eſt, & præconij, à ſummo iudice commendari; tantæ confuſionis eſt & opprobrij, ab ipſo exprobrari, & dici, aut nominari *maledicti*. O quã intolerabilis confuſionis erit hęc maledicti exprobratio ſuperbis, & tumidis, ab ore tanti iudicis, in conſpectu tantę multitudinis Iſtud recogitemus, dum ab hominibus exprobramur, & patienter propter Deum feramus, vt hanc tunc euadamus.

Tertio eſt pœnarum *inflictiua*, condem- XLI
nans *primo* ad carceris incluſionem, quia in *ſtagnum*. *Secundo* ad ignis combuſtionem, quia *ignem*. *Tertio* ad liberationis deſperationem, quia *æternum*, dæmonum aſſociationis, qui paratus eſt diabolo, &c. Omnis etiam arbor, quæ non facit fructum, in ignem mittetur: Et iure Mat. 3.
in ignem mittentur tormentorum, qui exarſerunt igne cupiditatum, & vitiorum. O conſidera hunc ignem.

Qvarto, eſt hæc ſententia omnis voti, & deſiderij *excluſiua*; Nam ſeptem poſſunt conſiderari, quæ omnia per hanc debent negari: *Primo* poſſunt dicere damnati, Domine ſi regnum tuum intrare non poſſumus, ſaltem prope ianuam ſimus; ſed dicitur *Diſcedite*: *Secundo*, orare poſſunt, ſaltem circa te, etiam ſine gaudio ſimus; Sed reſpondet, *a me*. *Tertio*, ſi debemus abſcedere, vel benedic, ſed dicit, *Maledicti*. *Quarto* ne torqueamur: ſed dicit *in ignem*. *Quinto* vt ſaltem poſt millia annorum, de incendio liberemur, ſed dicit *æternum*. *Sexto*, ſi ſic, ſaltem dęmonẽ peſſimum nõ videamus, ſed dicit, *qui paratus eſt diabolo*. *Septimo*, ſaltem aliam ſocietatem, quam dæmonũ habeamus; ſed reſpondet, & *Angelis eius*. Eſt ergo omnis voti excluſiua, quia *deſiderium peccatorum peribit*. Iure Psa. 111.
ergo metuenda, tantorúm horribilium contentiua. Et nota, quod non ſolum eſt timenda ſententia propter ſeipſam; ſed multo amplius propter eam proferentem, & modum dicendi: Mallent enim ſi poſſent tunc igne ardere, quã prolationem verbi à iudice tanto audire: nimis enim horrendum erit eius vocem audire. Nam (vt ait Auguſt.) ſi ſic cohors, & magiſtri ceciderunt, ad vnam vocem Chriſti morituri, quid facient ſub voce iudicaturi? Ipſe ſiquidem ru- Osee. 11.
giet tanquam leo. Hinc Amos 3. *Leo rugiet quis non timebit?* Rugitus enim eius (ait Eſa. ca. 5.) vt leonis, hanc ſemper intonantem Hieron. pauebat, hanc & diaboli contremiſcũt. Nã interrogatus cur tãtos in peccatum induceret, cum tamen exinde ſuã pœnam augerer, reſpondit: Verum eſt, quod pœnam meam aggrauo, ſed per hoc diem iudicij retardabo. Illam enim diem ſuper omnia reformido, in qua duram illam ſententiam me auditurũ expecto, *Ite maledicti*, &c. Et vt fulminationẽ illius ſentẽtię ſaltem ad

Digitized by Google

tempus valeam retardare, ideo homines nitor
ram grauiter tentaṛe. O hanc nos paueamus,
Osee 4. ne diabolo duriores ſimus; & cum Prophetis,
Amos 6. illius diei, in qua ſententia hæc proferenda eſt,
Mich. 6. qualitatem attendamus,& cum eis metuamus,
& eorum conſiliis acquieſcamus: vt ante iudi-
Eccl. 18. cium iuſtitiam paremus: vt ſic ſecuri tunc ſte-
mus. Amen.

§. 2. De bonorum, & malorum ſeparatione.

NVNC de malorum à bonis videndum eſt
ſeparatione, quæ nimis horrenda eſt, &
XLII plena timore. Nam in inſtanti, & ſine mora,
data ſententia, erunt parati dæmones, miſero-
rum animas ad inferos pertrahentes. In quo-
rum typo dicitur de miniſtris Aſſueri, ad ſuſpẽ-
Heſt. 7. dium Aman paratis, *Nec dum verbum de ore re-
gis exierat, ſtatim operuerunt faciem eius ſerui re-
gis:* hinc Hugo. *Tortores horribiles, qui nunquam
miſerentur, erunt parati, vt data ſententia te ra-
Pſ. 16. piant ad tormenta, tunc miſerabiliter dices: Suſce-
perunt me ſicut leo paratus ad prædam &c.* abſtra-
hentes, ſcilicet à facie Dei, & Sanctorum. O
dolor ineffabilis, ô pœna indicibilis, tam ama-
riſſimæ ſeparationis. De qua Bernardus in me-
ditationibus: Quis putas mæror erit, quis lu-
ctus, quæ triſtitia, cum ſeparabuntur mali à
conſortio iuſtorum, & viſione Dei? Certè dicit
Chryſoſtomus in reparatione: *Nonnulli impe-
ritorum putant, ſibi ſatis eſſe, & optabile videri, ſi
tantummodo careant gehenna: Ego autem multo
grauiores, quam gehenna eſt, dico eſſe cruciatus,
remoueri, & abijci ab illa gloria:* Nec puto ita
acerba eſſe illa gehennæ ſupplicia, vt ſunt illa
de quibus ait quidam deuotus. *Torquetur is*, in-
quiens, *qui arcetur a conſpectu Chriſti: Hoc crede
mihi pœnis omnibus grauius eſt, & hoc eſt ſolum,
Pſ. 9. quod ſuperat gehennam.* Verè tunc *peccatores in-
firmabuntur, & peribunt à facie Dei:* Iuxta illud
Ier. 18. Hier. *Dorſum & non faciem oſtendam eis, in die
perditionis eorum.* Triſtiſſimus enim diſceſſus eſt
à Deitate: Diiudicet hic meditans, ſi graue ſit
in præſenti excludi à ſocietate bona, quanto
grauius erit diuortium illud ſempiternum.

§. 3. *De iudicij executione, & pœnis damnatorum.*

XLIII NVNC de iudicij *executione* tangendum:
Quomodo, ſcilicet ſic ſeparatis impiis à
iuſtis, non ſatis hoc erit ad pœnam, ſed mox
executio fiet, vt deijciantur in ignem æternum,
ad pœnam illam ſenſibilem,& æternalem: Non
enim differtur pœna data ſententia, dicente
Eſa. 16. Eſaia. *Sedebit iudicans, & quærens iudicium, &
velociter reddens, quod iuſtum eſt.* Et verè *velo-
citer*, quia mox poſt ſententiam, fiet horum de-
latio ad pœnam: ſicut Sanctorum ad gloriam,
Iuxta illud Matth. 25. *Ibunt hi in ſupplicium æter-
num.* O quid tunc erit his animi, quando po-
teſtati dæmonum traditi, deducentur ad ignem
æterni ſupplicij, vt illic ſint ſine fine in gemitu,
& luctu, procul relegati à beata patria Paradiſi;
in gehenna, nunquam lucem habituri, iuxta
quantitatem culparum pœnas paſſuri? Tunc
Pſ. 62. *introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus
gladij, partes vulpium erunt.* Tunc beſtia illa de-
trudetur cum ſuis caracterizatis in puteum; de-
mergetur Babylon in profundum. Quis oro Apocal. 17. & 18.
non expauebit iſta? nimis enim horrenda ſunt,
Ita quod vnus dixerit Patrum. Si poſſibile eſſet
in aduentu Dei, poſt reſurrectionem mortuo-
rum, animas rurſus exire à corporibus, omnis
mundus moreretur præ timore.

MEMBRVM IV.

De varijs exercitandi practicis circa iudicium.

VERVM, quia pluries plus mouent facta XLIV
quam verba, ideo ponimus hic aliqua
ſenſibilia, quibus qui prædictis non mouetur,
poſſit ad compunctionem incitari. Et hoc, vel

Per { Exemplorum rememorationem,
Iudicij huius crebram imaginationem,
Plurima in illud relatam exercitationem.

PRIMO per exemplorum rememorationem:
Vnde debent hic ad mentem vocari exempla
de hoc Dei iudicio, quæ ſunt innumera, de
quibus pleni ſunt exemplorum libri. SECVN-
DO poterit ſe duri cordis, mouere ad compun-
ctionem, & pœnitentiam, vt patet de abbate
Paſtore, per iudicij huius crebram imaginatio-
nem: Hinc magnus ille abbas Euagrius, ſolet
ſæpe hortari, quod fratres deberent Diuinum
illud horrendum iudicium imaginari, & quaſi
coram eſſent, ſic timere, lugere, & metuere, vt
patet in Vitiſpatrum. Et ſic ſe homo deberet
conſtituere, & circum circa hæc videre, Scili-
cet,

Ecce Deus, chaos, ac intus, foris, vndiq; terror.

Hoc eſt ſuccintius, quòd *vndique erunt eis an-
guſtiæ.* Nam *ſupra* apparebit Deus, Iudex iratus:
Inferius chaos patens infernus; *A dextris*, pec-
cata accuſantia; *A ſiniſtris*, infinita dæmonia
ad infernum trahentia; *Intus*, vrgens conſcien-
tia; *Exterius*, ardens mundi machina: Ibique,
vix ſaluabitur iuſtus, coguet ergo peccator vbi
manebit.

MEMINI me à quodam venerabili Patre vi- 1. Pet. 4.
diſſe figuram ſub hoc ſchemate depictam, &
eum in medio quaſi conſtitutum. Sicut etiam
narrat Alfonſus, de Eremita, qui hæc verba ſæ-
pè ſcripſit, ſæpius legebat, ſæpiſſime ſibi dice-
bat, O anima mea ſcias, & recognoſcas quid
operaris dum potes, antequam venias ad iudi-
cium, in quo leges omnia quæ feciſti, in Rotula
conſcientiæ, vbi Angeli ad dextris, dæmones à
ſiniſtris, vbi deſereris ab omnibus amicis &c.
Memento ergo modo, dum potes creatoris tui.
Et hæc recolens, tremebat, flebat, & fremebat.

TERTIO poterit ſibi homo incutere com-
punctionem, per variam circa iudicium exer-
citationẽ, Circa quod varij, variè ſe exercebant.
Nam quidam Patrum, cuidam duri cordis di-
cebat, quod ſemper increpationem illius iudi-
cij, coram oculis, habere deberet, cogitando,
quod debet Deo occurrere, & increpationem
eius, & Sanctorum ſuſtinere. Abbas Ammon
fratrib. dicebat, quod talem cogitationem ſibi
quiſque formare deberet, qualem latrones, &
iniqui, qui ſunt in carcere iudicandi, qui quæ-
runt frequenter, vbi eſt iudex? quando veniet?

& malorum ſuorum conſcij fient. Ita Monachus, debet animam ſuam obiurgare, & dicere, Væ mihi, quomodo habeo ante Tribunal Chriſti aſtare? & malorum meorum rationem reddere? Si, inquit, ſic te exercitaueris, ſaluus eſſe poteris. Gerſon autem venerabilis, hoc pro exercitio habuit, quod commemorãdo timuit, & antequam conueniretur in curia iuſtitiæ punientis, appellauit ad ſedem miſericordiæ condonantis. Iuxta conſilium Apoſtoli dicentis:
Heb. 4. *Adeamus ad thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus, in opportuno auxilio.* Habet Gerſ. exemplar appellationis in ſuis opuſculis. Hæc ſtrictim de iudicio Dei. De quo qui velit legere verba compunctoria, longius deducta: Legat meditationes Effrem, & Sanctorum ſcripta. Amen.

DIST. IV. TITVLVS VI. ORDINE XXXI.

De regione Purgatoria, & Infernali.

I SANCTA, *& ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare vt à peccatis ſoluantur.* 2 Mach. 12. SEXTA REGIO, eſt
2. Mac. 12 regio purgatoria, & infernalis, de quarum prima, eſt per ſe hic nunc diſſerendum, quam Bernardus vocat regionem expiationis, Ad quam ſæpè recurrendum per compaſſionem, & per eorum quæ illic aguntur, ſtudioſam conſiderationem. Multa enim ſunt quæ nos ad animarum ſubuentionem inducere debent: vt patet infra, Ad cuius ingreſſum ſæpè cohortatur B. Bernardus in Sermonibus diuerſis dicens: *Vadam in iſtam expiationis regionem, & videbo viſionem hanc grandem, quomodo pius Pater, glorificandos filios, in manu tentatoris reliquit, non ad occiſionem, ſed ad purgationem; non ad iram, ſed ad miſericordiam; vt non ſint iam vaſa iræ, apta in interitum: ſed vaſa miſericordiæ, præparata ad regnum. Surgam ergo in adiutorium illis,*
Ier. 50. *Interpellabo gemitibus, implorabo ſuſpirijs, orationibus intercedam ſatisfaciam ſacrificio ſingulari, ſi fortè videat Dominus, & iudicet: Vt laborem conuertat in requiem, miſeriam in gloriam, verbera in coronam, his enim & huiuſmodi officijs, poteſt eorum pœnitentia reſecari, finiri labor, deſtrui pœna. Percurre igitur quicunque fidelis es anima, regionem hanc expiationis, & vide quid in ea fiat, & in nundinis iſtis, fac ſarcinam tuam affectum compatiendi.* Hæc Ber. Suadet itidem venerabilis Gerſon, vt ſic ad hanc regionem decurramus: velut ad carcerem miſerorum, ad eorum ſubleuandam miſeriam: vt ſic eis impendendo miſericordiam, remereamur à Deo miſericordiam, & adimpleamus fraternam charitatem.

De Purgatoria regione.

CAPVT I.

PORRO, & circa hoc purgatorium, latiſſima eſt regio iſta, habenturq; varia in nundinis eius, ita vt quiſque, & hic inuenit accommoda ſibi.

Scilic.	Intellectiuus. Affectiuus. Exercitiuus.	Intellectualia. Deuotionalia. Practicalia.	Ad	Illuminationẽ. Inflãmationem. Operationem.

Vnde ſecundum hæc poterunt diſtingui tres dietæ huius regionis.

MEMBRVM I.

Quanta habeat hic conſiderare ſtudioſus.

PRIMO igitur inuenit hic ſtudioſus magnam II
copiam pro exercitatione, & illuminatione intellectus; quippe vbi innumera, & quidem ſatis difficilia occurrunt conſiderabilia: Inter cætera autem hic principalius conſideranda,

Quis ſit, qualis, vbi cur, cerne ſtatumq; reuelant. Hoc eſt vt apertius dicamus, poterit hic ſtudioſus, conſiderare,

Quod purgatorium ſit, Quale ſit, & qualiter ſit;	Hæc autẽ breuiter tangẽda.
Vbi, in quo loco ſit, Cur purgati contingat;	
De animarum purgandarum ſtatus qualitate;	
De earundem apparitionibus, & reuelationibus.	

DE PRIMO, ideſt, de purgatorij exiſtentia, *vtrum ſit?* Verè tenendum, quòd ſit; licet Græci diſcrepent in hoc à Latinis, pro eo, quòd pauca reperiuntur de eo expreſſa in Scripturis: Ex multis tamen, & multiplicibus viis hoc eſſe comprobatur; Scilicet,

Scripta docent, Sancti, mos, exemplum, rationes. Ideſt, probatur ex Diuinis Scripturis: vt de Ciuitate Dei deducit Auguſtinus. *Item* Sanctorum Apoſtolorum, & Doctorum orthodoxorum authoritatibus. *Tertio* ex more Eccleſiaſtico: *Quarto* ex variis veriſimilibus exemplis, & apparitionibus. *Poſtremo* ex efficacibus rationibus, quas introducunt docti in eorum ſcriptis, quarum potiores ſunt iſtæ,

Diſtant (*In meritis in præmijs.*), iuſti (*Ergo Dei iuſtitia non patitur inultum.*), puri (*Soli puricorde videbunt.*),
contraria (*Contrarijs purgantur.*), negligit haud quis (*Negligentia ſuffragetur.*).

Verè ergo tenendum purgatorium eſſe.

DE SECVNDO autem, quali purgatione purgentur: Non tam clara determinata certitudine, per ſcripturas determinatum: Neceſſarium eſt enim, cum corporali, ſpiritualem ponere ignem, de per ſe purgatiuum, puta charitatem,

&

& amoroſam afflictionem, qua ſine omnes corporales ignes, ad purgationem ſunt inefficaces;
III vt deducit S. Thomas, dicens in ſuo Compendio: *Habent, inquit, pœnæ, quod ſunt purgatoriæ, ex conditione eorum, qui eas patiuntur, in quibus eſt charitas; per quam voluntatem ſuam Diuinæ conformant: ex cuius charitatis virtute pœnæ, quas patiuntur, eis ad purgationem ſunt. Vnde in his, qui ſine charitate ſunt, ſicut in damnatis, non purgant* &c. Id & plenius Raynerius in ſua Pantheologia. Non ergo mirentur, non obtundant aures doctiſſimi viri, ſi audierint de purgatorio amoris, vel deſiderij; variis enim viis nouit ad perfectum deducere Deus: vnde cæleſtium bonorum deſiderium, verè purgatorius eſt ignis. De hoc purgatorio deſiderij, pulchrè dicitur in reuelationib. Brigidæ, Mechtildis, Tundali, & aliis viſionibus.

PORRO de loco purgatorij, vulgo dicitur dupliciter hunc aſſignari; ſcilicet ſecundum legem communem, & ſic dicunt cum eſſe in parte inferni, iuxta limbum Patrum. Hugo autem nullum determinatum vult aſſignare locum: Et Auguſtinus abdita receptacula vocat: Sed Sanctus Gregorius in Dialogis, videtur velle illud. Vel aſſignatur locus ſecundum diſpoſitionem ſpecialem: Et ſic dicunt, quòd animæ purgantur in diuerſis locis, Iſtis rationibus,

Vt poſcant liberationem. *Quia crimina ibi commiſerunt.* *Aliorum ob orationem.*
Poſcant, peccarunt, meritis,
Viuorum inſtructionem. *Faciliorem purgationem.*
doceant, leuius fert.

Proſequuntur hæc in aurea legenda, ſingula ſingulis exemplis.

PORRO *cur, & quibus* de cauſis purgati contingat: Multi multas cauſas aſſignant; puta pro tarditate conuerſionis; pro peccatis minutis; pro mentis impuritatibus, & imperfectionibus; pro malis amoribus, & affectibus, deputentur: vt digni fiant thalamo, templo, ſolio Dei: vt Guiliel. tractat in de Vniuerſo. Aug. tamen dicit difficillimum iſtud eſſe inuenire, & periculoſiſſimum definire. De poſtremis duobus tranſimus; licet multas habeant quæſtiones non inutiles, quoniam deuotis, magis, quam ſtudioſis ſcribimus.

MEMBRVM II.

Meditabilia compunctiua de purgatorio.

IV NVNC compunctionis, & deuotionis materiam colligemus, compunctiuis, & deuotis regionis iſtius: Et præſertim ſunt tria principalia illis conſideranda, & omni notatu digniſſima, vt puta,

De { Purgatoriarum pœnarum qualitate,
Ad ſuccurrendũ animab' indubitabilitate,
Suffragiorum varietate.

De quibus ſingulis paucis nos expediamus, ea quæ ſuper his alij dicant aſſignantes.

§. 1. *Quales ſint purgatorij pœnæ.*

DE PRIMO ideſt purgatoriarum pœnarum qualitate, nota hoc verſu,

Acris, diuerſa, ſterilis, damno, aq́ꝫ, longa.

Nam vt de pœna ſenſibili tantum loquamur, poſt de pœna damni dicturi, vtraque vt aiunt nimium eſt *acerba*; adeo vt minima pœna purgatorij, quod tamen Bonauentura negat, acerbior eſt quam grauiſſima pœna mundi. Et hoc tum ex parte ignis affligentis, qui tametſi æternus non eſt; miro tamen modo grauis eſt. *Item* ex parte animæ patientis, vt patet infra; quæ ſummè eſt ſenſibilis. *Item* ex parte Iudicis pœnam infligentis, qui plus quærit emendam, quã pœnam, & ergo punit negligentiam per pœnam acerbam; declarantur hæc in Speculo per varia exempla. Agitur item de hoc in Pantheologia, ſub titulo Pœna. Non ergo minima contemnamus, ne tam acerba ſupplicia illic luamus.

SECVNDO eſt in purgatorio *pœnarum diuerſitas:* Nam quattuor illic præcipuas afflictiones eſſe tradit Antoninus, ſcilicet ex priuatione viſionis Diuinæ ad tempus. *Secunda* ex inſultatione dæmonum. Non tamen, vt aiunt, torquentur ab eis. *Tertia* ex afflictione materialis ignis. *Quarta* ex conſideratione negligentiæ ſubuentionis: vt proſequitur in prima parte ſummæ. Vel, eſt illic pœnarum diuerſitas, pro varietate meritorum. Præſeruemus igitur nos à multis negligentiis, ſi torqueri nolimus multis tormentis.

TERTIO eſt illic. Pœnarum *ſterilitas*. Ita vt aiunt, quod quælibet pœna purgatorij, infructuoſa eſt ad meritum: Sic quod tantum eſt ſatisfactoria, non meritoria: Tempus enim præ- *Eccl. 3.*
ſens, eſt tempus metendi, & ſerendi: Illic recipiendi &c. Nam ſunt ſeptem anni fertilitatis, in quibus poteſt homo acquirere gratiam, & *Gen. 41.*
gloriam: ſed illic anni tunc reſtant, in quibus nec arari nec meti poteſt.

QVARTO eſt, & *damnoſitas*, ita quod purgatorij pœna non tantum eſt infructuoſa quo ad meritum: vt aiunt, verumetiam damnoſa, differens, & priuans à Dei conſpectu. Et verè inæſtimabile damnum, à Dei viſione retardari, vel paululum. Eya igitur hoc damnum attendamus, & à negligentiis, quæ dilationem cauſant, & animorum impuritatibus præcaueamus.

QVINTO eſt in purgatorio pœnarum *prolixitas*, & diuturnitas: Quia pœna de qua ſe poſſet homo expedire dum viuit in ſpacio vnius diei, protenditur (vt dicunt) in purgatorio per ſpacium fortè vnius anni; dicente Domino ad Ezechiel, *Fili hominis diem pro anno, diem in-* *Ezech. 4.*
quam pro anno dedi tibi: vt de filiis Iſrael in deſerto. Quamuis hæc auctoritas, vt patet non vrgeat.

De aggrauantijs pœnarum purgatoriarum.

NOTVLA I.

NOTANDVM quoque, quod quamuis pœnæ hæ purgatoriæ in ſe ſunt grauiſſimæ: Ex multis tamen aggrauantiis redduntur grauiores: Et potiſſimum ex iſtis,

Communis, ſenſus, abſens, grauis, haud iuuat V
vllus.

Ideſt PRIMO aggrauatur purgatorij pœna ex eius *communitate, vel generalitate*, quæ ſcilicet

totam animam generaliter, in omni potentia ex parte affligit. Tota enim anima patitur, quia ſimplex eſt. O verè grauis pœna, quia generalis.

ALTERA eſt ex ſenſu, & perceptibilitate: Tanto enim aliquid magis dolet de aliquo læſiuo, quanto magis eſt ſenſitiuum, & perceptiuum doloris: vnde dolores, qui fiunt in locis maximè ſenſitiuis, grauiſſimi ſunt. Et quia totus ſenſus corporis eſt ab anima, ideo ſi in ipſam animam aliquod læſiuum agat, videtur, quod ipſa maximè affligatur; prætertim cum ſit nobilis, & tenerrimæ naturæ.

TERTIO aggrauatur ex auiditate: Quia affectus, quo deſideratur ſummum bonum, poſt hanc vitam, eſt in animabus ſanctis intenſior, quia non retardatur earum affectus mole corporis; quo ergo affectus in illud bonum intenſior, eo abſentia moleſtior. Similiter ex termini propinquitate, Quo enim termino quis propinquior, eo mora grauior.

QVARTO aggrauatur hæc pœna ex *grauitate, & acerbitate:* ſcilicet ignis affligentis. Quamuis autem ignobilius non agat in nobilius, nec etiam per conſequens corpus in ſpiritum naturaliter. (Quod tamen vniuerſaliter non eſt verum, vt patet proſpicienti,) Agit tamen ignis ille purgatorius, non naturaliter; ſed vt inſtrumentum Diuinæ iuſtitiæ in animas, detinendo eas, & affligendo; licet modo à nobis imperceptibili.

POSTREMO aggrauatur hęc pœna ex ſubuenientium paucitate: Cito enim viui mortuos tradunt obliuioni: Vnde, & illud lugubre Iob
Iob 19. clamare videntur, *Miſeremini mei* &c. Et cum Ioſeph incarcerato, *memento mei, cum bene tibi*
Gen. 40. *fuerit:* Sed heu ſuccedentibus proſperis, minima cura eſt pro animabus: Vnde quiſque pro ſe ſollicitus eſſe deberet in vita, & non confidere aliis. Sunt enim ſocij menſæ &c. Et verè grauiſſimum eſt eis hoc videre.

De pœna damni animarum in purgatorio.

NOTVLA II.

VI PORRO de *pœna damni*, quod longe grauior priori, quis ambigit? Inæſtimabile enim damnum, à Dei viſione retardari. Nam (ſi teſte Auguſtino) Tanta eſt pulchritudo iuſtitiæ, ac tanta iocunditas lucis æternæ, incommutabilis veritatis atque ſapientię, vt ſi non liceret amplius in ea manere, quam vnius diei mora, propter hoc ſolum, innumerabiles anni huius vitę, pleni delitiis, & affluentia temporalium bonorum, rectè meritoque contemnerentur: Si inquam tanta eſt fruitio illius claritatis; quis æſtimabit quã malum ſit retardari ab ea? Verè, verè nulla maior eſt pœna quam viſionis Diuinæ carentia. Ita, quod mille mille gehennas (ſecundum Chryſoſtomum) excedat. Ergo eſt afflictio maior animarum, quæ aggrauantur propter iſta: *Tum quia* abſoluti à corpore mortis, corpore aggrauante &c. apertius illud bonum tam ſummum dinoſcunt: *Tum quia* illud ſummè, & intentiſſimè cupiunt: Nam affectus, quo anima ſeparata, à pondere corporis abſoluta, deſiderat ſummum bonum, maior eſt, & intenſior, quam affectus cuiuſcunque rei temporalis in hac vita, maximè cum iam tempus habendi aduenerit. Vnde quanto magis deſiderat, tanto dilationem moleſtius fert &c. *Tum maximè* pœnam grauat, quod per ſuam negligentiam, & culpam, dilationem eueniſſe conſiderat, quam per feruorem charitatis, potuiſſet amouiſſe in vita. Ex omnibus iſtis, quia, & magis anima diſpoſita, & ſummi cognitiua boni, & ſummè deſideratiua, & ſua culpa dilata, nil mirum ſi dolet. Si enim *ſpes, quæ differtur affligit animam;* Prou. 13.
quanto maius eſt bonum ſperatum, & magis cognitum, & tanto in expectando afflictio maior; & quanto dilatio prolixior, tanto acerbior dolor. Adeo quòd nulla durior pœna, quam dilatus amor.

§. 2. *De ad ſuccurrendum animabus inductiuis.*

NVNC de altero membro, ſcilicet de ad ſuccurrendum animabus inductibilitate videamus. VII
Quod, ſcilicet libenter eis ſubuenire debemus, cum multa inductiua habemus, Quorum quædam ſumuntur,

Ex parte { Dei, & Sanctorum. / Animarum ipſarum. / Noſtri ipſorum. } Inductiua autem ex parte Dei, & Sanctorum comprehenduntur hoc verſu,

Nam Domino placet Angelicis, Sanctis, monet, & vult.

Inductiua ex parte Dei.

NOTVLA I.

PRIMVM inductiuum eſt, quia hoc Deo; ſummę, ſcilicet & indiuiduæ Trinitati placet: Nam dum animabus ſubuenimus, Deum honoramus, & gratiſſimum obſequium facimus: Nam ſic eius imaginem liberamus: Et iam palã eſt quod honor imaginis, pertinet ad prothotypum. *Item* ſic Dei cooperatores ſumus iuuando; vt ſic Patris prædeſtinatio citius impleatur: Filij redemptio effectum ſortiatur: Spiritus ſancti electio, & voluntas compleatur. O quantum illum Dominus diliget, qui ei theſaurum gratiſſimum, erga quem cor ſuum appoſuit, pro quo omnia dedit, animam loquor Chriſtianam, ex tormentis liberauit.

SECVNDO Angelos lætificamus, quia eorum ciuitatem, & ruinam reſtauramus; animas orationibus illuc deducendo, eorum cuſtodiæ cooperamur, & gaudium augmentamus. Nam ſi *gaudium eſt illis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*, multo amplius ſuper anima aduenuente. Luc. 15.

TERTIO Sanctorum omnium nobis fauorem procuramus, dum pro animabus oramus, quia ſic eorum numerum augemus, gloriam augmentamus, & expectationem complemus. Expectant enim eas iuſti donec veniant. O Pſal. 141.
quanto eos deſiderio excipient Sancti, à quibus totiens ſunt lætificati.

QVARTO, quia in ſcripturis Deus ad hoc monet, vt patet in pluribus locis. Eccl. 7. *A mortuo non prohibeas gratiam tuam.* Item Macha. 2. Mach. 12.

Sancta & ſalubris &c.

QVINTO animabus ſubuenire debemus, quia vult ſcilicet Eccleſia, quia eſt eccleſiaſticum inſtitutum, quæ ad hoc ſingulare officium ordinauit, miſſas & memorias inſtituit: Ita quod nulla miſſa debet celebrari, quin defunctorum debeat memoria fieri. Cum ergo tam Deo grata, tam Angelis, & Sanctis placita, iuſtè indicta ſit defunctorum memoria, verè crebrius & deuotius eſt à nobis celebranda.

Inductiua ex parte animarum.

NOTVLA II.

VIII SED IAM annotemus etiam inductiua, ex parte animarum ipſarum: Et ſunt iſta, Status ſcilicet earum conſideratio,

In pœnis inopes, fracti, vincti, ſecus, & non.

PRIMVM, quia ſunt in *duriſſimis* (vt ex dictis patet) *pœnis* conſtituti; vnde valde eſt durus, qui non miſeretur, & ſubuenit, dum poteſt illis. Nam tanta acerbitate affliguntur, tanto acerbitatis languore afficiuntur, vt nullus tam durus in mundo tyrannus, qui eis non ſuccurreret, ſi hoc plenè noſceret.

ALTERVM eſt quia *inopes* ſunt, & pauperes, pretium redemptionis non habentes. Vnde
Pſal. 73. oremus, *Animas pauperum tuorum ne obliuiſcaris in finem.*

TERTIO compatiendum, & ſuccurrendum eſt eis, quia impotentes ſunt ad operandum, quia ſedent in tenebris, & confracti ſunt viribus, vnde eis operari impoſſibile eſt.
Io. 9. Oportet operari dum dies eſt, quando enim venit nox, nemo poteſt operari. O negligentiam noſtram! Videmus nos incarcerari, & negligimus operari, vt poſſimus liberari.

Heb. 13. QVARTO quia vincti ſunt, ita vt meritoriè nihil valeant operari (vt communiter tenetur) nec proficere in meritis, ac per hoc nec ſemet liberare, neque iuuare, vnde ſtudioſè illis ſuccurrendum.

POSTREMO ideo, vel maximè debemus eis ſuccurrere, quia ſecus non poterit exire, niſi
Apoc. 21. plenè fuerit ſatisfactum. Immo niſi ipſæ fuerint
3. Reg. 6. perfectæ, & thalamo dignæ. Nil enim conta-
Pſal. 102. minatum intrabit in illum. Vnde nec malleus, aut ſecuris, audita ſunt in templo. Vnde debemus libenter eis ſuccurrere, pia oratione orantes, quo deſiderium eorum compleatur in bono. Vnde nimis eſt crudelis, qui non compatitur illis.

Inductiua ex parte noſtri.

NOTVLA III.

IX TERTIO ſunt inductiua ex parte noſtri iſta, ſcilicet,

Ordo petent, meritum, maius, ſeptem tibi fiet.

PRIMVM inductiuum, quia hoc exigit *ordo*, *&*
Mat. 7. *lex* naturalis. Iuxta illud, *Quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, vos eadem facite illis:* Nam & ſic irrationalia inuicem ſuccurrunt, vt ait Al-
Gal. 6. bertus, Cerui, Elephantes. Et nos alter *alterius onera portare* debemus. Nam & itidem exigit ordo, & lex charitatis, vt *omni tempore diligat,* Prou. 17.
qui verus amicus. Hinc dicit Ioan. *Qui viderit* 1. Io. 3.
fratrem ſuum neceſſitatem patientem, & clauſerit viſcera ſua, quomodo charitas Patris manet in eo?

SECVNDO eis ſuccurrere debemus propter *vtilitatem noſtram*, quia petent inſtantius pro nobis in Patria. cum per noſtras preces liberatæ fuerint ex pœna; ſunt hinc exempla multa. Intercedamus ergo pro fidelibus defunctis, vt aliquando orent pro nobis.

TERTIO debemus eis ſuccurrere, quia ſæpè benemeriti ſunt de nobis in via; quippe qui impenderunt beneficia plurima; vnde & dicitur 2. Reg. 1. Dauid Iſrael inuitabat ad fletũ ſuper 2. Reg. 1.
Saul, & Ionatha, quia multiplex impenderant beneficium. Et ecce nunc clamant de tormentis, qui dum vixerunt, multa mala libenter ſuſtinuiſſent pro nobis, nec eis reſpondemus, aut ſuccurrere curamus. O verè magna inhumanitas, crudelitas grandis nimis. Vnde verendum eſt, quod vindictam clamabunt ſuper duris, & ingratis.

QVARTO libenter pro eis orandum, quia hoc (iuxta Nider) eſt magis meritorium, & maius bonũ. Nam *aut in* inferno eſt, & ego gradum gloriæ merui, quia opus charitatis feci; Vel ſaltem, me ad gratiam, ſi extra eam ſum, per hoc diſpoſui: *Aut* eſt in purgatorio, Et tunc licet ſecundum multos, nihil mihi mereri poſſet, aut ſibi: Tamen ſecundum aliquos, pro me poteſt exorabiliter orare, ſicut Hieremias pro 2 Mac. 15.
Iſrael in lymbo: *Aut* animæ ſunt, aut erunt in cœlo, & tunc noſcent eos qui orauerunt pro eis, & lõge inſtantius orabunt pro ipſis, etiamſi non profuiſſet eis eorum oratio, quia affectum attendent. Secus eſt autẽ de viuo inquit, quando oro pro eo: Quia forte, quod pro eo oro ignorat, Et ſic non redorabit: *Aut* eſt peccator, & ſic parum ea valebit. Totum ergo quod defunctis impenditur, in noſtrum redundat meritum &c. vide in præceptorio. Secundum alteram autem conſiderationem, aliqui dicunt melius orare pro viuis &c. Matt. 5.

QVINTO quia qui pro defunctis orat, ſeptem miſericordiæ opera eis impendit, vnde & eius miſerebitur Deus. *Cibat enim eſurientes* pane Angelorum; dum eas precibus deducit ad regnum cœlorum: Secundo *potamus ſitientes*, dicunt enim, *Sitiuit anima mea* ad Deum *fontem* Pſal. 41.
viuum. Tertio *veſtimus nudos* nuptiali veſte, veſtitu deaurato: Dum enim charitatem noſtram conſiderant, charitatem in nos actuant. Quarto *peregrinos, & exules hoſpitamur:* dum in domo Domini lætantes precibus deducimus. Quinto *captiuos de carcere educimus*, dum Infirmos illos, & amore languentes viſitamus. In terra tandem viuentium, in Domino tandem *beatos ſepelimus*. Quiſquis cupis: vt tui miſereatur Deus, fac per hæc proximo miſerearis.

POSTREMO ideo potiſſimum eis ſubuenire debemus, quia nobis ſic fiet: Quippe in qua menſura menſi fuerimus, remetietur nobis; Mat. 7.
Iuxta illud Ruth. *Faciat tecum Deus miſericordiam: ſicut feciſti cum mortuis.* Sic enim Deus Ruth. 1.
ſæpe diſponit, quod tantum quis recipit in alia

Digitized by Google

vita, quantum facit libenter in hac vita. Nam iuxta Bedam Indignus erit omni ſuffragio, qui defunctorum immemor fuit in hoc ſeculo: vt patet in multiplici exemplo. Ob hæc. & huiuſmodi plurima, libenter orare debemus pro defunctis, & impendere eis bona, quia ſancta, &
2. Mac. 12 ſalubris huiuſmodi eſt, vt patet, memoria.

§. 3. *De ſuffragiorum quibus animæ iuuantur, qualitate.*

X IAM videndum de Suffragiorum, quibus eis ſubueniendum eſt, qualitate. Et ſolent in genere aſſignari quattuor principalia. Vt ſunt oratio, vel Chriſti capitis, vel membrorum. Et ſic liberantur per *modum interceſſionis*, In Miſſa, Orationibus, Vigiliis, vel per modum *redemptionis*, & ſic eſt eleemoſina, qua redimuntur peccata: Vel *propria ſolutionis*, vt ipſi pœnas plenè luant in purgatorio. Quarto per *modum alienæ pro eis afflictionis*, vt Ieiuniis, Afflictionibus, Diſciplinis, & huiuſmodi multis: ſicut legitur de multis Sanctis. In genere tamen ſunt multa alia plura ſuffragia, quorum hæc præcipua.

Flens, pete, caſtiga, munus da, redde, celebra.
Hoc eſt, iuuantur piis fletibus, deuotis orationibus, pœnitentialibus afflictionibus, largis eleemoſinis, debitorum ſolutionibus. Maximè autem Miſſarum celebrationibus; quemadmodum à multis longè deductum eſt, auctoritatibus, rationibus, exemplis, in libro Apum præſertim, & in Speculo morali.

OFFERRENT SE plurima circa hæc ſuffragia conſideranda, ſcilicet; Quæ animæ per ipſa poſſunt iuuari; Qua ratione eis poſſunt prodeſſe; Si æqualiter omnibus proſint; Qualiter ea noſcant: Et ſi malorum orationes eis proficiunt. Aliquid igitur pro noſtris hic dicamus. Quod ſcilicet ſi volent ſuis ſuffragiis, animabus
XI proficuè prodeſſe, ſtudeant non multiplicare, & verboſari; ſed ex charitatis feruore, & in vnione Dominicæ paſſionis, & Eccleſiæ, & Sanctorum meritis ea fundere. Sic enim magis proderit exigua vna oratio, quam multarum inaduertens replicatio. Docuit hoc Dominus Mechtildim, reuelauerunt hoc animæ quibuſdam. Hinc in legendis Vigiliis, deuoti quidam ordinant ita ſua exercitia, vt in vnione meritorum Chriſti reducantur omnia; vt Pſalmos quinque, In honorem quinque vulnerum, per ea obſecrantes veniam quinque ſenſuum: Deinde primum nocturnum ad vitæ Chriſti ingreſſum: Alterum ad eius progreſſum: Tertium ad paſſionis egreſſum: Laudes ad ſeptem verba, quaſi impendentes ſeptem miſericordię opera. Sic lectiones, aut Reſponſoria ordinant ad Trinitatem ſanctam; Virginem beatam, & & ſeptem ordines Sanctorum, obſecrando, ſcilicet per Dei miſericordiam, & Sanctorum merita, quatenus animæ ducantur, ad ea quę aſpirant gaudia. Poſſent hæc plenius dici; ſed committimus cuiuſque exercitationi.

MEMBRVM III.

Exercitandi practica.

POTERIT ſe homo multipliciter exercere in regione iſta, ſcilicet per ſuperiorum meditationem, crebro hæc retractando. Ad multa enim valet horum frequens recogitatio; præſertim, vt Vincentius dicit, ad iſta, ſcilicet quia à culpa reuocat: In tentatione à ruina peccati conſeruat: Minuit ad patientiam; prouocat ad compaſſionem, & miſericordiam. Inducit ad pœnitentiam, & valet ad perſeuerantiam: Vt ſingula latè deduci poſſent per exempla. XII

SECVNDO poteſt ſe homo exercere, per viuam pœnarum purgatoriarum imaginationem, ſui ipſius, ſi eas ferre poterit, diiudicationem: ſic multi Patrum egerunt, & grauiſſimis pœnitentiis ſeſe afflixerunt. Sic etiam magnus cantor Pariſienſis (vt ſcribit Vincentius) Vt æterna tormenta euaderet, & æterna bona obtineret, in exitu ſuo rogabat Dominum, quatenus eum poneret in purgatorio vſque ad diem iudicij, idipſum circunſtantes obſecrando, vt ſecum Dominum ſuper hoc exorarent; fortè hoc de purgatorio, de quo beata Maria apparuit Brigidæ oranti pro anima heremitæ ſancti dicens: Attende, & ſcias filia, quod anima huius non ſtatim intrauit in cœlum, quia non habuit perfectum diſſoluendi deſiderium. Et ideo detinetur nunc in illo purgatorio deſiderij, vbi nulla pœna eſt, niſi ſolum deſiderium, ad Deum perueniendi. Hæc in quarto libro reuelationum eius. Simile in viſionibus Mechtildis. Similia de hoc purgatorio habentur in multis viſionibus; quæ ideo à quibuſdam non acceptantur, quia animas ſolo deſiderio purgari, & languere dicunt: Imò, quòd talis perfectio neceſſaria eſt, ex ſcripturis elicitur, quia *Apoc. 21.*
nullus admittetur maculatus in regno, nec ſponſa à ſordibus, & menſtruis malarum affe- *Cant. 5.*
ctionum nondum depurata, nec nuptialiter amans, eſt thalamo digna. Si ergo diu nolimus purgari, & differri, ſtudeamus omnes inordinatas affectiones abiicere, & feruenter Deum amare.

De regione Infernali.

CAPVT II.

D*Imitte me, vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non reuertar, ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine, terram miſeriæ, & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo; ſed ſempiternus horror inhabitat.* Iob 10. IAM VIDENDVM eſt de regione infernali, quam ſanctus Iob ſatis horrendam deſcribit, ſub verbis dictis. Ad cuius crebrum ingreſſum, multa poſſunt, (vt ſupra factum eſt) aſſignari inductiua; ſed cæteris omiſſis, de his ſæpè meminiſſe debemus, quia horum memoria ſatis vtilis eſt, & plura adducens bona, vn- I

de, & à multis ſæpè ſuaſa. Inter cætera autem, profunda non profunctoria hæc infernalium ſuppliciorum meditatio, hæc adducit bona, Scilicet,

Pœnitet, obſeruat, robur, patiens, quia ſpernit.

PRIMO inquam pœnalium tormentorum memoria *prouocat ad pœnitentiam* agendam, vnde Dauid orabat: *Conuertantur peccatores in infernum*; ſcilicet per conſiderationem; vt ſic conuertantur ad pœnitentiam. Hinc quidam cuidam. Si, inquit, non potes habere lachrymas, pone ante oculos fumum inferni, & eius pœnas, & verte te ad aquilonem, vnde panditur omne malum, & ſic habebis: vt patet in multis exemplis. Pſal. 9.

SECVNDO hæc memoria *à peccatis præſeruat*, vnde narrat beatus Athanaſius, de Antonio ſancto, quod quotiens tentabatur de peccato, totiens ad mentem reuocabat pœnas æterni incendij peccato debitas, & ſic liberabatur, permanens immunis à peccatis. Et venerabilis Gerſon ſimile conſilium dat.

TERTIO in tentatione *confortat, & roborat*: Hinc cuidam tentato, conſilium ſenior dabat, vt tentationem vinceret: Quod, ſcilicet faceret ſicut nutrix, quæ cum vult puerum ablactare, vbera perungit aliqua amaritudine, quam ſentiens puer refugit. Sic, inquit, tu tentationi oppone amaritudinem inferni.

QVARTO *animat ad patientiam*; Facili enim patientia tolerat mala præſentia, qui timet futura. Hinc Gregorius ait, *Sancti temporalem pœnam lucrum putant, quia per hanc æternam euadere non formidant.*

POSTREMO *ad mundi contemptum prouocat*, vt patet in miraculis de ſancto Ioan. Euang. Sic magiſter Iordanus, quendam ad mundi contemptum induxit, & rogauit quotiens pulchra membra ſua inſpiceret, cogitaret, quod magnum damnum eſſet, quod in inferno arderet: & ſic conuerſus fuit. Sic alter alterum conuertere, & ad mundi contemptum trahere volens, id tantum expetiit ab eo, vt vel amore ſui, quando cameram intraret, & lectum, cuius culcitra mollis erat, videret, ſecum cogitaret, qualem cameram, & lectum in inferno haberet, dicendo illud Eſa. *Concidit cadauer tuum, detracta eſt ad inferos ſuperbia tua: Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*; quod vbi paululum fecerat, plenè mundum contempſit. Hinc abbas Amon, cuidam roganti verbum ſalutis dicebat, Memorare eorum, quæ in inferno ſunt, & cogita apud temetipſum, quomodo ſunt ibi animæ, in quam amaro ſilentio, in gemitu peſſimo, & tormento maximo lachrymas fundentes. Et alter cuidam in cella ſedere attedianti reſpondit: *Si inferni pœnas cogitares, etiam ſi ſerpentibus plena eſſet, libenter in cella maneres.* Crebro ergo debemus hanc regionem ingredi, & eius pœnas memorare; licet dura ſit, ne veniant duriora. Eſa. 13. Eſa. 14.

MEMBRVM I.

Conſiderationes ſtudioſi de Inferno.

EST autem lata regio, de qua hæc in genere ſunt dicenda; ſcilicet conſiderabilia, compunctiua, & exempla. Inuenit enim hic ſtudioſus innumera pro ingenij agitatione tractanda. Videlicet iſta: II

Quod ſit, qualis, vbi, modus ardendi, quòd, & anus.

Primo enim conſiderare poterit, quod ſit infernus, quod probari poteſt variis viis, ſcilicet Scripturæ auctoritatibus, Doctorum teſtimoniis, rationibus, & exemplis: imo & gentilium aſſertionibus: deducit iſta latiſſimè de Ciuitate Dei 21. B. Auguſt. etiam gentium teſtimonia adducens. Platonici enim impunita nulla volebant eſſe peccata. Loquitur de hoc Virg. plurima. Item Seneca, & alij: vt etiam in ſuo quadrageſimali Leonardus Vtinēſis eſt proſecutus.

DE ALTERO autem, vbi ſit infernus, communiter tenetur (vt Scriptura teſtatur) quod ſit ſub terra: imò in meditullio terræ, vbi remotius à cœlo. De qua tamen quæſtione Sanctus Gregor. ſobriè ſatis loquitur dicens: *De hac re nihil temere diffinire audeo: Cum quidam hunc in terrarum quadam parte eſſe putauerunt. Alij ſuper terram hunc eſſe exiſtimant. Quamquam nil obſtet, vt video, vt ſub terra eſſe credatur.* Auguſt. tamen dicit hoc non eſſe certum. Hinc alij duplicem infernum; ſpiritalem ſcilicet & corporalem: Et is quidem in certo quodam loco; Spiritalem autem dæmones deferre dicuntur; ſed ſatis ſit hæc tetigiſſe.

PORRO qualis ſit infernalis ignis, Aug. dicit, Quod *ignis inferni cuiuſmodi ſit, vel in qua parte mundi, neminem penitus arbitror ſcire, niſi cui ſpiritus Dei reuelauerit:* Vnde nil de eo dicendū nobis, niſi hoc quod vtiq; corporeus eſt.

DE QVARTO autē, ſcilicet, modo quo ignis ille ardeat & puniat, etiam ſummorum ingenia fatiſcunt: Qui aliquid inde pulchri, & rari videre volet, legat Guil. Pariſ. in de vniuerſo corporali: Imò ante eum, quem inſequitur egregiſſimè beatus Auguſtinus 21. in de Ciuitate Dei. Poſſent hic variè aſſignari Doctorum opiniones: ſed nos acceleramus ad meditabilia cōpunctionis: Poterit tandem ſtudioſus inquirere de pœnarum æternitate, quomodo æternæ permanere poſſint; Et quomodo æterni cruciatus debeantur tranſitoriæ, & temporali culpæ: Ad quod à doctis aſſignantur rationes multæ & pulchræ. Sunt & alia multa quæſitu digna; neſcio tamen ſi tam affectui, quàm curioſitati deſeruientia: vt ſi damnati videbunt faciem Diuinam, aut Sanctorum gloriam, ſi mentis latitudinem, & rerum notitiam claram habeant, & huiuſmodi.

MEMBRVM II.

Meditabilia compunctiua de inferno à deuotis retractanda.

NVNC ponenda ſunt compunctionis meditabilia: Et poſſunt in genere pro com- III

punctione attendi iſta,

Nomina cerne locū, ſocios, torquet quoq; pœnas.

§. 1. *Diuerſa inferni nomina.*

PRIMO ergo conſideranda eſt *nominum diuerſitas,* quibus infernalis regio denominatur: Inſignium enim rerum nomina ſolent multiplicari; Et huius ſunt nomina tam multa & horrenda, quod ſola illa metum incutere poſſunt conſiderata; & inter cætera, iſta,

Infernus ac puteus, acheron, baratrumq́, caminus.

Tartarus, & herebus vel auernus ſtixq́ gehenna.

Ethim. PRIMO dicitur damnatorum locus *infernus* vel *infernus, ab infero* ſic dictus, eo quod animæ impiorum eo inferuntur, ad æternaliter patiendum, nunquam egreſſuræ. Iuxta illud Iob,
Iob 7. *Sicut conſumitur nubes & pertranſit, ſic qui deſcendit ad inferos non aſcendet.* Vel certè dicitur
Pſal. 39. ab *infra,* eo quod eſſe creditur ſub terra profundiſſimè ſita.

SECVNDO vocatur *puteus* aut *lacus.* Ibi. *Edu-*
Apoc. 17. *xit me de lacu miſeria.* Et in Apoc. *de puteo abyſſi obſcuratus eſt aër.*

TERTIO dicitur *Acheron,* eo quod locus eſt deſolatiſſimus, quaſi ſine gaudio vel ſalute. Nam locus eſt luctuoſus, & lachrymæ ſunt ſine
Luc. 13. ſalute: *Ibi enim fletus erit, & ſtridor dentium,* mæroréq; ſine conſolatione.

QVARTO *Baratrum* dicitur quaſi latitudo, arcta: Quia eſt latus locus ad ingrediendum; arctus ad egreſſum.

QVINTO dicitur *Caminus ignis.* Matth. 15. Duo autem ſunt in camino: *Infra* ignis viuidus; *ſupra* fumus obſcurus, cauſans hinc tenebras exteriores. De quibus longus poſſet fieri ſermo.

SEXTO *Tartarus* nominatur, eo quod eſt locus inquietiſſimus & turbatus, & tumultuoſus:
Eſa. 3. Tumultuatur enim puer contra ſenem, filius contra patrem; vt patet in exemplis.

SEPTIMO *Herebus* inuenitur à gentibus di-
Ethim. ci, eo quod ſemper adhæreat illis talis pœna. Nam licet diabolus exeat; infernum tamen ſuum ſemper ſecum portat.

Ethim. OCTAVO dicitur *Auernus,* eo quod ſit locus intēperatiſſimus, quaſi non vernus, & ſine vere.

NONO *Stix* dicitur.

Ad ſtiga qui rapitur, hic malè decipitur.

Et inueniuntur huiuſmodi nomina multa apud Poetas, quæ ſignant paludes, fluuios infernales.

POSTREMO *Gehenna* dicitur in Euangelio frequenter ſecundum Hieronymum à valle fi-
Luc. 12. liorum Ennon, atque interpretatur vallis triſtitiæ. Hæc itaque & huiuſmodi nomina ſæpè rememoremur, vt fælici timore concutiamur.

§. 2. *De qualitate loci.*

IV SECVNDO eſt *qualitas loci* attendenda, quæ licet ex nominibus conijci aliqualiter poſſet; ex his, tamen lucidius apparebit: Et inuenitur, inter cæteras, eſſe talis,

Sordidus, obſcurus, anguſtus, & infimus, horrēs.

Quoniam enim infinita & iuſtiſſima Dei ſapiētia, collocat quæque in loco ſibi proportionato; tenendum eſt, quod ſicut peccator, in mortalibus iacens vitiis, vilior eſt omni creatura etiam inanimata: Imò iuxta gentium (doctos) decies milies deterior brutis; Et coram Deo omni bufone, baſiliſco, ac cadauere, quantumlibet putrefacto, fœtidior & abominabilior; imò vt ait Guilielm. Pariſien. Non eſt in mundo tam fœda cloaca: ſicut peccatoris conſciētia. In qua vitiorum fœtor & ſcelerum putredo, ac impiorum affectuum ſpurcitia ſunt collecta. Hinc propter hæc omnia, damnatis à ſummo, & extremo bono auerſis, debetur viliſſimus, & *ſordidiſſimus* locus. Et hic eſt infernus, vbi omnes ſcoriæ colliguntur.

SECVNDO eſt locus iſte *obſcurus.* Iuxta illud, *Pſal. 142.*
Collocauit me in obſcuris. Et Tren. 3. *In tenebroſis collocauit me Dominus; quippe vbi ſunt tenebræ*
exteriores. Quamuis enim ſit ignis: non tamen, *Matth. 22.*
niſi fortè ſubobſcurè, & hoc ad pœnam, lucet eis. Nulla enim vis ignis poterit illuminare noctem illam horribilem, nec limpidæ ſyderum flammæ. O perpendat, qui poterit, quantæ ſit pœnæ in obſcuro carcere reſidere, & lumine cœli, quod dulce & delectabile oculis,
carere. Hæc tamen collatio eſt nulla. *Eccl. 11.*

TERTIO eſt *anguſtiſſimus.* Nam qui lata ſpacia in terra habuerunt, illinc non, quo ſe diuertant, poterunt inuenire. Hinc Iob, *Terrebit* *Iob 15.*
eum tribulatio, & anguſtia valde. Hinc ſcribit Guiliel. Pariſienſis: Quod damnatorum corpora ita iacebunt anguſtata, quemadmodum allecia in vaſe compacta.

QVARTO *infimus* eſt, & nimis profundus: Ita quod ſub omnibus deijciuntur, qui omnibus præ ſuperbia in mundo præeſſe voluerunt:
Nam *introibunt in inferiora terræ,* &, *ſubſtantia* *Pſal. 62.*
eorum in inferioribus terræ. Et hinc dicit Iob, *Pſal. 138.*
In profundiſſimum inferni deſcendent. Vnde ſpes *Iob 17.*
euadendi nunquam erit vlla.

POSTREMO eſt locus is *horribiliſſimus,* & totus horrendus, adhuc propter alias terrendas conditiones, quas tranſimus, adeo quod, ſolo eius aſpectu, vel imaginatione, merito quiſque terrore concuti deberet. Vnde eius horribilita-
tem Iob intuens, clamauit, *Dimitte me Domine,* *Iob 10.*
vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine. Vbi notatur ſeptuplex pœna inferni: vt deducit Dominus Antoninus. Verè ergo horrendus locus, lutum cæni, & ſtagnum ignis ardentis, cuius torrentes ſulphur, & pix, cuius ſpiraculum turbo, & ſpiritus procellarum, terra tenebroſa, operta mortis caligine. Vbi fletus, & ſtridor dentium: Vbi nullus ordo; ſed omnia mala. In hunc autem lacum ſtultitia tendit, nequitia properat, malitia præcipitat: Ab huius periculo ſapientia reuocat, veritas reducit, charitas ſaluat. Vt igitur hæc amplectamur, & ea quæ illo ducunt vitemus, ſæpe imaginemur locum longiſſimum atq; latiſſimum, campum arefactum, incendiis combuſtum, profundiſſimis foueis, & anguſtiſſimis puteis plenum, qui ſulphureis ignibus ſunt repleti, vbi camini incenſi, pleni ſpiritibus malignis, ferociſſimis ac venenoſiſſimis brutis, bufonibus, draconibus, omniumq; ſerpentum genere. Vbi miſeri iacent peccatores, ſuper quos beſtiæ ac

edaciſſimi

edaciſſimi reſident vermes, qui eos conſtringunt, lacerant, & corrodunt. Cæteraq́; intueamur: Et horum intuitu vereamur, vitia fugientes. Hæc de loco.

§. 3. De damnatorum horrenda ſocietate.

V NVnc videndum eſt de damnatorum mala ſocietate, quæ plurimum grauat tormenta: Nam vulgare illud dictum, in damnatis locum non habet,

Solatium eſt miſeris habere ſocios pœnarum.

Imo quo multiplicantur magis, eo torquentur, vt aiunt docti. Quare diues ſollicitabatur, ne
Luc.16. fratres ſui eò venirent: Nam quo in vita aliqui ſunt familiarius ſibi coniuncti in vitiis, eo magis ſe oderunt in tormentis; eo quod vnus alteri cauſa fuit, vel occaſio malo exemplo tantæ damnationis: Imo omnium etiam hic amiciſſimorum horrenda ſocietas. Verenda eſt horum qualitas, ſcilicet,

Deformes, reprobi, flent, infirmi, furioſi.

PRIMO timendi ſunt hi ſocij, quia *deformes* ſunt, & nigri, adeo quod mutuus aſpectus, non dolorem minuat; ſed fomentum det cruciatus. Nam de eorũ turpitudine Anſelmus ait, quod quilibet eorum erit, cœno, & cadauere fætidior, & omni fuligine turpior: Vnde ſicut de
Mat.13. Sanctis canitur, *Fulgebunt iuſti, & Sancti tui flo-*
Pſal.91. *rebunt:* Ita de reprobis damnatis, dici poterit, ſecundum Vincentium, quod fætebunt ſicut ſterquilinium, & ſicut cadauer putridum erunt. Reuera nullus fœtor, eſt illorum fætori comparabilis. Nulla turpitudo, eorum horrori aſſimilabis. Si enim ignis iſte (ait Auguſt.) cum ſit formoſus, omnia, quę lambit, deturpat, & denigrat; quanto magis ignis inferni ita turpis, & obſcurus, cuius erunt pabulum ſempiternum,
Eſa.13. eos deturpat? Erit enim populus (ait Eſa.) *ſicut eſca ignis: Et facies combuſta vultus eorum.* Nam
Ioel 2. vt, & Ioel ait, *Omnes vultus redigentur in ollam.*
Naum.2. Sed, & Naum ait, quod *facies eorum ſicut nigredo ollæ.*

SECVNDO ſocij infernales *reprobi* ſunt, & nequiſſimi ſodales: Sunt enim omnes illic infandiſſimi deſuper terram aggregati. Ibi magni,
Pſal.73. & parui: Ibi cætus omnis malorum, quorum
Apoc.22. ſuperbia aſcendit ſemper, & in ſordibus peccati magis ſordeſcunt. Qui, ſicut ſunt ſuperbiſſimi, ita ſemper ſunt in ſummo diſcordes. Nam in tanta (ait Anſelmus) diſcordia perſiſtunt, quod eorum corpus, & anima ſemper diſſideant. In inuicem quoque iurgium ſocij habent, pater filium maledicit, & filius patrem. Omni quoque vitio pleni.

TERTIO ſunt iugiter *triſtes*, & omnes deſolati, vlulantes, & gementes, flentes, & eiulantes: Hoc enim Dominus repromiſit, vbi dicit,
Luc.6. *Væ vobis diuitibus, qui habetis hic conſolationem veſtram, quia plorabitis, & flebitis vos.* Hinc dicitur Eſa.65. *Ecce ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis.* Sunt enim hic omnes cauſæ luctus: vt patet infra plenius. Hinc vnus Patrum ad vitam reſuſcitatus, inconſolabiliter plorans, dicebat, ſe audiſſe voces innumeras dicentes, Væ mihi, væ mihi, quia non fleui. Vnde, & Arſenius hortabatur, Producant, inquiens, oculi noſtri lachrymas, & comburant corda noſtra hic, ne comburantur in futuro. O flebile conſortium!

QVARTO ſunt *debiles*, & infirmi, nec ſe, nec alterum iuuare valentes: Dicit enim Anſelmus, quod ſic imbecillis erit quilibet reproborum, vt nec vermem poſſit à ſuis oculis amouere. Si enim languor temporalis, ita hominem debilitat, vt vix ſe diuertere, aut mouere poſſit, quid non agit illa infirmitas, vbi (vt Iob ait) *Omnis* Iob 13.
dolor irruet ſuper eos. Et ergo dicit Eſai. *Erit for-* Eſa.1.
titudo veſtra, vt fauilla ſtuppæ. Mors quippe de- Pſal.43.
paſcet eos: Imo ſi etiam non debiles eſſent, tanto prementur pondere pœnarum, vt nec quippiam corporis mouere poſſint. Nam corpora erunt eis, vt lapis, & plumbum, in vehementibus aquis. O cogitemus.

POSTREMO hi ſocij percutientur (vt dicitur
Deuterono.) *amentia*, & furore mentis: Et erunt Deut.28.
iracundia, & rancore pleni, inuicem odientes, & mordentes: Vltra enim omnium beſtiarum rabiem, erunt iracundi, & præ nimio furore ſemper turbati: Dominus enim in ira ſua conturbabit eos. Hinc prorumpét in blaſphemias,
commanducantes (vt dicitur Apocal.) *Linguas* Pſal.20.
ſuas præ dolore, & blaſphemantes Deum cœli, præ Apoc.16.
doloribus ſuis. Et odium Dei, proximi, ſui ipſius,
quiſque in ſummo habebit: vnde, & mori de- Apoc.9.
ſiderabit, nec poterit; omnibuſque erunt ipſi exoſi, non inuicem compatientes; ſed deſolati, quibus nec vna à miſericordiſſimis concederetur
aquæ gutta. Æſtimet qui poterit, ſi cum tali ſo- Luc.16.
cietate manere poterit, ſtudeat eorum nequitiam vitare, ne incurrat ſocietatem. Sunt enim valde pauendi.

§. 4. De qualitate tortorum, id eſt dæmonum.

IAM videndum eſt de qualitate tortorum, VI
pœnas ſcilicet infligentium, quorum qualitas valde aggrauat pœnas: Quia ſunt diaboli ipſi. Quos enim (vt ait Gregorius) habuerunt reprobi incentores in culpa, habebunt etiã tortores in pœna. Circa quos notanda ſunt iſta,

Horribiles, multi, fortes, ardentęq́; tremendi.

PRIMO timendi ſunt hi, propter eorum *horribilitatem*, & deformitatem, ſunt enim aſpectu terribiles. Iuxta Iob 20. *Venient ſuper eos horribiles:* Vnde & depinguntur deformes: Et adeò aiunt horribile eſſe, vel vnum dæmonem videre, quod tollerabilius eſſet fornacem incendia minantem intrare. Quid ergo erit de tam multis? Hinc ſuper, *Qui habitat*, dicit Bernardus, *Quid putatis fratres? ſi alicui vni ex tam multis principibus tenebrarum, in medium veſtrum irruere, & in tota feritate ſua, & tenebroſa enormitate ſui corporis apparere liceret, quis illum poſſet, vel corporis ſenſu ſuſtinere, vel corde?* Et ergo dixit vnus Patrum, Credo, quod ſi aliquis videret dæmones, in ea forma, qua damnati eos ſunt viſuri, non poſſet viuere; ſed ſtatim moreretur. Quam ergo horribiles erunt in afflictu, ſi occiderent nunc ſolo aſpectu?

SECVNDO timendi ſunt, propter *multitudi-*
nem, & numeroſitatem. Iuxta illud, *Domine* Pſal.3.
quid multiplicati ſunt. Item. *Circumdederunt me* Pſal.17.

ſicut

Digitized by Google

ſicut apes. Imo dicit Haymo, quod tot ſunt, & multo plures dęmones apud homines in mundo, quam athomi in aere: Vnde quibuſdam reuelatum eſt, eos circunuolitare homines, ſicut innumerabiles muſcæ; Angeli enim apoſtatici, ceciderunt (ait Damaſcenus) numero multi. Imo dicit, Innumera multitudo, hoc eſt, quia incomprehenſibilis ſtatui noſtro.

Tertio propter *fortitudinem*, & poteſtatem: Sunt enim fortes, & potentes, vnde, &
Ephe. 6. principes potentes, & *mundi rectores* ab Apo-
Pſal. 53. ſtolo dicti. Hinc Pſal. *Fortes quæſierunt animam*
Pſal. 37. *meam. Et vim faciebant.* De qua dicitur Iob.
Iob. 41. *Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei, qui factus eſt, vt nullum timeret.* Non ergo poterunt reſiſtere potentibus iſtis. Lata hic ſe materia offert de dæmonum poteſtate. Legatur Guiliel. Pariſienſ. in de vniuerſo ſpiritali. Item Gerſon, in tractatu ſcripto de hoc.

Qvarto propter eorum *crudelitatem*, & ad nocendum auiditatem: Sunt enim inuidiſſimi, crudeliſſimi, procaces, & veloces, & cupidi ad nocendum; vnde tunc omnem crudelitatem euoment in eos, in quos acceperunt poteſtatem. Iuxta illud Eccleſ. 34. *Sunt ſpiritus, qui ad vindictam creati ſunt, & in furore ſuo confirmauerunt tormenta, & in tempore conſummationis effundent virtutem, & furorem* &c. vnde
Iob 16. queritur Iob: *Collegit furorem ſuum in me.* Por-
1. Pet. 5. ro de eorum auiditate Petrus dicit, quod *circuit* etiam nunc *quærens quem deuoret:* Velox ad nocendum, iuxta illud Tren. 4. *Velociores fuerunt aquilis cœli.* Væ ergo miſeris, qui tradendi ſunt talibus.

Postremo ſunt, & ob alias conditiones plures, quas enumerare longum eſt, tortores diaboli tremendi. Sunt enim ſpiritus *impuri*; humani generis capitales inimici, ad nocendum aſtuti mille modos habentes decipiendi, ad infligendum pœnas ſagaciſſimi, & infatigabiles. Multas huiuſmodi horum conditiones Vincentius enumerat in ſpeculo, vbi agit de tentatione: Sed hic ſufficiat commemoraſſe, quod nunquam in tormentis, & torquendo fatigantur, nullam dantes requiem damnatis. Iuxta Daniel 3. *Non ceſſabant miniſtri regis ſuccendere fornacem.* O caueamus ne talibus tortoribus tradamur.

MEMBRVM III.

De pœnarum infernalium qualitate.

Nvnc videndum eſt de *pœnarum infernalium qualitate*, de quibus breuiter meditanda ſunt iſta; Scilicet, quòd infernalis pœna ſit talis.

Multa, peracerba, conformis, & Eua grauata.

§. 1. *Pœnarum multiplicitas.*

VII Primo in inferno credenda eſt firmiſſimè, cogitanda profundè, meditanda frequentiſſimè, ac vehementiſſimè formidanda, *pœnarum multiplicitas*, & innumerabilitas, adeo quod nec eam lingua poſſet exprimere, nec intellectus comprehendere, nec mens hominis cogi-

tate. Sicut enim *nec oculus vidit, aut auris au-* 1. Cor. 2.
diuit &c. *quæ præparauit Deus diligentibus ſe:* Sic nec in cor hominis aſcendit, quanta ſint mala, quæ præparauit Deus his qui offenderunt eum. In tanto enim ſunt numero: Imo ſine numero (vt ait doctor Sanctus, in tractatu de æterna beatitudine) quod nunquam tot ceciderunt ſuper terram guttæ pluuiales, quot ſunt diuerſæ pœnę infernales. O attendatur. Imo, & Bertrannus dicit in ſuo de inueſtigatione creatoris, quod æſtimat apud inferos tot eſſe genera pœnarum, quot in mundo iſto ſunt genera rerum, & creaturarum, vel ſpecies herbarum, & arborum, aut reptilium aut cæterorum. Sunt tamen ex tam innumerabili numeroſitate, quędam pœnarum ad mentem reuocanda, pro compunctione incitanda.

De pœna damni.

NOTVLA I.

Et in primis pœnarum multiplicitas, di- VIII
uiditur in ſpecies duas, ſcilicet in *pœnam damni, & ſenſus:* Quarum *prima*, eſt fundamentum, & baſis alterius. Eſt autem hæc *pœna damni*, carentia Diuinæ viſionis, propter demerita propria: In inferno autem (vt communis opinio tenet) nunquam Deum vident: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei:* Quæ iuxta Auguſtinum & Chryſoſtomum eſt grauior pœna omnibus: Nam tanta eſt. (vt Plotinus diſſeruit) viſio illa pulchritudinis, tantoque amore digniſſima, vt ſine hac, anima quibuſlibet bonis, & quantiſlibet prædita fuerit, infæliciſſima ſit exiſtimanda. Quod quia anima ſeparata noſcet, nimium, atque nimium dolebit, ſuis culpis ea priuari. Nam ſicut Dei viſio Sanctis eſt merces principalis: Ita & eius carentia præcipua pœna: Et ſicut ex viſione Dei Sancti recipiunt omnia bona: ita ex carentia eius damnati malum omne. Nam ſi eam fruitiuè videre poſſent, in mediis etiam infernalibus ignibus (vt aiunt) anima non doleret; nec, ſi ea priuaretur, etiam in cælo gauderet. Vnde ſicut Sancti ex hac viſione habent ſcientiam omnium: Ita damnati ex eius carentia nil ſciunt, niſi ad tormentum: Ita, quod minimus puer, veriorem, & maiorem ſcientiam de rebus habebit in cœlo quam omnes Philoſophi in inferno: Sicut item Sancti ex eius viſionis fruitione, ſummum gaudiũ, pacem, dignitatem, omneq; aſſequuntur bonum: Ita contra damnati, ex carentia eius, triſtitiam ſummam, turbationem, ignominiam, omneq; conſequuntur malum. O laboremus, ſudemus, ne hac careamus.

De pœnis ſenſuum internorum.

NOTVLA II.

Sed iam ad *pœnam ſenſus* veniamus: Et cer- IX
tè hæc, pro ſui numeroſitate, nimia eſt, prorſus innumerabilis, & à diuerſis diuerſimodè aſſignata, quæ Dauid vidit innumera, cum di-
xit: *Circundederunt me mala, quorum non eſt* Pſal. 39.
numerus. Multa flagella peccatoris: Ita quod nil Pſal. 31.

vacabit

vacabit à pœnis in illis, foris, & intus. Multi autem (vt diximus) multa pœnarum genera aſſignant. Vnde iuuenis ille à Ioan. ſuſcitatus, has dixit in inferno eſſe pœnas (vt aiunt) ſub verſu comprehenſas.

Sunt vermes tenebræq́, flagellũ, frigus, & ignis.
Dæmonis aſpectus, ſcelerum confuſio, luctus.

Porro alij has diſtinguunt, quo ad animam, & quo ad corpus. Alij longè aliter has aſſignant, reſpectu ſuperiorum, interiorum ſenſuum, & priuationum, & ſic de alijs modis. Sed ex varijs has elegimus generaliores, ſub quibus ſingulis, poterint complecti, & ſunt quæ his verſibus continentur, ſcilicet,

Vires ac ſenſus, elementa, fœtentia cunctis.
Octo, bis ſeptem, ſubtracta, aduerſaq́ vermis.

PRIMVM itaque omnium, damnati cruciabuntur in viribus animæ internis, omnibus, & ſingulis, quæ, quia viuaciſſimæ in eis vigent, & vigebunt, ideo etiam durius affligentur. Neque enim rationabile eſt, exteriore tantum homine cruciatum iri, vt ſenſibili tantum pœna puniātur: Sed qui toto homine diſceſſerunt à Deo, & magis interiore homine, quàm exteriore; magis etiam interiore, quam exteriore puniantur. Debent ergo cruciari.

In virib. { Interiorum ſenſuum.
Iraſcibilis, & concupiſcibilis,
Et omnium potentiarum. }

Primo inquam in quinque interioribus ſenſibus, quæ ſunt, Senſus communis imaginatio, phantaſia, æſtimatiua, & memoria ſenſitiua. Nam per exteriores ſenſus (vt dicitur) horribilia ingredientur, quæ in ſenſu communi congregabuntur, & maximè cruciabunt, quia ſubtrahentur delectabilia; & non præſentabuntur, niſi triſtia. Ad imaginationem, quæ hic infecta fuit pulchritudine laſciua, aut viſco cæterorum vitiorum, venient amariſſimæ eędem imagines, & punient ita, vt dicas vtinam vidiſſem pro muliere ſerpentem; Vtinam pro ebrietate, guſtaſſem cinerē, pro cantilenis audiſſem ſermonem Dei &c. Sic ad phantaſiam venient horribiles viſiones Ad æſtimatiuam indicibiles timores, puta cum viderint aliquem torqueri per dæmonem, ſtatim ſibi timebit affuturum, vel adeſſe eundem dolorem. Sic memoria ſenſitiua, non poterit cogitare, niſi maximè afflictiua. Ratio horum (vt dicit Nider) eſt iuxta ſanctum Thomam: Vt ſicut in Beatis, propter perfectam beatitudinem, nil erit niſi gaudij materia: In damnatis omnia implebuntur pœna, vt ſit eorum miſeria conſummata. Sicut in vi concupiſcibili affligentur, quia omnibus deſiderijs deſtituentur, *deſiderium enim peccatorum peribit*: Sic etiam in iraſcibili torquebuntur ira, & inuidia. Sic in intelligibili eſt offuſcatio rationis, Imò tenebræ interiores, quæ ſunt (iuxta Nider) priuatio ſcientiæ humanæ, cæleſtis, Diuinæ. Non, quod nihil ſcient; ſed quod omnia ſcita in pœnarum cumulum eis cædent. Sic memoratiua affligetur, pręteritarum delectationum memoria, & earum defectu, vnde dicitur diuiti epuloni, *fili recordare quoniam recepiſti* &c. Verè *videntes turbabuntur timore horribili*, vt dicitur Sap. 5. & omnibus internis viribus pœnaliter afficientur. Erit enim

Pſal. 111.

Luc. 16.

vniuerſa creaturarum ſeries inſtructa, velut liber iuſtorum iudiciorum, aduerſus inſenſatos conſcriptus. Fit ergo, vt cum mente eam tractant, ita afficiantur, quaſi ſi latroni, vel furi captiuo, ſuorum ſuppliciorum decreta legantur. Omnis enim intelligentia veritatis, illic eſt pro tragedia commiſſę turpitudinis; mens igitur eorum, & intelligentia, quanto latiores fuerint comprehenſu, tanto erunt etiam ignominia, & confuſione pleniores. Quod enim grauius vnquam nequitiæ ſupplicium excogitari poteſt, quam, vt veritate detecta, integ. uerſabiliter confundantur? Erit ergo menti intollerabilis grauitas, intelligentiæ irrefragabilis, & quam tergiuerſare non poſſit, contundens veritas: Sed eſt omnium grauiſſima, miſeria voluntatis, pręſertim duplicis, iuxta illud, *duplici contritione contere eos*: *Tum quia* Deum excitatiſſimo amore concupiſcentiæ diligat, velut votorum ac deſideriorum beatificum complementum: *Tum quia* eundem è regione, contra amorem amicitiæ, odit ſummè. Cupit Deum ex naturali neceſſitate; quem nihilominus maximè odit deprauata voluntate. Et ij duo in diuerſum voluntatis motus, animæ mors eſt, velut ſecum diſſidentis. Quod autem in damnatis maneat naturalis illa neceſſitudo affectionum, patet in diuite epulone rogante, & eum patrem nominante, quoniam non vocaliter illi loquebatur, vt mentiri poſſet; ſed mentaliter tantum, quo loquendi modo; neque ſibi, neque Deo, neque in lumine Dei quiſq; mentiri poteſt. Poteſt quidem ibi eſſe mentiendi voluntas; ſed negata facultas, adeo, vt etiam apud inferos, coruſcet ita veritas, vt nemo illic ſocium impietatis mendacio latere poſſit. O æſtimet qui poterit iſta; hic enim omnis miſeriæ eſt ſumma.

Ier. 17.

Luc. 16.

De pœna ſenſuum exteriorum.

NOTVLA III.

X

ALTERA principalis pœna erit in *quinque ſenſibus externis*, quos ſignat dictio vagar. Et primo punientur quo ad viſum multipliciter, ſcilicet horrendis obiectis, & amaro ac nimio fletu. Erit enim ibi fletus, & ſtridor dentium. Vnde ibi flebunt, qui hic flere noluerunt. Fumus enim (ait Hieronym.) ab igne veniens, lachrymas cogit &c. SECVNDO punientur in auditu, per clamores, & vlulatus, per blaſphemias, & cæteros rugitus Ibi enim *piloſus clamabit ad piloſum*; & (vt dicit Iob) *Sonitus terroris ſemper in auribus eius, & blaſphemabunt viuentem in ſæcula.* Nam (vt Nider ſcribit) Credibile eſt poſt reſurrectionem in damnatis fore blaſphemiam vocalem, ſicut in Sanctis laudem vocalem: Saltem de interna blaſphemia conſtat, iuxta Apocal. *Æſtuauerunt homines æſtu magno, & blaſphemauerunt nomen Dei* &c.

Matt. 22.

Eſa. 34.

Iob 15.

Apoc. 16.

TERTIO in *guſtu*, quo ad priuationem omnium delectabilium, potuum, & ciborum: Vnde rogauit diues ille pro ſtilla aquę, nec poterat illi fieri: Imò non ſolum punientur priuatione; ſed contrariorũ affectione. Et ſecundũ Greg. in illis

Luc. 16.

illis membris plus puniuntur, in quibus plus peccauerunt.

QVARTO in olfactu punientur grandi fœtore. *Tum* loci, *tum* corporum damnatorum: Imò, & omnium ſpurcitiarum, quæ illic (vt diximus) ingerentur. Hinc Eſa. de cadaueribus *Eſa. 33.* eorum aſcendet fœtor. Nullum enim cadauer fœtidius corporibus impiorum, vbi iacebunt in *Apoc. 20.* ſtagno ſulphuris, & picis, vt dicitur in Apoc. vbi eſt fœtor ſummus.

QVINTO in *tactu*, & hoc variis pœnis: Nam tactus blanda fomenta quærens, percutientibus, & igneis malleis, pro blandiente gremio excipietur, & verberum diriſſimorum attritione punietur. Nam plagis vapulabunt multis, *Pſ. 31.* quippe cum multa ſint peccatorum flagella. Et *Prou. 19.* (vt dicitur Prouer.) *Preparata ſunt deriſoribus iudicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus.* O iam his Deo ſeruiamus, ne tunc affligamur.

Quomodo affliguntur à cunctis elementis.

NOTVLA IV.

XI TERTIO præcipua pœna eſt *ex omnibus elementis:* ET PRIMO *à terra* quo ad locum vbi creditur ſituatus: Et congruè, *Tum* propter ignobilitatem loci, *tum* propter diſtantiam cœli, *tum* ratione affectus maligni: vt iure torqueantur ſub terra, qui non amauerunt niſi terrena. Quæ etiam immittet plura alia mala.

Matt. 22. SECVNDO quaſi *ab aere*, & hoc per tenebras exteriores: Eſt enim illic horrenda caligo, *Sap. 16.* & omnes illic vna (vt dicitur Sap.) *Catena tenebrarum ſunt ligati.* De quibus parum ſupra.

TERTIO *ab igne.* Imò, & per ignem, per nimium calorem. Et ſic eſt ignis præcipua pœna *Deut. 32.* infernalis: vt dictum eſt ſupra. De quo dicitur, *Ioel 20.* *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo* &c. Et Ioel. *De-* *Oſee 21.* *uorabit eum ignis, qui non ſuccenditur*, & Oſeæ. *Igni eris cibus. Vindicta enim carnis impij ignis.* Qui iuxta Albertum, & intus animam vret, & *Pſ. 20.* foris corpus: vt ſic (ſecundum Pſalmum) ponantur ſicut *Clibanus in tempore vultus Dei* Ignem ergo concupiſcentiæ extinguamus, nè hoc igne ardeamus!

QVARTO *ab aqua*, per frigus vehementiſſimum, & acutiſſimum. *Ab aquis* enim *nimium* *Iob 24.* *tranſibunt* (vt dicitur Iob) *ad calorem nimium.* Et contra ait S. Thom. ex calore vehementiſſimo ad frigus vehementiſſimum; ita quod nullum eis exinde refrigerium.

QVARTA præcipua pœna eſt iuxta Nider, poſt Baſilium ſanctum, quod etiam punientur ab omnibus elementorum fæculentiis, vnde (iuxta ſanctum Thomam) in mundi purgatione, quicquid impurum, ignobile, fæculentum inuentum fuerit in elementis, inferno damnatorum carceri accedet, quia eſt velut omnium ſordium ſentina.

§. 4. *Quod à cunctis rebus torqueatur.*

NOTVLA V.

XII QVINTO non ſolum ab elementis, & eorum fæcibus, ſed punientur etiam à cunctis elementatis: Vt ſicut omnis creatura Beatis eſt materia gaudij; ita contra damnatis ſit ratio tormenti: Adeo quod in qualibet re, ſecundum gradus inordinati vſus erit acerbitas cruciatus. Vnde magis in rationali creatura, quam inferiori; magis in ſancta, quàm naturali; magis in beata, quàm ſancta; magis in ſumma, quàm medijs. Grauius enim (ait Doctor quidam) in Lazaro, diuitē epulonem afflictum puto quam igne illo, quo cruciabatur: Ignis enim, guſtū & tactum; Lazari vero patiētia, & pietas, mentem eius, iudicium eius, deſideria cordis eius exurebat. Quod ſi ſic cruciabatur in Lazaro, quantum putamus in omnium Beatiſſimo primogenito omnis creaturæ Domino IESV tedem; to- *Col. 1.* te cruciatu cruciabuntur? Perpēdat iſtud mens hominis, & viderit ne abutatur creaturis. Iurè enim cruciantur à Deo in omnibus, quia eis abuſi ſunt, nec quæſierunt Deum in omnibus: ſed neglexerunt in omnibus: imò contempſerunt in omnibus.

De octo pœnarum generibus: & 14. partibus miſeriæ.

NOTVLA VI.

SEXTO, vt multitudinem pœnarum infernalium latius declaremus, ſciendum, quod XIII ibi erunt octo illa pœnarum genera, quæ Tullius deſcribit in legibus humanis, & iure ciuili conſiſtere: vt in de Ciuitate Dei declarat beatiſſimus Auguſtinus.

Hic dānum, talio, ſunt vincula, verbera multa.
Seruitus, exilium, confuſio, mors, mala ſemper.

Puto, quod in nouiſſimis ſuis Dionyſ. Carthu. proſequitur iſta, & facile patent retractanti: hoc tantum dicimus, quod diſtant multum à noſtris huius temporis pœnis, octo genera iſta; velut de igne dictum, qui eſt (vt aiunt) quaſi pictus ad verum. O caueamus. ne propter peccata rantis pœnis nos inuoluamus.

SEPTIMO erunt illic bis ſeptem partes miſeriarum, Septem ex parte corporis, & ſeptem ex XIV parte animæ, contrariæ quattuordecim beatitudinis partibus; de quibus ſingulis pulchrè agit Anſelmus in de ſimilitudinibus, quem inſequitur in ſpeculo Morali. Vincen. Et ſunt hæ,

Ex parte animæ.	Inſipientia, Inimicitia, Diſcordia, Dedecus, Impotentia, Timor, Triſtitia,	Ex parte corporis.	Turpitudo, Ponderoſitas, Imbecillitas, Seruitus, Infirmitas, Anxietas, Vitæ breuitas.

Inſipiens. inimi. impo. timor. diſcor. dede. triſtis.
Turp. pond. imbecil. ſeruit. infir. breuis anxi.

Longum eſſet proſequi de his ſingulis: legatur Anſel. vbi ſupra: Qui ita concludit, Quemcunque inquiens has omnes partes miſeriæ tollerare contigerit, ſummè corporis, & animæ miſeriis ſubiacebit.

De

De multorum priuatione.

NOTVLA VII.

XV OCTAVA præcipua pœna eſt ſubtractio, & priuatio multorum; Nam (vt de illa priuatione diuinæ viſionis, de qua ante egimus taceamus:) Multis aliis inuenimus damnatos priuari: Puta omnibus ſubſidiis, vel à Deo, vel ab Angelis, à Sanctis, vel Amicis, vt declarat in quarta parte Antoninus; miſeretur enim illorum nullus, nec prodeſſe poteſt aliqua ſuffragiorum numeroſitas. Priuantur gloria regni cæleſtis: Scilicet tam deſiderabili cæli palatio; Tam optabiliſſimo Angelorum, & Sanctorum collegio. Item priuantur animæ dotibus; ſcilicet viſione, comprehenſione, fruitione ſummi boni, quod maxima eſt pœna; vt dictum eſt ſupra. Et (vt ad ſummam dicamus) priuantur omni re deſiderabili, quia deſiderium peccatorum peribit; vnde nunquam quod velint habebunt; ſed ſemper quod nolunt accipient, quod ſumma ſecundum Bernardum eſt miſeria. *Pſa. 111.*

XVI Nona pœna præcipua eſt non ſolum deſideriorum, & tantorum bonorum priuatio; ſed aduerſorum immiſſio. Nam amicorum ſuffragia, in ſacris ſepultura, eis erunt pœnarum augmenta; pro amiſſo cæli palatio, collocabũtur velut oues in infernali ſtagno ignis; *Pſa. 48.* pro Angelorũ & beatorũ amiſſo collegio, torquebũtur dæmoniorũ, & omnium damnatorum conſortio; pro amiſſis gloriæ dotibus, affligentur aduerſis. Nam ſicut Beati habent beatificam Dei viſionem: ita damnati pro obiecto terrificum terribiliſſimi dæmonis aſpectum, qui quam ſit horrendus, paucis tetigimus ſupra. Sic pro ſummi boni tentione, aut æſtimatione, iſti ſummi mali, & omnium malorum perpetuitatem, & cognitionem; Pro fruitione beatifica, erunt his omnia mala, intus, & extra, ſupra & infra, à dextris, & ſiniſtris, ante & retro; Sic & pro ceteris præmiis torquebuntur aduerſis ſuppliciis; Non ſolum fraudabuntur omnibus concupitis; verumetiam præmentur pænis contrariis. Et inflammabitur omnis omnium notionum concupiſcentia, vt magis crucientur: Si enim dilata deſideria deſiderantis animum affligunt, deſperata deſideria quantopere putamus affligere? Nec etiam deſideria tantum deſperata, ſed inflammata deſideria, atque tantopere inflammata & tamen contrariarum amaritudinum malis affecta. In omnibus enim rebus, intruſum, & flagrans eorum deſiderium, fraudabitur non ſolum, ſed & flagellabitur igneis flagellis. O graue ſupplicij genus.

POSTREMO, erit etiam illic grandis cruciatus, Scilicet, Vermis immortalis. Iuxta illud Eſa. 45. *Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur.* Quem communiter conſcientiæ remorſum dicunt; Nam ſicut vermis ex putrefactione oritur, & mordet illud vnde oritur, ſic conſcientiam peccatórum torquet.

§. 2. De pœnarum infernalium acerbitate.

IAM de infernalium pœnarum acerbitate videndum: Nam non ſolum ſunt illic pœnæ multæ; verumetiam acerbiſſimæ, vt conijci poterit ex multis; vnde vnus Patrum dixit: Tanta eſt vis, & acerbitas ignis infernalis, quod homo eam expertus, mallet vſque ad finem mundi iacere in igne, ex omnibus ignibus huius mundi congeſto, quam vno die in igne illo tartareo; vnde & vnum momentum, illic videntur centum anni; Et tanta eſt illic vis doloris, quod mens illam cogitare non poterit: Cuius acerbitatem denotare poterimus ex ſignis, puta ex fletu, planctu, & dentium ſtridore, *Luc. 13.* manducatione linguarum, *Apoc. 16* & deſiderio mortis. *Apoc. 9.* Poteſt autem hæc acerbitas perpendi, tum ex pœnarum qualitate, tum ex ſubiectorum patientium eas diſpoſitione. XVII

Acerbitas pœnarum, ex ipſarum qualitate.

NOTVLA I.

EX POENIS quidem, & hoc ex iſtis. XVII

In ſummo, facto, generalis, inutilis acris.

PRIMO, acerbitas pœnarum inde elicitur, eo quod quælibet pænarum eſt illic ſine mitigatione, in ſummo gradu: Nam (iuxta Anſelmũ, & ceteros) omnia huius mundi bona, vel mala, permixta ſunt cum ſuis contrariis, nec habẽt vltimatum gradum ſuæ perfectionis: In cælo autẽ ſunt omnia in ſũmo bona; ſic in inferno, ſunt omnia ſimiliter mala in ſummo, impermixta, & vltimata conſummatione perfecta, vt ſummus dolor ſine mitigatione, ſummus ardor ſine refrigerio.

SECVNDO, acerbitas ex eo patet, quia omnis pœna illic inceſſanter erit in actu, ſine vlla interpolatione: Ita quod erit cõtinuitas in tormento. Solatium eſt ægro aliqua interpolationis requies in morbo: Augmentum autem doloris, continuitas paſſionis: Iuxta illud, *Non erat morientium requies.* *Iud. 21* Vere horribile iſtud ad cogitandum, terribilius ad dicendum; ſed grauiſſimum ad ſuſtinendum.

TERTIO, ad cumulum acerbitatis, facit generalitas afflictionis, quæ eſt intus & extra; in anima, & corpore poſt iudiciũ; & in omnibus viribus, & membris, (vt dictum eſt ſuperius,) quæ magis dolebunt, quã ſi illorum ſingula auellerentur, vel ſcinderentur, quia omnia exterius, & interius, in locis ſuis comburentur. Hoc enim requirit Diuina iuſtitia: vt ſicut offenſus eſt omnibus, ita retribuatur ſingularis pæna ſingulis. Attende igitur quantus erit ille dolor, vbi ignis per omnes partes diffundet ſe: vt in ferro, & in aliis metallis in igne poſitis, quando totus homo erit, ſicut cãdens ferrum. Iuxta illud Ezec. 22. *Omnes iſti Stannum, ferrum, & plumbum in medio fornacis.*

QVARTO, conijcitur pænarũ acerbitas, ex earum inutilitate: nam pæna quæ in præſenti, vtilis eſt ad multa; illic prorſus inutilis erit. Nã iuxta Bernard. *In inferno confeſſio poteſt eſſe, ſed*

non prodeſſe. Iuxta Eccl. 18. A mortuo quaſi nihil petitur confeſſio. Hinc Auguſt. Ibi peccatores fruſtra flebunt, quia peccatorum veniam non obtinebunt.

POSTREMO, ideo grandis eſt pænarum infernalium acerbitas, quia pænarum in ſe eſt grandis immanitas. Nam ignis ille, tantæ eſt actitudinis, quod ab aqua prorſus eſt inextinguibilis, & contra nec aqua ignea, frigore temperatur. Harum pænarum acerbitatem heremita ille (de quo Beda narrat) nouit, qui glacie in fluuio conſtrictus, mox balneum calidiſſimũ intrabat, & quàm acerbiſſima tormenta ferebat, arguentibus dicebat: Si vidiſſetis quæ ego vidi, eadem, vel maiora mecumfaceretis.

Acerbitas pœnarum ex ſuſtinentium diſpoſitione.

NOTVLA II.

XIX DEPREHENDITVR quoque pœnarum acerbitas, ex parte, & *diſpoſitione ſuſtinentium* eas propter iſta,

Subiectum, tenerum, durans ſentit, replet, haud ſpes.

Hæc eſt ex quo pæna cauſatur ex corpore, & ſenſibus eius, ex excellentia qualitatum ſenſibilium rerum, & ex applicatione earum ad ſenſus humanos, conſtat, quod nimium homo illic torqueatur. Præſertim PRIMO, propter *teneritudinem* carnis humanæ, quæ ex modica læſione graniter affligitur, quæ quanto complexione nobilior, tanto pænarum eſt capacior. Attendant iſtud delicati, molles, & deſinant palpare ſeipſos, ne cruciatus ſentiant illos horrendos.

SECVNDO, aggrauantur tormenta ex parte patientium, propter fortitudinis reſiſtentiã, & permanentiam: Nam quanto fortius, & durabilius combuſtionis ſubiectum, tanto acrius perſentitur tormentum. Vnde ignis acrius ardet in ferro, quam in palea: ſicut etiam in animam, & corpus immortale.

TERTIO, propter ſenſibilitatem; nam quia ſunt tunc viuaciſſimi, ideo pœnarum ſenſibiliſſimi.

Eſa. 1. QVARTO, propter miſeriarum, & pœnarum plenitudinem, nam à planta pedis vſque verticem capitis, nihil ſanum, aut impune eſt in eis: Et tamen ſuper tantã miſeriam, nouæ ſeptem pœnæ accedunt. Vnde dolor eſt tam grauis, vt vix ſuſtinere poſſint in miſeriis; quippe cum afflicto addatur plenè afflictio.

POSTREMO, deſolatio, & deſperatio euaſionis pœnarum, maximè in eis pœnas auget: Sic enim quod nunquam accepturi ſunt liberationem, nec quiſquam miſerebitur eorum, iuxta illud Hierem. 15. *Quis miſerebitur tui, aut quis contriſtabitur pro te, aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?*

§. 3. *De pœnarum infernalium ad culpam conformitate.*

XX TERTIO, in his pœnis, *conformitas eſt ad culpam*, & iniquitatem, iuxta illud Apoca. 18. *Quantum glorificauit ſe, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum:* vnde Greg. *Qui multa habet in culpa, multa ſuſtinebit in pœna, & iuxta qualitatem meritorum, ſentient pondus tormentorum.* Quod autem talis in reprobis, iuxta quantitatem criminis, æqua ſit etiam menſura maledictionis, teſtatur (vt ait Petrus Damian.) Propheta Dauid, quia nimirum in Iudam Iſchariotem, triginta maledictiones intulit, ſicut ille Dominum triginta argenteis ſacrilega venalitate diſtraxit; Quarũ ſcilicet prima eſt: *Conſtitue ſuper eum peccatorem*; ſic extranea eſt illa, *operiatur ſicut Diployde confuſione ſua.* Quas ſi quis per Pſalm. ſcilicet *Deus laudem meam ne tacueris*, &c. ſubtiliter quærat, certum eſt quonia non eas vltra, citrave reperiet. Verè ergo iuxta qualitatem peccati, retribuitur menſura tormenti; quantoque hic altius quis per iactantiam tumoris extollitur, tanto illic voracis incendij baratro profundius abſorbetur. Eant ergo nũc luxurię dediti, & ad propriæ carnis arbitrium viuãt: vt anima poſtmodum ſimul, & caro intereant, &c. Si ergo nolimus præcauere ex inferno, deberemus tamen nos continere à peccatorum numero, ne affligeremur nimio, & numeroſo tormento. Pſa. 10 Matt. 21

§. 4. *De pœnarum infernalium perpetuitate.*

NVNC de pœnarum videndum eſt *æternitate*; non enim ſolum illic eſt pœnarum multitudo, acerbitas, conformitas; ſed & interminabilis æternitas, quod merito etiã compungeret mentes duriſſimas. Non enim eſt ibi dolor momentaneus, imaginarius, aut tranſitorius: ſed ſolidus, cõtinuus, & ęternus: quoniã corpora damnatorũ æternis ignibus ardebunt, & tamen conſumi non poterũt. Sicut & anima dolorem ferre poteſt, mori non poteſt. *Ibunt enim in ſupplicium æternum.* Nam ſicut culpa puniri ſemper poterit, & nunquam expiari: ita nec in corpore tormenta finiri, vnde erit eis mors ſine morte, defectus ſine defectu, finis ſine fine, quia & mors ſẽper viuit, defectus deficere neſcit, & finis ſemper incipit. Qui pauet, cauet, qui negligit, incidit. Grandis ergo & pręgrandis eſt hominum demẽtia, pro delectatione momentanea, incurrere ſupplicia æterna. Quis enim niſi inſanus, eligeret pro vno die, vno momento delitiarum, decies millies mille annos pœnarum? Aut, vt videret delectabile ſomnium, æternum eligeret ſubire tormẽtum. Verè qui noſceret, & penſaret æternitatem, facilè contemneret vanitatem. Ad quam licet multum adducat comparatio illa, de monte arenoſo, & aliis ſimilibus, non tamen accedunt. Finiti enim ad infinitum nulla eſt proportio. O trutinet hæc mens ſecum, & crebrius illud vulgatum decantet. *Och evvelich is ſoe lanck.* XXI Mat. 25.

§. 5. *Quædam generalia infernalium pœnarum aggrauantia.*

XXII POterunt adhuc alia aſſignari pœnarum harũ aggrauãtia grauiſſima, ex quibus merito reddũtur formidanda. De quibus tamẽ aliqua

ſunt

ſunt dicta, & ſunt iſta,

Infin. per pure, damnum generalit, & ana.

Paucis ſingula tangamus, quoniam pręhabita ſunt; licet ad aliud propoſitum in ſuperioribus. Et primum agrauamentum eſt *pœnarum infinitas:* Dicit enim S. Thomas & Dionyſius Carth. quod quamuis nulla creatura pura ſit infinitæ qualitatis; tria tamen ſunt in rerum natura, quæ quodammodo ſunt infinitæ dignitatis, ſ. Chriſti humanitas, beata Virgo Maria, beatitudoq; Sanctorum, ſub qua comprehēditur & miſeria damnatorum. Vnde ſicut culpa ex multis rationibus, quandam infinitatem ſortitur, ſic etiam culpæ infinitas ex eiſdem argui poteſt.

ALTERVM aggrauatiuum eſt *pœnarum puritas,* quæ eſt in inferno: Non autem ſic ſunt illæ puræ pœnæ, quod ibi non ſint elementorum qualitates contrariæ; ſed non habebunt illic ſuas operationes, vt temperent inuicem; ſed ſupplicia augebunt, & mutuo in damnatum ſine refrigerio concurrent.

TERTIVM aggrauamen eſt beatificæ *fruitionis damnum,* de quo diximus.

QVARTVM eſt *generalitas, & vtilitas* pœnarum, de qua etiam ſupra. Nullus enim ordo erit pœnæ punientis; ſed tantum Diuinæ iuſtitiæ vindicantis. Similiter enim affligent ſupplicia etiam contraria, non ſucceſſiuè. Dum enim pœna (ait Vincētius) pœnæ coexiſtit, pœnarum confuſio plus affligit. Inde eſt, quod anima reprobi, ſimul & ſemel, intētiſſimum frigus patitur, & ardorem, quoniam in eius culpa inuenta ſunt ſemel, & carentia charitatis, & ardens concupiſcentia voluptatis.

QVANTVM æternitas aggrauat ſupra diximus de æternitate.

MEMBRVM IV.

Particulares induſtria ad concipiendum horrorem inferni.

QVALITER autem homo, circa infernalia hęc tormēta poterit exercitari, dicimus vt ſupra: Quod crebra meditatione, forti imaginatione, & operum applicatione, vt ſcilicet ſæpius prędicta memoretur. Quæ memoria, vt ſupra patuit, plurimum eſt vtilis, adeo quod Henric. de Haſſia concludit quod ſenſualibus expedit magis memoria inferni, quam regni, quoniam non ſapiunt eis quæ ſunt Dei, & plus comminatio mouet quàm promiſſio allicit. *De forti* autem *imaginatione,* Dionyſius Carth. monet dicēs, quod qui vult, vt huiuſmodi memoria efficaciter eum moueat, oportet vt forti imaginatione, quaſi huiuſmodi præſentia ſibi formet. Hinc in *Beatus vir,* imaginari infernalem locum docetur, vt campum latum, & longum, &c. Similiter in *horologio æternæ ſapientiæ,* ſub imaginatione iſta referuntur, vbi agitur de morte, de quo capitulo ſcripſit in epiſt. quadā magiſter Gerardus Groet dicens: *Lege capitulum de morte, quod habetur in horolo.* &c *Lege rogo bis vel ter: vtinam velles legere per vnum menſem per Dei gratiam ſanitati reſtitueretis.* Omnia igitur ſuperius ſcripta, reducamus ante mentis oculos, & vi imaginatiua, videamus illa nobis præſentia: vt ſic compungantur corda noſtra.

POSTREMO, exercitemus nos circa hæc in operum applicatione, hoc eſt quotiens tentamur, infernalia hæc tormenta ad mentem reuocare debemus, & dicere nobis: *Nunquid guſtare quis poteſt, quod guſtatum affert mortem amariſſimam?* & ſic de alijs. Similiter quotiens aduerſi aliquid occurrit, de aduerſis inferni meminiſſe debemus, & leue erit. Hinc Bernardus, in Epiſtola dixit: *Vigilias times & ieiunia, & opus manuum abhorres: Sed hæc leuia ſunt, flammas perpetuas meditanti. Recordatio tenebrarum, facit non horreſcere ſolitudinē. Si futurā de verbis otioſis cogitas diſcuſſionem, non diſplicebit ſilentium. Fletus ille & ſtridor dentium, pares tibi reddunt culcitram & mattam.* Nam ſi hæc memoria efficaciter fieret, mentes etiam duriſſimas emolliret.

Iob 6.

Matt. 22.

TITVLVS SEPTIMVS
DISTINCTIONIS IV.
QVI EST ORDINE XXXII.

De regione Cœleſti.

I

SVrgite, & aſcendamus ad eos. Vidimus enim terram valde opulentam & vberem: Nolite negligere, nolite ceſſare, eamus & poſſideamus eam, nullus erit labor; Intrabimus ad ſecuros in regionem latiſſimam, tradetque nobis Dominus locum, in quo nullius rei eſt penuria.* Iudit. 18. REGIO ſeptima eſt regio cœleſtis, quæ tāto ingredienda eſt crebrius quanto meditata afficit dulcius, excitat vehementius, perducit celerius: Nam & ad ipſius ingreſſum habemus inductiua plurima in genere iſta,

Exemplum, monitum, decet, eſt opus vtile multum.

PRIMO inquam ad crebro ſupernam hanc regionem viſitandam, ad intensè eam deſiderandam, inducet *exemplum naturæ & ſæcularium.* Naturaliter enim omnia beatitudinem appetunt: In fines ſuos cuncta aſpirant, *repepetuntque proprios quæque recurſus;* Cum igitur ô homo, qui naturaliter ad beatitudinem es conditus, eam deſiderare deſieris, ſcito quod à natura degeneras. *Sæcularium* quoque, ac mechanicorum exempla nos permouere debent, qui omnes in opere artium ſuarum, finem intendunt & aſpirant: Quis enim non nautarum in littus deſtinatum aſpirat? Quis non itinerantium quietis hoſpitiolum appetit, aut patriam exul cupit? Horum itaque & nos (ait Auguſtinus) exemplo vel à longe Patriam, portum, hoſpitiumque ſalutemus.

SECVNDO, inducet nos *monitū,* id eſt crebra exhortatio Scripturarum, & Sanctorum, ad huius ingreſſum & deſiderium inuitantiū. Ante

Digitized by Google

enim tempus, quam hortamenta; ſi ea ponere vellem, deficeret. Plena eſt huiuſmodi ſcriptura omnis, omniſque doctrina Sanctorum.
Eſa. 40. Suadet enim aſcendere montes, admonet con-
Gen. 13. templari promiſſionis terram, ſuadet ſcande-
Eſa. 2. re in domum Dei.

TERTIO, eſt decentiſſimum & congruentiſſimum propter multiplex attractiuum.

Theſaurus, Pater, hicce locus cupiunt bona cuncta.

II *Primo* quia in hac regione eſt *theſaurus*: Ibi enim quicquid boni facimus reponimus, Iuxta illud: *Theſaurizate vobis theſauros in cælo.* Et ergo illic merito cor noſtrum erit: iuxta Domini verbum, *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum erit.* Vnde qui ad cælum non aſpirat, colligitur quod illic theſaurum non habet; vt quid enim aſpiret ad cælũ, vbi nil habet depoſitũ? *Secũdo* decet crebro illuc cor eleuare, quia hic ſcimus *Patrem noſtrũ cæleſtẽ habitare*: iuxta illud Matt. 6. *Pater noſter qui es in cælis.* Verè à filij natura degenerat, quiſquis ad Patrem talem, ac tantũ iam non aſpirat. Verè filij nomine eſt indignus quiſquis immemor eſt talis Patris. *Tertio*, decet, quia hæc eſt patria *noſtrę originis, & locus, & hoſpitium deſtinatæ habitationis*: Qui autem non prorſus à natura degenerat, ille naturaliter ad patriã aſpirat. Eſt & in hac regione locus & domus hoſpitij noſtræ requietionis; vnde merito ad eam anhelo deſiderio feſtinare debemus, vt videre eſt in peregrinis, qui accelerant, vt ad bonum hoſpitium pertingant. Quæ eſt ergo acedia noſtra, vt non acceleremus ad hoſpitiũ, de quo tam multa dicta ſunt bona? *Quarto*, merito deſiderare debemus, quia illic tam multos nos deſiderantes habemus: Nos enim ex-
Pſa. 141. pectant iuſti donec veniamus non conſummã-
Apoc. 9. di ſine nobis; Expectant nos (ait Bernardus) Angeli vt eorum ruina reſtauretur; beati, vt eorum gloria compleatur. Et ſi parum eſt, expe-
Mat. 24. ctat nos Trinitas tota; Expectat nos Deus Pater quaſi filios & hæredes; quos ſuper omnia bona ſua conſtituat; Expectat Deus Filius, quaſi cohæredes, & pretium ſui ſanguinis, vt nos
Rom. 8. Deo Patri offerat; Expectat tãdem & ipſe Spiritus Sanctus Deus, interim ingemiſcens pro nobis, vt prædeſtinationem ſuam in nobis cõpleat. *Poſtremo*, illò merito aſpirare debemus, quoniam ibi *omnia bona* & quicquid deſiderabile eſt, repoſita habemus. Ibi enim (vt infra patebit) abundantia omnium bonorum perfruemur, ita quod aderit quicquid voluerimus, aberit quicquid noluerimus.

III QVARTO, principaliter eſt hoc neceſſarium, ſcilicet crebro ad hanc regionem aſpirare, ſi ad eam velimus pertingere, & non diu differri: Nam iuxta ſententiam veritatis, *Regnum*
Mat. 11. *cælorum* (non tepidi, non molles, non deſides) *ſed violenti rapiunt ſibi.* Et (vt Bernardus ait) *Qui non ad illud gemit peregrinus, non gaudebit in eo poſtea ciuis domeſticus.* Neceſſarium quoque eſt vehementer deſiderare, ſi poſt obitum nolimus diu differri: Non enim illius regni thalamum intrabit, niſi qui nuptialiter amauerit, deſiderauerit, & amore languerit. Hinc legimus pleroſque ob id ſolum ab hoc regno dilatos, quia ante non dignè deſiderauerunt illud.

POSTREMO, crebrius huius regionis meminiſſe debemus, quoniam hoc eſt vtile valde; Nam inter cætera hæc bona oriuntur inde;

Præcauet, & ſpernit, patiens, feruet, cito datur.

PRIMO, facit pręcauere à peccatis: ſi. n. homo ſe refrænat à malis ne perdat temporalia; quanto magis debet ſe continere à peccatis, ne perdat gaudia æterna.

SECVNDO, hæc memoria facit contemnere terrena: Dicit enim Chryſoſtomus, ſuper epiſtolam ad Hebræos: Si contingat nos ea, quę in cælis promittuntur, bene cogitare, res huius vitæ nullius apparebunt momenti. Vmbræ enim ſunt iſta, & ſomnium, qualiacunque etiam ſunt, terrenorum. Tanta autem & talis eſt regni huius fœlicitas, vt ſi etiam non liceret in eo eſſe, niſi per vnius horę ſpatium (teſte Auguſtino) omnes dies vitæ huius etiam delitiis pleni iure contemnerentur.

TERTIO, dat hæc memoria *patientiam*, in aduerſis, & fortiter facit tolerare iſta: quomodo enim putas tam fortiter pertulerunt martyres diriſſima illa tormenta; niſi quia attenderunt hæc gaudia? Ex conſideratione enim remunerationis, dulceſcebat illis omnis labor paſſionis. Gregorius *Conſideratio præmij, minuit vim flagelli: Et quod ex dolore importabile oſtenditur, conſideratione promiſſæ remunerationis leuigatur. Quiſquis ergo noluit ſentire laborem, conſideret laborum mercedem.*

QVARTO, hæc conſideratio inducit feruorem, quemadmodum brauium prouocat omnes currere: Torpentibus enim, dormientibus, non prouenit regnum cælorum, ſed *rapiunt il-* Mat. 11.
lud violenti. Si ſic currunt homines ſæculi pro lucro terreno: quemadmodum nos feruere de-
beremus pro ęterno? Curramus vt compre- 1. Cor. 9.
hendamus.

POSTREMO, qui vehementer ad gaudia iſta aſpirat, ille citius perueniet: *Qui enim* (ait Bernardus) *amat ardentius, currit velocius; & peruenit citius.* Magna enim illa præmia non niſi magno deſiderij æſtu obtinentur. Et quo deſiderij feruor intenſior, eo viſio erit ſuauior, & ingreſſus regni facilior; ſed iam ad regionis ingreſſum nos accingamus.

Latiſſima eſt autem præ cæteris latior regio iſta, in qua facilè etiam inuenit quiſque, cuiuſuis etiam conditionis fuerit ſibi congrua, &

Studioſus,	Scilicet	Meditabilia intellectualia,
Deuotus,		Conſiderabilia affectuoſa.
Exercitatiuus,		Exercitamenta Practicalia.

De quibus ſingulis tangemus pauca.

MEMBRVM I.

Quanta, & quæ habeat hic conſiderare ſtudioſus.

PRIMO ergo habet hic ſtudioſus copioſiſſimam materiam intellectum exercitandi: Plurima enim hic ſe offerunt inquirenda, cuiuſmodi ſunt iſta.

Sit, quid, quo ſiſtat, creſcat, licet hinc bona facta.

Hoc eſt, poterit *primo* conſiderare, ſi ſit aliqua beatitudo, aut regnum cœlorum: Et hoc deductibile eſt ex multis, ex ſcripturis, rationibus, & exemplis, &c.

DEINDE de quidditate beatitudinis, quid ſit, quotuplex ſit; Creata, & increata; intrinſeca & extrinſeca. Hinc item de lumine gloriæ, ſi ſit ponendum. De quibus omnibus & ſingulis, multa ſunt & diuerſa ſcripta Doctorum.

An, quid, & in queis ſit, ſi creſcat, ſi bona propter.

TERTIO, magna inquiſitio occurrit in quo beatitudo iſta conſiſtat; Vbi primum deducendum eſſet, quod non conſiſtat in aliquo creato; Deinde quod non in delectationibus corporis; non in diuitiis, fama mũdana, potentia, vel honoribus: vt in Pantheologia latè ſingulatim deducitur. Deinde granditer quidam laborant; vtrum conſiſtat in actu voluntatis, vel intellectus: Quidam quod in actu voluntatis potiſſimum conſiſtat concluſerunt: Quanquam pro concordantia diſcrepantium dici poterit, quod *initiatiuè* in cognitione, & *perfectiuè* in voluntate. Non magnopere nos de his curamus, ſufficit quod materiam adminiſtramus. Hic item congruit illa omnis materia de fruitione, de qua latiſſimè in ſuis ſcriptis Doctores agunt. Et cõcludit in de doctrina Chriſtiana Auguſtinus, quod ſumma merces eſt, vt ipſo perfruamur. Et finalis beatitudo eſt, frui Diuina eſſentia.

QVARTO, conſiderare eſt, vtrum ſit proficere in gloria illa; Et an Angeli iam proficiant, an etiam beati poſt reſurrectionem in eſſentiali beatitudine creſcant.

DE QVINTO, ſcilicet an liceat operari Dei mandata propter regnum cœlorum, & ſeruire ei pro delectatione, & gaudio conſequendo: dicit Gerſon, non licere tãquam pro fine & motiuo principali; Adulterina enim, & ſymoniaca quodammodo eſſet affectio talis. Secus, dum Deus eſt principalis finis intẽtionis, & delectatio ſecunda. Scribit ſuper hoc egregiè venerabilis Hugo de Sancto Victore, in libro de Sacramentis.

POSTREMO, offerunt ſe huiuſmodi innumera ſtudioſo inquirenda; cuiuſmodi plurima ſibi propoſuit, in Sermone de omnibus Sanctis Gerſon, ventilanda; vt ſunt iſta: An Sanctorum beatitudo ſit principalis eorum lætitia? An fiet per ſenſationem extrinſecam? An Deus ſit formalis non ſolum efficiens, vel exemplaris lętitia Sanctorum? Hæc & ſimilia plura eſt inuenire ab his qui legunt Doctorum ſcripta quæ non magnopere nobis ſunt curanda, noſtrum erit verſari circa affectiua: Magiſque aſpirare ad gaudia illa, quam contemplari; Impoſſibile enim eſt, vel minimum attingere gaudium, anguſtia noſtræ mentis.

MEMBRVM II.

Meditabilia deuotiora pro deuotis.

EGREDERE iam nunc, ô anima deuota, de papilione corporis, de inuolutione in quæſtionibus intellectus, expande affectuum vela ventis: vt ſtans in oſtio videas vel à longè, quæ incitent feruorem deuotionis; Et quamuis ſit hæc gloria inexplicabilis, in genere tamen poteris meditari de iſtis,

Cerne locum, ſociumque, actum, vel gaudia, ſpeclum.

§. 1. *Cæleſtis loci qualitas & ſpecioſitas*

IN PRIMIS igitur, vt de iſtius peregrinatione exilij, ad patriam electorum ordinatius ſubleueris, contemplari habes loci ipſius qualitatem, quomodo ſupra octauam ſphæram reluceat illud cælum Empyreum, ob eximiam ſui luminoſitatem ſic dictum, æternalium deliciarum tabernaculum, vniforme, inalterabile, omnium contentiuum, quod eſt omnium Sanctorum habitaculum, ſuper æthereum palatium Vranicum templum. De cuius qualitate, ſunt dicta multa glorioſa: Et vt multa tranſeamus, reperitur tale,

Eſt altum, magnum, carum, pulchrum, bona cuncta.

PRIMO, inquam, eſt *ſitu altiſſimum* Sanctorum iſtud habitaculum: *Altiſſimum enim poſuit refugium ſuum, & domus Domini ſuper omnes colles eſt eleuata.* De cuius altitudine dicuntur mira, & captu ferè incredibilia; oculatis tamen pro ſua dignitate æſtimantibus, facile perſuaſibilia. Scribit enim Bertrannius, quod Ptolemæus comparauit diametro, diſtantiam à terra vſque ad cœlum ſtellatum, & ſunt tot miliaria 65237500. hoc eſſet iter 89541. annorũ 245. dierũ, computando pro quolibet die viginti miliaria. Subnectit item: Si lapis molaris inde cõtinuè poſſet cadere vſque huc, ita quod omni die naturali caderet per 2400. miliaria; hoc eſt, infra vnum Pater noſter, vnum miliare Et centum Pater noſter poſſent dici infra vnam horam, quarum ſunt 24. in die naturali: Lapis ille nõ poſſet venire huc, niſi poſt 74. annos, & pręter hoc 222. dies. Omnia hæc calculaui, ait, per memetipſum, radicibus ſumptis à Ptolemæo, & Alfragano. Papè! ſi tanta eſt altitudo ad cœlum vſque ſtellatũ, quis vel tenuiter cogitabit reſiduum altitudinis, vſque ad cęlum Empyreum? Satius hic ſilendum, quàm aliquid dicendum.

SECVNDO, eſt Sanctorum illud palatium *quantitate maximum*, ac per hoc & capacitate ampliſſimum: Adeo vt ſi huic ciuitati Sanctorum, omnia illa glorioſa, quæ de magna illa Babylone ciuitate, de murorum fortitudine, ſpatij amplitudine; immo quæ vel de vniuerſi mundi machina maxima, ſcripta reperimus com-

comparare voluerimus, nullius ſint momenti; immo nulla poſſet collatio fieri; nam ſi Geometris fides aliqua danda, qui colligunt ex magnitudine terræ, cæterorum quoque elementorum, ac cælorum magnitudinem, tenendum quod tam extenſa illius cæli ampliſſima latitudo, vt ſi cuilibet Sanctorum vnus locus, & certa portio deputaretur, plus illud ſpatium contineret, quam occupat terra vniuerſa. Adducit ad hoc Sanctus Bertrannus ita vbi ſupra; Cum ſecundum doctos, minima ſtella ſit maior tota terra: Quid eſt firmamentum, cum excedat quaſi in infinitum quamque ſtellam? Quid tūc empyreum cælum, quod ad minus centies firmamentum ſuperat? Quod ſi curioſior quiſpiā pergere quęrat, quænam neceſſitas, quæue vtilitas amplitudinis tam immenſæ? Ponit Guilielmus Parieſienſis triplicem ſuper hoc cauſam: Scilicet propter *infinitam Dei potentiam* oſtendendam, quæ maximè in tam immenſo opere relucet; Propter eius *gloriam ampliandam*, & regalem magnificentiam comprobandam: Regis enim gloria conijcitur, ex palatio, & domo, dignitati regali cōgrua; Tertio propter *humani deſiderij vehementiā ſeruandā*, quę amplas poſſeſſiones, lataque terrarū dominia requirit. Ergo tantum præparauit quo inueniret, ſupra quam cupere poſſet: vt ſic in omnibus ſatietur deſiderium noſtrum. Sed ciuitas hæc magna, non acquiritur, niſi per deſideria magna.

VIII EST tertio cœlum iſtud *materia pretioſiſſimum*. Quid enim ſi locus eſſet magnus, at materia deſpicabilis & vilis? Eſt ergo materia cæli huius pretioſiſſima nimis: De qua diſputat Guilielmus Parienſis de vniuerſo, ſi ſit eius materia cum cæteris communis. Et licet de huius materia quidam dixere multa; putatur tamen omnibus incognita. Multa dicit in Apoc. c. 21. de huius materia cæli ſiue ciuitatis, Ioannes. Itemque Tobias ca. 13. ſed ſub tropo omnia, pro manuducenda ingenij noſtri imbecillitate, in huius cæli virtutem.

EST & quarto cælum iſtud *qualitate pulcherrimum*. Quippe quod foris tam aſpectum oblectans, & viſu amœnum. Pulchritudo autē hæc colligitur ex luminoſitate, munditia, & ſpecioſitate.

POSTREMO, ne longi ſimus, ſunt in hac ciuitate omnia bona, ad eius perfectionem, ad decorē, & ornamēta requiſita: Eſt enim ſecreta à malis, ſecura ab impugnationibus, referta omnibus bonis, tota pulchra, tota gaudioſa, & tota deſiderabilis. Vt poſſet latè proſequi de ſingulis; ſed breuitati ſtudemus, vide nouiſſima. Et vt ad ſummam dicamus eſt congruen-
IX tiſſima habitatio habitatoribus. Vniuerſitatis enim creator, vnicuique rei ſecundum naturæ ſuæ exigentiam, aptauit loci qualitatem: Si igitur huic viliſſimo limo, in puluerem mox & in vermem vertendo, homini morituro, nequam & inimico, de tam pulchra, magna, & decora habitatione prouidit in exilio; quam putas, & qualem dabit dilectis ſuis ſedem in cælo? Verè talem qualis congruet illis: vt locus reſpondeat locatis. Vnde in ſeptem dotibus congruet eis. Notet hic ſtudioſus, ſi & quomodo angeli, & animæ beatæ gaudeant de loco corporali illo. Quis igitur talem locum non deſiderabit? quis ad talem ciuitatem non aſpirabit? Si plurimi ſumpſerunt laborioſiſſimas peregrinationes, pro videndis ciuitatibus mundi, quid non agendum pro obtinenda gloria cœli? Ingredere cuncta per ordinem oſtia, quouſque peruenias ad ſummi regis palatia, & nidifica ibi: vt cum Apoſtolo *in cælis ſit conuerſatio tua*; Nam ſi iam ſæpe illuc mente voles morari, diſces conuerſari, poteris, tandem in ea beatificari. Amen.

§. 2. *De cæleſtis ciuitatis glorioſo collegio.*

DEINDE contemplandum eſt glorioſiſſimæ huius ciuitatis *dulciſſimum collegium*, X
quod miris modis adauget animarum gaudiū: Nullius enim boni ſine ſocio iocunda eſt poſſeſſio. Eſt autem Sanctorum cœleſtium ſocietas, ex multis bene qualificata, & gaudij augmentatiua; præſertim ex iſtis,

Sunt multi, pulchri, digni, læti, paramantes.

IN PRIMIS gaudium cuiuſque augebitur, ex Sanctorum *multitudine*: Quæ prorſus eſt inexcogitabilis: *In multitudine enim miniſtrorū, eſt dignitas regis*; ſicut è regione, Salomone teſte, *in paucitate plebis ignominia principis*. Hinc et- *Prou. 14.*
iam lætitia exinde conſurgens eſt ineffabilis. Nā ſi ſinguli gaudebunt, ſicut de ſuis, ita de ſodalium meritis; liquet quod nullus exprimere ſufficit gaudium eorum: cum numerus nobis ſit prorſus infinitus, ſicut ſupra latius deductū eſt de Angelis & omnibus Sanctis. *Non enim eſt numerus militum eius*; ſcilicet nobis ipſis beatis.

SECVNDO, ex *pulchritudine*; Sunt enim v- XI
niuerſæ perſonæ huius ſocietatis totaliter pulchrę: Ita quod nulla macula eſt in eis, ſed plenitudo virtutum, & conſummata coniunctio, cum fonte totius plenitudinis & decoris. Adeo vt ſi totius vniuerſi pulchritudo, tametſi admirabilis; congeſta eſſet in vnum, non tamē ex æquo conferri poſſet, vel extremæ pulchritudini infimi Sancti. Nam, vt de regis pulchri- *Eſa. 33.*
tudine, quem in decore ſuo videbunt; item & reginæ (quæ incomprehenſibilis prorſus & angelicis mentibus) ſileamus: Quis vel tenuiter angeli vnius, aut Sancti pulchritudinem com- *Mat. 13.*
prehendet? Fulgebunt ſicut Sol, conformes *Philip. 3.*
corpori claritatis Chriſti. Sed hac cœleſti pulchritudine qui potiri volet, à terrena abſtineat oportet.

TERTIO, ex *ſociorum dignitate*; nam vt de XII
rege, & regina, & de Angelis, de quibus conſtat *Pſa. 81.*
ſileamus; & de vermiculis, de terra & puluere exuſcitatis loquamur: tenendum quod omnes erunt filię & filij Dei, reges & hæredes Chriſti, amicti ſtolis albis, qui omnes vt dicitur Sap. 5. *Apoc 7.*
Accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Dei regis, conſtituenturque ſuper om- *Luc. 12.*
nia bona ſua, nimioque venerabuntur honore. Vbi ergo, qui ad honores aſpirant, & hos veros non ambiunt? Si honores quęritis veros, iſtos quæratis. Hic nota de qualitate regni huius & honoris.

QVARTO, gaudebimus de conſortij illius

Apoc. 21. *lætitia & gaudioſitate. Abſterſit* enim *Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum: Et iam non*
XIII *eſt ibi dolor, luctus, & timor*, ſed ſempiterna pax,
& lætitia, & gaudium plenum; ibi ingiter orga-
Pſal. 117. na & cantica ſonantia: *Vox quippe lætitiæ & exultationis in tabernaculis iſtorum: gaudium & lætitia erit in ea.* Eſa. 65. O verè inaudita lætitia! ô
læta & iocunda magnificentia! qualis nunquā
in hoc ſæculo audita. Puto quod omnis mundi
in vnum congeſta lætitia, huius comparatione,
vix eſſet minima gutta. O verè lætum conſortium, quale nunquam auditum à principio, aut
in fine audiendum ſæculorum: Nota de lætitia
Sanctorum. Magnum vtcūque exemplar beatæ vitæ & lætitiæ Sanctorum videre eſt, in iu-
Similitudo. uene amatore fidicinæ, cuius manus ſiniſtra fidem tenet, digiti modulantur cordas, dextera
pultat, pedes tripudiant, oculi vident amatam,
guttur canit notas, lingua pronunciat verba,
mens ſententiam cogitat, animus tam multis
ſimul bonis gaudet, non ſolum, ſed exultat ſæpe & rapitur aliquando. Ex hoc momentaneo,
& furioſo exemplo, videre eſt quomodo in ſtatu illo, nulla vnius virtutis operatio, alteram
impediat; ſed adiuuet magis, & non laſſitudo
ex alia, in aliam voluat; ſed gaudio opplet hominem totum; adeo quod Eſa. c. 65. dicat: *Ecce creo Hieruſalem exultationem, & populum eius gaudium.* Notate ergo verba. Tanta enim plenitudine gaudij Hieruſalem, & populus eius
perfruentur, vt non ſolum exultatione, & gaudio dicantur repleri, aut cumulari; ſed magis
eſſe ipſum gaudium. Superexcedit enim omnes
vires, adeo vt non totum gaudium intrare poſſet in gaudentes; ſed toti gaudentes intrabunt
in gaudium illud: Iuxta illud Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui.* Hoc igitur gaudium, &
gaudioſum conſortium meditetur mens noſtra, loquatur lingua noſtra, amet illud cor noſtrum, ſermocinetur de eo os noſtrum, eſuriat
illud anima noſtra, ſitiat caro, deſideret ſubſtātia noſtra, donec intremus in gaudium illud, &
in gaudioſa conſortia illa. Cur iam qui læta amatis, cur non ad horum lętiſſimorum conſortium properatis?

XIV POSTREMO, gaudium creſcet de conſortij huius *amicabili amoroſitate*: Tam enim beata, & perfecta eſt Sanctorum illorum charitas,
quod vnuſquiſque diliget proximum ſicut ſeipſum. Ex quo ſequitur illud inæſtimabile bonum, quod ita vnuſquiſque de alterius bono
gaudebit vel gaudio, ſicut de proprio. Non (inquit Auguſtinus) erit ibi inuidia aliqua diſparis
claritatis, quoniam regnabit in omnibus vnitas charitatis. Tanta quippe vis dilectionis in
illa pace Beatos ſociat, vt quod in ſe quiſque
non accepit, hoc ſe accepiſſe in alio exultet.
Quot igitur & quanta putas, quiſque Beatus
gaudia habebit, qui de tot & tantis beatitudinibus Sanctorum, qui prorſus innumeri ſunt
gaudebit? Si vix quiſque capiet proprium gaudium, quomodo capax erit tot & tantorum
gaudiorum. Vnde patet quod quamuis aliqui
Sancti, pro meritis poſſideant excellenter; nihil tamen ibi ex inæſtimabili Diuinæ pietatis
immenſitate poſſidetur ſingulariter: Omnia
Ephe. 1. ſunt omnibus communia propter eum, qui in
omnibus eſt omnia. Ibi ergo virgo gaudebit,
de ſanctæ viduitatis merito, & vidua exultabit
de caſtæ virginitatis priuilegio. Ibi confeſſor
de martyrum iocundabitur triumpho, & martyr tripudiabit, de confeſſorum brauio. Hinc
etiam orietur congratulatio mutua, veneratio
& laudatio cuiuſque, hinc venientibus animabus feſtiuè occurrunt, votiuè excipiunt, & in
omnibus congratulantur. O igitur quę vel
mens capere, ne dicam lingua exprimere poterit, quantum ſit gaudium angelorum choris
intereſſe: cum beatiſſimis ſpiritibus gloriæ cōditoris aſſiſtere; & conuiuere omnibus beatis?
Verè deficit in huius contemplatione, & expreſſione mens, & lingua omnis. Vt igitur ô anima tandem huic ſocietati adiungaris in cœlis, ſtude frequenter iam eam frequentare in
terris, & diſcurre hoſtiatim, ſingulis congratulando. Hinc aliqui collegerunt ſingulares ſalutationes ad ordines ſanctorum ſingulos quibus ſolent viſitare eos.

§. 3. De tertio principali, ſcilicet de actibus Beatorum.

IAM de tertio principali paucis tangendum XV
ſcilicet de *actu Beatorum*, quid ſcilicet in illa
beata patria agendum. Habebunt quidem beati actus varios, digniſſimos, & voluptate plenos, & erga Deum, ſeipſos, & alios: nos tamen
de his nil, niſi quod ab aliis accepimus, dicere
volumus. Actionem itaque propriam beatorum in patria explicat egregius ille Pſaltes regius Dauid Propheta dicens Pſalmo 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Super quo verbo, & aliis in
itidem conuenientibus doctiſſimè ſæpe in ſuis
quinquagenis diſputat diuus noſter Auguſtin.
Sanctus autem Thomas de æterna beatitudine
hos ponit actus.

Scilicet Deum cognoſcere. Noſcit,	*amare,* amando,	*frui Deo,* fruens,
vniri Deo, vnit,	*laudare Deum,* laus,	*gratias agere,* gratia,
congratulari Deo. gratans.		

Hæc proſequitur Th. ibi deuotiſſimè. Sed forſan veretur quis in hæc ſæcula agere; timet faſtidiū ſurripere, nec poſſe ſemper laudare. Iſte
cogitet, quod mens aut corpus non poterunt
fatigari; ſed ſemper innouari. Diſſerit de hac
pulchritudine Auguſtinus dicens. Si poterit non amari, poterit & à laude faſtidiri. Exemplum huic conſentaneum eſt. Moyſes in nu- Exod. 24.
bem cum Deo loquens aſſumptus, qui non legitur fatigatus, tametſi quadraginta diebus, &
totidem noctibus, ſine cibo, ſine appodiaculo,
ſemper loquens, & audiens, Deo coram aſtabat, & voluptuoſiſſimè aſtabat, quippe qui, in
Domini contuitu, abundantiam omnium bonorum habebat; Vnde & nil vltra deſiderabat,
niſi ſemper illic manere eſuriebat.

QVALITER autem hi actus fiant, pulchrum, & dignum eſt conſideratu: Quia ſcilicet alter alterum non impedit; vnde ſimul om

nes fieri poſſunt, ſunt enim in mira latitudine conſtituti. Si autem & poſt reſurrectionem, vocaliter Sancti debent laudare, plurimis videtur hoc ſatis rationabile, pro perfecta laude Dei, & plena glorificatione hominis. Quod ſi ita erit; imo quia *exultationes Dei in gutture eorum* erunt; quàm ſuſpicabimur beatę illius cęleſtis Hieruſalem cantoribus ſpiritus impetû? quando omnes pleno carmine, dignos Deo hymnos, pleno ſpiritu cantabunt; non modo ſeſe mutuo delectantes, ſed Dei auribus dulce, & dignum canticum cantantes? O quid hoc erit audire? quando deducet ſingulos ordines agnus cum tympaniſtria ſua, ad vitæ fontes aquarum, & ſingulis epithalamium ſonabit; vt deducit Leonardus. mirabilis. n. & ſtupēda muſica illorum cantorum erit. Nam (iuxta Guilielmum Pariſienſem) Tunc vis vocalis, ex qua ſunt modulationes, emittet ſimul omnes voces atque ſonos, quos naturaliter emittere poteſt, & etiam quaſcunque perfectio gloriæ illius ſuperaddiderit. Erit ergo os vniuſcuiuſque hominis glorificati, ſicut cythara cordarum innumerabilium, & ſicut organum innumerarum fiſtularum; & erit ſonoroſitas ex ore cuiuſque glorificati, concentus vocum, ſiue ſonorum innumerabilium, mira & incogitabili nobis hic ſuauitate, ſibi inuicem cõſonantium, & auribus perfectionis illius ſimul audibilium. Aſſignat ſuper hoc rationes plures. Inquirit item ſubtilius, quid ſit quod delectat animas in vocibus. Scrutaturque idem de choris, choreis, & geſticulationibus, an erunt in Beatis, vt innuere Iſaias c.35. videtur: *Tunc egredientur, & ſalient quaſi vituli de armento*. Poſſent & hic multa de aliis actibus quæri: An etiam vocaliter loqui debebunt; quali linguagio; an omnibus linguis ſimul vt videtur velle Rauden. Itemque quam ſint potentia, quàm efficacia, quamque fœcūda verba Beatorum in patria; ſi tanta eſt vis verbis Sanctorum non Beatorum in hac terra, vt dicant monti, tollere, & mitte te in mare. De cæteris actibus, quos inter ſe habent, aut ad ſeipſos, relinquimus cogitandum meditantibus, quoniam res hæc eſt prorſus ineffabilis, tota tamen deſiderabilis.

Pſa.141. Mat.21.

MEMBRVM III.

De quarto principali, ſcilicet gaudiorum cæleſtium qualitate.

XVI NVnc de quarto principali, hoc eſt, de gaudiorum cœleſtium qualitate videndum; Quę quia omni menti ſunt prorſus incogitabilia, ac per hoc ineffabilia, non tangemus niſi pauca, vt detur meditantibus materia. Sunt ergo hic hæc tenenda, quia,

Plurima, grandia ſunt, remanentia, ſingula, præſtant.

Sunt enim tam multa, quod non poſſunt numerari, tam grandia quod non æſtimari; tam remanentia, quod non terminari; tam vniuerſalia, quod non alia cogitari; tam præſtantia, quod non aliis æquari. O ergo

Quantum gaudebunt, quos gaudia tanta replebunt.

§. 1. *De cæleſtium gaudiorum multitudine.*

SEd iam primo de multitudine gaudiorum videamus, non quod in particulari velimus quippe cum impoſſibile ſit, ea numerare; Tot enim ſunt particularia Sãctorum gaudia, quod ea ſolius Dei, (vt dicit auctor compendij) comprehendit notitia, & illi quos ſumma ſapientia voluerit ſcire ea; Poſſunt tamen in genere aſſignari aliqua, vnde hinc eſſent eorum gaudia, & ab omni parte habebunt ferè infinita.

De ſupra, iuxta, intus, & extra, ſubtus, vbique.

Gaudia ſupra ſe.

NOTVLA I.

PRimo, de ſupra autem habent Sancti hæc obiecta gaudioſa, ideoque lętitia ſempiterna ſuper capita eorum. Eſa.35.

En Trinum, Chriſtum, Matrem, miſſos, quoque Sanctos.

PRimvm itaque, & ſummum Beatorum beatificum obiectum, eſt contemplatio ſummæ, & indiuiduæ Trinitatis, quæ omne gaudiū excedit: Et præmium eſſentiale dicitur; vnde reliquum omne procedit; nam reliqua omnis iocunditas, afficere quidem cor humanum poteſt, ſatiare, præter iſtud nihil poteſt. Hinc Propheta ait, *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; Et *adimplebis me lætitia cum vultu tuo*. Vnde in hac contemplatione, vltimata eſt perfectio virium animæ. Hoc Sancti illi priores ſciuerunt, qui tam ardenter faciem hanc ſibi oſtendi petiuerunt, clamantes cõnſona voce, *Oſtende nobis faciem tuam*, &c. Quam autem delectabile ſit hãc faciem videre, patet ex conuenientiſſimi obiecti, & fæliciſſimi vnione, vnde oritur delectatio ſumma: Quanto enim obiectum fuerit dignius & pulchrius, tanto afficit intimius, & allicit auidius. Cum ergo Deus omnibus ſit in infinitum dignior, & pulchrior: reliquum eſt vt nulla res eius viſione ſit iocundior; præſertim cum in eo ſit omnium rerum conſummata perfectio. Væ ergo ignauiæ, & inſaniæ noſtræ, quod non magis afficimur Deum videre; cuius tam eſt iocunda viſio, vt ſi ſolum ad momentum daretur, merito fieret omnium rerum cõtemptus, & toleranda eſſet omnis paſſio. Nam ex eius contemplatione, gaudium multiplex oritur ſanctis: Gaudent enim & congratulantur attributis perfectionibus Deitatis; mirantur proceſſum Sanctę Trinitatis; vident, & gaudendo contemplantur cauſas varias ſuæ in nos dilectionis. Regem ergo vident, inde & faciem eius in iubilatione. Gaudent in Diuinæ faciei cõtemplatione delectabiliter lætantur; in melliflua Diuinę bonitatis deguſtatione inceſſanter, dulceſcunt in ſecuriſſima Diuinę maieſtatis tentione ęternaliter: Vnde ex his perficiuntur tres vires animæ integraliter; Perfectè ergo anima erit beata, cui huius faciei contem-

XVII Pſa.16. Pſa.15. Pſal.79.

platio data. Nam ex ea percipiet omnia bona; Etenim in ea, velut in ſpeculo, videbit omnia præterita, præſentia, & futura, ſuæ bonitati cōgrua. Dum enim ad ſummam lucem Patris luminum (ait Auguſtinus) venerimus, totum, quod in creaturis eſſe poteſt, intelligemus. De hac cognitione latius infra. Ex hac item omnia bona. Tam enim pulchra eſt hæc pulchritudo & ſuauis, vt ea viſa nihil poſſit deſiderari amplius, & omnem vincit dulcedinem, & ſuperat concupiſcētiam: vt pulchrè Auguſtinus, & poſt eum Anſelmus, in ſuo Monologio declarant, dicentes: Quod ſi ſingula bona tā ſunt delectabilia, neceſſe eſt illud optimum, quod continet omne bonum, quo ſine nihil eſt bonum. Cur ergo homunrio per multa vagaris? Ama hoc vnum bonum & ſufficit. Proſequuntur hæc de ſingulis bonis, quod relinquimus meditatiuis.

SECVNDO, gaudent de *ſupra ſe*, in aſpectu humanitatis Filij Dei: Et hoc multipliciter & granditer; *Multipliciter* quidem, quia primo gaudent & ei congaudent de omni officio, beatitudine; & pulchritudine eius quam habet in donis gratiæ & gloriæ, atque naturę, tam in anima quam in corpore. Cuius aſpectus venuſtior & clarior eſt, omni claritate ac decore Solis, & Lunæ, ſyderum, & omnium beatificandorum. Adeo vt & angeli deſiderent proſpicere in eum. *Secundo* gaudent de eo, inquantum ſunt liberati, reparati, ac maxima dona aſſecuti per eum. Vnde ineffabiliter afficiuntur in eum. *Tertio* potentiſſime gaudent; vt Dionyſius ait de vnione humanitatis cum Deitate, quæ eſt dignitas noſtri generis prorſus infinita. *Itemq;* de beneficijs & miniſterio, quod illic exhibet eis (*Tranſiens* enim *miniſtrabit eis*: velut ſeruus emptitius, vt infra.) O quam eſt plenum omni ſuauitate gaudium, videre hominem hominis conditorem, fratrem noſtrū, quondam perditum & abiectum, nunc inuentum & reuerſum, nunc regnantem, nunc omnibus imperantem. O quis mihi det te fratrem meum, vt inueniam te ibi, & amplectar, &c. O quam pium, & quam gratum, quam ſuaue, quam beatum erit Ieſum tunc videre, his qui eum hic dilexere.

1. Pet. 1.

Luc. 12.

Cant. 8.

TERTIO, gaudent indicibiliter de ſupra, de aſpectu glorioſiſſimæ Virginis Matris, tanto vtique intenſius, quāto eam amant feruentius; *Primo* de ea lętantur, quia præ omni creatura pura mirificè eſt ſpecioſa, & ad intuendum iocunda; Si enim de Heſter c. 2. dicitur, quod erat *formoſa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa, & amabilis videbatur*, quid de Matre increatę pulchritudinis tenendum? *Secundo* de ea gaudent, quia plurima beneficia ſuſceperunt per eam. Nam quicquid gratiæ, & gloriæ eſt in eis, per eam datum eſt eis. *Tertio*, congratulantur eius gloriæ, & honori ſingulari, quo facta eſt, & dicitur mater Dei. Ex his & ſimilibus, tanta proueniunt beatis gaudia, quod nulla gaudia mundi poſſunt vel tenuiter poterunt edicere illa.

QVARTO, gaudium ſingulis erit, de contemplatione cœleſtium illarum phalangarum, caſtrorum Dei, populi accincti, labem neſciētes, nec obedientiæ moram. Mirum enim & iocundum ſpectaculum erit, conſpicere centena illa decies millies millia, aſſiſtentes Sanctuario vranici templi, intendentes vultui maieſtatis, dulcem perſonnantes harmoniam, humaniſſimè obſequentes tibi, votiuè excipientes, gratulabundè proſequentes. Hi enim cornu, tuba ve reſonabunt, illi canent, hi pedibus plaudent, choreas de aduentu tui: vti docet ſpiritus ſaltabunt. O percurre ſingulos.

POSTREMO, gratulabitur quiſque de omnibus Sanctis. De maximis autem magis, & ipſi de nobis, qui & in obuiam ruent: vt ſeniores, iuniores, parentes, æquales, fratres, minores, filios, vel quod dulcius eis. O quid gaudij erit ſingulorum ſpectare ordines Sanctorum? Maximè autem quos dileximus magis, quorum iam lectitamus libros, vt Auguſtinum, Hieronymum, &c. Videre præſentialiter, audire, & dulces reddere voces. Et præcipuè viſere parētes, quos mortuos luximus in hac vita. Verè ergo innumera erunt gaudia, prouenientia de ſupra.

De gaudijs ex his quæ iuxta ſunt.

NOTVLA II.

PORRO de iuxta etiam plurima habebimus gaudioſa obiecta; ſcilicet iſta,

Conſors, ornatus, theſaurus, eſca, miniſter.

Hæc ponimus ideo de iuxta, quia debent verſari circa beatos. ET PRIMO, gaudere habēt de conſortij propinquitate, quia amici cōcordes, de quo iam multa tetigimus ſupra. Et deficit omnis lingua.

SECVNDO, de theſauro à diuina ſapientia eis repoſito, & iuxta ad manum parato: Tunc enim ait Bonauentura, aperientur omnes illi theſauri æterni Dei, de quibus omnes delitiæ, & diuitiæ abſconditæ, & dabuntur Sanctis iuxta merita. Tanta autem in horum theſauro continentur, quod nemo ea nouit; niſi qui dat, & qui recipit ea. Tanta enim eſt in theſauro hoc ſapientia, quod Salomonis ſapientia eſſet hic ſtultitia; Samſonis fortitudo debilitas; Monarchia Octauiani ſubiectio; Diuitiæ Crœſi paupertas; Velocitas Aſahelis tarditas, longæuitas Mathuſalem vix momentum, omnis vitę huius iocunditas, ibi triſtitia eſſet. Tantis theſauris, qui volet ditarī; ſtudeat hic pati.

TERTIO, gaudebunt de mirifico ornatu loci, conſortij omnis rei; Locus enim erit ſpecioſiſſimus, quippe regnum decoris. Ciues omnes duplicibus veſtiti, auro primo amicti, omnes togati ciues. Tantuſque illic erit omniū ornatus, quod omnis creaturarum, & artium decor, tametſi in vnum compactus, illi nō poſſet comparari. Grandis triumphalis ornatus Romanorum; ſed lōgius ille præſtat: illic equis albis primus omnium inuectus eſt Camillus, curru inaurato, capite ornato lauro. Sed Sancti his equis, eo curru, eo ornatu inuehentur, vt & phæbeus currus miretur. Et illi in Capitolium deducebantur; vbi poſt plerique ab hoſtibus obtruncati: Sed hi in ciuitate ſancta, in templū Salomonis, ſemper ſecuri, Sanctorum phalangis

Digitized by Google

gis excipiendı , quorum ſingula agmina, ſuis cantibus,ſimphoniiſque procedent.

QVARTO,de victu,& conuiuijs gaudebūt, quæ in promptu aderunt. Spiritali enim refectione reficiet Trinitas ſancta vniuerſos , quæ omni corporalı longè ſuauior erit:quanto ſpiritus rationalis corpore præſtat,& ſpiritalis
Apoc. 19. cibus alimento corporeo. O terque quaterque
Luc. 14. beatos , qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt. Et verè beati,quibus datum eſt manducare panem in regno Dei, quibus conuiuia parat Deus. Mira enim & incogitabilia gaudia continebūt illa conuiuia,ex dignitate miniſtrantis, ex charitate cuiuſque conuiuantis . ex ferculorum opulentia,ex miniſtrorum frequentia, ex muſicorum inſtrumentorum reſonantia.

POSTREMO,quantum gaudium erit beatis,ex illa adminiſtratione ſummi illius Domi-
Luc. 12. ni miniſtri, quia maximi! Ille enim miniſtrat,
Mat. 24. non ſolum (vt diximus) menſæ conuiuarum; ſed & votis omnium deſideriorum. In primis votiuè excipiendo,deinde omnibus votis ſatiſ-
Pſa. 102. agendo ; Tuncque te conſtituet ſuper omnia ſua,implebitque in bonis deſiderium. Verè ergo ineffabiliter ex his gaudebis.

De gaudijs ab intra.

NOTVLA III.

XIX
Pſa. 44. IAM videndum quanta erunt beatis gaudia *ab intra*: Et certè multa & maxima , quia ab intus eſt omnis Sanctorum gloria, quæ ſunt iſta,

Aurea , tres , vires,ſeptem , tot præmia quicquid.

PRIMO , ab intus habebunt *auream*, & inde ineffabiliter gaudebunt : *Eſt autem aurea præmium ſubſtantiale*, quod metaphoricè dicitur corona ex parte perfectionis , meriti, præmij: *Meriti* quidē,quia non reſpōdet generi operis, ſed radici charitatis; *Perfectionis*,quia hanc ſignat figura circularis; *Præmij*,quia per hanc efficitur homo particeps Diuinitatis,& per conſequens regiæ poteſtatis; Qui enim pulchriori corona aurea volet coronari, ſtudeat intenſius amare. Et conuenit hæc aurea cum dotibus animæ, vel contemplatione diuina , de qua ſupra.

XX SECVNDO,gaudebunt Sancti ab intus,tribus dotibus animarum: De quibus dotibus, latior fit ſermo in ſcriptis Doctorum. Nos breuiter dicimus , quod ſecundum metaphoram dotis realis,dicitur dos in patria,non quodcunque donum datum animæ , in traductione ſui in gloriam,ſed donum præcipuum,animam ad actum vitæ glorioſæ diſponēs: quod dat Deus Pater animæ beatę ad poſſidendum , vt fit in matrimonio corporali. Hinc dotes animæ, ſunt quædam dona præcipuè diuinitus animæ in traductione ſui in gloriam data,quibus anima immediatè Deo coniungitur,tāquam principio vitæ ſuæ, & ad ſponſi amplexus indiſſolubiles introducitur.Et ſunt hæ animę,

Dotes	Apetta viſio,	Vnde elicit	Cognitionem claram:
	Delectabilis fruitio,		Charitatem perfectam:
	Secura tētio,		Certitudinē firmam.

Alij has aliter ponunt,ſed tamen ſententialiter ferè in idem concurrunt;niſi quod magis propriè quoad vires,viſionem,æſtimationem,fruitionem quidam ponant. Sed paucis de tribus primis, quia communiter ſic dicuntur, tangamus.

Prima eſt *viſio aperta*,& immediata Dei, qua Diuina eſſentia tota videbitur , non totaliter: Omni enim creaturæ eſt impenetrabilis eius abyſſus,ab omnibus , ſed non æqualiter ; quia pro meritorum qualitate differenter. *Immediata* erit,quia ſine medio differente,diuidente, vel ſeparante,aut etiam obnubilante ; *Sine medio*,ſcilicet creaturæ, figuræ,fidei,aut ſcripturę Videbimus autem Deum,cognitione meridiana,in ſe,in nobis;& nos in Deo,& Deum in omnibus creaturis,& creaturas in Deo, cognitione matutina. Videndo autem Deum ſimul, & ſemel , vnica viſione vident omnia ad beatitudinem neceſſaria. Et per hanc (ait Anſelmus) Iuſti ſcient cuncta,quæ Deus fecit ſcienda. *Quid enim ignorent , qui ſcientem omnia vident.* O igitur anima quæ naturaliter ſcire deſideras, illic propera,quem ſemel vidiſſe eſt omnia didiciſſe.

Secunda dos eſt *fruitio*,vel *delectatio*, quæ eſt conuenientis cum conuenienti coniunctio: Quę quanto magis conueniunt , tanto maiorē delectationem cauſant. Et tanta eſt delectatio in re adepta , quanta eſt res ipſa, quia dicitur, Deus eſt infinitum bonum , ergo & delectatio de eo ſine faſtidio. *Mirantur , nec deficiunt,in illum quem proſpiciunt:Fruuntur, nec faſtidiunt, quo frui magis ſitiunt.*

Tertia dos eſt *tentio* , id eſt perfecta poſſeſſio ſine amiſſione,& ſecura ſine dubitatione: Neque enim beati eſſent,ſi Deum amittere formidarent.

TERTIVM gauduim internum eſt, de interiorum virium mira perfectione ; Nam ſen- XXI
ſus interiores erunt perfectiores , & ad gaudium diſpoſitiores , (ſecundum Ioannem de Cambaco,)propter duodecim , quæ faciunt ſenſibilium interiorum & exteriorum maximam delectationem . Et comprehenduntur verſibus iſtis,

Pura,bona,aſt ætas, perfectio nil nocet,actus.
Non vexans,merum perſtans , diſtans,Deus, bis plus.

Primum eſt debita ſpirituum quantitas , vel maior eorum puritas;*Secundum*,complexionis bonitas : Sanguinei enim ſunt magis ad delectationes apti,quam melancolici; *Tertium* eſt iuuenilis ætas : In ſenibus enim , eſt minus de gaudio ; *Quarto*,ſenſuum,& operationum perfectibilitas : Quo enim potentia perfectior,eo operatio delectabilior;*Quintum*, quia operabimur attentius , quia nulla ibi impedimenta erunt ; *Sextum* , quia ſine læſione organorum,actuabūtur omnes ſenſus noſtri;*Septimum*,quia non vexabimur in organis ſenſuum tædio , vel

labo-

labore; *Octauum*, quia in illis erit impermiſtio delectationis cum triſtitia; *Nonum*, quia non minus delectabimur in proceſſu delectationis, quam in principio; *Decimum*, quod nulla diſtãtia ſenſatorum impedit ſenſus; *Vndecimum*, licet non per ſe, per accidens tamen in omnibus ſentiemus Deum; *Duodecimum*, in illis ſenſibus plus præmiabimur, quibus magis meruimus: vt patet etiam de membris. Ex his itaque omnibus, concluditur grandis viuacitas, perfectio, & gloriæ fælicitas, in ſenſibus interioribus. Vide Nyder in ſuo præceptorio. Sic etiam vis concupiſcibilis, & iraſcibilis, erunt ibi in fœlici quietatione: Ita quod concupiſcibilis amplius de ſenſibilibus, quomodo nũc de delitiis non debeat curare: Nec iraſcibilis triſti alicui habebit repugnare: Sed in Deo debent ſatiari, & quietari. Inquietum enim eſt cor noſtrum, donec attigerit ſummum illud quietans. Satiabor igitur cum apparuerit gloria tua Domine. *Pſa.16.*

Similiter vis intellectiua, erit omni ſcientia perfecta, quodammodo ſciens innumerabilia. Per quinque (vt Nyder ait) influxus. *Primo* enim cognoſcent per ſpecies influxas: ſicut aliæ ſubſtantiæ naturaliter plura; *Secundo*, per ſpecies acquiſitas hic in via; *Tertio*, per ſpecies receptas, per ſenſus corporis glorificati; *Quarto*, per illuſtrationem animæ Chriſti, & aliorum ſuperiorum Beatorum; *Quinto*, in Dei eſſentia, vel ſpeciali Dei influentia, noſcent omnia, & indiuidua: Ita quod (iuxta Anſelmum) ſcient præterita, præſentia, & futura. Notetur tamẽ circa hoc Guilielmus Pariſienſis in de vniuerſo. Item perfectè ſcient omnium omnino hominum, ſiue in cælo, ſiue in inferno, nomina, & genera. Omnia item eorum opera bona, vel mala vnquam ab eis geſta. Et licet grandia videantur quæ diximus, & creditu difficilia quibuſdam; erunt tamen illic ampliora: nam omnes animæ vires in plena latitudine, ait quidã, *3. Reg.4.* & lata plenitudine ibi erunt; Adeo vt latitudo illa lati Salomonis, qui latitudinem habuit vt arenæ maris (diſputans ab Iſopo vſque ad Cedrum) ibi anguſta eſſet. Nam talis illa latitudo erit (vt quidam doctor opinatur) quod nulla cogitatio alteram, nullum iudicium aliud, nulla affectio alteram excludet. Simul & ſemel cognoſcemus Deum creatorem, & vltimũ creatorum, omnes arenas maris, & numerum culicum, & foliorum arboris. *Luc.8.* Cõſtituet enim nos ſuper omnia ſua: *Eſa.9.* vt cum Angelis clamemus, cælum & terra plenum gloria Dei. Nec hoc indignum beatis; quandoquidem Deus ipſe digna hic habuit opificio ſuo, etiam digna habet quæ moderetur, quo non obliuiſcatur volatilium paſſerum, *Mat.10.* & vento raptorum foliorum arborum, qui nil obliuiſci poteſt. Et hæc latitudo non ſolum erit notitiarum; ſed affectionum. Adeo vt omnis agniti boni, mox etiam debita ſimul adſit affectio.

XXII QVARTVM gaudium internum, erit ex ſeptem partibus beatitudinis animarum, quas Anſelmus enumerat, & Bernard. ſub verſibus,

Mens ſapiens, cara, concors, ſecura, potenſque,
Regnans cum Chriſto gaudebit, honorificata.

Pulchrè de his in ſimilitudinibus agit Anſelm. Tangamus tantum ſingula paucis. *Prima* igitur pars beatitudinis ad animam pertinentis, eſt ſapientia, quæ tanta erit, & talis, quod Salomonis ſapientia, eſſet magna inſipientia *Secunda* pars beatitudinis eſt amicitia ſincera: Nunquam enim inter illos poteſt inueniri infidelitas, aut inimicitia, inter quos eſt charitas ſumma, ſicut inter vnius corporis mẽbra. Meditare igitur de iſta. *Tertia* eſt cõcordia; adeo quod Lælij, & Scipionis concordia, ibi eſſet diſcordia: Omnibus enim illis eſt vnum cor, & anima vna. *Act.2.* *Quarto* ſumma ſecuritas: nihil enim timebunt, quicquid voluerint, habebunt: Summa ibi ſecuritas, & ſecura tranquillitas. *Quinto* ampla potentia: Quicquid enim voluerint facere, poſſunt; quoniam ipſum omnipotentem, in omnibus eorum voluntati habent concordantem. *Sexta* pars eſt gaudium perfectum, & ſummum, cui comparari non poteſt aliquod gaudium mundi. *Septima* pars eſt honorificentia inæſtimabilis, Dij enim erunt, & reges, & filij *Pſa. 81.* Dei omnes: vt ſupra tetigimus. Has ſeptem partes beatitudinis, qui ſimul in anima habet, ille gaudium perfectum habet.

QVINTVM principale gaudium intrinſecum, XXIII prouenit ſecundum Nyder, ex cõtemplatione tantorum premiorum, ita quod cernit, quod minimum, quod vel vnquam cogitauit, bonum, ſupra modum eſt remuneratum: Pro ſingulis enim etiam minutiſſimis, non ſolum locutionibus, aut actibus virtuoſis; ſed & cogitationibus ipſis, ſuſcipiemus æternæ gloriæ pondus in nobis; Vnde tanta erit remuneratio tam multa, quod non poterit numerari; tam magna, quod non poterit menſurari; tam pretioſa, quod non poterit æſtimari; tam copioſa, quod non poterit terminari. Bene ergo poteſt anima talis lætari. ô anima hoc cogita, hoc mẽte retracta; cum tibi piè viuenti inferuntur aduerſa, ad hæc mente euola: Cum premit corpus, cum fremit mundus, cum inſidiatur diabolus, ad hæc recurre, his mentem dilinire ſtude: quia id quod in præſenti eſt momentaneũ, *2.Cor.4.* & leue tribulationis noſtræ, in ſublimitate æternæ gloriæ pondus operabitur in nobis.

POSTREMO, gaudium mentis intrinſecũ, prouenit ex perfecta adimpletione omnium deſideriorum: Replebitur enim illic in bonis *Pſa. 102.* deſiderium noſtrum; Omne enim quod nolumus deerit, & omne quod volumus aderit: nam in illis duobus (iuxta Auguſtinum) beatitudo principaliter conſiſtit, ſcilicet in neceſſaria abſentia omnis mali, & in neceſſaria præſentia omnis boni. Si enim (ait) quæris, quid ibi eſt, aliter non poteſt reſponderi, niſi quicquid boni eſt, ibi eſt, & quicquid mali eſt, ibi nuſquam eſt. Nihil item exterius eſt, quod ibi appetatur, nihil interius, quod faſtidiatur: Erit enim Deus omnia in omnibus. Ex prædictis conijci vtcunque poterunt gaudia interna.

Digitized by Google

De gaudijs Sanctorum ab extra.

NOTVLA IV.

XXIV

GAVDIA Sanctorum ab extra poſſunt notari ex his. Et principaliora ſunt iſta,

Dotes, aureolæ, fructus, ſenſus, bona ſeptem.

INPRIMIS corpus, ex quattuor elementis compoſitum, *quatuor dotibus*, quæ ſunt corporum beatorum diſpoſitiones, per quas animabus perfectius coniunguntur, eſt remunerandum. Terra enim habebit æternam immortalitatem; Aqua omnimodam impaſſibilitatem; Aër maximam agilitatem, & Ignis ſplendidiſſimam claritatem. Nam hæc quatuor perficiũt animæ gloriam: vt habeat corporis ſubiectionem plenam. Quorum duo pertinent ad ſenſum; & duo ad motum, vt eſt videre in ſcriptis

1.Cor.15. Doctorum. *Prima* dos eſt claritas: *Seminatur*
Philip. 3. *enim corpus in ignobilitate, ſurget in gloria*; Configurabit enim ea corpori claritatis ſuæ. Vnde non ſepties tantum, ſed (iuxta quorundam ex Scripturæ & Sanctorum dictis deductionem) erunt minimorum Sanctorum corpora, ſole tricenties quadrageſies bis ſplendidiora. Quãta ergo putas maiorum Sanctorum, quanta claritas, item reginę, & regis Chriſti? Qualis autẽ erit hęc corporum Sanctorum claritas, non omnibus certũ eſt, vt in de vniuerſo dicit Guilielmus. Erunt tamẽ clara vtroque modo, quo aliqua dicuntur clara; Peruia ſcilicet, vt aqua, vel vitrum, vel aurum; & lucida ſicut Sol, Luna, & ſtella: *Peruia* quidem (vt Gregorius ait) beatorum ciuium corpora, ſibiinuicem & claritate fulgent, & puritate tranſlucent. Occultatio tamen & manifeſtatio ſubdetur imperio voluntatis: Imperabit enim Deus animo, & animus corpori; Et (teſte Auguſtino 22. de Ciuitate Dei:) Omnes quæ nunc latent harmoniæ corporalis numeri, non latebunt intrinſecus & extrinſecus per corporis cuncta membra diſpoſiti. O quale ſpectaculũ ibi! Lucida quoque erunt, quia magis Sole (vt dictum eſt) fulgentia: O quam clara luminoſa patria, vbi tam innumera glorioſa lucentia corpora. Vere ciuitas illa non egebit lumine Solis, neque Lunę.

Apoc.22. *Secũda* dos eſt *ſubtilitas*: *Seminatur enim corpus animale, ſurget ſpirituale*, id eſt adeo ſubtilis erit, vt ſi caſu poſito eſſet aliquis murus æneus, tantę ſpiſſitudinis, quanta eſt circumferentia inter cælum & terram; facilius (vt aiunt) illud poſſet penetrare in ictu oculi, quam nunc ſubtilior Solis radius vitrum; Diuina tamen, non ſua forte, potentia, neque virtute: Vnde & cum corpore non glorificato poteſt eſſe in eodem loco, reddere ſe palpabile ad nutum, &c.

1.Cor.15. *Tertia* eſt *agilitas*: *Seminatur enim in infirmitate, ſurget in virtute*: Tanta enim erit agilitas corporũ, vt cogitationum volubilitati ab Auguſtino compararetur; ait enim, vbicunque volet eſſe animus, ibi protinus erit & corpus. Et alio in loco ait, quod corpus glorioſum, vtraque interualla pari celeritate attinget, ſicut radius Solis.

Quarta eſt *impaſſibilitas*: *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione, mortale induet immortalitatem*; adeo, vt nullis armis, nullis pœnis affici poſſet. De quibus ſingulis multa Doctores; præſertim Guilielmus in de vniuerſo agunt. Verè ergo corpus veſtimentis aliis non egebit, cum veſtimentis gloriæ talibus adornatum erit. O hoc attende caro miſera, & eſto animæ ſubiecta, vnde tanta in te fiet bonorum redundantia. Ibidem 1.Cor.15.

SECVNDO, Sanctorum corpora dotabuntur, & ornabuntur multiplici, aut *triplici aureola*: Quæ licet ſint præmia mentis; redundant tamen foris in corpus, XXV

Vſum aureolæ Martyr, Doctor, Virgoque tenebit.

Quales autem erunt aureolæ, quã congruè tres ponantur, multis perſuaſionibus à doctis traditur: Præſertim in ſuo præceptorio latè de his agit Nyder. Sic etiam palma datur his, qui in deſiderio illa præcellentia opera habent, vt canitur de Martino, qui deſiderio martyr fuit. Excellenter hi de his operibus excellentius remunerabuntur, & de cæteris etiam nil remanebit irremuneratum.

TERTIO, dotabitur fructibus. Eſt autem fructus gaudium, & delectatio de exercitio ſpirituali. Et diuiditur in *trigeſimum*, *ſexageſimum*, Mat.13.
centeſimum, ſecundum tres ſtatus, continentiũ, ſcilicet coniugatorum, viduarum, virginum. De quibus latè agunt Doctores ſuper quartum ſententiarum.

QVARTO, corpus glorificabitur ex ſenſuũ externorum actuatione: Totaliter enim homo glorificabitur, & omnes ſenſus ibi actu erunt in vltimitate ſuæ perfectionis, & actualitatis; Socius enim laboris, debet ſocius eſſe glorificationis. Et ſinguli ſenſus optima, & cõuenientiſſima ibi obiecta habebunt, vel ſaltem, (vt Sanctus Thomas ait) per ſpecies influxas. Et in genere loquendo, ſenſuum gaudium augebitur ex ſex iuxta Ioannem de Cambaco,

Commoda, & obiectumque, acuit diuerſa, Deus nil.

Primo, ex reſtitutione commodi naturalis: Status enim gloriæ, perfectiora reſtituit quam in Paradiſo perdita; ſed ibi amœnitas ſumma, & tantum commodum habuiſſet ibi homo, vt dicit Nyder, ex lumine Lunæ, ſicut nunc ex lumine Solis. *Secundo*, ad magnitudinem delectationis ſenſuum, faciet melioratio obiectorum; omnium ſcilicet ſenſibilium: Et hoc in augmentatione lucis, in clarificatione coloris, in conuenientia membrorum, & in pulchritudine corporum beatorum, vt patet ex dictis. *Tertio*, ex ſenſuum acumine, qui nulla quantalibet, vt nunc obiectorum claritate offendi poſſent, aut iure liberari; ſed intentè perſpicere ſemper. *Quarto*, auget diuerſitas ſenſibilium: Nam per ſpecies receptas, videbunt ſpecies, & ſpęras cœlorum; per ſpecies influxas, de qualibet ſpecie animalium, plantarum, &c. & corpora Chriſti, Mariæ, Beatorum. *Quinto*, augebit delectationẽ ſenſatio Deitatis in quolibet ſenſibili: nã licet per ſe ſenſus Deũ videre non poſſunt; per accidens tamẽ ſicut ex locutione percipitur vita, imo clarius multo.

Sexto auget, quia nulla diſtantia ſitus, aut interſtirium poſſet ſenſibus afferre aliquod impedimentum, quin æquè benè ſentiant ſitum obiectum, vnde omnes videbunt Chriſtum: Nam, & in via quidam è remoto melius proſpiciunt rem obiectam. Grandis ergo delectatio ſenſuum. OCVLVS enim, iuxta Nider, quinque videbit in genere. *Primo* non exiſtentia poſt iudicium, vt flores, animalia &c. quia in ſtatu innocentiæ vidiſſet ea. *Secundo*, mundum cum elementis purgatum: *Tertio*, corpora beatorum: *Quarto*, pœnas in inferno damnatorum: *Quinto*. Chriſti humanitatem. SIC AVRES paſcentur ſuauiſſimis vocibus, colloquiis, cantilenis, etiam auium concentu, ait Nider, per ſpecies influxas, & omnia genera muſicorum audient, omnes ſonos ſimul ſine reuerberatione aeris, diſcernent vnum ab altero, quod non impediet, ita de longe ſicut à prope, ſine obſtaculo impedimenti. O quam dulciter ſonant ibi organa Sanctorum. Tertio OLFACTVS ſuauiſſimo odore: Eccleſia enim cantat, quod odor ſuauiſſimus erunt corpora Sanctorum. Si enim flores, & herbulæ, & quædam inanimata olent tanta fragrantia: quomodo putas illic fragrabunt Sanctorum corpora, quatum hic plura efflant ſuauitatem inauditam. Dupliciter GVSTARE dicuntur, primo modo per intentionalem immutationem linguæ à ſapore Sanctis inhærente: Alio modo, per influxum ſpecierum
Eſa. 4. à Deo. Sed an non etiam ibi fructus terræ ſu-
Cant. 2. blimis? panis ille æternus dulcis erit guſtui? Modus TANGENDI iuxta ſanctum Thom. erit immutatione ſpirituali, aut influxu: O quomodo IESVM tangemus, quomodo amplexabimur amicos. Et nō oblectatio ſingulis ſenſibus erit? ſed per totum redundabit corpus: vt vult Vallen. in ſummo bono.

SVNT quoque hic commemorandæ ſeptem beatitudinis partes, quibus dotabuntur corpora Beatorum, quæ à beato Bernardo traduntur:

Prima, pulchritudo ſine deformitate, *Secunda. velocitas ſine tardıtate.* *Tertia, fortitudo ſine infirmitate.*

Formoſus, velox, fortis,

Quarta. libertas ſine captiuitate.

liberq; beatus.

Quinta, plenitudo delitiarum ſine omni dolore. *Sexta, ſanitas ſine agritudine.*

Plenus delitiis, ſanus,

Septima, immortalitas ſine fine

nunquam morietur.

Et hæc gaudia à parté corporis ab extra.

Gaudia de ſubtus.

NOTVLA V.

XXVIII DE SVBTVS quoq; naſcentur Sanctis gaudia, ex horum cōtemplatione gratiſſima,

Sub cœlos, mundum, ſub & hoſtis, pœna, reatus.

In primis enim ſub ſe vident, & lucidiſſimè cōtemplantur, cœlorum motum, vel ſtatum planetarum, orbes, & omnem ordinem & rationem cœli: Scientque tunc ſi quis concentus eſt ſeptem orbium, quas ſphæras Græci vocant, qui (vt aiunt) tantus eſt ac tam immenſus, vt hominis effugiat auditum. Hæc inquam omnia tunc perfectiſſimè noſcent, propter quæ ſcienda, illi antiqui Philoſophi tantis laboribus ſe ſubdidere. In quorum agnitionem, tantum dixerunt conſtare gaudium, vt merito illius ſcientiæ agnitione contemneremus omnia.

SECVNDO, *ſub ſe* ſuſpiciunt mundum, de quo quia eius pericula tam innumera euaſerunt, immenſum habent gaudium. Vnde quidam. O domine Deus ſi nunc tam graue periculum eſt in bello, quantum erit gaudium de triumpho. Hinc læti dicent Pſalmi Canticum,
Anima noſtra ſicut paſſer erepta. Nota hic de in- *Pſal. 123.*
nouatione mundi, & elementorum, quam iocunda eorum viſio.

TERTIO, plurimum gaudebunt, quia eorum hoſtes, ſcabellum pedum videbunt, puta mundum, carnem, & dæmonem, quos omnes per Diuinam ſapientiam ſuperauerunt, & eius potentia victoriæ palmam de eis reportauerunt. O quanto putas gaudent gaudio, quando tot vident ab his hoſtibus quotidie deiectos, & deiici, & ſe non poſſe deuinci.

QVARTO, gaudebunt dum pœnas contemplabuntur, vel mundi, aut purgatorij, in quibus fuerunt, quod eas euaſerunt, & per eas ad tan-
ta præmia peruenerunt: *Lætabuntur enim pro* *Pſal. 89.*
diebus quibus viderunt mala. Sed, vt omnia electis in gaudium conuertantur, etiam de inferno gaudebunt, quia eum euaſerunt, & quod id non patientur, ſecuritatem acceperunt, *tum quia* aduerſarios ſuos, & hoſtes, ibi videbunt
torqueri: Et *lætabitur iuſtus cum viderit vindi-* *Pſal. 57.*
ctam, vt pulchrè deducit Rauden.

POSTREMO gaudebunt ob peccata, quę, vel per Dei gratiam vitauerunt, aut per pœnitentiam correxerunt, & quod amplius peccare non poterunt, eo quod in bono confirmati
ſunt. Pro quorum omnium malorum euaſio- *Exod. 15.*
ne, egredientur, & cum Maria tranſito rubro mari hymnum dicent Deo: Et conſtituentur duo Cherubin, ideſt duo chori pſallentium, alterius clamantis ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus, qui nos liberauit.

Quomodo vndique gaudia habebunt.

NOTVLA VI.

POSTREMO vndique gaudia habebunt tam XXIX
multa, & multiplicia, quod eos intrare non poterunt, ſed ipſi in ea intrabunt, quæ etiam omne eloquium excedunt. Nam (vt quidam dixit) ſicut piſces maris vndique circa ſe habent mare: ſic Sancti vndique gaudium modis dictis, & circuncirca gaudia ſemper plena; quorum multi multa enumerant in particulari, vt Bernardinus,

Eſt ibi pax, pietas, lux, virtus, ſplendor, honeſtas &c.

Sic, & Franco de gratia in fine; & alij verſibus plura complectuntur: ſed impoſſibile, vt innumerabilis multitudo numeretur. Tanta enim ſunt gaudia, & tam multimoda, quod omnes geometrę non poſſunt ea menſurare, nec arithmerici numerare, nec oratores explicare. Qui vult ergo tanta gaudia, oportet patiatur multa.

§. 2. *De cæleſtium gaudiorum magnitudine.*

XXX NVnc de gaudiorum cæleſtium videndum eſt *magnitudine:* Non enim ſolum ſunt multa; ſed etiam grandia: adeo vt nullus poſſet, vel æſtimare minima cœli gaudia; quæ tamen habent multa aggrauantia, ſcilicet,

Infin. ſunt plena, ſunt puraque, finis, & ordo.

PRIMO aggrauantur ex quadam *infinitate*, nam ſanctus Thom. hæc cœli gaudia enumerat inter illa tria, quodammodo infinita ſupradicta; neceſſe eſt illa eſſe prægrandia. SECVNDO ex *plenitudine*. Ibi enim plenum erit gaudium; adeo vt omnem illa plenitudo excedat intellectum: vt deducit Anſel. in ſuo Monologio. TERTIO ex *puritate*. Nullius enim contrarij triſtitiæ, ſcilicet aut mœſtitiæ erit admiſtio; ſed ſola, & pura gaudia. QVARTO gaudia augmentantur ex eorum *finalitate:* Nam ſi cuncta gaudent adepto fine, mirabiliter gaudebunt, qui hanc gloriam tanquam finem habebunt. Ad hæc enim conditi ſumus Aug. Qui alius noſter eſt finis, quam peruenire ad regnum, cuius nullus eſt finis. POSTREMO grauatur etiam ex *ordinabilitate:* Multum enim facit ordo ad gaudium, & ibi omnia ordinatiſſimè diſponentur. Vnde, & variæ illic, pro meritorum varietate habitationes erunt. Iuxta illud Euang. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* De quibus Nyder latius agit. Propter hæc, & ſimilia, valde augmentantur cœli gaudia. Adeo, quod Guiliel. Pariſien. mirabundus inquirit, quomodo poteſt tanta ferre anima humana? Sed clarum eſt qui gaudia dedit, ille animam capacem eorum dedit. Grandia ergo ſunt cœli gaudia, de quibus verè dixit Auguſt. quòd fide non attinguntur, ſpe non capiuntur, charitate non apprehenduntur, deſideria, & vota tranſcendunt. Acquiri poſſent; æſtimari non poſſent. Si ergo delectat mentem magnitudo præmiorum, non deterreat certamen laborum.

Io. 14.

§. 2. *De gaudiorum perpetuitate.*

XXXI DE GAVDIORVM permanentia tenendum, quod permanebunt ſine faſtidio, & ſine termino, ſine faſtidio: Spiritales enim delitiæ, quo magis habentur, minus faſtidiuntur: Vnde ſemper aderit ſitis atque ſatietas: Longe tamen erunt, faſtidium aut neceſſitas. Sine termino quia erunt æterna: *Securitas enim* (ait Eſa.) *erit vſque in ſempiternum:* & Auguſtinus, beatitudinem omnium bonorum cœleſtium perficit ſecuritas æterna, & ſecura æternitas, quæ ſi ſola deeſſet, omnia minus eſſent, ex timore amittendi. Sed Dominus dicit, *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* O hic notet mens meditantis, quę ſit vis æternitatis. Eſt enim æternitas interminabilis vitæ tota ſimulque perfecta poſſeſſio. O, verba trutinentur. Et nullus erit labor durus, nullumque tempus videbitur longum, quo gloria æternitatis poterit acquiri.

Eſa. 32. *Io. 16.* *Æternitas quid.*

§. 4. *De gaudijs ſingularibus.*

XXXII ERVNT quoque in cœlis non modo generalia gaudia; ſed & *ſingularia*, qualia nec cogitari poſſunt in huius vitæ anguſtia, & longe his meliora. Perfruentur enim omnium bonorum abundantia: vt pulchrè in Proſologio ſuo deducit Anſel. deſcendens ad ſingula deſiderabilia, & Antoni. ponit ſeptem hominum deſideria, quæ illic erunt impleta, ſcilicet,

Scire, regere, famam, diuts, caret, & tenet eſſe.

PRIMO deſiderat homo inquantum intellectualis eſt, *ſcire:* Et iſtud bonis adimplebitur, quoniam in Deo omnia ſciet quæ deſiderat, iuxta illud Hierem. *In die illa non docebit vnuſquiſque proximum ſuum* &c. Quid enim poterit eſſe, quod neſciant, qui ſcientem omnia vident. SECVNDO inquantum eſt homo rationalis, deſiderat vitam bene *regere:* viuere ſcilicet ſecundum virtutem, & tunc ratio ſubiectiſſima erit Deo, & cætera rationi. TERTIO deſiderant honorem, & famam: Faciet eos Deus ſibi regnum, & ſacerdotes, & exultabunt Sancti in gloria. QVARTO cupiunt diuitias. Ibi venient omnia bona pariter cum illa beatitudine, & gloria, & diuitiæ in domo eorum. QVINTO cupiunt malorum carentiam: Et ibi accipient ſecuritatem. Abſterget enim Deus lachrymas, & non emplius timor in finibus eorum. SEXTO cupiunt delectationes, & omne bonum. Et ibi abundantia omnium bonorum fruentur: Et torrente voluptatis ſuæ potabit eos Deus. POSTREMO cupiunt conſeruationem ſui eſſe: Ibi accipient ſempiternitatem, qua nunquam poterunt terminari. *Deſiderium ergo ſuum* (vt dicitur Prouerb.) *Iuſtis dabitur:* Nam, *deſiderium iuſtorum omne bonum dicit Dominus.* Et dicitur Exod. 33. Ego *oſtendam tibi omne bonum.*

Ier. 31. *Apoc. 1.* *Pſ. 149.* *Pſ. 110.* *Apoc. 21.* *Mich. 7.* *Pſ. 35.* *Prou. 10.* *Prou. 11.*

OMNE ergo huius vitæ gaudium, ibi cum multo fœnore reddetur, aut commutabitur in melius, & maius bonum; vt Laurent. de Valla deducit in ſuo de ſummo bono; concludens, illic eſſe omnia vitæ huius deſiderabilia, præter ea quæ fuerint ab æterni loci illius maieſtate abhorrentia: vt venationes, aucupia, piſcationes: Quorum compotes, non eſt quòd hæc futilia, aut planè puerilia deſideremus, quæ ſi omnino voles, facilè obtinebis, & vberiora, quam cogitas; ſed mihi crede non voles. Nam nunc viri facti, quibus pueri oblectabamur ridemus. Nihil igitur rebus humanis abrenunciare timeamus, nihil nobis deperibit, omnia reſtituentur quæ reliquerimus ob Deum: Et reſtituentur centena pro ſingulis, vel eiuſdem generis, vel diuerſi, tamen vtrocunque modo, & melioris ac ſanctioris. Nam Deus noſter omnia erit nobis in omnibus.

§. 5. *De gaudiorum cœleſtium præeminentia.*

XXXIII IAM oſtendendum, quod non modo in cœlis omnia delectabilia erunt; ſed quod ipſa, inquantum cœlum à terra, ita diſtent, & *præeminent:* Nam licet corporalis delectatio iam magis afficiat, propter maiorem ſenſibilium perceptionem, affectus indiſpoſitionem, &

corporum

corporum fortiorem immutationem: In cælis tamen ſpiritualia illa gaudia pręſtant. Nam, & ſecundum ſe, & ſimpliciter etiam in via, delectatio ſpiritualis multo potior eſt quam corporalis, propter ſex rationes, vt aiunt Doctores,

Præſtat, conueniens, amat, intima, pura, diurna.

PRIMO, quia ſpiritualis delectatio in ſe eſt melior. SECVNDO, quia animæ conuenientior, & ſecundum ſe ſpiritualis: TERTIO, quia amatior, vt de fama hominis. QVARTO, quia coniungitur intimius, non ſuperficialiter. QVINTO, quia afficit purius, & quietius. SEXTO permanet diuturnius. Si ergo in hac vita ſpiritualium delectatio ſic præſtat: quomodo putas delectabit fruitio illius ſummi increati boni? Deus enim ſicut præcellit omne delectabile in infinitum; ita & delectat præ omni delectabili in infinitum: Adeo vt eius oblectationi comparata omnis aliunde ſuauitas dolor eſt, omnis iocunditas mæror, omne dulce amarum, omne quodcunque aliud quod delectare poteſt moleſtum.

NAM his modis præſtat in delectando,

Intimus, intenſus, generalis, & inſimul auus.

PRIMO inquam Diuina delectatio *afficit intimius*: Cætera enim ſuperficialiter, & quaſi exterius delectant; Deus autem intimè, & in cordis profundo. Solus enim ipſe ſubſtantiam animæ ſubtiliter penetrat, & perfectiſſimè ſolus coniungitur ei; ſecundum ſcilicet veritatem, & intimitatem, magis intimior animæ quam anima ſibiipſi. SECVNDO delectat *intenſius*: Nam ſi creatura eſt delectabilis, longe delectabilior Conditor eius. Infinities plus delectans omni re delectabili. TERTIO delectat *generalius*: Alia quippe particulariter oblectant, quia particulariter participantur: vt ſapida ſolum guſtum, non auditum: Sonora auditum non viſum, & cætera: Deus vero generaliter, quia generale bonum continens, vt fons omne bonum. QVARTO quia communius oblectat, & ab alia non impedit: vt noſtræ hic delectationes. Poteſt enim gaudere beatus in Deo, nihilominus ſimul, & ſemel, in cęteris omnibus illis bonis delectabilibus; quod huius temporis anguſtia vetat. POSTREMO illa gaudia æterna, hæc temporalia: Cæleſtium nunquam decreſcit vis ac magnitudo; ſed ſtabilis æternaliter manet: Huius autem temporis, facile omnis euaneſcit voluptas: Neque nos ſinunt diu earum amore teneri. In cœlo vniuerſa, & ſemper aderunt, noſq; nunquam ſatiabimur, nunquam fatigabimur oblectando. Minus ergo ſunt omnes delitiæ, quę fuerunt in mundo vſque in diem iudicij, reſpectu illius ſuauitatis, quam ſit vna gutta aquæ, reſpectu totius maris.

MEMBRVM IV.

De ſpeculis perſpiciendorum gaudiorum.

XXXIII IAM POST poſita gaudia annectenda ſunt quædam ſpecula, ſeu cancelli, per quæ vel quos, poteſt perpendi quam magna ſint. Et licet plurima ſint; ſufficiant tamen iſta annotaſſe hic.

Et Chriſtus, Sancti, mens, guſtus, Scripta, creata.

PRIMVS cancellus, vel ſpeculum ſpectandæ gloriæ illius, ſumitur ex parte Chriſti: Et hoc, quia ipſe ſolus, non pura aliqua creatura, gloriam illam nobis reparare potuit. Conſtat ergo eam ferè infinitam, quæ non niſi per infinitum potuit reparari. *Secundo* ex eo, quod tanta tam dignatiuè pro nobis incarnatus egit: Nam ſi dum adhuc inimici eſſemus, tanta exhibuit; *Rom. 5.* quibus rebus nos non dignabitur, ſi amici facti fuerimus? Quid, & quale putas (ait Auguſt.) Dominus ſeruat in regno fidelibus, qui mortem ſuam præſtitit infidelibus, moriendo pro impiis &c. *Tertio*, ex magnitudine precij, qua gloriam illam nobis emit, quia pro eo precioſum ſanguinem effudit, non corruptibilibus *1. Pet. 1* auro, vel argento acquiſiuit. Veriſimile, imò certum eſt, inęſtimabiliter magnam eſſe illam gloriam, quam ſapiens ille mercator, ſapientia *Matt. 13* Patris, comparauit per crucis ignominiam; & eſſe incomprehenſibilem gaudij oblectationē, pro qua tantum ſuſtinuit dolorem. O latius hæc ſecum trutinet pius meditator.

SECVNDVS cancellus, vel ſpeculum ſumitur ex parte Sanctorum Martyrum, ſcilicet & Confeſſorum, qui tam dira pertulerunt; pro accipienda illa gloria. *Sancti enim ludibria, & verbera experti* &c. Et non eſt veriſimile, quod *Heb. 11.* ſint decepti: quoniam plurimi eorum ſapientes illuminati, & Spiritu ſancto fuerunt pleni. Nam, & ſublimia de illa gloria dixerunt: Et ſæpè tam glorioſi poſt mortem apparuerunt. Ex fœlicitate quoque angelorum poterit conijci magnitudo fœlicitatis cœlorum Angelis e- *Mat. 10.* nim pares erimus.

TERTIVS cancellus ſumitur ex parte animarum, & primo *ex earum capacitate*: nam ſi capacitas animę viatricis, totum mundum, & quæ in eo ſunt, ad paruitatem exceſſu ſuę capacitatis redigit; quippe cuius vna cogitatio, totum mundi ambitum breui ſpacio includit; & totus orbis minimè eam circunſcribit, nęc aliquid adimplet: Valde grande neceſſe, ſit oportet illud bonum, quod tantæ capacitatis implet deſiderium. Quicquid enim ratio poterit ſapere, memoria recolere, affectus deſiderare, Deus erit, & ſingula implebit. Et *ex modo cognoſcendi*: Ex parte enim cognoſcimus & quantum *1. Cor. 13* ergo cum aperte videbimus? Tertio *ex magnitudine affectus*, cuius appetitus tam eſt immenſus, quod nemo poteſt eum implere niſi Deus: vt ait Aug. Non Sol, aut Luna, vel angelus. Magnum ergo liquet illud eſſe bonum, quod tantum animę replebit, non ſolum intenſiuè; ſed & extenſiuè appetitum.

QVARTVS cancellus ſumitur ex guſtu, & conſolatione interna, quam Deus filiis ſuis largitur in hoc exilio, quos ſic ſæpè inebriat, vt alliciantur, rapiantur, vt vix ſe continere poſſint: vt patet de multis.

QVINTVS ex Scripturarum promiſſione, & figurarum typo, nam maxima dicuntur de hac *Eſa. 64.* gloria, & promittitur omnium bonorum abundantia. Et tam à Propheta, quam ab Apoſto- *1. Cor. 2.* lo, quod oculus non vidit, nec auris audiuit illa bona.

SEXTVS ex pulchritudine creaturarum, & magnitudine bonorum temporalium: Nam ſi

tam pulchrè adornauit propter nos condita, quid nobis prę parauit in patria? Si tanta tribuit inimicis pariter, & amicis in carcere, quid electis dabit in palatio? Sic etiam aliqui poſſunt formari cancelli, ex eo quod ſponſæ, filij Dei, & Dei erimus, & aliis multis.

NOTANDVM, quod pro practica valet crebro huius vitæ, & gaudij intenſa imaginatio: prout ait in ſuo de ſummo bono Laurent. Vallen. vbi & pulcherrimè gaudioſum proceſſum
XXXIV abſcedentis hinc animæ deſcribit. Plurimum item confert ſuperiorum attenta conſideratio: Maximè autem ſuſpirioſa in gaudia illa cæleſtia anhelatio. Nam ideo plerique diu à gaudiis illis retardantur, eo quod non ſatis votiuè
Pſal. 136. deſiderauerunt illa. In principio itaque lætitiarum noſtrarum gaudia Hieruſalem regionis cęleſtis occurrant; non obliuiſcatur ea dextera
Tren. 2. noſtra. Intentio ſemper illa aſpiret, & pro illis conſequendis nullum horreſcat laborem. Nam ſi conſideremus, quæ & quanta ſint, quæ nobis promittuntur in cœlis, vileſcut cuncta, quæ demulcent in terris; & mala, quę ingeruntur, pro modico reputabuntur: Imò tanquam ęterni huiuſmodi gaudij materia amplexabuntur,
2. Cor. 4. dicente Apoſtolo, *Momentaneum, & leue tribulationis, immenſum gloriæ pondus operabitur in nobis.* Tanta itaque debet eſſe anhelatio, deſiderium, & fames ſalutis oblatæ, gratiæ donatæ, maximè autem gloriæ repromiſſæ, vt media morte commutanda putentur; tantus dolor, quod nondum ibi es: tantus timor, quod non peruenias, vt nil aliud petere, nil aliud dolere, aliud timeſcere poteris nihil: vt ſic de hac gloria ſit ſollicitudo ſumma, quia erit beatitudo perfecta, quam præſtet regnans in ſęcula. Amen.

DIST. IV. TITVLVS VIII. ORDINE XXXIII. ET VLTIMVS.

Phylocaumarium, vel Inflammatorium Diuini amoris.

PROLOGVS.

OMNIS *conſummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.* Pſ.
1. Tim. 1. 118. Finis præcepti charitas: In huius operis fine, pauca nobis dicenda ſunt de fine; vt ſi cui omnia ſuperiora nimia, & grauia videantur, ſciat in breui hac diſtinctione, pendere omnia antedicta. Nimirum in qua, & pendet lex, &
Matt. 22. Prophetæ: Charitas enim eſt finis præcepti: Et
1. Tim. 1. dilectio legis plenitudo; qua ſine, habita om-
Rom. 13. nia ſterilia ſunt, & effæta, & fruſtra fiunt, quia fructu ſtrata. Nihil igitur omnia exercitia præſignata, parum omnia medicamina valent iam præmiſſa, ſi hoc fine fuerint fruſtrata. Nulla enim placent ſine charitate opera, quantumuis etiam bona, & omnia ſuperiora (vt etiam in principio teſtati ſumus) non ſunt niſi folliculi quidam, & charitatis fomenta, aut incitamenta; quæ omnia, ſi ignis charitatis non exarſerit, adhibentur fruſtra. Nam, & hęc omnium eſt virtutum apex, finis atque forma; pars illa opti- *Luc. 10.*
ma, & vnum neceſſarium, illud ſolum ante omnia, & præ omnibus à Deo imperatum. Dicitur Deuter. 9. *Quid Dominus Deus tuus requirit à te, niſi vt diligas eum in toto corde tuo, & in tota anima, & omnibus viribus tuis, & ambules in vijs ipſius?* Vnde, & in hanc omnia præcepta, conſilia, & Sanctorum doctrinæ (vt Auguſt. declarat) ordinantur. Hanc itaque qui habet, qui verè, merè, feruenter, & ſincerè Deum diligit, non modo ſuperiora; ſed quicquid in omnibus libris habetur impleuit: vnde merito in hanc acquirendam, fouendam, exercitandam, omnium omnia ſtudia conferri deberent. De cuius laude venerabilis Hugo, de laude charitatis. Itemque, & diſcipulis eius Richar. Scripſerunt, & Eccleſię flores, quos ante dixiſſe debueram, innumera de laude huius virtutis. Quid enim omnia ſpirant ſcripta eccleſiaſticæ illius linguæ, Auguſtinum dico, niſi ignem charitatis, quo ſauciauerat Dominus cor eius? nimirum, cuius os de cordis abundantia loquebatur. Hieronymus in 3. Regula. Gregorius in *Matt. 12.*
Moral. potiſſimum. 10. lib. plurima dicunt in laudem huius. Habet, & Bernardus tractatum digniſſimum omnis laudis. Quid ergo poſt tales, & tantos dicere poterimus, balbi, & prorſus elingues? Verè non eſt, quod adijcere tantis poterimus. Sed forſan noſtro more plurima eorum dicta pro adminiſtranda materia, & exercitationis occaſione, ſub verſiculis coanguſtare, & conſtringere poterimus, quamuis iniuria quædam fieri videatur charitati, vt abbreuietur, quæ lata eſt, & dilatans omnia.

SCIENDVM igitur (vt plurima tranſeamus, quæ ad charitatis amorem nos pertrahere poſſunt) quod eius ſingularis excellentia patet ex his.

Laus, tipus, eſt digna, præſtans, opus, hac bona, finis.

PRIMO huius excellentia patet, ex ſingulari I
præconio, quo in Scripturis laudatur, & commendatur; patet decurrenti ſcripturarum viridaria, & Sanctorum tractatulos ſupra nominatos.

SECVNDO ex figurarum, & typorum, quibus aſſimilatur, & figuratur eminentia: nam in optimis, & pretioſiſſimis quibuſque hæc deſignatur, vt deduxit quidam Carthu. vt puta in auro, & balſamo non mixto, in margarita euangelica, & veſtitu deaurato, in velo templi, & veſte nuptiali, in claue regni cœlorum, & igneo curru Heliæ.

TERTIO in dignitate ſumma, nam (teſte ſancto Thoma) hæc digniſſima dicitur & eſt virtutum: prout probat, & deducit ex multis, potiſſimum ex tribus; ſcilicet ex potentia, à qua egreditur; habitu, quo informatur, obiecto in quod diſtinguitur. Hinc etiam ſupremus Angelorum ordo ab ardore charitatis Seraphin nominatur. Et quid dico pro magno de Angelis; cum & Dominus ipſe Angelorum Charitas appelletur, Ioanne teſte, qui ait, *Deus Cha-* *1. Io. 4.*
ritas eſt.

QVARTO ex ſingulari ſupra cæteras virtutis præſtantia: Eſt enim virtus, & regina virtutum, inter omnes tenens principatum. Nam cæteris tribuit vigorem, & cunctis operibus bonis præſtat valorem. Sicut liquoribus cunctis ſupernatat oleum, ita ſuper virtutes omnes hæc tenet dominium. Vt inter metalla præfulget aurum, ſic ipſa omne virtutum excedit meritum.

QVINTO laus eius patet ex neceſſitate: Nam alia dona ſpiritualia ſine ipſa, nil valent ad ſalutem, & ipſa ſufficit, ſicut multis deducit Apo-
1.Cor.13. ſtolus ex multis dicens, *Si linguis hominum loquar* &c. Sine ipſa igitur nil validum; cum ipſa totum ſanctum, & meritorium; ipſa aduenien te omnia ſunt ſana; ipſa abſcedente omnia ſunt inania.

SEXTO ex vtilitate, efficacia, & operoſitate: Ipſa enim eſt gratia gratiarum, radix, mater, nutrix, origo, & forma virtutum; adeo, vt qui eam habet, nil illi deeſt; qui eam neſcit, omni bono deficit: *Non enim poteſt ramus proferre fructum boni operis, niſi manſerit in radice charitatis,* quæ omne bonum gignit. Mox enim, vbi mentem ingreditur, ſecum omnem virtutum
Iac. 5. ſobolem affert. Hæc multitudinem cooperit peccatorum, & ſtolæ primæ reddit ornatum, & in omne inducit bonum.

POSTREMO finis eſt, & cardo omnium, non ſolum præceptorum, ſed & operum Dei: qui omnia fecit, vt ſe nobis amabilem exhiberet.
Matt. 22. In hac igitur lex pendent, & Prophetæ; quæ ſola diſtinguit inter filios regni, & gehennæ; contra quam nihil præualet: ſed de homine Dei filium, imò, & homines efficit Deos. Vnde eam, qui habet, perire non poteſt, etiam ſi totus mundus contra eum ſæuiret. Quis ergo ad hanc non accurret? Ad quam, vt facilius attingamus, & ſic omnia impleamus, pauca in hac finali diſtinctione de ea dicemus, non quidem in genere, ſed tantum de modo acquirendi, & exercitandi ea. Vnde, & Inflammatorium, vel Philocaumarium diſtinctio hæc poterit appellari.

Quomodo ignis charitatis fouendus, & excitandus.

CAPVT I.

II DOMINICA.

IGnis in altari ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos, ſubijciens ligna mane per ſingulos dies, & impoſito holocauſto deſuper adipes adolebit pacificorum. Ignis iſte erit perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Leuit.6. NVNC itaque cæteris de charitate dimiſſis, de ea in altari cordis nutrienda, & inflammanda dicturi, ſumpſimus verba præſcripta, in quibus, & modus, & tempus ponitur huius exercitationis. Nam (Gregorio teſte) altare Dei cor noſtrum eſt, in quo ignis ſemper ardebit: Nam affectus Diuini amoris, nunquam in eo debet extingui. Quem tamen ſi Sacerdos, id eſt ſacris deditus, in nocte negligendo deprehenderit intepuiſſe: Mane, id eſt apparente prima lucis agnitione, ligna ſubijcere habet, id eſt apponere incentiua Diuini amoris. Et hoc congruè *mane* quod, ſecundum Grego. prima eſt pars diei: Nam tunc potiſſimum poſtpoſitis terrenis cogitatibus, ad hoc fidelis quiſque niti debet, vt mentem aliquo deuotionis igne incaleſcat, in quo, & ſe, & omnia illo die per eum agenda, adolere poterit. Nam qualem tunc homo deuotionis affectum conceperit, talem plerumque retinet per diem; & omnia agenda, informantur à charitate tunc concepta. Quiſquis igitur omnia ſua opera volet Deo fore grata holocauſtomata, ille ſollicitus ignem hunc mane nutrire habet, & illi ſubijcere ligna. Quod quam diſtrictè in lege præceptum fuerit, ſatis ex Leuitico liquet; & idipſum virginibus veſtalibus, ſub mortis intermінatione conſtitutum fuit. Non ergo debet hic tepeſcere Chriſtianus, vbi mors indicitur, & Iudæis, & Paganis. Lignorum autem horum ſubiectio, non eſt niſi cuiuſdã torpidæ mentis, per incitamenta, quædam amoris Diuini ad feruorem excitatio: vnde patet, quod hæc ligna non ſunt niſi quædam ad amorem Dei incitamenta, monimenta, & irritamenta; quæ quoniam diuerſis ſumuntur ex cauſis, quaſi de diuerſis poſſunt colligi ſcriniis aut ſyluis. Et nè cui ſit ius querelæ, quod ignis in cordis altari depereat, eo quod ligna nutrientia non habeat: Huic dabimus ſeptuplices inflammandę charitatis generales occaſiones, quaſi ſeptem lignorum optimè inflammatiuorum huius ignis ſtrues; vt ſingulis diebus ſtruem congeſtam reperiat, vnde ſibi ligna nutriendi, & fouendi Diuini amoris ignem aſſumat. *Leuit.6.*

Strues ſumitur ex
1. Diuerſis ad Dei amorem incitamentis,
2. Dei præ omni concupiſcibili, & amabili præſtantiis,
3. Dei bonitate, amabilitate, & cæteris proprietatibus,
4. Dei beneficiis,
5. Coniunctione affinitatis,
6. Reſiduis omnibus, & excellentibus amãdi rationibus,
7. Diuini amoris præcellentiis, & qualitatibus.

Multa, prait, bonus eſt, bona dat, iunctus, ratio, omne.

Et ſunt hæc ligna apponenda per conſiderationem exufflatiuam; per feruentem ſuſpiriorum multiplicationem; conſeruanda per cordis cuſtodiam, & linguæ orationem.

Prima ſtrues amoris, ex inductiuorum pluralitate. Feria 2. poſt prandium. FER.2.

CAPVT II.

PRIMA ſtrues, vnde ſumenda ſunt meditationis ligna, pro mente torpida in Diuinum amorem inflammanda, eſt inductiuorum, & III
impellentium multiplicitas; plurima enim ſunt,

quæ nos ad diuinum amorem, & Deum amandum inducunt, ſcilicet, Rom. 13.

Scriptum, præceptum, virtus, natura, creata.

Nam *Scriptura* in plurimis locis ad hoc hortatur; imò omnis Scriptura in amore Dei impletur: vt ſupra declaratur, in regione Scripturarum; quam autem plena ſit incitamentis ad Dei amorem Scriptura ſacra, patet decurrenti per ſingula volumina Similiter, & ſanctorum Doctorum ſcripta: Quorum ſcripta memorata ſunt ignita eloquia, & ſeraphica quædam inflammatoria. Vnde quidam huiuſmodi ſolis, ſolent nutrire charitatis ignem, ac ſe conſeruate in charitate diuina, colligendo quædam manualia ſeraphica Doctorum ſcripta: vt meminimus ſupra.

ALTERVM incitamentum eſt præceptionis diſcretio, & crebreitas; nam, & in veteri, & in nouo teſtamenro diſtrictius id indicitur nobis, vt patet Deuter. 6. & Matth. 22. Ita quod vnica eſt omnium filiorum Dei lex, amare Patrem vnum. Et verè ſtupenda dignatio iſta Dei, vt præcipiat ſe amari ab hominibus, Deus iuſtus ab impiis, omnipotens ab infirmis. Et non gregatiè præcepit, ſed ſtrictiſſimè ſub grandi interminatione, & ſub perfectione ſumma. Nam in Exo. 19. Exodo poſt præceptum additur, *Ego ſum Dominus Deus tuus zelotes, viſitans iniquitatem patrum* &c. Perfectè *quia ex toto* &c. Verè dignè obſeruandum præceptum, à tanto tam dignanter præceptum. Quis enim, niſi iuſſiſſet, ad hoc anhelare auderet? etſi tentaret, non velut præſumptionis, & temeritatis reus repulſam vereretur, præſertim cum, & iſtud primum, & maximum dixit mandatorum: *Primum* quidem, ſcilicet & intentione iubentis, neceſſitate obſeruationis, & ordine dignitatis; *maximum* autem dicitur; nam magnum eſt, quia illud mandat lex naturalis; maius quia remandat lex Moſayca; maximum quidem, quia confirmat illud lex Euangelica.

TERTIVM incitamentum eſt virtus ipſa; charitatis, ſcilicet excellentia, vtilitas, & neceſſitas, de quibus aliqua tacta, quoniam ea ſine, omnis virtus eſt nulla. Neceſſario enim Deum amare oportet, quoniam niſi amauerimus, ſtatim omnis miſeria, perditio, & mors in limine eſt.

QVARTO incitat, imò penè cogit ad hæc natura, id eſt rationalis: Adeo, quod Bernardus in de diligendo Deum dicat, *inexcuſabilis eſt omnis etiam infidelis, ſi non diligit Deum ex toto corde.* Clamat enim innata, & nota rationi iuſtitia, quia ex toto ſe illum diligere debet, cui ſe totum debere non ignorat. Nam ad quid maius, quam ad coniugales amores, & coniugalis amoris oſcula, & amplexus Dei ſui conditus, deſtinatus, vocatus, inuitatus, tractus, raptus eſt homo? Vnde licet amor ita liber ſit, vt non inuito extorqueatur; non tamen ſic liber eſt, vt pro arbitrio dictantis rationis, atque imperantis voluntatis ſuſcipiatur, vel deponatur. Velimus enim nolimus, ad amandum naturaliter ſummum bonum inclinamur, ergo &c. Nam Boetio teſte, inſerta eſt nobis naturaliter, ſummi boni cupiditas, & dilectio.

QVINTO ad idem clamat, & impellit omnis creatura. Hinc Auguſt. Cœlum, & terra, & omnia quæ in eis ſunt, vndique mihi dicunt, vt amem te Domine, nec ceſſant dicere omnibus, ita, vt inexcuſabiles ſint. Quomodo autem creaturæ hoc dicant, quantiſque linguis, & quam efficaciter id clament, in regione creaturarum latius excuti ſumus. Hoc ruſus ſolum commemoramus, quod totum vniuerſum eſt fornax quædam ardentiſſimorum carbonum, ad amorem Dei incaleſcentium; in qua qui frigidus remanſerit, miſerabili, & damnabili pariter frigore torpet. Quis ergo inter tot amorum inductiua non debet amare, ad quem adamandum incitant tanta? Verè nimis eſt frigidus, quem non incalefacit ignis tantus, quem non permouent ad amandum incitamenta tam multa.

Secunda ſtrues ex Dei excellentia. Feria 3.

Fer. 3.

CAPVT III.

IV

SED IAM altera ſtrues aſtruenda, vt qui prioris ſtruis lignis non ſuccenditur, vel huius inflammetur: Et eſt, Dei præ omni delectabili excellens ſublimitas; vbi notandum, quod hęc conſideratio, maximè dilectionem concupiſcentiæ incitat, & inducit, qua etiam Deus eſt diligendus. Pro cuius intellectu, hic plura diſſerenda erunt de duplici amore, ſcilicet concupiſcentiæ, & amicitiæ. Et ſi liceat diligere Deũ vtroque amore &c. Videantur docti, ſcripſerunt de his abundè. Nos rem noſtram aggredimur, dicentes quòd Deus præcellit omne concupiſcibile, & delectat præ omni delectabili, & hoc multis modis; ſcilicet iſtis probatur, & præcedit,

Omnia. fons, ſummũ, magis, intimius, diuturnè.

EXCEDIT *primo* omne concupiſcibile, quia omnia efficit, & habet in ſummo ipſe. Nam ſi ſuperbus cupit honores, auarus diuitias, accidioſus quietem, guloſus, & luxurioſus voluptates: Deus omnia erit eis, ſi hunc diligere velent. In primis enim eſt honor effectiuè incommunicabilis, præ omni te honorante, excellenter honorans: Iuxta illud, *Qui me honorificauerit, honorificabo eum.* O vide quantum 1. Reg. 2. honoret, & magnificet ſuos. Sic etiam Deus in ſubſtantia incommunicabilis, omnem habentem ſe, excellenter ditans: iuxta illud Auguſtini. Res, quibus fruendum eſt, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus; eadem Trinitas, quædam ſumma res eſt, communis omnibus fruentibus ea. Sic etiam eſt quies incommunicabilis, excellenter quietans: Et voluptas excellenter oblectans; & breuiter omnia eſt in omnibus, quippe Omne bonum, vt Moyſes de ſe dixit, *Oſtendam tibi omne bonum.* Nam, & ipſe bonum honeſtum, delectabile, & vtile: Vnde Sapiens dixit, *Venerunt mihi omnia bona pariter cum ea*; vt meditaturus facile proſequi poteſt, in ſecretario mentis ſuæ. Excedit ergo omne concupiſcibile, à bonorum generalitate. Exo. 33. Sap. 7.

SECVNDO

IV SECVNDO à *fontalitate*, nam omnia quæ in terris ſunt concupiſcibilia, non ſunt niſi riuuli quidam, fontis huius increati: Melior autem, ac per hoc, & concupiſcibilior eſt fons, quam riuulus, cauſa quam effectus. Decurre hic per creaturarum concupiſcibilia, attribuendo omnia illa creatori, vt facit Bernardus in ſuo ſoliloquio, & vide quam tunc præſtat fons ipſe.

TERTIO excedit in *ſummitate:* Quod enim per ſe eſt tale, magis eſt tale, quam quod per accidens eſt tale, & ideo magis concupiſcibile. Si enim (iuxta Ariſtotelem) ſimpliciter ad ſimpliciter, & magis ad magis, & maximè ad maximè: Vnde ſi voluptas bonum, maior voluptas magis bonum, & maxima maximè bonum; liquet quod iſtud ſummum bonum, præſtat omni alij concupiſcibili bono, & adeo
Eccl. 2. præſtat, vt verè in Prouerbiis dicatur, *Omnia, quæ deſiderantur, huic non valent comparari*, nullo modo comparationis, nec ſecundum maius, minus, aut æquale; nam omnia, huius boni reſpectu, nihil ſunt. Deus enim (ait Hieronymus) adeo ſolus verè eſt, vt eius eſſentiæ comparatum, eſſe noſtrum non eſt. Videris igitur ô anima, quem tibi concupiſcendum: Concupiſcis enim bonum. Nam (vt ait Auguſtinus) Bonum eſt aurum, bonæ diuitiæ: Si igitur vnam marcam argenti concupiſcis, quia bonum; marcam auri tanto magis concupiſces, quanto magis bonum: Quicquid igitur millies melius eſſet, millies plus concupiſci ratio perſuaderet. Cum igitur Deo omnia, quæ deſiderantur, comparari non valent; ſed infinities præſtet, liquet, quòd omnibus concupiſcibilibus, infinities ſit concupiſcibilior, & amandior. Quid ergo per multa vagaris, quærendo bona animæ, & corporis? ama hoc vnum bonum, & ſatis tibi erit. Si enim infirmus es, erit ipſe tibi potentia; ſi curioſior, grandia ſcire deſiderans, ipſe omnis ſapientia. Nam omnibus omnia erit, liberalitas indigentibus; miſericordia miſeris; ſanitas ægris; ſalus pereuntibus; benignitas confugientibus; ſublimitas egregiis, ſuperbis, & alta ſperantibus; diuitiæ auaris; voluptas delicatis; quies laſſis. Nam quiſque quicquid deſiderare poteſt, in fonte, & radice boni inueniet, ille fons vniuerſorum deſideria reficit, replet, & ſatiat in bonis domus Dei. Eant
Pſal. 64. igitur alij, amet alius aurum, alius ſplendidam menſam, alius vinum, alius ventrem, aut cætera quæque; ego amabo omnium horum fontem Deum meum, & concupiſcet, & deficiet
Pſal 83.
Pſal. 102. anima mea in atria eius, & implebitur in bonis deſiderium meum: Nam, & dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquæ. Præcellit ergo Deus omne concupiſcibile.

V DELECTAT etiam præ omni delectabili. Et hoc in tribus præſertim; ſcilicet magis, intenſius, & generalius. Alia quippe particulariter delectant, vt patet; Deus autem *generaliter*, quia eſt generale bonum, & omnis boni particularis cauſa. *Secundo intimius*; alia quippe oblectant ſuperficialiter, & quaſi exterius: Deus autem illabitur ſubſtantiæ animæ, & delectat intus. *Tertio diuturnius*, quia alia tranſitoriè, & terminabiliter: Deus autem permanenter, & æternaliter. Illum enim nemo amittit, niſi qui dimittit; alia mutabiliter dilabuntur. Hęc plenius diximus ſupra, in de gloria. Omnis itaque iam tibi, ô anima, creatura vileſcat: vt creator iam omne concupiſcibile, & delectabile præcellens, ſolus dulceſcat. Renuat conſolari anima tua in infimis, tota curre in amorem, tam *Pſal. 76.*
concupiſcibilis, & amabilis. Vel ſaltem concupiſcat anima deſiderare hunc, ſi concupiſcere *Pſal. 118.*
eum non poteris, & incende per hæc ignem amoris, & Diuinæ dilectionis.

Tertia ſtrues ex Dei perfectionibus. Feria 4. FER. 4.

CAPVT IV.

VI TERTIA ſtrues congeritur ex *Dei bonitate*; & cæteris perfectionibus eius, & omnimoda eius amabilitate; & iſtud maximum facit incentiuum amoris, & immediata voluntatis obiecta, propter quæ propriè diligendus Deus; propter ſcilicet ſeipſum,

Namq; Deus bonus, & ſolus, perfectus, & unus. Nam bonum intellectum, id eſt intellectualiter cognitum, eſt proprium voluntatis obiectum. Bonum enim eſt quod omnia appetunt, & allicit amorem noſtrum. Bonitas autem eſt eſſentialiter in Deo, & ipſe eſt bonitas ipſa, iuxta illud, *Nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Deus *Mar. 10.*
enim eſt bonitas tam infinita, & pura, tam amabilis, & deſiderabilis, gratioſa, & excellentiſſima, vt comparata ipſius, bonitas omnis creaturæ pro nihilo reputetur, nec bonitas appelletur. Sic etiam in cæteris quibuſque perfectionalibus, perfectiſſimus ipſe conſiſtit. Ipſe enim eſt, quo maius meliuſve nil cogitari poteſt. Eſſe primum, æternum, immenſum, ſimpliciterque perfectum, ita quod quicquid ſpectat ac pertinet ad eminentiam, nobilitatem, perfectionem, beatitudinemque eſſendi, hoc omnifariè, ac ſuppleniſſimè, & ſimpliciſſimè conuenit Deo, eſtq; in eo, & eſt ipſemet Deus, cum incomparabili ac pœnitus infinita excellentia, maieſtate, & gloria. In tantum, quòd reſpectu illius primæ increatæque perfectionis, omnis omnium rerum ſecundaria, & creata perfectio, imperfectio; imò nil reputatur. Hinc ſolus Deus aſſeritur eſſe, hinc ſolus bonus, hinc ſolus immortalis. Et poterunt eius perfectionalia attributa vtcunq; deprehendi ex creaturis, & ſcripturis, de quibus tetigimus ſupra.

Quomodo ergo non te amamus Deus noſter, Deus vniuerſorum, quomodo te non amamus? Si enim te conſideramus infinitum, immenſum, incomprehenſibilem, ſuper omnia, quouis modo perfectiſſimum; tameſi nihil condidiſſes eorum, quæ ſunt, ſed vniuerſa ſeries omnium à ſeipſa ſubſiſteret: Rationabilis tamen natura vniuerſa conſiderans, ſingula diiudicans, quemadmodum gradibus differentia deprehenderit, differēter neceſſe eſt iudicaret, & maioribus quibuſque bonis ac melioribus, maiorem laudem tribueret. Magis enim Solem

quam Lunam; Lunam, quam Luciferum collau daret; Magis auroram, quam noctem; magiſq; diem, quam auroram; magis lilium, quam roſas; roſam, quam violam. Quamquam enim beneficij nihil præſtaret doctus aut ſapiens, etiã apud alienigenas, indocto tamen & inſipiente plus honoratur, laudatur, veneratur, & præfertur ei. Quo fit, vt ſi præſtantioribus rebus, támerſi nihil conferentibus, præſtantiora deferamus: Deo, qui ſuper omnes eſt, etiamſi non ab eo eſſemus, quiſque æquus rerum arbiter præcipua præconia laudis, & carmina adorationis deberemus: Eoq; id obnixius, quo ille ſuper omnia dignus. Ad cor itaque redeamus, & ſummum hunc Deum ſuper omnia diligamus. Nam ſi inſania reputaretur, vilia ſaxa auro obrizo, gemmis, & balſamo præeligere, & præferre: nonne incomparabiliter maiori inſaniæ, excæcationi, peruerſitati aſcribendum, increato, in finito, & ſupereminentiſſimo huic bono increato, infinita, & finita iſta præponere, plus amare, & plus quærere? verè inſaniæ eſt extremæ. Extremæ enim ne dicam inſanus; ſed & demens, & ſtultus eſt. qui non creatorem creaturæ, dominum ſeruo, principem vaſallo, omnipotentem infirmo, immenſum modico, omniſcientem ſtolido, diuitem egeno, & (vt cætera tranſeamus) qui non ſummè bonum, & beatum, præferendum & præeligendum dixerit miſero & malo.

Maximè quoque propter ſeipſum Deus amandus, Quoniam in ſe, & ex ſe, totus amabiliſſimus eſt, & adamandus. Nam (vt ſeraphicus & amatorius quidam doctor modernus deducit) nihil ita deſideratur & amatur, vt eſſe, beatitudo, & vita: Nil adeo amabile, vt amor; nil adeo amandum vt Deus. Omnium enim amabilium amantiſſimum eſſe, beatitudo, & vita: Omnium amabilium amabiliſſimum eſt amor; omnium amabilium amandiſſimum eſt Deus. Vnde neceſſe eſt, Deum eſſe beatum, ſubſiſtentem, viuentẽ amorem. Irrationabile enim aliquid amandiſſimum, quod non ſit amabiliſſimum ipſum: Et impoſſibile idem amandiſſimum & amabiliſſimum eſſe, quod non ſit etiã amatiſſimum. Vnde ſi amor, ſaltem ſui amatiſſimus eſt: Totus itaque propter ſemetipſum amabilis eſt, & adamandus. Et hæc bonitas, amabilitas Dei & perfectio in ſe, debet eſſe finis & cauſa noſtræ dilectionis: Reliqua autem occaſiones, & cauſæ inductiuæ, vt Deum propter ſeipſum finaliter diligamus. Abſque enim intuitu præmij vel beneficiorum, diligendus eſt Deus. Verus enim amor in ſeipſo genitus eſt, ait Bernardus: Et quo purius ſic diligitur, placet dilecto amplius.

☞ RATIO autem quare ſic propter ſe eſt diligendus Deus, eſt, quia niſi ſic, tunc non diligeremus eum nobiliori modo, quam diligimus equum, vel aſinum, quibus bonum volumus propter nos; &, ſi propter me Deum diligerem, vel propter beneficia, aut vitam æternam mihi dandam; illicitè agerem, quia ſic ordinarem Deum in creaturam, & in vtilitatem meã quod eſſet vti fruendis. Propter ſeipſum ergo Deum diligere debemus; nam & naturaliter mater filio vult bonum, ſæpè ſine omni reſpectu vtilitatis propriæ; & amicis veris, & probos diligimus abſentes; Multo magis ergo Deum; nam & multum merentur, qui Dei perfectiones meditando conſiderant, & corde, ſcilicet in eo complacet: vt ait Nyder. Et hoc propriè eſt amor, vel dilectio amicitiæ, qua diligimus illud, cui bonum volumus.

Quarta ſtrues ex Dei beneficijs, pro Fer. 5. poſt prandium. FER. 5.

CAPVT V.

QVARTA ſtrues ex Dei beneficentiis conſtat, cuius tot ſunt ligna, quot ſunt particularia beneficia, & naturaliter ſunt amoris incentiua. VII Nam & canes (Seneca teſte) amant ſuos benefactores; & cattus beneficum (ait S. Thomas) amplexatur; & ouis ſola æſtimatiua, non diſcretione vtens, lupum fugiens, paſtorem vt beneficum ſectatur. Sic etiam in anima beneficia Dei amicitiam quaſi quodam inſtinctu naturali generant: Quæ quo ſunt ampliora, eo magis incitatiua. Circa quæ conſidera iſta,

Plurima, magna, bona, crebro, promiſſio, maior.

Si diligimus aliquem hominem, quia ſemel beneficium aliquod parui momenti impendit; quantum Deum diligere, imò amare debemus, qui non ſemel vnum, ſed tam innumera, & prorſus infinita beneficia impendit? *Non parui* momenti; ſed maxima quæque, & inæſtimabilia prorſus. Et ſicut hæc omnia promiſit, ad- 1. Pet. 1. huc longe plura, & pretioſiora: Horror eſt intendere in ea, dinumerari non poteſt cumulus beneficiorum. Enumerata ſunt plurima in beneficiario ſupra: Sed ſunt infinities multo plura. Quis enim (vt maxima illa beneficia, quæ omnem ſuperant cogitatum, gratiæ ſcilicet, & ſuperexcellentiæ omittam) quis vel ſola beneficia naturæ dinumerare poſſet, quam multa ſint, & æſtimare quam magna? Quis enim dignè cogitabit dona creationis, gubernationis, & paſtionis? Quis quomodo hominem, cum non eſſet, oraculo oris ſui, & decreto cordis ſui, præcepit, vt ſubſiſteret, informem formauit, corpori organicam varietatem, decorem, & dignitatem tribuit, animam ſui imagine inſigniuit? Pauit, educauit, erudiuit, ſublimauit; & prorſus tantis circundedit, imò obruit donis, vt non ſit qui grates non rependat, ſi conſideret iſta. Diximus hinc plura ſupra. Sed & quidam Carthuſienſis in Dialogo de amore, longius, & productius exequitur beneficia multa; vnde non ſunt nobis dicenda plura. Hoc ſolum dicimus, quod non ſolum dignus ex ſe redamandus eſt Deus propter hæc; ſed etiam meritus ex nobis, quo non modo dignum; ſed & iuſtum ſit, vt redamaretur. Multum enim meruit de nobis, qui tanta impendit. Vnde & nimium durus, quem non emolliunt; nimis frigidus quẽ non accendunt; nimis ingratus, peruerſus, & impius, quem ad amandum, regratiandum, obtemperandum, ac ſeruiendum

dum

Digitized by Google

dum Deo benefactori tali ac tanto, non excitant, nec inducunt beneficialia talia ac tanta.

Et ſi cui parua, aut pauca videntur, quæ exhibuit, ſciat, quod multo plura, & ampliora re-
1. Cor. 8. promiſit, & tam incomprehenſibiliter *magna, & multa*, quod nec ea oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor humanum aſcendere poſſunt. Quis ergo non amabit Deum, qui tam multa impendit, tam ampliora repromiſit, & nunquam deſinit à benefaciendo? præſertim cum hæc omnia agat, vt ſe reddat amabilem nobis, excitetque ſibi amorem noſtrum. Quid enim ait legiſlator, *quid à te Dominus Deus tuus*
Mich. 6. *requirit? vt diligas eum.* Nihil enim ita Deus ab homine poſtulat, vt amorem: qui ſe ita exhibuit, & omnia ſua opera fecit ad oſtendendum nobis ſuum amorem, & prouocandum in ſe noſtrum amorem, qui maximè, & naturaliter beneficiis prouocatur: imò & naturaliter in inſenſibilibus per contactum & coactionem forma materiæ introducitur. Nam (vt S. Thom. dicit in ſuo de dilectione) contrarium contingens contrarium, agit in ipſum, & alterat, & ſi in agendo præualet, ſibi aſſimilat: Vt patet cum ignis agit in terram, & caliditate frigiditatem expellens, frigidam facit calidam. Et cum actus continuatur, tandem neceſſitas diſpoſitionem ſequitur, & in ſummo calens, terra ignis efficitur, & ex altera fit altera, cum generatio alterationem comitetur. Sic Deus amans hominem non amantem; imò amicus inimici: quia, *cum adhuc inimici eſſemus:* (vt habetur Rom. 5.) Et ardenter amans, vt ignis; quippe
Deut. 4. qui *eſt ignis conſumens*, Homo autem frigidus, & non amans; vt terra, quippe *qui terra eſt, &*
Gen. 3. *in terram ibit.* Tum ignis Deus, terræ appropinquans beneficiis, ipſam tangit, & tangendo diſponit ad formam ſuam; ſcilicet amicitiam, & primo calefaciens alterat ſecundum illud,
Pſal. 143. *Tange montes, & fumigabunt*; Tandem frequẽter, & continuè agens, quia non ceſſat, vel ad momentum à beneficiis, terram ipſam igneam reddit, & amicitiam introducit, iuxta illud So-
Soph. 3. phoniæ, *In igne zeli mei deuorabo omnem ter-*
Luc. 12. *ram.* Et, *ignem veni mittere in terram* &c. O igitur amemus.

Quinta ſtrues ex coniunctione affinitatis: pro Feria 6. poſt prandium.

CAPVT VI.

VIII Fer. 6. QVINTA STRVES, ſeu ratio dilectionis, ſumi poteſt ex *coniunctione affinitatis*: Multum enim præponderat in libra hominis conſanguinitas, qua pater præponderat extraneo; Et coniunctioni affinitas, qua vxor parentibus, & ſimilia reliqua. Et nè hic homo præponderaret Deo, & nè vel aliqua occaſio deeſſet amandi eum; præſtat Deus omnibus conſanguineis, ſecundum tres lineas conſanguinitatis; & omni gradui affinitatis, & ſponſalis coniunctionis. Omnia enim factus.

Ipſe pater, frater, proles, ſponſus, ſed & omne.

In primis itaque in genere conſanguinitatis, ſecundum lineam aſcendentem, plus diligimus parentes, id eſt patrem, & matrem, quam auum, vel auiam: Sed ſi parentes carnales diligendi, multo amplius Deus, qui condidit parentes, à Ephe. 3.
quo omnis paternitas denominatur, qui & paterna, & materna viſcera indidit parentibus noſtris, qui & multo ſublimius nos genuit quã pater. Ex duabus enim partibus conſtamus; anima, ſcilicet & corpore, quarum vna, id eſt anima eſt incorruptibilis; alia, id eſt, caro, corruptibilis: Vna imperans, ſcilicet anima; alia obſequens naturæ, ſcilicet caro; vna aſſimilans brutis, vt caro; altera Angelis, ſcilicet anima: Saluſtio enim teſte, *Omnis noſtra vis in animo eſt. Animus nobis cum diis, corpus cum beſtiis commune, animi imperio, corporis ſeruitio magis vtimur.* Multipliciter ergo (vt & ſupra monſtratum eſt) anima nobilior eſt, quam habemus à Deo creante; quam corpus, quod à patre generante. Quod enim horum à quo habeatur, imago vtriuſque teſtatur, cum corpus patris, anima Dei præferat imaginem: quam nimirum Deus immediatè, ſicut ſimilem fecit, quæ corpus ad vitam animando perfecit; quam verſa vice corpus infecit, & ream effecit. Veruntamen, & ipſum corpus, quod à patre generante natura dedit, Deus naturæ principaliter cooperans, vtroque parente neſciente, & ad hoc inſufficiente organizauit. Hinc mulier illa ſancta dixit, *Neſcio enim qualiter in vtero meo ap-* 2. Mach. 7.
paruiſtis. Omnis enim cauſa prima plus influit, quam quæcunque cauſa ſecunda. Si ergo amas patrem hominem, à quo ſolummodo habes materiam corporis, cauſam libidinis, originem reatus; multo amplius amabis patrem Deum, qui corpus formauit, animam inſpirauit, & vtrunq; paternaliter poſſedit: Iuxta illud Deuteronomii, *Nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui* Deut. 32.
poſſedit vtrunque, & *fecit* corpus, & *creauit* te quo ad animam? Benignus etenim Deus, eſt Ephe. 3.
pater à quo paternitas omnis denominatur, qui magis paternè nobis afficitur; qui non ex ſuo ſuperfluo, ſed verbo ſuo nos gignit: Vnde & in Euangelio dixit, *Nolite vobis patrem vocare ſu-* Matt. 23.
per terram; vnus eſt enim Pater veſter in cœlis. Et verè Pater multiplici, vt alibi tetigimus ratione. Si ergo filius amat, & honorat patrem carnalem, multo nos amplius amabimus Patrem hunc omnibus adeò præſtantem: vt Apo- Heb. 12.
ſtolus argumentatur. Si patres carnis eruditores habuimus, & reuerebamur eos: num magis Patri ſpirituum obtemperabimus, & viuemus? Et ſi malis diligere matrem, ipſe & tibi mater eſt, matricaliter tibi affectus, ſua matrice te geſtauit, prægnauit, parturiuit: vt alibi memini deductum. Vnde & dicit per Eſaiam, *Si mater poteſt obliuiſci filium ſuum infantem vte-* Eſa. 49.
ri ſui, & ego tui non obliuiſcar. O igitur Pater, & Mater Deus amem te. Præponderat igitur Deus in conſanguinitate in linea aſcendente, quia Pater, & mater.

SECVNDO in linea tranſuerſali, fratres a- IX
mantur, & proximi, & ſpecialius ſe diligunt gemelli. Sed & hic primatum tenet, & vendicat

Digitized by Google

ſibi Filius Dei, qui amabilior nobis factus eſt
Frater. Si enim amamus fratrem, qui nobiſcum
diuidit,& diuidendo diminuit nobis paternum
affectum: (Nam

Secta bipartito dum mens diſcurrit amore,
Alterius vires ſubtrahit alter amor.

Gen. 37. Vnde & *videntes fratres Ioſeph, quòd à patre plus*
cæteris amaretur, inuiderunt &c) Si item ama-
mus fratrem qui nobiſcum diuidet,& diuiden-
do diminuet etiam paternum cenſum: Iuxta il-
Luc. 12. lud Mat. *Magiſter dic fratri meo, vt diuidat me-*
cum poſſeſſionem &c.Si item ſpecialiter amamus
nobiſcum genitum, qui ſtatim natus, nobis
quaſi iniurians diminuit lac maternum, & ad-
hærens vberi occupat locum noſtrum: Si in-
quam talem fratrem amamus; multo potius,
longè amplius hunc fratrem Chriſtum amare
debemus,per quem paternus affectus,& amor,
non diminuitur; ſed quodammodo ad effectũ
excreuit; per quem hæreditas non tollitur, ſed
hæredes efficimur, & ad paternum cenſum ad-
mittimur, quamuis patri rebelles exhæredari
merueramus; per quem quoq; nullum bonum
debitum diminuitur, ſed multiplex bonum in-
Matt. 10. debitum tribuitur nobis. Poſtremo tradit fra-
Ephe. 5. ter fratrem in mortem: ſed hic frater pro fratri-
bus tradit ſemetipſum in mortem; patet de Io-
Gen. 43. ſeph, qui dixit, *Ego ſum frater veſter Ioſeph, nolite*
timere &c. Verior ergò, & amabilior Chriſtus
Heb. 2. frater, qui *non confunditur*(vt habetur ad Heb.)
nos vocare fratres, vt patet crebrius in Euange-
lio, & Pſalm. 48. Et quod adhuc mirabilius
Mar. 3. *ſoror noſtra* dicitur; In Prouerbiis frater tuus
Prou. 8. ſapientia ipſa increata ſe nuncupat tibi ſoro-
rem.

X TERTIO in linea deſcendenti, vt proximus
amatur filius: Volens ergo Deus etiam ſic ab
homine amari, factus eſt hominis filius: Quod
etiam ſæpiſſimè de ſe repetit in Euangelio, ne
tanta conſanguinitatis propinquitas obliuioni
dari poſſet. *Si dixeris*, filius quidem eſt homi-
nis; non tamen meus,ſed Virginis? Audi ipſum
Matt. 12. dicentem, *Quicunque* (inquit) *fecerit volunta-*
tem Patris mei,ipſe mater mea &c. Voluntatem
viri faciens virgo, fit mulier, ac deinde mater:
Tu voluntatem Dei facito, Chriſti mater eris,
& virgo. Si ergo amat tenerius mater filium,
quem concipit cum ſorde; prægnat cum pallo-
re; non ſine timore parit, ſed cum periculo vi-
tæ; educat cum ſollicitudine, & labore: Qui
ingratus poſt omnia vix præceptis cogitur, pro-
miſſis allicitur, honorare parentes: Tu ſicut
mater vnicum amat filium amplectere tuum
Ieſum, quem Spiritu ſancto ſuperueniente in
vtero mentis concipis mundiùs, geſtas iocun-
dius, paris ſecuriùs, educas facilius; qui ſit ſe-
nectutis tuæ baculus, cæcutientis oculus; qui
filiali fide in morte tua tui meminerit, cum etiã
Io. 19. nec in morte ſua matris oblitus fuerit. Hunc fi-
Eſa. 9. lium datum amplectere. paruulum tibi natum,
ex te etiam naſci volentem, dilige.

XI QVARTO cæteris amoribus præſtat *amor*
ſponſi, & ſponſæ, inter quos non eſt accipere gra-
Gen. 2. duum diſtantiam, cum duo iam ſint in carne
vna; *propter quod etiam relinquet homo patrem,*
& matrem, & adhærebit vxori ſuæ. Et hic ſuper-
excellentior inter Chriſtum, & animam repe-
titur. Quantum enim res ſignificata præcellit
ſignum; tantum amor, & vnitas Dei ad animã,
amorem ſponſi ad ſponſam; animæ ad Deum,
ſponſæ ad ſponſum: *Sacramentum enim ma-* Ephe. 5.
gnum eſt, Ego autem dico inter Chriſtum, & Ec-
cleſiam,inter Deum,& animam. Chriſtus enim
ſponſus eſt animarum,& omnis anima chriſtia-
na, vel Chriſti ſponſa eſt (Auguſtino teſte) vel
diaboli adultera. Vnde, & præſtat matrimo-
nium Chriſti & animæ, omni carnali: Quod
ſic patet; Tria enim ſunt bona matrimonij; Fi-
des ſcilicet contra adulterium; inſeparabilitas,
contra diuortium; proles, contra ſterilitatem:
fides inuiolabilior; inſeparabilitas maior; pro-
les vtilior. *Primo fides inuiolabilior Dei ad ani-*
mam, Iuxta illud Oſeę, *Sponſabo te mihi in fide.* Oſe. 2.
Et in Canticis, *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant. 2.
Imò fidelior eſt Chriſtus ſponſo omni; qui fi-
delis eſt, etiam animo fidem non ſeruanti.
Hinc dixit, *Iuxta me diſcooperuiſti, & ſuſcepiſti* Eſa. 57.
adulterum. Et tamen per Hieremiam dicit, *Tu* Ier. 3.
autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen
reuertere ad me &c. Et hoc vt per virum fide-
lem ſanctificetur mulier infidelis; Adultera per 1. Cor. 7.
miſericordem maritum; peccatrix anima per
Chriſtum. Et licet plures habeat ſponſas; non
tamen minus diligit quamcunque. Sic enim v-
namquamque: vt ſolam; & omnes, vt ſingu-
las; vt declarat ſanctus Thom. in de dilectio-
ne: vnde horum plura excerpſimus: qui liber
non minimæ eſt deuotionis, licet heu, pauci
æſtimetur à pleriſque, qui languent circa quæ-
ſtiones. *Secundo inſeparabilitas maior*, Carnale Rom. 7.
enim diſſoluitur in morte: ſed nos non ſeparat Rom. 8.
à Chriſto neque mors neque vita: Nam ma-
trimonium animæ, quod in baptiſmo cum
Chriſto eſt initiatum, in bona vita ratum, poſt
mortem in Patria erit conſummatum: vnde
poſt illius vnionis primum conſortium, impoſ-
ſibile eſt eſſe, propter characterem, diuortium:
Sed & interim fortis, vt mors dilectio. Adeo,
vt nil à Chriſti charitate ſeparare poteſt. *Eſt* Cant. 8.
tertio proles vtilior, & multiplicior, bonorum,
ſcilicet operum; fœcundat enim ſponſus ſpon-
ſam, Deus animam, per gratiam; progreditur-
que proles ab ambobus vnitis, non ab altero
tantum; ſed à matre, vt à principio materiali;
à patre, vt formali, & principali: Sic & proles
operum, non à gratia ſola, nec libero arbitrio
ſolo: ſed à libero arbitrio, vt à principio mate-
riali; à gratia vel Deo, vt à completo, vel for-
mali, & principali: Sine qua facere poſſumus Io. 15.
nihil. Hæc eſt proles, quæ matrem non peri-
mit, ſed ei vitam æternam acquirit: ſicut con-
trà, peccatum interimit, cum conſummatum Iac. 1.
fuerit. Hæc non *Bennoni* filius, doloris: ſed Gen. 35.
hic priùs fortè filius laboris; poſt, gaudij, &
honoris, *Cum enim peperit mulier non meminit* Io. 16.
preſſuræ &c. Et ſi forſan amabilior tibi appa-
reat ſponſa quam ſponſus, non ſolum digna-
tus eſt dici ſponſus tuus, licet genere nobilior,
ſubſtantia ditior, ſpecie pulchrior, & in omni-
bus præſtantior; vniuoca increata illa Sapien-
tia Patris, non dedignata eſt fieri, & dici
ſponſa tua, ſi vel ſic ad amorem poterit prouo-
cari inſenſibilitas tua; patet hoc in libris ſan-
ctis, & in Canticis. Age ergo imitare ſapientem
illum.

Digitized by Google

Sap. 8. illum, qui dixit, *Hanc amaui, & exquiſiui, & quæſiui mihi ſponſam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius ſuper ſalutem, & ſpeciem dilexi illam* &c. Lata ſe offerret circa prædicta deuotionalis materia; quomodo ſcilicet Deus Pater, & ſponſus, & anima; quomodo ſponſa, & mater, & ſimilia multa, quæ nunc ſilemus breuitatis cauſa.

XII POSTREMO non ſolum, modis dictis coniunctus eſt nobis noſter Deus: ſed, & omni modo coniunctionis, etiam qua maior eſſe non poteſt in creatura, *vt in vnione carnis.* Dum enim verbum factum eſt caro, factum eſt omne, quod deſiderare poteſt homo. Eſt itaque non ſolum pater, ſed & mater; non tantum frater, ſed & ſoror; non ſponſus ſolum, ſed & ſponſa: Imò, & dos, hæreditas, amica, & columba, & quicquid deſiderari poteſt. Vnde qui his ad amorem incitamentis non ſuccenditur, inflammatur: lapideus, plumbeus, ſtanneus comprobatur. O igitur Deus meus, qui nulla gratæ ne-
1.Cor.5. ceſſitudinis vocabula dedignaris, omnibus omnia factus, da mihi, vt amem te.

Sexta ſtrues ex cæteris amandi rationibus, Sabbato poſt prandium.

CAPVT VII.

XIII SEXTA ſtrues, vnde ſumi poterunt ligna dilectionis, congeritur ex reſiduis omnibus amandi rationibus: Non enim ſolum rationes iam præmiſſæ diligendi, in Deo reperiuntur: Sed & omnes, quotquot excogitari poſſunt, in ſummo in eo congeruntur: vt ſunt iſtæ,

Conformis: præſens, bona, dando, fidelis, & aptus.

PRÆCIPVA ratio dilectionis, eſt conformitas
Eccl. 13. naturæ: Nam (vt habetur Eccl.) *Omne animal diligit ſimile ſibi:* Et ideo magis ſimile ſibi, magis: *Volatilia enim ad ſimilia* (ſicut ait Sapiens) *conueniunt.* Si ergo es amicus hominis propter naturæ conformitatem: multo magis amabis Deum, qui ne in hoc non amabilis inueniretur, Deus factus eſt homo. Vnde magis amandus eſt Deus homo, quam alter homo, propter tria, ſcilicet, cauſam, ſtatum, & durationem. *Primo propter cauſam:* Si ergo amicus es hominis qui tecum ſit, vel factus eſt homo; vtique magis illius, qui factus eſt homo propter te redimendum morte humanitatis, nutriẽdum Sacramento corporis, & ſanguinis, erudiendum vitę exemplis, beatificandum in duabus naturis. *Secundo propter ſtatum:* Nam ſi es amicus eius, qui ſimplex homo; potius eius, qui ſummus homo, cum etiam inter homines, magis appetis amicus eſſe magnatorum. *Tertio propter durationem,* quia ſi filius es hominis, qui quotidie corrumpitur, & tendit ad non eſſe; potius
Rom. 6. Chriſti Dei qui iam non moritur, nec deſinet homo eſſe. Reflectit, & has rationes ad Deum ſanctus Thom. in de dilectione ad eſſe ideale; ſed neſcio ſi poſitio illa ſic omnibus confeſſa: Aliter enim moderni doctiſſimi, Ocham, Petrus de Aliaco, Gerſon, & cæteri, ſentiunt de ideis, & priores tempore aliqui Doctores: Sed relinquo iſta, non enim eſt meum diſcernere de doctis.

EST SECVNDO ſpiritualis ratio dilectionis, XIV
præſentialitas, de qua arguit Ioan. *Qui non diligit fratrem quem videt* &c. Sed ſi diligitur ho- 1.Io.4.
mo, quia præſens eſt; præponderat Deus, qui & intimè ſemper, & vbique præſens eſt. Homo
enim præſens eſt, quaſi *præ ſenſu ens*, quia iuxta Ethim.
te: Sed Deus magis iuxta, quia intra te. Auguſtinus. Intimus cordi eſt, & cor aberrauit ab eo. Et ſi obieceris ſi præſens eſt, quomodo non ſentiatur? Reſpondet Thomas quod nec in homine hoc habes, cuius corpus tantummodo vides; & anima, quam magis amas, non niſi ex nutibus corporis, & verbis præſentem intelligis: Sic licet prohibente ſtatu viæ, Deum, qui in te eſt præſens per eſſentiam, videre non valeas in ſe; per effectum tamen deprehendere potes eum in te. *Item* eſt homo præſens quandoque, & quandoque neceſſario abſens. Sed nunquam Deus abſens eſt nobis; licet nos quãdoque elongamus nos & abſentemus præſenti. Hinc Auguſtinus. *Intus eras, & ego foris: Mecum eras, & tecum non eram. Item* homo alicubi præſens eſt, alicubi abſens: Deus autem vbique
eſt, qui cœlum replet, & terram: Qui & in Ier. 23.
morte tibi præſens aderit, cum homines te derelinquent. Magis ergo ipſe amandus.

TERTIA præcipua ratio eſt *vtilitas:* Nam. XV

Vulgus amicitias vtilitate probat.

Si itaque amicus eſt hominis, quia vtilis: Scias, quod in hoc tripliciter præponderat Deus. Ab eo enim eſt vtilitas maior, multiplicior, & diuturnior. Ita quod excedit quantitate continua, & diſcreta, & duratione. Trina enim eſt generalis vtilitas, quam ab amico habere volens, ipſum amas; ſcilicet adeptio boni tui, intenſio boni tui, diminutio, vel annihilatio mali tui. AMICVS *ergo es eius, qui tibi communicat bona*
ſua: Iuxta illud Eccleſ. *Multi colunt perſonam* Prou.16.
potentis, & amici ſunt dona tribuentis: Præponderat euidenter Deus, qui tibi communicat, & dat ſua, & ſe: Donat inquam dona digniora in ſubſtantia; maiora in quantitate continua; plura in quantitate diſcreta; permanentiora in duratione, & tempore; meliora in relatione ad fratrem; opportuniora ſecundum quando, & vbi. *Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, quo-*
modo non omnia nobis cum illo donauit? Quis a- Rom. 8.
micorum filium ſuum, vel ſpiritum ſuum, tibi donabit, vt Deus? Magna & multa donauit in præterito; donat, & donare non ceſſat in præſenti; & maxima dabit in futuro. Xenium, quod homo amicus dat, potius eſt mutuum, quam donum; quia redditionem expectat: Donum autem eſt datio irreddibilis, quod ſolum propriè illi conuenit, qui bonorum no-
ſtrorum non eget. Amplius donum quod dat, Pſal. 15.
à ſummo bono per illum venit; à fonte ad te fluit: Magis ergo amare debes fontem effluentem, quam canalem defluentem; cum & Deus voluntatem illius ad hoc inclinauit, vt tibi da-
ret; & ſubſtantiam dedit, vnde poſſet. *Cor* Prou.21.
enim regis in manu Dei, quocunque voluerit inclinat illud. SECVNDO es amicus *hominis propter intenſionem boni tui,* qui, ſcilicet tecum ea ſciens,

Digitized by Google

& communicans, tibi reddit ea iocundiora: Nullius enim boni (ait Seneca) ſine ſocio iocunda eſt poſſeſſio. Sed hæc communicatio amicum non prodit: Non enim agnoſcitur in Eccl.12. bonis amicus, vt ait Eccleſiaſticus: Nam

Cum fueris fœlix, multos numerabis amicos:
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Vnde verus amicus etiam in inedia perſtat. Sed hic præponderat Deus, qui ſciens bona tua, vtpote dona ſua; de his tibi congaudet, & partiPſal.15. cipare non eget. Hinc dicebat, *Gaudeo propter vos, vt credatis.* TERTIO eſt *amicus hominis, qui* Io. 11. *tecum participans mala tua, vel annihilat, vel ſaltem diminuit ea:* ſed raro inuenitur talis, cum tamen ſit magis neceſſarius: vnde hic præponderat Deus. Qui cum in natura propria ſummè bona, mala tua tecum communicare non poſſet; naturam tuam aſſumpſit, in qua tibi compatiens, & pœnæ tuæ ſocius factus, vt miſero tibi conſolationem faceret, & tandem malum tuum prorſus annihilaret. Sunt autem ſecundum Ariſtotelem quandoq; mala, & terribilia, in quibus omnibus modis participauit Chriſtus: Et ſunt iſta,

Æger, egens, infamis, mortem fert inimicos.

PRIMO in infirmitate Eſa. 53. *Verè languores no-* 2.Cor.8. *ſtros ipſe portauit.* SECVNDO inopiam: *Cum enim* Matt.27. *diues eſſet, factus eſt pauper.* TERTIO infamiam, Io.7. quia ante dicebant, quia malus, ſeductor, dæ- Matt.11. monium habens, vorator. QVARTO inimicos, quia viderunt, & oderunt, *Odio habuerunt gratis.* QVINTO omnium terribiliſſimum mortem. Io.15. *Nam animam ſuam poſuit pro inimicis ſuis: For-* Cant.8. *tis enim vt mors dilectio.* Omnia ergo pertulit Eſa.5. mala. Quid igitur debuit facere vltra? Præ omnibus igitur eſt vtilis, qui pertulit mala noſtra, dedit bona ſua. Ergo propter vtilitatem præ cunctis amabilis.

XV Eccl. 6. QVARTA præcipua dilectionis ratio *eſt fidelitas: Amico enim fideli nulla eſt comparatio;* & merito amatur, qui fidelis in amicitia comprobatur. Sunt autem tria fidelitatis amici experimenta; ſcilicet nouitas, proſperitas, aduerſitas. Fidelis enim ille, quem in his erga me immutabilem inuenio: A cuius ſcilicet animo, me nouus amicus ſuperueniens non excludit: imò nec à gradu, vel loco, quem in animo mihi dedit, deijcit: imò qui nec propter ſuperuenientem nouum, reputet me antiquum. *Quod enim antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt,* niſi fortè ad modum vini, me quanto antiquiorem, tanto reputet amicum puriorem. Eccl.9. *Ne dimittas amicum antiquum: Nouus enim non erit ei ſimilis.* SECVNDO quem proſperitas ſua inſperata, mihi non reddit extraneum; nec TERTIO aduerſitas mea inopina ſibi ingratum: Eccl. 22. ſed implet illud Sapientis dictum, *Fidem poſſide cum amico tuo in paupertate ipſius: vt & in bono illius cohæres ſis.* Sed virum talem fidelem quis Pſal. 115. inueniet? *Eſt enim omnis homo mendax.* Sed Nu. 23. non eſt Deus, vt homo, vt mutetur nouitate, proſperitate, vel aduerſitate: Sed vt amicus ſtabilis & fidelis, elegit ſine initio, quos diligeret in fine; nullum excludens pro amico; omnes volens ſuperius aſcendere, nullum alteri locum Prou. 17. dare. Hinc Salomon, *Omni tempore diligit, qui amicus:* imò & iſte ante omne, & poſt omne tempus. Nec eſt etiam apud Patrem luminis Iac. 1. tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio, quoniã nec ſua ſublimitas eum tibi extraneum; nec tua humilitas te efficit alienum. Pſal. 137. *Quoniam excelſus Dominus, & humilia reſpicit.* Vbi amor, ibi oculus. Patet illud in Chriſto quem proſperitas ſua non mutauit in amicitia: Nam quos in fratres & amicos mortalis, & paſ- Matt. 25. ſibilis elegit; glorificatus & immortalis factus, Io. 15. fratres nihilominus recognouit dicens, *Vade,* Io. 20. *dic fratribus meis.* Nec etiam mutauit Chriſtum, nec diminuit amicitiæ effectum mutatio ſtatus in amico: vt vides in Lazaro, quem adamauit, Io. 11. & ægrum, & mortuum, vt patet. Eia ergo homo ſtulte, ſi fidelem quæris amicum, ama Chriſtum, qui mutatus in honore, non mutatur ab amore; qui te mutato per miſeriam, non mutat amicitiam, ſed ſeruat fidelitatem priſtinam.

XVI POSTREMO grandis ratio dilectionis eſt *amicabilitas, & aptitudo ad amorem:* Hinc dicitur Macha. *Aptus es, vt ſis amicus regis.* Et Pro- 1.Mac.10. uerb. 18. *Vir amicabilis ad ſocietatem, magis amicus eſt quam frater.* Conſtat autem hæc amabilitas in tribus, quæ ſunt, Gratioſitas in vultu, vt habetur de Heſter, *indicibili pulchritudinè,* Heſt. 2. *qua omnium oculis gratioſa videbatur,* & ideo amabilis. Nam gratiam & ſpeciem (ait Eccleſia- Eccl. 40. ſticus) deſiderat oculus. Alterum eſt Affabilitas in verbo & conuictu: Prouerb. 22. *Propter gratiam labiorum, habebit amicum regem.* Tertium eſt manſuetudo in geſtu vel actu: Eccl. 3. *In manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligeris.* Præponderat autem in his Deus: Nimirum enim, fallax gratia, & vana Prou. 31. pulchritudo hominum, quam confert corporis ſanitas, complexionis bonitas, & iuuenilis ætas; vt apparet, quoniam aufert ipſam, vel ægritudo fugans ſanitatem; vel ſenectus excludens iuuentutem; vel mors diſſoluens complexionem. Cæterum amabilior ille qui gratioſior in facie, cuius facies plena eſt gratiarum, in quam deſi- Heſt. 15. derant Angeli proſpicere; cuius pulchritudo 1. Pet. 3. non langueſcit, ſed intuentes ſaluos reddit, iuxta illud Geneſ. *Vidi Dominum facie ad faciem,* Geneſ. 32. *& ſalua facta eſt anima mea.* Non ſeneſcit, ſed iuueneſcere facit. Pſalm. 102. *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua:* Non moritur, ſed viuificat in æternum: *Hæc enim eſt vita æterna: vt cognoſc.* Io. 17. ITEM amabilis eſt qui affabilior in ſermone: *Loquebatur autem Deus Moyſi, ſicut loquitur ho-* Exod. 33. *mo ad amicum ſuum.* Affabilis ergo, & non ſo- Matt. 11. lum iuſtis, ſed etiam iniuſtis, cui imponitur, quod ſit publicanorum, & peccatorum amicus. Planè valde affabilis cuius verbum non rhetoricum, & tranſitorium, ſed æternum, quod vt caperetur, verbum caro factum eſt. Et, Io. 1. *diffuſa eſt gratia in labijs ſuis.* TERTIO Chriſtus Pſal. 44. amabilior, quia in actione manſuetior, Hier. 11. *Ego quaſi agnus manſuetus.* Vides ergo, quod præponderat Deus in omnibus rationibus dilectionis. Vnde etiam amandus præ cunctis.

Digitized by Google

De ſeptima ſtrue, de Diuinæ dilectionis qualitate. Dominica die poſt prandium.

CAP. VIII.

XVII SED IAM de *ſeptima* ſtrue dilectionis proſequamur, quæ ligna adminiſtrat, ex Diuinæ dilectionis qualitate, & præcellentiis; de qua ſingulariter dicere propoſiti noſtri eſt, quoniã ſæpe remiſimus ad materiam iſtam. Vnde notandum, quod perfectè Deus conſilium atque magiſterium impleuit conſulentis, *Si vis amari ama:* Et tantopere impleuit, vt non ſit qui poſſit excogitare dignè. Et iſtud eſt omnium magis incentiuum, quo ſic exilitatem noſtram obruit Deus, vt iam nihil relinquatur homini, quo non ſe prorſus effundat, in amorem talis ac tanti amatoris, ac taliter peramantis. Eſt fateor conſideratio Diuini huius amoris, ſuper homines; vnde non multa particulariter inuenimus de eo deducta: In nomine tamen huius amoris iam retia laxanda, & pauca de ea, quendam ex noſtris inſequens, in de Philantropiis ponemus; præſertim cum huius conſideratio ſit vehementiſſima noſtræ dilectionis excitatio. Quoniam, ſicut ad oculum videmus, non accenditur melius ignis corporalis, quam igne, & maximè maximo, iuxta regulam topicalem: Ita & amor (qui iuxta Hugonem, ignis eſt) non melius excitatur, quam intenta meditatione amoris ad nos Diuini, ac beneficiorum exinde impenſorum. Nihil enim ſic afficit ad amorem, quam quod aliquis amari ſe nouerit, & exinde beneficia donari. Illud enim prorſus redamationem extorquet non eſt autem ignis, ſiue amor: vt ardor charitatis ad nos Diuinæ. Maior quippe ignis ad inflammandum cor noſtrum eſt amor ad nos Diuinus, quam foret totus mundus ad corpus aliquod accendendum, ſi totus intenſiſſimè arderet. Vnde quiſquis charitate flagrare volet, ad huius conſiderationem ſe dare debet.

XVIII *Et licet* trepident quidam confiteri, Deum amare propter ſimplicitatem, & immutabilitatem Dei, inquietudinemque amoris; quod tamen verè nos amet, teſtimonia credibilia multiplicata ſunt nimis. Nam, vt cætera tranſ-
Ioan. 16. eamus, Filius ipſe dicit: *Ipſe Pater amat vos.* Verè (ait quidam Doctor, ſuper illo verbo,) Grande dictu, durum creditu, vt æternus Deus, plaſma ſuum vel deſideret, aut, vt multum, diligat; ſed vt amet, niſi vnigenitus Patris, qui in ſinu eſt Patris enarraſſet, quis crederet? Sed veritas ipſa teſtificatur: quis niſi contemptor, contumax, contumelioſus, & blaſphemus in eum diſcredere audebit? Verè ergo nos amat Deus; Sed quomodo amat inquirendum: Et certè his conditionibus videtur amare, vt di-
Ioan. 3. catur: *Sic Deus dilexit mundum*, ſcilicet,

Communi, ſpirando, volens, ſcit ſemper, & actu, XX
Infin. totali. ſing. extat, grat. beat. omni.

PRIMO, igitur Deus diligit *omnes*, tam præſcitum, quam prædeſtinatum, amore generali: Amor enim Dei ad creaturas eſt generalis; Ita quod generaliter diligat omnes, creaturas. Quod probabile eſt ex multis.

Primo, ex diffinitione amoris: Amare enim aliquem eſt, velle bonum ei; ſed Deus vult bonum omnibus creaturis, Ergo: Et ideo dicit Gerſon, quod vno eodemque amore, & penitus inuariabili, producitur vermiculus, quo & quali productus eſt angelus; ſicut eodem verbo de omnibus dixit & facta ſunt. Pſa. 32. Quod Dei dicere penitus idem eſt quod amare; vt declarat ſuper cantica. Et licet quibuſdam iſtud ſonat mirum, eſt tamen verum; & oppoſitum dicere erroneum. Eſt enim articulus Parienſis: *Quod prima cauſa ſic eſt remotiſſima, quod etiam propinquiſſima; Sic generaliſſima, quod etiam ſingulariſſima*, &c.

Secundo, idem patet multiplici ratione; ſcilicet creationis, gubernationis, & applicationis; vt in Pantheologia proſequitur: Vnicuique enim eſt amabile proprium bonum; Et omne bonum Deus amat; Et quilibet diligit naturaliter ſimile ſibi; Et omnia agentia ſuo modo effectus ſuos, ſecundum quod huiuſmodi, amãt: vt quilibet artifex opus ſuum; ergo multo magis Deus, cum ſit omnium cauſa. Et hoc teſtatur ſcriptura dicens, *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil eorum odiſti, quę feciſti.* Sap. 11. Verè diligit omnia, quæ creat ad eſſe, quorum format eſſe, & quæ conſeruat in eſſe, & gubernat, & quod bona ſint approbat: Gen. 1. quorum omnium nulla eſt cauſa, niſi inæſtimabilis ſuæ charitatis incomprehenſa menſura. Amor enim primum eſt donum, in quo, ex quo, propter quod, & quare, omnia dona donantur, quę liberaliter dantur. Cum igitur omnibus benefacit, etiam omnes tam præſcitos, quam prædeſtinatos amat.

Sed forſan ſcriptura in contrarium vrget, dum peccatores odire dicit: vt Eccleſ. 12. *Altiſſimus odio habet peccatores.* Et in Pſ. 118. *Iniquos odio habui*, Et, *odiſti omnes qui operantur iniquitatē.* Pſal. 5. Sed hic ſciendũ, quod Deus aliud odit, aliud in peccatore amat: Odit quidem culpam; ſed naturam amat. Vel poteſt dici, iuxta Bonauenturam: Quod Deus non dicitur creaturam diligere ratione affirmationis animi; ſed ratione communicationis alicuius boni. Ita quod dilectio Dei dicatur potius effectus, quam affectus. Communicatio autem bonitatis Diuinæ, ſi attendatur quantum ad effectum gratiæ, non ſe extendit ad peccatores: Et ideo propter huius boni ſubtractionem, dicitur illos odiſſe. Sed communicatio aliorum beneficiorum, & bonis & malis eadem eſt, ob quod & malos etiam diligere comprobatur; vt malos; ſed vt boni fiant. Et ne cuiquam dubio ſit, ex amore Deum malis bona largiri, ecce veritas ipſa in Euangelio dicit, *Diligite inimicos veſtros*, &c. Matt. 5. *vt Pater cæleſtis*; ſcilicet *qui pluit ſuper iniuſtos.* Fruſtra profectò exemplo ſui, vel Patris, ad inimicorum nos hortaretur dilectionem: ſi non beneficia ipſa, charitatis ardore conferret eiſdem. Iſtud recogitent peccatores,

Digitized by Google

& fiant Dei amatores.

XXI SECVNDO amat ſingulos, & omnes *amore ſpirato*, ideſt amore Spiritu ſancti, qui eſt Spirituſſanctus. Nam (vt Thomas ait) Spirituſſanctus eſt amor, quo nos diligit Deus. Et eadem eſt dilectio (ait Gloſſa) qua Pater diligit Filium; & per quam anima diligitur à Deo. Pater autem (vt aiunt) & Filius, diligunt ſe Spiritu ſancto. Quæ tamen propoſitio, iuxta mentem ſanctorum Doctorum, *ſanè eſt intelligenda*; vt ſcilicet diligere, *notionaliter* tantum capiatur: Alioquin (ait Petrus de Aliaco) ſi *eſſentialiter* capiatur, tunc de virtute ſermonis, eſt abſolutè falſa. Hoc annotauimus pro ſaniori intellectu; licet non multum ſit de noſtro foro, cum ſit magis ſpeculatiuum. Cum ergo Spirituſſanctus eſt amor, amor eſt primum donum, quo omnia nobis dona donantur, ergo &c. Poſſemus exaggerare plurima probamenta, ſed remittimus.

XXII TERTIO ex dictis ſequitur, quod *voluntario amore*, non naturaliter, aut neceſſariò diligat nos Deus, aut beneficia largiatur: Amor enim ipſe eſt voluntarius, & datio liberalis. Vnde & Dominus ipſe ait, *Diligam eos ſpontaneè*, & in Pſal. 134. *Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit*, ergo. Neque arbitrandum, quaſi Deus ſemel actu volens, poſtea habitualiter diligat, vt plerique noſtrûm: Eſt enim ipſum eſſe, ſemper eodem modo ſe habens. Si igitur non ſemper volenter diligeret, non eodem modo ſe haberet, &c. O igitur amemus, & nos volenter. Oſee 14.

XXIII QVARTO infertur, quod etiam amore *cognoſcitiuo, & actu intelligente*, quemlibet amet, beneficiaque quælibet impartiatur cuique. Ita quod noſcat, & actu intelligat, amorem quo amat; & quemlibet ſingulariter quem diligit; ac ſingula beneficia diſtinctè, quæ donat atque donabit. Eſt enim intellectus purus Deus: Agere autem conſequitur eſſe rei; quare intelligit amorem ſuum & actum: Noſcit etiam ſingulos, quibus donat, aut quos amat. Cuius amare eſt noſſe. Et vt Ang. dicit. Sicut vnum totum ſimul perfectè conſiderat; ſic ſingula quælibet ac diuerſa, perfectè ſimul totaque conſpicit viſus eius. Sed ſic omnia, ſicut vnum: ſic vnum, ſicut ſingula; totus ſimul ſine diuiſione, vel commutatione, vel diminutione conſiderat. Itaque totus ipſe, toto tempore, ſine tempore, quemlibet ſingularem, ſimul ſemperque conſiderat, ac ſi nihil aliud conſiderare habeat: ſicut ſi omnium oblitus ſit; & cuilibet ſingulari ſoli intendere velit. Hæc Aug. Neque enim ſingula adeo cogitantur; vt ab aliis ad alia cogitanda transferatur: ſed in vno conſpectu ſimul, præſto ſunt vniuerſa, & omnia actu videt, & præſentialiter ſemper, etiam præterita & futura: Alias profectò non eſſet actus purus. Quod, vt nefas, credere vetamur, auctoritate Scripturæ & ratione: vt docti deducunt. Perpendat igitur quantus eſt ille ad nos Diuinæ charitatis affectus, qui quamuis lucidiſſimè prænouit omnem noſtram nequitiam, ingratitudinem, & indeuotionem: non tamen ſe voluit à benefaciendo & amando cohibere. O verè amor cognoſcitiuus, ſi eſſes ritè diiudicatus, & perſpectus, eſſes cordium liquefactiuus.

QVINTO etiam ſingulos diligit *amore æterno*: Ita quod ab æterno cuilibet benefacere diſpoſuit, & præordinauit. Cum enim amor Dei (vt diximus) ſit Spirituſſanctus, qui quod Deus eſt æternus, patet. Quod etiam in Pantheologia probatur multiplici ratione; ſcilicet *ratione æternæ notitiæ*: Cum enim æterna cognitio boni, ſit cauſa dilectionis boni: Et dicitur, quia Deus ab æterno omnia nouit, vt habetur Dan. 13. *Noſti omnia antequam fecit*: ergo. Secundo *ratione præparatæ gratiæ*, quia prædeſtinauit ab æterno, & elegit nos ante mundi conſtitutionem; ergo dilexit &c. Tertio probatur idem *ratione eſſentiæ creaturæ*, argumentans ex eſſe ideali, quod creaturæ ſunt æternæ, & ergo ab æterno dilectæ. Sed legantur viri illi ſupra memorati: videlicet, Ocham cum aliis: Illi enim caſtigatius de ideis, & ſcripturis conformius, & Auguſtino conſonantius loquuntur. Nolumus hinc dicere plura, eſto vtrunq., palam eſt Deum nos æterno dilexiſſe amore, qui dixit per Hiere. *In charitate perpetua dilexi te* &c. Attende igitur hic ô anima, longitudinem charitatis. XXIV Ephe. 1. Ier. 31.

XXV SEXTO inſuper ſciendum, quod non ſolum ab æterno habitualiter nos amauerit, ſed ſemper *actualiſſimo amore*, abſque vlla, vel momenti interpollatione, ſuper nos fertur atque ferebatur: Alioquin non eſſet Deus, actus purus, nil habens potentialitatis admixtum: Eſt autẽ ipſum eſſe, in quo non eſt aliquid in potentia, ſed in actu tantum: vnde oportet, quod non vel potentia vel habitu tantum; ſed actualiter nos amet ſemper. Apud Deum enim *non eſt viciſſitudinis obumbratio, nec tranſmutatio*. Vnde hic ergo dicit, quod amor Dei, nec vſu deficit, nec tempore veteraſcit; antiquus & nouus: vnde etiam omnia dona Dei ſemper noua ſunt, quia non eſt in ſe; ſcilicet apud Deum, præteritum aut futurum: ſed ſemper præſens, & quod ſemel dat ſemper dat: Alioquin mutatio eſſet apud eum; ex cuius largitate omnia effluunt dona: Ideoque ſemper merito, gratitudo debet eſſe tanta nobis de ſingulis donis Dei, ſicut cum ipſa percepimus prima hora. Et ex eadem ratione etiam ſingula Dei opera noua ſunt. Et quicquid ſemel fecit, ſemper facit, propter immutabilitatem ſuam: vnde, & Pater Filio dicit, *Ego hodie genui te*. Et ex hoc fundamento elicitur confutatio illorum, qui aiunt, Quomodo naſcitur Chriſtus? olim natus eſt. Quamuis enim Chriſti opera ſemel tantum exhibita ſunt ab extra; tamen omni momento in Patre per Filium cum ſancto Spiritu, ita recenter fiunt, ſicut quando ab extra oſtendebantur: Vnde, & tali affectu à nobis quotidie rememorati deberent, ac ſi iam in inſtanti prius fierent, quæ Dominus noſter ad ſalutem noſtram, tempore ſuo dignatus eſt exhibere; vt quidam latius declarat, Quod quali charitate, & affectu, Dominus IESVS voluit incarnari, in mundo conuerſari, & in cruce offerri pro nobis: tali etiam affectu, & non minori, ſeipſum quotidie ſine intermiſſione offert pro nobis, præcipuè in altari. O attendant hoc faſtidientes! Iac. 1. Pſal. 2.

XXVI SEPTIMO amat nos *amore infinito*: Cum enim Deus nos amat, immenſitas amat; & quia per Spiritum ſanctum amat, conſtat, quod infinitus

finitus eſt amor, quo nos amat. Non tamen dicimus, quod indefinitè nos amet: aliquid enim grandius cõnotat terminus ille, vt aiunt perſpicaciores. Sed nolumus nos terminorum cauillationibus inſiſtere; ſtat firma propoſitio illa, quod amet amore infinito; vnde nullus amor comparabilis amori eius. Finiti enim ad infinitum collatio eſt nulla. O immenſitas amoris infiniti, quis te vidit, & non expauit? quis intellexit & non redamauit? certe qui nõ amauit nequam & impius eſt: ſicut qui intellexit, & non expauit, vecors, & inſenſatus eſt. Hic viderit deuotus, quàm gratanter merito Diuina beneficia etiam minima quæque ſuſcipere habet, quæ tributa ſunt amore infinito. Affectus enim maximum, eſt quod in beneficiis exhibitis penſari ſolet: Nam & ideo frequenter modica quorundam donaria, magnis aliorũ beneficiis præferuntur, quia ſcilicet ampliori affectu donantur.

XXVII Octavo, amat, *amore totali*; ita videlicet quod omni conatu, & virtute ſua, ſic quod nihil potentiæ ſubtrahat dilectionis; cum feruore totius Trinitatis. Diuina enim ſimplicitas partitionem nullam admittit; ſed neque partibilitatem vllã habet, quare vnitus, & totus eſt ad omnes & ſingulos; iuxta quod Hugo dicit: Verè amor mirabilis, ſolus & non ſolitarius, amor participatus nec diuiſus, communis, & ſingularis, cunctorum ſingulus, ſingulorum totus; nec participatione plurium decreſcens nec minutus; cuius fructus vnus, & idem totus reperitur. Non ergo timeas animum illius in amore plurium, quaſi per affectum diſtrahi: ſed totus eſt in omnes &c. Diligamus itaque & nos eum ex totis viribus noſtris.

XXVIII Nono, amat amore ſingulari: Ratione quippe Diuinæ ſimplicitatis amor Dei ad ſingulos, & in ſingulis eius beneficiis, omnino vnitus & indiuiſibilis eſt. Quapropter ita ſingulariter cuilibet intendit: veluti ſi totius creaturæ cœli & terræ oblitus, tantum ſingularem quemque amet, ac intendat eidem, vt nihil ſit ei curæ de aliis. Et licet in plures cõmunis ſit eius amor, nihilominus manet cuilibet ſingularius, licet hoc impoſſibile in amore hominis. Vnde nec alium, nec maiorem dilectionis affectum ſingulis impenderet; ſi abſque cunctorũ participatione ſingulos amaret: vt ſupra memini in beneficiario tactum. Et ob id etiam venerabilis Hugo dicit: Nihil (inquiens) priuilegio ſingularis amoris tui ſocietas aliorum præſcribit, quia ſponſus tuus in omnibus diligit te, quos, & quæ diligit propter te; ac per hoc, & ſingulariter & vnicè diligit te, quia nihil diligit ſine te. Habet quippe in natura ſimpliciſſima Dei bonitas, (ait Bernardus) quaſi vnum reſpicere multos, & quaſi multos vnum: Nec ad multitudinem multus, nec ad paucitatem eſt rarus; nec ad diuerſitatem diuerſus, nec reſtrictus ad vnum; nec anxius ad curas; nec perturbatus ſeu turbulentus ad ſolicitudines. Sic ſanè vni intenſus, vt non detentus; ſic pluribus, vt non diſtentus; ita ergo ille bonus omnipotens (ait bonus ille pater noſter Auguſtinus in Confeſ.) vnumquemque curat, tamquam vt ſolum curet, & ſic omnes tanquam ſingulos.

Decimo, quoniam amor intenſus *extaſim* XXIX fecit, non ſinens ſuipſius eſſe amatores; ſed amatorum: Ideo etiam Deus, qui ſummè quemlibet diligit, *amore extatico*, ſiue extra ſe facto, nos amat. Mirum fateor hoc, ſed verum: vt patet ex ſententiis magnorum. Nam in primis diuinus ille Dionyſius in de Diuinis nominibus ſic ait: *Audendum & hoc pro veritate dicere, quod & ipſe omnium cauſa, pulchro, & bono omnium amore, per abundantiam amatiuæ bonitatis habitudine extra ſeipſum fit, ad omnia exiſtentia prouidentiis, & ſicut bonitate, & dilectione, & amore trahitur, & ex eo quod eſt ſuper omnia, & ab omnibus ſegregatum, ad id quod eſt in omnibus deponitur, ſecundum extaſim facientem ſuperſubſtantialem virtutem a ſeipſo ingreſſibilem. Propter hæc qui fortes ſunt in Diuinis, ipſum zelotem appellant: ſicut multum in bono amore ad exiſtentia, & ſicut excitatiuum ad zelum deſiderium ipſius amatiuæ, & ſicut zelotem ipſum demonſtrantes, per quem, & deſiderata ſunt zelabilia, & ſicut prouiſis ipſis exiſtentibus zelabilibus.* Hæc ille. Cuius ſententiæ tot etiam ſunt aſtipulatores, quot libri huius Diuini expoſitores. Quorum quidam ſuper his ait: Quod inquam, dicit Dionyſius: *Deum ad omnia exiſtentia prouidentijs per abundantiam amatiuæ bonitatis habitudine extra ſeipſum fieri*, proculdubio propter nos, quorum gratia ſolum hæc diligit, ſiue curat, hoc facit. Non enim eſt 1. Cor. 8 de bobus Deo cura, niſi noſtri cauſa. Sed vt & trinum, & fide dignum teſtem in medium deducamus, ecce veritatis ille inquiſitor profundus Gerſon ſuper Cantica ait: *Recipit Deus nomen amoris, & perfectè, vt (iuxta Dionyſium) extaſim faciat, & actiuè, & paſſiuè. Deus ſiquidem infinitus, dum ex amore producit creaturam finitam, exit quodammodo ſuam infinitatem diligendo rem finitam, quamuis actu infinito. Sic, & viceuerſa rationalis creatura finito actu diligendo Deum, obiectaliter infinitum, ponitur extra terminos omnis creaturæ, cum nulla ſit infinita. Ecce igitur ſuperadmirabilem extaſim in vtroque amore Dei; ſcilicet & creaturæ.* Hæc ille. Veriſſimis igitur teſtibus patet quod amore extatico nos Deus amet. Quod qui ritè tractaret, merito extatico amore in Deum reflagraret, rediligens eum, quoniam ſic prior dilexit eum.

Vndecimo, omnibus amoribus præſcriptis nos Deus amat etiam *amore gratuito*: nullis, videlicet præcedentibus meritis noſtris, nec vllo commodo ſuo in æternum ſperato; Nec enim in vllo tempore Deus reſpicit iſta, ſed vtilitatem, & fructum noſtrum. Hinc primæ Ioannis capite quarto dicitur: *Nos diligamus Deum, quoniam ille prior dilexit nos.* Et rurſum, *In hoc eſt charitas Dei, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.* Et Apoſtolus ad Romanos capite vndecimo: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Omnia ergo gratuito amore fecit, quippe cuius amor, non quærit quæ ſua ſunt. Alioquin, ſi ad ſe oculum (ait qui-

1. Cor. 13. dam) reflectit, in cupiditatem ſiue amorem cõcupiſcentiæ, ab amore beniuolẽtiæ, ac amicitiæ degenerauit; *Sane tamen hoc intelligatur.* Certum tamen, quod nihil noſtrum petit. Nam etſi bonum aliquod appetendum, aut amabile in nobis foret, hoc in ipſo ſuperabundanter pręexiſtens, & ipſe præhabens, vtique ab ipſo in nos emanaſſet Quid autem foris quæreret, quod intus ſuperſubſtantialiter, ac ſuperabundanter pręhaberet? Cui namque obſcurum eſt, ſolem rerum ipſarum fulgore, quas illuſtrauerit, non egere? Sed & quod nil expectat patet, quia di-
Pſa. 15. citur ei, *Bonorum noſtrorum non eges.* Et ipſe per
Eſa. 1. Prophetam ait: *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum? Plenus ſum.* Qui ſe *plenum* dicit, nihilo eget, aut requirit. Porro etſi obſequium ac retributionem exigere videatur, & hoc ipſum (ait Franco de gratia) inenarrabilis eſt gratię. Quid enim ſummæ illi beatitudini, quæ augmentum non capit, nec defectum nouit contuleris, ſi obſequium, & honorem detuleris? Quid autem detraxeris ſi non obtuleris? Tibi ergo præſtat, qui, vt ſeruias imperat; vt ex deuotionis tuæ merito, quaſi iuſtè cogatur immenſa illa pietas, æterno fidenter obſequentem remunerare præmio. Sicut & Chryſoſtomus crebrò pulchrè proſequitur. Verè ergo gratuito amauit, qui & inimicos, & nihil habentes amauit.

XXXI DVODECIMO, amat nos Deus *amore beatificatiuo:* Ad hoc omnia beneficia pręſtans, & nobiſcum agens, vt finaliter nos beatificet in ſeipſo: Ita quod quicquid & quomodocunque Deus eſt, ac habet per naturam, ſinguli participant per gloriam: Hinc Auguſt. Amat Deus vt ametur; & etiam amans nihil aliud vult, quam amari; ſciens ipſo amore beatos, ſi qui amauerint; velatè in de doctrina Chriſtiana diſputat; inquirens, ſi nobis vtitur Deus, an fruatur; concludens, quod non fruatur, ſed vtatur; Sed non ſicut nos: Nam nos res quibus vtimur, ad id referimus, vt Dei bonitate perfruamur; Deus vero ad ſuam bonitatem vſum noſtrum refert, & noſtram vtilitatem. Ita, vt ille vſus, qui dicitur Dei, qui nobis vtitur, non ad eius, ſed ad noſtram vtilitatem referatur. Ille ergo nos amat, & benefacit nobis propter ſuam bonitatem, id eſt, ille nos amat, & beneficia præſtat, vt ſe perfruamur. Hæc ille. Nã & propterea ait Chryſoſtomus, creauit nos Deus, & eſſe fecit qui non eramus: vt æterna in nos conferat bona, & pręſtet regna cęlorum, & vt ęternis eius bonis ac muneribus fruemur; & propter hoc omnia ab initio temporum egit, & agit.

Et ſi forſitan quis obiecerit, quod hoc amore & tali non amet omnes; præſertim præſcitos, cum nullus præſcitorum beatificabitur. Imo
1. Tim. 2. Apoſtolus, quod omnes vult ſaluos fieri, ac per hoc, & beatos; ſed hoc, vt aiunt voluntate antecedente, non conſequente. Videantur Doctores, ſupra me eſt abyſſus illa. Apoſtolo tamen credo.

XXXII POSTREMO, ne de re ineffabili conemur, dicimus ad ſummam, quod Deus nos amet omni amore, quomodolibet capiatur, ſancto, & Deo digno, puta amore *violento*, *virtuali aut cauſali*; imo, & omnis amoris genere inceſſanti, & ſuperexceſſiuo: vt Richardus declarat in de gradibus charitatis.

En violat cauſans, omni non ceſſat, inaltat.

Vis balbutiendo paucis tangamus, quæ diximus? Diximus, quod nos Deus amet *amore violento*: Non quidem (abſit) neceſſario, ſed amore violento; id eſt tantæ efficaciæ, & valoris, vt amantis cor ardoris flamma ita concremet, alienet, transfigat, & captiuet, quod amãs non videatur ſuiipſius compos; ſed quaſi totus in amati poteſtatem redactus. Vide ſi non talis amor Dei in homines. Vide quæ dixerit Abraham, & Moyſi, & electis ſuis: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus; An quicquã facere potero* Exod. 32. Gen. 18.
quod non prius oſtendam ſeruis, &c. Verè verba ſunt, & ſcintillæ violenti huius amoris, cuius inter cætera ſunt opera quattuor, quia ſcilicet vulnerat, ligat, languidum facit, & defectum inducit in cor amantis. Quæ omnia, ſi cor pium non horreſcit, eſt reperire in Deo, excellentius quam in homine quoquam amatore. An non *vulneratus* charitate Deus intrinſecus, qui propter amorem illum vulneratum oſtendendum, ſuſcepit etiam vulnus foris? An non anima eius *adhæſit* generi noſtro, qui etiam induit limum noſtrum? An non & *amore languet*, qui Pſa. 76.
conſolari renuit, ſomnum oculis non dedit, niſi Pſa. 131.
prius per medias etiam tormentorum acies, dilectam ſibi redemiſſet? Sed & *amore defecit*, quando ſomnum ex amore mortis excepit; verè ergo dilexit amore inſuperabili, quia vulnerato, Inſeparabili quia ligato; amore irremediabili, quia languente; inſatiabili, quia deficiente. De quibus ſingulis amoris violenti ſpeciebus, grandior poſſet ſermo fieri: Sed conſiderationem hic intermittamus; & vt eum his modis rurſus redamemus, laboremus, quemadmodũ pulcherrimè docet venerabilis ille Richardus, in de gradibus charitatis; & clamemus cum quodam Carthuſ. O amor vulnerans, ô amor ligans, ô languorem inducens, defectum faciẽs, quando venies ad me! *Vulnera* cor meum, & tranſuerbera omnia interiora animæ meę, aculeo ſupermelliflui amoris tui, tam validè, vt ex
ſententia dicam, *vulnerata charitate ego ſum*; Ita Cant. 5.
vt abſcondi intus nequeat vulnus amoris, quin certis foris prodeat iudiciis, ſcilicet opere, & ſuſpiriis. *Alliga* etiam tam ſtrictè vinculis beneficiorum omnes vires meas, vt quaſi impotens mei, & totus tuus, nihil cogitem, videam præter te dilectum, & adhæreat lingua mea
faucibus cum non meminero tui. *Langueat* Pſ. 136.
quoque tota ſubſtantia animæ meæ poſt te: vt Pſa. 76.
renuat conſolari in aliis, & arbitretur omnia, Philip. 3.
vt ſtercora, & pręter te nihil ſapiat. *Deficiat* et- Pſa. 118.
iam in ſalutare tuum anima mea, vt non ſubſi- Philip. 1.
ſtat in ſe, ſed in te; vt cũ Apoſtolo dicere poſſim: *Mihi viuere Chriſtus eſt.* Hæc de amore violento. Quomodo autem diligat amore virtuali, & cauſali, author Pantheologiæ ſatis eſt executus, qui etiam plura ante enumerat effectus amoris, vt zelare, lãguere, liquefacere, inebriare vnire. Quod etiam amet *omni amoris genere*, & ad omnium inſtar: vt pater, mater, frater, ſponſus, & alij. ſatis ex ſuperioribus liquet.
Sic etiam de *amore inceſſanti*, quia ęterno, ſine Ioan. 13.
principio, & ſine fine, in finem diligens ſuos.

XXXIII QVOD etiam *amore exceſſiuo*, licet ſatis conſtare poſſet ex dictis, paucis repetimus, dicendo quod Dei amor, excedit amorem, qui eſt *inter virum & vxorem*: Nam ſi quis haberet vxorem, quæ multas haberet maculas, & non poſſent deleri, niſi fieret collyrium ex ſanguine
Ephe. 5. viri, quis hoc virorum pateretur? Chriſtus tamen ſic Eccleſiam dilexit, quam, vt exhiberet glorioſam, non habentem maculam, neque rugam, tradidit ſe pro ea. Auguſtinus: vt Chriſtus ſponſam ſuam lauaret, ſeipſum vulnerari permiſit. SECVNDO, excedit amorem Patris & filij: Nullus enim pater, vel mater, ob amorem filij vellet in manibus vulnera deferre, vt filij poſſet memorari: Deus tamen in manibus
Eſa. 49 deſcripſit nos; hinc dicit, *Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui*, &c. TERTIO,
Ioa. 15. excellit amorem qui eſt inter *amicam & amicum*, quia *maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat. Vix enim pro iuſto quis*
Rom. 5. *moritur. Commendat autem Deus ſuam charitatem in nobis, quoniam cum adhuc eſſemus peccatores Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* QVARTO, excedit amorem qui eſt inter *corpus & animam*, qui eſt valde, vt patet intenſus; vnde & grandis eſt acerbitas ſeparationis. Sed quantacunque ſit moleſtia mortis, vincit eam vis amoris: nam Chriſtus tantum nos dilexit, quod animam ſuam à corpore ſuo pro nobis ſeparauit; iuxta illud Ioan. 10. *Animam meam pono pro ouibus meis*. POSTREMO, amor ad nos Diuinus omnes amores humanos, etiam *congeſtos in vnum*, ſuperat in immenſum. Et quid dico humanos; imo & angelicos, & creaturarum omnium dixiſſe debueram. Nam & omnis ille ſeraphicus ardor, huius collatione, non eſt niſi tepor ſubſolanus; imo frigiditas quædam. Quantum enim cæli, & terra, & quantum à creatura diſtat Creator, tantum exuperat creaturarum amores, amor ille Diuinus. Et hæc latius diximus de Diuino amore, quoniam inter omnia quæ amare mouent, nulla cauſa ad extorquendum amorem efficacior, quam eſt amor ipſe. Velimus enim aut nolimus, amantem nos quē ſcimus, non redamare non poſſumus. Vnde inter omnes ſtrues inflammandæ charitatis poſitas, inter omnia incentiua, & monimenta amoris, nil ita incitat ad redamandum, ſicut attenta, & intenta conſideratio, & æſtimatio Diuini erga nos amoris; vnde in omnibus meditationibus, ad hanc conſiderationem nos reflectere debemus, quod tantus, tam viles, taliter dilexit, & ex tanto amore ſingula beneficia impendit. Et hoc ſemper noſſe, & attendiſſe de-
Gal. 4. bemus quod nihil ita Deus oſtendere voluit in vniuerſo opere ſuo: velut amorem, & ideo
Rom. 8. omnia egit, vt ſe nobis amabilem exhiberet.
Ioan. 3. Ideo Deus Pater Filium ſuum miſit, mandauit, dedit, tradidit, & dereliquit; Et Deus Filius coaltiſſimus Patri, ſicut mandatum dedit ei
Ioa. 14. Pater ſic fecit, & ſubiens opus magni ſacerdo-
Rom. 5. tij amarum calicem bibit; & Spiritus ipſe ſe effudit, vt charitatem in cordibus noſtris diffūderet, & redamaremus tam amantem noſtri. Peruerſus enim, & nimium durus, qui non amat tam amantem, nec rediligit illum qui prior adeo dilexit.

REDILIGAMVS itaque, vt quidam ait, XXXIV
1. Io. 4.

Omnipotentia immenſum creatorem noſtrum. — *Meditatione, memoria.* — *Sine obliuione, per iraſcibilem.*

Patrem Deum mente, fortiter,

In oratione Dominica, quæ docet ſperanda.

ſpe roborata.

Sapientia innumerabilem redemptorem noſtrum. — *Intelligentia, ratione.* — *Sine errore per rationalem.*

Filium Dei, anima, ſapienter,

In duodecim articulis fidei quæ docent credenda.

fide illuminata.

Bonitate ineffabilem glorificatorem noſtrum — *Affectu, voluntate.*

Spiritum ſanctum Deum corde,

Sine contradictione per concupiſcibilem. — *In decem præceptis quæ docent operanda.*

dulciter, charitate inflammata.

Hęc latius diximus de inflammatiuis charitatis. De gradibus autem charitatis, & modo diligendi Deum, & ſic de aliis, remittimus lectoris diligentiam ad ſanctum Thomam, in de dilectione; videtur tamen eſſe tractatus Bonauēturæ quoniam in eius ſcriptis, & ſermonibus reperiuntur plura ex illis.

Nunc de practica charitatis inflammandæ dicendum.

QVI practicâ in prædictis exercitandi, per ligna prędicta, vel ſtrues, volet inflamma- XXXV
re ſe ad charitatem: debet ſe exercere per ſtudioſam eorum quæ amorem incitant conſiderationem, per profundam eorum dijudicationem, & æſtimationem; Demum per intentam, & deuotam orationem: Cum enim priora non proficiunt, oratio omnia acquirit. *Cum enim ig-* 1. Par. 20.
noramus quid agere debeamus, hoc reſidui habemus, vt oculos noſtros ad Deum dirigamus, conquerendo, orando, & obſecrando.

AT POSTREMVM quoniam perſeuerantia omnia poteſt, oportet, vt ſi ad primas preces homo non exaudiatur, maneat perſeuerans, iugiter exclamando per deuotas, & iaculatorias aſpirationes ad Deum, & in eis ſe exercitando omni tempore, & loco crebrius dicendo, O Deus amor meus! O vita vitæ meæ! O quando amabo te! Quemadmo- Pſa. 41.
dum deſiderat ceruus, &c. De quorum ſuſpiriorum laude, diximus ſupra, & inferius eſt quicquid dici poteſt à laude. Et præſertim crebrius ſuſpirioſè dicendum, Amo te Deus meus, & magis magis amare cupio. Nam *amo te*, Gerſone teſte, vox eſt tam efficax, viuax, & ſonora, vt ad aures Dei generaliter, & immediatè pertingat. Eſt item *amo te*, tantæ viuacitatis vox, & efficaciæ, quod neque mors, neque infernus, illam

Digitized by Google

Cant. 8. opprimere, aut tollere valent. Fortis, vt mors, dilectio, &c. Vnde *amo te*, ſi profertur à creatura rationali Deo ſuo, toto corde, tota anima, & tota mente. per pietatem fidei, ſpei, & charitatis, ipſa coniungitur immediatè Deo ſuo; quo dicente *amo te*, ipſa facta eſt; quo patiente, ipſa amoroſius reformata; quæ coniunctio, finis eſt omnis conſummationis. Quiſquis igitur omnia, quæ in hoc admonitorio; imo in omni ſcriptura ſacra traduntur, adimplere voles, fac Deum ames, hoc verbum, *Amo*, ex corde illi ſæpius dicas. Nec cauſari iam habes prolixitatem, quippe cum in vno verbulo ſit omnis huius finis; quem nobis attingere concedat, qui ſuper omnia viuit, & regnat. Amen.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8-1